PONDERATIONES CONCIONALES IN OPERA S. AVGVSTINI

P. IO. BAPTISTAE MASCVLI E SOCIETATE IESV.

ERVDITARVM LECTIONVM S. AVGVSTINI DOCTORIS ECCL. ACVTISSIMI LIBRI ACROAMATICI.

Vbi collectum habetur, quod in eius Operibus intimè reconditur, vel acuminis, vel eximiæ venustatis.

CVM PONDERATIONE, ET VSV SENTENTIARVM

AD CONCIONES:

Decem Tomis contractis in vnum, seruata ipsorum serie, atque ordine

Apponitur triplex Index locupletissimus: Uniuersalis Materiarum, Panegyricus Sanctorum, & Paraeneticus Religiosorum.

AVCTORE P. IOANNE BAPTISTA MASCVLO NEAPOLITANO, SOCIETATIS IESV,

Sacrarum literarum olim publico Interprete in Collegio Neapolitano.



Neapoli, Apud Dominicum Maccaranum, M.DC.LII.

SVPERIORVM PERMISSV.

FERDINANDO III.
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO.

IO. BAPT. MASCVLVS E SOCIETATE IESV

FELICITATEM.

MVlta ſunt (Sereniſſime Ferdinande), quæ me hortabantur, vt lucubrationes has meas in Auguſtinum tibi potiſſimùm dicarem: Gentis videlicet Auſtriacæ ingens gloria, ſingularis tua in Deum pietas, eximius amor in noſtrum Ordinem, quem tam benignè foues, ſuauiterque complecteris, qua in re cum maioribus tuis certas. Sed illud impulit maximè, quòd cum Auguſtinus tanto arſerit ſtudio tuendę verę religionis, eiuſque aduerſarios tam acriter inſectatus ſit; idem in te ſtudium admirantur omnes; ac propterea haud ſcio, an quemquam in terris ille de cœlo amantius, iucundiuſque deſpectet. Commendat ipſe ampliſſimis verbis Theodoſium Imperatorem, cùm à magnitudine pietatis, clementię, ceterarumque virtutum; tùm maximè ab hac verę religionis tutela. Inter hæc omnia, inquit, ex ipſo initio imperij ſui, non quieuit aduerſus impios laboranti Eccleſię ſubuenire, quam Valēs hęreticus fauens Arianis vehementer afflixerat; cuius Eccleſię ſe membrū eſſe magis, quàm in terris regnare gaudebat. pręclara ſanè laus Imperatoris atque hinc prouenire ait, vt tot ille nobiliſſimis victorijs eſſet inſignis, non ſine peculiari Dei pręſidio. Alibi quoque in eodem Theodoſio, hanc fidei tutelam laudibus extollit, quòd hęreticis mulctam impoſuiſſet, quòd eorum fraudes detexiſſet, quòd eos varijs artibus ad ſanam mentem reuocare ſtuderet. quid tādē idem Auguſtinus de te diceret, Ferdinande? cuius, pręter ceteras virtutes egregias, in hęreſes profligandas tam conſtans, & acer ardor eſt? nimirum hoc aquila, pręclariſ-

ſimum illud inſigne imperij tui, pręſefert: eſt enim eius aliti acre cum anguibus bellum; eaque olim Marianum triumphum auſpicatò portendere putata eſt, ſerpente arrepto, & vnguibus dilacerato. eſt verè tuę aquilę magna cognatio cum Auguſtino: an non hic aquilam pręſefert acutiſſima mentis acie, & ſublimi doctrinę volatu? quantas illa hęreſum quaſi anguium edidit ſtrages? quàm multos hęreticos, quaſi minores aues audacter volitantes perſequẽdò fugauit? quamobrem illi & Soſithei celebre dictum ſatis accommodatũ eſt.

Εἷς μυρίους ὄρνιθας αἰετὸς φοβεῖ

Vna aquila innumeras exagitabit aues.

Et illud Homericum

ὥς τ' αἰετὸς ὅν ῥά τε φασὶν
ὀξυτάτον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν

Vt Iouis ales,
Cuius acutam aciem perhibent præſtare, volucres
Ante alias, quotquot cœlo ſpatiantur aperto.

Denique nè plura conſecter, ac tè tot curis imperij diſtrictum morer, cui accomodatius opus hoc in Auguſtinum dicari potuit, quàm Auguſto? haud igitur vereor, ne non hæc ſignificatio obſequii, atque obſeruantiæ erga te meæ, Ordiniſque noſtri, futura tibi ſit grata. Vale, diù viue, & feliciter Impera.

SAN-

SANCTISSIMAE
AC BEATISSIMAE MATRONAE
MONICAE
S. AVGVSTINI MATRI
AVCTOR

EN tuus ille filius (matrona ſanctiſſima) olim filius lacrymarum, nunc verò gaudij ſempiterni parce iam gemitibus, parce fletibus. gemant potius aduerſarij religionis, quos ille acutiſſima calami acie vulnerauit. vides quantum edideris lumen ingenij, immò quàm præclarum Solem? vides quàm ſtrenuum, & inuictum ducem, qui pro veritate propugnet? deſeruit iam caſtra perfidiæ, ſignifer veræ fidei factus. renouatum eſt, ſed multò præſtantius, Coriolani Romani ducis fortiſſimi factum; quem cum Roma doleret, ac timeret hoſtem, maternæ lacrymæ mollierunt ciuem. ſic enim mihi videor videre te initiò cum Auguſtino tuo expoſtulantem, & iiſdem ferè verbis, quibus Veturia mater rebellem, ac peruicacem filium, compellare; audio te ſimiliter conquerentem: Sine, vt ſciam, vtrùm cum filio nè, an cum aduerſario mihi ſit ſermo. in hoc me longa vita, & infelix ſenecta traxit, vt religionis hoſtem viderem? potuiſti, non vt Punicus Annibal in Romanæ vrbis mœnia, atque tecta, ſed in aras, ac delubra Cœlitum mouere bellum? ergo niſi ego te pepeériſſem, Cœlites non oppugnarentur? plura conqueri vetuit dolor. ſed hæc fuerint quondam; nunc, feliciſſima matrona, muta vocem iſtam; & ſi fortè præ lætitiæ magnitudine penè ſtupens ex ſubita conuerſione morum vocem emittere nequis tuam, audi meam. amplectere filium tuis lacrymis reddentem ſuas. quid mirum, quòd ille in confeſſione ſuorum criminum tam largè ſe defleat, qui materno reſipuit fletu? iam pectus illud acerbo in nos odio refertum totum ſibi pietas vacuefecit. iam è Manichæorum caſtris transfuga non

modò

modò recessit, sed in eos bellum atrox, & implacabile suscepit. cerne istis oculis, qui tandiù fletibns inundarunt, manus cum hoste conserentem, gladium argumentationum acriter distringentem, hostilia munimenta vastantem, opima spolia diripientem, vbique trophæa figentem. cerne hoc, quod ego contexui ex præda monile, auro, gemmisque perfectum, quas opes diues illud flumen ingenij protulit: tibi sanè dicari debuit, cui debet ille quod natus sit, & renatus. Ponderationes in illum meæ non leue habebunt momentum; si amor in me tuus (quandoquidem ille amorem animi pondus vocauit) accesserit. gaude, & vnà cum filio, ceterisque Cœlitibus, sempiternis perfruere gaudijs, mihique concilia Deum.

AVCTOR

AVCTOR LECTORI S.

POst Hieronymum, profero Augustinum. habebas anteà ab alijs collecta, quæ dicuntur Augustini Milleloquia; habes nunc à me, vt similiter loquar, Augustini Pulchriloquia; quod opus edo triplici cum fœnore: nam & delectum habeo in sententijs; & quod in eis vel acuminis, vel elegantiæ inest, obseruo, ac pondero; & earum varium plerumque vsum ad conciones ostendo. non distraho quasi membra, sed corpus ipsum eius operum suo ordine compactum exhibeo. Augustini verba, in quibus pondus est positum, diuerso, ac proprio charactere distinguo. Ad hæc Indices três magno cùm labore confectos apposui, qui quasi succus quidam sunt ex omnibus Augustini operibus expressus; eos si diligenter lectitaueris, magnam tibi ad omne genus concionum suppellectilem comparaueris: multa etiam thematis inuentioni vsui erunt. satius autem fuerit etiam totũ ipsum hoc volumen euoluere, & sententias omnes vnà cũ ponderationibus adnotare. Nihil tàm frequens in ore, quàm Augustini nomen: sed quota pars eius operum scitur, præter vulgatas quasdam tractationes? latent verò alia quàmplurima præclara, huc, illucquè dispersa, quæ, nisi totus continenti serie perlegatur, quod immensi laboris est, animaduerti non possunt: id tamen magna contentione peruici, atque perfeci, haud passus tantas opes in abdito esse. Porrò sicut, quò vniones, ac gemmæ natiuum fulgorem clarius explicent, atque emittant, artificis accedit industria: ità quò sententiarum vis magis appareat, quasi quædam expolitio, quam ponderationem voco, à me adhibetur: multum ad intelligentiam facit obseruatio, quæ sæpè sagaciter aliquid eximium intus inuenit, quod alius, superficiem tantùm intuens, præteriret. Sunt quædam, quæ Augustino tribuuntur, sed planè certa nõ sunt; quamobrẽ in catalogo asterisco notantur: ea tamen omnino prætermittere visum non est, cum tandiù eius libris inserta perdurarint, præsertim si quid habeant elegantiæ. Iam ex præcipuis Augustini dictis, quæ doctrinam continent scholarum propriam, ea tantùm delibabo, quæ ad auditorum intelligentiam accomodari, & aliquam Concionatoris munere dignam existimationem, auctoritatemque conciliare possunt; nec tàm id ago disputãdi, quã exornãdi causa. quædã prudens omitto vt principia Grammatices, Rhetorices, Categorias, quæ nihil prorsus ad concionem faciunt. illa quoque prætereo, quæ alibi ijsdem ferè verbis dicta sunt; nisi fortè aliud quippiam occurrat obseruandum. porrò quæ aduersus hæreses eius temporis scribit, omninò prætermittere visum non est, cum nonnulla ad mores aptè referri possint. Illud verò pro tua beneuolentia, Lector humanissime, à te peto, vt si quando sententiam quampiam ad Societatem Iesu, quæ Minimæ titulo gaudet, accomodo, id æqui, bonique consulas, atque eo consilio à me factum putes, vt modum, quo quisque ad re suã similiter traducere, ac referre possit, ostẽdã: habent.n. cæteri quoque religiosorum Ordines præclara sua decora, nec ea, cùm se dat occasio, posthabeo. Iam non est, quòd te mea hortatione accendam ad tanti Doctoris lectionem, nec ille meo præconio illustrandus est: cùm Augustinum dico, religionis oraculum, & veræ sapientiæ antesignanum dico. nihil eius ingenio sublimius, nihil acie mentis acrius. adde incredibilem pietatem, quo quasi condimento quæ scripsit, aspersit. quo ille interdum amoris æstu ergà Deum exardescit? quibus verborum iaculis cor fodit? excitabaris sinè dubio

lio

bio ad legendum: sed vnum te, credo, deterrebat, magnitudo videlicet tot voluminum. consultum iàm est immenso labori, decem tomis contractis in vnum. consultum etiam tædio, quod obrepere solet, præsertim cùm aliqua tractatio non tam vberibus, & frequentibus, & amœnioribus, vt ità dicam, sententijs scatet, sed dispersæ, raræquè latent, quas hic quasi sub vnum aspectum propositas habes. nulla ferè materies est rerum diuinarum, quàm arripere non possis. magnum autem concioni pondus accesserit, si & Hieronymi interpretatione, quam dudum cum meis ponderationibus edidi, & Augustini doctrina nitaris. Esset hic locus acuendi calamum, vt leuiculos nonnullos horum temporum declamatores perstringerem, quos non pudet è templorum suggestibus suo marte confictis argutijs, ac potius (proh quanta labes) nugis auditorem tenere, cum tàm præclara suppetant dicta Patrum. Sed his omissis tu, qui saniore iudicio es, hoc age, vt quando diuina prouidentia clarissima hæc Ecclesiæ lumina protulit Mundo, ad ea te conuertas, horum Doctorum lectione, & quasi operum medulla fruaris, qui pastus erit animi suauissimus. Ceteros quoquè Doctores, ac Patres, quos promptos, ac paratos ad typos habeo, breui, Deo iuuante, si bibliopolam nactus fuero, exhibebo. Vale.

CATALOGVS OPERVM S. AVGVSTINI

Quæ continent Ponderationes Concionales.

Quæ habent asteriscum non ita sunt certa.

EX *Primo tomo.* Lib. Retractationum. Confessionum. De Musica. Contra Academicos. De ordine. De vita beata. Soliloquiorum. De Magistro. De immortalitate animæ. De quantitate animæ. De libero arbitrio. De vera religione. De moribus Ecclesiæ. De Genesi contra Manichæos. * Regulę vitæ Monasticæ. * De vita Eremitica.

Ex secundo tomo. Epistolæ ad diuersos. * item epistolæ ad Bonifacium, & Cyrillum.

Ex tertio tomo. Libri de doctrina Christiana. Locutionum sacræ Scripturæ. De fide, & symbolo. Enchyridion. De Trinitate. De Genesi imperfectus. De Genesi ad literam. * De mirabilibus sacræ Scripturæ. De agone Christiano. De opere Monachorum. De spiritu, & litera. De diuinatione dæmonum. * De Ecclesiasticis dogmatibus. * De spiritu, & anima. * De fide ad Petrum. Speculum. Quæstiunculæ de Trinitate. * De benedictionibus Patriarcharum.

Ex quarto tomo. Libri de mendacio. De fide, & operibus. Quæstionum in ephtatheucum. Quæstionum Euangelicarum. Quæstionum ex Matthæo. De consensu Euangelistarum. 83. quæstionum. * Sententiarum ad Simplicianum. ad Dulcitium. * Quæstionum 65. * Quæstionum veteris, & noui testamenti. De cura pro mortuis. De catechizandis rudibus. * De Incarnatione Verbi. * De Trinitate, & vnitate Dei. * De essentia diuinitatis. * De fide rerum inuisibilium. * De substantia dilectionis. De continentia. De patientia. De bono viduitatis. * De vera, & falsa pœnitentia. * De salutaribus documentis. * De amicitia. De sermone domini in monte. Expositio in epistolas Pauli ad Rom. Expositio epistolæ ad Galatas. * Annotationes in Iob.

Ex quinto tomo. Libri 22. de Ciuitate Dei.

Ex sexto tomo. Libri de hæresibus. Concio ad Cathecumenos. Oratio aduersus Iudæos. * De altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ. De vtilitate credendi: Contra Manichæos, Fortunatum, Adimantium, & Faustum. * De fide contra Manichæos. Contra Priscillianistas, Origenistas, Arianos. De bono coniugali. De sancta virginitate. De adulterinis coniugijs. de Stoicis, & Epicureis. De eo quod dictum est: Ego sum qui sum.

Ex septimo tomo. Contra Donatistas. De peccatorum meritis, & remissione. De natura, & gratia Christi, & de peccato originali. De nuptijs, & concupiscentia; Contra Pelagianos. De anima, & eius origine. * De prædestinatione, & gratia. De prædestinatione Sanctorum, & bono perseuerantiæ. * De prędestinatione Dei. De gratia, & libero arbitrio. De correptione, & gratia. * Hypognosticon contra Pelag. De perfectione iustitiæ.

Ex octauo tomo. Tractatus in psalmos.

Ex nono tomo. Tractatus in euangelium S Ioannis In epistolam primam Ioannis. Meditationum liber. De diligendo Deo. Soliloquiorum. Manuale. De triplici habitaculo. De scala Paradisi. De 12. gradibus abusionum. De contritione cordis. De cognitione verè vitæ. * Speculum. De vita Christiani. De Assumptione Virginis. De disciplina Christiana. De decem chordis. De cantico nouo. De contemptu Mundi. De vanitate seculi. De obedientia, & humilitate. De bono disciplinæ. De visitatione infirmorum. De consolatione mortuorum. De quarta feria. De cataclysmo. De tempore barbarico. De sobrietate. Speculum peccatoris. De pœnitentiæ medicina, & vtilitate. * De conflictu virtutum, & vitiorum. De 4. virtutibus charitatis, & eius laudibus. De honestate mulierum. De pastoribus, & ouibus. De symbolo fidei. De conuenientia 10. præceptorum, & 10. plagarum. De rectitudine Catholicæ conuersationis. De vtilitate ieiunij. De Vrbis excidio. De creatione primi hominis. De arbore scientiæ boni, et mali. De pugna animæ. * De Antichristo. Expositio in Magnificat.

Ex decimo tomo. Homiliæ de verbis domini. De verbis Apostoli. Liber 50. homiliarũ. Homiliæ de tempore. De sanctis. * Ad fratres in Eremo. De cõmuni vita Clericorũ. Sermonum auctarium.

ALE-

ALEXANDER GOTTIFREDVS
Visitator Societatis Iesu in Regno Neapolitano.

CVm P. Ioannis Baptistæ Masculi Neapolitani è Societate Iesu librum Ponderationum Concionalium in opera S. Augustini, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, potestate ab admodum R. P. N. Vincentio Carrafa Præposito Generali ad id mihi tradita, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostræ Societatis munitas dedimus. Neapoli 9. Octobr. 1646

Alexander Gottifredus.

IMPRIMATVR.

Gregorius Peccerillus Vicar Gener.

Fr. Ioseph de Rubeis Ord. Min. Con. S. T. D. Eminentiss. & Rauerendiss. D. Card. Philamar. Theol. & Consultor S. Officij.

Registr. à fol. 42.

Illustriss. & Excellentiss. Domine.

VIdi ex mandato Excellentissimi librum P. Io. Baptistæ Masculi Ponderationum Concionalium in opera S. Augustini, & quia in ijs nihil contra Regiam Maiestatem, aut iurisdictionem inueni, illas iudico prælo dignas.

Vincentius Paganus e Soc. Iesu Theol.

Visa retroscripta Relatione IMPRIMATVR.

Zufia Reg. Casanate Reg. Sanfelicius Reg. Caracciolus Reg. Capyc. Latro. Re.

Prouisum per Suam Excellentiam die 14. Martij 1647.

Grimaldus.

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM

LIBER PRIMVS.

Continens Tomi Primi præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX LIBRO I. RETRACTATIONVM.

1 EST omnino admiratione digna ingenuitas, & simul animi demissio Doctoris huius eximij, quam palàm testatam esse voluit, quasi palinodiam canendo eorum, quæ maturiore consilio adhibito mutare constituit; ex ijs ea tantùm excerpam, quæ referri possunt ad mores. *In libris Academicarum quæstionum non mihi placet toties appellasse Fortunam, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum*. nam quod vulgus Fortunæ tribuit, potiùs ad diuinam prouidentiam spectat. Nota quàm cauti esse debeant, qui de diuinis rebus loquuntur. quod si quid minus solidè dixeris, non est pertinaciter defendendum. pudeat potius non esse ingenuũ, quàm de ingenii laude aliquid detrahi. uetus adagium est δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, hoc est posteriores cogitationes sapientiores.

Fortunæ nomen Ecclesiastico vitandum.

Eurip. in Hippol.

2 Cum vsurpasset hanc vocem, *Omen* quasi ethnicismum saperet, retractat. *Omen me legisse non recolo, siuè in sacris litteris nostris, siuè in sermone cuiusquam Ecclesiastici*. Vide quanti fecerit modum loquendi aliorum Doctorum, vt nolit vti quibusdam vocibus, quas illi non vsurparint, licet ipse sit inter primos.

Quã cautè profanæ dictiones vsurpandæ.

3 *Item de hoc loquendi modo æstuat. De animo dixi; Rediturus in cælum; potiùs iturus, quanquam & Cyprianus dixit, cum corpus è terra, & spiritum possiderimus è cælo, ipsi terra, & cælum sumus. & Ecclesiastic. spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum*. Nota: hinc collige quàm timidè loqui Theologi debeant in rebus grauibus, etiam cum sensum bonum tegere auctoritate possunt.

In rebus præsertim theologicis cautio.

Eccl. 12.

4 Omnem veterum sapientiam ob ignorationem veræ Religionis penè desipere indicat. *Laus, qua Platonem, vel Platonicos, seu Academicos tantum extuli, quantum impios homines non oportuit, non immeritò mihi displicuit*. Adeò omnis extera sapientia minor est sacra, vt etiam clamosa illa porticus silentio obrui debeat. mox addit: *nec illud mihi placet, quod Pythagoræ philosopho tantum laudis dedi*. dignus hic certè non quinquennali suo illo silentio, sed æterno, qui hominum animos uel in bestias transmittebat.

Philosophi gentiles non immodicè laudãdi.

5 *Qua ratione suum celebrarit natale, ostendit. Die natalis mei scripsi libros de beata vita*. Nempe quem diem alii epulis, ac deliciis traducere solent, hunc ipse scriptione traducebat, & beatę vitæ contemplatione, ad quam scilicet nati sumus, quæ verè vita est, & natalis æternus.

Natalis dies cuiusque quã piè celebrãdus.

6 Cum humanarum disciplinarum, in quibus excellebat, amore ductus, eas impensè laudasset, ait. *Displicet quod multum tribui liberalibus disciplinis, quas multi sancti nesciunt; quidam autem, qui sciunt eas, sancti non sunt*. Vide quantum præponderet pietas scientiæ humanæ, vt hæc præ illa vix laude digna videatur. virtus in precio est.

Pietas quãtum præferẽda sit scientiæ.

7 Cum quasi Musarum cantu allectus lepidè eas extulisset in Cœlum, recantat laudem. *Displicet quod Musas quasi aliquas Deas, quamuis iocando, commemoraui*. Nota quantum iocus ipse poeticus in loquendo Theologum dedeceat. quàm facile nunc concionatores abeunt in poeticas vel commentationes, vel loquutiones: templum vertitur in Museum, & bibitur de fonte Castalio; cum scriptum sit: *haurietis aquas de fontibus Saluatoris*. seriò agendum est. tacessat lepor, ac iocus in tanto discrimine: neque enim res nostræ, vt ait Chrysostomus, ludicræ sunt.

Theologo non nisi seriò loquendum.

Esa. 12.

8 *Iterum Ethnicos indignos multa laude indicat. Displicet, quòd Philosophos nihil solidæ uirtutis habentes, non uera uirtute præditos, dixi uirtutum luce fulsisse.* rectè ait, veteres philosophos nihil solidæ virtutis habuisse, quanquam de virtute subtiliter deputarint; & licet illustres sint habiti, tamen in tenebris iacuisse. Cætera ferè scholastica magis sunt quàm concionalia.

Philosophiæ nullus splendor sine fide.

Ex Libro I. Confessionum.

Immutabilis Dei natura.

1 PVlchrè Deum nobiscum versantem describit, sine maiestatis detrimento. *Cum effunderis super nos, non tu iaces, sed erigis nos; nec tu dispergeris, sed colligis nos.* Huc & illa pertinent. *Nunquam vetus, innouans omnia; semper agens, semper quiescens; quietus amas, nec æstuas; nunquam auarus, & usuras exigis; nunquam inops, & gaudes lucris; reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens.* lepor est in antithetis. licet his vti, cum in Dei gloriam, non in dicentis iactantiam tendunt, elegans sanè locus de immutabilitate Dei.

Amantis Deū sobria cordis ebrietas

2 Illa amoris incitamenta sunt. *Quis mihi dabit, ut uenias in cor meum, & inebries illud, ut unum bonum meum amplectar te? quid tibi sum ipse, ut amari te iubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi?* Iure miratur immensam Dei bonitatem, vt à vili homine non modò amari velit, sed eum amorem exigat propositis pœnis. pulchrè illud de ebrio corde, sed sobriè.

Deipara nutrix nostra.

Lac maternum Deo debemus.

Lac Deiparæ virginis cōmēdatur

3 Dei amorem, atque pietatem præfert etiam maternæ. *Nec mater mea, uel nutrices meæ sibi ubera implebant, sed tu mihi Domine per eas dabas alimentum infantiæ, & diuitias vsque ad fundum.* Vide, vt lac ipsum maternum acceptum referre debeamus Deo nutricio. multò magis hoc Deiparæ competit virgini, quæ lactabat vbere de Cœlo pleno, nos quoque eadem pia mater sic quodammodo lactat. *per eam Deus dat alimentum infantiæ nostræ, & diuitias vsque ad fundum.* nempe profundum pelagus est gratiarum.

Vestigia vitiorū in ipsis infantibus.

Inuidia quædam egestas est.

4 Quasdam quasi vmbras vitiorum in ipsis infantibus apparere dicit. *Imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium; uidi ego, & expertus sum zelantem paruulum. nondum loquebatur, & intuebatur amaro aspectu collactaneum suum. quis hoc ignorat? expiare se dicunt ista matres, atque nutrices nescio quibus remedijs. nisi uerò & ista innocentia est, in fonte lactis ubertim manante opis egentissimum esse, consortem non pati.* Acutè inuidiam ad egestatem refert. Porrò contrarium dici potest de quibusdam sanctis, vt sancto Nicolao, qui certis diebus ieiunabat abstinens à lacte materno.

S. Nicolaus Episcop. laudatur.

Matris sollicitudo de filij salute

5 Monicæ matris sollicitudinem ostendit, dum sibi ægro properabat baptismum. *Conturbata mater carnis meæ, quoniam & sempiternam salutem meam chariùs parturiebat corde casto &c.* pulchrè ait, à matre liberos non minus parturiendos corde quàm vtero.

Amatoria legere quàm dedeceat

6 Dolet se legendis apud poetas miseris amantium casibus occupatum fuisse, non suis; *Tenere cogebar Aeneæ nescio cuius errores, oblitus errorum meorum, & plorare Didonem mortuam, quæ se occidit ob amorem; cum interea me ipsum in his morientem à te, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus, quid enim miserius misero non miserante se ipsum?* Vide quantum mali sit, non agnoscere suum infelicem statum, & poeticis occupari nugis ad voluptatem, dum salus in discrimen vocatur.

Peccanti plaudere perniciosū.

7 Carpit & se, & mundanos, quos in peccando pudet non esse impudentes. *Deus panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam, & sinum cogitationis mentis meæ, non te amabam, & fornicabar abs te; & fornicanti sonabat vndique, euge, & euge dicitur, vt pudeat, si non ita sit homo.* Pulchrè ait, Deum quasi mentis sponsum esse debere animæ; est autem hoc contra eos, qui malè agentibus plaudunt. pulchrè item referri potest ad Eucharistiam, vbi Christus sponsus. *Deus panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam &cet.*

Vitij magisteriū vituperatur.

8 *Acutè ludi magistros carpit, qui docerent potius vana, & falsa, quàm seria, & vera. Vela pendent in liminibus scholarum, sed non illa magis honorem secreti, quàm tegumentum erroris significant.* Ostendit in ostiis ludi literarii appendi vela solita, quæ acutè refert ad tegumenta falsę doctrinæ, quasi hæc palam se ostendere non auderet; quod etiam ad occulta hæreticorum conuenticula refer.

Fabularū lectio vana taxatur.

Hiere. 5.

9 De vana adolescentium lectione sic. *Erat mihi dulcissimum spectaculum uanitatis equus ligneus plenus armatis, et Troiæ incendium, atque ipsius umbra Creusæ.* quantò indignius obscęnas actiones legere? nec tàm equo ligneo, quàm hinnitu ipso ad voluptatē turpiter delectari? iuxta illud; *equi amatores, et emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*

Labor in literis non nisi Deū spectet.

10 Studium ait in Deum referendum. *Ecce enim tu, Domine Deus meus, tibi seruiat quicquid utile puer didici; tibi seruiat quod loquor, et scribo, et lego.* Hanc precatiunculam expediret scholasticis semper esse in ore; meum certè votum hoc

ip-

hoc ipsum est; aspiret Deus.

11 Quàm periculosa sit vel lectio, vel pictura lasciua, sic ostendit. *Non cognosceremus imbrem aureum, & gremium, & fucum, & templa Cæli; nisi Terentius induceret adolescentem nequam, proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri, dum spectat in tabulam quandam scriptam in pariete, vbi inerat pictura hæc, Iouem quo pacto Danae misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri; & vide quemadmodum se concitat ad libidinem quasi cœlesti magisterio: at quem Deum, inquit? qui templa Cœli summa sonitu concutit; ego homuncio id non facerem? ego verò illud sponte feci, ac libens, & cet. Non accuso verba electa, sed vinum erroris, quod in eis propinatur ab ebrijs doctoribus.* Est hic locus contra impudicos poetas, atque pictores, inter quos magna cognatio, nam vt quidam ait, poema est loquens pictura, pictura tacitum poema. Sanè vir pudoris, ac pudicitiæ amantissimus Ignatius noster nominatim Terentium interdixit scholis quantumuis elegantē rectè autem ebrios vocat vino erroris, nempe, *fel draconum vinum eorum*. Nota etiam quid exemplum agat maiorum in adolescentibus, qui quod in illis viderint, id sibi licere putant.

Obscenę picturæ damna.

Malum exemplū in superiore quātum noceat.

Deut. 31.

12 Quàm indignum sit postponere sacram Scripturam profanis libris, ostendit. *Itanè aliud non erat, vbi exerceretur ingenium meum, & lingua mea laude tua, Domine? laudes tuæ per scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus; non enim vno modo sacrificatur transgressoribus Angelis.* Pulchrè dictum quod diuinæ scripturæ suspendant palmitem cordis, cor ijs se castè oblectans palmiti comparat ob dulcedinem, qua cor afficitur ex suauitate lectionis: quò spectat vinum illud, quod miscuit sapientia inebrians sobriè: quippe sacræ literæ cellaria quædam sunt diuini amoris. Secundò ait, turpem prædam volatilium fieri eum, qui profanæ lectioni deditus est; tanquam enim accipitres quidam, ac vultures rapaces sunt poetæ, qui adolescentium præsertim corda turpiter deprædantur. *I*deò cautum in lege veteri, vt si mulierem peregrinam sibi iungeret Hebræus, eius vngues primùm abraderet: quod Hieronymus ita interpretatur, ut de ethnicorum sapientia intelligat, è qua id omne auferendum, & abradendum est, quod in animo exulcerando quasi unguis existit. Tertiò ait, hanc lectionem parùm pudicam tanquam sacrificium quoddam esse, quod fiat transgressoribus Angelis, seu dæmonibus, quo ostendit, & nihil illis gratius offerri posse, & quasi victimæ mortem animi consequi.

Lectio librorum quātum vel iuuet, vel obsit.

Prou. 9. Obsceni poetę accipitres & uulturii animarum.

Deut. 21 Obscęna lectio sacrificium diaboli.

13 Conscientiam quasi librum esse indicat, in quo tamen rectè scribere parùm curamus. *Vide, Domine Deus, & patienter vt vides; vide quomodo diligenter obseruent filij hominum pacta literarum, & syllabarum accepta à prioribus locutoribus; & à te accepta æterna pacta salutis negligant. & certè non est interior literarum scientia quàm scripta conscientia, id se alteri non facere, quod nolit pati.* hoc in eos est, quibus maiori curæ sunt literæ, quàm pietas, cum contra Dauid hanc in se primùm requisierit dicens, *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* pulchrè dictum: *non est interior literarum scientia, quàm scripta conscientia.* hic liber præ manibus est multa docens intus Lycęum est, vbi rectè philosophari possis

Cōscientiæ libellus continens Dei præcepta.

Ex Libro II. Confessionum.

1 ELeganter, ac piè accusat se de illecebrosa adolescentia. *Exarsi satiari aliquando in Inferis in adolescentia; & siluescere ausus sum varijs, & vmbrosis amoribus, & contabuit species mea, & computrui coram oculis tuis.* Nota primò, comparat adolescentiam ardore libidinis æstuantem Inferis ipsis; vterque enim *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & ignis, qui nunquam dicit, sufficit.* Porrò vt ignis Inferorum ardet, sed non splendet, ita de concupiscentiæ igni ait Dauid, *supercecidit ignis, & non viderunt Solē.* Imò ab hoc vitio libidinis liberatus gratias agens Deo, ait: *eruisti animam meam ex Inferno inferiori.* hoc est vbi acrior flamma, & quasi fundus. Deinde accusat se ausum siluescere varijs; & vmbrosis amoribus: cum enim, vt ait Paulus, simus *Dei agricultura*, quasi colonum Deum reijcimus hoc vitio; itaque siluescimus, & vt in silua arbores excrescunt, vt ignis materies sint, ita impudici, ac turpes. & sanè veteres prope Deorum delubra lucos vmbrosos, ac siluas habebant, vt ibi clam turpiter agerent: quapropter sępè mentio fit in scriptura de Deorum lucis excindendis; aptè igitur dicit, *siluescere ausus sum variis, & vmbrosis amoribus.* Tertiò ait, contabuisse speciem suam, & computruisse coram oculis Dei. nempè hoc illud est. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ.* contra castitas incorruptio dicitur, & comparatur cedro, & alijs lignis incorruptibilibus.

Libidinis flamma cognata est infernæ. Iob 31. Per concupiscētiam siluescit anima. Prou. 30. Psal. 57.

1. Cor. 3. Ps. 37.

4. reg. 23

Psal. 37.

2 Luxuriæ damna sic exprimit, *Exhalabantur nebulæ de limosa concupiscentia carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilabant, atque obfuscabant cor meum, vt non discerneretur serenitas dilectionis à caligine libidinis.* Comparat hoc vi-

Libido nebulam exhalat velut ex limo.

vitium cum limoso lacu, ut quasi Lernæa palus ea sit, ubi Hydra, hoc est uoluptas sit. exhalat igitur libido quasi nebulã de limosa concupiscentia, quæ cordi se offundat, & quasi serenum cœlum obnubilet. *At* huic cœnoso lacui *I*gnatius noster opposuit lacum suum, in quo se hyemis tempore immersit, vt impudicum adolescentem ex palude illa quasi Lernæa extraheret.

Ignatius intra gelidum lacum cõsideratur.

3 *Quid agat assiduitas peccandi, elegãter ostendit. Inualuerat super me ira tua, & nesciebam; obsurdueram stridore catenæ mortalitatis meæ.* Nota, de seruitute libidinis loquitur, cuius catena tantum fragorem edat ob multiplices quasi ferri orbes, vt ipse obsurduerit, ne minas Dei posset audire. considerandum igitur, quàm sæua, quàm horribilis hæc catena sit, quæ dum trahitur, tantum stridorem præferat, vt obtundat aures etiam ad Dei voces; & surdaster fiat peccator.

Catenæ libidinis strider.

4 Docet matrimonium institutum ad frænandam illecebram carnis. *Quis mihi moderaretur ærumnam meam, vt vsque ad coniugale littus exæstuarent fluctus ætatis meæ? si tranquillitas non poterat esse fine pariendorum liberorum contenta, sicut præscribit lex tua, Domine, qui formas etiam propaginem mortalitatis nostræ, potens imponere lenem manum ad temperamentum spinarum à paradiso tuo seclusarum.* Vides vt adolescentiam quasi naufragio expositam faciat, quod etiam Iob ostendit dicens; *morietur in tempestate anima eius.* legunt alii. *in adolescentia.* Rectè autem, matrimonium littori simile dicit, quod in naufragij periculo adeatur; nam qui aura Spiritus Sancti tutò velificantur, hoc est Virgines, eo præsidio non indigent. Deinde vepribus, ac spineto comparat carnis voluptates; cum contra sponsa virgo dicat, *lectulus noster floridus.* Sed hæ spinę Dei attactu, hoc est vi Sacramenti temperantur, vt minus lędant aculei. Certè olim nuptiales tęde è spinea materia erant.

Matrimonium ad naufragium vitandũ institutũ

Matrimonij spinę.

Iob 36.

5 De felici castorum statu, & contra sic. *Qui sine vxore est, cogitat ea, quæ sunt Dei. has ego voces exaudirem vigilantior, & abscissus propter regnum Cœlorum felicior expectarem amplexus tuos; sed efferbui miser relicto te, nec euasi flagella tua; nam tu semper aderas misericorditer sæuiens, & amarissimis aspergens offensionibus illicitas iucunditates meas.* Vide quàm feliciter casti expectent Dei amplexus. at finit incestos compungi conscientia, vt resipiscant.

Corin. 7.

Cur voluptas amaritudini cõiuncta.

6 De dominio, quod exercet libido in adolescentes maximè, sic. *Vbi eram, & quàm longè exulabam à delicijs domus tuæ anno illo XVI. ætatis carnis meæ, cum accepit in me sceptrum, & totas manus ei dedi, vesania libidinis licentiosæ. Q*uod ait, se adolescentulum exulasse à delicijs domus Dei ob violatum pudorem, ostendit ex aduerso miras esse delicias, quibus casti adolescentis pudicitia fruitur in domo Dei. Hinc illud dictũ de Beniamin: *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Grecè ecstasi, & iterum. *Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros illius requiescet.* Inter has cœli delitias versabatur angelicus adolescens *A*loysius noster Gonsaga. *I*ob quoque ad eam ætatem referebat animum: *Quis mihi det, vt sim iuxta dies pristinos, iuxta dies adolescentiæ meæ? quando secretò Deus erat in tabernaculo meo; quando splendebat lucerna eius super caput meum, petra fundebat mihi riuos olei.* Quibus verbis Iob mira se Cœli voluptate perfusum ostendit in adolescentia, quia pudicus, & castus, quippe qui ea de re fœdus pepigisset cum oculis. *Q*uod autem libidinem ait, *accepisse in se sceptrum, & totas manus ei se dedisse.* ostendit dominium eius vitij, & quasi regnum, quod videtur Paulus etiam indicasse. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Regina igitur libido ita in animum dominatur, vt propterea Zorobabel regibus ipsis potẽtius eam regnare dicat. *Videbam Apemen concubinam regis sedentem iuxta regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi.* Vides vt impudica mulier diadema sibi imponat? quare aptè huic vitio sceptrum tribuit *A*ugustinus. *E*t nota vt hoc vitium multò magis animum spoliet insignibus quasi regiis, vt sibi subiectum, & seruum faciat.

Voluptatis exiliũ à Dei regia.

Libidinis sceptrum.

Libido procul à cœli delicijs.

Psal. 64.

Deuter. 33.

* Aloysij Gonsagę castitas.

Iob. 29.

Rom. 6.

Esdræ 4

7 Ostendit inane studium patris qui de instituendo ad pietatem filio non curaret, sed tantùm ad literas. *Quis non extollebat laudibus tunc patrem meum, qui vltra vires rei familiaris suæ impenderet filio quicquid etiam longè peregrinanti opus esset studiorum causa? cum interea non satageret idem pater, qualis crescerem tibi, aut quàm castus essem, dummodo essem disertus, aut desertus potius à cultura tua, Deus, qui es vnus, verus, & bonus dominus agri tui, cordis mei.* Notent hoc parentes. sed quid dicendum de iis, qui liberos non ad literas, sed ad equitatum, ad palæstram, ad venationem, ad saltationem instituunt, de moribus non laborant? lepida est illa annominatio, *dummodo essem disertus, aut desertus potius &c.* vide igitur quantum virtus scientię anteeat.

Virtus literis prę ferenda.

* Parentes taxãtur filios ad virtutem non promouentes.

8 E contrario piã matris de se sollicitudinem laudat. *Sed matris in pectore iam inchoaueras templum tuum, & exordium sanctæ habitationis tuæ. Itaque illa exiliuit pia trepidatione, ac timore; & quamuis mihi non-dum*

dum

Materna cura de filii virtute. dum fideli, tamen timuit vias distortas. Vides in quo positus sit verus affectus maternus, in sollicitudine de salute animi filij, ita eius pectus sit Dei templum. Quid dicendum de Dei matris pectore? quod sanctuarium Dei fuit inchoatum ab ipsa conceptione. Deiparæ pectus Dei templum.

9 Mundanorum impudicitiam carpit, apud quos in honore habetur esse incestum, in contemptu castum. *Fingebam me fecisse qua non feceram, ne viderer abiectior, quò eram innocentior, & ne vilior haberer, quò eram castior; ecce cum quibus comitibus iter agebam platearũ Babyloniæ, & volutabar in cœno eius tanquam in cinnamomis, & vnguentis pretiosis.* Hũc refer illud Iob de Leuiathan: *Ponet mare quasi cum vnguenta bulliunt.* hoc agit diabolus, vt æstus ille concitatæ libidinis non videatur malæ famæ grauem odorem excitare, sed laudem apud mundanos. Mundani honorificum putant peccare. Iob. 41.

10 Quid mater sentiret de studio literarum, dicit. *Illa non solùm nullo detrimento, sed etiam non nullo adiumento ad te adipiscendum existimabat vsitata illa studia doctrinæ.* Nota, sapientiæ studium facere ad virtutem, & hoc etiam maternum votum esse debere, quantò magis paternum? ad Dei tamen gloriam. Literæ ad virtutem prosunt.

11 Negat esse amicitiam, quæ ad diuinæ legis violationem inuitat. *O nimis inimica amicitia, cum dicitur, eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* De furto pyrorũ loquitur, quod non ad edendi voluptatem, sed ad amicorum placitum fecit. Sed amicus vsque ad aram: vt est in adagio. Malorũ amicitia inimicitia est.

12 Infelicem peccatoris statum ostendit. *Defluxi abs te, & erraui, Deus meus, in adolescentia, & factus sum mihi regio egestatis.* Nota: qui peccat non dicitur tantum egenus; sed ipsam regionem, & locum egestatis secũ ferre. Certè de diabolo ait *Iob. Faciem eius præcedit egestas.* Cõtrà rectè Paulus appellat, *abundantes diuitias gratiæ eius.* Peccator regio egestatis. Iob 41 ephes. 2

Ex Libro III. Confessionum.

1 ET hic pristinum statum eleganter deplorat. *Veni Carthaginem, & circum strepebat me vndique sartago flagitiosorum amorum.* Vide quid sit libido, sartago, quia igne cruciatur cor propriæ concupiscentię, vt mirum non sit, quod incestę ciuitatis exitium Deus Ezechieli per sartaginem demonstret. Huc recidunt blanditię voluptatis. immò nullus Scythię tyrãnus immanior. Libido sartago est. Ezech. 4.

2 Vlceroso iumento similem facit carnis illecebrę deditum. *Eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, quò inanior, eò fastidiosior; & ideò non benè valebat anima mea, & vlcerosa proijciebat se foras, miserabiliter scalpi auida contactu sensibilium.* Vide quid sint deliciæ carnis, vlcera fœda animæ scabiosæ. proh quàm abominandum malum voluptas. Hinc illa in quibusdam sanctis viso peccatore nausea. Libido scabies vlcerosa.

3 Societate libidinis fœdari amicitiæ liquidum fontem docet. *Amare, & amari dulce mihi erat. Venam igitur amicitiæ coinquinabam sordibus concupiscentiæ, candoremque eius obnubilabam tartarea libidine.* Quid miserius? quid tetrius? tanquam Stygium vaporem exhalari dicit de corde incesti, quo serenitas mentis obnubiletur. Simile quiddam dixit paulò ante. Libido vaporstygius.

4 Dei pietatem agnoscit in ipsis incommodis, vt resipisceret. *Quanto felle mihi suauitatem illam, & quàm bonus aspersisti? & colligabar lætus ærumnosis nexibus, vt cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, & suspicionum, & timorum, atque rixarum.* huc refer illud. *Sepiam viam tuam spinis.* Pulchrè vocat libidinis ærumnosos nexus, & ferreas virgas, quibus quasi vile mancipium peccator vapulat. Peccator homo mastigeus. Oseæ 2.

5 Contra theatralem lasciuiam est illud. *Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei.* Nota, res scenicas esse concupiscẽtiæ fomitem. Ibi si quid incestè commiseris, per imaginem renouas, quod delere deberes abominando. Theatra fomes libidinis.

6 Dolet, amicitiam malorum vitio detorqueri ad peccandi illecebram. *Et hic scilicet dolor de aliena miseria in theatris, de illa vena amicitiæ est. sed quò vadit, quò fluit? vt quid decurrit in torrentem picis bullientis, in æstus immanes tetrarum libidinum, in quo ipsa mutatur, & vertitur de cœlesti serenitate detorta?* Rectè hoc vitium pici comparat, cũ tenaciter inhærẽtem apprehendat, et sit Inferni igni piceo cognatum. miser qui eius ignis sibi fomitem comparat, piceam voluptatem. Libido torrens piceus. Amicitia peccãdo læditur.

7 Pulchrè de Dei in se pietate. *Circumuolitabat super me fidelis à longè misericordia tua.* Vides Dei misericordiam ob velocitatem ad nostram salutem volucri comparari, & instar aquilæ, vel accipitris circumuolitantis ferri ad prædam, quam Domino reseruat. ideò fidelis. Quid hoc aucupio felicius? quo præda, dum capitur, in tuto est, & verè libera. Dei misericordia aucupiũ animæ.

8 Dolet se amicitiã habuisse cũ virtutis derisoribus, licet ab eorum factis abhorreret. *Insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde pascẽdo maleuolas lætitias suas: nihil est illo actu similius actibus dæmoniorum deridentibus eos, & seducentibus fallacibus occultè spiritibus in eo ipso, quo alios irridere amant, & fallere.* Nota: diabolicum actum vocat irridere alios, Bonos irridere diabolicum est.

alios, & decipere, quod Dauid à ſe deprecatur; *Neque irrideant me inimici mei*. Meritò conqueritur Gregorius: *deridetur iuſti ſimplicitas &c.* Pſal. 24.

9 Etiam à profanis Autoribus colligendum eſſe ait aliquid ad virtutem ſpectans. *Perueni in librum quendam cuiuſdam Ciceronis, cuius linguam ferè omnes mirantur, pectus non ita, ſed liber ille ipſius exhortationem quandam continet ad philoſophiam, & vocatur Hortenſius: ille verò liber mutauit affectum meum, & ad te ipſum, Domine, mutauit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia. Excitabar ſermone illo, accendebar, & ardebam, & hoc ſolo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Chriſti non erat ibi, quoniam hoc nomen ſecundum miſericordiam tuam, Domine, hoc nomen Saluatoris mei filij tui in ipſo adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat; & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis literatum, & expolitũ, non me totum rapiebat.* Vide quid agat bona educatio ab infantia, vt ſemina virtutum ſuo tempore germinent. Item vide matris ſtudium in piè educando filio. Præterea mundani arguuntur, qui putant in libris, qui religioſi, ac pij aliquid habeant, non inueniri quod oblectet, ac ſolùm oblectationem in profanis libris, & voluptuoſis agnoſcunt. at Cicero ipſe non adeò ſapiebat Auguſtino, tantùm quia carebat Chriſti nomine, quo condiretur eloquentia. rectè igitur noſter Ignatius cum Societatẽ doctrina, & ſcientia vellet excultam, vt ſuauiter ſaperet, eam in Ieſu nomine fundauit. Porrò quod de Cicerone dicit, idem ego de ipſo Auguſtino dixerim, *cuius dicta ferè omnes mirantur, pectus non ità*, ideſt vim ſententiæ.

Etiam lectio ethnicorum ad ſalutẽ iuuat. M. Tullij laus.

Liber ſine Chriſti nomine non ſapit.

Nomen Ieſu Societati rectè appoſitum.

10 Dolet, ſe initio Sacræ Scripturæ libros quaſi inornatos reſpuiſſe. *Inſtitui animũ intendere in ſcripturas ſacras, & ecce video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam &c. ſed viſa eſt mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem; tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Veruntamen illa erat, quæ creſceret cum paruulis, ſed ego dedignabar eſſe paruulus.* Pulchrè dictum de ſacra ſcriptura, *inceſſu humilis eſt, ſucceſſu excelſa.* Stylus cõmunis ferè eſt, doctrina ſublimis, & omni philoſophia præſtantior.

Sacra Scriptura ſtylo humilis, ſentẽtiis excelſa.

11 Manichæorum doctrinam, cui adhæſerat, carpit, quòd Chriſtum Solem hũc putarent. *Illa erant fercula, in quibus mihi eſurienti ſe inferebant pro te Sol, & Luna: pulchra opera tua. Apponebantur mihi in illis ferculis phantaſmata ſplẽdida, nec nutriebar eis, exhauriebar magis.* Eleganter ait, creaturas tanquã fercula apponi, non tamen ipſis animam ſatiari, ſed Creatore. In hac vniuerſitatis rerum menſa Sol ipſe, ac Luna, ſine Deo, ſplendidum conuiuium haud faciunt.

Mundus inſtar menſæ nõ ſatiat ſine Deo.

12 Pulchra ſimilitudine oſtendit, leges pro ratione temporum mutari. *Tanquam ſi quis neſcius in armamentis quid cuique membro accomodatum ſit, ocrea velit caput contegi, & galea calceari, & murmuret, quod non aptè conueniat. aut in vno die, indicto à pomeridianis iuſtitio, quiſquam ſtomachetur non ſibi concedi, quid venale proponere, quia mane conceſſum eſt. Sic ſunt iſti, qui indignantur, cũ audierint, illo ſæculo licuiſſe iuſtis aliquid, quod iſto non licet iuſtis.* Ita in veteri teſtamento multa iuſſa, quæ in nouo abolita. Eleganter autem tanquam Dei armamentarium aptè diſpoſitum hic ordo ſeculorum dicitur.

Cur quędã nunc vetita, q̃ olim cõceſſa. Mundus Dei armamentarium.

13 Deridet ſtultam opinionem Manichæorum, quã antea ſequebatur, de inſita Dei portione in fructibus &c. *Perductus ad eas nugas, vt crederem ficum plorare cum decerpitur, & matrem eius lacrymis lacteis; quam tamen ficum ſi comediſſet aliquis ſanctus, alieno, non ſuo ſcelere decerptam, miſceret viſceribus, & anhelaret de illa Angelos, immò verò particulas Dei gemendo in oratione, atque ructando, quæ particulæ ſummi, & veri Dei ligatæ eſſent in illo pomo, niſi electi ſancti dente, ac ventre ſoluerentur.* Vide in quantas ineptias, & quàm impias abeat hæreſis. pulchrè autem ficus *lacrymas lacteas* riſu potius dignas facit. *Vt irriderer abs te.*

Manichæorũ ineptię de lacrymis lacteis ficus.

14 Narrat præclarũ ſomniũ matris quaſi præſagientis de ipſius cõuerſione. *Vidit ſtantẽ ſe in quadam regula linea, & aduenientem ad ſe Iuuenem ſplendidum, hilarem, atque aſſidentem ſibi, cum illa eſſet mærens, & mærore confecta; qui cum cauſas quæſiſſet ab ea mæſtitiæ ſuæ, docendi, vt aſſolet, non diſcendi gratia, atque illa reſpondiſſet, perditionem meam ſe plãgere, iuſſiſſe illum, quò ſecura eſſet, atque admonuiſſe, vt attenderet, & videret vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa vbi attendit, vidit me iuxta ſe in eadem regula ſtantem. quæ cum mihi narraſſet ipſum viſum, & ego ad id trahere conarer, ut illa ſe potius non deſperaret futuram eſſe, quod eram; continuò ſine aliqua hæſitatione, non inquit, non enim mihi dictum eſt, ubi ille, ibi & tu, ſed ubi tu, ibi & ille. Nouem fermè anni ſecuti ſunt, quibus ego in illo limo profundi volutatus ſum, cum tamen illa iam quidem ſpe alacrior, ſed fletu, & gemitu non ſegnior non deſineret horis omnibus orationum ſuarum de me plangere ad te.* Notabilis viſio Angeli ſplendentis, & hilaris de conuerſione tanti doctoris futura. Quò ſpectat illud. *Gaudiũ erit in cælo ſuper uno peccatore pænitentiã agente.* Sed ſplendore illud quoque denotaſſe puto, quàm hic illuſtraturus eſſet Eccleſiam.

Mira viſio matris de Auguſtini conuerſione

15 Iterum matri oblatam ſpem de ſui conuerſione oſtendit. *Dediſti alterum reſponſum per ſacerdotem tuum quendam Epiſcopum nutritum in Eccleſia, & exercitatum in libris tuis. Quem cum illa fœmina rogaſſet, ut dignaretur mecum colloqui, & refellere errores*

rores

rores meos, *noluit ille, prudenter sanè, quod sensi postea, respondit enim, me adhuc esse indocilem. Cum illa nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, & ubertim flendo, ille iam stomachatus tædio. Vade, inquit, à me, ita uiuas; fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* Ambrosium hunc vulgò ferunt, cuius prudentiam in hoc agnosce, dũ tempestiuum tempus expectat, nec zelo indiscreto properat: licet in re tanti momenti. Et agnosce vim lacrymarum, quæ tantum gaudij pepererunt Ecclesiæ.

Augustinus filius lacrymarum.

Ex Libro IV. Confessionum.

1 PIè, ac pulchrè petit à Deo agnitionem sui. *Da mihi circum ire præsenti memoria præteritos circuitus erroris mei, & immolare hostiam iubilationis. quid enim sum mihi sine te, nisi ruẽs in præceps? aut quid sum, cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur?* Vide discrimen: veteris hominis oberratio quædam est deuia in præceps, noui iuge conuiuium, & suauitas Dei uberum. reputet secum religiosus, quis in seculo fuerit, & quis nunc. huc facit illud Oseæ. *ducam eam in solitudinem; ecce ego lactabo eam.*

Conuerti est ad Dei ubera confugere.

2 Aruspicinam, & magiam auersatus; dolet se non eam fugisse tàm ob Dei amorem, quàm ex naturali auersione. *Recolo etiam, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem, vt vincerem; me autem fœda illa sacramenta detestatũ, & abominatum respondisse, nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea necari sinerem; necaturus enim erat ille in sacrificijs suis animantia, & illis honoribus inuitaturus mihi suffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum non ex charitate tua repudiaui, Deus cordis mei, non enim amare te noueram.* Nota non modo lauream, sed ne auream quidem coronam malis artibus acquirendam. præterea bonam actionem, nisi ex Dei amore fiat, multum de pretio deperdere.

Vitij fuga non tam ex naturali auersione fit, quàm ex charitate.

Magiæ detestatio.

3 Ab Astrologorum nugis reuocatum se ait cuiusdam monitu. *Planetarios, quos Mathematicos vocant, consulere non desistebam. erat eo tempore Vir sagax, Medicinæ artis peritissimus; vbi cognouit me libris genethliacorum esse deditum, benignè, ac paternè me monuit, vt eos abijcerem, neque curam, & operam rebus vtilibus necessariam vanitati frustra impenderem.* Præclara vox medici, non minus animos quàm corpora curantis. Rectè autem his intenti, planetarii vocantur, hoc est erratici, tametsi siderum errores obseruant, non suos.

Planetarii taxantur.

4 Deum auctorem, veræ vitæ, vel amicitiæ facit. *Non est uera amicitia, nisi cum eam tu agglutinas inter cohærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per spiritum sãctum.* Tum de sibi amicissimo sic. *mecum errabat in animo homo ille, & non poterat anima mea sine illo; & ecce tu imminens dorso fugitiuorum tuorum, Deus vltionum, & fons misericordiarum, simulque cõuertens ad te miris modis, absoluisti hominem ab hac vita:* Addit hũc morti proximum petijsse Baptismum, & ipsum Augustinum irridentem exhorruisse vt inimicum, & liberè increpuisse. vbi nota Dei clementiam in peccatorem, dum ideo punit vt resipiscat. *Imminens dorso fugitiuorũ tuorum, Deus vltionum, & fons misericordiarum.* nota etiam vt piè Deus amoueat materiam carnalis amoris, vt ipsum æternum diligamus.

Veræ amicitiæ nõ nisi Spiritus Sãctus auctor.

Dei misericordia subtrahit occasionem mali per mortem.

5 Sensum amantis exprimit pulchrè. *Mirabar ceteros mortales viuere, quia ille, quẽ quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, & me magis, quia ille alter erat, viuere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo. Dimidium animæ meæ. & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.* De morte supradicti amici loquitur. Ac prima illa verba. *Mirabar ceteros mortales viuere, cum is, quem quasi nunquam moriturum dilexeram, mortuus esset*, de Christi morte aptè dici possunt. Quare Apostolus aiebat. *Christo cõfixus sum cruci. & alibi. Consepulti sumus cũ illo in morte.* Acutè autem ait, se in ancipiti positũ, hinc se nolle viuere, dimidio amisso, hinc nolle mori, ne totũ, hoc est vterq; periret.

Vis amoris in amicitia quanta sit.

6 Luctum suum ex amici morte describit. *O dementiam nescientem diligere homines humaniter; æstuabam, suspirabam, flebam; portabam conscissam, & cruentam animam meam, impatientem portari à me, & vbi eam ponerem non inueniebam, non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in suaue olentibus locis, &c. horrebã omnia, & ipsa lux & quicquid nõ erat, quod ille erat odiosũ erat, præter gemitum, & lacrymas. fugi de patria, minus enim eũ quærebãt oculi mei, vbi videre nõ solebant.* hinc collige quid in se sentire debeat verus amans Christi crucifixi, & quantus Deiparæ fuerit dolor, de qua dictũ *Et tuã ipsius animam doloris gladius pertransibit.* itaque pulchrè illud dictum. *Portabam conscissam, & cruentam animam meam*, hoc est doloris mucrone consauciatam ex amici iactura, vt illa ex filii.

Dolor ex morte amici

* Dolor Deiparæ ex Christi morte

7 Ostendit quid agendum, ne amicitia in luctum desinat. *Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te: solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur.* Nota: multum enim hęc verba solatij afferre possunt pijs, ac probis, qui amicum morte amiserunt. non amisit, si amauit in domino, quem æterna felicitas excepit, hoc est Deus ipse, in quo perpetuò viuit.

Solatiũ in amici morte quale sit.

Pul-

8 Pulchra paranomasia ostendit, nos carere Dei præsentia, nec debere, nec posse. *Te nemo amittit, nisi qui dimittit; & qui dimittit, quò it? aut quò fugit, nisi à te placido, ad te iratum?*

Dei præsentia effuginō potest.

9 Ostendit, creaturas nos ad Deum ducere, non tamen ijs hærendum. *Deus virtutum conuerte nos, nam quoque versum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi prater quàm in te; tametsi in pulchris extra te, & extra se, qua cum oriuntur, & tendunt esse, quò magis celeriter crescunt, vt sint, eò magis festinant, vt non sint. Laudet te ex illis anima mea, Deus Creator omnium, sed non infigatur in eis glutino amoris*. Rectè igitur Dauid: *mihi autem adhærere Deo bonum est.* item nota illud pulchrè dictum de creaturis. *quò magis celeriter crescunt, vt sint, eò magis festinant, vt non sint.*

Deus solus permanens bonum.

Psal. 32.

10 Eleganter Deum describit nos ad se vocantem, incarnationis suæ mysterio proposito. *Descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam de abundantia vitæ suæ, & tonuit clamans, vt redeamus hinc ad eum in illud secretum, vnde processit ad nos, in ipsum primùm virginalem vterum, vbi ei nupsit humana creatura mortalis, ne semper esset mortalis, & inde velut sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam; non enim tardauit, sed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum.* Vide vt Deus incarnationis beneficio quasi clamore, & tonitruo nos excitet ad se, sed peccator surdaster est. Et nota quantum Deiparæ debeamus, in cuius vteri virginalis thalamo quasi nuptiale munus immortalitas est data.

Per incarnatione quasi tonitru excitamur ad Deum.

In Deiparæ vtero immortalitatem adepti sumus.

11 De varijs animæ affectibus sic pulchrè. *Vnde distribuuntur ista pōdera uariorum, & diuersorum amorum in anima una? grande profundum est ipse homo, cuius etiam capillos tu Domine numeratos habes, & tamen capilli eius magis numerabiles sunt, quàm affectus eius, & motus cordis eius.* Vide quàm inexplicabilis cordis humani labyrinthus sit, & abyssus quàm profunda: quot Euripi reciprocationes, & volumina fluctuum.

Affectionum diuersitas in anima multiplex.

12 De efficacia laudis in conciliandis animis hæc habet. *Sicut auræ linguarum flauerint à pectoribus opinantium; ita fertur anima, & uertitur, torquetur, & retorquetur.* De rhetore quodam loquitur, quem licet nunquam vidisset, tantùm ex huminum laude diligebat. Affectum mari comparat, orationem auræ: nam etiam à Romano rhetore flabellum linguę dicitur. pulchrè autem vocat *aurā linguarum flantē*, quę aliorum affectus regat; nam ita Spiritus Sanctus, & aurę instar, & linguę venit, quò velit, vela animi detorquens.

Laude tanquā aura velifica mur.

13 Ostendit sine fide duce, facilè esse aberrare à vero sensu, quantumuis doctos antiquitatis sequaris Auctores. *Cum in manus meas uenissent Aristotelica quædam, quæ appellant decem categorias, legi eas solus, & intellexi. Quid hoc mihi proderat, quando, & oberat? cum etiam, te, Deus meus, mirabiliter simplicem, atque incommutabilem sic intelligere conarer, ut illa essent in te, quasi in subiecto. Quid hoc mihi proderat putanti, quod tū, Deus meus, corpus eras lucidum, & immensum, & ego frustum de illo corpore? nimia peruersitas.* Nota mirum Augustini ingenium. solus sine magistro categorias Aristotelis intellexit; sed quia sine gubernaculo fidei, naufragus in Manichæorum scopulos incidit. Huc spectant sequentia.

Augustinus Aristotelem sine magistro intelligit

Scientia fide destituta peruersitas est.

14 Agnoscit à Deo sibi datum ingeniū; sed dolet id non ad Deum retulisse. *Quicquid de arte loquendi, & disserendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominū tradente intellexi. Scis tu, Domine Deus, quia & celeritas intelligendi, & discendi acumen donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi. Quid mihi proderat bona res non utenti bene? quid mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, cum deformiter in doctrina pietatis errarem? aut quid tantum oberat paruulis tuis longè tardius ingenium, cum à te longè non recederent, ut in nido Ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, & alas charitatis alimento sanæ fidei nutrirent?* Pulchrè dictum de simplicibus, qui licet doctrina careāt, in Deū pietate feruent. satius est, inquit, alis charitatis, quàm ingenij pennis euehi. in quo præferre videtur simplicem Ecclesiæ nidum Græciæ Lyceo. in hoc nido inter ceteros plumescere visi sūt Frācisci duo; & Assisias quidē Seraphicis charitatis alis inductis tā altè aliquādo corpore à terra attolli, & euolare visus, vt oculos socii subterfugeret illud quoq; nota: studere propter Deum, est ei sacrificare.

Mirum Augustini ingeniū sine doctore

Pietas doctrinę anteponenda.

Simplices in Ecclesiæ nido plumescunt alis charitatis.

Studium propter Deum sacrificiū est.

Ex Libro V. Confessionum.

1 INutilem dicit naturaliū rerū cognitionem, nisi quis & se agnoscat, & naturę conditorem, *Per impiam superbiam recedentes, & deficientes à lumine tuo tantò ante Solis defectum præuident, & in præsentia suum non uident; non enim religione quærunt unde habeant ingenium, quo ista quærunt.* Acutè astrologos inprimis arguit. quo ostendit eclipsim quandam in anima fieri, dum iustitię Solem, Luna, hoc est mutabilitas rerum temporalium opposita eripit.

Astrologi patiūtur mentis eclipsim.

2 Item Astrologorum eleganter arrogantiam carpit, qui Deum non agnoscunt, sacrificio ei oblato suę doctrinæ. *Non trucidant exaltationes suas, sicut uolatilia, & curiositates suas, sicut pisces maris, quibus perambulant secretas semitas abyssi, & luxurias suas, sicut pecora campi, ut tu Deus ignis edax*

con-

Curiositates astrologorum similes maris piscibus. Iob 28. Leuit. 1.

consumas mortuas curas eorum, recreans eos immortaliter. rectè appelles, & mundanorum, *mortuas curas*; sicut contra bonorum, immortales. superbiam ipsam doctrinę aptè volatilibus comparat, nam de diuina sapientia dicitur. *Volucres cœli latet.* Iubebat autem Deus auium ascellas infringi in sacrificio, non abscindi; quid ita? nisi vt ingenium non tollendum, sed humiliandum significaret? egregiè autem appellat curiositates astrologorum, *pisces maris*, in profundo abyssi versantes, sed diaboli retibus, hamoque obnoxios.

Astrologi inter lucida astra coecutiunt.

3 Pulchrè, & acutè eosdem Astrologos perstringit. *Putant se excelsos esse cum sideribus, & lucidos; & ecce ruerunt in terram, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Hoc est, dum supera considerant, ipsi in infimis iacent; inter astra clarissima, ipsi in tenebris.

Scientia nisi ad Deũ tendat inanis est.

4 Pietatem, & charitatem in Deum humanę sapientię pręferendam omninò dicit. *Infelix homo, qui scit illa omnia, te autem nescit; beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat. qui verò & te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te tantùm beatus est. sicut enim melior est, qui nouit possidere arborem, quamuis nesciat, quàm cubitis alta sit, quàm ille, qui eam metitur, & non possidet eã; sic fidelis homo, cuius totus mundus diuitiarum est, & quasi nihil habens omnia possidet, inhærendo tibi, cui seruiunt omnia, quamuis nec Septentrionum gyros nouerit, dubitare stultum est, quin vtique melior sit, quàm mensor Cœli, & numerator sydérum, & negligens tui, qui omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, Notent hoc qui scientia inaniter tument. Quid iuuat scire, nec possidere cœlestia? & rectè ait, scientiam nihil per se valere ad beatitudinem, nisi Dei gloriam spectet.

Sapiens charitatis lacte nutriendus, vt adolescat.

5 Intolerabilius errare dicit eum, qui profitetur se sapientem, quàm qui in fide tyro est. *Infirmitas in fidei cunabulis à charitate matre sustinetur, donec assurgat nouus homo in virum perfectum, & circumferri non possit omni vento doctrinæ. In illo autem, qui doctor, qui auctor, qui dux, & princeps, quis tantam dementiam sicubi falsa dixisse conuinceretur, non detestandam iudicaret?* pulchrè ait, charitatem instar matris, ac nutricis nos initio in fidei cunabulis educare, vt adolescamus, & proficiamus in viros perfectos.

Veritas nõ eget splendore verborum.

6 Ostendit, veritatem non indigere cõptis verbis. *Iam abs te didiceram, nec ideò aliquid verum, quia impolitè enunciatur: nec ideò falsum, quia splendidus sermo est: verbis autem ornatis, & inornatis sicut vasis urbanis, & rusticanis vtrosque cibos posse ministrari.* Elegans similitudo. quid facit ad pretium, & suauitatem cibi, qua lance offeratur, testacea, an aurea?

7 De sua conuersione ex diuina pietate per maternas lacrymas procurata, sic pulchrè. *Manus tua, Deus, in abdito prouidẽtia tua non deserebant animam meam, & de sanguine cordis matris meæ diebus, ac noctibus pro me sacrificabatur tibi; & egisti mecum miris, & occultis modis.* Eleganter lacrymas matris sanguinem cordis vocat, cuius quasi victimę cruore litaretur Deo. Idem tu refer ad Deiparę lacrymas iuxta crucem, vt verè dicatur martyrum princeps, gladio doloris transuerberante cor ipsius.

lacrymæ sunt cordis percussi cruor. Deiparæ lacrymæ iuxta crucẽ sãguis saucii cordis.

8 Quid de Dei filio ante peruersè sentiret, ostendit. *Ipsum quoque Saluatorem nostrum vnigenitum tuum tanquam de massa lucidissimæ molis tuæ porrectum ad nostram salutem. ità putabam, vt aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari.* Manichęi nihil nisi corporeum fingebant. metaphoricè igitur Verbum Dei dicitur. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Tum nota, quàm splendidam cordis habitationem ei comparare oporteat Eucharistiam sumẽdo, quem ipsi religionis hostes tanto cum splendore ad nos ferri imaginabantur, vt. *Porrectum ad nostram salutem de massa lucidissimæ molis*, dicerent. quin potius dicamus. *Accedite ad eum, & illuminamini.* quod fit spiritaliter per internas inspirationes.

Præparatio ad Eucharistiam.

Ex Libro VI. Confessionum.

1 SE conuersione veluti resuscitatum dicit, ac lętitiam matris ostendit. *Cum indicassem matri, non me quidem esse Manichæum, sed neque Catholicum Christianum, exiliuit lætitia, cum iam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tanquã mortuũm, sed resuscitandum tibi flebat, & feretro cogitationis efferebat, vt diceres filio viduæ. Iuuenis, tibi dico, surge: & reuiuisceret, & redderes illum matri suæ.* Pulchrè ad se transfert historiam de viduę filio, cuius Euangelium Ecclesia ipsa in sanctę Monicę eius matris festo recitat; aptèque satis accommodat. Eleganter dicit, se feretro maternæ cogitationis elatum.

Conuersio quædam resurrectio est.

Luc. 7.

2 Nauatam ab Ambrosio operam conuersioni suæ declarat. *Diligebat mater Ambrosium sicut Angelum Dei, quòd per illum cognouerat, me interim ad illam ancipitem fluctuationem iam esse productum, per quem trãsiturum me ab ægritudine ad sanitatem, intercurrente acriore periculo, quasi per accessionẽ, quam Criticam Medici vocant, certa præsumebat.* Ambrosium vt studiosum salutis alienæ, Angelo similem rectè facit; item Medico: nec longè dispari similitudine, nam & Angelus Raphael Tobiæ medicinam attulit, & eius nomine Medicina Dei significatur; peccatoris verò conuersionem Criticum diem vocat: cautè enim in tanto negotio salutis gerere se debet, qui eam curat, ut tempus obseruet aptum.

Ambrosius Angelus Dei appellatur.

Criticus dies in peccatoris conuersione attendẽdus.

Ma-

Simplex obedientia laudatur.

3 Matris singularem obedientiam in prælatum suum narrat. *Cum mater ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultem, & panes, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur; vbi hoc Episcopum vetasse cognouit, tam piè, atque obedienter amplexa est, vt ipse mirarer, quòd tam facilè accusatrix potius consuetudinis suæ, quàm disceptatrix illius prohibitionis effecta esset.* Nota, in obedientia non esse disceptãdum, cur aliquid prohibeatur, etiam si tibi videaris pia, ac recta intentione agere.

Pectus pro calatho fructibus pleno Deo offerẽdum.

4 Pergit Matris pietatem ostẽdere cum obedientia coniunctam. *Vbi mater comperit ab Antistite pietatis præceptum esse, ista non fieri, quia illa quasi parentalia gentilium essent simillima, abstinuit se libentissimè, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat; & vt quod posset, daret egentibus; & si communicatio dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati, & coronati sũt martyres.* Egregiè ostẽdit pium pectus gratius esse Deo, quàm calathũ fructibus plenum. deinde ad sepulchra martyrum, quas memorias vocat, pro epulis melius oblatas preces, & vota; ibiquè Eucharisticum panem consecratum: nam magnus nexus Eucharistiæ est, & martyrii, vnde in psalmo dicitur: *Calicem salutaris accipiam, & pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.* Et sanè vigor ille martyrum in primitiua Ecclesia non aliunde proueniebat, nisi ex frequentissimo vsu, & quotidiano eius Sacramenti: ideoque satis accomodatè apud martyrum sepulchra Eucharistia celebrabatur, vt constaret inde vigorem, & constantiam profluxisse; & singillatim de sãcto Laurentio alibi ait idem Augustinus: *in illis tormentis, quia benè manducauerat, & benè biberat tanquam illa esca saginatus, & illo Calice ebrius tormenta non sensit.*

Eucharistia apud martyrũ sepulchra præsertim sumi solita. Psal. 115

Ambrosij pectus oraculũ sanctum.

5 Ad eximiam Ambrosij laudem hoc facit, quod sequitur. *Mihi nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo tuo, pectore illius, nisi cum aliquid breuiter esset audiendum.* dixerat, sępe se inuenisse Ambrosium tacitè legentem, nec ausum interturbare; sed omni die dominico concionantem audiuisse, qui mos Antistitum valdè adnotandus est. appellat autem ipsum Ambrosii pectus, scilicet internum eius sensum, *Dei oraculum*; item de Origine adhuc adolescẽte legimus, ob insignẽ eius pietatẽ, & sanctimoniam, solitum parentem ad pectus accedere suppliciter, & tanquam Dei oraculum venerari. potest hoc multò magis pertinere ad Ioannis laudem, qui supra Christi pectus recubuit, hauriens diuinitatis arcana *de tam sancto oraculo*, hoc est, *pectore illius*, qui est ipsa sanctitas, & veritas.

Ioannes supra Christi pectus vt oraculũ.

6 Pulchrè ostendit, qua ratione tentationibus fidei sit occurrendum. *Paulatim tu, domine, manu mitissima, & misericordiosissima pertractans, & componens cor meum, consideranti quàm innumerabilia crederem, quæ non vidissem, neque cum gererentur, affuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa hominibus aliis, atque aliis, quæ nisi crederentur, omninò in hac vita nihil ageremus; postremò quàm inconcusè fixum retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem; persuasisti mihi non audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent, unde scis illos libros vnius veri, & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos?* perpende illa diuinam pietatem exprimentia verba; dum. *Paulatim manu mitissima, & misericordiosissima pertractat, & componit cor nostrum*, disponens, & accommodans quasi figulus, ad assensum fidei.

Deus figulus cordis.

Tẽtationibus fidei vt occurrẽdũ.

7 Quàm paucis natura contenta sit, ostendit. *Transiens per quendam vicum, animaduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, iocantem, atque lætantem, & ingemui, & locutus sum cum amicis meis multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus conatibus nostris nihil vellemus, nisi ad securam lætitiam peruenire, quò nos mendicus ille iam præcessisset, nunquam fortasse illuc venturos; quod enim pauculis, & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus, & circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicèt temporalis felicitatis; sed & ego multò falsiùs quærebam; & certè ille lætabatur, ego anxius erã; securus ille, ego trepidus. etsi interogarer, vtrùm me talem mallem, qualis ille, me ipsum curis, timoribusque confectum eligerem, sed peruersitate.* Vide quàm stultum sit, in literis, & opibus tantum elaborare, vt contentus viuas, cum hoc quisque vel vilissimus possit, si cupiditate careat.

Natura paucis contẽta.

8 Inuehitur in spectacula theatrorum. *Gurges morum Chartaginiensium, quibus nugatoria feruent spectacula, absorbuerat Alipium insania Circensium.* spectacula, ac theatra meritò gurgiti comparat, & tanquam Charybdi, àqua tamen eripuit eum Augustinus, cum in lectione quadam rhetorica de Circensium insania dixisset eo præsente.

Spectacula theatrica sũt gurges morum.

9 Narrat Alipij factum, qui ab Augustino anteà abductus, tamen coactus ab amicis in gladiatorum spectaculum est reductus dicens. *Si corpus meum in illum locum trahitis, nunquid & animum, & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? adero itaque absens, ac sic & vos, & illa superabo.* Sedit igitur in theatro clausis oculis, vtinam & auribus, nam audito ingenti clamore populi ob quendam pugnæ casum, *curiositate victus, & quasi paratus quicquid illud esset, etiam visum contemnere, & vincere, percussus est grauiore uulnere in anima, quàm ille in corpore, quo cadente factus est clamor, qui per eius aures intrauit, & reserauit eius lumina, vt esset quà feriretur; ut enim uidit illum sanguinem, immani-*

Occasio peccandi nullo boni prætextu arripienda.

ta tem

tatem simul ebibit, & hauriebat furias, & cruenta voluptate inebriabatur; & non erat ille, qui venerat, sed vnus de turba, ad quam venerat. quid plura? spectauit, clamauit, exarsit. Addit, non solùm rediisse cum iis, à quibus adductus fuerat, sed alios etiã traxisse. adeò hoc malum serpit in alios; Et nota: si tantum mali aspectus gladiatoris affert, quid aspectus mulieris? nam acrior multò est aculeus, atque morsus libidinis. fugienda igitur occasio, nec adeunda, etiam prætextu resistendi; vt ille theatrum adiit frustrà clausis oculis. porrò quod de vulneribus gladiatorum dicit, referri piè posset ad Christi sanguinem, cuius cõtemplatio, & quasi aspectus multò maiorem vim ad pietatem sit habiturus. ità de elephanto legimus in libro Machabæorum, vt vim & robur acciperet, in bello. *Ostenderunt ei sanguinem vuæ.* sicut hic dicitur, *vt vidit illum sanguinem, immanitatẽ simul ebibit, & hauriebat furias, & cruẽta voluptate inebriabatur.* sed dic tu cõtrà de Christi vulneribus, à S. Thoma *Apostolo* visis, *Vt vidit illa vulnera, Charitatem simul ebibit, & hauriebat amorem, & cælesti voluptate inebriabatur.* adde quod sequitur. *non erat ille, qui venerat, spectauit, clamauit, exarsit:* cum dixit, *dominus meus, & Deus meus.*

1. Mach. 6.

S. Thomas cernens Christi vulnera.

10 Indicat pulchrè procrastinationem suæ conuersionis. *Alternabant hi uenti, & impellebant huc illuc cor meum; transibant tẽpora, & tardabam conuerti ad dominum Deũ, & differebam de die in diem uiuere in te, & non differebam quotidie in me ipso mori.* Vide quid sit mora pœnitendi. differre ne viuas, festinare vt pereas. quid aut stultius, aut miserius?

Conuersio non procrastinanda.

11 Obesse luxuriam sapientiæ, se monitum dicit. *Prohibebat me Alipius ab uxore ducenda, cantans, nullo modo nos posse securo otio simul in amore sapientiæ uiuere. ego autem resistebam illi, & delicatus morbo carnis mortifera suauitate trahebam catenam meam, solui timens.* Nota de suauitate mortifera voluptatis; & vide stultitiam carnalium, qui cũ eius vitij catena quasi mancipia vinciantur, nolunt à monitoribus solui.

Peccator catenatus solui timet à monitore.

amor carnalis obest amori sapiẽtiæ.

12 Ad discretionem spirituũ illud pertinet. *Cum mater forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, ut ei per uisum ostenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquã voluisti; & videbat quædam vana, & phantastica, quò cogebat impetus de hoc re satagentis humani spiritus, & narrabat mihi non cum fiducia, qua solebat, cum tu demonstrares ei, sed contemnens ea: dicebat enim discernere se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter reuelantem te, & animam suam somniantem.* In hac spirituum discretione excelluit in primis S. Ignatius noster. & vide quàm periculosum negotiũ sit spectris fidem habere. rectè ait Ecclesiast. *Cor tuum phantansias patitur; nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Item nota quàm ardenter, & quàm perseueranter orandum sit pro peccatorum conuersione. *Cum mater forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, &c.*

Discretio spirituum præsertim in visis ac spectris

S. Ignatio discretio spirituũ data.

Eccl. 34.

13 Pergit deflere vitæ licentiam. *At ego infelix impatiens tanquam post biennium accepturus uxorem, procuraui aliam, non vtique coniugem, qua tanquam sustentaretur, & perduceretur vel integer vel acutior morbus animæ meæ satellitio consuetudinis in regnum vxorium.* Pende verba de satellitio consuetudinis, hoc est actuum frequentia, quo veluti stipatus, ac circumdatus tenetur carnalis homo; & de dominatione, sceptroquè vxorio dixi de Apame, vt est apud Esdrã, muliercula, diadema Regi tollente, & sibi imponente.

Libido stipata satellitio consuetudinis.

Regnum vxorium quale.

3. Esdr. 4

14 Exaggerat diuinam pietatem. *Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum; ego fiebam miserior, & tu propinquior; nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij tui, quod per uarias quidem opiniones, nunquam tamen recessit à pectore meo.* Nota quantam vim habeat recordatio mortis, & iudicii, quam peccator, etiam obrutus sceleribus si habeat, spes erit resipiscendi. Cæterùm multa ex his, quæ Augustinus de sua conuersione dicit, ad Camillum Cruciferorum patrem referri possunt, ex vitæ licentia ad præclaram vitæ rationem conuersum.

Mortis iudicijque memoria frænum libidinis

Camilli Cruciferorii auctoris cõuersio.

Ex Libro VII. Confessionum.

1 OStendit quàm antea imperfectam de Deo cognitionem haberet. *Feci vnam massam grandem, distinctam generibus corporum, creaturam tuam. te autem, Domine, ex omni parte ambientem eam, eò penetrantem, sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset ubique, & undique per immensa spatia infinitum solùm mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari; sic creaturam tuã finitam te infinito plenã putabam, & dicebam; ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus. Talia uoluebam pectore misero, ingrauidato curis mordacissimis.* Nota: inter medias illecebras voluptatum, tamen sensibilis quædam, & imperfecta Dei intelligentia non eum deserebat. item nota, qua ratione, tropicè loquendo, vti spongia illa mari, sic impleri Deo debeat anima nostra.

Deum, & creaturam spongiæ mari infusæ similem faciebat olim Augustinus

2 Ait Mathematicos, ac genethliacos non arte, sed sorte aliquando vera dicere. *Agit* hac de re cum Firmino, qui eodem tempore natus erat ex libera, sub eodem horoscopo, vt ipse dicebat, quo alius quidam ex ancilla. *Intendi considerationem in eos,*

Vanitas horoscopi ostenditur.

qui

qui gemini naſcuntur, quorum pleriq; ita poſt inuicem funduntur ex utero, ut paruum ipſum temporis interuallum quantamlibet uim in rerum natura habere contendant, colligi tamen humana obſeruatione non poſſit, litteriſque ſignari omninò non valeat, quas mathematicus inſpecturus eſt, vt verò pronuntiet; & non erant vera, quia eaſdem literas inſpiciens, eadem dicere debuit de Eſau, & Iacob, ſed non eadem acciderunt vtrique. Vide quàm vana ſit horoſcopi diuinatio, circa quam inſaniunt multi. & patrem quidem huius Firmimini adeo inſaniiſſe dicit, ut etiam in brutis eum obſeruaret, omninò ſtultè.

3 Deum vt medicum pulchrè, ac piè repræſentat. *Tu verò, Domine, miſeratus es terram, & cinerem; & ſtimulis internis agitabas me, & reſidebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, acieſquè conturbata, & contenebrata mentis meæ acri collyrio ſalubrium dolorum meorum de die in diem ſanabatur.* Nota mirum curandi modum internos animi dolores, tanquam collyrium mentis oculis adhibet Deus ad veritatem videndam.

Conſciẽtiæ afflictio collyriũ ad mentis oculos ſanandos.

4 Quantò præſtantior ſit doctrina in Ioannis Euangelio contenta, quàm in Platonicis libris, ſic demonſtrat. *Procuraſti mihi per quendam quoſdam Platonicorum libros, & ibi legi nõ quidem his verbis, ſed hoc idem omninò multis, & multiplicibus rationibus ſuaderi, quod in principio erat Verbum, &c. ſed quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, non ibi legi: quod humiliauit ſe factus obediens uſque ad mortem, non habent illi libri; quod enim ante tempora, & ſupra omnia tempora incommutabiliter manet, unigenitus filius tuus coæternus tibi etc. eſt ibi. quod autẽ ſecundùm tempus pro impijs mortuus eſt, non eſt ibi; abſcondiſti enim hæc à ſapientibus, et reuelaſti ea paruulis; et titulus Pſalmi, qui eſt de paſsione Chriſti, eſt ille, pro occultis filij.* Vide vt Incarnatio, & paſsio Chriſti ſuperior ſit omni humana doctrina, & quantò præſtantior ſit Platone Ioannes.

Platonis libri Ioannis euangelio multò inferiores.

pſal. 9.

5 Pulchrè explicat, quanto cum amore & reuerentia accedendum ſit ad Euchariſtiam. *Reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei radians in me vehementer; & contremui amore, & horrore, & inueni longè me eſſe à te in regione diſſimilitudinis, tanquam audirem uocem de excelſis: cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me; nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Nota quod de reuerberatione, & radio dicit, oſtendit in Euchariſtia illuſtrationes haberi cæleſtes: ſic in pſalmo. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*; ſeu prædæ, vt eſt in hebræo: hæc eſt Euchariſtia, vt patet ex altero loco pſalmi. *Eſcam dedit timentibus ſe*, hebraicè, prædam, amoris ſcilicet: de hac eadẽ reuerberatione radiorum in Euchariſtia legimus, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; dediſti lætitiam in corde meo; à fructu frumenti, uini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Id Eccleſia huic Sacramento applicat. quod pertinet ad hanc radiorum reuerberationem in Euchariſtia: legimus de noſtro B. Franciſco Borgia, nictantibus oculis ſolitum intueri locum, vbi aſſeruatur Euchariſticus panis, quaſi perſtrictis oculis reuerberatione radiorum. quod autem ait, cõtremuiſſe ſe amore, & horròre; vtrumque efficit hoc Sacramentum: horrorem quendam ipſa maieſtas affert, amorem Sacramenti ſuauitas.

Amor ſimul, & horror ex Euchariſtiæ ſũptione.

pſal. 75.

B. Borgiæ affectus erga Euchariſtiam.

pſal. 110

pſa l. 4.

6 Docet, quanta ſapientia Deus omnia condiderit, licet eam aſſequi nequeamus. *In partibus vniuerſæ creaturæ quædam quibuſdam, quia non conueniunt, mala putantur, & eadem ipſa conueniunt alijs, & bona ſunt: quoniam laudandum te oſtendunt, de terra dracones, & omnes abyſsi, &c.* Affert etiam exemplum terræ, cui congruum ſit cælum etiam nubiloſum, atque ventoſum. dicitur id contra eos, qui duas ſubſtantias ponebant, alteram malam, alteram bonam.

Omnia a Deo cum ſapientia creata.

Pſ. 148.

7 Peccati naturam definit. *Quæſiui quid eſſet iniquitas, & non inueni ſubſtantiam, ſed à ſumma ſubſtantia te Deo detortæ in infimam voluntatis peruerſitatem.* Theologicè oſtendit peccatum in negatione poſitum rectitudinis.

Peccatũ quid ſit.

8 Pugnam inter ſpiritum, & carnem pulchrè deſcribit. *Rapiebar ad te decore tuo, moxquè diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, et pondus hoc conſuetudo carnalis.* Vide conflictum, ſed non ſine gemitu inſti. hinc illud Pauli, *quis me liberabit etc.*

Conſuetudo carnalis pondus eſt deprimẽs

9 Cur Verbum diuinum carnem ſumpſerit, eleganter oſtẽdit. *Verbum caro factum eſt, vt infantia noſtra lacteſceret ſapientia tua. Verbum enim tuum ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens ſubditos erigit ad ſeipſam; in inferioribus autem ædificauit ſibi humilem domum de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſe ipſis, & ad ſe trajceret. ſanans tumorem, & nutriens amorem, ne fiducia ſui progrederentur longiùs, ſed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes ſuos infirmam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ. & laſſi proſternerẽtur in eam; illa autem ſurgens leuaret nos.* Pende illa verba. *Verbum caro factum, vt ſapientia lacteſceret infantia noſtra, & nutriret amorem.* quod refer ad Chriſtum recens natum, vel in Euchariſtia contentum. Pende etiam illud, quantam vim habeat ad tumorem vlceris noſtri, hoc eſt ſuperbiæ, ſanandum humilitas Chriſti, *vt videntes ante pedes noſtros infirmam diuinitatem, proſterneremur in eam; illa autem ſurgens leuaret nos.*

Dei ſapientia nobis lacteſcens in incarnatione, & Euchariſtia.

Ex humilitate Chriſti ſuperbia detumeſcit.

10 Docet ex praua hæreſum doctrina magis elucere Eccleſiæ doctrinam. *Improbatio hæreticorum facit eminere quid Eccleſia tua ſentiat, et quid habeat ſana doctrina.* Vide

Veritas fidei hæreticorum impugnatione roboratur.

quam

quā desipiāt Hæretici, putātes per impia dicta, & scripta veram fidē se opprimere posse.

Sine Christi doctrina non es peritus, sed periturus

10 In Platonis doctrina nec humilitatē, nec charitatem agnoscit. *Lectis Platonicorum libris, garriebam planè, quasi peritus; & nisi in Christo Saluatore nostro viam tuā quærerem, non peritus, sed periturus essem. iā enim cœperam velle videri sapiens; vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis?* Addit, ideò permissum à Deo, vt in hos libros primò incideret, vt posteà legens sacros libros differentiam videret. *Inter præsumptionem, & confessionem, inter videntes, & non videntes.* Illud autem lepidè dictum, *nisi in Christo, &c. non peritus, sed periturus essem.* adeò sine illo scientia non modò inutilis est, sed noxia.

11 Eleganter, & pulchrè in Ethnicorum libris, præsertim Platonis, nō inueniri pietatis, & aliarum virtutum affectus ostendit. *Non habent illa paginæ lacrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatū, cor contritum, & humiliatum, populi salutē, sponsam ciuitatem, arrham Spiritus sancti, poculum pretij nostri: nemo ibi audit vocantē. venite ad me, qui laboratis. dedignātur ab eo discere, quoniam mitis est, & humilis corde: abscondisti enim hæc à sapientibus, &c. Aliud est de siluestri cacumine videre patriam pacis, & iter in eam nō inuenire, & frustra conari per inuia; obsidentibus, & insidiantibus fugitiuis desertoribus cū principe suo leone, & dracone; & aliud tenere viam illuc ducentem cura cœlestis Imperatoris munitam. hæc mihi inuiscerabantur miris modis, cùm minimum Apostolorum tuorū legerem.* Præ cæteris Apostolum Paulum se legisse affirmat; vbi elegās cōparatio est inter Platonē, & Paulum. atq; hinc discimus, quā ò maius studiū esse debeat nostrū in sacris libris, quā in profanis legēdis, vbi nō inuenitur *poculū pretij nostri,* hoc est sanguis Christi, neq; enim agunt de redemtione nostra, & alijs mysterijs salutis.

Paulus Platoni prælatus.

Ex libro VIII Confessionum.

Lectio sacra pertinacem animū expugnat.

1 Lectionis sacræ fructū ostendit. *Inhæserant præcordijs meis verba tua, & vndiq; circūuallabar abs te* Nota, Deum obsidere quodammodo animam, vt eam sibi subdat lectione sacra; quod certè egit in ipso Augustino, & Ignatio nostro, qui hoc sacræ lectionis vallo obsessi manus dederunt.

Plato in nonnullis conueniens nobiscū.

2 Quædā apud Platonicos inueniri ait consona nostræ doctrinæ. *Vbi commemoraui legisse me quosdam libros Platonicorum, Simplicianus, gratulatus est mihi quòd non in aliorum philosophorum scripta incidissem plena deceptionum; in istis autem omnibus modis insinuari Deum, & eius Verbum.* Vidès quàm sit attendenda selectio librorum.

3 Quæ esset errorum vanitas Romæ, præsertim apud nobiles, ostendit. *Tota ferè Romana nobilitas inflata, spirabat populi usiam, & omnigenūm Deorum monstra, & Anubim latratorem; quæ aliquando contra Neptunum, & Venerem, contraq; Mineruā tela tenuerāt, & à se uictis iam Roma supplicabat.* Magna stultitia: Deos colere, quos captiuos fecerāt in bellis cum suis cultoribus; & qui Dii inter se pugnabant.

Veteris Romæ vanitas in cultu Deorum.

4 Insignem professionem veræ fidei publicè factam narrat à primario viro antea Ethnico. *Habet magnam laudem, & gratiæ tuæ confitendam tibi, quemadmodum Victorinus rhetor doctissimus senex, doctor tot nobilium Senatorum, qui ob insigne præclari magisterij statuā in Romano foro meruerat, & acceperat, usque ad illam ætatem uenerator Idolorum, quæ iste senex tot annos defensauerat, nō erubuerit esse puer Christi tui, & infans fōtis tui, subiecto collo ad humilitatis iugū: deniq; vt ventū est ad horam profitēdæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentisq; memoriter de loco eminētiore in cōspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris, vt secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbātur, offerri mos erat; ilum autē maluisse salutem suā in conspectu sanctæ multitudinis profiteri; nō enim erat salus, quam docebat in rhetorica, & tamē eam publicè professus erat; quantò minus ego vereri &c.* Est certè notādum hoc iis, qui nouam, ac rectam vitæ rationē instituunt, priore relicta, vt id præferāt potiùs, quàm humano respectu erubescant. ad publicam votorum professionē hoc Religiosi referre possunt.

Publica dei professio in baptismo

5 Ostendit quàm Deo, & iucūda, & grata sit cōuersio peccatoris etiam sera. *Institutum est, vt iam pactæ sponsæ non tradantur statim, nè vilem habeat maritus datam quam non suspirauerit maritus delatam: hoc in ipsa sincerissima honestate amicitiæ; hoc in eo, qui mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Possumus hoc trāsferre ad desolationē, quā Deus aliquādo permittit in anima, vt ad ipsū ardentiùs suspiret.

Conuersio peccatoris licèt sera Deo placet.

Cur Deus permitteat desolationem

7 Quāto emolumēto sit literatura Religioni, vel ex hoc demonstrat. *Imper. Iuliani tēporibus lege lata prohibiti sūt Christiani docere literaturā, & oratoriā.* Rectè igitur in quibusdā Religionibus institutū est, vt ad hæc se exerceant, diuinæ gloriæ studētes, nō suæ.

8 Piè satis, ac pulchrè vim cōsuetudinis malæ ostendit. *Ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea uolūtate. uelle meū tenebat inimicus, & inde catenā fecerat, & cōstrinxerat me; quippè ex uolūtate peruersa facta est libido; & dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini nō resistitur, facta est necessitas; quibus quasi ansulis innexis ad inuicem, unde catenā appellaui, tenebat me obstrictum dura seruitus.* Nota seruitutē peccati, ob quod ipsa volūtas libera cedit in captiuorum catenam, quam frequētes actus quasi annuli, vnus post alium conficiunt.

Per consuetudinem texitur ferrea peccati catena.

Mora conuersionis reprehēditur.

9 Dolet de tergiuersatione, & mora in respondēdo Dei vocationi *Non erat quod tibi respōderetur dicēti mihi; surge qui dormis: nisi tantū verba lēta, & somnolēta: modò, ecce modò, sine paululùm; sed modò & modo nō habebāt modum; & sine paululū, in longum ibat.* Elegāter, & ad viuū exprimit pigri morā ad bonū.

10 Ostendit quantum ex audita Antonii vita profecerit, *Ortus est sermo de Antonio Aegyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud seruos tuos; inde sermo eius deuolutus est ad monasteriorum greges, & mores suaueolentiæ tuæ, & vbera deserta eremi.* Potitianus vir pius inuentis epistolis Pauli Apostoli, quas fortè Augustinus habebat supra mēsam lusoriam, hùc sermonē deflexit. Nota efficaciam spiritalis sermonis, & perpende illa verba ad religiosos pulchrè pertinentia. *mores suaueolentiæ diuinæ; & vbera deserta eremi.* quid enim eremo, & solitudine asperius? at per Oseam ait: *Ducam eam in solitudinē; ibi loquar ad cor eius, ecce ego lactabo eā.* Porrò eremi quiddā habet, cū quis secolligit ad spiritalia exercitamenta nostri s. patris *I*gnatii, vbi deuotionis vbera sugimus

Eremi vbera, consolatio spiritalis.

Consolatio spiritalis in exercitijs S. Ignatij.

11 Narrat Potitianus quod accidit cōtubernalibus suis Imperatoris aulicis, cum in casam pauperis digressi codicem inuenissent, vbi scripta erat Antonij uita: *quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari, arripere talem vitam, & relicta militia seculari seruire tibi. tunc subitò repletus amore sancto, & sobrio pudore iratus, ità sibi conicecit oculos in amicum, & ait illi: dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quid quærimus? &c. dixit hoc, & turbidus parturitione noua vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat; & mutabatur intus, & ait amico; ego iam abrupi me ab illa spe nostra; & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac, in loco hoc aggredior; te si piget imitari, noli aduersari. respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ; & ambo iam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia, & sequendi te, affigentes cor Cœlo. manserunt in casa, sponsæ dicauerunt etiam ipsæ virginitatem tibi.* Nota efficaciā, & utilitatem lectionis spiritaliū librorum, præsertim uitæ sanctorum: quod incitamētū etiā Ignatio nostro fuit, ut resipisceret. huc refer exemplū, quo alius trahitur, ut cū Petro Fabro se Xauerius iunxit; & Thomæ Aquinatis exēplum sequutę sorores sūt.

Vita Antonii lecta mouet aulicos Imperatoris ad religionem ingrediendam.

12 Dolet se uel ex Ethnicorum libris nō statim fructum percepisse uirtutis, *Ab vndevigesimo anno ętatis meę lecto Ciceronis Hortensio, excitatus erā studio sapientiæ, & differebam contempta felicitate terrena, ad eam inuestigandam vacare.* uides, ut uirtus nullā pati debeat morā, & vt etiā ab exteris excitetur.

Fructus etiā ex ethnicorum libris.

13 Imitationē uitæ *S*anctorum quasi calcar esse ostendit ad uirtutē idq; sibi cōtigisse ait ex lecta *A*ntonij uita. *Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ tàm vultu, quā mēte turbatus inuado Alipiū & exclamo: quid patimur? quid est hoc, quod audisti? surgunt indocti, & Cœlū rapiunt, & nos cū doctrinis nostris sine corde ecce vbi volutamur in carne, & sanguine. an quia præcesserunt, pudet sequi, & nō pudet nec saltē sequi?* Magna erubescendi ratio; cum sapiēs uincitur ab indocto uirtute.

Vita Antonij commouet Augustinū.

14 Inefficax uoluntatis pigræ studium ad uirtutē carpit. *Vnde hoc monstrū; & quare istud? imperat animus corpori, & paretur statim. imperat animus sibi, & resistitur. imperat animus, vt moueatur manus, & tāta est facilitas; imperat animus, vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen. sed nō ex toto vult; nō ergo ex toto imperat, nō igitur nostrū partim velle, partim nolle. sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate subleuatus, consuetudine prægrauatus.* rectè monstrosum hoc dicit. sed quia nō efficaciter imperat animus, ideò nec efficaciter obeditur à sēsu. *vult, & nōuult piger.* pulchrè hāc appellat *semisauciā uolūtatē.*

Conflictus inter spiritum, & sensum.

Volūtas inefficax taxatu.

prou. 13.

15 Elegāter per hypotyposim, & prosopopeias uarias, pugnā, & æmulationē inter se, sēsus, & spiritus, cum utròque raperetur, describit. *Detinebant me vanitates antiquæ, & succutiebant vestem meam carnem, & submurmurabant; Dimittisnè nos? et à momento isto non erimus tecū vltra in æternum? quas sordes suggerebāt? quæ dedecora? et discedentē, quasi furtim vellicātes vt respicerē, retardabāt tamē me cunctantem abripere, atq; excutere ab eis; cū diceret mihi consuetudo violenta; putas ne sine istis poteris? sed iā tepidissimè hoc dicebat; aperiebatur enim ab ea parte, qua intēderē faciem, casta dignitas continentiæ, serenè, et nō dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirē, neq, dubitarē, et extēdens ad me amplectendū pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. ibi tot pueri, & puellæ etc.* Nota: videtur hic dialogismus de pugna carnis, & spiritus simillimus ei. quem Xenophon facit de Hercule adolescente, cui de statu deliberanti Virtus, & Voluptas se obtulerunt, utraque uerbis similibus ad se alliciens.

Caro repugnans spiritui per dialogismū.

16 Admirabilem narrat modum, quo diuinitùs fit uocatus. *Iactabā voces miserabiles; quandiu, quandiu cras, et cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? dicebā hæc, et flebā amarissima contritione cordis mei; et ecce audio vocē de vicina domo cū cantu dicentis, et crebrò repetentis quasi pueri, an puellæ, nescio: Tolle, lege, tolle, lege. surrexi, nihil aliud interpretans diuinitùs mihi iuberi, nisi vt aperirē codicē, et legerē quod primū caput inuenissem. itaq; concitus redii ad eū locū, vbi sedebat Alipius; ibi enim posuerā codicē Apostoli tui: arripui, aperui, et legi in silentio capitulū, quò primum coniecti sunt oculi mei: Non in comessationibus, et ebrietatibus, nō in cubilibus, et impudicitys, non in cōtētione, et ęmulatione, sed induite dominū nostrū Iesū Christum. statim cū fine huius sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubi-*

Augustinus quomodo mirè conuersus Angelico cantu

Rom. 13

dubitationis tenebræ diffugerunt, &c. Inde ad matrem ingredimur; exultat, triumphat, & benedicit tibi. Nota, eam vocem cantantis fuisse dicit, qua vocatus est, & diuinitùs factam; cur cantantis, nisi vt dulcius eum alliceret? cur non ille sententiam dixit, sed iussit eam legi, nisi vt lectionis spiritalis vtilitatem experimento ipsemet disceret? haud dubiè Angelus ille fuit, & vt reor, custos ipse, qui suauissimo illo cantu, melius quā Orpheus, Augustinū ex īferis reuocarit.

Ex libro IX. Confessionum.

1 QVibus se armis munierit contra obtrectatores suę conuersionis, ostendit. *Consilium nostrum erat coram te, coram hominibus autem nisi nostris, non erat: et conuenerat inter nos, ne passim cuipiam effunderetur. quanquam tu nobis à conualle plorationis ascendentibus, & cantantibus cantum graduum dederas sagittas acutas, et carbones vastatores aduersus linguam subdolam, velut consulendo contradicentem.* Primò colligimus consilium conuersionis non cuique aperiendum esse: Secundò canticum graduū aptum esse conuersis ad profectum in spiritu. Tertiò verba sacræ scripturæ esse tanquā sagittas ignitas, quibus armamur aduersus eos, qui conuersionem impediunt.

In conuersione quid agēdum.

Ostendit quos in se motus excitarint exēpla sanctorū, præsertim eorū, qui ex prauitate resipuerint. *Sagittaueras tu cor nostrū charitate tua, & gestabamus verba tua trāsfixa visceribus; & exempla sanctorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant, & absumebant grauem torporem, & accendebant nos validè.* Vide vt exempla pœnitentiæ quasi ignis accendant, Deo interim cor tāgente, vt dicat anima: *vulnerata charitate ego sum.* Expertus est hoc Ignatius noster in sua conuersione, *quem exempla sanctorum de nigro lucidum fecerunt*, a[deò], vt ei vultus exsplendescere soleret. vides etiam Deum tanquam aucupem his vti sagittis ad fugacem animæ prædam capiendam.

Deus cordis sagittarius inspirādo.

Ignatii cōuersio mira.

3 Pro benefactoribus piè rogat. *Reddes Verecundo pro rure illo Cassiciaco, vbi ab æstu sæculi requieuimus in te, amœnitatem sempiternè uirentis paradisi tui; quoniā dimisisti ei peccata multa super terrā in monte incaseato, mōte tuo, monte uberi.* Nota, quod montē incaseatū dicat, pro coagulato, vt est in vulgata, videtur affectasse figurā paronomasiam alludens ad nomē ruris Cassiciaci, quod à Verecūdo acceperat, vbi se collegit; in quo primū animaduertendū est religiosis, quātū debeāt suis benefactoribus orādo; deinde nota, locū vbi viuunt, qui se à sæculo collegerunt, hoc est cœnobium esse instar eius montis, de quo Dauid: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, etc.* ibi enim nos suis lactat vberibus; quare suprà idē Augustinus appellauit: *Vbera deserta eremi.* & in Canticis ait sponsa: *egrediamur in agrum, ibi dabo tibi ubera mea.* vel frequentiam Eucharistiæ significat, quæ apud eos maximè est.

Pro benefactoribus orandū.

Psal. 67.

Psal. 67. Cant. 7.

3 *Initio conuersionis ait se maximè delectatum Dauidicis psalmis, in primis quarto: Cū inuocarē etc.* tum ad suā cōuersionem pulchrè applicat: *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? signatū est super nos lumen uultus tui, Domine. ò si uiderent internū lumen æternū, quod ego quia gustauerā, frendebā, quoniā non eis poterā ostendere, si afferrēt ad me cor in oculis suis foris à te, quis ostendet nobis bona? ibi enim, vbi mihi iratus erā intus in cubili, ubi compunctus erā, ubi sacrificauerā mactans uetustatē meā, ibi mihi dulcescere cœperas, et dederās lætitiam in corde meo etc. Sed tu Domine singulariter in spe constituisti me. legebā, et ardebam.* Religiosis hęc aptissima sunt, in primis hoc vltimum, quod est de singulari spe prędestinationis, præter illa, de mortis securitate, quasi somni in pace; de mortificatione seù ira in se ipsum; de pœnitentia, de lumine, & illustratione diuina.

Psal. 4.

Initio conuersionis quanta consolatio insit.

5 Narrat quantam uim habeant preces ab alijs in morbo factæ. *Dolore dentium tum excruciabas me; et cum tantum ingrauesceret, ut non ualerem loqui, ascendit in cor meum admonere omnes, qui aderant, ut deprecarētur te pro me, et scripsi hoc in cera, et dedi eis, ut legeretur. mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille.* mira uis precū cōtrà morbū.

Augustinus dolore dētium suis & aliorū precibus sanatur.

6 Suum antiquum deflet errorem. *legebā et hęrebam, nec inueniebam quid facerem surdis mortuis, & quibus fueram pestis latrator amarus, & cæcus aduersus litteras de melle Cœli melleas, & de lumine tuo luminosas.* inprimis hic loquitur de psalmo quarto, vti diximus. ac nota, se cum Manichæis latrasse dicit, qui tam fidus fuit postea custos Ecclesiæ. pende autem illa uerba, quibus psalmos pulchrè uocat: *literas de melle Cœli melleas, & de lumine diuino luminosas*, ob dulcedinem spiritalem, & illustrationē cœlestē.

Psalmi melle Coeli pleni.

7 Narrat quibus studiis se addixerit post conuersionem. *Renunciaui peractis vindemialibus, vt Scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium prouiderent, quod & tibi ego seruire delegissem, & illi professioni præ difficultate spirandi, ac dolore pectoris nō sufficerem, & insinuaui per literas uiro S. Ambrosio, ut moneret, quid potissimum de libris tuis legendum esset: at ille iussit Esaiam Prophetā.* Nota, quid sit mundanus rhetor: *verborum venditor.* iam illud mirandnm, Augustinum pectoris dolore, & spirādi difficultate vexatum ab initio conuersionis, tamen elaborasse tantum in scribendis rebus sacris, totque libros edidisse indefessum.

Vanus concionator verborū venditor.

7 Adolescentes viuidos, & ingeniosos non sine Dei prouidentia aliquando è vita extrahi docet. *Horrori mihi erat illud ingenium; & quis præter te talium miracu-*

Adoleſcens ingenioſus non ſine periculo,

lorum opifex? citò de terra abſtuliſti vitam eius; & ſecurior eum recordor, non timens quicquam pueritiæ, nec adoleſcentiæ, nec omnino homini illi. loquitur de filio ex peccato, cui Adeodatus nomen fuit. nihil autem pericu- loſius, quàm adoleſcens ingenioſus ob ſpirituum viuacitatem,

Mœror pſalmis lenitur,

8 Quantam vim habeat pſalmodia ad mœrorem leniendum, oſtendit. *Tunc hymni, & pſalmi vt canerentur ſecundùm morē Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum, & ex illo in hodiernum retentum.* Factum id in perſecutione Iuſtinæ. Valentiniani matris. multum igitur valent pſalmi ad leniendum animi mœrorē.

Martyres manēt in theſauro Dei repoſiti.

9 *De* inuentis Martyrum corporibus narrationem inſtituit. *Tunc Ambroſio aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Protaſii, & Geruaſii, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras, vnde opportunè promeres, ad coercendam rabiem fœmineam, ſed regiam.* mirum eſt, Deum etiā mortuorum exanguia corpora adhibere ad vincendos Tyrannos. ait immundos ſpiritus exiſſe, & cœcum contactu ſanatum. notanda illa verba, *Deum ſanctorum corpora ſeruare in theſauro ſecreti ſui.* ita Iob theſaurum vocat ſepulchrū: *quaſi effodiētes theſaurū, gaudēt cū inuenerint ſepulchrū.* & meritò dictum: *pretioſa in cōſpectu domini mors ſanctorum eius.*

SS. Geruaſii, & Protaſii inuentio
Pſal. 4.
Iob 3.

Dei vocatio fragrantia vnguēti eſt.

10 *Dolet* ſe ad conuerſionem durum fuiſſe. *Et tamen cum ità fragraret odor vnguētorum tuorum, non currebamus poſt te.* locutus erat de inuentis Martyrum corporibus incorruptis, & de eorum miraculis, ob quæ Imperatrix Ariana ceſſauit à perſequtione. vbi nota uim miraculorū, & Martyrū gloriā.

Pſ. 67.
* Ignatij ex milite conſio.

11 Cuiuſdam conuerſionem narrat, citans locum pſalmi. *Qui inhabitare facis vnanimes in domo. Conſociaſti nobis & Euodium, qui tum agens in rebus militaribus, relicta militia ſeculari, accinctus eſt in tua. quærebamus quiſnam locus utilius haberet ſeruientes tibi:* ſimilis fuit Ignatii conuerſio ex militia. Ac nota electionem habendam religionis, vbi vtilius Deo ſeruire poſſis.

Religioſę familię delectus habēdus.

Tenera ætas quā pie inſtituenda domi ſit.

12 Monica mater Auguſtini aiebat ſe cum ſororibus educatam ab anu optima. *Et erat in eis coercendis, cum opus eſſet, ſancta ſeueritate uehemens, atque in docendis ſobria, prudēs; nam eas, præter illas horas, quibus ad menſam parentum moderatiſſimā alebantur, etiam ſi excandeſcerent ſiti, nec aquam bibere ſinebat: hac ratione frænabat auiditatem tenerioris ætatis, & ipſam puellarum ſitim formabat ad honeſtam modum.* Id agebat, ne poſteà nupta, ac iā domina vinū appeteret; vide quā piè, & quāta cū cura ea ætas tractāda ſit.

Monicæ matris beata mors.

13 Quomodo mater ad mortem præparata, ac diſpoſita eſſet, narrat. Imminēte die, *quo ex hac uita erat exitura, colloquebamur ſoli ualdè dulciter, qualis futura eſſet uita æternæ ſanctoru m. inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis uitæ, quæ eſt apud te, erigentes nos ardentiore affectu in idipſum. perambulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipſum Cœlum, unde ſol, et luna, et ſtellæ lucent ſuper terram, et tranſcendimus, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis; et dū loquimur, et inhiamus illi: attigimus eam modicè toto ictu cordis, et ſuſpirauimus, et reliquimus ibi religatas primitias ſpiritus. dicebamus ergo; ſileant phantaſiæ terræ, et aquarum, et aeris, et poli, et ipſa ſibi anima ſileat; dicunt hæc omnia: non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos, qui manet in æternum. Domine, tu ſcis, cum talia loqueremur, & mundus iſte nobis inter verba uileſceret, cum omnibus delectationibus ſuis. tunc ait illa; fili, quantum ad me attinet, nulla iam re delector in hac vita; quid hic faciam adhuc, aut cur hic ſim, neſcio, iam cōſumpta ſpe huius ſæculi; vnum erat propter quod in hac vita aliquātulum immorari cupiebam, vt te Chriſtianum uiderem.* Vide quibus de rebus colloquendum ſit cum iis, qui morti proximi ſunt, hoc eſt de æterna inprimis felicitate, præ qua hæc vita vileſcat. hæc Aloyſii Gōſagę in morte mens erat, & ſermo quo tempore etiā de rebus indifferentibus loqui vetuit. tum nota fructū ſpiritalis alloquii, *inhiabamus ore cordis in ſuperna fluenta &c.* ſitis accenditur æternorum, & videndi Dei. & illud pręclarè dictum: dum quæritur Deus: *ſileant phantaſiæ, & ipſa ſibi anima ſileat &c.* propter attentiſſimam contemplationem, & affectum in Deum.

Præparatio ad mortem quibus verbis facienda

Omnia creata tranſilienda vt ad Deū perueniamus.

14 Quàm eſſet mater à terrenis affectibus ſeiuncta, docet. *Cum ægrotaret, frater meus quiddam locutus eſt, quo eam non peregrè, ſed in patriam ferri tanquam felicius optaret: quo audito illa uultu anxio reuerberans eum oculis, quod talia ſaperet; ponite, inquit, hoc corpus ubicunque; nihil uos eius cura conturbet. tantùm illud uos rogo, ut ad domini altare memineritis mei, ubi fueritis.* Viuens dixerat, ſe optare cum viro iungi in ſepulchro, cum quo concordiſſimè vixerat. ſed hanc curam in morte dimiſit. adeò nihil niſi æternum tunc maximè ſpectandum, & meditandum.

Cura de ſepulchro an habenda ſit.

15 *Matris pietatē eximiā narrat. Cū Oſtiis eſſemus cū quibuſdā amicis meis, colloquebatur quodā die, de cōtēptu uitæ huius, et bono mortis; illiſq; ſtupētibus uirtutē fœminæ, quærētibuſq; vtrū nō formidaret tā longè à Ciuitate ſua corpus relinquere, Nihil, inquit, longè eſt Deo.* Nota pulchrū, ac piū Monicę axioma, & apophtegma. hoc ſibi proponant, qui ad fidē dilatandā Indos petunt, obliti patriæ, & ſuorū.

Iuſtus longè à patria moriens at non à Deo.

16 Pro matris anima Deū precatur. *Fūdo tibi, Deus noſter, pro illa famula tua lōgè aliud lacrymarū genus, quod manat de cōcuſſo ſpiritu periculorū omnis animæ, quæ in Adā moritur: quāquā illa in Chriſto viuificata, ut laudetur nomen tuū in fide, moribuſq; eius; nō tamen audeo dicere nullū uerbū exiſſe ex ore eius cōtra præceptū tuū; & dictum eſt à filio tuo: Si quis*

Pro defunctis quantūuis iuſtis orandū.

quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis; & væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam; quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? Nota quàm difficilis sit saluatio etiam *Iustis* ob periculũ.& ideò subiũgit, *manãt lacrymæ de cõcusso spiritu*, hoc est magno cũ affectu profusæ: talibus lacrymis opus est nobis ad purgatorium ignem extinguendum.

17 Pergit matris animam piè Deo cõmendare. *Ego itaque sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorũ, quæ pependit in ligno; illa tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis, quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vicimus; quis ei refundet innocentem sanguinem? quis ei restituet pretium, quo nos emit? ad cuius pretii nostri Sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei: nemo à protectione tua dirumpat eam. non se interponat insidijs leo, & draco, neque enim respondebit illa, nihil se debere, ne conuincatur.* Elegans certè & pia oratio pro vita functis. Ostendit hic matris pietatem, & fidem in missæ sacrificio, cui quotidie eam assuisse innuere videtur, ait eam colligasse animam suam vinculo fidei huic sacramento, tum ob amorem, tum ob securitatem tanquam ad sacram anchoram; est enim mors quasi portus quidam Iustorum.

[Sacrificiũ pro defunctis, & oratio quæ adhibenda.]

[Affectus S. Monicæ erga eucharistiam.]

18 Dolorem ostendit ex matris morte & pias exequias narrat. *Sauciabatur anima mea, & quasi dilaniabatur vita, quæ vna facta fuerat ex mea & illius. psalterium arripuit Euodius, & cantare cœpit psalmum, cui respondebamus omnis domus. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine.* Ostendit hunc psalmum solitum decantari in morte, ac funere alicuius, qui sanè aptissimus est, nam & de misericordia, & de iudicio fit mentio; hoc eo tempore est maximè formidandum, in illa sperandum. aptè sequitur vitæ reformatio ex hac contemplatione. *psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* transfer autem hunc affectum de amici morte, multò æquius ad Deiparam iuxta crucem gladio doloris transuerberatam ob amantissimi filii mortem *sauciabatur anima mea, & quasi dilaniabatur vita, quæ vna facta fuerat ex mea, & illius.*

[Qui psalmus cani solitus in funere defuncti.]

[ps. 100.]

[Deiparæ dolor iuxta crucem.]

Ex Libro X. Confessionum.

1 De suo in Deum amore sic piè. *Domine, percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te, sed & Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem.* Nota omnium creaturarum clamorem, vt Deum amemus, hortantium, quasi commune mundi præconium. quàm surdaster est qui non audit?

[Omnia creata clamant vt Deũ amemus]

2 Quid sibi proponere mens debeat, cum Deum contemplatur, eleganter ostendit. *Quid autem amo, cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis; non dulces melodias suauium cantilenarum; non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam; non manna, & mella; non membra acceptabilia carnis amplexibus; non hæc amo, cum amo Deum meum, & tamen amo quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum; & quendam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ quod non capit locus; & vbi sonat, quod non rapit tempus; & vbi olet, quod non spargit flatus; & vbi sapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quod non diuellit satietas. & quid hoc est? interrogaui terram, & dixit: non sum; interrogaui mare, & abyssos, & responderunt: non sumus Deus tuus, quære super nos. interogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aer cum incolis suis; fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. interrogaui Cælum, lunam, stellas, & exclamauerunt voce magna: ipse fecit nos.* Nota creaturarum gradus, quibus ascẽdimus ad Deum; & audi earum voces hortantium, ac testantium, conditorem amandum.

[Quid sit Deum amare.]

[Creaturæ nos ad Deũ trãsmittunt.]

3 De memoriæ thesauro venustè satis. *Transibo ascendens ad eum, qui me fecit, & venio in campos, & lata prætoria memoriæ meæ, vbi sunt thesauri innumerabilium imaginum, &c. auram liliorum discerno à violis nihil olfaciens; & mel defruto &c. intus hæc ago in aula ingenti memoriæ meæ. ibi mihi Cælum, & terra, et mare præstò sunt, magna est vis memoriæ, magna nimis, penetrale amplum, et infinitum; nec ipse capio totus quod sum.* Perpende verba: *prætoria memoriæ, thesauros, aulam, penetrale amplum, etc.* Vide eleganter, & fusè item in sequentibus capitibus. *Nimirum ergo memoria quasi vẽter est animi, lætitia verò atque tristitia, quasi cibus dulcis, et amarus.*

[Memoriæ thesaurus.]

[Memoria prætorio, & aulę cõparata.]

4 De memoria, qua Deum retinemus, sic pulchrè. *Vbi manes in memoria mea, Domine? vbi illic manes? quale cubile fabricasti illi? quale sanctuarium ædificasti tibi? tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, vt maneas in ea.* Rectè Sanctuario memoriam de Deo cõparat, & cubili. mulier illa Eliseo cubile parans ait: *ponamus ibi candelabrum, mẽsam etc.* quid igitur digniùs hospitio Dei?

[Memoria Dei sanctuarium.]

5 Queritur de sera conuersione. *Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua, & tam noua: serò tè amaui, & ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam.* Nota: lasciuus, dum formam sequitur, fit deformis.

Amans formam fit deformis.

6 Diuinæ vocationis efficaciam pulchrè demonstrat. *Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam, coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. flagrasti, seu fragrasti. et duxi spiritum, et anhelo tibi. gustaui, et esurio, et sitio. tetigisti me, et exarsi in pacem tuam.* Vide vt Deus omnibus modis ad nostram salutem contendat, ac se accommodet, quasi auditus, & oculorũ sẽsibus, & odoratus, & tactus, & gustus: hoc est voce, splẽdore, fragantia, cibo, tactu. ad religiosum maximè hoc facit, cum primùm vocatus est. Paulo etiam aptè conuenit, nam in eius conuersione de Cœlo circũfulsit eum lux, & Christi vox audita, & squamæ ceciderunt ex oculis eius. hoc planè est quod dicit: *vocasti, clamasti, coruscasti.*

Conuersio Augustini quã præclara.

Vocatio ad religionem coruscatio est &c.

* Cõuersio S. Pauli mira.

7 De diuini amoris effectu, sic. *Quem tu imples, subleuas eum: quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.* Acutè ait, hac plenitudine carentem, Deo vacuum, esse sibi oneri, cum contrà vacuitas leuem faciat.

Deo vacuus sibi oneri est.

8 De amore in Deum sic pulchrè. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat; ò amor, qui semper ardes, et numquam extingueris; charitas, Deus meus, accende me. continentiam iubes; da quod iubes, et iube quod vis*, digna precatio amico castimoniæ; ac vide vt Dei amor zelotypus sit.

Deus in totum mundus.

9 De perfecta castimonia sic habet. *Vnde etiam sæpè in somnis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissimè permanentes, nullum talem illecebris adhibemus assensum. augebis, Domine, magis, magisque in me munera tua, vt anima mea sequatur me ad te, concupiscentiæ visco expedita, vt non sit rebellis sibi in somnis etiã.* insignis hic locus, est; nam hoc inter cetera Francisco Xauerio datum, qui tam acriter, tantaque vi impuro spectro in somnis oblato restitit, vt sanguinem naribus emiserit: *etiam in somnis resistens sui propositi memor, atque in eo castissimè permanens.*

*Xauerij mira vel in somnis castitas.

10 Ostendit quàm difficile sit, cibis, ac necessitatibus corporis vti sine illecebra voluptatis. *Suauis est mihi necessitas; et aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar, et dolores mei voluptate pelluntur; nam fames, et sitis quidam dolores sunt. calamitates delitiæ vocãtur. hæc me docuisti, quemadmodum medicamẽta, sic alimenta sumpturus accedam. sed adiungit se tãquam pedissequam periculosa iucunditas, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere dico.* Vide quàm difficile sit gulæ non cedere, at sicut medicamenta molestè accipimus, ita & alimenta accipi debent.

Alimenta non pro delicijs, sed pro medicamẽtis sint.

11 Quærit, an expediat in templis adhibere concentus musicos. *Ipsis sanctis dictis religiosiùs, & ardentiùs sentio moueri animos nostros in flammam pietatis, cum ità cãtantur, quàm si non ità cantarentur. sed delectatio carnis meæ sæpè me fallit, dum rationem sensus nõ ità comitatur, vt patienter sit posterior: ità fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis.* Addit, sibi aliquando tutius visum, cantum à se remouere, vt Athanasius lectorem psalmi iubebat pronuncianti magis similem esse, quàm canenti; sed recordatus lacrymarũ, quas fũdebat in Ecclesiæ cantu, subiũgit: *Magis adducor, non quidẽ irretractabilem sententiã proferens, cãtandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.* sanè etiam in templo Salomonis, & in tabernaculo videtur figura quædam olim fuisse futuræ harmoniæ in Ecclesia: nam in extrema parte vestis summi Sacerdotis erant aurea tintinnabula plurima, quæ suauem redderent concentum. sed aduertendum, fuisse coniuncta cum fructibus malogranatorum, hoc est aliquem ex concentu fructum capi debere, nec tantùm oblectandas aures. certè templa per cantum magis frequentari videmus.

An musica sit in templis adhibẽda.

12 Cum de oculorum illecebris, ac periculis sermo esset, de interiori luce præponenda loquitur. *O lux, quã videbat Tobias, cũ clausis oculis istis, filium docebat vitæ viam; quam videbat Iacob cum prægrãdi ætate captus oculis, in filijs præsignata futuri populi genera luminoso corde radiauit, & nepotibus suis diuexas mysticè manus imposuit.* dolet deinde de illecebris picturarũ, vestium, aliorumque figmentorum, *quæ addiderunt homines, foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt.* acutè dictum; dum foris decus faciunt falsum, intus non habẽt verum decus, per quod facti sũt. pulchrè autem ait, vaticinium Iacob *in eius luminoso corde radiasse*: quod, & ad alios sanctos referre potes, qui prophetiæ dono claruerunt.

Luce interna radiatũ cor fuit præsertim in prophetis.

13 Curiositatem videndi, seu concupiscentiam oculorum, multarum rerum occasione irritari, ait; nam licet abstineas à spectaculis theatricis, &c. tamen *sepè domi sedentem, stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irruentes implicans intentum facit. pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, sed non inde intentus esse incipio: aliud est citò surgere, aliud non cadere, cum in huiusmodi rebus cõceptaculum sit cor nostrum, & portem copiosæ vanitatis cateruas: hinc, & orationes nostræ sæpè interrumpuntur, atque turbantur.* Nota de distractionibus, quas pulchrè vocat *copiosæ uanitatis cateruas*, ob multitudinem, & importunitatem.

Ex curiositate distractio.

14 Quid diabolus spectet, dum tentando nos sibi coniungit, ostendit. *Instat aduersarius beatitudinis nostræ, vbique spargens laqueos, ut sui similes factos secum habeat, non ad*

Quæ oratio habenda sit dum tentamur.

con-

concordiam charitatis,ſed ad conſortium ſupplicij.nos autem, Domine, puſillus grex tuus ecce ſumus. Tu nos poſſide, prætende alas tuas,ut fugiamus ſub eas. Præclara vox, & in ore habenda aduerſus tentamenta diaboli.

15 Pulchrè oſtendit,quæ agimus, non ad noſtram,ſed ad Dei gloriam referenda. *Gloria noſtra tu eſto; propter te amemur; qui laudari vult ab hominibus vituperante te,non defenditur ab hominibus iudicãte te; & melior ille qui laudauit,quàm iſte qui laudatus eſt: illi enim placuit in homine donum Dei; huic amplius placuit donum hominis quàm Dei.* Acutè hoc dictum: & vide quid ſpectare debeat etiã ille,qui laudat;non vt perſonam,ſed vt donũ Dei collatum laudet.

In laude quid ſpectã.. dum ſit.

16 De inani gloria,quæ occultè ſubrepit ex laudatione,ſic ait. *Tentamur his tentationibus quotidie, Domine. Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua;tu noſti de hac re gemitum cordis mei, neque enim facilè colligo, quàm ſim ab iſta peſte mundatior.* Addit, ab alijs vitijs facilius poſſe abſtineri; at laus comitatur virtutem; & ſicut hanc delerere nefas eſt, ità à laude abeſſe nõ poſſumus, ac proinde concludit. *Minus mihi in hac re notus ſum ipſe,quàm tibi.* Nota;linguam laudatricem fornacem vocat,qua ſcilicet omnia opera,quæ agimus,conſumuntur,& pereũt. Apoſtolus quoque de lingua loquẽs horrendum illud protulit: *Ecce quantus ignis quàm magnam ſiluam incendit, inflammat rotã natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna.* ceterũ laudator, & adulator tã affines voces ſunt, vt iiſdem prorſus ſcribantur literis: quanta igitur cautio adhibenda.

Lingua laudatrix fornaci cõparata.

17 Non niſi à Chriſto ſalutem ſperandam dicit, *quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi?an eundum mihi fuit ad Angelos? qua prece? quibus Sacramentis? multi tentauerunt hæc; & inciderũt in deſiderium curioſarum uiſionum,& digni habiti ſunt illuſionibus.* Nota quàm facilè falli ſit curioſis Angelorum viſionibus,& ſpectris potius,atque laruis.magna igitur diſcretione ſpirituum opus eſt.

In viſionibus facilis lapſus.

18 Chriſtum perfecti Mediatoris proprietatem habuiſſe dicit. *Mediator inter Deũ, & homines oportebat,vt haberet aliquid ſimile Deo,aliquid ſimile hominibus, nè in vtroque hominibus ſimilis,longè eſſet Deo,aut in vtroque,Deo,longè eſſet homini,atque ita Mediator non eſſet.fallax autem ille Mediator vnum cũ hominibus habet, ideſt peccatum; aliud uideri vult habere cum Deo:vt quia carnis mortalitate non tegitur,pro immortali ſe oſtendat.* Acutè Mediator fallax diabolus dicitur, qui cũ homine commune peccatum habet, cũ Deo communem affectat diuinitatem: vtrumque impiè.

Verus mediator Chriſtus, falſus diabolus.

19 Dei dilectionem in nos oſtendit ex filio dato. *Quomodo nos amaſti, pro quibus ille,qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis tibi,factus eſt ſubditus vſque ad mortem crucis pro nobis,tibi victor, & victima,& ideò uictor,quia uictima pro nobis;tibi ſacerdos,& ſacrificium,& ideò ſacerdos,quia ſacrificiũ, &c. Non calumnientur mihi ſuperbi, quoniam cogito pretium meum.* Nota illud: *ideo uictor,quia uictima*,nam & victima à victis hoſtibus dicitur. Illud autem quàm optandum eſſet, vt cogitãdo penderemus, *& cogitaremus pretiũ noſtrum*, ne vilia diaboli mancipia reddamur.

Chriſtus ideo victor, quia victima

Pretium Chriſti ſanguinis recogitandum.

Ex Libro XI. Confeſſionum.

1 Scripturæ ſacræ læta pabula demonſtrat. *Neque ſcribi uoluiſti tot paginarum opaca ſecreta, aut non habent illa ſyluas ceruos ſuos recipientes ſe in eas,& paſcentes,& recumbentes,& ruminantes.* Eleganter interpretes ſacræ ſcripturæ, atque lectores facit ceruorum inſtar paſcentium in vmbroſo,& amœno nemore.vocat ceruos, velocitate ingenii,atque pietatis inſignes,& ſerpentinas hæreſes,atque vitia conſumentes: huiuſmodi ceruos quædam religiones quaſi nemora præclaros habent, Dominici, Frãciſci, Ignatii,&c.

Sacræ Scripturę interpretes ceruis comparati.

2 Imbrem diuinæ pietatis expoſcit. *Da quod amo, nec dona tua deſeras, nec herbam tuam ſpernas ſitientem.* breuis precatio, ſed efficax ad impetrandum.herba Dei ſumus, ſpe vireſcimus.huc refer illud prophetę: *ero ero ros, Iſrael germinabit,&c.*

Gratiæ imber vt petẽdus.

3 De Dei cognitione, ac ſui ipſius ſic. Eſa. 18.
In principio fecit Deus cælum,& terram, in Verbo tuo,in filio tuo.quis comprehendet, quis enarrabit?quid eſt illud, quod interlucet mihi, & percutit cor meum ſine læſione? & inhorreſco,& inardeſco; inhorreſco in quantum diſſimilis ei ſum, inardeſco in quantum ei ſimilis ſum, pulchrè vtriuſque cognitionis effecta demonſtrat: ex cognitione maieſtatis horreſcimus, beneuolentiæ ardeſcimus. Oſee 14

Dei cognitio timorẽ, & amorem excitat.

4 Carpit eos,qui aiebant; quid faciebat Deus antequam crearet cœlum,& terram? *O ſapientia Dei,lux mentium.nondum intelligunt,quomodo fiant, quæ per te,& in te fiunt; & conantur æterna ſapere, ſed adhuc in præteritis,& futuris motibus cor eorum volitat; quis tenebit illud,& figet illud, vt paululum ſtet,& paululum rapiat ſplẽdorem ſemper ſtãtis æternitatis?* Dictum pulcherrimè de corde pennato,huc illuc alis curioſitatis per creaturas volitãte,ac vagante.& vide quàm difficile ſit illud in Deo ſolùm ſiſtere, & à motu temporis ſubtractum, in æternitate defigere.

Cor hominis creaturas circum volitans.

5 Quid reſpondendum ſit curioſis, docet. *Ecce reſpõdeo dicenti, quid faciebat Deus ante quam faceret Cælum,& terram? reſpondeo,non illud quod quidam reſpõdiſſe perhibetur*

Quid ageret Deus ante mũdum, reſponſum lepidũ.

tur; alta, inquit, scrutantibus gehĕnas parabat. aliud est uidere, aliud ridere. libentius responderem: nescio quod nescio; sed audĕter dico; antequam faceret Deus cœlum, & terram, nō faciebat aliquid; si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? De operibus loquitur, quæ ad extra vocantur. Nota lepidum alterius responsum. similiter quidam Catholicus respondit Ethnico irridenti Christi natalia, ac dicenti: quid agit fabri filius? respondit: feretrum fabricatur, ac struit Imperatori tuo Iuliano, qui certè mox miserè periit.

Histor. Eccles.

Ex Libro XII. Confessionum.

Visio beatifica quā expetenda.

1 Eleganter Dei domum describit, seù cœlū Cœli spiritale, nō tamen coæternum. *Quia est idonea faciem tuam videre, nec vspiam deflectetur ab ea, fit, vt nulla mutatione varietur; inest tamen ei ipsa mutabilitas, vnde tenebresceret; & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens, tanquam semper meridies luceret, & ferueret ex te: ò domus luminosa, & speciosa, dilexi decorem tuum; tibi suspiret peregrinatio mea; & dico ei, qui fecit te, vt possideat & me in te, quia fecit & me.* Magnā vim habent illa verba, fore vt Cœlū ipsū Empyreū ab igne dictū, ac sedes beatorū tenebresceret, & frigesceret, nisi semper Deo cohæreret. quid igitur dicendum de terra, mortalium sede? quàm facilè tenebrescere, & frigescere potest? Ceterùm quòd hanc beatarum sedem spiritalem dicat, non ità videtùr pro certo affirmare: nam supra sic dixerat. *O beata, si qua ista est, inhærendo beatitudini tuæ, beata sempiterno habitatore, atque illustratore tuo.* Nos Empyreum intelligimus Cœlum splendidissimum, vbi spiritu videtur Deus. eò conuersi pulchrè, ac piè dicamus. *O domus luminosa, & speciosa, tibi suspiret peregrinatio mea, etc.* huc spectat quod sequitur.

Cap. 11.

Ipsum Cœlum Empyreum, hoc est igneum frigesceret fine Deo.

2 De cælestis patriæ recordatione, & desiderio sic venustè, pièque. *Recordans Hierusalem, extento in eam corde, Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrem meam, teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, maritum, & solidum gaudium, non auertar, donec in eius pacem matris charissimæ, vbi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum quod sum à dispersione, & deformitate hac, & conformes, atque confirmes in æternum.* Nota. *extento corde*, non in terrena contracto meminisse debemus cælestis Hierusalem, affectu velut in matrem, vnde ait Apostolus: *Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, quæ est mater nostra etc.* eius vbera sugere debemus velut infantes. precandus est autem Deus, vt quicquid in nobis est, ad eius beatæ vitæ formam componat, atque disponat.

Cœlestis Hierusalē tāquā mater omni affectu diligenda

Gal. 4.

3 Aliter ab imperitis legi sacram scripturam, aliter à peritis dicit. *Si quispiam quasi vilitatem dictorum aspernatus, extra nutritorias cunas superba imbecillitate se extenderit, heu cadet miserè. miserere, nè implumem pullum conculcent qui transeunt viam; sed mitte Angelum tuum, qui reponat in nido, vt viuat, donec uolet.* Infirmiores comparat implumibus pullis in nido, sicut sapientiores plumas habĕtibus. & nota pulchrè de protectione Angelorum. subiūgit. *alii uerò, quibus hæc uerba non iā nidus, sed opaca fruteta sunt, uident in eis latentes fructus, & uolitant lætantes, & garriunt scrutantes, & carpunt eos.* Vide vt intelligentes sacræ scripturæ tanquam canoræ aues alis ingenii, atque pietatis in agro fructibus pleno discurrant, ac suauiter pascantur. quarum vna Augustinus ipse, & præcipua fuit.

Sacra scriptura quā humiliter legenda.

Angeli nos velut implumes pullos in nido reponunt.

Ex Libro XIII Confessionum.

1 Deum nullo indigere ostendit, sed nos illo. *Non tibi sic seruiam, quasi fatigeris in agendo; neque sic te colam, quasi terram, ut sis incultus, si non te colam; sed ut de te mihi bene sit, à quo mihi est, ut sim, cui bene sit.* lepidè, ac venustè alludit ad verbum colendi. non egeo cultu vestro. *mecum est pulchritudo agri.*

Deus quasi hortus cultu ra nostra & cultu non eget

Psal. 49.

2 De sancto spiritu, quo ad superna attollimur, sic. *Quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptam abyssum, & de subleuatione charitatis per spiritum tuum, qui super ferebatur super aquas: mergimur, & emergimus. affectus sunt, amores sunt. immunditia spiritus nostri defluens inferius amore curarū, & sanctitas spiritus tui attollens nos superius amore securitatis, vt corda sursum habeamus ad te.* Ita legit: *superferebatur super aquas.* dixerat superiore capite, ideò post nominatum Cœlum, & terram hoc dictum, quia Spiritus sanctus non superfertur reliquis personis, ergo reliquis creaturis. nota illud de nostrarum cupiditatem pondere nos deprimente, & contra charitate attollente.

Per spiritū sanctū emergimus ad supera.

3 Hominis felicitatem in Deo positam esse ostendit. *Nisi dixisses ab initio, fiat lux, & inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cælestis ciuitatis tuæ, & requiesceret in spiritu tuo, qui superfertur incommutabiliter super omne mutabile, alioquin & ipsum Cœlum cœli tenebrosa abyssus esset in se, satis ostendit quàm magnā creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est. en amo; & si parum est, amem validius. non possum metiri, vt sciam quantum desit mihi amoris ad id, quod satis est. vt currat vita mea in amplexus tuos; hoc tantùm scio, quia male est mihi præter te, non solùm extra me, sed & in me ipso, & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Nota, Cœlum ipsum abyssum tenebrosam esse sine Dei fulgore pre-

Non sufficit animæ quicquid est minus Deo.

Vita nostra currere debet in amplexus Dei

præclarum illud votum. *Vt currat vita nostra in amplexus Dei*. sed nota maximè excellentiam animæ nostræ, *cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quicquid Deo minus est.*

4 De ardenti affectu charitatis in Deum, sic venustè, & piè. *Cur tantum de spiritu tuo dictum est: superferebatur super aquas? pondus nō ad ima tantùm est, sed ad locum suum. ignis sursum tendit, oleum super aquam infusum super aquam attollitur. pōdus meum, amor meus: eò feror, quocumque feror. dono tuo accendimur, & sursum ferimur; inardescimus; & imus, ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. igne tuo, igne tuo bono inardescimus, & imus ad pacem Ierusalem.* Singula verba pendenda sunt, nam habent pondus suum, & leporem. Amor, quo inardescimus, pondus vocat, etiamsi sursum ferat ad Deum, tamquam ad centrum, siue locum proprium: ideò puto cor nostrum in pyramidalem, & igneam figuram efformatum esse. Item apud Esdram dicitur. *Vade, pondera mihi ignis pondus*: nempè amor stabilis fit oportet.

Amor noster pondus nostrum quo ferimur.

psal. 83.

4. Esdr.

5 Post mortem magis elucescere operū famam dicit. *Sublimioris auctoritatis est tua diuina scriptura; cùm iam abierunt ista morte mortales, per quos eam dispensasti nobis. sicut pellem extendisti firmamentum libri tui; nam ipsa eorum morte, solidamentum auctoritatis in eloquijs tuis per eos editis sublimiter extenditur; quod, cùm hic viueret, non ita sublimiter extentum erat. nondum sicut pellem Cælum extenderas, nondum mortis eorum famam vsquequaque dilataueras.* Id in Sanctis patet, qui multò celebriores fiunt à morte, quàm fuerunt in vita: rectè autem dicit, cur Cœlum extentæ pelli comparetur, quia pellis est ex mortuo animante.

Postmortem fama celebrior.

6 De Cœlestium spirituū felici statu sic. *Laudent te super cœlestes populi Angelorum tuorum, qui vident faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis tēporū, quid velit volūtas tua. legunt, eligunt, & diligunt. non plicabitur liber eorum; quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum.* Nota pulchrè dictum, Beatos *legere sine syllabis temporum, quid velit voluntas Dei: legere, eligere, diligere*, quæ nos hic syllabatim puerorum more vix legere discimus. vides, quantùm distet Angelica cognitio à nostra.

Beati legunt sine syllabis temporum.

7 De fide, qua nunc credimus, hæc habet pulchrè satis. *Verbum tuum nunc in ænigmate nubium, & per speculum Cæli, non sicut est, apparet nobis; attendit per retia carnis, & blanditus est; & inflammauit, & curremus post odorem eius.* Eleganter ait, Cœlum veluti Dei speculū esse; nā ideò & crystallinū Cœlum Astrologi ponunt; & apud Ezechielē habes. hoc nobis speculū ante oculos semper est propositum. Perpende autem illud de Christo. *Attendit per retia carnis.* Alludit, reor, ad illud Cantici: *respiciens per cancellos*, quod alij legunt, *per retia*; humanitas enim Christi tanquam rete expansum est, foraminibus plagarum distinctum, vt prædam capiat, nos videlicet: *blanditus est*, esca sui corporis: *inflammauit*, charitate eximia: *curremus* in hæc retia odore eius diuinitatis allecti.

Cœlum speculū est.

Christus per retia carnis nobis apparuit. Ezechiel 1.

8 De Spiritu sancto die pentecostes illapso, hæc pulchrè. *Ecce tanquam Deo dicente, fiant luminaria magna in firmamento Cæli, visæ sunt linguæ diuinæ, quasi ignis, & facta sunt luminaria in firmamento Cæli, verbum vitæ habentia. Vbique discurrite ignes sancti, ignes decori; vos enim estis lumen mundi, nec estis sub modio: discurrite, & innotescite omnibus gentibus.* Ad Apostolicos viros aptissima hęc hortatio est, præsertim ad S. Ignatii socios discurrentes per orbē terræ; & certè eius conuersio ortum habuit ex eo ictu, quem accepit vno ex tribus diebus pentecostes. *Vbique discurrite ignes sancti, ignes decori, &c.* Ferunt hanc vocem crebrò in Ignatii ore fuisse ad nostros: Ite, incendite.

Linguæ igneæ p orbem discurrētes viri apostolici.

9 Stultam quorundam opinionem de creatione recitat, *Sunt quidam, quibus displicent opera tua; & multa eorum dicunt te fecisse necessitate compulsū, sicut fabricas Cælorum; & compositionem syderum; et hoc non de tuo, sed iam fuisse alibi creata, et aliunde, quæ tu contraheres, et compaginares, atque contexeres, cum de hostibus victis mundana mœnia molireris, ut ea constructione deuicti aduersus te iterum rebellare non possent. insani dicunt hæc.* Vides vt ex mera bonitate vltroneus Deus mundum crearit. pulchrè Lucretius Cœlos mundi mœnia dixit. & rectè dicitur, *regnum Cælorum vim patitur, etc.* quasi murali corona digni sint qui strenuè transcendunt hæc mundi mœnia.

Deus vltroneus mūdi fabricator

Matth. 11.

Ex Libro IV. de Musica.

1 NOn omittam nonnulla, quæ ex his libris elici possunt ad vsum concionis. ex libro quarto sunt hæc exempla de numeris. & ex pyrrhichijs quidē, qui pes ex duabus syllabis breuibus constat, affert hoc, addito semipede.

Quid erit homo,
Qui amat hominem,
Si amet in eo
Fragile quod est?
Amet igitur
Animum hominis,
Et erit homo
Aliquid amans.

Acutè ait, hominis propriū esse amare id, quod in homine est quod ametur: animus hic est, nō corpus; nā qui corpus amat, non est amans, quia quodāmodo nihil amat, cū nihil

Qui corpus, non animum amat, nihil amat

nihil enim est in corpore, quod sit amore dignum, quia statim euanescit &c. non sic in animo immortali, virtute prædito.

Affert & septem pyrrhichios.

Leuicula, fragilia, gracilia bona
Quæ adamat animula, fit ea similis ijs.

Rectè, & pyrrhichiis vtitur ad breuitatem terrenorum bonorum indicandam, & eadē *leuicula* vocat, & *animulam*, quæ illa adamet, neque enim magni animi est hæc appetere, sed contemnere;

Bonum, & felicitas nulla extra Deum.

3 Illa ex iambis constant.

Malus bonū foris requiritibic eget, miser fit.
Beatus est videns Deum, nihil boni ampliùs volet.

Nota, cur mundani sint miseri, quia foris in rebus caducis quærunt bonum, & felicitatem; quæ intus inuenienda est, in Deo scilicet, iuxta illud: *regnum Dei intra vos est. & in quo viuimus, mouemur & sumus.*

Luc. 17. Acta Apost. 17.

4 Transit ad aliorum numerorum exēpla; de metro trochaico sic.

Veritas ars Dei supremi.

Veritas vocatur ars Dei supremi.
Veritate factus est mundus iste, quem vides,
Veritate facta cuncta sunt, & ordinata sunt, ueritas mouens manet. mouentur vt, innouentur ista.

Eleganter dicitur veritas, *ars Dei supremi.* cetera mouentur, & vicissitudines habent. *veritas manet. mouetur, ut innouentur ista.* vide vt ad innouationem sui omnia tendant.

Innouationem sui appetent omnia.

5 Hæc ex spondæis constant.

Magnorum est libertas.
Magnum est munus libertatis,
Solus liber fit, qui errorem uincit.
Solus liber non falsò uiuit, qui erroris uinclum iam deuicit.

Hæretici sunt captiui sui erroris.

Notabile est quod ait, non verè viuere, sed falsò, qui in errore est, qui quasi captiuus detinetur, ideò non liber. hæretici igitur falsò viuunt, & serui, catenatique sunt, errore ipso tum lictore, tum vinculo.

6 Addit hæc exempla in cæteris numeris.

Malè castum caue,
Veraces regnant.
Sapientes regnant.
Pura cuncta regnant.

Castimoniæ, ac sapiētiæ regnum.

Pulchrè regnum ponit in sapientia, in veritate, in castimonia; quo harum virtutum dignitatem ostendit, & dominium in passiones.

Ex Libro VI. de Musica.

Adolescētibus docēdo prodesse quàm præclarum.

1 OStendit quo fine superiores libros de musicis numeris scripserit. *Satis diù penè, atque adeò planè pueriliter per quinque libros in vestigijs numerorum ad moras temporum pertinentium morati sumus, quem laborem non ob aliud suscipiendum putauimus, nisi vt adolescentes, vel cuiuslibet ætatis homines, quos bono ingenio donauit Deus, non præproperè, sed quibusdam gradibus à sensibus carnis, atque carnalibus literis, quibus eos non hærere difficile est, duce ratione auellerentur; atque vni Deo, & Domino rerum omnium, qui humanis muneribus, nulla natura interposita, præsidet; incommutabilis veritatis amore inhærescerent.* Vide quàm præclarum finem in docendo sibi proposuerit Augustinus, vt vnà cum doctrina pietatem adolescentes imbiberent: quod Ignatius noster inprimis sibi proposuit, apertis non modò superiorum disciplinarum, sed etiam inferiorum gymnasijs.

societatis Iesu institutū in docendo laudatur.

2 De animæ, corporisque subordinatione sic egregiè. *Oportet animam & regi à superiore, et regere inferiorē; superior illa solus Deus est, inferior illa solùm corpus, si ad omnem & totam animam intendas. vt ergo tota esse sine domino, sic excellere sine seruo non potest; vt autem dominus eius magis est quàm ipsa, ita seruus eius minus. quarè intenta in dominum intelligit æterna eius, & magis est, magisque est etiam ipse seruus in suo genere per illam. neglecto autem domino intenta in sensum, in sensum carnalem, quæ dicitur concupiscentia, cernit motus suos, quos illi exhibet, & minus est.* Hinc collige de quibusdam inprimis viris sanctis, vt Thoma Aquinate; addo etiam beatum nostrum Aloysium, qui nullos sentiebat carnis motus, quàm rectè seruaretur hic ordo, vt anima Deum haberet pro domino, corpus pro seruo. subiungit: *Non sicut peccatum est in animæ potestate, ita etiam pœna peccati, per quod facta imbecillior, minus potens est auferre, quod fecit, vnde illud: Infelix ego homo, &c.*

Ordo regiminis in anima qualis esse debeat.

Rom. 7.

3 Animum pulchrè, & eleganter à terrenis abducit. *Non inuideamus inferioribus, quàm nos sumus. nosque ipsos inter illa, quæ infra nos sunt, & illa, quæ supra nos sunt, ita Deo opitulante ordinemus, vt inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur: delectatio quippe quasi pondus est animæ; delectatio ergo ordinat animam. quæ verò superiora sunt, nisi illa, in quibus summa, inconcussa, incommutabilis, & æterna manet æqualitas? vbi nullum est tempus, quia nulla mutabilitas est; vnde tempora fabricantur, & ordinantur, & modificantur, æternitatem imitantia; dum Cœli conuersio ad idem redit, & cœlestia corpora ad idem reuocat, diebusque, & mensibus, & annis, & lustris, ceterisque siderum ordinibus, legibusque æqualitatis, & vnitatis, & ordinationis obtemperat. Ita cœlestibus terrena subiecta orbes temporum suorum numerosa successione, quasi carmini vniuersitatis consociant.* Pulchrè, inquam, & egregiè animū inter inferiora, & superiora constituit, hoc est, inter temporalia, & æterna; vt in illis nō læda-

Tempus ipsū ad æternitatē nos excitat.

lædatur, & his prouehatur. & acutè ait, tempus ipsum nos ad æternitatem excitare debere, & Solis cursum, cœlorumque motum, dum quasi gyro quodam, ac circulo eòdem redit. Elegāter verò Vniuersitas hęc numeroso carmini comparatur, succedentibus vicissim ordine syllabis compacto, quod agunt vicissitudines temporum; adeò ipsa Vniuersitas nonnisi ode quędam, & hymnus Dei est, quò spectat illud Iob; *Concentum Cœli quis silere faciat?* Hinc tres illi pueri inter vibrātes ignis linguas diserti res omnes creatas inuitant, vt velut in chorea quadam concinerent Deum.

Vniuersitatis modulatio perfecta.

Iob 38.

4 Nihil in rerum Vniuersitate non ordinatum, & numerosum esse ait. *In his multa videntur nobis inordinata, & perturbata, quia eorum ordini pro nostris meritis assueti sumus, nescientes quid de nobis diuina prouidentia pulchrum gerat. quia si quis v. g. in amplissimarum, pulcherrimarumque ædium vno aliquo angulo tanquam statua collocetur, pulchritudinem illius fabricæ sentire non potest, cuius & ipse pars erit. nec vniuersi exercitus ordinem miles in acie ualet intueri. & in quolibet poemate, si quanto spatio syllabæ sonant, tantum viuerent, atque sentirent, nullo modo illa numerositas, & contexti operis pulchritudo eis placeret; quam totam perspicere, atque approbare non possent, cùm de ipsis singulis prætereuntibus fabricata esset, atque perfecta. ita peccantem hominem condemnauit Deus turpem, non turpiter. turpis enim factus est uoluntate, Vniuersum amittendo, quod Dei præceptis obtemperans possidebat, & ordinatus in parte est, vt qui legem agere noluit, à lege agatur. quicquid autem legitimè, iustè, & quod iustè non vtique turpiter agitur. quinetiam in malis operibus nostris Dei opera bona sunt. vt* cùm ex adulterio homo fit. Insignis est hic locus, atque præclarus de Dei sapientia, ac prouidentia, etiam mala dirigentis in bonum, ita vt in Vniuersitate creaturarum nihil auctor naturæ reprehendi possit, quantumuis aliter imperito videatur. affert autem triplicem similitudinem; primam, vt si mundus hic amplissima ædes sit, & homo tanquam statua pars eius, sed in angulo posita, vtique totam ædium pulchritudinem vno aspectu intueri nō posset, nec rectè diceret, cur hoc, cur illud est? vel deest quiddā in ea fabrica: ita nos tanquā in angulo mundi pars minima mundi sumus &c. Miles etiā in loco suæ stationis positus non potest ferre iudicium de vniuerso exercitu, & eius partes singulas rectè intueri; tanquam enim miles quisque nostrûm in exercitu est; nā & de stellis, vbi vulgata habet, *perfecti sūt cœli, & omnis ornatus eorum*: legunt alij, *& omnis exercitus eorum*. Denique tertia similitudo est in carmine, cuius nisi contextum ex succedentibus syllabis audias, profectò quantumuis elegantissimum sit, nec suauitatem carminis hauries, nec de eius elegantia rectus iudex esse poteris: ita huius Vniuersitatis, ac temporum vicissitudinum, non vna tantum pars à nobis consideranda; sed ipsa complexio, & tunc significatio habebitur, & sciemus à Deo optimè omnia constituta, & ordinata. huc refer, quòd Deus ipse perfecta iam omni creatura addidit, *& erant valdè bona*. Porrò hæc triplex similitudo ædificij, exercitus, & carminis. pulchrè ad religiosos Ordines referri potest, qui aptè Ordines nominantur, diuino instinctu fundati, in quibus nihil reprehendi debet, quod minus rectè institutum cuipiam videatur, non attendenti omnia.

In hac Vniuersitate nihil est, quod reprehēdas.

Mundus vt ædificiū, vel exercitus benè ordinatus.

Vniuersitas carmini cōparata.

Instituta Religiosorū non dijudicāda a Secularib.

5 De æqualitate sic pulchrè. *Quæ pulchra numero placēt, in ijs æqualitas appetitur. nec tantum in ea pulchritudine, quæ ad aures pertinet, atque in natura corporum est, inuenitur, sed in ipsis etiam inuisibilibus formis, in quibus iam vsitatis dicitur pulchritudo. an aliud quàm æqualitatem numerosam esse arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent? quæ autem singula sunt, medium locum tenent, vt ad eandem vtramque partem paria interualla seruentur. quid aliud in luce, & coloribus, nisi quod nostris oculis congruit, appetimus? etenim à nimio fulgore auersamur, & nimis obscura nolumus cernere; sicut à nimiùm insonis, et sonantibus abhorremus.* idem in alijs sensibus. *nihil enim est horùm sēsibilium, quod nobis non æqualitate, aut similitudine placeat. vbi autem æqualitas, et similitudo, ibi numerositas; nihil est quippe tam æquale, aut simile, quàm vnum, et unum.* Acutè, & elegāter de æqualitate, quod & ad religiosos mysticè referri potest; cum inter se conueniunt similitudine morum &c. nihil gratius eo quasi numeroso concentu.

Aequalitas in pulchris appetitur.

6 Hoc contra superbiam item acutè dicitur, & pulchrè. *Non potuit melius demonstrari quid sit superbia, quàm in eo quod dictū est, quid superbis terra et cinis? quoniam in uita sua proiecit intima sua. Cum enim anima per se ipsam nihil sit, quicquid autem illi esse est, à Deo sit, in ordine suo manens, ipsius Dei præsentia uegetatur in mente, atque conscientia; itaque hoc bonum habet intimum. quandò uerò superbia intumescit, hoc illi est in extima progredi, et ut ita dicam, inanescere, quod est minus, minusque esse. progredi autem in extima quid est aliud quàm intima proijcere? idest longè à se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu.* Vide quantum stultitiæ: superbus dum putat se magnum aliquid esse, tunc quodammodo, *inanescit, ac minus minusque est*: nam cum à Deo sit quod est, dum Deum intimè in se habet per cordis affectum, habet suum perfectum esse: cū autē eundem affectum ad externa deuoluit, volēs ab hominibus honorari, Deum à se dimittit

Eccli. 10

Sup̄biæ tumor inanitas est.

tit, ac tunc inanescat necesse est, atq; in nihilum quodammodò redigatur. subiungit: *Honores, laudesque appetēdo, animæ auertuntur à perspectione puræ illius, & sinceræ veritatis; solùm enim honorat Deus animam beatam, faciens in occulto coram se iustè, & piè viuentem.* Pulchrè dictum de animæ vnione cum Deo.

7 Cùm dixisset in hoc dialogo discipulus, difficile seruatu esse illud præceptum de diligendo Deo ex toto corde; respondet egregiè Magister. *Quid enim facile est? an amare colores, & voces, & placentas, & rosas, & corpora leniter mollia? haccine amare facile est animæ? in quibus nihil nisi æqualitatem, ac similitudinem appetit; & paulò diligentiùs considerans, vix eius extremam vmbram, vestigiumque cognoscit; Deum verò amare difficile est, quem in quantum potest adhuc sordida, & suauia cogitans, nihil in eo inæquale, nihil sui dissimile, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur? an extruere moles ædificiorum, & huiuscemodi operibus delectat extendi, in quibus quid nisi numeri placent? quod si ita est, cur ab illa verissima æqualitatis arte ad ista delebitur, & terrenas machinas erigit?* Pulchrè admodum ostēdit, non esse difficile animæ amare Deū; nam si ad amandum mouetur æqualitate quasi numerica, hoc est pulchritudine, proportione, &c. cur in aliis sensibus amat, quæ hanc imperfectè habent, non amabit in Deo, vbi perfectissima est? & eleganter ait, cùm terrena sectamur, quasi ex ruinis nostris conamur ædificare; nam quod in nobis pulcherrimū ædificium est, destruimus. *Cur ex illa verissima æqualitatis arce ista delebimur. & ruinis nostris terrenas machinas erigimus?* Nec tamen cùm tanto labore assequemur quod volumus. *Laboriosior est huius mundi amor; quod enim in illo anima quærit, constantiam scilicet, æternitatemque non inuenit.*

Deum amare facillimum est.

8 Perfectum virum sic egregiè describit, & Magistrum alloquentem facit. *Sed qualis tibi homo videtur, qui omnes illos numeros, qui sunt de corpore, & aduersus passiones corporis, & qui ex his memoria continentur, &c. non ad superbam excellentiam suam, sed ad animarum redigit, & omnes eas actiones ad salutem proximi reuocet, quem propter communis naturæ vinculum tanquam se ipsum diligere iussus est?* tum sic discipulus. *Magnum quendam virum, & uerè humanissimum prædicas.* Rectè magnum virum dicit, qui ad animarum salutem incūbit, quem & magno animo esse oportet, vt sunt Apostolici viri, barbaras, & efferatas nationes adeuntes, Oceano transmisso, & mille periculis superiores. Addit Magister de hac vtraque dilectione Dei, & proximi. *Tenet ordinem anima se ipsa tota diligens quod supra se est, idest Deum; socias autem animas tanquam se ipsam: à dilectione autem proximi tanta, quanta percipitur, certissimus gradus fit nobis, ut inhæreamus Deo.*

Perfectio in quo consistit.

Magni viri est saluti animarum studere.

9 Præclarum illud monitum est. *Neque in voluptate carnali, neque in honoribus, & laudibus hominum; neque in eorum exploratione, quæ forinsecus corpus attingunt, nostra gaudia collocemus, habentes intimum Deum; vbi certum est, & incommutabile omne quod amamus. ita fit, vt & cùm adsunt hæc temporalia, non tamen eis implicemur; & sine sensu doloris, quæ extra corpus sunt, absint. ipsum autem corpus aut nullo, aut non graui sensu doloris adimatur, & reformandum naturæ suæ morte reddatur. attentio namque animæ ad corporis partem inquieta negotia contrahit, &c.* Rectè monet, animam peruersè agere, cùm Deum, quem habet intra se immutabile bonum, nō diligens, forinsecus fertur per affectum ad res mutabiles, & fluxas. vnde nonnisi inquietudinem reportat.

Nusquā, nisi in Deo q̄es

10 De quatuor virtutibus Cardinalibus sic egregiè. ac primùm de Temperantia. *Hæc actio, qua sese anima, opitulante Deo, ac Domino suo, ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans, atque interficiens aduersus se militantem consuetudinem suam, ea victoria triumphatura in semetipsa de potestatibus aeris huius, quibus inuidentibus, & præpedire cupientibus, euolat ad suam stabilitatem, & firmamentum Deum, nōne tibi videtur esse virtus, quæ superantia dicitur?* Eleganter admodum describit triumphum Temperantiæ, & victoriam tum de passionibus animi, seu malis habitibus, quos pulchrè vocat. *aduersus se militantem consuetudinem suam*; tum de exercitu Dæmonum, qui licèt aerem obsideant, vt animas capiant post hanc vitam; tamen impedire non possunt, nè euolent in Cœlum, si temperantes fuerint. Hunc triumphum castitatis, ac Temperantiæ in primis egerunt Dominicus, Thomas Aquinas, Francisci duo, quibus adde Xauerium, & alios. Tum de reliquis sic. *Quid porrò cùm in hoc itinere proficit, iam æterna gaudia pertinentem, ac penè prehendentem, num amissio rerum temporalium, aut mors vlla deterret iam valentem dicere, Bonum est mihi dissolui, & esse cū Christo? ista, inquit, affectio, qua nullas aduersitates, mortemque formidat, quid aliud, quàm fortitudo dicenda est? Iam verò ipsa eius ordinatio, quæ nulli seruit, nisi vni Deo, nulli coæquari, nisi purissimis animis, nulli dominari, nisi naturæ bestiali, atque corporeæ, quæ tādem virtus tibi esse videtur, nisi iustitia? Prudentia verò, qua intelligit anima, vbi cōsistendum sit, quò sese attollit per Temperantiam; idest cōuersionem amoris in Deum. quæ charitas dicitur, & auersionem ab hoc seculo, quam etiam Fortitudo, & Iustitia comitantur.* Nota ad Iustitiam refert inter cetera, *vt anima nulli coæquetur, nisi purissimis mentibus*, idest, Ange-

Virtutes quatuor Cardinales.

Temperantiæ triūphus

Angelis. iniuriā igitur sibi facit, qui bestiales appetitus sequens non modò non Angelis æquatur, sed infra homines, bestijs. rectè denique ait, prudentis esse videre vbi consistendum sit, ideſt in Deo immutabili, non in caducis.

11 Deum principium rerum omnium sic demonstrat. *Quisquis fatetur nullam esse naturam, quæ non, vt sit quicquid est, appetat vnitatem, suique similis in quantum potest esse conetur, atque ordinem proprium, vel locis, vel temporibus, vel incorporeo quodam libramento salutem suam teneat, debet fateri ab vno principio per æqualem illinc similem speciem diuitiis bonitatis eius, qua inter se vnū, & ideò charissima, vt ita dicā, charitate iunguntur, omnia facta esse atque condita quæcumq; sunt in quātumcūq; sunt. quare ille versus: Deus creator omnium, non solùm auribus sono numeroso, sed multò magis est animæ sententiæ sanitate, & veritate gratissimus.* acutè colligit, vniuersitatem rerum ab vno principio ideſt Deo existere, quod variis exemplis in elementis, & stirpibus &c. demonstrat, vbi numerosa sunt omnia. quamobrē concludit: *Vnde, quæso, ista nisi ab illo summo, atque æterno principatu numerorum, & similitudinis, & æqualitatis, & ordinis veniunt?* nota etiam quod de carmine illo ait. *Deus creator omnium.* idem ad cetera refer, vt carmen non modò canorem metri, ac numeri habeat auribus blandientem, sed pietatem contineat animis legentium siue audientium salutarem.

Vniuersitas ab vno principio Deo.

Ex libro I. Contra Academicos.

1 Ostendit aduersitatis bonum, qua vexatus Romanianus ad bonam frugem sit reuocatus. *O vtinam, Romaniane, hominem sibi aptum ita vicissim virtus fortunæ repugnanti possit auferre, vt ab ea sibi auferri neminem patitur; iam tibi profectò iniecisset manus, suique iuris te esse proclamans, & in bonorum fortissimorum possessionem traducens, ne prosperis quidem casibus seruire permitteret, sed quoniam ita comparatū est, vt diuinum animum mortalibus inhærentem nequaquam sapientiæ portus accipiat, vbi neque aduersante naturæ flatu, neque secundante mouetur, nisi eò illum fortuna ipsa, vel secunda vel quasi aduersa perducat, nihil pro te aliud quàm uota restant quibus ab illo, cui hæc curæ sunt, Deo, si possumus impetremus, ut te tibi reddat. Ita enim facile reddet & nobis; sinatque mentem illam tuam, quæ respirationem iamdiu parturit, aliquando in auras ueræ libertatis emergere.* Eleganter admodum inducit Virtutem, quæ agnoscens in Romaniano præclaram indolem, vellet eum eripere, & extorquere de fortunę manibus, ac de seculi istius potestate, ac ditione, proclamans esse suum, & ad se pertinere, sed ipsam fortunam, & seculi licentiam eum arctè diu tenuisse ait, ne elaberetur è manibus. hoc aliquo modo ad ipsum Augustinum pertinet, aliquando, & mundi licentiam, & Manichæos secutum. referri etiam potest ad Ignatiū nostrū, dū militem ageret, vt ad maiora se prælia accingat. ceterùm in libris retractationū ait sibi displicere quod nomen fortunæ vsurparit, licet non intelligeret numē aliquod, Deamue putaret.

Aduersitas ad bonam frugem reuocat.

2 Pergit ostendere bonum ex aduersitate. *Cùm tibi animo tuo indigna accidunt, nè te ipse contemnas. nam si diuina prouidentia pertenditur vsque ad nos, quod minimè dubitandum est, mihi crede, sic tecum agi oportet, vt agitur; cùm tanta, quantam sæpe admiror in indole tua, ab ineunte adolescentia, adhuc infirma ratione, atque lapsante vestigio humanam vitam errorum omnium plenissimā ingredereris, excepit te circūfluentia diuitiarū, quæ illam ætatem, quæ pulchra, & honesta videbantur, auidè sequentem illecebrosis cœperat absorbere gurgitibus, nisi te fortunæ illi flatus, qui putantur aduersi, eripuissent penè mergentem*: rectè ait, *quæ putantur aduersa*, nam re vera calamitates aduersæ non sunt, cùm potiùs adiuuent ad virtutem. Et ideò rectè diuinæ prouidentię tribuit, vt quosdam magnæ indolis, quos prosperitas præcipites ageret, aduersitate quasi fræno inhibeat. id à cōtrario ostendit. *An verò si te edentem munera vrsorum, & antea inuisa spectacula, theatricus plausus semper prosperrimus accepisset; si stultorum hominum, quorum immensa multitudo est, conflatis, & consentientibus vocibus ferreris ad Cœlum; si nemo tibi auderet esse iniurius; si conuiuijs quotidianis mensæ optimè struerentur; si viueres in nitore baluearum, in tesseris, in venatibus, &c. quisquam tibi alterius vitæ, quæ solùm beata est, mentionem facere auderet?* Egregiè ostendit, eum, qui in magna prosperitate est huius vitę, aures surdas habere ad ea, quæ dicuntur de futura.

Bona indoles in adolescente laudatur

Prosperitas & deliciæ impedimento virtuti sunt.

3 Pulchram adhibet parænesim excitans idoneam indolem ad virtutem. *Illud ergo, illud tuum, quo semper decora, & honesta desiderasti, quo nunquam concupiuisti potentior esse, quàm iustior, &c. illud ipsum, inquam, diuinum, quod in te nescio quo vitæ huius sōno, veternoque sopitum est, varijs illis, durisque iactationibus secreta prouidentia excitare decreuit. euigila, euigila, oro te; multùm, mihi crede, gratulaberis, quod penè nullis prosperitatibus, quibus tenentur incauti, Mundi huius tibi dona blandita sint. quæ me ipsum captare moliebantur quotidie ista cātantē, nisi me pectoris dolor, uentosam professionem abijcere, et in philosophiæ gremium confugere coegisset.* Vides diuinæ prouidentiæ tribui debere aduersitates ipsas, quippe per has excitat ad humana despicienda. id in se ipso ostendit Augustinus, nam cum Rhetoricæ se dedisset, quam egregiè vocat, *ventosam*

Bona indoles ad virtutem traducēda.

professionem; quippè tota plausibus, & ostētationi dedita est, pectoris dolore oborto, eum inanem laborem relinquere coactus est, cùm & declamando minus idoneus iam esse posset, & laboriosissimo studio fucatè scribendi vacare non posset, ita se ad diuina transtulit, in quibus rerum magis, quàm verborum habetur cura: videat igitur Concionator, nè & de ipso dicatur: *Ephraim pascit ventum.* Osee 2

Ex Libro II. Academicarum Quæstionum.

1 Contra prauas Academicorū sentētias, & strenua volūtate, & diuino auxilio opus esse Romaniano demonstrat. Quoniam, inquit, vera scientia, vel stupore hominum, vel socordia, vel falsa opinione quasi hebetatur, difficilis est inuentu. *Eo fit, vt Academicorum arma, quādo cum eis ad manus venere, nec mediocribus viris, sed acutis, & benè eruditis inuicta, & quasi Vulcania videantur. quamobrem contra illos fluctus, procellasque fortunæ cùm obnitendum remis qualiumcumque virtutum, tùm in primis diuinum auxilium omni deuotione, atque pietate implorandum est, vt intentio constantissima bonorum studiorum, teneat cursum suum, à quo eum nullus casus excutiat, quò minus illā philosophiæ tutissimus, iucundissimusq; portus excipiat. hinc si modò dignus sum, qui impetrem; quotidianis uotis auras tibi prosperas orare non cesso. oro autem ipsam summi Dei uirtutem, ac sapientiam.* Nota zelum Augustini, vt vir tam egregiæ indolis resipisceret, quod non minus oratione, quàm verbis agebat. pulchrè autē ad salutis portum remis, velisque, vt est in prouerbio, contendendum dicit. remis, quod laboriosum est, hoc est adhibita omni nostra opera, & prompta voluntate. velis, hoc est diuino afflatu auxilij, & gratiæ, cui cooperari oportet. rectè autem difficultatem ostēdit in mundi, vel hæresum dogmatibus cōfutandis, quæ siue ob nostram negligentiā, siue ob opinionum fallaciam videntur tāquam *arma Vulcania*, hoc est potentissima, & sanè tanquam à Cyclopibus fabricata, qui altero oculo priuati fingebatur, cuiusmodi hæretici sunt sine fidei oculo.

Conuersio aliorum oratione nostra non minus quā hortatione eget.

2 Eundem Romanianum præclaræ indolis admonet, & ad studium virtutis accēdit. *Illa tua naturalis altitudo, quam semper admiror, prò nefas, rerum domesticarum nubibus, quasi fulmen inuoluitur, & multos latet. me autem, & familiarissimos tuos latere non potest, qui sæpè non solùm attentiùs audiuimus murmura tua, sed etiam nonnulla fulgura fulminibus propiora cōspeximus. quis enim, vt cętera taceam, tam subitò vnquā tantum innotuit, tantumq; lumine mētis emicuit, vt sub vno fremitu rationis, & quodam coruscamine temperātiæ; vno die illa pridie sæuissima penitùs libido moreretur? ergo nō erūpet aliquando ista virtus, & locuta in terris quasi quædam futurorū signa, rursus proiecto totius corporis onere recurret in Cœlum?* Eleganter omninò, ac pulchrè indoles Romaniani bene natura constituti describitur sub metaphora coruscationis, ac fulguris rationis, ac virtutis, quo mota mens resipuerit. referri hoc poterit ad quosdā magnę indolis viros, qui cùm se collegerunt à deuio vitę prioris statu, præclara moliti sūt, vt Augustinus ipse, & Ignatius noster, & Camillus, qui cū saniori mente valuisset, præclarum Ordinem instituit ad ægrorum curam.

Magna indoles si ad bonum cōuertatur pręclara operatur

3 Quātum ipse ad bene viuēdū inflāmatus sit ex Pauli Apostoli lectione, eleganter, ac venustè narrat. *Nondùm aderat ea flamma, quæ summa nos arreptura erat: cum ecce tibi libri quidam pleni, vt ait Celsinus, bonas res Arabicas vbi exhalarūt in nos, vbi illæ flammulæ instillarunt pretiosissimi vnguenti guttas paucissimas, incredibile incendiū concitarūt. quę me tunc honos? quæ hominū pōpa? quæ inanis famæ cupiditas cōmouebat? respexi tamen, cōfiteor, ad eā Religionē, quæ pueris in nobis insita erat; ipsa me ad se nescientē rapiebat itaq; titubans, properans, hæsitans, arripio Apostolū Paulū; perlegi totū: tū verò tāta se mihi philosophiæ facies aperuit, vt si tibi aduersario tuo eā demōstrare potuissē, næ ille et Baias, et amœna pomaria, & delicata, nitidaque conuiuia, & domesticos histriones abiiciens, & relinquens, ad huius pulchritudinem blandus amator, & sanctus, mirans, anhelans, æstuans aduolaret.* pulchrè lectionē sacrā, pſertim Pauli, mercibus *Arabicis*, pretiosissimoq; vnguento, & *Baianis*, hortensibusque deliciis præfert, & quantū valeat ad inflāmandū animū, demonstrat.

Pauli epistolæ Arabicis mercib. & Baianis delicijs præferuntur

4 Ostendit in magnæ indolis hominibus, etiā antequā resipiscāt, solere existere quædam adumbrata signa virtutum. *Habet ille, quod confitēdū est, quoddā decus animi, vel potius decoris, quasi seminariū, quod erūpere in uerā pulchritudinē nitēs, tortuosè, ac deformiter inter scabra uitiorū, & inter opinionū fallaciū dumeta frondescit. inde est illa hospitalitas &c.* Id certè, vt diximus in Augustino ipso fuit, & in nostro Ignatio: hinc enim illa vltio, quā adhuc rudis repetebat de aduersario Deiparæ, virginitatem impugnante.

In magna indole adūbratio aliqua virtutis apparet.

5 Pulchrè, eleganterq; describit amores duos, pulchritudinis, & sapientiæ, & discrimina ponit. *Philocalia, & philosophia; idest amor pulchritudinis, & amor sapiētiæ, germanæ sunt prorsus, sed illa uisco libidinis detracta cœlo suo, & inclusa in cauea populari, uiciniā tamen nominis tenuit ad commonendū aucupem, ne se contemnat; hanc igitur sine pennis, sordidatam, & egentē uolitans liberè soror sæpe agnoscit, sed rarò liberat.* Has esse germanas, & distinctas inter se negat in libris Retractationū. certè fabulosum non est, quod mysticè dicitur de visco libidinis, de eius sordibus, & egestate, sine pennis &c. elegans autem est illud de commonito aucupe.

Philocalia, et philosophia germanæ sorores.

Ex

Ex libro I. Academicarum quæstionum.

1 VEritatem non nisi recto syllogismo comprehendi dicit. *Veritatis Proteus in carminibus ostentat, sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus, comprehensionis modos, vel laxauerit, vel dimiserit.* Pulchrè de veritate per Proteum, significata, varias imagines, & figuras effingēte, vt trahat imperitos. industria igitur, & cautione opus est multa in indagando vero antiquissimum Proteum facit Orpheus, & claues habere dicit profundi maris, quia veritas secretorum intelligentiam habet.

Veritas quasi Proteus quā fallat incautos.

2 Illud ad Neapolitanæ Ciuitatis gloriam plurimùm facit, quod cum incidisset quæstio de errore, & de probabili, ait. *Negabis profectò. quid si tam clarum est vt frustra inficiere? persuadebis nimirum tanquam in Cumano, atque adeò Neapolitano gymnasio, nihil eum peccasse &c.* Gratulor patriæ, quòd vel ætate Augustini tanta sapientiæ laude floreret, vt in prouerbium abierit hoc de Neapolitano gymnasio. ad de pietatis studium eximium.

Neapolitanum gymnasiū quā celebre.

Ex libro de Ordine.

1 VIrtutū studiū traducere cœperit humanas disciplinas, non ita vt anteà arridere ostēdit, minusq; iucūdas ei præ illo uideri: *Pigrior sū ad illa metra subito effectus. alia longè nescio quid mihi nunc luce resplenduit pulcrior. est philosophia. fateor, quàm Thysbe, quàm Pyramus, quàm illa Venus, & Cupido, talesque omnimodi amores*, de Licentio quodam loquitur poeticæ apprimè dedito, qui posteà cœlestis Philosophiæ studium arripuit. vide igitur vt omnis humana sapientia minor sit, & hebescat ad splendorem cœlestis.

2 Licentii dictum laudat de Deo ubique orando. *Audio Licentium succinentem illud propheticum; Deus virtutū cōuerte nos, & ostende faciem tuam, quod cum ad requisita naturæ foras exisset. paulò clarius cecinit, quàm vt mater nostra ferre posset, quod illo loco talia repetita canerentur: obiurgauit eum religiosissima fœmina, quod inconueniens locus cantico esset; tum ille: quasi verò si quis me hic inimicus includeret, nō erat exauditurus vocē meā. ego Adolescentis dexterā apprehendens, mihi, inquā, neq; hoc displicet. & ad illū ordinē puto pertinere. vt etiā hinc aliquid disceremus; nā illi cātico, & locū ipsum, quo illa offensa est, & noctē cōgruere video; à quibus enī rebus putas nos orare, vt cōuertamur ad Deū, eiusq. faciē uideamus, nisi à quodā cœno corporis, atq: sordibus, & itē à tenebris, quibus nos error inuoluit?* Acutè dictū, & Dei præsētia ubiq: ante oculos habenda; & uide ut ex quaq; re utilitas percipi possit.

Dei præsentia vbique habēda.

2 Ordinem sic definit. *Ordo est, per quē aguntur omnia, quæ Deus constituit.* Hinc collige, inordinatum animum dici, vbi Dei voluntas non agitur, ac proinde quædam Inferorum perturbata similitudo est.

Ordo quid sit.

3 Quæ Philosophia vel amanda, vel vitanda sit, docet. *Et fœminæ sunt apud Veteres philosophatæ, & philosophia tua mihi plurimùm placet. diuinæ Scripturæ non omninò Philosophos, sed Philosophos huius mūdi euitandos atque irridendos esse præcipiunt: nam quisquis omnem Philosophiam fugiendā putat, nihil nos vult aliud, quàm non amare sapientiam.* De matre loquitur, apud quam hanc disputationem de Ordine, ac prouidentia habere voluit. Teresia certè virgo sapientissima sapientiùs philosophata est, quam vel Aspasia, vel alia Veterum.

Studium sapientiæ ex se optimū est.

S. Teresia laudatur

4 Agnoscit in omnibus Dei prouidentiam, & sapientiam singularem, etiam in ijs, quæ videntur imperitis incongrua; ac pulchris similitudinibus rem illustrat. *Omnis vita stultorum quāuis per eos ipsos minimè constans, minimèque ordinata sit, per diuinam tamen prouidentiam necessariò rerum ordine includitur, & quasi quibusdam locis illa ineffabilis, & sempiterna lege dispositis, nullo modo esse sinitur, vbi esse nō debet. Quid carnifice tetrius? at inter ipsas leges locum necessarium tenet. quid sordidius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus? aufer meretrices, turbaueris omnia libidinibus. solœcismos, & barbarismos Poetæ adamauerūt, quæ schemata, & metaplasmos mutatis appellare nominibus, quàm manifesta vitia fugere maluerunt; detrahe ista carminibus, suauissima condimenta desiderabimus. congere multa in vnum locum, totum acre, putidum, rancidum, fastidibo; ordo igitur ea gubernans, & moderans, nec apud se nimia, nec vbilibet aliena esse patietur.* Elegāter sanè de diuina prouidētia, nam & alibi Mundum hunc modulato carmini comparat. & vbi dicitur, *Dei factura sumus*, græcè est, *eius poema sumus.* Igitur ad figuram, & pulchritudinem pertinent etiam quædam, quæ primo aspectu videntur incongrua.

Dei prouidentia ad ordinē Vniuersi dirigit etiā mala.

Ordo Vniuersi istar carminis cōpositè aptus.

Ex Libro de beata vitā.

1 DIuersa vitæ curricula tripartitò distinguit. *Hominum, quos Philosophia potest accipere, tria quasi nauigantium genera videre videor. vnum eorum, quos vbi ætas compos rationis assumpserit, paruo impetu, pulsuque remorum de proximo fugiunt, sesque recondunt in illa tranquillitate, vnde cæteris lucidissimum signum sui alicuius operis erigunt; alterum eorum, qui fallacissima facie maris decepti elegerunt in medium progredi, longèque à sua patria peregrinari audent, & sæpè eius obliuiscūtur; tertiū genus medium eorum, qui vel in ipso adole-*

Hominū vitę nauigatio triplicis generis.

scentiæ limine, vel iandiù multumque iactati, tamen quædam signa respiciunt, & suæ dulcissimæ patriæ, quamuis in ipsis fluctibus, recordantur; & aut nihil morati eam repetūt; vel bonæ nauigationis tempora differentes errant diutius; quos item sæpè nonnulla calamitas quasi aduersa fortuna in optatissimam vitam, quietamque compellit. his autem omnibus vnus immanissimus mons ante ipsum portum constitutus cautissimè vitandus est; nam ita fulget, ità mentiente illa luce vestitur, vt pro ipsa beata terra satisfacturum polliceatur: quem alium montem vult intelligi ratio, nisi superbum studium inanissimæ gloriæ? Nota hac tria genera quasi nauigantium inter vitę fluctus: ad primū refero Thomā Aquinatem, nec nō Aloysium nostrū, & his similes, de quibus pulchrè dicas, ac verè: *Vbi ætas cōpos rationis eos assūpsit, paruo impetu, pulsuque remorum de proximo fugerūt; & in illa sese trāquillitate recondiderūt, unde ceteris lucidissimum signum præclari operis erexerunt.* ad factorum scilicet imitationē: alterum genus ad mundanos pertinet, *qui fallacissima facie maris decepti longè abeunt, ac patriæ penè obliuiscuntur.* tertium pertinet ad eos, qui à vitæ licentia tandem resipuerunt; huiusmodi fuerunt Augustinus ipse, & de quo sæpè meminisse iuuat, Ignatius noster, quem accepto belli vulnere, *calamitas quasi aduersa fortuna in optatissimā uitā, pietatemque cōpulit.* atque hic quidē maximè in nauigatione vitæ inanis gloriæ scopulū, siuè montem cautissimè vitauit, & vitandum docuit, ambitione prorsus ablegata eminētis instar mōtis, ac rupis; & maiore sēper Dei gloria ante oculos cōstituta.

Adolescentia integre traducta laudatur

Triplex genus nauigantiū in huius seculi mari.

Inanis gloriæ scopulus exitialis.

S. Thomas Aquinas laudatur

S Ignatii conuersio ex uulnere.

2 *Ostendit quanti emolumenti sit lectio librorum, qui de virtute agunt, etiam si Ethnicorum sint. tum quanti detrimenti sit incidere in peruersi dogmatis magistros. Ego ab usque undeuigesimo anno ætatis meæ, postquàm in schola Rhetorum librum illum Ciceronis, qui Hortensius uocatur, accepi; tanto amore philosophiæ succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer. Sed neque mihi nebulæ defuerunt, & diù, fateor, quibus in errorem ducebar, labentia in Oceanum astra suspexi. incidi in homines, quibus lux ista, quæ oculis cernitur, inter summa, & diuina colenda uideretur.* Manichæi Solem Deum putabant, quos aliquando secutus est. huc etiam pertinet quod addit. *lectis Platonicis libris sic exarsi, ut omnes illas uellem anchoras rumpere, nisi me nonnullorum hominum existimatio commoueret.* Nota quàm perniciosus sit humanus, qui dicitur, respectus. ad hæc: *Vxoris, honorisque illecebra detinebat.* vide quanto impedimēto sint ad virtutem, tū incōtinentia, tū ābitio.

Lectionis fructus.

Ciceronis, & Platonis lectione adiutus Augustinus.

Humanus respectus, & concupiscētia impedimento sunt ad virtutem

3 De posthabito Rhetoricę studio sic. *Tantus me arripuit pectoris dolor, ut Rhetoricæ professionis onus sustinere non ualens, qua mihi uelificabam fortasse ad Sirenas, abijcerem omnia, & optatæ tranquillitati uel quassatam nauem, fessamque perducerem.* Ita ait tempestatem ipsam, idest morbum fuisse causam, vt se philosophiæ portu conderet. quod autem ait, *Rhetores uelificare ad Sirenas,* ostendit periculum eius artis ob illecebras dicendi; sicut & Vlysses, & socii periclitati dicuntur apud Sirenas. mirum autem quod pectore dolens, tam multa infatigabiliter scripserit.

Augustinus pectoris dolore laborans.

Rhetorū velificatio ad Sirenas.

4 Pulchro dialogo ostendit, quis nam dicendus sit possidere Deum. *Deus æternus est, semper manens: Deum igitur qui habet, beatus est. quęrendū quis homo habeat Deum? hic Licētius; Deum, inquit, habet, qui bene uiuit. Trigesius; Deum habet, qui facit, quæ Deus uult fieri; puer autem ille minimus omnium; is habet Deum, ait, qui spiritum immundū non habet; mater verò omnia, sed hoc maximè approbauit.* puer hic filius Adeodatus erat, ingenio admirabili, de quo nihil aliud se habere aiebat Augustinus in libro confessionum, præter peccatum. ait deinde Augustinus, eodem hæc tria recidere: *si pro spiritu immundo vitiorum sordes, & errorum intelligas, quibus inquinatur anima.*

Quisnā possideat Deum quæstio.

5 Narrat quid egerit die suo natali. *Idibus Nouembris mihi natalis dies erat. post tam tenue prandium, vt ab eo nihil ingeniorū impediretur, omnes in balneas ad considendum vocaui, nam is tempori aptus locus, secretusq; occurrerat. erant autem inprimis, nostra mater, cuius meriti credo esse omne quod viuo, Nauigius frater meus &c.* Primò est animaduersione dignus dies, qui natalis fuit Augustini, XIII. Nouēbris, quo die Pythegia, apud veteres celebrari solebāt, festū, quo noua vina libabāt, ac proinde bacchari soliti; at Augustinus tenue prandiū sibi fuisse ait; & pro sumptuosis conuiuiis disputationi potius eum diem dedit; nam vt ipse alibi dicit, *Non minores sunt deliciæ mentis, quā vētris.* Eo igitur die natus Augustinus, quo Pythegia, idest noui vini libatio fiebat. sanè ille è sacræ scripturæ quasi vinaria cella, sic enim Patres appellant, deprompsit nobis suauitatem cœlestis doctrinæ, atq; in libris ipsis suis propinat nobis diuinę sapiētiæ nectar. deniq; vide quātū matri tribuat cuius merita plurimū cōmēdat; quā etiā in consultationē uocauit hic, cū de Vniuersitatis pulchritudine, atque ordine ageret: ut mirū nō sit, quod Ecclesia canit, ad Deiparā accomodās, per prædestinationem quodammodo adhibitā in ordine, & dispositione Vniuersi. *Cum eo eram cūcta componens.*

Natalem diem suū quomodo celebrauerit Augusti nus.

6 *Beatā vitam sapiēti inprimis uideri non posse perfici rebus humanis, probat Sergii Oratæ exemplo. Vides fortunatissimum istum hominem à beata vita ingenij bonitate impeditum; quò enim erat acutior, eò vidēbat illa omnia se posse amittere; quo metu*

Quò quisque sapientior, eò minus fidit rebus humanis.

frangebatur, illudque vulgatum satis asserebat, *insipientem hominem malo suo esse cordatum*. Huic nihil defuit, neque ad voluptatem, neque ad gratiam, neque ad integram valetudinem; ingenio etiam acuto fuit, quod tamen quò perspicacius erat, eò magis timebat aduersa: non igitur per ista beatus.

Quò q. sq. sapientior eò minus fidit reb. humanis

Ex Libro Soliloquiorum.

1 DEum piè inuocat, & pulchrè vocat titulis varijs, & attributis. *Deus, per quem omnia, quæ per se non essent, tendunt esse. Deus à quo auerti, cadere; in quem conuerti, resurgere, in quo manere, consistere est. Deus, à quo exire, emori; in quem redire, reuiuiscere; in quo habitare, uiuere est.* Insignis est antithesis verborum.

Deû linquere, emori est: requirere, reuiuiscere est.

Elegans ad Deum precatio, in cuius arcem confugit. *Recipe, oro, fugitiuum tuum, Domine. iam iam satis inimicis tuis seruierim. accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia & isti, quando à te fugiebam, acceperunt alienum· quærenti te mihi nihil aliud pro te occurrat*. Acutè ait, si tam facilè Diabolus suum fecit me, in quem nullum ius habebat: multò magis tu Deus creator, qui in me ius habes dominij, recipies me.

2 Periculum societatis muliebris ostēdit. *Nihil esse sentio, quod magis ex arce deijciat animũ uirilē, quàm blādimēta fœminea*. Nota sufficere inermem, & imbellem fœminā, vt arcē rationis inuadat, nosque victos inde deturbet. quid hoc hoste infestiùs? cuius blādimēta sūt tela, & tormēta muralia. testis est Adam ex arce celsissima deiectus.

Mulierar cē rationis oppugnat.

Rationem pulchrè secum colloquentem inducit, & de gradibus perfectæ sapiētiæ disputantem. *Sunt nonnulli oculi tam sani, ac vegeti, qui se, mox vt aperti fuerint, in ipsum Solem sine vlla trepidatione cōuertant; alij verò ipso, quem videre desiderant, fulgore feriuntur, & eo non viso, sæpe in tenebris cum delectatione redeunt, quibus periculosum est velle ostendere, quæ videre non valent; isti exercendi sunt prius, & eorum amor vtiliter differendus, atque nutriendus est. Primò quædam illis demonstranda sunt, quæ non per se luceant, sed per lucem videri possint, vt vestis, vt paries; deinde quod non per se quidem sed tamen per illam lucem pulchrius effulgeat. vt aurum, argentum: tunc fortasse terrenus iste ignis demonstrandus est, deinde sidera. deinde Luna, deinde Auroræ fulgor, & albescentis Cœli nitor, in quibus assuescens, sine trepidatione, & cum magna voluptate Solem videbit.* Nota. ita Seneca Rationis, & sensus dialogum facit. elegans certè gradatio in sapiētię cognitione. Sic fecisse putādi sunt Gymnosophistæ, vt se ad Solem fixo obtutu videndum assuefacerent. referri hoc ad tirones in religione potest suo modo.

Gradus ad perfectæ sapiētiæ cognitionē

3 Quàm difficile sit, ostēdit, se ipsum cognoscere, nec nisi Ratione duce. *Solem nisi sanus uidere non potest; & in eo sæpe fallitur animus, ut sanum se putet, & sese iactet. nouit autem illa pulchritudo, quando se ostendat; ipsa enim etiam medici fungitur munere, meliusque intelligit, qui sint sani, quàm ydem ipsi, qui sanantur; nos autem quantum emerserimus, uidemur nobis uidere; quantum autem mersi eramus, nec cogitare, nec sentire permittitur, & in comparatione grauioris morbi sanos nos esse credimus.* Vide quàm nos fallat proprius amor: nec nos agnoscimus in profundo fuisse demersos elati superbia.

Amor proprius hebetat aciem mētis.

4 Rationis efficacibus argumētis cōuictus Augustinus cedit de imortalitate animi. *Immortalis est anima, crede ueritati. clamat, & in te se habitare, & immortalem esse, nec suam sedem quacumque corporis parte posse subduci. auertere ab umbra mea, reuertere in te: nullus est interitus tuus.* Quippe veritas immortalis, & certa in animo, velut in subiecto est, vt patet de geometria, &c. Pulchrè hortatur, ut ūbra relicta, veritatē teneat de īmortali ipsius animi natura fulgētē

Immortalitatem animæ ratio ipsa suadet.

Ex Libro de Magistro.

1 DE Oratione, quam mentalem vocamus, hæc habet. *Non ob aliud præcipitur, ut clausis cubiculis oremus, quo nomine significātur mētis penetralia, nisi quia Deus, ut quod cupimus præstet, commoneri, aut doceri nostra locutione nō quærit. qui enim loquitur, suæ uoluntatis signum foras dat per articulatum sonum, Deus autem in ipsis rationalis animæ secretis, qui homo interior uocatur, & quærendus, & deprecandus est: hæc enim sua templa esse uoluit. ita ait Apostolus. & Propheta ait: dicite in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini, sacrificate sacrificium iustitiæ. ubi putas sacrificium iustitiæ sacrificari, nisi in templo mētis. & in cubili cordis? ubi autem sacrificium, ibi & orādum: quare non opus est locutione, cùm oramus, idest sonātibus uerbis.* rectè ait, cùm voces, & verba ad indicandum alteri conceptum mentis instituta sint, Deum non egere his signis: itaque per se primò est mentalis oratio, qua *in templo mētis, & cubili cordis* oramus. vbi nota, mentem nostram instar templi augusti esse debere, vt nihil profanum intret. Tum affert rationem, cur etiam vocali oratione vtamur. *Nisi fortè, sicut Sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa, non ut Deus, sed ut homines audiant, & consensione quadam per commemorationē suspendatur in Deum.* Vides non modò exterius pronuncianda verba, sed animum suspendendum in Deum.

Oratio mentalis cōmendatur. 2. Cor. 6. Psal. 4.

Mens iusti templū Dei est.

Oratio vocalis quomodo facienda.

2 Ostendit, vnum, ac verum magistrum esse Christū. *Ille docet, qui in interiore homine habitat Christus idest incommutabilis Dei uirtus, atque sempiterna sapientia, quam quidē omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quantum capit: quapropter* bonam

Christi Lycēūho mo interior.

bonam vel malam volũtatem; etsi quando fallitur, non fit vitio consultæ veritatis. ut neque huius lucis vitium est, quod corporei oculi sæpè falluntur; quam lucem, de rebus visibilibus consulimus, vt eas nobis quantum cernere valeamus, ostendat. Vides scholam, ac Lycęum, vbi Christus suam philosophiam docet, esse interiorem hominem, idest, cor ipsum, & ex malæ voluntatis dispositione oriri, si quando fallamur.

3 Concludit de Christi magisterio: *Verè scriptum auctoritate diuina, ne nobis quenquam magistrum dicamus in terris, quòd vnus omnium magister in cœlis sit: quid sit autem in cœlis, ipse docebit, à quo etiam per homines signis admonemur, & foris, vt ad eum intrò conuersi erudiamur; quem diligere, ac nosse beata uita est, quam se omnes clamant quærere, pauci autem sunt, qui eam uerè inuenisse lætentur.* rectè Christum magistrum dicit, sed in cœlis, quòd cœlestia doceat, & beatam vitam, quam cùm in uoluntate, tum in intellectu constituere videtur, hoc est in amando, & noscendo Deo.

Christi magisteriũ quale

Ex Libro de Immortalitate Animæ.

1 DVodecim rationes affert, quibus videatur anima esse immortalis. primò ab adiacente immortali, hoc est disciplina. secundò quod sit subiectum adiacentis immutabilis. tertiò quòd viua substantia, & immutabilis animus; nec si quomodo mutabilis, propterea mortalis sit. quartò quia ars, & ratio numerorum immutabilis, quæ animo non sine vita inhæreat. quintò quia animus non mutatur, vt desinat esse animus. sextò quia ratio. quæ incommutabilis est, ab ipso animo separari nequit. septimò quia nec si per substantiã ad defectum tendit animus, ob id interit. octauò *quia quilibet animus cuilibet corpori præferendus est.* nonò quia animus uita est, & sic vita carere non potest. decimò quia animus nõ est tẽperatio corporis. vndecimò quia animus nec per falsitatẽ perit veritati contrariã, cum nemo fallatur nisi viuens; & si animi est causa veritas, *tunc est animus sapientissimus, cum veritatem, quæ semper eodem modo est, intuetur, eique immobilis inhæret diuino amore coniunctus.* duodecimò quia veritati, à qua est animus, quod est, quatenus ipsa est, nihil est contrarium. ex his duodecim rationibus quasi gemmis Immortalitatis corona contexitur

Duodeci rationes cur anima sit immortalis.

Tũc animus verè sapiat cum vnitur Deo.

Ex Libro de quantitate Animæ.

1 DOcet qua ratione anima dicatur augeri. *In animo quædam naturalia incrementa sunt, cum honestis, & ad bene, beatèque viuendum accomodatis disciplinis augeri dicitur &c.* Non enim si quidam tibicen, *vt Varro auctor est, ità populum delectauit, vt Rex fieret: ideò animum nostrum illo artificio augendum putare debemus.* Aduerte factum notabile de Rege electo, quòd in musica præstantissimus esset, quasi hoc etiam modo mulcere animos subditorum deberet, & suauiter cum iis agere, & suos affectus moderari: ità & Iosiam regem laudat Ecclesiast. *Quasi musica in conuiuio vini.*

Animus quomodo crescat.

Rex quidam factus ob musices peritiam

Eccl. 49

2 Septem gradus animæ eleganter, venustèque commemorat. *Primò anima corpus hoc terrenum, atque mortale præsentia sua viuificat, colligit in vnum, diffluere, & contabescere non sinit &c. sed hæc omnia homini etiam cum arbustis cõmunia, secundò vis eius. est in sensibus, atque motu; calida, & frigida discernit, differentias saporum, odorumque diiudicat &c. sed hæc præter animum, etiam in bestijs. ergo attollere in tertium gradum; & cogita memoriam non consuetudine inolitarum, sed animaduersione, atque signis commendatarum rerum innumerabilium; tot artes opificum, agrorum cultus, extructiones vrbium, tot gentium linguas, tot instituta, tantum librorum numerum &c. magna hæc, & omnia humana, sed copia communis bonis, ac malis suspice igitur atque insili quarto gradui, ex quo bonitas incipit, atque omnis vera laudatio. hinc enim anima se non solùm suo, si quam vniuersi partem agit, sed ipsi etiam vniuerso corpori audet præponere, bonaquè eius bona sua non putare, ac potentiæ, pulchritudiniquè suæ comparata, & inde quò magis se delectat, eò magis se abstrahere à sordibus, totamquè emaculare, ac mundissimam reddere, atque cõptissimam &c. in hoc tam præclaro actu animæ in est adhuc labor; & contra mundi huius aut molestias, aut blanditias magnus, acerrimusque conflictus; vehementer autem formidatur mors in hoc gradu; nam quò magis magisque sentit anima, eo ipso quod proficit, quantum intersit inter puram, & contaminatam, eò magis timet, ne deposito isto corpore minus eam Deus possit quàm seipsam ferre pollutam; sed à Deo se in opere tam difficili mundationis suæ adiuuandam, & perficiendam piissimè, tutissimèque committit; quod eum effectum fuerit, idest cum fuerit anima ab omni tabe libera, maculisque diluta, tum se denique in se ipsa lætissimè tenet, nec vlla sua causa quicquam angitur. est ergo iste quintus gradus. alia enim actio est, qua se inquinatam redintegrat. alia, qua non patitur se rursus inquinari. in hoc gradu omnifariam concipit qua nta sit; quod cùm conceperit, tunc verò ingen ti quadam, & incredibili fiducia pergit ad Deum, idest, ipsam contemplationem ueritatis. sextus erit iste gradus actionis; aliud enim est mundari oculum animæ, nè prauè uideat, aliud ipsam custodire, ac firmare sanitatem, aliud tam serenum, atque rectum aspe-*

Gradus animæ ad perfectionẽ

aspectum in id, quod uidendum est, dirigere. Iam uerò in ipsa uisione, & contemplatione ueritatis, qui septimus, atque ultimus animæ gradus est, neque iam gradus, sed quædam mansio, quò illis gradibus peruenitur, quæ sunt gaudia, quæ perfruitio ueri, ac summi boni, cuius serenitatis, atque æternitatis afflatus, quid ego dicam? tunc agnoscemus quàm saluberrimè apud matrem Ecclesiam nutriti fuerimus; quæ sit utilitas illius lactis. tanta autem in contemplanda uirtute uoluptas est, tanta puritas, sinceritas, & indubitata rerũ fides, ut neque quicquam præterea scisse se alquando aliquis putet, cùm sibi scire uidebatur; & quò minus impediatur anima toti inhærere ueritati, mors, quæ antea metuebatur, idest ab hoc corpore omnimoda fuga, & elapsio, pro summo munere desideretur. Nota quatuor vltimos gradus ex septem, qui tantùm ad animas virtute præditas spectant, quæ gradatio religiosis maximè, qui ad perfectionem se obligarunt, facienda est. Notabile in primis hoc vltimum, cùm diuinæ veritatis cognitio habetur, omnem aliã sapientiam, in qua tantum elaborauimus, inanem apparere. item ea comparari mortis contemptum.

Gradus religiosi ad perfectionẽ

Ex libro I. de libero Arbitrio.

Regnum mentis inexpugnabile nisi propria voluntate.

1 PVlchrè constituit quasi regnum mentis, cuius gubernacula sapiẽs teneat. *regnum mentis non nisi sapientium esse, percognitum est.* huc refer illud Diogenis, qui captiuus interrogatus quam artem calleret, respõdit, regnare scio, sed hic iactanter. Tum hoc regnum mentis nõn nisi liberæ voluntatis vi conuelli, ac destrui posse ostendit. *Quoniam regnanti menti quicquid par, aut prælatum est non eã facit seruam libidinis propter iustitiam; quicquid autem inferius est, non possit hoc facere propter infirmitatẽ; ergo nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, quàm propria voluntas, & liberum arbitrium.* acutè ostendit, non nisi per liberum arbitrium mentem ex libera fieri posse seruam, & ex regina captiuã. quid indignius quã vt libertas seruitutem inducat, & sceptrum auferat, & regnum? subiiciens scilicet mentem passionibus, & diabolo.

Regnum peccati tyrannicum, & crudele.

2 Quàm indignũ homine libero sit cupiditatibus subiacere, ostendit. *Nũ ista pœna parum aestimanda est; cum libido dominatur, cũ cupiditatis illud regnũ tyrannicè sæuit, ex variis contrariisquè tempestatibus totum hominis animum, vitamquè perturbat, hinc timore, inde &c? quem potest torquere inuidia, desidia sepelire, & quæcũque innumerabilia regnum illius libidinis exercent.* Nota quietum virtutis regnum, ac cupiditatis tyrannidem sæuam.

Ex libro II. de libero arbitrio.

Veritas deliciis ciborum et vnguẽtorũ præfertur.

1 VEram voluptatem ex veritate perceptã ceteris præstare dicit. *Clamãt se beatos, qui suauiter bibũt, qui floribus, & vnguentis perfruuntur, quid qui fruitur veritate? &c.* Addit; sicut qui Solis aspectu gaudent, gestiunt videre, quæ ab illo illustrantur; at si quis acriori est obtutu, relictis alijs ipsum Solem gestit intueri: ità mẽtis acies acutior ipsam veritatem. refer hoc ad S. Thomam, immò ad ipsum Augustinum. tum nota, quæ sint veræ deliciæ: veritas, nam in mundanis falsitas est.

Dei sapientiæ increatu ris impressu vestigium.

2 In nostra esse voluntate dicit non ammittere veram sapientiam. *Nemo securus est in iis bonis, quæ potest inuitus amittere. Sapiẽtiam Verbi, & veritatem nemo amittit inuitus; non enim separari locis ab ea quisquam potest, sed ea separatio peruersa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Solem istum si vellem, & possem pertinaciter intueri, & in occasu me desereret, & subuelaretur nubibus &c. postremò etiam si adesset semper suauitas lucis videnti, quid magnum ad me perueniret, cum mihi esset commune cum bestiis? at illa veritas, & sapientiæ pulchritudo, tantùm adsit perseuerans uoluntas fruendi, nec morte intercipitur, nec &c. quoquò tè verteris, vestigiis quibusdam, quæ operibus suis impressit, loquitur tibi, & se in exteriora relabentem ipsis exteriorum formis intrò reuocat; non migrat locis, sed, vt scriptum est, in viis ostendit se hilariter, & omni prudentia occurret illis. Væ qui derelinquunt te ducem, ò suauissima lux purgatæ mẽtis Sapientia, non enim cessas innuere nobis, quæ, & quanta sis, & nutus tui sunt omne creaturarum decus.* Nota vestigia diuinæ sapientiæ rebus impressa, & tacita eius monita. pulchrè Soli eã præfert nunquã nubibus subuelatam. & præclarè dictum. *Sapientiam Verbi nemo amittit inuitus.*

Sapientia Dei Soli præfertur.

Sap. 6.

In creaturis auctor agnoscẽdus.

3 Ex creaturis ad Creatoris cognitionem recurrendum ait. *Artifex quodammodo innuit spectatori operis sui de ipsa operis pulchritudine, ne ibi totus hæreat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculus, vt in eum, qui fabricauerit, recurrat affectu. similes quidã sunt hominibus, qui cum audiunt facundum aliquem sapientem, dum nimium suauitatem vocis eius, & structuras syllabarum aptè locatarum auidè audiunt, amittunt sententiarum principatum, cuius illa verba tanquam signa sonuerunt.* eleganter ait, Deum eloquentissimè nobiscum quodammodo colloqui rerum creatarum veluti vocum contextu; at nos neglecto sensu, & significatione, vocibus tantùm stultè inhæremus, vt syllabis.

4 *Sicut membra singula bona, & necessaria sunt, licet aliquis abutatur ad malum, ita & voluntati, bonum esse diuinitus datum*

dicit

Oculi quorundam milites libidinis.

dicit, licet malè vtaris. *Oculis hanc lucem videmus, formasquè internoscimus corporum, idque speciosissimum est in nostro corpore, vnde in fastigio quodam dignitatis hæc membra locata sunt, & ad salutem Mundi, multaquè alia vitæ commoda confert vsus oculorum; eos tamen plerique cogunt militare libidini.* Pulchrè ait, oculos impudicos veluti milites esse libidinis; qui in bellando gaudent de præda animorum. aspectus iacula sunt, quibus confodiunt quos amãt, nõ quos vt hostes odere.

Oculi in fastigio dignitatis positi

5 Vt recta velimus, ex Dei gratia esse ostendit. *Vides quantum boni desit in facie, si oculi desint? capilli etiam numerantur à Deo, quia & maxima, & minima, & bona ab illo sunt, qui est omne bonum.* Hinc colligit quantò magis voluntas bonum sit à Deo datum; magnis bonis nemo malè vtitur, vt sunt virtutes. species corporum minima bona sunt, potentiæ animi media bona: vtrisque non bene vti possumus.

Vel minima bona à Deo sũt.

6 *Quid* spectet cura sapientis, exponit. *Quid aliud agimus, cum studemus esse sapientes, nisi vt quanta possumus alacritate ad id, quod mente contingimus, totam animam nostrã quodammodo colligamus, & ponamus ibi, atque stabiliter infigamus, vt non iam priuato suo gaudeat, quod implicuit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus affectionibus apprehendat id, quod vnum, atque idem semper est; sicut enim tota vita corporis est anima, sic beata vita animæ Deus est,* vide ueræ sapientiæ studium quò tendat, scilicet ut æternum, & summum obtineat bonum. ac rectè uitam animæ Deũ dicit.

Veræ sapientiæ studium æternitati studet.

Ex libro III. de libero arbitrio.

1 Ostendit, quàm stultum sit dicere, per Dei præscientiam tolli liberum arbitrium, *Attende quanta cæcitate dicatur, si præsciuit Deus futuram voluntatem meam, quoniam non potest aliter fieri, quàm præsciuit, necesse est, vt velim quod ille præsciuit; si autem necesse est, non iam uoluntate, sed necessitate id me uelle fatendum est. ò stultitiam singularem, quomodo ergo non potest aliud fieri, quàm præsciuit Deus, si uoluntas non erit, quã uoluntatem futuram ille præscierit? omitto illud æquè monstrosum, eundem hominem sic dicere: necesse est, ut ita uelim, qui necessitate superposita auferre nititur uoluntatem & cet.* tum concludit. *uoluntas ergo erit, cuius uoluntatis Deus est præscius, atque adeò potestatis; non igitur per eius præscientiam potestas mihi adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia non fallitur, mihi adfuturam esse præsciuit.* Nota: Dei præscientia tantùm abest, vt tollat potestatem, vt potiùs ostendat adesse. addit, *Quòd si omnium hominum futuras præuidet volũtates, multò magis præuidet suam, idest, quid de iustis, impijsque facturus sit ipse.*

Dei præscientia infallibilis, nec tamen tollit libertatẽ.

2 Amorem in Deum ferri debere ostendit. *Qui amat esse, probat alia in quantum sunt, & amat, quod semper est; & si diffluebat in amore transeuntium, in permanentis amore solidatur.* Acutè dictum, si enim esse tam studiosè amamus, Deus, qui est verum esse, & perpetuum, impensè amandus.

Scopus amoris Deus est

3 Docet, non facere ad decorem Vniuersi peccata, sed esse animas liberas, vt possint & peccare, & non peccare: sicut si videmus iustum cremari, non vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis, & patientiæ documentum; at verò si latro cremetur, ordinem legis approbamus. *Ornant ergo ambo illa tormẽta, sed ille merito virtutis, iste peccati.* At gauderemus, si iustum ad sydera attolli videremus; offenderemur autem, si latronem. *Ita fit, vt inferiores creaturas ambo ornare potuerint, superiores autẽ vnus illorum, &c. Et primus homo mortalitatem carnis ornauit, vt peccato pœna congrueret; & Christus Dominus, vt à peccato liberaremur.*

Liberum arbitriũ ad Vniuersi decus pertinet.

4 Iustitiæ ordinem seruari dicit, dum homo, quia ad alterius suadelam incitatus est ad peccatum, saluatur, non autem diabolus. *Quid enim tàm opus habet misericordia, quàm miser? & quid tam indignum misericordia, quàm superbus miser?* elegãter dictum. Hinc collige cum peccator, qui est in miseria, superbit, Diabolum imitari.

Cur homo saluatus, diabolus non item.

5 Ostendit cur Deus non eripuerit hominem diabolo per suam potentiam sine cruce, &c. *Iustè factum est, vt diabolo non per vim eriperetur homo, quia nec ipse vi, sed persuasione ceperat*, addit acutè, & pulchrè: *diabolum homini subiugauit non violento dominatu, sed lege iustitiæ, vt tandiù potestas eius valeret, donec iustum, & sibi non subiectum iniustè occideret, in quem credentes possidere non possit*. Nota, cur diabolus per vim non sit victus, quia neq; vim intulit primis parentibus, vt peccarent, sed tãtùm suasit. & tunc iustè puniri visus est, cũ iniustè iustũ occidi curauit, idest, Christũ.

Cur Christus non sua potentia, sed patientia diabolum vicerit.

6 Deum nulla egere creatura, ostendit. *Etiamsi omnes peccassent Angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum Creatori Angelorum; non enim bonitas eius, quasi aliquo medio, aut omnipotentiæ difficultate deficeret ad creandos alios, quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alii deseruissent; & sufficeret Dei potestas ineffabilis potentiæ ad regendam istam vniuersitatem, ut omnibus congrua, & condigna retribuens, nihil in imperio suo turpe, atque indecorum esse permitteret.* Nota, nam ita Reges, qui Dei locum tenent, si ministri mali sint, debent de aliis prouidere, & suo consilio regere, nec quicquam indignum in regno permittere.

Insi-

7 Insitum à natura dicit, vt Deum esse credamus. *Nullus est cœlum terramque rationabiliter intuēs, omnesquè naturas visibiles in suo genere formatas, moderatas, ordinatas, qui vel alium credat artificem esse, quàm Deum, vel non eum ineffabiliter laudandum esse fateatur*. Nota per visibilem creaturam non modò ad agnitionem Dei, sed ad dilectionem nos inuitari.

Creatura ad creatoris non modo agnitionē sed dilectionem prouocat.

8 Ostendit sine Dei laude creaturam non posse laudari, nec vituperari: nam cum dicimus corrumpi, quia Deo non inhæret, hoc ipso laudamus Deum. *Quid ergo inueniri potest in nostris peccatis vnde ille vituperetur, quando ipsa vituperatio peccatorum nostrorum nulla est, nisi ille laudetur?* Addit: *immò vituperando vitium, hoc ipso naturam eius, in quo inest, laudamus; nam quia non secundum naturam est vitium, ideò vituperatur; si enim naturæ non nocet, non dicitur vitium, ergo multò magis Conditor ipsius naturæ laudandus in vitio, quod contra integritatem naturæ est. nam naturæ intantum vitiosæ sunt, in quantum ab eius arte discedunt, quæ est innumerabilis Dei sapientia*. Acutè, & nota quantum Deo in omnibus competat laus, cui etiā in creaturæ vitio competit; nam ex eo quod quisquam non accepit, nemo reus est; ergo ideò reus peccator, quia cum acceperit posse facere iustitiam, non facit quod debet, nec reddit vices Deo: ergo cum non fecit quod debet Deo, non modò culpa Dei non est, sed laus, quia dedit posse.

Dei laus etiam in peccato agnoscitur.

9 Non à vi, sed à voluntate oriri peccatum dicit. nam si neminem natura sua cogit, vt peccet, certè nec aliena; qui si vim patitur in eo quod non vult, non peccat. Nō enim *iniustè aliquid pati, sed iniustè aliquid facere, peccatum est*. egregia sententia, & acutè ait, si liberū meū arbitriū mea natura mihi tollere non potest, multò minus externa.

Nemo cogi potest ad peccandum.

10 Ait non bene objici, quid ad nos si Adam peccauit? quid nos fecimus? *Nam conuenientissimum, & ordinatissimum apparet, vt malum meritum primi natura sequentis sit, & bonum meritum sequentis natūra prioris sit: sic voluit creator ostendere, vsque adeò excellere creaturis corporeis animæ dignitatem, vt ab eo gradu posset esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus. non mediocria bona sunt, quod facultatem habet, vt adiuuante Creatore seipsam excolat. & pro studio possit omnes acquirere, & capere virtutes*. vides nullum esse querelæ locum, sed iustitiæ, & sapientiæ. & nota quanta in anima sit capacitas bonorum.

Cur Adami peccatum in nos quoque sit cum pœna transfusum.

11 Docet, etiam si est ignorantia in anima, tamen accepisse, vt piè, ac diligenter quęrat, & sic proficiat ad cognitionem: sicut non dicitur arbor sterilis, quia initio per aliquot æstates nondum ferat fructum. *Creator igitur laudandus, vel quod animam ab ipsis exordijs ad summi boni capacitatē inchoauerit, vel quod eius profectum adiuuet, vel quòd impleat proficientem, atque perficiat, vel quòd recusantem ad perfectionem attollat, aut ex eo profectu relabentem iustissima damnatione pro meritis ordinet*. Nota quinque gradus, & incitamenta laudandi Deum, etiam cum damnat impios.

Quinque ad Deum laudandum incitamenta.

12 Respondet ijs, qui obijciunt, quid infantes meruerunt, vt ante quam peccent, moriantur, aut crucientur? primò non benè quæritur quid meruerunt, cum nondum meruerint; deinde operatur Deus in emēdatione maiorū, ex doloribus, & morte eorū, quos ita diligunt. subiungit: *Quis autē nouit quid paruulis ipsis in secreto iudiciorum suorū bonę compensationis reseruet Deus? nec enim frustrà etiam infantes illos, qui, cum Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*. nota etiam infantium pœnas in bonū ipsorū, siue ob suorū emendationem, siue ob præmiū cedere posse; & esse verè martyres Innocētes infantes Christi nomine occisos.

Cur infantes et si innocentes dolori, & morti obnoxii sint.

13 Item respondet obiicientibus, quid prodest Baptismus paruulo morituro, antequam noscat quod agatur? *Sanè piè, rectèque creditur prodesse paruulis eorum fidem, à quibus consecrandus affertur, vt ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena cōmodari*. rectè, & acutè fidei vim agnoscit. porrò si fides in vidua Euangelij, quæ non erat in mortuo, profuit ad hunc resuscitandum, multò magis prodesse potest infanti viuo Innocenti.

Fidei vis egregia.

14 Soluit & illud obiectum. Quid peccarunt bestiæ, vt dolorem sentiant? *Dolor bestiarum etiam vim quandam in suo genere mirabilem, laudabilemque commendat: hoc ipso enim satis apparet in regendis, animandisque suis corporibus quàm sint appetentes unitatis; quid est enim aliud dolor nisi quidam sensus diuisionis, uel corruptionis impatiens? non ergo appareret quantus in inferioribus creaturis animali esset appetitus unitatis, nisi dolore bestiarum; quod si non appareret, minus quàm opus est, admoneremur in illa summa, & unitate Creatoris esse omnia ista constituta. & si attendantur omnes creaturę, nulla est, quæ non aliqua unitate decus proprij generis assequatur, inq; ipsis rationalibus animis omnis appetitus cognitionis ad unitatem refert omne quod percipit; & in errore nihil fugit aliud quàm incomprehensibili ambiguitate confundi. omne autem ambiguum unde molestum est, nisi quia certam non habet unitatem?* Acutè notat, tum ex animalium consideratione, dum dolent ob sensum diuisionis, tū ex rationali intellectu, qui ad vnam veritatem omnia refert, excitari nos, & adduci ad contemplandum, omnia in summa illa vnitate Creatoris esse constituta: quamobrem, & noster amor, qui per creaturas dispergitur, in vnum Deum colligi debet.

Cur cetera animantia, quæ non peccant dolori sint obnoxia.

Vnitas in Deo probatur acutè.

15 Omnia

15 Omnia accepta ad Deum referenda docet. *Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuitò præstat; & si quisquam diceret ab illo aliquid deberi meritis suis, certè ut esset, non ei debebatur; non enim erat cui deberetur, & tamen quod meritum est, conuertere ad eum, ex quo es, ut ex ipso etiam melior sis, ex quo habes, ut sis.* Acutè ostendit saltem quod simus totum Dei esse, cum non præextiterimus promerendo vt essemus.

Deus omnia gratis dat.

16 Docet in quo sita sit bonitas, eiusquè perfectio. *Bonum est aliquid homo, & hoc melius, quàm pecus, quia præcepti capax est; & hoc melius, quòd cũ præceptum iam cepit. rursum hoc melius, cum præcepto paruit; & his omnibus melius, cum æterno lumine sapientiæ beatus est.* Nota tres bonitatis gradus ad beatitatem ferentes.

Quibus gradibus ad beatitatem peruenia tur.

17 Docet cur salus nostra per Christi humiliationem parta sit potius quàm per aliud medium. *Pœna hominem suscepit emendatoria potius, quàm interfectoria, vt cui se Diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se dominus ad imitationem humilitatis præberet, vt prærogato nobis Christi sanguine tanta charitate Liberatori nostro inhæreamus, tanta eius in eum charitate rapiamur, vt nulla nos uisa ex inferioribus à conspectu superiore detorqueant.* Pulchra ratio cur cum Deus posset alijs modis vti in peccato puniendo, punire illud maluerit in filio, nimirum emẽdationi nostræ studebat, vt magnitudine cõmoti, atque illecti tantæ charitatis eum impensè diligamus, ei inhæreamus, sanguinis glutine quem idcirco pro nobis fudit abunde.

Christi humilitas ad exẽplũ, & amorem valet.

18 Quantum æterna felicitas terrenæ præponderet, ostendit. *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternę, ut etiam si non liceret in ea manere quàm propter hoc solùm, innumerabiles anni pleni delicijs huius uitæ meritò contemmeretur, iuxta illud psalmi; melior est dies una in atrijs tuis super millia.* Vide quàm stultè caduca præponantur æternis; & præ virtutis pulchritudine quàm terrena vilescant, atque sordescant.

Iustitiæ pulchritudo separabilis

Psal. 83.

Ex libro de vera Religione.

1 A Philosophis ipsis Ethnicis simulacrorum stultitiam damnatam esse dicit: nam Socrates iurabat per lapides, & canes, & cetera, quæ occurrebant. *Credo intelligebat qualiacumque opera Naturæ, quę administrante diuina prouidentia gignerentur, multò quàm hominum, & quorumlibet opificũ esse meliora, & ideò diuinis honoribus digniora, quàm ea quæ in templis colebantur, nõ quod verè canis, & lapis essent colenda, sed vt hoc intelligerent, quanta eßent superstitione demersi. simul & illos, qui mundum istum visibilem summum Deum esse opinabantur, admonebat turpitudinis suæ, docens esse consequens, vt quilibet lapis tanquam summi Dei particulæ iure coleretur; quod si execrarentur, vnũ Deum crederent, quem solum supra mentes nostras esse, & à quo omnem animam, ac totum ipsum Mundũ fabricatum esse constaret.* Nota, vt Socrates ipse tacitè stultitiã ostenderit eorum, qui simulacra fictitia hominum opera colerent. nam cur non potius Naturæ opera, quæ potiora sunt, quàm artis, colerent? quod tamen ipsum nefas est.

Socratis iudicium de stultitia idolatria.

2 Plus Apostolis, & viris Apostolicis efficaciæ tribuit, quàm Platoni. *Suauius enim ad legendum quàm potentius ad persuadendum scripsit Plato; non enim Philosophi illi sic nati erant, vt populorum suorum opinionem ad cultum veri Dei à simulacrorum superstitione, atque ab huius Mundi vanitate conuerterent.* Vide quanta vis insit in Apostolica doctrina, vt diaboli regnum euerterit, & mundi fastum depresserit, ad quod vetus Philosophia aspirare non potuit; & Plato ipse plus habuit illecebræ in dicendo, quàm virium in persuadendo. huc spectat quod sequitur.

Apostolorum doctrina efficacior, quàm Platoni.

3 Pulchrè, & eleganter ostendit quantam vim, & efficaciam habeat Christiana religio in commouendis animis. si Plato, inquit, viueret, ac persuaderet animum à falsis imaginibus rerum sensibilium abstinendum esse, &c. si quis quæreret ex eius discipulis, verũ si quis ea persuaderet, ipsũ diuinis honoribus dignũ iudicaret? *responderent, nõ posse ab homine fieri, nisi quem fortè Dei virtus intima illuminatione ab incunabulis illustratum tanta honestaret gratia, vt genus humanũ ad eam fidẽ conuerteret. quæ si facta sunt, & Apostoli nostri diuini amoris incendia vbiq; excitarunt, &c.* Nota pro S. Xauerio in primis pergit: *si post tantum sanguinẽ, tantos ignes, tot cruces Martyrum Ecclesia pullulauit; si tot millia iuuenum, & Virginum millia contemnentium nuptias, castèque viuentium iam nemo miratur; quod cum fecisset Plato, vsque adeò peruersam suorum temporum timuit opinionem, vt perhibeatur sacrificasse Naturæ, Naturam execratus, vt tanquam peccatum illud aboleretur; si hæc sic accipiuntur, vt quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstrosum sit, quid adhuc oscitamus? &c.* Nota de præstantia castitatis, quæ apud nos in vera religione positis tã cõmunis est facta Addit. *si isti reuiuiscerẽt, & inuenirent Ecclesias refertas, & à cupiditate bonorum temporalium viderent ad bona spiritalia vocari, & currere humanum genus, dicerent: hæc sunt quæ nos persuadere populis ausi non sumus; sed eorum prorsus consuetudini cessimus.* Hinc admirare Ignatij nostri institutum, qui hoc ipsum tam arduum negotium aggressus est, & perfecit. nota etiam Augustini tempore quàm immensus esset virginum; iuuenumquè castorum numerus, immò religiosorum,

perfectio Christianæ fidei omnem philosophiam exudit.

Propagatis fidei mirat.

Ignatio Apostolicum institutum laudatur.

sorum, nam addit: *si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, vt desertis diuitijs, & honoribus huius mundi, vni Deo summo totam vitam dicare volunt &c.* illud verò quàm pulchrè dictum: *si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces Martyrum Ecclesia pullulauit.* quasi sanguis ipse pro humore fuerit, vt germinaret; immò ignis ipse, quòd mirabilius est, profuerit, vt viresceret. at illud in contemptum veterum Philosophorum dictum est. *Platonico nomine ora crepātia potius quàm pectus vero Deo plenum habere gestimus.* nota pro S. Thoma Aquinate, ac ceteris doctoribus sanctitate præstantibus. Quia vero nonnulla Platonici nostris congruentia dicunt, addit. *paucis sententijs nunc fierent Christiani, vt fecerunt quidam Platonici nunc, aut si superbè resisterent &c.*

Religio forū multitudo, & perfectio mira.

Literati sine spiritu taxātur.

4 Christianam Religionem, vel ideò laude dignissimam dicit, quod sibi non diffideat, vt ceteræ sectæ in opinione diuinitatis. *Non est quærendum à Philosophis de religione, qui de suorum Deorum natura, de summo bono diuersas, contrariasque sententias personabant. si hoc unum uitium esset à Christianis sanatum, ineffabili laude prædicandum esse, neminem negare oporteret.*

Christianorum doctrina sibi non diffidet vt philosophorum.

5 Præclarum Ecclesiæ institutum ostēdit. *Ecclesia Catholica per totum orbem validè, latèque diffusa omnibus errantibus utitur ad profectus suos: utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, utitur Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ. alios ergo inuitat, alios excludit; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem: siuè illi informandi sint adhuc, siuè reformandi, siuè colligendi, siuè admittendi.* Vide vt Ecclesiæ omnia vertantur in animarum lucrum.

Ecclesiæ cuncta cedunt in vtilitatem.

6 Res sensibiles vt animum à Deo auertant, ostēdit. *Tēporalium specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsum, per carnales sensus diuerberauit, & mutabili uarietate multiplicauit eius affectus; ità facta est abundantia laboriosa, & si dici potest, copiosa egestas, dum aliud, & aliud sequitur, & nihil cum eo permanet.* Nota hominem quasi vile mancipium; dum vno vero domino relicto Deo, rebus temporalibus quasi multis dominis districtus seruit, diuerberari, ac varijs molestijs quasi flagris per sensus quasi lictores lacerari. in ipsa copia, quam amat, egens est, & ante deseritur, quàm frui liceat.

Sensus carnales mastigei sunt.

7 Ex creatura ipsa dicit agnosci Deum. *Habet corpus concordiam partium suarum; sine qua omninò esse non potest: ergo ab eo factum est corpus qui omnis concordiæ caput est: habet corpus quandam pacem suæ formæ sine qua nihil esset. ergo ille est corporis Conditor, à quo pax omnis est, & qui forma est infabricata, & omnium formosissima; habet aliquam speciem, sine qua corpus non est corpus; si ergo quæritur quis instituerit corpus, ille quæratur, qui est omnium speciosissimus, & qui omnis species est: quis est autem hic, nisi unus Deus?* Vide, in formosis corporibus quàm piè, ac præclarè philosophandum sit, alioquin more brutorum ducimur. pulchrè Deus dicitur, *forma infabricata, & omnium formosissima.*

Deus forma infabricata, & omnium formosissima.

8 Quanti damni sit ad creaturas tendere Deo neglecto, acutè demonstrat. *Si ea, quę moriuntur, penitùs morerentur, ad nihilum sine dubio peruenirent; sed tantò magis moriuntur, quantò minus sunt: corpus autem minus est, quàm uita quælibet, quia quantulumcumque manet in specie, per uitam manet: corpus ergo magis subiacet morti, & ideò uicinius est nihilo. quapropter uita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & ista est nequitia.* Egregiè ait. Deus est vita creaturarum: igitur si ad eas affectu tendimus sine Deo ipso, propè ad nihilum tendimus, quia mors ad nihilum accedit. Addit, malitiam siuè defectum non esse, vt febrim, quæ inuitum occupat, sed vt voluntarium morbum. nec ipse diabolus aliter est malus, *sed cum à summa essentia defecit, ob hoc minus est quàm fuit, quia eo, quod minus erat, frui uoluit; dum magis uoluit sua potentia frui, quàm Dei.* & hoc acutè.

Homo per peccatum tēdit ad nihilum.

Diabolus quo modo malus.

9 De sancti Spiritus bono sic. *Bono eius, quod anima datur, idest Spiritu sancto non solùm anima, cui datur, salua fit, sed ipsum etiam corpus uiuificabitur, eritquè in natura sua mundissimum; dicit enim Apostolus: uiuificabit & corpora uestra propter spiritum manentem in uobis. uincit enim essentia nihilum, & sic absorbetur mors in uictoria.* Vide, vt totū sācto Spiritui debeatur: animā ipse viuificat, dum, vt verum ens, peccatum seu defectum tollit, quod ad nihilum vergit; & corpus ipsum in nouissimo mundissimum viuificabit.

10 Vt Deus rebus humanis omnibus præferendus sit, eleganter ostendit. *Successio rerum transeuntium est uersus in suo genere pulcher, cuius duæ syllabę simul dici non possunt.* sed tamen artis ipsius pulchritudo tota simul est; ita se habet Deus, permanens, & succelsio vicissitudoquè rerum temporaliū, ac fluentiū. *& ut nonnulli peruersi magis amāt uersum, quàm artem, quia plus se auribus quàm intelligentiæ dederunt: ità multi temporalia diligunt, Conditorem tamen, ac moderatricem temporum diuinam prouidentiam non requirunt, atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant; & tam sunt absurdi, quàm si quisquam in recitatione pręclari carminis unam aliquam syllabam perpetuò uellet audire.* Pulchrè ait Mundum esse quasi præclarum carmen seù versum succesiuè, per temporalia quasi per syllabas transeuntes prolatum; ars verò carminis tota simul est in mente poetę. quemadmodum igitur si quis

Mundus pulchrè carmini comparatus.

Mundus Dei cognitionē ingerit.

quis arte neglecta, & sententia ipsa carminis vnam arriperet syllabam sine sensu, eique totus esset addictus, pro stulto haberetur; ità qui transeunti creaturæ adhæret; nec diuinā artem, seu sapientiam in ea curat agnoscere. alibi etiam Augustinus Mundum hunc carmini comparauit.

11 *In rebus omnibus creatis Deum suspiciendum, & admirandum esse demonstrat. Nulli victo ludi Agonistici placent; sed tamen cum eius dedecore decori sunt, & hæc enim quædam imitatio ueritatis est, nec ob aliud à talibus prohibemur spectaculis, nisi nè rerum umbris decepti ab ipsis rebus, quarum illæ umbræ sunt, aberremus. ita Vniuersitatis huius conditio, & administratio solis impiis damnatisque non placet, sed animabus sanctis in terra victricibus, vel in Cœlo spectantibus placet.* Pulchrè item ait mundum esse veluti theatrum, & spectaculum in agonisticis ludis exhibitum, in quibus nos certamus. impii, qui in hoc certamine victi sunt, derogāt Mundo, ac multa improbant, quasi casu, non prouidentia fiāt, aut non ità sapienter, & cōsultò facta &c. at iusti victores, & Cœlicolæ spectatores plaudunt opifici Mundi Deo. nota etiam cur à spectaculis theatralibus abesse iubeamur, quia in iis imitatio locum habet, & inanis vmbra est rei gestæ: ne igitur res vmbratiles, nec solidas huius Mundi sequi assuescamus, inde repellimur, quod certè acutè dictum.

Mundus agonistico ludo comparatus.

Curthea trica spectacula fugienda

12 Vniuersitatem hanc dicit non esse deformē ex eo quod peccatū sit, & pœna peccati. *Est pulchritudo vniuersæ creaturę per hæc tria inculpabilis, damnatione peccatorū, exercitatione iustorum, perfectione beatorū. quamobrē ista quoq; animæ medicina, quę diuina prouidētia, & ineffabili beneficentia geritur, gradatim distinctèque pulcherrima est: distribuitur enim in auctoritatē, & rationē.* Vide vt Deus omnia ordinarit ad salutem, etiā peccati pœnā. & vt prouidentia ipsa curatrix sit omnium. item nota *M*undum non tā pulchrū dici ob Solis, et astrorum aspectum, ob terræ amœnitatē etc. quàm ob tria illa, quę enumerat.

Mundi pulchritudinem tria faciunt.

13 Catholica Religio vel ideò, inquit, est credibilior, quia Numinis fatetur vnitatē. *Certè ab vno incipit numerus: prius igitur isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum, solum, verum colendū dicunt; & sicut in ipsa natura maior est auctoritas vnius ad vnū omnia redigentis; nec in genere humano multitudinis ulla potentia est, nisi consentientis, idest unum sentientis; ita in religione, qui ad unum uocant, eorum maior, & fide dignior, debet esse auctoritas.* acutè carpit pluralitatem Deorum, cum vnitas vel in natura sit potior

Numinis vnitas fidem maxime credibilem facit

14 Docet cur nunc miracula tàm frequenter non fiant, vt anteà. *Cum Ecclesia catholica iam per totum orbem diffusa sit, atque fundata, miracula illa in nostra tempora durare permissa non sunt, ne animus sēper uisibilia quæreret, & eorū consuetudine frigesceret genus humanū, quorū nouitate flagrauit.* Vtraq; ratio notanda, præsertim prima: vult enim Deus animā potius excitari, et accendi inuisibilibus, et spiritalibus, quàm corporeis.

Cur nūc miracula tam crebro Deus nō faciat.

15 *Pulchrè nouum hominē, et interiorē habere dicit non quidem annis, sed profectibus in virtute distinctas ætates suas. Sicut enim septem sunt hominis exterioris ætates, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, adulta ætas, senectus, mors: ita nouus, & interior homo primā ætatē habet in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis; secundā iā obliuiscentē humana, & ad diuina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad sūmā, & incōmutabilē legem passibus rationis innititur; tertiā cū anima mente copulatur, & uelamento pudoris obnubitur, ut iā rectè uiuere non cogatur, sed etiam si omnes cōcedant, peccare, nō libeat. quartā ad ipsū firmiùs ordinatiusq; facientē, & emicantē in uirū perfectum aptā, & idoneam omnibus persecutoribus, & Mundi huius tempestatibus, fluctibusq. frangendis; quintam pacatā, atq; omni ex parte tranquillā, uiuentem in opibus, & abundantia incōmutabilis regni, sūmæq; atq; ineffabilis sapientiæ; sextā omnimodæ mutationis in æternā vitā, & vsq; ad totā obliuionem uitæ temporalis, trāseuntem ad perfectā formā, quæ est imaginis, & similitudinis Dei; septima enim iam quies æterna est, & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua; vt enim finis veteris hominis mors est, sic finis noui hominis, uita æterna.* *N*ota egregiè, & acutè discurrit per singulas ætates vtriusq; hominis veteris, ac noui. attēde discrimen, quod ad religiosū maximè hominem spectat. et vide, etiā si antiquus sis an ad secundā ætatem adhuc peruenetis, quæ respondet pueritiæ, ut oblitus humana, totus inhies ad diuina. *A*loysius certè noster uix ad tertiū ætatis naturalis gradum peruenerat, idest adolescentiā, cū omnes ferè has interioris, ac noui hominis ætates percurrerat. deniq; nota illud: infantiā *historiæ quasi uberibus nutriri.* Ignatius inter ceteros Sāctorū gestis legendis inchoauit spiritalem uitā, immò ipse Augustinus lecta *A*ntonii uita.

Historiæ lactè alimur.

Septem interioris hominis velut ætates.

Perfectionis religiosæ gradus septem.

Aloysius Gonsaga laudatur

16 Commendat eos, qui in aliorum salutem incumbunt, quod ad prouidentiam refert, aitque, quòd olim in lege veteri pręstitum est, vt Patriarchæ, & Prophetæ illuminati à Deo alios iuuerint, à spiritalibus viris Ecclesiæ alumnis prouideri, *qui & alimenta lactea infirmioribus infundūt, & validioribus cibis cū sapiētibus paucis vescūtur, vt de se ait Apostolus; non enim honoribus suis, & inanibus laudibus consulunt, sed vtilitati aliorū: hæc est vera lex diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendā, & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eadē puro affectu inferiores adiuuerit; ita de peccato nostro genus humanum factum est magnum decus*

Apostolici viri proprię laudis vacui puro affectu alios iuuant.

Dei prouidentia vitium ipsum in ornamētum vniuersi cōuertit.

cus, ornamentumque terrarum, & tam decenter diuinæ prouidentiæ procuratione administratur, vt nos ineffabilis medicina ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinē vertat. Vide vt vitia ipsa, quibus nihil fœdius, ad ornamentũ Vniuersi retulerit diuina prouidentia, dũ per Apostolicos viros peccatores resipiscunt. Vide etiã, vt hi puro affectu id agere debeant, non suam, sed Dei gloriã spectantes. *non enim honoribus suis, & inanibus auribus consulunt, sed vtilitati aliorum,* diuinæ prouidentiæ famulantes *puro affectu.*

17 Ex creaturæ, ac Cœli in primis aspectu ad Cõditoris amorem nos inardescere oportere dicit. *Non frustra, & inaniter intueri oportet pulchritudinē Cæli, ordinē syderum, candorem lucis, dierũ ac noctiũ vicissitudinē, menstruũ Lunæ curriculũ, et omnia in suo ordine modum propriũ, naturarumq; seruantia; in quorũ omniũ consideratione non vana, & peritura curiositas exercenda est. sed gradus ad immortalia, & semper permanentia faciendus.* huc refero illud in Dei præconium erumpentis Vatis. *quoniã uidebo cælos tuos opera digitorum tuorũ, lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Intuentur hæc Astrologi, sed vana & curiosa scientia: intuebatur piè Ignatius astra, & pro inferiis iniecta sũt astra in ipsius tumulum, ne ei post mortem, sicut viuenti, sordesceret tellus.

[Mundi aspectus ad Deum excitat.] **[Psal. 8.]** **[Ignatius contemplator astrorum.]**

18 De vno, et simplici Deo quærendo hęc acutè. *Rerum creatarum simplicitas quædam, & unitas, licet non perfecta, uestigium est Dei. pulchritudo ipsa consistit in proportione, cum paria paribus nectuntur, ut resultet unum unitum.* at verò perfecta vnitas in Deo tantùm est, itaq; ait. *Æternã legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare, nefas.* v.g. quid velit disponere, etc. Artificem si quæras, cur arcu vno constructo alterum parem facit, dicet, vt paria paribus respondeant. si addas, cur id eligat, nõ amplius dicet, ità esse pulchrum, et delectare, nec aliud audebis. iam paritas ad vnitatem accedit: ergo omnis species habet vestigia vnitatis, nec tamen assequi potest. nec corpus esset, nisi vnum esset, nec tamen summè vnum est, *propterea nos fallit rerum uisibilium pulchritudo, quia unitatem continet, nec implet unitatem. unum quæramus, quo simplicius nihil est: ergo in simplicitate cordis quæramus illũ.* Acutè dictũ. in tantum duo paria pulchra sunt, in quantũ accedunt ad vnitatem ob similitudinē. et corpus ipsum ex partibus cõpactum, quatenus in vnum conspirant, speciem habet: quantò igitur speciosior Deus, qui summè, et perfectè vnum est? et si unũ est, uno corde quærendus nõ duplici, aut dissipato. huc refero illud psalmi ex hebæo: *unicum fac cor meum, domine.* ubi ulgata habet. *lætetur cor meum.* & alibi *unicus sum ego, donec transeam.* ubi uulgata: *singulariter sum.* ità maximè, quã licet, accedimus ad Deum. facit item hoc ad religiosorũ cõcordẽ unitatem, unde resultat pulchritudo religionis.

[Deus sũma vnitas, & ideò summa pulchritudo] **[Cur pulchritudo in creaturis nos fallat.]** **[Psal. 86.]**

19 Ostendit nihil solidum amari, nisi Deum. *Date mihi qui resistat sensibus carnis, consuetudini, & laudibus hominum, qui compungatur in cubili suo, qui resculpat spiritũ suũ, qui non diligat vanitatē, qui dicat: si una Roma est, falsa est quã cogitans fingo, etc.* Huiusmodi puto fuisse inter cæteros Franciscum Borgiã nostrum, spreto Mundi fastu, & vmbratili specie. pulchrè resculpendum dicit spiritũ, quod fit mortificationis scalpello, vt imago Dei deformata in pristinum decorem redeat: iustus ipse sculptor est sui. Simeon ille Stylites rectè se quasi sculptum huiusmodi simulacrum supra columnam locauit, ac statuit.

[Spiritus sculptura quæ sit,] **[Fr. Borgiæ mortificatio.]**

20 Varios in agnitione diuinitatis errores ostendit. *Quidam ad ipsa corpora colēda dilabũtur, et in his primũ eligũt pulchriora. in quibus cælestia maximè excellunt. ocurrit Solis corpus & in eo remanent aliqui; & Lunæ splendorem religione dignum putant, est enim nobis propinquior; unde uiciniorem speciem habere sentitur. alij etiam cæterorum siderum corpora adiungũt, & totum Cælum cũ stellis suis. quidam, qui religiosissimi putantur, uniuersam creaturam, idest Mundum totum simul, unũ Deum magnum esse arbitrantur.* Vide per quos gradus ad summã ineptiam peruentum sit; nam oporteret aliquam Dei partem æstuare, cum incendia mõtium erumpũt; aliquam tremere in terræmotu, &c. & nota, cur Luna tam impensè culta, quia nobis vicinior, & eius maximè sentiuntur effecta. at Deipara quò sublimior, eò vicinior beneficijs sentitur.

[Sol, Luna & Mundus ipse stultè putatus Deus.] **[Luna cur impensè à veteribus culta]** **[Deiparæ cũ Luna collatio.]**

21 Tripliciter Christũ in deserto tẽtatũ dicit: de gula in ipsa eremo, de mundi gloria in monte, itemq, de curiositate, vt experiretur cadendo nõ lædi. *Sed qui intus Dei uerbo pascitur, non quærit in ista eremo uoluptatē; & qui uni Deo tantùm subiectus est, non quærit in mõte, idest ex terrena claritate iactãtiã; et qui æterno spectaculo incõmutabilis ueritatis adhæserit, non per fastigiũ corporis, scilicet per oculos pręcipitatur, ut temporalia, & inferiora cognoscat.* Nota, tanquam in theatrum ad mõtem Christum ductum, vnde ei diabolus spectaculum proposuit mundani fastus. sed iusto præclarius spectaculum proponitur diuinorũ. nota etiã oculos in altiore corporis parte positos, tanquã fastigium, & speculam esse, vnde diabolus animam pręcipitare conetur; sed inde despicienda potiùs sciat, quàm expetenda terrena.

[Triplex christi tẽtatio in deserto.]

22 Ostendit, qua ratione pulchrum formetur corpus; quòd si insint in eo quandoq; defectus animi, id fieri, vt tendamus ad id, quod est verè pulchrum, idest Deum. *Materia in matre per certos numeros temporum in locorum numerum coaptatur, ut suas regiones quæque membra occupent; & si modum parilitatis seruauerint, luce coloris adiuncta, nascitur corpus, quod formosum uocatur, & à suis dilectoribus amatur acerrimè. non tantum in eo placet forma, quæ mouetur, quãtũ uita, quæ mo-*

Cur Deus permittat sæpe ut qui aliquem amat, nō redametur,

mouet, nam illud animal si nos amet, allicit violentius; si autem oderit, ferre nō possumus, etiā si formā ipsā præbeat fructi. Rectè ait, hoc quod non redamemur, & similia permitti à Deo, ut has animi imperfectiones etiam in pulchris corporibus uidentes, Deum ipsum, in quo sūma pulchritudo, cū summa bonitate est, quæramus. Vide igitur ut forma animi licet inuisibilis, scilicet uirtus, maiorem habeat uim, quàm corporis. iam quàm diligendus est Christus, qui est, *speciosus forma præ filijs hominum*, & simul nos impensè amauit usque ad mortem.

Idem pastus dæmonum, & inuadorum aliena miseria.

23 Inuidos, & maleuolos sic perstringit. *Exterminatoribus Angelis similes sunt homines, qui gaudent miseriis alienis; nam & illi doloribus, & miseriis damnatorum pascuntur.* Vide quis sit suauissimus cibus dæmonum, amaritudo damnatorum hominum; idem est inuidorum, aliena miseria.

Vndecūque excitamur ad Deū etiam ex ipsis vitiis.

24 Dei bonitatem agnoscit, vel ex eo quod etiam per ipsa vitia incitari possumus ad eum amandum; vt si quid insit apparentis boni, id ad verum, summumque bonum stimulus sit. *Quid est vnde non possit anima recordari primam pulchritudinem, quam reliquit, quando de ipsius suis vitiis potest? ità enim per sapientiam summus ille Artifex opera sua in vnum finem decoris ordinata contexuit; ita illa bonitas à summo vsque ad extremum nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse potest, inuidit, vt nemo ab ipsa veritate deiiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. quare in corporis voluptate quid teneat? certè conuenientia, nam resistentia dolorem pariunt; recognosce ergo quæ sit summa conuenientia. &c.* Acutè, & pulchrè de Dei sapientia, & bonitate, quæ ità constituit, vt in iis, in quæ incidimus, cum ab ipso recedimus, appareat saltem aliqua adumbrata effigies boni, propter quod appetitur, vt per eā excitari possimus ad ipsū uerū bonū.

Voluptatis regnū mutabile.

Cur læta mixta sint tristibus.

25 Ad Dei prouidentiam refert, quod res terrenæ, & aliquid habeant iucundi, quod Deum omnis boni fontem indicet; & desinant in tristitiam, ut soli Deo hæreamus. *Totum voluptatis regnum, & ista pulchritudo subiacet corruptioni; quod si non esset, summa putaretur; sed adest diuina prouidentia, quæ hanc ostendat non malam propter vestigia primorum numerorum, in quibus sapientiæ Dei non est numerus, & extremum tamen esset, miscens ei dolorem, morbos &c. vt ex his admoneremur incommutabile aliquid esse quærendum.* Pulchrè appellat *voluptatis regnum*, sed parum durabile, utpote malorum incursionibus obnoxium.

Tunc maximè sumus, quā do cum Deo sumus.

26 Acutè ostendit animum perfici appetendo Deum, et deficere appetendo terrena. *Omnis natura quamuis extrema, quamuis infirma in comparatione nihili iure laudatur, & tūc cuique non est bene, si melius esse potest; quare si nobis potest esse bene cum ipsa veritate, male sumus cum quolibet vestigio veritatis; multò ergo deterius cum extremitate vestigii, quando carnis voluptatibus adhæremus.* Egregiè dictum, quia scilicet id amamus, quod maximè ad nihilum accedit; cum nihil sit quod tam subitò transeat, et deficiat, et euanescat.

Deus hærentes sibi reges facit.

27 Ostendit, in quo posita sit uera libertas, et regnum. *Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat; & quem regnare delectat, omnium rerum regnatori Deo subditus hæreat.* Facit hoc præcipuè pro religiosis iuxta illud: *mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. 72.

Ordo in rebus & vtilitas etiam in minimis, & infimis.

Libri scripti de cineris vtilitate.

28 Ordinem in Vniuerso à Deo positum agnoscit, siuè in magnis, siue in minimis. *Nihil est ordinatum quod non sit pulchrum; omnis autem ordo à Deo est, vt ait Apostolus. considera in quolibet animalculo figuram corporis, priora cum medijs, media cum posterioribus congruentia, & vnitatis appetentiam pro suæ naturæ humilitate seruantia; nihil ex una parte formatum quod non ex altera pari dimensione respondeat. quid de anima dicam uegetante modulum corporis sui? quomodo cum numero se moueat, quomodo appetat conuenientia, quomodo vincat, aut caueat obsistentia quantum potest, & ad vnum sensum incolumitatis referens omnia, vnitatem illam conditricem naturarum omnium multò euidentius quàm corpus insinuet. cineris, & fimi laudem verissimè, uberrimèque plerique dixerunt. quid ni dicamus hominis animam, quæ corpore multò melior est, pulchrè ordinari, & de pœnis eius alias pulchritudines fieri? cum quando misera est, non sit ibi, ubi beatos esse decet, & ibi sit, ubi miseros decet.* Vides etiam in damnatis obseruari ordinem Vniuersi sapientissimè à Deo constitutum. Nota illud de cineris ipsius, ac fimi vtilitate conscriptos libros: adeò nihil in Vniuerso absonum. vtinam & de mortis memoriæ vtilitate scripsissent.

Etiam tentatio permittitur ad bonum vniuersi.

Pars Mūdi in ordine ad totū considerāda

24 Ostendit omnia, etiam ea, quæ permittuntur mala, dirigi à Deo ad pulchritudinē Vniuersi; diuina enim prouidentia per dissensiones, & simultates, & alias imperfectiones in hominibus admonet. Deum esse quærendū *Et hoc facit per infima ministeria eorum, quibus id agere uoluptatis est, exterminatores scilicet Angelos, quamuis ipsi nesciant quid de se agatur boni. atque in his omnibus boni admonentur, exercentur, et uincunt, et triumphant, et regnant; mali autem cruciantur, uincuntur, et seruiunt non rerum omnium summo domino, sed ultimis seruis Angelis malis: ità omnes ordinantur officijs, et finibus suis in pulchritudinem Vniuersitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimùm placeat: quia nec in ædificio iudicando vnum tantum angulū considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronunciante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tantum tribui figuras. & sicut niger color in pictura cum toto sit pulcher, sic totum istum agonem decenter edit incommutabilis diuina prouidentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis,*

Dei prouidentia agonothetæ similis.

tis, & soli Deum contemplantibus tribuens; cũ in his omnibus non sit malũ nisi peccatũ, & pœna peccati, hoc est defectus voluntarius. Vide Dei prouidentiã, vt cũ sciat voluptuosum esse malis Angelis persequi, & tentare homines, hoc ipsũ referat ad triũphum bonorũ. Nota & illud, pulchrè prouidentiã velut agonothetam in hoc Mundo tanquã in theatro agonem siuè certamen athleticum dare, vbi homines certent, victores accipiant palmam, spectatores sint Angeli &c. item architectanti similem facit Dei sapientiam; vt quælibet Mundi pars in ordine ad totum consideranda sit.

Harmonicus naturæ concẽtus ad vnitatem spectat.

30 Vnitatis studiosam Naturam ipsam esse pulchrè docet, quæ quasi numerosè omnia temperat, & ad vnum quasi concentũ dirigit. *Vnitatis pulchritudo in omnibus, si voluptas diligitur, ibi quærenda est, vbi maximè vnitas. ex vno semine seges, non ex dimidio. rursus considerandum est quàm numerosas, quã suaues sonorum pulchritudines verberatus aer traiiciat canente luscinia, quas illius auiculæ anima non tã liberè, cum liberet, fabricaretur, nisi vitali motu incorporaliter haberet impressas: hoc, & in ceteris animantibus, quæ ratione carentia, sensu tamen non carent, animaduertimus: nullũ enim horum est, quod non, vel in sono vocis, vel in cetero motu, & ordinatione membrorum numerosum aliquid, atque in suo genere moderatum gerat, nõ aliqua scientia, sed tantùm intimis Naturæ terminis ab illa incommutabili numerorum lege*. pertinet hoc ad vnitatem fidei, atque ordinem. quod & ad religiosorum statum referre potes, & nota illud de luscinia venustè dictum. tot modulorum varietas ad vnitatem pertinet.

Lusciniæ canor vnde fit.

31 Eleganter ostendit frænandas esse cupiditates. *Voluptatis imbecillitas protrudit nos ad sublimiora, & ipsa nos admonet, vt eam contemnamus: non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiùs volutatur, cui primis inhærere, fruique concessum est. certè cum auriga trahitur, & suæ temeritatis dat pœnas, quicquid illud est, quo vtebatur, accusat; imploret auxilium, obsistatur equis, iubeat dominus, vt restituatur in locum, super rotas collocetur, habenarum iura reddantur, regat cautius obtemperantes, & edomitas bestias: tunc sentiet quàm bene currus, & tota illa iunctio fabricata sit &c.* Nota primum ipsam voluptatem sui vilitate admonere nos, vt ad sũmum, & præstantissimum bonum, ad quod facti sumus, recurramus: deinde pulchrè ait, animum velut aurigam esse, sed indoctum, qui quasi de curru deiectus, vt se excuset, accusat fabrum currus, quasi malè extructi: itá nos cum peccamus, conferimus culpam in Naturam, quasi ab ea malè compacti simus: vtrobique stulta, & falsa excusatio. quin potius imploremus Dei auxilium, & cautius deinceps agamus in appetitibus quasi equis comprimendis.

Animus vt ignarus auriga peruersè naturas incusat.

Amor in Deum inuincibilẽ facit.

32 Pulchrè ostendit charitatem inuincibilem facere. *Non vincitur, nisi cum eripitur ab aduersario quod amat: qui ergo amat id solùm quod amanti eripi non potest, ille indubitanter inuictus est*. huc refer inexpugnabilem Pauli vim: *quis me separabit à charitate Christi? angustia? an tribulatio &c. certus sum quia neque mors, neque vita &c.* Qui opes, & cetera creata diligit, vinci potest, quia hæc vt bellica spolia eripi possunt; at amor in Deum inexpugnabilem reddit. Rom. 8.

Non sibi perit qui Deo non perit.

33 Miserum negat fieri ex cognatorum morte quemquam, qui Deum diligit. *Non affligitur morte cuiusquam, qui toto animo Deũ diligit; nouit enim nec sibi perire, quod Deo non perit; nec cuiusquam miseria miser es, qui nec cuiusquàm iustitia iustus es*. acutè; nam sicuti nemo est felix aliena felicitate, ita nec miser aliena miseria; quamquam mors iusti pretiosa potius est quàm misera.

Voluntas stylu comparatã.

34 Docet, non ex natura, quæ per se bona est, sed ex voluntate peruersa oriri peccatum. *Substantia ex se non est malum, sicut aqua malum non est, sed voluntaria præcipitatio in aquam. stylus ferreus alia parte, qua scribimus, alia qua delemus, à fabro factus est, & in suo genere pulcher, & ad vsum nostrum accomodatus: at siquis ea parte scriberet, qua deletur, & ea vellit delere, qua scribitur, nullo modo stylum malum fecerit, cum ipsum factum iure vituperetur*. Rectè ostendit hoc styli exemplo ex peruersitate voluntatis oriri peccatum. tabula in qua scribuntur Dei præcepta, cor nostrũ est.

Aduersitas virtutis probatio est

35 Acutè ostendit indicia, vel terrena diligentis, vel Deum. *Homo, qui prosperis rebus proficit, in aduersis quid profecerit discit. quædam cum absunt, putamus ea non diligere, sed cum abesse cœperint, inuenimus quid simus: illud enim sine amore adesse dicendum est, quod sine dolore discedit. videtur igitur vincere, cum vincatur, qui superando ad id peruenerit, quod cum dolore amissurus est; & vincit, cum vinci videatur, quisquis cedendo ad id peruenit, quod non amittit inuitus*. Vide vt aduersitas quasi lydius lapis fit, quo probatur vera virtus. vide etiam, vt tandem assequi terrenum aliquid, quod concupiscimus, non sit vincere, sed vinci; quia si auferatur, dolemus; contra, vincimus cum non curamus, & æmulis cedimus.

Assequi terrena quæ cupis non est vincere sed vinci.

Mundi fallaciæ & præstigiæ.

36 Ostendit eleganter, ac pulchrè quàm peruersè delectemur Mundo fallaci, nec solida potius, & uera sectemur. *Cum innata sit cupiditas sciendi veri, cuncta spectatula, & omnis illa curiositas quid aliud quærit quàm de rerum cognitione lætitiam? quid ego admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator peruenire se cupere censitetur? cum vehementer inuigilet, ne fallatur, & inde se iactet, si quid acutius ceteris, & viuacius in spectando cognoscat, & indicet; ipsum denique præstigiatorem nihil aliud quàm fallaciã profitẽtẽ diligenter intuentur, & cautissimè obseruant; & si eludũtur,*

Palma debetur compre-henſori veritatis

quia ſua n..n poſſunt, illius delectantur ſcientia, quod eos eludit; ſi quis autẽ eũ deprehẽderet, maiorẽ illo laudẽ ſe mereri putaret, quia decipi falliq; nõ potuit, itaq; omnis palma datur cõprehenſioni veritatis; at nos in tãtas nugas, & turpitudines merſi ſumus, vt cũ ſciamus verũ eſſe melius iocis, & ludis, nos tamen non vera, ſed falſa delectẽt. Ita noſtro iudicio, & ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate ſectantes, dũ excidentes à uero amplectimur noſtra phantaſmata. Vide vt terrena omnia imaginaria ſint, & vmbratilẽ potius quã ſolidã ſpeciẽ habeãt; & vt Mundus incantator quidã, & præſtigiator ſit. quã igitur cauti, & acuti in eius fallaciis cõprehẽdẽdis eſſe debemus? & quãta laus eſt, eius dolos, ac tricas detegere? *omnis palma datur comprehenſioni ueritatis.* quot igitur triumphalibus palmis inter doctores ceteros ipſe *A*uguſtinus exultat?

Ineptæ de Deo ſententiç.

37 Ineptas de Deo ſententias aliquorũ refert. *Alii Deũ corpus igneũ putauerunt, alii cãdorẽ lucis immenſæ per infinita ſpatia uſq; quaq; porrectũ, ex una parte tamen quaſi nigro quodã cuneo fuſũ, duo aduerſa regna opinantes, & talia rebus cõſtituentes principia, cũ ſuis phantaſmatibus fabulati sũt.* Nota: dicitur quidẽ *Deus ignis conſumens eſt*, ſed tropicè. ac vide vt humana mens tenebris inuoluta, tenebras ipſi diuinitati affinxerit.

Deut. 4.

Mentis cogitatio quaſi theatrale ſpecta culum.

38 De tẽporaliũ rerũ contẽptu ſic pulchrè. *Sola æternitas dicere poteſt, ego ſũ qui ſũ; cui ſi nondũ poſſumus inhærere, obiurgemus ſaltẽ noſtra phantaſmata, & tã deceptorios, & nugatorios ludos de ſpectaculo mentis eiiciamus.* Vide, vt mens noſtra quaſi theatrale ſpectaculũ ſibi conſtituat, quod cũ eſſe deberet de rebus æternis, ac diuinis, vbi eſt vera voluptas, in nugas impendit ac iocos.

Dei miſericordia ludens cũ homine per ſimilitudines

Prou. 8

39 Agnoſcit Dei pietatem, qui per ſimilitudines corporeas nobis incapacibus ſpiritalia, & diuina repræſentarit. *Per Ignẽ, nubẽ, fumũ, columnã, quaſi per quædã uerba uiſibilia cũ infantia sũma parabolis, & ſimilitudinibus quodãmodo ludere nõ eſt aſpernata miſericordia* Dei Huc refero illud de diuina ſapientia. *ludẽs corã eo, ludẽs in orbe terrarũ &c.* & illud: *ſine parabolis non loquebatur eis.* miſericordia igitur Dei pulchrè quaſi mater cũ filiolis ludere geſtit, regiæ maieſtatis velut oblita.

In ſcriptura pulchriora ſpectacu la quam in theatro.

Sap. 8

40 Voluptatẽ omnẽ theatralẽ, ac ſcenicã minorẽ dicit ea, quæ in ſacræ ſcripturæ lectione percipitur. *Omiſſis, ac repudiatis nugis theatricis, & poeticis, diuinarũ ſcripturarũ cõſiderat ione, & tractatione paſcamus animũ, inanibus phantaſmatibus tanquã pictis epulis fruſtra refici, & ſatiari cupientes. ſi nos miracula ſpectaculorũ, & pulchritudo delectat, illã deſideremus Sapientiam, quæ pertingit à fine vſq; ad finẽ, & c. quid enim mirabilius aut incorporea Mundum corporeum fabricante, aut quid pulchrius ordinante, & ornante?* rectè oſtendit, in ſcriptura ſacra pulchriora exhiberi ſpectacula, cuiuſmodi eſt illud *A*brahæ immolare volentis filium &c. Tũ pende illud, animum vana voluptate fruſtra velle ſatiari tanquã, *pictis epulis*, videtur enim Mundus eludere ſuos, vt Heliogabalus, qui ad ludibrium fictas epulas conuiuis ſolebat apponere.

41 Docet ex omni re creata excitari, & attolli poſſe animum ad Deum laudandum, etiam ex ipſis vitiis. *Ab operibus artium conuerſi ad legem artium, eã ſpeciem mente contuebimur, cuius comparatione fœda ſunt quæ ipſius benignitate ſunt pulchra: Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, & ſempiterna eius virtus, & diuinitas. hæc eſt à temporalibus ad æterna trãſgreſſio, & in nouũ hominem reformatio; quid eſt autem, vnde homo commoneri non poſſit ad virtutes capeſſendas, quando ipſis vitijs poteſt? quid enim appetit curioſitas, niſi cognitionẽ? quę certa eſſe non poteſt, præter rerũ æternarũ, & eodem modo ſe ſemper habentiũ. quid appetit ſuperbia, niſi potentiã? quam non invenit anima niſi Deo ſubdita, & ad eius regnũ charitate cõuerſa? quid appetit voluptas, niſi quietem? quæ non eſt niſi vbi nulla corruptio.* Vide quã cõtinuè in Deũ ferri debeamus; cum ipſæ paſſiones animi, & defectus monitores quidam ſint, ac ſtimuli ad Deũ ſequendũ; nam cum potentiæ appetitus ſubrepit, & honoris, ad Deum recurrendũ eſt, vt ei obediendo magni ſimus, & ſic de aliis.

Ipſum vitiũ monitor eſt virtutis.

42 Explicat illud euangelicum de talentis in ſeruos diſtributis. *Multi habent talentum, ideſt mentis aciem, aut in ſudario ligatum, aut terra obrutum, ideſt delicatis, & ſuperfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus inuolutam, & oppreſſam.* Nota de ſudario, quaſi laborem, quo ſudor elicitur, ſubterfugerit. Tũ oſtendit quid ſit quinque talenta accipere, & lucrari alia quinque. *qui bene vtuntur quinq; ſenſibus corporis ad prædicanda opera Dei, & nutricandam charitatem ipſius. propterea talentum illi datur, qui talentis quinque bene vſus eſt; non quia transferri poteſt acumen intelligentiæ, ſed ſignificatum eſt poſſe hoc amittere negligentes, & impios ingenioſos, & ad eam peruenire diligentes, & pios, licèt ingenio tardiores. non enim datũ eſt illud talẽtũ ei, qui duo talẽta acceperat, ſed ei, qui acceperat quinq; nõ enim habet ad æterna cõtẽplanda idoneã mentis aciem qui viſibilibus tantùm, hoc eſt temporalibus credit, ſed qui horum omnium ſenſibilium Deum artificem laudat, & eum ſibi perſuadet fide, expectat ſpè, quærit charitate.* Egregiè ait, veram intelligentiam, ac ſapientiam ei communicari à Deo, qui à ſenſibilibus rebus ad eum recurrit, etiam ſi minus præſtet ingenio. acutè enim aduertit, talentum illud inutilis ſerui non datum ſeruo qui duobus tantùm, ſed ei qui quinque talentis bene operatus erat; hoc eſt qui quinque ſenſibus benè vſus. Vbi nota etiam, eum, qui ditior fuerat, ditiorem factum addito alio talento; profectus enim maior in ſpiritu eſt alterius profectus, & doni lucrum.

Bonus vſus quinque ſenſuum ad lucrum facit.

Con-

43 Concludit pulchrè, discurrendo per singulas res creatas, nulli deberi Religionis cultum, nisi Deo soli. *Sancti honorandi sunt propter imitationem, non propter religionem.* Tum de idololatria sic. *Omnis superstitio cùm sit magna pœna hominũ, honor est, ac triumphus dæmonum.* de Angelis verò. *Honoramus eos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus: nolunt enim sic honorari à nobis, quia nos ipsi cum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt; neque nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos, & his cõgratulamur, & nos tale aliquid speramus. quod colitur à summo Angelo, colendum est & ab homine vltimo: neque enim aliunde sapiens, aut verax homo, aliunde Angelus, sed ab una incommutabili sapientia ueritate.* Vide hominis dignitatem, eidem Imperatori vnà cum Angelis obsequentis. quod autem ait de idololatria. *Honor est, ac triumphus dæmonum.* Vide quàm præclarum sit eam destruere, hoc est de triumphatore diabolo triumphum agere, quem Xauerius egit.

Superstitio triũphus dæmonum.

Inde homini beatitas, vnde Angelo.

Xauerij triũphus de triũphatore diabolo.

44 Denique Religionis etymo sic hortatur. *Religet ergo suos Religio vni omnipotenti Deo, quæ à religando dicta est, inter illum, & mentem nostram nulla interposita cheatura.* Pertinet hoc in primis ad Religiosos, votis obstrictos, qui vt arctior sit nexus cum Deo tantùm, omnia abiecerunt.

Religio à religãdo dicta

Ex libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ.

1 DE beatitudine sic. *Beatus neque ille dici potest, qui non habet, quod amat qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si nociuum sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit.* Primus enim cruciatur, secundus fallitur, tertius ægrotat. Acutè rem perstringit: hoc vltimum ad Religiosos pertinet, si cum in optimo statu sint, nesciunt eo potiri.

Beatus quis non sit dicendus.

2 Non est, inquit, in homine optimum voluptas, quia hæc ad corpus pertinet, non ad animum, sed quod præcedit animam optimum; virtute fit optima anima, sed oportet aliquid aliud sequi, vt virtus sit in anima, scilicet Deus. *Deus igitur restat, quẽ si sequamur, benè; si assequamur, non tantùm benè, sed beatè viuimus.* Nota gradus, quibus ad beatitatem peruenitur.

Quibus gradibus beatitas attingatur.

3 De Deo sic. *Deum, si qui esse negant, quid ego cogitem, quo illi sermone suadendum sit? cum quibus vtrùm sermocinandum sit, nescio.* Certè apud Gentiles ipsos quidam è Philosophis, Deum esse negans, punitus est; ideò illud ore fateri non audent. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Athei indigni sermone sunt.

Psal. 13.

4 De Dei dilectione sic pulchrè. *Eò est omninò tendẽdum, ad id omnia consilia nostra referenda. bonorum summa Deus nobis est, neque infra remanendũ est nobis, neque vltra quærendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est.* Vidit hoc noster Ignatius, qui ad maiorem Dei gloriam omnia referebat. Addit. Sed quomodo sequamur Deũ, quem non videmus? huc vsque ratio attingit, iam deinceps auctoritate scripturarũ vtendum. *Mens vbi ad diuina peruenit, intueri non potest, æstuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis.* Eleganter de Dei præstãtia, ad quem anima fertur alis non ingenij, sed amoris.

Deus capi non potest, amari potest.

5 De Dei natura quid sentiẽdum sit, docet. Apud nos inueniuntur pueri quidam, qui humana forma Deum cogitant; qua opinione nihil abiectiùs. sed inueniuntur multi senes, qui non solùm super humanũ corpus, sed etiam supra ipsam mentem manere incommutabilem credunt. itaque illi, *quos quasi vagientes Ecclesiæ vbera sustentant pro suo quique captu, uiribusque nutriuntur, producunturque primùm in uirum perfectum; deinde ad maturitatem, canitiemq; sapientiæ.* Pulchrè, ait, rudibus, & incapacibus Ecclesiã matrẽ porrigere quasi vbera, vt perficiãtur in virũ, de Deo maiòra sentiẽdo

Rudiores, Ecclesiæ lacte nutriti adolescunt.

6 Explicat illud Pauli. *Neque altitudo, &c. poterit nos separare à charitate Christi.* idest, *Quis mihi Cælum polliceatur ut à Cæli fabricatore seiũgat? &c.* huc refer illud psalmi, *Quid mihi est in cælo? &c.* quàm tenax vinculum cum Deo alligans, à quo ipsa Cœli promissio non diuellat.

Rom. 8.

Psal. 72.

7 Dei similitudo qua ratione habeatur, ostendit. *Charitate iungendus est animus, fit enim Deo similis quantum datum est, dum illustrandum illi, atq; illuminandum se subijcit, iuxta illud: quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini, idest per charitatẽ infusam à Spiritu sancto.* Egregiè dictum. tãquam igitur speculum luce repercussum Solem, sic charitate informatus animus Deum repræsentat.

Rom. 8.

Animus tanquam speculũ Deũ accipit.

8 Gloriam sic definit. *Ait Apostolus, ipsi gloria, &c. Quid est gloria nisi optima, & summa, & latè patens fama?* Certè hanc, immò maiorem Dei gloriam spectari à nobis voluit S. Ignatius, ad quã Teresia etiã voto se adstrinxit; Apostolicis autẽ viris hoc propositũ est, vt quã latissimè toto orbe Christi fama pateat.

Gloriæ definitio

9 Doctè, ac pulchrè virtutis naturam, notionemq; definit. *Nihil aliud est uirtus, nisi summus amor Dei: ut temperãtia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur; fortitudo amor facilè tolerantis omnia propter amatũ; iustitia amor soli amato seruiẽs, & propterea rectè dominans; prudẽtia amor sagaciter seligens ea, quibus adiuuatur ab eis, quibus impeditur, &c.* Acutè adnotat virtutem, & præcipuas eius partes ad amorem, tanquam ad fontem referri.

Omnes virtutes ad Dei amorem tendunt.

Hæreticorum dogmata ludificationes sunt.

10 Manichæos sic execratur. *Nouem annis me ludificastis*. Nota quandiù Augustinus secutus sit Manichæos, & rectè ait, hæreticorum dogmata ludificationes esse, quibus imponunt alijs, nihil veri ac solidi continere.

Augustinus nouennis, Manichæus.

Scientiæ tumor carpitur.

11 De Philosophorum vanitate sic. *Sunt qui desertis virtutibus, magnum aliquid agere se putant, si vniuersam istam corporis molem curiosissimè perquirant; vnde tanta superbia gignitur, vt in ipso Cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur.* Vides vt inanis sit scientia sine pietate. astrologo quid prodest de Cœlo agere, si detrudatur ad Inferos?

Dei amor omnibus medullis concipiēdus.

Dei amor facit inuictos.

12 Dignam laude fortium illam Machabæorum matrem dicit, quæ in filijs torquebantur. *Quid mirum, si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistebat?* hoc & ad ss. Symphorosam, & Felicitatem refer; & vide vt medullitùs Deus diligendus sit, vt robur accipiamus.

Arctius pietatis vinculū estquam naturæ.

13 Ecclesiam sapientiæ magistram sic eleganter alloquitur. *Tu fratribus fratres, religionis vinculo firmiore, atque arctiore quàm sanguinis nectis; ostendis quemadmodum omnibus charitas, nulli debeatur iniuria; cumq; hæc humana dilectio inhærentem vberibus tuis nutriuerit, & roborauerit animum, tantus charitatis amor inardescit, tantum diuini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitijs, & homine purgato, & sanctificato satis appareat quàm diuinè dictum sit: ego sum ignis consumens, & ignem veni mittere in terram &c.* Præclarè ait Christianum arctiori vinculo charitatis adstringi religionis causa quàm sanguinis; item ad Ecclesiæ vbera ità nos nutriri, vt inde incendium amoris existat. quò spectat traditio illa de Elia, quem infantem igneis fascijs colligatum dicunt. hæc autem pro religiosis maximè faciunt; ad eum enim statum hæc verba egregiè pertinēt: *tu fratribus fratres charitatis vinculo firmiore quàm sāguinis nectis &c.*

Religiosorum status quā perfectus.

Charitatis ignea vbera sunt.

14 De continentia Religiosorum in Aegypto, & abstinentia, sic habet. *Hoc tam excellens fastigium sanctitatis cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri qui poterit?* Vide veterum Dei seruorum insignem virtutem. addit pulchrè. *In tantum processit temperantia, & continentia Christianorum, vt restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines reuocanda videretur, vsque adeo supra homines illorum animos euasisse ij etiam, quibus id displicet, audiant.* Nota in quantum perfectionis culmen ascendi possit per diuinam gratiam, vt supra humanum statum videatur, Mundo ipso iudice, ob incredibilem abstractionem ab ipso corpore, & rebus humanis.

Veterum religioso rum virtus hominis naturā trans cendens.

15 Religiosos Manichæis opponit, & horum oculos eorum morum splendore perstringit. *Quis non miretur, ac prædicet; qui contemptis, ac desertis Mundi huius illecebris in communē vitam castissimam, sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, modesti, verecundi, &c.* Meritò commendat exercitationes orationis, lectionis, etiam disputationis, sed sine tumore, cum verecundia, & c. rectè igitur noster Ignatius suis alumnis, in quibus doctrinam inesse voluit, adeò commendauit studium orationis, & sacræ lectionis, ac voluit mirò modo cum professione doctrinæ exactam obedientiam iungi. liceat humiliter ad nostros accommodare, quod pulchrè addit: *hi verò patres nō solùm sanctissimis moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulūt ijs, quos filios vocant; magna sunt in iubendo auctoritate; magna illorum in obtemperando voluntate.* Vide quos superiores, & quos subditos dicat, imò filios, sic eos vnicè diligebant.

Religiosi oratio, lectis disputatio.

Societatis Iesu exercitationes commēdatur.

Superioris sanctitas, & doctrina: subditi obediētia.

16 Illud planè mirum obedientiæ prodigium. *Conueniunt ad singulos patres, terna, vt minimùm, hominum millia.* Nota quanta in ijs quies esset, & concordia, cum tot millia vnus regeret pater tranquillè.

Tria millia reliosorum sub vno rectore.

17 Et illud miræ pietatis exemplum. *Ex operibus manuum, & cibi restrictione tantum sæpe redundat, vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.* Nota mirum studium religiosorum pauperum in exteros pauperes, quibus subueniebant tū labore suarum manuum, tùm subtrahendo sibi de proprio victu: diceres religionem mulieri illi forti comparatam, de qua dicitur, *operata est consilio manuum suarum, & facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.*

Religiosi ex labore manuum pauperibus subuenientes.

18 Eadem pietas commendatur & in fœminis. *Hæc est etiam vita fœminarum, Deo sollicitè, castèque seruientium, quæ habitaculis segregantur, lanificio se exercent &c.* Nota de sanctimonialibus, quæ easdem seruabant regulas, & idem viuendi genus, quod veri religiosi, vt cum illis eadem mulier fortis conferri possit, de qua dicitur. *quæsiuit lanam, & linum &c.* neque enim hæc studium orarationis impediunt, sed etiam fouent, & humilitatem alunt.

Sāctimonialium exercitiu

prou. 31.

19 Denique Religiosorum vitam sic Manichæorum vitæ opponit. *Istis vos, si potestis, obsistite, istos intuemini; iam videbitis quid inter ostentationem, & sinceritatem, inter superstitionis Sirenas, & portum religionis intersit.* Nota, vt religiosorum propria sit sinceritas, & humilitas, item securitas, cum procul sint ab illecebris mundi, quę Sirenum scopulis comparantur. scimus quid egerint Vlyssis socii ad earum carmina obstructis auribus.

Status religiosi perfectio, & securitas

De

Lib. de moribus Manichęorum.

Nulla substantia ex se mala.

Panis accipitrem necat.

Lutum igne adustis prodest.

Consuetudo venenum epotum facit innoxium.

Eucharistię sumptio carnalibus lethalis.

Concupiscentię ignisquo modo, extinguitur

1 QVidam Manichęorum vt probarent esse naturam, & substantiam ex se malam aiebant: *Vellem scorpionem in manibus hominis ponere &c.* at hic nocet ob inconuenientiam cum homine, nam si ex sè malum esset, ipsum scorpionem interimeret suum venenum, quod tamen si detrahatur, potius interit. *Ergo illius corpori malum est amittere, quod nostro recipere.* malum est quod contra naturam est, ipsa ergo incõuenientia non est substantia, vel inimica substantiæ: id probat hoc exẽplo. *Mulier Atheniensis paulatim bibendo venenum effecit, vt damnatæ ad illud bibendum non nocuerit, alijs percuntibus; si ergo est ex sè mala substantia, quomodo hæc effecit, vt non esset mala? fecit per consuetudinem, vt conueniret. sic oleum nobis commodum est, at multis animantibus, quæ sex pedes habent, aduersatur. præterea panis hominem alit, accipitrem necat. cænum ipsum quod haustum, & olfactum grauiter offendit, nonnè vulneribus, quæ ab igne acciderunt, medicamentum est?* Nota quod ait, panem accipitri lethalem esse, quod transferri potest ad Eucharistiam, quæ carnis desiderijs deditis lethalis est; quippe accipiter auis est maximè carniuora. Item nota lutum ad adustionis vulnera valere, hoc est ardentis concupiscentiæ, cum in pulchritudine corporis natale lutum consideratur, & vilitas naturæ; vel ad iracundiæ ac superbiæ æstũ extinguendũ ex iniurijs nobis illatis, cũ nos lutũ agnoscamus cõmune, quo facti sumus. nota ẽt vĩ cõsuetudinis in veneno.

Nihil creatum per se malum est.

Serpens serenitate gaudet.

Aspis aquilino visu pollet.

2 Pergit ostendere, nihil à Deo creatum esse ex se malum. *Quid cinere abiectius? at vtilis est agris. Sol iste, cui genuflectitis, aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat aspectus. serpẽtes præsentia Solis exultant, ibique sunt abundantiores, vbi est serenitas; difficilius, & rarius, ubi nubem contrahit. luci huic amicam aspidem quis neget? cum eius oculi aquilæ oculis comparentur.* Nota serpentis proprietatem, vt aere Sole illustrato magis appareant quàm nebuloso; ita dæmones in prosperitate magis tentant. Nota item aspides acutissima esse acie; sed incantationibus surdas; ita Mundani in rebus temporalibus acquirendis acutissimi sunt; sed surdi incantantibus sapienter ad conuersionem.

Virginitas defenditur.

Quæ vera sit abstinentia.

3 Pro virginitate sic pugnat. *Soletis, cum Catholicarum virginum multitudo prædicatur, dicere: etiam mula uirgo est.* at ita nos, inquit, vestram abstinentiam à carne, & vino cum multis iumentis, & vermibus conferre possemus. *magis laudandus qui paruo lardo utitur ad condimentum, & mero, quàm, qui abstinens delicias alias in cibo sectetur.* est hoc contra eos, qui sè iactant in voluntarijs ieiunijs, cũ in ipsis lautissimi sint, & aliis cibis, & sũmo cũ sumptu vescãtur. cũ Apostoli verba interpretatur. Cũ dicit Paulus: *bonum est non manducare carnem, nec bibere uinũ*: ob tres causas dicit: *uel nè cura carnis fiat in concupiscentiis, uel ut gula frænetur, uel ut scandalum eius temporis uitarent; nam tunc uendebatur caro immolatitia publicè; & uinum, quo bibebant Dijs, ac propterea quidam à carne, & uino abstinebant ad cautelam; & firmiores licet scirent, non quod in os intrat, coinquinare &c. tamen uitabãt scandalum infirmiorum. ideò addit Apostolus: neque in quo frater tuus offenditur &c.* Matth. 15.

Manichæorũ de Dei parte in his purganda ineptia.

Manichei pauperũ osores.

4 Abstinebant Manichæi à carne ob superstitionem. *Quoniam, inquiunt, membrum Dei malorum substantię constrictum est.* putabant Mundum de commista vtraque natura boni, & mali fabricatum, partem autem illam diuinam commistam ex omni parte Mundo quotidie purgari, & in Cælum tendere; sed per terram exhalando incurrere in stirpes, & herbas, quas foecũndet; ideò in floribus, & frugibus, & pomis inesse partem illam Dei; si daretur Manichæo, per eorum iustitiam, & orationes, & psalmos partem illam Dei purgatam, & expeditam sursum tendere, et ad suam sedem; alijs mendicis dari vetant, ne membrum Dei pauperis sordibus impediatur à reditu ad Deum; fugere autem aiebant aliquam partem Dei, dum carpuntur, dum moluntur, et affliguntur, et per digestionem in nobis. carnem verò putabant de ipsis sordibus esse concretam nam fit per concubitum, quod impedit partem Dei, et ex nutritione illa cibi, qui demorsus, et digestus est, multã Dei partẽ exhalat, remanentibus partibus sordidissimis. Vbi nota ludificationes Manichæorum, et iactantiam de se ipsis, cum dicerent, partem Dei, in floribus, et pomis, et frugibus positam, si sibi ea darentur, purgari suis orationibus, ac sursũ tendere; itẽ nota contẽptum pauperum, quibus flores etc. dari uetabant, quasi pars Dei in illis posita sordesceret. denique carne abstinebant quod ex commixtione generata, et morsu lacerata, exhalaret Dei partem. tum sic confutat. unde, inquit, colligitis esse illam Dei partem in floribus, et pomis? ex odore ne, an colore, an etiã sapore suaui? at cur ruborem indicem boni dicunt in rosa, damnant uerò in sanguine? in uiola colorem laudant, quem damnant in ictérico? *Cur de thesauris Dei melonem putatis esse aureum, & pernæ adipem rancidum, vel oui medium non putatis?* cur nitorem olei, significare corpora admisti boni, non autem in carnis succo simili? *cur vobis candor in lactucis prædicat Deum, in lacte non prædicat?* an quia flores, poma præstant odore? at è carne multorum animantium suauissima unguenta fiunt. an ob saporem? at olera fiunt sapidiora in carne cocta. *luto vesci auidius quàm aqua cisternæ*

debe-

Lutum odoratũ ex ficco puluere & imbri

habetis, quia perfusa imbri terra siccior nares miro odore permulcet, meliusque olet tale lutum quàm si exciperetur pluuia purior. nolite ergo flores adeò notare, ac laudare, quos iudicandos ante tribunal palati non potestis admittere. Nota pulchram metaphoram de lite florum ante tribunal palati, cum ipsi præcellere cibo carnis sapore non possint, ac cedere sit necesse. nota etiam Manichæos lac, quia de carne est, vitasse, & putasse candorem positum in lacte non prædicare Deum, vt in ceteris rebus, quod potius de voluptate mysticè dicere debuerunt. nota etiam, quod ait Augustinus, è multorum animalium carne suauissima vnguenta fieri; quod Deus miraculosè præstitit aliquorum Sanctorum corporibus post mortẽ, quæ vnguentorum odore fragrabant, vt S. Teresiæ &c. subiũgit: colorem quæritis, odorem, & saporem; *porcellum ergo assum, qui & colore nitidus, & odore blandus, & sapore iucundus est, habens perfectum diuinæ substantię inhabitantis indicium, purgari vestra sanctitate desiderat immunditia.* lepidè dictum, et ironicè.

Tribunal palati cibique iudiciũ.

Manichæi lac vitabant quia de carne.

Odor è corpore sanctorũ

5 Pergit eam opinionem confutare sic. *In Solis radiis, quem colitis, nihil ex tribus istis habetis nisi colorem; cur non igitur potius in sanguine, quàm in oleæ ramis habitat illa pars Dei?* Respondent, quia olea incensa fulgorem emittit; non item caro assa: at etiam adeps carnis adhibetur in lucernis, et rustici fimo bubulo ignem accendunt, et quædam animalcula lucent luce propria. Nota tamen quantò verius dixissent, Deum in eo inhabitare, qui virtutum fulgorem charitate incensus emitteret.

Manichęi cur in olea Dei partem ponerent.

6 Item eorum stultitiam exagitat. Putant per moram temporis, & per obtritionem fugere substantiam Dei seu boni: at multa potius mora temporis meliora redduntur, vt vuæ quędam, pyra &c. & multa sapidiora quasi à matre separata, & coloratiora sic fiunt: *quæ tãta peruersitas est, vinum putare fel principis tenebrarum, & vuis comedendis non parcere? magisnè inerat illud fel cum in cupa quàm cum in acinis fuerit?* lignũ certè per moram temporis potius fumo ablato melius lucet in flamma; Nota Manichęorum opinionem, qui per moram temporis res omnes fieri deteriores putabant, & occupare quodammodo partem illam Dei, quam continerent, ita vuas abundè comedebant, sed vinum detestabantur quasi fel principis tenebrarum: at dicere possis non minus de eorum vuis quam vino, *Vua eorum, vna fellis.* nos certè sub vini specie suauissimum illud nectar habemus Christi sanguinis.

Tempus multa meliora reddit contra Manichæos.

Vinum fel principis tenebrarũ Manichæi putabant.

Deut. 32

7 Acutè Manichæorum deliramentum perstringit. *Commotione, subactione, & actione rerum, inquiunt, fugæ occasionem inuenit diuina illa Natura.* Contra, inquit ipse, nam multa motu meliora fiunt, vt farina subacta, & melle pastilli ex carne attrita. addit. *Caro citharis neruos, ac tibiis ossa largitur, quę excauata, attrita, ac torta sonora redduntur: ita dulcedo musica, quam de diuinis regnis venisse cõtenditis, nobis mortuarum carnium sordibus exhibetur, & tempore arefactis, & attritione tenuatis, & torsione distentis, quibus afflictationibus, etiam de rebus viuentibus diuinam substantiam fugere prædicatis.* Referri hoc potest ad animæ harmoniam, quæ per afflictiones existit. hinc ex testudinis mortuæ neruis exsiccatis, ac pede compressis lyræ ortus extitisse dicitur.

Multa agitata, & attrita fiunt meliora contra Manichæos.

Ex mortificatione concentus harmonicus.

8 Obiectum Manichæorum, hominis corpus execrantium sic eludit. *Si carnem aspernamini, quia ex concubitu genita, ergo vos vermium caro delectat, qui sine concubitu ex putri nascuntur.* lepidè, & argutè perstringit, & matrimonii Sacramento patrocinatur.

Caro hominis ex se mala non est.

9 Tria illa signacula Manichæi apud se esse iactabant. primum oris, vt à carnis abstinerent esu; secundum manus, ne bestias occiderent, ne arbores euellerent: at Christus & dæmones immisit in porcos, & arborem fici arefecit. tertium signaculum sinus, quia prohibent nuptias, ne animam alligent carni. aiunt autem Adam peccasse, quia pars illa perexigua gentis aduersæ, quæ erat in anima, cum maxima pars lucis esset, commota est in hanc, vt ad libidinem declinaret: at si erat perexigua illa pars, quomodo potuit præualere? ac certè Manichæi ipsi valde incontinentes sunt. supra sic idem refutarat. *Manichæi tria signacula in suis moribus magna laude, & prædicatione laudabant, oris, manuum, & sinus, vt in his castus, & innocens esset homo.* sed contra, quid enim si peccet oculis, lingua, vel pedibus, nonne etiam reus erit? vide vel arrogantiam, vel ineptias hæreticorum.

Tria signacula sanctitatis apud Manichæos ineptè.

Ex Libro de genesi contra Manichæos.

1 QVærunt Manichæi, si in principio creauit Deus, quid agebat eo tempore antequam crearet? respondet acutè, male quæri de tempore, antequam esset tempus. addit male item quęri, quare Deus creauit? *causam voluntatis Dei scire quærunt, cum voluntas Dei omnium, quæ sunt, ipsa sit causa.* rectè arguit: alioquin si voluntas Dei habet causam, erit hæc prior, & maior, quod nefas est dicere.

Voluntatis Dei non datur causa.

2 *Et tenebræ erant super abyssum). reprehendunt hoc Manichęi, dicentes: in tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem. verè ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, & ideò non intelligunt lucem, in qua Deus erat, antequam faceret istam lucem. illud lumen non rationa-*

Genes. 1.

Cordis oculus qua luce pascatur

bilium animalium oculos pascit sed pura contra. Acutè perstringit; et vide quæ sint cordis spectacula.

Spina datæ post peccatū vt cor compungant recordatione.

3 *Germinet terra herbam virentem. &c.* Obiiciunt Manichæi. cur spinas produxit? nempe, *vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerētur aliquando auerti à peccatis, & ad Dei præcepta conuerti.* post terram maledictam spinæ; ideò vt vilis infructuosis arboribus timeant homines ne & ipsi excindantur. pro monitore igitur est aculeus ille in spinis, vt nō tam manus, quàm cor primi peccati recordatione compungat.

In Olympo monte cur aues nullæ.

4 Explicat quomodo dicantur volucres productæ ex aquis: *nempe ex aere humido, ac nebuloso, quo suspendi possit volatus* ideòque refert in Olympo monte non esse aues scilicet ob aerem ualde tenuem, ut uolare non possint, quò qui ascendunt stato tempore ad sacrificia, in puluere notas inueniunt uestigiorum, cum uenti, et imbres nulli sint; ob tenuitatem autem aeris maximam spongias ferunt madētes, ut aerem paulò densiorem hauriant. ubi nota Olympum montē altissimū, in quo aer purissimus est, electū à veteribus ad sacrificium talis est mens iusti, à passionibus imperturbata; nec ulla ibi uolucris elatio inanis gloriæ.

Mēs iusti Olympo monti comparata.

Mundus diuinæ sapiētiæ officina inscrutabilis.

5 Obijciunt, cur Deus creauit quædam animalia non necessaria homini? at hoc ita est, vt si quis rudis artis in officinam intrans, putet quædam instrumenta inepta, aut instrumentum fornacis ignitum tractādo iniustus accuset artificem, qui tamen hunc ignarum irrideat, qui nescit vti. *Nullius præterea animalis corpus est, vbi non mensuras, numeros, & ordinem inuenias, quæ omnia non aliunde proueniunt, nisi à summa mēsura, numero, & ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabilis, atque æterna consistunt.* Pulchrè Mundum tanquam diuinæ sapientiæ officinam dicit, cuius opera diiudicare non liceat, cum rationē ignoremus.

Cur quedam nobis noxia creata.

6 Cur, inquiunt, multa animalia aut perniciosa, aut superflua creauit? Respondetur. *Perniciosis, vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ne vitam istam, sed aliam meliorem, vbi summa securitas est, diligamus.* Nota tres rationes. multa licet superflua domui nostræ videantur, quia parua est, nō ita superflua sunt magnæ huic domui, idest Vniuersitati. vide igitur, & admirare Dei sapientiam, & clementiam omnia ad nostram salutem dirigentis.

Quid sit ad similitudinē Dei creari.

7 *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.)* obiiciunt Manichæi, colligi hinc Deum esse corporeum; sed intelligendum est de interiore homine, vbi est ratio, & intellectus: *vnde addit continuò, vt præsit, vt ostendat, ob hanc potestatem esse similem.* anima intellectu superat, & corpus erectione, vt ostendatur æterna spectare debere. ac vide quid nos reddat Deo similem, si vt ipse Mundo præest, ita & animus corpori, ac suis passionibus præsit.

8 *Vidit Deus vniuersa, quæ fecerat, & erant valdè bona* quia vnicim visa dicuntur, ideò valde bona. *Tanta vis est vnitatis, & integritatis: Vniuersum autem ab vnitate nomen accepit.* sic, inquit, pulchritudo non in singulis inest syllabis, sed in coniunctis. vbi nota quantò pulchrior appareat bonitas in aliquo cœtu bonorū, vt sunt familiæ religiosorū. Nota itē, quod & alibi pulchrè dixit, Mundū hunc carmini encomiastico, seu poemati in Dei laudem composito esse simile, cuius quasi syllabę sunt creaturæ singulæ; nobis autem sententiæ potius quàm syllabę notis insistendum, & attendendū est.

Totum vnitum pulchrius apparet.

Septem primi dies respondēt septem ætatibus Mundi.

9 *Requieuit die septimo)* septem dies creationis mundi respondere dicit septem ipsius ætatibus: idest Prima ætas quasi infantia ab Adam refertur vsque ad Noë, quam consequitur diluuium, idest obliuio. Secunda quasi pueritia à Noë vsque ad Abraham, nam vt factum est firmamentum inter aquas superiores, & inferiores, ita & Arca superemināēs aquis. Tertia quasi adolescentia ab Abraham vsque ad Dauid; adoleuit enim sub Abraham populus Dei; & terra apparet arida, sitiens scilicet imbrem cœlestium mandatorum, fructificat prophetia. Quarta quasi iuuentus à Dauid vsque ad captiuitatem Babylonicam; nam, vt quarta die Sol, Luna, stellæ; ita hic pro Sole splendet potestas regia, pro Luna synagoga, pro stellis principes. Quinta ętas quasi declinatio ad senectutem à captiuitate ad Christū: vt fiunt pisces & volatilia, ita multiplicantur Iudęi in captiuitate; cete grandia perfecti in fide. Sexta ætas quasi senectus mundi à Christo ad iudicium: senectus, quia regnum Iudæorum attritum; sacrificia cessant: & homo renouatur nato Christo. secundus Adam, & Eua, Christus, & Ecclesia. Septima ętas à Christo vsque ad iudicium, cuius quasi diei vespera erit, cum paulò ante iudicium. *refrigescet charitas multorum* mane verò huius diei fuit aduentus Christi. Psal. 18. præclarè, Solem comparat regno, vnde illud; *thronus eius sicut Sol in conspectu meo,* principes stellis. quæ influunt in inferiora.

Septem primi dies creationis respondent septem gradibus nostræ perfectionis.

10 Pulchrè hos primos dies in Mundi creatione posse etiam in nobis considerari, ait. nam Primus dies est lux fidei, sicut lux primo die creata est. Secundus discretio inter carnalia, & spiritualia, respondens diuisis aquis. Tertius cognitio veritatis, *quæ tanquam Sol fulget in anima.* Et anima corpori ordinem, & pulchritudinem præstans, vt Luna illuminat noctem; sidera verò intelligentiæ spiritales. Quintus, quo creata sunt cete grandia, operationes scilicet fortissimæ, & perfectæ, frangentes fluctus huius seculi. Sextus dies, quo creata mas, &

mu-

mulier, intellectus scilicet, et actio. Septimus denique spes æternæ quietis. vbi nota veritatem pulchrè Soli comparari: Solem de Mundo detrahis, si veritatem tollis. animam Lunæ, quæ à Deo Sole iustitiæ illuminata, corpus hoc, quasi tenebricosum, illustrat in nocte.

Adam mortuus ex ad verso paradisi.

11 De Adam sic. *Adam eiectus foras mortuus est cōtra paradisum voluptatis.* Nota. moriens Adam, è regione habuit paradisum, vnde est eiectus, vt disceremus mori non sine dolore peccatorum, & suspirare ad amissam patriam recuperandam.

Cur Adam formatus de terrena materia, non de cœlesti.

12 Arguunt Manichæi, quòd homo de limo est factus. *Num deerat melior, & cœlestis materia?* Respondet: Poterat efficere, vt etiam de limo factus, non corrumperetur; qui Cœlum de nihilo fecit, vel de informi materia; nisi significatum esse dicamus, quòd sicut limus constat ex terra, & aqua, quæ conglutinat; ita anima coniungitur corpori, ne resoluatur. huc refer, quòd cœcum curaturus, item limum adhibuit, vt se primum conditorem ostenderet; & certè magis elucet potentia, cū tā deformes de limo terræ transformet quodam modo in cælestes, & quid excellētius quàm illud? *trāsformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Superbia mater hæresum.

13 *Et insufflauit in eum spiraculum vitæ*) si in ipsa formatione statim anima data est, per insufflationem accepit sensum; aut ostenditur, animam datam nō esse Dei partem, vt aiunt Manichæi: *sicut enim mater omnium hæreticorum, est superbia, ausi sunt dicere quòd natura Dei sit anima*: sed contra, quia pars Dei esset, vt hæc, misera, obnoxia vitijs &c. at de ipso dicitur, *qui finxit spiritum omnibus*: ergo non est ipsius Dei pars. ac nota illud, *matrem hæresum esse superbiam* prò quàm deformis, ac monstrosus partus?

Paradisus quasi regia mēsa apparata homini.

14 De paradiso sic. *Paradisus deliciarum positus ad Orientem lucem sapientiæ. Edem interpretatur deliciæ, vel epulum.* pulchrè ait Deum posuisse in Mūdo paradisum tànquā regiam mensam omni deliciarum genere vberrimè plenam. multò abundantior hæc quàm illa celebris Solis mensa, quantumuis apparatissima omni genere ciborum, quam, quòd à Sole maturescant fructus terræ, ei dedicarunt.

Cur lignum vitæ in medio paradisi.

15 *Lignum vitæ in medio paradisi.*) Sapientia est lignum vitæ, vt anima se intelligat in meditullio ordinatam, cui subiectum sit corpus; supra se Deum habeat, nec recedat ad sinistram, nec ad dexteram: *non contemnat quod est; nec arroget quod non est.*

Quatuor paradisi flumina quatuor virtutes cardinales.

16 Quatuor paradisi flumina interpretatur, quatuor virtutes cardinales. Primum flumen, Phison, seù Ganges, est prudentia habens aurum, carbunculum, & prasinum. disciplina viuendi purgata est aurum; carbunculus, qui nocte non vincitur, est veritas; prasinus viridis vita æterna. Secundum flumen Gihon quod circuit Aethiopiam calentem, est feruor actionis, & calor impiger, idest fortitudo. *Tertium Tigris vadens contra Assyrios, est temperantia contra libidinem. Quartum Euphrates non dicitur quò vadat: iustitia enim ad omnes animæ partes pertinet.* pulchrè veritas carbuuculo comparatur, & æternitas prati viriditati. porrò referri humiliter potest Euphates idest frugifer ad Societatem Iesu, quæ definitum locum Orbis non habet. item quatuor hi fluuii ad quatuor ordines Mendicantium.

Quatuor ordines Mendicanum per quatuor paradisi flumina significū

Veritas carbunculo con fertur, & æterna vita prasino.

17 Aduertit illud acutè; Non dicitur in paradiso esse serpens, sed inter bestias, figuratè dictum de affectu, etiam si non esset ibi serpens: sicut ad nos non corporaliter accedit tentando, sed suggerendo miris modis. Addit; etiam in tentatione apud nos sunt illa tria, serpens, mulier, vir; serpens; suggerendo per sensus, vel cognitionem - mulier, idest motus cupiditatis; vir, idest ratio consentiens. ita quotidie quodammodo in nobis renouatur hæc primorum parentum feralis tragoedia. *etiam nunc in vnoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisq; delabitur, quàm quòd tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, & viro.*

Vnumquodque peccatū represen tat primū illud Adam.

18 Excusatio peccati quantum malum sit, ostendit. *Mulier, quam dedisti mihi sociam &c. nihil tàm familiare peccantibus quàm tribuere Deo id, vnde accusantur; & hoc ex vena illa superbiæ.* vt sicut ante lapsum, ità post Deum parem sibi faciant. vide vt obstruenda sit vena superbiæ, vndè tantum malitiæ manat.

Excusatio peccati ex vena superbiæ est.

19 *Pectore, & ventre repes.*) Quia scilicet per superbiam, & per concupiscentiam nos tentat. vbi nota datum in pœnam, vt per terram repat pectore, ad humiliandum tumorem superbiæ; & vt ventre repat per terram, vt concupiscentia, quæ pulchritudine excitatur, terreni, & vilis figmenti cognitione coerceatur. *nomine pectoris significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi. nomine autem ventris carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore.*

Cur serpens in pœnam pectore, & ventre repere iussus.

20 *Inimicitias ponam inter, & & inter mulierem.*) Cur non inter virum? nam, & hic tentatus. & certè deceptio per tentationem ad ipsum peruenit, sed significatur, quod non est peccatum, nisi pars inferior primùm tentetur; ideò calcaneum, idest lapsum eius obseruat, hic autem caput suggestionis. *hinc autem manifestum est, non posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ mulieris imaginem refert.* vide quantò nobilior sit vir muliere, quantò pars superior inferiore, quantò pars rationalis animali.

Vir quāto nobilior sit muliere.

21 *Ad te conuersio eius, & ipse dominabitur tui.*) At nunc mulieres post partum potius superbæ fiunt, *immò quasi dignitatem sibi*

Mulieres partu superbæ fiunt.

bi additam credunt, quòd matres fiant, & plerumque superbiores euadunt, refert hoc mystice ad imbecilliorem, & inferiorem animi partem, quæ vbi cum difficultate pepererit, obtemperat. Vbi nota de superbia mulierũ, cum matres fiunt. contra beata Virgo Mater declarata Dei, ait, *Ecce ancilla Domini.* nota etiam illud quasi de partu difficili cõsuetudinis bonę, sed vtilissimo.

Cosuetudo bona quasi difficilis partu.

21 *Terram comedes) idest peccatores terrenos, qui cibus sunt dęmonum. vel serpens terram comedens curiositas est, quæ quasi terra abdita mordet, & rimatur.* Nota, peccatorem quodamodo in Diaboli substantiam vt cibum transmutari; item curiositatis malum, præsertim in defectibus aliorum indagandis, quod serpentinum est.

Peccator diaboli pastus.

Curiositas serpens est.

22 *Mater viuentium) Quem non moueat quod post peccatum, & sententiam Iudicis, Adam vocat mulierem suam vitam? quia viuorum ipsa sit mater, postquam genuit mortem, & mortales fœtus parere destinata est.* refert hoc acutè ad partem concupiscibilem, quæ erudita cum difficultate pariens consuetudinem bonam, conuertitur ad rationalem, vt paulò ante dictum est.

Consuetudo bona vitalis est fœtus.

23 *Misit eum de Paradiso) Bene dictũ est, misit, non exclusit, vt ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruum videretur vrgeri.* Acutè notatum verbum, *misit*, quasi de alio loco homo deiectus sit ob pondus iniquitatis propriæ. huc pertinet visio illa iniquitatis, quæ sedet *super talentum plumbi*. peccati igitur pondus nos à Paradiso deiectos ad ima deprimit.

Peccati pondus, de culmine paradisi ad infora depressit.

24 *Ne porrigeret manum ad arborem vitæ,) V*idetur modus loquẽdi, quo potius admonemus aliquem, vt velit, cum dicimus. *Ideo te moneo, nè fortè sis vir bonus; volentes vtiq; vt sit. moneo tè, non desperãs, quod bonus esse possis. potest ergo videri propterea homo in labore huius vitæ dimissus, vt aliquando manum porrigat ad arborem vitæ, scilicet ad crucem.* Nota interpretationem acutam, & pulchram; & cur huius vitæ permittantur ærumnæ: vt scilicet Christum degustemus de Crucis arbore.

Laborandum est vt de crucis fructu gustemus idest Christo.

25 *Posuit ante Paradisum Cherubim, & flammeam frameam, quæ versatur.) Per flammeam frameam temporales pœnę intelliguntur, quæ temporum volubilitate versãtur, quia vrit quodamodo tribulatio. Cherubim idest scientiæ plenitudo; nemo ergo potest peruenire ad arborem vitæ, nisi per tolerantiam molestiarum, & scientiæ plenitudinem. A*ddit: videtur hoc secundùm non omnibus, nisi perfectis conuenire, sed plenitudo scientiæ est charitas. vbi nota, per gladium illum versatilem, idest aspectum mutantem, esse significatum, temporales afflictiones non fore perpetuas; & per eas, & per charitatis plenitudinem intrari in beatam vitam; atque in charitate, dum pro Christo patimur, esse veram plenitudinem scientiæ positam. refert item hoc ad purgatorij flammam versatilem, quia temporalis est.

Gladius versatilis tribulatio huius vitæ temporanea, igneus ob charitatem.

26 *Fons ascendebat de terra, & irrigabat faciem terræ.) Facies, idest dignitas terrę Mater Dei Virgo MARIA rectissimè accipitur, quam irrigauit Spiritus sanctus.* Egregiè de plena irrigatione Spiritus sancti quasi super terram virginem nondum subactam, vnde pulcherrimum germen Christus.

Deipara terra spiritus sancti fonte irrigata

27 Obijciunt Manichæi, quare fecit Deus hominem, si sciebat eum peccaturum? Respondet, quia multa bona ordinauit per peccatum; & per ipsum Diabolum multi corriguntur; & fecit hominem eiusmodi, vt si nollet, non peccaret. *quia & de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundùm moderamen iustitiæ, &c.* Vide sapientiam, & bonitatem Dei etiam mala ordinantis ad bonum.

Deus malum ipsũ ordinat ad bonũ

* Ex Regula ad Seruos Dei.

1 DE Religiosis in sæculo diuitibus sic. *Magis studeatur non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint.* Est hoc notabile monitum ad benemeritos, qui iccirco vellent indulgentiùs tractari.

2 De sensuum custodia sic. *Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla; nec dicatis habere vos animos pudicos.* De modestia verò vniuersè. *In incessu, statu, habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatẽ.* Nota de decoro Religiosi. Huc facit, quod noster Ignatius peculiares regulas scripsit de modestia.

3 Fratris delicta Præposito denuncianda dicit, à quo puniatur. *Sin vero dicta ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de uestra Societate proijciatur, ne contagione pestifera plurimos perdat. M*irificè hoc facit pro instituto in primis Societatis Iesu, quæ incorrigibiles à se reijcit, præsertim immortificatos.

Incorrigibiles religiosi eiiciendi

4 Superiorem sic instituit. *Ipse uerò qui uobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem: bonore coram uobis prælatus sit uobis, timore coram Deo prostratus sit pedibus uestris, patiens sit ad omnes &c. V*ide qua humilitate, & charitate munus suum exercere prælatus debeat.

Prælatus humilitate, & charitate insignis sit.

* Ex Regulis Clericorum.

1 SVperiori omnia patefieri iubet. *Prę-posito de ijs, quæ in communi decreui-*

mus,

mus, nihil esse censeo substrahendum, quia scriptum est: pacifici sint tibi multi, sed unus ex mille sit tibi consiliarius; & omne, quod manifestatur, lux est. sanè hoc maximè Ignatius noster cõmendat, vt non modò vitia, sed virtutes, ac tota conscientia Superioria perta sint.

Rigor disciplinæ commendatur.

2 De delictis puniendis sic. *Si quis semel atque iterum commonitus se non emendauerit, sciat se subiacere disciplinæ monasterij; si autem talis fuerit ætas ipsius, etiam vapulabit.* Vides obseruantiæ rigorem; & hoc fit nunc admirabilius, quod etiam adultis, si opus sit, flagra ex funiculis imperãtur publicè, & humiliter obtẽperatur

Ex libro de vita Eremitica.

Silentium præsertim in quadragesima seruandum.

1 Silentium in primis commendat, & quadragesimæ obseruantiam. *Sacratissimum mentis statum non solùm stulti loquia euertunt, sed & peruertunt; nihil tàm esse tibi censeo sectandum, quàm silentium; tempore verò quadragesimæ semper silentium tenere debere.* Vide vt tempus illud passioni Christi sacrum totam mentem absorbere debeat; itaque subiungit pulchrè. *in hoc tempore omnis Christianus aliquid addere dicitur solitis obsequijs.* multò magis id religiosis agendum dicit. *omnes delicias respuat, omnes confabulationes abiuret, & quasi nuptiarum hoc tempus existimans, ad amplexus Christi omni auiditate suspiret.* huc refero illud Sephoræ ad Mosen. *sponsus sanguinum tu mihi es:* pergit. *frequentius solito incumbat orationi, lacrymas prouocet, cor ab omni vagatione compescat.* Et hoc attende. *in quadragesima vnum quotidie sufficiat pulmentum, & nisi infirmitas impediat, feria sexta in pane, & aqua ieiunet.* vide quàm seuera parcitas sit veri ieiunij.

Quadragesima quam exacte, & seuere traducenda.

Oratio præsertim ad s. Agnetẽ in carnis tentatione vsurpanda.

2 In carnis tentationibus ad S. Agnetem recurrere hortatur. *Si callidus hostis quietem pudicitiæ infestauerit, cogita Agnetem beatissimam, quæ fœdum lupanar vertit in oratorium; quod cum virgine ingrediens Angelus lucem infudit tenebris; si igitur & tù oraueris, & contra libidinis incensorem, lacrymarum arma leuaueris; non certè Angelus tuo casto deerit cubiculo, qui prostibulo non defuit, ac prædatori responde: Angelum habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum.* pulchè illud dictum de lupanari in oratorium verso; ac vide quibus armis aduersus incendiarum dæmonem pugnandum, lacrymis scilicet; & qua oratione vtendum, eadem qua Agnes.

Nemo quantumuis sanctus securus a tentatione carnis.

3 Neminem quantumvis iustum tutum sè præstare debere dicit à carnis periculo. *Noui monachum, qui in huiusmodi suggestione erexit sè contra sè, inedia sè macerabat, plerumque sè frigidis aquis inijciens, tremens, psallebat, & orabat, sæpe vrticis fricabat corpus, & cum adhuc spiritus fornicationis vrgeret, prostratus ante pedes Iesu orat, plorat, suspirat, rogat, adiurat, obtestatur, vt aut occidat, aut sanet: præstatur ad horam refrigerium, sed negatur securitas,* mirum studium castitatis seruandæ. huc refero illud Pauli. *ter dominum rogaui, vt discederet a me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea.* Tum eos arguit, qui senio sè frigescere aiunt, nec sibi diligenter cauent. *videat, an mentiatur iniquitas sibi, nam & emortuam senectutem intestinum hoc malum sæpius inquietat.* proh quàm indefessum malũ. tremunt senio membra, sed cor maximè trepidare deberet.

Mira mortificatio in carnis tentatione.

4 *Negat* cauendã esse abstinentiã metu morbi, quasi posteà oneri sint futuri religioni. *Hæc excusatio nostra est. in peccatis nostris omnes sapientes sumus, omnes prouidi, procul odoramur bellum, & morbum corporis antequam sentiatur, formidamus, vt languorem animi, quem præsentem sentimus, territi negligamus; quasi tolerabilius sit flammam libidinis, quàm ventris tolerare rugitum.* tùm exemplum affert cuiusdam adolescentis, qui cum resipuisset, se abstinentiæ dedit, & cum eius causa obijsset, à Christo exceptus est. *tandem in se reuersus irruit in se ipsum, & bellum indicens corpori, etiam necessaria ademit &c. demisso vultu, oculisque deiectis stabat, sedebat timens, & tremens quasi diuinis tribunalibus uideretur assistere: talibus armis gloriosum retulit de tyranno triumphum; nam grauissimum stomachi incurrens incõmodum, post diuturnum languorẽ, cum iã dormitionis eius hora instaret, sine, inquit, ecce Iesus uenit.* vide verè pœnitentis exemplar insigne, & meritum seuerissimæ, disciplinæ. pulchrè triumphum vocat: Christus ut imperator adstitit morienti, palmam, & coronam proferens.

Abstinẽtia non fugienda metu morbi.

Adolescenti ob abstinentiam morienti Christus apparet.

Triumphus abstinentię

5 In abstinentia nimis discretum esse non decet. *Sæpe falso nomine discretionis palliamus negotium uoluptatis.* præclara vox, & ponderis plena. facilè in hoc religiosi solent incurrere. tum pulchrè addit. *uera discretio est, animam carni præponere, &c.*

In abstinentia non decet nimis esse discretum.

De paupertate etiam in rebus pijs sic. *Est quadam species uanitatis, affectata aliqua pulchritudine etiam intra cellulam delectari, parietes uariis picturis ornare, oratorium pannorum, & imaginum uarietate decorare: hæc quasi professioni tuæ contraria caue.* facilè item in religiosorum cellulas irrepit hic abusus, prætextu vel munditiæ, vel deuotionis. probat tamen simplicem imaginẽ Crucifixi, ad cuius pedes eius mater virgo, & Ioannes sint depicti: itaque sic pulchrè ait. *hæc tibi ora-*

Paupertas in religiosi cellula commendatur.

In religiosi cellula crucifixi imago sufficit.

torij

torii tui ornamenta repræsentent. hæc tibi præbeant incentiuum charitatis,non spectaculum vanitatis.sufficiat tibi Saluatoris in cruce pendentis imago,qui expansis brachiis te ad suos inuitet amplexus,ac nudatis uberibus lac suauitatis infundat. Vides vulnera Christi vbera quadã esse,quæ nos sanguine quasi lacte nutriunt. quàm auidè infantes mammis inhærent, & vagitus querelas deponunt?

Paupertas religiosi etiam in altari.

Panni in altari linei quid nos commonefaciant,

6 Simplicitatem in oratorii altari requiri ait ex lino, cuius intuitu suos conformet actus. *Panni linei,candidi tuũ adornent altare. cum terreno colore omnes nascimur. cogita quo labore, quibus tunsionibus terrenum,in quo creuit, linum colorem exuerit, & ad talem candorem peruenerit, vt ex eo ornetur altare: primùm aquis immergitur,postea siccatur, deinde malleis tunditur,post hoc ferreis aculeis discerpitur,adhibetur deinde leuiter purgatio, postremò à nentibus in longum producitur; porrò, vt ei accedat perfectio, & pulchritudo, ignis adhibetur, & aqua.* Ad varios mortificationis gradus hæc refert. vbi nota ornamenta ipsa altaris simplicia, & eiusmodi requirit, vnde non curiositas oculorum; sed contemplatio mentis pascatur.

Latronis pietasnõ solum in cruce, sed ãtea in puerũ Iesum ostensa.

7 Refert mira quædam de latrone in cruce conuerso. *Erat ille,vt aiunt, principis latronum filius, qui cum paruulum Iesum fugientem in Aegyptum in matris gremio comperisset, tanta in eius speciosissimo uultu maiestas apparuit,ut eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore, amplexatus,ò inquit,beatissime,si aliquando se tempus obtulerit miserendi, tunc memento mei.in cruce uerò eum in illa, qua in pueruolo apparuerat,intuens maiestate, pacti sui non immemor,memento,inquit,mei, cum ueneris in regnum tuum.* si rei fides habeatur, vide quantum profit ad cõuersionem peccatorum aliquid egisse piè quondam. & nota inter tot opprobria crucis visum ei Christum in maiestate, ideo regni meminit.

Virgines quã impense Christũ amare debeant

8 De Magdalena sic pulchrè. *Accede cum illa beatissima peccatrice ad pedes Iesu,laua lacrymis, demulce osculis, foue unguentis.certè non negabit pedes suos uirgini,quos osculandos præbuit peccatrici.* est hoc magnum virginitatis solatium. & vide quo affectu virgo esse debeat in sponsum Christum,

Pectus Christi alueare mellis fuit Ioãni.

9 De Ioanne verò sic. *Vides nè quis nam ille est,qui supra Domini pectus recumbit? felix quicumque ille est. Ioannes est. ò quid ibi dulcedinis, quid gratiæ, quid luminis, & deuotionis ab illo hauriam fonte.ibi omnes thesauri sapientiæ, & fons misericordiæ, domicilium pietatis, & fauus æternæ suauitatis.* Eleganter Christi pectus quasi alueare facit suauissimi mellis. tum sic item pulchrè addit. *dimitte Ioanni pectus, ubi eum uinum lætitiæ in cognitione diuinitatis inebriet.tu currens ad ubera humanitatis lac exprime,quo nutriaris.* hoc est ipse vt Deũ cõsideret,tu,quiminus vales,vt hominem. ipse pectus possideat, tu vbera, hoc est vulnera. & vide vberius quodãmodo Ioannes è diuinitatis poculo hauserit.

Ioannes Christi pectus, nos vbera teneamus.

Christi sudor sãguineus ore lambendus

10 De sudore sanguineo sic. *Orat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. quid stas?accurre, & suauissimas illas guttas lambe,& puluerem pedum illius linge.* piè admodum dictum. huc refero mirum illud,quod Sandrocon to Indo accidisse narrant,qui cum Alexãdri furorem citissimo cursu fugeret, ac propterea totus sudore madescens somnũ captaret, sensit sibi sudorem leonis lambentis lingua abstergi. quis igitur tam ferus est,quin Christi sudorem lambat?

Pier.Va

Christi tolerantia eum Deũ ostẽdit.

11 Perpendit illud Pilati. *Ecce homo; verè homo est, inquit, sed quid est quod in tot iniuriis non irascitur, vt homo?ergo plus est quàm homo,*acutè notatum de diuinitate Christi. & nota quod ait Euangelista, nihil Pilatum tam admiratum in Christo, quàm quod in tot calumniis non se defenderit:*ita vt miraretur præses vehemẽter.*

Matt,27.

CurChristus crucem elegerit.

12 Contemplatur eum in cruce. *Mediator Dei, & hominum inter cœlum, et terram medius pendens,ima superis vnit.et cœlestibus terrena coniungit.* nota, cur in aere sit suspensus.tum pro inimicis orantem attendit. *Verum in his omnibus considera illud dulcissimum pectus quàm tranquillum.* meritò Ioannes in eo tanquam in placida statione recubuit.vide in tanta tempestate dolorum,vt nulla vis pectus amantissimum perturbarit, & dulcissimum remanserit inter pocula fellis,& myrrhæ.

Christi pectus interprocellas passionis tranquillum,

Latus apertum Christi quasi columbæ nidus.

13 De percusso Christi latere sic eleganter,& piè. *Lancea latus eius aperitur,et exit sanguis, et aqua.festina, ne tardaueris, comede fauum cum melle tuo;bibe vinum tuum cum lacte tuo: sanguis tibi in vinum vertitur,vt inebrieris;in lac aqua mutatur vt nutriaris.in maceria corporis eius cauernæ sunt, in quibus instar columbæ latites, et deosculeris singula ex sanguine eius. fiant sicut vita coccinea labia tua.* Pulchrè hortatur,vt nidificemus in Christi vulneribus quasi colũbæ ad fenestras suas;vt de fauo gustemus, vt sanguine lateris quasi vino inebriemur eius amoris;& aqua vt lacte alamur.item rectè monet,vt de tanta charitate loquamur cum affectu, labiis quasi Christi cruore respersis.

14 Iosephi ab Arimathia pietatem ante oculos proponit. *Vide, vt nobilis ille decurio extractis clauis,manus, pedesque dissoluit. vide quomodo felicissimis brachiis corpus complectitur, ac suo adstringit pectori.tunc dicere potuit: fasciculus myrrhæ di-*

Christi corpus pretiosissimum cœli terræque thesaurus.

lectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. sequere tu pretiosissimum illum cœli, terræque thesaurum. vel pedes porta, vel manus brachiaque sustenta, vel certè defluentes minutatim pretiosissimi sanguinis stillas curiosius collige, et pedum illius puluerem linge. Piè admodum, & præclarè dicta. nota singula pietatis officia in Christi sepultura à nobis præstanda; illud in primis piũ de lambẽdo Christi sanguine; & vide quid sit Christi corpus in Eucharistia sumere: *pretiosissimum cœli, terræque thesaurum.*

Magdalenę affectus erga Christũ apud sepulchrum.

15 Magdalenæ affectum contemplatur. *O si in spiritu cernere merearis Mariam flentem, & Iesum suaui voce dicentem, Maria. quid hac voce dulcius, Maria? ò beata, quid tibi animi fuit, cum reddens vicem salutanti inclamares, Rabbi; nam plura dicere lacrymæ prohibent; sed ò dulcis Iesu, cur à desideratissimis pedibus tuis arces amantem? non auferetur tibi bonum hoc, inquit, sed differtur. vade, & nuncia fratribus meis, quia surrexi; cucurrit citò volens redire; rediit cũ aliis mulieribus, quibus occurrit Iesus blanda salutatione: tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Vide Magdalenę affectum erga Christum. & nota: nõ ante ei datur vt tangeret Christi pedes, nisi post prædicationem resurrectionis à se factam, qua sicut Deum testabatur; item in comitatu aliarum mulierum, multum enim facit societas iustorum.

Deus magis se communicat iustis vnitis.

16 Ostendit mortem, quam bestię ipsæ tam impensè fuga cauent, non timendam iustis. *Propheta reproborum ab electorum morte discernens, ait, Omnes reges dormierunt in gloria in domo sua, tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis.* Nota, nam vbi vnus Euangelista ait, *multi reges videre voluerunt quæ vos vidistis.* alter dicit, *multi iusti*; subiũgit, *dormierunt quippè in gloria, quorum mortem bona commendat conscientia. dormit in gloria, cuius dormitioni assistunt Angeli, occurrunt sancti, & conciues suum præbentes auxilium, & impertientes solatium, hostibus se opponunt, & vsque ad sinum Abrahæ sanctam animam comitantes, in loco pacis collocant, & quietis.* Vide felicem iustorum mortem ab Angelis honoratam ipsorum præsentia. Tum de impiorum horrore in iudicio agit. *si leuant oculos desuper, iudicii imminet furor; si deponunt, infernalis putei ingeritur horror &c.* denique de gloria beatorum, & vario eorum statu agit.

Quàm felix sit mors iustorum & quam misera mors impiorum.

Esaia 14

Lucæ 10 Matth. 13.

Iustis morientibus assistunt Angeli.

17 De dubia hominis salute sic seriò. *Stà nunc in medio, nesciens quibus te iudiciis sententia deputabit. ò dura expectatio. timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt mè tenebræ. Si mè sinistris sociauerit, non causabor iniustũ: si dextris ascripserit, gratię eius hoc, non meis meritis est imputandum. verè, domine, vita in voluntate tua. vides ergo quantum in amore eius tuus extendi debeat animus, qui cum iustè posset in impios prolatam, in tè quoque retorquere sententiam, maluit te saluandis inserere.* Magnam vim habet in primis illa vox de extremo iudicio. *O dura expectatio.* sed qua mollescat omne cor, vel lapideum, & quę oculos liquefaciat in lacrymas pœnitentiæ. est autem hic egregius locus de prædestinatione.

Quam sollicitus quisque esse debeat, num saluandus sit.

Psal. 29.

Salus gratiæ adscribitur.

Finis Primi Libri.

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM

LIBER SECVNDVS

Continens secundi Tomi præcipuas ΓΝΩΜΑΣ.

EX EPISTOLA I. AD VOLVSIANVM.

Scripturę locutio non fucata, sed seria

1 HOrtatur ad sacrarum literarum lectionem, earumque stylũ edocet. *Hortor, vt valeo, vt literarum verè certèque sanctarum studio te curam nõ pigeat impendere; sincera enim, & solida res est, nec fucatis eloquijs ambit ad animum, nec vllo linguæ tectorio inane aliquid, ac pendulum crepitat. multùm mouet, non verborũ, sed rerum auidum; & multùm terret, factura securum.* Hinc collige quantum errent Concionatores inanis eloquentię fuco dediti sine motu animorum. rectè quasi gypsatæ linguæ tectorium vocat. pulchrè item dictum de sacra Scriptura: terret minando, sed securum facit sperando.

Concio vana linguæ tectorium.

Ex Epistola II. & III. ad Volusianum.

1 CViusdam obiectum refert, qui difficile sibi videri aiebat, Deum hominem factum. *Mirum, inquit, vtrùm Mundi Dominus, & auctor intemeratæ fœminæ corpus impleuerit; pertulerit decem mensium longa fastidia; à sedibus suis abest ille regnator, mortalium sensit affectus, &c.* Nota, vt errorem poeticis condiat locutionibus. *A*d hæc respondet Augustinus multa in ipsa natura, & in nobis ipsis, mira quæ non capimus, inueniri. *Se ipsum primũ mens in grata miretur: quomodo anima quæ sunt extra carnẽ suã sẽtit, quæ nõ nisi in carne sua viuit, an non ab eius carne lõgissimè absunt sidera in cælo? &c. Et putamus nobis de omnipotentia Dei incredibile dici aliquid? quàm multa vsitata calcantur, quæ considerata stupentur? Demus igitur Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* pulchra conclusio de omnipotentia Dei, quam venerari, non temerè disquirere oportet, præsertim circa mysterium incarnationis.

Exemplum de Christi diuinitate ex anima sumptum.

In Deo ratio facti est potentia facientis.

2 Quærit, cur Deus homo factus? *Vt quia homines pleriq; diuinitatis auidi per Potestates cælestes, quas Deos putarent, ritusq; varios, illicitorum non sacrorum, sed sacrilegiorum ambiendum sibi arbitrarentur ad Deum magis superbè, quàm piè, scirent, tam proximum Deum esse pietati hominum ad quem velut longè positum per interpositas Potestates ambiebant, vt hominem suscipere dignaretur, & cum eo vniri quodammodo.* Præclara ratio. vide quam zelator fuerit suæ gloriæ in saluando, quam nemini tribui permisit, & ideo factus homo: tanti est salus hominis: is reficere voluit, qui fecit; ne cor nostrum esset in amore diuisũ, si aliis deberet salutem.

Cur per Angelos saluati non simus.

3 De multitudine credentium sic pulchrè. *Quis nunc non credit immortalitatẽ? Vulgo nascitur amomũ; quod in primis Phęrecydes Assyrius cum disputasset, Pythagoram Samium illius disputationis nouitate permotum ex athleta in Philosophum vertit.* nunc omnes passim, etiam mulierculæ, credunt; Vide vt maior Philosophia sit in vnoquoque credentium, quàm in tot priscis sapientibus. vide etiam quantam vim in animo habeat de immortalitate sermo factus, vt in alium mutarit audientem: in quo erubescendum est iis concionatoribus, qui vanè loquentes nulli prosunt.

Sermone de immortalitate audito Pythagoras ex athleta fit Philosophus.

Vani concionatores taxantur.

4 Obiecerat Volusianus; alii quoque Sancti fecerunt miracula. *Sed tamen & aliquid proprium facere debuit Deus: nasci de virgine, à mortuis resurgere, in Cœlum ascendere, hoc Deo qui parum putat, quid expectet, ignoro.* nota vt hęc inter prodigia altissimè emineant. idem sic exaggerat. maior Mundus nec debuit fieri, nec minor; *quia ergo non oportebat, vt nouum faceret Mundũ, noua fecit in Mundo.* acutè, ac pulchrè dictum; sicut & id ꝙ addit. *homo de Virgine procreatus, & à mortuis in*

Incarnatio inter miracula maximè eminet.

æternam vitam resuscitatus, & super Cælos exaltatus, potentiùs fortassè opus est quàm Mundus. nimirum Mundus ipse in interitum ruens per hæc incolumitatem consecutus est.

5 Credendum esse ait ex vi diffusæ fidei inter ipsas persequutiones, & ex miraculis, præsertim *quia gens Iudæorum a sedibus suis extirpata per Mundum vsque dispergitur, vt vbique portet codices sanctos, ac prophetiæ testimonium ab ipsis aduersarijs proferatur.* acutè ait, ipsos aduersarios, hoc est Iudæos, dum per orbem terræ vagantur, codices Sacræ scripturæ contra se ferre, quæ pro nobis stat; & præcones fidei nostræ esse hostes ipsos, licet hoc non intendant. Tum de Apostolis sic præclarè. *numero exigui per orbem disseminantur. populos facilitate mirabili conuertunt; inter inimicos augentur per afflictionum angustias; vsque in terrarum extrema dilatantur.* hoc & in nouo orbe fieri nunc cernimus.

Veritas nostræ fidei ex persecutoribus probatur.

Iudei dispersi scripturæ tabellarii.

6 Omnigenam sapientiam duobus charitatis præceptis includi ait. *Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet philosophorum? quę leges quarumlibet ciuitatum duobus hisce præceptis comparandæ? Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum tanquam te ipsum. hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in suo Creatore sunt. hic Ethica, quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quàm cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, & proximus. hic Logica, quoniam veritas, lumenquè animæ rationalis non nisi Deus est. hic etiam laudabilis reipublicæ salus; neque enim conditur, & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento, & uinculo fidei, summaque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum, ac uerissimum Deus est; atque in illo inuicem sincerissimè se diligunt homines, cũ propter illũ se diligãt, cui occultare nõ possunt quo animo diligãt.* Præclarus locus de charitate Dei, & proximi. rectè ait, vniuersã veterum philosophorum sciẽtiã cũ hac conferri non posse. paucis verbis cõtineri ait logicam, physicam, ethicam siue moralem, & politicam in primis; vt aliter ciuitas nec condi, nec conseruari possit; cũ enim respublica consociatio quædam sit, & vnio ciuium, nisi cũ Deo per dilectionẽ coniuncti, vnitique sint, nec inter se sincerè coniuncti esse queunt: nã sinceritas dilectionis oritur ex eo, quod Deum, quem diligunt, credunt intimè videre quid in corde sit. hoc quia vetus Roma non habuit, in mutuas dissensiones cõcisa defecit

In duobus præceptis charitatis omnes sciẽtiæ partes continentur

Ex Epistola V. ad Marcellinum.

1 MArcellinus proposuerat difficultates aduersariorũ. primũ quod Apuleius, & Apollonius plura, & maiora fecerint miracula, quàm Christus. deinde quod legem veterem mutarit, nam rectè facta mutanda non sunt. tertiò quod præcepta Christi contraria sint Reipublicæ bonæ, vt si quis tunicam furetur, des illi & alteram; nam quis sinat Romam diripi ab hostibus? respondet obiectis Augustinus, aliud alio tempore conuenire; ita hyemi succedere ver &c. nec idem esse omni ætati vtile; nã Medicus Vendicianus cũ cuidã ægro aptũ eius morbo simul, & ætati remedium iniũxisset ipsũ sanauit, quod illi multò post adhibenti damno fuit; causam interroganti ait: *ideò malè nunc acceptus est, quia ego non iussi.* non enim eadem ætas erat. quod etiam referri potest ad religiosos, cum propria prudentia nituntur. Ad illud de tunica &c. respondet, esse intelligendum de iniuriarum condonatione, quod potius ex republica est: vt Cicero Cæsarem laudat, quod obliuisceretur iniurias. Quod autem alteram offerri maxillã Christus dixit, vel intelligendum de præparatione animi ad iniurias; vel sensus tãtùm est accipiẽdus; nõ enim dicit: si dexteram percusserit, cum hæc sit magis obuia quàm sinistra: ideo Christus ipse percussus id non egit, nec Paulus. ceterùm quod Christiana fides reipublicæ damnosa non sit, vel ex eo patet, quia maiorem iacturam fecerunt Ethnici Imperatores ante Christum; vnde illud Salustij: *O rempublicam venalem, & maturè perituram, si emptorem inuenerit.* at apud Christianos si quid mali accidat, non est culpa fidei, sed personæ. de miraculis verò fictis Apulei, & Apollonii nihil cõtra nos est; nam nihil assequuti sũt, quippe nec regnũ, nec magistratũ hic est adeptus, quod certè voluisset, si potuisset; quemadmodum contendit de statua sibi erigenda. at Dauid nulla ambitione, ex pastore euasit in Regem.

Non omnia eidẽ tempori conueniunt vt lex vetus, & noua.

Religioso non prodest quod fit sine cõsẽsu prælati.

Cur Christus non obtulerit aliam maxillã percutienti.

Vera religio ad imperij stabilimentum prodest.

Malis artibus prosper status non acquiritur.

2 De Ecclesiæ concordia sic. *Romani nulla concordiæ præcepta in templis legere poterant, qui Deos inter se discordes colebãt.* at nos tres personas, sed vnũ Deũ dicimus.

3 Ostendit cur Christus cruci affigi voluerit. *In quod profundum non demergeret fluuius iste horrendæ nequitiæ, nisi cruce Christi firmius figeretur? cuius apprehenso robore nos in tempestate gurgitis Mundi sisteremur.* nota, instar colũnæ crux est sistẽs naufragas naues, cum perturbationibus agitamur.

Christi Cruce naufragium salutis vitatur.

4 Cur Deus alia alio tẽpore disponat, ostendit, *Deus varijs temporibus, nunc hoc facit, nunc illud &c. quæ omnia Creator ita moderatur, donec vniuersi sæculi pulchritudo,*

Mundi series est instar pulcherrimi carminis.

Mundi series est instar pulcherrimi carminis.

do cuius particulæ sunt quæ suis quibusque temporibus apta sunt, velut magnum carmen cuiusdam ineffabilis modulationis excurrat. pulchrè dictum, Mundi temperationem quasi diuinum carmen esse, & modulationem, quam mali, vtpote rudes, & surdi, non percipiunt, cum ad laudandum Deum excitari debeant; huc refer illud Nazianzeni, qui Solem choreas astrorum ducere dicit. & illud Iob, concentum Cœli quis silere faciat?

Iob. 38.

Ex Epistol a VI ad Italicam.

Mortuos amicos non amittimus, sed præmittimus.

1 DE viri morte viduam consolatur. Ex hac vita nostros migrantes non amisimus, sed præmisimus. huc spectat quod Iob omnia duplicia post calamitatem acquisierit præter filios, quia priores nō erāt amissi, vt pecora. sed inmortales.

Deus est inuisibilis corporeis oculis.

2 Errare dicit, qui dicunt Deum posse corporeis oculis videri, quia omnipotens est: at etiam auribus posset audiri. Ergo Deus esset sonus, & sic de alijs sēsibus. minus stultè dicunt, licet non verè, qui putant corpus in spiritum transiturum, vt possit Deum videre. notabilis opinio licet stulta, na potius caro subiecta spiritui quodammodo & ipsa spiritalis redditur, non deperdita natura, sed ornata, atque perfecta.

Ex Epistola VII. ad Marcellinū

Humilitas Augustini parati ad censurā.

1 DEfendit se, quod dixerit, post peccatum originale animam non regere corpus omnimodè pro suo libero arbitrio, vt fuit ante peccatum Adami, & post resurrectionem erit, quia nunc caro concupiscit aduersus spiritum: paratum tamen se dicit ad censuram. nam nimis se ipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat. ideò ait, se tardare in edendis libris in genesim, & de Trinitate, ne quid erret, etiam si amici vrgeant, vt citò edat, quod viuens possit se defendere. Vbi nota aduersus eos, qui uel erubescunt subire censuram, uel præcipites sunt ad edēdos libros, præsertim de rebus grauibus. cū tātus doctor hæreat. cūm explicat illud sapiētiæ: spiritus reuertatur ad Deū, qui dedit. Sic intellige, nō quod anima ex traduce sit, sed quia reuertatur, etiam si nō profecta, tanquam ad auctorem, à quo est.

Eccl, 12. Quomodo in morte dicatur spiritus redire ad Deū.

Ex epistola VII. ad Hieronymū

Auctoritas magna 70.

1 TRibuit auctoritatem præeminentē 70. interpretibus, quorum est grauissima auctoritas. deinde arguit officiosū mendacium, etiam ob bonum finem. denique petit censuram suorum librorum; sed iuxta illud psalmi. emēdabit me iustus in misericordia &c. ego autē difficillimè bonus iudex lego quæ scripseram, aut timidior, aut cupidior; nota ingenuitatem cum humilitate tanti Doctoris, et neminem iudicem esse debere rerum suarum, cum falli possit amore proprio.

Officiosum mēdacium nullo modo probatur

Psal. 140 Nemo bonus iudex rerū suarum.

Ex Epistola IX ad Hieronymū.

1 ITa modestè erguit Hieronymum, improbando etiam officiosum mēdacium, vt eum mirificè laudet. tum explicat qua ratione Petrus sit reprehensus à Paulo. Nequaquā verò mihi arrogauerim, vt ingenium tuum diuino dono aureum meis obolis ditare contendā; nec quisquā te magis idoneus, qui opus illud emēdet: neque enim à me docēdus es, etc. pulchrè, appellat Hieronymi ingenium aureum, sed diuino dono Vide igitur quanti alios fecerit eodē ipso metallo diues. quantū discrimē inter obolum, et aureum nummum? nos nostra non obolis paria, sed obeliscis digna, hoc est immortali memoria reputamus.

Hieronymi ingenium diuino dono aureū

Augustini humilitas de suis scriptis.

2 Veritatē strenuè defendenda eleganter ostendit. Arripe, obsecro te, ingenuam, & verè Christianam cū charitate seueritatem ad illud opus corrigendum, et emendandū, et palinodiā, vt dicitur, cane; incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christiana, quàm Helena Græcorum: prò ista enim fortius nostri Martyres aduersus hanc Sodomā, quā pro illa mille heroes aduersus Troiam dimicauerunt. Vide quanti facienda sit veritas, vt eam Helenæ pulchritudini præferat, pro qua tot pugnasse dicuntur heroes. & certè si vlla vera pulchritudo est, in veritate est.

Veritas Christiana Helena pulchrior.

Pro vera religione acriter pugnandū.

Ex Epistola X. ad Hieronymum.

1 HOrtatur Hieronymum, vt vertat 70. interpretes ex Græco, qui variè legebantur. neq; enim paruū pōdus habet illa interpretatio quæ sic meruit diffamari, et qua vsos Apostolos non solū res ipsa indicat, sed etiam te contestatum esse memini. de hebraica verò versione ait, cum quidam aliter à Hieronymo positum sequeretur in Iona, factus est tantus tumultus à Græcis, vt cogeretur Episcopus Iudæorum testimonium flagitare, qui dixerunt consentire hebræa cum græcis. & latinis.

Auctoritas 70. interpretum.

Hebraica versio ab ipsis Iudæis probata.

Ex Epistola XV. Hieronymum.

1 HIeronymum lepidè placat, se paratum dicens corrigi. Quid ergo

Hieronymus forti athletæ comparatur in disputando.

Sacra scriptura mellis aluearium.

Dissentio inter doctores vitanda ob scandalum

Entellicos cæstus tuos non pertimescam? cædebatur ille, non sanabatur &c. pulchrè Hieronymum strenuum athletam facit, se verò antagonistam. & nota in disputandi lucta cum veritati cedimus, ita reprehensi cędimur, vt sanemur. Tum de ipsa contentione displicere ait. *Doleo, dum cogito inter nos, qui mella sacrarum scripturarum pariter lamberemus, tantam amaritudinis irrepsisse perniciem.* Eleganter apum aluearibus studium sacræ scripturæ comparat; & simul nota de dissensione in literis ob aliorum scandalum, licet bono fine fiat. quid autem ex dissensione mali oriatur, ostendit, *rogarem maximè pro alijs, & infirmis, qui vos tanquam in theatro vitæ humanæ cum suo periculo spectant, ne de vobis in conscribendo spargatis, quæ &c.* Vide, vt vitandum sit discordiæ scandalum inter sapientes, qui tanquam in Mundi theatro versantur omnibus expositi. hinc præclarum nostri Ignatii monitum de controuersijs, vt in quantum fieri potest, idem, & sapiamus, & dicamus. denique ait. *hoc magnum, & triste miraculum est, ex amicitiis talibus ad has inimicitias peruenisse.*

Ex Epistola XIX. ad Hieronymum.

Lex vetus honorificè sepulta.

Cur paulus ritus Iudęorum à se non amouit.

Andreas Masius

1 PRimò à Hieronymo veniam petit; tum ait, verè non putasse Paulum, esse necessarios ad salutem ritus Iudæorum; sed ne videretur eos ità damnare, vt idololatriam gentilium; ideo, & se, & suos rasisse ob votum, & Timotheum circumcidisse, qui erat ex matre *Iudæa*, non tamen Titũ; sicut Christus misit leprosum ad sacerdotem: quia lex hebręa erat tumulanda cum aliquo honore, & qui eam nunc sequitur, *tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel baiulus corporis, sed impius sepulturæ violator.* pulchrè ait, legem veterem hebręorum tanquam in pompa funebri ab Apostolis ad tumulum deductam, & honorificè sepultam. quò refero illud Iosuæ, siue *Iesù*, qui in suo sepulchro honorifico, in quò scilicet dicitur fuisse Sol insculptus, sepeliri cultros lapideos circumcisionis iussit, quia *Iesus* Christus, quem referebat, cum illud nomen accepit, in se aboliturus erat circumcisionem.

Ex Epistola XXII. ad Longimanum.

Expiatoriũ sacrificiũ per Christũ tantùm non per Angelos.

1 LOngimanus hic ad *Augustinum* scribens deducebat ex Platone, & Trismegisto, per minores Deos, quos Angelos, vel aliud post Deum vocamus, castũ, & purũ effectũ hominẽ peruenire ad summum *Deum*, sed non sine sacris purificatoriis; cui respondet *Augustinus* refutans eam sententiam. *Cur enim opus sit sacris expiatoriis ei, quem iam purgatum, & purum supponis, vt perueniat ad Deum?* vide, vt veteres Philosophi quantumuis sapientes, quia sine fide, alios illaquearint, alia sacra expiatoria indagantes, præter sanguinem Christi, quo verè mundamur.

Ex Epistola XXVIII. ad Bonifacium.

Cur infans in fide parẽtũ baptizetur, in eorũm vitijs non damnetur.

Puella infans à parẽtibus dæmoni deuota respuit Eucharistiã.

Infantes ægri baptismo sanari soliti.

Ecclesia columbæ dauidicæ deargentatæ cõparata.

Cur Eucharistia in argentea columba olim seruata. *Basil.*

1.Thes.3. Psal.67.

Virgines piectos infantes excipere & offerre solitæ ad baptismum

1 REspondet quęrenti, cur prosit infanti fides parentum, si ei horum non nocet impietas, cum ipsum dæmonum sacrificijs initiãt. respondet, diuersam esse rationem: nam infans renascitur ex aqua, & spiritu sancto, quæ ambo eadem sunt in omnibus, & in offerente idem spiritus, & in oblato; at non est eadem voluntas in parẽtibus, & filio; quanquam in Adamo *traxit reatum, quia vnus erat cum illo.* dices; Cyprianus narrat de puella infante, quæ tradita nutrici gentili, quæ eam sacrificijs Dæmonum obligarat, respuit *Eucharistiam*. respondet id à Deo factum, puella non intelligente, vt parentes intelligerent patratum malum. vbi nota multò magis existentem in peccato mortali accedere non debere. Addit licet aliquando parentes offerant ad baptismum infantes tantùm ob sanitatem, tamen quia *Ecclesia* est, quæ offert, valet. *tota ergo mater Ecclesia, quæ in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit. Spiritus ille sanctus, qui habitat in sanctis, ex quibus vna illa columba deargentata charitatis igne conflatur, agit quod agit semper, etiã per indignos.* Obiicies: nesciũt eos post infantiam credituros; respondetur id fieri per similitudinem, vt in Eucharistia dicitur Christus immolari, iam immolatus; ità per sacramentum Baptismi, quia est similitudo eius, quod, cum creuerit, intelliget. Vbi primùm nota baptismum paruulis sanitatem corporis afferre solitum; deinde eleganter, ac pulchrè Ecclesiam dici, *columbam deargentatam charitatis igne conflatam*: quemadmodum in altari olim argentea columba erat igne conflata, in qua reseruabatur Eucharistia, hoc est ipsa charitas. Tum explicat illud Apostoli. *nolite occidere paruulos vestros; spiritum nolitè extinguere.* hoc est quantum in vobis, estis homicidę initiantes eos dęmoni, sed ipsis non nocetis, nisi cum creuerint, sibi sua voluntate noceant. *quot crudeliter parentes exposuerunt nutriendos à quibuslibet? nonnunquam à sacris virginibus*

nibus

nibus colliguntur, & ab eis efferuntur ad baptismum. nota curam adhibitam à virginibus, vt infantes proiectitii baptizarētur, & meritò, hoc est à mūdis, vt mundarentur. vtinam & nos tanquam proiectitii à virginum maxima Dei matre suscipiamur, & ab omni labe mundemur.

Ex Epistola XXVIII. ad Hieronymum.

Anima non est Dei pars.

1 NOnnullas quæstiones de anima soluit. Animam dicit non esse Dei partem, quia nec proficeret bonitate, nec deficeret malitia; nō enim id dicendum ex contagione corporis, fieri: alioquin omnis caro, vt Achillea, esset invulnerabilis, si nullus ei casus accideret. Addit nō esse indignum Deo infundere animam in adulterio, sicut parum interest vtrùm qui in agro seminat, manu sit pura, an sordida. Quid item de anima sentiat, sic declarat. *certus sum, animam nullam Dei culpa, aut necessitate, vel Dei, vel sua, sed propria voluntate esse collapsam; nec liberari posse de corpore mortis huius suæ voluntatis virtute, tanquam adhoc sufficiente; nec omnino esse animam vllam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem adiutor.* Notabilis locus de necessitate gratiæ cuilibet; & de peccato, quod non vi, sed voluntate contrahitur. Tum quærit, cur multa mala patiantur infantes: vbi Innocentes pro Christo necatos martyres vocat.

Non est indignū Deo animam infundere cōceptā per adulterium.

Peccatū non necessitas sed volūtas parit.

Deus quomodo operetur, si requieuit.

2 Explicat illud Geneseos. *Requieuit die septimo ab opere.* at nunc etiam creat. *Pater, inquit, meus vsque modò operatur.* creauit Deus hominem ad imaginem suam. *hoc & nunc facit, non instituendo quod non erat, sed multiplicando quod erat.* acutè respondet obiecto. perficitur nunc Vniuersum, & multiplicatur, dum quotidie animæ procreantur.

Mundus modulatio quędam est.

Esa. 40.

3 Pulchrè ostendit quid sit hic visibilis Mundus. *Pulchritudo Vniuersitatis cōcentus quidam est ex succedentibus rebus quasi sonis.* iuxta illud Esaiæ ex versione 70. *qui profert numerosè seculum.* pulchrè dictum: nam, & supra Mundum numeroso carmini comparauit, ita & nunc canoro concentui, in quo tamen solum dissona, & absona voluntas est peccantis: cum enim Deo non obtemperat, Vniuersitatis obedientis cōcentum interturbat. cum igitur homo paruus Mundus sit; an non perpetua quædam modulatio esse debet in Dei laudibus concinendis?

Ex Epistola XXIX. ad Hieronymum.

Peccatū originale puteus altus est.

1 SCribit de difficultate peccati Originalis. sufficit, inquit, scire modum saluationis, licet nesciamus quomodo ociderimus: vt quidā delapsus in puteum, cum interrogaretur quomodo cecidisset, respondit. *at tu quære quomodo me extrahas.* nota, quasi puteus est peccatum Originale, in quem præcipitem actam cum morte animæ fuisse Dei Matrem, quis dicat? cum ipsa sit *puteus aquarum viuentium.* idē sic apertius. *fide catholica tenemus de reatu peccati tanquam de puteo etiam infantis animam Christi gratia liberandam.* at in matre præuenit casum.

Cant. 4.

Deipara in originalis peccati puteum nūquam incidit

Explicat locum illum Cant. *fortis vt mors dilectio. charitas dicta est fortis sicut mors, siue quia nemo eam vincit sicut mortem; siue quia in hac vita vsque ad mortem est mensura charitatis, sicut dominus ait: maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; siuè potiùs quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscētijs carnalibus.* acutè ostendit triplicem mortis proportionem cum charitate, licet hæc vita sit animæ.

Cur charitas dicatur fortis vt mors.

Ioan. II.

Virtutis augmentum procurandū.

2 De perfectionis studio sic. *Quandiù augeri potest virtus, profectò illud, quod minus est, ex vitio est.* Vides vt verum sit illud, in virtute nō proficere, idē esse ac deficere. ad religiosos maximè ꝑtinet monitū.

Ex Epistola XXXII. ad Paulinum.

Quales esse debeant literæ inter bonos amicos scriptæ.

1 MIrificè Paulinum commendat. *Quomodo non doleam, quod nondum faciem tuam noui, hoc est domum animæ tuæ? legi enim literas tuas fluentes lacte, & melle; quotquot eas legerint, rapiunt. quàm suauis odor Christi, & quàm fragrat ex eis? &c.* Nota cuiusmodi literæ esse debeant, præsertim religiosorum, & ecclesiasticorum; item ex vultus modestia animum agnosci. quid autē dicendū de Pauli epistolis? an non & melle, & lacte fluunt? cum ipse dicat: *lac vobis potum dedi.* addit pulchrè de literis. *quotquot eas legunt rapiunt literæ illæ, literæ fidei non fictæ, literæ puræ charitatis. quomodo nobis anhelāt sitim tuā, & desiderium, defectumquè animæ tuæ in atria domini? quid amoris sanctissimi spirant? quantam opulentiam synceri cordis exæstuant? quas agunt gratias Deo: quas impetrant à Deo? quid enim est, quod ita nos muleat? ita accendunt, ita nos compluunt, & ita serenæ sunt.* Eleganter præsertim

Paulini egregiæ laudes.

tim hoc extremũ, quod ex antithetis constat. cum, inquit, literæ tuæ plenæ cœlestibus delicijs quasi sereni Cœli faciem ostedant, tamen pluuiam lacrymarum ex affectu in nobis excitant.

2 Felicem statum eorum, qui Mundum, vt Paulinus cum coniuge, reliquerunt, ostendit *Ibi cedri libani ad terram depositæ, & in Arcæ fabricam compagine charitati erectæ, Mundi huius fluctus imputribiliter secant. ibi gloria vt acquiratur, contemnitur; et Mundus vt obtineatur, relinquitur. ibi paruuli, siue etiam grandiusculi filij Babylonis eliduntur ad petram, vitia scilicet confusionis superbiæ secularis.* pulchrè seculares nobilitate, ac dignitate illustres, qualis ipse Paulinus fuit, cedris libani comparat, quæ inde euulsæ ad nauium structuram transferuntur: sicut illi è seculo ad religionem. eleganter autem ostendit relinqui gloriæ studium, sed acquiri maius decus; & vel leuium delictorum per mortificationem stragem fieri ob perfectionis statum.

Illustres in seculo religionem intrantes

Psal. 136

Studium mortificationis in religione.

3 Discrimen ostendit inter coniugia Adami cum Eua, & Paulini cum vxore sua: eorum statum sit laudat. *Ibi coniux excitatur, non dux ad mollitiem viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui.* quia scilicet illa tecum in sancto proposito relinquendi Mundum firma est. Vide qualis debeat esse sanctitas inter vtrumq; coniugem: tale coniugium fuit Chrysanthi, & Dariæ martyrum cũ firmo proposito moriendi pro Christo. & acutè ait, cũ mulier formata fuerit ex osse viri; iterũ nũc ostendere osis naturã per propositi firmitatẽ.

Verum coniugium in virtutis solidita te funda tur.

4 Laudes à Paulino sibi collatas lepidè, ac venustè à se amouet. *Pudet quidem aliquid boni de me credere, sed plus pudet tibi non credere. est quid faciam; non mè credam talem qualem putas, & credam mè abs tè diligi.* nota acumen, & humilitatem: ita enim laudes in se collatas nõ admittit, vt laudatorem nõ mendacẽ, sed piũ faciat.

Quid agendum cũ à probato viro laudamur.

5 Etiam parua dona à Deo agnosci debere ait. *Melius est vel de paruo Dei dono gratias Deo agere, quàm sibi agi velle de magno.* præclarè dictũ: quia in altero Dei gloria quæritur, in hoc propria. magnum est, auctorem Deum agnoscere vel in paruis.

Satius est Deũ laudari ꝑ paruis quã velle laudari pro magnis.

6 De adolescentulo loquitur, qui sè Deo dicare promiserat. *Ardeo, vt dum iuuentus adhuc in viridi foeno est, zizania conuertat in frugem; & credat expertis, quod experiri desiderat.* habet hæc vox magnam vim ad seculi pericula fugienda præsertim in adolescentia. ac vide zelum sanctorum in hac corrigenda ætate. hoc spectant instituta à nostris sodalitia, & gymnasia.

Zelus de adolescẽtium salute laudatur.

Ex Epistola XXXVIII. ad Letum.

1 LEto, qui ad seculum redire meditabatur, turrim Euangelicam reuocat in mentem, impenetrabilem hosti. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, &c.*) nota, inquit, quod sequitur: *quis Rex iturus committere bellum &c. considera Christum, cum sit Rex noster, tamen à societate Reges appellasse milites suos, & vnumquemque ad bellandum cum Rege, qui habet viginti millia, decem millium idoneum esse debere præmonuit.* rectè notat, Religiosum ædificatori turris comparari, vbi excubet, vnde tela iaciat, & vbi se tueatur; item Regi bellatori, licet obediendo fiat subditus. hoc autem facit maximè pro societate Iesù, dum ait: *à societate Reges appellat milites suos.* minimam, se illa dicit, sed profitetur regere motus animi. rursus si religio turris est: *turris fortissima nomen domini*, idest Iesu. sed illud acutè ait aduertendum, opponi numerosiori hosti, hoc est viginti millibus decẽ millia bellatorum: *docemur enim hostis duplicitatem cordis simplicitate superare.* Luc. 14.

Societas turris fortissima ob Iesu nomen.

Ingressus religionis grãde certamẽ

Prou. 18.

2 Explicat illud in Actis. *Erat illis in Deum anima vna, & cor vnum,*) *sic enim anima tua non est propria, sed omnium fratrum, quorum etiam animæ tuæ sunt; vel potius quorum animæ cum tua non animæ, sed anima vna est Christi.* præclara vtraq; interpretatio ad vnionem pertinens, & ad amorem. Act. 4.

Concordia & vnitas in religiosis

3 Pergit locum illum interpretari, eruditè, & pulchrè. *Volens turrim ædificare &c.) Ecce dat signum dominus, vt vigilemus in castris, vt ædificemus turrim; rapit Christi militem tuba cælestis ad prælium. & retinet mater? non planè. talis mater qualis illa Machabæorum, nec saltem similis Lacedæmonijs matribus, de quibus memoriæ proditum est, quod filios suos, vt pro terrena patria sanguinem funderent, multò amplius atque ardentius in certamina belliea quàm signorum sonitus excitabant.* nota contra matres reuocantes à Christi castris filios, vt S. Thomæ mater, quæ in turrim missum vincere se posse putauit, qui scilicet turrim aggrediebatur fabricare. Turris dici potest Religio vt illa, quam ædificauit Herodes, Herodiæ nomine, ea forma, vt mãmillam repræsentaret, vt refert Iosephus, attamen inde in hostes tela iaci poterant: ita religio mater est, & suaui lacte nutrit suos; eadem tamen dimicat aduersus Mũdi potestates. ceterùm similia habet Hieronymus in epistola ad Heliodorum, vt ibi adnotauimus. huc spectãt & sequẽtia.

Vocatio ad religionem tanquam tuba ad prælium

Lacænæ matres filios emittebant ad prælium contra nunc matres auocant à religionis castris.

Religio turris mammola.

4 Maternum affectum Religionem intranti posthabendum eleganter ostendit.

non

Quòd mater allegat fortasse decem illos menses, quibus eius viscera onerasti, hoc, hoc interfice, hoc perde matris, vt in æternum inuenias eam. Mater Ecclesia est, etiam mater matris tuæ, hæc nos de Christo concepit, hæc fidei lacte nutriuit, hæc martyrium sanguine parturiuit, &c. nonne hæc chariora viscera, & cœlestia vbera ostentat? adde viri eius susceptionem carnis, nè carnalibus inhæreret, &c. Egregiè dicit: Matri auocanti à Religione opponenda mater Ecclesia est; cæterùm huc pertinet illud Hieronymi: Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, &c. Hæc laus in primis S. Thomæ Aquinatis est.

Ecclesia materam reponenda amori materno.

Thomas Aquinas inuictus à matre.

5 Mulierum consilia quàm sint plena periculi, docet. *Quid interest, vtrùm in vxore, an in matre, dum tamen Eua in qualibet muliere caueatur? nam ista vmbra peccati de folijs illius arboris venit, quibus se pro peccatis nostris in ista damnabili nuditate texerunt; & in illis verbis quicquid quasi officium charitatis obtendit, ad astutiam serpentis pertinet.* Nota, matres dehortantes à Religione filios, vt Euam, caueri debere, serpentis verba proferentem marito blandè, sed ad perniciem. eleganter ait, *Ista vmbra peccati de folijs illius arboris venit.* quasi simili consilij prauitate peccetur.

In qualibet muliere Eua timenda est.

Ex Epistola XXXIX. ad Licentium.

1 Monet eum de Seculi amaritie, & de suauitate Religionis. *Si ego canto, tu autem ad aliam vocem saltas, non me pœnitet. habet enim hilaritatem suã ipsa cantatio, etiam cum ad eã membra non mouet, cui modulatè cãtatur.* Pulchrè de suasione, etiam si irrita futura sit.

Admonitio non relinquenda etiam si nullo fructu.

Paulinum ex Senatore nobilissimo iam Dei seruum commendat. *Disce Paulinum sanctum, & egregium Dei seruum, qui grãdem fastum huius sæculi tantò generosiore, quantò humiliore ceruice iactanter excusserit, vt eam subderet Christi iugo.* Referre hæc possumus ad Borgiam nostrum antea Ducem, & similes generositate, præsertim cùm Borgiæ Gentis insigne sit bos. iugum hic ceruicibus excepit Christi, excusso Mundi.

Francisci Borgiæ Ducis in Societatem ingressus.

2 Quàm indignum sit, ostendit, adolescentem multis naturæ donis insignem, ijs abuti. *Ornari ex te Diabolus quærit. Si calicem aureum inuenisses in terra, donares Ecclesiæ Dei; accepisti à Deo ingenium spiritaliter aureum, & ministras inde libidini, in illo Satanæ propinas te ipsum.* Præclarè ait, ex optimis quibusq; ornari diabolus vult; *cibus eius electus.* Itaque rectè hortatur Religiosos, suum ingeniũ, quasi aureum calicem Deo offerre in altaris ministerium ad sanguinem Christi, quia Religiosus memoriam passionis Christi semper recolere debet, & inebriari Deo. Nota item ingeniosos Religioni maximè idoneos esse, cùm ibi ad Dei gloriam magna, & præclara moliri possint. tum pergit conqueri, quòd poeta tam insignis non se dedicet Deo. *Quò mihi linguam aureã, & cor ferreum? quibus ego non carminibus, sed lamentationibus sufficiam plangere carmina tua? in quibus video quam animam, quod ingenium non mihi liceat apprehendere, & immolare Deo.* Pulchrè per antithesin dictum. *quò mihi linguam auream, & cor ferreum?* de eloquentia sine spiritu.

Ornari diabolus ex optimis quærit.

Excellẽs ingeniũ aureo crateri comparatur.

Adolescentes magnæ indolis aptiores ad religionem.

Ex Epistola XLII. ad Medaurenses.

1 Ostendit Medaurensibus idololatris, quàm Christi fides vbique diffusa sit, & quanta cum gloria. *Videas iam simulacra, vel effringi, vel incendi, atq; ipsas Potestates victas, & domitas non à regnantibus, sed à morientibus Christianis; & imperij nobilissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Nota fidem martyrio maximè, & fuso sanguine latè diffundi, item splendorẽ, & dignitatem fidei, quæ ad Piscatoris sepulcrum Imperatorum diademata proijciat. cæterùm quod de fractis idolis ait, id apud Barbaras nationes in dies fit per Apostolicos viros, in primis per nostros apud Indos.

Martyrũ mors destructio Idololatriæ.

Imperatores proni ad Petri sepulchrũ.

Ex Epistola XLIII. ad Maximum Medaurensem.

1 Medaurensis hic excusabat, sed ineptè, Ethnicos, dicens, ab ijs quoque vnum Deum, licèt varijs nominibus, coli. *Huius nos, inquit, virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis inuocamus, quoniam nomen eius cuncti propriũ ignoramus: ita fit, vt, dum eius quasi membra carptim varijs supplicationibus prosequimur, totum colere debeamus.* Idem Martyres coli nolebat, nec dignum aiebat esse Dijs immortalibus præponi Archimartyrem Namphanionem, irridens Punica nomina. *Quis ferat Ioui fulmina vibranti præferri Mygdonem? &c. videtur bellum Actiacum rursus exortum, quo Aegyptiaca monstra in Romanorum Deos audent tela vibrare minimè duratura.* Tum quærebat ab Augustino. *quis sit iste Deus, quem vobis Christiani quasi proprium vẽdicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis? nos Deos nostros luce palam adora-*

Epist. 43.

Trinitas personarum, non nominũ tantùm.

Martyribus, & Sanctis quis honor habeatur.

Nomina Sanctorũ non ludibrium, sed decus continẽt

Sodalitates Piorum in laude sunt.

dicit: nam tres cruces fuere in vno Caluariæ monte. *quid similius istis crucibus? quid dissimilius inde pendentibus?* huc spectat illud: non facit martyrem pœna, sed causa. ita fit, vt quod ignominiosum putatur, propter Christum cedat in decus.

Dedecus nõ facit pœna, sed causa.

3 Eos arguit, qui obijciebant, nõ legi Apostolos aliquid petijsse à Regibus terræ pro Ecclesia. nimirum, inquit, quia tunc illud tantùm Psalmi erat impletum. *Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum adversus, Deum, & aduersus Christum eius: nunc verò illud; Et nunc Reges intelligite, erudimini &c.* tunc erat status Nabucdonosor Regis irati in tres pueros; nunc eiusdem conuersi, & iubentis adorari Deum, etiam proposita pœna non adoranti. *Immo verò seruiant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo: conuertantur leones ad comminuenda ossa calumniantium, nec Daniel ipse intercedat.* nota zelum, quem requirit in Regibus, vt tanquam leones illi Danielis sê gerant aduersus hereticos, quod certè Reges nostri strenuè agunt, in primis verò Ferdinandus Augustus.

psal. 2.

Zelus Christianorum principũ contra hæreses.

4 Arguebant Donatistæ paucitatem Christianornm; sed quantò, inquit, pauciores ipsi Donatistæ? *nec cognoscunt apud Persas, & Indos Euangelium prædicari.* sed fac paucos esse. *ideo magis iusti sumus, quia pauci sumus.* nota quod ait de prædicatione apud Indos, cuius gentis vltimos fines Xauerio duce peruasimus. item nota religionis laudem non consistere in multitudine, sed in perfectione. *ideo magis iusti sumus quia pauci sumus.*

Christi religio quã amplè diffusa.

5 Aiebat Donatus, se, ac socios tãtùm esse verè Christianos, vt Noe tantùm cum domo sua saluus est factus. irridet hoc Augustinus: *nos, & pauci sumus, & totũ orbem impleuimus, iuxta illud Malachiæ. Ab ortu Solis vsq; ad occasum offertur &c. & illud Matthæi. multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cũ Abraham &c. & ipsi Abrahę dictum est; sicut stellæ Cæli, & sicut arena maris, sic erit semen tuum. illud de stellis pertinet ad perfectos, illud de arena ad imperfectos, qui aliquando in tranquillis sunt, aliquando persequutione turbantur.* vide quantum discrimen inter perfectos, & imperfectos. illos religiosos intelligo, quia sunt in statu perfectionis; hos sæculares.

Perfecti stellis, imperfecti arenis cõparati.

6 Illud Cant. *Vbi pascas, vbi cubes in meridie.* sic esse intelligendum ait. *In luce fulgentibus, & charitate feruentibus quasi in meridie requieuit.* sequitur: *ne fiam velut adoperta, & ignorata*, idest sequens non gregem suum, sed hæreticorum &c. referri potest hoc ad SS. in primis Doctores, ipsumq; Augustinum, cuius, & luce ingenii, & feruore pietatis hæreseon discussæ sunt tenebræ. quod etiam referri potest ad nostros, qui apud gelidos præsertim Septentriones id agunt ardenter.

Feruor spiritus Deo gratissimus.

7 Abutebantur heretici sentẽtiis quibusdam, in primis sancti Cypriani. respondet: *primò hoc genus literarum ab auctoritate canonis distinguendum est; vel postea sè correxit, vel hunc quasi næuũ sui candidissimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatem Ecclesiæ toto Orbe crescentis defendit. accessit hoc etiam, quod tãquam per sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgauit postea falce passionis.* deinde ex verbis ipsis excusat. vbi nota, quomodo etiam excusare deceat & alios. SS. Patres, si quid aliud postea statutum sit ab Ecclesia. similiter de immaculata conceptione Virginis si quis aliter eorũ sensit, licet nihil adhuc de hoc sit statutum. pulchrè autem ait: *vbere charitatis* cooperiri defectus aliquos, quasi næuos candidi pectoris, cum non sunt ex peruersa voluntate. denique elegãter martyrium dicit quasi falcem, quæ amputet omnes defectus, & messem multam colligat glorię, patet hoc in Bonifacio in primis martyre illustri, cui Aegla ipsa pœnitẽs criminum templum Angeli admonitu exædificauit.

Errata iustorum alijs præclaris factis operiuntur.

Martyriũ falx est amputãs priora peccata.

8 Explicat illud psalmi: *descendant in infernum viuentes, idest suam perditionem sentientes hiatus terræ absorpsit.* sic hæretici sciunt se male facere, & erubescunt conuerti. alludit ad historiam Numer. de Dathan, & Abiron: Simile est illud apud Comicum: videns, viuensq; pereo. referri potest ad eos, qui peccant, licet perniciem agnoscant.

Psal. 54.

Mundani vident perniciẽ suam, nec perire curant.

Ex Epistola XLIX. ad Deogratias.

1 Ostendit quomodo Christus post resurrectionem cibum cepit, si famem non patiebatur. *Non inani plantasmate, sed manifestissima veritate: nec tamen necessitate, sed veritate: aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter Solis radius ardens: illa indigentia, iste potentia.* pulchra similitudo Christi quasi radiãtis Solis post resurrectionem. Sol humores attrahit, ac digerit, non quasi eo nutrimẽto egeat, sed efficaciam ostendit.

Christus post resurrectionem con uescens Soli comparatur.

2 Quęsitum erat, quomodo Christus post resurrectionẽ vulnera habere voluit, si impassibilis. respondet: cicatrices, non vulnera cruenta demonstrauit, & has spõtè suasi: cut siquis vir fortis pro patria dimicans à perito medico quæreret, vt sibi vulnera sanaret relictis cicatricibus. has sibi Christus reliquit: *vt magis essent in corpore suo vestigia vulnerum, tanquam tituli gloriarum.* pulchrè dictum: cicatrices Christi

Christi vulnerũ vestigia tituli gloriarum.

Christi rellictas tanquam titulos gloriarũ. inscripsit autem hos titulos suo sanguine, vt illi olim dicũtur fortissimi milites fuisse apud Valeriũ, qui victores, cum inter pugnandum caderẽt, vulnerum suorum cruore manante, digito pro calamo vsi trophæum inscripserunt. quod autem vulnera non appellet, sed cicatrices, intellige propriè vulnera, quæ saniem habent, & doloris sensum. facit hic locus pro S. Francisco, cui data sunt stigmata, quasi *tituli gloriarum*.

Val. Max

S. Francisci stigmatũ decus eximium.

3 Obiiciebat Porphyrius circa Christi fidem: si ea necessaria, ergo antè Christum omnes damnati sunt; respondet inter cetera, cum Christus sit Verbũ patris, omnes, qui in eum religiosè, & sanctè credebant, verum, & vnum Deum venturum, vt nos credimus venisse, saluabantur; & sicut scimus ex scripturis quosdam credidisse, etiã si non essent ex Israelitis, ità probabile est in variis nationibus idem factum. *ità salus religionis nulli vnquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit.* ideòque iuxta sua iudicia Deus non homo factus nisi tãtò post, quia tum videbat aptius tẽpus, vt crederent. Vides Deum nullo vnquam tempore defuisse hominibus. est autem hoc admodum notabile, etiam ante Christi aduẽtum, ex alijs nationibus nonnullos saluatos, qui vocanti responderũt.

Deus nũquam defuit humano generi.

4 Affert rationem, cur peccato parui temporis respondeat pœna æterna? quia inquit, non est spectanda mensura temporis, sed voluntas; *alioquin maius peccatum esset cadere alienam arborem, quàm occidere hominem, quia illud fit longa mora ictibus multis, hoc vnico. voluntas ipsa puniatur, vt quia æternàm voluit habere perfruitionẽ, æternam inueniat vindictæ seueritatem*. rectè nam qui ante mortem non retractat peccatum, ostendit se in æternũ velle peccare, cum morti succedat æternitas, ergo & vindicta æterna.

Cur peccato temporaneo respondeat poena æterná.

5 Quæsitum est, quomodo potuit triduo viuere in ventre ceti Ionàs; & an vestitus. irridebant hoc gentiles. respondet; quid mirum vastam beluam, siue nudum, siue vestitum absorbere potuisse? præterea quid est maius, mortuum Lazarum resuscitare, an viuũ Ionã in vẽtre ceti seruare? dices; cur non ventris calore consumptus? quia idem seruauit, qui tres pueros in fornacis flamma; sed id quem ad finem? vt Christũ in sepulcro repræsentaret. vermis item ille matutinus corrodens arborem Christum expressit, & ob humilitatem, & quia sine semine natus. *ideo in psalmo, vbi titulus est: pro susceptione matutina, dicit; ego vermis, & nõ homo. ad illũ pertinet susceptio matutina, qui dilutulo resurrexit; ab isto verme tanquam à tinea consumuntur hæretici*. elegans comparatio inter Ionã in ventre ceti, & Lazarum in sepulchro, & pueros in fornace.

Ionas in vẽtre ceti tanquã tres pueri in fornace vel Lazarus in sepulchro.

psal. 21.

Ex Epistola LI. ad Bonifacium.

1 POsse ait cogi populos ad credẽdum ab Imperatoribus. *& nunc Reges intelligite &c. seruite domino in timore*. sicut seruiuit Ezechias idola destruendo, itemquè Iosias & Nabucdonosor cogens Niniuen ieiunare, & Darius idolum frangens. subiungit egregiè. *in hoc seruiunt domino Reges, cum faciunt ad seruiẽdum ei, quæ non possunt facere nisi Reges.* certè, hoc idem nostra ætate videmus in India domita, & barbaris gentibus. hoc maximè Reges ostẽdunt se Reges esse, dum diuino cultui seruiunt, religionem ueram tuentur, quod multa cum laude nunc faciunt.

psal. 2. 4. reg. 5. 2 reg. 26. Ionas. 7. daniel. 3.

Regis est veram religionem tueri.

Ex Epistola LII. ad Macedoniũ.

1 IMpugnat Stoicos, qui dicebãt, sapiẽtem sua ui, & uirtute in Phalaridis tauro beatum esse posse. at *nec virtus nobis erit nisi adsit ipse, quo iuuemur; nec beatitudo, nisi adsit ipse, quo fruamur*. pulchrè pertinet hoc ad S. Eustachium, qui intra taurum æneum ardentem inclusus à Tyrãno est. sed ideo ibi beatus, quia Deo fruiturus beatitatis fonte; nec ut Stoicus pertulit, sed vt Christianus verè philosophatus.

Stoicorũ iactantia de sue virtute arguitur.

Virtus, & felicitas a Deo est.

s. Eustachius in Phalaridis tauro beatus.

Ex Epistola LIIII. ad Macedonium.

1 PRobat recipiendos esse pœnitentes. *Quantò magis nobis displicet vitium, tantò minus volumus inemendatum interire vitiosum; facile est enim malos odisse, quia mali; rarum, & pium diligere, quia homines; ac propterea culpam iustiùs oderis, quia in ea fœdatur natura, quam diligis*. sic dominus oriri facit Solem suum, super iustos, & iniustos &c. acutè dictum illud est, facile esse malos odisse, quia mali &c. tum uide quid de malitia dicat, ea fœdari humanam naturam. his pulchrè addit quod accusantibus adulteram ait Christus. *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. nec legem improbauit, & illos ad misericordiam reuocauit; puto quod hac sententia domini audita, si præsens fuisset maritus ipse, exterritus animum ad voluntatem parcendi ab ulciscendi cupiditate deflexisset*. uide quantã uim habeat ad condonãda aliena peccata recordatio suorum. magna est zelotypia mariti in uxorem, sed maio-

Per peccatora fœdatur humana natura.

Cognitio proprii errati ad miseratio nẽ aliorũ commouet.

Christus adulteram liberans.

rem

rem vim habet cognitio propriorum criminum.

2 Pulchrè de eadem adultera. *Tunc ex illa congregatione dilapsi, solam misericordi miserã reliquerunt; cedat huic sẽtẽtiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Iudæorum.* Nota vim conscientiæ: sæuitiam ab ipsis aduersarijs sustulit, & apud Christum misericordem iudicium reliquerunt: qui scilicet in persona Iob ait. *Mecum creuit miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* quasi germanam dicit.

Cognitio sui mansuetudinis effectrix.

Iob. 31.

3 Acutè illud aduertit; *Cum adultera audijt, qui sine peccato est vestrum, lapidem mittat, potuit timere; ergo tù, qui sine peccato es, me condemnabis & tamen ei dicitur, Nec ego te cõdemnabo: sed nè videatur Christus approbare quod fecerat, addit. Iam amplius noli peccare.* Vide vt inde impetrarit veniam, vnde potuit facilè timere vindictã.

Adulteræ coram Christo timor, & spes.

4. Licere ait Sacerdoti intercedere prò reis, sed videndũ cui parcas. *Sicut enim est aliquando misericordia puniens, ità & crudelitas parcens; nam exempli gratia, quis non crudelem veriùs dixerit eum, qui puero pepercerit volenti de serpente ludere?* Ita nec parcendum, cùm sequitur impunitas in eo qui peccat, vel imitatio in eius exemplis. Vide quid sit Mundi blanditias sequi, cũ serpente ludere. est autem illud maximè notandum ei, qui præest, ne dum subditis malis nimium indulget, eis noceat, & pietas in crudelitatem cedat.

Nimia indulgẽtia Prælati crudelitas est.

5 Exponit illud. *Si vos cũ sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester cœlestis, &c. quomodo pater, si dicitur, cum sitis mali? nisi quia vtrumque Veritas monstrat, quid simus dono Dei, & quid humano vitio. meritò ait Seneca, qui tẽpore Apostolorum fuit, cuius etiã ad Paulum quædã legũtur epistolæ. Omnes odit qui malos odit, & tamen ideo diligẽdi sunt mali, vt nõ sint mali.* Nota, vt liceat aliquãdo Gẽtiliũ dictis vti, huius præsertim, quẽ inter Ecclesiasticos scriptores Hieronymus numerat, & moralibus sẽtẽtiis egregiè scatet.

Matth. 7.

Ex Epistola LV. ad Dioscorum Episcopum.

1 QVærebat hic ab Augustino difficiliorum locorum explicationem ex Ciceronis Philosophia, & ex libro de Oratore; respondet, non decere Episcopũ hæc quærere, quanquã non mala: dices, te id agere, ne populi putent te indoctum, & hebetẽ. *At ego te admoneo, eũ qui taliũ putatorum linguas tanquam falcibus concidi timet, lignum esse aridum, & ideo non putari tantùm indoctum, & hebetem, sed verè esse, atque conuinci.* Acutè arguit, si falcem maledicæ linguæ timet; ergo lignum aridum se esse ostendit. nec valet ratio, quòd ad bonum finem id referas, nimirum ne forte tibi in aliis non credant, si hæc te nescire animaduertant. respõdetur primũ non futuros, qui hæc abs te quærant; quia & Romæ, & in Africa huiusmodi studia iam euanuerunt. deinde ait, de his rebus non à se esse quærendum, cùm sit Episcopus, sed ab aliis; denique potiùs tunc quærendum esse de opinionibus hæreticorũ, vt Manichæi, Donati, Sabellii, qui Ecclesiã vastant, quàm de Anaximenis, Anaxagoræ, &c. affert autem pulchrũ illud Themistoclis dictum, qui cùm haberetur indoctior, quòd lyram tangere nesciret, & interrogaretur, quid sciret? respondit: *Rempublicam ex parua magnam facere.* Nota quid Episcopi scire debeant, & in quo studio elaborare, vt in populis studium Religionis amplificent; Apostolici item viri, hoc studeant, vt Ecclesiam toto orbe terrarum dilatent. hæc eximia sunt, & præclara. his præsidijs eget nunc orbis terrarum. satis fuerit aliquando liberales artes degustasse ad hunc finem. satis lyræ datum, tuba nunc opus est, qua indicatur hæreticis bellum, &c.

Episcopi est subditis cõsulere, non exteris studijs occupari.

Ecclesiæ magis necessariæ literæ sacræ, quã exteræ.

Præstat hæreses impugnare acriter, quã elegantiã dicendi sequi.

Ex Epistola LVI. ad Dioscorum.

1 ECclesiam, ait, semper proficere, contra verò *Epicureorum, & Stoicorum secta vix in scholis rhetorum nunc commemorantur, nec audent se opponere nisi secta nomine Christiano coopertæ.* Vide vel ex hoste, quàm laudabilis sit nostra disciplina, quam nisi aduersarii simulent, eis non habeatur fides.

Philosophorum sectæ euanidæ.

Aduersãtium sectæ nomine Christiano se tegunt.

2 Aduersus eos, qui doctrinæ opinionem aucupari apud alios studẽt, est illud; *Prima humilitas est, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogamur, hoc dicerem, vt Demosthenes de pronunciatione dixit. huic aduersatur scire velle quid Anaxagoras, & cæteri dixerint, vt docti videamur.* Notent hoc magistri, & fastum omnem, tumoremque deponant. nãm vera laus virtutis est nolle vno digito demõstrari, sed ambabus manibus operari.

Humilitas primas tenet, & secũdas, & tertias.

3 Ethnicorum sapientes solitos ad Magiã defluere, hîc colligi potest. *Plotini schola floruit, qui habuit discipulos doctissimos. ex iis aliqui magicis artibus imbuti, alii se ad Christi fidem contulerunt.* en quò extera doctrina trahit; nisi præstò sit Dei gratia, quæ omnia moderetur.

Doctrina indifferẽs est ad virtutem, & vitium.

Ex Epistola LVII, ad Dardanum.

1 MAtrimonium, vt concupiscentiæ frænum concedi indicat. *Nuptiarum*

constrictum tenet, vt ipse de se ait in libro Confessionum.

Ex Epistola LXXIII. ad Possidonium.

Boni mores verus ornatus.

REprehendit fucum, & inaures, quæ adhibebantur etiam à viris. *Verus ornatus Christianorũ boni mores*. hoc est contra effeminatos, muliebriter comatos, &c. huc refer illud, *Spiritus eius ornauit Cælos*. hoc est, iustorum virtutibus, quasi stellis. quàm pulcher ornatus, qui elaboratus est Dei digito.

Ligaturæ satanicæ et inaures suspensæ.

2 Superstitiosos sic exagitat. *Execranda superstitio ligaturarum; in quibus etiam inaures virorum in summis ex vna parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad seruiendũ dæmonibus, exhibetur; quid autem cum eis agẽdum sit, si soluere inaures timent, & corpus Christi cum signis diaboli accipere nõ timent?* Nota superstitionem. ligaturas adhibebat diabolus, vt velut in triũpho captiuos duceret, & iam nunc referrent statum illum, cum ligatis manibus, & pedibus proijcientur in tenebras. itẽ inaures adhibebat etiam in viris, quæ sũt dona, & signa sponsalia; quia hoc affectat, vt sibi amore arctissimo constringat animas. item quia inaures obediẽtiæ typus sunt: ita suis præceptis, vt parerent, obligabat. Deniq; acriter vituperat eos, qui cum huiusmodi inauribus accedebãt ad Eucharistiam, nã cùm hic adsit Christus, vti sponsus amore sibi coniungens animã, illi ferebant signa sponsaliũ diaboli.

Ad Eucharistiã accedentes cũ ligaturis arguũtur

In Eucharistia Christus quasi spõsus.

Ex Epistola LXXIV. ad Deuterium Episcopum.

Manichæorum insanæ opiniones.

1 AVditores, & electi vocabantur Manichæi quidã, à quibus initiabantur, non ab Episcopis. Solẽ, & Lunam adorabant. falsam Christi passionẽ dicebant. etiam animas pecorum esse de Dei substantia, & partes eius: *Deum cum tenebrarum gente pugnasse, & partem suã tenebrarum principibus miscuisse, eamque toto mũdo inquinatam, & ligatam per cibos electorum suorum, & per Solẽ, & Lunam purgari asseuerant: & quod purgari de ipsa parte Dei non potuerit, in fine sæculi æterno, ac pœnali vinculo colligari, &c.* Nota nugas, & insanias hæreticorum, & vide quantum contenderit Diabolus, vt Passionis Christi beneficium aboleret. quod autem tantam vim purgandi etiam Lunæ tribuerent, miror, cùm hæc maculosa dicatur. valeant potiùs ad purganda nostra crimina Sol Christus, & Luna eius immaculata parens intercedendo.

Manichei Solẽm, & Lunã ad purgationem; facere, dicebant.

Vera purgatio per Christũ & Deiparæ preces

Ex Epistola LXXVI. ad Aurelium Episcopum.

Clericatus bonus status ostenditur

1 NOn esse ferendum ait, vt Monachi peruersi ad Clerum transeant. *Gùm ex ijs, qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere soleamus, nisi fortè sicut vulgares dicũt; malus choraules, bonus symphoniacus est; ita idem ipsi vulgares de nobis iocabuntur dicentes; malus Monachus bonus Clericus est, cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericũ faciat.* Nota quanta perfectio in Clerico requiratur, ne alijs ludibrio sit, & vt nemo, præsertim Religiosus ad sacros ordines initiari debeat, nisi pfectus.

Ex Religiosis nõ initiandi nisi perfecti.

Ex Epistola LXXVII. ad Aurelium Episcopum.

1 GRatulatur de spiritali fructu, *Impletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, nunciantibus literis tuis sanctam cogitationem tuam adiuuante Domino, qui eam inspirauit, & ad effectum esse perductam de omnibus ordinatis fratribus nostris, & præcipuè de sermone Presbyterorum, qui te præsente populo infunditur, per quorum linguas clamat charitas tam maiore voce in cordibus hominum, quàm illi in auribus. Deo gratias. hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grãdius, nec agi fructuosius potest.* Nota quatuor proprietates huius vocis, quàm rectè hoc semper ore promendum; cõtinet enim bonũ honestum, delectabile, & vtile. Pulchre autẽ charitatẽ ipsã inducit de corde clamãtẽ: *Deo gratias.*

Charitatis clamor est Deogratus ex corde.

2 Rursus gratulatur de profectu in spiritu per ipsum in Clero; *Deo gratias, qui te & tam fideli pectore ditauit erga filios tuos; & id quod in intimo animæ habebas, eduxit in lucem, donando tibi non solùm vt benè velles, sed etiam in quibus posset apparere quod velles.* idest Deus materiam tibi suppeditauit, vt spiritum, quẽ intus cõtinebas, communicares alijs. Vide quã præclarum sit Clerum instituere, in quo in primis excelluerunt & S. Philippus Nerius, & B. Caietanus. subiungit egregiè. *Ita planè fiet, vt luceãt hæc opera corã hominibus, vt videãt, & gaudeant, & glorificent Deum. Eatur, ambuletur, curratur in via Domini. benedicantur parui cũ magnis. iocundentur in his, qui dicunt eis: In domum domini ibimus. præcedant illi, & sequantur isti, imitatores facti eorum, sicut & illi Christi. ferueat iter sanctarum formicarum. fragrent opera sanctarum apium. ferant fructus in tolerantia, cum salute perseuerandi vsque in finem.* Elegãs planè paræneſis ad Religiosos maximè perti-

F a neus

Feruor spiritus Religiosis maximè commendatur.

nens de profectu in spiritu. *Eatur, ambuletur, curratur in via Domini*. Et rectè ait, iuniores sequi debere vestigia maiorum perfectorum. Pulchrè autem dicit: *Ferueat iter sanctarum formicarum, fragrent opera sanctarum apium*. Formicis comparat, vt desidiam damnet, nam illæ magno cum studio prouident sibi de victu; vnde illud: *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam; quæ cùm non habeat ducem, & præceptorem, parat in æstate cibum sibi, &c.* Pulchrè etiam conuentum Religiosorum comparat apiario propter apium industriam. *Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius*: hoc est principatum inter dulcia mel habet. breuitas humilitatem designat; quamobrem scriptura sic præmittit; *Nè spernas hominem in visu suo*. multò magis id de formicis: sicut autem hæ de frumento sibi prouident, quod est frugum præcipuum, ita illæ mel comparant suauissimũ, quo Religiosi status, & abundantia meritorum & suauitas consolationum spiritalium intelligitur. Porrò sicut ait: *Ferueat iter sanctarum formicarum*: ita de apium mellificio dixit Maro:

Eccles. 11.

Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

vides vtrobique feruorem.

Ex Epistola LXXVIII. ad Hesichium.

1 NOn inquirendum, ait, de extremi iudicij die, cùm dictum sit, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ, &c.* græcè est χρόνος, καὶ καιρὸς, hoc est tempus, & opportunitas, scilicet prædicandi Euangelium. *Si ergo susciperent hũc laborem serui Dei, vt peragrato orbe terrarũ quantum possunt colligerent quod remansit gentium, vbi nondum est prædicatio, hinc aduertere vtrumque possimus, quantum hoc tẽpus longè sit à fine sæculi; quòd si propter quędam loca inaccessa, et inhospita fieri posse nõ creditur, vt à seruis Dei peragretur Orbis terrarum, & quot, quantaq; sint adhuc gentes sine Christi Euangelio fideliter renuncietur, multò minus existimo scripturis posse cõprehendi quãta vsque futura sint tempora. vnde si iam nobis certissimè nunciatum fuisset in omnibus gentibus Euangelium prędicari, nec sic possemus dicere quantum temporis remaneret vsque ad finem, sed magis, magisq; iam appropinquare. nisi quis fortè respondeat, tanta celeritate prædicato Euangelio Romanas gentes, & plerasque barbaras occupatas, atq; ita nonnullas non paulatim, sed subitò ad fidem Christi fuisse conuersas, vt non sit incredibile paucis annis, etsi non vita nostra, vniuersas omninò residuas gentes Euangelio posse compleri*. Pulcherrimus locus de diffuso per omnes gẽtes Euangelio, ætate nostra, præsertim per socios, duce Xauerio, quod Augustino optare licuit, non videre, tamen præuidere quodammodo visus est; fidem vbique dilatandam esse à prędicatoribus Euangelij; & quod difficile putabat factu, superatis etiam locis regionum inaccessis, & inhospitis: itaque oboriri certè suspicio potest de Mundi fine, licèt incerta sit hora: est autem hoc proprium nostrę Societatis, *vt peragrato orbe terrarũ, quantum possunt, colligant, quod remansit gentiũ.*

Votum Augustini de cõuersione totius orbis nostra ætate completum.

Iudicij dies nũc maximè instat.

Societas Iesu colligẽs ad fidem reliquias gentium.

Ex Epistola LXXIX. & sequ. ad Hesychium.

1 DIcebat Hesychius, inquirendum esse de die iudicij, quia reprehenduntur in Scriptura qui non inquirunt. *Cæli nostis probare tempus, hoc quare nõ cognoscitis? &c.* addebat, Christũ ipsum dare signa sui aduentus. *his autẽ fieri incipiẽtibus respirabitis, & leuabitis capita vestra, etc.* nota illud, *respirabitis*, vbi nos legimus *respicite*. iusti post magnũ salutis metũ liberè respirabunt, contra post vanũ gaudium suspirabunt impij. Respondet Augustinus, multa ex locis allatis pertinere potiùs ad supremũ vitæ diẽ; locum de cœli facie pertinere ad primum aduentũ; signa verò illa desolationis, & de Sole, & Luna possunt ad excidium Hierosolymę pertinere; & ad obscuritatem Solis in Christi morte; & Luna intelligi potest Ecclesia, quæ adorat in typo Ioseph Christum; nam de Rachele eius matre non potest intelligi, cùm esset iam mortua. stellæ autem cadent de Cœlo, hoc est, multi à fide desciscent.

Iusti in iudicio respirabũt, mali suspirabũt.

Luc. 21.

Multa, quæ de iudicio dicuntur ad vitæ finem pertinent.

Cœli faciem nosse est primum aduentum.

2 Pergit ostendere, sua ætate nondum proximum esse Iudicij diem, quòd nondũ esset vbique prædicatum Euangelium. *Sũt enim apud nos, hoc est in Africa, barbaræ innumeræ gentes, in quibus nondum est prædicatum; multi etiam interiores nõ subditi Imperio Romano, donec impleatur illud: Dominabitur à mari, vsque ad mare, scilicet Oceano toto, qui ambit orbem; & orbis respectu eius est, quasi insula vna; & quocumque littorum nondum peruenit, peruentura est Ecclesia, vtique fructificando, atque crescendo. omnes gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium, non etiam omnium est fides*: Nota; quod de intimis, & extremis nationibus, & Oceani finibus Augustini tempore nondum conuersis dicitur, id per Xauerium in primis, & socios hoc tempore factum. Addit, quod dicitur in Actis, *Eritis mihi testes vsque ad extremum terræ*, id sanè Apostoli ipsi, quibus tunc loquebatur, magna ex parte erant acturi. *Quamuis & posteris eorum*

Augustini quasi prędictio de Societate Iesu

Conuersio futura de vltimis gẽtibus ab Augustino prenuntiata.

Xauerius Apostolus Indiarum Oceanum præteruectus.

eorum eadem actio seruaretur. Vides hic à nostris prædicatoribus in *I*ndia impleri munus Apostolicum, vt iure Xauerius in sacris fastis Orientis Apostolus indigitetur. habes quasi prædictionem Augustini impletam de conuersione vltimarum gentium,& de viris Apostolicis.

Arrogan ti peior est qum inscitia

3 Aduersus arrogantes hoc est. *Mibi quisquam non videtur errare, cum aliquid nescire sè scit,sed cum se putat scire quod nescit.* egregiè dictum. minus est non ingredi viam,quàm temerè ingressum fine duce erronem vagari.

Ex Epistola LXXXI. ad Eudoxium.

Otium impedit religiosi volatum ad Deū.

1 ABbatem hūc insulæ Capraríæ monet,& hortatur,ut otio ad pietatem, non ad desidiam abutātur monachi, ut si opus iis habeat Ecclesia, laborent. *Memineritis nullum esse locum,vbi non possit laqueos tendere Diabolus, qui timet nè reuolemus ad Deum.* Vides religiosis etiam segregatis à tumultu Mūdi laborandum, nè desidiosi sint in quiete, & ipsis maximè insidiari aucupem Diabolum, quorum propriū est sumptis alis contemplationis reuolare ad Deum: hoc enim propositum nobis debet esse, vt aquilarum instar ex imis ad supera uolatum intendamus,non ut humi desides iaceamus.

Ex Epistola LXXXIX. ad Hilarium.

Amor pondus est cordis.

1 DE Charitate sic. *Animus noster velut pondere, amore fertur quocumque fertur. iubemur itaq; detrahere de pondere cupiditatis,vt accedat ad pondus charitatis*. huc refero illud Esdræ. *pondera mihi pondus ignis*. & tamen quid igne leuius? pondus verò cupiditatis puto esse talentū illud plumbi apud Zachariam.

4. Esd. 4. Zach.5.

Matth.19

2 Negat verum esse,diuites non posse saluari nisi omnia vendant; nam Christus nō dicit diuiti:si vis venire ad vitam,vēde quæ habes &c. sed serua mandata; deinde addit,si vis perfectus esse,vende &c. at ille abijt tristis. *puto quod sè arrogantius quàm verius seruasse mandata responderit*. rectè, nā si seruasset verè mandata,facilè acquieuisset etiam consilio Christi,quia vita bona dispositio est ad religionē. porrò quod dixerat de difficultate diuitis, vt saluetur, comparatione cameli introeuntis per foramen acus,idem dominus explicat dicēs, impossibile id licet hominibus sit,Deo tamen non item.certè diues saluari potest,si bene utatur diuitijs,si paratus sit pro Christo illas dimittere vnà cum vita.

Paulus inter Ecclesiæ curas manu operans ad vitæ nec essaria.

3 Ad Religiosorum paupertatem hoc spectat. *Qui diuitum religiosis obsequijs aluntur,non tamen iudicantur, atque damnātur ab excellentioribus Christi membris,qui maiori virtute, quàm multum commendat Apostolus,suis sè manibus transigunt.* nota paupertatis excellentiam,& mirā in Paulo.qui habens curam omnium Ecclesiarū, manibus suis uictum comparabat, ut ministerium Dei esset purum,sine ulla remuneratione terrena,nec cuiquam esset molestus petendo.rectè autem scenas faciebat, qui se spectaculum seu theatrum factum esse dicebat Deo, Angelis, & hominibus. hoc ille,ut puto,in scenico,quo exercebatur,opere,cōtemplabatur. ac certè suam partem,& personam egregiè gessit in scena. Nota etiam pietatem diuitum erga Dei seruos,quos suis sumptibus alunt, ut uaria ministeria ad Dei gloriam expeditius exerceant.

Diuites religiosis subuenientes commendatur.

Ex Epistola XCIX. ad Eudoxium.

1 EXplicat difficilem locum Petri. *Iis, qui in carcere erant conclusi,spiritibus veniens prædicauit,qui increduli fuerūt aliquādo in diebus Noe quando expectabāt Dei patientiam, cum fabricaretur arca,&c.* & quod dicit *solutis inferni doloribus &c.* nō quod quasi catenis uinctus,sicut cū ait,*liberasti me a laqueo venantiū*;nō quod incidisset in laqueos,nam *inter mortuos liber* dicitur. uel intelligitur hoc de aliquibus liberatis, nam si & alios liberasset,quis nō gratularetur? de quibusdam potissimùm doctissimis ueterum,qui Deos uidentur cōtempsisse, & de alijs, quos, excepto ueri Dei cultu,legimus optimis moribus fuisse. *nisi aliter se haberet sensus humanus,aliter iustitia Creatoris.* nota de occultis Dei iudicijs circa ueteres Philosophos morales. addit. *de illo quidē primo homine patre generis humani,quòd eum ibidem soluerit, Ecclesia ferè tota consentit.* nam ad hoc pertinet illud. *Hæc illū eduxit de delicto suo &c.* idem dicunt de ceteris Patriarchis. malè autem quidam intelligūt hic liberatos,uel liberandos eos,quibus nondum prædicatum sit Euangelium,ut excusatos; at non opus esset ad salutem prædicatione euangelij.considera igitur, inquit, ne forte intelligendum sit de iis,qui eo tempore, *in ignorantiæ tenebris veluti carcere claudebantur*. sicut neque nunc multi credunt prædicationi,imminente licet iudicio tanquam diluuio. certe status peccatoris infernus est; *qui sedebant in vmbra mortis*, ait Esaias. *Per annos autem centum*

1. petri 3

psal. 85.

Adam in primis per Christi descēsum ab Inferis liberatus

sap. 10.

Fabricatio arcæ Noè quasi prædicatio fuit.

tum Arcæ ipsius fabricatio quasi prædicatio fuit; nondum Christus venerat in carne, verumtamen ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, sicut ad Cain, ac prius ad ipsum Adam, vxoremq; eius, vel ad consolandos bonos, vel ad vtrosque admonendos, vt alij ad salutem crederent, alij ad pœnam suam non crederent, ipse vtique, non in carne, sed in spiritu veniebat, visis congruitalloquens; in spiritu, inquam, nam ipse filius in substantia Deitatis, quoniam corpus non est, vtique spiritus est, sed quid facit filius sine spiritu sancto, vel sine patre, cũ inseparabilia sint omnia opera Trinitatis? priusquam igitur veniret in carne pro nobis moriturus, quod semel fecit, sæpè antea veniebat in spiritu, ad quos volebat, visis eos admonens. Vide Dei filium sollicitum etiam ante aduẽtum de salute hominũ. vt olim spiritus Domini ferebatur super aquas, viuificans, & volucres inde animans, & extrahens, ita secunda persona, Verbũ, inuisibiliter ferebatur super aquas naufragi Mundi, inspirando, vt se conuerterent, ac viuificarentur.

Verbum diuinum etiã antè incarnationẽ sollicitũ de hominum salute.

Ex Epistola C. ad Euodium.

1 NArrat quod accidit Gẽnadio medico notissimo, qui cum dubitasset de immortalitate animæ, in somnis vidit iuuenem, qui eum adduxit ad quandã ciuitatem, *vbi audire cœpit sonos suauissimæ cantilenæ, vltra solitam, notamque suauitatem*, beatorum scilicet spirituum. altera item noctè vidit in somnis eundem iuuenem, interrogantem quomodo superiora vidisset, si oculis erat clausis, vt potè dormiens? ita igitur post mortem, *nihil operãtibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, qua viuas, sensusq; quo sentias.* fatetur autẽ Augustinus se vix scire quomodo hæc fiãt similia corporeis sine corpore. Nota Dei clementiam vel in vnius hominis salute, alliciendo etiam per Angelicos cantus, & illustrationes circa immortalitatis veritatem.

Immortalitas a- tinæ miro viso probatu.

Angelicis cantibus qui dã excitatur ad fidei veritatem.

Ex Epistola C.IIII. ad Sixtum Presbyterum.

1 PVlchrè laudat, quod pro Gratia cõtra Pelagianos scripsisset. *Quid gratius legi potest, vel audiri, quàm Gratiæ Dei tam pulchra defensio aduersus inimicos eius? aut vnde vlteriores Deo debemus agere gratias, quàm quod eius sic defenditur Gratia ab eis, quibus datur, aduersus eos, quibus, vel nõ datur, vel ingratum est quod datur?* Nota antitheta, & coniugata elegãter expressa. referri hoc potest ad alios doctos scriptores de Gratia nostrorum temporum magna cum ingenii laude; sed maximè ad ipsum Augustinum.

Pro gratia pugnare cõtra Pelagiũ quã Deo gratum

Ex Epistola CV. ad eundem.

1 INstruit eũ aduersus Pelagium. obiiciebant Pelagiani auferri liberum arbitrium, nisi homo posset habere bonam voluntatẽ ex se sine Gratia; respondet: *Nõ intelligunt non se firmare liberum arbitriũ, sed impellere, vt per inuia feratur, non in domino tãquã in petra stabili collocetur.* acutè. tãtùm abest vt Gratia tollat liberum arbitrium, vt potius firmet, & stabiliat, ne sine Gratia ruat inpræceps.

Per gratiam non tollitur liberum arbitrium, sed firmatur

2 Obiiciebant etiam, Deum acceptorem dici oportere personarum, si quem uult, eligat, aut perdat, quasi non habens meritorum rationem: respondet. *parum attendunt, quod debita reddatur pœna damnato, indebita Gratia liberato, vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur.* alioquin nõ diceretur Gratia, si deberetur electio. uide ut Deus utrinque, & iustus, & pius appareat, sapienter disponens omnia.

Libera Dei electio non sine iustitia.

3 Monet, ut ipsam fidem, unde omnis iustitia sumit initium, gratuitum donum Dei esse fateamur: unde illud Cant. *Veniẽs, & pertransiens ab initio fidei*. sic legit, ubi uulgata habet: *Veni coronaberis de capite Aman*. & nota quod statim sequitur: *de cubilibus leonum, de montibus pardorum*. accepta enim fide statim, & leones, & pardi incurrunt, inuidi dæmones tentantes. iaculis, & sollicita uenatione opus est in huiusmodi belluis configendis. ad Martyres quoque referri potest multos, qui ob fidei professionem leonibus, & pardis obiecti sunt, ut Ianuarius, cui proni ad pedes deposita sæuitia prociderunt. sicut igitur Aethiopes coronari solebant ex sagittis beilicis: ita hic ex unguibus belluarum. *veni coronaberis ab initio fidei de cubilibus leonum &c.*

Fides Dei donum est Cant. 4.

Fidei corona in Martyribus, ex vnguibus leonũ &c.

4 Gratiæ beneficium ostendit. *Cùm Deus coronat merita nostra, nibil aliud coronat, nisi munera sua*. Sic coronat nos in misericordia, & miserationibus, postea in gloria, addit. *Ipsa vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur, tamen, quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per Gratiam, etiam ipsa Gratia nuncupatur, quare ait Apostolus; stipendium peccati mors; Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu*. Debuerat dicere, stipẽdium iustitiæ vita æterna, vt dixerat, stipendium peccati mors; nam & alibi merces dicitur uita æterna, sed aduersus elationis pestem ita dixit. *ò humana non iustitia, sed nomine iustitiæ planè superbia, quæ te dispo-*

Deus in nobis coronat munera sua.

Mors stipẽdiũ peccati; non tamẽ vita iustitiæ.

tè disponis extollere, & vitam æternam tanquam debitum stipẽdium flagitare &c. acutè notatum de stipendio peccati, non autem iustitiæ, vt Gratiam agnoscamus. Tũ de sufficiente Gratia, quæ omnibus datur, sic. *Non se excusent non accepisse Gratiam, quia de suo malo viuunt.*

Gratia sufficiẽs.

5 Gratiæ quantum tribuendum sit, ostendit. *Infantem baptizatum nulla præcedũt merita, & tamen saluantur; per Malachiam dicitur. Israel dilexi, & Esau odio habui: quid diligebat in Iacob, antequam nasceretur, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? & quid oderat in Esau, ante quàm fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* hinc collige, si Dei mater, qua nihil amantius, originale peccatum incurrisset, odio abominabilis aliquando Deo fuisset, vt quondam Esau.

Odium Dei in originale peccatum.

6 Est illud sanè notandum circa prædestinationem. Deus, inquit, non amat, aut odit propter futura bona, vel peccata, alioquin ille, *qui translatus est, ne malitia raperet intellectum eius*, potius damnãdus fuisset.

7 Infantes egere baptismo sic ostendit. *Quod exorcizantur, & exsufflantur infantes, hoc procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. si autem dominatur, & ideo hoc fit, per quid dominatur nisi per peccatum princeps vtique peccatorum?* pende verba. per peccatum originale dicit, diabolum principatum habere, & dominium. vide an hoc competat dilectissimæ Dei sponsæ conceptæ. vt exsufflatione indiguerit, quę sancto spiritu semper fuit affiata; & vt in dominã Angelorũ dominatus sit aliquando diabolus.

Diabolus per peccatũ originale dominium accipit.

In Deiparã nũquam dominium accepit diabolus per originale peccatũ.

Ex Epistola CVI. ad Bonifacium, seu Paulinum.

1 ELeganter eum commendat. *Fragrãt Epistolæ tuæ odore syncerissimo Christi, ubi germanissimus Gratiæ ipsius dilector, & confessor apparet.* cõtra Pelagium scripserat pro Gratia. idem referri potest ad Bellarmini controuersias, & aliorum scripta aduersus hæreticos. vbi nota. pulchrè dictum. quasi ipsius Gratiæ floribus aspersus odore fragrat, qui Gratiam amat, & tuetur.

Gratiæ defensio fasciculus florum est.

2 Mirum in modum de se humiliter sentit. *Quomodo audebo tibi me pingere, cum cœlestis imaginis inficiator prober corruptione terrena? vndique odi quod sum, & non sum quod amo.* ineptum se pictorem vocat, qui Dei in se imaginem inquinarit: addit pulchrè de fomite. *ipse discors, & intestino bello distrahor, dum spiritus aduersus carnem concupiscit &c. durat mihi illud per Adam virus paternum &c.* nota: peccatum originale venenum appellat posteris propinatum: vide igitur an verisimile sit hoc veneno infectam fuisse, quæ serpentis venenati caput contritura erat. illud verò de fomite elegãter, ac pulchrè dictum. *ipse discors, & intestino bello distrahor.* & certè si hoc Deipara caruit, & originali peccato caruisse dicenda est, vt Theologi multi ostendũt. potest aliquo modò ad Aloysium nostrum referri, qui mirè huius belli motus domuit, cõcors ipse sibi, nõ discors, cõcinens, nõ dissonans. strenuus sanè miles, *de intestino bello* victor, & lauream consecutus.

Peccator inficiens cœlestẽ imaginẽ pictor ineptus.

peccatum originale venenum hæreditarium.

Deipara veneno peccati originalis immunis.

Fomes peccati intestinum bellum.

Aloysij Gonsagæ castitas insignis.

Ex Epistola CIV. ad Monachas.

1 MVlta hinc salubria monita circa religiosos, ac sanctimoniales colligi possunt; in primis illud, vt nolit præpositam suã, quæ ipsas ex multa experiẽtia nouerat, tumultuosè mutare. *Sub illa estis eruditæ, sub illa velatæ, sub illa multiplicatæ, & sic tumultuamini, vt eam vobis mutetis, cum lugere deberetis, si eam vobis mutare vellemus. ipsa est, quam nostis; ipsa est, quam per tot annos habendo creuistis.* vide quàm præclarè institutum sit apud quasdam religiones, & apud Societatem nostram, vt Præpositum generalem perpetuum habeant, qui lõga experiẽtia calleat gubernaculum tractare. huiusmodi autem seditionum, sic enim vocat, capita Deo iudici reseruata dicit. tum sic pulchrè. *non ita plantauimus, & rigauimus hortum dominicum in vobis, vt spinas metamus istas ex vobis. cogitate quid mali sit, vt cum de Deo natis in vnitate gaudeamus, interna schismata in monasterio lugeamus.* vide quid sit religio. *hortus domini.* iuxta illud. *quàm pulchra sunt tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua Israel. quasi horti iuxta fluuios irrigui &c.* at vide quid sit discordia præsertim circa pręlatum: spinæ, senticetum. num. 24

Præpositus Generalis Societatis Iesu rectè non mutatur.

Dissẽsio in electione, prælati quàm Deo displicent.

2 Proprietatem omnino à religiosis ablegat. communem vult esse conditionẽ, siue diuites intrarint, siue pauperes. *Quæ non habebant, non ea quęrant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. nec illæ extollantur, quæ communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt.* nota de religiosis benefactoribus, ne eo prætextu blandius secum agi uelint. & uide quàm indignum sit pauperem intrasse in religionẽ, & more diuitum uelle uiuere.

Aequalitas in religione seruanda

Acutum est illud discrimen inter superbiam, & cetera uitia. *Alia quæcumque iniquitas malis operibus exercetur vt fiant; superbia verò bonis operibus insidiatur vt pereant.* egregiè notat; tentatio peccandi nondum factum peccatum supponit; at superbia bonum iam factum destruit: prędatrix, insidiatrix est.

Superbia insidiatrix est bonorum operum.

Per-

3 Pergit arguere eas, quæ cum ex seculo pauperes venerint, in religione delicatius volunt viuere quàm quæ diuites. *Curandum, ne contingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbi quantum possunt fiunt diuites laboriosæ, fiant pauperes delicatæ.* rectè peruersitatem vocat, quia perturbato rerum ordine viuitur, vbi ordo maximè vigere debet.

Modestia præsertim oculorũ cõmendatur.

4 Ad modestiam instruit præsertim oculorum. *Oculi vestri etsi iaciantur in aliquem, figantur in neminem.* nuncios vocat cordis etiam tacente lingua. huc spectant regulæ illæ præclarè de modestia ab Ignatio nostro scriptæ peculiariter: adeo hæc illi cordi erat. *A*dde quod sequitur.

Sociorũ defectus prælato iudicãdi sed cautè.

5 Defectus alterius, præsertim immodestiæ oculorum, & castimoniæ, præpositę nunciari iubet. *Velut vulneratam, sanandam probat quæcumque inuenisse potuit hoc. nec vos iudicetis esse maleuolas, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes nõ estis, si tacendo perire permittitis.* vide quàm sanctè Ignatius iusserit, suos debere contentos esse, vt defectus à quouis extra confessionẽ superiori prodantur, qui vulneri medelam adhibeat. sed vide etiam quàm cautè id sit agendum, vt res calumnia vacet sic enim addit. *antequam aliis demonstretur, per quas conuincenda est, si negauerit, prius præpositæ debet ostendi, si autem negauerit, tunc neganti adhibendæ sunt aliæ, vt iam coram omnibus possit, non ab vna teste argui sed à duabus tribusue conuinci; conuicta verò secundùm præpositæ arbitrium debet emendatoriam subire vindictam, quam si fortè recusauerit, & si ipsa non abscesserit, de vestra Societate proiiciatur.* Vide & in hoc laudabile eiusdem Ignatii institutum de proiiciendis à societate, qui peruersi sũt: quid apertius dici potest? nisi resipiscat, *de vestra Societate proiiciatur.*

In aliis corrigendis quid spectãdũ

Incorrigibiles à religione dimittendi.

Societas Iesu dimittens inobsequentes laudatur

Virgines sanctimoniales vt regẽdæ.

In prælato dũ corrigit, insit zelus humilitas prudentia.

6 Præpositam verò sic instruit. *Si quid seruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum, corrigendumque curetur.* hoc ad muneris auctoritatem pertinet, illud ad humilitatem. *Ipsa verò non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. coram omnibus prælata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris.* hoc quod addit, ad prudentiam. *disciplinam libens habeat, metuens imponat, & quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat quàm timeri.* pulchrè hoc dictum, subditos mortificandos à superiore, cum opus est, sed cautè cum metu: ne frangat potius quàm flectat, ac sanguinem potius eliciat, quàm saniem extrahat. nota hæc tria necessaria in prælato dum corrigit.

Ex Epistola CXLI. ad Paulinam.

Dei natura qualis sit.

1 DE Dei natura sic præclarè. Deus non est quidem corporeus. *ego autem dico quod totus manus est, quia omnia operatur. totus oculus est, quia omnia videt. totus pes est, quia &c.* vide immensam Dei potentiam, & maiestatem. contra quàm nos, qui ad operandum segnes, ad recta videnda hebetes, ad virtutis cursum tardi sumus.

Ex Epistola CXVIII. ad Ianuarium.

Accommodare se quisque aliis debet quãtumlicet

1 DIgnum notatu hoc monitum est. *Quod neque contra fidem est, neque contra bonos mores, indifferenter est habendum, pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.* mater Monica Mediolanũ veniens, vbi sabbato non ieiunabatur, perturbata est, cui sanctus Ambrosius ait. *cum Romam venio, ieiuno sabbato. cum hic sum, non ieiuno.* nota morem Romæ antiquum ieiunandi die sabbati. huc spectat quod sequitur. *Quidam dicet, non quotidie communicandum ob reuerentiam, alter quotidie ob medelam. horum litem rectius dirimes, si dicas, in pace sint; neque enim litigarunt Zachæus, & Centurio, quoniam ille Christum domi suæ excepit, hic non est ausus.* ideò *manna vnicuique secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat.* Vides non esse facilè censuram adhibendam in aliorum factis, & consuetudinibus. & pulchrè de manna exemplum ponit, quę esca ad aliorũ placitum se conformabat, rectè per Angelos ministrata.

2 Docet, non ideò Solem, & Lunam adoratione digna, quia iis comparatur Christus, sicut nec agnus, aut leo coluntur, quia iis assimilatur Christus. *Manichæi, & Mathematici cum à nobis reprehenduntur, obiiciunt, cur nos ad Solis, & Lunæ computationem pascha celebramus? at item Augures nobis possent obiicere, cur auguria detestamur, si simplices in scriptura columbis similes dicuntur? & Marsi incantationes, si prudentes serpentibus cõparantur? sed nos tantùm similitudines inde capimus. ita ad Galatas scribens. eos inculpat Apostolus, qui dicunt: non proficiscar, quia Luna ita fertur, vel proficiscar, vt prospera cedant, quia ita se habet positio siderũ. neq; verò quisquã attẽdit, quod eo tempore, quo pascha celebratur, Sol in Ariete est, quibuscumque vo-*

cabu-

cabulis vocent, vbicumque Sol esset mense nouorum, illic eum reperiret hæc celebratio propter similitudinem Sacramenti renouandæ vitæ.

Ex Epistola CXV. ad Honoratum.

Vices amoris miræ inter Deũ, & hominem in incarnatione.

1 PVlchrè illud dictum de gratia noui testamenti. *O homines, nolite desperare vos fieri posse Dei filios; quia & ipse Dei filius, hoc est Verbum caro factum est. reddite vicem, efficiamini spiritus, & habitate in illo,* qui *caro factus est.* vide admirabiles amoris vices: Deus homo factus. Deus homo fiat. præclarus hic locus est de Christi incarnatione, atque natali.

Psal. 21.

Christus è matris vtero extractus dicitur, cur.

2 Explicat locum psalmi. *Tu es, qui extraxisti de ventre.* ad ipsum Christum de Virgine procreatum refert. sequitur: *Spes mea ab vberibus matris meæ.* cur hoc? an non etiam ante ab ipso conceptu spem habuit resurgendi? sed nimirum ab vberibus dixit, quia ab ipso conceptu vbera fœminarum promouentur. illud autem *In te iactatus sum ex vtero.* ob diuinitatem dixit, cui statim anima Christi coniuncta est in ipso conceptu. Nota verbum extrahendi, tanquam in vtero Virginis libentissimè moraretur velut in aula, vel thalamo, & ægrè inde auelleretur. item nota de mysterio resurrectionis ab vtero: nempe ex hoc illæso prodiit, vt è clauso sepulchro.

Christi spes resurrectu ri ab ipso vtero.

3 Ostendit quàm difficilis quæstio sit de animi natura *Ratio de aduentu, vel exitu animæ in tanto naturæ profundo sic latet, vt satius sit eam semper quærere, quàm aliquando inueniisse præsumere.* Vide vt animæ cognitio licet difficillima, tamen digna perpetuo studio sit. & nota quàm non facilè ac temerè pro certis affirmanda sint quæ adhuc in occulto sunt. tam acutus ac perspicax Doctor hic hæret.

Ex Epistola CXIX. ad Ianuarium.

Ineptiæ Manichæorũ de naufragijs Solis, & Lunæ.

1 DE Manichæorum insania sic. *Manechæi imperiti repleri Lunam dixerunt, sicut repletur nauis ex fugitiua Dei parte, quam commistam principibus tenebrarum, & eorum sordibus inquinatam ore sacrilego, & credere, & loqui non dubitant: tunc ergo impleri Lunam dicunt, cum magna pars Dei magnis laboribus ab inquinamento purgatur, de toto Mundo, & cloacis fugiens redditur Deo lugenti, dum redeat; repleri verò per mensem dimidium, & alio dimidio in Solem refundi velut in aliã nauim.* Nota ineptias Manichæorum, dum Lunam, & Solem nauibus comparant, sed ipsi naufragium pietatis faciunt. illud potius mysticè poterat sanius dici, Solem quasi nauim esse, quæ contemplatione ipsius pulchritudinis, &c. deferat nos ad cognitionẽ Creatoris; & Deiparam Lunam esse, sed sine macula, & eandem quasi *nauem institoris* ferentem nobis cœlestem panem. pulchrè autem, & acutè illud addit. *nos non de Sole, & Luna actionum nostrarum euenta coniicimus, ne tanquam scopulis miseræ seruitutis illisi à libero arbitrio naufragemus.* alludit ad id quod dixerant de naufragio Solis, & Lunæ, in scopuloso veluti salo, & Scyllæo freto iacturam facientes.

Deipara nauis institoris.

Hæreticorum naufragia.

Eccl. 27.

3 Explicat illud Ecclesiast. *Sapiens sicut Sol permanet, stultus sicut Luna mutatur. Quis est ille stultus, qui tanquam Luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccauerunt? anima quippe humana recedens à Sole iustitiæ, omnes vires suas in terrena conuertit, & eò magis obscuratur in inferioribus, aut superioribus suis; sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quantò magis ei appropinquat affectu pietatis tantò magis exterior homo corrumpitur, interior renouatur, &c.* rectè stultum Adam Lunæ comparat, vt mutabilitati obnoxium; si permansisset in statu suo, dictus esset, *sapiens, sicut Sol permanens.* illud etiam in primis aduerte, sicut Luna, cum decrescere lumine nobis videtur, tunc magis supernè illuminatur: ita animum, ac mentem, cum deficit à terrenis infra positis, illustrari supernè.

Anima Lunæ instar, in augmento, vel decremẽto lucis.

Sol sapientis typus, Luna stulti.

Ps. 10. & 11.

3 Exponit illud Psalmi. *Vt sagittent in obscura Luna rectos corde.* sic legit; de Ecclesia intelligens, dum est in hac mutabilitate carnis. rectè, quia lumen accipit à iustitiæ Sole. alibi dicitur. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec interficiatur Luna,* sic legit, vbi vulgata: *auferatur* Luna, id est donec omnis mortalitas absumatur. porrò primum illud referri potest ad Dæmones, quorum sagittæ tunc præualent, cum Deiparæ deuotio in nobis deficit; ad secundum verò pertinet, quod addit. Arca circumdans septies muros Hierico, quæ interpretatur Luna, est annunciatio regni cœlestis, & septẽ dona Spiritus Sancti, per quæ destruuntur mortalis vitæ munimenta. *per liberum arbitriũ destruuntur, ideo non impulsu violento illi muri corruerunt, sed sponte.* notabilis locus de gratia non coactè, sed moraliter, & suauiter agente. pulchrè autem quasi tubas innuit septem illa Spiritus Sancti dona, quibus mundanus atteritur fastus.

Deiparæ minus deuoti, sagittis dæmonum obnoxii.

Gratia sine impulsu victrix vt hierecuntini muri nõ machinis, sed tuba disiecti.

Ex

Ex Epistola CXX. ad Honoratum:

Augustini tristitia ex laude.

1 SCientiæ laudem sic à se remouet. *Tantum absum ab eo, quod putasti nihil me latere, vt nihil in Epistola tua legerim tristius; quia, & apertissimè falsum est; et miror quod hoc te latet, quod non solùm in aliis rebus innumeris multa me latent, sed in ipsis sacris scripturis multò nesciam plura quàm sciã.* nota tanti Doctoris humilitatẽ ac vide quã abiectè de suo ingenio sentiat, quanta cum tristitia laudes acceperit. cum ostendit in charitate potius quàm in sciẽtia gloriandum. *Tu sic lege, sic disce, vt memineris verissimè dictum, scientia inflat, charitas ædificat. sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum.* pulchrè dictum, scientiam esse solùm instrumentum ædificii spiritalis, quod Apostolus extrui iubet ex auro, argento, & lapidibus pretiosis, non ex stipula.

1. Cor 8.

Scientia tãquam machina in ædificio charitatis.

1. Cor. 3.

2 Explicat psalmum vigesimum primum. *Ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima posita est.* cur proximam vocat, si in medio eius erat, & iccircò quærebat opem? quia cum caro patitur, hæc est proxima tribulatio, quia nobis coniuncta caro est, ac ne virtus deficiat, orandum. cætera externa bona nos non tangunt, nec permista nobis dicuntur; ita habes apud Iob. *Non est tribulatio in agro meo, non in auro &c. sed in carne mea, cui copulor, cui connector, cuius sensum non habere non possum.* acutè dictum de domestico veluti bello carnis. intus hostis est, nobiscum versatur. hoc magno eget orationis præsidio.

Carnis sensus proxima tribulatio vocatur indigens Dei ope.

3 *Exaruit sicut testa virtus mea.) Testa igne firmata est, sic & virtus corporis Christi passione.* rectè, non enim confracta est ictu malleorum, dum claui figuntur, sed charitatis igni solidata. sequitur. *Adhæreat lingua mea faucibus meis.) quia coram tondente se obmutuit.* nota, nam hoc maximè Pilatus est miratus, tam patienter tacuisse, nec se defendisse; *ita vt miraretur, præses vehementer.* quid admirabilius quã Verbum sine verbis præsertim in sua causa?

Christi virtus clauorũ ictibus non fracta, sed roborata.

Christi mirum silentium in passione.

Esa. 53.

Matt. 27

4 *Erue à framea, Deus, animam meam) Non vtique tali ferro Christus occisus est, nec latus eius gladio, sed lancea percussum translato ergo verbo frameam linguam dixit persequẽtium, vt est in psal. lingua eorum gladius acutus.* vel ad Ecclesiam pertinet ob Martyrum necem gladio factam: vbi nota; non orat patrem, vt liberetur à flagris, à spinis, à clauis, à lancea, sed à lingua persequentium, quia hæc omnium armorum sæuitiam superauit, illudendo, exprobrando, falsa testando &c.

Linguæ maximè sæuitiam Christus expertus

psal. 56.

5 *De manu canis vnicam meam) scilicet de potestate Mundi; Mundus enim vt canis latrat in non domesticos, licet sint innocentes.* rectè Mundus impudens, & immũdus canis appellatur. adulatur mundanis, at bonis quasi non domesticis oblatrat. hinc Saluator ait. *si de Mundo essetis, Mundus quod suum est diligeret.*

Persecutio ostẽdit iustos non esse de hoc mũdo.

Mundus cur cani assimilatur.

Ioan. 15

6 *Vota mea Domino reddam.) Vota sua sacrificium vult intelligi corporis sui, ideo sequitur, edent pauperes &c.* rectè vota appellat, idest rem à se desideratam. *desiderio, inquit, desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* ad hanc Eucharisticam cœnam refert sequentia: *Edent pauperes & saturabũtur.) pauperes id est imitatores eius humilitatis,* nam ideò in illa cœna lauit pedes, & ait, *exemplum dedi vobis &c.* sequitur. *& laudabunt Dominum,) quia non sua merita, sed gratiam agnoscent. qui requirunt eum.) hoc est, qui non quærunt sua, sed quæ sunt Christi, vt ait Apostolus.* pergit: *Viuent corda eorum.) hæc vita cordis non est in sensibus corporis, secreta est in luce, quæ Deus est.* nẽpè Eucharistia cibus vitalis est cordis: *panis cor hominis confirmet.* hinc collige & desiderium Christi in instituendo hoc sacramento, vt charitatem plenè ostentaret suam; & famem, auiditatemquẽ, cum qua accedere debemus, vt solent pauperes, & humilitatem ex cognitione nostræ vilitatis, & prædicationem diuinæ bonitatis ob tantum beneficium. habes etiam effectum. hoc est immortalitatem & veram vitam cordis.

Eucharistiæ præparatio, & effecta.

ps. 103.

7 Explicat illud Apostoli *In charitate radicati, & fundati per fidem, vt possitis cõprehendere, quæ sit longitudo, & latitudo, & profunditas.* porrigitur latitudo ad diligẽdos inimicos. lõgitudo est aduersitas lõga nimiter tolerata, altitudo est spes æterni præmij, profunditas gratia Dei exhibita iuxta secretũ eius voluntatis; *radicati, quia Dei agricultura sumus: fũdati, quia Dei ædificatio.* nota cur in Cruce mortuus. ibi hæc quatuor apparent, latitudo Crucis est hilaritas in sufferendo, longitudo longanimitas, altitudo spes tributionis, profunditas arcanum Dei decretum in saluando per gratiam. hæc aptè à nobis considerãda, qui sumus, *configurati morti eius,* & tãquam clauis præceptorum in Dei timore confixi, iuxta illud: *confige clauis à timore tuo carnes meas.*

Quatuor dimẽsiones in cruce cõsiderãdæ

1. Cor. 3.

Psal. 118.

8 Redit ad explicationem psalmi. *Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ.) hoc est superbi, non vt pauperes saturabuntur; manducantes enim pauperem, didignantur esse pauperes.* acutè dictum, nã conformari debemus cibo, idest Christo pau-

pauperi, & humili; pro cibi enim qualitate valetudo est.

Post sumptam Eucharistiā non nisi de diuinis loquendū.

9 *Laudabunt Dominum &c.) Istam saturitatem non apud se ipsos tenuerunt, quodammodo enim ructantes Dominum laudauerunt, idest prædicauerunt in eum charitate flagrantes.* Vide vt post acceptā Eucharistiam charitate flagrare debeamus, et de Dei beneficiis loqui apud alios, quasi ructando post cibum. sic post coenam illam, *hymno dicto exierunt ad montem oliuarum.*

Mundanorum celsitudo casus & lapsus est.

3 *Procident qui descendunt in terram.) idest terrena amantes tantò magis descendent in terram. procident, licet alii eos excelsos putent.* Vide quæ sit celsitudo superbiæ, casus potius, et ruina.

Prædictio de Eucharistia.

Eucharistiæ præparatio & effecta.

11 *Annuntiabitur Domino generatio ventura) quia illa, quæ dixerat, ad Eucharistiam pertinebant, vt ostendat hæc ad nos pertinere, ait, generatio ventura.* item quia temporales causas ad Deum referre debemus. *vel quia impiorum generatio non Domino, sed sibi ventura est.* vel idem est, ac Domino placebunt, ei gratias agent, *tunc enim opus bonum piè ac rectè fit, cum in eius laudem fit, cuius gratia donatur, vt fiat.* præclarè dictum, illud tantum opus esse laudabile, quod fit pro Dei gloria, cuius ope factum est. acutè autem adnotat prædictionem de Eucharistiæ Sacramento instituendo in noua lege, quo fruitura esset *generatio ventura.* acutè etiam interpretatur de iustis, quia hi propriè Deo nascuntur, qui propter Deum operantur, ceteri suis commodis, & abdomini suo. addit. *populo, quem fecit Dominus.) qui & pecora creauit; sed ita intelligendum est, non solùm quod homines sint, sed etiam, quod iusti sint, ab illo factum intelligitur.* rectè, nam ideò nos fecit ad imaginem, et similitudinem suam, quam qui seruat, is apertè indicat factorem suum.

Cur scriptura vtatur allegoriis.

12 Pulchram affert rationem, cur scriptura vtatur allegoriis. *Res ita se habet, vt aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moueat, plus delectet, plus honoretur, quàm si verbis propriis diceretur apertissimè. credo quod ipse animæ motus quandiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur; si verò feratur ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritalia, quæ illis figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatu accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad quietem.* acutè indicat causam, cur scriptura, quæ simplicitate gaudet adhibeat allegorias, non ad ostentationem ornati sermonis, sed ad animum excitandum.

Ps. 40.

13 Exponit Euangelium de decem virginibus. *Stultitia illa quinque Virginū in Euangelio, in laude hominum posita est; nam oleum adulatrices vendunt, iuxta illud psalmi: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* rectè stultitiam vocat laudes forenses, quasi publicè venales. quare sequitur. *ne forte non sufficiat &c. non desperanter, sed humiliter dictum est, quis enim præsumat de conscientia sua, eam sibi in iudicio Dei posse sufficere? quis gloriabitur se mundum esse à peccato, nisi superexaltet misericordia iudicium?* addit: lampades bona opera sunt, oleum interius intētio bonę conscientiæ. Vide quantum de insufficientia nostra trepidandum sit, vt vix pro nobis Deo satisfacere valeamus.

Stultitia est laudes quasi venales quærere.

In indicio vix quisque prose tātum satisfacere potest.

13 *Media autem nocte clamor factus est.)* Nox media est iudicium obscurissimū, cùm minus scitur. clamor Archangeli tuba, quæ, & Dei vox, & Christi. *audient, inquit, vocem filij Dei &c.* sed illud quàm metuendum? *stultæ petunt à sapientibus oleum, hoc est aliquam consolationem, nec inueniunt, nec accipiunt; illis respondentibus, se nescire vtrùm sibi sufficiat ipsa conscientia, qua expectant misericordiam sub illo iudice &c.* nota de desertione peccatoris in iudicio ab omni ope. certè hæ quoque Virgines erant eiusdem professionis, & sociæ, nec tamen sapientes pro illis orant.

In iudicio nemo patrocinabitur.

14 Notabile est quod sequitur. *Sapientes acceperunt oleum in vasis suis stultæ non item. in tam multis pares, hoc solo eas dispares esse demonstrat, hoc solo contraria eis nomina imponit. quid enim tam coniunctū quàm virgines, & virgines quinque, & quinque lāpadibus ornatæ, obuiam sponso euntes, istæ, & illæ? & quid tam cōtrarium quàm sapiētes, & stultæ? videlicet quod istę oleum in vasis, hoc est intelligentiam gratiæ Dei portāt in cordibus suis, scientes quia nemo possit esse cōtinēs nisi Deus det.* rectè, stultitiæ tribuit non recognoscere a Dei gratia castitatem, quasi suis viribus tam arduā rem assequi possit. pulchrè item oleo comparatur gratiæ recognitio, quia inflammat animam videlicet ad amorem eius, qui adeo nos amat gratis. cor æstuat, vbi ardet, ac lucet recognitio tāti præsertim beneficij, quantum est continentia: tum vide quàm Deo displiceat cum religiosus inter perfectos eiusdem professionis nō similiter viuit. denique ait. *dormierunt &c.* quia de nullo desperandum, antequā dormiamus, hoc est ante mortem.

Castitatē à Dei gratia nō recognoscere stultum est.

Ex Epistola CXXI. ad Probam.

Pietas in nobili matrona spectabilior est.

1 Studium comendat orationis. *Mirū videri potest, vt sis secundum hoc sæculum nobilis, diues, tantæq; familiæ mater, quemadmodum occupauerit cor tuum, præcipueque sibi vendicauerit orandi cura.* Nota vt in nobilibus personis maximè pietas apud alios admirationi sit.

2 Explicat illud pſalmi. *Placebo domino in regione viuorum) In regione, inquit, viuorum, vbi tunc erimus, non in deſerto mortuorum, vbi nunc ſumus*. rectè deſertum mortuorum appellat terram, iuxta illud, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos*. vix ſenſus vllus eſſe videtur in nobis, Deo vocante, puniente. omninò nunc perfectè Deo placere non poſſumus, adeò languidus. & quaſi ſine calore vitæ eſt nunc affectus noſter in Deum. vide autem quàm fallantur mundani, qui putant ſe eſſe tanquam in horto deliciarum, cum ſint *in deſerto mortuorum*.

Pſ. 114.

Sęculum hoc deſertum mortuorum eſt.

3 Docet qua de re ſit orandum. *Ora beatam vitam, hanc vitam habere omnes volunt*. non tamen eam, quam gentiles philoſophi putarunt. nos oramus vitam ſed hanc miſeram, quam tamen longam volumus; veram ac beatam nec petimus, nec expetimus. ſubiungit. *Ad illam vnam vitam, qua cum Deo, & de Deo viuitur, cetera, quæ vtiliter, & decenter operamur, ſine dubio referenda ſunt*. vide quo dirigendæ ſint omnes actiones noſtræ. quid beatius quàm *viuere cum Deo, & de Deo*.

Orandū vt beatā vitam aſſequamur.

4 Exponit illud Pauli: *Sine intermiſſione orate*, ſed cur Chriſtus multiloquium vetat? *dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breuiſſimas. & raptim quodammodo iaculatas, nè illa vigilanter erecta, quæ oranti neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat & hebetetur intentio; abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio*. eleganter, & acutè ait, paucis verbis, ſed feruentibus multa orari, vt in oratione, quā vocamus rectè iaculatoriam; tanquam enim arcu intento, et ſagittis Deum prædam appetimus. demū pulchrè addit. *hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur. plus fletu quā afflatu*. nota de lacrymoſa oratione. ſic Dauid inquit: *auribus percipe lacrymas meas*. quaſi maximè vocales ſint. eſt & hoc notabiliter dictum: *omnia, quæ in pſalmis ponuntur, ad orationem dominicam reducuntur*. vbi vides breues illas preces compendium eſſe tot, tātorumque votorum.

1. Theſ. 5. Oratio iaculatoria vſurpata à veteribus.

In oratione non longitudo ſpectatur ſed feruor.

Oratio plus requirit gemitus quā ſermonis.

Adorationem dominicam omnes pſalmi referente.

5 Non omnia, quæ petuntur, expedire oſtendit; nam aliquando Deus dat quod volumus, nec expedit, ſed expleta concupiſcentia punit. ſic regem petentibus dat, ſed à quo premantur. ſic diabolo damno fuit Iob petitum accepiſſe, & in porcos petitos intraſſe. *nonnullis impatientibus Deus conceſſit iratus, quod petebāt, ſicut contra Apoſtolo negauit propitius*. ideò rectè concludit. *Quiſquis illam vnam petit à domino, & requirit, hic ſecurus petit: ipſa eſt enim vna vera, & beata vita, vt contemplemur domini delectationem in æternum. ibi eſt fons vitæ, quem nunc ſitire oportet orando*.

1. Reg. 8.

Sola vita æterna ſecurè peti poteſt orando.

Pſal. 26.

Ex Epiſtola CXXII ad Victorianum.

1 HOrtatur, vt patienter ferat incurſiones barbarorum in Italiam, & Hiſpaniam, tres pueri, & Daniel in tribulatione poſiti orabant primo loco pro peccatis ſuis, licet leones, ignemq; viciſſent. *etiam vbi eis parcebatur; & vbi eos vrere ipſa flamma verebatur, peccata ſua confitebantur*. mira humilitas, cum tam certi eſſent de Dei erga ſe beneuolentia, tam illuſtri miraculo confirmata, propria peccata deflent. ignis, leones miteſcunt; ipſi ſoli in ſe deſæuiunt.

Publicæ calamitates proprijs peccatis tribuende.

Dauid 3.

2 Non mirandum ait, quod occiſi eſſent à barbaris innocentes viri. *Quid intereſt, utrùm eos febris, an ferrum de corpore ſoluerit? non qua occaſione exeant, ſed quales ad ſe exeant, attendit Dominus; niſi quod maiorem habet pœnam languor diuturnus, quàm citiſſimus exitus*. præclarè dictū de animæ exitu. parum refert quod corpore exeunt, multum quò abeant.

Animæ diſceſſio non metuenda ſi ad Deum abeat.

3 Carpit hæreticorum ſæuitiam. *Donatiſtarum, ac Circumcellionum latrocinia ſic uaſtant Eccleſiam, ut barbarorum facta fortaſſe mitiora ſint. quis enim barbarus excogitare potuit quod iſti? ut in oculos Clericorum noſtrorum calcem, & acetum mitterent*. cæcos reddere noſtros conabantur, ſed potius cæci ipſi amentia, ac furore in Catholicorum oculos ſæuiebant. Annibal aceto molliuit Alpes, at non hi noſtrorum conſtantiam. calx ad Eccleſiæ ædificationem vſui fuit.

Donatiſtæ calce & aceto noſtros excæcare conati.

Ex Epiſtola C XX V. ad Cornelium.

1 COrnelius hic poſt mortem coniugis pudicæ, ſe dederat impudicitiæ: Si diues ille, in Inferno licet eſſet, tamen, *pro fratribus precabatur, ne & ipſi uenirent in illum locum tormentorum, quantò magis tua cōiux te recordatur, nec uult te ad pœnas uenire mœchorum*. nota de intercelceſſione piè vita functorum apud Deum pro ſuis, & vt curam habeant de noſtra ſalute. eſt autem hic locus maximè notandus contra eos, qui ad peccandum, hoc eſſe ad perditionem alios incitant, cum diues ille in Inferno poſitus nollet fratres ſimiliter perdi.

Piè vita functorū cura de nobis.

Luc. 16.

Ex

Ex Epistola CXXXI. ad

Sacra Scriptura carmine non vertenda est.

1 Dicit, se putare psalmos carmen esse, sed nescire numerũ; nec metro eos se scripsisse, *ne metri necessitate à sententia digrederetur*. Nota iure cautum, nè sacra Scriptura metro poetico verteretur. Psalmi non in Helicone, sed in sanctissimis delubris concinuntur. non fonte Caballino, sed lacrymis affluunt.

Ex Epistola CXXXII. ad Italicam.

Aduersitas materia est coronarum

1 Svadet, vt ferat Romanas clades illatas à Barbaris. *Non debet, cùm præliatur, infringi, qui vult post prælium coronari, vires illo subministrante certantibus, qui præparat ineffabilia dona victoribus*. Pulchrè ait, eum, qui calamitates ex bello ortas patienter fert, licèt inter victos, & captiuos sit, tanquam victorem coronari ab Imperatore Deo.

Ex Epistola CXXXVII. ad Clerum.

S. Felicis sepulcrũ quasi tribunal cogit fateri reos.

1 Mittit Bonifaciũ quẽdã ad sepulchrũ S. Felicis Nolani, vt signo aliquo pateat, vtrùm stuprum commiserit, nec ne. *Mediolani apud memoriam sanctorum, vbi mirabiliter, ac terribiliter dæmones confitentur, nouimus furem compulsum fuisse confiteri furtum*. Vide, vt ipsi sanctorum cineres metuendi sint, & operta eorum ossa, & condita tumulo, res abditas aperiant, & in lucem proferant. cedit tumulus in tribunal.

Religioni nõ detrahẽdũ ob vnius defectũ.

2 Non facilè quenquam scandalizari debere de Religiosorum defectibus dicit. *Quantumuis vigilet disciplina domus meæ, non mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noè, vbi tamen inter octo homines vnus reprobus inuentus est; nec melior, quàm domus Abrahæ, vbi dictum est: eiice ancillam, & filium eius; nec melior, quàm cohabitatio Christi, vbi fur inuentus; nec melior quàm cœlum ipsum, vnde Angeli ceciderunt, &c.* Hinc collige, cùm quis è nostra Societate in sæculum reiicitur, non imputari debere laxatæ disciplinæ, sed rigidæ, nec Præpositorum negligentiæ, si quis offendat. & pulchrè subiungit. *Nolite propter amurcam torcularia detestari, vnde apotheca dominicæ fructu olei luminosioris implentur*. Rectè Societas Iesu olei torcular dicitur ob mortificationis studium, & quia *oleum effusum nomen tuum*.

Nullius peiòr lapsus quã Religiosi mali.

3 Docet quanta sit iactura mali Religiosi. *Fateor coram Domino, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt; ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasteriis ceciderunt*. Audiant Religiosi, & cõtremiscant; nempè ex alto perniciosior lapsus. Huc refer minax Dei dictum; *In terra Sanctorum iniqua gessit, propterea non videbit gloriam Domini*. Esai. 26.

Ex Epistola CXXIX. & sequ. ad Audacem.

Augustini elogiũ elegans.

Augustinus thesaurus sapientiæ Oraculũ legis, &c

Augustini humilitas in laudibus

1 Laudatus ab hoc fuerat Augustinus præclarissimis titulis, & virtutis, & sapientiæ, præsertim his. *Thesaurus sapientiæ, oraculum legis, sacrator iustitiæ, instaurator spiritalis gloriæ, dispensator salutis æternæ; tam tibi notus est Orbis, quàm notatus. tam tu ei cognitus, quàm probatus, &c.* Has à se laudes Augustinus remouere conatur cum insigni humilitate. Sic enim respondet: *Thesaurum sapientiæ te desiderare dixisti, sed minus accepisse, quàm voluisti; cùm ego ex illo thesauro mendicabunda prece quotidianam stipem rogem, vixque impetrem, &c.* Vide, vt se diuinæ sapientiæ mendicum dicat tantus Doctor, & stipem à Deo petentem in dies: sequitur: *Oraculum legis quomodo sum? de cuius latis, atque abditis penetralibus nescio longè plura, quàm scio, eiusque multiplices sinus, opacosque secessus adire, ac penetrare non valeo; & me non aliud quàm minus dignum esse cognosco*, Nota, non ait, vt stultè Academici; vnum scio, me nihil scire, sed me dignum non esse, vt sciam perfectè. pergit: *Porrò sacrator iustitiæ quis ego? cui me sacratum esse permagnum est. iam verò quòd instauratorem spiritalis gloriæ appellas, da veniam, multũ, cui loquaris, ignoras; ipse quippe adhuc in hac gloria sic planè instauror, vt de die in diẽ non solùm quantùm accedam, sed vtrùm omninò aliquid accedam, latere me fateor*. Vide quàm difficile sit cognoscere, vtrùm proficias: deinde ad illud respondet: *Dispensator planè salutis æternæ sum, sed cum cæteris innumerabilibus conseruis meis, vt ait Apostolus: Quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*. 1 Cor. 4. Nota vt laudem communem alijs faciat, & in tantùm admittat, in quantum saluti aliorum consulere ad Episcopum maximè pertinebat. Denique quòd pasci eius floribus, & irrigari fontibus optare se dicebat, respondet. *Pascat te Dominus potiùs sapientiæ floribus, & viui fontis haustibus irriget*. Vide igitur, vt sancti Doctores amoueant à se laudem, qua nihil dulcius, &

G iucun-

iucundius accidere posse ad aures suas dicebat Themistocles.

Ex Epistola CXL. ad Anastasium.

Mundus blandiēs est proditor. vexans est monitor.

1 PRæclara illa vox est. *Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus; & magis cauendus cum illicit diligi, quàm cum admonet, cogitque contemni.* Vides aduersa magis proficere ad salutem. Mundus florescens proditor est; Mundus arescens monitor est.

Ex Epistola CXLVI. ad Consentium.

Corporis beati impassibilitas probatur ex fornace Babylonis.

1 PRobat corporum impassibilitatem post resurrectionem. Si fecit, vt tres pueri ab igne corrumpi non possent, poterit tunc facere etiam ne caro corrumpatur. *Si de ignis mutatione dicis, multò id mirabilius; nam corpora non vrebat, ne posset nocere; & ligna fornacis vrebat, vt posset ardere.* Nota miraculum, ignis in ligna eodem tempore vim suam exercebat, nec tamen in carnem, Si igitur inter voraces flammas seruari potuit Sanctorum caro, quantò magis in Cœlo, nullo lædente.

Ex Epistola CLIX. ad Marcellinum Tribunum.

1 MOnet, vt Donatistas in quæstione confessos puniat; sed citra mortis pœnam, non quòd eam non mereantur, sed quòd Ecclesiam deceat huiusmodi mansuetudo. *Vt viui, & nulla parte truncati, uel ab inquietudine insana ad sanitatis ociū legū coercitione dirigātur: uel à malignis operibus alicui utili operi deputētur.* Nota duplicem rationē, cur vitā donet. Subiungit egregiè. *Ad hoc mansuetissimi homines facinus occultatum diligenter examinant, ut inueniant quibus parcant.* Nota finem diligentiæ in examine, vt sit materia non tam puniendi, quàm parcendi, si ex corde pœniteat. quantò magis hoc monitum Prælatis Religiosorum competit. Meminerint præclari illius dicti. *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Et egregiè addit: *Inquirendi maior, quàm puniendi necessitas est.*

Examen delictiad mansuetudinem spectat.

Sap. 12.

Sap. 12.

Ex Epistola CLXI. ad Honoratum.

1 AIt Donatistas malè appellare Ecclesiam eam solùm, quæ est in Africa. Appellabant autem nostram Ecclesiam *Macarianam*, non Catholicam. at Euangelium potest & ibi notum esse, vbi Macarianū nomē ignoratur. Præclarum est Malachiæ testimonium: *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur.* Addo, Ecclesiam potiùs Macariam dicendam, hoc est beatam ob amplitudinem, quàm Macarianam, ob fines angustos eius regionis sic dictæ.

Ecclesiæ amplitudo contra Manichæos.

Malac. 1

Ex Epistola CLXIV. ad Emeritum.

1 DOnatistas reprehendit prauè de Ecclesia sentientes. *Miror, si habet in corpore sanguinem, qui hac de re non erubuerit.* Ad hæreticos quoque impudentes nostri temporis refer. Est autem eleganter dictum; quia erubescentia sanguine fit. at hæretici inuerecundi, exangues, & lapidei sunt.

Hæreticorum impudentia taxatur.

Ex Epistola CLXVIII. ad Eusebium.

1 ELeganter admodum per prosopopeiam narrat immane Iuuenis factum, qui matrem cædere solitus transijt ad Donatistas, vt rebaptizaretur, statuens, ettjam eam occidere. *Rebaptizatur furens, & in maternum sanguinem fremēs albis vestibus candidatur.* Pulchrè rem exaggerat. in baptismo enim candida veste amiciebātur, at hic interea rubescebat materno sanguine. tum ponit rem ante oculos. *Constituitur intra cancellos eminens, atque conspicuus, & omnium gementium oculis matricidij meditator, tāquam reuocator opponitur.* tum ostendit non minus illum per hoc facinus sæuiisse contra communem matrem Ecclesiam, quàm contra matrem propriā: *Cæditur mater carnalis in membris, quibus genuit, & nutriuit ingratum. prohibet hoc Ecclesia mater spiritalis. cæditur & ipsa in Sacramentis, quibus genuit, & aluit. nonne tibi videtur dixisse parricidaliter frendens: quid faciam Ecclesiæ, quæ me prohibet cędere matrem meam? inueni quid faciam: iniuriis, quibus potest, etiam*

Immane facinus Donatistæ matricidæ.

Hæretici in matrem Ecclesiam sæuiunt.

ipsa

ipsa feriatur. Vadam ad eos, qui nouerunt exsufflare gratiã, in qua ibi natus sum, ac destruere formam, quam in vtero eius accepi. ambas matres meas sæuis cruciatibus torqueam. quæ me posterior peperit, efferat prior; ad huius dolorem spiritaliter moriar; ad illius cædem carnaliter viuam. Nota: mirum est pondus in verbis singulis. tum sic cõcludit. *Quid expectamus, nisi vt in miseram mulierem senectute confectam, à cuius cæde ab Ecclesia prohibebatur, iã Donatista securus armetur? Quid enim aliud furibũdo corde concepit, cùm diceret matri, transferam me in partẽ Donati; bibam sanguinẽ suum, ecce iam conscientia cruentus, veste dealbatus, perficit partem promissi sui. restat pars altera, vt matris sanguinem bibat.* Omninò acriter vrget, & vel in epistola altè declamat. Nota impium Donatistarum morem, vt baptizando exsufflarent, quasi reiiciẽdo gratiam acceptam in primo baptismo: in hoc columba mitis, vt in Iordane: in illo cruẽtis vnguibus accipiter. Nero sæuissimus fuit matrem cædẽs, sed hic etiam Ecclesiam matrem communem, præter propriam cæcidit.

Ex Epistola CLXXV. ad Pascentium.

1 DOcet semper nasci Dei filium à Patre. *His rursus timendum est ne putetur imperfecta generatio, si non dicimus natum, sed nasci. compatere mecum, obsecro, in his angustijs humanę cogitationis, & linguæ; & pariter confugiamus ad spiritum Dei per Prophetam dicẽtem: Generationem eius quis enarrabit?* Vide, vt omnis humana vis doctrinę prorsus hebescat in explicandis diuinis. (Augustinusquàm cautus, ac ac pauidus in rebus fidei discutiendis.)

2 De suo conflictu cum hæreticis sic. *Facilè est, vt quisque Augustinum vincat. videris, vtrùm veritate, an clamore.* Iactabat Arianus, se Augustinum vicisse verbosè. hic mos hæreticorum est, vt rabulæ potiùs, quàm sapientes sint. Rẽs fidei non sub clamosa Zenonis porticu discutiendæ, sed pacatè in veritatis luce. (Res fidei non clamore discutiẽdæ sed veritate.)

Ex Epistola CLXXVII. ad Pascentium.

1 QVæris, *An triformem Dei personam credam? respondeo, nõ me ita credere. vna quippe forma est, quia vna, vt ita dicam, Deitas. nec* quia vna persona hæret inseparabiliter alteri, ideo triformis: sicut nec qui adhæret Spiritui sancto, dicitur biformis. *Qui adhæret Domino vnus spiritus est cum eo.* (1. Corin. 6.) Vide quàm cautè in diuinis loquendum sit.

Ex Epistola CLXXVIII. ad Pascentium.

1 PAscennius in symbolo dicebat, se credere in Deum Patrem omnipotentem, inuisibilem, incapabilem, inter cætera sic respondet. *Incapabilem neque neque iustè defendunt: quomodo incapabilis pater: qui capitur totus à filio, ipso dicente: ego in patre, & pater in me.* (Ioan. 14) Nota vt ufgiendæ sint voces quædam insolitæ in Theologicis rebus.

De vnitate diuinæ naturæ in personis sic aduersus Arianos. *Trinitatis substantiam vnam homusion Græci verbo complecti breuiter maluerunt: non enim nomen est, sed res; terribilis est in verbo huiusmodi sonus, quòd filius declarat, cùm dicit, Ego, & Pater vnum sumus.* (Ioan. 10) Vide, vt hoc sono terribili, quasi tonitru obstupefacti hæretici exhorrescant. Sic quidam audita voce de cœlo. *Clarificaui, &c.* putarunt tonitruum factum.

2 Pulchrè illud de Christo dictum. *Circumamictus carnis veræ trabea.* Nota, trabea est insigne Imperatorum, ac triũphantis, quæ palmis, & clauis aureis ornabatur, ita caro Christi nobilissima, vel ob ipsos clauos. (Verbum diuinum carnis trabea amictum)

3 Arianos sic arguit. *Si homusion non probant, quia Græca vox, etiam nomen Christiani à Græco est, et anathema, qua voce vsus Paulus, & maranatha, idest donec Dominus redeat, vox Syra est. Romani vsi sunt voce Gothica, sibora armen, idest Domine miserere.* Nota vt linguarum scientia necessaria sit ad confutandos hæreticos. (Scientia linguarũ necessaria contra hæreticos.)

Ex Epistola CLXXIX. ad Probam. & Iulianam,

1 DEmetriadem virginẽ laudat, quæ *generosius elegit iã in carne imitari vitam Angelorum, quàm ex carne numerum augere mortalium. hæc est vberior, fœcundiorque felicitas, non ventre grauescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere.* Elegantèr, & pul-

chrè dictum de candore cordis lacteis mammillis præstantiore. præclarus hic locus est de sanctimonialibus virginibus, in quibus maximè laudatur, & celsitudo mentis, & puritas cordis.

Ex Epistola CXCIX. ad Ecdiciam.

Vxor nō nisi à viro coacta ornari debet

1 ARguit illam, quod auersum reddiderit virum, monachæ habitum sumens ipso inuito. *Quid absurdius quàm mulierem de humili veste viro superbire? cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis vestibus repugnare*. pulchrè per antithesim dictum. nimium quidem ornatum damnat, sed vxoratæ habitus suo modulo differre debet à viduæ habitu. *quod si ornari aliqua dura conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. sic Esther regina dicebat, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstruatæ*. nota, duram conditionem vxoris vocat, cum cogitur à viro ornari. at contra fit; nam ipsa durum putat non ornari. egregiè autem ait, etiamsi coacta ornetur, posse seruari intrinsecus humilitatem, & sub molli veste asperum latere cilicium.

Potest sub extrinseco ornatu seruari intrinsecus humilitas.

2 Hortatur vt viro per preces reconcilietur. *Funde pro illo pias, & assiduas orationes; sacrifica lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis*. pulcherrimus locus de lacrymis, quæ & sanguis cordis dicuntur, & pro sacrificio sunt corde mactato, & in victimam cedente. certè ad aram Misericordiæ Athenis, lacrymis sacrificatum pro hostiæ sanguine, Statius canit. lege apud Celsum signa percussi cordis.

Lacrymæ sanguis sunt cordis.

Athenis ad aram misericordiæ lacrymis sacrificatum.

3 Non nisi per gratiam obsisti peccato dicit, non per legem. *nam potius appetuntur ardentius quæ vetantur*. vt autem lex impleatur, *non fit ipsa lege, sed gratia, hoc est non imperio, sed beneficio. incipit autem homo secundum gratiam in interiore homine renouari, non vt omninò non concupiscat, sed vt post concupiscentias suas non abeat; quod quidem tā magnū est, ac si omnimodo fieret*. vide quantum sit frænare concupiscentiam, penè tantundem ac non habere. nota etiam vt imperium opponat gratiæ, quæ vim, & coactionem excludit. lex agit imperio, gratia beneficio. pulchrè etiam renouationem interioris hominis tribuit gratiæ, quod facit ad ritum Societatis Iesu, quæ huiusmodi renouationem bis in anno celebrat.

Lex agit imperio gratia beneficio.

Renouatio spiritus per gratiam fit.

Ex Epistola CCII. ad Nectarium.

1 REprehendit, quod pro patria, quā ille florētē appellat, intercederet, cum in ea idololatræ Christianos occidissent. *O flores non planè fructuum, sed spinarum. compara nunc vtrùm malis, florere patrum tuorum pietate an impietate*. idem dixerim de iis, qui Mundum florere putant, vbi tot strages fiunt animarum per continua peccata. ceterùm illa ciuitas florere dicenda est, vbi pietas & religio viget.

Ciuitas tunc floret cum religio viget.

2 Quantum damni adolescentibus inferant impudicæ picturæ, docet. *Terentianus ille adolescens, qui spectans tabulam pictam in pariete, vbi pictura inerat de adulterio Regis Deorum, libidinem, qua rapiebatur, stimulis etiam tantæ auctoritatis accendit*. vide quid agat apud eam ætatem exemplum maiorum. quin potius imitemur Christi, sanctorumque castissimos mores. vide etiam quàm damnosæ sint obscœnæ picturæ.

Obscœnæ picturæ damnantur

Exēpla maiorū stimulus sunt iuniorum.

3 Irridet eius dictum, qui florere dicebat ciuitatem, quod spectaculis, & luxu abundaret. *Cum hæc impudica histriones fingunt, & saltant, ciuitates florere dicuntur. horum planè florum non terra fertilis, sed illa Dea Flora mater inuenta est, cuius ludi scenici tanta turpitudine colebantur, vt non aues, aut quadrupes, non sanguis humanus, sed multò scelestius pudor humanus tanquam immolatus intereat*. acutè arguit. hi flores ad Floram pertinent meretricem. vide vt uoluptas pro pulchris ostendat quæ fœda sunt, & vt pudoris carnifex fit. hinc illud Eccles. de impudico adolescente: *sequitur eam, quasi bos ductus ad uictimā*. tum pulchrè addit. *Tunc patriam tuam florentem uidebis, cum portio fuerit illius patriæ, cui non corpore, sed fide nascimur; ubi omnes sancti post labores uelut hyemales uitæ huius, interminata æternitate florebunt*. præclarè dictum. nota quando respublica seù ciuitas florere dicenda sit, non quando nobilitate uiget, uel bellica gloria, uel abūdantia diuitiarum &c. sed quando pietate imitatur ciuitatem cœlestem Hierusalem, ubi regnat ille, qui ait: *ego flos campi, & lilium conuallium*.

Mundi flores ad Floram pertinēt impudicam.

Theatrū carnificina virtutum.

Prou. 7. Voluptas pudoris est carnifex

Tunc floret ciuitas cum cœlestē Hierusalem refert.

4 De Christianis occisis uindictā repeti dicit non iracundiæ, sed correctionis causa. *Non præteritā uindicando pascere irā nostram audemus, sed misericorditer in futurum consulendo satagimus. habent homines mali, ubi & per Christianos non solùm mansuetè, sed utiliter, salubriterq; plectantur*. causā autem ulciscendi dicit, quod lapidibus appetiissent Clerum in festo paganorum Kalendis Iunii, saltationem impedientem ante fores Ecclesiæ. uides quantus esset olim Cleri zelus de Dei honore.

Ex Epistola CCIII. ad Maximũ Episcopum.

Episco. patus nõ tam honos quã onus est.

1 REmouet eum ab omni fastu. *In futuro Christi iudicio nec absidæ gradata, nec cathedræ velata, nec sanctimonialium occursantium greges adhibebuntur ad defensionem. quæ hic honorant, ibi onerant; quæ hic releuant, ibi grauant.* nota vt prælati, & Episcopi in iudicio onus esse sentient quod hic ijs videbatur honor. alliteratio est elegans.

Ecclesia mater vbera porrigẽs omnibus gentibus

2 Ecclesiæ matris causam, vt suscipiat, hortatur. *Si approbas baptismum Ecclesiæ tanquam verissimæ matris, quæ omnibus gentibus sinum pandit, & regenerationis vbera infundit, cur non erumpis in liberam uocem?* pulchrè de Ecclesia communi omnium gentium matre, sinum aperiente amplissimum, & vbera plenissima infundente, quibus orbem terræ alere possit. sanctius hoc quàm quod veteres de Fortuna mammosa finxerunt. Nota etiam vt Episcopi sit, in doctrinæ veræ defensione neminem timere, ac palam testari, quò spectat quod sequitur.

Episcopi libertas, & zelus.

Hæreses diaboli triũphus

3 Hortatur ad hæresim debellandam; *Hoc tantum scandalum, tantus diaboli triũphus, tanta pernicies animarum si per tuam prudentiam, & dilectionem, quàm debemus ei, qui pro nobis sanguinem suum fudit, ablata de medio in his regionibus fuerit, quis explicet palmam, quam tibi præparat Dominus? &c.* pulchrè de præmio eorum, qui zelum habent tollendi scandalum. scilicet impediunt hi triumphum Diaboli, ac proinde meritò ipsis triumphum, & palmam præparat Deus; qui triũphus Ferdinando sẽper Augusto in primis paratur ob debellatas hæreses. addè tot quasi polemarchos, & milites laureatos, qui contra hæreses, vel voce vel stylo pugnarunt, & pugnant.

Hæreticos impugnare vel voce vel scripto palma dignum.

Episcopus non debet tẽpora vẽtosa trãsigere.

4 Episcopi quale munus esse debeat, in se ostendit. *Scio quàm mihi silentium perniciosum sit, non enim cogito in Ecclesia honoribus tempora ventosa transigere, sed cogit me principi pastorum omnium rationem de commissis ouibus redditurũ. si fortè nolles, ut hæc tibi scriberem, oportet te ignoscere timori meo.* egregiè notat, Prælatum non debere tempora ventosa transigere, hoc est fastum honoris præseferre, iuxta illud *Ephraim pascit uentum, & sequitur æstum.* sed correctionem facere, cum oportet, & emendare subditos. agnoscis hic, & veteres Episcopos, & nouos nonnullos, vt Carolum Borromæum, Bellarminum purpuratos, &c.

Osee 12.

Timor Augustini de Episcopatu.

Ex Epistola CCIV. ad Donatistam.

1 DE hæreticorum conuersione sic. *Tanquam spinis pleni istis, vos, tanquam in vepribus, & initiare compellimus. qui compellitur, quò non vult, cogitur, sed cum intrauerit intrò, volẽs pascitur. exi, inquit, in vias, & sepes, & compelle intrare.* vide vt hæretici inter vepres versentur, ac suis acuminibus compungantur, dum acutè se disserere iactant. nota etiam vt ingressus ad virtutem videatur arduus, & asper, sed postea iucundè viuatur.

Lucæ 17.

Hæretici inter dumeta versãtur

Virtus initio videtur aspera, postea iucunda inuenitur.

Ex Epistola CCV. ad Bonifacium Comitem.

1 DOcet, militarem disciplinam non repugnare pietati. *Noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. in his erat sanctus Dauid, in his & ille centurio in Euangelio, & ille Cornelius, ad quem missus est Angelus, ut audiret à Petro Apostolo, quæ facere deberet. in his erant & illi, qui baptizandi uenerunt ad Ioannem &c.* addo his Sebastianum, Mauritium cum Thebæa legione, Georgium, Eustachium, Martinum, & alios. tum pulchrè ipse addit. *alii pro nobis orando pugnant contra inuisibiles inimicos, uos pro eis pugnando laboratis contrà uisibiles barbaros.* vide inter religiosos, & milites sæculares similitudinem, & quantò sit præclarior illorum militia. illi precibus tuentur imperium, isti ferro. illi *contra spiritualia nequitiæ* dimicant; isti contra mortales hostes.

Militia cum virtute cohaeret.

Religiosi præclarior laurea quã militis.

2 Piè instruit ad pugnam. *Hoc primùm cogita quando armaris ad pugnam, quod uirtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei sit: sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum. pacem habere debet uoluntas, bellum necessitas; ut liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace. non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* vide quid Imperator, & miles spectare debeat inter arma, & ferrum: auream scilicet pacem. feritas propria ferarum, humanitas hominum. & egregiè ait. cum robur sit Dei donum, absurdum est eo vti contra Deum. si videlicet, non necessario, sed ambitionis, & gloriæ causa aliorum sanguinem fundas.

Bellum necessitas poscit, pacem voluntas.

3 Militis victoria in quo maximè posita sit, ostendit, *Ornet mores tuos pudici-*

2 paral. 20. Victor hostium, debet & proprias passiones vincere.

dicitia, ornet sobrietas, & frugalitas; valde enim turpe est, vt quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino, qui non vincitur ferro. rectè, nam Iosaphat pius Israelitarū Rex, & se, & milites armauit ieiunio ante pugnam, quo potius languidum fit corpus, & tamen vicit. rectè etiam ait, indignum esse victorem hostium, fieri propriatum passionum captiuum.

Ex Epistola CCVI. ad Fabiolam.

Argumentum literarū piū esse debet.

1 LAudat argumentum literarū, quas miserat, de desiderio cœlestis patriæ. *Sic legi literas sanctitatis tuæ, vt eis respondere debitum duxerim. doluisti enim peregrinationem, qua contingit perpetuò gaudere cum sanctis, & desiderium supernæ patriæ meritò prætulisti. felix es talia feliciter cogitando, felicior amando, & ideo eris etiā felicissima consequendo.* Vide quàm pijs de rebus literæ scribendæ sint, præsertim quę à mulieribus accipiuntur, aut ad eas dantur. tum nota tres gradus ad beatitudinē, per cogitationem, per dilectionem, per fruitionem.

Aeterna beatitudo quàm exoptanda.

Ex Epistola CCVIIII. ad Palatium.

Expedit à prima ætate se Deo dicare.

1 GAudet quòd terrenis contemptis, se à iuuentute Deo dicare constituerit. *Conuersio tua fortior, ac fructuosior ad Deum magnum nobis attulit gaudiū; elegisti enim à iuuentute doctrinam, vt inuenias vsque ad canos sapientiam. cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.* vide in quo posita sit senectæ maturitas, & quàm laudabile sit ætatis florem Deo dicare. lauda Thomam Aquinatem, cuius adolescentis in religionem ingressus, *fortior, ac fructuosior*, verè dicendus est: illud, quia matri, & fratribus restitit: hoc, quia sorores ad religiosam vitam adduxit.

Sap. 4.

Thomæ Aquinatis in religionē ingressus fortis, & fructuosus.

2 Bonum propositum sic confirmat. *Quamuis abundent tibi exhortationes ad viam salutis, maximè ipsa Gratia Christi, quę tibi salubriter in corde locuta est, tamen etiam nos pro dilectionis officio asserimus aliquid exhortationis, non qua pigrum, vel dormientem excitemus, sed prouocemus, incitemusq; currentem.* simile quid habet Ignatius initio constitutionum. ac vide vt Gratia tanquam Suada loquatur in corde eorum, qui se Deo dicare volunt, vt persuadeat. pulchrè illa per prosopopeiam hortatrix inducitur.

Gratia Suada est & hortatrix ad religionē.

3 Eundem ad perseuerantiam hortatur. *Sapere te oportet, fili, vt perseueres, qui sapuisti vt eligeres. sit hoc ipsum sapientia tua, scire cuius donum hoc est. reuela Domino viam tuam, & ipse faciet, & educet velut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum velut meridiem, & ipse faciet rectos cursus tuos, et itinera tua producet. Caue ne tibi subrepat in virtute tua confidere. dic humiliter & fideliter. Diligam te Domine virtus mea. adsit, vt velimus; oremus, vt valeamus.* Egregiè dictum, vide, vt humilitas custos perseuerantiæ sit; & nota studium proficiendi tanquā ex matutino lumine in meridiem, & vt iter vlterius producatur diuinæ gratiæ ductu, iuxta illud. *præparatur voluntas à Domino, & ab ipso gressus hominis dirigentur.*

Ps. 36. 17.

Perseuerātia per humilitatem habetur.

Prou. 3.

Profectus in spiritu à Deo petendus.

4 Notandum est munusculi genus. *Gratissimè accepimus cilicia, quæ misisti, vbi nos de frequentanda humilitate orationum prior ipse monuisti.* Vide quæ dona grata sint sanctis, aspera cicilia, & monita orationis: est enim coniuncta hæc cum mortificatione carnis: hinc collige Augustinū inter labores studiorum, inter Ecclesiæ curas cilicio magis quàm Episcopali trabea indui gestiisse.

Cilicia pro munusculo missa ad Augustinum.

Ex Epistola CCIX. ad Feliciam.

Ecclesiæ optimā pascua, licet aliquando mali pastores.

1 MOnet, ne ob scandalum malorum pastorum, de Ecclesia recedat. *Ideò securè oues pascuntur, quia & sub malis pastoribus, pascuis dominicis nutriuntur.* pulchrè dictū; etiam si mali pastores sint, at sunt optima pascua, verbum Dei; his oues saginentur: audiant ab ipsis Dei verbum, facta non curent. porrò non est omittenda pia huius Epistolæ clausula. *Dei misericordia, & gratia te semper protegat.* sicut & illa. *Incolumem, felicemq; te Dei misericordia tueatur.*

Piæ clausulæ Epistolarum.

Ex Epistola CCX. ad Celerem.

Mutare sententiā in melius non est inconstātiæ.

1 DIstinguit constantiam à pertinacia. *Turpe est mutare sententiam, sed veram & rectam; nam stultā & noxiam, & laudabile, & salubre est. sicut autem constantia non sinit hominem deprauari, sic pertinacia non sinit corrigi. proinde sicut illa laudanda, sic ista est emendanda.* Est hoc cōtra peruicaces in sententia, quàm semel conceperunt. certè admirabile Augustinus exemplum reliquit in libris Retractationum.

Ex

Ex Epistola CCXI. ad Romulum.

1 MInatur diuinum iudicium exigenti tributa nimis acerbè: sic autem pulchrè incipit. *Veritas & dulcis est, & amara: quando dulcis est, parcit, quando amara, curat. si nō recusas bibere quod in hac Epistola offero, probabis quod dixi.* Vide vt admonitio instar salubris pharmaci sit: amaritiem primò habet, sed consequitur incolumitas. ægritudo rectè dicitur animi passio.

Veritatis dulcedo simul, & amarities.

Ex Epistola CCXIII. ad Hermogenianum.

1 ELeganti metaphora fontis, ne limpidæ inquinentur aquæ, si latius vagentur, ostendit Platonicam doctrinam non valde diuulgandam. *Videtur mihi satis congruisse temporibus, vt si quid sincerū de fonte Platonico flueret, inter spinosa, & vmbrosa dumeta potius in possessionem paucissimorum hominum duceretur, quàm per aperta manans, irruentibus partim pecoribus nullo modo posset liquidum purumq; seruari. quid enim conuenientius pecori est, quàm putari animā corpus esse?* Vide quàm sit dissimilis doctrina Euangelica à cæteris sectis; nam hæc quantò latius etiam in barbaros manat, tantò purior & sincerior est, nihil enim in ea non castum, & verum.

Differentia inter Platonis, & Christi doctrinam.

2 Stultos putat, qui Academicis credūt, dicētibus nihil certi sciri: *Nō enim audent viuaciores se illis credere, vt sibi appareat quod tanto studio, ingenio, doctrina, ac uita etiam longissima Carneades inuenire non potuit; si legerint eosdem libros, quibus quasi ostenditur natura humana denegata perceptio, tanto tempore indormiscunt, vt nec cælesti tuba euigilent.* pulchrè dictum, cum desperent de veritate indaganda, tam profundè negligentiæ somno se dedunt, vt nec diuinæ tubę clangore excitentur, ut ueritatem indagent: ubi nota de certitudine fidei nostrę. idem aliquo modo dici potest de mundanis.

Veteres philosophi, tam altè sopiti, vt nec coelesti tuba euigilent.

Mundani profundo sopore oppressi tubam verbi nō audiunt.

Ex Epistola CCXIV. ad Zenobium.

1 AMorem à rebus temporalibus ad æterna transferendum dicit. *Benè inter nos conuenit, omnia quæ corporeus sensus attingit, labi, et fluere, et præsens nihil obtinere, idest non esse: horum itaque perniciosissimum amorem, pœnarumque plenissimum vera, & diuina Philosophia monet frænare, atque sopire, vt se totus animus, etiam dum hoc corpus agit, in ea, quæ semper eiusmodi sunt, nec peregrino pulchro placent, feratur, atque æstuet.* Vide in quo sit posita vera philosophia; vt cupiditates edomet, æterna affectet, ad patriam anhelet, voluptatem contemnat, quæ pulchrè. *peregrinū pulchrum* dicit, quia externum, nec permanens.

Vera philosophia est terrena contēnere, et appetere coelestia.

Voluptas peregrinum pulchrum.

Ex Epistola C V X. ad Plebem.

1 PRæclara est illa parenesis. *Intelligere debetis, tempus esse, vt donum vitæ æternæ in hac vita festinanter, & alacriter comparemus, quia cum finis sæculi venerit, non dabitur nisi eis, qui per fidem sibi hoc emerunt, antequam videre potuissent.* Vide quo pretio donum æternæ vitæ ematur. dandum est fidei pretium. antequam res empta videatur hic emitur, & tamen donum dicitur, quia à Deo tribuitur gratis.

Fides pretium est æternae vitae.

2 De pijs expensis, ac donarijs hæc habet. *Siuè de vestro, siue de Ecclesia detur, omnia Dei sunt, et deuotio vestra dulcior erit thesauris Ecclesiæ sicut Apostolus dixit: Nō quia quæro datum, sed requiro fructum, de fructibus vestris gaudere cupio; vos enim estis arbores Dei, quas assiduis imbribus, et per nostrum ministerium rigare dignatur.* rectè ait fructum ex omnibus requirendum, qui verus est thesaurus Dei. deuotio magis attendēda quàm donū. simul nota Episcopum tanquam Ecclesiæ colonum esse.

Phil 4.

In donarijs Ecclesiae deuotio attendenda.

Episcopus colonus est, subditi arbores Dei.

Ex Epistola CCVI. ad Paulum Episcopum.

1 MOdestè illum arguit, quòd alios malo exemplo offendat: inter ceteras pulchra est illa sententia: *Non est Episcopatus artificium transigendæ vitæ fallacis.* nempè magnum munus seriò exercendū est. audet autem ob zelum eum corripere; licet enim doctus sit, tamen parum hoc iuuat. *Noui, quia cor habes, sed & tardum securum est, & acutum cor nihil est, quando in terra est.* Vide vt potior sit simplicitas cum probitate, quàm doctrina cum vitio. cordatum esse in humanis tantùm, est esse excordem.

Episcopo parū prodest doctrina sine pietate.

Ex Epistola CCXVII. ad Victorinum.

1 IN fine Epistolæ ostendit quo sigillo, ac signaculo vteretur ipse Augustinus. *Hanc epistolam signatam misi annulo, qui exprimit faciem attendentis in latus.* Est hoc valde notandum; iustus omnia circumspicit, ne lateri parentur insidiæ. certè latrones quasi laterones dicti auctore Festo, quod à latere adoriantur: vide igitur quā cauti esse debeamus: præsertim Episcopus. huc refer illud Psalmi: *Propter verba mandatorum tuorum custodiui vias duras.* alij vertunt, *vias latronis.* Cauendum semper à diaboli insidijs.

Augustini annulus signatorius qualis.

Psal. 16.

Ex Epistola CCXVIII. ad Nebridum,

1 PRoposuerat hic quæstionem, *de animo veluti perpetuo quodam corpore, vel quasi corpore, quod nonnulli vehiculum appellabant.* Respondet, cùm hæc difficillima cognitu sint, potiùs eleuādum ipsum animum ad Dei cognitionem. *Cur quæso te, non nobis ad hanc quæstiunculam indicimus ferias, & nos totos apprecato Deo in summam serenitatem naturæ summè viuentis attollimus?* Vide vt diuinarum rerum meditatio præferenda sit omni scientiæ humanæ, etiam de rebus ad animam physicè pertinentibus, hoc est ad se ipsum; vt potius oratio vehiculum sit ad Deum. ipsæ quoque creaturæ per sui cognitionem ad Conditoris contemplationem nos ducunt.

De animi natura difficilis quæstio.

Præstat animum ad Deum eleuare, quàm eius naturam nosse.

Ex Epistola CCXXII. ad Consentium;

1 NOn excludit omninò rationem à fide, licèt hanc præponat. *Absit, vt hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creauit; cùm etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. dictum est per Prophetam: nisi credideritis, non intelligetis; vt scilicet priùs credamus, vt id, quod credimus, intelligere valeamus. proinde, vt fides præcedat rationabiliter visum est. Si igitur rationabile est, vt in magnis quibusdā quæ capi non possunt, fides præcedat rationē, proculdubio quantalacumque ratio, quæ hoc persuadet, etiā ipsa antecedit fidē.* Acutè notatum; licèt ratio subsequi debeat fidem, tamen quia hoc rationabiliter fit, aliquid quoque rationis admitti. Huc refert illud Petri: *Paratos nos esse debere ad responsionem omni poscēti nos rationem de fide, & spe nostra.* nam si infidelis non credat statim, quia non capit, *hanc ipsam ei reddo rationem, in qua, si fieri potest, videat quàm præposterè ante fidem poscat rationem earum rerum, quas capere non potest.* Cauendas tamen dicit, falsas rationes, vt in Trinitate de inæqualitate personarum, & de phantasiæ figmēto, vt cùm *tres quasdam viuentes moles maximas, & pulcherrimas suorum spacijs proprijs terminatas, & sibimet in suis locis contigua propinquitate cohærent, siue vna earum sit in medio constituta, vt duas dirimat sibi ex lateribus singulis iunctas, siue in modum trigoni, duas cæteras vnaquæque contingat, vt nulla ab aliqua separetur, earumque trium tantarū, ac talium personarum, licèt in grandi valdè, molibus tamen à summo, & imo, & circum quaque terminatarum vnam esse diuinitatē aliquid quartam, &c.* Nota de figmento molis in trigoni speciem, & similia, quæ ad diuinissimam Trinitatem cognoscendam stulta imaginatio adhibet.

Esaia. 6

Ratio fidei non repugnat

1. Pet. 3.

De Trinitate vana mentis figmēta vitanda.

2 Diuina non nisi fidei oculo percipi ait. *Habet fides oculos suos, quibus quodammodo videt, verum esse quod non dum videt, & quibus certissimè videt, nondum se videre, quod credit.* Nota, vt fides, quæ cæca dicitur, quòd ratione humana non nitatur, tamen oculatissima sit. Tum de triplici cognitione loquitur, quarum vna fit per visum rerum corporalium, altera similis corporalibus, vt imaginamur, vel recordamur, vt fit in somnis, vel exstasi. tertia ab vtroq; discreta procul à corpore, vel similitudine corporis, quæ est sapientia, quæ mente intellecta conspicitur. hac Trinitatem apprehendimus, &c. addit præclarum monitum: *Tu autem ora fortiter, & fideliter, vt det tibi Dominus intellectum, ac sic ea, quæ forinsecus adhibet diligentia præceptoris, possint esse fructuosa.* Vide, vt labor discendi cum oratione coniungi debeat, & ad fructum referri, non ad fastum. legimus Thomam Aquinatem oratione præuia studendi laborem aggressum, ac propterea fructuosum, iuxta thema Angelo monitore in præfando susceptum: *Rigans montes de superioribus suis. de fructu operum tuorum satiabitur terra.*

Habet fides oculos suos.

Triplex genus cognitionis per visū, per imaginationem, per cognitionem.

Oratio præcedat studium oportet.

Psal. 103

Ex

Ex Epistola CCXXIIII. ad Alipium.

1 PRæclarè monet, calumnijs de cupiditate pecuniæ etiam falsis occurrendum; non tàm arguendo calumniatores, quàm bonis exemplis suspicionem omnino tollendo. *Dolemus grauiter, quod in iniurias sanctitatis tuæ populus* Hipponensis *tanta clamauit; sed multò grauius dolendum est, talia de nobis existimari, quàm illa clamari. ac magis satagendum est, quomodo persuadeatur hominibus, quibus exemplum bonorum operum præbere præcipimur, falsum esse quod suspicentur, quàm quomodo arguendi sint, qui suspiciones suas vocibus, verbisq; declarant*. præsertim cum omnes id suspicantur & vulgus, & optimates, etiā si falsum sit. *de te imperitum vulgus hoc sensit, de me lumina Ecclesiæ. nec nobis sufficiat nostra conscientia, &c.*

Omnis occasio suspicionis malę tollenda præsertim Episcopo.

Ex Epistola CCXXVI. ad Christinum.

1 MEritò illud dolet. *In itinere Dei faciliora, & fructuosa ignaua formidine fugiuntur; in itinere seculari duriora, & sterilia aerumnoso labore tolerantur*. quid indignius? Mundus durus dominus tot inuenit seruitio addictos suo, Christus mitissimus tam paucos. ipsi impij testantur. *ambulauimus vias difficiles, &c.*

Mundo vel cum labore seruitur, non item Deo.

Sap. 5.

Ex Epistola CCXXVII. ad Albinum, &c.

1 AFfert causam, cur ad ipsos non venerit: quod nimirum cum Episcopus sit, Hipponenses facile scandalizentur, si absit à cura. *Populus* Hipponensis, *cui me Dominus seruum dedit, cum ita infirmus sit, vt pressura etiam leuiore tribulationis possit grauiter ægrotare, nunc tam magna tribulatione cæditur, vt vix eam sustineat. eum modò, cum regressus sum, periculosissimè scandalizatum comperi de absentia mea*. notandum hoc maximè est Episcopis, qui residere nō curant, quod pōtificio decreto nunc maximè cautum est sapienter. nota etiam se pro Episcopo seruum dicere, est enim hic non tàm honos quàm onus.

Episcopus à sua Sede discedere non debet.

Episcopus seruū se reputet suę Ecclesiæ.

2 Dolet quod calumniatores & sibi noceant, & alijs, quos hoc modo ab Augustino alienabant. *Sunt qui detrahendo nobis, ceterorum animos, à quibus diligi videmur, aduersus nos perturbare conantur, vt locum in eis diabolo faciant. cum autem irascuntur nobis, de quorum salute satagimus, magnum illis consilium vindicandi est libido moriendi, non in corpore, sed in corde: vbi funus occultè prius suo pectore sentitur, quàm nostra cogitatione prospicitur*. rectè calumniatorem cadaueri putido comparat, & funerato: nempe & in psalmis dicitur: *sepulchrum patens guttur eorum*. quàm igitur horrori esse debet commercium cum calumniatore? nisi Mezentij sęuitiam sequimur, qui mortua iungebat corpora viuis, vt & hæc putore tabescerent.

Detractio quantum noceat.

Calumniator putidum cadauer est.

Ex Epistola CCXXXIII. ad Benenatum.

1 DE nuptijs puellæ agit. *Vtrùm autem nuptura sit, & si illud quod in ore habet magis optamus, nunc tamen ignoramus, quæ in annis bis est, vt quod dicit, velle se esse sanctimonialem, iocus sit potius garrientis, quàm sponsio profitentis*. vide vt non ex leuitate tantum negotium, quantum perpetua virginitas est, dependeat. Addit: *matris voluntatem in tradenda filia omnibus, vt arbitror, natura præponit, nisi eadem puella in ea iam ætate fuerit, vt iure licentiori sibi eligat ipsa quem velit*. nota vt parentes non debeant cogere nubilem filiam, neque ad sanctimonialium clausuram, neque ad nubendum ei, qui nuptæ iam matura ætate displiceat.

Puellæ non cogenda ad sanctimonialium virginum statum.

Ex Epistola CCXXXV. ad Quintianum.

1 PVlchritudinem animæ non nisi in Cœlo perfici ait, *Nos nō dedignamur aspicere corpora minus pulchra, præsertim cum ipsæ animæ nostræ nondum pulchræ sint, sicut eas futuras speramus, cum ille ineffabiliter pulcher nobis apparuerit, tunc enim similes ei erimus*. vide vt omnis pulchritudo animæ ex visione beatifica Dei, qui fons est omnis decoris, manatura sit. *quod et tu, de anima tua admonemus, vt sentias, nec eandem pulchram esse præsumas, sed vt ait Apostolus, in spe gaudeas, et quod sequitur facias: spe gaudentes, in tribulatione patientes*.

perfectus animae decor non nisi in patria.

1. Ioan. 3.

Rom. 12

2 Est illud de religiosis dignissimum. Recenti *concilio statutum est, vt de aliquo monasterio, qui recesserint, vel proiecti fuerint nō fiant alibi Clerici, vel Præpositi Monasteriorum*. Vide pœnam eorum, qui in religione seditiosi, aut molesti sunt, ut propterea eijciantur è fratrum consortio, & foris etiam honore careant. tantum habet dedecoris religiosæ uitæ priuatio.

E religione eiecti in quantum dedecus incurratio

Ex Epistola CCXXVI. ad Xantippum.

1 AGit de Clerico Ecclesiastica functione abdicando, quòd cum famosa muliere cœnans inuentus esset. *Quæ negauit, Deo dimisi, iudicans quæ occultare permissus non est.* rectè ait, in iudicijs iuxta allegata, & probata agendum, ceterorũ occultorum Deus sit testis, & iudex. *ego remouendum ab officio presbyteri arbitratus sum. quod si fortè iudicibus Ecclesiasticis aliud videtur, quia sex Episcopis causã presbyteri terminare concilio statutum est; committat illi, qui vult, Ecclesiam suæ curæ commissam: ego talibus, fateor, quamlibet plebem committere timeo:* nota quos habere curatos Episcopi debeant, de quibus nulla sinistra sit fama. nota etiam quàm cautè de presbyteris iudicia habita, non minus quàm sex iudicibus, ijsdemq; Episcopis.

Presbyterorũ causæ sex Episcopis cõmissæ.

Episcopi curatorẽ habeant non nisi bonum.

Ex Epistola CCXXVII. ad Celerem.

1 QVàm differant æterna à temporalibus, ostendit. *Spero in moribus personæ tuæ congruis tales te profectus habiturum, vt huius fumi, vel vaporis temporalis, quæ vita humana dicitur, vltimum diem vel auidus, vel securus, vel certè non desperatè sollicitus, non in vanitate erroris, sed in soliditate veritatis expectes.* Vides velut fumũ euanescere res mũdanas, ac propterea contemnendas; item diem mortis à perfectissimis auidè, à perfectis securè, ab aliis minus perfectis, sed tamen piis, non desperatè expectari. nota tres gradus.

Profectus in spiritu consistit in rerum humanarum contemptu.

Dies mortis quomodo expectãda.

2 Hortatur vt Ecclesiæ Catholicæ inhæreat. *Nullo modo dubitauerim de indole tua, quod ista consuetudine Donatistarum facillimè te extrahes, si religiosissimè ipsam Christianam puritatem non parui penderis; sed vsitatæ, & quasi familiaris peruersitatis vinculum abrumpere, maiorum virium est. & nequaquam desperãdum, adiuuante Deo, de generosa libertate, ac planè virili pectore tuo.* Vide quantũ ad hortandum valeat indoles generosa; sed non sine diuina gratia, præsertim cum praua consuetudo inoleuit. patuit hæc indoles in Ignatio nostro, cum adhuc miles Deiparæ virginitatis hostem penè gladio deuouit.

Generosa indoles cum Dei gratia quantum valeat.

Ignatij indoles in persequẽdo hoste Deiparæ virginis ostensa.

Ex Epistola CCXXXVIII. ad Castorium.

1 LAudat Maximianum, qui iustis de causis Episcopatu sponte se abdicauerat. *Longè quippe est gloriosius Episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quàm propter regenda gubernacula suscepisse. retribuatur ei pax æterna, qui intellexit sibi non expedire, quod paci non expediret Ecclesiæ.* hinc collige quãtò laudabilior Cœlestinus Papa, qui sponte summo se honore abdicauit; licet Ecclesia potius ipsum requireret. item S. Gregorius, qui licet vtilissimus Ecclesiæ, quantum potuit se abdendo, recusauit. tum nota, vt communi potius quieti quisque consulere debeat, etiam cum dispendio sui commodi.

Cœlestinus pôtificatu se abdicans laudatur.

Ecclesiæ quies quærẽda etiam cũ proprio incómodo.

2 Hortatur Castorium, vt Episcopatus muneri succedat. *Decet indolem tuam Christo in te dicare quod dedit. ingeniũ quippe tuum, prudentia, eloquentia, grauitas, & cetera, quibus ornantur mores tui, dona sunt Dei; cui melius seruiunt quàm ei, à quo tributa sunt? non seruiant huic sæculo, ne vanescant cum illo, atque dispereant. operare in agro Dei, vbi certus est fructus. obsecramus te per pacem cælestis illius ciuitatis, vnde peregrinamur, vt in Episcopatu Vaginensis Ecclesiæ Fratri tuo non ignominiosè cadenti, sed gloriosè cedenti succedas.* nota, quæ in primis dotes animi Episcopum deceant: item has non in Mundi, sed in Dei obsequium conferendas; denique in gloriam cedere, cum quis iustas ob causas cedit honori sibi collato.

In Episcopo quæ dotes requirantur.

Ingeniũ, & cetera dona ad vtilitatẽ Ecclesiæ conferenda.

Ex Epistola CCXXXIX.

1 SVspicionem nũmariæ cupiditatis omnẽ remouẽdã dicit circa eos, qui religionem ingrediuntur, quod ea suspicio lucri impediat lucrum animarum. *Hæc mors infirmorum, & tantum impedimentum salutis eorum, pro quibus tantum laboramus, vt eos lucremur, aliter uitari non potest, nisi ut apertissimè intelligant, nullo modo nos de pecunia satagere in talibus causis.* Addit mox; *ab omni non solùm re, sed etiam specie maligna abstineamus, & bonam famam custodiamus, dispensationi nostræ multum necessariam.* optimum sanè monitum, ne si seculares aduertant nos habendi cupidos, sinistra opinione concepta de nobis, parum aut nihil iuuentur: vt quid enim eos terrena spernere hortamur, quæ à nobis appeti vident? & rectè addit, etiam speciem, & vmbram sinistram vitari debere in Apostolicis præsertim viris.

Suspicio de pecuniæ cupiditate impedit fructũ animarum.

Viris Apostolicis etiam species & vmbra mali nominis vitanda.

Ex

Ex Epistola CCXLI. ad Lampidium.

1 FAtum Mathematicorum exagitat, nam si ab hoc cogeremur, cũ vir verberat vxorem procacem, posset hæc dicere: *Quid me cadis? Venerem cade si potes, à qua hoc cogor facere*. nullum igitur crimen puniri deberet, quia non sponté, sed coactè committitur, fati, ac necessitatis vi: quo quid absurdius? de Mathematis autem sic pulchrè ait. *hominibus nummatis fatua fata vendunt*. vbi lepor est in annominatione: quasi fatum, & fatuum cognationem habeant, quo eorum stultitiam innuit, & simul auaritiam.

Si fatum esset nullum crimen puniri posset.

Mathematicorum fatua fata.

Ex Epistola CCXLVIII. ad Sapidam.

1 SOlatur eam de morte fratris. *Vt nubilum cordis humana infirmitate contractum serenetur auctoritate diuina*. vide quo serenum fiat cor mœrentis, scripturæ scilicet testimoniis, quasi vento difflante nubes, dum iubemur: *non contristari sicut ceteri, qui spem non habent &c.* itaque ait. *perseueranter ita viue, vt cum fratre viuas, quoniam sic est mortuus frater vt viuat*. huc refer quod cum Deus omnia duplicia reddidisset Iob, filios non duplicauit, quia licet uita functi, tamen immortales erant.

Verba scripturæ vt serenitas mœsti cordis.

1. Thes. 4

Vita functi vt viuentes reputandi.

2 Ex fratris tunica, quam ad ipsum miserat, pulchrè eam solatur. *Si quia ego vestior, quoniam ille non potuit, ea veste, quã fratri texueras, te aliquid consolatur, quantò debes amplius, & certius consolari, quia ille incorruptibili indumento, hoc est immortalitate vestitur?* pulchrè dictum de immortalitatis stola: præterea referri hoc potest ad Christi tunicam à matre intextam, qua nos induamur per imitationem.

Immortalitas nobile indumẽtum animæ.

Christi tunica à matre contexta

3 Primò condolet ex iactura *Est quidem materies lacrymarum, quod germani verba non audis, quæ tibi piò, & officioso impendebat affectu &c.* hæc cum cogitantur, cor pungitur, & tanquam sanguis cordis fletus exoritur, *sed sursum sit cor, & sicci erunt oculi*. nota quãtò magis in morte Christi, dum sanguinẽ ex toto corpore fundit, etiã ex corde per lanceam, debemus nos fundere sanguinem cordis, hoc est lacrymas? hinc de Deipara dictum puta. *tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*. ex icto corde sanguis illius lacrymæ fuerunt.

Lacrymæ sanguis sunt saucii cordis.

Deiparæ lacrymæ sanguis vulnerati gladio cordis.

4 Non quia frater obiit, *ideo periit illa caritas, qua ille te dilexit, & diligit: manet illa seruata in thesauro suo, & abscondita est cum Christo in Domino*. nempe aurum ipsum eò tutius, quò remotius ab oculis, custoditur: quò pulchrè ostendit amorem erga nos in coelesti patria seruari ab iis, qui piè decedunt tanquam in thesauro absconditum. tum lepidè alludens ad nomen ait. *Sapida quòd vocaris, quæ sursum sunt sape*. annominatio figura est.

Piè functorum charitas erga nos velut in thesauro remanet

Coloss. 3

Ex Epistola CCL. ad Paulinum, & Terasiam.

1 DE humana imperfectione sic. *Delectatio subrepit, vt sæpè loqui uana delectet, aure mque præbere loquentibus, nec arridere tantùm, sed etiam risu uinci, ac soluti, ita puluereis quibusdam, uel etiam luteis affectibus nostras animas aggrauantes, laboriosius, & pigrius eleuamur ad Deum etc. in quodam intus silentio nescio unde clamatur, euge. propter hoc ab Angelo colaphizatum se Apostolus confitetur. ecce unde uita humana super terram tota tentatio est; quando & ibi homo tentatur, ubi quantum potest uita cælestis similitudini comparatur*. quod de interno homine dicit, referri potest ad religiosum statum, ubi similitudo est coelestis patriæ, ut quidã ait de Vestali igne; Ad similitudinem coelestium siderum custos imperii flamma vigilabat. & tamen in tam perfecto statu aliquando dissolutio subrepit, quid igitur homine fragilius? aut quantò periculosior erit sæculi locus? rectè appellat. *puluereos, vel etiam luteos affectus animæ*.

Dissolutio vel leuis vitanda.

Terreni affectus subrepũt etiam iustis.

Terreni affectus puluerei aut etiã lutei.

L. Florus

Religiosus status imago coelestis patriæ.

2 De facilitate, qua labimur in peccata, & defectus varios, sic ait. *Quotidie peccare me fateor &c.* curandum ait Apostolus. *Vt non possideamur à Satana; non enim ignoramus mentes eius quis in his omnibus timor, mi Pauline? quis tremor? quæ tenebræ? nonne putamus de his esse dictum; Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, & dixi, quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo? ecce elongaui fugiens, & mansi in deserto. veruntamen etiam in deserto ipso expertus sit, quod adiunxit: expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate, & tempestate*. vide vt omnia sint plena periculis, etiam si à Mundo remotus sis; & nota quantum malum sit pusillanimitas, quæ cum tempestate coniungitur, cum scilicet in religione positi ardua quæque subterfugimus. ceteras item ostendit materias peccandi, murmurationem, inflationem, & similia, in quæ facile labimur. ac nota vt diabolus tota cogitatione intentus sit ad tentandos etiam iustos. iuxta illud: *confidit quod & Iordanis influat in os eius*. hoc est sitit, & anhelat

2. Cor. 2.

Quàm faciles vel iusti in delectus varios labi possint.

Pusillanimitas cũ tempestate cõiungitur.

Tota cogitatio diaboli intenta ad tentandos etiam iustos.

anhelat etiam ad aquas illas Christi baptismo sacratas, ac nobilitatas.

3 De statu Beatorum sic. *In illa ciuitate sanctorum, vbi etiam per Christum redempti in æternum coniungentur millibus Angelorum, voces corporales non latentes animos indicabunt, quia in illa ciuitate diuina nihil cogitationis proximo poterit occultari, sed erit consonans in Dei laude concordia, non solùm spiritu, verùm etiam spiritali corpore expressa.* Notandum est hoc, beatos in coelo voce ipsa corporea laudaturos Deum in hymnis, & canticis vno concentu, & vnum agnoscere alterius cogitata, vt quicquid in vno est perfectionis alteri pateat, atque ita appareat omnia in Deum tendere veluti scopum. rectè autem appellat. *spiritale corpus*: natura enim non deperdita, velut in spiritum transformabitur, immune ab omni fæce terrena.

Beati in Coelo etiã corporea voce Deũ laudabunt.

Ex Epistola CCLIII. ad Nectarium.

1 NOn quicquid petitur, concedendum dicit. *Non tunc benefici sumus, cũ id, quod à nobis petitur, facimus, sed cũ id facimus, quod non obsit petentibus. nam pleraq; nõ dãdo prosumus, vnde illud prouerbiũ: ne puero gladiũ.* huc refero illud quod Paulo petẽti tentationis cessationẽ, negatũ est, ne magnitudine reuelationum extolleretur. in hac vita inexperti quasi pueri sumus; vnde illud: *nescitis quid petatis.*

Negãdũ quod petitur, si obsit,

2 Salutem à Christo expectandam ait. *Nullum tempus est, quo non deceat, aut oporteat agere, vnde Deo placere possimus, quod in hac vita vsque ad eam perfectionem impleri, ut nullum omnino peccatum insit in homine, aut non potest aut fortè difficillimũ est: inde præcisis omnibus dilationibus, ad illius gratiam confugiendum est, cui uerissimè dici potest. quod carmine adulatorio.* nescio cui nobili dixit ille ex Cumæo carmine,

Nulla pars temporis est quæ Deo vacare non debeat.

Dei gratia petẽda cum labi tam facile sit

Te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri,

Irrita perpetua soluent formidine terras

Virg. Ecleg.

pulchrè carmẽ Christo Redemptori conueniens ex Sibyllinis libris citat, quo ostẽditur, salutem non nisi per Christi gratiam dandam. egregiè autem ait, nullum tempus esse quod ad Dei gloriam impendi non debeat.

3 Remouet à se ioci in verbis suspicionem. *Ciuium tuæ patriæ non flores, sed spinas nos sensisse cum diceram, respondens ad illud quod scripseras, florentem te cupere patriam relinquere; iocari me putasti. hoc scilicet in malis tantis libeat, ita est prorsus. fumant adhunc ruinæ incensæ Ecclesiæ, & in ea causa nos iocamur?* vide quàm dedeceat Episcopum maximè, in re seria ludere, & in cõmuni calamitate lepores quærere. rectè hanc amouet suspicionẽ verborũ.

Episcopo non nisi serio loqui licet.

In communi calamitate nec verbis iocari licet.

Ex Epistola CCLV. ad Macrobium Donatistam.

1 AD schismaticorum dedecus pertinet illud Vaginensis concilii dictum, quodcumque id concilium fuerit. *Felicianus quando separatus est à vobis in parte Maximiani, veritatis adulter, catena sacrilegij, sicut concilij vestri verba indicãt, trahebatur.* hoc verum est de Ecclesiæ aduersariis, quos illa in suo triumpho catenatos ducit.

Schismatici veritatis adulteri &c.

2 Excommunicationẽ hac metaphora pulchrè describit. *Maximianum fidei æmulum, ueritatis adulterum, Ecclesiæ matris inimicum, Dathæ, Choræ, & Abiron ministrũ de pacis gremio sententiæ fulmen excussit.* hos a Mose discedentes ignis exussit. anathema igneum fulmen est, excutiens seditiosos veluti de pacis gremio.

Num. 16. Excommunicatio fulmen est de pacis gremio excutiẽs

3 Exponit illud psalmi. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*) *Hoc de assentatione, & lenitate fallaci blandi adulatoris debet intelligi, quia vngitur, & crescit eis caput, cum laudantur peccatores in desiderijs animæ suæ, quod ex priori uersu satis apparet: emendabit me iustus in misericordia, & arguet me. malle se dixit ueraci misericordis austeritate conteri, quàm deceptoria laude fallentis extolli.* acutè. nota, cum, adulatione quasi vnguento peccatoris caput molliter perfunditur, inde fieri vt caput superbè attollat sic delibutum.

Adulatio in superbiam extollit.

Ps. 140.

Austeritas corrigentis misericordia est.

4 Cypriani sententiam quandam excusat, deinde addit. *Huc accedit quoniam fructuosum frumentũ, si quid habebat ad huc purgandum, gloriosa martyrij falce purgatũ est.* eleganter martyrium falci comparat frumẽtariæ, vt in cœleste horreum frumẽtum conferatur, quamobrem *gloriosa falx* dicitur, quo titulo martyrium differt a cõmuni falce mortis. hac falce Bonifacius incestus, & Cyprianus magus, & Genesius mimus, alijq; amputarunt priora delicta multa cum gloria.

Gloriosa martyrii falx ã purgat priora delicta.

5 In hac vita bonos mistos malis dicit. *Apostolus ait, In domo magna non solùm sunt uasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam honorata, quædam inhonorata: nos quãtum possumus, laboremus, ut uas aureum, & argenteum simus. ceterùm uasa fictilia confringere Dominus solet, cui & uirga ferrea data est.* nota ad quantam perfectionẽ aspirare debeamus, vt cœlata auri vel argenti vasa simus: ita si virga ferrea incũbat, non conteret, sed sonitu probabit.

2. Tim. 2.

Boni vasa aurea mali fictilia Dei virga cõterenda.

Psal. 13.

6 Obiecta in Catholicos soluit, qui hæreticos puniret. *Illud contra nos à uestra parte magis ore maledico quàm ueridico solet dici. Veloces pedes eorum ad effundendũ sanguinem,*

Hæreticorũ furor in Catholicos.

guinem, nos potius ista in tantis Circumcellionum latrociniis, Clericorumque vestrorum experti sumus qui corporibus humanis cæde atrocissima laniatis, tot loca nostrorum sanguine cruentarunt. eadem hæc nostra ætate ab hæreticis Catholici, in Anglicana præsertim persecutione passi; adde tot è nostro ordine in mari trucidatos, vt rectè proferas illud Lyrici Poetæ: Quod mare barbarum non decolorauere cædes? quæ caret ora cruore nostro?

Ps. 13.

7 Ecclesia non quia missos habet improbos, illaudabilis est. *Agnoscamus arcam illam quæ præfigurauit Ecclesiam. simul illic munda animalia simus, nec in ea nobiscum etiam immunda portari vsque in finem dilunii recusemus. simul in arca fuerunt, sed non simul Domino in odorem sacrificii de immundis obtulit Deo; nec ideò tamen à mundis aliquibus arca ante tempus propter immunda deserta est. coruus deseruit, sed de binis immundis, non de septenis mundis fuit.* acutè notatum de coruo, & immundis alijs animantibus, quę simul fuerunt, sed finis ostendit immunda: quia non oblata in sacrificium, cum antea non discernerentur.

Ecclesia vt arca Noe continens animalia munda, & immũda, sed hæc excludẽda e sacrificio.

Ex Epistola CCLVII. ad Saturninum.

1 DE Ecclesiæ amplificatione sic. *Tantò ante prædictum est; Exaltare super cælos Deus; & quia illo super cælos exaltato, Ecclesia eius omnem terram copiosa fœcunditate fuerat impletura, subiungitur: & super omnem terram gloria tua. proinde stabili mente, & firmissimo corde sub excelso capite in tam glorioso corpore persistamus, in quo inuicem membra sumus.* vide quàm indignum sit. *in tam glorioso corpore sub tam excelso capite* esse membrum informe. item ad Ecclesiam refert titulum psalmi. *Quando domus ædificabatur post captiuitatem.* qui psalmus incipit. *Cantate Domino canticum nouum &c.) in vetustate quippe veteris hominis orbem terræ diabolus captiuauerat &c.* vide quid sit peccatum originale, & an conueniat Angelorum Dominæ, & Dei matri, aliquando Diaboli fuisse captiuam.

Psal. 56. Fideles sub excelso capite in glorioso corpore membra sunt.

Ps. 95.

Originalis peccati misera captiuitas

2 Ad concordiam præsertim religiosorum pertinet illud. *Quis non intelligat quàm bonum sit, & iucundum habitare fratres in vnum? si sanas fauces ista iucunditas tangat, vnde respuat amaritudinem diuisionis mens, quæ diligit dulcedinem charitatis.* rectè ait palatum, & fauces morbosas habere, qui nec charitatis mel, nec discordiæ fel sapore distinguit. ad religiosos maximè hic pertinet locus.

Psal. 32

Charitatis dulcedo, & dissidii amarities.

Ex Epistola CCLIX: ad Cæcilianum.

1 SVspiciones vitare difficile dicit. *Hæc nec ego credo, nec fratres mei, qui te in loquelis audierunt, & viderunt signa benigna pectoris tui. sed obsecro te, ignosce credentibus, homines enim sunt, & in hominum animis tantæ latebræ sunt, vt omnes suspiciosi cum meritò culpentur, etiam laudari arbitrentur se debere, quod cauti sint.* Vide quàm falsa sit excusatio facilè suspicantium, quasi ob cautelam id agant, quod est maleuolentiæ, vel inuidiæ.

Non facilè malum suspicandum de altero.

Suspicioni obnoxium esse facile est.

2 De huius vitæ contemptu sic. *Sæpè vita præsens etiam bonorum, Dei iudicio malis eripienda permissa est, ne talia perpeti putaretur malum. mors quippe in carne quid potest obesse morituris? aut quid agunt, qui mori timent, nisi vt paulò posterius moriantur?* rectè ostendit, ideò nonnunquam Deum permittere bonos à malis vita priuari, ne putemus hanc vitam esse aliquid expetendum. item parum referre quod tuearis uitam omnia cauens, si non diù post moriturus es.

Deus sinit bonos, sæpe immaturè mori; ne mors mala censeatur

3 Pergit ostendere mortem bonis non obesse. *Quicquid obest morientibus, ex vita, non ex morte contingit; in qua si tales animas habuerint, qualibus Christiana gratia subuenitur, non sanè mors eorum vitæ bonæ occasus fuit, sed melioris occasio.* allusio est inter similes uoces: occasus, & occasio. huc refer illud Iob. *cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

Mors iusti non est vitæ bonæ occasus sed melioris occasio.

Iob 11.

4 Coniugio frænari uagam concupiscentiam indicat, de quodam sic dicens. *Apparebant eius mores sæculo amiciores esse quàm Christo; quanquam & ipse iuuenilem prius, secularemq; vitam, vxore ducta non parua ex parte correxerat.* rectè monet iuuenes ad concupiscentiam pronos per matrimonium coercendos; ne dum magna dos uxoris differendo quæritur, propriæ uirtutum dotes deperdantur.

Matrimoniũ concupiscentiæ frænum.

5 Cuiusdam uirtutes laudat Christiano dignas. *Quæ illi probitas in moribus? in doctrina studium? in religione sinceritas? &c. quantum decus honestatis? qui splendor gratiæ? quæ cura pietatis? quod salubriter sciebat, qua modestia loquebatur? quod inutiliter nesciebat, qua diligentia scrutabatur? quantus in eo contemptus rerum præsentium? quanta spes, et desiderium bonorum æternorum? ne relictis secularibus actionibus susciperet cingulum militiæ Christianæ, vinculum præpediebat vxoris, quo iam innodatus cæperat concupiscere meliora, quando non*

Virtutes quæ lucere debeant in præclaro viro.

Frãcisci Borgiæ eximiæ virtutes.

iam licebat illa quamuis inferiora dirũpere. facit hoc in primis pro Francisco nostro Borgia, qui defuncta vxore Societati nomen dedit, & soluto vinculo vxorio cingulum cœpit militiæ Christi, quanquam etiam vxoratus penè religiosè viueret.

Aduersitas pro beneficio reputãda.

6 Cũ hic vir probus, de quo loquitur, inclusus teneretur in carcere cum alio minus probo, & hic interrogaret illum, cur si nullius grauis criminis ipse reus esset, sic vexaretur? piè respondit. *Parum tu mihi existimas conferri beneficium? si tamen hoc testimonium tuum de vita mea verum est, vt hoc quod patior, etiam si vsque ad effusionem sanguinis patior, ibi peccata mea puniantur, nec mihi ad futurum iudicium reseruentur?* Vide vt tribulatio pro beneficio accipienda sit, etiã si non grauiter peccaueris. interrogatus autẽ circa castimoniam, respondit. *testor Sacramenta, quæ per hanc afferuntur manum, me nullum expertum esse concubitum præter vxorem, nec ante, nec postea*. & hæc inter nostri Borgiæ laudes non parua recensetur, in eius actis, integrum, & castum peruenisse ad matrimonium inter Mundi lenocinia & aulæ licentiam.

Pro satisfactione peccatorum exoptandũ etiam martyriũ

Francisci Borgię continentia.

Malæ cõscientiæ tormentum maius quã Inferorum.

7 Ostendit hunc felicem, qui iniustè vexatus interiit, non eum, qui ob potentiam interemit. *An verò illius honor, vel huius carcer comparandus est? cum ille fureret sublimatus, ipse gauderet inclusus horrendis ac pœnalibus tenebris. omnes non tantùm carceres, sed etiam Inferos vincit scelerati hominis conscientia*. quid hoc horribilius dici potest, quàm conscientiæ morsum atrociorem dici, quàm Inferni pœnam? pulchrè referri potest ad Ioannem in carcere necatum, sed fœliciter, & ad Herodem conscientia miserè cruciatum.

Herodis conscientię cruciatus.

Calumniator se lædit, nõ innocentem.

8 Calumniatorem sibi potius nocere ait. *Tibi ille quid nocuit, cuius etsi famam grauiter læsit, tamen innocentiam non peremit? quamuis fama quoque ipsa salua sit, & apud eos, qui te melius nouerunt &c. sibi igitur ille nocuit, suam transfixit animam &c.* huc refer prouerbium illud: suo se gladio iugulauit. rectè notat, innocentiam lædi non posse, & famam ipsam ex calumniis enatare, atque emergere.

Amici improbi consortio abstinere vtrique prodest.

9 Monet, vt improbi hominis, licet amici, consortium fugiat, vt sic ille in se redeat. *Hunc si diligis, deteslare. si non uis ut in æternum puniatur, exhorre: sic existimationi tuæ sit est uita illius consulendum. tantò amicior eris, quantò sceleribus eius inimicior*. ita etiam suspiciones tolli ait, ne quasi particeps eius consiliorum esse putetur. rectè ait separationẽ hanc illi emolumẽto futuram; cum enim viderit se propter malos mores à te deseri, se ipsum colliget, & resipiscet.

Ex Epistola CCLXI. ad Cælestinum Papam.

Electio summi Pontificis fine tumultu laudatur

1 GRatulatur de inito Pontificatu. *Primùm gratulationem reddo meritis tuis, quod te in illa sede Deus sine ulla plebis suæ discessione constituit*. nota, & meritis illum honorem debitum, & sine tumultu, & schismate, quæ ambo cum concurrunt in electione summi Pontificis, vt fit, prẹclarè agitur: huc spectant arcana suffragia.

2 Certiorem eum facit de iuuene Episcopo, quem secum in monasterio nutritum ipse proposuerat eligendum Episcopum; de quo tamen ceteris satisfactum non erat, cũ multa ei obiicerent, licet non omnia vera. itaque ait. *Me sanè, quod confitendum est beatitudini tuæ, tantus timor, & mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere, si per eum, cuius Episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, uastari Ecclesiam Dei, & quod ipse Deus auertat, etiam cum uastantis perditione perire conspexero*. Vide quàm sit difficilis electio Episcopi, in qua tantus Doctor imprudentię se accusat, licet eum in monasterio optimis legibus instructum sciret. sed hinc collige iuueni Ecclesiastica huiusmodi onera non imponenda.

Iuuenem Episcopum eligere, licet probum, periculosum est.

Ex Epistola CCLXII. ad Darium.

Pulchrior inter na cordis facies quàm externa

1 FVerat hic auctor pacis. de eius virtute à quodam Episcopo scriptum acceperat. *Non quia infirmitas corporis non sinit tecum coram colloqui, ideò te non vidi, nam coepiscopus meus Vrbanus ante literis non faciem tuæ carnis, sed cordis ostendit, vt tantò suauius, quantò interius te viderem. hãc faciem tuam & in sancto Euangelio nos, & tu ipse, propitio Deo, tanquam in speculo lætissimus inspicias, vbi scriptum est: Beati pacifici &c.* Pulchrè dictum de facie cordis, quæ suauior est ad videndum, quàm externa; & eleganter speculum Euangelicum vocat, vbi dicta seruantes boni, læta conscientia se intueantur, secus mali. Matth. 5

Auctor pacis illustrior quàm egregius bellator.

2 Laudat studium pacis. *Magni quidem sunt, & habent gloriam suam non solùm fortissimi, sed etiam, quod verioris genus est laudis, fidelissimi bellatores, quorum laboribus, atque periculis Dei protegentis, atque opitulantis auxilio, hostis indomitus vincitur, & quies reipublicæ, peccatisque prouinciis comparatur; sed maioris est glo-*

gloriæ ipsa bella verbo occidere, quàm homines ferro; & acquirere vel obtinere pacem, pace, non bello; nam, & hi qui pugnant, si boni sunt, proculdubio pacem, sed tamen per sanguinem quærunt; tu autem, ne cuiusquam sanguis quæreretur, es missus: est itaque aliis illa necessitas, tibi ista felicitas. eleganter dictum proponi pacem bello, ac præclarius esse bellum ipsum occidere, ac profligare verbis pacificis, quàm bellantes telis vulnificis. Vide igitur quàm præclarum sit cōciliare dissidentes animos consilio pacis. nullus illustrior triumphus quàm de bello compresso.

Ex Epistola CCLXIII. ad Darium.

Reperitio boni fastidienda non est.

1 OStendit iterum atque iterum quàm gratæ sibi fuerint literæ acceptæ. *Quia dicam nisi delectatum me esse literis tuis valdè? repetitio verbi huius non est repetitio, sed quasi perpetua dictio: quia fieri non posset, vt semper diceretur, ideò factum est, vt saltem repeteretur; sic enim fortasse dici potest.* pulchrè dictum, repetitionem esse quandam perpetuam dictionem idem dicendum cum aliquid boni sępius inculcatur persuadendo.

Eloquiū sit & grauiter suaue, & suauiter graue.

2 De elocutione sic. *Eloquium tuum me delectat, quoniam grauiter suaue est, uel suauiter graue.* vide quod genus dicendi etiam in Epistolis requiratur. non suauitas illecebrosa, sed grauis idem in mutua collocutione seruandum, ne vel sola grauitas molesta fit, vel sola hilaritas leuis.

Quàm cauti esse debeamus in accipiēdis laudibus.

3 Qua ratione laudes accipere debeamus, ostendit. *Meis laudibus cum profectò nec omnibus delecter, nec ab omnibus, sed eis, qualibus me dignum esse arbitratus es, & ab eis qualis es, id est qui propter Christum diligat seruos, etiam me laudibus meis delectatum in literis tuis negare non possum. uiderint graues, & periti uiri quid de Themistocle sentiant, qui cum in epulis, quod elari, & eruditi Græciæ facere solebant, canere fidibus recusasset, & ob hoc indoctior haberetur, totumque illud iucunditatis genus aspernatus esset, dictum est illi, quid ergo audire te delectat? ad quod ille respondit: laudes meas. uiderint ergo quo fine, & qua intentione illud dixisse crediderint, uel ipse qua dixerit: erat enim secundùm hoc sæculum uir magnificus; nam etiam cum ei dictum fuisset, quid igitur nosti? rempublicam, inquit, ex parua magnam facere.* Vide quàm cauti in laudibus accipiendis esse debeamus, neque enim omne genus laudis, nisi proficuum sit, & ad salutem nostram, & aliorum pertinens, neque ab omnibus, sed à viris probatis, qui Christum in nobis diligunt potius, quàm nos. quod autem de republica Themistocles dixit à se ampiificata, id præclarius dixit Gregorius Neocæsareæ Episcopus, qui migraturus è vita cum quæsisset quot in ciuitate reliqui essent infideles, responsumque esset tantùm superesse septendecim, Deo gratias agens: totidem, inquit, erant fideles cum cepi Episcopatum. huiusmodi elogium Xauerio iure debetur, cui hoc fuit propositum, *Christianam rempublicam ex parua magnam facere.* additis scilicet barbaris nationibus noui Orbis.

Magna laus Ecclesiam ex parua magnam facere euangelizando.

Gregorii Neocœs Epis. laus in propaganda fide.

Xauerii laus in amplificanda Ecclesia maior quā Themistoclis in republica.

4 Tum de laude quid sentiat, indicat. *Ego autem, quod ait Ennius: omnes mortales laudari exoptant, partim puto approbandum, partim cauendum. vt enim appetenda est ueritas, quæ proculdubio est, etiamsi non laudetur, sola laudabilis, sic ea, quæ facilè subrepit vanitas, in hominum laude fugienda est, est autem hæc vanitas, vel cum ipsa bona, quæ laudatione digna sunt, non putantur habenda, nisi laudetur ab hominibus homo: vel ea quoque uult in se multum quisque laudari, quæ aut exigua laude, aut etiam uituperatione digna sunt.* Vide in quibus sit posita vanitas laudis, vel cum opus laudabile non faceremus, nisi laus accederet; vel cum exaggerationem quærimus in re minore; vel cum omnia etiam illaudabilia volumus laudari in nobis, quia nostra sunt. tum affert versum Horatii, Laudis amore tumes &c. *ita tumorem laudis humanæ ueluti serpentis morsum medicinalibus uerbis quasi excantandum putauit.* vides superbos quasi veneno tumidos fieri, nec mirum, quia à serpente initium superbiæ fuit; itaque quasi excantatione opus est ad medelam. vides etiam poetarum quandoque auctoritatem probari, cum nostris congrua loquuntur.

Laudis pericula

Laudis tumor serpentis morsui comparatur.

4 Concordat duo Pauli loca de laude. *Dicit Apostolus quodam loco. Si hominibus placerē, Christi seruus nō essē. & idē dicit alio loco: Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo. sed adiungit causam: non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Ecce quid quærebat in laude hominum. volebat ergo Apostolus placere omnibus, & eis placere gaudebat, non quorum laudibus tumescebat in se ipso, sed quos laudatus ædificabat in Christo.* huc refert illud eiusdem Apostoli. *quæcumque vera, &c. quæcumque bonæ famæ; siqua virtus, si qua laus; hæc cogitantur, quæ vidistis in me, hæc agite.* Vide vt non laudanda sint nisi vera, nisi digna laude, nec alium ob finem, nisi vt imitando alii proficiant.

Laus in tantū bona, in quantum aliis proficua.

Gal. 1.

1. Cor. 10.

Eph. 10.

Quid agendum cum laudamur.

5 Concludit hæc de laude, *Cur ergo me non delectet laudari abs te, cum & vir bonus sis, nec me fallas; & ea laudes, quæ ames, & quæ amare vtile ac salubre est, etiam si non sint in me, neque hoc tibi tantùm, sed etiam mihi prodest: si enim non sunt in me, salubriter erubesco, atque vt sint inardesco; quæ autem non cognosco, non solùm vt ipse habeam desidero consequi, verùm etiam, ne semper in mea laude fallantur, qui me sinceriter diligunt.* Vide quid cogitare debeamus dum laudamur. cauendum ne, & is qui laudat, ficta laudatione fallat, & ne ipsi alios fallamus, qui nos laudant, si opinioni, & expectationi non respondeamus. Addit, se ideò eius laude delectatum, quia cum vir celeber sit à gentilitate conuersus, eius doctrina vsurus sit ad conuersionem aliorum.

Mira humilitas Augustini cum laudaretur.

6 Illud miræ humilitatis est, quod laudatorem hunc suum mittit ad legendum librum confessionum suarum, vbi anteactæ vitæ vitia commemorat. *Sume, mi fili, sume vir bone, & non in superficie, sed Christiana charitate sume, inquam, libros confessionum mearum, ibi me inspice, ne me laudes vltra quàm sum; ibi non aliis de me crede, sed mihi. ibi me attende, & vide quid fuerim, &c. cum autem ibi me inueneris, ora pro me ne deficiam, sed perficiar. sentio quid dicam, scio quid petam; fraudabis me magno adiutorio, si non feceris.* Vide vt vir sanctissimus orationi se enixè commendet etiam nuper conuersi gentilis. & vt bonam opinionem de se reiiciat. quis hoc exemplo non erubescat in sua laude?

Cum laudamur, ad nostra vitia reuocāda mēs est.

Ex Epistola CCLXVII. ad Suffectanos.

Gentiliū & hæreticorum immanitas in nostros taxatur.

1 ARguit gentilium impietatem, quod Christianos multos pro Herculis simulacro erepto necarint. *Immanitatis vestræ famosissimum scelus, & inopinata crudelitas terram concutit, & percutit cœlum, vt in plateis, ac delubris vestris eluceat sanguis, & resonet homicidium. Si Herculem vestrum dixeritis, porrò reddemus. adsunt metalla, saxa nec desunt, suppeditat artificum copia collatis singulis nummis vobis emimus Deum, reddite animas, sicut à nobis vester Hercules redhibetur.* Eleganter exaggerat scelus, & irridet idololatriam, dum fictitium Deum emere se velle dicit. tum nota quàm exaggeret Catholicorum cædem vindicta dignam. audiant hæretici, & contremiscant. pulchrè autem. Martyrum sanguinem splendentem vocat. *eluceat sanguis.*

Martyrū explendescens sanguis.

* Ex Epistola ad Demetriadem.

1 QVæ in hac Epistola, cuiusuis illa sit, ad mores referri possunt, vidimus in primo tomo inter opera Hieronymi, cui, sicut & Augustino falsò adscribi sapientes putant. quæ ibi continentur præclara, amputatis erroribus, adnotauimus.

* Ex Epistola ad Cyrillum de Laudibus Hieronymi.

1 QVanquam non puto hanc Epistolam esse Augustini, tamen quia hic inserta est, prætermittere nolui. Hieronymi laudes habet, quicumque sit præco. *Ille fidei athleta, lapis angularis &c. nunc Dei sidus radians in cœlo, alter Helias, & Samuel.* pulchrè dictum, *athleta fidei*, ob tot certamina cum hæreticis. pulchrè & *sidus radians*, præsertim cum apud Bethleem habitarit, vbi apparuit stella Magorum. hic tamen vir sanctissimus, proh pietas, *ita leuissima flebat peccata, vt quis eum existimaret hominem occidisse.* de doctrina verò sic: *linguas multas callebat &c. quid plura? quæ Hieronymus ignorauit, in natura nullus hominum vnquam sciuit.* magna prorsus laus omnigenæ scientiæ, quam ob causam primo loco eum edidimus, præsertim cum in exponendis scripturis Doctorem maximum cum excellenti elogio vocet Ecclesia.

Hieronymus fidei athleta, & sidus radians.

2 De eiusdem Hieronymi obitu hæc habet. *Hora qua obiit, cogitanti mihi ad eum scribere quid sentiret de beatitudine animarum, apparuit ingens lumen cum mira odoris fragrantia; tum vox audita; Augustine, quid quæris vasculo totum mare immittere? breui pugillo orbem terrarum includere? quæ oculus non vidit, tuus videbit? &c. infinitæ rei, quis erit finis?* interroganti porrò respondit: Sum anima Hieronymi, quæ in Bethleem onere deposito, Christo, & Sanctis comitata, decorata veste immortalitatis, & diademate, in cœlum tendo. item interroganti vtrùm animæ in coelo aliquid velint, quod obtinere nequeant, respondit, *Vnum hoc noueris, Augustine, quod Sanctorum animæ ità in illa gloria æterna sunt solidatæ, ac firmatæ, vt nulla sibi alia insit voluntas nisi Dei; quod nihil velle aliud possunt, nisi quæ Deus vult: ideò quæ volunt, obti-*

Hieronymi præclara apparitio post mortem

Beatorū felicitas in quo consistat.

obtinere possunt, quia nihil præter Deum, aliquis sanctorum optat. Interrogat deinde de Trinitate, & Angelis. tandem lux euanuit, sed diu odor remansit. sperat porrò se visurum eius corpus in vrbe Bethleẽ

Visio de Hieronymi gloria.

3 *De* prodigiis ab eius obitu hæc habet. *Seuerus cum tribus aliis, dum loquerentur de Hieronymo, audierunt incredibilem symphoniam cæli; ac mirus è terra odor afflauit. uox audita de cælo. Hieronymus hora completorii in cælum iuit.* putat verò hic auctor, Hieronymum posse esse æqualem in gloria Apostolis, vel certè paulò minorem, aitque post illam visionem sibi relictum magnum charitatis ardorem, vt nemini postea inuiderit, nec superbierit. &c. addit. *Visio fuit quarta post noctem, cum in medio Angelorum duo viri visi instar Solis gemmis, & auro induti, atque ornati. alter tria serta gestabat, alter duo. ille dixit, se esse Ioannem Baptistam cum tribus aureolis, virginitatis, doctoratus, & martyrii; alterum Hieronymum esse.* de ceteris prodigiis post mortem vide epistolam, quæ inscribitur Cyrilli ad Eusebium. ego hoc tantùm dixerim, nullum esse prodigium ac miraculum vel maius, vel verius, quod de illo referri possit, quàm ipsum Hieronymum omni genere virtutis, doctrinæque clarissimum adeò de se humiliter, abiectèque sensisse, vt vidimus apud ipsum, cum de se loqueretur.

Finis Libri Secundi.

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM LIBER TERTIVS;

Continens Tertij Tomi præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX LIBRO DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Creaturæ quasi vehicula sunt ad creatorem ducētia.

1 PRimò ait, non esse doctrinę laborem spernēdum, licet aliqui solùm diuinitus docti sint, vt Antonius, & quidam barbarus Christianus, qui plenam literarum notitiam, *triduanis precibus impetrauit.* Deinde docet, quem ad finem res creatas adhibere oporteat. *Aliç res sunt vt fruamur, aliæ vt vtamur. frui est amore alicuius rei inhærere propter seipsum; vti autem quod in vsum venerit ad id, quod amas, obtinendum referre. si tamen amandum est.* malè nūc fruimur: vt si quis peregrinus vehiculis delectatus, quibus ad patriā itur, alienaretur à patria. pulchrè autē creaturas dicit tanquam currus, & vehicula, quę ad Deum nos deducunt; at recedimus potius nostra culpa.

Christus medetur nobis nō modò vtiliter, sed pulchrè.

2 Quàm non modò vtiliter, sed pulchrè consultum sit homini, docet. *Sicut Medici cum alligant vulnera, non incompositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quędam etiam pulchritudo consequatur: sic medicina sapientiæ per hominis susceptionē nostris est accomodata vulneribus, de quibusdam cōtrariis curans, & de quibusdam similibus.* adhibet medicus cōtraria, cū siccum humido opponit; & simile, cum ligaturā rotundam rotundo vulneri aptat &c. *sic nos immortalitate male vsi sumus, vt moreremur; Christus mortalitate bene vsus, vt viueremus. corrupto animo fœminæ ingressus est morbus, integro corpore fœminæ processit salus.* rectè notat: nobis per peccatū originale vulneratis Deus non modo quasi vtilem fasciam imposuit vulneri, sed pulchrè quoque contextam aptauit, vt vides in exemplis allatis. hinc Galeni liber de fasciis vulneri adhibēdis, vbi varios modos alligandi etiam pulchrè, non modò vtiliter, docet. Alexander ille magnus Lysimachi amici vulnus in frōte accepto suo diademate alligauit, quod illi fuit auspiciū regni; vt non modò fascia vtilitatē afferet, sed ornatum. Christus in *A*pocalypsi visus est Ioanni *habens in capite diademata multa*: sufficeret vnum ad declarandum regem, sed tot diademata gestat, vt præsto sint fasciæ multæ ad nostra vulnera non solùm vtiliter, sed decorè alliganda. Hinc illud Iob. *ipse vulnerat, & medetur*, quod quidam ex hebræo vertunt, quanquam minus latinè, *& fasciabit.* vulnerat siue mittendo aduersa, siue permittendo peccata; alligat uulnera diadematum fasciis. Item pondera antithesin illam sanè pulchram: *nos immortalitate male vsi sumus vt moreremur; Christus mortalitate bene vsus, vt viueremus &c.*

Apoc. 19

Caietanus.

Vtrùm homo frui se, anuti debeat.

3 Ostendit quid homo spectare debeat. *Magna quædam res est homo, in qua magna quæstio est, vtrùm frui se debeant homines, an vti, an vtrumque?* sed quia tunc est perfectus homo, cum tendit ad Deum, igitur frui non debet; vti autem debemus tantùm iis, quæ ad Deum ferunt: ergo eatenus se diligat, quatenus saluus fiat.

Zelus animarum signum Dei dilectionis.

4 De zelo animarum sic pulchrè. *In theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, omnes diligit, qui eum diligunt propter illam; & quantò est in eius amore feruentior, tantò agit quibus potest modis, vt ab aliis diligatur; & si quem frigidiorem videt, excitat eum quantum potest laudibus illius: quid nos in societate dilectionis Dei facere conuenit?* nota, magnum signum esse amicitiæ Dei, curare vt omnes eum ament, hortando &c. hinc Esaias visa Dei maiestate, ac pulchritudine, ait. *væ mihi quia tacui.* videtur autem hic zelus ad nostrum ordinem maximè pertinere, qui sumus, *in Societate dilectionis Dei*, hoc est ipsius Iesu.

Ex Libro II. de Doctrina Christiana.

Psal. 13. Linguarum sciētia necessaria interpreti sacræ scripturę

1 ARguit eos, qui illud psalmi, vbi vulgata habet, *Veloces pedes &c.* vertunt. *Acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem, quia græcè est ὀξὺς, sed errant, quia eadem vox velocem significat, quod propriè ad pedes pertinet in hoc loco*. Nota, non omnium

nium esse, nisi admodum sapientium ac prudentium, vertere ab vna lingua in aliam verba inprimis sacræ scripturæ, quod difficilius est ex hebræa lingua, inqua vnum uerbum multas significationes habere solet. uidendum igitur, ne ea significatio detur, quæ impropria tali loco sit, aut contorta.

In scriptura nō latinitas sed sententia attendēda.

2 Cum uertitur aliquid ab alia lingua in latinam; non semper attendi ait latinitatis leges. *sed utrùm in hoc verbo, Ignoscere, tertia syllaba producta vel correpta dicatur, non multum curat qui peccatis suis vt ignoscat Deus, petit. sic in psalmo legunt: super ipsum floriet sanctificatio mea.* eleganter, ac piè ludit in significatione uerbi. sic autem
Psal.131 olim legebatur; ubi nunc; *efflorebit.* huc refero illud Demosthenis, cui cum in concione de re graui lapsum esset uerbum minus consonans grammaticæ legibus, ac propterea irrideretur ab Aeschine eius æmulo, respondit, non in eo uerbo esse positas fortunas Græciæ. his addit, non mirum esse, quod sint quædam uoces in scriptura relictæ ad auctoritatem, ut Amen, Alleluia, quædam quia exprimi nequeunt, ut racha irati nota, Osanna lætantis.

70 Interpretū auctoritas miraculo cōprobata

3 Laudat 70. interpretum traductionē. *70. interpretum excellit auctoritas, qui tanta præsentia Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os unum tot hominum fuerit.* singulis cellis singuli inclusi scripserunt; si quid autē ex hebręo uariatū est, Dei dispensatione factum: *quemadmodum congruere gentibus illis Spiritus sanctus iudicauit.* nota; sic in libro Iob appellantur stellæ Pleiades, Orion, *A*rcturus; & Iobi, qui Deum colebat, una ex filiabus à 70. dicitur appellata cornu *A*malthææ, quæ uoces fabulis plenæ sunt, sed Spiritus sanctus accommodari hæc siuit ad capacitatem Gentilium, ad quos diuini libri traducendi erant.

Scriptura in loquendo attēperat se vsui.

4 Quanta debeat esse interpretis doctrina, demonstrat. *Interpretatio nominum hebraicorum, vt Libani, Sina, &c. multa continet mysteria. sæpe erratur, cum nescitur proprietas animantium, lapidum, herbarum &c. nam & carbunculi notitia, qui lucet in tenebris, multa illuminat obscura librorum, vbicumq; propter similitudinem ponitur; & ignorantia berylli, vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores.* sic noscenda natura serpentis, & hyssopi, & oleæ. est item differentia psalterii, & citharæ in musica; & *ille numerus ædificationis templi 46. annorum nescio quid musicum sonat; & relatus ad fabricam dominici corporis cogit hæreticos confiteri filium Dei vero humano corpore indutum.* rectè adnotat, studioso sacræ scripturæ necessariam esse cognitionē hebraicæ linguæ ob mysteria nominū; itē ceteras scientias physicas ob proprietates rerū naturaliū. musicā quoq; ipsā, & arithmeticā; atq; hæc valere

Cognitio rerū naturalium, &c necessaria in scriptura

etiā ad hęreticos cōfutādos. illud elegāter, & lepidè dictū. *carbunculi proprietatis notitiā illuminare suo splendore obscura librorum; & ignorantiam adamantis sua duritia claudere intelligentiæ fores quasi adamantinam seram.*

Stuiptorum certamen est statutæ in tēplo locarentur.

5 Varronis testimonium citat, qui refellens fabulas ait: *In quadam Ciuitate Quosdam locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quæ in Apollinis templo dona ponerent, vt quisquis artificum pulcriora formasset, ab illo potissimum emerent; itaq; cōtigisse, vt opera sua quiq; illi artifices æquè pulcra explicarent, & placuisse Ciuitati omnes nouem, atq; omnes emptas esse, vt in Apollinis templo didicarentur. tres autem Musas illa Ciuitas locauerat, quia facile erat animaduertere omnem sonum, qui materies cantilenarū est, triformem esse natura.* idest aut voce, aut flatu, aut pulsu. Nota diligētiā Ciuitatis in eligēdis pulchrioribus quibusq; quæ templis dedicarēt, idq; totius Ciuitatis iudicio adhibito. vtinam tale esset nobis in virtutis perfectione certamen. item nota musicam pertinere ad templa: ac subiungit, non propter superstitionē Gētilium debemus vitare musicam consonantiā, & cętera, siquid ad intelligentiam iuuāt. neq; odimus literas, quia Mercurium earum dixerunt inuētorem. *bonus, verusq; Christianus domini sui esse intelligat, vbicunq; inuenerit ueritatem.* doleat tamen de admista superstitione. ceterùm Gētiles ipsi Musas introducebāt in templa, quia castas putabant, notent hoc poetæ incesti, & impuri.

Certamen in assequenda virtute.

Musica non excluditur e templis.

Obsceni poetæ taxantur.

6 Superstitiosos arguit, vt si ambulādo lapidē calcare timeāt, quasi amicitiā dirimāt, &c. addit Genethliacos, *qui uedūt imperitis hominibus miserabilem seruitutem.* nempè dat liber pecuniam Genethliaco, vt seruus euadat. *sidus Luciferum honori, & nomini Cęsaris Romani dicare conati sunt &c.* rectè ait, q. Genethliacos audiūt, vt faciūt fęrè principes, eorum seruos fieri, se ipsos illis uendētes sua pecunia, nam eorum ductū sequūtur in omnibus actionibus; & rectè de Claudio Imperatore ait Seneca, melius esse semel mori quàm sæpius, dum illi intentant pericula uaria in dies, & horas singulas. tum sic eos refutat. *Cōstellatio eadem fuit Iacob, & Esau in ortu, & tamē valde dispares moribus fuerunt. nec dicas, multum valere cuiuslibet momenti variationem, nam hæc inueniri, & internosci vix potest. itaque cum Genethliaci diuinant, illudūtur à Dæmonibus. vetita hæc in Deuter. immo etiam ob vera euenta non credendum: nec si vera fuerit imago Samuelis oblata Sauli, ideo non execranda superstitio. in actis Apostolorum ventriloqua mulier uerum dixit de Christo testimonium,* & tamen dæmoniaca erat. Addit aduersus Astrologos sic. *signa è stellis nō quia ualebant, animaduersa sunt, sed animaduertendo factum est ut ualerent;* vt litera X aliud

Superstitiosi redarguuntur.

Genethliaci, & astrologi reprehēduntur.

Deut.3.

aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet.

6 Magnam esse dicit vtilitatem historiæ. *Noster Ambrosius, calumniantibus Platonis lectoribus, & dilectoribus, qui dicere ausi sũt, omnes Christi sententias de Platonis libro eũ didicisse, considerata historia Gentium, cum Platonem reperisset Hieremiæ Propheta temporibus profectum fuisse in Aegyptum, vbi tunc ille Propheta erat; probabiliùs esse ostēdit, quod Plato potiùs nostris literis per Hieremiam fuerit imbutus.* Nota non modò omnium scientiarum cognitionem ad diuinas literas adhibendam, vt supra dixit, sed etiam historiarum exteraum. nota item prouidentiam Dei, qui eadem ætate ferè, qua Plato princeps sapientiæ habebatur, opposuerit illi Hieremiam prophetam, immò magistrum tanti Philosophi constituerit; nec tamen hic omnem lucem veritatis accepit: ex quo colligi potest, vocationem esse ex Dei gratia, non ex acumine mentis.

Falsò dictũ Christi sententias acceptas è Platonis libris.

7 Sapientiam humilitati iungendam docet. *Sicut Aegyptii non solùm habebant idola, sed etiam ornamenta auri, & argenti, & vestes, quas Hebræi acceperunt in fuga; ita Gentiles non solùm habebant superstitiones, sed liberales etiam disciplinas, vt fuit in Cypriano, Lactantio, &c. & Moses dicitur eruditus omni disciplina Aegyptiorum; sed ne scientia inflet, meminerint, eos qui exierunt sic ornati, signasse cruentos postes hyssopo herba humili, & radicibus valdè fixa; ita his humilitatem simul, & charitatem inesse debere. Porrò quantò minor erat vis illa auri ab Aegypto relata, quàm opes postea in Hierusalem possessæ, præsertim à Salomone, tantò minor est scientia collecta de libris Gentilium, quàm de libris sacræ Scripturæ.* Ex his collige, sicut Hebræi idolis aureis relictis, Aegyptiorum reliquum aurum, & argentum, & preciosa quæquæ acceperunt: ita è libris Gentilium, quæ ad impietatem, vel ad turpitudinem pertinent, non colligenda, sed tantùm quę scientiam continẽt ad bonum vsum traducendam. Rursum, vt illi onusti auro exierunt per postes, quos illeuerant sanguine, cum hyssopo herba humili, & radice fixa; ita orhatos scientia debere humilitatem habere, pręsertim ex consideratione passionis Christi, charitatem, qua veluti radicati sint in amore Dei, & proximi, vt & ad illius gloriã, & ad nostrã vtilitatem studia tendant. denique nota quantum emineat scientia sacræ Scripturæ ac Theologia, scientiæ veterum Philosophorum, quantum scilicet regni Dauidici, ac Salomonis opes, cuius tempore argentum ipsum non reputabatur, & templum illud auro vestitum paruis illis vasis aureis ex Aegypto relatis; neque enim putandum est, in tam longo itinere ingentis magnitudinis vasa aurea, & argentea reportasse humeris, quæ magno oneri fuissent.

Humilitas doctrinæ iũgenda.

Scientia extera quasi spolia Aegypti aurea

Scientia sacr. Scripturæ potior omni sciẽtia Philosophorum.

Ex Libro III. de Doctrina Christiana.

1 DOcet, interpreti plus de sententia quàm de verbis laborandũ, explicans illud Psalmi. *Non est absconditum à te os meũ, quod fecisti in occulto.) Mallem cum barbarismo dici ossum meum, quàm vt ideò esset minus apertum, quia magis latinum est.* græcè est ὀστοῦν, non σῶμα, idest, os, ossis, non os, oris. Nota quàm parui fecerit tam elegans Doctor, qui etiam Rhethoricam docuerat, regulas Grammaticæ, cùm sacras literas perturbant.

2 Charitatem eleganter definit. *Charitatẽ voco motũ animi ad fruẽdũ Deo propter ipsũ, & à se, atq; proximo propter Deũ.* cõtra quẽ cupiditas est. cupiditatẽ autem vocat motum animi ad fruendum se, & quolibet corporeo non propter Deum. Porrò *quãto magis regnum Cupiditatis destruitur, tantò Charitatis augetur.* Iam ex persona Daniel, & sociorum, quidquid asperum, ac sæuum dictũ, factũque legitur in Scripturis ad Cupiditatis regnum destruendum valet. Vbi nota, tam paruum numerum trium puerorum cum Daniele pro integris agminibus fuisse. Pulchrè vtrumque regnum componit, & alterum præponit.

Interpres non elegantiã verborũ, sed sententiã affectet.

3 Pedes Christi vnguento pretioso perfusos, non ad luxum, sed ad mysterium refert. *Odor enim bonus fama bona est, quàm quisque bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit.* Nota, vt vestigia pedum Christi odorata fiant, cùm scilicet, qui ea sequitur, bonam famam habet, tunc vngit & ipse Christi pedes fragrantes vnguento.

Christi pedes vngit vnguẽto, qui p bonã famã eius vestigia sequitur.

4 Quid locis, & temporibus, personisq; conueniat, diligenter attendendum ait, ne temerè quid reprehendatur. *Fieri enim potest, vt sine vllo vitio voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat; & sanius quisque voluerit more domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau.* Rectè ait, non tam rem, quàm affectum attendendum. Nota de flamma, qua gulosi ardescũt; hinc lingua diuitis ardebat maximè. item vide quàm cauti in reprehendendo esse debeamus, vt potiùs interpretemur in bonum.

5 De Charitate sic pulchrè. *Hac sentententia: Quod tibi non vis, alteri nè feceris: cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; cùm ad proximi, omnia facinora; nemo enim vult corrumpi habitaculum suum, ergo nec Dei, idest seipsum; & nemo vult sibi à quoquam noceri, nec ipse igitur*

Charitas proximi clades omnium vitiorum

Condonatio iniuriæ resipiscentia est inimici.

tur cuiquam nocuerit. Nota vt charitas erga proximum propter Deum quasi gladius sit ad stragem uitiorum. nec minus hoc uenustè dictum. *sic euersa tyrannide Cupiditatis Charitas regnat iustissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sui, & proximi propter Deum.* uides Charitatem quasi reginam, Cupiditatem uerò per tyrannidem occupare animæ arcem.

5 Exponit illud. *Si esurierit inimicus, ciba illum &c. hoc beneficentiam præcepit, sed quod sequitur: hoc enim faciens carbones ignis congeres super eum, maleficentiam ne putes, sed intelligas figuratè, carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus.* uide. quanta uis sit ad conuertendū inimicum, cum uenia illi datur.

Cur solū carnis peccatū a propheta in Dauid reprehensū.

6 Acutè adnotat de Dauide. In illa prophetę similitudine ad Dauid de oue ad aduentū hospitis in cibū data ab altero vicino, *stuprum tantùm disignatū est, de oue uicini pauperis, de marito autem mulieris interēpto, hoc est de ipso paupere, qui unam ouem habebat, occiso, non est per similitudinem interrogatus Dauid, ut in solo adulterio disceret sententiam damnationis suæ.* nota ne Dauid homicidii solū reum se putaret: multi enim non magni faciunt carnis peccatum, hoc inculcatur, illud siletur. ad eundem pertinet quod sequitur.

In peccato perseuerantia damnatur.

7 In Dauid libidine non permāsio, sed transitus ostenditur: *propterea enim ab arguente propheta illicitus appetitus ille hospes vocatus est, non enim Regi suo, sed hospiti suo vicini pauperis ouem ad epulandum exhibuit: at verò in eius filio Salomone non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit.* & hoc acutè interpretatur per transitum fuisse, non firmiter regnasse in Dauide peccatum. ideo parabolam fuisse de hospite: hinc illud Pauli. *non regnet peccatum in uestro mortali corpore.*

Bonorū lapsus non contumeliā sed metum excitare debet.

8 Monet de sacrarum literarum lectione. *Si quis peccata magnorum uirorum legerit, quamuis in eis figuram aliquam rerum futurarum indagare potuerit, rei tamen gestæ proprietatem ad hunc usum assumat, ut se pro rectè factis iactare non audeat, & ceteros non contemnat, cum videat tantorum virorum, & cauendas tempestates, & flenda naufragia; qui videtur, inquit, stare, videat ne cadat.* rectè monet, in bonorū lapsibus nō eis insultandum, sed nobis consulendum, & metuendum; & rectè naufragia vocat.

Nihil in scriptura tam frequens quā humilitatis laus.

9 De humilitate sic. *Nulla ferè pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* vide quàm Deo grata sit humilitas, quam inimica superbia, vt quasi tabellis obsignatis, ita sacris literis id testatum semper inculcet.

Sacris literis non deesse ornamenta dicendi probat. *sciant literati, modis omnibus locutionis, quos tropos vocant Græci, auctores nostros vsos fuisse, & copiosius quàm possunt existimare, vel credere qui nesciunt eos, & in aliis ista didicerunt.* huc refer illam Tyri nauim ab Ezechiele elegantissimè descriptam; & apud Iob descriptionē equi, elephanti, &c. Ecclesiastici verò scriptores cui veterum cedunt? vt Chrysostomus, Basilius, Gregorius, Nazianzenus, & alii.

Dicendi ornamēta non abhorrent a rebus sacris

Libri quomodā cautè legendi.

10 De sacra scriptura rectè legēda sic. *Ticonius, qui contra Donatistas scripsit, & ipse Donatista, quasdam septē regulas scripsit, quibus quasi clauibus diuinarum scripturarū aperirentur occulta. primam ponit de domino, & eius corpore &c.* sed plures sūt modi, quos ipse nō tangit. eas regulas ille vocat. *secretorum legis claues, & luminaria.* monet autem Augustinus, ita ea legenda, vt nonnulla caueantur, nec omnia inde speranda. vide quanta sit adhibenda cautio in lectione librorum circa sacram scripturam, cum scribentis pietas in aperto non est. hæc laus potius ad Hieronymum spectat interpretem maximum, cuius expositiones rectè voces *secretorum claues, & luminantia.*

Interpretationes Hieronymi claues, & luminaria.

Ex Libro IV. de Doctrina Christiana.

1 HIc liber concionatori apprimè notandus est, & expendendus: præclara enim præcepta ad id munus continet. Ac de ornatu sacrarum literarum sic. *Cum per artem rhetoricam, & vera suadeātur, & falsa, quis audeat dicere aduersus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem? vt videlicet illi, qui falsa persuadere conantur, nouerint auditorem beneuolum, intētum, docilem facere, isti non nouerint.* Vides rhetoricam decere etiam oratorem Ecclesiasticum. Addit: *cur facultas eloquii, quæ ad persuadendum seu praua, seu recta ualet plurimum, non bonorum studio cōparetur, ut militet ueritati?* nota arma hæc esse, quibus veritas defenditur. subiūgit *implent illa præcepta, quia eloquentes sunt, nō adhibita vt sint eloquentes.* vide vt omnis affectatio sit vitanda, & ars tegēda. monet tamē non solùm eloquenter, sed sapienter dicendum, *sapienter autem dici tantò magis uel minus, quantò in scripturis sacris magis minus vè profecit.* addit. *qui eloquenter dicunt, suauiter; qui sapienter, subtiliter audiūtur: sed salubri suauitate quid melius?* auctores sacri vtrumq; habuerūt, sed ea eloquētia vsi, quæ eos decebat.

Ecclesiastico oratori, eloquentia pudens nō interdicitur.

Concionatori non satis est eloquentia sine doctrina.

2 Ornatum negat esse debere cum fuco. *Itá dicendū est, vt verba non à dicente adhibita, sed ipsis rebus veluti sponte subiuncta videantur, quasi sapientiā de domo sua, idest de pectore sapiētis procedere intelligas, & tanquam*

Fucata eloquentia reprehēditur.

quam inseparabilem famulam, etiam non vocatam sequi eloquentiam. pulchrè dictum contra affectationem. ac vide quid sit sapientis pectus, domicilium, & regia ipsius sapientiæ. pater Origenis, qui fuit martyr, ad eius adolescẽtis pectus fundebat preces.

In eloquendo dili gens negligentia insit.

3 Item de fuco vitando sic. *Sæpe non curandum quanta eloquentia doceas, sed quanta euidentia, vt insit in ea quædam negligentia diligens*. Egregium monitum. nec tamen sic detrahi vult ornatum, vt sordes contrahat. item monet in dicendo: *Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic onerosus, qui cognita inculcat*.

Eloquentia non perpendens clauis aurea est, sed inepta.

4 Pulchrè ostendit, Concionatori fructũ esse procurandum. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba; quid enim prodest clauis aurea, si aperiri, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil aliud quærimus, nisi patere quod clausum est*. Rectè ait. finis expectãdus est, persuasio, alioquin nulla est eloquentia. elegans est similitudo clauis aureæ, sed ineptæ ad vsum, quanquã Chrysostomus vtrũq; habuit, & pretiũ, & vsum. subiũgit: *Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentiam vt doceat, vt delectet, vt flectat. deinde addidit: docere necessitatis esse, delectare suauitatis, mouere victoriæ*. Nota ex Cicerone sumptum, & egregiè dictum, victoriam in persuadẽdo per affectum, & motum haberi. tamen nihil minus, quàm hoc ferè exhibetur.

Chrysostomi lingua clauis aurea & apta.

5 Affectatio quàm odiosa sit, ostendit: *Non est delectationis illa suauitas, qua exigua, & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, qualia nec magna, atq; stabilia decãter, & grauiter ornantur. Est tale aliquid in epistola beati Cypriani, quod ideo puto accidisse, vel consultò factum esse, vt sciretur à posteris, quàm linguam doctrinæ Christianæ sanitas ab ista redundantia reuocauerit, & eloquentiam grauiorem, modestioremque restrinxerit, qualis in eius consequentibus literis securè amatur, religiosè appetitur, sed difficillimè impletur*. Egregiè notat, fortasse consultò Cyprianum ita floridè loqui voluisse, vt ostenderet se ita semper loqui posse, sed Christiana grauitate prohiberi. Magna virtus cùm plausum semper captare possis, abstinere propter Dei gloriam, & proximi fructum. eleganter appellat redundantiam *spumeum verborum ambitum*. quasi phalerati equi põpaticè gradientis tũ affert elegantẽ ipsius Cypriani locum. *Petamus hanc sedem, dant secessum vicina secreta, vbi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Iste vir sanctus & posse ostendit sic dicere quæ dixit alicubi, & nolle, quia postmodum nunquam*. Vides exuberãtem eloquentiam sponte mortificationis falce recisam.

Cyprianus vltrò abstinens à pompa verborũ laudatur

6 Pulchrè, ac piè concludit. *Pietate magis orationum, quàm oratorum facultate se persuadere posse non dubitet sit Orator, antequam dictor. iam hora, qua ad dicendum accedit, priusquam exerat proferentem linguã, ad Deum leuet animam sitientem, vt eructet, quod biberit, vel quod impleuerit, fundat*. Nota, vt ex corde loquendum sit, & ex interno sensu pietatis. discat quidem antea, & comparet quæ dicere debeat, sed dum accedit, recolat illud: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus, &c.* arguit tamẽ quorũdam sententiam, qui dicunt, nihil esse antea percipiendũ, quia Doctores efficit Spiritus sanctus. sed ita posset dici, nec orãdum nobis esse, quia dicit Dominus; *scit pater vester, quid vobis necessarium sit antequã petatis*. Ita nec Paulus Timotheum, & Titũ instruere debuisset, quia Doctores ex operatione Spiritus sancti fieri dixit. Præparãdus igitur Concionator est, & precatione, & sermone, sed per afflatum S. Spiritus.

Concionem oratio præcedere debet.

Matth. 10

Concionandum ex interno affectu, & afflatu S. Spiritus.

7 Seriò monet, quid spectandum Concionatori sit. *Omnia, quæ de loco præsertim superiore populis dicimus, ad æternam salutem referre debemus; vbi enim cauendũ est æternus interitus, omnia magna sũt quæ dicimus*. Ideo Apostolus etiã in re pecuniaria & ad iudiciũ seculare spectãte grãditer est locutus: *Audet quisquam aduersus alterum habens negotium, &c. Quid est, quod sic indignatur Apostolus, sic exprobat, sic minatur? Quid est quòd affectum tam crebra, & tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est quòd pro rebus minimis tam granditer dicit? quia ea docebat, quibus liberamur ab æternis malis, atque ad æterna peruenimus bona: vbicunque hæc aguntur, magna sunt*. Etiam aquæ frigidæ calix vilissimus est, & promittitur merces. tum pulchrè addit. *Nonne quando accidit, vt de hac re loqueremur ad populum, & Deus affuit, vt non incongruè diceremus; tanquam de illa aqua frigida flamma surrexit, quæ etiam frigida hominum pectora ad misericordiæ opera facienda spe cœlestis mercedis accenderit*. Vides Augustinum concionantem etiam de aqua frigida, accẽdisse alios æstu pietatis. Præclarum autem est hoc monitum, vt nihil è templi suggestu dicatur, nisi quod ad animæ salutem faciat; ac propterea magno cum feruore, atque affectu. *vbi enim cauendus est æternus interitus, omnia magna sunt quæ dicimus*.

Nihil dicendum in cõcione, nisi quod animorũ saluti cõducit.

1. Cor. 6

Quidquid ad salutẽ pertinet licèt minimum, granditer, & vi magno declamãdum.

Matth. 10.

8 Nihil desidiosè agendum ait. *Etiam in minimis fidelem esse magnum est; nam sicut ratio rotunditatis est, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur; eadem est in magno disco, quæ in nummulo exiguo: ita vbi parua iustè geruntur, non minuitur iustitiæ magnitudo*. Sic Apostolus de iudicijs secularibus loquens assurgit. *Nescitis, quia*

Etiã parua, si ad salutem pertinẽt magna sunt.

An-

Angelos iudicabimus? &c. nam etiam in paruis, si ad salutem pertinent, granditer loquendum. est autem elegans illa similitudo de lineis pariter è centro deductis.

9 Varium esse dicendi genus docet. *De vna, & eadem re aliquando & submissè dicitur, si docetur; & temperatè, si prædicetur; & granditer, si accensus inde animus, vt conuertatur, impellitur. ita cum de Trinitate docemus, non ornamentis est opus sed documentis, nec flectendus animus, sed instruendus; at cum laudatur Deus, siuè de se ipso, siuè de operibus suis, quanta facies pulchræ, ac splendidæ dictionis oboritur?* sed si non colatur, aut pro eo idola colantur, granditer dicere debet, & vehementer. submissæ dictionis exemplum est illud. *scriptum est quod Abraham duos filios habuit, &c.* temperatæ verò. *Obsecro uos, ut exhibeatis hostiam uiuam &c.* addit. *Illa pulchriora sunt, in quibus propria propriis, tanquam debita reddita decenter excurrunt. siue, inquit, prophetiã secundùm regulã fidei, siuè &c.* granditer autẽ dicit, nec sine ornamentis. *Ecce nunc tempus acceptabile &c.* item: *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris; per gloriam, & ignobilitatem &c. ut qui ignoramur, & cognominamur; quasi morientes, et ecce uiuimus etc.* & alibi. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames? &c. quis infirmatur &c* tum de his quid sentiat, ostendit pulchrè. *Non hæc humana industria composita, sed diuina mente sunt, & sapienter, & eloquenter; non intenta in sapientiam eloquentia, sed à sapientia non recedente eloquentia.* nota vt diuinus hic rhetor ad persuadendũ efficacissimus, Paulus, inquam, omnia complexus sit dicendi genera, & ornamenta: nec tamen ad pompam, sed ad fructum.

Pro qualitate materiæ variũ dicendi genus adhibendum

In Paulo rhetorum artificia sine arte visuntur

Gal. 4.

Num. 12

Gal. 2. & 6.

Rom. 8.

10 Cauendum ait, *Ne diuinis, grandibusq; sententiis dum additur numerus, pondus detrahatur. nam illa musicę disciplina, vbi numerus iste plenissimus dicitur, vsque adeò non defuit prophetis nostris, vt vir doctissimus Hieronymus quorundam etiam metra commemoret.* item monet pulchrè. *Grande dicendi genus non tàm verborum ornamẽtis, vt temperatum, quàm uiolentis animi continetur affectibus; fertur impetu suo; & elocutionis pulchritudinẽ, si occurrerit, ui rerũ rapit, nõ cura decoris assumit; satis est ei, ut uerba congruentia, non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem.* notabile ad concionatores monitum, ne affectato dicẽdi genere utãtur, quo impediatur affectus.

Ornamenta dicendi etiam in prophetis, sed cum põdere sententiarũ

11 Affert exemplum submissi generis ex Cypriani epistola. *Admonitos vos sciatis, vt in calice offerendo dominica traditio seruetur &c.* temperati ex eodem de virginibus. *Flos ille Ecclesiastici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ, etc.* grandis, ex eodem in fucatas mulieres. *Crines tuos inficis malo præsagio futurorum; capillos iam tibi flammeos auspicaris, etc.* acutè dictum, quasi omine quodã Inferni ignis. rursum exẽplũ submissi generis ex Ambrosio de Spiritu sãcto. *Commotus oraculo Gedeõ etc.* & mox: *Christi caro sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit, etc.* temperati, ex eodem de virginibus. *Virgo erat nõ solùm corpore, sed mente, etc.* grandis, ex eodẽ. *Quãta hæc amẽtia, effigiẽ mutare Naturæ picturam quærere? &c.* vides quam iucunda, non modò proficua sit lectio Sanctorũ Patrum, vt id nos aggressos esse non pigeat.

Iudic. 6.

Cypriani, & Ambrosii rheto ricũ artificium.

12 Pulchrè ostendit ornatum verborũ non per se esse expetendum. *Nam si aurato, gemmatoq; ferro vir fortis armetur intentissimus pugnæ, agit quidem ille armis quod agit, non quia speciosa, sed quia arma sunt. idẽ ipse est tamen, et valet plurimum, etiam cum rimanti telum ira facit.* vides vt liceat quidem vti ornatu, at non per se: ita vsus est Chrysostomus, Nazianzenus, Ambrosius, & alij. eleganti sermone, quasi aurato, gẽmatoq; gladio vsi sunt ad stragem vitiorum, sed pro vt gladius est, non pro ut ornatus. huc pulchrè pertinet aureus ille gladius à Hieremia per uisum traditus fortissimo duci Iudæ Machabæo. *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei.* haud dubium quin munus a Deo sit eloquentia: at gladius hic aureus ad uitia debellanda datur; ac propterea a propheta datus, quia fundari concio debet in Scripturis sacris.

Elegans sermo gladius auratus ac gemmatus.

2. Machab. 15.

13 Eadem de re sic eleganter. *Eloquentia tantò terribilior, quantò purior; et quantò solidior, tantò vehementior. ò verè securis concidens petras.* egregiè dictum. vide vim veræ eloquentiæ vel saxea corda scindentis; securis est valida: robore, conatu, impetu opus est animi uehementi.

Concio securis est concterẽs petras.

14 Concionatorem probari ait, auditorum non plausu, sed fletu; idque suo exẽplo probat. *Grande genus plerumq; pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit, apud Cæsaream cum ciuilem pugnam dissuaderem, in qua certo anni tẽpore ipsi propinqui ad necem mutuam conueniebant dimicaturi inter sè, granditer egi quantum valui, nec tamen egisse aliquid me putaui; cũ eos audirem acclamantes, sed cum viderẽ flentes.* Vide ubi sanctus hic Doctor de concione sibi satisfactum putarit, non in plausu, sed in planctu. tum uide quàm acriter, & quanto cum animi sensu agendum, præsertim ubi odia sedanda sunt.

Augustini vehemẽtia in concionando.

Ad conuersionẽ peccatoris plus valẽt lacrymæ quam verba.

15 In Ecclesiastico oratore non requiri semper grãdiloquentiam ait. *Locutio submissa suo loco esse debet; non enim quia dictio neque incedit ornata, neque armata, sed tanquam nuda cõgreditur, ideo non aduersarium neruis, lacertisq; collidit &c.* nõ solùm, cum granditer dicitur, acclamatur, sed cum submissè,

Concionator athletæ comparatus.

missè, si adsit acumen. Nota exemplum du-
ctum ab athletis, qui nudi congrediuntur,
ut expeditius pugnent, oleo tamen perun-
guntur; ita Concionator oleo deuotionis,
& unctione Spiritus sancti illitus procedat
ad luctam aduersus uitia, ornatu neglecto.

16 Idem sic probat. *Facilius submissum genus quàm grande diutius tolerari potest, commotio quippe animi quantò magis excitanda est, tàto minus diù teneri potest, & ideo timendum, nè dum uolumus altius erigere quod erectum est, & inde decidat quò fuerat excitatione perductum*. rectè, nam lacryma nihilq; citius arescere dicebat rhetor Apollonius apud M. Tullium. magna industria opus est in affectibus concitandis.

Quæ cautio adhibenda in affectib. mouendis.

17 Oratorem Ecclesiasticum etiam vita, & exemplo probandum ait, vt ab auditoribus æstimetur; vnde illud Apostoli ad Timotheum. *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed forma esto fidelium, &c.* Rectè admonet, congrua esse debere facta verbis. Itaque pulchrè concludit. *Sit ei copia dicendi, forma viuendi*. Addit egregiè. *Talis Doctor obedienter audietur, qui non contemptibiliter viuit*.

In Concionatore sit oportet & copia dicendi, & forma viuendi.

18 De compositione sic instruit. *In ipso sermone malit rebus placere, quàm verbis, nec existimet dici melius, nisi quod dicitur verius; nec Doctor verbis seruiat, sed verba Doctori*. Præclara vox, illud melius dictum esse, quod veriùs, non quod ornatius. hoc est quod ad persuadendum magis faciat, quàm ad oblectandum.

Quod verius dicitur, melius dicitur.

. Quanti momenti hoc munus sit, docet. *Si Regina Esther pro suæ gentis temporaria salute alloquutura Regem orauit, vt in os eius Deus congruū sermonem daret, quantò magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo, & doctrina laborat?* Rectè orandum ait, antequam dicat, vt auditor accipiat; & postea si profecerit, Deo grates agendæ. orandum etiam, ait pro eo, à quo id, quod dicis, acceperis. Vide quantum debeamus Scriptoribus, & Doctoribus eruditis, ac pijs.

Concionator oret, antequam dicat.

19 Refert, & laudat Ambrosij verba in illud. *Bibebant autē de spiritali, cōsequēte eos petra, &c.)* ad carnē, inquit, Christi spectat, *quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit*. Pulchrè dictum, sicut petra illa mollescens edidit perennes aquas, ita Christi caro percussa sanguinē, qui sanguis est potus suauissimus, potus, inquam, sitientis cordis nostri, quia è corde eius manauit, qui in siti mortuus. perennis autem riuus iure dicitur sanguinis, qui quotidie offertur in mysterijs. Vide quæ diximus apud ipsum Ambrosium, in ponderationibus eius operum.

Sanguis Christi potus est animæ sitientis.

1. Cor. 10

Ex Libro locutionum Sacræ Scripturæ.

EX GENESI.

1 DEclarat modos quosdam loquendi remotiores, ex quibus eos deligam tantùm, vnde aliquid concionale erui possit. *Quod habent Latini codices plurimi; Nidos facies in arca, Græci habent; Nidos facies arcam: quod intelligitur, vt ipsa arca nidi essent*. Nota in arca, tanquam in nido humanum genus exclusum, vt pietate Dei cognita, & iustitia, tanquā duabus alis inde pennati euaderent. Sed quomodo nidus, si sepulchri, siue pheretri formam habuisse dicitur? an quia mors iustorum natalis est? quò spectat illud Iob: *In nidulo meo moriar, & sicut palma, siue phœnix multiplicabo dies*.

Cognitio linguarum necessaria interpreti.

Arca Noe quasi nidus humani generis.

Arias Montanus.

Iob. 29.

2 *Quod scriptum est de Rebecca: Virgo erat speciosa valde, virgo erat; vir non cognouerat eam; ista repetitio commendationem virginitatis insinuat*. Nota: bis virgo dicitur, fortasse, quia vera virginitas non tātùm corpore, sed anima constat. hinc apud Hebræos nōnisi in plurali virginitates dicuntur: immò hîc ter dicitur Rebecca Virgo, dum additur: *vir non cognouerat eam*. Sed quantò præclarior laus Deiparæ, quæ virgo fuit ante partum, in partu, & post partum? Et nota certè eadem penè huius verba: *Quoniam virum non cognosco*.

Gen. 15

Virginitas perfecta quæ sit.

3 *Currens puella nunciauit in domum matris suæ.)* quasi non esset ipsa & patris domus. Miratur, cur non potiùs patris domus dicatur? ego dicerem, quia vxoris est proprium domi habitare; vnde & Venus testudini insidens efficta est; & viro ciuilia administrante, vel bellica tractante foris, ipsam rei domesticæ operam dare oportet. hinc mulier illa ex Prouerb. *De nocte surrexit, deditque cibaria ancillis suis, &c.* Vide sedulitatem, & curam.

Mulieris est domi manere.

Prou. 31

4 *Dominus, cui placui ante ipsum,) &c.* quasi non sufficeret, cui placui; an poterit ei placere, nisi ante ipsum? Nota, & hoc miratur, cur addat, ante ipsum, si certum est Deum adesse? sed puto inculcari vehementer, & commendari præsentiam Dei tum in externo, tum in interno.

Dei præsentia cōmēdatur

5 *Hæc mulier est, quam parauit Dominus famulo suo Isaac.) quibus verbis satis euidēter, & expressum est, etiam mulieres appellatas locutione hebraica, quæ virgines essent*. Hoc refer contra hæreticos, qui Deiparam virginem negant, quòd Christus dixerit. *quid mihi, & tibi est mulier?* Sed apertiùs habetur in libro Numer. *Anima hominum à mulieribus, quæ non cognouerunt concubitum viri*.

Mulier etiā virgo dicitur in Scriptura.

Num. 31

6 *Si in-*

Gen. 30.

Viri boni consortium quāti emolumēti sit.

6 *Si inueni gratiam ante te, auguratus essem; benedixit enim me Deus in introitu tuo.) Dicendum fuit, si inuenissem gratiam. ordo est; si inueni gratiam ante te, permitte me augurari, ita enim dixit: Auguratus essem, tamquam diceret, ò si ego auguratus essem, idest ad bonum augurium te in domo mea haberem.* Vide quantum boni sit in cœtu Religiosorum viuere, vbi semper aliqui eminent virtute, ac propterea Dei benedictio communicatur.

Cur filio tribuitur ignis immissio in pentapolim.

7 *Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei.) Locutio est: an Deus in loco Dei sic accipiendum est, quomodo, pluit Dominus à Domino, filius à patre?* Nota de æqualitate Patris, ac Filii; ac simul nota filium fuisse, qui à Patre quasi fulmen accepit, vt igneis telis incestas vrbes opprimeret; ad eum enim maximè pertinebat, qui de Virgine carnem sumpturus esset, impudicos vlcisci.

In morte perit & decor, & conditio

Borgiæ cōuersio ex aspectu mortuæ Augustæ.

8 *Et surrexit Abraham à mortuo suo.) non dixit à mortua sua. & iterum de eadem; & sepeliam, inquit, mortuum meum.* Vide vt post mortem non modò decor omnis muliebris, quali Sara fuit prædita, euanescat, sed conditio ipsa muliebris; adeò mors omnia confundit. Hoc impulit Borgiam nostrum ad nouæ vitæ institutum, dum Imperatricem mortuam non distinguit, non agnoscit.

Prælatus prudēter & reuerenter de subditis disponat

9 *Quod habent latini codices: & oues, & boues fœtantur, Græci habent: fœtantur super me; quod ea significatione dictum est, vt intelligatur, super sollicitudinem, & curam meam; quomodo solemus loqui cum dicimus: super caput nostrum est aliquid, cuius maximam curam gerimus.* Est & hic mos apud Iapones, vt super caput se habere innuant aliquid quod magni æstimant. hinc collige, pastores Ecclesiasticos, & Superiores Religiosorum non minus super caput, quā super humeros habere debere oues sibi cō missas, vt scilicet rationabiliter, & cum respectu eas regāt; quid mirum? cùm de Deo Sapiens dicat: *Tu autem cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* *Sap. 12.*

Amor fratrum in sorores qualis esse debeat

10 *Notandum, quòd Emor loquens de Dina ad Iacob, & filios eius; filiam dicit vestram, non dicit filiam tuam, sororem istorū.* Rectè notat, nam sorores à fratribus ipsis tanquam filiæ habendæ, vt earum honestatis curam maximam habeant, nec doleant, si largè, modò iustè dotentur, nec inuideant.

Gen. 43.

Fratrum amor inter se quasi vnius.

11 *Et erat vniuscuiusque alligatura argenti in sacco eorum.) Nō dixit, in sacco eius, aut in saccis eorum, sed quasi vnius omnium saccus esset.* Nota conspirationem, quæ inter fratres esse debet, vt opum, & patrimonij cumulum ita partitum habeāt, vt vnus omnium videatur.

Gen. 46

Ecclesia ciuitas heroum.

S. Benedicti Religio ciuitas heroum.

12 *Iudam autem misit ante se ad Ioseph, vt veniret sibi obuiam iuxta heroum ciuitatem.) Nescio vtrùm heroum nomen facilè in scriptura reperiatur.* Vide quàm heroica res sit parentes honorare, nam sequitur; *Iuncto Ioseph curru suo, ascendit obuiam patri suo ad eundem locum, &c.* Vulgata habet in Gesse. Beda intelligit Ecclesiam triumphātem, quæ est verè *Ciuitas heroum* ob heroicas actiones Sanctorum. quanquam quoniam vsurpatur hæc vox à poetis, videtur indicare non esse familiarem hanc vocem sacræ Scripturæ. tamen iuxta hanc locutionem Religio S. Benedicti maximè, vnde tot Pontifices, & dynastæ prodierunt, quid nisi ciuitas heroum est?

Velox vitæ huius cursus.

13 *Pusilli, & maligni fuerunt dies annorum vitæ meæ.) Pusilli pro paucis positū est, neque enim vitæ alicuius, quàm cæterorum dies possunt esse horarum spatio breuiores.* tamen si pusilli vocem propriè interpretari velimus, dixerim, dies ipsos viginti quatuor horarum Iacob breuioribus horis visos excurrere, quia iustus volucrē, & momentaneam putat hanc vitam.

In morte turbātur etiā iusti.

14 *Quod scriptum est; Nunciatum est Ioseph, quia pater tuus turbatur.) aliqui codices habent, vexatur, aliqui æstuat. ideò autem turbatur accommodatius dici videtur, quia hoc dici solet de iis, qui afflictatione corporis morte appropinquante iactantur.* Vide vt etiam sanctissimus Patriarcha morte vicina turbetur. fortasse quia typus fuit Saluatoris, qui moriturus, *cœpit pauere, & tædere, & mœstus esse.* Ita verò æstuauit, vt funderet etiam sanguinem, vnde enim sudor, nisi ab æstu?

Ex Exodo.

Præmiū obstetricum quale fuerit.

1 QVid est, *quod dictum est de obstetricibus: & fecerunt sibi domos, quoniam timuerūt Deum?) nunquid antea non eas habuisse domos dicendum est? an ad diuitias hoc verbum pertinet, vel potiùs ad aliquas rei familiaris idoneas facultates? Sic ait Iacob socero suo; Nunc ergo quando faciam mihi domum; dixerat enim quòd creuerint pecora Laban sub illo.* Nota, hæ obstetrices masculos seruantes contra iussum Regis, exposuerunt se periculo vitæ, aut certè bonorum suorum: tamen Deus has potiùs auxit, & locupletauit. Discant igitur Catholici, non timere ab hæreticorū magistratibus iacturam bonorum, & proscriptionem. Gregorius refert ad mansiones cœlestis beatitudinis per Christum possidendas. potuit vtrumque haberi præmium & hic, & in alia vita.

2 *Mortuus est Rex Aegypti; dixit autem Dominus ad Mosen: vade, perge in Aegyptum.*

ptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.) Multa in his verbis genera locutionum notanda sunt. primò: *vade, perge in Aegyptum* tanquam non sufficeret tātùm, *vade*. deinde *mortui sunt omnes, qui quærebant animam tuam*: cū solum regem Aegypti scriptura dixerit mortuum. rectè vtrumque notat. puto autem dictum non solùm, vade, sed perge; ne Moses à tam magna, & periculosa legatione ad impium regem, deterreretur, & à tam magnis prodigijs faciendis. nihil igitur est tam arduū, quod aggredi alacriter non debeamus, si obedientia iubeat. deinde notandum, cum rex impius moritur, omnes item eius ministros malos pro mortuis haberi, quia mutatur status gubernandi. ceterùm aduerte Pharaonem Herodis fuisse typum expressum, nam eadem locutio per Angelum est facta Ioseph: *surge, etc. defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* & tamen de solo Herode mentio.

Rege mortuo etiā eius amici pro mortuis reputantur.

Obediētia prompta etiā in rebus arduis.

3 *Ecce ineloquens sum.*) ἄλογος dixit *Græcus, ecce ego gracili voce sum, et quomodo exaudiet me Pharao?* nota, mirum certè est, quod locuturus non publicè in foro, sed priuatim in regia cū vno Pharaone, excuset se de gracili voce, sed nimirū indicat, dū ipsorū scelera insectamur, grādi, ac sonora voce opus esse, & acrimoniæ plena, etiā apud dynastas, vt penetret corda, ac detonent minæ, vbi res postulat, sed prudēter.

4 *Ecce ego ferio omnes fines tuos ranis.*) *sic habet Grecus elegantissima locutione, vt ranæ ipsæ plaga intelligatur, qua feritur terra Aegypti.* Vide quid pro adamantino gladio ad feriendum acceperit Deus, turpes, & loquaces ranas, cum in Aegypto scientiis, & eloquentiæ in primis studerent, in opprobrium, scilicet, nam vt ait Origenes, ranæ sunt vani Poetæ, atq; obscœni. Addit: ***notandum, quod in domos, etc. cum dixisset, accusatiuum seruauit, in conspersis autem, et in clibanis ad ablatiuum se transtulit; vbi*** *mirum si non etiam sensus est, non locutio, vt in conspersionibus, et in clibanis exortas ranas forsitan velit intelligi, non extrinsecus irruisse.* nota maius prodigium in ipso prodigio, non solùm in domos, &c. irruperunt ranæ ex fluuio, sed in clibanis hoc est inter medias flammas sine humore exortæ repente sunt. denique notat illud. *Extendit Aaron manus, et eduxit ranas, et educta est rana, et operuit terram. repetitio à plurali ad singularem numerum traiecta est; nam sæpe plus accipitur cum dicitur v.g. illic est miles, quàm illic sunt milites.*

Vitia acriter insectanda.

Cur ranis Aegyptij vexati.

Mirum prodigium de ranis exortis in clibanis.

5 *Vt narretis filiis vestris, etc. quæcumque illusi Aegyptiis.*) *Notandum quemadmodum vocatur illusio, ne fortè ita sit dictum:* Draco *hic, quem finxisti ad illudendum ei. et illud in Iob. Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis eius.* vide vt in prodigiis tantæ potentiæ, hoc est tam grauibus, & insuetatis plagis, Deus ob facilitatē in operando quasi lusū fecerit. ita & veteres gētiles dixerunt, homines quasi pilas à Dijs iactari. vult etiam ab Angelis illudi, inter quos numera castos ob Angelicam vitam. certè Margarita virgo, & martyr diabolum sibi draconis specie obiectū. ita ludibrio habuit, vt etiam conculcarit.

Ps. 103.

Iob. 40.

Dæmones illuduntur ab Angelis.

6 *Et nemo vidit fratrem suum*). *Notandum fratrem hominis quemlibet hominem dici.* si hoc de Aegyptiis dicit, quid de Christianis dicendum? notabilis planè locutio: nempe ex vna matre Ecclesia sumus.

Quilibet homo pro fratre habendus.

7 *Erit clamor magnus per totam Aegyptū, &c. in filiis autem Israel non muttiet canis lingua sua ab homine vsq; ad pecus.*) *Elegantissima locutio est; per canem quippe extremum significanit vel hominum, vel pecorum; ita commendans quanta in Hebræis futura esset quies, Aegyptiis acerba orbitate clamantibus.* notent hoc qui sæculum relinquunt, quanta quies statim oboriatur. frustra igitur oblatrant, qui hunc exitum impediunt, & peiores, & impudentiores canibus Aegypti, quiescentibus, scilicet, nec Hebræis oblatrare ausis.

Impedientes ingressum religionis, & egressūe sæculo taxātur.

8 *Verbum autem graue referebant super Mosen.*) *Latinè, ad Mosen. illa sanè locutione ipsa etiam cura significatur, quia dictum est, super Mosen, velut onus ei significetur impositum. verbum autem graue dictū est pro quæstione graui.* vide vt prælatura non tam honos quàm onus sit, idq; graue. hinc Sauli regi Samuel in mensa animantis armum apponens ait. *de industria seruatum est tibi.*

Gubernatio onus est.

9 *Pertundet ei Dominus auriculā de subula, & seruiet ei in æternum.*) *Intelligitur hic in æternum dictum, cuius finis non est, aut certè aliquid hoc Sacramento significatur æternum.* Vide quàm peruersè agāt, qui sæculum repetunt. præterea. puto significari fortasse posse bonam voluntatem Deo seruientis, vt si liceret per totam æternitatem in humilitate ipsi seruire, vitam vel æternā offerret. nota & illud. *pertundet auriculam.* quod est non solùm perforare, sed perforādo frangere; vnde illud Columellæ: acuta testa vel lapide vngulam pertundere. significat igitur obedientiam cum magna mortificatione iunctam. refer hoc signum tanti amoris in Dominum suum Deum ad nostros tres martyres Iapones, quibus cruci affigendis ante abscissę sunt aures, cum ducti in illo ignominiæ dicto, sed verius, triumphali curru.

Perseuerantia in Dei seruitute cōmendatur.

Exod. 21

Obediētia mortificationem amat.

Tres martyres Iapones è Societate abscissis auriculis.

Ex Leuitico.

1 ET *emittet in manu hominis parati in eremum.*) *idest emittet in eremū in* Leu. 16.

in manu hominis ad hoc parati. De hirco emissario loquebatur; notandum est autem, quo modo dicat scriptura: In manu. Vide vt paratum hominem requirat, non casu accipiatur, qui hircum in eremum dimittat. qui enim peccatorem ad pœnitentiam, quæ per eremum intelligitur, hortatur, paratus virtute, & idoneus esse debet; non enim est cuiuscumque hoc munus arripere.

Non cuiusuis est peccatores ad pœnitētiam adducere.

Ex Deuteronomio.

1 E*Duxit vos de fornace ferrea ex Aegypto.) Fornacem ferream duram tribulationem intelligi voluit; sicut & illud de Ioseph. Ferrum pertransiit animā eius.* hinc collige tanquā aurū in ferrea fornace conflari in vas pulcherrimum eum, qui tribulatur. Et sicut Ioseph ferro necatus non est, ita & de viuæ Deiparæ summo dolore intellige illud: *& tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*: Puto autem ideo pertransisse, vt simul & nos Deiparæ adhærentes dolor de Christi passione pertingat, ac feriat.

Psal. 104

Tribulatio fornax ferrea.

2 *Attende tibi, nè dilatetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui.) notandum etiam in malum dici posse dilatationem cordis.* Nota de nimia relaxatione, vbi timor Dei non est, qui cōtrahat dissolutum cor. vbi autem dissolutio, ibi & Dei obliuio.

Deut. 6.

Dissolutio fert secum obliuionem Dei

3 *Filium eius non sumes filio tuo, &c. & irascetur indignatione Dominus in vos.) non ait irascar, sed tanquam de alio diceret.* Notabile est hoc, cùm Deus hic iussa det, vbi de vltione fit sermo, in tertia persona loquitur, quasi alienum sit vlcisci, aut remotum, ac proprium misereri.

Indignatio quasi aliena à Deo.

4 *Aperiens terra os suum, deglutiuit eos, & domos eorum, & tabernacula eorum.) quas alias in eremo haberent domos, nisi tabernacula? sed nimirum per domos intelligi voluit homines ad eas pertinentes, sicut dicitur, domus Iacob, & domus Assarici, idest Romani.* Vide, vt peccator & sibi noceat, & in suos etiam redundet pœna. hinc puto dici. *Flagellum inundans.* Vitandum igitur consortium improborum: adeò peccatum integras familias eradicat.

Improbus, & sibi nocet & proximo.

5 *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit in vobis hodie.) Cùm de iis operibus diceret, quæ per eremum facta sunt per quadraginta annos, tamen, hodie, dixit, idest hoc tempore, &c* sed iuxta vim vocis, vide, vt tot annorum cursus, ita labilis sit, & præterfluens, vt vnius diei referat angustias. vel quia Dei beneficia præterita tanquam præsentia eius diei præ oculis habenda sunt.

Mira tēporis breuitas.

Dei beneficia præterita quasi præsētia esse debent.

6 *Si ædificaueris domum nouam, facies coronam solario tuo, & non facies homicidium in domo tua.* ita legit, vbi vulgata: *facies murum tecti per circuitum.* Nota, quasi coronari vult domum, qua protegatur vita hominis, ne supernè aliquid decidat. sic corona dabatur tuenti ciuem. Vide quo se extēdat diuina prouidētia, & amor. quantò igitur maior cautela esse debet, ne qua animo inferatur offensio.

Corona est procuratio salutis aliorum.

7 *Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque.) Repetitio verbi locutionē notandā facit.* Vide vt in Dei præceptis etiā quod leue est, magnifaciendum sit, nec vlla cadat interpretatio relaxationis.

Dei præcepta vel minima magni facienda.

8 *Seruies inimicis tuis.) Græcus habet: λατρεύσεις. Solet autem hoc verbum in ea seruitute scriptura ponere, quæ debetur Deo; vnde idololatræ appellantur, qui ea seruitute idolis seruiunt. ergo inusitatè positum; quanquam possit etiam hunc sensum habere, quòd tam grauiter multa dixerit, vt inimicis suis nimium superbientibus, tanquam Diis deseruire cogatur.* Possumus hoc rectè referre ad superbiam dominorum, qui tanquam Dij à seruis coluntur, nec nisi flexis genibus sibi ministrari volunt ad fastum.

Dominorum fastus taxatur quasi colantur à seruis.

9 *Mollis, & tenera, in te valdè fascinauit oculo suo fratrem suum, & vxorem, &c.) Notandum quomodo dictum sit, fascinauit, pro inuidit.* Huc refer illud Prouerb. *Non cœnabis cū viro inuido. græcè habet βασκάνῳ: βάσκανος autem fascinus dicitur.* Vide, vt inuidus nō modò fascinare, sed fascinus ipse dicatur, oculo maleuolo intuens aliorum actiones; ideò nec cęnandum cum eo, ne dapes ipsas, & pocula quasi veneno, ac philtro illo inuidiæ inficiat: ideò puto, Christum remouisse à cœna Iudam: *quod facis, fac citiùs*: nempe inuidum, vt cum vnguento pretioso pedes Christi inungi vidit, & inuidit.

Inuidia fascinatio quædam est.

10 *Nonne hic ipse pater tuus possedit te, & fecit te, & creauit te?) Ordo seruandus est, priùs enim videtur dicere debuisse, creauit te, & fecit; deinde possedit te; quomodo enim intelligitur posse possideri qui non est?* Hoc ego referrem ad Dei bonitatem, qui huc dirigit opera sua, & hunc scopum habuit nos creando, vt ipsum *Deum* possideremus.

Cap. 32. Creati sumus, vt Deū possideamus

11 *Adorent eū oēs Angeli Dei) Alii codices habent. Oēs filii Dei: filios autem Dei dictos, qui Angeli sūt in cœlis, nō facilè in scripturis sanctis inuenitur.* Nota hoc nomē tam præclarum, pęnè soli homini reseruatum, qui humanam naturam, non Angelicam apprehendit. Sed obiici posset locus ille, Iob, *Et iubilarent omnes filii Dei*, idest Angeli, Augustinus certè non ait, nunquā, sed *non facilè in scripturis inueniri*: sæpius verò de hominibus iustis.

Filii Dei homines iusti potius, quā Angeli dicti.

Ex Libro Iosue.

Cap. 8. 1 *DEus loquens ad Iesum ait; Ecce dedi in manus tuas regem Gai, et terram ipsius, etc. & prędam pecorũ prædaberis tibi.)* *Pręcipuè notanda locutio est, non solùm, quia prædaberis tibi, dixit, tanquam vnius futura esset illa præda, cum omnium esset futura; sed hoc nouum est hìc, quia prædixit scriptura. Et dixit dominus ad Iesum, quem constat vnum hominem fuisse, &c.* Nota, cùm Iesus hic, idest Iosue, fuerit typus veri Iesu, idest Saluatoris nostri, rectè dici, *prædaberis tibi*, quia quicquid bonorum operum iusti quasi milites strenuè agũt, eius gratiæ opę fit, & ipsius est præda animarum, quas prędicatione conuertunt. hinc Paulus ait, *Qui triumphat nos in Christo*. huc & illud refero: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*: Pertinet hoc in primis ad Societatem Iesu, vt prædam animarum ad ipsum Iesum referamus, cui dictum est à Patre. *prædam prædaberis tibi*. Ideoque Ignatius illam non à suo, sed à Iesu nomine nuncupauit; & ad maiorem Dei gloriam omnia referri voluit.

Christi est quidquid in nobis est bonorũ operum.

2.Cor. 2.

Societas Iesu eius maiorem gloriam spectans.

2 *Extende manum tuam in Geso, quod est in manu tua contra ciuitatem.) Hoc Symmachus scutum appellasse perhibetur. Miror, si in Græca lingua hastam, vel lanceam Gallicanam intelligi L X X. noluerunt, qui posuerunt Geson; ea quippe dicuntur Gesa, quorum & Virgilius meminit, vbi ait de Gallis in scuto Aeneæ pictis; Alpina coruscant Gesa manu.* Nota de lancea, siue scuto, quod erexit Iosue, vt vinceret: vulgata habet, *leua clypeum*: vtrumque esse potuit, vt ex hasta, vel lancea penderet scutum. Refer hoc ad Christi lanceam, vel ad Crucem, quasi hastam, vnde Christus altè pendebat instar scuti, insigne victoriæ. Est cur Gallia glorietur, mysticum Crucis siue vexillum, siue trophæum, aut scutum patrio vocabulo appellari: hoc aduersarios fidei munita debellet.

Aen. 8.

Iosue clypeũ Geson dictũ Gallicano more.

3 *Exceptis pecoribus, & spolijs, quæ erant in ciuitate, prædati sunt filij Israel secundùm præceptum Domini.) Ita dictum est, exceptis pecoribus, & spolijs, prædati sũt, quasi ipsa non fuerint prædati, cùm potiùs ipsa prædati sint; & excepta ideo dicta sint, quia hæc illo prælio consumpta non sint.* Vide, vt quæ nostro vsui humano reseruata sunt, tanquam prædæ nomine indigna sint visa.

Vera pręda belli est, quæ offertur Deo.

4 *Per Dominum factum est, confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Israel, vt exterminarentur.) Notandum est, confortari cor, non semper in bono accipiendum.* rectè notat. vbi aduerte de discretione spirituum. potest enim accidere, vt quæ fortitudo videtur, sit temeritas.

Discretio spirituum necessaria.

Ex Libro Iudicum.

1 *ERat autem Eglon vir exilis valdè.) Hoc per antiphrasin dictum, idest locutione contraria, sequentia indicant; quando enim percussus est, dictum est, quòd concluserunt adipes vulnus, quia non eductus est gladius è ventre illius.* Addo, non sine mysterio, puto, pinguissimum Regem vocatum exilem, hoc est gracilem, macilentum: certè ostendere hoc videtur anxietatem, quæ inuenitur inter medias delicias etiam regias. Et meritò remansit in ventre gladius, qui ventris abdomini erat addictus. Cap. 3.

Eglon dicitur dictus exilis, si pinguissimus

2 *Sic pereant omnes inimici tui Domine; & diligentes eum, sicut ortus Solis in potentia eius;) non dixit diligentes te, cum vtique de Domino intelligi vellet.* Vide quid sit dilectio Dei, oriens quidam Sol, quanquam ita, vel in ortu ardens, vt *in potentia eius* fit velut meridies. patet hoc in ipsa conuersione peccatoris, vel religionis initio; statĩ enim & lux oboritur per cognitionẽ, & simul inardescit animus per amorẽ. talis fuit conuersio Ignatij nostri; hinc ille splẽdor ex eius vultu emanans, vt testatus est Philippus Nerius.

Sanctorũ conuersio cum feruore.

Ignatij nostri ardens cõuersio.

3 *Et conduxit in ipsis Abimelech viros, viros inanes, & perturbatos.) Inanes posuit pro leuibus, quibus sunt contrarij, vnde dicitur: In populo graui laudabo te.* Nota, quo differant diaboli sequaces, & Christi. vbi leuitas est, ibi perturbatio; patet in arundinetis, patet in nauibus, quæ cùm inanes sunt, facilè à ventis perturbantur. non igitur paruum malum est leuitas animi. de diabolo Iob ait; *Dormit ĩ secreto calami*: cur quasi certus de nostro dãno dormit, q̃ tam vigilans esse solet? quia inter leues calamos est, non timet, ne præda sibi eripiatur. in iustis nihil leue, omnia cum pondere fiunt; quod ad Religiosos maximè pertinet, apud quos nihil leue, nihil inconstans admittitur.

P sal. 44.

Vanitas & leuitas aliena à Christiano, maximè à Religioso.

Ex Libro de Fide, & Symbolo.

1 *ARguit malè interpretantes illud Apostoli. Caro, & sanguis regnũ Dei non possidebũt. quasi neget Sanctos vnà cum corpore futuros in Cęlo. Apostolus nõ carnis substantiam negat in regno Dei futuram, sed aut homines, qui secundùm carnem viuunt carnis, & sanguinis nomine nũcupauit; aut ipsam carnis corruptionem quę tunc vtique nulla erit; nam continuò subdit, neque corruptio incorruptionem possidebit.* Acutè hoc superadditum notat. & vide in in quo superadditum sit futurum decus, 1. Cor. 15

Etiã caro particeps beatitudinis.

ac vi-

ac vita, in eius contemptu, & mortificatione.

Cur secunda persona in Trinitate dicatur Verbum. Docet, cur secunda persona vocetur Verbum Dei. *Sicut verbis nostris id agimus, vt noster animus innotescat audienti, & quicquid secretum in corde gerimus: sic illa sapiētia, quam Deus pater genuit, quoniā per ipsā innotescit animus secretissimus patris, Verbū eius conuenientissimè nominatur.* egregiè dictum. admonet tamen hoc differre, quod verbum nostrum transiens est, & factū potius, quàm genitum &c. nota: nam & Homerus alata verba dixit, quia transeunt, & euanescunt at; Dei Verbum sempiternum, & fixum est.

Sap. 8. Exponit illud. *Dominus creauit me in principio uiarum suarum:) Viarum eius principium Christus est. hæc est via certa, qua peruenimus ad Deum: non enim redire possumus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus. huius humilitatis exemplū in se ipso demonstrare dignatus est.* vide quod sit iter ad gloriā. contrario modo, quo exulauimus, redimus in patriam. hinc est quod mundani ipsi, ac superbi in iudicio fatebuntur. *ergo errauimus à via ueritatis &c.* — Humilitas ducit vnde per superbiam lapsi. — Sap. 5.

Christus cur in cruce potissimū matrem declarauerit. De Deiparę vera maternitate sic. *Nec nos ad negandum Christi matrem cogit quod dixit, Quid mihi, & tibi est mulier? sed potius admonet, ut intelligamus, secundū Deum, eum non habuisse matrē, cuius maiestatis personam parabat ostendere, aquam in uinum uertendo: nondum, inquit, uenit hora mea, id est qua te cognoscam. tunc enim ut homo crucifixus cognouit hominem matrē, & dilectissimo discipulo humanissimè commendauit.* vide vt vel in nuptiali conuiuio Christus suæ mortis meminerit. nempe, & huic dicere potest Ecclesia: *sponsus sanguinum tu mihi es.* & nota vt horam suam appellet crucis tempus à se dilectū. tunc apertius ostendit matrem, cum redemptionis munus exercebat plenum pietatis. — Exod. 5.

Sepulchrum Christi cum vtero Deiparæ collatum. Confert Christi sepulchrum cum vtero Deiparæ. *Sicut in illo monumento nullus alius mortuus sepultus est, nec ante, nec postea; sic in illo utero uirginali nec ante, nec postea quicquam mortale conceptum est.* rectè, nam Christi corpus in sepulchro vnguentis delibutum est, & in vtero virginis Spiritu sancto, & diuinitatis chrismate. *Vnxit te, Deus, Deus tuus &c.* item Angeli in sepulchro resurrectionē annunciant, & Christi conceptus ab Angelo nunciatur. porrò si dicitur; *erit sepulchrum eius gloriosum.* quid dicendum de vtero matris? sanè, *gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* vtrinque etiam exijt sine læsione, & apertione. — Psal. 40.

Carnis resurrectio probatur. De corporum resurrectione sic. *Gentiles Philosophorum argumentis nobiscum agere solent, vt dicant, terrenum aliquid in cælo esse non posse; norint quod scriptum est: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: non quod corpus vertatur in spiritū, sed quod ita spiritui subditum sit, vt cælesti habitationi conueniat, omni fragilitate, & labe terrena in cælestem puritatem, & stabilitatem mutata, atque conuersa.* Vide quomodo corpus nostrum fiat cœlesti habitationi conueniens, & idoneum; per subiectionē scilicet spiritui, & puritatem, & perseuerātiam in bono, ad hanc status mutationem refert illud: *Omnes resurgemus sed non omnes immutabimur.* tum de Christi in cœlo statu sic. *Vbi, & quomodo sit in cælo corpus dominicum, curiosissimum, & superuacaneum est quærere; non est enim fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere, sed est fidei nostræ de dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere.* Vide quàm sublimiter Christus sit euectus in cęlum, vt omnis ingenii nostri acies prorsus hebescat. hinc cum quidam de eucharistico pane dubitarent, ait. *si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* quasi de re ineffabili, & maximè ad speciem miranda. — 1. Cor 15. — Christi ascensio ineffabilis. — Ioan. 6.

Trinitas expressa per fontem, fluuium, & potionē. In Trinitate affert exemplum fontis, fluuii, & potionis. aqua vbi vis dicitur, nec tamen tres aquæ. est tamen discrimen: *In his enim aqua, quæ in fonte est, exit in fluuiū, nec in se manet, & cum de fluuio vel fonte in potionem transit, non ibi permanet, vnde sumitur, &c.*

Corporis incorruptibilitas in resurrectione probatur. Carnis mutationem in perfectiorem statum sic probat; *Etiam philosophi has mutationes agnoscunt, licet per gradus vicinitatis, vt terrę in aquam, aquę in aërem, aëris in æthereum corpus. Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, vt terra in corpus æthereum conuertatur cur non accedente Dei voluntate, qua corpus humanum super aquas potuit ambulare, celerrimè id fieri posse in ictu oculi sine vllis aliquibus gradibus credit? sicut plerumque fumus in flammam mira celeritate conuertitur; caro enim nostra vtique ex terra est.* pulchrè hoc nota de fumo, qui statim arripit lucidam flammam: ita corpus vile repente in splendidissimum statū mutabitur, amore in Deū exardescēs. huc refer illud *Quæ est ista quæ ascendit, sicut virgula fumi ex aromatibus &c.?* — Cant.

Ex Enchiridio.

Nulla excusatio peccati est quasi natura sit mala. NAturas omnes ex se bonas esse dicit, *Quoniam naturarum omnium Conditor summè bonus est. sed quia illæ non sunt summè, & incōmutabiliter bonæ, vt est Conditor, ideò in eis, & minui bonum, & augeri potest: sed bonum minui, malum est, quamuis quantum cumq; minuatur, remaneat aliquid necesse sit, si adhuc natura est, vnde natura sit; & si corrumpi non desinet, nec bonum vtique habere desinet. omnis ergo natura bonum est; magnum si corrumpi non potest, paruum*

 si po-

si potest, acutè dictum. in quantum natura est, bona est; in quãtum vitio deficit, mala: non enim respectu eiusdem, & bona, & mala. vide igitur vt nulla sit excusatio in peccando, quasi naturæ malæ necessitate cogamur.

Felicitas primi hominis vmbratilis præ futura.

Primi hominis statum multò inferiorem esse ostendit eo, qui parabatur in cœlo. *Deus hominem in paradisi felicitate tanquam in vmbra vitæ, vnde iustitia custodita in meliora cõcederet, collocauit.* pulchre vocat vmbram vitæ, adeo illa vera præcellit quæ futura. aptèq; puto primos parentes in nemore illo positos sub vmbra viridantium arborum, vt intelligeret, non nisi vmbrã solùm illam esse felicitatem, ac proinde aspiraret ad cœlestem.

Originale peccatum tendit ad æternam damnationem.

De originali peccato sic. *Primus homo per peccatum exul effectus stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis, & damnationis obstrinxit. vt quicquid prolis ex illo, & simul damnata, per quam peccauerat, coniuge per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresq; diuersos ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vastatoribus, & possessoribus, & consortibus suis sine fine supplicium.* horrendũ est quod de peccato originali dicit, illud scilicet ad hoc tendere, vt hominem per varia peccata, quorum fons, & origo est, quasi laqueus trahat ad damnationem ęternã, à Dæmonibus possidendum. sic enim vocat: *desertores Angelos, vitiatores, & possessores.* vide igitur an hoc dici conueniat de Dei matre concepta, cui Ecclesia accommodat illa verba. *Dominus possedit me in initio uiarum suarum.* at si in originale peccatum incidit, dicẽdum esset tum restim fuisse eius collo reorum more impositam, *qua traheretur &c.* at potius dicitur: *collum tuum sicut monilia.*

Deipara concepta immunis a labe prima.

Prou 8.

Cant. 1.

Dei bonitas nõ cessat a conseruatione etiã post peccatũ

Ostendit, Deum etiam in punitione peccatorum non cessare à communi prouidentia ac beneficentia. *Non sanè desinente Creatoris bonitate, & malis Angelis subministrare vitam, viuacemq; potentiam, quę subministratio si auferatur, interibunt; & hominũ quamuis de propagine vitiata, damnataq; nascentium animare, & ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare: melius enim iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* egregiè de Dei tum sapientia, tum bonitate. & vide quàm necessaria sit hæc prouidentia in conseruando, vt sine ea res creatæ ad suum nihilum redigerentur, adeo vt sint, eius benignitate opus habent, qui ait. *ego sum qui sum.*

Lapsus Angelorũ resarcietur plenius p sãctos.

De homine Angelis sociãdo, sic: *Supplebit Deus per hominem quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erũt æquales Angelis Dei; itaq; superna illa Hierusalem mater nostra nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit.* nota per homines reparationem ex Christi sanguine non solũm supplendum defectum lapsorum Angelorum, sed fortalsè vberiorem numerum beatorum futurum, quàm si Angeli soli fuissent. magna prorsus dignitas, & solatiũ.

fortasse voerius per homines iustos.

Deipara immunis ab originali peccato

Peccatũ Originale auersio a lumine, & violatio imaginis Dei.

De peccato præsertim originali sic. *Humana natura sui in se creatoris imaginem ab eius lumine auersa uiolauit.* Vide quid sit originale peccatum. at quis dicat aut ab hoc lumine aliquando auersam fuisse, quæ eum peperit qui ait. *ego lux sum mundi.* aut violatam Dei imaginem in speculo sine macula?

Psal. 58. Gratia præueniens, & subsequens.

Explicat quid sit. *Misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me.*) *Deus nolentem præuenit, ut uelit; uolentem subsequitur, ne frustra uelit.* egregiè dictum de gratia; & ideò oramus prò inimicis non uolentibus piè uiuere, nempè ut Deus in illis operetur, ut uelint.

Ephes. 1. Cur infantes per baptismũ liberos a peccato Deus affligi permittat. Eccl. 40.

Item quid sit illud Apostoli. *In ipso instaurantur quæ in cœlis sunt, & quæ in terris.*) *cum scilicet quod lapsum est in Angelis, resarcitur, & prædestinati renouantur.* in hac autem vita vsque adeò valet illud Ecclesiast. *graue iugum super filios Adam &c.* hinc ipsi paruuli post baptismum malis affliguntur; *vt intelligamus totum quod peragitur sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad adeptionem præsentium pertinere.* nota cur paruulos licet innocentes, & ab originali peccato per baptismũ liberatos Deus affligi permittat: ne scilicet hãc vitã quasi magnũ aliquid existimemus.

Tota vita Christi pertinet ad imitationem nostram. Gal. 5. Coloss. 2.

De Christi imitatione sic. *Quicquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione, in ascensione, ità gestum est, vt non mysticè tantùm dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, quæ his geritur. nam propter eius crucem, dictum est: Carnem crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis; & propter sepulturam; Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum &c. propter resurrectionem: Vt quemadmodum Christus resurexit, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; propter Ascensionem: Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexterã Dei sedens.* egregiè ostendit omnia Christi gesta, etiã præclara pertinere ad imitationem, vt eum in nobis exprimeremus. *Vt sequamini vestigia eius.* vel cum in Caluariæ montem ascendit, vel cum in Cœlum.

Zach. 1. Ingenii exercitatio de iis quæ per tinẽt ad salutem animæ laudatur

Explicat illud Zacharię. *dixit Angelus, qui loquebatur in me:* (*Non ait, ad me*, quo indicant Angeli, se contrectabilia corpora non habere: tum soluit obiecta de Angelis, quomodo pedes sint loti, si sunt incorporei? *Cum ista quæruntur, & ea sicut potest quisq; coniectat; non inutiliter exercentur ingenia,*

genia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. magis opus est dignoscere, cum sè Satanas transfigurat in Angelum lucis, nè fallendo ad aliqua perniciosa deducat. nota quomodo disputandum sit in materiis Theologicis quàm modestè, &c. item eam scientiam præferri ceteris, quæ pertinet ad salutem animæ, quàm quæ ad solam ostentationem ingenii.

1 Cor. 3

Interpretatur illud Apostoli ad Corinthios; *Alios ædificare super Christum fundamentum aurum, & argentum, lapides pretiosos: alios autem ligna fænum, stipulam; vniuscuiusq; autem opus quale sit, igni probari.* si de hac vita intelligatur. *est quidem ignis, tentatio tribulationis, vt ait Ecclesiast. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Iste ignis si accidat in hac vita duobus fidelibus, vni cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est ædificanti aurum, &c. alteri cogitanti quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori &c. hoc est ædificanti ligna &c. illius opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur; huius autem opus exuritur, quia sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. sed quia hic dolor non subuertit stabile fundamentum, nàm potiùs his malim carere quàm Christo, ideò saluus est, sed quasi per ignem.* ità, & post hanc vitam accidere credibile est. *nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantò magis minusuè bona præsentia dilexerunt, tantò tardius citiusque saluari.* vide quantum discrimen. religiosus, qui tantùm cogitat quæ Dei sunt, & quomodo placeat Deo, comparatur ædificanti super Christum, qui etiam lapis pretiosus est, ædificiū ex auro, argēto, & lapidibus pretiosis, multò nobilius quàm fuit aurea illa Neronis domus, & Susis regia Persarum: vxoratus autē ædificanti ligna, stipulā &c. ignis pabulum. nam & Adam, qui primus vxori placere studuit, hanc super ædificauit ignis materiam, cuius testis est cinis ipse humanæ naturæ mortalis factæ. quod autē ait de altera vita. *Nonnullos per ignem purgatorium tantò tardius citiusue saluari, quantò magis minusue bona præsentia dilexerunt.* insignis hic locus de purgatorio est, vbi nota qui sint qui citius è purgatorio euolent, qui scilicet Mundum spreuerunt quales religiosi sunt. hi enim non ferunt secum stipulam, & similem materiam ignis pabulum.

Religio si ædificat aurum &c seculares lignum stipulam

In purgatorio minus morantur, qui mūdum spreuerunt.

Ait Dominicam orationem delere minima, & quotidiana peccatā; delere etiā grauia accedente pœnitentia, si ex corde dicitur. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c. nam, & ipsa elecmosina est, veniam petenti homini ignoscere.* addit etiam: qui corripit, vt emendet, eleemosinam dat: sed nullum magnificentius genus eleemosinæ dicit, quàm si inimicū etiam nō petentem veniam, immò tibi malū optantem, diligas, eique ignoscas, Christi pendentis è cruce memor.

Vis orationis dominicæ ad delenda peccata.

Inimicis ignoscere excellens est eleemosinæ genus

Coniungendam dicit cum eleemosina internam pietatem. Nemo existimet se Deum propitiare eleemosinis, nisi à vitiis abstineat. *Per eleemosinas de peccatis præteritis propitiandus est Deus non emenaus quodamodo, vt ea liceat impunè committere.* rectè notat: qui pecuniam per eleemosinam dādo, sperat sibi licere peccare, is quasi emere vult Deū, ac subornare, ut peccare liceat: quo quid indignius? ideò serio monet. *Qui vult eleemosinam ordinatè dare, à se ipso debet incipere, est enim illa opus misericordiæ, & verissimè dicit Ecclesiast. Miserere animæ tuæ placens Deo.*

Non minus animæ propriæ quā pauperi consulendum est.

Ecclesi. 30

De resurrectione sic pulchrè. *Sicut cū statua metallica igne liquescit, vel in puluerem redigitur, cum ab artifice restauratur, nihil interest vtrùm particula materiæ, quæ erat in capite, fit in alio mēbro: ita in resurrectione.* elegans similitudo de statua in resurrectione aurea. quæ in quoque nostrum conditori, & redemptori nostro dedicabitur: statuam ipso Deo conflante, quam afflando creauerat.

In resurrectione quasi aurea statua reformabimur.

Resurrectura Sanctorum corpora dicit sine vllo vitio, deformitate, onere, difficultate. *in quibus tanta felicitas resurgendi, quanta facilitas erit.* ratio lepida est, vt felicitas facilitati respondeat: alterum ad Dei pietatem, alterum ad potentiam pertinet.

Resurrectio nostra, apud Deū facilitatē, & felicitatē habet.

De paruulis hæc docet, mitissimam fore pœnam eorum, qui peccato originali nullum addiderunt. quoad staturam verò resurgentium, à Deo impletum iri ait. si erit in omnibus eadem statura, quod deest, subiūgit. *Si autem in corporibus resurgentiū rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum, quibus cantus impletur, hoc fiet vnicuique de materia corporis sui, quod & hominē reddat æqualem Angelicis cœtibus, & nihil inconueniens eorum ingerat sensibus.* Præclarè dictū, & pulchrè de harmonica corporū beatorum proportione, & quasi modulatione varia in vnum coeunte concentum in Dei laudem.

Harmonica proportio corporū beatorū.

De cognitione beatorum hæc habet: *Remanentibus Angelis, & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient plenius quid sibi contulerit Gratia; tunc rebus ipsis euidentibus apparebit illud psalmi: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, domine: quia nisi per indebitam misericordiam, nemo liberatur; & nisi per debitum iudicium, nemo damnatur.* tunc cognoscetur quid culpæ per iudicium deberetur, nisi misericordia subuenisset &c. Nota quod erit canticum præcipuum beatorum in resurrectione, cum viderint se ex mera Dei pietate saluatos, & liberatos ex debitis pœnis

Canticū in resurrectione à beatis concinēdum.

per

per indebitam misericordiam, hoc est gratuitam. pulchrè dictum. *tunc sancti scient plenius, quid sibi contulerit Gratia.*

Quantum quisque precibus indigeat, ostēdit. *Praeceperat Apostolus, ut oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat, Regibus, & iis, qui in sublimitate sunt; qui putari poterant fastu, & superbia seculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere, quippe Deus bonum iudicauit, vt orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium.* nota quantum humiles Deus amet, vt per eorum preces velit saluare sublimes. multū igitur religiosis principes, & dynastę debēt.

1. Tim. 2.

Sublimes egent oratione humiliū.

Libertatem in beatis potiùs perfici eleganter, & acutè demonstrat. *Sic oportebat prius hominem fieri, vt benè velle posset, & malè; nec gratis, si benè, nec impune, si malè: postea verò sic erit, vt male velle non possit, ac tunc multò liberius erit arbitrium; neque enim voluntas libera non erit, quia beati esse sic volemus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed neque vnquam prorsus velle possimus; sed ordo fuit, in quo Deus voluit ostendere quàm bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamuis sit melius quod peccare non possit: sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit in qua posset etiam mori, quamuis maior futura sit, in qua non possit mori.* acutè docet cur in beatis perfectius futurum sit liberum arbitrium, licet non possint appetere malū. acutè etiam, ac pulchrè ostendit quantò potior futura sit eorū immortalitas quā ī primo statu creationis.

Liberū arbitriū perfectiū in beatis licet nō possint esse mali.

Immortalitas beatorū potior quam in statu creationis.

De suffragiis mortuorum sic. *Sacrificia, & eleemosinæ eis prosunt, qui dum viuerent, vt fide sibi postea prodesse possent, meruerunt; est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt ista non requirat post mortem; nec tam malus, vt non prosint; est verò talis in bono, vt ista non requirat; & est talis in malo, vt his non adiuuetur.* notabile dictum, & præclarum: iis prodesse suffragia post mortem, qui bene viuendo meruerunt vt prodessent. tum nota aliquos ita esse bonos, vt purgatorium effugiant, ac proinde suffragiis non egeant; tales putandi sunt Christi Martyres, tales Sancti alii multi statim post mortem cum gloria visi.

Quibus prosint suffragia postmortem.

Aliqui sine purgatorio rectà in cœlum tendunt.

De iisdem suffragiis addit. *Sacrificia, & eleemosinæ pro defunctis valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis non adiumenta mortuorum, sed qualescumq; consolationes viuorum sunt; quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio; aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* nota per suffragia aut tolli omnino, aut relaxari pœnam in gratia defunctis: de damnatis verò ait: frustra quosdam leniùs interpretari sententiam de æterna pœna, ex illo Psalmi: *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas?) Non ait ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua. quæ si sola esset, quanta ibi minima cogitari potest, perire à regno Dei, exulare a ciuitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei; in se tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta comparari.* magnum pondus est in his verbis.

Suffragia aut tollūnt pœnam, aut minuunt piè defunctis.

Suffragia pro damnatis solatia tātū viuorum sunt.

Psal. 76.

Ex libro I. de Trinitate.

1 POnit triplex genus errantium circa Deum. Quidam de Deo secundum corpus sapiunt, vt cum candidū, vel rutilum putant; alii secundùm animam, vt qui nunc obliuiscentem, nunc recordantem fingunt, alii neutrum censent, tamen falsa sentiunt, quæ nec in creaturis, nec in creatore reperiri possunt: vt qui putant eius esse potentiæ Deum, vt se ipsum genuerit: hi plus errant. & scriptura quidem nobis se accommodans tàm à corporali, quàm à spiritali creatura similitudines sumit, vt cum ait. *In tegmine alarum tuarum protege me. & pœnitet me fecisse hominem) Rebus enim quæ in creatura inueniuntur, solet scriptura diuina velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmiorem ad quærenda superiora, & inferiora deserenda, pro suo modulo tanquam passibus moueretur affectus.* pulchrè agnoscit Dei pietatem, se nobis tanquàm paruulis attemperantis per similitudines rerum conditarum ad diuina nos traducendo. eleganter item ait, animum affectibus quasi passibus tendere ad id, quod amat; qui cum ad Deum tēdunt, tunc meritò laudentur; quò referre possumus laudē illā sponsæ. *Quàm pulchri sūt gressus tui in calceamentis, filia principis?*

Errores varii circa Dei naturā.

Similitudines diui norū tāquam infantilia oblectamēta sunt data.

Anima mouetur affectibus quasi passibus.

2 Ingenuitatem ostendit suam, dum paratum se dicit ad reuocanda, si quæ exciderint minus rectè prolata de Trinitate, *Quia nec periculosius alicubi erratur; nec laboriosius aliquod quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Vide quàm cautè in hoc maximè mysterio agendum. rectè tamen dicit, nihil vtilius, ac fructuosius hac materia; quia per veram de Trinitate notitiam hæresis conuincitur. Porrò hæc, quæ hic dicuntur ad auctoritatem doctrinæ cōcionatori conciliandam non parum conducunt.

De Trinitate tractatio periculosa, sed vtilis.

3 Aequalitatem diuinarum personarum probat. Si quādo, inquit, de vna persona fit mentio, non idcircò minor alia intelligitur, aut non simul operans, vt cum dicitur. *Qui solus habet immortalitatem*: de vno, ac solo Deo intellige, quod est ipsa Trinitas. *neque enim quia ipse filius alibi loquens voce sapientiæ ipse est enim Dei sapientia ait: Gyrum cœli circuiui sola, separauit à se patrem. sic cum dicitur. Qui facit mirabilia solus*: non de patre solùm intelligendum, nam dicitur: *Quæcumque pater facit, hæc eodem & filius facit. sic & Apostolus*

Eccl. 24.
Psal. 72.

Aequalitas personarum probatur
Ioan. 5.
Rom. 11.

lus ait; Ex ipso, ideſt ex patre. per ipſum, ideſt per filium; in ipſo, ideſt in Spiritu ſanćto. manifeſtum quod pater, & filius, & Spiritus ſanctus verus Deus eſt, quando ſingulariter intulit. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorũ. nam ſi de ſolo patre intelligendum eſſet, cur alibi diceretur: *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem facta ſunt omnia. & omnia per ipſum facta ſunt? æqualis eſt ergo patri filius, & inſeparabilis operatio eſt patris, & filij.* egregiè oſtendit, ideo tanquam de vno fieri ſermonem in ſcriptura, vt oſtendatur æqualitas perſonarum; & acutè in illis verbis Apoſtoli Trinitatē perſonarum agnoſcit. *Ex ipſo, per ipsũ, & in ipſo.* vnitatē verò naturę cũ ſubiungit. *ipſi gloria, &c.*

1.Cor.8.

4 Item æqualitatem Spiritus ſancti cũ alijs perſonis probat. *Propterea quod ei non vt creaturæ, ſed vt creatori ſeruire iubemur, eo ſcilicet modo, quo tantùm Deo ſeruitur, quod eſt græcè λατρεύειν.* hæc enim vox habetur in Deuter. cum dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis.* diſtinctius græcè, λατρεύσεις & ad Philipp. *Nos enim ſumus circumciſio, ſpiritui Deo ſeruientes, quod eſt in græco λατρεύοντες. licet in nonnullis exēplis latinis legatur, non ſpiritui Deo ſeruimus, ſed ſpiritu Deo ſeruimus. ſed nunquid & illud varium in codicibus reperiunt? Neſcitis quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus ſancti? & itē: Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Quia autem inſanius, magiſq. ſacrilegum eſt, quàm vt quiſquam dicere audeat, membra Chriſti templum eſſe creaturæ minoris ſecundùm ipſos, quàm Chriſtus eſt?* cui ergo corpus noſtrum templum exhibemus, neceſſe eſt ei ſeruitutem latriæ deberi, vndè conſequenter dicit: *Glorificate ergo, & portate Deum corpore veſtro.* eruditè arguit ex græca voce latriæ, qui cultus cum non niſi Dei ſit, tribuitur tamen Spiritui ſancto. item templi cultus ad Deum pertinet, & tamen noſtra corpora Spiritus ſancti templum dicuntur. vide igitur quàm ſint ſanctè, caſtèq: ſeruanda.

Phil. 3. — Deut. 6. — Spiritui ſancto debetur cultus latriæ. — 1. cor. 6.

5 Eos arguit, qui putabant humanam naturam à Verbo ſuſceptam commutandam in diuinitatem poſt diem iudicii, moti ex iis verbis Apoſtoli. *Cum autem ei omnia ſubiecta fuerint, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui illi ſubiecit omnia.* immò potiùs ideò dicitur ſubiectus, ne habitum Chriſti conuerſum iri putarent in diuinitatem cæterùm quia additur. *Cùm autem omnia ei ſubiecta fuerint.* intellige & Filium ſicut Patrem ſubiecta habere omnia, vt ad Philipp. ait. *Secundum operationem ſuam, qua poſſit ſubiicere ſibi omnia. inſeparabilis enim eſt operatio Patris, & Filii.* Addit quoſdam item erraſſe circa illa verba. *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri,* & mox. *Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis.* tanquam cum poſuerit, non regnaturus. nec intelligunt ita dictum, ſicut & illud. *Confirmatum eſt cor eius, donec deſpiciat inimicos ſuos.* non enim cum viderit, iam commouebitur. ſenſus ergo eſt, cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei clarè viſi, & euacuauerit omnem principatum, &c. *Vt neceſſaria non ſit diſpenſatio ſimilitudinum per Angelicos Principatus, & Poteſtates, &c. ex quarum perſona non inconuenienter intelligitur dici in Cantico ad Sponſam: Similitudines auri faciemus tibi, cum diſtinctionibus argenti, quoadvſq. Rex in recubitu ſuo eſt, ideſt quoadvſq. Chriſtus in ſecreto ſuo eſt. quia vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, tunc non videbitur per ſimilitudines, & ænigmata, ſed ſicuti eſt.* pulchrè, & eleganter interpretatur locum Cant. ſimilitudines, per quas nunc intelligimus diuina, eſſe tanquam ornamenta affabrè confecta, auro cælata, argentoq. diſtincta, quæ ad ſponſi amorem alliciant, donec ipſo in patria potiamur.

1.cor.15 — Error de humanitate Chriſti conuertenda in diuinitatem in die iudicij. — Pſ. 111. — Deum nunc intelligimus per ænigmata quaſi auri ſimilitudines. — Cant. 1.

6 Item Spiritum ſanctum æqualem oſtendit reliquis perſonis. Propter hanc vnitatem in Trinitate, *Aliquando ita loquimur de Spiritu ſancto, tanquam ſolus ipſe ſufficiat ad beatitudinem noſtram; & ideò totus ſufficit, quia ſeparari à Patre, & Filio non poteſt, ſicut Pater ſolus ſufficit, quia ſeparari à Filio, & Spiritu ſancto non poteſt; & Filius ſufficit ſolus, quia ſeparari à Patre, & Spiritu ſancto non poteſt.* egregia ratio, cur de ſingulis perſonis dicatur illud, *ſolus*, quia nimirum vnum natura ſunt. addit ideò dictum: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. quia oportebat, vt auferretur ab oculis forma ſerui, quam intuentes, hoc ſolùm putabant eſſe Chriſtum, quod videbant.* & ideò noluit à Magdalena tangi ante aſcenſionem. *Tactus enim tanquam finem facit notionis, ideòq. nolebat in eo eſſe finem intenti cordis.* acuta interpretratio, cur Chriſtus dixerit. *Noli me tangere:* ne in hoc tantùm totam beatitudinem poſitam putaret, quæ reſeruabatur in patria.

Cur dicatur in Scriptura ſolus Pater ſufficere, aut ſolus Filius. — Ioan.16. — Cur Chriſtus noluerit à Magdalena tãgi poſt reſurrectionẽ.

7 Aequalitatem probans, interpretratur loca Scripturę. Alia dicuntur de Chriſto ſecundùm formam Dei, alia ſecundùm formam ſerui. cùm ait. *Non eſt meum dare vobis.* intellexit de humana poteſtate, non de diuina, vt cum ait: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* & tamen alibi dicit de Patre. *Eſt qui quærat, et iudicet.* ſed intelligendũ eſt Patrẽ nõ iudicaturum, quia cũ Chriſtus in iudicio conſpiciendus ſit etiam à malis, nam *Vi-*

Io. 16. — Ioan. 5. & 8.

Zach. 12. *Videbunt in eum, quem pupugerunt, in forma filii hominis apparebit, quæ forma non est patris, sed filii; nec ea filii, in qua æqualis est patri, sed in qua minor est patre.* ideò sequitur: *Nolite mirari hoc.* cur mirabantur? nam potius debuisset dicere, potestatem ei datam, quia Filius Dei, non quia filius hominis; sed quia videndus sum à malis, vt filium hominis iudicare oportuit: acutè admirationis causam affert. item ait. *Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus.*

Matth 9. nempè is hominem tantùm putabat, solus autem Deus bonus, quem nemo videre potest, nisi ad bonum, ad salutem, ad delectationem, iuxta illud. *Vt contempler delectationem Domini.* at tu cum in forma hominis sistis. *Quid me interrogas de bono? si inter illos es, qui videbunt, in quem pupugerunt, & ipsa visio malum eis erit, quia pœnalis erit.* & hoc acutè interpretatur. solus Deus dicitur bonus, quia non nisi à bonis videtur ad bonum, & felicitatem. at ego, quem tu hominem tantum putas, in iudicio videbor etiam à malis ad malum, hoc est ad punitionem.

cur Christus noluerit dici bonus?

Psalm. 6.

Ex Libro II. de Trinitate.

1 QVàm ingenuus, & humilis in docendo fuerit sanctus Doctor, vel hinc patet. In dicendo, inquit. *Magis amabo inspici à rectis, quàm timebo morderi à peruersis. gratanter ergo suscipit osculum columbinum pulcherrima, & modestissima charitas. dentem autem caninum, vel euitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas; magisq. optabo à quolibet reprehendi, quàm siuè ab errante siuè ab adulante laudari; nullius enim reprehensor formidandus est amatori veritatis: etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus; si ergo inimicus insultat, ferendus est; amicus autem, si errat, docendus; si docet, audiendus; laudator verò, & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem; Emendabit ergo me iustus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* nota vt adulationem fugerit, & quàm paratus esset ab aliis corrigi tanti vir ingenii, atque doctrinæ. tamen pende pulchrè dictum de castitate, quæ excipit à bonis columbinum laudis osculum; & de humilitate, quæ quasi solida res, retundit calumniam improborum. eleganter dicitur. *Pulcherrima, & modestissima charitas.* cum magna enim modestia excipienda laus est, nec nisi ab ingenuis, qui columbæ veluti sunt; contra calumniatores canes sunt latrantes, & rabidi.

Calumniator rabido cani cõparatur.

Amator veritatis nõ timet correctorem.

Adulationis damnũ.

Charitas pulcherrima, & modestissima.

Psa. 140.

Laus ab ingenuo osculum columbinum.

2 Varias Dei apparitiones in veteri lege exponit, & cui personæ tribuendæ sint, declarat. inter cæteras illam, cum tres visi Abrahæ, & tamen dicitur. *Visus est ei dominus. cum verò tres visi sint, nec quisquam ita eis vel forma, vel ætate, vel potestate maior cæteris dictus sit, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis vnam, eandemq. substantiam?* nec potest dici Abraham agnouisse vnum tantùm ex ijs diuinum, nam duo alii à Loth etiam domini vocati: quippè Loth primò ait. *Diuertite domini, &c.* mox egressus è Sodoma ait. *Rogo domine, &c. an & bis intelligimus in singulari duas personas, cum autem iidem duo tanquam vnus compellãtur, vnius substantiæ vnum Deum? sed quas duas personas intelligemus, an Patris, & Filii? an Patris, & Spiritus sancti? an Filii, & Spiritus sancti? hoc fortasse congruentius, quod vltimum dixi; missos enim se dixerunt, quod de Filio, & Spiritu sancto dicimus; at Patrẽ missum, nunquam Scripturæ nobis notitia occurrit.* notabile mihi videtur quod apud Loth cum de punitione Pentapoleos agẽdum erat, duo tantum visi sint, non tres. adeo Trinitas ad misericordiam potius, & beatitudinem pertinet. Addit: In Sina autem monte, vbi lex data, & ignis ardens apparuit, & lampades, si coniectare licet. *Si vna ex Trinitate persona potest intelligi, cur non Spiritum sanctum potius intelligimus? quando & tabulis lapideis lex ipsa, quæ ibi data est, digito Dei scripta esse intelligitur, quo nomine Spiritum sanctum in Euangelio significari nouimus, & quinquaginta dies numerantur ab occisione agni, & à celebratione pascha, &c. & vtrobiq; ignis apparuit.* non tamen Deus ipse in propria substantia, vt quidam hæretici delirarunt, putantes Mosen vidisse Deum intra nebulam oculis corporeis, quia viderunt sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini; sed cur deinde ait Moses. *Ostende mihi maiestatem tuam. nouerat vtique quòd corporaliter videbat, & veram visionem Dei spiritaliter requirebat.* subiungit, in specula petræ posteriora Dei visa, Christi sumendam carnem significasse. *Siuè propter posterioritatem mortalitatis, posteriora dicta sunt, siuè quod eam prope finem sæculi, hoc est posterius percipere dignatus est; facies autem eius illa Dei forma, &c.* nos Christum in petra, idest in solido fidei fundamento, & in Ecclesia, vt in tutissima specula videmus. *In posterioribus eius agnouimus, quantum nos prior dilexerit* acutè, ac pulchrè interpretatur, cur Mosi Deus intra petram se videndum obtulerit? addit item acutè. *Non vult, nisi cum transierit, videri posteriora sua, vt in eius resurrectione credatur. Vndè & Ioan. dicit, ante festum pascha, &c. quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Abrahã tribus visis, vnũ adorat.

Gen. 18.

Cur duo tantùm apparuerunt Loth.

Exod. 19. & 20.

Cur Deus se obtulit videndũ Mosi intra petram.

Exo. 33.

trem. qui hoc non credunt, non vident in loco penes eum super petram. certè Petrus ipse, cum transiit Christus ad resurrectionem, solidior est factus.

Ex Libro I. de Trinitate.

1 NOn est omittendum id, quod in hoc arduo de Trinitate tractatu lectorem monet. *Si quid falsi conuiceris, errando fuerit meum, sed ia n cauendo, nec tuum sit, nec meum.* Vide quàm ingenuè agendum sit in docendo. ne tanquam ex cortina loqui te putes. potes errare. dicito potius. homo sum, nihil humani à me alienum puto.

Augustini ingenuitas in docẽdo.

2 Ad potentiam, vt vocant, obedientialem pertinent illa de miraculis. *Creatura deseruit creatori, & ad eius nutum mutatur.* miraculorũ autẽ genus esse multiplex dicit. affert Sapientiæ locum. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, &c.* & mox pulchrè. *In se enim elementa dum conuertuntur, sicut in organo, qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt.* mirum quod consonantiam vocat vim aliter, quàm natura ferebat, agendi; sed quia naturæ auctori parebant. Tum ostendit, Deum finem, & scopum omnium esse. sicut si quis laborans in opera misericordiæ ægrotaret, & in labore vteretur ministris eundẽ finem non habentibus, iumentis item, rebusq. inanimis, omnia dicerentur ad Deũ dirigi ob finem primi; ita de regente domum, vel vrbem, si ad Deum ordinaret regimen: sic Deus in Mundo tanquam in domo, vel templo suo creaturis vtitur, ac dirigit ad finem, vt primus motor, & causa est sua voluntas. *Nihil enim fit visibiliter, ac sensibiliter, quod non de interiore inuisibili, atq. intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, àut permittatur secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum, atq. pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaq; Republica.* pulchrè, & grauiter dictum; Mundus hic amplissima quædam Respublica est, gubernator Deus, qui omnia dirigit ad se ipsum, vtiq; summum finem, ac bonum, licèt peruersi sint dæmones, quibus ministris vtitur, licèt peruersa quædã nobis videantur, vt procellæ, serpentes, &c. sed hæc ab illo diriguntur ad bonum vniuersitatis ipsius; ita gubernator spectãs Reipublicæ bonũ, vtitur ministris ad hoc, licèt ex ipsis quidam non eum finem spectent, & licèt propugnacula, munitiones: &c. vt carent anima, capacia non sint eius finis. eandem Republicæ, & Dei gubernatoris imaginem proponit Aristoteles de Mundo, seu Philo.

Potentia obediẽtialis in creaturis.

Dei regimen circa Mundũ quasi rempublicam.

Nihil in Mundo nõ rectè ordinatũ à Deo.

3 Quærit, cur etiam *Magi* fecerunt prodigia? respondet, vel ad fallendos fallaces, vel ad admonẽdos fideles, ne tale quid facere pro magno optarent, quod etiam dæmones faciant; nec ideò putandum est, creaturas seruire dæmonibus, sed Deo, qui dedit potestatem; nec creare dicuntur serpentes, &c. nam in rebus naturalibus occulta sunt rerum semina. *Sicut nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinsecùs adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur; nec boni, nec mali Angeli creatores sunt, sed nouerunt semina occultiora, & temperationes elementorum.* pulchra est illa ratio, cur Deus permittat quædam fieri per dæmones, quæ habent quandam speciem miraculorum, ne scilicet ista admiranda, & appetenda putemus, cùm admiratio sit potius in virtute.

Cur Deus permittat fieri a dæmonibus quædã speciẽ miraculosa?

4 Deũ oĩa ad bonũ dirigentem agnoscit. *Iniqui malitia voluntatem habent iniustam, potestatem autem non nisi iustè accipiunt, siuè ad pœnam suam, siuè ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.* nota rationes, cur Deus sinat improbos potestatem exercere. in ipsis iniustitia est, in Deo iustitia ob diuersum finem.

Cur à Deo potestas improbis datur?

5 Eodem spectat quod subiungit. *Sicut matres grauidæ sunt fœtibus, sic ipse Mundus grauidus est causis nascentium, quæ ab illo non vocantur, nisi ab illa essentia, etc.* elegans similitudo parturientis naturæ, & Dei quasi obstetricis munere fungentis, iuxta illud Iob: *Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.*

Mundus quasi parturiẽs causis grauidus.

Iob. 26.

6 Pulchrè ostendit, nec dæmones nisi Dei nutu quicquam in natura posse. adhibere forinsecus accidentes causas secundum naturam, licet non naturales, & dæmones, & homines possunt. *Nec ideò putandum est eis ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam, sed à Deo hæc potestas datur; nam & damnatis iniquis etiam in metallis seruiunt aqua, & ignis, & terra, non vt faciant inde quod volunt, sed quantum sinitur.* eleganter dœmones dicit quasi ad latomias damnatos, ac nihil audẽtes absq; Dei nutu. non mirum igitur quod diabolus lapicida lapides obtulerit Christo in deserto: sed heu miser, huccine redactus es, de quo àntea dictum: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* addit; dæmones non dicendi sunt creasse serpentes, & ranas, *Omnium quippè rerum, quæ corporaliter, visibiliterq. gignuntur, occulta quædam semina in istis corporeis elementis latent.* sicut nec agricolę creatores sunt frugũ, & plantarũ.

Dæmones quasi ad metalla dãnati.

Dæmones tantum agunt, quantũ Deus permittit.

7 De Apium castitate sic. *Apes semina filiorum non coeundo concipiunt, sed tanquã sparsa per terras ore colligunt.* rectè igitur alibi iustorum conuentum tanquam alueare dicit. *Fragrent opera sanctarum apium.* mel autem quid est, nisi dulcedo castitatis?

Apium castitas.

Epist. 77

Ad

Serpētes absorpti a virga Mosis, pec catores in Christi corpus transeuntes per pœnitentiā.

Ad allegoriam refert serpentis historiā. *Virga in serpente est Christus in mortem, & serpens rursus in virgam, Christus in resurrectionē, totus cum corpore suo, idest Ecclesia, quod in finem erit, quem apprehensa serpentis cauda significat; serpentes autem Magorū tanquam mortui sæculi, nisi credentes in Christum tanquam deuorati in corpus eius intrauerunt, resurgere in illo non potuerunt.* Nota, à Magis verisimile est, pessimos, & maximè venenatos ex omnibus serpentes fuisse collectos opera dæmonum, vt vincerent; eos tamen mactatos, & deuoratos; & vt hos depasta virga tot mira effecit, ita peccatores quantumuis magnos, si se Christo obtulerint velut in cibum, in ipsius quasi substantiam transibunt, rerum admirabilium effectores.

Ex obedientia cognoscitur, an quis Deū timeat.

Quærit, cur scriptum est, *Dixit Dñs ad Mosē*, & nō potius dixit Angelus, si ab Angelo hæc administrata sunt? *Quia cùm præco pronunciat, non scribitur in gestis; ille præco dixit, sed ille iudex.* notēt hoc religiosi, nè sui Prælati personam humano more accipiant, sed potius astutùm obtemperent, quasi ad iussa Dei, cuius tenet locum. Deinde exponit illud. *Nunc cognoui, quia times Deum,) idest egi, vt per me cognosceres, quātas haberet vires cordis ad obediendū: per efficientem intelligitur, quod efficitur, vt dicitur pigrum frigus.* Vide, quod sit indicium, quòd Religiosus Deum timeat; si obediens Prælato sit, qui est Dei loco.

Ex Libro IV. de Trinitate.

Pietas prępon ēda est scientiæ.

DE sui cognitione hæc habet. *Scientiam terrestrium, cœlestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum; in quo profectò meliores qui huic scientiæ præponunt se ipsos; & laudabilior est animus, cui nota est infirmitas sua, quàm qui ea non respecta, scrutatur syderum vias, ignorans ipse, qua via ingrediatur ad salutem.* Notabile documentum; ne literas pietati præferamus. per hanc supra sydera extollimur, per illas superbiendo ad ima deprimimur.

Non gestiēdum de doctrina, sed flendum de peccati miseria.

Eòdem hæc spectant. *Qui verò iam euigilauit in Deum, Spiritus sancti calore excitatus, atq; in eius amore coram se viluit, ad eumq; intrare volens, nec valens, eoq; sibi lucente attendit in se, inuenitq; sè, & ægritudinem suam illius munditiæ contemperari non possè, flere habet, eumq; deprecari, vt misereatur, donec eruat totam miseriam. hunc ità agentem, & dolentem scientia non inflat; præposuit enim scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam magis, quàm scire mundi mœnia, fundamenta terrarum, fastigia cœlestium; & hanc apponendo scientiam apposuit dolorem, dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, & conditoris eius beati Dei sui.* Vide quàm nobilis scientia sit de vilitate propria, cum anteferatur cognitioni de sideribus, ac totius Mundi machina. & rectè monet non tàm de humana doctrina lætandum, quàm de humana miseria flendum.

Mira humilitas Augusti ni in petenda scientia a Deo.

Zelum suum humiliter ostendit in debellanda hęresi. *In hoc genere hominum, in familia Christi tui, Domine Deus meus, si inter pauperes tuos gemo, da mihi de pane tuo respondere hominibus, qui non esuriunt iustitiam; satiauit enim eos phantasma eorum, non veritas tua. sentio quàm multa phantasmata pariat cor humanum.* Elegans, & pia apostrophe ad Deum, qua se eius mendicum etiam in doctrina agnoscit. tum nota, cū loquitur de Manichęis, spectra quædam, & chimęras esse ostēdit hæreses. Addit: *Oro tè Deū meū, vt inde veniat in literas meas quicquid per mè venire potuerit, vnde mihi quamuis proiecto à facie oculorum tuorum, & de lōginquo redire conanti, per viam, quam strauit humanitati diuinitas vnigeniti tui, aura veritatis aspergitur.* Vide vt a Deo peti debeat scientia, quæ in eius gloriam tendat, nec chimæras huius sæculi mēs sequatur. hinc ait. Ecclesiasticus. *cor tuum phantasias patitur, &c.* Eccl. 34.

Dei immutabilis natura.

De Dei immutabilitate sic. *Omninò Dei essentia nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate, quia æterna ibi veritas, & vera æternitas, & vera charitas, & chara ęternitas.* eleganter dictum. quàm nos ab istis absumus, mutabilitati obnoxij, & tamen extollimur?

Pluuia voluntaria gratia est.

Explicat illud psalmi. *Pluuiam voluntariam segregabis &c.) pluuiam voluntariam, non nisi Gratiam uult intelligi, non meritis debitam, sed gratis datam, unde & Gratia nominatur. dedit enim eam non quia digni eramus, sed quia uoluit.* eleganter Gratia comparatur imbri de cœlo lapso, quo scilicet sitiens terra cordis nostri germinet in flores, & fructus bonorum operum. Psal. 67.

Simplum Christi congruit harmonicè duplo nostro. hoc est vnaeius mors duplici nostræ.

Pulchrè de Christi morte. *Mors peccatorum soluta est per mortem Christi, dum simplum eius congruit duplo nostro, quam conuenientiam, consonantiamque ἁρμονίαν uocant; per hanc enim uoces acutiores, grauioresque concordant. simplum igitur Christi duplo nostro congruit, & quodammodo cōcinit ad salutem. anima enim, & corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati: vtrique autem, & medicina, & resurrectione opus erat; resurrectio differtur in finem. duplæ igitur morti nostræ Saluator impendit simplam suam: neque enim peccator fuit: vna ergo mors Saluatoris duabus mortibus nostris saluti fuit; et vna resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit.* Vides harmoniam per Christi mortem ferramentorum malleis scilicet factam, & dupli, ac simpli correspondentiā acutè demonstratam. Rectè igitur Christus in Cru-

ce extensus citharæ cōparatur neruis extēsis. & ob huiusmodi harmoniam de ipso in Cruce fixo dictum puto apud Esaiam: *Figam illum paxillum, & suspendent super eum omnem gloriam domus Patris eius: vasorum diuersa genera, à vasis craterarum vsque ad vas musicorum.* item illud. *Exurge Psalterium, & Cithara.*

Esa. 22.

Psal. 65.

Sepulcrū Christi, & matern' vterus inter se collata.

De Christi incarnatione acutè illud aduertit. *Octauo Kalendas Aprilis Christus conceptus esse creditur, quo & passus; ita & monumento nouo, quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorum positus, nec antea, nec postea, congruit vterus Virginis, quo cōceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium; natus autem creditur octauo Kalendas Ianuarii, ab illo ergo die, vsque ad istum cōputati ducenti septuaginta, & sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies habent, quo numero annorum templum ædificatum est.* Templum autem Dominici corporis typus erat, vt ipse Saluator ostendit. vbi nota templum quadraginta, & sex annis ædificatum est, & Christi corpus formatum in vtero Virginis eo numero dierum, qui quadragies sexies continent numerum senarium; computatur quilibet senarius dierum pro anno. *nam in cursu anni, numerus senarius plurimum valet: totus enim dies, idest cum sua nocte, viginti quatuor sunt, quarum finis quarta, quæ est quadrans diei, sex horæ inueniuntur.*

Ioan. 2.

Ad Christi imitationem hoc pulchrè pertinet. *Omnia, quæ sacratè, & mysticè patribus nostris per Angelica miracula apparuerunt, sicut quæ per ipsos facta sunt, similitudines Christi fuerunt, vt omnis creatura factis quodammodo loqueretur vnum futurum, in quo esset salus vniuersorum: qui enim ab vno vero Deo dissonantes deflexeramus, discussi per mala, & inhærentes in multis, oportebat, vt imperio Dei miserantis ipsa multa venturum conclamarent vnum, & à multis exonerati veniermus ad vnum.* Nota illud, vetera similitudines fuisse incarnationis Christi, quo spectat illud. *Similitudines auri faciemus tibi, &c.* ex LXX. Item nota, cur Deus per tam multa significari voluerit suum aduentum, vt per ignem in monte, per cætera elementa, & mixta varia; nempè, vt quia multis creaturis inhærebat homo, ipsæ vnum Creatorem nobis significādo quodammodo clamarent, vt ab ipsis multis deduceretur ad vnum. acutè dictū.

Cur per tot similitudines in veteri testamento sit significatus Christus.

Cant. 1.

CurMundi creatio à luce in nocte desinat, restauratio cōtra

Illud item acutè notat pro Incarnatione Christi. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.) insinuat nobis quodammodo, quod à nocte dies sumat initium: sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum à luce in noctem, ita ista propter hominis reparationem à tenebris ad lucem computatur.* Acutè ostendit, cur in creatione Mundi primùm mentio fit lucis creatæ, deinde noctis; in resurrectione autem primùm noctis, deinde lucis: quia ex luce gratiæ in peccati noctem & hinc ad gratiæ lucem venit homo.

Causam affert arrogantiæ Diaboli circa nos: *Quia Diabolus non peruenerat quò ipse perduxerat, mortem enim carnis non subierat, quia nec indumentum susceperat, magnus homini videbatur princeps in legionibus Dæmonum, per quas fallaciarum regnum exercet.* Nota Diaboli superbiam, quòd non alteram etiam incidisset ipse in mortem, idest carnis, in quam nos adduxit per peccatum, prçter animæ mortem. rectè autem appellat eius dominium, *Fallaciarum Regnum.* Adeò nihil, nisi fraudes, & insidias machinatur, & ad hoc omnes sui regni vires exerit.

Vnde tāta diaboli arrogātia cōtra nos.

De Satanæ deceptionibus sic: *Diabolus per falsam philosophiam hominem inflans, aut per sacra sacrilega hominem irretiens, pollicens purgationem animæ per eas, quas teletas appellant, transfigurat se in Angelum lucis per multiformem machinationem in signis, & prodigijs mendax,* Sed vera purgatio non nisi per Christum. Nota inuidiam Diaboli. cōtra Christi Sacramenta varias superstitiones adinuenit, quibus expiari homines dicebat, cum potiùs impiè illis esse inquinarentur.

Diaboli inuidia Sacramētis superstitiosa piacula opponēdo.

Ad Satanæ quoque fraudes hæc spectant. *Facile est spiritibus nequissimis per aerea corpora facere multa, quæ alii mirentur; si enim corpora ipsa terrena nonnullis artibus, & exercitationibus modificata in spectaculis theatricis tanta miracula hominibus faciunt, vt vix credantur: quid magnum est Diabolo, & Angelis eius per aerem corpora facere quædam mira, aut ad illudendos hominum sensus phantasmata imaginum machinari: sed sicut vir iustus spectans, vel nequissimos homines, vel in fune ambulantes, &c. nec ea facere cœpit, nec eos icciircò sibi præponendos putat: sic anima fidelis, & pia non solùm si videat, sed etiam si ex fragilitate carnis exhorreat miracula Dæmonum, non ideo dolebit se hoc facere non posse, aut illos meliores iudicabit, cùm sint præsertim in societate Sanctorum per virtutem Dei, cui cuncta subiecta sunt, & minimè fallacia, ac multa iis maiora fecerint, siue homines, siue Angeli boni; non igitur per sacrilegas similitudines, & magicas consecratione animæ purgantur, & reconciliantur Deo. quia Diabolus falsus mediator non traiicit ad superiora, sed potiùs obsidet viam per affectus, qui non possunt pennas ad euolandum nutrire virtutum, sed potius ad demergendum pondera exaggerare vitiorum.* Nota pulchrè de vir-

Diaboli illusiones & magica miracula cauenda.

tutū pennis, quas impedit Satan, imposito onere vitiorū; de plumbi taleto habes apud Zachariam. tum nota quàm cauendæ sint dæmonum illusiones præsertim magicæ.

Dabolus per simplam mortem attulit duplicē Christus sustulit.

Et hoc acutè dictum. *Diabolus ad operandam duplam mortem nostram, simplam attulit suam*: nam solùm mortis spiritalis est capax: sicut Christus ad tollendum duplam mortem nostram simplam attulit suam, hoc est tantùm corporalem, quippe incapax spiritualis, cum sine peccato esset verāq; sustulit, & spiritalem mortē per gratiā, & corporalem per resurrectionem. his addit. *Mors spiritus est à Deo deseri, mors corporis spiritu; eaq; est pœna in morte corporis, vt spiritus, quia volens deseruit Deū, deserat corpus inuitus; deseruit Deum, quod voluit; deserit corpus, etiam si nolit.* Acutè ostendit, mortem corporis peccato debitam, vt quia deserit anima Deum peccando, per quem verè viuit, vel inuitò deserat corpus, quod per ipsam viuit.

Anima, quia deseruit Deū merito cogitur desere corpus in morte.

Cur Diabolus Christo mortem sit machinatus, ostēdit. Cum diabolus tentando Christum, mortem spiritus facere non potuisset, *conuertit sè ad faciendam mortem, quam potuit, & permissus est in illud quod ex nobis mortale acceperat, & ibi potuit aliquid facere, vbi ex omni parte deuictus est.* nota inuidiam, & odium Diaboli conantis in eo certè, quod potest, lædere, sed suo malo.

Diabolus victus per mortē Christi, per quā sperabat victoriā.

De victoria Diaboli per mortē Christi sic. *Diabolus hominem à se seductum, cui nimis ægro, & infirmo, tantò superbior quantò velut ditior, & fortior quasi pannoso, & aerumnoso dominabatur, in ipsa morte Christi carnis amisit.* Superbia Diaboli in eo posita, quòd in vnum tantùm mortis genus inciderat, cum non posset in alterum, vt incorporeus. & vide quàm fiat vilis peccator, qui *pannosus, & ærumnosus dicitur*, stola immortalitatis exutus.

Per peccatū pannosi, & ærumnosi reddimur.

Astutiam ostendit Satanæ, & inuidiā. Diabolus, persuadit superbis, irridere, & contemnere mortem Christi, faciens sè mediatorem, quasi per sua potius Sacra purgarentur homines. *Sed apud eum paucissimi remanserunt agnoscentibus gentibus, & pia humilitate bibentibus precium suum, eiusque fiducia deserentibus hostem suum.* Vide inuidiam Diaboli in Christi mortem, ac sanguinem, qui vt contemneretur, per suas teletas, persuasit, & magica quædam Sacra purgari animas; non per Christi sanguinem, & Sacramenta, & vide tum modum, quo pretium illud sanguinis sit excipiendum. *pie, & humiliter.* tum effectum, fiduciam concipiendo de hoste diabolo profligando.

Purgatio & expiatio fit per Christi sanguinem.

Inuidia Diaboli in sanguinē Christi.

Christi sanguis vt bibendus, & eius effecta.

Purgationem nostram non superstitione, sed Christi morte fieri rursus docet. Non alio melius sacrificio purgari possunt homines quàm Christi, qui non opus habet sua purgare peccata. *Quid tàm mūdū offerri poterat pro mundanis hominum vitijs, quàm sine vlla contagione caro nata ex vtero virginali? quid tam gratè offerri, & suscipi, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri? vt cum quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: idē vnus verusq; mediator vnum cum illo maneret, cui offerebat, vnum in sè faceret, pro quibus offerebat, vnus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat.* Nota quatuor, quæ in Eucharistico sacrificio spectantur; magnam enim suppeditant pietatis, et affectus materiam.

Eucharisticum sacrificiū vera expiatio pro peccatis.

Quatuor in Eucharistico sacrificio spectāda

Sapientes veteres sine fide negat inuenisse modum verè purgandi à labe animos, vt arroganter, & falso iactabant. *Hinc isti purgationem sibi virtute propria pollicentur, quia nonnulli eorum potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturam transmittere, & lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere, quod Christianos multos ex fide interim sola viuentes nondum potuisse derident. sed quid prodest superbienti, & ob hoc erubescenti, lignum conscendere, de longinquo prospicere patriam transma, nam? aut quid obest humili de tanto interuallo non eam videre in illo ligno ad eam venienti, quo dedignatur ille portari?* sed hi ea tantùm sciunt, quæ per historias, & aliorum scripta didicerunt: *æternis rationibus omnia temporalia fieri, quæ sint animaliū genera, &c.) nesciunt tamen quæ futura sunt, vt prophetæ.* Nota parum prodesse, immo obesse scientiam sine fide. illiteratus fidelis tanquam scapha vehitur in patriam, quam non videt; literatus gentilis ex alta specula eam prospicit, sed non ad eam fertur. quæ vtilitas?

Expedit illiteratū esse cum fide, quā literatū sine fide.

Ostendit qua ratione dæmones aliquid prædicere soleant. *Quædā futura prænoscuntur per experientiam, vel per acutum sensum, quod cum faciunt aeriæ Potestates, diuina re creduntur, tanquam si quisquam de montis vertice aliquem de longe videat venientem, & alijs nunciet; aut ab Angelis sanctis, quibus Deus indicat, prænunciantur hominibus, vel ab eis audita ad alios transmittuntur; aut ipsorum hominum quorūdam mentes in tantum euehuntur Spiritu sancto, vt non per Angelos, sed per se ipsos futurorū instantes causas ipsa summa virtutis arce conspiciunt; audiunt enim ista et aeriæ Potestates, siuè Angelis ea nunciantibus, siue hominibus, & tantum audiunt, quantum opus esse ille iudicat, cui subiecta sunt omnia; multa etiā prædicuntur quodam impulsu spiritu nescientiū, sicut Caiphas nesciuit quid dixit, sed vt Pontifex prophetauit.* pulchrè de iis, qui immediatè Spiritu sancto affiati futura prænunciant, & *in ipsa summa virtutis arce conspiciunt.* ex quo patet eminentia sanctitatis quasi

Quomodo futura, vel ab sētia prę uideantur.

Xauerij propheticus spiritus.

quanta fuerit in nonnullis sanctis prophetico hoc spiritu imbutis, vt cum Xauerius in concione in extasim raptus videbat acies inter se confligentes, & nostrorum victoriam; vt cæteras eius prædictiones omittam.

Docet fide potiùs nos niti debere, quàm Philosophorum doctrina. *De successionibus sæculorum, & de resurrectione mortuorum non sunt consulendi Philosophi, qui per effecta cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, quare nec digni habiti sunt, vt ei ista per sanctos Angelos nunciarentur, siuè forinsecus, siuè internis reuelationibus, sicut Patribus; Potestates autem aereæ fallaces, etsi quædam à sanctis Prophetis, vel Angelis audita per suos vates dixisse repériuntur, id egerunt, vt per hæc aliena vera etiam fideles Dei possent ad sua falsa traducere. Deus autem per nescientes id egit, vt veritas vndique resonaret, fidelibus in adiutorium, impiis in testimonium.* Nota de Gentilium oraculis, & de Orpheo, & alijs, qui de Christo inscij prædixerunt, & aliqua vera locuti. Sed erat illa diaboli fraus, vt his credentes, cætera quoque impia atque falsa crederent: adeò ille per omnia totus in dolo positus est.

Fraus dæmonum per oracula aliquando vera.

Per fidem euehi nos ait ad incommutabilem veritatem. *Purgari enim nonnisi per temporalia possumus, vt contemperemur æternis. dixit quidam illorum, qui apud Græcos sapientes habiti sunt; quantum ad id, quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. & profectò est vera sententia: quod autem nos temporale dicimus, hoc ille quod ortum est appellauit; in quantum igitur nos mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus; promittitur autem nobis vita æterna per veritatem, à cuius perspicacitate tantùm distat fides nostra, quantùm ab æternitate mortalitas; nunc ergo adhibemus fidem temporalibus pro nobis gestis, & per ipsam mundamur, vt cùm ad speciem venerimus, sicut succedit fidei veritas, ita mortalitati succedat æternitas.* Acutè, & pulchrè ostensa proportio in vtroque; fides mortalitati, veritas æternitati respondet.

Ad incarnationem hæc spectant. *Dictum est à Græcis: quantum ad id, quod ortum est æternitas valet, tantùm ad fidem veritas. ita ergo nos purgari oportebat, vt ille nobis fieret ortus, qui maneret æternus, nec alter esset nobis in fide, alter in veritate; nec ab eo quod orti sumus ad æterna transire possemus, nisi æterno per ortum nobis sociato ad æternitatem ipsius traijceremur.* Eleganter per antitheta rem explicat, ac per incarnationem nos purgari debere demonstrat. Est hic insignis locus de Christi temporali natiuitate ex Virgine, & sempiterna ex Patre, vt & nos à temporalibus ad æterna transferret.

Purgatio nostræ naturæ per Christi incarnatione & ortum

Docet, cur per varias creaturas Incarnatio olim significata sit. *Factum quippe creaturam, per quem facta est omnis creatura, omnem creaturam testem habere oportebat; nisi enim multis missis prædicaretur vnus, non multis dimissis teneretur vnus.* Eleganter dictum per annominationem, & per antithesim: nec minus quod sequitur. *Nisi talia fuissent testimonia, quæ paruis magna esse viderentur, non crederetur ille ita magnus, vt magnos faceret magnus, qui ad paruos missus est paruus.* Pulchrè hoc ad Christum infantem refertur.

Cur incarnatio figurata per varias creaturarum similitudines.

Mirum non esse ait, quòd missus sit Filius. *Non quia inæqualis est Patri, sed quia est manatio quædam claritatis Omnipotentis Dei sincera, & candor lucis æternæ, & ideo coæterna luce, de qua lux est. maluit autem dicere, candor lucis, quàm lux lucis; nè obscurior putaretur ista, quæ manat, quàm illa de qua manat; atque ita ostendit æqualem; quia ergo ex illa manat, non est maior, quia verò non minor, ideo candor illius. nec quia dicta est manatio claritatis Omnipotentis Dei, non & ipse Omnipotens, mox enim additur: & cum sit vna, omnia potest.* Pulchrè interpretatum de Filii æqualitate cum Patre. his addit. *Ab illo Filius mittitur, à quo manat: Emitte, inquit, illam de sanctis cœlis tuis, de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, idest doceat me laborare, ne laborem; labores eius virtutes sunt: sed aliter mittitur, vt sit cum homine, aliter vt ipsa sit homo.* Vel in animas sanctos mittitur, vt constituat amicos Dei, vel vt ipsum Verbum caro fiat. Nota quàm præclarum sit mysterium Incarnationis. Antea Deus cum homine versabatur, postea factus homo. Item nota, vt labor pro ipso susceptus ad quietem spectet.

Aequalitas Filij cum Patre.

Incarnationis ingens beneficium.

Ex Libro V. de Trinitate.

HOc mysterium nostro captu maius dicit. *Quo intellectu Deum capit, qui ipsum intellectum cum quo eum vult capere, nondum capit?*

Incomprehensibilitas Dei.

Immutabilem Dei substantiam ostēdit exemplo nummi, qui immutatus, tunc incipit dici nummus, cùm ei pretium datur. *Quantò faciliùs de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, vt ita dicatur relatiuè ad creaturam aliquod, vt quamuis temporaliter incipiat dici, non tamē ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, vt cum dicitur: Deus refugium nostrum: in nobis fit aliqua mutatio, qui ex deterioribus ita meliores efficimur, non autem in illo.*

Dei immutabilitas per nummū ostensa.

Ex Libro VI. de Trinitate.

Cur non plures, quā tres personæ diuinæ.

VLtra tres personas diuinas progrediēdū negat: *Non ampliùs, quàm tria sunt in Trinitate: vnus diligens eum, qui de illo est, & vnus diligens eum, de quo est, & ipsa dilectio, quæ si nihil est, quomodo Deus dilectio est?* Paucis pulchrè tres esse personas ostendit, & in eis sisti.

Cur Verbum diuinū dicatur imago.

Diuini Verbi præstantiam docet. *Hilarius in imagine speciem nominauit: credo propter pulchritudinem, vbi est tanta congruentia, & prima æqualitas nulla in re dissidens, & identidem respondens ei, cuius imago est. vbi est prima, & summa vita, cui nō est aliud viuere, & aliud esse, sed idem est esse, ac viuere, ac primus, summus intellectus; cui non est aliud viuere, & intelligere, sed id quod est intelligere, hoc viuere, hoc esse est, vnum omnia tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis, ac sapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno, cum quo vnum. ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipsam; & ideo cùm decedant, & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei; non enim hæc, quæ creata sunt, ideò sciuntur à Deo, quia facta sunt, ac non potiùs ideò facta sunt, vel mutabilia, quia immortaliter à Deo sciuntur.* Vide quàm grauiter, & granditer dictum sit de Dei Verbo. Acutè autem ostendit; cur nihil possit decrescere, vel accrescere scientiæ Dei. egregiè quoque demonstrat, cur Verbum imago dicatur.

Cur Dei scientia neque crescat, neque decrescat.

Spiritus sanctus Genitoris, genitiq. suauitas est.

De Spiritus sancti persona sic pulchrè. *Ille ineffabilis quidam complexus Patris, & Imaginis non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. illa ergo dilectio, delectatio; felicitas, vel beatitudo si tamen aliqua humana voce dignè dicitur, vs⁹ ab illo appellatus est breuiter, & est in Trinitate Spiritus sanctus non genitus, sed Genitoris, Genitique suauitas, ingeniti largitate, atque vbertate perfundēs omnes creaturas pro captu earum.* His subiungit. *In illa Trinitate summa origo est rerum omnium, & perfectissima pulcritudo, & beatissima delectatio. itaque tria illa, & ad inuicem determinari videntur, & in se infinita sunt.* Eleganter dicitur de Spiritu sancto: *ineffabilis quidam complexus Patris, & Imaginis*, idest Verbi: item *Genitoris, Genitique suauitas, &c.* Amor enim est, ac rectè dictum est, *Spiritus meus super mel dulcis.*

Eccl. 24.

Ex Libro VII. de Trinitate.

Christus propositus ad exemplū in omni statu.

CVr Christus venerit in Mundum docet. *Vt exemplum sursum videntibus Deum, deorsum mirantibus hominem; exemplum sanis ad permanendum, exēplum infirmis ad conualescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset.* Vides totam dispensationē Christi ad imitationem esse propositam, & hoc in quolibet statu, & conditione simus.

Trinitas personarum per tres aureas statuas dissimiliter expressa.

Trinitatem aurea similitudine explicat. *Quamuis in tribus statuis aureis rectè dicamus tres statuas, non tamen ita dicimus, vt genus aurum, species verò statuas intelligamus; nec sic ergo Trinitatem dicimus tres personas, vnam essentiam, & vnū Deum, tanquam ex vna materia tria quædam subsistant.* subiungit: *Sicut ex eodem auro si fierent tres statuæ, diceremus tres statuas, vnum aurum, nec tamen diceremus, genus aurum, species autem statuas, nec aurum speciem, statuas verò indiuidua; nulla quippe species indiuidua sua transgreditur, vt aliquid extra comprehendat, &c. tres autem personas ex eadem essentia non dicimus quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud, quod persona, sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere; aliud enim est illis esse aurum, aliud esse statuas. & in statuis quidem æqualibus plus auri est tres simul, quàm singulæ statuæ, & minus auri est vna quàm duæ; at in Deo non est ita; non enim maior essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul quàm solus Pater, &c.* Elegans, & verè aurea similitudo in Trinitate significāda de tribus statuis aureis ex eadem massa auri. & rectè in ipsa similitudine agnoscit dissimilitudinem, quia diuina omnem superant comparationem. adeò nullum ingenium tam peritus est artifex, vt Deum sciat effingere prout est.

1. Cor.

Cur Verbum imago Dei, homo verò & imago, & ad imaginē.

Explicat locum Geneseos. *Sunt qui ita distinguunt illud: Faciamus hominem ad imaginem, &c. vt imaginem velint esse filium, hominem verò non imaginem, sed ad imaginem. repellit autem eos Apostolus dicens. Vir nō debet velare caput, cùm sit imago, & gloria Dei. potiùs quia non omninò æqualis fiebat imago illa Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata: huius rei significandæ causa, ita imago est, vt ad imaginem sit, idest non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit.* Acutè docet, cur homo dicatur imago Dei, & ad imaginem Dei; Verbum verò diuinum tantùm imago Dei.

Ex Libro VIII. de Trinitate.

1 DEi naturam preclarè describit. *Deū si cogitare conemur, quātum finit, & donat, nullus cogitetur per locorum spatia contractus, aut complexus quasi trium corporum, nulla compago iuncturæ, sicut tricorporem Geryonem fabulæ ferunt, sed quidquid animo tale occurrerit, vt magis sit in tribus quam in singulis, minusque in vno quàm in duobus, sine vlla dubitatione respuatur.* in corporeis respuit omne corporeum, in spiritualibus omne mutabile. *non enim parua notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequam scire possimus quid sit Deus possimus iam scire quid non sit.* preclarè dictum de incomprehensibilitate Dei, quàm potius secludendo à creaturis, quàm in se ipso intelligas, vt non est cœlum &c. *nec si augeas imaginatione lucem solis quantum potes milli es, aut innumerabiliter, neque hoc est Deus.*

Deum potius intelligas excludendo a creatura quā in se ipso.

2 Deum super omnem imaginationem eminere docet. *Noli quærere quid sit veritas; Deus enim veritas est; statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem. ecce in ipso primo ictu, quo velut coruscatione perstringeris, relaberis in ista terrena, &c.* Vide quanta sit vanitas mentis, & inanitas humani ingenij: perspicax vocamus ingenium, & clarum, cum tamen illud offuscent *nubila phantasmatum.* aquilinam mentis aciem nos habere putamus, qui ad diuinæ naturæ fulgorem velut noctuæ hebescimus.

Omnis mentis acies hebescit ad contemplationē diuini fulgoris.

3 Ostendit non tàm curiosè Deum indagandum, quàm prè amandum; *Sic amandus est Deus, non vt hoc, & illud bonum, sed vt ipsum bonum. quærendum autem est bonum animæ, non cui superuolitet iudicando, sed cui hæreat amando. & quid hoc nisi Deus?* eleganter de volucri mente, quæ quasi prædam venatur intelligendo ut accipiter superuolitando minores aues. sed frustrà conatur assequi Deum curiosè scrutando qui non tenetur nisi piè amando. *Huc* pertinet quod sequitur. *Pudeat, cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, non amare Deum ipsum, vnde bona sunt.*

Mēs instar aquilę vel accipitris ad prędā

Deum non assequimur scrutādo sed amādo.

4 De bonitate Dei sic. *Non bonus animus, aut bonus Angelus, aut bonum Cœlum, sed bonum ipsum bonum; cum dicitur animus bonus, sunt duo verba, & ex eis duo intelligo, aliud quo animus est, aliud quo bonus est.* nam potest esse non bonus, si malè egerit. quippe *auertendo se animus à sūmo bono, amittit vt sit bonus, nō vt sit animus.* Deus verò bonū ipsū est. huc refero illud: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Vide quantum absit omnis creatura à perfectione diuinæ naturæ.

Bonum proprie est ipsi bonum essentialiter idest Deus.

Ex Libro IX. de Trinitate.

OStendit cur Spiritus nō dicatur genitus, mentis exēplo. *Quid de amore dicendum est? Cur non cùm se amat, ipsum quoque amorem sui genuisse videatur? erat enim amabilis sibi, & antequam se amaret, quia poterat se amare; cur itaque amando se non genuisse dicatur amorem sui, sicut cognoscendo se genuit notitiam sui? in eo quidem manifestè ostenditur, hoc amoris esse principium, vnde procedit, ab ipsa quoque mente procedit, quæ sibi est amabilis antequā amet, atque ita principium est amoris sui, quo se amat, sed ideò non rectè dicitur genitus ab ea sicut notitia sui, qua se nouit, quia notitia iam inuentum est, quod partum, vel repertum dicitur, quod sæpe præcedit inquisitio eo fine quietura; quæ autem reperiuntur, quasi pariuntur, vnde proli similia sunt: idem autem appetitus, quo inhiatur rei cognoscendæ fit amor cognitæ, dum tenet, atque complectitur placitam prolem, idest notitiam, gignentique coniungit.* Acutè, ac pulchrè rationē affert. cùm enim filius per patris notitiā, & intellectionē iam penè habeatur: reliquum est, vt Spiritus sanctus, qui amor est, quasi suauis quædam vtriusque complexio consequatur.

Aequalitas in tribus personis diuinis.

Trinitatis imago in nobis.

Cur Spiritus sanctus non dicatur genitus.

Spiritus sanctus quasi quidā amoris complexus

Trinitatis imaginem in nobis agnoscit. *Est quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quod est proles eius, ac de se ipsa verbum eius, & amor tertius, & hęc tria vnum, atque vna substantia; nec minor proles, dum tantam se nouit mens, quanta est; nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum nouit, & quanta est.* Acutè ostendit, cur in tribus eadem sit æqualitas.

Ex Libro X. de Trinitate.

QVærit, quomodo se mens amat, cum nondum nouerit, nec quisquam possit amare quod nescit. varias acutè indagat rationes: *Fortè ergo se nō amat, sed quod de se fingit hac longè fortasse aliud, nā ipsa est amat. An in ratione veritatis cernit, videt, quàm speciosum sit nosse se ipsam, & hic amat quod studet in se fieri? quia quāuis sibi nota non sit; notum tamen ei est, quàm bonum sit, vt sibi nota sit. & hoc quidem permutabile est, nondum se nosse, & quàm pulchrum sit se nosse iam, se nosse. An aliquem finem optimum, & beatitudinem suam videt, & credit ad eundem finem, nisi se ipsam cognouerit, peruenire non posse? ita dum illud amat, hoc quærit, & notum amat illud, prop-*

Quomodo se mens amet cùm se non norit,

ter quod quærit ignotum, &c. An cum nosse amat non se, quia nondum nouit, sed ipsum nosse amat? &c. Egregium planè problema & Augustini ingenio dignum circa mentis intelligentiam.

Quæ sit perfecta mētis cogitatio.

Docet, cur dicatur mens se quærere, se cognoscere, cùm in se sit? *Quia nec tota se mens quærit, nec pars eius vlla se quærit, se mens omninò non quærit; vt quid ergo ei præceptum est, vt se ipsam cognoscat? credo vt se ipsam cogitet, vt secundùm naturam suā viuat, idest, vt secundùm naturam suam ordinari appetat, sub eo scilicet, cui subdenda est; supra ea, quibus præponenda est; sub illo, à quo regi debet.* Aliud est non se nosse, aliud non se cogitasse; vide quæ sit perfectissima, & excellentissima planè cogitatio mentis, & animæ, cùm scilicet cogitat quid supra se sit, quid infra se: supra se Deum, à quo regatur, infra se passiones, quas regat.

Mens visibilium aspectu, & amore varie fallitur.

Ostendit, vnde tot ortæ sententiæ de anima. *Quia corpora sunt, quæ mens foris per sensus carnis adamauit, & quibus implicata est, imagines eorum conuoluit, & rapit factas in semetipsa de semetipsa; errat autem mens cum se ipsis imaginibus tanto amore coniungit, vt etiam se esse aliquid huiusmodi existimet.* Vide quàm facilè sit, mentem decipi per visibilia, vt propterea traducēda sit ad inuisibilia. Hinc illud Ecclesiast. *cor tuum phantasias patitur, &c.* Hinc animam fecerunt alij cor, alii cerebrum, alii sanguinem, alii ex atomis, alii ignem, alii nullam substantiam, sed temperationem corporis nostri, vel compagem primordiorum, quibus quasi caro connectitur, vt ommittam quod alij de quinto quodam corpore finxerunt. Vide in quot ineptias animam distraxerint, quos veræ, & vnius fidei vinculum non colligauit.

De animavariæ ineptæ, sentētiæ.

Mens & animus erraticus vt ad se ipsum reuertatur.

De animo à creatis rebus in se ipsum reuocando sic ait. *Cùm dicimus, mens se ipsam quærat, & inueniat, mirabilis quæstio est, quò vadat, aut quærat, aut quò veniat, vt inueniat; quid enim tam in mente, quàm mēs? sed quia in iis est, quæ cum amore cogitat, non valet sine imaginibus eorum esse in semetipsa; hinc ei oboritur erroris dedecus, dum rerum imagines secernere à se non potest, vt se solam videat; cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris; & hæc est eius immunditia. cum igitur ei præcipitur, vt seipsam, cognoscat, non sè, tanquam sibi detracta sit, quærat, sed id, q̄ sibi addit, detrahat, nā cū mēs sit interior quodāmodo exit à sè ipsa, cū hæc quasi vestigia multarū intētionū exerit amoris affectum cognoscat se ipsam nec quasi absentē se quærat, sed intentionem voluntatis, quæ per alia vagabatur, statuat in semet ipsa, & se cogitet.* Nota acutè, & eleganter dictum de sui cognitione. huc refer illud. *Inuenit cor suum Dauid quasi cor,* & mens volatilis, & erratica fertur per imagines rerum varias, & quærenda sit vt in se redeat.

Temporalibus vtimur, æternis fruimur.

Docet, in quo vitij notio, ac vis posita sit. *Non est alia vita vitiosa atq; culpabilis, quàm malè vtens, & malè fruens; fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsa propter sè, ipsam delectata conquiescit; vtimur autem eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum est.* Addit: *vti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, frui autem est vti cum gaudio non adhuc spei, sed iam rei; proinde omnis qui fruitur, vtitur, non contra.* acutè discrimen affert. & vide quanta mortalium insania: frui volumus, temporalibus, cum potius hæc ad vsum honestum sumenda sint, quæ referri debeant ad æterna, quorum est fruitio.

Indoles in puero quomodo dignoscatur.

De puerorum indole dignoscenda sic. *In his tribus memoria, intelligentia, & voluntate, inspici solet ingenium paruulorum; quantò quippe tenacius, & facilius puer meminit, quantòq; acutius intelligit, & studet ardentius, tantò est laudabilioris ingenii. cum autem de doctrina quæritur, non quanta firmitate, sed quid meminerit, vel intelligat, attenditur; & quia non tàm laudatur animus quàm doctus sit, sed quàm bonus, quid velit potius, ostenditur.* nota de puerili indole, & quid attendendum sit in ea, præcipuè sit. porro eadem indoles in rebus spiritalibus suo modo attendi potest in religioso tyrone. est autem præclarè dictum. *non tàm laudatur animus quàm doctus sit, sed quàm bonus. adeo virtus prapōderat doctrinæ.*

Bonitas antecellit doctrinę.

Ex Libro XI. de Trinitate.

Trinitatis vestigium quoddā in nobis est.

VEstigium in nobis Trinitatis acutè ostendit. *Cum aliquod corpus videmus, hæc tria consideranda sunt. primò ipsa res, quam videmus. deinde visio, quæ non erat priusquam rem illam obiectam sensui sentiremus. tertiò quod in ea re, quæ videtur, quandiu videtur, sensum detinet oculorum, idest animi intentio. cum autem horum trium tam diuersæ substantiæ sint, tamen in tantam coeunt vnitatem, vt duo propria, vix intercedente iudice ratione, discerni valeant. voluntas quippe tantam vim habet copulandi hæc duo, vt & sensum formandum admoneat, & rei quæ cernitur, & in ea formatum teneat; & nisi tàm violenta est, vt possit vocari amor, aut cupiditas, aut libido, etiam ceterum corpus animantis vehementer afficit, & vbi non resistit pigrior, duriorq; materia, in similem speciem coloremq; commutat. licet videre corpusculum chamæleontis ad colores, quos videt, facillima conuersione variari.* Acutè triadem quondam in ipso sensu corporis agnoscit; ac pulchrè ad vim voluntatis, siue intentionis indicādū vtitur exemplo

Imagines in animo impressæ quasi chamæleontis colores varij.

plo chamalæontis. deinde sic egregiè moret. *Sed anima rationalis deformiter viuit cum secundùm trinitatem exterioris homini viuit: idest cum ea, quæ exstrinsecus sensum corporis formant, non laudabilem voluntatem, qua hæc ad vtile aliquid referat, sed turpem cupiditatem, qua his inhæreścat, accommodat. quia etiam detracta specie corporis, qua corporaliter sentiebat, remanet in memoria similitudo eius, quò rursus voluntas conuertat aciem, vt inde formetur intrinsecus, sicut ex corpore obiecto sensibili sensus extrinsecus formabatur. atque ita fit illa trinitas ex memoria, & interna visione, & quæ vtrumque copulat, voluntate; quæ tria quia in vnum coguntur, ab ipso coactu cogitatio dicitur &c.* pulchrè adnotat. & uide vnde cogitatio nomen acceperit. Tum illud vrget de hoc Trinitatis vestigio per vitia deformato *Cũ autem in his sensibilibus volũtas relictis melioribus auida volutatur, immunda fit, atque ita, & cum adsunt, perniciosè, & cum absunt, perniciosius cogitantur. malè itaque viuitur, & deformiter secundùm trinitatẽ hominis exterioris; & quod aliud sumus nisi quod nos Apostolus facere prohibet, dicẽs: Nolite conformari huic sæculo? qua propter non est ista Trinitas imago Dei &c.* rectè in bonis tantùm agnoscit apud nos imaginem sanctæ Trinitatis. in malis autem potius imaginem sæculi, ac *M*undi, scilicet de quo tria quoque illa mala Iacobus enumerat. *Omne quod est in Mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* vide igitur quàm peruersè agamus, cum præclarũ vestigium, & imaginem augustæ Triadis nobis inditam uertimus in fœdũ uestigiũ, & imaginem Mundi.

Res visibiles male sensibus accæptũ deformant Dei imaginem in homine.

1 Ioan. 2

De societate bonorum, & malorum sic pulchrè. *Rectarum voluntatum connexio iter est quoddam ascendentium ad beatitudinem, quod certis veluti passibus agitur; prauarum autem voluntatum implicatio vinculum est, quo alligatur qui hoc agit, vt proiiciatur in tenebras exteriores. beati ergo qui factis, & moribus cantant canticum graduum; & uæ ijs, qui trahunt peccata tanquam restem longam.* facit primum pro religionis in vnum coactis ad Deo seruiendum, & ad veram beatitudinem tendentium per quosdam quasi passus, & gradus perfectionis; quod difficile in seculo fit, vbi Mundi negotia veluti vincula compedesq; progressum impediunt.

Matth. 8.

Esaia 5.

Religiosi expediti passibus ad beatitudinem progrediuntur.

Ex Lib. XII. de Trinitate.

CONtra tepiditatem, & desidiam hoc est. *Legimus in Ecclesiast. Qui modica spernit paulatim decidit. quomodo enim coluber non apertis passibus, sed squamarum minutißimis nisibus repit, sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat, & incipiẽs à peruerso appetitu similitudinis Dei peruenit ad similitudinem pecorum. inde est quod nudati stola prima pelliceas tunicas mortalitate meruerunt: homo, inquit, cum in honore esset, &c. honor enim hominis est similitudo Dei; dedecus similitudo pecoris.* Nota cur Deus hominem affectantem ipsius similitudinem induerit pelle pecuina, vt ostenderet ex quo honore ad quod dedecus reuolutus esset. simul attende negligentiæ, ac desidiæ damnum, vt leue peccatum ducat ad grauius, ac serpentis more subrepat. addit: *honor uerus est imago, & similitudo Dei, quæ non custoditur nisi per ipsum, à quo imprimitur.* vides quàm præclara sic hæc imago, & qua custodia egeat nempè ipsius Auctoris.

Negligẽtia ex leuibus delictis ad grauia ducens.

Psal. 49.

Pulchrè de sensu mentem alliciente disserit. *Sicut in illo coniugio primorum hominum non manducauit serpens de arbore vetita, sed tantùm persuasit manducare; mulier autem non mendicauit sola, sed viro suo dedit, & simul manducauerunt; ita in hoc occulto, secretoque coniugio sensualis animi motus, sensus corporis est, quasi serpens, qui legitur sapientior omnibus bestijs: in eis quippe naturalibus bonis, quæ nobis, & bestijs videmus esse communia, viuacitas quędam sensus excellit; cum intentione mentis sensus carnis ingerit illecebram, tunc velut serpẽs alloquitur fœminam.* Cùm autem in actionẽ prodire vult consensus, tunc quasi viro datur, rectè suggestionem serpenti obrepenti cõparat. & acutè innuit in quolibet peccato exprimi modũ primi peccati. subiũgit autem. *Est in mente vniuscuiusque hominis quoddam rationale coniugium, contemplationis, & actionis.* Elegans similitudo, ostendens contemplationis, & actionis nexum quasi genialem multorum bonorum prole fœcundum, qua in re laudandum in primis earum religionum institutum; quæ vtrumque coniungunt, & pariunt animas Domino, iuxta illud Pauli: *Per Euangeliũ ego vos genui.*

In quolibet peccato similitudo est primi

Contemplationis & actionis, quasi mysticũ coniugium.

Humanam omnem intelligentiam, diuinæ proponit. *Hæc est sapientiæ, & scientiæ distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarũ rerum cognitio intellectualis; ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis, & huic illam præponendam esse ambigit nemo.* Egregia distinctio inter sapientiã, & scientiã, & vide, quã præclara sit res sapientia, & quæ sic appellãda, *æternarũ rerũ cognitio intellectualis.* & rectè monet, *vt quicquid in vsu temporaliũ rationabiliter facimus, æternorũ adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhærentes.*

Sapiẽtia scientiæ præferẽda.

Vera sapientia est, æternarum rerum cognitio.

Trinitatis vmbram nobis agnoscit, & tripliciter. *Sicut Trinitas quædam est in sensibus corporis dum formatur acies oculorum, quam voluntas, vt visio fiat, adhibet*

Cogitatio per tria fit Trinitatem exprimens.

rei

rei visibili, & vtrumque iungit, etiam illic ipsa se admonens tertiam: ita in ijs, quæ per corporis sensus in animã imaginabiliter intrauerunt, intus corporis similitudines habemus impressas memoriæ, ex quibus cogitatio formatur, tertia voluntate vtrumque iungente. Hoc ipsum supra acute admodum adnotauit. ex quo collige, cùm cogitatio nostra Trinitatem quodammodo, hoc est à qua conditi sumus, exprimat, quàm æquum sit de ipsa semper cogitare, nec quicquam in mente habere quod illi displiceat.

Platonis opinio de reminiscẽtia taxatur.

Platonis reminiscentiam arguit. *Plato persuadere conatus est, vixisse hic animas, antequam ista corpora gererent, & hinc esse quod ea, quæ discuntur, reminiscuntur potiùs cognita, quàm cognoscuntur noua. retulit enim, puerum nescio quem de geometria interrogatum, sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ, &c. sed potiùs credẽdum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, vt rebus intelligibilibus naturali ordine disponente Conditore, subiuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculis carnis videt, quæ in hac corporea luce circumiacent; visus lucis capax, eique congruens est creatus; non enim ideo quia sine magistro discernit alba, est nigra, quia ista iam nouerat antequam in hac carne crearetur.* rectè, & acutè Platonem redarguit; ac pulchrè proportionem demonstrat inter aciem oculorum, & mensis: in quo mira sapientia creatoris patet dispositione in primis nostræ naturæ.

Proportio inter aciẽ mẽtis, & oculorum

Dei sapiẽtia in dispositione nostræ naturæ.

Pythagoræ opinio de transmigratione animarũ somniũ vigilãtiũ

Item Pythagoram arguit de transmigratione animarum: *Pythaguras aiebat sè recordatum nonnulla, cum alio fuisset in corpore;* quod si esset verum, multis, ac penè omnibus id contingeret, sed dicendum est, *Eas falsas fuisse memorias, quales plerumq; experimur in somnis, quando nobis videmur reminisci, quasi egerimus, aut viderimus, quod nec egimus omnino, nec vidimus; ac eo modo affectas esse illorum mentes etiam vigilantium, instinctu malignorum, atq; fallacium, quibus cura est de reuolutionibus animarum falsam opinionem ad decipiendos homines, vel firmare, vel tenere.* pulchrè somnia vigilantium Pythagoricas vocat nugas. ac vide quanta sit fidei nostræ certitudo quæ tanti Philosophi dogmata vana esse somnia ostenderit: ac propterea rectè in libris retractationum ipsum pænitet plus nimio laudasse.

Ex Libro XIII. de Trinitate.

COmmune omnium votum beatitudinem esse dicit; itemq; vnam fidelium in credendo voluntatem esse fidem credentium, sicut dicitur esse vna voluntas eadem volentium, licet non videatur quod latet in voluntate; sed tamen quædam sunt ab alijs volita, quæ putamus nos scire. *Hinc illa cuiusdam mimi facetissima prædicatur vrbanitas, qui cum sè promisisset in theatro, quid in añimo haberent, & quid vellent omnes, alijs ludis sè esse dicturum, atq; ad diem constitutum ingenti expectatione maior multitudo conflueret, suspensis, & silentibus omnibus dixisse fertur; Vili vultis emere, & carò vendere; in quo dicto leuissimi scenici omnes conscientias inuenerunt suas, atque admirabili fauore plauserunt.* sed contra, quia fieri potest, vt quis largitionis gratia emat frumenta carius, & vilius vendat suis ciuibus. ità & quod dicit Ennius, omnes mortales sè sè laudari exoptant; at sunt qui de suis erratis potius obiurgari velint, vt corrigãtur. *Sed si dixisset, Omnes, beati esse vultis miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod, nullus in sua non agnosceret voluntate.* Acutius certè doctor hic noster penitùs introspexit cuiusque votum. nemo est qui beatitudinem non expetat, & qui nolit esse non miser, sed fallimur in quærendo: huc spectant sequentia.

Beatitudinẽ nemo est qui non expetat nõ sic in aliis rebus.

Lepidũ dictum cuiusdã qui omnium voluntates nosse se dicebat.

Ostendit, vnde sint tam diuersæ sententiæ de vera beatitudine, cum vnus sit sensus, & vnum votum eam habendi. *Mirum est, cum capessendæ atq; retinendæ beatitudinis voluntas vna sit omnium, vnde tanta existat de ipsa beatitudine rursus varietates, atque diuersitas uoluntatum. quomodo igitur feruentissimè amant omnes quod non omnes sciunt? quis potest amare quod nescit?* subiungit acutè rationes varias quasi problematicè loquens. An quia sciunt quæ sit, licet non vbi sit, quasi de loco quæratur? an beatè viuere est, viuere vt velis, seu, secundum delectationem viuere? An *ut uelle quod non deceat, id ipsum, miserrimum est? nec tam miserum est non adipisci quod uelis, quàm adipisci uelle quod non oporteat.* ergo illa erit beata vita, in qua *uerè erit quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo uiuat quomodo uult; non enim uolet male uiuere in illa felicitate, aut uolet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit; quicquid amabitur, aderit, nec desiderabitur quod non aderit. omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit, atq; fruendum amantibus præsto erit; & quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit.* pulchrè declarat, in quo posita sit cœlestis beatitudo. quis est qui ad hæc non exardescat, ac toto affectu inhiet?

Vera beatitudo in quo consistat.

De perpetua beatorum fœlicitate sic. *Dixit Terentius; quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quòd possis; commodè hoc dictum. sed consilium datum est misero, ne esset miserior. beato autem nec uerè rectè dicitur, non potest fieri quod uis; cùm autem beati homines esse uolunt, profectò & imortales esse uolunt, de imortalitate interrogati omnes eam*

se uel-

Immortalitas commune omnium votum.

se velle respondent; vt enim homo beatè viuat, oportet vt viuat; fides autem totum hominem immortalem futurum ex anima, & corpore, non argumentatione humana, sed diuina auctoritate promittit. acutè ait, Terentii dictum commodè potius, quàm perfectè prolatum. perfecta enim beatitudo est vt quod bonum vis, assequare. immortalitatem omnes cupiunt: hæc in resurrectione perfectè habebitur, anima perenniter corpori iuncta: narrant Alexandrum Gymnosophistas interrogasse, ecquid à se postularent, illos respondisse: immortales esse vellemus; si potes id nobis largiri, da sin; minus, abito in rem tuam. itaque egregiè subiungit, ostendens vbi beatitas sit constituta. *Ille beate viuit, qui viuit vt vult nec aliquid male vult*. id non nisi in altera vita perfectè habetur; nunc fide, & spè tantùm beati sumus: nempe *Beatum faciunt auęres, bene velle, & possè quod velis*.

Beatum faciunt bene velle, & posse quod velis.

Acutè ostendit, cur Diabolum Deus vincere voluerit non tàm potentia, quàm iustitia ob Christum iniustè occisum. *Diabolus non potentia Dei, sed iustitia superandus fuit; nam quid omnipotente potentius? sed cum Diabolus sit factus amator potentiæ, & desertor, oppugnatorq; iustitiæ, sic enim, & eũ magis homines imitntur, dum neglecta, aut perosa iustitia potentiæ student, eiusq; vel adeptione lætantur, vel cupiditate inflammantur; placuit Deo, vt propter eruendum hominem de Diaboli potestate, non potentia Diabolus, sed iustitia vinceretur; atq; ità homines Christum imitantes, iustitia quærerent Diabolum vincere non potentia. ordo enim seruandus est, quo prior est iustitia quàm potentia; nam quanta potentia potest esse mortalium? teneant ergo mortales iustitiam, potentia immortalibus debetur, cui comparata quantalibet eorum hominum, qui potentes vocantur in terra, ridicula infirmitas inuenietur*. Vide vt omnis humana vis, & potestas, quę admiratione mundanos tenet attonitos, risu potius digna sit ob imbecillitatem. porrò ad propositam quæstionẽ refert illud Psal. *Beatus quem tu erudieris Domine &c. quoniam non repellet dominus plebem suam, quoad vsq; iustitia conuertatur in iudicium.) idest quousq; iustitia, quam nunc habet infirmitas piorum, conuertatur in iudicium, hoc est iudicandi accipiat potestatem, quod iustis in fine seruatur*. Pulchre, & acutè ostensum, cur *Deus* vsus non sit sua omnipotentia contra Diabolum, scilicet ne quasi armis eiusdem generis pugnasse videretur; ipsè enim potentiam affectauerat, iustitiam dereliquerat. item ut nos disceremus uirtute, & iustitia uincere, non quodam potentiæ fastu. Addit. *Optandum sanè est, vt potestas nunc detur, sed contra vitia; cetera verò, quæ bene vult, & tamen non potest, sicut est immortalitas, & vera, ac plena felicitas, desiderare non cesset, & patienter expectet*. egregiè ait, uirtutem seu iustitiam esse expetendam, potentiam uerò quatenus per Dei gratiam expugnare possit uitia, ex qua uictoria mercedem speret, & appetat beatitatis. deinde ostendit quæ sit iustitia, qua uictus est Diabolus. *qui cum in Christo nihil morte dignum inueniret, tamen occidit eum. poterat potentia uinci, sed postposuit quod potuit, vt prius ageret quod oportuit. ideò autem illum esse opus erat, & hominem, & Deum: nisi enim homo erat, non poterat occidi; nisi & Deus esset, non crederetur noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit; nec ab eo iustitiam potentiæ prælatam fuisse, sed ei defuisse potentiam putaremus*. nota cur oportebat Christum, & Deum esse, & hominem. *igitur vnum fecit moriendo, alterum resurgendo*. Addit: *Vicisset Diabolum potentia, etiam si ab illo non potuisset occidi quamuis maioris sit potentiæ, etiam ipsam mortem vincere resurgendo, quàm vitare viuendo*. egregiè hoc ostendit, cur de cruce descendere noluerit, quo potentiam indicasset; sed magis eam demonstrauit cum mortuus resurrexit.

Cur Deus nõ expugnari Diabolú potẽtia, sed iustitia.

Omnis humana potentia ridicula est.

Psal. 43. & 93.

Vera potẽtia est passiones & vitia expugnare.

Cur Deus ad expugnã dũ Diabolũ hominis naturam suscepit.

Magis apparuit Christi potentia appetendo mortem quã si vitasset.

Exponit locum illum Pauli. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, &c.) In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo pretio accepto Diabolus non ditatus, sed ligatus est, vt nos ab eius manibus solueremur; nec quemquam secum traheret peccatorem retibus inuolutum ad sempiterna mortis exitium*. pulchrè pretio sanguinis Christi Diabolum non ditatum, sed ligatum dicit; sanguis enim ille in funiculo coccineo Rahab expressus est: sanguis igitur Christi vinculum Diabolo est ad cohibitionem, nobis ad dilectionem. tum nota, cum hamum ille voluptatis tendit, Christi recogitandam passionem.

Ephes. 1

Sanguis Christi vinculũ Diaboli.

De bono mortis, & patientia sic. *Quamuis ipsa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus eius vsus gloriosissimos Martyres fecit; ideò & ipsa mors, & alij dolores, & labores, etiam remissis peccatis, remanere debuerant, cum quibus homo pro veritate certaret, & vnde exerceretur virtus fidelium, vt inter mala huius seculi nouo seculo præpararetur per tolerantiam*. beatitudinem sine fine habiturus. nota cur per Christi passionem non sablata mors corporis, non dolores, &c. in primis ob gloriam Martyrum id factum dicit: noluit tollere materiam tot coronarum.

Etiam remisso peccato mors, & dolores relicti ad martyrũ gloriam.

Ad Christi victoriam hoc pertinet. *Diabolus à dominatu, & à cordibus fidelium foras missus, in quibus licet damnatus ipse regnabat, aduersari tamen nunc sinitur, quantum expedire Deus nouit*. Nota, vbi regni solium posuerat Diabolus, in corde scilicet homi-

Cor peccatoris solium Diaboli.

hominis, vnde per Christi passionem expulsus, tamen ad vtilitatem nostram bellum mouet; sed nunc cor fidelis thronus est Christi.

Tres causas, cur Deus tentationes, & aduersitates mittit.

Cur tentari permittamur, ostendit. *Prosunt ista mala, quæ fideles piè perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad exercendā probandamq; iustitiam, vel ad demonstrandā huius vitæ miseriam, vt illa, vbi beatitudo vera erit, & desideretur ardentius, & instantius inquiratur.* nota Dei industriam circa nostram salutē, & quàm æquo animo aduersa ferenda sint; & pondera tres horum causā.

Quærit, cur Deus cū sapientissimus sit, per incarnationem maximè voluerit hominem saluare, ac prætermissis innumerabilibus aliis modis, quibus poterat, vt omnipotens, nos liberare; hunc maximè elegerit. *Nēpè quo nec de diuinitate aliquid imminutum est, aut mutatum, & de humanitate suscepta tantum beneficij collatum est hominibus, vt mors temporalis à Dei filio sempiterno, eodemq; hominis filio redderetur, qua nos ab æterna morte debita liberaret.* Vide Dei sapientiam in incarnationis mysterio, nam ita, & nihil ipsi de diuinitate detractum, & nobis mirum decus accessit, & vtilitas per eius mortem immortalitate donatis.

Cur Deus cum posset alijs modis nos saluare per incarnationem, & passionem id egerit.

De Diabolo per Christum victo sic. *Peccata nostra diabolus tenebat, & per illa nos meritò figebat in morte: dimisit & ille qui sua non habebat, & ab illo immeritò est perductus ad mortem.* Nota, per peccata quasi clauis nos à diabolo in morte figi tenaciter, quamobrem Dei filius confixus est clauis, vt eius morti configurati, vt ait Paulus: *Christo confixus sum cruci:* figeremur in vita, iuxta illud: *Erit vita tua pendens ante te. et ego sum via, veritas, et vita.*

Diabolus per peccata nos figit in morte

Deut. 28

De vi sanguinis Christi sic. *Tantum valuit sanguis ille, vt neminem Christo indutū in æterna morte debita retineret, qui Christum morte indebita, vel ad tempus, occidit.* eleganter opponit mortem Christi, & indebitam & temporalem, nostræ & debitæ, & æternæ. sed rectè admonet, vt immortalitatis stola induamur, Christum induere oportere.

Christi mortui sanguine nos immortales facti.

Ostendit, cur Deus homò factus sit. *Per Adam peccatum tanquam hęreditarijs malis posteri obligati sunt; pertinebat ad iustitiam bonitatemque Creatoris, vt per eandem creaturam rationalem superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat.* nota cur non potius Angelicam naturam sumpserit. & vide quàm infausta hęreditas sit nobis relicta, nempe qua spoliati omnibus bonis, & depauperati sumus.

Peccatū originale hæreditarium malum.

Cur Deus per humanitatem sumptā nos saluarit.

Christum cæteris Sanctis præfert. *Qui victus est homo, tantùm homo erat, & ideò victus, quia superbè Deus esse cupiebat; qui autem vicit, & homo erat, & Deus, & ideò sic vicit natus ex virgine, quia Deus humiliter, non quomodo alios Sanctos regebat illum hominem, sed gerebat.* nota modum loquendi diuersum de hominibus sanctis, & Christi proprium. pulchrè distinguit, hominem regere, & gerere. egregiè item opponit Adamo Christum.

Differentia inter Christū, & alios Sanctos.

Ex Libro XIV. de Trinitate.

Docet imaginem Dei in homine per peccatum non deleri, sed fœdari, quia nunquam desinit rationalis, & intellectualis esse anima humana, ac per hoc ad imaginem Dei, siue obscura sit, obsoleta, deformis, siuè pulchra. *Deformitatē dignitatis eius miserans scriptura diuina ait: Quāquam in imagine Dei ambulat homo, tamen uanè conturbatur; thesaurizat, &c. quanquā enim magna natura sit, tamen uitiari potuit, quia summa nō est: tamen quia summæ naturæ capax est, & esse particeps potest, magna natura est.* Vide, vt Imago Dei in nobis per animi perturbationes decoloretur, & per ipsam auri cupiditatem, cum sit verè aurea, deturpetur. acutè autem notat, cur Deus solus impeccabilis sit.

Imago Dei in nobis perturbatur, & cupiditatibus deformatur

Cur Deus solus sit impeccabilis natura.

De hominis mente sic pulchrè. *Tanta est uis cogitationis, ut nec ipsa mens quodammodo se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat. quid autem dicendum de infantis mente? an etiam ipsa se nosse credenda est? sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tantò maiore, quantò nouiore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest. quanta porrò intentione in ista, quæ foris sunt, sensibilia feratur, vel hinc solùm coniici potest, quod lucis huius usura hauriendа sic auida est, ut si quisquam minus cautus, aut nesciens quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit, vbi iacet infans in ea parte, ad quam iacentis oculi possunt retorqueri, nec ceruix possit inflecti, sic eius inde non remouentur aspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri nouerimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris, & mollibus consuetudo quodammodo infixit.* ita paruulorum animæ in alijs sensibus occupantur. *Vt quicquid per carnem offendit, aut allicit, hoc solum abhorreant vehementer, aut appetant; sua verò interiora non congnoscant, nec possint admoneri, vt hoc faciāt, quia nō dū admonētis signa nouerunt.* nota de appetitu lucis in paruulis, ideo καλὶς lux dicta: idest bona, pulchra, à verbo καλέω voco, quod res pulchra, & bona ad se quodāmodo trahat. referri potest ad quorundam Sāctorum, vel ab infantia pietatē, vt Nicolai, Thomæ Aquinatis, &c. qui multò nobilioris lucis fulgore delectati, non strabi, sed lyncei in spiritalibus euaserunt. contra verò mundani visibilem hunc rerum humanarum fulgorem fixo obtutu semper

Infantes quā auidi intuendæ lucis.

Nicolai, & Thomę Aquinatis infantia laudabilis.

per admirantes deprauat oculos.

Miram vim cogitationis ostendit. *Tanta est cogitationis vis, vt nec ipsa mens, qua cogitatur quicquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo, nisi seipsam cogitando.* admirari licet vel in hoc conditoris, & sapientiam, & potentiam, qui animum tanta vi præditum cum mortali corpore coniunxit; atque vtinam mens se ipsam cogitando, tenderet in auctorem.

Mentis humanæ uis mira

Trinitatis imaginem demonstrat in nobis. *Mens quando cogitatione se conspicit, intelligit sè, & recognoscit; gignit ergo intellectum hinc, & cogitationem suam; hæc autem duo, gignens, & genitum, dilectione tertia copulantur, quæ nihil est aliud quàm voluntas fruendum aliquod appetens, vel tenens; ideòq; etiam illis tribus nominibus insinuandam mentis dicimus, Trinitatem memoria, intelligentia, voluntate* sed præclare addit: *Hæc Trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se; sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare, à quo facta est.* Vide vt tota mens nostra sanctæ Trinitati addicta, & consecrata esse debeat. Phidias in Mineruæ statua ita suum nomen effinxit, vt non auferri hoc posset, quin totum simulacrum destrueretur.

Tria quæ in cogitatu intercedunt ad Trinitatis cognitionē nos excitare debent.

Exponit illud Psal. *Quanquam in imagine Dei ambulat homo, tamen vanè conturbatur; thesaurizat, & nescit cui congregabit.) ea cur thesaurizat, nisi quia Deum deseruit? quia, vt alibi dicitur, deseruit me fortitudo mea, per quam Deum habens nullius indigeret. & cur nescit, cui congregabit ea, nisi quia lumen oculorum meorum non est mecum?* rectè vtrumque adnotat; per peccatum enim amisit, vt Paulus loquitur, *abundantes diuitias gratiæ eius.* & eum sequitur, de quo Iob ait: *faciem eius præcedit egestas.* iccirco inops factus inhiat terrenæ pecuniæ. nescit uerò cui congreget. certè gentiles ipsi Plutum diuitiarum Deum cæcum finxerunt. dicitur tamen adhuc: *in imagine Dei ambulat*, quia non amisit mens memoriam, intellectum, uoluntatem, & amorem sui; nam potius thesauros amitteret quàm mentem. *thesauri enim mentem possunt plerumq; subuertere; at mens sine vllis thesauris facilius, & expetius potest viuere* immò ipsos oculos corporeos malit habere homo, quàm thesauros. nam *per oculos, non vt rarus quisque homo aurum, sed omnis homo possidet Cælum, per eos enim quisq; possidet quicquid libenter videt.* & tamen oculis præponitur mens. *oculi enim carnis sine mente bellulini sunt.* porrò uerus thesaurus est in ipsa imagine Dei. *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* quid ultra quæris aurū extra te ipsū?

Auarus relicto Deo inceps factus pecuniam quærit.

Auari cęcitas in pecunia congreganda.

Vim huius imaginis declarat. *Hinc patet quātū mens diliget sè ipsā, etiā infirma, & errans malè diligendo, atq; sectando quæ sunt intra se ipsam; diligere porrò sè ipsam nō posset, si sè omnino nesciret, idest si sunt non meminisset; nec intelligeret, quia in sè imagine Dei tam potens est, ut ei, cuius imago est, ualeat inhærere.* Vide quanta sit uis in hac imagine, ut per illam adhærere, & uniri ualeamus Deo, quem repræsentat. rectè igitur Dauid dixit: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

Per imagine Dei adhæremus, & coniungimur ipsi Deo.

Etiam in peccatore imaginem hanc superesse; sic ostendit. *Memoratur, ut peccator conuertatur ad dominum, tanquam ad eam lucem, qua iam, cum ab illo auerteretur, quodammodo tangebatur: nam hinc est, quod etiam impij cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectèque laudant; vbi sunt ipsæ regulæ scriptæ? vbi quid sit iustum, etiam iniustus agnoscit, nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur? vnde omnis lex iusta describitur, & in cor hominis, qui iniustitiam operatur, non migrando sed tanquam imprimendo transfertur, sicut ex annulo in ceram transit, & annulum non relinquit.* qui non operatur iustitiā, auertitur ab illa luce. *qui autem nec videt quomodo sit viuendum, excusabilius peccat, quia non est trasgressor incognitæ legis, sed etiam sedens ipse splendore aliquoties vbiquè præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.* nota vim imaginis Dei in nobis tanquam sigillo impressæ iuxta illud, *signatum est super nos lumen vultus tui, domine.* & rectè admiratur quanta sit lux veritatis, quæ vel in tenebris iacentem peccatorem aliquando attingit, dū bene acta laudat, & reprehēdit iniusta, pulchre autem ait hæc addisci *in libro lucis illius, quæ veritas dicitur.*

Liber lucis quæ veritas dicitur, omnibus propositus ad discendū

Explicat illud Apostoli. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ)* nempe vt incipiat imago ab illo reformari, a quo formata est, quæ imago per peccatum deformis, & decolor erat facta. Vide quam præclara sit hæc imago, in qua refingenda, & reconcinnanda opus sit ipso auctore. colores verò qui sunt, nisi, & ipsius sanguis, & virtutes?

Decolor Dei imago in nobis ab ipso auctore refingenda

Ex Libro XV. de Trinitate.

Exponit illud psalmi. *Lætetur cor quærentium dominum, quærite faciem eius semper:) Videtur quod semper quæratur, nunquam inueniri. quomodo igitur lætetur cor, ac non potius contristetur quod nunquam inueniat? & tamen inueniri dominum possè dum quæritur, testatur Esaias: Quærite dominum, inquit, & cum inueneritis, inuocate eum. an & inuentus fortè quærendus est? nam & quæritur, vt inueniatur dulcius; & inuenitur, vt quæratur auidius; Qui me manducat,* Ps. 144.

Quomodo dicatur, Deū quærēdū semper etiam incertum.

Esai. 55.

Eccl. 24.

ducat, adbuc esuriet, &c. fides quærit, intellectus inuenit. acutè quærit, curdicat: *quærite faciem eius semper*, quasi nunquam inueniatur; sed intelligendum de auiditate semper in Deum inhiando: pulchrè dictum. *quæritur, ut inueniatur dulcius; & inuenitur, vt quæratur auidius.*

Concludit de imagine Trinitatis in nobis. *Non frustra, & inaniter in creatura prius per quandam sui generis Trinitatem quodamodo gradatim, donec ad mentem hominis peruenirem, quæsiui indicia summæ illius* Trinitatis. vides tria, illa quæ dixit in nostro cogitatu intercedere, esse quosdam quasi gradus, quibus ascendimus ad illam summam, & perfectissimam Trinitatem; in qua tamen nulli gradus sunt maioris excellentiæ in personis; quò spectat illud: Exod. 20 *Non ascendes per gradus ad altare meum*. tum replicat illud Psalmi. *Mirabilis facta* Ps. 438. *est scientia tua ex me &c. ex mè quippe intelligo, quàm sit mirabilis, & incomprehensibilis scientia tua, qua me fecisti, quando nec me ipsum comprehendere valeo, quem fecisti; & tamen in meditatione mea exardescit ignis, vt quæram faciem tuam semper*. præclarè interpretatur. nota quantum amoris incendium excitare deberet beneficium creationis, quo nos, ad imaginem Dei formati sumus tam admirabili opere, vt id percipere nos ipsi non valeamus.

Beneficiũ creationis amoris incendium erga cõditorem excitare debet.

Cur hanc Trinitatis in nobis imaginem ostenderit, docet. *Hoc facere conati sumus, vt per imaginem hanc, quæ nos sumus,* Cor. 8. *videremus vtrunq; à quo facti sumus, tanquam per speculum; vnde illud Apostoli: Nos autem reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem gloriam transformamur &c. speculantes dixit: per speculum videmus, non è specula, vt in græca lingua apparet. quod verò ait, in eandem imaginem transformamur, vtique imaginem Dei vult intelligi; transformamur ergo de forma in formam. mutamur atque transimus de forma obscura in formam lucidam, quia & ipsa obscura imago Dei est; & si imago, profectò etiam gloria, in qua creati sumus præstantiores cæteris animalibus; de ipsa quippe natura humana dictum est: Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago, & gloria Dei*. egregiè imaginem Dei in nobis tanquam speculum esse dicit, in quo auctorem intueamur. cum hoc non agimus, signum est, eam puluere fœdatum, & deturpatam esse vitio nostro. pulchrè igitur per gratiam *transimus de forma obscura in lucidam*. ac proinde rectè simul iunguntur. *imago, & gloria* 1Cor. 17 *Dei.*

Imago Dei in nobis quasi speculũ ræpræsẽtans auctorem.

Per gratiã trãsformatur de forma obscura in lucidant.

Imago Dei in nobis gloria nostra est.

Præclarè iustificationis bonum declarat. *Humana natura in rebus creatis excellentissima cum à suo creatore ab impietate iustificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam; est quippe & in ipsa impietate quantò magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis*. Nota iccircò vitium, ac peccatum tam horribiliter damnari, quia naturæ nostræ Dei imagine insignitæ ingens excellentia, per ipsum obscuratur. Addit: *Quod autem dicitur, de gloria in gloriam, idest de gloria creationis in gloriam iustificationis, vel de gloria fidei in gloriam speciei; & quòd adiunxit: tanquam à Domini spiritu, ostendit gratia Dei conferri tam optabile transformationis bonum*. Vide quàm præclarum sit gratiæ opus, & quantum illi debeamus: tota intenta est vt nos prouehat *de gloria, in gloriam*. de vno beneficio in aliud. peccatum contra de ignominia in ignominiam ducit.

Gratiæ opus est prouehere nos de gloria in gloriam.

Exponit & illud. *Videmus nunc per speculũ in ænigmate.) Aenigma est obscura allegoria, sicut cum dicitur: Sanguisugæ erant tres filiæ &c. hic autem nomine speculi imaginem voluit intelligi, nomine ænigmatis quamuis similitudinem, tamen obscuram, & ad perspiciendum difficilem*. scilicet propter laborem in cognoscendo *quisquis autem potest intelligere verbum non solùm antequam sonet, sed etiam antequam eius imagines cogitatione voluantur, is potest videre per hoc speculum, atque in hoc ænigmate aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum: In principio erat Verbum &c. necessè est enim cum verbum loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod eiusmodi sit omnino cum illa scientia, de qua nascitur: formata quippe cogitatio ab ea rè, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus, quod nec græcum est, nec latinum, nec linguæ alicuius alterius, sed cum id opus est, in eorum, quibus loquimur, perfectè notitiam, aliquod signũ, quo significetur, assumitur, & literæ ipsa signa sũt uocũ*. acutè de verbi natura. ceterùm ænigmata ista de diuinis arcana quàm differunt a leuiculis illis, quæ à Sphinge proponi solebant. non hic Oedipo opus est interprete, sed fide.

Cur vocentur ænigmata res fidei.

Diuinum Verbum explicat similitudine humani. *Ita uerbum nostrum uox quodammodo corporis fit, assumendo eam, in qua manifestetur sensibus hominum, sicut Verbum Dei caro factum est assumendo eam, qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum; & sicut uerbum nostrum fit uox, nec mutatur in uocem; ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit, ut mutaretur in carnem*. egregiè ostendit immutibilitatem Dei. non enim quia Verbum diuinum homo factum innotuit nobis, iccircò mutationem aliquam est passum diuinitatis.

Diuinũ Verbum nõ est mutatum carnem suscep.

Academicos arguit. *Academica Philosophia sic inoluit, ut de omnibus dubitans miserius insaniret*. nmepè quis dicat, nescire se quod viuat? certè per sensus ipsos corporis didicimus terram; & cœlum, & per aliorũ testimonium, esse Oceanum &c.

Academicorũ insania de omnibus dubitantiũ

Vide

Vide igitur quod genus sapientiæ fuerit illud veterũ Philosophorum, quod scilicet in insipientiam, immò in insaniam abiret. dubitabant hi, de omnibus, sed vnum haud dubium, quod insanirent.

Sciẽtiæ Dei nihil accedere ait ex rebus cognitis: *nã quia sciuit, creauit; nõ quia creauit, sciuit.* rursus ait. *Nouit omnia pater in se ipso, nouit in filio, sed in se ipso tanquam se ipsum, in filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso.* acutè de Dei scientia.

De Dei dilectione sic. *Non habet homo vnde diligat Deum, nisi ex Deo; Deus dilectio est; vt ait Ioannes, & ipse accendit nos in dilectione sua. item dicitur: dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ &c. nihil est isto dono excellentius; solum est est quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* pulchrè ostendit per charitatem, quasi tesseram aliquam, & peculiare insigne distingui prædestinatos à reprobis. pulchrè item ait, non nisi à Deo haberi, vt diligas Deum: adeo preclarum donum hoc est.

Charitas distinguit bonos à reprobis.

De Dei simplicitate sic. *Trinitas aliter in nobis quàm in Deo est. Ego memini, ego intelligo, ego diligo, qui nec memoria sum, nec intelligentia sum, nec dilectio, sed hæc habeo; in illius verò summa simplicitate naturæ, qua Deus est, quamuis vnus sit Deus, tres tamen personæ sunt.* vide quantum emineat perfectio diuinæ naturæ. acutè discrimen agnoscit ab humana.

Dei simplicitas ostenditur præ nostra natura.

Docet, cur Spiritus sanctus Apostolis bis datus; *Quid fuerit, quod post resurrectionem suam, & in terris Christus prius daret, & de cœlo postea mitteret Spiritum sanctum, hoc ego existimo, quia per ipsum donum diffunditur charitas in cordibus nostris, qua diligimus Deum & proximum. bis illum dedit, semel in terra ob dilectionem proximi, iterum de cœlo propter dilectionem Dei.* pulchrè, & acutè notatum: prius accendit in terra charitatem proximi, immò inimici, *ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros, &c.* & sic disposuit ad diligendum Deum.

Cur Apostolis bis datus spiritus sanctus.

Spiritum sanctum non à discipulis, sed à Deo datum per ipsos dicit; orabant enim vt in illos veniret, quibus manus imponebãt. *quãtus igitur Deus est qui dat Deũ?* præclarè dictum. quo ostenditur maiestas diuina Christi. quis enim potest Deum largiri, hoc est Spiritum sãctum, nisi sit Deus?

Spiritus sanctus Deus, nõ nisi à Deo donari potest.

Donum gratiæ visibili significatum dicit vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia, cum autem dicitur. *Quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto; dono scilicet gratiæ: non tum primùm vnctus cum baptizatus, nã tunc Ecclesiam figurauit, sed cum Verbum Dei carò factum est, in vtero Virginis.* nota pulchrè vterum Deiparæ cum Iordane cõparari. sed incarnatio expressit vnctionem ipsius Dei filii, baptismus Ecclesiæ. tunc dictum est: *Spiritus sanctus superueniet in te.* postea in columbæ specie visus.

Act. 10.

Vterus Virginis cum Iordano collatus.

Tractatum de Trinitate sic piè concludit. *Librum istum tandem aliqua precatione melius quàm disputatione concludam, &c.* nota, & vide vt finis operis respondeat intentioni, quæ est in laudem Dei, cui scientia seruit subiũgit: *Quærã faciem tuam semper ardenter. vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem. vbi clausisti, aperi pulsanti &c.* est certè semper hæc vox præclara in ore habenda ijs, qui literis operam nauant.

Pia ad Deum precatio post studij libanti laborem.

Ex Libro de Genesi ad literam imperfecto.

QVatuor modos à quibusdam tradi dicit legis exponendæ. *Secundùm historiam, allegoriam seu figuram, & analogiam, id est congruentiam vtriusque testamenti, & etymologiam, cum dictorum factorumq; causæ redduntur.* v. g. *In principio creauit Deus &c.* quæri potest, vtrùm secundùm historiam tantùm accipiendum sit in principio temporis, an etiam figuratè in sapientia Dei? quomodo congruat euangelio, & quare ita liber inchoetur. hanc ego Cherubicam illam quadrigam dixerim apud Ezechielem quadriformi animantium aspectu, qua inuehitur Sapientia.

Quatuor scripturæ sẽsus qui sint.

Spiritus domini superferebatur super aqua. Non sicut oleum aquas vel aqua terra. quasi contineretur, sed si de visibilibus exempla capiamus: sicut super effertur voluntas artificis ligno, vel cui rei subiectæ ad operandum; sicut superfertur lux ista Solis corporibus, quæ illuminat in terra; non enim continetur illis, sed cum cœlo contineatur, istis superfertur. Nota Spiritus sãcti vim, & eminentiam in operando. discamus, & nostris actibus non succumbere, sed imperare. Elegans est similitudo Solis, cuius lux ita subiecta corpora illustrat in terra, vt cœlo contenta superferatur.

Spiritus sanctus superfertur creaturis vt lux solaris terræ

Fiat lux.) *Fortasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, breuissimè quidem, sed tamen conuenientissimè, & decẽtissimè.* vide vt Sancti Angeli sint, qui nos illuminant, quo referri potest illud. *illuminãs tu mirabiliter à mõtibus æternis.* hoc est in bono proposito stabilibus.

Angeli lux sunt.

Vidit lucem, quia bona est.) *Ista sententia non quasi insoliti beneuolentiam, sed approbationem operis significat. quid enim conuenientius de Deo dicitur, quàm cum ita ponitur? Dixit, factum est, placuit; ita vt in eo, quod dixit, imperium eius intelligatur: in eo, quod factum est, potentia; in eo, quod placuit,*

Angeli per lucẽ significati.

Quicquid in Mundo consideras ordinem habet suum

cuit, benignitas. acutè ac pulchre hæc tria, animaduersa in Dei operatione, imperium, potestas, benignitas, & rectè tria, quia tota Trinitas operatur ad extra, vt Theologi loquuntur.

Mundi dispositio musicæ cantilenæ similis.

Diuisit lucem à tenebris.) Non quasi lux esset confusa cum tenebris, sed lucis absentia tenebræ vocantur. Species ipsas fecit Deus, non priuationes, quæ ad nihilum pertinent, quas tamen ab ipso ordinatas intelligimus, cum dicitur; Diuisit &c, ne vel ipsæ priuationes non haberent ordinem suum. sicut in cantando interpositiones silentiorum certis, moderatisque interuallis, quamuis vocum priuationes sint, benè tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, & suauitati vniuersæ cantilenæ aliquid conferunt. & vmbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. nam, & vitiorum nostrorum Deus non est auctor, sed tamen ordinator, vnde oues ponuntur ad dexteram, hædi ad sinistram: quædam ergo Deus & facit, & ordinat; quædam verè tantum ordinat. Iustos facit, & ordinat; peccatores ordinat tantum; quippe præmium, vel pœna ad meritorum ordinem valet. pulchrè, & eleganter ostendit, vt Deus sapienter, & ordinate agat; & vt hic Mundus velut odeum quoddam musicum sit in eius laudem, vel elegans pictura. ipsa silentia ad concentum pertinent, ipsæ vmbræ ad pingendi artificium.

An Luna sit creata in pleniluniо.

Et luminare minus, initium noctis, & stellas.) Quidam volunt hoc significari Lunam plenam esse primitùs factam, quod plena Luna initio noctis assurgat; sed illud absurdum est, vt non à prima, sed à sextadecima numerandi sumamus exordium. nec illud moueat, quod perfectum fieri debuit luminare; omni enim die perfecta est, sed eius perfectio ab hominibus non videtur, nisi cum ex contraria parte Soli opposita fuerit &c. sed etiam tunc plena est, quia ex alia parte illustratur, nec videri potest ab iis, qui subter sunt, idest terram incolunt. pulchre hoc referri potest ad Deiparæ conceptionem, siue secundùm primam opinionem, quæ pulchra vt *Luna* in plenitudine gratiæ statim Mundo illuxerit. siue secundùm alteram: nam licet iis, qui in terra sunt, hoc est secundum rationes, & discursos humanos philosophantur, videatur concepta in peccato, hoc est deficiens lumine, tamen si supernè consideretur, hoc est secundùm altissimam maternitatis dignitatem, vel ab iis qui supra cœlum inhabitant, ciuibus, omninò semper in plenitudine lucis, hoc est gratiæ videbitur. potest etiam hoc ad iustos referri, qui lucis honore hic carere videntur, Mundo abrecti, sed supernè illustrantur.

Deiparæ conceptio in lumine gratiæ.

Creaturæ à nihilum tendunt nisi fulciantur ab eo qui verè est.

Et factum est vespere, & mane &c. item, & diuidant inter diem, & noctem.) An ista dierum, & noctium enumeratio ad distinctionem valet inter illam naturam, quæ facta non est, & eas quæ factæ sunt? vt mane nominaretur propter earum speciem factarum, vespera autem propter priuationem; quæ quantum attinet ad illum, à quo facta sunt, speciosa atque formosa sunt; quantum autem in ipsis est, possunt deficere; & in quantum non deficiunt, non est eorum materia, quæ ex nihilo est, sed eius, qui summè est, & illa facit esse in genere, & in ordine suo. acutè ostendit istam noctis, & diei, mane & vespere commemorationem in creatione ad mysterium pertinere; ad denotandum creaturam ex nihilo fieri, & in nihilum ex se tendere, nisi fulciatur ab illo, qui verè est, & à quo habet vt fit.

Dei præstatia in operādo

Posuit illa in firmamento.) si dixit, fiant in firmamento, quomodo nunc dicit, posuit, quasi extra sint facta, & post ibi posita? an hinc significatur, non ita Deum fecisse, vt homines solent, sed ita narratur, vt hominibus potuit; scilicet vt apud homines aliud sit, fecit, aliud, posuit; apud Deum vtrumque idem, qui faciendo ponit, & ponendo facit. vide discrimen operandi. & quantò præstantior Dei actio fit.

Prælati' prælucere virtute debēt

Et præsint diei, ac nocti.) Dictum erat: Initium diei, & initium noctis; ergo initium illud principatum intelligere debemus, quia & in die nihil est inter illa, quæ videntur, excellentius sole, & in nocte nihil Luna vel stellis. nota vt ii, qui præsunt, excellere debeant cæteris splendore virtutis, quantò clarius nobis affulgent Sol, & Luna.

Eijciant aquæ volatilia &c.) fortasse istum aerē terris contiguum, quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocauit, qui & in nubem cogitur nubes autem aqua est. in hoc aere volare aues dicuntur; nam in illo sublimiore, ac puriore, qui verè aer appellatus est, nequeunt, non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. in illo autem, neque nubes concrescere dicuntur, neque aliquid procellosum existere: quippe vbi ventus adeò nullus est: vt in vertice Olympi montis quædam literæ in puluere factæ post annum integræ, atque illæsæ inueniuntur. nota de auibus, quæ in Olympo monte, vbi aer est tenuissimus, volare non possunt: quod refer ad ingenium humanum sublimissima de diuina natura arcana indagare impotens; & illud de literis ad sacræ scripturæ altitudinem, quæ deleri ad hæreticis vento superbiæ non potest. Tum exponit illud psalmi. *veritas tua vsque ad nubes. Nihil est enim firmius, & serenius veritate, hoc est a summitate cœli vsque ad nubes*. hinc collige veritatem in altissimo quasi Olympi monte versari

Olymphus mons auibus imperuius & vētis, ita, & diuina sapientia superbis.

versari

versari imperturbatam.

Congregentur aquæ &c.) de fluminibus, & fontibus dictum non est, quomodo facta sint: aiunt terram imbribus madefactam antris occultioribus instillare, atque insudare tantum, quantum coactum, & per diuersos tramites lapsum erumpat in fontes, & flumina. certè marinarum aquarum decoctarum vapor sinuato cooperculo exceptus humorem dulcē gustantibus adhibet. nota de terra sudante, & in dulces aquas erumpēte quod ad Christum refer exudantem sanguinē. quod autem de marina aqua dulcescēte ait, hoc sine artificio mirè, ac diuinitus egit Xauerius. Addit, ideo de alijs aquis nihil dictum, quia mari nominato, subintelliguntur, cùm vapores è mari extracti concrescant in nubes, & pluuias, vt Helias ostendit puero.

Marinę aquę, vt dulcescant.

Benedixit, & dixit: crescite &c.) Benedictionem ad fœcunditatem valere voluit, vt quæ infirma, & mortalia creata sunt, ea benedictione genus suum nascendo custodiant. nota vim diuinæ benedictionis, robur rebus infirmis dantis. Tum quærit, cur stirpibus, quæ etiam nascuntur, non benedixit? respondet acutè. *an quia sensu carent, qui rationi vicinus est; non enim vacat fortasse, quod secunda persona vtitur Deus in benedicendo, vt animantia compellet quodammodo tanquam audientia, crescite, et multiplicamini.* sed ne putentur quia animalia sunt, ratione vti, mox addit in tertia persona, *et volatilia multiplicentur super terrā.* vide, vt omnia Deus sapienter agat, ac iuxta cuiusque rei naturam disponat.

Dei benedictio rebus vel infirmis da vigorem

Cur Deus animātibus benedixit non stirpibus.

Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram) Et hic animaduertenda quædam et coniunctio, et discretio animantium: nam eodem die factus homo quo bestiæ; et tamen propter excellentiam rationis, secundùm quam ad imaginem, et similitudinem Dei efficitur homo, separatim de illo dicitur. vbi considerandum, quod in ceteris non dixit. Faciamus; vt humanæ naturæ insinuetur præstantia. vide quàm indignè agant, qui in voluptates effusi pecudum vitam viuunt, cum hominis creatio seorsum ab his recenseatur.

Eodem die quo bestiæ formatus homo sed seorsum ob præstantiam.

Ad similitudinem nostram.) Quantum valeat ad speciem rebus imponendam Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, licet vtcumque arbitrari, si consideremus omnem naturam similibus inter se partibus seruare vnitatis effigiem; et terram eò quod similes in se habeat partes suas, fieri vt terra sit, et aquam etc. et tantò est pulchrius corpus, quantò similioribus inter se partibus suis constat. iam porrò animarum non solùm aliarum cum alijs amicitia similibus moribus conflatur, sed etiam vnaquæque anima similes actiones, atque virtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam vitam indicant. nota quāta sit vis similitudinis, vt si actiones iusti sint inter se conformes, semper sit vera iustitia cum pulchritudine. Tum acutè concludit, ceteras creaturas irrationales, factas quidem per similitudinem Dei, *quæ est prima similitudo, quia non participatione alicuius similes est, sed cuius participationi similia sunt, per quam facta sunt omnia.* sed rationalis creatura non solùm per illam, sed ad illam facta est. hinc sapiens anima dicitur ex eius sapientia &c. tum sic concludit: *quapropter si rebus inter se similibus vniuersitas constat, per similitudinem profectò, qua condidit omnia, supereminenter, & incommutabiliter talia facta sunt, vt similibus inter se partibus pulchra sint, ad ipsam tamen similitudinem non omnia facta sunt, sed sola substantia rationalis, quæ & per ipsam facta est, & ad ipsam.* vide præstantiam creaturæ rationalis inter reliquas.

Conformitas bonarum actionū animæ pulchritudinem efficit.

Creatura rationalis nō solum facta per ipsam Dei similitudinē, sed ad ipsam.

Ad similitudinem nostram.) secundùm hoc quod interius, & principale hominis est, idest secundùm mentem accipitur; nisi fortè quod ad intuendum cælum figura hominis erecta est, valet aliquid etiam, vt corpus ipsum ad similitudinem Dei factum credatur, vt quemadmodum a patre illa similitudo nō auertitur, ita corpus humanum a cælo non sit auersum, sicut aliorum animantium corpora, quæ prona sunt. sed tamen hoc non omnino accipiendum est, nam corpus nostrum à cælo plurimum differt; in illa verò similitudine, quæ filius est, non potest quicquam esse dissimile illi, cui similis est. quoniam similia quæcumque alia sunt inter se, etiam dissimilia ex aliqua parte sunt; ipsa verò similitudo non est aliqua ex parte dissimilis. nota acutè discrimen positum inter similia, & similitudinē ipsam per hanc similitudinem increatam res creatæ habent, vt sint similes, hoc est per Verbum factæ; sed creatura rationalis, & per Verbum, & ad Verbum. Deinde explicat locum Pauli. *est & homo imago Dei, dicente Apostolo: Vir quidem non debet valere caput, cum sit imago, & gloria Dei; sed hæc imago ad imaginem Dei facta, non est æqualis, & coæterna illi, cuius imago est, etiam si nunquam peccasset.* deniq; verba illa. *Faciamus ad imaginē, & similitudinē nostrā.* Trinitatē indicare ait, item quod postea dicit. *fecit Dominus hominem ad imaginem Dei, ita dictum tanquam diceretur ad imaginem suam, quod est ipsa Trinitas.* sed cur hic tantùm imaginem nominat? *nonnulli putant ideò non repetitam similitudinem, quia similitudo illi postea seruabatur in resurrectione mortuorum, quasi esse possit imago aliqua, in qua similitudo non sit.* puto pro hac opinione facere illud. *tunc similes ei erimus.* sed intelligendum perfectius quàm nunc.

Increata similitudo nihil habet dissimile

Cur secundo non ad similitudinem factus homo dicatus.

L 2 Ex

Ex Libris de Genesi ad literam.

Ex Libro I.

Peccator abyssus est tenebricosa.

TErra erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi.) Vt translato verbo intelligamus naturam vitæ informem, nisi conuertatur ad Creatorem, quo solo modo formari potest, vt non sit abyssus, & illuminari. Hinc collige, quàm deformis sit peccator; & quomodo speciem recepturus. Huc spectat, quod sequitur. *Fiat lux: Vt intelligamus Dei dictum incorporeũ in natura Verbi eius coæterni, reuocantis ad se imperfectionem creaturæ, vt non sit informis.* addit mox. *Principium creaturæ intellectualis, quod est æterna sapientia manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium est, vt conuertatur ad id, ex quo est, quod aliter formata, ac perfecta esse non possit, ideòque ait: Principium, qui & loquor vobis.* Nota de occulta inspiratione, qua semper Deus curat creaturam ad se conuertere, vt inde pulchrescat.

Deus nũquam cessat occulta inspiratione reuocare peccatorem ad se.

Spiritus Dei ferebatur super aquas.) Cur commemorata priùs, quamuis imperfecta creatura, postea cõmemoratur Spiritus Dei? Terra erat inuisibilis, &c. an quoniam egenus, atque indignus amor ita diligit, vt rebus, quas diligit, subijciatur, propterea cum commemoraretur imperfecta creatura, Spiritus Dei, in quo eius sancta beneuolentia, dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentiæ necessitatem, potiùs quàm per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur? Hinc vocat Apostolus supereminentem scientiæ charitatem, & supereminentem viam. Acutè notat, cur priùs creaturæ imperfectionis fiat mentio, & cur ei superferri Spiritus Dei dicatur; nimirum, vt potiùs egere Deo ipsam perficiente ostendatur; & Deus vltrò amans, & ideò supra rem, quam amat. contra quàm in humanis; nam amans subiectus fit rei amatæ. possumus igitur Dei exemplo discere res creatas ita amare, vt non ijs subiiciamur affectu.

Amor noster quia egenus subiicit se rei amatæ, non sic Deus.

1. Cor. 12.

Ephes. 3.

Vidit Deus, quia bonum est.) Duo sunt, propter quæ amat Deus creaturam suam, vt sit, & vt maneat; vt ergo esset quod maneret, Spiritus Dei ferebatur super aquam; vt autem maneret, vidit Deus, quia bonum est. Acutè, & pulchrè de creatione, & conseruatione, siue sit res nõ subiecta tempori, vt anima immortalis; siue per decessionem, & successionem, *per quam sæculorum pulchritudo contexitur.* Vides temporum seriem, tamquam pulcherrimè contextum aulæum esse, in quo quasi acu pictæ rerum gestarum historiæ visuntur.

Deus amat creaturam, tũ vt sit, tum vt conseruetur.

Fiat lux.) Vt quid ergo factus est Sol, si lux illa diei faciendo sufficerat? an illa prior regiones superiores à terra longinquas illustrabat, vt sentiri non posset in terris? atque ita oportebat Solem fieri, per quem dies inferioribus Mundi partibus appareret. potest & hoc dici, auctum esse fulgorem diei Sole addito, vt per illam lucem minus fulgẽs dies, quàm nunc est, fuisse credatur. nota iuxta primam sententiam. prima lux non extendebatur vsque ad terras vt Sol, quod ad contemplatiuam refero vitam, at Solem ad actiuam etiam. item nota iuxta alteram opinionem, augmentum gratiæ significatum videri, & profectum in virtute. *Addit: etiam hoc à quodam dictum scio, primùm naturam lucis inductam in opere Creatoris; postea verò cum de luminaribus dicitur, quid ex ipsa luce factum sit, fuisse commemoratum* hinc collige ex illa luce Solẽ factum, vt ex carne Deiparæ caro extitit multò præclarior Christi.

Prima lux non pertingebat vsque ad terram.

Ex prima luce in Solem lucidior dies profectus in Spiritu.

Ex Deipara tanquam ex prima luce factus Sol Christus.

Spiritus Dei superferebatur super aquas.) hoc à quodam docto Syro Christiano fertur expositum. Fouebat aquas, sicut oua fouentur ab alitibus, vbi calor ille materni corporis etiam formandis pullis, quodammodo adminiculatur per quendam in suo genere dilectionis affectum, vide vt Spiritus Sanctus cum Verbo concordet, quod homo factum dixit, se instar gallinæ suos sub alis fouere voluisse.

Spiritus S. fouens aquas typus dilectionis erga nos

Matth. 23.

Quàm ingenuè interpretanda sit sacra Scriptura, ostendit. *Librum Geneseos multipliciter quantum potui, enucleaui, protulique sententias verbis ad exercitationem nostrã obscurè positis, non aliquid vnum temerè affirmans, cum præiudicio alterius expositionis fortasse melioris; vt pro modulo suo eligere quisque quod capere possit; vbi autem quod intelligere non potest, scripturæ Desidet honorem, sibi timorem.* præclarè hoc vltimũ dictum, vbi difficilis scripturæ locus occurrit. & vide quã nõ sit statim detrahendũ aliorũ expositionibus; & quàm humiliter de se tã acutus Doctor loquatur, & ingenuè

Augustini humilitas, & ingenuitas in scripturis exponendis.

Eos arguit, qui non tàm piè scripturam interpretantur, quàm sophisticè, *Cohibeant se tandem qui literis inflati sæcularibus hæc ita posita, vt omnium pia corda nutriant, velut imperitum, atque impolitum aliquid exagitant, sine pennis in terra reptantes, & volaturarum auium nidos irridentes.* vide quid interpres sequi debeat, *vt omnium pia corda nutriat.* quasi simplicis lacte doctrinæ, & ingenuæ potius expositionis quàm fucatæ. & pulchrè vocat audaces, & sciolos interpretes *sine pennis in terra reptantes &c.* Tum monet alios, ne temerarias sophistarũ interpretationes quasi altè sapientium admirentur. *periculosius errant*

Pii libri præferendi curiosis.

qui-

quidam infirmi fratres, qui cum illos impios de cælestium corporum numeris, vel de quibuslibet elementorum huius quæstionibus subtiliter, & copiosè disserere audiunt, euanescunt, & eos sibi cum suspirio præponentes, et magnos saluberrimæ pietatis libros cum fastidio repetunt, & quos dulciter haurire deberent, vix patienter attingunt, à segetis asperitate abhorrentes, & spinarum floribus inhiantes. Vide quàm errent, qui libros piè conscriptos contemnunt; subtiliter potius scriptos, & curiosè, perlegunt: nec minus errant qui concionatores huiusmodi libentius audiunt: inhiant flosculis, fastidiunt fructus.

Ex Libro II. de Genesi ad literam.

1 F*iat firmamentum in medio aquarum.*) explicat simul locū illū psalmi, qui obiiciebatur. *fundauit terrā super aquas.* vel figuratè dictum ait, vt sicut per cœlos Sancti, sic per terram fides paruulorum intelligatur. *prophetica, & euangelica prædicatione firmissima, quæ per baptismum solidatur.* mira res: soliditas habita per aquas. vel sūt sublimia loca terræ, quæ aquis impēdēt.

Fidei firmibus per baptismum

2 *Aquam, quæ erat super firmamentum.*) Quidam putat intelligendum de aere, qui non solùm communi voce, sed etiam scripturæ, dicitur cœlum: sic volucres cœli dicuntur. *ergò ex aere, qui est inter vapores humidos, vnde superius nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cælū inter aquā, & aquā hanc ego diligentiā, cōsiderationemq; laude dignissimam iudico: quod enim dixit, neque contra fidem est, & in prōptu posito documento credi potest.* Vide quid interpretādo sequēdū sit. tamē ait, nō hoc solui difficultatem, quasi non possint super illud cœlum sublime esse aquæ: *nam si potest aqua ad tantas guttarum minutias peruenire, vt super istum aerem vaporaliter feratur, qui natura leuior est aquis; cur non possit, & super illud leuius cœlum minutioribus guttis, & leuioribus vaporibus?*

Aquas supercœlos esse quomodo intelligendū.

Aliorum dicta nō contemnenda si non sunt contra fidem.

3 Quærit, quē ad finē super cœlos positæ sint aquæ? affert quorundam opinionē. *Stellam, quam Saturni appellant, asserunt esse frigidissimam, eamque per annos triginta Signiferum agere circulum; eò quod superiore, ac per hoc ampliore ambitu graditur. quæritur ergo ab eis, vnde stella ista sit frigida? quæ tantò ardentior esse deberet, quantò sublimiore cœlo rapitur: nam cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora eius tardius eunt, exteriora celerius, vt maiora spatia cum breuioribus ad eosdem gyros pariter occurrant; quæ autem celerius, vtique feruentius. hæc igitur stella quamuis suo motu triginta annis totum spatium permeet, tamen cœli motu in contrarium rotata velocius, quod quotidie fit, calorem maiorem debuit cœlo concitatiore concipere. nimirum ergo eum tam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum illa vicinitas.* iuxta hanc opinionem videtur hoc maximè con uenire B. Stanislao nostro, qui cum æstum pectoris ex amore in Deum ferre nō valeret, pannis aqua frigida malefactis, & ad pectus admotis, eum temperabat. vel S. Ignatio, qui licet ignea corporis constitutione esset, tamen frigidæ, ac flegmaticæ medicis ipsis videbatur, adeò mortificatione, & lacrymis, & ipso gratiæ fonte naturæ temperabat ardorem. in sinistrum verò sensum referri potest ad malos religiosos, qui cum in sublimiore statu sint, ac proinde feruentiores esse debeant, frigidiores tamen fiunt temporalium rerum affectu. ceterùm quidam putant aquas cœlo superpositas ad beatorum oculos post resurrectionem oblectandos. ego dixerim in typum baptismi, vnde salutis initium acceperunt, itemque in decus, & lacrymarum typum, quas olim piè fuderunt.

Quid agant aquę super cœlos.

B. Stanislai mirus pietatis æstus.

Ignatii nostri mortificatis.

Religiosi tepidi bus taxatur.

4 De cognitione Angelorum sic. *Conditio coeli prius erat in Verbo secundum genitam sapientiam, deinde facta est in creatura spiritali, hoc est in cognitione Angelorum secundùm creatam illis sapientiam. deinde quod cœlum factum est, vt esset ipsa creatura cœli in genere proprio.* mox addit, *neque enim sicut nos, ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerent, qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate sancta, & pia contemplatione perfruuntur &c.* *nec mirum quod sanctis Angelis suis in prima lucis conditione formatis Deus prius ostendebat quod erat deinceps creaturus: neque enim intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset.* Vide quantò præstantior sit Angelorum sapientia, atque cognitio, quàm nostra. frustra igitur intumescimus; at potius petendum, vt ipsi nos illuminent. præterea si statim creatis Angelis tantum scientiæ infusum est, quid putamus conceptæ ipsius Dei matri, & illorum reginæ?

Angelorum cognitio perfectior quam nostra.

5 De cœli figura sic. *Quæri solet, quæ forma, & figura coeli esse credenda sit secundùm scripturas? multi enim multum disputant de iis rebus, quas maiore prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, et occupantes, quod peius est, multum pretiosa, et rebus salubribus impēdēda tēporū spatia.* Vide in quibus interpres occupari debeat, non in iis, quæ licet acumen habeāt, ad salutē nō spectant; multò minus igitur, & concionator.

Quæstionibus curiosis ad beatam vitam nō profuturis non multum insistendum.

tor. Tum obiectum soluit, si cœli sphęrica forma sunt, cur dicitur: *qui extendit cælum sicut pellem?* respondet. at alibi dicitur: *sicut cameram*. nempè pellis non solum in planum, sed etiam in rotundum sinum extenditur, vnde volumen appellatur.

Psal. 103

Docet, cur firmamentum dicatur, si cœli semper in motu sunt? respondet. *Firmamentum, non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intrangressibilem terminum superiorum, & inferiorum, vocatum.* referrem hoc ad obedientiæ firmitatem, licet nihil obediẽtia sit velocius.

Cur cœli firmamentum dicũtur, si sẽper sunt in motu.

Quærit, cur prius facta sit diuisio aquarum, & germinatio terræ, quàm Sol, Luna, stellæq; quæ quarto die creata? *Neque enim possumus dicere electa esse quaq; meliora, vt finis, & medium maximè ornatius eminerent, quia septimo die non est facta vlla creatura. an forte lux primi diei magis respondet ad quietem diei septimi? vt eo modo concinentibus finibus iste ordo texatur, eminentibus de medio luminaribus cæli. sed si primus dies septimo conuenit, debet ergo, & secundus sexto congruere. quid habet autem simile firmamentum cæli cum homine facto ad imaginem Dei? an quia cælum totam superiorem Mundi partem occupat, & homini in totum inferiorem potestas dominandi tributa est?* acutè animaduertit correspondentium dierum inter se quasi concentum. addo; quia iusti tanquam cœli sunt, quibus virtutes affixæ quasi sidera: respondet igitur dies eius creationis creationi hominis præterea inquit. *sicut prius cælũ factũ est, ita prius erat ornandum partibus suis. quarto die fiunt sidera, quibus super terram lucentibus habitatio quoque illustretur inferior, ne habitatores eius in habitationem tenebrosam inducantur.* nota, noluisse Deum primò hominem in Mũdum inducere, nisi cum luce, nec prima illa contentum, sed cum luce Solis. quia tamẽ humana infirma sunt corpora, & egent quiete, etiam noctem datam. *noluit verò, vt nox indecora remaneret, sed voluit vt luna, ac siderum luce, & ipsos consolaretur homines, quibus etiam operandi plerumque est nocturna necessitas; & quibusdam animalibus, quę lucem Solis ferre non possunt, ad sufficientiam temperaretur.* nota vt nihil indecorum, nec noctem ipsam Deus esse passus sit; præsertim cum eam suo ortu honoraturus esset. tum vide prouidentiam, qua consultum est etiam alijs animalibus hebete oculorum acie, ac luci fugis. discat, & concionator attemperare se auditoribus, & prælatus subditis.

Audiẽtia & stabilis est, & velum.

Primorũ dierũ sibi correspondẽtia quasi harmonica.

Hominis creatis correspõdens solis creationi.

Dei prouidentia consulẽs etiam lucifugis animantibus.

Sint in signa, & tempora &c.) Non illa dicit signa, quæ obseruare vanitatis est, sed vtique vtilia, & huius vitæ vsibus necessaria, quę vel nautæ obseruant in gubernando, vel omnes homines ad præuidendas aeris qualitates. nota quàm insaniant genethliaci, qui ad vtilitatem creata vertunt in perniciem animarum.

Astrologi, & genethliaci arguuntur.

Quæritur, vtrùm luna creata sit plena, an corniculata? *Multi dicunt plenam ideò factam, quia non decebat, vt Deus imperfectum aliquid faceret in sideribus. ego neutrum assero sed planè dicam, siue primam, siue plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfectam.* quia cum aliquid proficit, intra se id occultè continebat, vt arbor germinans, etiam cum nondum fructum protulit &c. *quanquam si aliquid Deus imperfectum fecisse diceretur, quod deinde ipse perficeret, quid reprehensionis haberet;* nam & terra initio incomposita facta est, & postea composita ab ipso Deo. rursus corpus lunare totum perfectum est. *si autem lumen in ea crescit, uel perficitur, vel minuitur, non luminare ipsum, sed id quod solis radijs accenditur, variatur &c. semper est plena, sed terræ habitatoribus non semper apparet.* Iam dixi hoc ad Deiparam referri posse, quæ semper gratiæ lumine fulsit, à diuino sole accensa, etiam in conceptione, sed non ijs ita apparet qui eam vt alias creaturas quasi inferius è terra dispiciunt; secus si secundum superiores quasdam rationes, cuiusmodi maternitas Dei est, quasi ex altissima cœli sede prospiciatur, & attendatur.

Deipara nũquam sine luce gratiæ.

Mathematicos sic exagitat. *Dicant quod volunt de cælo, alieni à patre, qui est in cælis.* pulchrè dictum, & acutè. subiũgit *De fatis siderum qualeslibet eorum argutias, & quasi de mathesi documentorum experimenta, quæ illi apotelesmata vocant, omnino a nostra fidei veritate respuamus. talibus enim disputationibus etiam orandi causas nobis aufere conantur, & impia peruersitate, in malefactis ingerunt potius Deum accusandum auctorem siderum, quàm hominum scelera.* nota hæc duo mala quæ infert astrologorum opinio de siderum in homines potestate; certè animam corpori, licet cœlesti, subijcere negant multi ex ipsis ethnicis. porrò cũ vno puncto tẽporis nascãtur tam varia genera amantium &c. *Quid insulsius, aut hebetius quàm dicere ad solos homines sibi subijciendos fatalem stellarum pertinere rationem? in quibus tamen etiam ipsis de geminis conuincuntur. quorum diuersè viuentium, diuersè felicium, vel infelicium, diuersèque morientium easdem plerum constellationes accipiunt. quia & si interfuit aliquid cum de vtero funderentur, in nonnullis tamen tantum interest, quantum ab istis comprehendi computatione non possit.* affert exemplum de Iacob, & Esau contrarijs moribus. Quod autem aliquando diuinent, id accidere, ait, quia dæmones acutissimi sunt, & experimentis callidi, aut quæ ipsi facturi sunt, prędicunt. *Quapropter bono Christiano siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium;*

Genethliaci redarguuntur.

tium;

Astrologi aucupes sunt irretientes animas.

tium maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam irretiant. rectè astrologos huiusmodi aucupes, & venatores diaboli appellat, retia tendentes, & captiosis laqueis animas implicantes.

Ex Libro III. de Genesi ad literam.

Elemēta Quatuor sensibus res pondent.

Oculi ad elementū ignis pertinēt.

DE elementis sic acutè. *Sunt qui subtilissima consideratione quinque istos manifestissimos sensus corporis secundùm quatuor vsitata elementa, ita distinguant, vt oculos ad ignem, aures ad aerem, dicant pertinere; olfaciendi autem gustandiq; sensum naturę humidæ attribuunt; tactus autem terreno elemento magis congruit*. nota vt oculi ad ignem pertineant: nam ex his primum, & commune incendium ortum, quo in cineres lapsi sumus: vidit enim mulier, quod esset pulchrum pomum.

Draco volatilis diabolus

Negat quod aliqui dicunt, pisces omninò memoria carere, cū in fontibus ad offas oblatas redire soleant. *dracones autē sine pedibus, & in speluncis requiescere, & in aerem sustolli perhibentur*. vides, dæmonum natura, & propter elationem, & propter adnotaui tenebricosas fraudes, quàm congruat cū draconibus videmus apud Hieronymum serpenti, qui primo parentes tētauit, fuisse nomē, Volatile, vel quia statim affuit insidiās, vel quia de superbia tentauit.

Cur dęmones aerē occupent.

De aereis Potestatibus sic. *Non mirum si transgressores Angeli post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, vbi aer sit, & humore tenui condensatur, qui commotus ventos, & vehementius concitatus etiam ignes & tonitrua facit, &c.* vide vt perturbatores illi humani generis idoneum sibi locum nacti sint turbulentum.

Intentio Dei in creando, vt homo non moreretur.

Quærit, *cur non & de homine dictum, faciamus, &c. secundùm genus suum, cum & hominis propago manifesta sit? an quia non ita Deus fecerat hominem, vt moreretur si præceptum seruare voluisset, & ideò non erat necessarius decessori successor?* vide per peccatum ex quanta felicitate decessimus. fuisset ingens quidam populus immortalium, ac viuentium, quos maturo tempore cœlum exciperet: plus hoc quàm quod Roma dicta est, Ciuitas Regum. Addit. *potest etiam nunc fortaße sufficere, propterea de homine non dictum esse, secundùm genus, quia vnus fiebat, de quo etiam fæmina facta est; non enim multa genera hominum, sicut herbarum, pecorum, &c.*

Quærit, *Quid tantum aquarum animalia de Creatore meruerint, vt sola benedicerentur sicut homines? nā & ipsa benedixit Deus dicens, crescite &c. an fortè quia nullum haberent propagandæ prolis affectum, ac sine vllo sensu generarent, indigna iudicauit illis benedictionis verbis, crescite, &c. vbi autem talis inesset affectus, ibi primùm hoc dixit, vt in terrenis animalibus, etiam non dictum intelligeretur*. acutè notat cur stirpibus, immò Soli, & stellis non benedixerit, sed animalibus. est autem hoc contra parentes, qui sine vllo pietatis affectu non curant de liberis, pręsertim circa salutem animæ. quod autem aquatilia animalia explicitè benedixerit, puto in typum baptismi. Tum acutè quęrit, cur formato homine repetat. *benedixit illis, & ait: crescite, & multiplicamini* respondet: *Necessarium fuit hoc in homine repetere, ne quisquam diceret in officio gignendi filios vllum esse peccatum, sicut est in libidine siue fornicandi, siue ipso coniugio immemoratius abutendi*. vide quàm scrupulosa sit ratio coniugii, vt oportuerit semel, & iterum à Deo concedi, ne in eo peccatum inesse videretur. nota etiam, in coniugatis ipsis modum, & temperantiam adhibendam.

Cur in creatione Deus nō benedixit stirpibus, nec Soli, ac Stellis sed animalibus.

Pius affectus ergo liberorum benedictione dignus.

Cur animalia aquatilia explicitè D. benedixit.

Cur multiplicationi prolis bis benedictū.

Etiam minutissimorum animalium creatorem esse Deum probat. *Inest enim in omnibus quoddam naturæ sui generis decus sic, vt in his maior sit admiratio bene considerantis, & laus vberior omnipotentis artificis, qui omnia in sapientia fecit*. nempe huc spectat illud *Breuis in uolatilibus est apis; sed initiū ducoris habet fructus eius*. Addit; *De generibus quoque animalium venenosis, & perniciosis quæri solet, vtrùm post peccatum hominis ad vindictam creata sint, an potius cum iā creata essent innoxia, nō nisi postea peccatoribus nocere cœperint?* nec mirum, nam etiā postea aliquandò iustis, licet nō omnino sine peccato fuerint, hęc non nocuerunt, vt nec leones *Danieli*, nec vipera Paulo. *potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum, puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis; quia & exempla sunt demonstranda patientiæ ad profectum ceterorum, & ipse sibi homo in tentationibus certius innotescit; & iuste salus illa perpetua, quę turpiter amissa est per voluntatem, fortiter recipitur per dolorem*. nota pulchrè causas, cur hæc nocere permissa sint, vel in pœnam peccati, vel in patientiæ materiam: ita Ignatius martyr per leonum morsus inuictum animum ostendit. Tum sibi obiicit: cur ergo bestiæ ipsæ inuicem sibi nocent, vbi nec vindicta peccati, nec exercitatio virtutis est? ideo nimirum, quia dum aliæ vescuntur aliis, non sine suo ordine, & mensura ex alio in aliud transeundo mutantur. *quod & si multos latet, & sublucet proficientibus, clarum perfectis est, & certè omnibus talibus inferioris creaturæ motibus præbentur homini salubres admonitiones, vt videat quātum sibi satagendum sit pro salute spirituali*, &c.

Scrupulosa cum ignē est, & frœno eget.

Etiam in minutis animalibus elucet Dei Sapientia.

Feræ bestiæ homini innoxiæ fuissent ante peccatum.

Feritas in bestijs relicta in poenam peccati, & in patientię probationem.

Animalium pugna, & vitæ defessio magisteriū hominis est.

& sempiterna, cum illa vident pro salute corporali, & temporali siue resistendo, siue cauendo quicquid valent. quod non appareret, nisi alia alijs insidiarentur ad cibum: Acutè notatum magisterium ex animantium licet irrationabilium pugna, ac defensione vitæ. quo discimus, quantò acrius sit nobis pro animi salute pugnandum.

Quatuor causæ cur bestiæ in homines sæuiant.

Respondet obiecto alteri. *Si animalia noxia viuos homines aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercēt, aut vtiliter probāt, aut ignoranter docent, cur in escas suas dilacerant etiam corpora hominum mortuorum? quasi verò intersit ad nostram vtilitatem, per quos transitus ista caro iam exanimis eat in naturæ profunda secreta, vnde mirabili omnipotentia Creatoris reformanda rursus eruatur. quanquam & hinc fiat quædam prudentibus admonitio, vt se ita commendent fideli Creatori, cui etiam nostri capilli numerati sunt, ne propter inanes curas exanimatorum corporum suorum vlla genera mortium perhorrescant.* Nota primo quatuor causas, cur bestiæ in nos sæuiant: aut in pœnam peccati; aut ad exercitationē virtutis, & meritum; aut ad probationē; aut ad doctrinam. deinde nota cur etiam in mortuorū iustorum corpora sæuire permittantur, iuxta illud: *posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* ne scilicet, felicitatem ponamus in huius vitæ commodis, in pompa funeris &c. cum in altera vita, & in resurrectione paratum sit præmium. certè gentilis ille etiam sine hac spe dixit: Theodori quidem nihil interest humine, an sublimè putrescat.

Cur bestiæ etiā in mortuos homines sæuire permittātur.

De spinis, & tribulis quæritur, an ante peccatum fuerint? respondet, non repugnare quod fuerint, quia ex his nonnullæ vtilitates percipiūtur. vel quia alibi orirētur, non tamen in agris. vel *& si prius, & postea in ijsdem locis, prius tamen non homini, postea autem homini. vt hoc significetur quod additum est, tibi, quia non est dictum; spinas & tribulos pariet, sed pariet tibi, idest vbi tibi iam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantummodo alijs animantibus antea nascebantur.* acutè de acumine spinæ consideratum. nempe peccatum spinas quasi lanceas in peccatorem armauit, quæ antea molliores ad pastum tantùm animalium vsui erant. postea in typū conscientiæ malæ, quæ animam lacerat, & cruentat.

Spinæ post peccatum in hominē armatæ sunt.

Quærit, cur cum facta esset mentio Trinitatis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* dicitur. *Fecit hominem Deus ad imaginem Dei.* nempe illud dixerat *ad insinuandam, vt ita dicam, pluralitatem personarum propter patrem, & filium, & spiritum sanctum, quam tamen deitatis vnitatem intelligendam statim admonet: & fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* egregiè, & pluritatem personarum, & vnitatē naturæ in his verbis agnoscit. Vide quàm cautè loquatur: *vt ita dicā:* inquit.

Vnitas naturæ diuinæ in tribus personis.

Et hoc pulchrè notat. *Non est prætereundum; quia cum dixisset ad imaginem nostram; statim subiunxit: & habeat potestatem piscium maris &c. vt videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus animantibus antecellit: id autē est ipsa ratio vel, mēs ac satis ostendit vbi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mētis illuminatæ.* nihil aliud ait videri interesse inter hominē, & bruta, nec illum his superiorem, nisi ratione, & mente vtatur, & illustretur, & præsit suis passionibus quasi bestijs terræ. de quibus mysticè, apud Iob. *bestiæ pacificæ erunt tibi.*

Homo distinguitur a brutis ratione, & potestam.

Notanda illa expositio. *Crescite, & multiplicamini &c.) Quanquam hoc nisi per concubitum maris, & fœminæ fieri non posse videatur, vnde & hinc quoque mortalium corporum existit indicium; potest tamen dici, alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, vt solo piæ charitatis affectu nulla corruptionis concupiscentia filij nascerentur, nec mortuis parentibus successuri, nec ipsi morituri, donec terra immortalibus hominibus impleretur; ac sic instituto iusto, ac sancto populo, qualem post resurrectionem futurum credimus, nascendi etiam modus fieret.* vide pudicum illum pariter, & felicem statum, & ingemisce præsentibus miserijs tum corporis, tum animi. simul nota quod ait ex concubitu existere mortalitatis indicium, dum alter succedit, quia alter moriturus; quæ cogitatio in coniugio magnum est frænum; sicut & illud de prolificatione ante peccatum ex pietatis potius affectu, quàm ex concupiscentiæ motu.

In statu innocentiæ poterat multiplicari genus humanū solo piæ charitatis affectu.

Quærit, cur non etiam de homine dictum sit. *Et vidit Deus quod esset bonum. An quia perfectus nondum erat in paradiso constitutus? an quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in sua perfectione maginis mansurum, ideò non singillatim sed cum ceteris eum dicere voluit bonum?* nam cætera in statu, quo facta sunt, manētiat homo potest mutare statum virtutis cum statu malitiæ. ideoq; dictum: *ante mortem ne laudes quemquam;* quærit etiam cur tandem dictum sit: *& erant valde bona. Non frustra est additum valde, quia & corporis membra, etiamsi singula sint pulchra, multò tamen sunt pulchriora in corporis vniuersi compage: quia oculum si separatum à corpore videremus, non diceremus tam pulchrum.* hinc collige quantum in vnione sit pulchritudinis. Addit: *ea quæ peccando amittunt decus proprium, nullo tamen modo efficiunt, vt non etiam ipsa rectè ordinata cum toto atque vniuerso bona sint. Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium verò iustissi-*

Cur non dictum homine vidit, quod esset bonū

Eccl. 11.

Ordinis pulchritudo quāta sit.

Singula bona vniuerse cōsiderata sunt valde bona

iustissimus ordinator est, vt etiam si quæ singillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis vniuersitas pulchra sit. vide quid faciat ordo, & vnio, vt etiam aliqua deformitas non extra pulchritudinem esse videatur. item quanta vis sit vnionis. vt si singula sint bona, vniuersa dicantur valde bona.

Ex Libro III. de Genesi ad literam.

Modus Dei operādi trāscendit nostrum

Dei incomprehensibilitas.

CONsummauit Deus in die sexto opera sua.) Multa de senarij numeri perfectione acutè differit. tum & illud explicat. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.*) *Cum hæc ita disponerentur, non extra se ipsum cernebat, sicut cernimus oculis corpora, quæ vtique non erant cum disponerentur vt fierent; nec intra se ipsum ista cernebat, sicut anima cernimus phantasias corporum. quo ergo modo ista cernebat vt ita disponeret? quo, nisi eo, quo solus potest?* vide vt Dei operatio transcendat omnem modum nostrum operandi. Addit. *quanquam, & si sanctis Angelis iam essemus æquales non vtique nobis ita esset nota diuina substantia, sicut ipsa sibi*. hoc ad incomprehensibilitatem Dei pertinet.

Deus creauit nos ad se vt in ipso requietem haberemus.

Requieuit ab omnibus operibus suis.) *Nunquid dici, aut credi fas est Deum laborasse in operando quando dicebat, Fiat, & fiebant? quid restat vt intelligamus; nisi fortè creaturæ rationali in se ipso requiem præbuisse post eius perfectionem per donum Spiritus sancti, vt illuc feramur appetitu desiderij, quò cum peruenerimus, requiescamus, idest nihil amplius requiramus; sicut enim rectè dicitur Deus facere quicquid ipso in nobis operante fecerimus; ita rectè Deus dicitur requiescere, cum eius munere requiescimus.* vide vt Deus facturam suam statim quasi sinu complexus sit, vt in ipso requiesceret, & vt alibi ait. *fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. affert in hunc sensum alia loca; vt cum dicitur: *Nolite contristare Spiritum sanctum, neque enim ipsa Spiritus sācti substantia contristari potest, sed quia ita in sanctis habitat, vt eos impleat charitate, quia necesse est, vt homines ex tempore gaudeant profectu fidelium, & contristentur eorum lapsu*. huc refero illud de eodem Spiritu sancto, qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. idest postulare facit. sic ait, *intelligendum requieuisse Deum ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia ipse nos facit requiescere cū bona opera fecerimus*. hoc per sabbatum Iudæis datum significatum dicit. sed si ad quietem Christi referatur, ideò sabbato sepultum dicit, postquam sexto die vsus est illis verbis: *consummatum est*, perfecto opere redemptionis. denique ait intelligi posse. *Deum requieuisse à condendis generibus creaturæ, quia vltra iam non condidit aliqua genera noua; deinceps autem operatur eorumdem generum administrationem, non vt à gubernatione cessaret, alioquin continuò dilaberentur; quamobrem ait: pater meus vsque nunc operatur*. nota de conseruatione, quæ est quasi continuata productio. & quamquam animas de nouo creat, tamen attenditur ipsum genus humanum, & materia corporis, cui anima infunditur.

Ephes. 4.

Christus requieuit die septimo in sepulchro post opus redemptionis.

Sine conseruatione Dei, creatura consistere non posset.

Deus requiescit ab operibus quia iis non egit non in operibus.

Requieuit Deus ab omnibus operibus suis.) *Quia vitium est, & infirmitas animæ, ita suis operibus delectari, vt potius in ipsis, quàm in se requiescat ab eis; insinuatur hic nobis cum dicitur requieuisse Deus ab operibus suis, nullo opere suo sic delectatus, quasi faciendi eius eguerit, vel minor futurus, nisi fecisset, vel beatior cum fecisset: quia enim ex illo. ita est quicquid ex illo est, vt ei debeat quod est, ipse autem nulli, quod ex ipso est, debeat quod beatus est, se rebus, quas fecit, diligendo præposuit, non sanctificans diem, quo ea facienda inchoauit, nec illum quo ea perfecit; ac ne illis faciēdis, vel factis auctum eius gaudium videretur, sed eum, quo ab ipsis in se ipso requieuit; & ipse quidem nunquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit*. acutè indicat independentiam Dei à creaturis, & cur non sanctificauerit diem primum, aut sextum. egregièq; notat, Deum vtpotè nullius rei indigum, non dici requieuisse in operibus suis, sed ab operibus. at contra infirmatis nostræ est, vt iis, quæ agimus, ita delectemur, vt in ipsis requiescamus. huc facit ꝙ subiungit.

Requies Dei posita est in nullius indigentia.

De requie Dei sic. *Requies Dei rectè intelligentibus ea est, qua nullius indiget bono; & ideò certa & nobis in illo est, quia & nos beatificamur bono, quod ipse est; nō ipse bono, quod nos sumus: nam & nos aliquid bonū ab illo sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit & nos*. huc refero illud: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. vide in quo diuinitatis eminentiam locet, in nullius indigentia.

Tota quies in Deo solū qui est immutabilis.

De requie nostra sic. *Non in hoc debemus esse similes Deo, vt & nos ab operibus nostris requiescamus in nobis, sicut ipse requieuiut in se in suis operibus: in quodam quippe incommutabili bono requiescere debemus: in Deo igitur potius quàm in nobis requiescamus post opera bona nostra, quæ scilicet agnoscimus Dei potius esse quàm nostra*. addit item pulchrè. *magnum est nobis ab illo extitisse, sed maius erit in illo requieuisse*. rectè ait, quia Deus incommutabile bonum est, proinde in eo tantum secura requies est, quippe perpetua est.

Pergit

Pergit ostendere, cur Deus non requieuisse sexto die dicatur, sed septimo. *Deus non ideò beatus est, quia hæc fecit, sed quia etiam factis non eguit. ideo non hæc faciendo, sed eis, quæ fecit, non egendo se beatum intimauit. à perfectis Deus requieuit, quia nec perfectis eget quò beatus esse possit. ideò in septimo die requiescit, qui rerum conditarū perfectionem consequitur*. acutè notatum cur distinctus dies assignetur requieti diuinæ extra dies operum, & illum tantùm sanctificaret: nimirum vt ostenderet illa, quæ sex diebus egit, nihil conferre *Deo*; nec iis egere, vt plenè beatus sit, ideo quasi extra illa in se requiescit.

Cur Deus requieuit post sex dies creationis.

Quærit, cur septimus dies non dicatur habere vesperam? respondet, quia in creatione vesper erat terminus cōditæ rei, mane autem condendæ alterius initium. *Sexto autem die completo post eius vesperam factum est mane, non quo significaretur initiū condendæ alterius creaturæ, sicut in ceteris, sed initium manendi, & quiescēdi totius quod conditum est in illius quiete, qui condidit. quare quies Dei nec initium habet, nec terminū: creatura autem habet initium, sed non terminum, & ideò septimus dies eidem creaturæ cæpit in mane, sed nullo vespere terminatur*. & hoc acutè dictum de die æternitatis, quo in Deo perpetuo requiescimus, ac proinde caret vespere.

Cur dies septimus non dicatur habere uesperam.

Exponit illud; *Vespere & mane*, de duplici cognitione. *Multum interest inter cognitionem rei cuiuscumque in Verbo, & cognitionem in natura eius, vt illud meritò ad diem pertineat, hoc ad vesperam*. mox addit. *quia non remanet in Angelica scientia in hoc quod creatum est, quin hoc continuò referat ad eiusdem laudem, atque claritatem, in quo id non factum esse, sed faciendum esse cognoscitur; in qua veritate stando dies est, si enim ad se ipsam natura Angelica conuerteretur, seque amplius delectaretur quàm illo, cuius participatione beata est, superbia caderet, sed Angeli creaturam in ipsa creatura sic sciunt, vt ei scientiæ electione, ac dilectione proponāt, quod eam sciunt in veritate, per quam facta sunt omnia, ideoque per omnes sex dies non nominatur nox*. acutè notat cur nox in creatione non nominetur, sed vespera, quia prima cognitione, quæ dicitur matutina, cognoscitur creatura in Verbo clarissimè; secunda, quæ dicitur vespertina, cognoscitur creatura in ipsius natura non ita clarè, tamen non sine dilectione conditoris naturarum ipsarum. vide igitur, vt Angelos imiteris, scientiam charitati iungendo, alioquin in nocte versaberis.

In Angelis cognitio matutina, & vespertina.

Scientia cum Dei dilectione Angelico more iungēda.

De eadem cognitione sic item acutè. *Si in istis diebus quandam declinationem suam lux in occasum habet, quam vesperam nominamus, & ad ortum iterum reditur, quod mane dicimus, cur & illic vesperam non dicamus, cum à contemplatione creatoris creatura despicitur, & mane cum à cognitione creaturæ in laudē Creatoris assurgitur?* nota cur dicatur *vespere, & mane*. quia in cognitione creaturæ ad Dei laudem, qui fons lucis est, debemus assurgere: deinde pulchrè ostendit has cognitiones in Angelis non fieri successiuè, vt Sol tēpora disponit, sed *simul habere & diem, & vesperam, & mane. nam ibi semper est dies in contemplatione incommutabilis veritatis, semper vespera in cognitione in se ipsa creaturæ, semper mane etiam ex hac cognitione in laudem Creatoris*. porrò ibi non fit vespera abscessu lucis superioris, sed distinctione inferioris cognitionis, quę dicitur vespera; nec mane, quasi nocti ignorantiæ succedat scientia matutina. vbi nota duplicem cognitionis gradum vtrumque relatum ad Dei laudem.

Scientia ad Dei laudem tendere debet more Angelico.

Cognitionem de Deo præponendam dicit cognitioni de creaturis. *Quamuis illa substantia ineffabilis, & ante omnes locos, tamen propinquior est nobis ipse qui fecit, quàm illa tàm multa, quæ fecit; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus: quippe istorum pleraque remota sunt à sensibus corporis oppositis, ac interpositis aliis: ex quo fit, vt ad illa conuenienda sit labor maior quàm ad illum, à quo facta sunt; cum sit incomparabili felicitate præstantius, illum ex quantulacumque parte pia mente sentire, quàm illa vniuersa comprehendere; vnde rectè culpantur in libro Sapientiæ inquisitores huius sæculi. si enim, inquit, tantum potuerunt valere, vt possent æstimare seculum, quomodo eius Dominum non facilius inuenerunt? ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris. sed qui fundauit terram propinquat mentibus nostris*. rectè notat quàm stultè agant, qui res naturales, quæ abditæ, & extra nos sunt, ac proinde nec ad nos multum pertinentes, & difficiles cognitu sunt, tanto cum studio speculantur; Deum verò, qui vt creator ab omnibus nosci potest, & intimè in nobis est, non curant. item egregiè ait, quamlibet particulam huius de Deo cognitionis præcellere vniuersæ scientiæ de creaturis.

Sap 13.

Et vidit quod esset bona.) *Nota fecit, non facta cognouit, proinde antequam fierent, & erant, & non erant. erant in Dei scientia, non erant in sua natura; ac per hoc factus est dies ille, cui vtroque modo innotescerent, & in Deo, & in se ipsis illa velut matutina, siue diurna cognitio, hæc verò veluti vespertina* celebris hæc est apud Theologos distinctio quantò illa sit clarior, & illustrior, nempe *Auroræ* instar intellectum illuminans.

Cognitio matutina Angelo tām Auroræ comparata.

De causæ primæ concursu, & gubernatione sic. *Sunt qui arbitrantur tantummodo Mundum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso Mundo, sicut ille ordinauit, ac iussit; contra quos ait Dominus: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* ac ne quis putaret

Dei operatio cōtinua in creaturis

taret, apud se illum operari, non in hoc Mundo, addit: *Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic et filius hominis, &c.* ac ne solùm magna operari putetur, dat vnicuiq; seminum proprium corpus, &c. *Sic ergo credamus vsque nunc operari* Deum, *vt si rebus ab eo conditis eius operatio subtrahatur, intereant.* sed secundùm illa genera rerum, quæ primò condidit, hæc noua facit, non tamen noua genera rerum: nota de necessario Dei concursu ad conseruationem.

Iterum exponit illud de administratione vniuersi. *Pater meus vsquemodo operatur, & ego operor.) Mouet itaque occulta potentia vniuersam creaturam suam; eoque motu illa versata, dum Angeli iussa percipiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti; dum abyssus aquarum, lapsibus, & diuersis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, &c. dum iniusti iustos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illi cum condita sunt, tanquam implicita indiderat, quæ tamen in suos cursus non explicarentur si ea ille, qui condidit, prouido motu administrare cessaret.* eleganter Mundi conseruationem describit; Deumque tanquam Imperatorem, ac Regem omnia moderantem Angelorum ministeriis vtentem, &c.

Dei gubernatio cum ministerio Angelorum.

Explicat de Dei prouidentia locum illum sapientiæ. *Ostendit se hilariter in viis, & in omni prouidentia occurrit illi.) Consideranda igitur est administratio creaturæ vniuersæ; nec enim audiendi sunt, qui putauerunt sublimes quidem Mundi partes, id est à confinio corpulentioris huius aeris, & supra diuina prouidentia gubernari; hanc autem imam partem terrenam aerisq; huius viciniores, in quo venti, nubesq; consurgunt, casibus potius, ac fortuitis motibus agitari. contra quos est psalmus, qui cum explicasset laudem cælestium, se etiam ad inferiora ita conuertit. Laudate, inquit, Dominum de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, &c. quæ faciunt verbum eius quo ostendit harum quoque rerum ordinem diuino subiectum imperio.* procellas præcipuè commemorat, quę videri possent maximè casu accidere ob inconstantiam aeris præterea & apud Matthæum. passeres, & agri fœnum memorantur: vt ostenderet, *inferioris ipsius Mundi partem etiam vilissimas, abiectissimasq; particulas diuina prouidentia regi.* addit in hanc sententiam. *quid absurdius, aut insulsius sentiri potest quàm vniuersum esse vacuum, nectu & regimine prouidentiæ, cuius extrema, & exigua videas tanta dispositione formari, vt attentius cogitata incutiant ineffabilem admirationis horrorem.* rectè, vel in paruis Dei magnitudinem elucere ait. patet in anotomia corporis; & si anima pręstantior est corpore, quantò maior est dementia negare prouidentiam Dei de moribus hominum, vt quod iustos affligi videamus, &c? vides quàm latè se extendat ad omnia vis prouidentiæ diuinæ.

Dei gubernatio etiam infra cœlum est.

Dei prouidentia etiam ad minima se extendit.

Pergit eleganter ostendere, vel in minimis Dei gubernationem. *Consideremus cuiuslibet arboris pulchritudinem, in robore, ramis, frondibus, pomis. Surrexit à radice germen ex semine, &c. sed in exiguo grano mirabilior, præstantiorq; vis est, quia velut adiacens humo, commistus terra tanquam materies versa in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem, in fructuum formas, & opulentiam: quid ex arbore surgit, aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum, atque depromptum sit, &c? sicut autem in ipso grano inuisibiliter omnia simul, quæ per tempora in arborem resurgerent, ita & ipse Mundus cogitandus est, cum primùm Deus omnia creauit, habuisse simul omnia, quæ cum illo in illis facta sunt, non solum cœlum cum Sole, & Luna, & sideribus, quorum species manet motu rotabili, & terra & abyssus sed etiam illa, quæ aqua, & terra producit potentialiter, atque causaliter, prius quàm per temporum moras ita exorirentur.* pulchrè Mundum arbori, cuius Deus colonus est, comparat, quæ primò tanquam in semine virtutem habuit, quæ per temporum spatia ostendit. certè Christus stellas casuras quasi folia ex arbore dicit. hinc illud Gregorij: Ecce mundus in se ipso aruit, & tamen in cordibus nostris floret, &c. pulchrè item dicit ex arboris semine, *tanquam ex occulto quodam thesauro extractum* quicquid in ea est viriditatis, pulchritudinis, floris, & fructus. idem mysticè de indole pueritiæ dixeris, vt in Thoma Aquinate, &c.

Ex semine tanquam ex occulto thesauro educitur gemens flos, fructus.

Mundus arbori cóparatur Deo colono.

Ex Libro VI. ex Genesi ad literam.

IN quo sit hominis dignitas posita, docet. *Homo hoc habet excellentius ceteris animantibus, quod est creatus ad imaginem Dei, nec tamen hoc secundum corpus, sed secundum intellectum mentis. quanquam in ipso corpore habet quandam proprietatem, quæ hoc indicat, quod erecta statura factus est, vt hoc ipse admoneretur, non sibi terrena esse sectanda velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, vnde in aluum prona, & prostrata sunt. congruit ergo corpus animæ, vt sicut illud in cœlum erectum est ad intuenda, quæ in corpore ipsius Mundi superna sunt; ita anima erigatur ad ea, quæ in spiritalibus naturis maximè excellunt, vt quæ sursum sunt, sapiat:* notabile documentum ex congruentia animæ & corporis. huc refero sanitatem à Christo datam ei mulieri, *quæ erat inclinata, &c.*

Cur homo formatus erecto in cœlum capita.

Exponit

Exponit illud. *Morte morieris.*) *Corpus Adam ante peccatum, & mortale secundùm aliam, & immortale secundùm alium causam di ci poterat. mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori comedendo de ligno vitæ. aliud enim est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus; aliud posse non mori, sicut Adam creatus. restabat tantùm vt immutaretur, & spiritale factum plenam immortalitatem reciperet, cibi non indigens.* nota magnum status discrimen: non posse mori, & posse non mori, ex transpositione literulæ vnius: his addit. *Adam habuit corpus animale non solùm ante paradisum, sed etiam in paradiso constitutus. nos renouabimur etiam carne, vt sit spiritale corpus, in quod nondum mutatus, sed mutandus erat Adam.* contra eos loquitur, qui putabant Adam in paradiso habuisse corpus, vt erit in resurrectione, licet extra paradisum animale fuerit. ideò Apostolus non vocat corpus mortale propter peccatum; sed mortuum, nam & ante mortale erat, licet potuisset uitare mortem.

Aliud est non posse mori aliud posse nō mori vt Adam.

Ex Libro VII. de Genesi ad literam.

Docet, animæ naturam non esse ex substantia Dei, & quod obijciunt. *sufflauit in faciem eius.*) *ex hoc satis apparet ita non esse: cum enim homo sufflat, anima vtique subiacentem sibi naturam corporis mouet, & de illa, non de ipsa flatum facit.* acutè carpit gentiles Philosophos. qui animam ex diuina substantia putabant, dum ipsi maximè ab illa per uitia recederent.

Anima nō est ex substantia Dei.

Animam non constare ex elementis, vel ex hoc probat. *Quod cum sensibus, quasi nuncijs accipiat corporalia, ipsa vsque adeo aliud sit, vt cum vult intelligere vel diuina, vel Deum, vel se ipsam, vt aliquid veri, certiq; comprehendat, ab ipsa se oculorum luce auertat, eamque ad hoc negotium non modò nullo adiumento, sed nonnullo potius impedimento esse sentiens, se in obtutum mentis attollat.* Vide quanta sit animi dignitas; ac mentis præstantia, & quàm emineat omni elemento altius, & re corporea superius; ex quo etiam eius immortalis natura colligi potest. Tum soluit difficultatem. *cur igitur dictum est. Inspirauit in eum spiraculum vitæ? vnde Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere: sicut enim Deus omnem creaturam sic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit; per lucem tamen, & aerem, quæ corpora præcellunt in Mundo, & magis habent faciendi præstantiam, quàm patiendi corpulentiam, sicut humor, & terra tanquam per ea, quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat &c.* ex nullo igitur elemento est anima. Addit. *nec illud audiendum, quod quidam putauerunt, quintū quoddam esse corpus vnde sit anima.*

Anima superior elemētis spiritaliā contemplatur.

Ex Libro VIII. de Genesi ad literam.

De vi ligni vitali sic. *Arbor ligni vitæ præstabat, vt corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta; profectò enim licet vsitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cuius vna collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicauit.* cur igitur præstare non potuit eo cibo, ne corpus in deterius laberetur? nota vt Heliæ typus quidam ligni vitę in eo pane sit datus, qui in Eucharistico est longè præstantior. Addit: *Quis contendat, apud nos hic Deum miracula facere debuisse, in paradiso non item? quasi verò non vel de puluere hominem, vel de latere viri mulierem maius ibi miraculum fecit, quàm quod hic mortuos suscitauit.* notabile est quod ait, creationem hominis, licet vt ab auctore naturæ factam, miraculum maius fuisse, quàm resuscitationem hominis.

Panis Helię cū ligno vitæ collatui.

Maius miraculū creatio hominis, quàm resuscitatio.

Docet, cur præceptum datum sit de pomo non edendo. *Arbor scientiæ non fuit cibo noxia; neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituebat aliquid mali; sed malum fuit homini transgressio præcepti. oportebat autem, vt homo sub Domino Deo positus alicunde probaretur, vt ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissimè dicere, solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate.* præclarum sanè hoc de obedientia elogium, inter virtutes præcipua; qua nos Deum agnoscimus Dominum; eumq; promeremur. Tum sic: *experimento didicit Adam, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum, ideò appellatur arbor scientiæ boni & mali.*

Obediētia quā eximia sit inter virtutes.

Felicem Mundi statum ante peccatum ostendit, explicans illud: *Vt operaretur terram.*) *Quicquid nunc deliciarum habet agricultura, tunc vtique amplius erat, quia nihil accidebat aduersi, vel terræ vel cęlo. non erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum omnia lætius, feraciusq; prouenirent, vnde creator ipse vberius laudaretur.* Vide vt omnia fuissent tranquilla. non igitur incendia montium, vt nuper, in Vesuuio vidimus, agros vrbesq; vastarent; non terręmotus vrbes diruerent; non immodici æstus; aut nimia frigora nocerent; non fames, ac pestilentiæ &c. nec ipsa denique

Felicitas innocentiæ status.

sidera

sidera sinistris defluuiis læderent, atque hæc omnia in Dei laudem amplè cessissent. cum igitur hæc accidunt, ad illum tranquillitatis statum suspiremus, ac Deũ iustum iudicem timeamus.

Rationis cum natura argumentatio de Deo rerum conditore.

Pulchrè inducit Rationem colloquentem cum Natura, verum rerum conditorem ostendentem. *Quod maius, mirabiliusque spectaculum est, aut vbi magis cum rerum Natura humana Ratio quodammodo loqui potest, quàm cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tanquam interrogatur, quaque vis radicis, ac germinis, quid possit? vnde non possit? quid in ea valeat numerorum inuisibilis, interiorque potentia, quid extrinsecus exhibita diligentia: inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Vide vt sit Deus in omnibus agnoscendus, & laudandus Natura ipsa testante, & Ratione veritatem extorquente per euidentia argumenta.

Elegant similitudine arboris ostendit Mundum Dei prouidentia excoli. *Hic iam in ipsum Mundum, velut in quandam magnam arborem rerum oculus cogitationis attollitur, atque in ipso quoque gemina operatio prouidentiæ aperitur, partim naturalis, partim voluntaria. naturalis quidem per occultam Dei administrationem, quæ, & lignis, & herbis dat incrementum; voluntaria verò per Angelorum operationes, atque hominum. Secundùm illam primam cœlestia ordinari, inferiusque terrestria luminaria, sideraque fulgere, diei, noctisque vices agitari; aquis terram fundatam interlui, atque circumlui; aerem altius superfundi &c. in hac autem altera signa dari, doceri, & discere agros coli, societates administrari, artes exerceri, & quæcumque alia siue in superna illa societate aguntur, siue in hac terrena atque mortali, itaut, & bonis consulatur, & per nescientes malos: inque ipso homine eandem geminam prouidentiæ potentiam vigere, primò erga corpus naturale eo more, quo fit, crescit, senescit; voluntarium verò, quo illi ad victum, tegumentum, cautionemque consulitur. similiter erga animam naturaliter agitur, vt viuat, vt sentiat. voluntariè verò, vt discat, vt consentiat. sicut autem in arbore id agit agricultura forinsecus, vt illud, quod proficiat, quod geritur intrinsecus: sic in homine secundùm corpus, & quod intrinsecus agit natura, seruat extrinsecus medicina. itemque secundùm animam vt natura beatificetur intrinsecus, doctrina ministretur extrinsecus. quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi iniuria, hoc ad animam discendi segnities: & quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam*

Duplex operatio diuinæ prouidẽtiæ naturalis, & voluntaria tum in Mundo, tum in homine.

persuasio iniquitatis. quid ergo abhorret à vero, si credamus hominẽ in Paradiso ita constitutum vt operaretur agriculturam non labore seruili, sed honesta animi voluptate? quid enim hoc opere innocentius vacantibus, & quid plenius magna consideratione prudentibus? Quod in homine excolendo quandam quasi agriculturam, & arboris similitudinem agnoscit, certè Christus comparat hominem ipsum arbori siue ad Austrum siue ad Aquilonem cadenti. & cæcus ille statim ac illuminari cœpit, ait: *video homines sicut arbores*. egregiè autem de gemina operatione prouidentiæ disputat, & acute docet, *alteram dici naturalem per occultam Dei administrationem. voluntariam alteram per Angelorũ operationes, & hominum.* his quasi duabus alis dixerim prouidentiam Mundum fouere. acutè etiam in microcosmo, hoc est in homine vtrumque prouidentiæ genus agnoscit.

Affert duplicem expositionem eorum verborum: Vt *operaretur, & custodiret illum.) positus est homo in Paradiso, vt operaretur eundem paradisum per agriculturam non laboriosam, sed delitiosam; & mentem prudentis magna atque vtilia commonentis. custodiret autem eumdem Paradisum sibi, ne aliquid admitteret, quo inde mereretur expelli*: vide vt Deus cautè seruari iubeat dona quæ confert, cauendumque ne quid committamus, quo illa amittamus. Addit. *Est & alius sensus, quem puto non immeritò præponendum, vt ipsum hominem operaretur Deus, & custodiret. sicut enim homo operatur terram, vt non faciat eam esse terram, sed vt cultam, & fructuosam: sic Deus hominem, quem creauit, vt homo sit, custodiuit vt iustus sit. & quia Deus est incommutabile bonum, homo verò mutabilis, ad Deum conuerti oportet, vt subsistat, ac iustus beatusque sit.* huc refero illud Apostoli, *Dei agricultura vos estis.* ita vt non iam rudis, & otiosa terra sit, sed in germen erumpat, in flores, & fructus bonorum operum atque virtutum. vt igitur Deus quasi colonus in agro operetur in nobis, opus est aratro crucis, rastro mortificationis, &c. egregiè autem ait: *creauit vt homo sit; custodiuit vt iustus sit.* non prodest primum sine altero.

Dei dona cautè custodienda, ne per incuriã amittantur.

Homo Dei colonia agricultura est.

Creauit Deus vt homo sit custodiuit vt bonus sit.

Sumpsit Dominus Deus hominem &c.) Aliquid magnum nos admonet, quod in generis exordio vsque ad hunc locum nusquam positum sit, Dominus Deus, sed tantummodò, Deus; nunc verò vbi ad id ventum est, vt hominem in Paradiso constitueret, eumque per præceptum operaretur, & custodiret, ita scriptura locuta est: & sumpsit Dominus Deus hominem quem

M fecit

fecit, & poſuit in Paradiſo, operari eum & cuſtodire; non quod aliarum creaturarum Dominus non eſſet, ſed quia hoc nec propter Angelos, nec propter alia, quæ creata ſunt, ſed propter hominem ſcribebatur ad eum admonendum, quantum ei expediret ſub eius dominatione obedienter viuere. nuſquam hoc prius poſitum, niſi cum dictum: poſuit eum in Paradiſo, operarieum, vt iuſtus eſſet; & cuſtodire, vt tutus eſſet, ipſo vtique dominio ſuo, quod non eſt ipſi, ſed nobis vtile, & ideo verus eſt Dominus, quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram vtilitatem, ſalutemque ſeruimus; nam ſi nobis indigeret, eo ipſo non eſſet verus Dominus, quia per nos eius adiuuaretur neceſſitas, ſub qua & ipſe ſeruiret. Acutè notat, Deum non ſumpſiſſe Domini titulum ex dominio Solis, & Lunæ &c. ſed ex homine, & hoc Dei dominium poſitum in eo excolendo quaſi agro ſuo. item notat illud acutè; ſi Deus ex indigentia nos haberet, non poſſet verè dici Dominus. addo, tunc dominum ſe ſibi viſum, cum benefaceret ſeruo, collocans eum in Paradiſo. Cum igitur aliquis ſubtrahit ſe à Dei voluntate, priuat illum, quantum in ſe eſt, ſuo dominio, aufert titulum principatus, quem in hominis poſſeſſione conſtituit aufert ipſum inſigne regni ſiquidem dicitur. *Iſrael ſceptrum hæreditatis*

Deus nô ante vocatur dominus quam hominem creet.

Dei admniſtrationem in Mundo regendo ſic eleganter, ac pulchrè declarat. *Deus omnipotens, & omnitenens, incommutabili æternitate, voluntate ſemper idem, non per tempus, nec per locum motus mouet per tempus creaturam temporalem, & eo motu naturas, quas intrinſecus ſubſtituit, etiam extrinſecus adminiſtrat, & per voluntates ſibi ſubditas, quas per tempus, & corpora ſibi atque illis voluntatibus ſubditas quæ per tempus, & locum mouet, eo tempore ac loco, cui ratio in ipſo Deo vita eſt ſine tempore ac loco.* Vide quàm ſub limicèr Dei operatio ſit intelligenda: non igitur cum Deus ex his aliquid agit, putemus mobilem, atque mutabilem; mouet immotus, tempora diſponit æternus &c.

Deus immotus, & immutabilis Mũdi feriem diſponit

De Dei locutione ſic. *Deus per ſubſtantiam ſuam non loquitur niſi ad creandas omnes naturas; ad ſpiritales verò & intellectuales non ſolùm creandas, ſed illuminandas, cum iam poſſunt capere locutionem eius, quæ eſt in Verbo. illis autem qui eam capere non poſſunt, non niſi per creaturam loquitur* nunc: ſpiritalem, vt per Angelos in ſomnis; nunc corporalem vt per voces, & ſonos: vide quàm ſapienter Deus ſe ſubiectis rebus attem perat.

Dei locutio qualis ſit.

Ex Libro IX. ex Geneſi ad literam.

1 E*T immiſit Deus exſtaſim in Adam &c.* ſic legit, vnde colligi poteſt quantò nobilior, & admirabilior in Deipara extaſis fuerit, cum ex ipſa Deus carnem ſuſcepit. alibi ait, Adam tùnc inter Angelicos choros verſatum, eò quod illa Euæ formatio typus eſſet Eccleſiæ, quæ adminiſtratione Angelorum protegenda eſſet.

Exſtaſis Adam in formatione Euæ.

Dei pare extaſis in Chriſti incarnatione.

2 Feliciſſimum hominis ſtatum, ſi non peccaſſet, exponit. *Quanquam emiſſi de Paradiſo conueniſſe, & genuiſſe dicantur, tamen non video quid prohibere potuerit, vt eſſent eis etiam in paradiſo honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus. eſt hoc Deo poſſibile, vt ſine vllo ardore libidinis, ſine vllo dolore fœtus gigneretur, non vt morientibus parentibus filii ſuccederent, ſed vt parentibus in aliquo formæ ſtatu manentibus, & ex ligno vitæ vigorem ſumentibus, & filii ad eumdem perducerentur ſtatum, donec certo numero impleto ſine vlla morte animalia corpora & ſpiritalia vocarentur, eò quod ad omnem nutum regenti ſpiritui deſeruirent.* Nota pulchrè de pudiciſſimis nuptijs in ipſo Paradiſo, & regio quodam animi imperio ad nutum regentis corpus. accedendum tamen eſt ad eum ſtatum, quantum fas eſt coniugibus per Sacramenti virtutem.

In paradiſo potuiſſent ante peccatũ eſſe nuptiæ ſed pudiciſſimæ

Si non fuiſſet peccatũ homines mortis immunes ſuo tempore tranſlati eſſent in cœlum

3 Pulchro exemplo dicta confirmat. *Quis homini obedienter, & piè viuenti præſtari potuiſſe neget quod diximus? qui non dubitat veſtibus Iſraelitarum impertitum eſſe quendam in ſuo genere ſtatum, vt per annos quadraginta nulla vetuſtatis detrimenta paterentur.* rectè, nam multò arctius inhæret animæ corpus, quàm indumentum. illud ad manna quidam referunt, hoc ad lignum vitæ refer. ſi igitur in deſerto nec veſtis, nec calceamenta ipſa ſunt attrita; quantò facilius fieri à Deo poterat, vt corpus incorruptibile perſeueraret? Idem ſic oſtendit. *Si Enoch, & Helias in Adam mortui, mortiſque propaginem in carne geſtantes creduntur redituri ad hanc vitam, & quod tandiu dilatum eſt, morituri; nunc in alia vita ſunt, vbi ante reſurrectionem carnis, antequam animale corpus in ſpiritale mutetur nec morbo, nec ſenectute deficiunt; quantò iuſtius, ac probabilius primis illis hominibus præſtaretur, ſine vllo ſuo, parentumuè peccato vi-*

Regium animi imperiũ in corpus ante peccatũ

Ante peccatū sine morte mutati essemus in Angelicam formam.

to viuentibus, vt in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent, vnde seculo finito cum omni potestate sanctorum in Angelicam formam non per carnis mortem, sed per Dei uirtutem multò felicius mutarentur. Vide ex quanta felicitate deiecti simus. sine morbis, sine senecta, sine mortis squallore commodius quàm per igneum Heliæ currum euecti in cœlum, mutati essemus *in Angelicam formam*, ex felici statu in felicissimum.

Tria in matrimonio seruanda fides, proles, sacramentum

Quid in nuptiis spectandum sit, docet. *Bonum, quod habent nuptiæ, tripertitum est: fides, proles, sacramentum. in fide attenditur, ne præter uinculum coniugale cum altero uel altera concumbatur: in prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè adiuuetur. in sacramento autem ut coniugium non separetur, & dimissus amor dimissa, nec causa prolis alteri coniungatur.* Vide quàm castè, ac piè matrimonium sit seruandum, tum nota inprimis tria, quæ obseruare debent parentes in prole, hæc sunt, amor, nutritio, religio, siue pietas in Deum.

Parentibus circa prolem tria obseruanda amor nutritio, religio.

Pergit ostendere ex quàm felici statu ad quàm infelicem lapsi simus: *Illi homines animalia quidem corpora gerentes, sed non moritura, nisi peccassent; acceptura, autem Angelicam formam, nisi peccassent, cœlestemque qualitatem, mox vbi præceptum transgressi sunt, eorum membris velut aliqua ægritudo lethalis mors ipsa concepta est, mutauitque illam qualitatem, qua corpori dominabantur, ita vt non dicerent: Sentio aliam legem; &, quis me liberabit de corpore mortis huius? &c. nam & si nondum spiritale, sed animale corpus erat, nondum tamen erat mortis huius. quid enim aliud non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quandam inchoauimus, qua sumus sine dubio morituri? neque enim tam necesse est eum ipso morbo mori, qui hydropicus, vel elephantiosus factus sit, quàm eum qui hoc corpus habere cœperit.* Vide vt hæc non tam vita, quàm continuus fluxus ad mortem sit, & ab ipso conceptu ægrescere incipiamus lethaliter. adde intestinum bellum rebellis carnis, ac passionum.

Præsens vita ægritudo lethalis est

Animi imperium in corpus ante peccatum exponit. *Ante peccatum homo ita imperare poterat membris aptis ad procreandos filios, sicut ceteris imperat sine pruritu voluptatis. si enim Deus apibus donauit, vt sic operentur generationem filiorum, sicut ceræ speciem, liquoremque mellis: cur incredibile videatur primis hominibus talia dedisse corpora, vt &c.* pulchrè dictū. vide quid futurum fuisset genus humanum ante peccatum, tanquam castarum apium examen inter flores versantium, ad mellificiū: ita illi in florente paradiso. quanta in apibus mundicia.

Antepeccatū genus humanum quasi castū apiarium fuisset.

Inobedientiæ malum ostendit, & obedientiæ bonum, *Lex nunc in membris repugnat legi mentis. & quid hac pœna iustius, quàm, vt non ad omnem nutum seruiat corpus? idest suus famulus animæ, sicut Domino suo detrectauit ipsa seruire* contra verò, inquit, merces parua non est, *vt cum anima Deo subdita legem istam peccati, quæ est in membris corporis, per gratiam vicerit, proemium cœleste percipiat maiore cum gloria, demonstrans quanta sit laus obedientiæ, quæ alienæ inobedientiæ pœnam potuit virtute superare.* acutè notat pœnam correspondere peccato. rebellio carnis in animam exorta est, quia anima per peccatum rebellis fuit Deo.

Caro nō obedit animae quia anima non obediuit Deo.

Quærit, cur non dictum sit, finxit, aut fecit, sicut in aliis operibus; sed ædificauit Dominus costam, idest tanquam domum? *certè ob aliquid significandum est factum, fructum futuri seculi iam tum prædicante præscio Deo.* acutè notat modum loquendi, refertq; ad Ecclesiæ ædificationem: ideo enim mira illa extasi Adam affectus, in Euæ formatione.

Eua ædificata dicitur typus ędificandæ Ecclesiæ

Adduxit ea ad Adam) hoc non est factum voce aliqua, qua audita conuenirent animalia, aut more venantium qui capiunt feras: *sed sicut mouet Deus omnia temporibus opportunis non ipse temporaliter motus, per Angelica ministeria, qui capiunt in Verbo eius, quid quo tempore fieri debeat,* Nota ministerium Angelorum ab ipso Mundi exordio circa hominem, & hoc vt ille suum dominium agnoscat in ceteras animantes.

Angelorū ministeria ab ipso mundi exordio.

De formatione mulieris sic. *Aliter quæritur, quemadmodum sit soporatus Adam, costaque eius sine vllo doloris sensu à corporis compage detracta sit. hęc enim fortassè dicantur potuisse per Angelos fieri: formare autem vel ædificare costam, vt mulier esset, vsque adeò non potuit nisi Deus, vt ne illud quidem carnis supplementum, quod in locum costæ successit, ab Angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de puluere terræ; non quod nulla sit Angelica operatio, sed non ideò creatores sunt, quia nec agricolas creatores segetum, atque arborum dicimus.* nota: non negat absolutè potuisse per Angelos immitti soporem; & costam sine dolore auferri, vel puluerem in vnum colligi, sed ipsa formatio, & viuificatio hominis tātū opus est, vt Deum requirat opificem, huc spectat quod addit. *Quemadmodum homines in terra operentur, nouimus; quemadmodum autem Angeli in hoc Mundo quasi agricolentur, non vtique nouimus.* pulchrè indicat, bonos Angelos agricolarum instar, post dæmones debellatos, quasi vomere laureato in nobis excolendis exerceri; vt in-

Angelica operatio qualis esse possit in homine praeser formationem

M 2 dignum

dignum sit non ferre fructus: Item ad dit. *Costa hominis fortè ministrata est per Angelos, in opere Creatoris sicut semẽ Abrahæ dispositum est per Angelos in manu mediatoris.* nota dignitatem, vt formationi mulieris ministrarint Angeli. discant ex hoc illæ Angelicam puritatem imitari. hinc aliquo modo colligo, Deiparam ab ipso conceptu multò magis Angelorum famulatu, & obsequiis honoratam, ac proinde si ne labe peccati, cũ & Angeli ipsi creati fuerint in gratia. cur non dominæ datum quod ministris?

Gal. 3.

Costa ex qua Eua formata ministrata per Angelos

De Christi conceptu sic. *Poterat Dominus carnem suam de costa, vel alio membro Virginis sumere. sed in matris corpore ostendit; nihil pudendum esse quod castum est.* vide quanti castitas apud Deum æstimetur. nihil est vile quod castum.

Deiparę conceptio Angelorum famulatu honorata.

Pergit de Euæ formatione dicere. *Illa exstasis, quam Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per exstasin particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret nouissima; nam euigilans, & costæ sacramentum intelligens ait; hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Vide incredibilem honorem exhibitũ viro in mulieris formatione: interfuit tunc Adam Angelicæ curiæ, & in Dei sanctuarium introiuit. nempe illa Euæ formatio Ecclesiam. referebat quid dicendũ, de Deipara, cũ ex ipsa carnẽ accepit Deus? qua exstasi, & quàm admirandá, & excelsa eleuatam putamus? item vide quàm prona sit ad lapsum natura nunc, cum Adam ex Angelico consortio & è Dei sãctuario vix egressus tã facile sit lapsus, & tam citò. prophetauit quidem de ceteris rebus, non de peccato suo futuro, huc refer quod sequitur. *hoc nunc os ex ossibus meis &c. propter hoc relinquet homo patrem &c. hæc verba cum primi hominis fuisse scriptura testetur, Dominus tamen in Euangelio Deum dixisse declarauit; non legistis, inquit, quia qui fecit ab initio, masculum, & fœminam fecit eum? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem &c. vt hinc intelligeremus propter exstasin, quæ præcesserat in Adam, hoc eum diuinitus tanquam prophetam dicere potuisse.* acutè colligit Adam propheticè locutũ. quippe prophetæ nõ tam suo, quàm Dei ore loquũtur.

Cur Christus non è costa virginis formatus.

Adam in Euę formatione interfuit Angelicæ Curiæ.

Præstantia Deiparæ in incarnatione Christi.

Matth. 19.

Adæ prophetia in formatione Euæ.

Ostendit non fuisse Deo difficile ex latere Adam formare Euam. *Cur ad rei gestæ proprietatem quod de Christo factum est, & tantùm ad figuratam significationem quod de Eua scriptum est credibile non uideretur? an verò sine cuiusquã cõcubitu vir ex fæmina fieri potuit fæmina ex viro non potuit? & virginalis vterus, vnde vir fieret, habebat; virile autem latus, vnde fœmina fieret, non habebat? cum hic dominus de famula nasceretur, ibi de seruo famula formaretur.* acutè & pulchrè proportionem aliquam ostendit in figura, & figurato.

Euæ formatio sine fœmina Christi sine viro.

Hoc ad gratiæ necessitatem pertinet. *Quod attinet ad naturam iniqua sua volũtate deprauatam, recursum per semetipsum non habet, sed per Dei gratiam, qua adiuuatur, & instauratur; neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est: Omnes, qui ambulant in ea, non reuertentur. dictum est enim secundùm pondus iniquitatis suæ; vt qui reuertitur, quod reuertatur, non tribuat sibi, sed gratiæ Dei; non ex operibus, ne fortè extollatur,* rectè ait, peccatum quasi graue põdus ad ima demergere; sed gratiæ deberi, quod subleuemur quasi pẽnis inductis. hinc illud per prophetã dictũ: *perditio tua ex te, Israel: tantummodò in me auxilium tuum.*

Prou. 2.

Per gratiam datus reditus ad Deum

Ex Libro X. de Genesi ad literam.

1 EXponit illud Ecclesiast. *Et conuertatur puluis in terram sicut fuit, & spiritus ad Deum, qui dedit eum.) Quemadmodum ergo caro non redit ad homines, ex quibus creata est, sed ad terram, vndè primo homini formata est; ita & spiritus non redit ad homines, à quibus transfusus est, sed ad Deum, à quo primæ illi carni datus est. quo testimonio admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam,* acutè colligit, animum non formatũ ex re præexistente, quia non dicitur redire ad hominem, sicut de corpore ad terram. ad Deum igitur redit, à quo ex nihilo creatus. nec reditus præexistentiam denotat.

Ecc. 12.

Animæ creatio ex nihilo probatur.

2 De peccati fomite sic. *Peccatum in membris est violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis huius, veniens de vindicta illius peccati, vnde propaginem ducimus. contra quod peccatum militant omnes sub gratia constituti, non vt non sit, sed vt non regnet; vt ait Apostolus.* nora de fomitis violentia; scilicet regnum animæ vsurpare tyrannicè conatur, contra quem quasi milites nos armatos esse oportet sub gratiæ vexillo. Aloysius nostem inter ceteros admirãdus, qui tam acrẽ hostem ita domitum habuit, vt nihil ille contra auderet.

Gal. 5.

Contra fomitem militamus sub gratiæ vexillo.

Alo si Gõsagæ felix castitas.

3 Docet quando primùm peccare incipiamus. *Quidam nolunt peccatum proprium attribuere, nisi ab anni quarti decimi articulo cum pubescere cœperint: at grauibus vitiis plena est & puerilis ætas; quam-*

Quoto anno ætatis peccãdi fiat initium.

Maior pœna peccati quò quis fit adultior — *quamuis in eis non ita, vt in maioribus puniendà videantur, quod sperentur annis accidentibus, quibus ratio conualescat, posse præcepta salutaria melius intelligere, iisq; obedire.* quid dicerent illi hoc tempore, cum malitia, & astutia creuerit vel in pueris, & spes illa quam concepimus de resipiscentia cum magis ratio vigebit, penè euanescat? & nota quod quò fit adultior, eò maiore supplicio dignus si peccet, quia vigens ratio magis contradicit.

4 Nihil infanti obesse dicit, si nascatur ex adulterio *Neque enim in prauis moribus naturæ dona increpanda sunt, aut propterea non debuerunt germinare frumenta, quod ea seuerit furantis manus.* facit hoc ad solatium nothorum, si rectè ipsi vixerint. scimus doctissimos viros, & piissimos ita natos: nimirum sibi quisque vltrò nocet. sed rectè adulterum comparat aliena rapienti.

5 Quis sit finis animæ infusæ corpori, si quæratur, *Respondemus animas quidem corporibus hominum Deum nouas singillatim dare ad hoc, vt in carne peccati rectè viuendo, & concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis, & in Christo in æternum cum Angelis viuant.* Vide quàm excellentem ad finem conditi simus. vt strenuè militemus Deo iuuante contra diabolum atque vitia; ac demum victoria, communiter parta, maturo tempore in cœleste Capitolium laureati spolia deferamus, & vnà cum Angelis degamus in ea patria, quæ verè est ciuitas Regum. — Quem ad finem conditi simus.

6 Dei præscientiam in creando nemini obesse docet. Non ideo quidam infantes moriuntur sine baptismo, quasi fiat in pœnam, quia si vixissent, futuri erant mali: quod si esset verum *incerti, essemus eorum salutis, qui hac vita bene gesta in Ecclesiæ pace defuncti sunt.* suspicari enim quis posset puniri ob delicta quæ fecissent, si diutius vixissent. nota Dei iustitiam, & pietatem, non quia præuidit inimicum suum forè, ideò antequàm peccet, odit, ac punit. — Deus neminem punit ob solâ præsciẽtiam.

7 De anima vt quidã intelligũt, Christi explicat locũ illũ sapiẽtiæ. *Fortasse ideò ait; Sortitus sũ animã bonã. quia solent quæ sorte dantur, diuinitus dari. vel ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum, sortis nomen accepit, quasi illa anima iis præcedentibus ad tantum apicem subuecta putaretur, vt cum ea Verbum caro fieret.* rectè interpretatur: sicut in sortibus non respicitur meritum, sed euentus, ita incarnationem Verbi humana natura mereri non potuit, sed merè id Dei beneficium fuit. — Sap. 8. — Incarnatio Verbi cur sors dicatur.

8 Pulchrè ostendit semper inhærendum Deo. *Non ita debet se homo ad Deum conuertere, vt cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat; sed ita vt ab illo semper fiat. neque enim sicut operatur homo terram, vt culta atque fœcunda sit, qui cum fuerit operatus, abscedat, relinquens eam aratam, satam, rigatam; ita Deus operatur hominem iustum, iustificando eum, vt si abscesserit, maneat in absente quod fecit; sed potius sicut aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit. ille itaque operetur hominem bonum, atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est, semper ab illo fieri, semperq; perfici debemus, semper inhærentes ei. Mihi autem, inquit, inhaerere Deo bonum est, & fortitudinem meám ad te custodiam.* his venustè addit. *Dei sumus figmentum non tantùm ad hoc, vt homines simus) sed ad hoc vt boni simus.* vide vt omnimodè pendeamus à Deo, non modò in fieri, vt aiunt, sed in conseruari. & nota differentiam terræ germinum: ita enim *Dei agricultura sumus*, vt ait Apostolus, vt eius coloni operatione, ac præsentia semper egeamus. — Continuo Dei præsidio indigemus. — Ps. 72. 18.

9 Acutè dignitatem obedientiç in verito pomo agnoscit. *Non potuit diligentius, & melius commendari, quantum malum sit sola inobedientia, quàm cum ideò reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non vtique peccasset.* non ita accidit, si res per se noxia tangeretur, & venenata; at esus ille nec per se noxius erat, nec prohibenti Deo incommoda, vt est homini ablatio pecuniæ, sed tantùm vt obedientiæ bonum appareret, & contra. Tum inobedientiæ malum grauiter ostendit. *Non potest fieri, vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat; hoc expertus est Adam &c.* nota voluntatis propriæ quasi plumbeam molem, qua Adam & se, & suos oppressit. simile est talentum illud plumbi apud Zachariam, quo iniquitas grauatur. — Quãtum sit obedientiæ bonum ostenditur. & cõtra. — Volũtas propria pondus est opprimẽs animam.

10 De summo Dei imperio in res creatas hæc habet. *Quia omnino incommutabilis est natura illa Trinitatis, & ob hoc ita æterna, vt ei aliquid coæternum, esse non possit, ipsa apud se ipsam, & in se ipsa sine vllo tempore ac loco, mouet tamen per tempus, & locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate, vt in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit, in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit, nulla mala sit, qua bene vti non possit.* præclarè dictum de dispositione rerum omnium ex Deo, eiusq; incommutabili natura. — Summũ Dei imperium in res creatas.

In eandem sententiam sic ait. *Dei prouidentia regens, atque administrans, omnē creaturam, & naturas, & voluntates; naturas vt sint, voluntates autem, vt nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint: subdit primitùs omnia sibi, deinde creaturam corporalem spiritali, irrationalem rationali, terrestrem cœlesti, minus valentem valentiori, indigentiorem copiosiori; in voluntatibus autem, bonas sibi, ceteràs verò seruientibus sibi.* vide quàm sapienter, & prouidè omnia disponat Deus, & quàm præclarum ordinem constituerit: primùm omnia sibi subijciēs, tum res alias alijs secundùm gradus cuiusque.

Gubernatio pulchra rerum creatarum.

Pergit de dominio Dei in res creatas dicere. *Sublimibus Angelis Deo subditè fruētibus, & Deo beatè seruientibus subdita est omnis natura corporea, omnis immortalis vita, omnis volūtas vel infirma vel praua, vt hoc de subditis, vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit, iubente illo, cui subiecta sūt omnia, in quo illi veritatem incommutabilem vident, & secundùm eam suas dirigunt volūtates.* Vide pulchrum ordinem, vt inferiora pareant sublimibus Angelis, Angeli Deo. & nota præstantem Angelicæ naturæ dignitatem, cui corporea famulantur, &c.

Angeli quibus rebus præsint.

Angelorum item in Deum obedientiam, atque obsequium exponit, *Angeli fiunt participes æternitatis, & veritatis, voluntatem Dei semper facientes in tempore, & loco. mouentur autem eius imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. nec ita sunt, vt ab eius contemplatione resiliant, aut diffluant; sed simul, & illum sine loco, & tempore contēplantur, & eius in inferioribus iussa perficiunt; mouentes se per tempus, corpus autem per tempus, & locum, quantum eorum congruit actioni; & ideo* Deus *bipertito prouidentiæ suæ opere præest vniuersæ creaturæ, naturis vt fiant, voluntatibus autem, vt sine suo iussu, vel permissu nihil faciant.* nota duplex prouidentiæ munus. tum Angelos imitatione exprimi ab ijs, qui licet Dei iussu occupētur in ministerijs inferiorū, *tamē nunquam ab eius contemplatione resiliunt.*

Angelorum obedientia, & ministeria sine dispēdio beatitatis.

De dependentia creaturarum à Deo. sic. *Natura vniuersitatis corporalis non adiuuatur extrinsecùs corporaliter; neque enim extra eam est vllum corpus; intrinsecus autem adiuuatur incorporaliter Deo agente, vt omnino natura sit; partes verò eiusdem vniuersitatis, & intrinsecus incorporaliter adiuuantur, vel potius fiunt, vt naturæ sint, & extrinsecus corporaliter, quo se melius habeant; spiritalis autem creatura si perfecta est, sicut Angelorum est, quantum attinet ad se ipsam, quo sit, sapiensq; sit, non nisi intrinsecus incorporaliter adiuuatur, intus quippe ei loquitur Deus miro, & ineffabili modo; extrinsecus verò si adiuuari dicenda est, eo fortasse solo adiuuatur, quod se inuicem vident, & de sua societate gaudent in Deo, & quod perspectis etiam in eis ipsis omnibus creaturis, vndique gratias agit, & laudat creatorem. quod autem attinet ad creaturæ Angelicæ actionem, per quam vniuersarum rerum generibus, maximèque humano prouidentia Dei prospicitur, ipsa extrinsecus adiuuat, & per illa visa, quæ similia sunt corporalibus, & per ipsa corpora, quæ Angelicæ subiacent potestati.* acutè notatum, qua ratione Deus vtramque creaturam corporalem, & spiritalem adiuuet, intrinsecus, & extrinsecus. in quo illud religiosis maximè nostræ Societatis congruit, quod, *dum se inuicem vident, & de sua Societate gaudent, & gratias agunt Deo.*

Creatura tū corporalis tum spiritalis quomodo à Deo dependeat.

Hoc ad Innocentium martyrum gloriam facit. *Habet & puerilis ætas magnum testimonij pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.* agit hoc loco de paruulis baptizandis: ac nota illud pulchrè dictum. *testimonii pondus*, & hoc vbi tam tenera, tam mollis, & leuis ætas; sed pretium fusi pro Christo sanguinis magni ponderis fuit ad fidem faciendam.

Infantiū Innocētiū mors magnum testimonii pondus.

Ex Libro XI. de Genesi ad literam.

E*T eiecit Adam, & collocauit eum contra paradisum voluptatis, & ordinauit Cherubim, & flammeam rhomphæam, quæ vertitur.* nota sic legit. *ordinauit*: militari voce, tanquam aciem quandam multorū Cherubim armatorum constituit. ita Adā & in se ipso bellum sensit per concupiscentiam, & extrinsecus per armatos contra ipsum Dei ministros: tàm enim Cherubim, quàm ordinandi vox plures indicat.

Cherubim tā quam ordinatus exercitus igneum vibrans gladium ante paradisum.

Serpens erant prudentissimus, seu sapiētissimus bestiarum.) Quid mirum si suo instinctu diabolus implens serpentem, eiq; spiritum suum miscens eo more, quo vates dæmoniorum implere solet, sapientissimum eum reddiderit omnium bestiarum. nota vt serpens ille Pythio Apollini præluserit, nam, & python nomen est serpentis: primò diabolus impleuit pythonem, postea pythonissam. illum Eua consuluit, & introducta mors est; hanc Saul, & consecuta mors est. sed verius iste python ab eo vulneratus est, quide se ait: *posuit me quasi sagittam electam.* Es. 49.

Diabolus in serpente sicut in pythonissa loquens.

De eodem serpente sic. *Non debemus opinari quod serpentem sibi, per quem tentaret, diabolus elegerit; sed cum esset in illo decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.* hinc colligo diuinam prouidentiam, quæ non nisi per

Diabolus non [illegible] a Deo [illegible].

per id animal hominem tentari permisit, ex cuius lubricitate lapsum, & ex tortuositate fraudes conijcere posset, vnde manare non crederet consilium rectum. neque enim Diaboli superbia ad vilem serpentem se inclinasset, nisi permissus.

De tentatione Adæ sic. *Si quæratur, cur Deus tentari permiserit hominem, quem consensurum esse præuiderat, altitudinem quidem consilij eius penetrare non possum, sed tamen quantum vel donat sapere, vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene viuere, quem nemo suaderet maleuiuere &c. & vt sic ostenderet, quod rectè ipse vteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ peruersè vterentur naturis bonis.* huc spectat quod addit. *cur Deus tentari permisit hominem? an quia probatur, & exercetur virtus, & est palma gloriosior non consentisse tentatũ, quam non potuisse tentari?* & illud in eandem sententiam subiungit venustè. *Frustra dicitur, non crearet Deus, quos præsciebat bonis profuturos.* dum scilicet mali bonos affligendo occupantur, de horũ virtute apertius cõstat. Vide quibus de causis Deus tentationẽ permittat, vt & per victoriam materia suppetat coronatum, atque palmarum; & per constantiam probetur verus amor.

Cur Deus tẽtationes permittat.

Redit ad serpentem. *Quod per serpentem tentauerit, ei prouidentiæ tribuendum est, sub qua & ipse diabolus suam quidem habet cupiditatem nocendi, facultatem autem nonnisi, quæ datur.* rectè tribuit prouidentiæ, vt serpentis specie potissimum tentatio esset, ex cuius aspectu ipso, & natura poterat intelligi fraus; ita diaboli cupiditatem nocendi frænauit, ne per columbam, aut aliam rem mitiorem seduceret.

Dei prouidentia vt non nisi per serpentem diabolus tẽtauerit.

Docet quod fuerit peccatum in Angelis lapsis. *Nonnulli dicunt casum diaboli fuisse, quod inuiderit homini facto ad imaginem Dei, sed inuidia sequitur superbiam, non præcedit; nam superbia est amor excellentiæ propriæ, inuidia verò odium felicitatis alienæ. amando autem quisque excellentiam suam, vel fratribus inuidet, qui ei coæquantur, vel inferioribus, ne coæquentur. superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est. meritò initium omnis peccati superbia dicitur; nec incongruè Apostolus ait. radix omnium malorum est auaritia, si auaritiam generalem intelligimus, qua quisq; appetit amplius quàm oportet propter excellentiam suam, & propriæ rei amorem, qui dicitur primatus. neque verò essent homines amatores pecuniæ, nisi eo se putarent excellentiores, quo ditiores; cui morbo contraria charitas non quærit quæ sua sunt, idest non priuata excellentia lætatur. hi duo amores, alter tranquillus, alter turbulentus distinxerunt ciuitates duas, alteram iustorum, alteram iniquorum.* Vide quàm inuidia se latè extendat. acutè autem duo loca conciliat; in quorum altero primatus datur superbiæ, in altero auaritiæ: nempe superbiam ad auaritiam refert, quia superbus vt alijs sit superior, vult ditescere.

Eccl. 10.

1. Tit. 3

Quod fuerit peccatũ Angelorum reproborum superbia an inuidia.

Respondet obiecto. *Dices*: Adam aut erat præscius peccati futuri, aut incertus: neutro modo esse potuisset beatus ante peccatum: non si præscius, ob meum; non si inscius, ob ignorantiam. sed dicendum aliquo modo dici beatum: *Quippe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, vt nulla esset tribulatio, cui tolerandæ patientia militaret. esset tamen beatus inferiore modo quàm in vita sanctorum, supercælestiumq; Angelorum.* ceterùm si nunc iusti exultant, licet cum timore & tremore, quantò magis tunc in statu innocentiæ? nota illud. *patientiam tolerandæ tribulationi militare.* adeò armata illa semper esse debet, sed quibus armis? audi. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* & *dedisti eis scutum cordis laborem tuum.*

Beatitudo Adã in paradiso inferior quam beatorũ in cęlo.

Patientia tolerandæ tribulationi militat.

Petr. ep.

Ter. Thr.

Terent.

Errare dicit eos, qui putant. *Diabolum in malitiam non libero voluntatis arbitrio esse deflexum, sed in hac à Deo creatum, ex eo quod apud Iob dicatur: Hoc est figmenti Domini initium, qui fecit vt illudatur ab Angelis eius, & in Psalmo: Draco iste, quem finxisti ad illudendum.* sed contra est, quia in genesi dicitur. *Fecit Deus omnia bona valde. dicitur autem factus, vt illudatur ab Angelis eius. quia cum sciret illum propria voluntate malum futurum, vt malis noceret, creauit ad hoc, vt de illo bonis ipse prodesset. illuditur autem ab Angelis, cum sanctis prosunt tentationes eius. & ideò initium dicitur, quia & malos tanquam capitis eius corpus, Deus malos sponte futuros præuidens, creauit; tamen ad vtilitatem sanctorum. qui similiter illuduntur, cum his præstatur humilitas, & intelligentia gratiæ, & exercitatio ad tolerandos malos.* vide vt Deus omnia dirigat ad bonum nostrum, etiam mala & nota qua ratione illudamus diabolo, per humilitatem, idest cum nos illudi patimur pro Christo per opprobria. rectè item ait, cũ tẽtationem vincimus, illudimus Diabolum, quia cum tam strenuum se putet, & veteranum hostem, vt dicatur de ipso apud Iob: *deridebit vibrantem hastam &c.* tamen per crucis signum in derisum cedit.

Iob. 50.

Ps. 103.

Tentationis victor, illusor est diaboli.

Illudi propter Christũ est illudere diabolo.

Iob. 41.

Confirmat quod dixerat de lapsu dæmonum voluntario. *Diabolus non diceretur cecidisse, si talis esset factus; sed factus continuò sè à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus; vnde beata, atque Angelicæ vitæ dulcedinem non gustauit. hinc illud apud Esaiam. Quomodo cecidisti Lucifer &c. quæ in figura Regis Babylonis in diabolum dicta intelliguntur*

Diabolus non natura malus sed suo vitio.

Esai. 14.

Matth. 13. Diaboli & hominis improbi mira cognatio, & re & nomine. Ioan. 6.

guntur, & in eius corpus, præsertim in eos, qui ipsi per superbiam inhærent: sicut enim, qui erat diabolus, homo dictus est apud Matthæum. Inimicus homo hoc fecit, ita qui homo erat, Diabolus dictus est apud Ioannem. Vnus ex vobis Diabolus est. vide quanta cognatio sit inter Diabolum, & peccatorem. vt vnus alterum referat, & re, & nomine.

Infelix casus vel hæretici vel peccatoris.

9 Exponit illud Ezechielis. In delicijs paradisi Dei fuisti &c. aitq; ad Diaboli corpus hoc pertinere. Paradisus dicitur Ecclesia in Canticis, hortus conclusus, & Paradisus cum fructu pomorum; inde ceciderunt vel aperta separatione hæretici, vel occulta conuersi ad uomitum. vide ex quàm felici statu exulet vel hæreticus, vel peccator. huc etiam refert quod sequitur. Fuisti in medio lapidum flammeorum, scilicet sanctorum spirituum feruentium. egregiè hoc, & ad eos referri potest, qui è religione ad sæculum redeunt. ac vide quid sit inter veros religiosos versari. in medio lapidum flammeorum. sicut & de Angelis dicitur. qui facis ministros tuos flammam ignis. ob feruorem charitatis.

Ex religione eiici quàm miserum sit.

10 Quæ vis sit in incantatione serpentiũ & quò ea spectet, ostendit. Serpens non intelligebat uerba, cum nec ipsi energumeni rationali anima præditi intelligant, quæ dicunt. Nam quod serpentes putantur audire, & intelligere verba Marsorum, vt eis incantationibus prosiliant plerumq; de latebris, etiam illic diabolica vis operatur ad cognoscendam vbique prouidentiam, quam rem cui rei naturali ordine subijciat, & quod etiam voluntatibus malis sapientissima potestate permittat. nota ut Dei prouidentia, sapientia, potestas ubique emineant. addit illud notabile. Quod serpentes maximè moueantur carminibus hominum, quàm vllum genus animantium, non parua testatio est, naturam primitùs serpentis seductam esse colloquio; gaudent enim dæmones, hanc sibi potestatem dari, vt ad incantationes hominum serpentes moueant, vt quolibet modo fallant quos possunt. hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam, quod fit cum hoc genere familiaritas quædam. Vide quanta sit hominis peruersitas, ut per incantationem cum serpente commercium adhuc habere uelit, unde eius primò perditio profluxit; cum serpentem maximè detestari debeat tanti memor exitii. sed diabolus gaudet, quia per hoc repræsentatur prima pernicies, quam intulit per familiaritatem serpentis.

Dei prouidentia, sapientia, & potestas uel in magicis artibus attendẽda.

Incantatio serpentium primum peccatũ ex serpẽte repræsentat.

11 Ait, ideò permissũ esse diabolo in serpẽte loqui. Vt per naturam serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo hæc gesta scribuntur, omnis diabolicæ tentationis similitudo. nota, cur non per mitius, & amabilius genus animantis permiserit Deus diabolũ loqui: ut ex ipso aspectu, & natura eius cõstaret: quid esset tẽtatio, scilicet serpẽtinæ insidiæ, tortuositas corporis, linguæ bifidæ uibratio &c. quid nisi fraudem indicant? & nota in omni tentatione, quæ nunc fit, repræsentari primam illius astutiam, & uafritiam serpentinam.

Omnis tẽtatio refert primam illam serpentis astutiam

12 Item de serpentis astutia sic. Serpens dicitur prudentissimus bestiarum, hoc est astutissimus propter astutiam diaboli, qui in illo, & de illo agebat dolum; sicut dicitur astuta lingua, quam astutus mouet; & stylus mendax scribarum, quod per eum mendax mendaciter operatur. addit de modo loquendi. sic locutus est serpens homini, sicut asina Balaam, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum. habent enim quædam opera similia Angeli & boni, & mali, sicut Moses, & Magi Pharaonis; sed boni Angeli potentiores, quia nec mali Angeli talium quicquam possent, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus. nota ut dæmones subiiciantur Angelis sanctis, si quid miri uideantur operari, quod non nisi Deo permittente fit.

Angelorum dominium in dæmones si quid mirũ permittantur operari.

13 De interrogatione diaboli sic. Quare dixit Deus, non edatis, &c? Ideò hæc prius interrogauit serpens, vt præuaricatio esset inexcusabilis, ne mulier se oblitam diceret præcepti, quamquam obliuio, ipsa præcepti præsertim vnius, & tam necessarii ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret. nota malignitatẽ diaboli. profectò reducẽdo in mentem præceptum, poterat potius ueteri ne mulier deterreretur a peccando, tamen in memoriam reuocauit, ut faceret peccatum inexcusabile omnino, ne obliuionem prætenderet. nota etiam non facile superiorem debere multiplicare præcepta: unum initio dedit Deus, ne labi memoria posset.

Cur diabolus meminit præcepti dati, quod potius deterrere poslet.

14 Euam verbo suasorio vsam putat ad Adam; hanc autem fortasse ideò assensisse. quia illam eo cibo mortuam non esse videbat. uide ut obediẽtia simpliciter seruanda sit, etiam si in contrario malum non uideas. nam Adam debuit attendere ad mortem animæ potius, quàm corporis. illam statim incurrit, ad hanc cursum iniit. uide etiam, impunitatis cogitatio quantum inuexerit mali.

Obedientia simpliciter seruãda.

Impunitas alit scelus

15 De peccati damno sic. Mox vt præceptum transgressi sunt, intrinsecus Gratia deserente, omnino nudati, quam typho quodam, & superbo amore potestatis offenderant. en quanta mali labes ex offensione Gratiæ, cui nihil tam inuisum, & infestum, quàm typhus, hoc est fastus, & superbia. hæc Gratia homini quasi regi pro purpureo paludamento fuit; hac deserente in nuditatem incidit.

Superbia gratiæ infensa hostiliter.

Gratiæ regium animæ indumẽtum

16 Exponit illud. In quacumque die comederis, morte morieris.) Hæc mors ea die accidit, qua factum est quod Deus uetuit: nam

nam amisso primo statu, corpus eorum duxit morbidam, & mortiferam qualitatem, quæ inest etiam pecorum carni, ac per hoc eundem motum, qui fit in pecoribus concumbendi appetitus, vt succedant nascentia morientibus; sed tamen etiam in ipsa pœna tunc generositatis vindex anima rationalis bestialem motum in membris suæ carnis erubuit. nota de peccati erubescentia, quæ tantum homini relicta, vt differet a pecude. id autem Adam accidit, tum quia insolitum, tum quia ex peccato ortum videbat. vide ergo vt homo decora gratiæ purpura exutus, in turpitudinis inciderit ruborẽ: qui verò erubescentiam in pecando non habet, planè uidetur bestia, quasi ratione careat. pulchrè autem ad generositatem refert tueri pudorem, & de eius iniuria erubescere. huc facit quod sequitur.

Mundani non erubescẽtes de peccato plane pecudes sunt.

Generositatis est in pudoris materia erubescere.

Cognouerunt se nudos.) Hic sensit Adam qua prius gratia vestiretur, quando sua nuditate nihil indecens patiebatur. ibi completum est illud psalmi. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; auertisti autem faciem tuam, & factus sum conturbatus. Vide quantum decoris conciliabat animæ regius amictus gratiæ, quæ & pro mundo muliebri illi erat. & nota quantam turbationem excitare debeat amissio, & iactura tanti decoris.

Gratia decor est animæ, & regiũ paludamentum

Psal. 29.

Consuerunt folia ficus.) Ad folia ficulneæ cucurrerunt; & quia glorianda deseruerunt, pudenda texuerunt. est hoc pulchrè per antithesin dictum. *glorianda, & pudenda* opposita sunt. gloriosus erat splendidus amictus gratiæ, erubescendus uilis foliorum contextus ad tegendum quæ mox exarescerent.

Folia ficus ad ignominiã pertinebant

Audiui vocem Dei ambulantis in paradiso ad vesperam.) Ea quippe hora tales iam conuenerat visitare, qui defecerant à luce veritatis. fortassis enim in illis intrinsecus, vel effabilibus, vel ineffabilibus modis Deus antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, & si non tanta participatione diuinæ sapientiæ. fortassis etiam illo modo, qui fit per scripturam, siue in exstasi spiritus corporalibus imaginibus, siue ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata, vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut in Angelis suis solet Deus videri, vel sonare per nubem. nunc autem cum audierunt vocem deambulantis, non nisi per creaturam visibiliter factum. nota cur Deus ad uesperam uenerit, ut Adam nosset se esse in occasu, ac defectu diuinæ lucis. item nota uarios diuinæ locutionis modos; & probabile est Deum cum Adam locutum etiam per exstases, qui tamen diuinæ locutionis honos vna vxoris cum serpente locutione disperijt.

Cur Deus ad vesperã conuenerit Adã.

Varii modi quibus Deus loquitur.

Adam ubi es?) Ideò prior interrogatur vir, quia prior præceptum audijt. *præceptum à Domino per virum venit ad fœminam; peccatum autem à Diabolo per fœminam venit ad virum.* vide per quas manus peccatum inauspicatò transierit. & nota, quò obstrictiores Deo sumus, eò magis diuino examini nos fore subiectos, iuxta illud. *tempus est vt incipiat iudicium a domo mea.* quod religiosi adnotent.

Cur Adã a Deo prius interrogatus.

Quis indicauit tibi quod nudus esses &c.) Nunquam Deus ante peccatum permisit aduertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens. nota cur non aduerterent ante peccatum se nudos, quia exstasi quadam ad cœlestium rerum contemplationem rapti; quæ ad corpus pertinent, quasi alienati à sensibus non aduertebant.

Cur primi parẽtes ante peccatũ non aduerterẽt se nudos

Abscondi me.) Probabile est solere Deum per creaturam tali actione congruam in forma humana primis illis hominibus apparere: sic apparebat, vt homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambre. illa ipsa prope amicitia pudorem onerabat post peccatum quæ fiduciam dabat ante peccatum; nec iam audebant ostendere talibus Dei oculis nuditatem illam, quæ displicebat & suis: nam si ipsos pudebat ante se ipsos, vnde & succinctoria fecerant, multò vehementius ab illo etiam sic succincti videri verebantur. rectè ait, beneficia Dei quasi pondus magnum esse, quo pudor oneretur, si quis eis non respondens peccet. huc refero illud prophetæ. *onus verbi Domini: dilexi vos.* acutè ait. *non audebat ostendere talibus Dei oculis nuditatem illam, quæ displicebat & suis.* tantum ignominiæ oritur ex peccato.

Dei amicitia onus est peccati.

Ingens ignominia ex peccato

Mulier, quam dedisti mihi &c.) Nunquid dixit, peccaui? nimirum superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem: nam & nunc homines ad Creatorem conantur referre, si quid egerint mali, & ad se, si quid egerint boni. Nota peruersitatem hominum, si quid mali agunt, tribuunt id præscientiæ Dei, dispositioni astrorum, aut naturæ temperamento, & dispositioni, qua à Deo creati sunt; si quid verò boni, sibi. & illud quàm iniquum? offert se peccatoris oculis ipsius peccati monstrosa deformitas, nec tamen vult illud fateri, vel tollere. nihil peccato vilius, & tamen pro humilitate superbiam secum fert.

Peccat deformitas pro humilitate arrogantiam fert.

Quam dedisti mecum.) Idest vt esset mecum, quasi non potius data sit, vt ipsa obediat viro, & ambo Deo. Vide quid coniuges inter se spectare debeant, & quo fine coniungi. non voluptas est matrimonij finis, sed virtus. vide etiã vt statim post peccatũ desipere incipiat Adam peruersè loquẽdo.

Matrimonii finis virtus est non voluptas.

Et ipse dominabitur tui.) Rectè accipi potest, hanc seruitutem hic significatam, quæ cuiusdam conditionis est potius, quàm dilectionis.

Gal. 5.

Eua quia subiecit virũ suæ voluntati, meruit ei subiici.

ctionis. dixit Apostolus; *per charitatem seruite inuicem. sed nequaquam diceret; Inuicem dominamini. maritas igitur habere dominium meruit non natura, sed culpa; quod nisi seruetur, augebitur culpa.* vide vt mulier alliciens ad peccatum virum, meruerit ei subiici, rectè, quia ipsa virum subiecit suæ voluntati, immò & morti.

Homo volens fieri Deus desiit esse etiam homo.

Factus est tanquam vnus ex nobis.) Exemplum timoris est incussum, quod non solùm non fuerit factus, qualis fieri voluit, sed nec illud, quod factus fuerat, conseruauit. acutè notat, per peccatum Adam non solùm non factum Deum, sed ipsum quod erat, hominem deperdidisse, brutis comparatum. habes superbiæ lucrum.

Eiectio de paradiso quasi quædã excommunicatio fuit.

Eiecit illum Dominus de paradiso.) Alienatus enim iam à vita, non solùm quam erat cum Angelis accepturus, sed ab illa etiam, quam ibi ducebat, separari vtique debuit à ligno vitæ; siue quod ex illo subsisteret, & felix ipse status corporis ex re visibili, virtute inuisibili; siue quod in eo esset sacramentum visibile inuisibilis sapientiæ. nota duplicem causam eiectionis Adam, præsertim secundam; quasi Eucharistici cibi typus esset cibus ille vitalis, quo se fecit indignum. & acutè ait, quia homo separatus est a Deo, qui est verè vita, debuit etiam separari a ligno vitæ. Addit pulchrè: *Alienandus fuerat vel iam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus, sicut etiam in hoc paradiso id est Ecclesia solent à Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica remoueri.* nota, præceptum illud fuisse quasi sub excommunicatione de remouendo à paradiso, & ab eius fructu quasi sacramentali esu, & à consortio, quo fruebatur Angelorum. hinc collige, illam quasi primam excommunicationem à Deo latam fuisse; & quid gladius ille igneus, nisi excommunicationis potestatem, & tãquam fulmen expressit? vide autem an huic quasi excommunicationi, peccatũ per originale contractæ obnoxiam fuisse conueniat Dei matrem, quæ non modò nunquam separata à Deo, sed dicitur in Cant. *proxima mea.*

Cur diabolus Euã potius adiecit quam Adam.

Ipsa dedit mihi &c.) Non est verisimile Adam putasse per illum esum se futurum sicut Deum, sed *quia credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quæ parui intellectus esset.* ideo Eua dicitur seducta non Adam. sic & Salomon vir tam sapiens non ideò colebat simulacra, quod putaret ijs inesse diuinitatem, sed *mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non eualuit, ne suas, quibus deperibat, mortiferas delicias contristaret.* pende verba singula, & vide quantum mali afferat alteri complacere. tum nota astutiam diaboli, qui non adiit Adam, sed mulierem, *quæ parui intellectus esset*, mulier igitur maximè cauere debet illusiones diaboli.

Vir instituere debet vxorem.

Deipara Iosephi gloria.

Sub viri potestate eris.) Dicit Apostolus: Vir non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri est. non quod mens fœminæ eamdem imaginem capere non possit, sed fortasse quia illa nondum perceperat, quod sit in agnitione Dei; & viro regente, ac dispensante paulatim fuerat perceptura. nota à viro vxorem institui debere de imagine Dei impressa in anima, & ideò ipsum primariò dici imaginem Dei; vxorem verò velato capite, hoc est pudenter, & verecundè ad viri magisterium discere debere. iam quod ait Apostolus. *mulier autem gloria viri est.* magnopere facere puto ad S. Iosephi decus. nam vir eius vocatur; quod autẽ nunquam conuenerint, ad maius decus facit. 2. Cor. 11

Ex Libro XII. de Genesi ad literam.

Propheticũ spiritum quis habere dicendus sit.

De prophetandi ratione hæc habet. *Magis Ioseph erat propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ, & septem boues, quàm Pharao, qui eas viderat in somnis. in hoc erat rerum imaginatio, in illo imaginationum interpretatio; sed maximè propheta, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat; vt Daniel.* idem referri potest ad nonnullos sanctos, qui prophetiæ spiritu excelluisse narrantur.

Xauerius obscœno somnio vsque ad sanguinẽ obluctãs

De ludificatione nocturna sic. *Naturalem carnis motum casti vigilantes cohibent, & refrænant. dormientes autem ideò non possunt, quia non habent in potestate, quæ admoueatur expressio corporalis imaginis, quæ discerni non possit à corpore. propter affectionem autem animæ bonæ. etiam in somnis quædam eius merita clarent. nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamq; neglectis alijs rebus, est precatus à Domino. & sicut scriptura testatur, placuit hoc coram Domino, nec distulit retributionem bonam pro desiderio bono.* nota illud de carnis motu, cui in somnis resisti non potest; & tamen Franciscus Xauerius dormiens restitit vsque ad sanguinem, quem, impetum sibi faciens obluctando, exudauit: quod neque in vigilantibus inuenit Paulus circa Dei præcepta: vos, inquit, *nondum vsque ad sanguinem restitistis.* quanquam de martyrio loquatur. itaque dici aliquo modo potest Xauerius martyr castitatis; ac tantò fortior, quantò languidior esse solet virtus in somno.

Sensus quinque quasi riuuli.

De corporis sensibus sic. *Corporis sensus per quinque quasi riuulos distanter valentes distribuitur*, elegans riualorum metaphora

taphora per quos sensus quasi profluunt; cauendum igitur ne limpidos hosce latices cupiditatum sordibus inquinemus.

Dæmones negat videre cogitationes hominum. *Sicut illam in Iobo nobilem, ac mirabilem patientiam si potuisset diabolus cernere, nollet à tentato vtique superari.* pulchrè nobilem vocat Iobi patientiam, qui tamen vili iacebat in sterquilinio: adeò virtus est quæ dat decus quantumuis abiecto. Tum vide quanta sit cogitationis humanæ vis, quam nemo penetret, nisi Deus. respondet autem obiecto. *Quòd longè facta dæmones nuncient, non est mirandum; possunt enim hoc efficere acrimonia cernendi etiam corporalia incorporalium, & mira velocitate.* sic energumenus dicebat, iam presbyterum aduentare, qui aberat duodecim millibus passuum. *& fortè phreneticus erat, sed propter ista dæmonium pati videbatur.* alter phreneticus prænunciauit futuram mortem mulieris, quæ adhuc erat incolumis; aiebat autem se mortuam vidisse, quod post paucos dies accidit. narrat & aliud notabile visum. *Puer alter æger die paschæ vidit chorum piorum psallentium, lætantium in luce mirabili, & impiorum in tenebris diuersis, & atrocissimas pœnas duobus eum ducentibus, & ostendentibus felicitatis, & infelicitatis meritum.* nota de die paschalis. quasi peculiari quodam tripudio tunc beati exultent in cœlo, & contra damnati luctuosius tristentur in inferno, nempe beatitatis beneficio per Christi resurrectionem adeptæ vltrò priuati.

Patiētia Iob nobilis ac mirabilis.

Dæmones internas cogitationes minime norunt.

Dæmones quomodo res prænuncient.

Notabile visū pueri de die paschali.

De arcana visionum ratione sic. *Si quis de visionibus quærat, interrogem eum, quid de somnijs dicat? quæ cum mira sint, non interrogat causam. ego verò multò amplius admiror, multòq; magis stupeo, quanta celeritate, ac facilitate in se anima fabricet imagines corporum, quæ per corporis oculos viderit, quàm somniantium, vel etiam in extasi visiones.* nota de admirabili vi animæ. quasi statuariæ in rerum imaginibus efformandis. tum de somnijs hæc addit. *Dormientibus in cerebro consopitur via sentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit, ideoq; ipsa intentio in aliud auersa cernit visa somniorum tanquam species corporales adsint, ut sibi dormiens uigilare uideatur; & non similia corporibus, sed ipsa corpora intueri se putet.*

Mira uis animæ in formandis rerū imaginibus.

De diuinatioue sic. *Aliquando quidam diuinat occulto instinctu, etiam id non intendentes, ut pueri quidam iocantes peregrini iter facientibus se mathematicos esse dicebāt, cum neque scirent, an duodecim essent signa. stupente hospite; cui omnia diuinabant, etiam filii aduentum proximum. alter puer in idolorum solemnitate quadam prædixit fanaticus, quendam paulo post à leone in uicina silua necandum.* Vide vt non statim hinc sanctitas arguatur, sed potius rectè facta miranda sint.

Diuinatio non semper indicat sanctitatem.

Explicat locum Exodi. *Ecce locus penes me est, & stabis supra petram, statim ut transiet mea maiestas &c.) Nec tamen sacra scriptura hoc etiam corporaliter factum esse narrauit. satisque per hoc demonstratum est, figuratè dictum esse in Ecclesiæ significatione; ipsa enim est locus penes Deum, quia est templum eius; & ipsa ædificata est supra petram &c.* Vide vt Dei maiestas in Ecclesia sit, ac proinde quam sanctè viuendum sit. *ipsa est locus penes Deum.* ergo hæretici a Deo longè recedunt.

Exod. 33

Ecclesia locus est penes Deum.

Quid sit tertium cœlum Apostoli, docet. *Tertium cælum, de quo Paulus, aut tertium visionis genus, quod superius est non solùm omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiantur sed etiam omni illo spirituali, quo similitudines corporum spiritu, & non mente cernuntur. aut si accipiamus tertium cælum, vt quartum est, sicut alij septem, alii octo, alii nouem, vel etiam decem perhibent, & in ipso vno firmamento multos gradatim esse confirmant. potest autem fieri vt etiam in spiritalibus, vel intellectualibus multos quosdam gradus quisquam esse contendat.* vide quam sublimiter sit rapsus qui dixit *nocte, & die in profundo maris fui.* quod tertium cœlum hoc materiale accipiatur in eo pulcherrimus planeta Lucifer est; de quo mystice ipse ait: *donec Lucifer oriatur in cordibus vestris* Addit. *cur non credamus, quod tanto Apostolo doctori gentium rapto vsque ad istam tertiam excellentissimam visionem, voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam viuendum est in æternum? & cur non dicatur iste Paradisus, quando & Ecclesia sicut Paradisus dicta est cum fructu pomorum.* Vide in quo posita sit Paradisi felicitas, quæ Paulo delibanda data est, vt nos ad eam consequendam atrius accenderet.

Quod fuerit tertium cœlum quo Paulus rapeus.

De statu animæ separatæ sic. *Vtrùm anima habeat corpus aliquod, cum de hoc corpore exirit, ego non puto, spiritalem enim esse arbitror, non corporalem. ad spiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus, qualia sæpe demonstrata sunt iis, qui rapti sunt à corporis sensibus, & mortuis similes iacuerunt; neque enim video, cur tunc anima habeat similitudinem corporis sui, & non habeat, cum penitus de corpore exierit.* vide, vt seriò metuenda sint quæ de pœnis Inferni diuinitus reuelata esse traduntur.

Visa de pœnis inferni nō sūt uana ludibria.

Quid sint Inferi, docet. *Me nondum inuenisse consiteor Inferos appellatos, vbi iustorum animæ requiescunt; cum autem ait Iacob: deducetis senectutem meam cum tristitia ad Inferos, videtur* hoc magis *timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, vt non ad requiem beatorum iret, sed ad Inferos peccatorum.* Mirum, & metuendum sanè est quod ait

Iacob patriarchæ timor de pœnis Inferni.

Nimiæ tristitiæ damna

ait de Sancto Iacob patriarcha, etiam post scalam in cœlū porrectā visam &c. metuēte inferni penā. vide quā perniciosa sit nimia tristitia de luctu suorum: quid dicēdam de aliis delictis grauioribus? deinde ait: *Inferi latinè appellantur, quod infra sint. sicut autem secundùm corpus inferiora sunt grauiora; vnde græcè Inferi ἀιδης dicūtur, ex eo quod nihil suaue habeant. nec ipsam tamen rerum partem noster Saluator mortuus visitare contempsit, vt inde solueret, quos esse soluendos secundùm diuinam secretamq; iustitiam ignorare nō potuit.* Nota etymon græcum, vnde Inferi dicti sint, à priuatione omnis gaudij, & à tristitia. puto autem idem intelligendum de purgatorii pœna, quæ non differt nisi duratione ab ea, quæ Inferis propriè dictis inest, quamquam Angelorum solatio non destitui credēdum est; quem locum vt piorum, visitarit Christus, & quos voluerit, liberarit.

Infernus græcè dictus quod omni careat suauitate

Iterum docet quid sit tertium cœlum Apostoli. *Si cœlum primum rectè accipimus, hoc est omne corporeum generali nomine quicquid est super aquas, & terram; secundum cœlum in similitudine corporali quod sponte cernitur, sicut illud, vnde animalibus plenus in exstasi Petro discus ille submissus est: tertium verò quod mente conspicitur, ita secreta, & remota, & omnino abrepta à sensibus carnis, vt ea quæ in illo cœlo sunt, & ipsam Dei substantiam Verbumque Deum in charitate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre, non congruenter arbitramur, & illuc esse Apostolum raptum, & ibi fortassis esse paradisum omnibus meliorem; & si dici oportet, paradisum paradisorum. si enim animæ bonæ in rebus bonis lætitia est in omni creatura, quid ea lætitia præstantius, quæ in Verbo Dei est, per quod facta sunt omnia?* nota pulchrè vocatum *paradisum paradisorū*, vbi Dei visio est.

Paulus raptus ad tertiū cœlū Dei visione tantisper fruitur.

Tertium celum vbi Deus videtur paradisus paradisorum.

Soluit obiectum: *Dices, quid opus est corpora in resurrectione recipere, si potest etiā sine corporibus summa illa beatitudo præberi? difficilis quidem est ratio; sed tamen minimè dubitandum, & raptam hominis à carnalibus sensibus mentem, & post mortem ipsa carne deposita, & transcensis etiam similitudinibus corporalibus, non sic videri posse incommutabilem substantiam, vt sancti Angeli vident, siue alia latentiore causa, siue ideò quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat. porrò si tale sit corpus vt nunc, cuius sit difficilis & grauis administratio, multò magis auertitur mens ab illa visione summi cœli. proinde cum hoc corpus iam non animale, sed per futuram commutationem spiritale receperit, Angelis coæquata perfectum habebit naturæ suæ modum obediens, & imperās, viuificata & viuificans tā ineffabili facilitate, vt sit gloriæ, quod sarcinæ fuit.* Vide quid nūc agat in anima appetitus terreni corporis administrandi: scilicet impedit, ne Angelis coæquemur. item vide quantum honoris & gloriæ redundet in vile corpus, ex eo quod animæ se subiecerit imperio. pulchrè dictum de corpore respectu animæ *vt sit ei gloriæ, quod sarcinæ fuit.* mira Dei vel potentia, vel clementia.

Iusti in cœlo Angelis coæquati.

Corpus vbijciens se animæ decus sibi comparat.

Ex Libro de Agone Christiano.

1 EXponit illud Ioannis. *Princeps huius Mundi eiicietur foras) Non quia extra Mundum, vt aiunt hæretici, missus est, sed foras ab animis eorum, qui adhærent Deo, & non diligunt Mundum, cuius ipse princeps, dominans eis, qui diligunt temporalia.* Nota stultum hæreticorum interpretationem de diabolo, extra hanc rerum vniuersitatē exulante. tum de hoc principe debellato pulchrè addit: *Dominus iam triumphantem naturam hominis portans, scitote, inquit, quia ego vici Mundum.* huc spectat quod sequitur. *Multi dicunt quomodo possumus vincere diabolum, quem non videmus? sed habemus magistrum, qui id demonstrare dignatus est, de quo ait Apostolus:* Exuens se carne, Principatus, *& Potestates exemplificauit fiducialiter triumphans eos in se metipso. ibi ergo vincuntur inimicæ inuisibiles Potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates,* pulchrè ostendit, in qua victoria positus sit triumphus. intuere igitur Christum exuentem se carne per mortem, sed spoliis triumphalibus indutum naturæ nostræ, & captiuos, catenatosque trahentem hostes. habes apud Habacuc talem triumphum præclarè descriptum. *Ante faciem eius ibi mors, & egredietur diabolus ante pedes eius &c.* & nota, vbi vulgata habet: *traduxit*: ipse ex græco legit: exemplificauit, hoc est in exemplū ostendit, vt alii discant, quomodo sit diabolus vincendus, per humilitatem, scilicet tolerantiam &c.

Ioan. 12 16.

Christi præclarus triūphus imitandus.

2 A peccato sic deterret. *Dictum est diabolo: terram manducabis; dictum est peccatori: terra es, & in terram ibis. datus est ergo in cibum diabolo peccator. non simus terra, si nolumus manducari à serpente.* sicut autem cibus conuertitur in comedentem, ita & peccator in diabolum per nequitiam hoc puto vel ex eo constare, quod Christus de Iuda dixit: *& vnus vestrum diabolus est.* Vide quid sit peccator, diaboli cibus, quem in se transmutat.

Peccator diaboli esca est.

3 Manichæos insectatur. *Manichæi dicunt, ante Mundi constitutionem fuisse gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellauit,*

uit, in quo bello credunt miseri, Deum non sibi aliter potuisse succurrere, nisi partem suam contra eam gentem mitteret, quæ deuorata eius gentis principes temperati sunt, vt posset Mundus de ipsis fabricari; ita Deum peruenisse ad victoriam, sed cum magnis cruciatibus membrorum suorum, quæ commissa sunt tenebrosis visceribus principum illorum; & eam Dei partem per eam commistionem perdidisse intellectum, & beatitudinem, & magnis erroribus implicatam: eam autem non totam purgari posse: & proficere ad vinculum, vt illigetur malitiæ sepulchro; & huc referunt illud Apostoli: rectores harum tenebrarum, Vide ad quàm impias ineptias hæresis adducat. multa hic agnoscit absurda, inprimis quod Deus non per creaturam, sed per ipsam suam naturam pugnarit cum tenebris, & quod hæ deuorata Dei parte factæ sint meliores; contra verò Dei natura, quæ vicit, deterior. in quo illud adnoto, quod hi putarent, dæmones ipsos comesta Dei parte factos meliores; at Christiani per euchariſtiam, vbi Deus integer sumitur, raro meliores euadunt, quia dignè non sumunt.

Impia Manichæorũ dogmata de Deo.

Ephes. 6.

4 Ostendit omnia diuinæ prouidentiæ subiici; nam & boni vltrò faciunt eius voluntatem bene operando, mali inuiti puniuntur, quod malè sint operati. *Omnes diuinæ prouidentiæ seruiunt; sed alii obediunt vt filii, & faciunt cum ea quod bonum est; alii ligantur vt serui, & fit de illis quod iustum est. ergo de bonis, & malis benefacit Deus. boni tota voluntate seruiunt Deo, mali necessitate; nemo enim leges omnipotentis euadit: sed aliud est facere quod lex iubet, aliud pati quod iubet*. pulchrè diuinæ prouidentiæ regimen, & imperium demonstrat, quasi omnium dominæ.

Prouidentia rerum domina

5 Peccati voluptatem in pœnam verti ostendit. *Mundani ea appetunt, quæ perniciosè diliguntur. gaudet & piscis, cum hamum non videns escam deuorat, sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primò, deinde ab ea lætitia ad consumptionem trahuntur: sic &c.* huc refero illud: *facies hominis quasi pisces maris*, cum peccata permittit. Vide quàm fallat voluptas; & vt ea quasi esca vtatur diabolus, qui in hoc Mundo quasi mari animas sibi expiscari studet.

Voluptas esca sub latente hamo diaboli.

Habac. 1

6 Affectum in Deum præfert intelligentiæ. *Quis potest intelligere quomodo vniuersæ creaturæ conditor Deus gubernet eam per animas sanctas, quæ ministerio eius sunt in cælis, & in terris? qui potest intelligere, intelligat, & intret in gaudium Domini; si autem hoc nunc minimè possumus, gustemus saltem quàm suauis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentimus eius dulcedinem; & desideremus ipsum vitæ fontem, vbi sobria ebrietate iucundemur. talis ebrietas non euertit mẽtem, sed rapit sursum, & obliuionem præstat omnium terrenorum*. Vide quàm delectabilis sit contemplatio diuinæ prouidentiæ, Mũdum Angelico ministerio gubernantis. nota etiam, sufficere si in discendo aliquid amoris in Deum, & supernæ dulcedinis hauriamus, etiã si quædam difficilia non percipiamus. pulchrè appellat *sobriam ebrietatem* spiritus, hac affectus Xauerius clamabat, sat est domine, sat est.

Dei gubernatio per ministeriũ Angelorum.

Sobria spiritus ebrietas in sanctu.

7 Item de Dei gubernatione sic. *Mundas animas rationales per se ipse Deus curat, siuè in optimis, & magnis Angelis, siue in hominibus tota sibi voluntate seruientibus. cetera verò per ipsos gubernat*. Vide vt Deus totus quodammodo intentus sit in fouendis amicis suis, Angelis, ac religiosis inprimis, eius voluntati per obedientiæ votum addictis. tum exponit illud: *nunquid de bobus cura est Deo?* nimirum quia quomodo homo agere debeat cum Deo, Deus ipse docet in scripturis, quomodo autem cum pecoribus, docet vsus, & peritia, & ratio naturalis. prima tamen est omniũ causa.

Deus per se gubernat Angelos, homines, cetera per ipsos.

1. Cor. 9

8 Eos arguit, qui alium saluandi hominis modum voluissent, quàm incarnationem, & passionem. *Stulti sunt, qui dicũt; non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & omnia illa pateretur? dicimus, poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. si enim non appareret oculis peccatorũ, lumen eius æternum, ab inquinatis mentibus videri non posset. nunc quia visibiliter commonere dignatus est, vt ad inuisibilia præpararet, displicet auaris quod nõ aureum caput habuit; displicet superbis, quia contumelias pertulit; displicet delicatis, quod crucifixus est; et ne videantur vitia sua defendere, non in homine dicuntur sibi hoc displicere, sed in filio Dei: nec intelligunt ita infirmitates nostras esse sanandas. hæc enim medicina tanta est, quanta non potest cogitari; nam quæ superbia sanari potest, si paupertate filii Dei nõ sanatur? quæ iracundia, si patientia &c.* acutè perstringit hominum malitiã, qui, ne hæc appareret tam apertè, nollent Dei filiũ ea media ad saluandum accepisse, quæ ipsorũ vitia arguunt. ac nota illud maximè auarorum votũ, quibus displicet quod Deus nõ aureum habeat caput, vt statua Nabucdonosor, at maluit pro nobis caput habere compunctum spinis. quamquam dicitur in canticis *caput eius aurum optimum*, sed hoc mysticè intelligendum de Christi diuinitate: facit hoc ad Christi præsepe, vbi pauper iacuit, quod nollet auarus, quia sic ipse arguitur; sed meminerit statuam illam cũ aureo capite visam, lapso lapillo confractã velut in fauillã abiisse, tenuemq; puluisculũ

Cur Christus passionẽ elegerit ad mundum saluandũ.

9 Fructum incarnationis ostendit. *Erigat spem suam genus humanum, & videat*

quantum locum habeat in operibus Dei: nolite vos contemnere, viri; filius Dei virum suscepit. nolite vos contemnere, fœminæ, filius Dei natus ex fœmina est. nolite amare tēporalia, quia si bene amarentur, amaret & filius Dei. nolite timere contumelias, & mortē, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo Deus. hæc omnis hortatio quæ iam vbiq; prædicatur, & colitur, non essent in Mundo, si illa facta nō essent. Nota de humani generis honore ex incarnatione, tum de magisterio ad salutem, quo discimus nihil esse malum præter peccatum. ac vide vt incarnatio Verbi latè se extendat ad salutem omnium omnimodè perficiendam.

Dignitas humanę naturæ ex incarnatione.

10 Christum inprimis proponit imitandum. *Si multum de nobis sentimus, digne mur imitari eum, qui filius altissimi vocatur; si parum, audeamus imitari peccatores, & publicanos, qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem &c.* Vide vt omnibus aperta sit via salutis. mox ostendit fructum ex hac Christi imitatione collectū. *hinc omnis sexus, & ætas, & omnis huius sæculi dignitas ad spem æternæ vitæ commota est. pauci adhuc murmurant, & inani liuore torquentur ex hæreticis, Iudæis, Paganis; sed Ecclesia Catholica per totum orbem longè latèq; diffusa impetus eorum prioribus temporibus frangens, magis magisque roborata est non resistēdo, sed perferendo; nunc verò insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit etc.* nota de communi conspiratione ad salutē per exempla Christi; quod ad religiosorū penè infinitum numerum maximè pertinet. denique concludit: *subiiciamus animam Deo, si volumus ei subiicere corpus nostrum, & de diabolo triumphare.* Vide mirū ex subiectione triumphum, dū anima subiicitur Deo, corpus animæ. hæc subiectio ex captiuo liberum facit; vincula mutat in torques.

Via salutis omnibus patet.

Fructus ex imitatione Christ.

Ecclesiæ propagatio.

11 Hęreticos, qui fictam, & falsam carnem attribuebant Christo, sic arguit. *Nesciunt quomodo substantia Dei administrans omnia inquinari non possit; & tamen prædicant istum visibilem Solem radios suos per omnes fæces, & sordes corporum spargere, & eos mundos, sincerosq; seruare; quātò magis inuisibilis veritas &c. ita cū timent ne humana carne veritas inquinetur, veritatē dicunt esse mentitam.* acutè eos perstringit: putabant carne contaminari diuinitatem & tamen Solem colebant. qui radios cœno non inficit; quanquam illa caro ex Virgine purissima fuit. cum autem Dei filium fictam carnem sumpsisse dicebant, consequens erat, primam veritatem fuisse mentitam, quo quid absurdius? quid tam contrarium veritati quàm falsitas, & fictio?

Dei operatio incaminatis Solis radiis cōparata.

12 De Christianæ vitæ perfectione sic. *Post resurrectionem iussit Dominus discipulis vt in dexteram partem mitterent retia, quod cum fecissent, ceperunt pisces, qui omnes magni erant, & omnes iustos significabāt, quibus dextera promittitur.* nota saluandos magnis piscibus comparari. nempe non aliquid paruum, aut mediocre, sed quiddam præclarum, & magnum requiritur ad salutem.

13 Schismaticos sic perstringit. *Petrus errans in amore Domini, seruo, non libero aurem dexteram præcidit; ex quo significantur eos, qui gladio schismatis feriuntur, seruos esse carnalium desideriorum, nondum eductos in libertatem Spiritus sancti, & non audire quod dextrum est, idest Domini gloriam per catholicam Ecclesiam peruagantem, sed audire sinistrum humanæ inflationis errorem.* nota. Malchus hebraicè est, Rex eorum, & tamen hic seruus erat, & non modò more seruorum perforata est ei auricula, sed abscissa, eaque dextera, idest qua veritas auditur; non sinistra, & falsa doctrina; ita sunt schismatici, liberos se putāt, sed serui sunt, & veritatis auditum amiserunt. & vide quid sit audire Domini gloriam, dexteram præbere aurem sanam, & integram veritati. vbi nota, mundanos quoque qui non Dei gloriam, sed propriam audire satagūt, carere aure dextera, & tantùm vti sinistra.

Schismatici sinistrā tantum habent aurem, abscissā dextera.

Dei gloriam libenter audire est vti dextera aure, sui uerò, sinistra.

14 Ex Ecclesiæ propagatione arguit Donatistas. *Quomodo isti dicunt, in sola parte Donati remansit Ecclesia? cum manifestū sit, ex quo tempore ab vnitate præcisa est, non nullas gentes postea credidisse, & adhuc esse aliquas, quibus quotidie non cessatur euangelium prædicari. quis nō miretur esse aliquem, qui se Christianū dici velit, & aduersus Christi gloriam tāta impietate rapiatur, vt audeat dicere, tot populos gentium, qui adhuc accedunt ad Ecclesiam Dei, inaniter facere, quia non eos aliquis Donatista baptizet?* possunt hæc referri ad hæreticos nostri temporis, certè enim, prę ter tot nationes Catholicas nostri orbis, etiam penitùs abdita regna barbarorum quotidie catholicam amplectūtur fidem: num ipsi soli sapiunt, qui reiiciunt, & eā in Donatianæ sectæ angustias compellunt?

Propagatio Catholicæ fidei uel apud barbaros arguit hæreticos.

15 *A*cutè carpit hæreticos, qui se Catharos, hoc est mundos dicebant. *Non sunt audiendi, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata non posse dimittere; itaque miseri dū in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claues regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. nubentes viduas tanquam adulteras damnant, ac se super doctrinam Apostolicam mundiores appellant, qui si nomen suum vellent agnoscere, mundanos se potius quàm mundos vocarent.* lepide dictum. rectè arguit: mūdus enim purus dicitur, cōtra mundanus, idest voluptuarius, quales ipsi. acutè itē arguit; nā dū Pōtificē max. schismatici nō agnoscunt, claues cœli tenētē, cōsequēs est, vt ipsi à cœli introitu excludātur. quod autē deterrere aliosà peccando

Hæretici Cathari dicti nō mundi, sed mundani.

schismatici negātes pontifici claues cœli se ipsi hinc excludunt.

cādo putabant, negando omnem potestatē absoluendi. rectè item hoc arguit: *hi cum veniam peccatorum negant, non eos sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam.*

16 Obiiciebant circa resurrectionem carnis illud Apostoli: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* respondet: *at idem dicit; oportet corruptibile hoc induere incorruptionem &c. cum enim hoc factum fuerit, iam non erit caro, & sanguis; sed cæleste corpus: non iam hominibus, sed Deo viuent æquales Angeli facti. mortui, inquit, resurgent incorrupti, & nos immutabimur: vt & illud verum sit, quod resurget caro, & quod caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.* papę quàm præclarum decus. *iam non erit caro, & sanguis, sed cæleste corpus.* non tamen vult intelligi mutatam naturā in aliam, sed fore incorruptibile, splendidum, leue, vt cœli sunt. illud quoque quàm eximium. *non iam sibi, sed Deo viuent, æquales Angelis facti.*

Cor. 1.

Beati in coelo Deo viuent quasi in coelesti corpore.

17 Rerum temporalium curam damnat, vt nec cupiditas sit acquirendi, nec metus amittendi: *per quas duas ianuas intrat, & regnat inimicus, qui primò Dei timore, deinde charitate pellendus est.* Nota duas portas, per quas intrat in animam diabolus, vt possessionem, & regnum inuadat; ac vide quàm sint apertæ semper auaris. opponendus est igitur timor Dei, timori deperdendi terrena, & amor Dei amori terrenorum: his clauibus claudendę sunt fores.

Diabolus per duas portas intrat in possessionem animę.

Ex Libro de opere Monachorum.

1 **D**E labore manuum in religiosis sic. *Mirandam rem fecit Apostolus, qui in tanta sollicitudine omnium Ecclesiarum, & propagatarum, & propagandarum, etiam manibus operabatur; & cum apud Corinthios egeret, nemini eorum erat grauis, sed quod deerat, suppetebant fratres ex Macedonia.* Notent hoc religiosi mendicantes, ne nimis molesti proximo sint; ne petendo pecuniam, impediant animarum lucrum. rectè *mirandam rem* vocat: nam quis hoc non stupeat in Paulo, qui eas manus, quibus totum terrarum amplectebatur, labore atterebat artis?

Labor manuum Monachis cōmendatur exemplo Pauli.

1. Cor. 1.

2 *Arguit eos, qui in seculo humili loco nati, in religione delicati fiunt. Veniunt plerumque ad hanc professionem seruitutis Dei ex conditione seruili, vel etiam liberti, & ex vita rusticana, & ex opificū exercitatione, & plebeio labore; multi ex eo numero verè magni & admirandi extiterunt; nam propterea, & infima Mundi eligit Deus, vt confunda fortia. hæc pia cogitatio facit, vt tales etiam admittantur, qui nullum afferunt mutatæ in melius vitæ documentum; neque enim apparet vtrùm venerint ex proposito seruitutis* Dei, *an vt vitam inopem, & laboriosam fugiant, pasci & vestiri, insuper honorari volentes, à quibus contemni consueuerant. tales itaque quò minus operentur, se excusare non possunt infirmitate corporis; præteritæ quippe vitæ consuetudine conuincuntur; vmbraculo igitur se tantæ disciplinæ contegunt ex male intellecto euangelio: Respicite volatilia cœli; sed per superbiam, & altitudinem se extollendo; & fœnum agri, sed carnaliter sentiendo.* sedent otiosi, & verbosi &c. pulchrè, & acutè ipsos perstringit, & in eos retorquet locum euangelii male intellectum de volatilibus, & fœno; cum ipsi nihilominus ob superbiam elati volatilia videantur, & ob carnalem, & terrenum intellectum, fœnum. tum nota quod ait. *multi ex conditione seruili, & rusticant in religione magni, & admirandi extiterunt,* est hoc contra nobilium, & doctorum fastum. sed vide quàm præclarus sit religionis status, vbi etiam qui viles, & rudes è seculo venerunt, tanquam in palęstra virtutis, ac sapientię exerciti, atque exculti, illustres, ac celebres euadunt.

In seculo viles in religione delicati taxantur.

Multi è plebe in religione clarissimi euaserunt.

3 *Ad paupertatis votum hoc pertinet. Si huius terrenæ reipublicæ antiqui principes præclarissimo scriptorum eloquio prædicari solent, quod rem communem vniuersæ ciuitatis priuatis suis rebus sic anteponebant, vt quidam eorum Africa edomita triumphator, quid nubenti filiæ daret, non habuerit, nisi ex senatus consulto de publico dotaretur: quo animo debet esse in rempublicam suam ciuis æternæ illius ciuitatis Hierusalem, nisi vt illud, quod propriis manibus elaborat, habeat cum fratre cōmune?* Vide vt paupertas etiā gētilibus in pretio fuerit. affert exēplū Gn. Scipionis. vbi nota de vitanda proprietate à religiosis. Bellarminus noster Cardinalis adeò omnia pauperibus dabat, vt vix reliquerit quo iusta sibi fierent.

Paupertas etiā apud ethnicos in honore fuit.

Val. Max l. 4 c. 4.

4 Nobiles in seculo, postea in religione humilitatis exempla dare debere dicit. *Etiam illi, qui relicta, vel distributa ampla licet, & opulenta facultate inter pauperes Christi, piè & humiliter numerari voluerunt, si corpore valeant, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, aliquid manibus operentur, vt pigris ex vita humiliore, & exercitatiore venientibus auferant excusationem: quo documento multò misericordiosius agunt quàm cum omnia sua indigentibus diuiserunt.* Vide quantò aliis ad virtutem incitamento esse possint religiosi generis splendore, & diuitiis inclyti, si se humilitati dedāt; quod inter ceteros noster Borgias fecit. ac nota ꝙ ait, bonū eorū exēplū maiori

Humilitas in religioso ex nobili prosapia magno exēplo est.

Fr. Borgiæ antea Ducis humilitas insignis.

esse lucro, quàm relictas opes; quia nimirum communitati benefaciunt.

Facultates quibus distribuendæ sint.

5 De facultatum distributione sic. *Nō est attendendum quibus in monasterijs, vel locis indigentibus fratribus impenderit quod habebat: omniū enim Christianorum vna respublica est.* nota, bona relicta distribuenda pauperibus, inter quos præcipuè ipsi religiosi sunt. qui autem hoc egit, nō ideò indulgātius tractari velit quasi benefactor. iā est propriū, sed commune quod dedit. pulchrè vocat Ecclesiā quasi rēpublicā vnam.

Tota Ecclesia vna respublica est.

Poena religiosi otiosi in seculo vilis.

6 Religiosis fratribus, qui in seculo erant pauperes, aut viles, si otiosi sint, cibum subtrahendum dicit: *Neque enim propterea in militia Christiana ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad superbiam extollantur; nullo enim modo decet, vt in ea vita, vbi fiunt Senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; & quò veniunt relictis diuitiis, ac delitiis suis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi fiant rustici delicati.* notabilis sententia in viles homines, qui delicatè in religione viuere volunt, vbi nobiles, & delicati asperè viuunt; quò nihil magis præposterum.

Sollicitudo rerū temporalium quæ vitanda.

7 Exponit illud. *Nolite solliciti esse, quid manducabimus &c.* non quod hæc omnino curanda non sint, sed ne in his finem ponamus; neque enim quia in tribulatione recurrendum est ad Deum, *ideò non debuit fugere Apostolus, & per murum in sporta submitti.* huc refer, & Stephani curam de victu mulierum, & Athanasij fugam eludendo hostem. addo verba ipsa indicare quid vitandum sit. *nolite solliciti esse.* sollicitudo, anxietas arguitur.

Religiosi mali bonum nomen religionis infamāt.

8 Religiosos hypocritas insectatur, et alios monet. *O serui Dei, milites Christi, ita ne dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem, ne dicant animæ bonæ, post odorem vnguentorum tuorum curremus, & sic laqueos eius euadant, omni modo cupiens obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaque dispersit circumeuntes prouincias, nunquam fixos, nusquam sedentes. alii membra Martyrum venditant; alii fimbrias, & philacteria sua magnificant; alii ad parentes, & consanguineos pergere mentiuntur; & omnes petunt, & exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. ita sub generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur tam bonum, tam sanctum. non nè ergo inflammamini zelo Dei? nonne concalescit cor vestrum intra vos, vt istorum mala opera bonis operibus persequamini?* Notabilis locus tum in malos religiosos, qui priuatis suis vitijs commune religionis nomen infamant; tum de zelo bonorum erga suam religionem, qui zelus

Religiosi clausuræ infensi taxantur.

non consistit in murmurando de alienis defectibus, sed in bene operando, quò malum nomen per alios deperditum ipsi resarciant. rectè increpat in primis clausuræ impatientes: *circumeuntes, nunquam fixos, nunquam sedentes.*

9 *A* religiosis negotia prorsus ablegat. *testem inuoco Dominum, quod multò mallem certis horis in monasteriis aliquid manibus operari, & ceteras horas habere ad legendum, & orandum, quàm perplexitates tumultuosas pati de negotijs sæcularibus.* Nota officium religiosi: domi laborare, legere, non autem negotiari foris. hoc tanti facit, vt testem suæ sententiæ inuocet Deum. Ignatius certè noster seriò id inculcat.

Religioso à negotiis secularibus abstinendum.

10 Habitum hypocritæ religiosi eleganter perstringit. *Sunt quidam criniti fratres, quorum præter hoc, multa, & penè omnia veneramur. illi venalem circumferentes hypocrisim, timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas, quàm comata. videlicet qui eos vident, antiquos illos videre se putent, Samuelem, ac ceteros qui non tondebantur. sed dicit Apostolus, cum transieris ad Christum, aufertur velamen; quod significabat Mosis velamen, hoc coma sanctorum. at alibi dicit: Vir quidem si comatus sit, ignominia est illi. respondent: qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, non sunt viri. ò dementiam singularem. qui hoc dicit, aduersus sacræ scripturæ præconia consilio nefandæ pietatis armatur.* quia in nouitate mentis nullus est sexus. nota in eos religiosos, qui totam sanctitatem ponunt in exteriori habitu affectatæ nimis horridioris capillaturæ. non institutum damnandum, sed finis ad aucupium laudis. quantò igitur magis vituperandus, si fortè quis, contra quàm isti, comatulus, & cincinnatulus incederet? eleganter illud dictum: *venalem circumferentes hypocrisim timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas quàm comata.*

Venalis hypocrisis in religiosi habitu arguitur.

1. Cor. 3. 11.

11 Exponit illud *Apostoli. Vir non debet velare caput. cum sit imago, & gloria Dei.) vbi autem sit hæc imago declarat alibi: Expoliantes veterem hominem, induentes nouum, qui renouatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius, qui creauit eum. quid ergo? nonne & mulieres habent hanc renouationem mentis? cur ergo non dicitur imago Dei? quia corporis sui sexu non eam significat, propterea velari iubetur: nam quatenus mulieres sunt, eam significant partem, quæ concupiscentialis dici potest, cui mens dominatur. quod ergo in vno homine mens, & concupiscentia, vbi illa regit, hæc regitur; illa dominatur, hæc subditur; hoc in viro, & in muliere secundùm sexum corporis figuratur.* Vide quantum

1. Cor. 11.

Colos. 3.

Cur vir dicatur Imago Dei, non mulier.

rum discrimen dignitatis inter virum, & mulierem, vt ille rationem, hæc concupiscentiam exprimat. ideo non hæc tam propriè, sed ille imago dicitur Dei; nam ratione, & sapientia Deo assimilamur.

Ex Libro de Spiritu, & litera.

1 HAereticos carpit, qui Dei adiutorium in natura ponebant, non in supernaturali gratia. *Aiunt hæretici ideò bona sine ope diuina non fieri, quia, & hominem Deus creauit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipse docet, quemadmodum homini sit viuendum, & in eo adiutorium esse positum, quod docendo aufert ignorantiam. nos autem dicimus, sic adiuuari, vt præter arbitrium, & doctrinam, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque summi illius, & incommutabilis boni, quod Deus est; & nunc nondum per speciem, sed per fidem, vt hac sibi veluti arrha data gratuiti muneris inardescat ei inhærere, vt ex illo bene sibi sit, à quo habet vt sit*. Vide effectum gratiæ, & cur detur; vt scilicet cum delectatione bene operemur, & cum dilectione feramur in Deum: alioquin tædio, & difficultate virtutis affecti, etiam si sciamus quàm honesta sit virtus, ac digna, non aggrederemur opus. Pulchrè dictũ. *vt hac sibi veluti arrha data gratuiti muneris animus inardescat*: ideo Spiritus sanctus ignea forma delapsus, largitor Gratiæ.

Gratiæ effectus vt in ardesca mus amore in Deum.

2 De eadem necessitate Gratiæ sic. *Vbi sanctus non adiuuat Spiritus, charitatem in corde diffundens, lex quamuis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obiice opposito, cuius molem cum euicerit maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluitur; nescio enim quomodo id quod concupiscitur, fit iucundius dum vetatur*. nota. experiuntur hoc religiosi maximè, vt si superior aliquid vetet, id, quod antea vix appetebant, post iussum auidius exoptent. adeo lex, & cognitio non iuuat ad operandum, nisi adsit gratia.

Non per legem, sed per gratiam bene operamur.

3 Explicat illud Apostoli. *Litera occidit, spiritus autem viuificat, & sapere secundùm carnem mors est.) Veluti si quis, quæ in Cantico canticorum dicuntur, non ad luminosæ charitatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis affectum accipiat*. Vide quomodo sacrum illud epithalamium sit spiritaliter intelligendum. faces illæ nuptiales, vt sacræ, splendidius lucent, luce scilicet *luminosæ charitatis*, idest dilectionis diuinæ erga animam. hæretici tanto lumine perstricti hebetãtur; at spõsa quærit sponsum in meridie. *Nota* opponit hæc duo, *luminosam charitatem, & libidinosam cupiditatem*. amoris casti lucidæ tædæ sunt, incesti fumidæ. rectè dictum, *ò quã pulchra est casta generatio cũ claritate*.

2. Cor. 3 Rom. 8.

Lumino sa Charitas libidinosæ cupidita ti opposita.

Canticũ cantic. castissimos amores continet cap. 4.

4 Ostendit iniuriam, quæ fit Gratiæ per peccatum. *Qui mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo? ait Apostolus. hoc est cum id præstiterit Gratia, vt moreremur peccato, quid aliud faciemus. si viuemus ingrati?* pulchrè per coniugata dictum, quid magis ingratum, quàm vitam gratis à Gratia acceptam non agnoscere?

Rom. 6.

5 Ex Gratiæ pulchritudine, & nobilitate &c. colligi dicit quàm fœdum & exitiabile sit peccatum, cui illa opponitur. *sicut quantò maioribus medicina laudibus prædicatur, tantò magis vituperantur, & horrentur vulnera, & morbi, à quibus liberat: sic laus & prædicatio Gratiæ damnatio est delictorum*. nempè si hæc vitalis, illud lethale &c. vidè quàm salubre sit de Gratia loqui, nam ex aduerso apparet peccati fœditas.

Pulchritudo gratiæ indicat quãta foeditas sit peccati cui opponitur.

* Ex libro de Ecclesiasticis Dogmatibus.

1 DE Angelorum creatione sic. *Cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, & aqua terram absconderet, facti sunt Angeli, & omnes Cœlestes virtutes, vt non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet, in quibus per multa ante spatia bonitatem suã ostenderet*. Vide quàm prompta, & velox sit Dei voluntas ad benefaciendum, & quã ab otio abhorrens: in Angelis primùm operosa, inde se transfudit in homines.

Angeli primum creati ne esset otiosa Dei bonitas.

2 Pulchrè ostendit per gratiam non tolli libertatem, immò perfici. *Omnium bonorum operum, virtutum &c. Deum profitemur auctorem. Dei autem auxilio non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum fit. tanta enim est erga homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sũt ipsius dona, & pro iis, quæ ipse largitus est, æterna nobis præmia sit donaturus; agit enim in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores simus Gratiæ suæ*. huc refero illud Pauli. *Gratia eius in me vacua non fuit*. dona sua in exercitio esse vult, quod est valde notandum. rectè autem Dei bonitatem exaggerat, *vt nostra velit esse merita, quæ sũt ipsius dona &c.*

Per gratiam nõ tollitur liberum arbitriũ sed perficitur.

Dei bonitas sua dona vult esse nostra merita

Signaculū imbecillitatis in nobis habemus.

3 Neminem esse sine peccato, cum ex aliis locis ostendit, tum ex illo Iob. *In manus omnis hominis signat vt sciat omnis homo infirmitatem suam.* Vide vt in nostris operibus quasi sigillum infirmitatis sit, quo agnoscuntur humana esse, dum sine gratia, vana & inutilia sunt.

4 *De* castimonia, & coniugio hæc habet. *Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum, & compescendæ fornicationis obtentu. melior est continentia, sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retinetur, nisi & cum causa vacandi Domino eligatur, alioqui diuortium magis coniugij videbitur esse quàm appetitio castitatis; Virginitas verò præclarior est, quia & naturam vincit, & pugnam; naturam corporis integritate, pugnam pace castimoniæ.* Vide vt castimonia naturam dignitate trascendat, & vt composito intestino bello fecialis more foedus feriat, dum carnem puniendo ferit victimæ ritu.

Virginitas & naturam vincit, & pugnam.

5 Quid clericatum dedeceat, ostendit. *Clericus non ordinandus, qui in scena lusisse cognoscitur; neque si quis aliquando in furias versus insaniuit, vel afflictione diaboli vexatus est, &c.* vide quanti faciat decorum in eo statu, etiam si culpa vacet, vt in energumenis.

Decorum in clericis seruãdum

6 Ad Martyrum decus hoc pertinet, *Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas affectu piissimo, & deuotione fidelissima adeundas credimus.* Nota, Martyrum templa quomodo adeunda. cum affectu scilicet, & honore. fidelis, inquit, mihi videtur deuotio, quæ quod honorat, imitando præstat.

Reliquijs SS. honor habẽdus ut Christi membris.

7 Eleganter comparat baptismum sanguinis, cum baptismo aquæ. Martyrum baptismus est, vterque fidem confitetur; ille aquæ intingitur, hic sanguini, vel igni. *ille manus impositione accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum efficit Spiritus sancti. ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis Christi, hic ipsi Christo commoritur. ille confitetur se Mundi actibus renunciaturum, hic ipsi renunciat vitæ. illi peccata omnia dimittuntur, isti extinguuntur.* nota pulcherrimam collationem inter baptismum sanguinis, & aquæ. quod ait & sanguine extingui peccata quasi flammam; narrat Dion, in exercitu Antonini ad sanãda bituminosi ignis vlcera adhibitum vulnerum sanguinem. vide martyrii excellentiam, & vtilitatem.

Baptismus aqua collatus cum baptismo sanguinis.

Martyrij decus & effecta.

8 Ad Eucharistiam spectat illud. *In Eucharistia non debet pura aqua afferri, vt quidem sobrietatis falluntur imagine; sed vinum cum aqua mistum; non bibam, inquit, de hoc genimine vitis &c. ac de latere eius effossa aqua cum sanguine egreßa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum.* ostenditur. rectè notat Christi carnem, vitem appellari, scilicet arbori crucis annexam. *Ego sum vitis vera.* ex vite autem non modò vinum, sed etiam aqua exprimitur. pertinet hoc precipue ad Sacerdotes, qui dũ sub vtraque specie hoc Sacramentum conficiunt, & sumunt, putent se os admouere lateris Christi plagę, hoc est maiori, & inde haurire

In calice cur cum vino aqua infundatur.

9 Docet malitiam à natura non esse. *Bona est caro nostra, & valde bona, vtpote à bono solo Deo condita, & non est mala, vt vult Ophianus; nec mali causa, vt docuit Florianus; nec ex malo & bono compacta, vt blasphemat Manichæus; sed cum sit creatione bona, arbitrio animæ efficitur bona vel mala, non immutatione substantiæ, sed executionis mercede.* vides vt nulla sit excusatio in peccando. tum nota Ophiani, hoc est serpentini hæretici venenum; sed hoc mirum est, Florianum ipsum in naturæ decus, & quasi florem insultasse.

Optiones hæreticũ aduersus carnis nostræ naturam arguitur

10 Beatorũ animas etiã ante iudicium visione Dei frui docet. *Post ascensionẽ Domini omniũ Sãctorũ animi cũ Christo sũt, & ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui.* est hoc contra hæreticos negantes ante iudicium *D*ei fruitionem. at & Latroni dictum est. *Hodie mecũ eris paradiso.* tanta enim est Dei benignitas, vt etiam hominis parti se totum dedat, nec moram ponat mercedi.

Beati etiã ante iudicium Deo fruũtur

11 De secreto cordis sic. *Internas animi cogitationes diabolum non videre certi sumus, sed motibus eas corporis ab illo, & affectionum indicijs colligi experimento didicimus. arcana cordis solus Deus nouit.* vide quàm indignum sit suspicari malè, cum res non apparet; & quanta sit dignitas actus liberi cogitationis, vt nec Angelis ipsis pateat, prēter Deum. addit notabibile dictum. *Non omnes malæ cogitationes nostræ diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties & nostri arbitrij motus existunt.* vide vt nostro nos gladio iugulemus, ac frustra diabolum incusemus semper. huc pertinet quod subiungit. *Dæmones per energicam operationem non credimus substãtialiter illabi in animam, sed applicatione, & oppressione vniri: illabi autem menti illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistens, incorporeus, capabilis est suæ facturæ.* vide quàm dependeamus à Deo. an non par est, nos per arctissimũ charitatis vinculũ ei penitus inhęrere, & pręsentem semper habere, eiusq; illapsum reuerenter & amanter excipere?

Nostræ cognitiones diabolum latent.

Dei illapses in animæ penetrale.

12 Sanctitas vbi posita sit, ostendit. *Signis, & prodigijs clarum fieri posse Christianum, non tamen sanctum, si intemperatè, & asperis moribus agat; temperatis autem, & placidis moribus, etiam absque signorum efficacia, & sanctum, & perfectum, & Dei hominem fieri rectè credimus.* vide præcipua sanctitatis signa quæ sint, etiam absque miraculis

Sanctitas in moribus potius spectatur quàm in miraculis.

culis: temperati, & placidi mores. addit; nullus sanctus, & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus, vel sanctus, cum affectu tenet sanctitatem. vide igitur, vt virtus præponderet prodigiis ipsis. licet nemo vsquequaque perfectus sit.

* Ex Libro de Fide ad Petrum.

1 Miram Deiparæ excellentiam agnoscit. *Quem pater genuit ex æternitate, ipsum Virgo conceptum protulit; illa vtique virgo, quam Deus, qui de ea erat nasciturus, singulari gratia præuenit, atque repleuit, ut ipsum haberet uentris sui fructum, quem in unitate paterna substantia, & humana, & Angelica natura cognoscit, & adorat altissimum.* notabilis hic locus est, vbi propter maternitatis titulum Deiparam singulari gratia præuentam dicit. fac ex originali peccato, postquam incidit, liberatam, quid erit singulare? nam & Hieremiæ, & Ioanni in utero, & vt putat Hieronymus, Asellæ id concessum. pende verba præclara i: *Quam Deus, qui de ea erat nasciturus, singulari gratia præuenit.*

Mariam ob maternitatis titulum Deus singulari gratia preuenit.

2 Et hoc ad Deiparę decus pertinet. *Quia per mulierem de solo viro factam mortis vinculo tenebamur obstricti; hoc diuina bonitas egit, vt per virum de sola muliere natum vita hominibus redderetur.* acutè dictum. vbi nota diuinæ sapientiæ dispositionem per remedium correspondens. acumen habet item quod addit. *Ibi fœmina decepta est, vt filia diaboli, hic virgo gratia repleta, vt fieret Dei mater.* nota pulchram antithesim inter vtramque. at si hęc concepta originale peccatum incurrit, quid tum? horresco dicere: fuisset aliquando concepta filia diaboli, quæ concepit filiũ Dei. simile est illud Hieronymi, vt apud eũ vidimus, qui illud: *Eramus natura filii iræ*, interpretatur, filii diaboli, qui antonomasticè dicitur, ira, ob immane odiũ nostræ salutis insignis, ac notabilis hic locutus est.

Eua filia diaboli ob originale peccatum. Maria ei opposita Dei mater.

Ephes. 2

3 Dei naturam præcellentem ostendit. *Quia Deus non solùm summè bonus est, sed etiam summum, & incommutabile bonum est, quia æternum est, nullum habet defectum, quia non ex nihilo factum; nullum habet profectum, quia nullum habet initium. ideò quippe naturæ à Deo facta proficere possunt, quia esse cœperunt; ideò deficere, quia ex nihilo facta ad defectum eas conditio conducit originis, ad profectum operatio prouehit creatoris.* egregiè ait, creaturam in tantum esse capacem profectus, in quantum est a Deo, ceterùm ex se tendere in nihilum suum. pulchrè autem rationem, affert cur Deus non sit capax neque defectus, neque profectus, vt nos.

Deus incapax defectus, & profectus, nos non itē.

4 De Deo creatore, & conseruatore sic. *Nisi Deus esset omnipotens, non eadem facilitate summa, qua ima fecisset. & nisi summè bonus esset, non se gubernandis rebus etiam infimis præstitisset.* Vide quò progrediatur Dei bonitas, vt nec ima spernat, & ideo perfectissimus. Addit: *Omnia sapienter fecit summa sapientia; cui naturaliter hoc est esse quod sapientem esse, hoc facere quod sapienter facere.* egregiè dictum.

Dei summa potentia, & summa bonitas vnde agnoscitur.

5 Deum opificem agnoscit in omnibus. *Ipsa corporalium naturarum diuersitas, ostendit vnamquamque earum non hoc esse quod ex se semper habere poterit, sed quod ex dispositione, atque opere omnipotentissimi à sapientia creatoris acceperit.* nam cum & stella diuersæ sint, & in terris diuersæ naturæ, perfectior & imperfectior, nec vna eademq; sit; ergo vt tales sint, non à se ipsis, sed à Deo acceperunt, qui sic disposuit. acutè argumentatur.

Vnde constet Deũ esse rerum conditorem.

6 Deum boni dicit auctorem. *Bonæ voluntatis, & cogitationis initium non homini ex se ipso nasci, sed diuinitùs, & præparari, & tribui, in eo Deus euidenter ostendit, quia neque diabolus, neque eius Angelorum aliquis, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem; quod si possibile esset, vt humana natura amissam bonitatem ex se ipsa rursum habere potuisset, multò possibilius hoc poterat habere Angelica, quæ minus grauatur terreni corporis pondere.* magnum argumentum, quod quiuis homo non possit à peccato resurgere sine Dei adiutorio, quia Angeli lapsi etiam e suprema hierarchia, & è Cherubico ordine, in quibus inest tantum sapiētiæ, vt intimè cognoscant vim virtutis, & vitij turpitudinem, & Dei potentiam &c. tamen nunquam ad Deum reuersi sint. qui igitur poterit homo quantumuis sapiens, atque perspicax, in fragili corpore, & multorum errorum caligine? notabilis certè locus de necessitate gratiæ, & quod initium bonæ voluntatis, & cogitationis non sit à natura.

Initium bonæ voluntatis non ex natura sed ex gratia esse, præclare ostenditur.

* Ex Libro I. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ.

1 Docet, cur non initio geneseos fiat mentio lapsus Angelorum. *Angelicum vulnus verus medicus qualiter factum sit, indicare noluit, dum illud postea curare non destinauit; & qualiter sit eiectus per sententiam vindictæ reticuit, quem per pœnitentiam nullo modo reuocauit. peccatum verò hominis qualiter factum sit, profert, ipsum namq; promereri veniam non desperatur.* pulchra ratio cur de peccato Angeli non

Cur in genesi non fiat mentio lapsus Angelorum.

li non fiat mentio, quasi de vulnere immedicabili, & desperato. rectè vulnus appellat, proprio enim decore tumentes, suo se quasi gladio iugularunt. similiter de ipsorum allectis dicitur: *sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius*: sicut neque dæmonum lapsorum fit in Mundi creatione mentio.

Psal. 87.

2 Quærit, *Cur irremediabili vindicta Angelus est percussus, non item homo? quia Angelus in summo honoris sui ordine constitutus immutationem ad excellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui Creatoris cōfirmatus in eo statu permaneret, vbi conditus fuit; & iccircò prolapsus reuocari iterū minimè potuit, qui è sublimissimo ordinis sui statu proruit, homo verò adhuc in terra positus, generandi officio destinatus, ciborumque alimonia deputatus, immutationem in sublimiorem, & meliorem, spiritualemque vitam sine morte reciperet, si quandiu in hac conuersatione positus esset, in mandati custodia permaneret. hunc, antequam ad statum veniret sublimiorem, delictum subruit. clementia ergo Saluatoris homo ad illam beatitudinem, idest immortalitatem sui corporis, ad quam peccans adhuc non peruenit, reuocatur, qui si inde cecidisset sicut Angelus, nunquam reuocaretur.* acuta ratio cur Angeli ruina irreparabilis fuerit, quia erat in altissimo gradu; at homo quia in inferiore, poterat ad altiorem reuocari, hoc est ad Angelicum. vide igitur etiam in homine proportione facta, quantò periculosior sit lapsus eius, qui est in excelsiore loco, vt sunt religiosi, & episcopi.

Cur Angeli irreparabilis casus nō item hominis.

3 Affert et hanc rationem cur Angelus non reparetur. *Diabolus statim per peccatum foueam desperationis incurrit; si enim de suo delicto veniam non desperasset, nunquam homini damnum salutis procuraret. nam qui priori peccato habere veniam desiderat, nullo modo augere aliud properat. non solùm igitur ipse sibimet foueam perditionis inuenit, sed etiam per se peccanti homini causa perditionis extitit. hoc autē ad leuigandum hominis delictum occurrit, quod non solùm per se ipsum mandati transgressionem non inuenit, cum serpentinæ suasioni consensit; sed etiam alteram creaturam rationalem in Dei offensam non induxit, ac per hoc pœnitentiæ ianuam facilius adinuenit apertam.* nota quantum mali sit inducere alios ad peccandum, signum enim est Satanicæ impœnitentiæ. contra verò magnum indicium est veniæ, cum quis cauet alios scandalizare.

Diabolus impœnitentiam suam, dū nos tentat, ostēdit.

4 Hoc ad spem veniæ erigit. *Vt ostenderet Deus, post peccatum originale posse homines veniam promereri, paucos ad id elegit, quousque in aduentu suo totum orbem illuminaret. ex his primus Abel totius humanæ iustitiæ princeps, & post hunc Enoch insignissimus ante diluuium eligitur, quibus summa iustitiæ in initio ipso Mundi, & fine committitur.* Nota duobus commissum negotium tot sæculorum, & Mundi durationis initium, & finem: Abeli, & Enocho, ne vnquam ad animas saluandas præsidium defuisse videatur. pulchrum est illud elogium Abelis, quo dicitur, *totius humanæ iustitiæ princeps*. ac puto per ignem illum sacrificii, qui vt ferunt, è cœlo delapsus eius vertice insultit; eius pietatis principatum clarissimum designatum, vt postea in Apostolis, de quibus item dicitur. *constitues eos principes super omnem terram*. tum nota ingens Enochi decus, cui, & initium & finis Mundi ad pietatem instituendi negotium est commissum; ac propterea secretus à consortio mortalium in altissima contemplatione degit.

Enocho initium, & finis Mundi ad pietatem instituendi cur commissus.

Cur Enoch translatus.

5 Addit de Abele item pulchrè. *Abel statim initio suæ iustitiæ, in ipso etiam initio Mundi sanguinis sui tripudio coronatus arripitur.* eleganter tripudium vocat sanguinis, qui tamen acerba, & tristi morte effusus fuit in typum sanguinis Christi triumphalis. hinc aliorum tripudia martyrum in pœnis suis. quid de Ianuario dicam? an non tripudium sanguinis rectissimè dicas, cum liquescens in ampulla salit, ac prosilit victor tyrannorum, ac suppliciorum? adde etiam postea hostium hanc patriam inuadentium, & ipsius Vesuuij incendiarii mōtis macte gloria, Præsul sanctissime *sanguinis tui tripudio coronatus*.

Abel sanguinis sui tripudio coronatus.

Ianuarii sanguinis triumphale tripudium.

6 Exponit illud. *A sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ.*) cur non & huic addidit, *Iusti*? nempe *hæreditatem iustitiæ Abel tenere Zachariam ostendit; sicut & in genealogia Saluatoris scribitur. Iesse autē genuit Dauid regem, Dauid autem rex genuit Salomonem: cui non addidit, regem, cum Salomon patris regno teneret maius imperiū; sed ad hoc intelligitur patris sui Dauid regnum Salomon hæreditario iure possidere, & ad Dauid honorem regni plus pertinere: sic & Abel iustitiæ primatum tenuit, vnde quasi hæreditario iure iusti succedunt, atque omnes iusti vestigia Abel in cunctis iustitiæ partibus cupiunt.* Vides Abel primum iustum, et quasi regem iustorum reliquisse ceteris iustis quasi cruēta vestigia, cū per tolerantiam, tum per sacrificia, et Dei cultum; itē per simplicitatem illam pastoritiam, et cupidatum quasi pecudum immolationem. ceterùm acutè illud notatum, cur non additus titulus iusti ipsi quoque Zachariæ, sicut et Abeli? sed nimirum nos posteri nō tam titulos debemus præferre, quàm facta maiorum. acutè item docet, cur post nuncupatum Dauid regem, Salomon non item dicatur rex? ita Abel dicitur iustus, et tacetur hoc de Zacharia, quia supponitur iustitiam, quasi hæreditarium regnum

Abel iustitiæ hæreditatē posteris reliquit.

Cur Salomon non vocetur rex post nominatum patrem regem.

Cur Zacharias non dicatur iustus vt Abel nec Salomon Rex vt Dauid

ab

ab eo accepisse, ac tenuisse: quod idem de religiosis à suis patriarchis dixeris.

Virginitas, sacerdotium martyriũ summum virtutis est.

7 Quærit, Cur *Abelem, qui iustitiæ primatum tenuit, non Deus sine morte reseruauit ad testimonium nouissimi temporis, vt is in Mundi fine doctor existeret veritatis, qui in principio auctor erat perfecti operis? sed sciẽdum est iustitiam in tribus rebus constare; tota enim iustitia hæc est: virginitas, sacerdotium, & martyrium. quæ triplex iustitia in Abel primò fuit; nam & prosapiam generis in seculo non reliquit, & munera Deo placita obtulit, & martyrii coronam sanguinis effusione promeruit. si ergo longiori tempore Abel, vt Enoch, maneret, sine vlla dubitatione coniugium iniret ob præceptum illud: Crescite & multiplicamini &c. & ita virgo non esset. & si illum à morte seruaret, martyrii primatum nequaquam acciperet; rectè ergo competebat, vt qui primus in terra iustus eligeretur, in eo totius iustitiæ forma seruatur; cuique primo in hominibus post delictum gestare figuram conceditur Saluatoris, qui virgo & Sacerdos & martyr fuit.* acutè ratiocinatur, & nota vt pro beneficio Deus det quod sinistri rerum æstimatores aliter putant. videri posset beneficium magnum, si *A*bel vixisset vsque ad finem Mundi, & electus fuisset tunc præco veritatis. quid enim hoc munere illustrius? at pro maiore beneficio datum est citò mori, quia sic virginitatem seruauit quod maxime eximium decus est: & princeps martyrum fuit, & primus Christi typus. vide igitur quantùm donum sit virginitas, quæ præponderet longissimæ tot seculorum vitæ, & vltimæ prædicationis officio, & pugnæ cum *A*ntichristo. ceterùm hanc triplicem lauream Virginis, Sacerdotis, & *M*artyris ad multos sanctos refer, vt ad Petrum Dominicanæ familiæ &c. denique nota, vt statim initio *M*undi tria hæc munera præclarissima *D*eus sibi sanctificarit.

Abel citò mori permissum vt virgo & vita migraret;

8 Quærit, cur Enoch tandiu viuet vsque ad finem sæculorum? quia nimirum in eo ostenditur quid toti naturæ hominum accidisset; nisi peccasset: *Vt non solùm longo tempore, sed perpetuò viueret, nisi peccati aculeo mors naturæ metas exterminaret.* acutè notatum: vt *D*eus vel in aliquo homine ostenderet quid omnibus facturus fuisset, ne inanis vitæ promissio fuisse videretur. tum vide quid mors egerit: *naturæ metas exterminauit.* præfixum erat à Deo quàm longissimum vitæ stadium, in quo velut Olympionicæ, & Hieronicæ præclarissimi excurrentes, Deo agonotheta, & *A*ngelis spectatoribus, tandem ad metam immortalitatis, & gloriæ æternæ pro præmio peruenirent; sed mors hanc metam exterminauit post peccatum, hoc est aliam metam posuit breuissimi stadii vitæ, cum magno periculo frangendi axis ad metam, hoc est amittendæ salutis in extremo vitæ.

Enoch viuet raptus ostendit quid omnibus euenisset, nisi peccatũ fuisset

Mors per peccatũ naturæ metas exterminauit.

9 Quærit, quare *D*eus non etiam aquis, vt terræ, maledixit? *Quia Adam non aquam contra interdictum Domini bibit, sed de terra fructu comedit. præterea aquis pepercit, quia per aquam diluere maledictionem illam parauerat, quod in diluuio est factum. & nunc per baptismum indulgetur; nam in aqua, & spiritu cuncta crimina mundantur; & ideo Dominus cum mortis humanæ maledictum deposuerat, nõ terrestrium, sed aquatilium carnem animalium comedit, hoc est piscis assi partẽ.* Nota singulas rationes, quas acutè, & præclarè affert, cur non aquas maledixit. addo illud priuilegium quod iuxta communem sententiam patrum, aquæ supra cœlos sint positæ, vt semper beati ante oculos habeant id, quo primò gratiam acceperunt ad salutem, hoc est aquam in baptismo.

Cur Deus terrę maledixit, nõ aquis.

Aquæ nõ maledictæ vt terra in honorẽ baptismi.

10 Quidam ante diluuium nullas è cœlo pluuias ponunt, quia & arcus siue Iris ante diluuium etiam apparuisset, quod est signum aut serenitatis, aut pluuiæ: *Poterat ergo ipsa Mundi nuper creati prima ætas sine vllis turbidi aeris immutationibus, & pluuiis per matutinum, & vespertinum rorem fieri, vt in ipsa sua fortitudine, sicut homines langæuos & sanitate corporum alacres habuerit, ita & Mundus ipse nullis adhuc perturbationibus agitatus aptos nascentibus ferens fructus consisteret; & à secunda ætate sicut turbulẽtis motibus, ita & turbidis rerum tempestatibus viuere, & vigere inciperent.* sicut & terra Aegypti *suo sudore*, & Nilo, sine imbribus fœcunda est. Nota pulcherrimam proportionem magni Mundi, & parui. putat enim probabile ante diluuium nullas fuisse procellas, & tempestates, & rauca tonitrua, & sæuos fulminum iactus; sicut nec in homine morbos. certè Aristoteles in meteoris comparat terræmotum, & incẽdia subterranea cum hominis ægri, ac febrientis pulsu. & quidam vir doctus integrum edidit librum de microcosmo, in quo quæ in magno Mundo natura accidunt, eadem suo modo in paruo inesse ostendit. porrò aptè hoc ad religionum initia transferri potest, quæ initiò summa cum tranquillitate spiritus fuerunt, nullis cupiditatum perturbationibus obnoxia; vt de aere ante diluuium dicit. vel si primã hominis ætatem spectes, ad pueritiæ innocentiam & quietem refer, quanquam nonnulli, vt Aloysius noster, adolescentiam ipsam, quæ apud hebræos tempestas appellatur (nam vbi apud Iob legitur: *morietur in tempestate anima eius*; alii legunt: in adolescentia) summa cum trãquillitate traduxit perfusus tantùm rore cœlesti. denique quod ait, Aegyptum *sudore suo* fœcundari, refer ad labores sanctorum, & ad sudorẽ Chri-

Prima Mundi ætas trãquilla rorem habuit non violentos imbres &c.

Magnus hic Mundus cum paruo hoc est homine pulchrè collatus.

Cap. 36.

Gen. 50. uilibus satellitibus trahi, & rapi uoluit ad mortem: proh ineffabilis pietas.

17 Docet, cur *Ioseph* ossa sua ex Aegypto transferri iusserit. *Ioseph vt vir propheticus præuidit, quod Aegyptiorum gens idololatriæ dedita ipsum, qui terrenæ munificentiæ illis auctor fuisset, & ipsos periculis liberasset, aliquando adorare vellet, quod & fecerunt; nam bouis simulacrum iuxta sepulchrum Ioseph statuerunt, eò quod bos viro in agicultura cooperetur; qua etiam causa filij Israel cum in deserto idolum adorare vellent, non aliam aliquam statuam, quàm vitulum, idest bouem fecerunt, hac vel maximè causa, quod ipsum in Aegypto iuxta sepulchrum Ioseph adorarent.* Vide ut Ioseph omnem fastum à se uel mortuo amouerit, cum ob beneficentiam se colēdum *Serapidis* cultu præuideret in Api boue. *Serapin* enim cū modio frumenti in capite effingebant, bos autē terram arando frumēto aptam facit, & somnium ipsum à Ioseph interpretatum de uaccis huc pertinet. cultus igitur est vt *Serapis*, qui pro *Sole* habebatur; nec tamē *Iosephi* decus Aegyptus æquauit; nam hic in somnio vidit sibi vt præclariori, Solem ipsum ad pedes accidere, & se adorare.

Ioseph cur ossa sua transferri ex Aegypto voluit.

Ioseph Serapidis cultu in Aegypto honoratus

18 *De igne rubi sic disputat. Si de rubi materia ignis alimoniam sumebat, quare illud, vnde creuerat, non consumebatur? cuiusdam virgulti consuetudo est, quod quantò plus arserit. non tantùm non consumitur, sed ardēdo purgatius redditur, de quo ligno S. Hieronymus in explanatione altaris lignei, quod per visionem domini in Ezechiele ostenditur, refert, quod quasi lini colorem habeat, attamē de huius nomine reticuit, cum illius naturam indicauit.* refert hoc ad animam iusti, quam Deus inhabitat. aurum igne tribulationis purgatius fit. tum vide quanti Hieronymū faciat, quem iam tum sanctum appellat Augustinus, siue alius vetus auctor hic sit.

Hieronymus sanctus appellatur ab Augustino siue alio auctore.

19 Ostendit, cur prima *Aegypti* plaga in aqua cruenta fuit? *Hæc primitùs vindicta de aqua in sanguinem versa, primitùs conuenienter euenit, vt quia rex Dei populi infantes in flumen iactare præceperat, eiusdē fluminis aqua versa in sanguinem exitium bibentibus afferret, & non bibentibus pœnam præstaret.* acuta ratio cur Nilus, quem vt Deum colebant, versus sit in sanguinem, quia nimirū in eū Pharao iusserat Hebræorū infantes proiectos necari, vt odio tyrannico respōderet pœna; itē nota, primò, ac statim Deū vltum esse infantiū necem, quia ille vix natos necarat; quod contra Herodē est. Xerxes iratus in Hellespontū, quod extructum a se pontē tempestate fregisset, iussit verbera, & plagas infligi; sed cruentare non potuit, quod egit Moses in Nilo.

Prima Aegypti plaga cruenta aqua, ob infantes ibi interfectos.

SS. Infantium cædes quàm indigna.

20 De eadem plaga sic; Non fecit contra naturam *Deus* vertendo aquam in sanguinem: *Nam aqua quotidie per rerum administrationes in diuersa mutatur, cum per uitis arborem infunditur, in vini saporem, & colorem mutatur. & cum oliuæ lignum ad cacumen ascendit, eadem aqua olei pinguedinem facit. & cum ab apibus in fauos congeritur, mellis dulcedinem operatur, &c. & cum in animalium diuersorum pastum deputatur, in sanguinis substantias diuersas per easdem carnes distinguitur. nam & nutriendis fœtibus albi coloris, & suauissimæ dulcedinis in vberibus præparatur, & per cuncta reliqua carnis membra rubicundum sanguinis colorem fuscat. multa sunt præterea sanguinis genera per eandem carnem, quæ vsque ad viginti tria physiologi numerant, ex quibus fel saliuas, & lacrymas, & cetera esse denunciant. hæc quotidianis administrationibus naturæ suæ per res varias aqua præparat. quid ergo obstat, si illud, quod per longum tempus facit, in momento per iussum potentissimi gubernatoris naturaliter efficiat?* rectè adnotat, aliud esse cōtra naturā, aliud prꝫter naturam aliquid fieri per potentiā *Dei* obedientialem, vt Theologi vocant. similiter illud, quod nunc vinum est, aut oleum, aut mel, aut sanguis, aut lac, olim aqua fuit; adeò se in vsus conuertit omnes creatura obediens creatori. sic in nuptiis aquam vertit in vinum repentè, quod in vite naturaliter fit multo tempore. audi igitur illud: *effunde sicut aquam cor tuū*: scilicet vt in quemcūque vsum velit, creator illud traducat. item nota inter sanguinis genera lacrymas numerari.

Aqua in plurimas formas trāsfertur mel, vinum &c.

Potētia Dei obedientialis in creaturis.

21 De primogenitis *Aegyptiorum* extinctis sic. *Vltima plaga neque per Aaron, neque per Mosen accidit, sed Angelus Domini per Aegyptum transiens cuncta primogenita deleuit; quoties ergo de terra vindicta colligitur, per Aaron ministeriū agitur; quādo autē de supernis nubibus castigatio conuocatur per extensionem in altum manus Mosaicꝫ conducitur: at verò quando humanæ mortis exitus à Deo dispensatur, non homini, sed Angelo ministerium illud committitur.* Vide quanti Deus faciat vitam hominis. ceterarum rerum plagam homini permittit, sed ipsius hominis, Angelis. nunc quàm vilis habetur, quæ latronibus, ac sicariis eripienda impiè traditur.

Cur reliquæ Aegypti plagæ per hominem, ultima uero per Angelos inflicta

Hominis uitā quanti faciat Deus cōtra quā homicidæ

22 Creaturas in peccatorem omnes coniuratas dicit, exemplo plagarum *Aegypti*. *Plagarum modus vndique ex terra, aquis, animantibus aere, igne, nubibus cæli, & Angelis conuenerat; vt ostenderetur quod contra rebelles, & contumaces in Deum se se pariter vniuersus orbis amaret, vt dicit scriptura. sicut autem iis, quos Deus punire voluit, omnis creatura irascitur: sic & illis quibus auxilium præbuit, omnis creatura suffragatur: sic mare rubrum vni refugium, alteri laqueus fuit. & nubes media Aegyptiis tenebrosa erat, & Israelitis noctem illuminabat,*

Omnis creatura in impios sæuit, bonis fauet

Sap. 5

vt per

vt per profunda maris lucida via incederent. rectè demonstrat omnem creaturam sæuire in hostes creatoris; sicut contra obsequi eius amicis. & notandum est, obstaculum lucis nubem, vt deseruiret creatori, contraria præstitisse. voluit autem Hæbræos lucida via vti, quia ibi, vt alibi dicitur, *apparuit campus germinans &c.* vt pascere oculos iucundè possent, non modò non timere. referri autem hoc potest ad egredientes è seculo per illustrationes diuinas multa cum spiritus voluptate.

Egressus è seculo quantã habeat spiritus iucunditatem.

Sap. 19.

23 Quod rubri maris vnda steterit, non contra naturam, sed præter naturam factum dicit. nam & in glacie aqua stat. similiter de amaris aquis Marath in dulces versis iniecto ligno dicendum. nam *Aquas amaras, vel etiam ipsas salsissimas in dulcem saporem verti posse frequenter nautæ comprobant, qui illis per humum optimæ terræ infusis, & hoc artificio etiam indulcoratis sæpe sitim temperant. nubes quoq; de marinis finibus vapores leuant salsi liquoris, sed easdem dulces, cum pluunt, terrenis vsibus ministrãt, similiter & dulces aquæ, cum eas per marinorum olerum cineres homines hauriunt, salsum & plusquam Oceani saporem reddunt.* hanc immutationem habent à natura, sed celerius per præceptum conditoris. sic aqua erupit ex petra, nec id contra naturam; nam nonnullas terras argillosas cursu aquarum in lapides concrescere videmus, & plurima testacea in aquis marinis luntur magna duritieori. *lapis quoq; resolutus calore in aquas vertitur apud Iob, quod non potest nisi prius in liquoris naturam moueatur. cum igitur ex aquæ humore lapidum naturam gigni probetur, quid obstat si Dei gubernatoris voluntate lapis in aquam vice versa mutetur, dum natura ad suam originẽ redire festinat?* vide vt diuino imperio omnia se accommodent in vsum varium, iuxta illud *Apostoli: omnibus omnia factus sũ* subiungit: *lapides, vel ex aqua tãtùm, vel ex aqua, & humo genitos lacrymosi quoque marmoris natura & consuetudo declarat.* pulchrè vocat lacrymosum marmor, quod exsudare soleat, quod stultè referebant veteres inter prodigia, marmoreum *A*pollinis simulacrum vel sudasse, vel illacrymasse quid mirum igitur si vel de lapideo corde peccatori dicatur: *effunde sicut aquam cor tuum.* quod autem varios modos tradit, quibus amara aqua dulcescat naturaliter, hoc egit miraculosè Xauerius, marinas aquas conuertens in dulces: & meritò, cui scilicet tot exantlati labores terra mariq; pro Christo dulces videbantur.

Exod. 15.

Aqua vt ex amara reddatur dulcis.

Iob. 28.

Xauerius marinas aquas dulces fecit

Deus punit idonea pœna pec. cato.

24 Mundũ hunc magnum cum paruo seu microcosmo, hoc est homine componit, qui vel hoc habet simile. *Quasi in viuente carne palpitantes venæ sanguinis discurrunt, ita etiam per terram viuentium aquarum riui profluunt, per quam vitam insensibilem, Deo imperante, terra os suum aperuit, cum tabernaculum peccatorum vorauit: ita & eum, qui ignem holocausti offerre temerè tentauit; cœlestis ignis assumpsit; & eos, qui se in excelsum eleuarunt, sub pedibus terra dehiscens absorbuit.* pulchrè ostendit venas aquarum in terra, correspondere venis sãguinis in homine. Tum nota antithesin, & correspondentem delicto pœnam; nam qui se in altum extollebant, ima tellure absorpti sunt &c. itaque sequitur de Aarone stãte cum thuribulo inter viuos, & mortuos *recto in vtroque moderamine, vt qui contra iustos principes iracundiæ igne intus exarserant, foris iustissima vindictæ flamma conflagrarent; & qui in corde culpas proximorum indulgendo dimiserant, eius vestigio defensos ignis de cœlo missus vrere non auderet.* acutè notat iracundiæ flammam igne punitam: hinc illud: *qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* contra vide quàm placeat Deo lenitas; nã qui in se irã accensam extinxerant, meruerunt, vt vel in aliis ignem supplicii extinguerent. ac vide quãtùm valeant sacerdotis vestigia ipsa contra ignem, hoc est iram *Dei*: nempe vestigia sunt pietatis; hoc enim est eius munus placare Deum: hæc igitur sequenda.

Collatio inter venas aquarum in terra, & venas sanguinis in homine.

Pœnæ qualitas iuxta peccatũ

Num. 16.

Matth. 5.

Ira cundiæ Deus cur ignem minetur

25 Docet, cur Balaam per iumentum correptus sit. *Qui loquendi modos, & in nubibus, & in igne sæpe inuenit, & in ore mutæ animantis linguæ plectrum in verba gubernauit. nihil Dominus in natura commutauit, sed per aerem oris illius, illa etiam ignorante, prophetæ ignorantiam compescuit, ne elatus in superbiam esset, quod Domini spiritus in se loqueretur, cum & per res insensibiles, & per brutum, & mutum, & subiectum sibi animal loqui compertisset, quoniam Dei spiritus vbi vult spirat.* Vide quid agat Deus ad tollendam iactantiam, vt modò hanc tollat, non curet prophetiam rem tam nobilem per vile animal proferre. pulchrè autem illud dictum de plectro linguæ etiã in rudis & rauci iumenti ore propheticè resonante, tanquam ad tactum, & moderamen Angeli: *in ore mutæ animantis lingua plectrum in verba gubernauit.* adeo peritus artifex ille, vt vel in bruti ore aptare sciat resonans plectrum.

Balaam prophetæ superbia per iumentũ correcta.

Num. 22.

Deus per Angelos vel in brutis linguæ plectrũ temperans.

26 Columnæ vsum in deserto indicat. *Columna ignis per diem, ac noctem nunquam defuit; vt in noctis frigore defensi, & à tenebris illuminati pergerent; & à calore Solis in die sub nube protecti essent.* vide quam nobili igne Deus defenderet suos in deserto à frigore, vt lignis non egerent, sed quid Deo retribuerunt? scilicet vt in igne falsum sibi conflarent Deum: tanta vis est peruicacis animi.

Duplex vsus columnæ ignis in deserto.

27 Ostendit, cur Deus Mosis sepulchrum ignorari voluerit. *Duabus de causis:*

vt

Mosis sepulchrũ latuit ne facies antea rutilans morte deformata appareret.

vt sapientes aiunt, Mosis sepulchri nemo cõscius erat, quatenus illam faciem, quæ consortio Domini rutilauerat, mortis mœrore repressam nullus videret; et ne sepulchrum eius, si cognouissent vbi erat, adorarent; vnde & virgam, in qua signa fecerat, vt plurimi putant, secum abstulerat, quoniam & serpentẽ, quem fecerat, adorabãt. Nota primùm, Deo indignũ visũ, vt Mosis facies, quæ adeò rutilauerat, vt Israelitæ in eam oculos intendere non possent, appareret postea deformis, & decolor pallore mortis. en igitur cur Christo moriẽte tenebrę factæ sunt; ne ille vultus, qui in Tabor monte Solis instar corã ipso Mose rutilauerat, inter tot opprobria, & supplicia squallens, et pallens cerneretur. item nota virgam illam, quæ tot prodigia fecerat, & quæ elata cinerem quasi sepulchralem Aegypto intulerat, tandem ipsam in Mosis sepulchro absconditam; quod simile est Ignatii monito, vt post res præclarè gestas latere gestiamus, vt senilis virga post vsum, in angulo domus absconditur. certè & maxillam illam iumenti, qua Sãson tot hostes cõfecerat, *proiecit de manu*

Cur tenebræ factę Christo moriente.

Moses virgam qua tot signa fecerat secũ abdidit in sepulchro. Iudic.15 Humilitas obedientiæ commẽdatur.

28 De Mosis cantico sic. *Enormi sanè admiratione accidit dignum miraculum, vt cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates eodem inspirati flamine, vno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti easdem concinentes literas decantarent in vnum.* ostendit carmen illud non arte compositum, sed diuinitùs idem omnibus inspiratum. Vide quanti faciat Deus conspirationem animorũ, vbi plures in vnũ conueniunt in Dei laudẽ, quod pro religiosis maximè facit.

Mosis canticum sine mora diuinitus omnibus repente inspiratũ

29 De Angelico ministerio sic. *Quod in casu murorum Hierico accidit, vt & cetera, Angelico opere ministratum est.* Nota: Sacerdotes pro præconibus belli fuerunt vsi tubis, ad earum sonitum Angeli muros illico euerterunt. Angelorum igitur præsidio in bello nitendum est aduersus religionis hostes. hi pro auxiliaribus copijs sunt, & pro machinis bellicis.

Angeli in bello pro machinis bellicis sunt.

30 Quærit, cur non tantùm Solem, sed & Lunam stare Iosue iusserit; cum Lunæ statio nihil ad victoriam faceret? *Sol duos dies in vno conclusit, & Luna diei spatio non occurrit.* vterque autem planeta stetit, ne si alter tantùm curreret, turbaretur ordo temporum. *non enim quod ad belli illuminationem Luna tunc in præsentia Solis proficeret, stare imperatur, sed ne quid incongruè luminarium motu per vnius motum, & alterius cursum destrueretur.* nota vt Iosue in suo particulari commodo, etiam ad commune bonum vniuersitatis respexerit. tum vide obedientię perfectionẽ: stetit ad imperium Luna, etiam si nihil ipsa vsui esset.

Ordinis ratio perturbãda non est.

Cur Luna steterit vna cũ Sole, si ad nullum vsum belli erat.

Obediẽdũ etiã in re ad spetiem inutili.

31 De Gedeonis holocausto, & vellere sic. *Ignis è cœlo delapsus ostendit quod futurum tunc bellum non humanis viribus, sed cœlesti auxilio proficeret. & ros prius demonstrabat in solo vellere ostensus, quod diuina clementia, quæ tunc in Israel fragili, & molli populo fuerat, ignitas gentium iras, sicut aqua ignem, posset extinguere.* acutè de rore. vide in bellis vnde sint auxilia petenda; cœlestis gratiæ rore extinguitur belli flamma, non sanguine hostium.

Belli flãma extinguitur rore diuinæ clementiæ.

Ex Libro II. de mirabilibus Sacræ Scripturæ.

1 Transitum per Iordanem siccis vestigijs miraculosè factum dicit; licet humana industria fluuium Cyrus siccauerit; cum enim in eo audacter transmittendo exercitus submersus esset, in vindictam, *omnem in quadringentas sexaginta fossas diuisit; nudatoque alueo meabilem vix genua tãgentibus fœminis reliquit.* Nota quãto cum labore factum, quod Hebræis statim diuinitùs est concessum. item nota Cyri vindictæ vanitatem in flumine siccando. hinc tamen discimus, nihil ad destructionẽ tam valere quàm diuisionem, sicut ille fecit per aquarum diuortia: quod religiosis seriò aduertendum est.

Iordanis statim siccatus quod Cyrus multo cum labore egit in flumine.

Diuisio causa perditionis.

2 Dagon idoli casum ante arcam exponit; *Philistæi victoriæ munere læti in terram suam arcam captam conducunt, & veluti triumphi huius adhuc iuxta Dagon Deum suum eam in templo statuunt. Sed prima die Dagon coram arca prostratus, crastina fractus ad limen in centum partes, capite, & manibus, spina dorsi eius trũcata reperitur, quod fugere idololatriæ in aduentu diuinæ legis cultum demonstrabat, qui enim fugiunt, persequenti dorsum dant.* acutè notatum de audacia diaboli fracta, de quo dicebatur: *non fugabit eum vir sagittarius.* noster quoque Ignatius eũ baculo intentato fugare solitus tergo cõuerso. nuper in India et à pueris recens cõuersis idola confracta passim iacent.

Dagon spina dorsi trũcata coram arca more fugiẽtiũ.

Ignatius noster baculo diabolũ fugans.

Iob. 41.

3 De eadem arca sic. *Capta arca tota Philistæa fœda plaga percutitur; nã & extales eorum foras prominebant; & ingens soricum & insolens copia per totam prouinciam diffundebatur, conuenienti sanè pœna, vt qui misera animalia diuino cultu venerabantur, per miserrima animalium in aduentu domini cæ legis castigarentur; & qui tabernaculi Dei interiora, idest arcam extra limites suos extraxerant, hi interiorum suorum foras prominentium fœda affligerentur clade.* acutè notat, vt pœna respondeat aptè delicto. vilissimus mus respondit idolorum vilitati.

Qualitas poenæ res perdens culpæ.

4 Quærit, quomodo potuit Samuel, vir tantus incantationibus mulieris suscitari? respondet. *Non hunc esse prophetam illum intelligimus, sed diabolum, qui se transfigurat in Angelum lucis in phantasia Samuelis, quod ex sermone eius rectè dignoscitur; nam funesto Sauli dicebat: Tu, & filii tui mecum eritis.*

Saul illusus ficta specie Samuelis.

Magica an in dánum recidit ei addictis.

eritis. etenim si verus Samuel ostensus esset, nullo modo iniquum regem consortem sui meriti post mortem diceret. acutè ex verbis colligit nō fuisse verum Samuelē, quippè erat in sinu Abrahæ, quicum sociandus non erat Saul magiæ debitus. ac vide vt nō cōsulātur necromātici fine maguo infortunio: sicvt accidit Sauli miserè interfecto.

Sæpe minor culpa facit ut & ueteres maioresunā puniantur.

5 De Ozæ supplicio sic. Oza cum non esset de genere Aaron, tangens arcam seuerè punitur. sed quidam aliquod præcedens peccatum in Oza per hanc culpam punitum esse existimant; quoniam sepè euenit, vt minores culpæ præcedentium peccatorum vindictam incutiant. ita in Rege Dauid cum populum numerauit. plebs peccans per regis culpam pœnam sustinuit præcedentium delictorum.

2. Reg. 6.

Nota periculum peccati etiam venialis, nā & Dominus quandoque mouetur, vt præcedentia grauiora, quæ sopita erāt, puniat. Oza zelo motus arcā, ne concideret, tetigit: non ita graue scelus; at cetera cum hoc punita. sed magis mirum est, quod per peccatū vnū leue regis, populi numerositate gloriantis, Deus ad totius populi scelera puniēda seuerissimè incitetur. horrescāt hic principes, nec suo vitio perire populos finant.

Atrox schismatis poena Deo ultore.

Poenam Deus infligitcorrispondente culpę.

3. Reg. 13

6 Exponit quod accidit in altaris dedicatione Hieroboam in Bethel: nam dum in illud propheta vaticinatur, Altare in duas partes statim in hora holocausti scinditur; & integra ipsius arida manus siccatur: conuenienti pœna, vt qui Dei cultum, qui hactenus in vno altari. ac templo erat, diuisisset, ipsius altare quod fecerat sic scissura dissecaret, & qui populi Dei manum quasi aridam fecerat, ne Deo oblationes suo in loco redderet, in schismatico illo holocausto manus illius arida appareret. & hanc pœnam delicto aptè respondere, acutè adnotat per antithesin. pulchrè schismaticū holocaustum vocat, quod ad schismata Ecclesiæ referri potest, quorum vltor est Deus.

Cur carnes à coruo delatæ ad Eliam.

3. Reg. 17

Coruus vnde attulit. Eliæ carnes.

Cur coruus Heliæ attulit carnes, at Paulo, & Antonio panē tātū

7 De Eliæ coruo sic item acutè. A coruis ministrari prophetę præcipitur; vt. s. culpam, quam in diluuio cōmiserat, in terra purgare ales ille videretur, dum vt fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligēs, & fallax fuerat antea Noe. habet hæc ratio leporem, nā coruus vt carne cadauerum pasceretur, nō rediit in arcā; sed postea coruus eiusdē speciei afferebat carnes intactas Eliæ. in quo etiam adnotanda vis obedientiæ in voraci sed ieiuno animali. Tum de eodem coruo sic. præterea in corui ministerio illud ostenditur, qualiter homo si non peccasset etiā infructuosorum animalium mutis ministeriis vteretur. vnde verò eas carnes, & panes coruus illi detulerit, ipse viderit qui tale officium cōmittebat. nihilominus Abulensis ex Hebræis putat fuisse, de penu Achab regis aduersarii Eliæ accepta. nota etiam carnes non ab Angelo, qui tantùm panes detulit, sed à coruo allatas, quasi simplicior cibus in religiosis ad Angelicum statum magis ptineat quod carne careat. Antonio certè & Paulo eremitæ, vt in euāgelico statu pfectiore positis, nō nisi panē coruus attulit.

Ionas fuit puer ab Helia resuscitatus Concionator quasi ex altera vita venerit loquuntur.

8 De Iona sic. Quem Helias oratione ad vitam reuocauit, tradunt Hebræi, quod ipse Ionas postea propheta fuerit, quem de ventre ceti Dominus liberauit. Nota quem elegerit Deus ad pœnitentiæ prædicationem, qui mortē expertus erat à pueritia, & iterum adultus morti expositus intra cetum: tales ad prædicationē idonei sunt, qui Mundo mortui, & quasi ex altera vita venerint.

Miracula sunt præter naturam non cōtra naturam.

9 De Eliæ sacrificio, quod aspersū aqua diuinitùs ignem cōcepit, sic. Cum rogarent Sacerdotes, vt consumeret bouē suū, Baal, qui potiù signi in potestatē traditus est, super holocaustum ignē dare non poterat. acutè ait, potius ignem habere potestatem in dæmones, quàm dæmones in ignem. tum ostendit miraculū illud non fuisse contra, sed prętèr naturam. sicut aqua semetipsam, nisi per aliam substantiam superius non ascendit, sic & ignis nisi per aliam substantiam inferius non descendit: vnde & cum Dominus super quinque ciuitates igneos imbres plueret, hoc idem per sulphur fiebat, quatenus & in sulphure ignis arderet, & per grauiorem sulphuris naturā idem ad terram laberetur. ita aut per aerem, aut per sulphur in altare ignis descendisse dicendus est, alicui scilicet materiæ grauiori diuinitùs immixtus. Vide vt Deus etiam cum aliquid pręter naturam facit, à natura non discedat sapiēter, ac prouidè. & rectè quia naturę auctor, non destructor.

Coelum non nisi purgatæ beneficat terræ

Oratio iis proficit qui purgati sunt à vitio.

10 Orationis vim exaggerat. Helias, qui tribus annis, & amplius orando pluuiam prohibuerat, in modico temporis spatio eodē rationis officio sitienti terrę impetrauit, quæ in terram prius nequaquam venisset, nisi eam à cultoribus Balaam occidendo mundaret. nota, nam potius videri poterat infici, & contaminari tellus cruore impiorum sacerdotum, sed mundatam dicit, quia sublati sunt impii; & tunc imber decidit cœlestis, vt nō nisi purę benefaceret terrę. oratio igitur iis proficit, qui se dignos efficiunt.

Angelorum vis in operando.

11 De pane Heliæ, quo iter facturus lōgum, roboratus est, hæc habet. panis ille si humanitùs factus est, non potuit eam ex se habere virtutem: nisi fortè Angelico opere de quacumq; terrena materia factus pastū validiorem pane effecit. vide quanta in Angelico opere uis sit, & vt nostri nutricii sint. quid mirum de multiplicato in Christi manibus pane per Apostolos?

Cur Helisęus petierit duplicem spiritum

12 De Helisię postulatu sic. Heliseus non elationis affectū super magistrū suū voluit, postulās duplicē eius spiritū, sed videns peccata populi innumera, nō simplici Helię spiritu, sed duplici cōpesci posse præuidit. nota. quid diceret nūc cū malitiam tātū creuit? & quanta spi-

ſpiritus abundantia ineſſe debet iis, qui inter gentiles, & hæreticos verſantur, eorum cõuerſioni intenti? profectò maior quã ille ipſius Heliæ ſpiritus adſit oportet, licet dicatur, *Vox eius tanquã facula ardebat, etc.*

Ecc. 48.

quantũ in hoc erubeſcẽdũ nobis eſſet, ſi ſecus accideret? nã Helias primus quaſi religionũ fundator reliquit diſcipulos, vt Heliſeũ duplici ſpiritu; at nunc potius facile degeneramus à virtute fundatorum per tepiditatem, vt nec ſimplicem habeamus.

Helias ob zelũ igneum Dei gloriæ meruit igneo curre euehi.

13 Eadẽ de re ſic. *Concinebat vt Helias, quẽ diuini amoris zelus ignito in animo ſuo incendiſſet ardore, vt per currũ igneũ ab omnibus cõmutatũ Dominus ad ſublimiorẽ ſtatũ eueheret.* Vide quid agat ardẽs zelus diuinę gloriæ, vt ignis trãſmutat in ſe omnia licet vilia, ideò Heilas ignis inſtar leuiſſimus tanquã in ſphærã ſuã aſcendit; nec corpus, quod animæ ſubiiciens quodãmodo ſpiritale reddiderat, ponderi fuit. referri hoc poteſt ad ecſtaſes etiã corporales nonnullorũ ſãctorũ. *S.* Frãciſcus Aſſiſias tã altè in aerẽ efferebatur, vt ſocii obtutum ſubterfugeret S. Dunſtanus Epiſc. agẽs animã, vnà cũ lectuloquaſi curru in altũ mirè attollebatur

Ouillum pallium ab Helia pro hæreditate Heliſeo, relictum

14 Pergit in eodẽ. *Interea labentia in terrã veſtimenta Heliæ nactus hæres Heliſæus colligebat. &* Iordanẽ pede ſicco trãſibat. *Vide* quæ ſit hæreditas iuſtorũ, melotes, pelliſouilla, hoc eſt ſimplicitas? itẽq; mortificatio, iuxta illud: *facti ſumus ſicut oues occiſionis*. nobilius hoc quã leoninum Herculis ſpolium. quod ad pallium in tranſitu Iordanis attinet, referri poteſt ad *SS.* Frãciſcũ et Hyacinthum, qui pallio ſuper vndas nõ minus prodigiosè trãſierũt immadidi.

SS. Franciſcus, & Hyacinthus quaſi Heliæ palliotranſeunt ſicco per vndas veſtigio.

15 De Heliſæi vindicta ſic. Cum quadraginta duos pueros ſibi illudẽtes Heliſæus per duos vrſos interfecit, nõ iracundia id egit; *Sed auerſorũ à Deo patrũ filios, qui Bethel idolis immolabant, & ipſos pueros paruos, vt moris tũc erat, idolis cõſecrauerãt, iuſta vindicta plexit.* Nota pueros iſtos fuiſſe idolis cõſecratos, & immolãdos idolis; expedire igitur, & cõducere viſũ eſt prophetę, vt beſtijs potius traderentur quã idolis. itẽ nota cur vrſis potius quã leonibus, aut tigribus traditi: nimirũ vrſorũ eſt propriũ partus informes lingua lingẽdo informare; at horum parẽtes docuerãt filios lingua illudere prophetæ, & probra inferre; meritò igitur ab vrſis puniti, vt eorum magiſterio diſcerẽt, pueros lingua beneficè informare, atq; cõponere, nõ maledicè deformare. Addit. *Propheta cũ vt caluus irridebatur, præuidens quid, Chriſto caluaria crucifixo, populus Iudeorũ paſſurus erat, id eſt operatus.* duos vrſos Titũ, & Veſpeſianũ intellige. vbi nota Iudæorũ punitionẽ potius opprobriis & irriſioni, quã cruciatibus Chriſti attribui; adeò illa ſæpe morte grauiora cẽsẽtur

Pueros idolis cõſecratos maluit Heliſæus beſtiis tradere.

Cur pueri illudẽtes Heliſęo vrſis potius quã aliis feris traditi.

4. Reg. 6.

16 De eodẽ Heliſæo ſic. *Heliſæus ligno immiſſo ferrũ de profundo ad ſuperiora aquę natãs reuocat, ſed tamẽ qui poſtmodũ ſub Petri pedibus maris naturã ſolidauit, ante illã de profundo ferrũ leuare iubet.* vide vt ferrum illud ſupernatãs præluſerit Petro. nec tamen id contra naturam. *Nã aqua etſi non per totũ, ex parte tamẽ ſufferre valet. hinc etſi metallũ ad integrũ aqua nõ ſupportat, tamẽ ex parte cũ portãtibus tolerat. vnde lapidẽ, quẽ vix duo viri in aere poſſunt leuare, in aqua, cum de fune pepẽderit, vnus homo poteſt retinere: ita quod ex parte res habet, Deus vt per totũ ſequatur, nuturaliter imperat.* nota vt Deus & auctorẽ ſe naturæ oſtẽdat, dum non facit contra illam, & tamẽ vt ſe *S*uperiorem declaret, faciat præter illam,

Ferrum aquæ ſuper natans, & poſtea Petrus.

Deus in miraculis non deſtruit naturam ſed ſe illa ſuperiore declarat.

17 *O*ſtendit in qua re poſitus eſſet duplex ſpiritus *H*eliæ. *Helias in vita antequã raperetur, mortuũ reſuſcitaſſe vnũ narratur. Heliſæus verò, et vnũ in vita, et alterũ poſt mortẽ: ſed nõ ideò duplicẽ ſpiritũ accepiſſe dicendus eſt; nã Helias quod ſemel fecerat, bis ac ter, ſi neceſſe eſſet, iterare poſſet; ſed potius hoc duplicẽ gratiã in Heliſæo oſtendit, quod Heliſæus imperãdo, quæ Helias orãdo, & poſtulando, impetrabat. ſiue, vt ceteri dicũt, quod Heliſæus cũ magno honore, & ſeculi dignitate virtutũ, & prophetiæ donum habuit, quod Helias profugus, et cũ perſecutione in mõtibus, et ſpeluncis degens, eiectus ab hominibus retinebat.* Eſt hoc valde notabile, quod in proſperitate duplo maior ſpiritus requiratur, quia facilius in aduerſitate virtus retinetur. ideò Abrahã ait Deus poſt inſignem viuoriam: *Noli timere, ego protector tuus ſum*. item nota duplicem ſpiritum dici ob imperium in rebus agendis, et facilitatem miraculorum; quod de nõnullis ſanctis legitur, vt de S. Frãciſco Paulano, &c. *A*ddit cauſã poſtulati: *uidens peccata populi innumera* duplici ſpiritu opus eſſe putauit.

Duplex Heliſæi ſpiritus quis fuerit.

Plus ſpiritus requiritur in proſperitate quam in aduerſitate.

Franc. Paulani imperiũ in creaturas.

Gen. 15.

18 Cauſã fletus Ezechiæ docet. *Ezechias triſti nuncio mortis accepto, ad parietẽ faciẽ vertit, lacrymabilẽq; pro vita ſua in cõſpectu clementiſſimi Domini precem fudit, non quod de ſuo, vt potè perfectus, merito in conſpectu conditoris ſui incertus eſſet, ſed quia Chriſti vẽturi in generatione ſui generis proſapiam, in throno Dauid lucernã nõ relinquebat.* nota quanti Ezechias faceret, ſi ex ſua ſtirpe Chriſtus naſceretur, vt rem ſummi honoris: quantum igitur Deiparæ decus fuit, quæ eum peperit?

Ezechiæ fletus ex interrupta in ſe Chriſti progenie.

Deiparæ decus ex maternitate.

18 De *S*olis ſigno Ezechiæ dato ſic. Cum Eſaias duas prophetias inter ſe contrarias dixiſſet, de morte ſcilicet, & vita Ezechiæ; vt alteram firmaret, Solem redire facit ad ortum per decem horas. *Qui diei totius, exceptis duabus horis, ſpatiũ conſummaſſet, per quas duas horas, vt multi autumãt, Cæli curſus de occaſu in ortum reuertitur, vt dies integra rurſum, ſine interueniente nocte, in ortu renouaretur, vt ſcilicet duos dies etiam in hac*

vice in luce cōcluderet. sic tēpore Iosuæ; nā & hic dicēdum Lunā cum Sole reuersā, vt tū ābo steterunt. *ne quid in cyclorū cursibus perturbaretur* nota, cum Ezechiæ luctus inde esset, quod ex sua prosapia Christus non nasceretur, si sine prole obiret, apte pro signo reditū Solis ad ortū fuisse datū. duplicē autē diē refero ad illud in Christi natali *nox sicut dies illuminabitur.* sed auctor conuenienter hoc signum ideò Ezechiæ datū putat, *quia sicut Sol in procinctu occasus sui positus in diei initium reducitur, ita Rex in mortis expectatione constitutus quasi ad incipientis vitæ gaudia reuocatur* pulchrè, & acutè dictum. vbi nota similem Soli regem indicatum, vt qui beneficus in omnes esse debeat; & cuius acta non minus omnibus pateant quam lux patet Solis.

Cur Ezechiæ victuri signum in Sole.

Rex cum Sole collatus.

19 Causam morbi Ezechię docet. *Ezechias interfectis octoginta quinque millibus, misso de cœlesti exercitu milite Angelo, de tanta victoria eleuatus, & forsitan etiam gratiarum actione exiguus, in grauissimi morbi languorem inciderat.* Vide vnde tantum mali, & mors, & priuatio in sua stirpe Messiæ. primò ob aliquem fastum ex victoria, deinde, ob paruam ingratitudinem, neque enim dicit nō egisse gratias, sed exiguas. at vtrūq; Messiæ prosapiæ impedimēto erat, nimirū quia ille & futurus erat humillimus, & patris gloriam in omnibus spectaturus.

Ingratitudo vel exigua à Deo seuere punita in Ezechia.

Tumor ex uictoria Ezechieli quātum nocuit.

20 De statua Nabucdonosor sic. *Cum interpretatus esset Daniel somnium de statua, Rex ita in obliuionem animo elatus incidit, vt statuam auream altitudinis nimiæ in campo Duran erigens proprio nomine consecrari diuino cultu præceperit.* Vide quid agat elatio. rex viderat in somno tantùm caput aureum, hoc elatus totam statuam sibi fecit auream, et immensæ insuper altitudinis. quàm verè dictum. *superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* non habet modum, magis magisque intumescit.

Superbiæ tumor semper crescit. Dan. 2. & 3.

Psal. 73.

21 De eadem re sic. *Tres pueri accusati sunt coram Rege, quod nec Deos patronos, nec illam tunc consecratam statuam adorare vellent.* notabile hoc est, Regem hunc putasse regni præsidium consistere in cultu Deorum suorum, præcipuè eorum, qui patroni essent. hinc disce quo studio venerandi sint patroni vrbium singularum Cœlites

22 Ostendit quomodo ignis tribus pueris conuersus sit in rorem, inimicos verò incenderit. *Vnde ignis fornacis leuitatem eam habuit, vt non comederet tres pueros, ministros verò consumeret? nempè ignis substātia in nulla nisi aqua, vel alicuius liquoris substantia potest viuere; ac tandiù in materia perseuerat, quoadusque liquorem omnē, qui in ea est, vel ipse consumat, vel quod ex suo pastu superest, sursum in aerem mittat; & cum aquatica substantia pascitur ignis, non est tuta, nisi per aerem conseruetur, qui nisi sit circūfusus, extinguitur. ipsius igitur vita in aere, & humore consistit; vnde potēs gubernator ignis naturam inter inimicos, & seruos suos diuidere voluit, ardorem inimicis, flabilem verò, & humidam aquæ & aeris substantiam famulis suis conuertit; vt & illi per cōburentem naturam arderent, & hi in flabili, & aquatili vapore nihil aduersi perpeti sentirent. hinc dicitur: Angelus excussit flammā de camino, & fecit mediū fornacis quasi ventum roris flantem: ex aere enim spiritum, & ex aqua in ipso igne inuenit rorem.* acutè notatum ex physicis. quò etiam refero illud psalmi. *vox domini intercidentis flammam ignis.* splendet in iustis, vrit in improbis ad Dei nutum, qui pulchè dicitur, *potens gubernator ignis*: ob potentiam scilicet obedientialem, quæ est in creaturis.

Quomodo ignis in fornace Babylonis uersus sit in rorem.

23 Item Deum naturæ sapientem moderatorem ostendit. *Quos inedia Danielis esurientes fecerat, reorum sanguinis illius criminosa corpora leones recipiebant; in quo non in leonibus natura mutatur, sed insita conditionis inclinatio sua parte per Angelū à Deo gubernatur; blanditiam enim, & lenitatem, quam catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant; & sæuitiam, & feritatem, quam in prædam faciunt, in deuoratis peccatoribus reddebant.* acuta ratio. vbi nota, leones ita blandè tractasse, ac tenerè Danielem, quasi catulum proprium. nempe Daniel & virgo erat, & pudicitiæ defensor, vt in Susanna; at leones solitos defendere pudicitiam patet in nonnullis sanctis virginibus. item dicitur in Eccles. propter simplicitatem à leonibus non læsum; at simplicitas propriè in paruulis est. Totus autem hic discursus cum superiore, Deum in miraculis non agere contra naturam, licet præter naturam, pertinet ad quęstionem de potentia obedientiali, vt theologi vocant, cum quæritur, cur. v. g. ignis possit eleuari ad refrigerandum; at non oculus ad rem spiritalem videndam.

Amor leonum in catulos transfusus in Danielem.

Potentia obedientiali Dei in creaturis.

24 Exponit factum Banaiæ fortissimi ducis Dauid. *Qui interfecit duos leones in Moab, & leonem in cisterna in diebus niuis. ipse quoque virgam tenens manu Aegyptiū spectaculo dignum, hastam habentem interfecit* pulchrè Ignatiū nostrum dicere possumus huiusmodi fuisse strenuum ducē; ac tres leones, quos domuit, ac prostrauit, esse tria illa, quæ sunt in Mundo: *concupiscentiā carnis, cōcupiscentiam oculorum, & superbiā vitæ.* hastatum verò illum turpem Aegyptium, quem alium nisi Lutherum in Ecclesiam armatum dicemus? cui se validè opposuit. & sanè concupiscentiā carnis quasi leonem immanem descendēs ipse Ignatius in cisternā, scilicet in lacū tēpore niuis, ac brumæ, in adolescente incesto peruicit; idē baculo senili, ac virga dęmonē turpi forma se offerentē, nō semel exterruit. referri etiā poterit hæc triū leonū percussio ad tria vo

Ignatius noster Banaiæ duci fortissimo comparatus. 2. Reg. 23

Aegyptius hastatus Lutherus est ab Ignatio prostratus uel diabolus

ta, quibus contraria vitia expugnantur. Aegyptii verò ad quarũ professionis, quod à nobis ritè fit summo Pontifici, ad cuius nutum parati sumus etiam sine commeatu progredi quò velit, siue ad hæresim, siue ad idololatriã destruendã.

Ex libro III. de mirabilibus Sacræ Scripturæ.

Cur Zacharias pater Ioannis mutus factus.

1 DOcet, cur Zacharias pater *Ioannis* mutus sit factus. *Conuenienti ratione factum est, vt cum futurum esset, vt postea Ioannes hominibus victu, vestitu, & loco exemplum pænitentiæ præberet, & pænitentiam prædicaret, etiam conceptionis eius tempore pater pænitentiæ modum sibi ab Angelo impositum, donec ille nasceretur, sustineret.* acutè notatum de congruentia parentis, & filii circa virtutes. Addit. *& hoc congruè euenit, vt dum regnũ cœlorum prędicaturus concipiebatur, antiquæ legis, & prophetarum prædicator sacerdos silentio damnaretur: quoniam lex, & sacerdotium vsque ad Ioannem fuerunt; ex eo autem regnum Dei euangelizatur.* & hoc valde acutè notatum, seniorem patrem mutum factum, quia veteri legi, & ceremonijs silencium erat imponendum, eo concepto, qui præconio cœleste regnum erat euangelizaturus.

Exempla virginitatis in animalibus

2 Natum dicit de Virgine Christum supra naturam, non tamen sine aliquo exẽplo naturę: *Nam multa animalia absque parentũ coitu progigni videmus, qualiter apes sine patribus, fotu materni corporis tantũmodò crescunt.* pulchrè igitur apis Deipara dici potest; & ei conuenit illud: *breuis in volatilibus, est apis, sed initium dulcoris habet fructus eius:* breuis ob humilitatem, *Ecce ancilla domini;* sed principatum omnis dulcedinis tenet eius fructus. Iesus, inquit Bernardus, mel in ore. idem ostendit in multis auibus, ac piscibus, qui oua ore pariunt sine maribus. *& hac de causa dominus vermi se comparare non dedignatur; ego sum, inquit, vermis & non homo.* vide quanti fecerit Christus matris virginitatem, vt modò de ea non dubitaretur, non dedignatus sit vermi se cõparare, qui sine coitu nascitur.

Cur Christus vermem se appellet in psalmis.

Deipara api comparata ob uirginitatem.

3 De stellæ Magorum qualitate, & cursu sic. Non videtur fuisse ex stellis fixis, quia nõ potuisset esse dux ambulãtium: *Et si per aerem sagittæ more, quamuis paulò leniore cursu propter sequentes, peruolaret, assuetum in firmamento locum; et cursum interim deseret.* pulchrè, stellam hanc cum sagitta confert: certè Herodis cor vulnerauit metu, Magorum autem charitate. simile est illud: *stella contra Sisaram pugnauerunt.* Addit. *non repugnat Angelum habitu stellæ hoc ministerium fecisse; nam et Mosi de rubo Angelus ignita facie loquebatur; et currum, et equos igneos ascensione Heliæ Angeli funguntur etc. sic et ista vice Angelus dux Magorum efficitur, qui Astrologis in stellæ similitudinem, et clarissimi sideris fulgorem transformatur.* quin etiam in Apocalypsi Angeli per septem stellas significantur. Vide vt Angeli ad vtilitatem hominum iuxta cuiusq; statum transformentur, vt Astrologis in stellam; ita & Paulus ait: *Omnibus omnia factus sum.* deniq; subiungit. Vel stella illa Spiritũ sanctũ indicauit: rutilum. lumen spiritalis gratię. *quia sicut postea corporali specie columbæ descendit super Iesum in Iordane, sic gentes adoratrices stellæ specie duxit ad eius cunabula. sicut ergo in igne super Apostolos postea in cœnaculo Sion descendit, ita in specie stellæ Magos ad Dominum Spiritus sanctus adduxit.* nota hos Magos quasi primos Apostolos factos per spiritum sanctũ: nẽpe & primi euangelizauerunt nõ modò Hierosolymæ, sed apud exteras nationes regressi Christi aduentum. & sicut ignis ille in linguæ figuram visus super *Apostolos*, sic hæc stella ab ipso Augustino alibi vocatur *lingua cœlorum.*

Stella Magorũ sagittæ comparata.

Angelus in stellæ specie Magos duxit.

Spiritus sanctus in stellæ speciem Magis affulsit.

4 De Christi baptismo in Iordane sic. *Ad aquas Dominus descendit, vt aquas, quã uis in delicto Adæ eas Deus nõ maledixerit, terræ, qua continentur, maledictione infectas purgaret.* Vide quid damni afferat mala vel societas, vel habitatio. aquæ maledictæ non fuerunt, tamen quia terra cõtinentur, quæ maledicta fuit, à Christo purgari oportuit. Addit item hoc factum, ne quis putaret purgatione baptismi se non indigere propter iustitiã suã; cũ & aquæ licet nõ maledictę purgatione indiguerint. præterea ne quis ab inferiore baptizari parui penderet; deniq; vt peccatoris specie diabolũ falleret.

Cur Christus aquas in Iordane sanctificarit, si non fuerunt maledictæ ut terra.

Societas malorũ etiã bonis obest

5 *Baptismi* effecta docet. Vt sciret enim quisque, quid muneris in eo suscipiatur, & Spiritus sanctus in Christi baptismo descendere visus est, & pater filium declarauit, & cœlum apertum est. *in baptismo enim quisque sordibus peccatorum ablutus Spiritum sanctũ accipit, et à Deo patre filius adoptionis profiteri incipit, et ciuem se cœlestiũ patriæ Angelorum consors intelligit.* nota pulchrè animaduersa tria effecta præclara baptismi, & munera, quæ omnia peccando amittimus: Spiritum sanctum, adoptionem filij, & ius in cœlestem patriam.

Tria præclara quæ in baptismo acquirimus & per peccatũ amittimus,

6 De eodem baptismo sic. *Iccirco in nube, et columbæ imagine pater, et Spiritus sanctus ad baptismum Christi veniunt; quia enim ad baptismum aquam elegerat, necesse fuit, vt & pater per aquaticam nubem intonaret; & Spiritus sanctus illud corpus, quod de aqua in illo principio factum est, ex illa nube acceptum simularet: vt sic tota Trinitas eandẽ voluntatẽ, sicut haberet, ostenderet.* acutè adnotatum de cõcordi, & vna voluntate trium personarum, & facti congruentia. filius eligit aquam ad baptismum; ergo & pater nubem, vnde tonet verbis, quia ex vaporibus, hoc est ex aqua fit; & Spiri-

In Christi baptismo cur conuenerint aqua nubes, columba

tus sanctus columbam; nam volucres ex aqua, hoc est vapore, qui aeream illam regionem tenet, primùm formatæ sunt. ita benè congruunt, ac velut harmonicè in hydraulio.

Diabolus Christum tentans per ea victus per quæ victoriã sperabat

31 *De* tentatione in deserto hęc hebet. *Satanas Dominum tentans, dum se supra auctorem eleuare voluit, qui sub eo hac tenus fuerat homo, per Domini auxilium vltra ipsum excreuit, & dum eum, qui liber erat, alligare tētat, interim vinctus ille, quem tenebant in carcere, vincula deponit; & dum contra fortiorem pugnare nititur, ille qui erat infirmior, aduersus eum roboratur.* pulchrè per antitheta elusum diabolum ostendit, & conatum ipsi damno fuisse; suoque vt dicitur, se gladio iugulasse. vult supra Deum videri, & infra hominem fit. vult *D*eum superare, & in hominis *D*ei triumpho, quasi captiuus ducitur. idem illi suo modo accidit, cum tentat iustos.

Petrus an ibelãs supra mare prẹter naturam non contra naturam.

32 Quærit, vtrùm, cum ambularunt super aquas, Domini, & Petri leuigata sit natura, vt illos aqua sustineret, an aquæ substantia solidata sit, vt corpora humana fulcire posset? vtrumq; dicatur; nihil contra naturam factum, licet preter naturam rei. *Non contra naturam domino præcipiente esset, si aut aquam solidaret, aut humanam carnem Domini iussio leuigaret, vbi militantes in Scytharum oris, vt antiqui ferunt, & super equorum auribus proludant, natandi quoque arte imbuti merso medio in profunda vix subeunt; hominibus ergo id valentibus, quid mirum si Dominò imperante caro leuigaretur, præsertim cum resurrectionis corpora in tantum leuiganda sint, vt non solùm crassa aqua, sed etiam nubibus, & aere sustineantur, vt ait Apostolus: rapiemur ad occurrendum Christo in aera.* neque alterum contra naturam est, si aqua solidata fit sub pedibus, cum id in glacie fiat. supra idem ostendit; neque enim conueniens est vt auctor naturæ destruat naturam, sed vt ea se superiorem demonstret.

Christi transfiguratio in sularẽ vt literis portiuncula tantũ luminis fuit.

33 De Christi transfiguratione sic. *Licet in transfiguratione Domini facies Solari splendore fulserit, non ipsa caro splenduit, sed diuinitas latens in corpore luminis sui portiunculam foris videntibus, quantum poterant, concessit. vnde ergo vestimenta candorem niuis habuerunt, dum neque de diuinitate erant? nisi fortè, vt per carnem diuinitas foris illuxit, sic caro illuminata de diuinitate per vestimenta radiauit.* nota, tantum luminis, quod instar Solis portiũculã solùm vocat ex diuinitate manãtẽ. quod autẽ ait e Christi corpore candorem niueum in vestimenta transfusum, nota quàm præclarum sit Christo inhærere. hinc candor niueus castimoniæ.

Quam præclari sit Christo inhærere.

34 *De* eadem transfiguratione sic. *Moses, & Helias apparent velut legis, & prophetiæ principes; vel ideò vt Mosis cornuta facies, in quam non poterant filij Israel intendere, & Helias curru igneo raptus comparato Christo obscurarentur.* nota præstantiam glorię Christi. accessisse indicat alterum splendido vultu, alterem igneo curru sed vtriusq; splendorem Christo cessisse. & mirum quod in tanta gloria: *loquebantur de excessu, idest de Christi morte*. Addit. *Mosen, aiunt quidam verum corpus accepisse quod iterum post hanc visionem terra mandarit.*

In transfiguratione Christi Mores radiato vultu, Helias cũ igneo cum astiterunt.

35 *A*cutè circa mortuos resuscitatos ex scriptura disserit. *In octo mortuis, quos diuina scriptura veteris, & noui testamenti resuscitatos commemorat, hoc considerandum est, quod de eorum primo, idest de filio viduę, quem Helias resuscitauerat, ita refertur: Reuertatur obsecro anima pueri. de nouissimo autem, idest de Eutycho in actis Apostolorum; & sublatus repertus est mortuus, ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: nolite turbari, anima enim eius in eo est. cautè vtrumq; intelligendum, & quod anima eius reuerti à propheta postulatur; & quod in altero mortuus, & inesse in eo anima dicitur. quidam intelligunt quod post modicum interuallum redierit, sed tamen scriptura tacet, si egressa est, aut reuersa anima. de ceteris verò sex nulla ambiguitas quod, & mortui fuerint, & resuscitati.* nota in tota scriptura per tot sæculorum orbes non nisi octo mortuos resuscitatos dici, immo de sex tãtum esse certitudinem sine quæstione ait: quantò igitur nunc certior est fides Christi, cum tam multi per varios Sanctos reuixerint; & quàm admirabilis *S*. Franciscus Xauerius, qui viginti & amplius mortuos intra decem annos resuscitasse narratur: verè dictum: *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. nota etiam quàm grata *D*eo Pauli charitas fuerit, qua omnes complectebatur; nam ideò puto per eius complexum donatam vitam ei, qui ex alto ceciderat præceps. *incubuit super eum, & complexus, dixit &c.*

In scriptura vix octo resuscitati legũtur.

S. Fr. Xauerius viginti, & amplius mortuos resuscitauit.

36 De Solis defectu in Christi morte sic. *Solis defectio, non vt solet, cum Luna accenditur, facta est, sed in plenilunio, ne casu putaretur fuisse quod euenerat, & tantum lucem Solis media nocte obscurarunt, vt per tres illas horas defectionis stella in cœlo sint visæ.* notabile est quid ait; scilicet in Christi passione stellæ se obtulerint, vel pro suo imperatore dimicaturæ, nam *cœli militia* vocantur; & *stellæ contra Sisaram pugnauerunt*. vel vt iusta facerent conditori suo & quidem olim cum ab ipso creatæ sũt. *stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, & dixerunt: ad sumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* at contra ad passionem pertinet illud aliud, *omnia, luminaria cœli mœrere faciã*; quasi tælas ad funus.

In Christi morte stellæ apparuerunt Sole obscurant.

Ex

Ex Libro de diuinatione Dęmonum.

1 OStendit quomodo Dęmones vel prædicere, vel mira facere possint. *Cuidam narranti, prædixisse nescio quem euersionem templi Serapidis, quæ in Alexandria facta est, respondi, non esse mirandum, si istam euersionem templi, ac simulacri sui Dæmones & scire, & prædicere potuerunt, sicut alia multa, quantùm eis nosse, & prænunciare permittitur.* nec tamen ideò bona hæc, quia à Deo permittuntur: *etenim multa Deus & improbat iustus, & permittit omnipotens*, iuxta sua scilicet iudicia, propter sagacitatem verò, & longam experientiam nonnulla vel prænunciant, vel mira operamur. *quæ quoniam homines dicere, vel facere non possunt, eos dignos quidam, quibus seruiant, arbitrantur, instigante maximè vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ, atque terrenæ, & excellentiæ temporalis.* Vide quantùm mali afferat curiositas ex amore proprio proueniens. hinc Saul victoriæ auidus consulit Pythonissam, cum antea legatur eas exterminasse. *Itaq;* subiungit. *Qui autem se ab his cupiditatibus mundant, nec eis se capiendos permittunt, sed inquirunt, & amant aliquid, quod eodem modo semper est, cuius participatione beati sint, considerant, non ob hæc postponendos sibi esse Dæmones.* nàm quod mira operari videntur, *quàm multa funambuli; ceteriq; theatrici miranda fecerunt; num ideo meliores sunt bonis?*

Curiositas Dæmonum consulentium quàm detestabilis.

2 *Docet, cur, & quomodo Dæmones ipsi prædicant Idololatriæ destructionem.* *Quid mirum si iam imminente templorum, ac simulacrorum euersione, quod propheta Dei summi tantò ante prædixerant, Serapis Dæmon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodit, vt suam quasi diuinitatem recedens, vel fugiens commendaret? postea enim, quàm appropinquare cœperunt, voluerunt ea quasi prædicere, ne ignari putarentur.* Vide vafritiam diaboli, qui iam iam profligandus, conatus est quantùm potuit, aliquam sibi diuinitatis quasi particulam reseruare, prædicere se fingens, quod à nostris prophetis erat antè prædictum, ne sibi vt futurorum, & suæ ruinæ inscio illuderetur; affert autem inter cæteras præclaram scripturæ prædictionem. *Præualebit dominus aduersus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ, & adorabunt eum, vnusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium.* apertissimum sanè oraculum, nec ambiguum, quale Delphicum: & certè nostra ætate maximè vigens ex magna idolorum strage apud nouum orbem per Apostolicos viros facta. subiungit acutè de eodem Sophoniæ loco. *In eo, quod positum est: Præualebit: satis ostenditur hoc etiam prænunciatum quod Pagani prius oppugnaturi essent Ecclesiam, nomemque Christianum, quantùm valerent, persecuturi, vt si fieri posset omninò deleretur, & quia eos patientia Martyrum, & magnitudo miraculorum, & consequente fide populorum erat superaturus, ideo sic scriptum est: Præualebit dominus aduersus eos; non enim diceretur, præualebit aduersus eos: nisi oppugnando illi resisterent.* hoc ipsum in nouo illo orbe hac tempestate accidit, tyrannis frustra sæuientibus, & pro fide occumbentium præualente constantia. Deniquè citat illud Apostoli. *Prædicamus Christum crucifixum, gentibus stultitiam &c.* sic acutè irrisores idololatras carpit. *irrideant quantùm possunt, illud scio, quia isti irrisores nostri pauciores sunt hoc anno quàm priore anno.* ob quotidianam scilicet gentium conuersionem. *Addit:* sed & hoc maximè mirum est, *quod ipsa stultitia Christianorum, quæ in sanctis eius apparet excelsa, & sola vera sapientia, eos in istam paucitatem rediget.* adeò ipsi potius stulti & risu digni apparent.

Cur Dæmones ipsi idololatriæ destructionem prædixerint.

Soph. 2.

Ex Libro de Spiritu, & Anima.

1 MOdum intelligendi in Anima docet. *Animus corporis dominator, & rector, & habitator videt se ipsum per se ipsum. non quærit auxilium corporalium oculorum, immò ab omnibus corporeis sensibus abstrahit se ad se, vt videat se in se, & noscat se apud se; & cum vult Deum cognoscere, eleuat super se.* doctè, & eleganter animæ intelligentis actus exponit. item hoc pulchrè. *Animus cognoscit Deum supra se, & in se, & Angelum iuxta se, & quicquid cœli ambitu continetur, infra se.* vide quanta sit animæ dignitas, & quam præclara ratio intelligendi, quam tamen stultè abiicimus in res terrenas, ac sordidas.

Quàm præclara sit ratio intelligendi in anima.

2 Mundi dispositionem in homine veluti microcosmo agnoscit: *sicut Mundus iste visibilis quinquepartita distinctione ordinatus est; terra scilicet, & aqua, & æthere, seu firmamento, & ipso supremo cœlo, quod empyrum vocant: sic animæ in Mundo sui corporis peregrinanti quinque progressus sunt ad sapientiam, sensus scilicet, imaginatio, ratio, intellectus, & intelligētia.* Vide quàm egregiè eluceat Dei opificis sapientia in paruo Mundo, quem correspondentem fecerit magno. immo sic egit, vt magnus iste deseruiret huic paruo. Tum acutè, ac subtiliter nouem gradus perfectionis in quaque anima correspondentes nouem ordinibus cœ-

Homo ad Mundi formam creatus.

cœlestium spirituum contemplatur. *Proficit anima vsque ad plenitudinem scientiæ, & regnum charitatis, cuius progressus ordinibus Angelorũ cōparari potest, vt sensus, qui primus animæ nuncius est, aptetur Angelis, qui nuncii vocantur; imaginatio Archangelis, quæ plura, quàm sensus percipit; timor Virtutibus; dolor Potestatibus; qui enim metu suppliciorum perterritus est, & dolore peccatorũ compunctus contemnit Mundum, & se ipsum; cum Virtutibus operatur miracula, cum Potestatibus fugat dæmonia: maius namque est contemnere se ipsum, quàm Mundum; nam hunc multi per vanitatem contempserunt; ratio Principatibus; nam sicut illi præsunt, & principantur subiectis spiritibus, sic ratio sensibus, atque affectibus; amor proximi siue gaudium comparari potest Dominationibus: rectè namq; aliis dominantur, qui omnes amant, & de profectu omnium gaudent; intellectus Thronis. Throni sedes dicuntur; intelligere enim debes, quod in corde iustorum Deus habitet per fidem, dilectionem &c. intelligentiã aptamus cum Cherubim, qui tantò perfectiori scientia pleni sunt, quantò diuinitatem vicinius contemplantur; intelligentia enim vis animi est, quæ immediatè Deo supponitur, cernitque ipsum, & quæ in eo sunt; spem & desiderium Seraphim: Deus enim, in quem Seraphim prospicere desiderant, tota spes nostra, & desiderium nostrum est.* pulcherrimus hic locus est de dignitate animæ, in quâ agnoscit imaginem totius hierarchiæ cœlestis, itaut singulæ vires animæ correspondeãt singulis beatorum spirituum ordinibus, ac propterea illa instar empyrei cœli fit. ac præcipue nota, quàm puri debeant esse sensus, qui Angelis correspondent, nam vtrique nuncii sunt. quàm casta imaginatio, quæ Archangelis. per timorem, quo nos subiicimus Deo, & Mundum contemnimus, comparamur Virtutibus, quæ miraculis præsunt: quasi miraculum quoddam sit odisse diuitias, honores &c. per dolorem peccatorum Potestatibus, quibus contra dæmones pugna est: nihil enim tam fugat dęmones, quam contritio, & humilitas, vt aiebat S. Antonius. per rationem, quã subiicimus cupiditates, Principatibus, dum ratio imperat; per amorem, & gaudium de bono proximi, Dominationibus; neque enim quis inferior fit, quia alium prosperari, & honorari lætatur. vide etiam quàm sublimis, & à terrenis abstractus intellectus noster esse debeat, qui Thronis comparatur; & quàm in Dei gloriam tendens intelligentia & scientia, quę Cherubim; denique quàm viuax spes, & quàm ardens desiderium non terrenorum, sed ipsius Dei, quod ardētibus Seraphim assimilatur. vides in vna iusti anima totum Empyreum. hoc ipse indicat dicens; *odium igitur Mundi in anima respondet Virtutibus, odium sui Potestatibus &c.* totius ergo Vniuersitatis siue Mundi visibilis siue inuisibilis summa est homo. rectè exclamat Dauid: *mirabilis facta est scientia tua ex me.*

Nouem gradus perfectionis in anima correspondentes nouem ordinibus Angelorũ.

Homo mũdi tã visibilis quam inuisibilis summa est.

3 Vim præstantem animæ docet. *Anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, omnium rerum gerit in se similitudinem, cum sit vna, vt ait philosophus, similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorũ cœlo per intelligentiam. similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum, & imaginationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam; & sicut Deus est omnibus captibilis, & perceptibilis, sic anima omnium est capax.* Vides in anima Mundi compendium, & quantum vnusquisque debeat Deo auctori, penè tantum, quantum tota vniuersitas.

Animæ vis eximia, & quasimũdi compendium.

4 De natura, & gratia sic. *Facultates quidem, et quasi instrumenta cognoscendi, et diligendi animus habet ex Natura; cognitionem tamen veritatis, et ordinem dilectionis nequaquam habet, nisi ex Gratia. vasa namque creatrix Sapientia format, vt sint: adiutrix Gratia replet, ne vacua sint; si strenuũ inuenerit operariũ.* pulchrè de Natura, & Gratia: nēpè anima est quasi vas ex auro cœlato à Sapientia formatum; quãindignũ est illud alio vili liquore replere potius quã Gratiæ, quasi purissimo margarito liquato? huc refero illud. *& Gratia eius in me vacua non fuit.* nempe de ipso dictum erat: *vas electionis est mihi iste.* rectè autem addit: *si strenuum inuenerit operarium.*

Animæ quasi vas aureum Sapientia format, Gratia replet.

5 Acutè ostendit, cur Deus corpus, animamque hominis acceperit. *Duo sunt in homine: sensus interior, & exterior: & vterque bonum suum habet, in quo reficitur: ille in contemplatione diuinitatis, hic humanitatis. propterea Deus factus est homo, vt totum hominem in se beatificaret, & tota huius cõuersio esset ad ipsum, & tota dilectio in ipso.* Vide vt Deo iam homine facto, nihil in nobis inesse debeat non ei consecratum, quà diuinitatis, quà humanitatis contemplatione absorptis. tum illud exponit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* imago, inquit, est in cognitione, similitudo in dilectione.

Deus homo factus vt totum hominem in se beatificaret.

6 Insignis est illa definitio mentis humanæ. *Mens dicitur à μὴν. mens autem græcè, latinè dicitur Luna; & sicut Luna crescit, & deficit, et varia vicissitudine commutatur; in id tamen, quod fuit, perfecta se nouitate restituit: sic mens nunc caput summis inserit, tunc decidit in infima: modò corporalia regendo deflectitur, modò æternis rationibus adhærescit,* pulchrè mentem cum Luna confert, à qua mentem græcè appellatam dicit. vides illam luce semper se renouantem, quod & sapiens agit renouando se spiritu. addo: cum Luna infernè apud nos

Mens græcè Lunam significat.

Spiritus renouatio veluti lunaris.

nos clara non apparet, supernè tamen illustratur; ita & mens cum ex necessitate ad infima, hoc est ad corporalia ac terrena intendit, non priuetur interim illustratione cœlesti. Affert & aliam mentis definitionem. *Vel mens inde dicta, quod emineat in anima: præstantior siquidem vis animæ est, à qua procedit intelligentia.* Vide quàm indignum sit, vt mens, quæ ab eminendo dicta est, ad abiectissimas, ac cœnolas cogitationes se deprimat. porrò in Cardinalibus maximè, qui eminentiæ titulo insignes sunt, vigere mens debet, vt Ecclesiæ consulant. siquidem *mens ab eminendo dicta est.*

Mens dicta, quod in anima emineat

Cardinales eminentes dicti toti debēt esse mēs

7 Item de mente, & ratione sic disserit. *Rationale, & intellectuale lumen, quo ratiocinamur, intelligimus, & sapimus, mentem dicimus. ratio est mentis aspectus, quo bonum, & malum discernit, virtutes eligit, Deumq; diligit. est in ratione quiddam ad superna, & cœlestia intendens, & dicitur sapientia; & est quiddam ad humana respiciēs, & vocatur prudentia.* nota vbi posita sit vera sapientia, in virtutibus eligendis, Deoq; diligendo.

Vera sapientia consistit in electione virtutū, & dilectione Dei.

8 Cognitionem sine Gratia mancam dicit. *Spiritus rationalis habilis ad cognoscendum verum, & diligendum bonum, nisi interioris luci radio sit perfusus, & calore succensus, nunquam consequetur vel sapientiæ cognitionem, vel dilectionis affectum, quia Deus ignis, & lux est; lux ergo splendorem emittens ex se, quem retinet in se, illuminat intelligentiam ad cognitionem veritatis; ignis calorem emittens, sed non amittens, inflammat affectum ad amorem virtutis. & sicut Solem non videt oculus, nisi in lumine ipsius Solis: sic verum, diuinumq; lumen non potest intelligentia videre, nisi in ipsius lumine, vnde illud propheta: In lumine tuo videbimus lumen.* nota vt vera sapientia a Deo sit. huc refer quod S. Thomas Aquinas, dicebat, se pleraq; ex diuina illustratione accepisse. iure igitur eius pectori Sol insertus. præclarè autē cōsiderat duplicē facultatē, quæ est in igne: splendorē scilicet, & calorem, Deus autem ignis dicitur; ita igitur illustrat intellectum, vt cognitionem inflammatio sequatur affectus, iuxtà illud: *in meditatione mea exardescet ignis.*

Vera sapientia a Deo est.

S. Thomas sapientiā diuinitus hausit.

Cognitionem sequatur oportet affectus.

Ps. 31.

9 De perfectione mentis, & corporis in beatis sic. *Cum mortale hoc induerit incorruptionem, tunc mente, & corpore spiritales effecti, secundùm modulum nostrum per mentis illuminationem omnia sciemus, & per corporis leuitatem, vbique esse poterimus. volabimus mente per contemplationem, volabimus, & corpore per incorruptionem. corporei sensus nostri vertentur in rationem, ratio in intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in Deum.* pulchra gradatio vsque ad Deum, in quem per participationem quodammodo vertemur. pulchrè, & illud dictum, de vtroque volatu, mentis, & corporis in beatis: illa per celerem apprehensionem, hoc per leuitatem velut alas induet, quæ vna est dotium corporis gloriosi, iuxta illud: *assument pennas, vt aquilæ, volabunt, & non deficient.*

Dos corporis gloriosi leuitas.

10 De omnigena cognitione sic eleganter. *Infra rationem sunt quæ sensu percipimus; iuxta rationem quæ ratione percipimus, vt vera & falsa, iusta & iniusta &c. supra rationem quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet, sed diuina reuelatione, & auctoritate sacrarum scripturarum credimus.* Vide sublimitatem fidei supra rationem ipsā se efferentis; & nota tres cognitionis gradus: infra, iuxta, supra rationem.

Fides trāscendit non sensum modò, sed rationē.

Tres gradus cognocēdi infra, iuxta, supra rationē.

11 De facultatibus animæ sic. *Dum anima vegetat, spiritus contemplatur, sensus sentit, animus sapit, mens intelligit, ratio discernit, memoria recordatur, voluntas vult: ista non differunt substantia, sed nominibus, quia omnia ista vna anima est; proprietates quidem diuersæ, sed essentia vna.* Vide quot vires, quot dotes animæ; quā tamē nihili facimus, dū nihilum sequimur, hoc est Mundi vanitatem, & inanitatem. Addit: *Anima cum sit subtilis, & inuisibilis, videri non potest, sed per potentias suas se extendit, & ostendit: per concupiscibilitatem appetit, per irascibilitatem contemnit, per rationalitatem inter vtrumq; discernit.*

Animæ vires, ac facultates eximię.

12 Animæ cum corpore nexum exponit. *Sociata corpori anima est, licet eius societate prægrauetur, ineffabili tamen conditione diligit illud, amat carcerem suum, & ideò libera esse non potest: doloribus eius afficitur, formidat interitum, quæ mori non potest; timet defectum, quæ deficere non potest; pascitur oculorum spectaculo, delectatur sonis, iucundatur odoribus &c. & licet nullatenus ipsa vtatur, graui tamen dolore afficitur si subtrahantur.* pulchrè, & eleganter. per antitheta ostendit ardentem affectum animæ erga suum corpus, licet cum suo dispendio: quò admirabilior laus est Martyrum, qui tàm alacriter solui fuerunt hunc nexum, vt cum Deo colligarentur. eleganter dictum: *amat carcerem suum.* at sanctus Dauid aiebat. *educ de custodia animam meam.* & Paulus: *cupio dissolui; &c.*

Animæ addicta corpori amat carcerū suum.

13 Pergit animam in corpore contemplari. *Nouem sunt foramina in humano corpore, quibus secundùm naturalem contemperationem influit, & effluit omne, quo idem corpus vegetatur, & regitur.* nota numerum; nam quæ sæpe ab arte adduntur ad leuandos morbos encaustica, vulnera potius naturæ esse ait. in quo corporis miseria, & vilitas ostenditur, cui non sufficiant ad se tuendum naturæ præsidia, nisi addat artis medicæ: tantum in eo inest sordium, atque fecium, quas vt egerat, tot indiget canaliculis, immò addit & vulnera.

Nouem corpori foramina à natura tributa ad præsidiū corporis

Phantasticum animæ quale sit.

14 Iterum de vnione corporis, & animæ philosophatur. *Anima, et caro in suis extremitatibus vniuntur, idest in phantastico animæ, quod corpus non est, sed simile corpori, & in sensualitate carnis, quæ ferè spiritus est, quia sine anima fieri non potest.* hinc oritur vnio, nam similia similibus gaudent. hic phantasticus spiritus igneus vigor dicitur apud Maronem. mundanos tamen hic arguo, ista facultate abutentes, iuxta illud: *Quasi qui apprehendit vmbram, sic qui attendit ad visa mendacia. cor tuum phantasias patitur, &c.*

Eccl. 34.

15 Vnionem animæ cum vili corpore admiratur. *Mira societas carnis & animæ, spiritus & limi terræ.* mox pulchrè addit: *plenum fuit miraculo, quod in homine tam diuersa, quod tam diuisa ab inuicem potuere coniungi, spiritus, et limus; nec minus mirabile fuit quod limo nostro Deus se ipsum coniunxit. mirabilis fuit coniunctio prima, mirabilis et secunda, nec minus mirabilis erit tertia, cum homo, Angelus, et Deus vnus erit spiritus: eodem namque bono bonus est homo, quo bonus Angelus, eodemque bono vterque beatus.* egregiè de triplici vnione, animastica, hypostatica, & beatifica. de hac autem ait: *tantæ dignitatis est humana conditio, vt nullum bonum præter summum bonum ei sufficere possit*: mira igitur coniunctio limi cum anima, magis mira limi secūdū animā cū Deo viso; maximè mira limi cū Deo in incarnatione. huc referi potest quasi cōiunctio ex Dei præsētia: *Nihil est Deo præsentius interior est omni re, quia ipse est supōnia.* rectè ait: quia Deus superior, ideò interior.

Triplex unio nostri limi omnino mira.

16 De ascensu mentis in Deum sic. *Ab hoc Mundo ad Deum reuertētes, & quasi ab imo sursum ascendentes, per nosmetipsos transire debemus. ascendere enim ad Deū est intrare ad se ipsum, immò se ipsum transire.* huc refero illud: *ascensiones in corde suo disposuit.* Addit: *hæc est vita cordis nostri, cū Deum contemplatur, & ea contemplatione suauiter reficitur.* hinc collige, qui de Deo non cogitat, in morte esse. nota illud, per cognitionem sui quasi per gradus ascendi ad Deum. huc pertinet quo sequitur: *Nihil est ad beatam vitam præstantius, quàm veluti clausis carnalibus sensibus, extra carnem, Mundique affectum in se ipsum conuerti, alienumque à cupiditatibus terrenis sibi soli, & Deo loqui.* est hoc religiosi maximè proprium, non diuagari per res sensiles, sed in se collectum Deo vacare procul à tumultu seculi, extra carnem, Mundique affectum.

Ascēsus mentis ad Deū quomodo fiat.

Clausis sensibus Deo vacandum.

Religiosi extra carnē mundiq; affectum.

17 Acutè, ac pulchrè ostendit, quomodo in morte anima separetur à corpore. *Cùm anima sit incorporea, per subtiliorē naturam corporis sui, id est per ignem, & aerem, quæ in isto quoque Mundo præcellentia sunt corpora, & ideò vt subtiliora corpus administrant; ista siquidem priora excipiunt motus animæ viuificantis, eò quod ad incorpoream naturam magis accedunt, quàm humor, ac terra. nullus sine illis duobus vel in corpore sensus est, vel ab anima spontaneus corporis motus. ignis, & aer quia leuia sunt, mouent aquam, & terram, quæ grauia sunt. quapropter post abscessum animæ corpus nō mouetur, quia ignis & aer, quæ per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno, & humido, vt omnium quatuor fiat contemperatio, post animæ abscessum ad superna euadūt, ac se se expediunt.* Vide quare anima amica sit ignis, & aeris, quia ad spiritalem naturam magis accedunt, & leuiora sunt cæteris elementis, ac proinde similiora ipsi animæ. è cadauere antem ignis, & aer euadunt, & grauiora remanent: est hic peccatoris typus, è quo velut è mortuo Spiritus sanctus, qui per ignis, & aeris figuram apparuit Apostolis, se expedit, & aufert.

Anima ignis, et aeris amica quia ad spiritalē naturam magis accedunt.

Cadauer igni & aere destituitur per abscessum animæ, similiter peccator.

18 Item de animæ à corpore separatione sic eleganter. *Abscedente anima, corpus, quod prius integrum tanquam organum contemperatum, & dispositum erat, vt melos musicum in se contineret, & tactum resonaret, nunc confractum, & inutile iacet; anima verò ipsa non habens vbi iam vires suas exerceat, requiescit ab ijs tantùm motibus, quibus corpus per tempus, & locum mouebat ipsa per tempus illocaliter mota; quia & si organum periit, sed non & melos, nec quod organum mouebat.* Vides animum in corpore tanquàm lyristam, aut citharoedum, & artis musicæ magistrum esse. certè in corpore nerui sunt, vt in cithara, & lingua instar plectri est, vt ait Philo. quid ergo dignius resonet, quàm creatoris laudes? quàm absona murmuratio est, & scurrilitas, & c. similiter de peccatore dicendum quandiù enim Spiritus sanctus, qui digitus Dei dicitur, animam quasi bene temperatum organum tangit, viuit illa per gratiam, secus cum eius destituitur pulsu.

Anima corpus quasi musicū organum tangit, ac moderatur.

Cadauer quasi organum à tibicine destitutum.

19 Pulchrè discrimen ponit animæ operantis, & Dei. *Anima inter Deum, & corpus posita per tempus mouetur, vel reminiscendo, quod oblita fuerat, vel discēdo quod ignorabat, vel volendo quod nolebat; per locum verò non mouetur, quia per eius spatia non distēditur. Deus autem corpore non eget, vt sit; nec loco, vt alicubi sit, nec tempore, vt aliquando sit, nec causa vt aliunde sit; nec forma, vt aliquid sit, nec aliquo genere subiecti, in quo subsistat, vel in quo assistat.* vide quantò præstantior sit Deus natura animæ, licet intellectualis; & nota eleganter de Deo dicta sibi sufficiente, nullius rei indigente.

Dei natura supereminens naturæ animæ.

20 Hæc ad affectum erga Deum pertinent. *Venit ille post me, vt redimeret me. & tantum dilexit me, vt sanguinis sui pretium appenderet pro me.* nec minus piè, & pulchrè

chrè dicta quæ sequuntur. *Cum errabam, reduxit me; cum cecidi, erexit me &c. hæc & multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus dulce est mihi semper loqui, semper agitare, semper gratias agere. cum enim cunctis sit præsidens, singulos implens, vbique præsens, vniuersorum curam gerens, & tam singulis, quàm omnibus prouidens: ita tamen ad custodiam meam occupatum video, vt, si ego super custodiam meam stabo, ille quasi omnium sit oblitus, mihi soli videatur intendere. semper se paratum offert, si paratum inuenerit. non me deserit, nisi prior eum deseram &c. cum hæc diligenter considero, timore pariter, & ingenti rubore confundor; multa enim sunt, de quibus coram eius oculis erubesco, nec habeo quid rependam nisi tantum dilectionē.* Vide incredibilem Dei pietatem, & quantum ei debeamus, & quam iucundum sit cum ipso, & de ipso loqui, & cogitare. ceterùm, & qui præsunt, in hoc quoque ipsū imitari debent, vt vnicuiq; subdito consulant, quasi solus sit, & quasi vnius tantùm curam haberent. huc refero illud de Deo dictum: *qui finxit singillatim corda eorum, & singulariter in spe constituisti me.* & Apostolus ait: *tradidit semet ipsum pro me.*

Deus ita cuicuiq; intentus benefaciendo, quasi alii non essent.

21 Peccati malum ostendit. *Sicut anima vita sua facit carnem viuere, & de fonte naturæ suæ irrigat animando, sic caro per corruptelam materiæ suæ, animam illecebris illigatam occidit; & cum altera natura alterius videatur, transit vnaquæq; in victricis naturam:* Nota quid indignius quàm vt caro quæ vitam haurit ab anima, ipsam occidat? egregiè autem ait, animam, si vincat, conuertere carnem quodammodo in spiritum, sin contra caro vincat, animam facere quasi carnalem. illud pulchrè dictum: *anima de fonte naturæ suæ irrigat animando carnem.* quantò magis Deus de quo dicitur: *apud te est fons vitæ*: irrigat ipsam animam viuificando per gratiam?

Anima viuificās carnem ab hac per peccatū occiditur.

22 Sicut supra discrimen posuit operandi inter animam, & Deum, ita nunc in nonnullis similitudinem ponit. *Sicut Deus vbiq; est, totus in toto Mundo, & in omni creatura sua; sic anima vbiq; tota in toto corpore suo, tanquam in quodam Mundo suo, interius tamen in corde, & in cerebro, quemadmodum Deus præcipuè dicitur esse in cælo.* nota, animam debere administrare corpus, imitando administrationem Dei in Mundo, hoc est prouidè, sapienter, ac iustè. sequitur. *Anima in suis motibus, vel actibus tota simul adest, tota videt, & tota visorum meminit. tota audit, & tota sonorum reminiscitur; tota simul approbat, vel improbat. calida, vel frigida tantùm digito, sed tota discernit. cum tota vult, tota est voluntas. cum tota cogitat, tota est cogitatio. cum tota diligit, tota est dilectio.* vide quàm admirandum sit opus Dei, & ipsi simile; quod tamen decus omne peccando fœdamus, abiicimus.

Animæ similitudo cum Deo.

Deus administrat mūdum vt anima corpus.

23 Virtutum naturam definit. *Prudentia est scire quid possis; fortitudo facere quod possis. temperantia non præsumere quid non possis. iustitia nolle plus quàm possis. prudentia est in eligendis, temperantia in vtendis, fortitudo in tolerandis, iustitia in distribuendis &c.* pulchrè breui complexus est munera quatuor virtutum cardinalium. de reliquis sic. *humilitas animam Deo subiicit; puritas iungit, charitas vnit.* plus est vnire quàm iungere, nam vnio vnum facit. nota tres gradus cohærendi Deo.

Virtutum cardinaliū munera.

Tres virtutes quibus cohęremus Deo.

24 Dei in anima imaginem præclarè agnoscit. *Sicut Deus trinus, vnus, verus, & perfectus, omnia tenet, omnia implet, omnia sustinet, omnia super excedit, omnia circumplectitur: sic anima tribus viribus, naturali, vitali, animali per totum corpus diffunditur, non locali distentione, sed vitali intentione. vis naturalis operatur sanguinem &c. vis vitalis in corde, hauriendo aerem, & reddendo &c. vis animalis in cerebro, vnde quinque corporis sensus vigent.* de his verò sic. *quinque sensus quia in sola facie prælocati sunt, ideo scriptum arbitror, quia Dominus in faciem insufflauit spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* vide quam sanctè, & castè sensibus vti debeamus, qui primò Dei spiraculo sunt afflati. pergit in eodem. *in prima parte cerebri vis animalis vocatur phantasticalis, seu imaginatoria, ob corporalium rerum similitudines, & imagines; in media parte rationalis, vbi examinat, & iudicat, quæ per imaginationem repræsentantur; in vltima memorialis, vbi ratione iudicata commendat memoriæ.* nota vt mediam, hoc est præcipuam sibi partem vendicet ratio, quę hinc inde ceteras duas regat, ac temperet.

Dei imago in anima qualis sit.

Cur Deus homini in faciem insufflarit dum crearet.

Ratio medium locū tenet inter phantasticam, & memorialem partem.

25 Vim dæmonis in animam, & corpus hominis ita limitat. *Dicit humana opinio, quod arte mulierum, & potestate dæmonum homines conuerti possint in lupos, & iumenta &c. quod sic est intelligendum, eos ita hæc facere, vt videantur esse quæ non sunt.* Ad hæc addit. *Dæmon sic plerumque humanum spiritum rapit, vt quadam occulta mixtura quasi idem spiritus videatur, & patientis, & vexantis; animan tamen hominis, idest mentem nulla creatura iuxta substantiam implere potest, nisi sola Trinitas. implere dæmon dicitur mentem, non participatione substantiæ, sed fraudulenta malitia.* Vide amplā animæ capacitatem, quam sola Trinitas potest implere, quæ & creatrix, quid tandē inania cōsectamur? *Ephraim pascit ventum &c.* tum nota, quàm vereri debeamus Dei præsentiam, qui intimè nobis adest per illapsum.

Animam nulla creatura implere potest ni si sola Trinitas

Dæmon intimè in animā illabi non potest vt Deus.

26 De maleficis, & sagis hæc habet. *Mulierculæ quædam credunt se nocturnis horis cum Diana paganorum Dea, vel cum*

Here-

Malefi-cæ mu-lieres pu-tant se cum Diana, & Herodia-de, & Mi-nerua circum agi.

Herodiade, & Minerua equitare &c. ipse namque Satán cum mentem subiugauerit, transfigurat se in species, & similitudines varias, mentem captiuam tenens. en ille Vertũnus, ac Proteus, cuius mille vultus, mille fallendi artes. & nota illud de Herodiade, qua maleficæ vtuntur; puto enim verisimile, Herodiadem ad alliciendum Herodem etiam maleficiis vsam, ne ab ipsius amore auelleretur. de *D*iana non miror, quia noctu sub Luna fraudes, & maleficia fiunt. sed quid Mineruæ virgini, & sapientiæ præsidi cum maleficiis cõmune? puto quia stulti magiam esse scientiam sibi persuadent.

Dei pro-uidentia etiam ap-paritio-nes di-spensan-tur.

27 *De* apparitionibus hæc habet. *Cum homines mortui, siue viui hominibus vel dordormientibus, vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus, ut sunt, uidentur, sed in quibusdam similitudinibus rerũ, quod Angelicis operationibus fieri credimus per dispensationem prouidentiæ Dei bene vtentis bonis, uel malis secundùm inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum.* nota de Angelicis ministeriis etiam circa visa per speciem; & vide, vt per diuinam prouidentiam omnia dispensentur supra humanum omne consilium.

An, & quomo-do qui in altera vita sunt sciãt no-stra.

28 De statu defunctorum sic. *Defunctis ita est cura de viuis, vt quid agant, ignorent; sicut nobis est cura de ipsis, quamuis quid agant, vtique nesciamus: possunt tamen audire ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt, non quidem omninò, sed quantum sinitur eis indicare, & eos oportet audire: scire etiam possunt ab Angelis, qui hìc nobis præsto sunt, & animas nostras ad eos deferunt; spiritu etiam Dei reuelante cognoscere possunt, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere.* hinc colligo religionum patriarchas non ignorare, quæ ad suos pertinent. mox addit. *mortui non nisi per diuinã potẽtiã rapi posũt ad viuos; an autẽ per eorũ præsentiam, an per Angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo.* Non est autem omittendum quod ait de pœnis post mortem. *Quædam animæ in iisdem locis patiuntur, in quibus culpam commiserunt.* patet hoc ex nonnullis vitis, quæ narrãtur.

Anima exterio-ra vagã-do sequẽs se ipsam videre non po-test;

9 Pulchrè ostendit animam abstrahendam à corporeis quoad affectum. *Anima quia est cum his corporalibus amore assuefacta, non valet sine imaginibus eorum videre se ipsam, vel esse in se ipsa; nam tanto glutino amoris hæc, quæ foris sũt, ei cohæserunt, vt etiam cum absint, præsto sint imagines eorum. videat ergo se, & stet in se; nec sicut absentem, se quærat. sed videat præsentem; se curet cernere, & discernere; & intentionem voluntatis, per alia vagantem statuat in se ipsa: ita uidebit quod nunquam se non amauerit, nunquam nescierit; sed alia secum amando cum ipsis se se confuderit, ut sine magno labore ab eis separari non possit, quibus cũ amore inhæsit.* vide quid sit amor & affectio: quasi quoddam glutinum, quod itẽ de Ionathæ amore erga *D*auid dicitur: *conglutinata est anima Ionathæ cum anima* Dauid. nota etiam, vt mundana hæc & vilia dum cogitat anima, confundat se cum illis, & vix se inueniat, & agnoscat. ab strahenda igitur est à rebus sensibilibus; vt sese colligat, & erraticam voluntatis intentionem sistat.

30 De statu animæ post mortem sic. *Anima, quæ phantasiis corporalium imaginum hic deformatur, eis etiam soluta à corpore non exuitur; studeat ergo in hac vita se mundare ab huiusmodi fæculentia; quatenus, cum hinc exierit, nihil corporeum secum trahat, & à corporali passione immunis existat.* præclarum monitum, non debere ex hac vita migrare animam, nisi terrenorum desideriorum fæce purgatam, quod Platonici ipsi apud Macrobium dicunt.

Anima hinc di-scedere non de-bet nisi terrena-rum cu-pidita-tum fæce purga-ta.

31 Quid sit meditari, & contemplari, sic definit. *Meditatio est occulta veritatis studiosa inuestigatio: contemplatio est perspicuæ veritatis iucunda admiratio: illam diuina illuminat reuelatio, vt cognoscat; hanc diuina inflammat inspiratio, vt diligat.* pulchrè dictum. vtrumque puto cõtineri illis verbis. *In meditatione mea exardescet ignis.* tum vide qualis esse debeat meditatio; nõ remissa, sed studiosa, inquit, inuestigatio veri est, hoc est attenta, & cum toto conatu ex affectu.

Medita-tio qua-lis esse debeat.

32 De corporis temperatura sic. *Humanum corpus ex quatuor constat elementis, sed in carne, & ossibus terra inprimis apparet ob soliditatem, aqua in humoribus, aer in pulmone, quod ventilabrum cordis est. sedes ignis est in corde, & ideò inferius est latum, & superius acutum, quia formam ignis retinet.* vide, vt natura cor humanum ignis specie formarit, quia sursũ quasi ad sphærã suam tẽdere, & *D*ei charitate ignescere debet: quàm igitur præposterè per terrena desideria ad ima deprimitur? figuram pyramidis refert; cœlum versus tendat.

Cordis figura pyramy-dalis cur

33 *Item de corde sic. Quædam vis ignea aere temperata à corde ad cerebrum ascendit tanquam in cœlum corporis nostri, ibique purificata, & colata per oculos, aures, & cetera instrumenta, foras progreditur, & contactu exteriorum formata, quinque sensus corporis efficit &c.* pulchrè cerebrum tanquam cœlum corporis nostri dicit, quò in corde spiritus ignei euolantes ferantur? quid igitur ibi cogitandum nisi cœleste?

Cerebrũ quasi cœ-lum cor-poris no-stri est.

34 De suauitate contemplationis sic pulchrè. *Cum cœperit mens per puram intelligentiam se ipsam exercere, & illam incorporeæ lucis claritatem tota intueri, & iis, quæ extrinsecus videt, quendam intimæ suauitatis saporem trahere, & ex eo intelligentiam suam condire, in tanto hoc mentis excessu pax il-*

Contem-plationis sapidissi-ma sua-uitas.

pax illa, quæ exsuperat omnem sensum, innenitur, & obtinetur, vt fiat silentium illud in cælo, quasi hora dimidia; de quo in Apocalypsi fit mentio, vt contemplantis animus nulla cogitationum tumultuatione turbetur, totus collectus in se se, & intromissus in quẽdam affectum admodum inusitatum, introitus ad nescio quam dulcedinem, quæ si sẽper sic sentietur, profectò magna felicitas esset. refer hoc ad ecstases multorum Sanctorum, ad illam etiam S. Ignatij non per horam dimidiam, sed per integram prope hebdomadam; item ad ineffabilem Xauerij suauitatem, quam vix ferens aiebat: sat est Domine, sat est. ac pulchrè saporem illum intimæ suauitatis appellat intelligẽtiæ cõdimentum.

35 Exponit illud Apostoli. *Vir nõ debet velare caput suum, cum sit imago Dei & gloria; id est quantò magis se extenderit mẽs in id, quod æternum est, tantò magis inde formatur ad imaginem Dei, & ideò non est cohibenda, vt inde se contineat, ac temperet. quãdo verò ea agit vel cogitat, quæ sunt temporalia, mulier appellatur, & tunc non est dicenda imago Dei, & propterea debet velare caput suum, ne nimia fit progressio ad inferiora; ne cum licita agit, illicita concupiscat.* acuta interpretatio, & sanè pulchra. nam velũ cohibet, & coercet caput; nè oculi progrediãtur, & diuagentur; ne aures curiosè audiãt &c. ita in temporalibus, quæ per debiliorẽ sexum mulieris significantur, cum quadã coercitione, frenoque esse debemus; nõ sic in æternis, ad quæ dilatare, & extendere, & laxare debemus virilem animum, & quasi amoto velo liberius ferri..

In tẽporalibus desiderio angusti, in cœlestibus lati et ãpli esse debemus.

36 Animæ regimẽ simile quodãmodo facit dinino regimini. *Ita anima secundũ suũ modũ est in suo corpore, sicut Deus est in suo Mundo; interius siquidẽ, & exterius, superius & inferius est: regẽdo superior, portãdo inferior. replẽdo interior, circũdando exterior. sic est intus, vt extra sit; sic circũdat, vt penetret; sic præsidet, vt portet, sic portat vt præsideat. & sicut* Deus *nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescẽtibus decrescit; sic anima nec minutis membris minuitur, nec a dauctis augetur.* vide quã excellẽs imperiũ animæ sit in corpus, quod scilicet Deum Mũdi rectorẽ repræsẽtet. quid igitur indignius, quàm vel inconsideratè administrare corpus errando, vel se sensui subijcere peccando?

Animæ in corpus regimẽ sicut Dei in mundum

37 Dei imaginem in anima sic ostendit. *Anima imago Dei est: primò in eo, quod sicut Deus est, viuit, & sapit; ita anima secundùm suum modum est, & viuit, & sapit. præterea licet vnius sit anima naturæ, tres tamen in se vires habet, intellectum, voluntatẽ, & memoriam.* tum de similitudine sic. *qui maior honor potuit esse homini, quàm vt ad similitudinem sui Cõditoris videretur, & eisdem virtutũ vestimentis ornaretur, quibus & Cõditor?*

In quo consistat Dei imago in homine, & in quo similitudo.

de quo legitur in psalmo; Dominus regnauit, decorem indutus est, id est omnium splendore virtutum, & totius decore bonitatis ornatus. vel quod maius dedecus, quã ex hac diuina similitudinis gloria ad informem brutorũ similitudinẽ delabi? &c. nota in quo sita sit imago Dei, & similitudo in homine; illa in intelligentia, & ratione, hæc in virtute, qui verus est decor.

38 Piè satis, & eleganter ostẽdit quàm conueniat Deum medullitùs amare. *Solus est amor ex omnibus affectibus, & sensibus, in quo potest anima, & si non ex æquo, suo respõdere auctori, vel de simili suãm reddere vicẽ, et si minus amat, quia minor est, si eum ex tota se diligat, nihil deest, vbi totũ est. renũciãs ergo aliis cunctis affectibus, tota incũbat soli amori, effundens se totã in amorem illius, cui respõdere habet in redhibendo amore. amat siquidẽ Deus, vt ametur, sciẽs ipsos amore beatos, qui se amauerũt. per amorem venit ad homines &c.* pertinet hoc in primis ad S. Teresiã, quæ ita se totã effudit in Dei amorẽ, vt ex eius incẽdio obiisse dicatur; ac multò magis ad Deiparam. rectè ait ex omnibus affectibus amorem esse, quo respõdere Deo possimus, licet non ex æquo.

Per amorem tantum aliquid Deo retribuere possumus.

39 Pulchrè ostẽdit, spiritum potiores habere delicias quã corpus. *Sicut exterior homo circa temporalia quinquepartitò sensu afficitur, ita & beata vita circa quinque ineffabilia ineffabili amore versabitur. cum enim Deũ suũ amabit, quandã lucem, quẽdã odorẽ, quendã cibũ, & quendã amplexũ interiorem amabit. ibi fulget quod non capit locus, ibi sonat quod non capit tẽpus; ibi olet quod non spargit ventus; ibi sapit quod nõ minuit edacitas. ibi hæret, quod non diuellit satietas &c.* eleganter dictum, nullum genus iucunditatis esse, quod in Deo nõ perfectissimo moinuenias. huc refer illa. *mecũ est pulchritudo agri. & Gustate, & videte quoniã suauis est Dominus &c.* quàm igitur stultè in rebus terrenis, quæ mox tabescunt, oblectamenta conquirimus?

Omnium sensuum suauitas perfectissimè habetur in Deo.

40 Egregium est illud animæ elogium. *Anima ciuitas est Dei, de qua tã gloriosa dicta sũt. propter imaginẽ Dei mẽs eius paradisus voluptatis est, per meditationẽ celestiũ; domus est sũmi patris familias per vnitatẽ morũ; tẽplũ spiritus sãcti per sanctificationẽ. ciues huius ciuitatis sũt naturales, & ingeniti animi vigores &c. Vnaquæq; autẽ ciuitas tres habet gradus, sapientes ad consulendũ, milites ad propugnandũ, artifices ad ministrandũ. intellectuales sẽsus sũt tanquam animæ cõsiliarij. rationales sẽsus sũt tanquã milites, impugnãtes cõncupiscẽtias per arma iustitiæ. animales sẽsus sunt tanquã rustici, & artifices, qui corporalibus rudimentis insistũt, & corpori necessaria ministrãt.* pulcherrimus hic locus est de animi veluti republica bene instructa. videtur autẽ desumptum à Platone de re-

Anima velut respublica, & ciuitas Dei tripartitò diuisa.

L. 3. de repub

Phantasticum animæ quale sit.

14 *Iterum de vnione corporis, & animæ philosophatur. Anima, et caro in suis extremitatibus vniuntur, idest in phantastico animæ, quod corpus non est, sed simile corpori, & in sensualitate carnis, quæ ferè spiritus est, quia sine anima fieri non potest.* hinc oritur vnio, nam similia similibus gaudent. hic phantasticus spiritus igneus vigor dicitur apud Maronem. mundanos tamen hìc arguo, ista facultate abutentes, iuxta illud: *Quasi qui apprehendit vmbram, sic qui attendit ad visa mendacia. cor tuum phantasias patitur, &c.* (Eccl. 34.)

Triplex unio nostri limi omnino mira.

15 Vnionem animæ cum vili corpore admiratur. *Mira societas carnis & animæ, spiritus & limi terræ.* mox pulchrè addit: *plenum fuit miraculo, quod in homine tam diuersa, quod tam diuisa ab inuicem potuere coniungi, spiritus, et limus; nec minus mirabile fuit quod limo nostro Deus se ipsum coniunxit. mirabilis fuit coniunctio prima, mirabilis et secunda, nec minus mirabilis erit tertia, cum homo, Angelus, et Deus vnus erit spiritus: eodem namque bono bonus est homo, quo bonus Angelus, eodemque bono vterque beatus.* egregiè de triplici vnione, animastica, hypostatica, & beatifica. de hac autem ait: *tanta dignitatis est humana conditio, vt nullum bonum præter summum bonum ei sufficere possit*: mira igitur coniunctio limi cum anima, magis mira limi secūdū animā cū Deo viso; maximè mira limi cū Deo in incarnatione. huc referi potest quasi cōiunctio ex Dei præsētia: *Nihil est Deo præsentius interior est omni re, quia ipse est supōnia.* rectè ait: quia Deus superior, ideò interior.

Ascēsus mentis ad Deū quomodo fiat.

16 De ascensu mentis in Deum sic. *Ab hoc Mundo ad Deum reuertētes, & quasi ab imo sursum ascendentes, per nosmetipsos transire debemus. ascendere enim ad Deū est intrare ad se ipsum, immò se ipsum transire.* huc refero illud: *ascensiones in corde suo disposuit.* Addit: *hæc est vita cordis nostri, cū Deum contemplatur, & ea contemplatione suauiter reficitur.* hinc collige, qui de Deo non cogitat, in morte esse. nota illud, per cognitionem sui quasi per gradus ascendi ad Deum. huc pertinet quo sequitur: *Nihil est ad beatam vitam præstantius, quàm veluti clausis carnalibus sensibus, extra carnem, Mundique affectum in se ipsum conuerti, aliénumque à cupiditatibus terrenis sibi soli, & Deo loqui.* est hoc religiosi maximè proprium, non diuagari per res sensiles, sed in se collectum Deo vacare procul à tumultu seculi, *extra carnem*, Mundique *affectum*.

Clausis sensibus Deo vacandum.

Religiosi extra carnē mundiq; affectum.

Anima ignis, et aeris amica quia ad spiritalē naturam magis accedunt.

17 Acutè, ac pulchrè ostendit, quomodo in morte anima separetur à corpore. *Cùm anima sit incorporea, per subtiliorē naturam corporis sui, id est per ignem, & aerem, quæ in isto quoque Mundo præcellentia sunt corpora, & ideò vt subtiliora corpus administrant; ista siquidem priora excipiunt motus animæ viuificantis, eò quod ad incorpoream naturam magis accedunt, quàm humor, ac terra. nullus sine illis duobus vel in corpore sensus est, vel ab anima spontaneus corporis motus. ignis, & aer quia leuia sunt, mouent aquam, & terram, quæ grauia sunt. quapropter post abscessum animæ corpus nō mouetur, quia ignis & aer, quæ per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno, & humido, vt omnium quatuor fiat contemperatio, post animæ abscessum ad superna euadūt, ac se se expediunt.* Vide quare anima amica sit ignis, & aeris, quia ad spiritalem naturam magis accedunt, & leuiora sunt cæteris elementis, ac proinde similiora ipsi animæ. è cadauere autem ignis, & aer euadunt, & grauiora remanent: est hic peccatoris typus, è quo velut è mortuo Spiritus sanctus, qui per ignis, & aeris figuram apparuit Apostolis, se expedit, & aufert.

Cadauer igni & aere destituitur per abscessum animæ, similiter peccator.

Anima corpus qua si musicū organum tangit, ac moderatur.

18 *Item de animæ à corpore separatione sic eleganter. Abscedente anima, corpus, quod prius integrum tanquam organum contemperatum, & dispositum erat, vt melos musicum in se contineret, & tactum resonaret, nunc confractum, & inutile iacet; anima verò ipsa non habens vbi iam vires suas exerceat, requiescit ab ijs tantùm motibus, quibus corpus per tempus, & locum mouebat ipsa per tempus illocaliter mota; quia & si organum periit, sed non & melos, nec quod organum mouebat.* Vides animum in corpore tanquàm lyristam, aut citharoedum, & artis musicæ magistrum esse. certè in corpore nerui sunt, vt in cithara, & lingua instar plectri est, vt ait Philo. quid ergo dignius resonet, quàm creatoris laudes? quàm absona murmuratio est, & scurrilitas, & c. similiter de peccatore dicendum quandiù enim Spiritus sanctus, qui digitus Dei dicitur, animam quasi bene temperatum organum tangit, viuit illa per gratiam, secus cum eius destituitur pulsu.

Cadauer quasi organum à tibicine destitutum.

Dei natura superminens naturæ animę.

19 Pulchrè discrimen ponit animæ operantis, & Dei. *Anima inter Deum, & corpus posita per tempus mouetur, vel reminiscendo, quod oblita fuerat, vel discēdo quod ignorabat, vel volendo quod nolebat; per locum verò non mouetur, quia per eius spatia non distēditur. Deus autem corpore non eget, vt sit; nec loco, vt alicubi sit, nec tempore, vt aliquando sit, nec causa vt aliunde sit; nec forma, vt aliquid sit, nec aliquo genere subiecti, in quo subsistat, vel in quo assistat.* vide quantò præstantior sit Deus natura animæ, licet intellectualis; & nota eleganter de Deo dicta sibi sufficiente, nullius rei indigente.

20 Hæc ad affectum erga Deum pertinent. *Venit ille post me, vt redimeret me. & tantum dilexit me, vt sanguinis sui pretium appenderet pro me.* nec minus piè, & pul-

chrè dicta quæ sequuntur. *Cum errabam, reduxit me; cum cecidi, erexit me &c. hæc & multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus dulce est mihi semper loqui, semper agitare, semper gratias agere. cum enim cunctis sit præsidens, singulos implens, vbique præsens, vniuersorum curam gerens, & tam singulis, quàm omnibus prouidens: ita tamen ad custodiam meam occupatum video, vt, si ego super custodiam meam stabo, ille quasi omnium sit oblitus, mihi soli videatur intendere. semper se paratum offert, si paratum inuenerit, non me deserit, nisi prior eum deseram &c. cum hæc diligenter considero, timore pariter, & ingenti rubore confundor; multa enim sunt, de quibus coram eius oculis erubesco, nec habeo quid rependam nisi tantum dilectionē.* Vide incredibilem Dei pietatem, & quantum ei debeamus, & quam iucundum sit cum ipso, & de ipso loqui, & cogitare. cetерùm, & qui præsunt, in hoc quoque ipsū imitari debent, vt vnicuiq; subdito consulant, quasi solus sit, & quasi vnius tantùm curam haberent. huc refero illud de Deo dictum: *qui finxit singillatim corda eorum, & singulariter in spe constituisti me.* & Apostolus ait: *tradidit semet ipsum pro me.*

Deus ita cuicuiq; intentus benefaciendo, quasi alii non essent.

21 Peccati malum ostendit. *Sicut anima vita sua facit carnem viuere, & de fonte naturæ suæ irrigat animando, sic caro per corruptelam materiæ suæ, animam illecebris illigatam occidit; & cum altera natura alterius videatur, transit vnaquæq; in victricis naturam:* Nota quid indignius quàm vt caro quæ vitam haurit ab anima, ipsam occidat? egregiè autem ait, animam, si vincat, conuertere carnem quodammodo in spiritum, sin contra caro vincat, animam facere quasi carnalem. illud pulchrè dictum: *anima de fonte naturæ suæ irrigat animando carnem.* quantò magis Deus de quo dicitur: *apud te est fons vitæ*: irrigat ipsam animam viuificando per gratiam?

Anima viuificās carnem ab hac per peccatū occiditur.

22 Sicut supra discrimen posuit operandi inter animam, & Deum, ita nunc in nonnullis similitudinem ponit. *Sicut Deus vbiq; est, totus in toto Mundo, & in omni creatura sua; sic anima vbiq; tota in toto corpore suo, tanquam in quodam Mundo suo; interius tamen in corde, & in cerebro, quemadmodum Deus præcipuè dicitur esse in cælo.* nota, animam debere administrare corpus, imitando administrationem Dei in Mundo, hoc est prouidè, sapienter, ac iustè. sequitur. *Anima in suis motibus, vel actibus tota simul adest, tota videt, & tota visorum meminit. tota audit, & tota sonorum reminiscitur; tota simul approbat, vel improbat. calida, vel frigida tantùm digito, sed tota discernit. cum tota vult, tota est voluntas. cum tota cogitat, tota est cogitatio. cum tota diligit, tota est dilectio.* vide quàm admirandum sit opus Dei, & ipsi simile; quod tamen decus omne peccando fœdamus, abiicimus.

Animæ similitudo cum Deo.

Deus administrat mūdum vt anima corpus.

23 Virtutum naturam definit. *Prudentia est scire quid possis; fortitudo facere quod possis. temperantia non præsumere quid non possis. iustitia nolle plus quàm possis. prudentia est in eligendis, temperantia in vtendis, fortitudo in tolerandis, iustitia in distribuendis &c.* pulchrè breui complexus est munera quatuor virtutum cardinalium. de reliquis sic. *humilitas animam Deo subiicit; puritas iungit, charitas vnit.* plus est vnire quàm iungere, nam vnio vnum facit. nota tres gradus cohærendi Deo.

Virtutum cardinaliū munera.

Tres virtutes quibus cohæremus Deo.

24 Dei in anima imaginem præclarè agnoscit. *Sicut Deus trinus, vnus, verus, & perfectus, omnia tenet, omnia implet, omnia sustinet, omnia super excedit, omnia circumplectitur: sic anima tribus viribus, naturali, vitali, animali per totum corpus diffunditur, non locali distentione, sed vitali intentione. uis naturalis operatur sanguinem &c. vis vitalis in corde, hauriendo aerem, & reddendo &c. vis animalis in cerebro, vnde quinque corporis sensus vigent*. de his verò sic. *quinque sensus quia in sola facie prælocati sunt, ideo scriptum arbitror, quia Dominus in faciem insufflauit spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* vide quam sanctè, & castè sensibus vti debeamus, qui primò Dei spiraculo sunt afflati. pergit in eodem. *in prima parte cerebri vis animalis vocatur phantasticalis, seu imaginatoria, ob corporalium rerum similitudines, & imagines; in media parte rationalis, vbi examinat, & iudicat, quæ per imaginationem repræsentantur; in vltima memorialis, vbi ratione iudicata commendat memoriæ.* nota vt mediam, hoc est præcipuam sibi partem vendicet ratio, quę hinc inde ceteras duas regat, ac temperet.

Dei imago in anima quali. sit.

Cur Deus homini in faciem insufflarit dum crearet.

Ratio medium locū tenet inter phantasticam, & memorialem partem.

25 Vim dæmonis in animam, & corpus hominis ita limitat. *Dicit humana opinio, quod arte mulierum, & potestate dæmonum homines conuerti possint in lupos, & iumenta &c. quod sic est intelligendum, eos ita hæc facere, vt videantur esse quæ non sunt.* Ad hæc addit. *Dæmon sic plerumque humanum spiritum rapit, vt quadam occulta mixtura quasi idem spiritus videatur, & patientis, & vexantis; animam tamen hominis, idest mentem nulla creatura iuxta substantiam implere potest, nisi sola Trinitas. implere dæmon dicitur mentem, non participatione substantiæ, sed fraudulenta malitia.* Vide amplā animæ capacitatem, quam sola Trinitas potest implere, quæ & creatrix, quid tandē inania cōsectamur? *Ephraim pascit ventum &c.* tum nota, quàm vereri debeamus Dei præsentiam, qui intimè nobis adest per illapsum.

Animam nulla creatura implere potest nisi sola Trinitas

Dæmon intimè in animā illabi non potest vt Deus.

26 De maleficis, & sagis hæc habet. *Mulierculæ quædam credunt se nocturnis horis cum Diana paganorum Dea, vel cum Hero-*

pax illa, quæ exsuperat omnem sensum, innenitur, & obtinetur, vt fiat silentium illud in cælo, quasi hora dimidia; de quo in Apocalypsi fit mentio, vt contemplantis animus nulla cogitationum tumultuatione turbetur; totus collectus in se se, & intromissus in quẽdam affectum admodum inusitatum, introitus ad nescio quam dulcedinem, quæ si semper sic sentietur, profectò magna felicitas esset. refer hoc ad ecstases multorum Sanctorum, ad illam etiam S. Ignatij non per horam dimidiam, sed per integram prope hebdomadam; item ad ineffabilem Xauerij suauitatem, quam vix ferens aiebat: sat est Domine, sat est. ac pulchrè saporem illum intimæ suauitatis appellat intelligẽtiæ cõdimentum.

35 Exponit illud Apostoli. *Vir nõ debet velare caput suum, cum sit imago Dei & gloria; idest quantò magis se extenderit mẽs in id, quod æternum est, tantò magis inde formatur ad imaginem Dei, & ideò non est cohibenda, vt inde se contineat, ac temperet. quãdo verò ea agit vel cogitat, quæ sunt temporalia, mulier appellatur, & tunc non est dicenda imago Dei, & propterea debet velare caput suum, ne nimia fit progressio ad inferiora; ne cum licita agit, illicita concupiscat.* acuta interpretatio, & sanè pulchra. nam velũ cohibet, & coercet caput; nè oculi progrediãtur, & diuagentur; ne aures curiosè audiãt &c. ita in temporalibus, quæ per debiliorẽ sexum mulieris significantur, cum quadã coercitione, frẽnoque esse debemus; nõ sic in æternis, ad quæ dilatare, & extendere, & laxare debemus virilem animum, & quasi amoto velo liberius ferri..

In tẽporalibus desiderio angusti, in cœlestibus lati et ãpli esse debemus.

36 Animæ regimẽ simile quodãmodo facit diuino regimini. *Ita anima secundũ suũ modũ est in suo corpore, sicut Deus est in suo Mundo; interius siquidẽ, & exterius, superius & inferius est: regẽdo superior, portãdo inferior. replẽdo interior, circũdando exterior. sic est intus, vt extra sit; sic circũdat, vt penetret; sic præsidet, vt portet, sic portat vt præsideat. & sicut Deus nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescẽtibus decrescit; sic anima nec minutis membris minuitur, nec a dauctis augetur.* vide quã excellẽs imperiũ animæ sit in corpus, quod scilicet Deum Mũdi rectorẽ reprẹsẽtet. quid igitur indignius, quàm vel inconsideratè administrare corpus errando, vel se sensui subijcere peccando?

Animæ in corpus regimẽ sicut Dei in mundum

37 Dei imaginem in anima sic ostendit. *Anima imago Dei est: primò in eo, quod sicut Deus est, viuit, & sapit; ita anima secundùm suum modum est, & viuit, & sapit. præterea licet vnius sit anima naturæ, tres tamen in se vires habet, intellectum, voluntatẽ, & memoriam.* tum de similitudine sic. *qui maior honor potuit esse homini, quàm vt ad similitudinem sui Cõditoris videretur, & eisdem virtutũ vestimentis ornaretur, quibus & Cõditor? de quo legitur in psalmo; Dominus regnauit, decorem indutus est, idest omnium splendore virtutum, & totius decore bonitatis ornatus. vel quod maius dedecus, quã ex hac diuina similitudinis gloria ad informem brutorũ similitudinẽ delabi? &c.* nota in quo sita sit imago Dei, & similitudo in homine; illa in intelligentia, & ratione, hæc in virtute, qui verus est decor.

In quo consistat Dei imago in homine, & in quo similitudo.

38 Piè satis, & eleganter ostẽdit quàm conueniat Deum medullitùs amare. *Solus est amor ex omnibus affectibus, & sensibus, in quo potest anima, & si non ex æquo, suo respõdere auctori, vel de simili suãm reddere vicẽ, et si minus amat, quia minor est, si eum ex tota se diligat, nihil deest, vbi totũ est. renũciãs ergo aliis cunctis affectibus, tota incũbat soli amori, effundens se totã in amorem illius, cui respõdere habet in redhibendo amore. amat siquidẽ Deus, vt ametur, sciẽs ipsos amore beatos, qui se amauerũt. per amorem venit ad homines &c.* pertinet hoc in primis ad S. Teresiã, quæ ita se totã effudit in Dei amorẽ, vt ex eius incẽdio obiisse dicatur; ac multò magis ad Deiparam. rectè ait ex omnibus affectibus amorem esse, quo respõdere Deo possimus, licet non ex æquo.

Per amorem tantum aliquid Deo retribuere possumus.

39 Pulchrè ostẽdit, spiritum potiores habere delicias quã corpus. *Sicut exterior homo circa temporalia quinquepartitò sensu afficitur, ita & beata vita circa quinque ineffabilia ineffabili amore versabitur. cum enim Deũ suũ amabit, quandã lucem, quẽdã odorẽ, quendã cibũ, & quendã amplexũ interiorem amabit. ibi fulget quod non capit locus, ibi sonat quod non capit tẽpus; ibi olet quod non spargit ventus; ibi sapit quod nõ minuit edacitas. ibi hæret, quod non diuellit satietas &c.* eleganter dictum, nullum genus iucunditatis esse, quod in Deo nõ perfectissimo moinuenias. huc refer illa. *mecũ est pulchritudo agri. & Gustate, & videte quoniã suauis est Dominus &c.* quàm igitur stultè in rebus terrenis, quæ mox tabescunt, oblectamenta conquirimus?

Omnium sensuum suauitas perfectissimè habetur in Deo.

40 Egregium est illud animæ elogium. *Anima ciuitas est Dei, de qua tã gloriosa dicta sũt. propter imaginẽ Dei mẽs eius paradisus voluptatis est, per meditationẽ celestiũ; domus est sũmi patris familias per vnitatẽ morũ; tẽplũ spiritus sãcti per sanctificationẽ. ciues huius ciuitatis sũt naturales, & ingeniti animi vigores &c. Vnaquæq; autẽ ciuitas tres habet gradus, sapientes ad consulendũ, milites ad propugnandũ, artifices ad ministrandũ. intellectuales sẽsus sũt tanquam animæ cõsiliarij. rationales sẽsus sũt tanquã milites, impugnãtes cõncupiscẽtias per arma iustitiæ. animales sẽsus sunt tanquã rustici, & artifices, qui corporalibus rudimentis insistũt, & corpori necessaria ministrãt.* pulcherrimus hic locus est de animi veluti republica bene instructa. videtur autẽ desumptum à Platone

Anima velut respublica, & ciuitas Dei tripartitò diuisa.

L. 3. derepub

de republica, vbi hunc ipsum tripartitum ordinem facit; principum ac magistratuum quos auro cōparat; militum quos argēto; opificum quos æri. quàm igitur cauendū, ne in tā bene instituta animi republica seditiones oriātur, ac tumultus cupiditatum aliarumque passionum? hunc tripartitum ordinē etiā in Societate nostra tāquam in spiritali republica agnosco. professorū videlicet, & scholasticorū, & coadiutorū, qui manuali opere exercētur. quod autem ait hanc animi ciuitatē insignem esse propter imaginem Dei, huc refer quod Imperator ille vrbi, quam obsidebat, pepercit ob imaginem pulchrè ab insigni artifice depictam, quæ muris vrbis erat affixa.

Societas Iesu instar optimæ reipublicæ formā ordinata

40 Præclarum est & hoc de anima elogium. *Anima non aliter quàm Sol lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit; mortem efficit, cum recedit. neque aliud est mors quàm carnis occasus.* Vide quàm illustre opus sit anima, quę est in corpore, veluti Sol in Mundo. sicut igitur Sol non inquinat radios in cœno: ita nec anima inquinare debet potentias suas in luto carnis. splēdeat item virtutibus &c. huc facit quod homo dictus est. φῶς, idest lux apud Gregorium Nazianzenum.

Anima in corpore quasi Sol in mundo.

41 De diuina in homine imagine sic. *Magna prorsus dignitas hominis portare imaginem Dei, & illius in se vultum iugiter intueri.* meritò beneficium exaggerat: quid enim aut præclarius quàm Deum in se effictum referre, aut iucundius quàm eius præsentia frui?

Dignitas hominis ex diuina imagine.

42 Dei conditoris consilium ostēdit. *Deus totum istum Mundum sic ornatum fecit propter corpora, corpora propter animas, animas propter se.* Vide præclarum ordinem, & dispositionem rerum tandem ad Deum tendentem. huc faciunt sequentia.

Ordo rerū creatarum ad Deū vltimum finē tēdere debet.

43 Gradus profert, quibus eleuamur ad Deum. *Tres sunt ascensus: in primo ascendimus ab istis exterioribus, & inferioribus ad nos. in secundo ascendimus ad cor altum proficiendo; qui enim non ascendit, descendit, & qui non proficit, deficit. in tertio ascensu ascēdimus ad Deum. primus ascensus fit consideratione Mundi, eiusque contemptu. secundus fit cognitione, & contemptu nostri; considerando enim quàm proni simus ad mala, quàm inualidi ad bonum, contemninus nos, & ascendimus supra nos. tertius ascensus fit cognitione, & dilectione Dei.* egregiè ordinat gradus, ac nota illud. *qui non ascendit, descendit*: adeò semper in profectu pergere oportet. addit tertium ascensum fieri mentis dilatatione, contemplando attributa diuina, & mentis subleuatione ad inuisibilia, & eius excessu cum supra se rapitur. huc refero illud. *Beatus vir &c. ascensiones in corde suo disposuit.* vides etiam, per depressionem nostri ascensum fieri supra nos. humilitatio, ipsa eleuatio est. egregiè hoc indicat Ieremias. *ponet in puluere os suum, & leuabit se supra se.*

Tres gradus ascēsus ad Deum.

In scala virtutum non ascēdire immorando descendere est.

Humiliatio eleuatio est.

44 De imagine Dei in homine sic pulchrè. *Ita conditum est cor hominis, vt in eo tanquam in quodam templo inhabitaret Deus, & vt in quodam speculo suo reluceret Deus: vt qui in se videri non poterat, in sua imagine visibilis appareret. peccati puluis super eiectus est cordi nostro, & ideò ab illo speculo corruimus in huius vitæ tenebras: tergamus ergo speculum nostrum ab amore vanitatis, & ab hoc puluere, vt in eo inspicere valeamus, & nos, & Creatorem nostrum.* Nota, cor templū Dei est: quid sanctius? speculū, & in quo relucet imago Dei quasi Solis, quid præclarius? in templo Salomonis erant specula à mulieribus dicata. pulnis tantùm sufficit, ne imago è speculo clarè appareat, peccata, inquam, & terrenus affectus. Addit notabile monitum. *si mulieres speculum suum, in quo faciem suam inspiciunt, cum amiserint, diligenter quærunt, & curiosè tergunt à puluere, multò magis speculum interioris hominis debemus inuenire, ac tergere, & inspicere, vt in eo turpitudinem nostram deprēhendamus, & inde ad Dei cognitionem perueniamus.*

Cor hominis tēplū Dei, & speculum in quo ille elucet.

45 De eadem imagine sic. *Omnium humanarum actionum ad hunc finem currere debet intentio, vt diuinæ imaginis in nobis similitudo instauretur, quod facit speculatio veritatis, & exercitium virtutum, quia in hoc homo similis est Deo, qui & sapiens, & iustus est.* Nota per quid restauretur in nobis imago Dei, per contemplationem, & exercitationem virtutum; & hunc esse scopum debere, in quem collimandum est. ad hunc finem Ignatii nostri spiritalia exercitia tanto cum fructu instituta sunt. ac rectè vtramq; complexus est in Societate vitam, contemplatiuā, & actuosam, vt restauretur in nobis diuina imago: *quod facit speculatio veritatis, & exercitium virtutum.*

Imago Dei in nobis per contemplationem, & bonam actionē instauratur.

Institutū societatis Iesu laudatur

46 Vestigia Trinitatis in nobis agnoscit. *Tria quædam in vno sunt, mens, sapientia, & amor: sapientia de mente; de mente, & sapiētia procedit amor, & surgit Trinitas, et non recedit vnitas. nō aliud quisquam est quod alter est etc.* vide de Trinitate pulchrè. Tū de singulis diuinis personis sic elegāter disserit. *Pater misit filium, vt nos saluaret; spiritus sāctus, vt nos in filios adoptaret: filiū dedit in pretium redemptionis, spiritum sanctū in priuilegium amoris; se denique seruat hæreditatē adoptatis. pater, et filius, et spiritus sāctus nomina sunt pietatis, nomina dulcedinis, nomina suauitatis, & amoris: quid enim dulcius patre, & tāto patre dulcissimo, clemētissimo? quid suauius Iesu Christo, qui Saluator est noster? quid amabilius, & sāctius spiritu sancto? &c.* vide quantus singulis diuinis personis affectus erga nos insit: quis nō totū retribuat suum

Trinitas tota suauitate affluens, & amore.

suum? quis tantæ suauitatis fontē peccando exacerbet? meritò hoc detestatur Osee. *pereat Samaria quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.*

Osee. 14

47 *Beatorum statum, felicitatemq; describit. Considerate quanta sit illa gloria, quàm ineffabilis lætitia, cũ ad Deũ patrẽ veniemus, & ille ponet nos in suo regno tanquã filios, & hæredes? cum Iesus Christus tanquã fratres, & cohæredes, cũ Spiritus sãctus vnũ nos spiritum esse faciet cum illis; ipse siquidem est indissolubile vinculum Trinitatis, & amoris. tunc introibimus in potentias Domini &c.* vide & hîc vt singulæ tres personę conspirent ad nostram beatitatem. pulchrè autem dicitur. *Spiritus sanctus indissolubile vinculum Trinitatis, & amoris.* & sicut reliquas diuinas personas vnit, ita suo modo nos cum illis.

Tres personæ diuinæ ad beatitudinem nostram conspirãtes.

Ps. 76.

48 Item de beatorum statu sic. *Vita ciuitatis illius quieta est, pax tranquilla, species admirabilis, gaudium perenne &c. ibi ea sunt, quæ corda omnium in quandam ineffabilem dulcedinem; iucunditatemq; conuertant; gaudia, quæ semper reficiant, nec deficiant; pascant, & integra perseuerent. quanta ibi pulchritudo est? vbi rerum omnium species sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate perennant. si tam pulchrum est &c.* eleganter per antitheta felicitatem exaggerat; tum in affectum prorumpit. *O ciuitas sancta, ciuitas speciosa, quicquid in te est, totum pulchrum est. vnum bonum est, & omne bonum in ipsa est. huius tanti boni amor, & desiderium cum me aliquando tangit, vehementer & suauiter afficit, & nescio quò à memetipso abstrahit. subitò innouor, & totus immutor; affectu rapior; desiderio trahor, & bene mihi esse incipit; vltra quid dicam? exhilaratur conscientia, exultat animus, clarescit intellectus, iamq; alibi, nescio vbi, me esse video. cerno sed quasi adhuc de lõge choros psallentium Angelorũ, & Archangelorum; vnum enim omnium ibi opus est, contemplatio mirabilium Dei, eiusq; laudatio. semper libet illum aspicere, semper habere, semper illo frui. ipse per se placet, & propter se. sufficit ad præmium &c.* præclarus hic locus est, & plenus affectus. vide quid agat æternæ beatitudinis contemplatio: *innouat, & immutat animum.* vt scilicet totus cœlestia cogitet, nẽpe & tunc immutãdum dicit Apostolus. vide etiam vnum, & perenne opus beatorum, Dei laudem.

Felicitas beatorũ quãta sit.

Gaudiũ animæ ex contemplatione status beatorũ.

49 Conuertit se ad damnatorum statum. *Anima damnatorum immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis. mors est miseris sine morte. mors semper viuet, & finis semper incipiet; erit in igne obscuritas, in obscuritate pauor &c.* & hæc pulchrè per antitheta dicuntur. Addit. *damnati si post tot millia annorum, quot capillos habuerunt, omnes quicumque fuerunt & erunt, pœnas suas finiri sperarent, multò leuius eas sustinerent. sed vermis eorum, ait Esaias, non morietur, & ignis eorum non extinguetur. vermis conscientiam corrodet, ignis corpus comburet.* & illud quàm horribile quod subiungit. *videbunt etiam illa teterrima monstra dæmoniorum, & laruales facies eorum. sed quis dicere potest quanta pœna erit non videre Creatorem suum, & redemptorem suum?* hæc monstra, & hos laruales aspectus dæmonum vide eleganter descriptos apud Basilium. & rectè ait, omni cruciatu maius esse priuationem Dei visi; quod Chrysostomus præclarè vrget. Tum seriò monet. *qui peccatũ adhuc plangit, reprehẽdat se in minimis, qui recordetur maxima.* nempe quò laxior fuit morum licentia, eò seuerior sit oportet disciplina viuendi.

Mors dãnatorum immortaliter interimens.

Laruales dæmonũ facies dãnatos per terrẽtes.

Cautio vel in minimis eius qui commisit maxima.

50 Redit ad felicitatem beatorum per parænesim. *A turba ergo desideriorum terrenorum secessum mentis petamus, & intentione supernæ patriæ ad amorem quietis illius anhelemus. contemplemur qui sint Angelorum chori, quæ felicitas beatorum, quæ maiestas visionis Dei, & qua dulcedine sanctos reficiat.* rectè monet abstrahendum animum ab omni cura terrena, vt mente percipi possit quanta sit felicitas cœlestis. Addit. *quot socios quisque habebit, tot habebit gaudia. in illa enim gloria nihil libentius intueor, nihil delectabilius contemplor quàm intimi amoris affectum, quo vnusquisque tantum amabit alterum, quantum seipsum, & Deum plusquam se, & omnes alios secum, & Deum plus illis quàm illi semet ipsos, & hoc gaudio sempiterno.* pulchrè dictum de amoris ordine, qui in beatos erit. hoc enim illud est. *ordinauit in me charitatem.*

Secessus menti necessarius ad contẽplanda cœlestia.

Ordo amoris in beatis qualis futurus.

51 Hoc item de cœlesti beatitudine venustè. *Quid ibi deesse potest, vbi Deus est, cui nihil deest? quotq; ibi sunt, Dii sunt:* nota, nam si pro magna re legatus retulit Pyrrho regi, vidisse se Romam ciuitatem regum. quid erit videre ciuitatem Deorum, vbi quotquot sunt & reges, & Dij sunt? pulchrum est etiam quod subiungit. *Adhærentes semper beatitudini, sunt beati; contemplantes semper æternitatem, sunt æterni, iuncti lumini, facti sunt lux.*

Mira dignitas cœlestis Hierusalem ex cõsortio beatorũ.

52 Illa affectu sunt plena. *O beata visio, videre regem Angelorum in decore suo, videre sanctum sanctorum, per quem omnes sancti sunt. gaudete iam, qui quem amastis, videtis; quem desiderastis, habetis. tenetis, quem nunquam amittere timetis.* ait autem eos non posse nobis intimare tantam quasi mellis suauitatem, quippe inexpertis. his addit: *væ mihi misero, qui nõ sentio quod sẽtitis, nec ibi sũ ubi uos estis; ego in regione positus vmbræ mortis, nescio finem meum, vtrùm amore dignus, an odio. mortem expecto, quæ*

Dei visio quã ineffabili suauitate plena.

Augustini siue alterius incude sua salute.

vbique mihi minatur. diabolum suspectum habeo, qui vbique mihi insidiatur. iram pauesco iudicii, pœnamq; peccati &c. Vide quàm diuersus status beatorum, & viatorum sit. & quanto in metu suæ salutis esset tam sanctus, & præclarus doctor, siue alius auctor.

Iob. 13.

53 Et hæc desiderium indicant cœlestis patriæ. *Suspiro, ac frendo, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei, quando videbo ciuitatem illam, de qua dictum est; plateæ tuæ sternentur auro, &c. O ciuitas sancta, te de longinquo saluto. O ciuitas desiderabilis, custos tuus ipse Deus est. non est in te heri, non hesternum, non hodiernum. heri vestrum, & cras, & pridem, sempiternum, & idem est. O qui hoc bono fruetur, & quid illi non erit? cur ergo per multa vagaris homúncio? ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona. si delectat te pulchritudo, fulgebunt iusti sicut Sol, si voluptas, torrens ibi voluptatis est, &c.* rectè arguit quod humanus animus huc illuc per res creatas diuagetur delectationem quærens, nec inueniens, cũ omnigenã in vno Creatore habere possit.

Augustini seu alterius affectus ac desiderium cœlestis patriæ.

54 De felicitate beatorum ex conformitate cum diuina voluntate, hæc habet. *Sicut potest Deus quicquid vult per se ipsum, ita poterunt quicquid volent per illum; quia sicut illi nihil aliud volent quàm quod Deus, ita quicquid illi volent, Deus volet.* huc pulchrè spectat illud: *vocabitur voluntas mea in ea.* cœlestis igitur Hierusalem similitudinem refert religio, vbi Dei voluntatem quisque exequi studet.

Dei voluntas in beatis cordi est.

Esa. 62

55 De cumulo immenso gaudiorum ex consortio beatorum, sic præclarè. *Cor humanum, cor inexpertum, cor obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares, pulchritudine, sapientia &c? interroga intima tua, si capere possunt gaudium suum de beatitudine sua: adde, si quis alius, quem diligeres, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur certè gaudium tuum, qui si tres, aut plures haberent, quos vt te ipsũ amares, certè tantundem pro singulis, quantum pro te ipso gauderes. ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum, & hominum, erit gaudium innumerabile. quod si cor hominis de suo tantùm bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot gaudiorum atque tantorum? & quia plus sine comparatione Deum amabit, quàm se ipsum, & omnes alios secum, magis profectò, & sine æstimatione de Dei felicitate gaudebit.* pulchra gradatio. vnusquisque suum secum gaudium ob magnitudinem vix capiet, quid si accedant tot gaudia innumerabilium beatorum, de quorum felicitate, vt de sua lætabitur? quid si his accedat infinita Dei beatitudo, de qua super omnia lætabitur, vt de re ad se spectante?

Felicitas ingens in cœlo ex consortio beatorũ.

56 Ostendit vbi posita sit felicitas beatorum. *In illa æterna beatitudine Deo tripliciter fruemur; & videntes eum in omnibus creaturis; & habentes eum in nobis metipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius est, ipsam gloriosam Trinitatem in semetipsa sine vllo ænigmate contemplantes. tunc veraciter illud cani poterit. Oterq; quaterq; beati.* pulchrè deducit ex triplici capite immẽsã animi voluptatẽ in beatos redundantem. Denique de felicissimo ipsorum statu sic. *Pax Dei, inquit Apostolus, quæ exuperat omnem sensum, & intellectum; quantò magis omnem sermonem nostrum? mensuram, ait Dominus, bonam, & cõfertam, & coagitatam & super effluentem dabunt in sinum vestrum. bonam, & confertam in interiore homine; coagitatam in exteriore; super effluẽtem in Deo ipso.* nota abũdantiam felicitatis; quæ pulchrè dicitur conferta, ob multitudinem delectationũ in anima; coagitata item in corpore, hoc est multis dotibus cumulata; super effluẽs, & superabundans ex visione Dei.

Beati Deo tripliciter fruentur

Ex tractatu de Benedictionibus Patriarcharum.

1 EXponit primò literam, deinde mysticum affert sensum. *Simeon, & Leui fratres, Vasa bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea.) Significat non sui consilii fuisse, quod Sichen, & Emon interfecerint fœderatos.* Tum ad Christum refert: *De tribu Simeon erant scribæ Iudæorum, & de tribu Leui Principes Sacerdotum, qui concilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent; horrebat tunc Iacob tanta scelera. In furore suo occiderunt virum, idest Christum. suffoderunt murum, idest illum spiritalem fortissimum murum, qui custodit Irael, lancea confoderunt. Maledictus furor eorum, quia pertinax: cum scilicet insistebant clamando: Crucifige, crucifige eum. Diuidat eos in Iacob: eos scilicet, qui veniunt ad fidem; & dispergat illos in Israel. dum Iudæorum incredulorum genus, patria, temploque subuerso, per orbem terræ spargitur.* Aptè exponit illud: *in concilium eorum non veniat anima mea*: de concilio inito vt perderent Christum: & illud: *furor eorum pertinax*: de pertinacia in crucifixione petenda, Barabba ipso insigni sicario liberato: pulchrè autem ait, lancea, illa tanquã machina bellica suffodisse Christum, a quo quasi muro gens Iudaica protegebatur, iuxta illud: *ego ero eis murus ignis in circuitu.*

Gen. 49

Christum quasi murũ Iudæi lancea suffoderunt.

Zach. 2

2 Iudæ benedictionem sic interpretatur. *Iuda, te laudabunt fratres tui.) Quia Iuda confessio, siue laus interpretatur, rectè scribitur de Iuda: confitebuntur tibi fratres. seu laudabunt te.* rectè notatum. sequitur. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi, ascendisti.) ostẽdit eum captiuos populos esse ductu-*

Christus cur dicatus catulus leonis, & leo.

rum.

rum. nota vt à laude initium sumatur in regia tribu benedicenda: is enim verè [rex est, qui laudabiliter viuit]. hinc omnium præconio celebratur, et eius regnum victoriis prosperatur. Tum ad Christum refert: *Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum.) eisdem enim manibus, atque eodem Crucis trophæo, & suos texit, & aduersarias Potestates incuruauit.* Egregiè notat potentiam Christi manuum, quæ Cruci confixæ Crucem ipsam in trophæum verterunt. præterea: *Catulus leonis Iuda.) Quia nascendo, factus est paruulus, sicut scriptum est: paruulus natus est nobis. sed quarè subiungit: Requiescens accubuisti vt leo? Quia quod in passione accubuit, & in sepulchro positus velut corporis somno quieuit, non necessitate, sed potestate hoc compleuit. Vt leo igitur, & vt catulus leonis, inde enim mortuus, vnde natus.* acutè interpretatur cur vtroque modo dicatur, & catulus leonis, & leo; & certè inter natiuitatem eius, & resurrectionem nonnulla cognatio est; nam sicut ex vtero matris clauso exiit, ità etiã è sepulchro clauso; & resurrectio ipsa quædam natiuitas est. acutè item dicit accubuisse vt leonem, quia non ob imbecillitatem mortuus: hinc Centurio admiratus, *quod sic clamans expirasset*, quasi rugitu inferos terrens. sequitur: *lauabit in vino stolam suam, siue carnem suam in sanguine passionis, sanctam Ecclesiam; & in sanguine vuæ pallium suum, hoc est gentes, quas corpori suo iunxit.* pulchrè purpureum Christi paludamentum, quo quasi rex induitur, dicitur populus Christianus: quàm igitur dedecet hoc peccati labe coinquinare; quod autem ait: *Ad prædam fili mi ascendisti, hoc est, ascendens in crucem captiuos populos redemisti, & ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* vides vt non solùm ascensus in Cęlum, sed ascensus in crucem pro triumpho fuerit. Porrò per oculos vino pulchriores, Apostolos intelligit; & per dentes niue candidiores, Ecclesię doctores.

Christiani sunt paludamentum purpureum Christi.

3 Accedit ad alias benedictiones, primò iuxtà literam. *Isachar asinus fortis, vidit requiem quod esset bona, & supposuit humeros ad portandum &c.) Asinum osseum, vel fortem vocat, humerum dicit supposuisse ad portandum, quia in labore terræ, & vehendis ad mare, quæ in finibus suis nascebantur, plurimum laboraret. aiunt Hebræi per metaphoram significari, quod scripturas sanctas diu, noctuque meditans studium suum dederit ad laborandum; & iccircò ei omnes seruiunt, quasi magistro dona portantes.* mirum videri possit, quod viri sapientes huic vili iumento comparentur, quod potius stoliditatis est typus; sed aiunt Hebræi, præsertim Cabalistici, esse etiam sapientium typum, ob parsimoniam scilicet victus, & laborem assiduum, quem literarum studium requirit; vnde illud. *Qui addit scientiam, addit & laborem.* nisi moraliter intelligere velimus, viros verè sapientes, hoc est virtute præditos admodum abiectè de se sentire. in libro regum dicitur: *Dauid sedens in cathedra sapientissimus*: sed quid ipse de se ait ad *Deum? vt iumentum factus sum apud te.* Tum mysticè sic exponit. *Isachar interpretatur merces; refertur ad populum gentium antea quasi brutum animal, quem dominus sanguinis sui pretio mercatus est. inter terminos accubat, quia nihil de his, quæ versantur in medio, sed vltima desiderat, hoc est ad promissam requiem peruenire, ideò cuncta mandatorum onera libenter portat.* egregiè explicat quid sit inter terminos habitare, hoc est ad terminum respicere, futuram scilicet requiem, non ad hæc præsentia: illa qui spectat, haud grauatè fert onera diuinæ legis. & rectè osseus dicitur, nullam videlicet carnis curam faciens, totus in sufferendo positus.

Literarũ studium laboriosum.

Merces vitę ęternæ ad laborandum incitat.

2. Reg. 23

4 Transit ad Dan benedictionem. *Fiat Dan sicut coluber in via, & sicut cerastes in semita, &c. Salutare tuum expectabo domine.) Samson iudex de tribu Dan fuit; videns igitur in spiritu Samsonem cæsis hostibus triumphare; quod in similitudinem colubri, reguliquè obsidens vias nullum per terram Israel transire permittat; videns, inquam, fortem Nazaræum, quòd ipse propter Dalidam mortuus est, & moriens nostros occidit inimicos, putaui, ò Deus, ipsum esse Christum filium tuum; sed quia mortuus non resurrexit, & rursus Israel ductus est in captiuitatem, alius mihi Saluator Mundi, & mei generis præstolandus est, vt veniat, cui repositum est, vt ipse esset expectatio gentium.* acutè, ac pulchrè ostendit, cur post laudatam Samsonis potentiam, addat, *expectabo Salutare tuum, domine.* fuit sanè ille in quibusdam typus Christi adamãtis humanã gentẽ, & pro ea mortui, sed non nisi Christus est, qui cum per resurrectionem semper viuat, semper nos liberos ab hostili captiuitate tueri potest: vnde illud Pauli; *si Christus non resurrexit, inanis est spes nostra.* Addit aliam interpretationem: *Dicunt quidam, Antichristum per hac prædici, & de ista tribu futurũ, qui non solùm coluber, sed et cerastes vocatur, à cornibus gracè sic dictus, quia contra fideliũ vitam cum morsu pestifero prædicaturus, armabitur etiam cornibus potestatis. porrò quis nesciat semitam angustiorem esse, quàm viã? fit ergo quasi coluber in via, quia eòs, quibus in præsentis vitæ latitudine libertatẽ tribuit, erroris sui veneno cõsumit. fit cerastes in semita, quia quos fideles reperit, se ad præcepti cælestis itinera constringẽtes, nõ solũ nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiã terrore potestatis premit.* Nota vt nemo sit, quẽ Antichristus, ac proinde diabolus perdere nõ conetur; mundanis quidẽ in via lata sæculi

Christus Samsoni prælatus ob resurrectionẽ

Antichristus & diabolus mundanis est coluber bonis est cerastes.

coluber est; bonis verò, & iustis in arcta semita Dei præceptorum, persecutionis terrore quasi cornibus cerastes fit, vt videre est in hæreticis, catholicos inter ipsos degētes persequentibus. quid quod nonnunquam parentes ipsi filiorum arctam religionis viam ingredi cupiētium persecutores euadunt? Pulchrè autem interpretatur illud. *Mordens ungulas equi &c.) Equus iste hunc Mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat; & quia Antichristus extrema Mundi huius apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere dicitur, ungulas quippe mordere, est extrema sęculi feriendo contingere, ut cadat ascensor eius retrorsum.* idem ad finem huius velocis vitę referri potest, huic enim maximè diabolus insidias struit, vt perdat.

In Mundi vel uitæ fine maxime diabolus insidiatur..

5 *De* Nepthalim sic. *Nepthalim ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis:) Siue Nephtalim ager irriguus: utrumque enim hebræa uox significat; uel quòd aquæ calidæ in ipsa nascantur tribu, uel quòd suprà locum Genesar fluento Iordanis esset irriguus. ceruus emissus terrę uelocitatem ad fruges ostendit. Hebræi uolunt propter Tiberiadem, quæ legis uidebatur habere notitiam, per agrum irriguum, eloquia pulchritudinis prophetari; sed melius ad doctrinam Saluatoris cuncta referamus, & quod ibi vel maximè docuerit Saluator, vt ex euangelio colligitur.* rectè doctrina, & verba Christi, quæ de regno cœlorum erāt, dicuntur *eloquia pulchritudinis*: non illa, quæ rhetoricis sunt fucata coloribus; quod concionatores adnotent; qui & more ceruorum, vitiorum angues elidere deberent, & frugiferi esse, & feruorem spiritus præferre, per aquas calidas indicatum.

Christi doctrina eloquia pulchritudinis.

6 *De* Ioseph benedictione sic: *Filius accrescens Ioseph: filius accrescens, & decorus aspectu; filiæ discurrerunt super murum; sed exasperauerunt eum, & iurgati sūt, inuideruntq; illi, habentes iacula. sedit in forti arcus eius &c.) ò fili Ioseph, inquit, qui tam pulcher es, vt tota de muris, & turribus, & fenestris puellarum Aegypti turba prospectet; inuiderunt tibi fratres tui habentes liuoris sagittas; sed arcum tuum, & arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis bellator est, & vincula tua dirupit.* Mira prorsus Iosephi castimonia hinc colligitur. persecutionem quidem perpessus est fratrum, à quibus venditus est, & à suo hero, a quo in carcerē coniectus: sed haud scio, an maior persecutio fuerit, quàm hęc, quam in prosperitate passus est, cum ob insignem eius pulchritudinem mulieres *Aegyptiæ*, quæ ad libidinem propensissimę erant, eo prætereunte vndique certatim accurrebant, per muros, per turres, per fenestras eum visurę. sagittæ quidem dicuntur fratrum ob inuidiam; sed acutiores sagittæ mulierum obtutus, & eorum oculorum ictus: adeo è muris, atq; è fenestris quasi sagittariis vndique eū oppugnabant. Præclarū verò est illud. *sedit in forti arcus eius*: neque enim ipse vltus est fratrum inuidiam, aut heræ calumniam. nec suis viribus cōfisus est in tot animi, corporisq; periculis, sed in Dei protectione, arcum & arma sua potentibus eius manibus committens: & illud verbum. *sedit*: & quietem, & perseuerantiam confidentiæ in Deum videtur indicare.

Mira Ioseph castitas in tāta pulchritudine.

7 Denique exponit vltimam benedictionem. *Beniamin lupus rapax &c.) Vt Hebręi aiunt, altare, vbi immolabantur hostiæ, in parte tribus Beniamin fuit; lupum voracem altare appellat, & spoliorum diuisiones sacerdotes, qui mane immolant hostiam, & vespere diuidunt ea, quæ ex lege sibi collocata sūt: hæc autem de Paulo manifestissima est prophetia.* ex hac enim tribu fuit, & primò persecutor fidei, deinde prædicator Ecclesiæ. Vides vt vir *Apostolicus* prædanti militi cōparetur *diuidēs spolia*: iuxta illud: *Et speciei domus diuidere spolia.* quod ad familias religiosorum huius instituti liceat accommodare, onustas spoliis gentium barbararum, ex harum conuersione per Apostolicam prædicationem; nec mirum lupi metaphoram adhiberi, nam & inter cetera ueterum Romanorum signa militaria, lupus fuisse legitur ad auspiciū prædæ.

Paulus onustus spoliis triūphalibus gētium.

Ex Sententijs ab ipso Augustino decerptis.

1 POnderauimus suis locis præclarè dicta; si quid fortè subterfugit, hìc strictim recolam, ne hunc inter Augustini opera tractatum omninò prætermisisse videamur. De pœna peccati originalis sic. *Corpus carnis nostræ ornamentum nobis fuit: peccauimus, & cōpedes mortalitatis accepimus.* attēde quid dicat, nos à morte catenatos tāquam in triumpho ductos. quid miserius? sed à Christo triumphatore per resurrectionem, ipsam catenatam ductam Habacuc narrat. *ante faciem eius ibit mors.* quid hac pompa gratius?

Per peccatū cōpedes mortis accepimus.

Habacuc

2 Orationem effectu probari dicit. *Rectè in Dei laudem psallit, cuius opera cum voce concordant*: nempè psalterium manu pulsatur, quod indicat bona opera iungenda cum oratione.

Oratio cum bona actione iugenda.

3 Pulchrum illud de Dei prouidentia, & præscientia. *Nullum Deus vel Angelorum, vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos vsibus bonorum commendaret: atque ordinem seculorum quasi pulcherrimum carmen*

Mundi series quasi pulcherrimū carmen.

men ex pulcherrimis quibusdam antithetis honestaret. Vide Deum quasi Mundi phonascum esse, & quasi chori temperatorem. hinc illud Naziázeni de choreis astrorum. & *Iob* ait, *cœli concentum quis silere faciet?* eleganter item seriem temporum quasi carminis contextum dicit, & ex antithetis constare, hoc est sibi correspondentibus. in libro quoque de musica dixit: *cœlestibus terrena subiecta orbes temporũ suorum numerosa successione quasi carmini vniuersitatis cõsociant*, & alibi *syllabas temporum* appellat, hoc est contextum, ac seriem sibi succedentem. vide igitur quàm imperiti simus qui pulchri huius carminis elegantiam non percipimus.

De peccatore non desperandum.

4 Ostendit pulchrè, cur pro malis orandum: *Non est desperandum de malis, quia numerus sanctorum de numero impiorum semper est auctus.* non igitur spernendi quamtumuis scelesti, quos fortasse resipiscentes socios habebis gloriæ. *Antonius* Vlysipponensis vulgarem quendam hominem pronus in terram venerabatur, quod præsensisset illum Martyrem futurum.

5 De pœnitentiæ bono sic. *Bene currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi: apud iustum enim iudicem, & misericordem, qui se accusat, excusat*. Vide quantum boni afferat cõtritio: cursus est ad veniam tum de sui cognitione sic. *laudabilior est cui nota est miseria sua, quàm sidera, rerumque natura.* notabile dictum, sapientiorem qui tenebras nouit suas, quàm qui lucidas cœli faces; ac præstabilius esse errores suos nosse, quàm planetarum, hoc est errantium siderum.

Contritio cursus est ad veniam.

Melior cognitio sui quàm siderum.

6 Ostendit in prosperitate parandum animum ad aduersitatem. *Non facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita*. vide quid cogitandum sit, cum quasi secunda aura velificamur. non desidia languere debemus, sed prouidere quid agendum sit, cum tempestas ingruerit.

In prosperis præparari debemus ad aduersa.

Psal. 75.

7 *In auaros est hoc*. *Qui amore terrenorum obstringitur, non possidet, sed possidetur*, seruus igitur est, non dominus rerum suarum. huc refer modum illum loquendi: *viri diuitiarum*: non ait; diuitiæ virorum.

Auarus non possessor est sed possessus.

8 Cum Deo nos iungit per amorem hoc modo. *A quo habet homo, vt sit, apud illum habet, vt sibi benè sit.* rectè ad Deum recurrendum ostendit, vt cum virtute viuamus.

9 De cupiditatibus refrænandis sic. *Non caret regia potestate, qui corpori suo nouit imperare. dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ.* huc facit quod sequitur. *Christi nomen à chrismate est, idest ab vnctione, vt intelligat Christianus, & se regiæ dignitatis esse consortem, & contra diabolum luctatorem.* sicut athletæ oleo inunguntur. ad primũ pertinet quod vnus Euãgelista ait. *multi iusti voluerunt uidere quæ uos uidistis*. alter verò: *multi reges*.

Animus corpori imperans regia eminet potestate.

10 Pulchrè ostendit peccatorem vix in rebus numerandum. *Omne tempus malorum exiguum est. quid enim tam exiguum, quàm qui in hoc tendit, ut non sit?* acutè dictum, quia ab eo descisit, qui habet verũ esse. *Ego sum qui sum*. huc refer illud de impiis dictum: *& erunt quasi non sint*.

Peccator ad nihilum tendit.

Exod.

11 Quædam ad pietatem erga Deum spectantia pulchrè definit. *Deuotio est pius & humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione diuinæ clementiæ. Item oratio est mẽtis conuersio in Deum per pium, & humilem affectum. Affectus est spontanea quædam, ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio. Amor est delectatio seu dilatatio cordis alicuius ad aliquid per aliquid, per desiderium currens in appetendo, per gaudium requiescens in perfruendo.* talis erat affectus Xauerii sinum dilatantis. nota in primis, vt affectus dicat inclinationem quandam ad Deum amandum. amor verò ipse cursum, immò volatum habeat ad nidum suum, idest Deum pulchrè item orationem definit, quæ sit, *conuersio ad Dei per pium, & humilem affectum.* humilitas prouenit ex sui cognitione, affectus ex Dei bonitate infinita.

Genes.

Mundus fastu numens spumanti equo similis currit

Deuotionis definitio.

12 Docet vbi sit orandum. *Quid supplicaturus Deo locum aptum, & sanctum requiris? interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. voles in templi orare? in te ora, & ita age semper, vt Dei templum sis: ibi enim Deus exaudit, vbi habitat.* præclarè dictum. cum enim semper orandum sit, nec in materiali tẽplo sẽper esse possimus; nos ipsi sanctuarium efficiamur, iuxta illud: *vos estis templum Dei*.

Oratio quid sit & affectus.

2. Cor. 6.

Finis Tertij Libri.

PON-

minem fratrē eius,hominis nomine intelligi voluit,secundùm cognationem ab vno ductam? Nota, vt nemo extraneus nobis esse debeat: hinc non plures Deus simul creauit, sed ab vno propagari ceteros omnes placuit.

Dies natalis ex quo seculum relinquitur.

4 Quæritur,quomodo intelligatur,quod cum esset Thare 70.annorum,genuit Abraham; & posteà vixit annos 205. in Charrā, & dixit dominus, vt exiret de Charra cum esset 75. annorum. nempe per recapitulationem dicta. Quidam aiunt;*ex illo cōputari annos Abrahā, ex quo liberatus est ab igne Chaldæorum,in quem coniectus est, quia eum colere noluit.* rectè ergo dies is, quo eximus è sæculi flāma per religionis ingressum,verè primus,& natalis dici potest. Addit:Fieri potuit,vt posterior sit genitus Abrahā quā Nachor, sed meriti excellentia prior fuerit nominatus, sicut prior nominatus Iacob quā Esau.*Iacob*, inquit,*dilexi; Esau odio habui.* Vide vt virtutis potius quàm ætatis ratio habeatur in computandis annis; nam iusti tantum propriè vtuntur tempore.

Cautionō est contra fiduciam in Deum.

5 Ait Abraham ad Sara:*Dic quod soror mea es.) tacens quod vxor esset, & non mentiens quod soror esset,vt & caueret quantū homo poterat; & Deo committeret quod cauere non poterat.* Nota vt Dei prouidentia nō excludat humanam prudentiam. sic Esther affli-ctabat se ieiunijs,& simul vnguentis se oblinebat placitura Regi in bonum gentis suæ. hinc est quod Pharao non statim excepit Sarā toro, quia per aliquod tēpus vnguētis se pparabat;sed interim Pharao in dolore morbi erat in concupiscentiæ pœnam.

6 *Pauor irruit in Abraham.)Pertractanda est ista quæstio propter eos,qui cōtendūt perturbationes istas nō cadere in animū sapiētis.* sic A. Gellius de philosopho narrat,q in tēpestate nō expauerit.at vera philosophia est, sentire qdē hæc,vt hominē,sed pferre,ut Christianū

Ethnici scriptores verborum nobis nōrerum auctores sunt.

7 *Dabo tibi terrā in possessionem æternā.) græcè est* αἰώνιον *per secula.an id spiritaliter intelligendum?an interminatè?vt loquitur Horatius:Seruiet æternum qui paruo nesciet vti quod testimonium nō adhiberem,nisi locutionis esset; verborum quippè sunt illi nobis auctores, non rerū,vel sententiarū.* Vide quàm cautè proferat poetæ testimoniū;monens, auctoritatē non facere gētiles nisi in proprietate verborum; adeò parcè eorū testimoniis vtēdū & cum res ita postulat,& pro nobis faciūt.

Cur Loth securus in Segor tamen ascendit in montem,

8 *Ascendit Loth de Segor, & sedebat in monte.) Mirū quia admonente domino ascendere noluit*, notabile hoc est. Loth iussus ascendere in montē: *in monte saluum te fac*; deinde fortasse itineris, & altitudinis tædio, petijt ab Angelo, vt in Segor parua ciuitate remaneret: *est ciuitas hic iuxta, ad quā possum fugere, parua, & saluabor in ea*. reuelationem habuit,ibi fore securū, tamē illa non contentus, incendij magnitudine territus in montem ascēdit. cur igitur nos

Gen.20.

inter Mundi flammas paruo quodam statu virtutis cōtenti sumus,quibus nulla reuelatio facta est,sic fore securos? *Nestes in omni circa regione,sed in monte saluum te fac.*

Profectus in spiritu cum vitæ nouitate verum habet gaudium.

9 Meritò ait quæri, cur Abraham nec die,quo natus est Isaac,nec die quo circumcisus,sed quo ablactatus,epulum fecerit?respondet:*spiritaliter intelligendum: tunc scilicet esse debet magnū gaudiū spiritalis ætatis, quādo fuerit factus homo nouus spiritalis*. Vide in quo positū sit graudiū, in nouitate vitæ;nouitas autē uitæ in eo est posita, vt dulcedo vitæ temporalis quasi lactentibus relinquatur.

Vxori respectus habendus à viro.

10 Ait Sara Abrahæ, *Eijce ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ.) Quæritur,cur de hæreditate danda Sara potius, quàm Abraham statuerit, qui erat pater?* respondet;vel quia Saræ prius id reuelatum, vel hoc propheticè à Sara dictum nesciente.Vbi nota nō contēnendas à viris vxores, si verum est id reuelatum prius fuisse Saræ, quàm Abrahæ tanto viro, & ad quem propriè hæreditatis distributio pertinebat.

Generositas Dei paræ iuxta crucem filij stantis.

11 *Abiecit puerum subter vnam arborē.) Intelligendum est discessisse Agar matrem à filio suo Ismael, vt puer ignoraret quò mater abijsset,& eam in siluestribus stirpibus latuisse, ne filium suū deficientem videret.*nota, quantò generosior Christi māter,*stabat*, non iacebat *iuxta crucem*,non in sepibus latēs, sed palam.de Agar dicitur: *sedere cœpit contra illum lōgè quantum arcus mittit*: sed hæc proximè. & nota locutionem de arcu:vicinius ergo iacula doloris Deipara excipiebat,deinde ait:*Ismael filius etiam illa ætate,quid mirum si matre non visa,vbi solus remanserat,fleuit?* hinc collige adolescentibus maximè quàm chara debeat esse præsentia Dei Matris,& nostræ; & quantò ad illam cum fletu, atque affectu aspirandum sit.

Deiparæ præsentia quā expetenda.

Cur missio ignis in pētapolim tribuatur filio.

12 Explicat illud:*Quia non pepercisti filio tuo propter me.)* In persona Dei Angelus dicit.*Non facilè maximè ante incarnationem Christus appellat patrem Dominum,nisi cum propheta loquitur,vt: Dixit Dominus Domino meo.& pluit Dominus à Domino: scilicet filius à patre*, Notabile hoc videtur;ignis ille cadens in infames libidine ciuitates tribuitur personæ filij à patre;an quia idem missurus erat à patre ignem purissimum Spiritus sancti super Matrem virginem,& Apostolos?an quia nasciturus de Virgine ostendit quantum sibi displiceret libido?

Amplificatio laudis hyperbolica vitanda.

13 *Quod Rebeccæ proficiscenti dixerunt fratres eius:Soror nostra es, esto in millia millium,&c.)non vanitate magna iactauerunt,sed eos quæ promiserat Deus Abrahæ, latere non poterant.*Nota,vt affectatio omnis, & hyperbole verborū vitanda sit in laudando,vel bene ominando,&c.idque etiā inter cognatos

14 *Quod scriptum est: Exijt Isaac in campo exerceri in meridie.) græcè est* ἀδολεσχῆσαι *quod ad animi exercitationem pertinet, & videtur*

sent, postea conuersi sunt, & qui antea fuerant hostes, vbi resipuerunt, benedictionem promeruerunt. idem ad quemlibet peccatorem refer, cum resipiscit.

Adulatio uitāda in laude.

24 *Ait Iacob ad Esau: vidi faciem tuam quemadmodum videt aliquis faciem Dei, Non ait quemadmodum si ego viderem faciem* Dei. *vt & honorē gratè acciperet Esau, & ipse non posset argui quasi Deos gentium coleret. gracè est* χωνδριτῶν *sine articulo indifferenter Deum significans.* acutè notat. vide quàm adhibere debeamus animaduersionem, & ponderationem in loquendo, præsertim in laudando, in quo facile est labi.

præuisio passionis Christi solatio patribus erat in aduersis.

25 *Dicit* Dominus *Iacob: Ascende in locum Bethel, & fac ibi aram* Deo, *qui apparuit tibi cum fugeres à facie Esau.) Cur non dicit: Qui apparui? vtrùm filius ibi apparuit, & Deus pater hoc dicit?* nota, si pater hic loquitur, vt aram excitet filio, ergo sibi cōsubstantialis est filius, & idem *Deus*, cui diuinos honores tribui iubet. nota etiam, cur in *Bethel* fugienti ab Esau Iacobo filius potius, seu Verbum apparuit? an quia ille figura erat huius, quem Iudæi ex eadē gente persecuti sunt? an quia ipse persecutiones subiturus, ideò Iacobo solatio esse poterat? ita *Moses* regiam reliquit præuidens opprobrium Christi. si hoc egit præuisio tantùm, quid nunc post factum?

Cur Diabolus inaures sibi dedicari uellet.

26 *Quærit, Cur cum Iacob ascensurus esset in Bethel, & Deos alienos tollere iuberet, attulerunt etiam inaures? intelligendum est eas fuisse philacteria Deorum alienorum, nam* Rebecca *à seruo Abrahæ inaures accepit, quod non fieret, si inaures habere ornamenti gratia non liceret.* Nota, diabolum inaures sibi vsurpasse, quasi obedientiam à suis cultoribus exigendo, & ea quasi amuleta gestari voluisse. item, & ornamenta sibi dedicari, & consecrari voluisse, quæ ad spōsam pertinent, vt sunt inaures: nimirum primos amores, & affectus animæ sibi vsurpat. ideò idololatræ in scriptura fornicari dicuntur; & Deus quasi zelotypia irasci dicitur. ex tali autem veluti conubio quàm turpis proles? videlicet peccatum, deforme monstrum.

Cur Iacob non sit appellatus Israel iuxta Dei dictum.

27 *Nomen tuum non vocabitur* Iacob, *sed Israel erit nomen tuum.* Mirum esse ait, illum per vitam suam, & deinceps post vitam suam appellatum esse Iacob, cui tamen Deus non semel dixerat: *Non iam vocaberis Iacob sed Israel. nimirum hoc nomen ad illam pertinet promissionem, vbi sic videtur* Deus, *quomodo non est antea patribus visus, vbi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit vel in ipso corpore vetustatis, &* Dei *visio summum erit præmium.* acutè notat, cur, licet Deus dixerit vocandum Israel, tamen etiam postea sit appellatus Iacob? nimirum quia Israel idem est ac videns *Deum*, quod ad alterum sæculum pertinet, vbi nihil erit vetustatis, neque in ipso corpore, absorpta mortalitate in nouitatem.

28 *Nunquid veniemus, & mater tua, & fratres tui adorare te?) Quomodo intelligitur de matre Ioseph Rachele, quæ erat iam mortua, nec adfuit sublimato in Aegypto? immo nec pater, cum ad eum venit, ipsum adorasse legitur. in Christi ergo persona intelligitur, iuxta illud: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* rectè notat visum illud ad Christum spectasse. nam & Iosue ob Iesu nomen Sol, & Luna paruerunt. & nota in circumcisione nomen hoc datum: ibi cœpit impleri somnium Ioseph. apparuit stella quæ Magos ipsos ad adorandum deduxit. præterea natus in *Bethlem*, idest domo panis, quāquā inter paleam, & aristas, ex frumento id accipiens, quod esset pungendo idoneum ad dolorem.

Iesu nomen Soli, Lunæ, ac tellu uerendū

29 *Vendiderunt Ioseph præposito coquorum.) Nolunt quidam præpositum coquorum interpretari: qui græcè* ἀρχιμαγείρος *dicitur, sed præpositum militiæ, nam sic etiam appellatus est ille, quem Nabucdonosor misit.* nota, si princeps coquorum fuit, non mirum, quod periculum castitatis subierit *Ioseph*, licet temperatissimus, & abstemius. at in ea domo, vbi delicatissima quæque obsonia parabantur, facile fuit hæc offendicula libidinis inuenire. nempe vt ille ait, sine *Cerere*; & *Baccho* friget Venus; Quod si princeps militiæ fuit, magnum bellum *Iosepho* ineundum fuit, in quo ipse verius princeps non castrorum, sed castorum Iuuenum duxit agmen exemplo.

Herus Iosephi princeps coquorū aut militum.

Ioseph cur in domo domini ni perit culū castitatis incurrit

30 *Depositis vestimētis viduitatis suæ) hinc insinuatur etiam tempore Patriarcharum, certa, & sua fuisse vestimenta viduarū, non qualia coniugatorum.* nota vel in prisco illo, ac rudi quantumuis sæculo serua tum apud viduas morem in pudicitia tuenda vt ornamenta vestium non vsurparent, & amorem in mortuum virum testarentur, quasi ille omnia secum blandimēta tulisset.

Viduam decet ec illecebræ uestium.

31 *Canistra alicæ græce* Χονδριτῶν *quod græci interpretantur panes esse cibarios. sed illud mouet, quomodo panem cibarium potuerit Pharao habere in escis? dicit enim in superiore canistro fuisse omnia, ex quibus edebat Pharao, opus pistorum; sed intelligendum est, etiam ipsum canistrum panes habuisse cibarios, quia dictum est, tria canistra.* Χονδριτῶν *& desuper fuisse illa ex omni genere pistoris in eodem canistro superiore,* acute adnotat, vbi vides regios panes vna cum popularibus collocatos: Rex enim non minus populi commodo consulere, ac prouidere debet, atque oculis ipsis inspicere, an alimenta populi sint, quæ esse debent, & vt debent, nec ministris tātùm fidere satis est.

[illegible] ditis quam sibi consulere.

32 *Nunquid inueniatis hominem talem,*

qui

addit. *ideò autem tandiù fratres in pauore, & tristitia teneri permisit, vt esset maior lætitia cum se proderet.* transferri potest, quod hinc Christus quodammodo auguretur ac noscat, an diligatur, si quis suæ passionis calicem biberit. nota etiam cur Deus nos affligi permittat.

Cur Deus afflictiones permittat.

35 Commendatur in Patriarchis quod pecorum nutritores, essent: nempe: *Homo factus est ad imaginem, & similitudinē Dei, vt pecoribus dominetur; vbi insinuatur: rationem debere dominari irrationabili vitæ; seruum autem hominis, vel iniquitas, vel aduersitas dominari fecit.* Vide quid sit esse dominum, & vt proprium sit rationis in passiones dominium; in homines autē aduentitium, post peccatum. itaque ait. *primos seruos bella fecerunt; qui enim homo ab homine superatus iure belli posset occidi, quia seruatus est, seruus appellatus est.* nota in eos, qui seruos crudeliter tractant, quorum seruatores esse debent, cum seruus ita dicatur, quia seruandus, non quia perdēdus.

Seruitus vnde orta sit.

36 *Cur Iacob dixit. Dies annorum vitæ meæ, quos incolo &c.) ita græcè. quia dum sumus in corpore, peregrinamur à domino.* rectè vim græcę vocis adnotat. hospites enim in hac vita sumus. huc refer quod aiebat David. *incolatus meus prolongatus est.* sed cur lōgos potius dicit? puto quia David sāctorum votū repræsētabat, Deum citò vidēdi.

Hæc vita peregrinatio est

37 *Metiebatur patri suo triticū Ioseph.) & tamen eum pater, nec quādo vidit, adorauit, nec quādo triticum accipiebat: ergo in somnio maioris rei cōtinebatur prophetia.* vide vt illa referebātur ad Christū potius, quē Ecclesia erat adoratura, præsertim in Eucharistia, vbi sè sub triticea specie tegit. quò spectat illud. *mādu cauerūt, & adorauerunt &c.* quæ connexio hæc manducationis, & adorationis? nouū cibi genus, nēpe diuinū.

Somniū Ioseph de tritico ad Christū pertinebat.

38 Cur, si tāta fames erat ex terræ sterilitate, & fratres ob inopiā pascuorū venerāt, ait. *Adducite pecora vestra pro frumēto? quia in Aegypto magis dicuntur paludes illæ feracia pascua gignere, quādo aqua Nili minus excrescit.* nota, quod nesciētibus graue, & molestū videri poterat, pecorū adductio, hoc Ioseph ad vtilitatem dirigebat; itā in quibusdam putamus Deum nobis minus beneuolum, quæ ille dirigit ad salutem.

Cur Ioseph pecora adduci iubet, sterilitas erat

39 Quærit, cur moriturus Iacob orat filiū de sepultura, obstringēs iuramēto eodē ferè, quo Abrahā obstrinxit seruū de nuptijs filii? nā Iacob ait. *Facies in me, misericordiā, & iustitiā.) ille mādans, vnde vxor ducatur filio suo; iste sepulturā cōmendans corporis sui; in vtraq; causa nominata sūt illa duo, quæ magni habēda, atque pēdēda sūt in scripturis: misericordia, & Iustitia, seù veritas, quæ sunt vniuersæ viæ domini.* notabile planè est, candē formulā iuramēti adhibitā in cura sepulchri, & nuptiarū, vt rectè moneat Paulus. *qui habēt vxores, tāquā nō habētes sint, præterit enim figura huius Mundi.* ad misericordiā autē pertinet cura mortuorū itēq; iustitia, quia æquū, & iustū, ac par est mortalē cōsulere mortuo: itā cura nuptiarū pertinet ad misericordiā, & pietatē, eos associādo, qui cōcorditer viuāt: & ad iustitiā, & æquitatē, vt in matrimonio æqualitas, & paritas sit morū &c. quæ aptari dicūtur. *Aptaui enim vos vni viro &c.* vt quidam legunt.

Cura mortuorum pertinet ad misericordiā, et iustitiam.

In cōiugio paritas bonorum morum.

2. Cor. 11

40 *Quid sibi vult à tāto viro corporis cōmēdatio, vt nō sepeliatur in Aegypto, sed in terra Chanaā? quod nō videtur conueniēs excellētiæ mētis propheticæ, cū esse debeat fideliū ista securitas, vbicūq; corpora eorū sepeliātur, vel insepulta etiā inimicorū rabie relinquātur, vel dilacerata absumātur, nō ideò vel minus integra, vel minus gloriosa in resurrectione futura. sed cadaueribus peccata significātur, ideo in exodo per eorū cōtactū tāquā immūditia purificabatur: vbi ergo sepeliēdi erāt, nisi in ea terra, vbi ille crucifixus est, cuius sāguine facta est remissio peccatorū?* nota cur tā solliciti essēt veteres patres, vt sepelirētur in ea terra, nēpè quę aspergēda erat Christi sāguine: certè inde vitā cōtraxerūt in ipsa eius morte, nā *multa corpora sāctorū resurrexerūt*: quod si tātę curæ erat illis cadauer in ea terra sepeliēdū, quantò magis curādū nobis est, vt mēs ipsa nostra in eadē terra, quæ maduit Christi sāguine, quidquid in nobis terrenum, & mortale est, quodammodo tumulet.

Cur patriarchæ vellent sepeliri in terra Chanaā

41 *Dicitur is locus, vbi sepultus, quod Abrahamiū vocatur, distare à loco, vbi crucifixus est dominus, triginta milliariis, vt etiam ipse numerus significare intelligatur, qui in baptismo apparuit triginta annorum; & si quid aliud de re tanta vel hoc modo, vel sublimius intelligi potest:* nota spatiū interiectū inter Caluariū, seu locum madētē Christi sāguine, & sepulcrum, ac cineres patriarcharum. noluerunt venerationis causa propiùs tumulari; at sciebāt vim eius sāguinis p terræ cuniculos permeātē, ac vitā tacitè infūdentem: nota etiā illā distātiā sepulchri ptinere ad baptismum, vbi in nobis omnia peccata sepeliuntur. deniq; fatetur Augustinus mira submissione, etiā aliquid multò sublimius præter suam interpretationem intelligi posse: ne omnia ab humano, quātumuis pręclaro, & acri ingenio complecti posse putemus.

Locus vbi sepul tipatriarchæ distans a Caluario 30. milliaris

42 *Adorauit super caput uirgæ eius.)* alii legunt, suæ; idest adoraturus Deum inclinauit sè super cacumen virgę suę, quā senum more gestabat. *sed quid est, eius? an fortè tulerat ab eo uirgā, quādo ei iurabat idē filius, & dū eā tenet, post uerba iurātis, nondū illa reddita mox adorauit Deū? nō enim pudebat eum ferre tantisper insigne filii sui, vbi figura magnæ rei quidem præfigurabatur.* præclarè adnotat, Iacobū accepto in manu sceptro filii Ioseph, iuramentum accepisse de sepe-

llendo suo corpore in terra, vbi Christus crucifigendus erat, & sparsurus sãguinem, quasi sperans sè hoc modo regnaturum vnà cum Christo, quo moriente multa corpora sanctorum resurrexerunt; vel sceptrum illud, ac virga figura crucis fuit, quã manu gestans orauit filium, vt in terra, in qua Christus crucifigẽdus erat, sepeliretur. nota etiam vt in morte maximè, crucis, & passionis Christi memoria sit recolenda. addit in hebræo idiomate legi: *adorauit ad caput lecti: in quo vtique senex iacebat, & sic positum habebat, vt in eo sine labore quando vellet, oraret.* vides situm ipsum seruandum in orando pro conditione ætatis. non idem seni penè animam agenti, qui iuueni situs conuenit. adolescentula erat sponsa nimis dilicatè, ac molliter orare voluit. *In lectulo*, inquit, *meo quæsiui eum.* sed quid subiungit? *& non inueni.* Christus orans in horto, *procidit in faciem suam.*

Situs in orando qualis esse debeat.

43 Quærit, *Quid attinuit Iacob filio suo Ioseph indicare, vbi & quando sepelierit matrem eius, cum, & ipse simul fuerit cum fratribus suis? quæ res compulit modò dici? nisi fortè ad rem pertinuit commemorare illic sepultam matrem, vbi fuerat Christus nasciturus* acutè indicat, priuilegium Rachelis commemorari, vt apud præsepe Bethlemicum sepeliretur. quamquam ipsa est mortua verno tempore: at Christus natus summa hyeme. ibi Beniamin peperit inter flores, vbi Maria virgo Christum inter stipulas. S. quoque Hieronymus apud eundem locum, vbi Christus est natus, viuere, & mori voluit. ideò mors sanctorum in Christo rectè natalis dicitur.

Rachelis mors prope Christi præsepe tãquam priuilegium cõmemoratur.

44 Quærit, cùr dicitur appositus ad patres suos, & ad populum suum Iacob nondum sepultus? nimirum ne de cadauere intelligeretur. *Qui præcesserunt, tam pauci iusti nominantur, vt eos populum appellare cunctemur. an fortè populus est non solùm hominum sanctorum, verum & Angelorum? vndè Apostolus: accessistis, inquit, ad Ciuitatem Dei Hierusalem, & ad millia Angelorum exultantium. huic populo applicantur qui post hanc vitam placentes Deo fiunt.* egregiè, ac præclarè ait, cum pauci ante Christum saluarentur, vix dici posse populum. ergo dicendum, quasi reipublicæ eiusdem ciues homines iustos dici cum Angelis, sicut & viuentes fuerunt, vt ait Paulus *Municipatus noster in cœlis est.* sic alii legũt.

Hebr. 12.

Vnus populus & respublica ex angelis & hominibus iustis.

45 *Sepulturæ dies quadraginta, quos commemorat scriptura, fortè significant aliquid pœnitentiæ, quo peccata sepeliũtur.* acutè interpretatur, nam tandiu Mosis, & Heliæ ieiunia durarunt. aliquando tamen esse ait numerum lætitiæ, vt quadraginta dies quibus Christus post resurrectionẽ mansit in terris: vides ieiunium sepulchrum quod dicam esse peccatorum. & quia mors iustorũ lætitiã habet, ideo idẽ numerus etiã ad ipsorum mortem, vt talis est, referri potest.

Ieiuniũ sepulchrum est peccatorũ.

46 Quærit, quomodo dicit Ioseph. *pater meus adiurauit me dicens, In monumẽto, quod ego fodi mihi in terra Chanaam, ibi me sepelias*, at neq; suprà dicitur hoc ei iussisse, nec id sepulchrũ patet fodisse, sed supponitur. nota igitur, vt Iacob ipse adhuc viuẽs suis sibi manibus sepulchrũ foderit memor assiduè mortis, licèt tunc lõgiores essent termini vitæ, & licet Iacob in somnio Ioseph se Solẽ fit interpretatus: at etiã Sol occũbit.

Iacob uiuens effodit sibi sepulchrum.

47 Quærit, quid sibi vult, quod, cum pergerent ad sepeliendum Iacob, scriptura dicit: *aduenerunt ad areã Achab, quæ est trãs Iordanem? prætergressi enim sunt eum locum, in quo erat mortuus sepeliendus, milliaria, sicut perhibẽt, plusquam quinquaginta, & post factum ibi luctum, redierunt ad locum, quem prætererunt, rursum Iordane traiecto.* fortassè per eremum, itum, nè inciderent in bella hostium, vt posteà. *sed quomodo factum, vt trans illa loca ad Orientem versus tantùm iretur, & inde postea per Iordanem venirent; significationis causa factum esse credẽdum est; quod per Iordanem venturus erat posteà ad eas terras Israel in filijs suis.* vides, vt in morte ac luctu recordari debeamus terræ promissionis, per spẽ scilicet futuræ vitæ. item nota, Orientem versus iuisse ad lugendum Iacob, quasi spe quadã resurrectionis, nã, & Iob ait: *in nidulo memoriat.* nidũ, vbi nascũtur pulli, vocans sepulchrum. & alibi ait: *cũ te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

An luctus & mortis spes futuræ uitæ ac promissæ beatitudinis solatio sit.

Iob. 11

48 *Luctum patris fecit septem dies* (*. nescio vtrùm inueniatur alicui sanctorum in scriptura celebratum esse luctum nouem dies, quod apud latinos nouendial appellatur: vnde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi Christiani; septenarius verò numerus propter sabbati sacramentum, quietis indicium est, vnde meritò mortuis tanquam requies cantibus adhibetur, iuxta illud: luctus mortui septem dies, fatui omnibus diebus: quem tamen numerum in luctu Iacob decuplauerũt Aegyptij, qui eum septuaginta dies luxerunt.* nota breuem temporis luctum in morte iustorum datum; & eum numerum tribui eorum funeri, qui solatium continet quietis; septimo enim die Deus requieuit ab opere Mundi. Aegyptij tamen, vt gentiles, decuplo plus luxerunt, quia carebant fide, & spè sempiternæ quietis: nisi dicas, cum constitutum sit ferè spatium dierum annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis, totidẽ annis totidẽ dies luctus respõdisse. sed cur gentiles nouem luctus dies cõstituerunt, hoc est nouendial? dixerim superstitionem hanc à diabolo inductam, tãquam hydrã, quam nouem capitũ Alcæus poeta dixit, hoc est. ἐννεακεφάλου infaustus erat hic numerus, vt ait Philo.

Eccles. 22.

Nouendialis luctu uetitus Christianis.

Ex quæstionibus in Exodum.

1 Quæritur de facto Mosis, cum occidit Aegyptum ad defendẽdos fra-

tres

tres, *vtrùm indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatū admiserit: sicut solet vbertas terræ etiam antè vtilia semina, quadam herbarum, quamuis inutilium feracitate laudari? an omninò ipsum factum iustificādum? quod ideò non uidetur, quia nullam adhuc legitimā potestatem gerebat:* tamē ex Stephani dictis videtur diuinitùs admonitū id ausum. referri hoc potest ad *Ignatij* zelum, cum nondum vitæ perfectione instructus Maurum quendam Deiparæ virginitatem negantem gladio ad necem destinauerat, nisi ille fuga sibi consuluisset. in quo tamē indoles eius probata, cū futurū esset, vt zelū meliore modo in hæreticos cōuerteret, instituta Societate.

Ignatij ire bus de virginitate Deiparæ.

2 Exponit illud. *Ego aperiam os tuum, & instruam te, quæ locuturus es.) satis hinc apparet, non solùm institutionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad Dei voluntatem, & gratiam pertinere: non enim ait: tu aperi os tuum, & ego instruam te: sed vtrumquè ipse promisit; aperiam, & instruam. alibi autē dicit in psalmo. Dilata ostuū & adimplebo illud: vbi significat in homine voluntatem accipiendi quod Deus donat uolenti: ut ad uoluntatis exordiū pertineat; Dilata os tuum, ad Dei autē gratiam: Et adimplebo illud. hic uerò, & aperiam os tuum, & instruā te.* rectè adnotat gratiæ necessitatē cū coperatione nostra: tātū autē gratiæ debemus, vt ad *Deū* totum opus bonum referēdū esse videatur.

Cooperatio nostra cum gratia.

3 Quærit, *Quid sibi vult quòd Angelus volens occidere Mosem siuè puerum, recessisse dicatur ab interfectione, quia dixit mulier: Stetit sanguis circumcisionis infantis: non enim ait: recessit ab eo, propterea quod circūcidit infantem, sed quia stetit sanguis circumcisionis; nō quia cucurrit, sed quia stetit, magno, nisi fallor, sacramēto.* acutè & hoc adnotat; nā potius ideò Angelus ab vlciscēdo destitisse dicendus esset, quià vidit iā puerū circumcidi, & sanguinē manare: cùm ideò vlturus esset, quia ille non circumcidebat, effuso, vt fit, sanguine. egregiè mysterium ibi latere autumat. quod profectò dixerim esse ob Christi figuram, quam gerebat, quià in eius circumcisione finem acceptura erat circūcisio. *stetit sāguis circūcisionis.*

Christus circumcisionem terminauit sua.

4 Quærit, *Quod Moses dixit. Eccce ego gracili voce sum, & quomodo exaudies me Pharao?) mirum si tam gracilis vocis, vt nec ab vno homine posset audiri. An fortè regius fastus non permittebat eos de proximo loqui? dicitur autem illi:* Ecce ego dedi te *Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus propheta.* vide quò perueniat principum superbia, & fastus, vt se alloquentes accedere non permittant, quod nec Deus facit, cum sit omnium dominus, & altissimus dicatur, qui tamen ad se accedere inuitat per prophetam: *accedite ad eum, & illuminamini.* quia igitur Pharao, se Deo ipsi per superbiam præferebat, ait Moysi: *constitui te Deū Pharaonis,* humilians eius arrogātiam.

Principum fastus taxatur.

5 *De* obduratione Pharaonis sic. *Dixit Deus. Indurabo cor Pharaonis, & velut causam infert, cur hoc faciat, & implebo signa mea, & portenta mea in Aegypto. tanquàm necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, vt signa Dei multiplicarentur, vel implerentur in Aegypto. vtitur ergo Deus benè cordibus malis ad id, quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis; & quamuis vniuscuiuscumque cordis in malum qualitas, idest quale cor habeat ad malum, suo vitio fiat, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis: tamen qualitate mala, vt huc, vel illuc moueatur, cum siuè huc, siuè illuc malè moueatur, causis fit, quibus animus propellitur; quæ causæ vt existant, uel non existant, non est in hominis potestate sed ueniunt ex occulta prouidentia, &c.* Vide vt induratio ex peruersa voluntate sit, quod tamen Deus permittit ad aliorum correctionem, & bonum, vt sic ipsum timentes corrigantur: *vtitur ergò Deus benè cordibus malis &c.* addit aliam explicationem. *Videndum sanè est, utrùm etiam sic accipi possit: ego indurabo: tanquam diceret: quàm durum sit, demonstrabo.* quod autem obduratio illa ex propria culpa fuerit, apertè colligit ex sequētibus. *Et ingrauauit Pharao cor suum &c.*

Induratio Pharaonis ex propria culpa, sed à Deo permissa ni bonum.

6 Quærit, cur Magi in tertio signo defecerunt, ac dixerunt: *Digitus Dei est hic) poterant & in primo, & secundo signo deficere; sed quia digitus Dei dicitur in Euangelio Spiritus sanctus, commendatur fortassè Trinitas; & quod uerum est, summi Philosophi gētium quātum in illorum literis indagatur, sine Spiritu Sancto philosophati sunt, quamuis de Patre, et Filio non tacuerint.* acutè mysterium agnoscit: poterat quidē Deus impedire priora quoque signa Magorum; sed in tertio defecerunt, dixeruntque: *Digitus Dei est hic:* quo indicatum est, externos philosophos, licet de Patre, & Filio nonnulla, obscurè tamen, innuerint; Spiritum tamen sanctum nullo modo agnouisse: nec mirum, cum hic amor diuinus sit, qui eo carebant, eius quoque cognitione caruisse. ex quo etiam excellentia huius mysterij colligitur: certè illi ipsi, qui initio ad fidem accesserunt, dicebant: *sed neque si Spiritus sanctus sit, audiuimus.* Act. 19.

Cur Magi Pharaonis defecerint in tertio signo, quia typus Spiritus sancti.

7 Quærit, *quid est, quod dicit Deus ad Aarō, & Mosem. Sumite uobis plenas manus fauillæ de fornace, vt aspergat Moses in cælum corā Pharaone, & coram seruis eius, & fiat puluis in tota terra Aegypti.) Cur dicitur, ut Moses fauillam spargat in cælum de fornace; et hanc ambo sumere iubentur, sed ille spargere non in terram, sed in cælum: tanquàm Aaron, qui datus erat ad populum, terrā percutere deberet, uel in terram, siue in aquas manus extēdere. Moses uerò, de quo dictū est; eritque in iis tibi, quæ ad Deum: in cælum iubetur fauillam spargere.* egregiè notatum, nempè Moses, cui intima familiaritas erat cū Deo, & qui Deus cōstitutus erat Pharaonis, cū cœlo cognationē potius habebāt, quā

Cur Moses portenta faceret de cœlo Aaron de terra &c.

cũ terra. Addo quia eas manus tàm piè, ac perseuerãter in cęlũ extollere solebat, vt defatigatas ab alijs sustẽtari oporteret; meritò igitur ijs elatis in cœlum manibus prodigia faciebat. Idem mox etiam adnotat: *Tertiò dicitur ad Mosem: extende manum tuam ad cœlum, vt fieret etiam plaga tenebrarum. nunquam autem dictum est ad fratrem eius Aaron.*

7 Quærit, *Quid est quod mãdauit Deus Pharaoni, cum se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcumque illi essent in campo, ne grandine intereant? hoc enim non tam indignanter, quàm misericorditer videtur admonere: sed hoc non facit quæstionem, quod Deus etiam irascens temperat pœnam.* pulchrè ait, non esse hoc in quæstione ponendum, cum certum sit, & manifestum: id ipsum, quod ait David. *Nunquid continebit in ira sua misericordiam suam?* mira omninò pietas: quis vnquam vlturus hostem præmonet vt sibi caueat? huc spectat etiam illud: *dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.*

Cur Deus grandinem missurus monet Pharaonem.

8 Exponit illa verba: *Et factus est clamor magnus in Aegyptiis, non enim erat domus, in qua non erat in ea mortuus.) Nonnè potuit esse aliqua domus, quæ primogenitum non haberet? an & hoc diuinitùs præscientia Dei erat procuratum, vt in omnibus omninò essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Aegyptii?* egregiè ostẽdit diuinæ prouidentiæ dispositionem, siuè in bonis iuuandis, siuè in malis puniendis.

An in omni domo Aegypti primogeniti essent, qui mortui.

Item illud. *Et ostendit ei dominus lignum, & misit illud in aquam, & facta est aqua dulcis) Genus ligni erat istam habens vim, an quolibet ligno id facere potuerat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? nisi fortè locus erat, vbi ligna non inueniebantur, vt hoc ipsum esset diuini adiutorii, quod ei dominus lignum ostendit, vbi nullum erat, & per lignum aquas dulces fecit; præfigurans gloriam, & gratiam Crucis.* Vide vt omnis acerbitas huius vitæ dulcescat ad memoriam Crucis Christi. & nota, quod non improbabile putat, lignum illud non fuisse natiuũ eius deserti, sed diuinitus præparatum, iuxtà illud, quod canit Ecclesia. Nulla silua talẽ profert, fronde flore, germine.

Quod lignum fuerit quo aquæ dulces factę.

Quærit, *Cur in eremo carnes desiderauerunt, quando de Aegypto cum suis valdè multis pecoribus exierunt? nisi fortè dicatur, pepercisse illis pecoribus, ne omnibus deficientibus, etiam sacrificiis necessaria defuissent. congruentius tamen creditur, non eos carnes desiderasse, quas de pecoribus habere poterant, sed eas, quæ deerant, ex aquis videlicet. ipsas quippe in illa eremo non inueniebant; vnde illis coturnices datæ.* Nota gulæ impudentiam: in terra degens, quærit aquatilia, in mari terrestria.

Cur in deserto carnes desiderarent, cum haberent pecora?

Declarat quod Moses Iethro socero suo dixit: *Cum venerunt ad me, iudico vnumquemque, & moneo eos præcepta Dei, & legem eius.) Quæri potest quomodo illa Moses dixerit, cum lex Dei adhuc nulla conscripta esset? nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, vt quod in ea iudicauerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, secundùm quod illa incommutabili veritate perceperint.* rectè notat, neminem excusatũ à Dei lege nobis insita, nõ seruãda.

Ante legem erãt præcepta naturalia.

De Iethro varia quærit. *In eo quod Iethro consilium dat genero suo Mosi, ne occupatus iudiciis populi, ipse, & populus consumeretur consumptione intolerabili: prima quæstio est, cur hoc Deus famulum suum, cum quo ipse tanta, & talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri? in quo scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur cosilium veritatis, non debere contemni. videndum est etiam nè fortè id Deus voluerit, ne Mosem posset tentare superbia: sedebat enim iudiciaria potestate solus, vniuerso populo stante.* Vide quàm subtilis sit superbia, quæ sanctos etiam viros penetrare conatur. nota etiam vt non vilitas personæ, sed veritas dicti attendenda sit; & vt etiam sapiẽtes, & amici Dei bonis, ac rectis aliorũ consiliis acquiescere debeant. certè de Mose dicitur: *Erat eruditus omni scientia Aegyptiorum, & loquebatur cum Deo tanquam amicus cum amico*: nec tamen dedignatur exteri hominis consilium: Itaquè subiungit. *Insinuatur hic etiam humilitatis exemplum, quod Moses, cum quo loquebatur Deus, non fastidiuit, neque contempsit alienigenæ consilium.* præterea adnotat: *Quàm sit obseruandum quod alibi scriptura dicit: Fili, ne in multis sint actus tui, satis ex his apparet. Deindè verba Iethro dantis consilium Mosi considerandа sunt: dicit enim: Nunc itaque audi me, & consilium dabo tibi & erit Deus tecum.) vbi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodam modo vacuari, qui fit tantò plenior, quantò in superna, atque æterna liberius extenditur.* egregiè perpendit illud: *Et erit Deus tecum.* nemo enim tanta negotiorum humanorum mole obrui debet, vt nihil temporis relinquatur, quo ad rerum diuinarũ contemplationem incumbere nõ possit.

Cur Deus permiserit Mosen soceri consilio niti.

Humana negotia impediunt cõgressum cum Deo.

10 Exponit illud: *Non coques hædum in lacte matris suæ) Intellectum de Christo approbo, quod hac prophetia prædictus est non occidendus à Iudæis infans; quando Herodes quærens eum non inuenit; vt, coques, quod dictum est, pertineat ad ignem passionis, hoc est tribulationem.* vide quo affectu Christus fuerit ergà lac maternum virginis, vt noluerit, quo tempore illud sugebat, occidi. subiungit. *Illud quoque forsitan non absurdum est, quod alii dicunt, id esse præceptum, ne se boni Israelitæ sociarent malis Iudæis, à quibus Christus passus est tanquàm agnus*

Cur vetitum coqui hædum in lacte matris.

Cur Christus sugens lac matris noluerit occidi ab Herode.

agnus

agnus in lacte matris suæ, idest eo tempore, quo conceptus est. dicuntur enim fœmina, ex quo conceperint, lac colligere: Christus enim conceptus est octauo kal. Aprilis, quod tempus etiam passionis eius fuit. acutè obseruatum. Christus enim tanquàm agnus igne passionis excoctus est eo fermè tempore, quo conceptus est, vt immanitas quædam, vel hæc Iudæorum fuerit, quod effuderint Christi sanguinem tunc temporis, cũ olim lac præparabatur Deiparæ, qui in eius sanguinem per nutritionem verteretur; hinc ille gladius eius pertransiens animam, vt Simeon prædixit, quod visura esset tàm impiè fundi, & conculcari sanguinem filii de suo lacte concretum.

Christus agnus in lacte matris.

11 Interpretatur illud. *Et mittam vespas ante te, & eiiciam Amorrhæos &c.) Quæritur de istis bestiis quid intelligendum sit? nàm & promittit hoc Deus, & sapientiæ liber dicit impletum, vbi ait: Et misit antecessores exercitus sui vespas. non autem legimus factum, neque sub Mose, neque sub Iesu Naue, neque sub iudicibus, neque sub regibus; ac per hoc vespæ istæ aculei timoris intelligendæ sunt fortassè, quibus agitabantur memoratæ gentes, vt cederent filiis Israel.* vide quid sint formidines illæ impiorum, dum timent Dei punitionem, aculeatæ scilicet vespæ mentem transfigentes; & pulchrè *antecessores exercitus Dei* dicuntur hoc est diuinæ vltionis, iuxta illud Iob: *pœnæ militant contra mè.*

Peccatorem metus conscientiæ quasi vespæ feriunt.

Pergit ad cætera loca. *Notandum est quod iterum populus ità respõdet: Omnia verba, quæ locutus est dominus, faciemus, & audiemus, cum videatur ordo postulare, vt diceretur: audiemus, & faciemus. sed mirum nisi aliquis sensus hic latet; nam si, audiemus, pro eo positum est, quod est, intelligemus: prius oportet verbis Dei reddere faciendi seruitutem, vt ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito deuotionis, quæ non contemptæ. sed factæ sunt, ipse perducat* acutè. quærit, cur, cum auditio præcedat facta, tamen dicatur: *faciemus, & audiemus.* nimirum prius *D*ei præcepta deuotè opere complenda sunt, ac tunc Deus eorum perfectam intelligentiam tribuit, vt alacrius operando pergamus.

Cur dictum prius, faciemus, & postea audiemus.

Et hoc egregiè adnotatum. *Notandum est, quod Moses ædificauit altare sub monte, & duodecim lapides, & in duodecim tribus Israel. intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum significasse ipsum populum esse altare* Dei, *sicut est templum* Dei. nempe cum altare fiat ex lapidibus, duodecim tribus erant; totidem igitur apposuit lapides, vt sic ostenderet, populum ipsum esse *D*ei altare, ubi immolatur laudis hostia, ubi thuribulum deuotionis &c. multò magis hoc ad populum Christianum pertinet, certè Lucianus Martyr cum esset in carcere, nec altare haberet, humi deiectis, ac supinus suprà pectus suum tanquam super altare ipsum sacrificium peregit. sequitur: *Et immolauerunt hostiam salutaris* Deo.) *Non dixit, hostiam salutarem, sed hostiam salutaris, ubi uidendum, nè fortè ille significetur, de quo dixit Simeon: Quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum.* rectè typum illum fuisse dicit Christi sacrificii, de quo & illud psalmi interpretatur: *calicem salutaris accipiam.*

Eucharistiæ, & Christi passi figura hostia salutaris.

13 Expendit locum illum. *Viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum, cum serenum est &c. uideruntq; Deum, & comederunt, ac biberunt.) Quod manducant, & bibunt in loco Dei, suauitatem, maiestatemque præfigurat; vel significat in illo regno æternitatis, vnde & dominus dixit, venturos multos, & recubituros cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum: & alibi hoc promittit fidelibus suis, quod faciet eos recumbere, & transeat, & ministret eis.* pulchrè de æterna felicitate intelligit, per sapphiri pulchritudinem indicata, & per cœli serenitatem. Sed puto etiam de mensa Eucharistica posse intelligi; magna enim cum serenitate mẽtis, ab omni passionum perturbatione vacuę accedendum est. sapphirus item castimoniæ typus habetur.

Aeterna felicitas per sapphirũ indicata.

Præparatio ad Eucharistiã qualis.

14 *De* Cherubim arcæ sic pulchrè. *Cherubim ideò pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo, non sibi tribuunt pennas suas; idest Deum honorant virtutibus, quibus præstant: & vultus eorum non sunt, nisi in propitiatorium, quia cuicunque profectui ad multitudinem scientiæ spes non erit, nisi in Dei misericordia.* præclarus hic locus est, & admodum notabilis pro viris magnę doctrinę, atque ingenii, qui per Cherubim significantur, à multitudine scientiæ sic dictos. pennæ quippe velocitas ingenij est, sed has deponebant suprà propitiatorium, vt à Deo agnoscerent, & ab ipsius pietate sapientiam veram se accipere confiderent; eique, non sibi gloriam referrent: *Deo, non sibi tribuunt pennas suas*: talis Cherub fuit Thomas *A*quinas inter cæteros; ac rectè Ignatius Societatem, quam litteris, & doctrina instructã esse voluit, ad maiorem Dei gloriam spectare iussit, idq; semper inculcat.

Ingenii dotes ad Dei, non ad suam gloriam referendæ.

15 Transit ad cætera. *Et facies vela capillacea operire super tabernaculum, vndecim facies &c.) quæ capillacea vela sunt, idest cilicina, vndecim dicuntur esse; in peccatis quippe transgressio est, transgressio verò vndenatio numero significatur, quoniã transgreditur denarium, idest legem.* acutè interpretatur quid indicarent vndecim cilicia, quia nimirum pęnitentia, & mortificatio corporis necessaria est peccatori ob transgressionem decem *D*ei præceptorum, sic

Corporis mortificatio pœnitenti necessaria.

cut numerus vndenarius transgreditur denarium: vela verò vocari ait, quia peccata per confessionem expressa, per gratiam teguntur, iuxtà illud. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. subiungit item pulchrè. *Deinde iubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis: aries autem rubricatus, cui non occurret Christus in passione cruentatus? significantur his etiam Martyres sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui: ipsis deniq; superiaciuntur pelles hyacinthinæ, vt significetur vita æterna viriditate tanquam virore perpetuo*. pulchrè interpretatur; vides vt æterna vita in hyacinthinis pellibus indicata non nisi per pœnitentiam, & mortificationem, vt in velis cilicinis, aut per martyrium, vt in pellibus rubricatis, habeatur; pulchrè etiam vela cilicina, quę peccatorum pœnitentiam significant, cooperiri pellibus arietinis rubricatis, hoc est Christi passione, & sanguine interpretatur, quia hinc fit remissio peccatorum.

Pelles rubricatæ tabernaculi Christi, & martyrū typus.

16 De arcæ significatis sic. *Propitiatorium tabula aurea erat, qua tegeretur arca: aurum sapientiā significat, arca significat secretum Dei. in arca iussa sunt poni lex, & manna, & virga Aaron: in lege præcepta sunt; virga potestatem significat; manna gratiam; quia nisi cum gratia, non est potestas præcepta faciendi: verumtamen aquia lex à quouis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper: ad hoc enim opus est vt propitius sit Deus; & ideo desuper ponitur, quia super exaltat misericordia iudicium*. egregiè mysterium agnoscit, cur scilicet cum lex in arca sit, & manna significans gratiam, tamen adhuc supra ponitur propitiatorium? quia nimirum licet Deo adiuuante lex seruetur, tamen non ità perfectè ob multam imperfectionem humanę naturę corruptę, vt nō egeamus abundanti Dei misericordia, quæ supereminéat iudicium, & illud, quo deficimus, velut absorbeat. pulchrè autem per manna legi iunctam Gratiam significari ait, sine qua lex non impletur: quo indicatur Gratiam suauiter, ac dulciter suadendo allicere ad operandum, non cogendo.

Arca secretum Dei manna gratiam significabat.

17 De ornatu sacerdotali hęc habet inter cętera. *Aspidiscas in veste Sacerdotali, quas dicas, vtrùm scutulas, quæ à scuto latinè appellantur, quia & Græci scutum ἀσπίδα vocant: an verò aspidiscas propter diligentem colligantiam dicit ab aspide serpente: sicut etiam murenulæ appellantur*. nota iuxtà primam explicationem, vestem Sacerdotalem fuisse distinctam, & elaboratam orbiculis quibusdam quasi scutulis: Sacerdos enim per preces, & sacrificia obtundit Dei iacula, ex arcu iustitię emissa. Hinc de Aarone summo sacerdote stante inter viuos, & mortuos cum thuribulo ad Deum placandum pulchrè dicitur: *proferens scutum seruitutis suę*.

Vestis Sacerdotalis scutulis distincta cur?

18 Exponit illud. *Et pones super rationale Iudicii demōstrationem, & veritatem.) Quid sibi hoc velit, inuenire difficile est. fabulantur tamen quidam lapidem fuisse, cuius color, siue ad prospera, siuè ad aduersa mutaretur, quando Sacerdos intrabat in sancta sanctorum: & hoc esse quod ait; & afferet Aaron iudicia filiorum Israel &c. quamquā possit intelligi demonstrationem, & veritatem literis impositam super logèum*. quod fabulam illam appellet, nota quàm solidè interpretanda sit sacra scriptura; nec omnes interpretationes licet speciosas admittēdas, cū facilè possit hic intelligi sciptas charactèribus illas dictiones fuisse.

Rationale quid contineret.

19 Expendit illud. *Et erit Aaron, cum cæperit fungi Sacerdotio, audietur vox eius, intrantis in sanctuarium in conspectu Domini, & exeuntis, vt non moriatur. vocem de tintinnabulis dicit audiri, hoc est sonitum, tantumq; ibi pondus obseruationis posuit, vt diceret: ne moriatur: testimonia ergo quædam significari voluit in veste sacerdotali, qua vtique significatur Ecclesia, per hæc tintinnabula, vt nota sit conuersatio Sacerdotis, sicut Apostolus dicit: Circa omnes te ipsum bonorum operum prębens exemplum*. rectè adnotat, cur sub tam graui comminatione mortis præcipiat Sacerdoti, vt incedendo excutiat aurea tintinnabula, in fimbria vestis, ad hoc vt sonus reddatur: quo significetur grauis pœna Sacerdotis, nisi virtutum concentum reddat apud populum, & bonam famam sibi cōciliet, iuxta illud, quod addit Apostolus: *vt non vituperetur ministerium nostrum*.

Ad Tit. 2. Quid aurea tintinnabula significarent.

20 De conflato vitulo aureo hæc habet. *Quod iubet Aaron inaures demi ab auribus vxorum, ac filiarum, vnde illis faceret Deos, non absurdè intelligitur difficilia pręcipere voluisse, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret. factum tamen illud ipsum difficile, vt esset aurum ad faciendum Idolū, propter eos notandum putaui, qui contristantur, si quid tale propter uitam æternam diuinitus fieri, vel æquo animo tolerari iubentur*. rectè arguit, quod illæ, licet præciperetur vt afferent quod charissimum, & pretiosissimum habebant, tam promptè obtulerint ad sacrilegium, & dæmonis obsequium; ad Dei verò gloriam, qui id agat, vix inueniatur, elargiendo scilicet vel egenis, vel cultui templorum &c. certè Aaron incredibile putabat, mulieres tam tenaces sui ornatus, eo se priuaturas, tamen eius opinionem superauit impia illarum pietas.

Cur Aaron inaures dari iussit ad Idolū

21 De Mose sic. *Notandum sanè quanta pro populo ad Deum supplicatione laborauerit, qui tam seuerus in eos uindicando extitit*. egregiè adnotat, quod prælati proprium

prium est, pietatem, & zelum, Moses totus intentus ad Deum placandum, ne populum vlcisceretur. *aut dele me de libro vitę, aut &c.* & tamen vituli conflationem acerrimè vindicauit.

22 Declarat illud. *Et cum vidisset Moses populum quia dissipatus est; dissipauit enim eos Aaron, vt in gaudium venirent aduersariis.*) Notandum est, *quemadmodum illud malum, quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quòd eis consenserit ad faciendum quod malè petierint; magis enim dictum est; Dissipauit eos Aaron, quia cessit eis, quàm dissipauerunt se ipsi, qui tantum malum flagitarunt.* rectè notandum dicit: adeò prelato culpa tribuitur, si per nimiam indulgentiam subditi peccent; Tum addit. *meritò quęritur, cur in ipsum Aaron vindicta nulla precesserit? nempè ità nouit ille, cui parcat vsq; ad commutationem in melius, & cui parcat ad tempus quamuis eum præscierit in melius non mutari; & cui non parcat vt mutetur in melius; & cui non parcat, ita vt vitæ mutationem eius expectet, hoc est quod exclamat Apostolus: Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius &c.* rectè negat nobis disquirẽdum esse curiosè de *D*ei iudiciis, cur hunc, non illum in hac vita puniat, & similia.

Prælati peccatũ quantò grauius quàm subditorum.

23 Inducit Mosen ad Deum pro populo deprecantem, cui *D*eus sic. *Sine me, & iratus conteram eos.*) *Significat his Deus plurimum prodesse apud se illi populo, quod sic ab illo viro diligebatur, quem sic Deus diligebat: vt eo modo admoneremur, cum merita nostra nos grauauerint, ne diligamur à Deo, releuari nos apud ipsum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Vide quantam vim habeat intercessio sanctorum, alioqui cum omnipotens esset, quid opus erat famuli potestate, cuius potius obedire est, ad puniendum? adeò sanctorum suffragia ambienda sunt ad tutelam.

Intercessio Sanctorum quàm ualida.

Ex Leuitico.

QVærit, *Quid est quod de ariete pro delicto, cum dixisset, legemque sacrificii exposuisset, ait: Quomodo quod est pro peccato, ità & id quod prò delicto; lex vna est eorum.*) *Quæritur inter peccatum, & delictum, quæ sit differentia? fortassis peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni, vt quemadmodum in laudabili vita aliud est declinare à malo, aliud facere bonũ, iuxtà illud: Declina à malo, & fac bonum: ita in damnabili vita, aliud sit declinare à bono, aliud facere malum. Delictum apud Græcos παράπτωμα vocatur, vnde vbi dicit Apostolus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, παραπτώματι Grecus habet; per quod decidere intelligitur, qui delinquit; vnde cadauer, quod latini à cadendo dixerũt, Grecè πτῶμα, παράπτωμα dicitur ἀπὸ τοῦ πίπτειν quod est cadere.* nota, vt qui delinquit, à cadauere non differat inutili, & putrido: ac si desertio boni talis est, quid perpetratio mali? Subiungit: *potest etiam videri illud esse delictum, quod imprudenter, idest ignoranter; illud peccatũ, quod à sciente committitur; huic differentiæ videntur cõsonare testimonia diuina: Delicta, inquit, quis intelligit? & illud: Quoniam tu scisti imprudentiam meam; nec discordat Apostoli dictum: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; nam quod preoccupatum dicit, imprudenter lapsum significat: peccatum verò ad scientem pertinet; quod Apostolus Iacobus tanquam definiens ait; Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* acutè distinguit, quamquam monet in scriptura non rarò vnum prò altero accipi.

Differentia inter delictum & peccatum.

Psal. 18 & 69.

2 *Et uidit omnis populus, & amens factus est.*) expauit. græce ἐξέστη unde ἔκστασις *dicta, idest mentis ecstasis.* Vide vt timor abstrahat hominem non modò à ceteris creaturis, sed a seipso. hæc certè magna, & vera ecstasis est.

Timor Dei vera exstasis est.

3 Exiit ignis à domino.) *Vtrùm quia nutu, & voluntate Dei factum est, an ab eo loco ignis exiit, vbi erat arca testimonij?* Notabile admodum est hoc iuxta hanc sementiã aream testamẽti, quæ in vrna suauissimũ manna continebat, in impios instar fulminis ignẽ eaculatã; nempe & uirgam habuit: adeò Deũ ut misericordẽ dilicere & vt iustũ uereri debemus. sic dicitur. *fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius;* & tamen ab eadem facie, prodit ille: *torrens uoluptatis*, quo potat beatos.

Ex arca testamenti ignis prosilicat improbos decorat.

4 *Ex duobus hircis alter pro bono immolabatur, alter pro malo in eremum dimittebatur qui ἀποπομπαῖος dictus.* Vide differentiam: alter Deo dicatus ad aram sanguine consecrabatur; alter, qui liber dimitti videbatur, maledictionibus onustus dimittebatur, vt vrsorum, ac leonum præda fieret in deserto. adeò pro Christo mori expedit, quam liberè in Mundo degere.

Libertas mundanorum inauspicata.

5 Exorabis *Sanctum sancti.*) *Grecè est τὸ ἅγιον: neutrum. an fortè Spiritus sanctus, hoc est τὸ ἅγιον πνεῦμα τοῦ ἁγίου θεοῦ Nota* æqualem cæteris personis Spiritum sanctum, seu sanctum afflatum sancti Dei, & vide vt alteri alter honorem deferat, quia vnum sunt in natura. Tum nota quàm sanctè, & castè adorandus sit is, qui *Sanctum sancti* dicitur.

Spiritus sanctus sanctum sanctum dicitur.

6 *Dedi vobis sanguinem ad altare Dei, vt exiret pro anima vestra.) Absurdissimum est vt sanguis pecoris exiret pro anima hominis, quæ mori non potest; cum manifestè dicatur ab Apostolo: illum sanguinem victimarum nihil profuisse pro peccato, sed significasse aliquid quod prodesset.* ad Christum igitur pertinet, vide igitur quãtum debeamus

Hebr. 10

Sanguis veterum victimarũ ideo gratus Deo, quia referebat sãguinẽ fili.

mus

mus Christi sanguini, qui exiit pro anima hominis, quæ perdenda erat. porrò si illo victimarum sanguine Deus adeò delectari videbatur, vt offerri diceretur *in odorem suauitatis*, solùm quia hunc repræsentabat filii sui, quid cum hunc ipsum inspicit pro nobis fusum?

7 Quærit, *Quid sibi vult quod eo sanguine sacrificii, quod pro peccatis offerebatur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis significabatur illud, de quo dicitur: Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis?* Dignum ait vt causa quæratur, nec tamen affert. forcasse dici potest in detestationē peccati Iudæorum, qui Christi sanguinem fusuri erant. vel indicatum est, peccatorem quandiu in peccato est, ab hoc diuino sanguine abstinere debere.

Cur sanguis in victimis vetitus.

Ioan. 6

8 Quærit, *Quomodo prohibebatur summus sacerdos inquinari super morte patris, si non succedebat nisi post mortem?* nodum non soluit. sed spiritaliter puto, quia figura ille erat nostrorum sacerdotum, vt etiam antequam initientur, omnis affectus doloris transeat in Christum crucifixum, cuius mysterium tractaturi sunt etiam à paterno affectu remoti.

Sacerdos omni humano affectu careat

9 De Leuitis dicitur: *vt custodient custodias eius, & custodias filiorum Israel ante tabernaculum testimonii. alii excubias interpretati sunt*: castrenses scilicet. ubi nota Dei seruos quasi militare sub Imperatore Deo: immo mulieres ipsæ natura imbelles, quæ excubare dicuntur in tabernaculo, hebraicè militare dicuntur, concepto virili robore.

Religiosonis excubiæ quasi castrenses.

Ex Quæstionibus in Librum Numerorum.

1 EXponit illud. *Et anima quæcumque peccauerit in manu superbiæ, ex indigenis, aut ex proselytis, Deum hic exacerbat; & exterminabitur anima illius de populo suo, quoniam verbum Dei contempsit.) Quæ sint peccata, quæ fiunt in manu superbiæ, id est superbia committuntur, Scriptura ipsa in consequentibus satis exposuit. vbi ait: Quoniam verbum domini contempsit. aliud est ergò præcepta contemnere, aliud magnipendere quidem, sed aut ignarum contra facere, aut victum.* rectè distinguit duplex peccādi genus, alterum ex fragilitate, alterum ex pertinacia, & contemptu, & hoc esse ait, quod dicitur. *Peccator, tum in profundum venerit malorum, contemnit.* hoc autem ex radice superbiæ oritur, dum peccator nullo modo vult subiici *Deo*, eique parere. vide igitur quantum mali sit superbia, & quanta cum execratione hic exaggeretur. nec tamen desperandum, sed ea deposita, de remedio cogitandum. itaque sic ait; *Hoc genus peccati non dixit vllo sacrificii genere purgari oportere, tanquam insanabile indicans, illa duntaxat curatione, quæ per sacrificia gerebatur, quæ si per ipsa attendātur nullo pacto possunt mederi; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, inueniri poterit purgatio peccatorum: & quia peccatum non potest esse non punitum, pænitendo sanatur; & ipsa afflictio pænitentis pæna peccati est, quamuis medicinalis, & salubris. hinc subiungit: Contritione conteretur anima illa, peccatum eius in illa.) quare contritione conteretur, consequenter adiungit, dicens: peccatum eius in illa; ac per hoc si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat pænitendo, cor contritum, & humiliatum Deus non spernet.* præclarus hic locus est de Sacramento pœnitentiæ, & de contritione, eiusquè motiuo, vt vocant: *Contritione conteretur anima illa, quia peccatum eius in illa*: hoc est, quia offensa Dei est, & vt dixit: *Deum exacerbauit*. & nota illam eiusdem significati repetitionem: *Contritione conteretur*: iuxtà phrasim hebraicam vim augendi habere, hoc est intensissimo actu doloris supra omne malum. sic dicitur: *desiderio desideraui, &c.* & rectè ait, illa sacrificia legalia ex se non habuisse vim ad purgandum peccatum, sed ea, quæ per illa significabantur, hoc est Sacramentum pœnitentiæ, contritionem, &c.

Superbus diuinæ legis contemptus execrabilis est.

Contritio de peccato quā acris esse debent.

2 Expendit illum sacrificij ritum: *Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ, & ponet extra castra in locum mundum.* hoc ad resurrectionis, ac decus refert. sequiturc *Et erit synagoga filiorum Israel in conseruationem, aqua aspersionis purgatio est.* postea declarat plenius, *quemadmodum ex illo cinere fiebat aqua aspersionis, vndè mundabantur à contactu mortuorum, quod vtiquè significat ab iniquitate moribundæ, vel mortiferæ vitæ. Sed mirum est quod sequitur: Et qui congregat, inquit, cinerem iuuencæ, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam. Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat? nisi quia & ii qui sibi videntur mundi in fide Christiana, se agnoscunt, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius.* Subiungit in hanc sententiam: *Quem non faciat intentum, quod post ablutionem de singulis quibusquè dicitur: Et immundus erit vsquè ad vesperam. Neque hic tantùm, sed in omnibus, aut penè in omnibus mundationibus hoc dicitur: Vbi nescio vtrùm aliud possit intelligi, nisi quod omnis homo post remissionem peccatorum permanendo in hac vita contrahit aliquid, vnde sit immundus vsquè ad eundem vitæ finem, vbi ei dies ille quodammodo claudi-*

Cur mundus accedens aspiratione dicitur, immundus recedere.

Nemo in hac vita sine inquinamento peccati

clauditur, quod significat vespera. acutè admodum adnotat, ac miratur, quid significet, quod qui accedebat ad illas expiationes, mundus accederet; & qui post illas mũdior dici deberet, diceretur potius immundus. quod ad superbiam infingendam refert, ne post bona opera perfectè iam mundos nos putemus: scriptũ est: *septies in die cadit iustus*. quid quod in ipsorum bonorum operum exercitio sæpè peccatur per distractiones animi, & negligentiam diuini obsequii? subindè rectè dicitur: *omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ*. huc etiam spectat illud. *astra non sunt munda in cõspectu eius.* rectè item ait, per aquã illam cinere inspersam lustrari qui mortuum contigerant; quod ad cupiditatem terrenarum rerum refer; per pœnitentiam enim, hoc est per lacrymas, & mortis memoriam hæc cupiditas rerum corruptibilium, quæ per morticinum significantur, expiatur. nota etiam quanta reuerentia debeatur reliquijs, & cineribus Martyrum qui pro Christo immolati sunt; si ipsum vitulæ cinerem immolatæ à mundo ministro colligi, ac seruari ritè iussit.

Honor exhibitur cineribus sãctorum.

3 Interpretatur illud: *Propterea dicitur in libro: Bellum domini Moab inflammauit) Hoc bellum eius loci propter magnitudinem bellum domini esse dixerunt, quod vel arserit eo bello ista Ciuitas, vel ad pugnandum inflammatur, hoc est excitatur.* notà; iuxtà hunc secundum sensum referri etiam potest pulchrè ad bellum, quod Ecclesiæ Doctores zelo diuini honoris inflãmati ineunt contrà hæreticos, vel prædicatione, vel calamo. hinc illa vox nostri ducis Ignatij ad milites suos, quos mittebat ad idololatriam, ad hæreses; ad vitia destruenda. Ite, incendite. rectè autem bellum domini dicitur, vel quia Dei causa agitur, vel quia magnum, & difficile iuxta phrasim hebraicam.

Bellum domini aduersus hæreses &c. inflãmare nos zelo debet.

4 *Propterea dicunt ænigmatistæ: Venite in Esebon &c.) Quia videntur quasi canticum dicere, quo cecinerãt bellum inter Amorrhaos, & Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorrhæorum Moabitas superauit; nõ incredibiliter putantur isti ænigmatistæ, sic tunc appellati, quos poetas nos appellamus; eò quod poetarum sit consuetudo miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. non enim aliter essent ænigmata, nisi esset illic tropica locutio, qua discussa perueniretur ad intellectum, qui in ænigmate latitarat.* nota quantò, & antiquior, & castior hæc poesis sit, quàm illa Græcorum, & hæc quidem elegans simul, & grauis, vt ex verbis hoc loco citatis apparet; nihil hic muliebre commemoratur. pulchrè autem per tropos ad intelligentiam abscõditi significati excitamur. *Ignis egressus est de Esebon, flamma de oppido Seõ. væ tibi Moab; periisti popule Chamos, &c.* rectè igitur dictum illud vel ab ethnico. Et prodesse volunt, & delectare poetæ.

Num. 21.

Poetæ obscæni taxantur

5 Balaam factum considerat, & exponit illa verba: *Et insurrexit Angelus Dei differre eum in via.) Græcè positum est διαβάλλειν, hoc est quod in consequentibus dicit Angelus: Et ecce ego exii in dilationem tuam. græcus habet: διαβολὴν, vbi fortasse accusatio congruentius intelligitur, vt hoc, quod dictum est: Differre eum in via, accusare accipiatur. vnde etiam creditur diabolus appellatus tanquam accusator: amat enim accusare, quippè inuidia stimulis agitatus. in comœdia quoque de patre irato dicitur filio: rationem sperat inuenisse se, qua differat te. velut hac, illac ferat tempestate verborum, quasi discerpat, ac dissipet, quod vtique accusando videbatur esse facturus.* nota cur diabolus appelletur hoc nomine, quia nos apud Deum accusat, varijs calumnijs, & argumentis nos differens, hoc est lacerans, ac discerpens quadam quasi *tempestate verborũ*: id apud ipsum Iob egit. Addit posse morando intelligi, *quia distulit Angelus.*

Diabolus quã acer accusator sit iuxtà suum nomen.

Teren. in Andr.

Num. 25.

6 Transit ad illud: *Et dixit Dominus ad Mosem: Accipe duces populi, & ostenta eos domino contra Solem, & auferetur ira animationis domini ab Israel.) Iratus est Deus de fornicatoribus Israel, & carnalibus, & spiritualibus; nam & filiabus Moab se impudicè immiscuerunt, & Idolis fuerant consecrati. in hoc autem verbo intelligitur, eos iussos esse crucifigi, & palàm: nam græcus habet: παραδείγμάτισον: quod dici posset exemplifica, quia παράδειγμα exemplũ est. Aquila vertit: sursum confige; Symmachus: suspende.* Vide quàm Deo displiceat, cum magistratus, & prælati non impediunt publica peccata. crucifixi sunt duces, & principes quia subditi *non crucifixerunt carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs*. & rectè ait: exemplifica; vt alij, qui præsunt, ab hoc exemplo discant iram Dei timere, ne malè subditis indulgeant. contra Solem autem, ex aduerso huius planetæ suspensi meritò, ob permissam impudicitiam in subditis, quia Sol munditiæ typus est, vndè dicitur: *ò quàm pulchra est casta generatio cum claritate*. Tum acutè quærit. *Quid opus erat, vt adhuc Phine es ad placandum Deum sic in adulteros vindicaret? si dicitur: Accipe duces populi, & ostenta eos contrà Solem, & auertetur ira animationis domini ab Israel.* conatur soluere difficultatem, & tandem ait: *hæc sanè seueritas illi tempori congrua, quantum malum sit fornicationis, & idololatriæ, prudentium fidei salutis euidenter ostendit.*

Sap. 4.

Cur principes suspensi contra solem.

7 Quærit, *Quid est, quod cum Deus præciperet Mosi de Iesu Naue, ait inter cætera: Et dabis de gloria tua super eum, vel, vt latini nonnulli habent, gloriam tuam:) siue gloriam*

Ignatius in apotheosi & in zelo animarũ Xauerium gloriæ sociũ habuit, vt Moses Iosue.

riam tuam dicat, non ideò non eam habiturus erat Moses; siuè de gloria, non ideo diminutum erat quod habebat. sic etiam accipiendum est, ac si diceret: facies eum sociũ gloriæ: non autem quod huiuismodi res quasi particulariter diuersæ minuantur, sed totæ sunt omnibus, totæ singulis, qui eorum habent societatem. pulchrè hoc ad Ignatium nostrũ facit, qui Mosi in multis similis fuit, prę sertim quia vterquè legislator fuit, & quia digitus Dei dictus; socium hic suæ gloriæ habuit Xauerium tanquam alterum Iosue prodigiis, & factis inclytum Apostolum. vnà autem ambo in sanctorum numerum sunt associati; ac præterea Ignatius in Societatem ipsam hanc gloriam transfudit, hoc est spiritum Apostolicum, & zelum animarum: & hoc ipsum verè gloriosum est, omnia ad maiorem Dei gloriam referre.

Dei vltio in eos quibus beneficiis vsi non sunt

8 Quærit, *Quomodo Balaam dicitur interfectus, quando Israelitæ Madianitas debellarunt, si superius, quando benedicere coactus est, concludit scriptura; & surgens Balaam abiit reuersus in locum suum etc.) an forte reuersus est ad Balac?* Vide vt perseuerans in prioribus vitiis, tandem non effugiat vltorem Deum. vates hic fuerat, & iumenti monito territus, & apparitione Angeli affectus &c. sed quia non resipuit, malè periit.

Diabolus conatur infirmare hominem per infrequentiã Eucharistię.

9 Quęrit, *Cum iam dixisset: prędã egerũt mulieres, & omnia quæ possiderent; quid deinde addit? Et virtutem eorum deprædati sunt? an fortè cibus, quo sustentabatur, virtus eorum appellatus fuit? vnde per prophetam Deus minatur: Auferam virtutem eorum, panem.* nota, cum dictum esset deprædatos omnia quæ possidebant, tamen singillatim addi de pane, quasi pręcipuum esset inter tot opima spolia: igitur diuinum panem, & Eucharistiæ frequentiam tollere, ac deprędari maximè conatur diabolus, quia in hoc pane omnis virtus in bellando consistit; nam de hoc dicitur mysticè: *Panis cor hominis confirmet.* ac Deus permittendo; *Auferam,* inquit, *omne robur panis*. denique Elias in virtute cibi illius, qui hunc diuinum referebat, tantum virium sumpsit, vt tenderet vsque ad mõtem Dei Oreb.

Viri apostolici superna virtute muniti esse debent.

10 Quærit, *Quid est: & misit eos Moses mille ex tribus, & mille ex tribus cum virtute eorum.) Vtrùm virtutem eorum vult intelligi principes eorum, an virtutem à domino ipsis datam?* egregiè interpretatur quid sit misisse millenos ex singulis tribubus cũ virtute eorum. potest enim intelligi misisse tribus cum ducibus eorum, duces enim cum & consilio, & fortitudine valeant, sunt quasi robur exercitus, quod etiam ad prælatos refer. vel misit eos gratia diuina armatos, quod pulchrè ad Apostolos pertinet, quibus dictum: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes &c. vsq; ad vltimum terræ.* idem de Apostolicis viris dicendum, qui ad hæreticos, vel idololatras cõuertẽdos, hoc est diaboli regnum expugnandum mittuntur, neque enim exarmati ad tantum bellum ire debent, sed Spiritus sancti virtute & feruore, ac zelo, & ceterarum virtutum præsidio muniti. huc etiam facit illud: *Dominus dabit verbũ euangelizantibus virtute multa.* mox subiungit: *& speciei domus diuidere spolia.* quod ad eosdem prędicatores pertinet onustos spolijs gentium, quas Christianæ fidei subiecerunt.

11 Cum Balaam loquitur Deus, nec ideò gloriandum ait; nam & apud Lucam cuidam dicit: *Stulte hac nocte repetent animã tuam.* hinc disce ex visionibus etiam diuinitùs factis non colligi sanctitatem. tutius est uidere se ipsum per cognitionem sui, quàm aliena sine profectu.

Sanctitas nõ est posita in visionibus.

12 Addit: *Permisit dominus Balaam ire, vt per iumentum, quo vehebatur, eius auaritia coerceretur:* hoc ipso confundens eius dementiam, quòd prohibitionem domini transgredi asina non auderet. subiungit: *Nihil hic sanè mirabilius videtur, quàm quod loquente asina territus Balaam non sit, sed insuper ei velut talibus monstris assuetus, ita perseueranter responderit. postea & isti Angelus locutus, quem visum ex territus adorauit.* nota quàm uerẽdus sit Angelicus aspectus; nã q tãto mõstro nõ est territus; ex Angeli præsentia expauit: adeo etiam stupentem hominem perculit. De eodem tamen Balaam ait, reprobum deinde manifeste, vt patet ex Petri Apostoli dictis: *mercedem iniquitatis amauit &c.* ubi uides nihil profecisse senem tot miraculis, tam pertinacem reddidit auaritia.

Angeli præsentia quantum venerationis excitet.

Auaritia Balaam incorrigibilem fecit.

Petr. 2.

13 *Insurrexit Angelus Dei differre eum in via.) græcè* διαβάλλειν, *hoc est accusare.* διαβολὴ *græcè accusatio est, unde creditur diabolus appellatus, quoniam amat accusare, utique inuidiæ stimulis agitatus.* hinc colige quàm affines sint diabolo detractores. apud Aristophanem in Equitibus inuenitur etiã superlatiuũ, διαβολώτατος, quasi dicas, plusquam diabolus: huiusmodi sunt nonnulli pessimi calumniatores.

Diabolus ab accusando dictus.

14 *Balaam iste tanta cupiditate ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terreretur, & responderet quasi ad hominem loqueretur.* Vide quàm stupidum reddat auaritiæ peccatum, & insensatum; stultior hic visus, & stupidior, quàm animal brutum: atqui auari putant se prudentes, & cõsilii plenos.

Auarus stultior quam bruta.

15 Pergit in eodem. *Asina reprehendens Balaam, Illud fortasse præfigurauit, quia stulta Mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* certè qd præstãtius propheta, & quid stultius iumento? huc ego refero asini maxi-

Deus per minima confundit maxima

maxillam pro gladio fuisse Samsoni aduersus tot hostes interimendos. quis autem glorietur in se aliquid præstans esse, atque præstabile ob egregia facta, cum meminerit etiam per iumenta Deum tam mira operatum? dicat potius cum David: *sicut iumentum factus sum apud te &c. & cum gloria suscepisti me.*

Ex quæstionibus in Deuteronomium.

Cooperandum est cum gratia.

Victoria Deo tribuenda etiam si cooperemur.

1 *IN eo, quod commemorat Moses, dixisse populo: ne timeatis, & dominus debellabit eos vobiscum, satis ostendit ità esse Deum adiutorem, vt etiam homines agant aliquid*. egregius hic locus est, & valde notabilis. non simpliciter ait, Dominus debellabit, aut vos debellabitis, sed *dominus debellabit vobiscum*: requirit enim Dei gratia cooperationem nostram; sed præcipuus auctor est *Deus* victoriæ, ideò dicitur: *Dominus debellabit eos vobiscum*: non autem vos debellabitis eos cum *Deo*.

Cur homo dicatur non solum ad similitudinem sed ad imaginem Dei factus.

2 *Non feceritis vobis ipsis sculpturæ similitudinem, aut omnem imaginem.) Non video quid interesse voluerit inter hæc duo, nisi aut vnam rem significet, aut similitudinem dixerit; si verbi gratia fiat statua, vel simulacrum habens effigiem humanam, non tamen alicuius hominis exprimantur lineamenta, sicut pictores, vel statuarij faciunt, intuentes eos, quos pingunt, vel fingunt; hanc enim imaginem dici nemo dubitat; secundùm quam distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago.* igitur homo dicitur factus ad imaginem Dei, tanquam expressis lineamentis, vt ità loquamur, ex *Dei* vultu, vulgo, Ritratto. addit *Augustinus*: *harum aliæ sunt eiusdem substantiæ, sicut filius; aliæ non eiusdem, sicut pictura. vnde illud: fecit Deus hominem ad imaginem Dei: ita dictum est, vt non eiusdem substantiæ sit imago, non enim facta, sed genita diceretur.* acutè adnotat: vide autem quàm perfectè nos Deus efformet, non solùm ad similitudinem, sed ad imaginem, vt ipsius quodammodo lineamenta exprimãtur, quæ sunt bonitatis, puritatis, misericordiæ, &c.

Incarnationis beneficium eximium.

3 *Interrogate dies priores, &c. à summo cælo vsque ad summum cælorum.) cur non ait à summo terræ, vsque ad summum terræ? nisi fortè hic nec in hominibus, nec in Angelis auditum esse vult intelligi, quod in hoc populo factum singulariter commendat: si audiuit gens vocem Dei loquentis è medio ignis &c.* vide singulare beneficium, quia quædam incarnationis figura illa fuit, at nec Angelos apprehendit.

Iustitia ex fide nostra non per naturam, sed per gratiam est.

4 *Quid est quod ait Moses sibi dictum à Domino. Quis dabit esse sic cor eorum eis, vt timeant me, & custodiant mandata mea? an vult intelligi Gratiæ suæ conferri hoc beneficium, vt sit in hominibus iustitia Dei ex fide, non quasi propria velut ex lege? huc refer quod sequitur: scias, non propter iustitias tuas dominus dat tibi terram istam hæreditatem, quoniam populus dura ceruice &c. certè isti sunt qui propterea non meruere perire in deserto, quia nescierunt dexteram, ac sinistrã; ecce iam dura ceruice apellantur.* pulcher locus de Gratia: ostenditur enim per hanc innocentiam acquiri, non per naturam, quæ potius cum sit corrupta, *Gratiæ* aduersaria est.

Homo cooperator est adiuuãtis Dei.

Cur primæ tabulæ à Deo secundæ à Mose scriptæ

5 Quærit, cur primas tabulas Deus fecit, & scripsit; secundas Moses excidit, Deus scripsit? *Quia homo per fidem suscipiens Gratiam Dei, pertinet ad testamentum nouum, cooperator est adiuuantis Dei. ideò verò in primis nullum opus hominis commendatur, quia infideles non cooperantur adiutorio Gratiæ, sed iustitiæ Dei, quã ignorant, non sunt subiecti; vnde illis lex ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum.* acutè animaduersum. & nota, in secundis tabulis, quæ ad nouum testamentum pertinent, Mosen cooperantem fuisse excidendo lapides pretiosos, expoliendo &c. vt apti essent digito Dei scribentis, & has postea remansisse, vt cooperandum Deo esse intelligeremus; & agnoscendo aliquid etiam proprium, gratiores illæ tabulæ essent.

6 Quærit, si dixit Deus ad Mosen: *excide tibi duos lapides &c. & scribam in tabulis verba. cur paulò post ad Mosen dicitur, vt ipse scribat? scribe, inquit, verba hæc &c. Ideò superius Deus se promisit scripturum, vt significetur quod ait Apostolus ad Philip. Deus enim est qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate &c. operatur ille, cooperamur nos: nõ enim aufert, sed adiuuat bonæ voluntatis arbitrium*: egregiè, & acutè adnotat, cur, cum Deus dixerit de secundis tabulis, ego scribam, postea dixerit, scribe: vt scilicet indicetur operatio *Dei*, & cooperatio nostra in bono; & Dei gratiam, & auxilium non impedire arbitrium, sed iuuare.

Ps. 72.

Christiani per leuitas significati Deo addicti.

7 *De Leuitis dicitur. Dominus pars eius erit. Nisi hæc pertinerent ad nouum testamentum, non diceret David, qui non erat ex tribu Leui: pars mea dominus, & dominus pars hæreditatis meæ.* sed nimirũ Leuitica tribus, vpote *Deo* dicata, homines noui testamenti figurabat, quorum personam David exprimebat ijs verbis, vt Leuitarum more diuinis rebus essent addicti. rectè igitur interpretatur, pios Christianos olim Dauidis fore imitatores, vt seculares ipsi per pietatem, nõ minus quàm Leuitæ, Deo

dicati

dicati, & deuoti videantur, imprimis reges ipsi vt erat Dauid. hinc apud aliquas nationes iidem & Sacerdotes erant, & Reges.

Ex minoribus gradus fit ad maiora delicta.

8 Non multiplicabit sibi vxores, vt discedat cor eius.) Regi hoc edicit ob periculũ idololatrãdi, ut accidit Salomoni. *Videtur hoc præcepisse, nè multiplicando perueniret ad alienas etiam fœminas.* Vide quo tandem libido ducat, ad idololatriam ipsam; testis est Salomon vxorius, qui apud Ierusalem templa exteris Diis erexit. nota item, quædam etiam non apertè illicita, ut olim, fugienda, si iis gradus fieri possit ad illicita. præterea Reges ac principes præcellere debere castimonia subditis, & arctiore teneri vinculo.

Cur virga Aaron nuces protulit vnà cum floribus.

Sacerdos et flores simul, & fructus habere debet.

9 *Virga Aaron flores, & nuces attulit.)* ità legit, vbi nos, amigdalas. nota: nux ad sacerdotium pertinet, quia intus suauitatem, & dulcedinem habet, corticem autem amarum. item simul, & flores, & fructus sacerdos habere debet, vt exteriora ipsa opera decus, & pulchritudinem habeant verni temporis, vnà cum autumno fructifero.

Cooperatio nostra cum gratia.

10 *Dominus Deus vester, qui præcedit vobiscum, simul debellabit vobiscũ inimicos vestros, & saluos faciet vos:)* eccè quemadmodum in spirtalibus conflictionibus sperandum, & petendum est adiutorium Dei; non vt nos nihil faciamus, sed vt adiuti cooperemur, sic enim ait: debellabit vobiscum, vt & ipsos acturos quod agendum esset, ostenderet. refer ad hoc ad cooperationẽ nostrã cum Deo operante, quod & supra ponderauimus.

Religionis militię adscribendi ut probã di experimentis.

Tria noua religionis opposita militiæ impedimentis.

11 *Quis est homo ædificat? &c.) Quoniã his rebus tenetur humanus affectus, ad hoc ista dicuntur in bellũ procedentibus, vt quisquis animo hoc tenetur, appareat, cum reuertitur; nec propter hoc minus fortiter agat, dũ timet nè ante moriatur quàm domum dedicet, aut de nouella vinea sua bibat, aut sponsam suam duxerit. itaque hæc instituta sunt propter virorum animos explorandos.* huc refero, quod Christus ipse se sequi volentem, hoc est religionem ingredi, comparat cum Rege ituro committere bellum aduersus alium Regem. tria sunt, quæ hanc militiam inituros inpediunt: noua domus, noua vinea, noua sponsa. nam religiosus obstringit se tribus votis, paupertate, cui obstat commoditas nouæ, & amplæ domus; obedientia, cui obstat libertatis dulcedo, per vini suauitatem significata; castitate, cui obstat coniunctio thalami; nota item illud ad explorãdos animos factum, quæ exploratio maximè necessaria est de iis, qui ad religionem sunt ingressuri, vel in eius tirocinio probantur experimentis variis, vt commodis propriæ domus carere discant, & libertatis dulcedine, & concupiscentiam frenare.

Excommunicati inter viuos non numerandi

12 *Morietur fur ille, & auferetis malignum à vobis.) in græco, est articulus* τὸν πονηρόν, *idest hunc malum. ex quo apparet, eum voluisse intelligi, qui aliquid tale contraxit, vt excommunicatione dignus sit; hoc enim agit nunc in Ecclesia* excommunicatio, *quod agebat tunc interfectio.* rectè gladium Ecclesiæ esse excõmunicationem aduotat. nam vt mortui à viuis, ità excommunicati ab aliis fidelibus separantur, ac proinde pro mortuis reputandi.

Cum debitore non est seuerius agẽdum

13 *Non immeritò videtur ad opus misericordiæ pertinere, vt non intraret pignerator domum, nè fieret perturbatio debitori.* puto hoc pertinere etiam ad modestiam virginum, & vxoris, nè non tàm repetere res suas, quàm appetere aliena videretur. vide autem quanto cum respectu agi iubeat etiã cum debitore. quid mirum? cum & de ipso Deo dicatur. *tu autem cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Sap. 12.

Egenorũ quanta sit cura habẽda.

14 *Iubet egenti pignus eadem die restitui, vt in eo dormiat qui non habet, vbi dormiat. Cur non potius creditori præcepit, vt nõ auferat pignus, si eodem die oportet, ut restituat? an hoc fieri uoluit propter memoriam, nè obliuisceretur reddere?* vide quanta cum sollicitudine egenis consulendum sit, etiam somni ac requiei habita cura. hic tamen tam prouidus in alios legislator de se ait *filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*; & pacta inter carnifices veste, nudus de cruce pependit: proh pietas.

Exo. 1.20

Septenarius cur perfectus.

15 *Cur dicitur Deus reddere peccata patrum in filios usque ad tertiam, & quartã generationem, prætermissa prima, & secunda, & ceteris posteris? an per hũc numerum, quia septenarius intelligitur, uniuersalitatem significare uoluit? ideò namque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternario scilicet, primo impari toto, & quaternario primo pari toto.* acutè interpretatum atque ita illud interpretari possumus. *septies in die laudem dixi tibi.* cum tamen alibi dicat. *lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.* Psal. 34

1.To. 15

Viduarum propria paupertas est.

Viduarum munificentia in pauperes, et res sacras

16 *Non pignorabis uestem uiduę.) satis eleganter admonet eas uerè dicendas esse uiduas, quæ pauperes sint; id enim ostendit Apostolus: quæ autem, inquit, uerè uidua est, & desolata, sperabit in dominum, & persistet in orationibus nocte ac die: hanc uerè uiduam dixit, quę non habet, à quibus sustentetur; pauperi igitur non est auferendum uestimentum: nec ait, multa uestimenta, nec argentum &c. sequitur: quę autem in deliciis agit, uiuens mortua est.* nota, idem est dicere viduam, ac pauperem: adeò quæ iam viro caret, etiam carere debet omni luxu. laudandæ certè huiusmodi viduæ, quæ vel in egenos, vel in sacros usus impendunt sua; nec modò vt vult Apostolus, *persistunt in orationi-*

bus

bus, sed loca ipsa orationis extruunt, magnifica excitāt templa, ararum ornaméta cōtexunt, &c. sibi vix necessaria reseruāt.

17 De relinquendo manipulo in messe, vel oliua, vel vua, quæret aliquis, *Quid si hæc, quæ ab agrorum domino dimittūtur, non egentes, sed improbi colligant? sed considerandum primò, illum misericordiam facere, qui hoc animo dimittit, vt egentes habeant: deinde admoneri simul eos, qui non indigent, ista non quærere. nam vtrumque dicitur, & à quibus dimittenda sunt, & quibus.* addo certè in oliua par est misericordiam exhibere, cuius est symbolum, sine disquisitione curiosa personæ.

Nondisquirēdū, an vere egeat pauper.

18 *Cur prohibet in dextera, aut sinistra ire in Deos alienos, cum (dextera in laude ponatur? Vias, inquit, quæ à dextris sunt, nouit dominus; peruersæ autem sunt, quæ à sinistris; at Deorum cultus nunquam laudabilis; sed aut terrena loca significata sunt; quia & in dextera, & sinistra habebant gētes alios Deos colentes; aut nec eorum causa, quæ propter felicitatē approbantur, nec eorū, quæ propter infelicitatē fugiuntur, colantur; vel nec consulantur, quia prosint; nec placentur, ne noceant; nec in dextera existimet homo ex ipsis fieri beatū, neq; in sinistra fieri miserum, vt ad hæc eos colāt, vt auertāt; vel nec propter æterna bona, nec propter tēporalia colantur* acutè, & eruditè adnotat, cur in Deorū cultu vetet nō sinistrā modò sedd ex terā. huc refero veterū morē, qui & Deā febrim colebāt, & ex aduerso Higiam, seu sanitatē, item Deā, & similes).

Prou.4.

Deorum cultus omni ex parte damnatū, uel in prosperis.

19 Exponit illud Prophetæ, *Et nō dedit Dominus Deus vobis cor scire.) Nullo modo increpans, & arguens hoc diceret, nisi ad eorum culpam pertinere intelligeret, ne quisquā se ex hoc excusabilem putet; simul ostendit, & sine adiutorio domini eos intelligere, & obedire non posse. & tamen si adiutorium Dei desit, nō ideò esse excusabile hominis vitium, quoniam iudicia Dei, quāuis occulta sint iusta sunt.* vide vt beneficium Dei sit habere cor sciens, non enim ingenio, & prudētiæ humanæ tribui debet cognitio, & effectus verbi boni. egregiè autem ait, esse homini occultū cur Deus aliquando non tribuat gratiam efficacem, nam sufficiens semper præstò est, ac proinde inexcusabilis est peccator.

20 *Et circumpurgabit dominus cor tuū diligere dominum Deum tuū ex toto corde tuo, vt viuas.)* sic legit. *euidens pollicitatio Gratiæ. promisit .n. Deus se esse facturum, quod solet iubere, vt fiat.* acutè, & præclarè notat. iubet Deus circumpurgari cor, tamen dicitur, *circumpurgabit dominus:* nimirū quia id nemo ageret sine Gratia, & auxilio ipsius. nota etiā cor nostrum esse, vt est in adagijs, velut Augiæ stabulum, quod purgatum inter Herculis labores numeratur; itē cor nostrum omni ex parte egere purgatione, quasi vndiq; sordes terrenarum affectionū cōtrahat, ideò dicitur, *circūpurgabit.* deniq; nota dilectionem, charitatem, & amorem in Deum nō residere in corde, nisi circū purgatū sit: est .n. amor hic purissimus, & vt Noetica colūba, q̄ limo inuēto insidere noluit.

Gratiæ necessitas in præceptis seruādis.

Cor nostrū quasi Augiæ stabulū circum purgādū.

Dei amor non residet in corde purgato.

21 *Illa verba declarat: Hoc mandatū non est supra modum, non in cęlo, neq; trās mare; prope est valde in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud) hoc esse Verbum Dei dicit Apostolus, quòd ad nouū pertinet testamentum. corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem.* subiungit. in hebræo non est, in manibus, sed addiderunt 70. *vt significarent ipsa opera in corde accipi debere, vbi est fides, quæ per dilectionem operatur.* vide facilitatem in seruāda Dei lege propter abūdātiā gratię nouæ legis, & lumen in cognoscenda Dei veritate, quam Philosophi maria trāsfretantes non inuenerunt. acutè item adnotat coniunctionem cordis, & manuum, quia cum affectu operari debemus, cuius typus est cor; vt manus operis.

Facilitas cognoscēdæ veritatis in noua lege.

Rom 10. Cum cordis affectu operadū est.

22 Exponit illud psalmi: *peccauerunt non ei filij vituperabiles.* sic legit, vbi nos in sordibus, *græcè est τέκνα μωμητά* quidam habent: *filij cōmaculati. dicitur, peccauerunt non ei, quia qui peccat, non Deo, sed sibi nocet. sed cur Dauid ait: tibi soli peccaui? & in libro Regum; si in Deum, inquit, peccauerit homo, quis stabit pro eo? mihi videtur peccare in dominū dici de ijs, qui piā pęnitētiā peccati sui nō agūt, vt glorificetur ignoscēs Deus. at Dauid dicit, peccaui tibi, & subdit, vt iustificeris, & vincas; & alibi peccaui domino: quasi qui vulneratus, vt sanetur, subdit se manibus medici, vt in eo medicinæ opus impleatur.* acutè, & pulchrè notat, cur qui nō agunt pęnitētiā, Deū tā grauiter offendere, & in Deū peculiariter peccare dicātur, quia nimirum per ipsos, *non glorificatur ignoscens Deus*: redundat enim in Dei gloriam conuersio peccatoris, & acceptatio Dei miserentis.

Peccator non Deo, sed sibi nocet.

Psal. 51. 4. Reg.

Impenitētia grauis est tollens gloriam Dei miserentis.

23 *Dominus ex Sina venit, & ex Seir illuxit nobis; festinauit ex mōte Pharan. ad dexterā eius Angeli cū eo, & omnes sāctificati sub manu suas.)* sic legit. *hęc prophetia ad nouū populū pertinet, quē dominus Christū sāctificauit. nā si de lege in Sina loqueretur, nō addidisset, ex Seir, qui est mōs Iudęa, vbi regnauit Esau; ex Sina Christus venit, quę interpretatur tētatio, .s. passionis, crucis, mortis. ex Seir alluxit, qui mons est Esau.* acutè adnotat. nēpe vt peccatorē significaret, vel gentilitatem: Pharan verò scilicet fructifer mons Ecclesia est. nota aduētum Christi ex Sina esse, idest tentatione, mortis, crucis, &c. statim enim incarnatus hæc sibi proposuit, *expirans à pueritia mea.* vt alij legunt illud, *In laboribus à iuuētute mea.* & rursus q̄a, *ex Sina venit,* q̄ *interpretatur tētatio,* rectè igitur sequtur, *ad dexterā eius Angeli cū eo:* nā post tēta-

Tota Christi vita agonia fuit.

Christi tentatio in deserto ab Angelis honorata.

Humilitas in sanctis omnibus

tionẽ in deserto dicitur, *& ecce Angeli accesserũt, & ministrabãt ei.* præterea quàm præclarũ illud, *& omnes sãctificati sub manus eius*, quod sic interpretatur, *hoc est non superbientes, & suam iustitiam volentes constituere, sed agnoscentes gratiam Dei, vt iustitia Dei subiecti.* rectè notat illud: *sub manus eius*: quanquam, & *iustorũ animæ in manu Dei sunt.* sed submissionẽ denotat, & hanc in omnibus sãctis. quid mirum? quando & Ezechielis Cherubim licet essent pennati, tamẽvt volarẽt, egebant manu, quæ pennas ipsas eleuaret, *& manus hominis sub pennis eorum.* & sub ea manu erat subiectum corpus. adeò ipsi Angeli egebant manu hominis, sed hominis Dei? nam Angeli ipsi per gratiam Christi sanctificati sunt. puto etiam protectionem significari posse iuxta illud. *In vmbra manus suæ protexit me.*

Esai. 9. 24 *Et erit in dilecto princeps.*) *Ipse vtique in dilecto populo princeps erit dominus Iesus, congregatis principibus populorũ, idest gentium simul cum tribubus Israel.* nota vt ij principem Christum habeant, qui ab ipso ob præceptorum obseruantiam diliguntur.

Populus Christianus dilectus dicitur.

Ex Quæstionibus in Librum Iosue.

1 *IN furto Achan ostenditur, quàm connexa sit in populi societate ipsa vniuersitas, & non in seipsos singuli, sed etiam tanquam partes in toto existimentur. simul etiam significatum est, quantum mali fieret si vniuersa illa multitudo peccasset.* notabilis locus ad religiosos maximè pertinẽs: vnius inobseruãtia omnibus nocet, Deũ irritat. quid si tota cõgregatio, vel magna eius pars, relaxata disciplina, ab exacta regularum obseruantia desciscat? non sic Rechabitæ, qui ex instituto absthemii adduci non potuerunt, vt vinum biberent, etiam dispensante Deo per Ieremiam. ob quem exactæ virtutis actum ab eo audierunt. *pro eo quod obedistis præcepto patris vestri Ionadab, & custodistis omnia mandata eius: propterea hæc dicit dominus: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* vide vt religionis perpetuitas detur in præmium obseruantiæ regularis. puta idem de patriarchis dictum.

Cap. 4.

In congregatione unius delictum omnibus nocet.

Religionis perpetuitas pẽdet ab obseruãtia regularũ

2 Quærit, si Deus iussit Achan cremari, cur Iosue lapidari? cum nemo esset ipso, vel sapientior, vel obedientior. nimirùm: *Ignis nomine pœnam potuisse significari, scriptura testis est; eduxit*, inquit, *vos de fornace ferrea Aegypti, hoc est de dura tribulatione.* vide quàm acerbum supplicium sit ignis, vt per eum sæuissimum quodq; supplicium intelligatur. quàm igitur admirabilis Laurentius, & similes: immò Apollonia, quæ in ignem insiliit non expectans carnifices. His addit. Si Achan non est æterna morte damnatus, rectè illa pœna dicitur ignis. *eleganter enim agnoscitur, illa pœna hominem, ne in peccato illo interiret, fuisse purgatũ; quod significant vasa illa in leuitico, quæ iubentur igne purgari.* acutè notat, cur lapidatio dicta sit ignis, quia per eam pœnam purgatus est Achan: ignis enim proprium est purgare. atque ità effugit æternam mortem, & certè non nisi pœnitentis sunt illa verba. *verè ego peccaui domino Deo Israel; & sic, & sic feci.* igitur pœnæ, quas æquo animo in hac vita patimur, ignis dici possunt, quæ pro purgatorio igni sunt pœnitentibus. Nota etiã, quàm cautè loquatur Augustinus; non enim pro certo constituit vtrùm incurrerit æternam damnationẽ, etiam tanti delicti reus, potuit enim conteri. Pergit. *si autem tale fuit illud peccatũ Achan, propter quod eum etiam post hãc vitã gehẽna susciperet, ideo Iosue voluit eum lapidari, vt quod dictũ est: Igni cremabitur, illud admoneret intelligi, quod dominus faceret, nõ quòd ab ipso faciendũ. ac tum quod de eius filijs dicitur, de operibus esset intelligendum; nõ enim ob patris peccatũ filii sunt æterna morte damnati, licet temporalẽ passi mortẽ; nã hæc indifferens est. quo ergo iudicio Dei vel misericordia fuerit ei pœna irrogata, siuè filiis eius, siuè triginta sex viris, cũ omnes à peccato eius alieni fuerint, latet apud eum, apud quẽ nõ est iniquitas, mors quippe ista, quæ omnes manet, accelerata quibusdã est vtilis. raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius.* nota nihil mali suspicandum in calamitosis. sed reseruanda hæc sunt Dei iudicio.

Deut. 4.

Ignis antonomastice pro pœna grauissima vt lapidatio est.

ralis pœna pœnitenti pro purgatorio est.

In alienis calamitatibus non est male suspicandum.

3 De Gabaonitarum facto sic. *Acceperunt saccos veteres super humeros suos.* alii vertunt, asinos, ob vocum vicininitatem. *græcè ὤμου, & ὄνου, non multum ab inuicẽ dissonãt, quorũ prius humerorũ nomẽ est, alterũ asinorum.* nota, certè vtriq; labor cõuenit, & onus vtrũq; habes, cũ dicitur. *Issachar asinus fortis. supposuit humerũ suũ ad portãdũ &c.* lepidũ est illud Ptolomei, cui cũ allatus esset liber περὶ τοῦ πόνου .i. de labore, abrasit primã literã, & reliquũ est ὄνου .i. de asino; quasi labor huic proprie cõueniret, quã igitur vilis est homo, de quo itẽ ait: *homo nascitur ad laborem.*

Humerus, & asinus similes uoces græce.

Per dominũ factũ, cõfortari cor eorũ, vt irẽt ad bellũ.) *Diuino aliquãdo iudicio iustè fieri minimè dubitandũ est, cũ deserit Deus, & possidet inimicus.* vides, vt bella disponãtur à Deo; quãto magis, quæ in hæreticos indicũtur, nõ armis modò sed doctrina?

Bella a Deo disponuntur.

4 Meritò quæri ait, quomodo dicitur, *& dedit dominus Israel omnẽ terrã, quã iurauerat dare patribus, & hæreditatẽ eorũ.*) *si non oẽs eradicauit. nec tẽpore Iosuè, nec postea: restat ergo vt secundũ hoc intelligatur, quia & si adhuc erãt ex illis gentibus reliquiæ cõterendæ, & exterminãdæ, tamẽ in usũ eorum*

Ipsa exercitatio uirtutis est eius acquisitio, & possessio

eorum relicta sint, in quibus exercerentur, ne carnalibus affectibus, & cupiditatibus, infirmi prosperitatem salubriter sustinere non possent, sed elati citius interirent: omnis ergo illis terra data est, quia & illa pars quæ nondum fuerat ad vtilitatem data, iam data fuerat in quãdam exercitationis vtilitatem. pulchrè notat, ipsam exercitationem virtutis esse quodammodo acquisitionem, & possessionem. huc refero illud Scipionis, qui in qualibet sententia, quam diceret in senatu, addebat in fine: hoc censeo, & Carthaginem non delendam: cum Cato contra diceret esse delendam; & sanè vbi Carthago deleta est, quasi palęstra virtutis amissa, Roma in exitiũ ruit.

Cur Deus promissã terram dans reliquit hostes nonnullos.

Iono 21.

5 Moriturus *Iosue* sic effatus. *Ego recurro viam, sicut & omnes qui sunt super terram.*) *in Hebręo est: ingredior. recurro, dictum, vt illud*: *Donec reuertaris in terrã, vnde sumptus es, secundùm corpus; secundùm animam vero, vt illud Ecclesiast.* 12. *spiritus reuertetur ad Deum, qui dedit eum: de ijs tantùm arbitror posse dici, qui sic vixerunt, vt ad Deum redire mereantur tanquam ad auctorem, à quo creati sunt. contrà de improbis dictum: spiritus ambulans, & non reuertens.* pulchrè adnotat iustos propriè in morte dici redire ad Deum, quia ab eo recipiendi, qui eos creauit. subiungit, quod hic, recurro, est pro excurro, nam Iosue addit: *sicut & omnes qui sunt super terram. græcè* ἀποτρέχω, *idest recurro.* vide quid præsens vita sit, celer cursus ad mortem. ipse Iosue, qui Solis cursũ, qui temporis est mensura, stare iussit, effi cere nõ potuit, ne sibi vitæ tempus excurreret. quod si de spiritu intelligamus, recurrit ad *D*eum hominis iusti spiritus tanquam riuulus ad mare, vel elemẽtum ad centrum suum, vel athleta ad metam excurso stadio, vt brauium accipiat. vnde illud Apostoli. *cursum consũmaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*.

Præsens vita perpetuus, & celer cursus.

C.17,

6 *Et bellauerunt aduersum vos, qui habitabant Hiericho.*) *Quæri potest quemadmodum verum sit, cum clausis portis se murorum ambitu tantummodo tuerentur? sed hoc ipsum claudere aduersus hostem portas ad bellum pertinet.* acutè: sic claudere portas sensuum bellare est aduersus diabolũ: non illi tela iecerunt, non gladium acuerunt, & tamen bellasse dicuntur, solùm claudendo portas: similiter &c.

Claudere portas sensuum est bellare contra diabolũ.

Sap 12.

Psal 77.

7 Quærit, Cur *dicitur: Misit ante vos vespas, & eiecit illos; quod idẽ alibi legitur; nec tamen vspiam factum commemoratur? an fortè trãslato verbo intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quasi volantibus rumoribus pungebantur; vt fugerẽt? an aerios spiritus, quod in psalmo dicitur, per Angelos malignos?* nisi fortè non omnia scripta sint, & verę vespæ fuerint. vbi nota timidas impiorum cogitationes esse quasi vespas, quibus molestè compungũtur. verba scripturæ sunt. *misisti antecessores exercitus tui vespas*. hoc est rumores illos de exercitu adueniente, qui timorem incutiunt. huiusmodi timores impios excruciant de superuenturo iudicio, & pœnis inferni &c. nota item vespis assimilari malignos spiritus quadam apium similitudine, nempe Angelicæ naturæ, sed hi molestissimi sunt aculeis tentationum, & stimulis carnis, adeò vt nec Paulo Apostolo parcerent. sed cur in *A*egyptios Immisit vespas? quia hæc nascuntur ex cocodrilis, vel equi cadaueribus cõsumptis, *A*egyptij autem cocodrilum, vt *D*eum colebant; equis etiam confidebant, cui & Pharao similis ob superbiam insidebat persequens; iuxta illud: *equum, & ascensorem deiecit in mare.* inde igitur infestati, & cruciati, vnde fiducia illis erat. sed cur additur: *vt paulatim eos exterminarent*: cur non omnes statim? an vt maior esset dolor, si paulatim alij alios successiuè viderent oppressos? an vt alij pœnitentię spatiũ habere possẽt, si vellẽt?

Aculei malæ consciẽtiæ vesparum plaga sunt.

Dæmonum tentationes quasi uesparum aculei.

Cur Deus paulatim non simul omnes aliquando puniat.

8 Quærit, *Quid est quod dicit Iosue ad populũ. Nõ poteritis seruire Deo, quia Deus sanctus est? an quia illius sanctitati perfectã seruitutẽ, quodammodo contemperari humanæ fragilitati quodammodo impossibile est?* præsumebãt autẽ, illi id se posse ex sua iustitia. vides autẽ quàm lõge absit omnis creaturę sãctitas à diuina; & quã imperfecta sit Dei seruitus vel in religiosis, vt nullus sit tumori locus. rectè enim dictum. *omnes iustitiæ nostræ sicut pãnus mẽstruatæ.*

Deo seruire dignè nemo potest.

9 Quærit, cur dicat *Iosue. Circũ auferte Deos alienos, qui sũt in vobis.*) nõ enim credẽdi sũt habuisse simulacra, cũ suprà eorũ laudarit obediẽtiã. itẽ si sòlùm furtum *A*man sic punitũ est, quãtò magis hoc scelus fuisset? præterea iã ea dederãt olim Iacob, cũ exierũt de Mesopota mia, vbi sic idola colebãtur, vt & Rachel paterna furaretur. *proinde propheta sanctus in cordibus eorũ esse cernebat auferri: quisquis enim talẽ cogitat Deũ, qualis nõ est Deus, alienũ Deũ vtique, & falsũ in cogitatione ponit. quis est autẽ qui sic cogitet Deũ quemadmodum ille estat per hoc relinquitur fidelibus quandiu peregrinantur à domino, auferre à corde suo irruentia vana phantasmata, & dirigere cor ad illũ fideliter, vt quem admodum, & quantum nobis expedire nouit ipse, insinuet per spiritum suum, donec transacta non solùm impia falsitate, sed etiã ipso speculo, & ænigmate, facie ad faciẽ cognoscamus, vt ait Apostolus*. Vides vana phantasmata affectionum terrenarum tanquã In corde collocata, vel etiam exculpta idola esse, quæ auferri debeant, etiam si ceterùm laudabiles, & obedientes videamur. acutè autem notauit, cur de Idolis auferẽdis pręceptũ detur, si iã erãt ablata; at relicta in officina, vel ara cor is.

Praua cordis affectio idoolatria est.

1.Cor.13

R 2   10 Que-

Psal. 117.

Lapis sub terebintho absconditus Christus sub humilitate crucis

10 Quærit, cur post scripta verba in libro legis statuit *Iosue* lapidem subter terebintho? lapis certè Christus est, qui *factus in caput anguli.* vt dicitur in psalmo. *quod sub terebintho statutus est lapis, hoc significat, quod virga ad petram, vt aqua proflueret; quia neque hic sine ligno statutus est lapis, ideò autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subiectus. vel quia illo tempore, quo illud agebat Iesus Naue, adhuc obumbrandum mysterium fuit; terebinthi enim lignum medicinalem lacrymam exudat*: alij quercum legunt. Vides Christum sub crucis humilitate significatum per lapidem subiectum terebintho. lapis Christus obduratus ad dolores igne afflictionis, *aruit*, inquit *tanquam testa virtus mea*. crux per terebinthum; quæ arbor medicinalem succū exsudat, vt crux sanguinem Christi salubrē. crucem quoque in *India* apud sepulchrū *S.* Thomæ exsudare solitam narrant.

Terebinthus exudans salubrem succum crux sāguinem Christi.

1. Cor. 13

10 Exponit illud. *Petra erat Christus vt ait Apostolus vnde, & cultellis petrinis populum circumcidit ille ductor egregius: qui cultri petrini cum illo etiam sepulti sunt, vt profundum mysterium demonstrarēt posteris profuturum.* notabile est quod *Iosue*, qui græcè iesus dicitur, voluit sepeliri vnà cum cultris petrinis circumcisionis; ceteri principes, & duces exercitus, vt fuit Iosue, solebāt conferre res charissimas in sepulchrum: *Iosue* cultros petrinos inferri voluit, & secū sepeliri; quia post Iesu circumcisionem tumulāda erat quodammodo circūcisio, nec iam ad vsū futura; sed honorificè tumulata est. Vel ea tanquā arma, & insognia trophęa, quæ alii duces belli habere solent, apud se esse voluit, quæ circumcidendum cor à concupiscentiis indicabant. Denique iccircò vt rem charissimam cultros petrinos secū habere voluit in tumulo *Iosue* siuè *Iesus*, quia p huiusmodi cultros in circumcisione imponendum erat nomen suum *Iesus* futuro Messiæ. adde supra Iosue sepulcrum fuisse sculptum *Solem*, vt tradunt Hebręi, ad memoriā miraculi, cum eum stare fecit: itaque hæc connexio *Solis*, & petrini cultri satis indicabat quàm illustre futurorū esset Iesu nomen in circumcisione accipiendum quāobrem radiis circumfusum iure depingitur. vel sicut Iosue ipse siuè Iesus stare fecit Solē, ita Iesus effecturus, vt circūcisio per cultris illis non vltrà progrederetur.

Cur Iosue sepeliri voluit cum cultris circumcisionis.

Iesu præclarum nomen in circūcisione.

11 De *Iosue* sic tandem. *Mirum est quod Iosue saltem in nouissimis suis verbis, quibus est populum allocutus, nihil obiurget, ex eo quod ijs gentibus pepercerint, quas dominus vsque ad internecionem delendas esse præcepit fortasse timuerunt, ne paratis obedire, si parcere noluissent, acrius aduersum sè ex ipsa desperatione pugnare compellerent: hunc ergo ei humanum timorem dominus noluit importare; & si apparet in eo quędam subdefectio fidei.* hinc collige quasdā aliquando pœnas pro defectibus à superiore dissimulandas in subditis, cū parati sūt obedire, ne exasperētur potius quàm emedētur. vel si forte hoc fuit subdefectio fidei, nota quàm facile se insinuet etiā in pręclaros viros respectus, & timor humanus in obiurgando.

Subditi non exasperandi

Respectus, & timor humanus subdefectio fidei est.

Ex Quæstionibus in Librum Iudicum.

1 Exponit dictum Caleb. *Qui percusserit Ciuitatem literarum, & acceperit eam, dabo ei filiam meam in vxorem.) hoc & in libro Iesu Naue commemoratur, sed credibilius est post mortem Iesu factū, tunc autem per prolepsin hoc est præoccupationem commemoratum. nec frustrà arbitror hoc de filia Caleb data in victoris præmium bis numero scripturam numerare voluisse.* tacet mysterium Augustinus: sed fortasse bis numerat quasi heroicum factum illud fuerit, expugnare Ciuitatem literarum, tumentem videlicet fastu superbiæ. nota item non nisi post mortem Iosue seu *Iesu* eam Ciuitatem expugnatam, quia post *Iesu* Christi mortem ab Apostolis superbia Philosophorum gentilium expugnata cessit.

Ciuitas literarū capta cur bis narretur

2 Pergit de Caleb. Et *dedit Caleb secundùm cor eius redemptionem excelsorum, & redemptionem humilium sic.)* legit vbi vulgata. *Irriguum superius, & irriguum inferius.* tum sic. *quid hoc sibi velit obscurum est, nisi forte ager ille ideò petebatur, vt haberet de fructibus eius vnde aquam redimeret, cuius inopia in his regionibus erat quò nupta ducebatur: quare subaudiendum fluentorum excelsorum videlicet in montana, & humilium in campestria.* Nota quid Axa filia Caleb in corde habuerit, ac postularit, cum in Ciuitate literarum aridam possessionem inuenisset. *terram arentem dedisti mihi, da et irriguam.* hoc scilicet a *Deo* postulandum in studio literarum, ne deuotionis siccitate laboremus; affluentia pietatis; vt in literis habeamus, & excelsa montana, hoc est intellectualem sapientiam, & eleuatum ingenium, & simul humilia campestria, idest humilit. Vatemel dicendum fructus agri literarii ad hoc deseruire, vt per sciētiā, & cognitionem comparemus nobis veteres pietatis fontes, animæ sitim recreantes; nam pulchrè dictum. haurietis aquas *de fontibus Saluatoris.*

Ager literarius ad redimendos pietatū fontes fructuosus.

3 Exponit illud. Et *non hęreditauit Iudas Galam, &c. & erat dominus cum Iuda, & hęreditauit montem, quia non potuit hęreditare habitantes in valle, quia Rechab obstititeis, & currus eius erant ferrei.)* cur si dicitur in libro Iosuæ.

Iosue. & dedit eis omnem terram, quam iurauerat &c. Cur hic omnis subiecta dicitur? *quia ea terra, quæ data non est in possessionem, data est in quandam exercitationis vtilitatem, quod euidentius apparet, quia dicitur: & erat dominus cum Iuda. quis enim non intelligit, etiam hoc ipsum ad id pertinuisse, quod erat dominus cum Iuda, nè totum repente obtinendo extolletur? cur autem timuerit, cum quo dominus, si quæratur, intelligendum est, Deum propitium, etiam in cordibus suorum restringere nimiæ prosperitatis excessum, vt in vsum eorum conuertat inimicos, non solùm quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur; illud ad commendandam largitatem suam, hoc ad eorum reprimendam elationem.* egregiè adnotat, cur non Deus subieceric populo suo omnes hostes, sed aliquos reliquerit. ad exercitationem scilicet virtutis, ne vel otio languerent, vel superbirent. ait igitur, inimicos nō modò victos, sed adhuc nobiscum decertantes deseruire ad præmium. tam præclara militia est sub Imperatore Deo. nota etiam, posse Deum esse nobiscum, licet oppugnantibus adhuc, nec dum omninò expugnatis aliquot perturbationibus, & affectibus. præterea adnotandum puto, quod qui hostes superare potuerunt in montibus, non potuerunt in vallibus: quia ad comprimendam elationem sæpè magna quædam vincimus, in minoribus deficimus. Denique etiam si sit Deus nobiscum, adhuc tamen pugnamus cum curribus ferreis, hoc est passionibus nostris; sunt enim hę quasi animi quadrigæ, quibus rapitur, adeo duræ, ac ferreæ, vt exclamarit Apostolus. *sentio aliam legem &c. quis me liberabit &c.*

Deus aduersarios permittit ad exercitationem virtutis.

Aduersa inter prospera dantur ad superbiam comprimendam.

Difficilis pugna cum passionibus.

4 Transit ad illud. *Ascendit Angelus domini super κλαυθμῶνα montem.) Per anticipationem à ploratu nomen accepit, ibi enim populus fleuit, cum audisset verba ab Angelo domini vindicante, quod inobedientes fuissent, quia elegerunt potius facere tributarios populos, quàm interimere, ac perdere iuxta præceptum.* siuè inobedientia, siue timore peccarunt, diffidentes quod eos posset, qui imperauerat, adiuuare, donec omninò interimerent hostem. Nota, vt memoria posteris relinqueretur pœnitentiæ de inobedientia, monti à plora tu, & lacrymis nomen inditum, & rectè monti ob eminentiam virtutis pœnitentiæ, & vt omnibus esset conspicua. nota item quantùm Deus indignetur ob diffidentiam eius auxilij, cum tam potens, & promptus sit ad omnia licet ardua perficienda.

Nomen pœnitentiæ ac lacrymarū monti inpositum ad memoriam.

Diffidentia in Deum quàm illi displiceat

5 Quærit. *Quid est quod inter ceteras diuinas comminationes Angelus ait: Dii eorum erant vobis in scandalum?) nisi vt intelligatur, nonnulla etiam de ira Dei venire peccata, scilicet vt Dii eorum, quos non exterminauerant, facerent eos offenso Deo viuere.* referri hos potest ad cetera terrena quæ diligimus; permittit enim Deus sępè per eadem affligi, per quę peccamus, & per præterita peccata incidere in alia.

Quædam peccata de irato Dei permissione accidunt

6 *Seruierūt Baalim, & Astartibus.) Dicūt Baal nomē esse apud gētes Iouis, Astarte autē Iunonis lingua punica, vt etiā Baal appellēt dominū, vnde Baal Samen, dominum Cœli. quod autē pluraliter dicatur, ad plura Iunonis simulacra refertur, vt in hebręo, etiā Baalim legitur.* nota quàm procliues essent ad idololatriam Israelitæ, colentes plura simulacra Iouis, & Iunonis, qui præcipui erant Dii gentilium. Baal dominum significat; aptè igitur in pœnam seruiisse dicuntur, relicto vero Deo, cui seruire regnare est. Iouem coluerunt tonantem, obliti legis in monte Sinai inter fulgura, & tonitrua datæ. Iunonem coluerunt, quam pro aere accipiebant, obliti cœlestis ambrosiæ, ex aere sibi delapsæ.

Hebræi Iouis ac Iunonis plura simulacra habuerūt

7 *Vendidit eos in manu inimici.)* quare vēdidit, & non potius donauit, si sine pretio? sic dicitur. *vendidisti populum tuum sine pretio. sed nimirum ipse cultus Deorum tanquam pretium videbatur, quia illi, quibus tradidisti populum, impii fuerunt, nō Deum colendo tradi sibi illum populum meruerūt: vt ipse cultus tanquam pretium videretur.* vide vt Diabolus vtatur ipsis malis operibus pro pretio, quo peeccatores sibi mancipia vęneant.

Mala opera pretium sunt quo peccator diabolo venditur

8 *Dimisit ad tentandum in eos Israel, si obseruarent viam domini.) ostendit causā, cur non omnes gentes deletæ, quia non essēt, in quibus probarentur; sed si tentati, non reprobi inuenirentur, iam gentes illę auferrentur à facie eorū; si ità viuerent, vt bellis eos exerceri non oporteret.* Nota cur Deus bella, & hostes permittat, nam si nos Deus fideles nosceret, & probatos, illos auferret. sic de tentationibus dicēdum, & perturbationibus animi. vt mox indicat.

Causa bellorum & aduersitatū est imperfectio nostra.

9 *Non eiiciam illos vno anno, ne fiat terra deserta, & multiplicentur in te bestiæ feræ. paulatim eiiciam illos, donec multiplicemini &c.) Mirum si non bestiales quodāmodo cupiditates, & libidines intelligi voluit, quæ soleant de repentino successu terrenæ felicitatis existere. neque enim Deus homines exterminare poterat, & bestias nō poterat, vel perdere, vel pasci potius non permittere.* acutè, & pulchrè adnotat, cur Deus non vno impetu hostes omnes deleret ex aliqua regione, quia, inquit, bestiæ in illam terram desertam ab hominibus intrarent. at si Deus potuit hostes inde eiicere, & perdere, poterat omninò & bestias ipsas prohibere ne intrarent, ne ibi pascerentur, vel planè interficere: ergo al-

Prosperitas obnoxia superbiæ imprimis, & luxuriæ.

Passiones bestiis comparatæ.

legoricè intelligendum de passionibus, præsertim superbiæ, & elationis, ac libidinis, quæ poterãt subrepere, si hostes statim omnes oppressos, & exterminatos vidissẽt. ac præterea otio, ac deliciis se dedidissẽt, quę carnis vitiũ alunt. itaque passiones ipsæ elationis, ac libidinis bestijs cõparantur, tum ob uilitatem, tum ob ferocem impetum.

Iud. 5.

10 *Erat autem Eglon exilis ualde.*) Meritò quæritur, quomodo fuerit exilis ualde Eglon; si concluserunt adipes uulnus, quando percussus est? sed intelligẽdũ est per metaphrasim à cõtrario, sicut dicitur lucus, quod minime luceat. & benedixit Regi, pro maledixit. In hebræo est: crassus nimis. ego hoc ad corpus, illud ad paruitatem, & angustias animi referrem, vt sunt mundani.

Cur Eglõ pinguis dicatur exilis.

3. Reg. 21

11 *Sub iudice Aioth octoginta annos pacem habuit Israel in terra promissionis, duplicato scilicet tempore, quàm fuit memorabile sub Rromano rege Numa Põpilio.* Nota, erat hic Aioth ambidexter, duplex illi dextera in bello, non mirum quod duplicatam dedit quietẽ pacis; quia quò quisque in expugnandis passionibus acrior, eò maiori pace fruetur.

Ambidexter in passionibus debellandis maiore fruitur quiete

12 *Ait Barach Deboræ: si ibis, ibo, quoniam nescio diem, in qua prosperat Angelum Dominus mecum.*) *An his demõstratur, quia & Angelorũ actus prosperantur, id est adiuuantur à domino, vt feliciter cedant? an intelligitur: Dominus facit mecum prospera per Angelũ.* Notabile est planè hoc, actiones ipsorum Angelorum egere Dei fauore vt prosperentur, quid dicemus de nostris? certè quãtò magis prosperãtur, tãtò magis egemus Dei auxilio. item nota iuxta alterum sensum, actus nostros prosperari per ministeriũ Angelorũ, & in bellis ipsis eorum auxiliares copias requirẽdas, iuxta illud: *immittet, seu castrametabitur Angelus domini in circuitu, & eripiet eos.* vnus Angelus pro exercitu est. præterea sicut Barach nihil arduũ agere ausus nisi Deboram prophetissã haberet secum, quæ dicitur *mater in Israel*. ita nec nos quicquam sine præsidio Deiparæ.

Iudit 4

Etiam Angelorũ actiones ut prosperẽtur egent Dei fauore.

Ministerio Angelorũ res nobis prospere cedunt.

13 *Et pauefecit dominus Sisaram, & omnes currus eius.*) *Ecce quomodo commẽdat scriptura agere Deum in cordibus, vt det exitum rebus, quem constituit.* Vides, vt non tam humanis præsidiis, quàm orationibus sit agendum, vt res prosperè cadãt. referri hoc pulchrè potest ad beatum Stanislaum nostrum, cum eum ad religionis ingressum fugientem insequeretur iratus frater, subitò pauefactis equis consistere coactus est; vt dicere ille posset: *hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini,* id est Iesu, Societatis titulo:

Fiducia in Deum res prosperãtur.

Stanislai mirus in religionem ingressus.

13 Exponit Debboræ dictum, *Elegerunt, vt panem hordeaceum, Deos nouos, tũc expugnauerunt ciuitates principum.*) *quasi tunc Deus ijs fauerit, quando elegerunt illi Deos nouos quasi panem hordeaceum, at is panis licet in cõparatione tritici sit abiiciendus, tamen pascit, & vtile alimentum est: Dii autem noui, quos elegerunt, qui defecerunt à Deo vero, non possunt in alimentis animæ deputari, sed potius in venenis. respondetur similitudinem tantùm esse in hoc, quia sicut fastidio fit, vt eligenda reiiciantur, & aspernãda delectent; ità vitio prauæ voluntatis: cum esset Deus eorum verus, sibi falsos elegerunt.* vt si quis reiecto tritico, hordeo vti mallet ad cibũ. nota similitudines in scripturis nõ omni sẽper ex parte sumendas pulchrè. autem Deus verus comparatur cibo triticeo, qui cibus est hominum, falsi autem hordeaceo, qui bestiarum proprius. huc refer illud psal. *Erit frumẽtum in summis montium,* quod interpretantur alij: erit placenta tritici super capita sacerdotum, & de Eucharistia intelligitur. valdè igitur indignatur Deus, à gentibus se relinqui, cum se cibum fecerit homini sub tritici specie: quod beneficium maximè singulare est: idola autem hordeaceo cibo rectè comparãtur, qui cibus est iumentorum; & certè sæpè Dij ipsi bestiarum formas induisse leguntur. meritò igitur ceteræ deliciæ, hæc enim mundanorum idola sunt, pro hordeaceo, & bestiali cibo, immo pro veneno habendæ. *non possunt in alimentis animæ deputari, sed in venenis.* contra Eucharisticus cibus antidotum est veneni, & ideo dicitur *panis vitæ*.

Dii gentilium panis hordeaceus noster mylluce triticeus.

14 *Factus est numerus eorum, qui biberunt manu sua, lingua sua, trecenti viri bellatores, qui manu in os proiecerunt aquam.*) *Multi genuflexi biberunt, quod facilius esset, ac minore labore fieret: pauci verò, quia non genuflexo se incuruarunt terræ, vt canes biberũt, quorum numerus, quia trecenti erant, insinuat Crucem. propter literam T. græcam, qua iste numerus significatur; per quos etiam gentes magis in Christo credituras, præfiguratum est, quod litera græca est, vnde Græcorum nomine Apostolus omnes gẽtes significat, cum ait: Iudæo primùm, & Græco, quod in linguis gentium græca excellat.* Nota, eos electos, qui non se in terram prostrauerũt, vt facilius, & commodius biberent, sed qui cursim lingendo, habuisse crucis auspicium. hoc igitur verum prædestinationis est signum, si ad humana non prosternimur, nec illa velut idola colimus curui, sed Crucis potiùs mortificationem quærimus: hoc certissimum est victoriæ argumentum de diabolo reportandum. Tum sic circa idem subiungit. *Quod ita isto probati sint, vt similes in bibendo canibus dicerentur, significat, & contemptibilia, & ignobilia elegit domi-*

Crux Christi in mortificatis auspicium vitæ.

Rom. 1.

dominus, pro contemptis enim habentur canes. Non est bonum, inquit, sumere panem filiorum, & dare canibus. & Dauid, vt se tanquam contemptibilem abijceret, canem appellat. Addo, tanquam canes elegit Deus aduersus hostes, quasi lingua opus sit, & latratu quodam aduersus hæreticos maximè, & improborum vitia impugnãda. huc refero somnium illud præclarum matris S. Dominici, cum se catulum in aluo gestare vidit; ex hoc ordine bellatores eximij hæresum semper extiterunt.

Deus p[er] canem [illegible] vincit malum. 1. Reg. 24.

14 *De presagio victoriæ in somnis; quod quidam dixit, se vidisse mensam panis hordeacei voluentem in castris, & percutiẽtem tabernaculum Madian, & subuertentem, hoc intelligi arbitror, quod canibus: quia per contemptibilia Mundi, quæ significat mensa panis hordeacei, Saluator fuerat superbos cõfusurus.* Nota: nã ador erat militum stipendium apud veteres, vnde adorea dicta corona, & præmium victoriæ, sed Deus adoream per vile hordeum acquiri fecit, & audi elogium: *Non est hic aliud nisi gladius Dei, & Gedeonis.*

Iud. 7.

Deus magna sæpe ope ratur per ea, quæ minimi habẽtur.

15 *Quæri solet, si Ephod sacerdotale est indumentum, seu superhumerale, quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit? nam ità scriptum est. Et factum est pondus inaurium aureorum mille septingenti auri sicli, præter brachialia, & torques, &c. & fecit illud Gedeõ in Ephod, & statuit in Ciuitate sua) an ideo dictum est: statuit: non posuit, vt intelligatur aureum fuisse factum solidum, & validum, vt statui posset. hoc est positum stare? sed cum idolum non fuerit, quomodo dicitur. Et fornicatus est omnis Israel post illud ibi? ideò scilicet, quia præter tabernaculum Dei, vbi erant ista, extra fieri aliquod simile fas non erat; ac per Ephod, tanquam ex parte, totum propter excellentiam vestis sacerdotalis, possunt intelligi cetera ornamenta similia tabernaculo Dei, nam ipsum Ephod non ex auro solido fieri præceptum est. vel fecit ex eo Ephod, vt est in hebræo.* erat & alterum Ephod lineum, vt illud Samuelis. Nota quid amor patriæ nimius faciat. Gedeon in Ciuitate sua, vt eam ornaret, etiam Sacerdotalia ornamenta facere voluit, fortasse zelo pietatis, quod tamen tantùm licebat Hierosolymæ; & si totum illud aurum in Ephod consumpsit, omninò pretiosissimum hoc fuit, sed in ruinam patriæ fuit. vide tamen ad quem vsum cõtulerit spolia triumphalia, in sacrum scilicet: tanta in priscis Ducibus inerat religio, licet de loco contra legem statuerit.

Iud. 8.

Amor patriæ nimius perniciosus.

Spolia bellica in res sacras impensa.

16 *Cur dicitur, Quieuit terra quadraginta annis in diebus Gedeon, cum ex auro spoliorum fecerit abominationem? cum ob similia peccata potius pacem perdere sint soliti, & ab hostibus subiugari. sed intelligendum est per prolepsin, hoc est præoccupationem; nam postea in fine dierum Gedeon factum est hoc peccatum, quando sequuta sunt mala, quæ commemorantur.* vel si Deus tolerauit, ideò tolerauit, *quia videbatur habere licet falsam, paternæ religionis defensionem, sed post mortem Gedeõ apertissimam post idola fornicationem populi esse noluit impunitam.* vide vt Deus iuxta sapientiã, & bonitatem suam modò dissimulet, modò differat pœnam.

Cur Deus aliquando differat peccati pœnam.

Iud. 19.

17 *Ait Rhamnus, si in veritate vngitis me, &c. venite in protectione mea, &c.* Nota Rhamni vnctionem regiam. sed tunc verè rhamnus, seu dumus factus est Rex, cum Christi, hoc est vncti sanguine vnctus est. spinam igitur regnum accepisse dicamus in Christi capite, & sub spinea corona protexit nos Deus. hoc dumi illi in coronam contexti clamant. *Venite in protectione mea.*

Sub Christi capite spinoso protectio nostra est.

18 *Simul, vt oritur Sol diluculo, surgent, &c.)* alij legũt, manicabis. vnde mane, sed si diluculum est tempus ante Solem, cur dicit: *simul vt oritur Sol diluculo?* scilicet, *vt exprimeret, non iam orto Sole faciendum, sed vbi fulgor apparuerit Solis orientis. hinc est, quod etiam in Euangelio vnam, eandemq; rem alius esse dicit diluculo factam, alius oriente Sole; quam lucem diluculi quidam idiotæ Solis non esse putauerunt, sed illam esse, quæ primitùs condita est, antequam Deus quarta die conderet Solem.* vides promptitudinem, quã requirit Deus à nobis, & alacritatem ad orandum. iuxta illud: *oportet præuenire Solem in benedictionibus.* manna suauitas est cœlestis consolationis, quæ in oratione habetur.

Solis ortus oratione præueniẽdus.

19 Eos arguit, qui calumniabãtur sacrificium Iephtæ, quod Deus delectetur morte hominum at contra est, quia cum animalium primogenita sibi offerri voluit, redimi voluit primogenita hominũ. deinde vituperat gentes, quæ filios, & filias per ignem Dijs dedicabant. *Illa planè sacrificia diligit, & coronat, cum quisq; iussus vsque ad mortem pro veritate decertat; vel ab inimicis, quos pro iustitia offendit, occiditur.* sic Abel, Zacharias, & alij ceciderunt. ipse quoq; sanguinem suum fudit pro nobis, vt se sacrificium offerret Deo, quem imitata tot martyrum millia immolata sunt, iuxta illud. *Sicut holocausta accepit illos, & Apostolus ait: Ego enim iam immolor.* rectè dicit, Deum hominum vitę consulere potius quàm aduersari. sed idcirco Martyrum sanguis apud ipsum est pretiosus, quia pro veritate profusus magna cum laude constantię. meritò igitur, *illa sacrificia diligit, & coronat.*

Cur Deo vitæ nostręturori martyrum sanguis tam gratus.

Sap. 3.
2. Tim. 4.

20 *Distat hoc, quod Iephte fecit à facto Abrahæ, quoniam ipse iussus obtulit filium, iste*

Cur Abraham paratus ad immolandam prolem laudatur nō itē Iephtæ.
Iud. 11.

iste autem fecit, quod & lege vetabatur, & nullo speciali iubebatur imperio. adde quod Deus iam ostenderat in Abrahæ filio se non delectari huiusmodi sacrificijs, cum arietem supposuit. Nota, vt obediētia sit in laude, non voluntas propria. porrò leges apud Cassianū de sene quodām, cui diabolus persuaserat, vt filium item religiosum more Abrahæ immolaret; atqui iā Deus ostenderat, se id egisse ad probationem tantùm, non necem ipsam filij voluisse: nam, & ab Angelo reuocatus est bis nominatim, & arietem paratum obtulit ad sacrificium. subiungit: Scriptura nihil determinat de hoc facto Iephtæ: vtrùm rectum fuerit, nec nè, sed Dei iudicio reseruatur. intentio Iephtæ videtur fuisse etiam de sacrificio humano; non enim ait, quodcumque, sed *quicunque exierit de ianuis domus meæ.* an non solita redeunti de victoria occurrere pecora? nisi fortè *canes solent domino occurrere obuiam, blādo famulatu alludentes.* sed hoc animal, vt immundum obtulisset contra legem: ergo *nihil aliud, quàm hominem cogitamus, non tamen fortassè vnicam filiam, quanquam illam in tanta paterna gloria quis posset anteire, nisi fortè vxor?* vide vt tantus doctor non audeat damnare factum Iephtæ, sed committat secreto iudicio Dei, non igitur tam faciles esse debemus in aliorum factis redarguendis. immò sic excusat. videtur, inquit, Iephtæ non culpandus: primò quia ab Apostolo Iephte cum Gedeone, Dauid, & prophetis computatur, qui *per fidem vicerūt regna, &c.* at etiam Gedeō Ephod de auro prædæ fecit. Secundò, quia dicitur, *& factus est super Iephte spiritus Domini* & idem dicitur de Gedeone; *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit, &c.* itā Iephte post hoc votū habuit victoriam. subiungit egregiè: *alia quæstio est de animo vouentis, alia de prouidentia Dei, qualicumque animo eius optimè vtentis:* vide vt diuina prouidentia omnia dirigat ad bonum nostrum, etiam nobis inscijs, aut aliud spectantibus: tanta est eius bonitas.

Incōsultū Iephtæ votū.

Non facile aliorum facta damnāda, sed remittēda Dei iudicio.

Heb. 11.

Dei prouidentia omnia dirigit ad bonū.

21 Ad Gedeonis factum, refert illa verba Apostoli: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, hoc est in corporibus nostris. quibus in passione Martyrum, tāquam vasculis fractis, maior eorū gloria emicuit, quæ inimicos inopinata claritate superauit.* pulchrè interpretatur. cum putabantur per mortem extingui, magis effulserunt gloria, & alios accenderunt. idem item eleganter. *trecenti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes hydrias fictiles acceperunt, quibus fractis repentè lumina numerosè micantia. tantam hostium multitudinem terruerunt, his dominus præfigurauit* *sanctos suos, de quibus Apostolus: habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus.* iam dixerat, T. literam instar Crucis significasse numerum trecentorum. & nota, Martyres per corpus morte cōfractum non magis sanguinem effudisse, quàm thesaurum deprompsisse virtutum: hinc rectè dicitur: *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* & acutè animaduertit significationem numeri, qui crucis est, quia Martyres ad imitationem crucis Christi passi sunt, eum secuti. & quod ait, *fractis eorum vasculis maior eorum gloria emicuit,* verius dicitur, quàm de Romanis militibus: ex eorū vulneribus plus gloriæ manasse, quàm sanguinis. Val. Max.

2. Cor. 1.

E fractis martyrum corporibus lux emicuit gloriæ.

22 Iephten ait fuisse in quibusdam figuram Christi, nam hunc fratres eius reprobauerunt, & eiecerunt de domo sua; sic Iudæi Christum. confugerunt item ad eum latrones, idest peccatores, vt liberarentur ab inimicis, idest à peccatis. dictum est illi: *eris nobis in caput:* sed postea quàm liberauit, non est factus rex, sed dicitur mortuus Iudex; quia prophetia pertinebat ad Christum, cui titulum regis noluit auferre Pilatus. idem statim dux factus misit ad hostes nuncios pacis, quod Apostolus præcipit: *si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habete. porrò Spiritus sanctus factus super eum ante pugnam, missionem indicat Spiritus sancti in Christi membra idest Apostolos, etc.* Sed in hos multò maiore cum vehementia quia enim Apostoli inituri erant prælium, & omnium gentium superstitiones abolituri, insilijt in eos Spiritus sanctus, quadam cū exultatione, ac tripudio, quasi omine victoriæ, & cum impetu quodā: *factus est,* inquit, *sonus tanquam spiritus vehementis.*

Iephte in multis figura Christi.

Iud. 11.
Rom. 12.

Missio Spiritus sancti in Iephte figurata.

23 Quærit, Cur Iephtæ non occurrit vxor, sed filia? nimirum quia Ecclesia cum sit virgo, per eam significari non poterat. *Discipulos suos sponsi filios Christus appellauit, et se apertissimè sponsum indicauit. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiù cum illis est sponsus?* notat acutè mysterium, vt Ecclesia virgo occurrat triumphatori Christo, deuouens se victimam in martyribus. itaque addit: *holocaustum est Ecclesia, quam virginem castam Apostolus appellabat.* Addit: sexaginta dies fletus fuerunt; ex omnibus quipppe ætatibus Ecclesia congregata est, quarum prima ab Adam &c. *per has sex ætates tanquam per sexaginta dies fleuit virgo Ecclesia, quia licet virgo, tamen ei fuerunt deflenda peccata.* huc refero quod dicere solebat ipse Augustinus, neminem sine pœnitentia, & fletu etiam iustum ex hac vita exire debere. hæc præparatio ad mortē idonea.

Ecclesia, vt Iephtæ filia virgo immolādā se offert in martyribus.
1. Cor. 5.
Ecclesiæ luctus pro peccatoribus in Iephtę filia figuratus.

24 Mos

Ecclesia vbique terrarũ, Martyribus abũdat.

24 *Mos est, vt, quater in anno cõuenirēt ad fletum).* *Quatriduo figurata est vnicursitas propter quatuor orbis partes, per quas longè latèque diffusa est Ecclesia.* rectè, quia per omnes quatuor terræ partes in Martyribus immolatur Ecclesia. Tum cõsidera quantò magis fletus ex immolatione Christi ad omnes terræ habitatores pertineat. addo morem ipsius Ecclesiæ, vt quater in anno ad deflenda peccata, præter cetera, ieiunium instituatur.

Quatuor anni tempora cur ieiuniis celebrentur.

25 *Tota vita Samson obseruauit votum Nazaræoeum, quod alij vsque ad certa tempora seruabant.* puta igitur Samsoni similes religiosos perpetuò Deo dicatos. qui ex mortificatione, velut ex leone mot suauissimum mel eliciant.

Samson solas volunt Nazaræoni tota vita seruauit.

26 *Quod stetit Angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendus est, illum magni consilij Angelum non acceptuтum sacrificium, vel ipsum sacrificium futurum in honorem quem suscepturus erat.* Nota Angelum illum Christum repræsentasse, ac vide vt sacrificium illud in cruce factum charitatis flamma depasta sit; nimirum ex hoc tanto æstu illa sitis in cruce.

Angelus in altaris flamma Christus in cruce.

Iud. 14.

27 *Quid est percussit Samson alienigenas, tibiam super fœmur?*) intelligendum est, *percussisse eos valde mirabiliter, ità vt admirando stupescentes, tibiam super femur ponerent, tibiam scilicet vnius pedis super femur alterius, sicut solent sedere, qui mirando stupent. in hebræo est: percussit eos ingenti plaga, ità vt stupentes suram femori imponerent sura siquidem retrorsum cum tibia est.* hinc colligi potest quantùm admirationis attulerit malis Angelis victoria Christi inopinata, cum hæc illius figura fuerit.

Stupor Dæmonum ex inopinata uictoria Christi, ut Sãsonis.

Ex Libro I. Quæstionibus Euangelicarum.

Matth. 12.

1 Elicit mysticum, sensum ex historia dæmoniaci. *Cum Spiritus immundus exierit ab homine &c.) significat quosdam ita credituros, vt ferre non possint labores continentiæ, & ad sœculum redituri sint. quod autem ait; assumit alios septem, & fiunt nouissima peiora prioribus, ideò dictum, quia cupiditas carnis expulsa per pœnitentiam à consuetis operibus, cum non inuenerit, quibus delectationibus requiescat, auidius redit, & rursum occupat mētem hominis.* notabilis hoc locus est de ijs, qui redeunt ad seculum, quia religionis labores oderunt, spiritus defectu. item nota quàm cauti esse debeant qui per pœnitentiã cõuersi fuerunt, cũ enim terrenas delectationes abiecerint, nisi spiritalibus exercitiis delectentur, & ad cælestia desideria se conuertant cum animus sine aliqua delectatione, esse non possit, facile ad terrenas redium faciet.

Reditus in seculum pro exemplo Satanam habet.

Facilis reditus ad peccatum ubi delectatio est terrenorum.

2 Declarat parabolam de vinea. *& fructum attulit, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.) cētesimum est Martyrum, propter contemptum mortis; sexagesimum virginum, propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis. solet enim concedi otium sexagenariis post militiam; trigesimum verò coniugatorum, quia hæc est ætas præliantium; ipsi enim habent acriorem conflictum, nec labore superatur.* Vides maximum omniũ, & vberrimũ fructum in agro Ecclesiæ esse Martyres. nota item virginitatis otiũ, & quietem; cum contra coniugatis sit assidua cum carne pugna. notabile quoque illud est; nostræ Societati initio non fuisse concessum numerum nisi sexaginta: auspicatus certè, quia virginum est, nempe hic indicabat magnum studium animi puritatis, quam in nostris inter mulieres, adolescentesq; versantibus admodum admiratus dicitur vir doctissimus Melchior Canus. atque hi fortasse sunt illi sexaginta viri, qui strenuè lectulum Salomonis, idest Ecclesiam custodiũt *omnes tenentes gladios, & ad bella fortissimi propter timores nocturnos*, hoc est tenebras, quas hæretici offundere conatur Ecclesiæ.

Fructus centesimus in Martyribus, sexagesimus in virginibus trigesimus augatis.

Societatis Iesu numerus initio sexaginta fuit auspicatus.

2 Explicatitē illam parabolam: *Regnũ cælorum grano sinapis comparatur ob feruorem fidei; vel quod dicatur venena expellere.* nota, nam hæc duo in Apostolicis viris, & sanctis doctoribus inuenies: ardorem spiritu, & zelum fidei; & simul scientiam, præsertim scripturarum, quod est antidotum omnium venenorum, hæresum scilicet, & vitiorum. & quia dicitur *granum sinapis minimum omnibus oleribus.* liceat id humiliter ad Societatem nostram referre, quam minimam vocari Ignatius voluit.

Granum sinapis feruorem fidei indicat, & antidotum venenorum idest errorum.

4 *Munus quodcumq; est ex tē, mibi proderit) id est munus, quod offers causa mei, ad te autem pertinebit: quibus verbis significabant filij, non sibi opus esse iam parentum oblationibus, cum ea essent ætate, vt possent ipsi offerre,* aiebant igitur Pharisæi, non esse reos filios iam adultos si parentes nõ honorarent, atqui filij. semper à parentibus apud Deum oratione iuuandi: sic & Iob faciebat, licet adulti essent filij.

Filij parentum orationibus indigent.

5 Pendit illa Christi verba. *Facto vespere dicitis serenum erit; rubicundum enim est Cœlum, & mare. Hodie tempestas; rutilar enim triste Cœlum, &c.) Alterum pertinet ad sanguinem Christi cum indulgentia* Matth. 16.

peccato

peccatorum, alterum ad secundum aduentum de die iudicij. passioni simile est roseum cœlum vespere. iudicio simile est mane roseum cum tristitia Cœlum. egregiè interpretatur. Vides vesperæ rubicundæ passionis successisse mane serenum, resurrectionis. cęterùm nota ex ipso rubicundo cœli colore, per diuersa licet tempora, simul & passionis Christi, & iudicij meminisse. nimirum cruentum tunc cęlū nobis erit, nisi profecerimus ex Christi cruore.

Rubicundi cœli prognostica, Christi passio, & iudiciū.

6 De energumeno sic. *Quod dicitur de dæmoniaco, quod sæpè cadat in ignem, aliquando in aquam: Ignis ad iram pertinet, aqua ad voluptatem carnis.* Vides vt diabolus omni ex parte nos perdere studeat; & irascibilem, & concupiscibilem passionem exagitat. qui his igitur se dat, an nō dæmoniacus est? immò dęmoniaco peiorē, ac miseriorem dicit Chrysostomus, nam ille inuitus patitur, hic spontè.

Matt. 17. Ira, & concupiscentia per ignē, & aquā in dęmoniaco significata

7 *Simile est Regnum Cęlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, &c.) Nuptias dixit Verbum incarnatum, quia in ipso homine suscepto Ecclesia Deo copulata est.* rectè regias appellat nuptias. pauper quidem nascitur, præsepe pro thalamo est. at Magi hoc est Reges ipsi statim ei tributarij fiunt. quod si de eius conceptu intelligamus, pronubus Gabriel fuit, thalamus vterus Virginis: quàm igitur splēdidè adornatus, si filio Regis, & omnium Regi apparabatur.

Matt. 22. Nuptiæ regis filii incarnatio Verbi

8 *Sicut gallina congregat pullos suos, &c.) hoc genus animantium magnum affectum in filios habet, ità vt eorum infirmitate affecta, & ipsa infirmetur; & quod difficilius in alijs animantibus inuenies, alis suis pullos protegit, contra miluum pugnat: sic & mater nostra Dei sapientia contra diabolum, &c.* Vides quo se diuina sapientia demittat. quanquam, & Astrologi gallinam in astris numerant. notabilis affectus huius auis erga pullos, quippe etiā his non præsentibus ostenditur, dum vides infirmam, & languentem: miluum verò rapacem diabolum esse, vel ex Zachariæ visione constat in illis mulieribus Impietatis assectis, quæ *habebant alas quasi alas milui.*

Christus gallinæ comparatus, diabolus miluo. Zach. 5.

Ex Libro II. Quæstionum Euangelicarum.

1 Exaudita est deprecatio tua.) non orabat Zacharias de prole, quia iam spem abiecerat, & ideò nec Angelo credebat, sed orabat pro salute populi, *cuius salus, quia per Christum futura erat, ad hoc filius nasciturus nunciatur, qui præcursor Christi destinatur.* notabilis locus de oratione, & zelo animarum; nam Zachariæ petenti prolem Deus se surdum simulauit; at oranti pro salute proximi, immo Orbis terræ, & Angelus vnus ex primis legatur, & filius datur præcursor Saluatoris magnus.

Luc. 1. Oratio pro com̄uni hominum salute facta, quā Deo grata.

2 Expēdit quod primò dicitur Petro, vt nauis pusillum reducatur à terra, quia vicinioribus prædicatur; cum autem ait, *duc in altum, & laxate retia) ad remotiores gentes, quibus posteà prædicatum est, pertinet: vt illud Esaiæ, Tolle signum in gentes, &c.* spectat hoc ad Apostolicos viros, qui apud Indos, & vltimas gentes missi prædicant: quibus rectè dicitur, *laxate retia.* vnus Xauerius vno die vsq; ad manus lassitudinem quamplurimos baptizabat. huc pertinet illud de Theotimo duce, in cuius rete finxere pictores Fortunam vrbes, & regna inijciētem. rectius hic dicitur, *laxate retia*, sed hoc gratiæ opus, nec sine remigij labore. illud Theotimo dormiente Iudicrè dictum. in hoc rete non paucæ vrbes, sed Orbis vniuersus, atque imperia coniecta sunt. ideo laxari, vt capacissimum fiat, iubetur.

Luc. 5. Rete laxatum Euangelii propagati typus.

3 Leprosum sanatū cōsiderat. *Iubet leprosum secum deferre lectum, quia passiones non ipsæ nos continere, sed à nobis contineri oportet.* acutè dictum: passiones ęgri lectulo comparantur. rectè igitur ægritudines animi vocantur: quid miserius? dum ijs subiacemus, in lectulo infirmi iacemus; at si in eas dominamur, & eas in potestate habemus, sani iam sumus.

Passiones ægri animi morbi sunt.

4 Quærit, cur septuaginta duos discipulos mittit? nempè *sicut vigintiquatuor horis totus Orbis peragratur, & à Sole illustratur, ità mysteriū illustrandi Orbis per Euangelium Trinitatis in septuaginta duobus discipulis intimatur: vigintiquatuor enim numerus ter in septuaginta duobus ponitur.* acuta planè interpretatio: quasi totum tempus non modò diurnum, sed etiam nocturnum in quātum fieri potest, ab Apostolicis viris insumendum sit in prædicatione Trinitatis, indefesso labore, quod sanè idē Xauerius noster in primis strenuè agebat.

72. discipuli mysteriū Trinitatis prædicandum insinuāt.

5 *Si in digito Dei eijcio dæmonia &c.) Dicitur Spiritus sanctus digitus Dei propter partitionem donorum, quæ in eo dātur vnicuiq; propria, siuè Angelo, siuè homini; in nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quàm in digitis.* Vides vt Spiritus sanctus dispenset dona etiam Angelis? ac puto Mosen digitum Dei dictū, etiam ob hoc, quia vt Dux populi dispēsare rectè debebat munera, & honores cum mensura.

Luc. 11. Cur Spiritus sanctus dicatur digitus Dei. Prælatus dispensator æquus est munerū.

6 Refert ad mysticum sensum illud, *Nun*

Nunquid si petit panem, dabit ei lapidem, &c.) panis est charitas, piscis fides inuisibilis, vel propter aquam baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur: & quia, vt piscis non frangitur fluctibus, & procellis. *in ouo intelligitur spes; ouum enim non est fœtus perfectus, sed fouendo perficitur.* & acutè subiungit. pani lapis opponitur ob duritiem contra charitatem, pisci serpens ob venena fallaciæ contra fidem; ouo scorpio, cuius aculeus timendus est, nam timor eijcit spem. nota illud maximè, fidem pisci comparari, quia nõ timet procellas; gratus cibus Christo, sed assus ardore ipsius fidei, nec sine fauo mellis deuotionis esse debet. vide igitur quæ sint à Deo petenda. panis idest charitas, quæ ex corde fit, nã dicitur, *panis cor hominis confirmet.* piscis idest fides vera in baptismi aquis suscepta. piscis non timet procellas, nec fidelis aduersa. piscis gratus cibus Christo, sed assus igne mortificationis. denique spes petenda, per ouum significata, vnde pullus existit.

A Deo petenda charitas fides spes per panẽ piscẽ, & ouum significata

7 Explicat illud: *Tulistis clauem scientiæ, & ipsi non introistis.) Intelligendum de humanitate Christi, quod in scripturis dicitur, intellectus eorum, quia nec ipsi intellexerunt, nec ab alijs intelligi voluerunt.* Nota vt scientiæ claui, non solùm alijs, sed nobis ad profectum aperire debeamus secreta cælestia. referri hoc contra mundanos potest, qui cum à pietate, vel religioso statu abhorreant, etiam alijs impedimento sunt.

Improbi aliosquoque impediẽtes à probitate taxantur.

8 Item illud, *Quod dicit, cum videritis nubem orientem ab occasu. carnem suam à morte resurgentem significat, ex illo enim omnis imber euangelicæ prædicationis infusus est.* pulchrè indicat Christum ab occasu passionis, ac mortis in Orientem progressum, quasi nubem roscidam, quæ terram aridam fœcundaret. addo quod Aegyptij sic dicebant, aliquando Solem ab occasu exortum in Orientem versus. nubes certè euangelicæ prædicationis hoc tempore ab occasu, hoc est per Hispanos in primis in Orientem se fudit. ab Hispanijs enim Franciscus Xauerius eò progressus; inde & magni illi heroes Dominicus, Ignatius, &c. è quorum familijs Apostolici viri ad prædicationem Dei verbi progressi.

Nubes oriens ab occasu in Orientẽ caro Christi resurgens.

Prædicatio ab occasu idest per Hispanos maximè diffusa.

9 Auaritiam carpit. *Hydropicum rectè comparamus diuiti auaro.* ob inexplebilem scilicet sitim. Huc refer illud lyrici poetæ. crescit indulgens sibi dirus hydrops &c. quod & ipse ad auaros refert. huc & Tantali fabula spectat apud aquas miserè sitientis.

Auarus hydrope laborat.

10 Exponit illud, *Non computat sumptus, &c.) sumptus ad turrim, vires ad disciplinam Christi: decem millia contra viginti millia, simplicitas necessaria contra duplicitatem diaboli significatur:* nam vnus denarius simplicitatem denotat. nota hic de religiosis Mundo renunciãtibus Christum locutum. adeo hæc virtus ipsis maximè commendatur. vide autem quãtam vim habeat simplicitas contra diabolum qui vafer est. acutè, & mirè dictum. vincitur maior numerus à minore: quia hic simplicitatis, ille duplicitatis est typus. mirum quomodo Daniel leones vicerit. *Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonis,* leo autem diaboli typus est.

Simplicitas religiosis, maximè commẽdatur. diabolus simplicitate in primis vincitur.

11 De filio prodigo sic. *Istæ epulæ, & festiuitas de filio prodigo nunc celebrantur per Orbem terrarũ, Ecclesia dilatata, atque diffusa: vitulus enim ille in corpore, & sanguine dominico offertur patri, & pascit totam domum: vitulus saginatus ipse est dominus, sed secundùm carnem saturatus opprobrijs.* nota de Eucharistiæ frequentia, cum præparatione ad iniurias, & opprobria ferenda; & pertinere ad conuersos in primis, & pœnitentes. Tum vide, quomodo accumbendum: cũ annulo fidei, cũ stola prima iustitiæ, ac sanctitatis, cum symphonia virtutum.

Epulum factum filio prodigo typus Eucharistiæ

12 Filius prodigus cum venisset, & accessisset ad patrem, *non addit, quod in illa meditatione dixerat; fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: nam mercenarium esse post osculum patris generosissimè dedignatur.* nota primum actum respondere attritioni; quæ est ob mercedem, secundum contritioni, quæ dolet de offensa simpliciter propter Deum; osculum verò charitatis actui respõdere. nota item peruicaciam Iudæ, qui vel accepto osculo à Christo nõ resipuit ad amorẽ. acutè, autẽ, ac pulchrè admodũ aduertit: cũ initio deliberasset dicere *fac me vnum de mercenarijs tuis.* accepto iã paterno osculo, animi generositatẽ simul concepisse, nec seruire velle pro mercede, sed amare pro debito.

Cur filius prodigus accepto paterno osculo nõ offert se mercenarium.

13 Expendit paternæ beneuolentiæ præclara argumenta in filium. *Stola est prima dignitas, quam perdidit Adam.* Nota, ac vide, an dici conueniat, aliquando beatam Virginem ea stola spoliatam, & nudam relictam: cum contra sub typo sapientiæ de ipsa dicatur, *Stola gloriæ indues eam.* & Iudith quidem, quæ Deiparæ figura fuit, debellatura Holophernem sumpsit, *Stolam nouam.* nempe hoc priuilegium non amittendi primã dignitatem nouum est, ac nemini, absolutè homini, concessum, nisi Deiparæ.

Prima stola dignitas ante peccatũ originale.

14 *Date anulum in manus eius.) pignus hic est Spiritus sancti.* rectè, nam anulus inseritur digito, qui venam habet respondentem cordi, Spiritus autem sanctus, amor est, & amoris auctor in corde. sequitur: *& calceamenta in pedibus: præparatio*

Anulus in manu pignus Spiritus sancti.

ratio hac est ad non tangenda terrena. hinc apparet prodigum filium in tantam venisse inopiam, vt discalceatus esset, & meritò, quia terrenis adhæserat: pedes enim sunt affectus. hinc puto laudari sponsam, vt minimè adhærentem terreno pulueri, *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis, filia Principis.*

14 *Audiuit symphoniam, & choros.) hoc est, Spiritu plenos vocibus consonis euãgelium prædicare.* Vides prædicatorem diuino Spiritu plenum esse debere; sicut & musica instrumenta spiritu oris egent. hinc super Apostolos. *factus est sonus tanquam spiritus vehementis.* ad hæc cõsonent verba dictis sacræ scripturæ, nõ ineptiis exoticæ disciplinæ: in quo, si omnes prædicatores conuenirent, symphonia esset consonantissima. hinc illud Hieremiæ. *cor meum ad Moab quasi tibia resonabit.* nẽpè, cor Spiritu afflatum habebat. duo igitur concionatori necessaria sunt. feruor Spiritus in dicendo, & intelligentia sacræ scripturæ.

Concionator spiritu plenus sit oportet.

15 Pergit ad cetera. Filius maior, populus Iudæus in agro erat, idest in opulẽtia legis, & prophetarum; ac terrena potius operabatur. *Quanquam tamen terrena desideraret, tamen ab vno Deo desiderabat, licèt communia cum pecoribus. vnde in psalmo dicitur: sicut pecus factus sum apud te, & ego semper tecum; vt hic dicit ei pater: tu mecum semper es.* hinc collige quantò magis Christianus hæc externa bona solùm à Deo petere debeat, non per malas artes, ac fraudes, ac semper Deum habere præsentem.

Etiã terrena bona à Deo quærẽda non per malas artes.

16 *Omnia mea tua sunt.) Sed quomodo omnia? num, & Angelos, & Virtutes sublimes, ac Potestates, atque vniuersa cœlestia Deus in possessionem dedit?* non quod omnium horum sit dominus, sed vt dicimus iustum possidere veritatem. vel non ità possidet vt Deus; sicut in familia ceteris pecunia est ad alimentum vel ornamentum, non in dominium. Tum egregiè subiungit. *certè cum ipsum patrem ille possit suum dicere, non video, quæ ipsius, rectè sua, vocare nõ possit, diuersis dumtaxat modis. cum enim beatitudinem illam obtinuerimus, nostra erunt ad viuendum superiora, nostra erunt ad conuiuendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora.* pulchrè ostendit plenam omnium possessionẽ rerum fore in beatis, quasi communione cum Deo ipso possessio.

Beatus rerũ omniũ possessor dici poterit.

17 *Regnum cœlorum vim patitur &c.) hoc subiungit Euangelista cum dixisset, derisum fuisse Iesum à Pharisæis, cum de contemnendis terrenis diuitijs loqueretur.* acutè animaduertit tempus, quo hoc dictum. hoc igitur est quasi vi facta prædari Regnum cœleste, cum & terrena contemnuntur, & linguæ hoc deridentium. vbi nota quid sit à violentis rapi cœleste regnum, ab ijs scilicet, qui generosi sunt in cõtemnendis humanis, ac terrenis, & sermonibus mundanorum oblatrantium. ità nõnulli viri illustres fecerunt religionem intrantes.

Irrisio pro re bona decus est, & victoria.

18 De Lazaro ægro sic. *Vlcera sanari, sunt confessiones peccatorum, veluti mali humores à visceribus intimis foras erumpẽtes. canes, qui ea lingebant, nequissimi homines sunt amantes peccata, qui lata lingua etiam laudare non cessant opera mala, quæ in se alius gemens, & confitens detestatur.* Vide quàm fœda res sit peccatum, & quãtæ impudentiæ sit peccanti blandiri. Addit pulchrè: *vel Lazarus Christum significat. vlcera passiones sunt domini, ex infirmitate carnis, quas suscipere pro nobis dignatus est: canes ergo, qui ea lingebant, gentes sunt, quos peccatores, & immundos dicebant Iudæi: quæ passiones Domini in Sacramentis corporis, & sanguinis eius per totum iam Orbem suauitate lambunt deuotissima. sinus autem Abrahæ intelligitur secretum patris, quò post passionem assumptus est.* præclarè interpretatur vulnera Christi pauperis à nobis lingenda esse cum suauitate, & deuotione, quod maximè fit in Eucharistia, tanquam à fidelissimis canibus. huc illud psalmi pulchrè referri potest. *vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum, &c.* porrò narrant canes aliquando à sepulchro sui domini recedere noluisse, ibique dolore consumptos. Ad Eucharistiam quoque spectat, quod addit. *Dominus noster Iesus Christus, qui vult pasci in ministerio seruorum suorum, hoc est in corpus suum quasi mactatos, & manducatos transferre credentes, etiam hic pascit eos Sacramento passionis suæ, & verbo fidei.* Vide vt Christus nos per mortificationem mactatos in se comedẽdo transmutet. dum ipse comeditur; ità vt dicere possimus: *Viuo ego iam non ego, &c.* dat se ipsum nobis passione mactatũ in cibum, pariter idem deposcit à nobis.

Adulatores canes sunt ulcera lingentes.

Iusti Christi uulnera lingua lambunt ut catuli.

Ad Eucharistiã præparatio est mortificatione mactari.

Luc. 5.

19 De decẽ leprosis sic *Conturbat cõsiderantem, quomodo mundus dici possit leprosus. quærendum igitur est quid ipsa lepra significet, non enim sanati, sed mundati dicuntur, qui ea caruerunt: colorum quippe vitium est, non valetudinis, aut integritatis sensuum, atque membrorum.* leprosi igitur hæretici sunt, qui macularum varietatem habent, dum veris falsa permiscent. hinc collige, quàm vitandum sit eorum consortium. lege quæ in Leuitico præcipiuntur, *habebit vestimenta dissuta, & os veste contectum, & immundum se clamabit.* erit extra castra idest Ecclesiam.

Hæretici leprosi sunt.

20 *Quid significat vxor Loth? eos, qui in tribulatione retrò respiciunt, & se à spe*

diuinæ

diuinæ promissionis auertunt, & ideò statua salis facta est, vt admonendo homines, ne hoc faciant, tanquam condiat cor eorum, ne sint fatui. Vide vt cor hominis insipidum, insipiens, atque insulsum fit, ac proinde, facile putrescens, nisi timore Dei condiatur, exemplis sibi propositis diuinæ vltionis in eos, qui scelera commiserunt.

Timor Dei condimentū cordis.

22 Quærit, qui sunt *in illa nocte duo in lecto, & duę molentes in vnum: de quibus binis singuli assumentur, & singuli relinquentur.* nimirum tres status: vnus eorum; qui quietè degunt sine negotiis sæcularibus, aut Ecclesiasticis, secundus eorum, qui à doctoribus reguntur in negotiis temporalibus, de quibus tamē præbent vsibus Ecclesiæ: *Hos fœminarum nomine significamus, quia consiliis peritorum regi eos expedit, & molentes dixit propter temporalium negotiorum orbem, atque circuitum. tertium eorum, qui operantur in Ecclesiæ ministerium in agro Dei: Dei sumus adiutores, agricultura &c.* subiungit: Ex his generibus in nocte tribulationis alii stant, alii cadunt. & nota, mirum enim est quod etiam in primo statu quieto, & tertio perfecto sint qui cadunt. Addit: hi tres status significātur apud Ezechielem per tres iustos; Danielem ob cœlibem vitam sine sollicitudine: Noe ob arcam gubernatam: Iob ob familiam, & copiam rerum temporalium, qui in nocte tribulationis fortis inuentus assumptus est. *A*cutè distinguit. vbi nota, religiosos Danieli rectè comparatos, nempe Angelorum visionibus assueto, Gabrielis in primis, qui Virginis nuncius futurus erat; item vir desideriorum est appellatus; puritatis Susannæ defensor, orationi sēper intētus: hæc, & alia propria religiosi sunt. Noe designat operarios Ecclesiæ. denique *I*ob seculares. Danieli lectus contemplationis, & quietis competit, qui à sponsa lectulus floridus dicitur; Noe ager, nam vineam plātauit. Iobo molendinū ob curas domus. sæculares p̄ fœmineum sexum intelligit, tanquā imbecilliores sint & infirmiores; & negotia quidem temporalia, in quibus occupari sibi honori dāt, molendino molestilissimo operi cōparat. Samson certè intentus vxorio negotio ad molendinum est damnatus à Philistæis.

Mulieres molentes sæculares sunt occupati negotiis terrenis.

In omni statu alii stant alii cadunt.

23 De cęco apud Hierico sanato sic disserit. Hierico Lunam significat, & iccircò instabilitatē mortalitatis designat. *Bis factum est hoc miraculum. semel in vno cæco, dum adhuc dominus veniret in illam ciuitatem, & iterum in duobus, cum inde egrederetur; neq; hoc sine aliquo mysterio.* morti enim appropinquans Dominus Iudęis Euangeliū prędicari iussit. postea tùm Iudęis, tùm gentilibus: ideò in ingressu Hierico vnum cęcū illuminauit, in reditu duos. acutè admodum adnotatū. ac vide in Christo progressum ad benefaciendū. Addo hoc miraculum aptè apud Hierico factum, quæ interpretatur, Luna; nā vt hæc lumen a Sole accipit, ita cęcus a Christo.

Cur Christus in accessu ad Hierico vnū cęcū sanat in reditu duos.

24 De futuro sæculo dictum exponit. *Neque nubent, neque nubentur.*) nimirū cōnubium propter filiorum necessitatem est; & successio propter mortem, ergo in cœlo connubia non erunt. *Sicut enim nunc sermo noster decedentibus, & succedentibus syllabis peragitur, atque perficitur; ità & ipsi homines decedendo, & succedendo peragunt, atque perficiunt ordinem huius seculi, qui temporalium rerum pulchritudine contexitur. In illa autem vita, quoniam Verbum Dei est, quo fruemur, nulla decessione, & successione syllabarum completur, nec moriendo sibi decedent, neque nascendo succedent.* pulchra similitudo cum discrimine. Mundus hic instar verbi per syllabas successiuè pronunciati est. at Mūdus ille architypus, Verbū patris, permanēs, totum simul, & æternum est, per cuius participationē, & nos æternitas excipiet. nota etiam Mundum, ac proinde hominem, qui paruus est Mundus, tāquā carmen esse syllabis coalescens ad laudandum Deum pertinens, quod & alibi dixit. igitur tempus, quo seculum voluitur, per cęli motum, non sine hoc concentu diuinę laudis peragi debet. hinc de cęlo, quę pars *M*undi præcipua est, dicitur: *concentum cœli quis silere faciat?*

Successio generationis humanæ quasi syllabarum in carmine.

In cœlo uirginitas erit quia nulla successio.

Ex Quæstionibus in Matthæū.

1 QVærit, cur *S*cribæ volenti se sequi, dixerit. *Vulpes faueas habent, & volucres cœli nidos?*) *Nimirum vulpem nominat, quia ille tantùm fingebat se sequi: astutū enim vulpes est animal. de volucri meminit, quia ille sequi se velle fingebat ad iactantiā. respondit Christus de sua humilitate.* acutè vtrumque notatum. vide, vt ab ijs, qui sequi volunt Christum, hoc est à religiosis, omnis duplicitas, & superbia abesse debeat, cum eius status propria sit, & simplicitas, & humilitas.

Simplicitas, & humilitas propria religiosorum.

2 Quærit, cur *A*postolis dicatur. *Excutite puluerem de pedibus vestris?*) *Nimirū, vel ad testandum laborē, quem pro iis frustra suscepissent; vel vt ostenderēt, usque adeò sè ab ijs nihil terreni quærere, ut etiā puluerē de terra eorū, sibi nō paterentur adhærere. quasi dicerent: frustra pro uobis tātū itineris cōfeci, uel testor me nihil terreni emolumēti spectasse, sed sincerè Dei gloriā.* nota vt vir Apostolicus pro labore suscepto in animarum salutem nihil prorsus terrenum recipere debeat. *quod gratis accepistis, gratis date.* id noster Ignatius seriò monet, vide etiam vt omnia terrena pulueri cōparētur prę *D*ei gloria.

Viri Apostolici nihil terrenum pro labore recipere debent.

3 Quærit, cur dixerit: *Estote prudentes sicut serpentes.*) *S*erpens corpus pro capite

obiicit, ità nos pro Christo. *vel quia per angustias sè coarctans veteri tunica exutus innouat; quod imitantur, qui intrant per angustam portam, cum veterem hominem exuunt.* huc refero innouationem Pauli, cum in conuersione: *ceciderunt tanquam squamæ ex oculis eius*: squamosus dicitur serpens. summus etiam sacerdos in veteri lege cingulum habuit, vt narrat Iosephus, instar exuuii serpentis.

Renouatio spiritus in serpente significata.

4 Rursus quid sibi vult. *Et simplices sicut columbæ? nēpe hoc genus auis nulli animaliū nocet, nō solū grādiū, sed etiā minutissimorū, quibus etiā perparui passeres alūtur.* vide vt nemini nec vilissimo nocendum sit. aliæ aues certè vermiculis pascuntur, columba prorsus innocens abstinet.

Nemini nocendū vel minimo colūba more.

5 Interpretatur parabolam de vinea. *Inimicus homo super seminauit zizania.) Boni catholici quod ad fidei doctrinam pertinet, ità quærūt, vt absit cōcertatio, periculosa, vel quærenti, vel ei, cum quo quæritur, vel eis, qui differentes audiūt: ità autē docent, vt vsitata, & confirmata securissimè, & fidentissimè, & lenissimè, vt possūt, insinuent; inusitata verò quærēdi potius, quā affirmādi modo &c.* nota qualiter disputandum in rebus præsertim theologicis, & vt dissidia sentētiarū, veluti zizania vitāda. argumētatio nō est armorū imitatio, sed veritatis indagatio. rectè illa tria psonarū adiūcta circa materiā disputandi aduertit: vt ea sit, quæ nullum afferat periculum, vel ipsi disputanti, vel ei quicum disputat, vel auditoribus.

In disputando quid cauendum sit.

6 Transit ad alterā parabolā. *Simile est regnū cœlorū homini negotiatori quærēti bonas margaritas; inuēta autē vna pretiosa margarita &c.) Quæstio est, cur a numero plurali ad singularē transierit? ut cū quærat homo bonas margaritas, unā inueniat pretiosā quā uēditis omnibus, quæ habet, emat. Aut ergo negotiator iste bonos homines qrēs, inuenit unū præ omnibus sine peccato, Christū Iesū. Aut præcepta iustitiæ quærens inuenit dilectionem proximi, in quo uno, dicit Apostolus, omnia continētur; nam, non occides &c. in hoc uno præcepto instaurantur; diliges &c. Aut bonos intellectus homo quærit, & inuenit unum illum, quo cuncti cōtinentur; In principio erat Verbum &c. est enim Verbum domini lucidū candore ueritatis, & solidum firmitate æternitatis, & undique sui simile pulchritudine diuinitatis: qui Deus penetrata carnis testudine intelligendus est. ille enim ad margaritam ipsam iam peruenerat, quæ in tegumentis mortalitatis quasi concharum obstaculo inter profunda huius sæculi, atque inter duritias saxeas Iudæorum aliquādo latuerat, qui ait: & si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.* Addit: non peruenitur ad intellectum huius margaritæ, nisi discussis omnibus tegumentis literalibus, & similitudinū: *nos ipsos pro illa margarita damus, non quia tanti ualeamus, sed quia plus dare non possumus*. pulcherrimus hic locus est de margaritæ significatione. acutè rationem indagat, cur, cum de inquisitione plurium margaritarum agatur, mercator ille vnam inuenerit: Primò quia vnum Christum sine peccato inuenit, ex omnibus iustis, quasi margaritum pretiosum, & perfectissimum, cuius veluti concha, Deiparæ vterus fuit. hanc religiosus quasi negotiator peritus emit venditis omnibus. Secundò quia charitas, & dilectio proximi est hoc margaritum, qui & vnio dicitur. Tertiò quia Verbum diuinū in carne mortali quasi concha testacea latebat inter dura saxa, & cautes, idest Iudęos in mari huius seculi: ac nota triplicem dotem margaritæ, quæ inest Verbo diuino, candor lucidus ob veritatem, soliditas ob ęternitatē, pulchritudo ob diuinitatē. margaritæ colūbę pro cibo sunt: tales esse debent, qui ad Eucharistiam accedunt: ideòq; vt ait S. Basilius, olim Eucharistiam intra columbam argenteam seruabant, & recondebant. denique Paulus pulchrè dicitur hic negotiator, qui hāc margaritam inuenit, & quodammodo expiscatus est latentem sub testacea mortalitatis concha inter seculi fluctus apud saxea Iudęorum corda.

Religiosi negotiatores margaritarū.

Charitas margarita pretiosa est.

2. Cor. 5.

Verbum diuinum pretiosæ margaritæ dotes habet.

Eucharistia cur olim intra colūbas argēteas asseruata.

Paulus piscator pretiosæ margaritæ Christi.

7 Explicat quid sit. *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias: exceca cor populi huius &c.) Quoniam Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, alijs quibusdam peccatis ità eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione non poterant credere. non ideò, cæcati, vt non conuerterentur, sed ideò conuerti non poterant, quia excęcati, immò ideò excæcati per obscuritates parabolarum, vt conuercētur; nam humiliati credētes miracula Christi post resurrectionem, in eum, quem crucifixerant, crederent; nam ipsa collyria, quæ ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensum videndi prius claudant, & perturbent, prodesse non possunt*. Vide peccati damnum; quo fit vt mereātur excæcari, & in alia labi. vide etiā, vt humilitas, qua quis se cæcum, & indignum putat diuinis mysteriis, ad salutem faciat: prodest ipsa confusio, & ideo egregiè ait, excæcationem illam non ad inpęnitentiam dari, immo potius ad conuersionem permitti.

Per priora pecca ta permittimur in alia labi.

Excæcatio peccatori pmittitur nō ad impœnitentiā sed ad salutem.

8 Exponit illa verba. *Omnis scriba doctus in regno cœlorū profert de thesauro suo noua, & vetera.) Ostendit eum doctum habendū in Ecclesia, qui scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis nouis accipiens regulas*. certè hic ipse Augustinus indicatur. in primis verò Hieronymus videtur scriba doctus, proferens de thesauro scripturarum mysteria, quē meritò Ecclesia in ijs exponendis vocat doctorem maximum.

Hieronymus scriba doctus.

9 De

In Verbo velut in pictura insunt quæ à Deo disposita.

9 De diuino Verbo hæc præclarè. *Sic fuerunt in illo magno Verbo omnia, quæ facta sunt, vt si pictor velit pingere totam domum, & cogitet ante item locum, vbi se pingere debeat. sic Deus ab æterno disposuit omnia, & ipsam Incarnationem &c.* pulchrè admodum ait in Verbo tanquam in elegãtissima, speciosissimaque pictura apparere quę Deus constituit suis quæque temporibus moliri, ante omnia se auctorem per Incarnationem terris ostendendum depinxit, atque effinxit. qua arte? quibus coloribus expressa est tam admirabilis excellensque pictura? Phidias cum Mineruæ simulacrum efformasset, in illo sè insculpsit eo artificio, vt non posset ipse tolli, quin corrueret, & destrueretur simulacrum totum.

Mors in uotis est iusto.

10 De huius vitæ contemptu sic. *Frustrà quidam dicunt, ideò se nolle mori, vt proficiant, cum ipse profectus eorum in eo profectu sit, vt mori velint.* acutè arguit, nimium amorem huius vitæ, sub prætextu profectus. at hic est verus profectus, non amare hanc vitã temporalem, aspirare ad ęternã.

Ex Libro I. de consensu Euangelistarum.

Cur Christo tanta cura de titulo Crucis.

1 Q*Vod prædictum erat in Psalmo 74. Ne corrumpas in tituli inscriptionem, completum est cum ait Pilatus. Quod scripsi, scripsi.* Vide quanta cura Christo fuerit de titulo crucis, vt scilicet constaret esse se regem Iudæorum, idest cõfitentium & pro his mori. adnotauit hoc auctor in Marcum inter opera Hieronymi. Matthæus per Salomonem in genealogia descendens circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personas versantur. Marcus breui complectens historiam. *Ioannes verò longè à tribus reliquis Euangelistis superius fertur: ità vt hos uideas quasi in terra cum Christo homine conuersari: illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, & peruenisse ad liquidum cœli, unde acie acutissima, atque firmissima uideret: In principio Verbum Deum apud Deum, & ipsum agnosceret carnem factum.* præclara laus Ioannis, supra cœlos cœlorum ascendentis, infra se habentis obscuram nebulam nostræ intelligentiæ.

Ioannis euangelij elogium elegans.

Ioannes in more habuit decumbere super Christi pectus.

2 *Diuinitatem, in qua Christus æqualis est Patri, penè solus Ioannes in euangelio suo posuit, tanquam de pectore ipsius domini, super quod discumbere in eius conuiuio solitus erat, secretum diuinitatis uberiùs, & quodãmodo familiariùs bibit.* nota illud; *solitum* Ioannem discumbere super pectus domini. non ergo tum primùm discubuit in ea cœna. magnum dilectionis signum addit Ioannem complexum, vitam contemplatiuã, alios actiuam. Ad hæc subiungit: *Ioannes facta domini multò pauciora narrauit; dicta uerò eius ea præsertim, quæ Trinitatis unitatem, & uitæ æternæ felicitatem insinuant, diligentius & uberius cõscripsit.* vide quàm sublimibus, pariterq; iucundis pascat animum dictis.

Ioannes contemplatiuã uitam alij euãgelistæ actiuam præsetulerunt.

Ioanni scribenti proposita Trinitas, & beatitudo.

3 Pergit in Ioannes laudibus. In Ezechielis, inquit, animalibus exprimitur per leonem Matthæus, nam Christi personam commendat ex Iuda, item Magos ad eum Regem venientes describit, & Herodis Regis turbationem. per vitulum Lucas, quia Zachariæ sacrificij meminit. per hominẽ Marcus, agens de ijs, quæ Christus, vt homo est operatus. *At uerò Ioannes super nubila infirmitatis humanæ uelut aquila uolat, & lucẽ incommutabilis ueritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur.* rectè, nam aquilæ fulmen tribuerunt, & Ioannes Boanerges est dictus, idest filius tonitrui. ad hanc autem eius euangelij sublimitatem & acutissimam mentis aciem facit illud apud Iob. *nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? de longè oculi eius prospiciunt, &c.*

Ioannes euangelista aquilæ cõparatus.

Iob. 39.

Euangelica quadriga frumentaria & triumphalis.

4 Pulchrè defendit Euangelistas. *Has domini sanctas quadrigas, quibus per Orbem uectus subijcit populos leui suo iugo, quidam calumnijs appetunt, ut ijs derogent fidem, per quos Christiana religio disseminata per Mundum tanta fertilitate prouenit* huc. pertinet illud, quod de Triptolemo dixerunt, eum curru per aerem vectum, disseminasse frumentum in terris, vnde fertilitas mirà prouenerit, verius id de Christi quadriga euangelica docendum. quamquam eadem triumphalis quoque fuit qua ille subuectus orbem terrarum sibi subiecit.

Cur Christus præcepta non scripserit sed per euangelistas.

5 Affert rationẽ, cur Christus docuerit verbo, non calamo. *Pagani dominum culpare audent, quod nihil ipse scripserit, at aliis de ipso scribentibus necesse sit credere. discipulos uerò dicunt, amplius quàm erat, tribuisse magistro, ut eum filium Dei dicerent.* sed quare ipsi credunt philosophis, qui nihil scripserunt, sed eorum discipuli tantùm? nam Pythagoras, & Socrates dæmonis sui iussu negant se scripsisse. *an illi, quos Christo multò inferiores esse non dubitant, ueriores de se discipulos facere potuerunt, iste non potuit?* nota vt ipsi gentiles faterentur Pythagoram, & Socratem multò inferiores Christo & tamen dicebant: Ipse dixit.

Christus a gentilibus habitus magus.

6 Respondet ceteris obiectis. *Aiunt Christum scripsisse ad Petrum, & Paulum epistolas de Magia. at Paulus post Christi mortem conuersus est. an quia uident eos pictos unà cum Christo? nec mirum si à pingentibus fingentes decepti sunt.* acutè, & salsè eludit obiectũ deinde cur ipsi nulla talia faciũt, qualia illud de libris talibus fecisse mirantur? *vel cur non produnt hos libros? an quia mali? nõ igitur sapiẽtissimus Christus esset, vt cõcedũt. præterea quomodo potuit magicis artibus agere, antequam natus, in pro-*

phetis? quis impleuit, vt de se dicerent? neque enim si magicis artibus fecit, vt coleretur, & mortuus, magus erat antequā natus. Sed cur magus habitus Christus, ad quem potius adorandum conuersi Magi venerunt, quos quidam magiis, & præstigiis antea deditos putāt? an quia ad se traheret aliorum corda? quid mirum si & noster Ignatius ob id magus, & incātator habitus est? sed incantans sapienter. acutè autem argumentatur, non potuisse, si magus erat, antequā natus prophetas sibi constituere.

Cur Romani victis Iudęis, nō exceperint cultu eorū Deum ut faciebāt in aliis gentibus victis.

8 Causam indagat, cur Christus à Romanis inter ceteros Deos numeratus non sit. *Solebant Romani Deos, quos subiugabant, colendos propitiare, & eorum sacra suscipere. hoc de Deo gētis hebrææ, cum eam vel opprimerent, vel interficerent, noluerunt facere; credo quod videbant, si eius Dei sacra susciperent, qui se solum deletis etiam simulacris coli iuberet, dimittenda esse omnia, quæ prius colenda susceperant, quorū religionibus imperium suum creuisse arbitrabantur.* at potius ex occulto veri Dei placito augentur regna, vel dantur. rursum existimare debuerunt, non potuisse protegiā Dijs, qui si potuissēt, suos potius protexissent, ne vincerentur. nec scelerum causa non protexerunt, nam Romulus homicida fuit vrbem statuens. at Iudęos pręcesserunt peccata, ob quę eorum prophetæ prędixerant conterendos. est autem notabilis illa ratio: cur, cum Romani eius gentis, quā vicerant, Deos solerent sibi conciliare, & cultum Romæ exhibere inter ceteros Deos, victis item Iudæis, ipsorum Deum non similiter sibi adsciuerint? quia nimirum sciebant hunc non ferre aliorum Deorum consortium.

Deus antea reiectus ab omnibus nunc ab omnibus cultus

9 De mira fidei propagatione per Euangelium sic. *Rem sanè mirabilem non aduerterūt pauci pagani, qui remanserunt, Deum Hebręorum offensum à victis, nec receptum à victoribus, nunc prædicari, & coli ab omnibus gentibus.* Vide Euangelij gloriam, quæ Christum testetur Deum. ille, qui ab ipsis Iudęis repudiabatur, & ab alijs gentibus reiiciebatur, nunc a toto Orbe, & recipitur, & colitur. rectè rem admirādam dicit, Subiūgit rursus. *hinc ostenditur* Deus, *qui res humanas iustè, & misericorditer curet, non quod ipse sit victus in hebręo populo, qui nūc vbique delet idola gentium; quæ vtiquè nè delerentur, recipere sacra eius Romani noluerunt, sicut receperunt Deorum aliarum gentium, quas vicerunt.* sed & illas tandem, & ipsam Romam Christus sibi subiugauit conuersam. quod autem noluerint primò Christum, vt Deos aliarum nationum, recipere in Deum, timentes ne hostiliter eos perderet: nimirum & aquilæ pennæ consumere dicuntur aliarum auium pennas admistas; ità Christus idola, præsertim per Ioannis Euāgelium, qui aquila dicitur, de illius diuinitate peculiariter differentis. huc pertinet Dagon fractus coram Arca.

Vim Christi nominis vel magi agnoscūt

10 Magos arguit, qui, vt sibi fides haberetur, etiam Christum magum fuisse dicebant. *Quid Christū male laudando se ipsos iudicant? si aliqua magica sub eius nomine scripta sūt, cum vehemēter his artibus Christi doctrina inimica sit, hinc potius intelligāt quantum illud sit nomen, quo addito illi suas nefarias artes honorare conantur.* rectè vim, & decus Christi nominis vel hostium testimonio demonstrat.

11 Affert de Christo testimonium vel ab hoste. Iudæi dispersi vbiq; noluerūt fieri idololatrę, & *Libros propheticos ad testimonium gerunt adhuc Christi: vt sic de inimicorum codicibus probetur veritas prophetati Christi.* ideò puto de illis dici. *Disperge illos in virtute tua. & pone illos ut rotam.* vt totum scilicet Orbem percurrētes, à scripturis, quas secum ferunt, arguantur. idem mox inculcat. *ne a nobis hęc cōposita viderētur, hoc magnū Deus Ecclesiæ præstitit, vt Iudęa gēs dispersa p terrā codices nostros portet inimica fidei nostrę, testis fiat veritatis nostrę.*

Demonū oracula coacta Christum Deum fateri.

12 Præclarū est & hoc de Christo. *Ipsi Christianæ religionis obtrectatores propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam philosophi eorum, sicut in libris Porphyrius prodidit, cōsuluerunt Deos suos, quid de Christo responderent? illi autē oraculis suis Christū laudare conpulsi sunt; nec mirum, cū & in Euangelio legamus, eum dæmones fuisse confessos. ac propterea isti cōtinent blasphemias à Christo, & eas in discipulos eius effūdunt.* hoc & apud barbaros nunc fit: fatētur enim ipsi dæmones è statuis loquētes, se à Deo Christianorū vinci. Tū nota, vt infideles diabolum perfidia vincere videantur, itēq; blasphemi in Christum, quod illi nā audent, sed in discipulos, licet impiè, retorquēt. Diluit & aliud obiectū; Aiūt euersionē templi, & idolorum nō à Christo pręceptam, sed per discipulos factam; atqui prophetæ hoc prædixerant.

Nulla gentiliū excusatio cur non Deū nostrum recipiāt

13 Sic arguit infideles. *Si Philosophorū scientia est, omnes Deos colendos esse sapiēti, cur Deus Israel a numero ceterorū reiectus est? si plurimū valet, cur ab eis solū non colitur? si parū, aut nihil valet, cur cōntritis eorū simulacris ab omnibus gētibus solus penè iā colitur? si maiores, & minores Deos colūt, cur non hūc, qui præualuit omnibus? quos colunt, &c.* Vide per quot capita cōuincātur qui vni, ac vero numini nō credūt. *Addit* pręterea, cur non *Deū Israel* colūt? *pręsertim cū etiā malos Deos, colēdos Romani putent; qui Pallori, ac Febri fana fecerūt; q. & 'γαθοὺς dæmonas imitādos, & κακοὺς placādos monēt.* ad idē pertinēt quę sub iūgit. *Quid ergo sētiūt de Deo Israel? quē si nō colūt, nō oēs Deos colūt? si autē colūt, nō colūt; sicut se coli*

iussit

iussit, quia, & alios colunt, quos ipse prohibuit. Quæ est ista inter Deos tam fœda contentio? vt nec Diana Virgo casta coli prohibeat, non dicam Venerem, sed Priapum? nec Hercules Iunonem persecutricem suam? Vide vel stultitiam, vel cæcitatem etiam eorum, qui apud veteres sapientes dicti sūt. rectè arguit dissonum inter se Deorum chorum. Tum destructionem idolorum multò ante prædictam ostendit. *Ad te omnes gentes venient ab extremo terræ, & dicent. Verè mendacia coluerunt patres nostri, simulacra. ecce nunc fit. ecce nunc gentes ab extremo terræ veniunt ad Christum ista dicentes, & simulacra frangentes.* Certè id nostra quoque ætate factum, cum ex Iaponia missi regii legati Romam venerunt, fidem profitentes.

Predictio idololatriæ destruendæ.

Ierem. 16

13 Pergit respondere gentilium obiectis, cum dicunt, non à Christo, sed à discipulis tantùm vetitam idololatriam, *Nunquid finxerunt prophetias? non ne idē est Deus eorum, qui hæc vetuit?* rectè ait, certè prophetias fingi non posse, quia præcedunt. eosdem sic vrget *Nunc obscondunt Deos suos, ne à Christianis inueniantur, atque frangantur; vnde hoc, nisi à timore legum, atque Regum? tunc longe ante prædictum per prophetas: Et adorabunt eum omnes Reges terræ. & Esaias ait: in illa die manibus fabricata omnia abscondent in speluncis. &c. & proiiciet homo abominationes suas argenteas, & aureas.* Huc facit quod nuper legimus in nostris annalibus, nēpe gentilium ipsorum pueros baptizatos drama egisse in scena, in quo repræsentata idolorum destructio est: publicè enim ab ipsis pueris confringuntur, & conculcantur, & illuduntur idola: adeo apud pueros ipsos dæmones derisi abeūt in fabulam.

Idolorū strages à Christianis facta

psal. 11.

Esai. 2.

14 *Quidam ex ipsis philosophis aiebant, intellexisse se ex iis, quæ Iudæi in suis sacramentis agerent, Deum Israel esse præpositum istorum elementorum; quibus iste visibilis, & corporeus Mundus extructus est; sed si ità est, cur non ipse potius colitur, quàm Neptunus, qui solius maris præpositus est? quàm Siluanus, qui solorum agrorum? quam Sol, qui solius diei? &c.* rectè arguit. Vbi nota, Deum Israel putatum à philosophis ipsis gentilibus elemētorum Deum. an quia audierant eam gentem in elementis maximè adiuuisse? siuè per columnam nubis, & ignis; siue per māna donatum ex aere, siue per terram se aperientem scelestis &c. an quia in veste Sacerdotis summi, quæ referebat Orbem terrarum, elementa quatuor per totidem colores eorum proprios, exprimebantur?

Deus hebreorū dictus à philosophis elementorū Deus.

15 Quàm certum sit Deum esse, sic ostendit. *Lucanus quidam, magnus in eorum carmine declamator, maluit incertum Deum, quem non inueniebat, quàm nullum Deum dicere, cuius tam magna documenta sentiebat: ait enim: & dedita sacris incerti Iudæa Dei. & si nondum Deus iste sanctus, ac verus per Christi nomen tanta in omnibus gentibus faceret, quanta post Lucani tempora. nunc verò quis tam durus, qui non flectatur? quis tam tepidus, qui non ignescat? quis est qui se abscondat à calore eius? quādo iam Christiana luce prædicta manifestantur. iam in Sole, hoc est, in manifestatione posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius; tanquam spōsus procedens de thalamo suo, idest coniugatum Verbum carni humanæ processit de vtero virginali.* Vides vt iam nulla sit excusatio gentili nè credat. immò post Incarnationis beneficium tam singulare nullus tepiditati locus: omnes charitate ignei simus oportet. ac certe ex ijs, qui nuper crediderunt, etiam in flammas nonnulli coniici passi sunt: quid verò nos? an nō in media sacramētorum, hoc est charitatis flamma debemus ignescere? pulchrè etiam vterum virginis thalamum vocat Solis iustitiæ tanquam spōsi. quàm igitur illustres ibi accensæ tædæ diuini amoris?

Post Christi aduentum nullus tepidus, omnes ignei simus oportet.

Vterus virginis thalamus diuinarum nuptiarum.

16 Concludit aduersus idololatras sic. *Ergo ideò huius Dei sacra recipere noluerunt, quia solum se coli iuberet, ceterosq; Deos coli prohibuit; at; Socratis sententia est, quem sapientissimum hominum etiam oraculo fuisse affirmarunt, vnum quemque Deum sic coli oportere, quomodo seipsum colendum esse præciperet: ac per hoc respuerunt vnius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent.* acutè, & eleganter arguit. quid autem peruersius, quàm vnum verum numen negare, vt falsa multa asseras? Item sic eos vrget: si *Deos* colunt ob vaticinia, cur non hunc colunt? cuius tot prophetæ extiterunt: & qui per eos Deorum euersionem prædixit, quod ipsæ Sibyllæ præcinuerunt: at nihil profertur à suis vatibus contra Deum Hebræorum.

Deus colendus eo ritu quo ipse vult.

Is Deus colendus qui ceteros destruendos prędixit.

17 *Deum Israel, qui omnes Deos gentium sic persequitur; alii putant esse Saturnum, credo propter Sabbati sanctificationem; quia isti eum diem Saturno tribuerunt. Varro, quo doctiorem apud sè non inueniunt, Deum Iudæorum, Iouem putauit. nam quia nihil superius solent colere Romani, qui Iouem, eumque Regem omnium Deorum: cum animaduerteret Iudæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari quàm Iouem.* at hi non prohibent alios *Deos*; *& Saturnum regno expulsum ipse filius Iuppiter, qui vincere potuit, Deum tamen esse permisit.* Quod *Deum* Israel putarint Saturnum ob sabbatū, quid tam contrarium? nam Saturno filios immolabant, quod

Deus Hebræorum putatus Saturnus aut Iuppiter.

tam minaciter Deus vetabat: *immolauerunt filios, & filias suas Dæmoniis*. Iouem forrasse putabant ob nomen tetragrammaton Iehoua, sed Deus Hebræorum intemperantiæ acer vltor, Iuppiter famosus monstrosis libidinibus. *Addit, Dicunt reli ctis fabulis: Iouis omnia plena: ideò Varro hunc putauit coli à Iudæis, iuxta illud Hieremiæ: Cœlum, & terram ego impleo*.

Dii culti iuxta fabulas poetarũ.

18 Stulticiam arguit idololatriæ. *Si fabulæ sunt poetarum, Iouem fuisse hominem, cur colitur cum aegide, seu scuto, è capræ pelle quasi à capra nutritus? quid sibi vult ista inimica veritas, Deos secundùm philosophos in libris quærere, secundùm poetas in templis adorare?* rectè vrget gentiles: negabant Deos huiusmodi esse, vt poetæ fingebant, & tamen vt illi fingebant, ità ipsi adorabant in templis, eodem habitu &c. non est autem omittendum illud de scuto Iouis, quod sibi aptauit è pelle nutricis capræ. an non verius, & sanctius dicamus, Christum aptasse matrem, à qua lac hausit, in scutum, hoc est in protectionem nostram, qui sumus membra Christi?

Deipara nobis in protectionem, & scutũ eessit.

19 Eiusdem stultitiæ hoc est. *Cur Deorum sepulchra demostrantur in Græcia? videant ergo ne fortè historica ueritas falsorum Deorum sepulchra ostendat in terra; veritas autem poetica stellas eorum non figat, sed fingat in cœlo. sideribus ab initio mundi, conditi post eorum mortem nomina imposuerunt; de quibus quid tantum mali castitas commeruit, vt inter astra Venus habeat stellam, Minerua non habeat?* cum illa impudica dicatur, hæc virgo. falsè, ac lepidè arguit, Deos stellas dici fixas, vel potius fictas in cœlo: eos videlicet, quorum cineres in terra iacent. sed cur, inquit, Minerua quoque Dea sapientiæ, & castimoniæ amans, non stellam habuit suam, cum habeat impudica *Venus*? an quia gentilium sapientia locum in inferis habere debuit, non in cœlo? Addit: Varro certè Deos homines fuisse commemorat; & Leon ille sacerdos Aegytius Alexandro idem affirmauit.

Deos sepulchra declarãt non esse Deos.

Dii inter stellas inepte recensiti.

20 Item sic vrget. cur Saturnum colunt aperto capite quasi latentem, & fugientem arma filij? quòd si idem est ac Κρόνος, idest tempus, *quid aliud hoc indicant, quàm omnes Deos suos temporales esse, quorum patrem ipsum tempus constituunt? erubuerunt hoc Platonici post Christum, qui appellatum dicunt Κρόνον velut à satietate intellectus, & quod græcè satietas, Κόρος: intellectus autem siue mens νοῦς dicitur, cui videtur suffragari nomen ex latino, & græco, Saturnus, tanquam satur & νοῦς. at hæc interpretatio si vera esset, mirum si Ciceronem, si Varronem latuisset*. acutè arguit: si ille ipse, qui summum Deorum genuit Iouem, nomine ipso præfert tempus, Saturnus, græcè Κρόνος, quã tò magis ceteris Diis diuinitas neganda, cum temporanei, non sempiterni sint? quod autem satietas intellectus non sit, indicat idololatriæ stulticia lapides colentis; addo non à satietate intellectus dici debere, quem ferunt Iouis filii carnibus satiari voluisse, nisi auido eius ori fuisset lapis obiectis.

Saturnus tempo ris typus non ergo, Deus cui compe tit æternitas.

Saturnus a satieta te, autã mente falsò dictus.

21 Pergit in eodem acutè. *Volunt nullam animam rationalem, fieri sapientem nisi particeps summæ illius incommutabilis sapientiæ, & ipsum tanquam ab illa summa mente profluentem spiritum; sed isti Platonici Mathematicos, vel genethliacos maximè delectent, qui Saturnum, quem sapientem effectorem ipsi dicũt, maleficum Deum inter alia sidera constituerunt: quæ opinio tantum in animis hominum præualuit, vt cum nominare illum vellent, senem potius quàm Saturnum, appellarent, tam timida superstitione, vt etiam Carthaginienses penè vico suo nomen mutarint, vicum senis crebrius, quàm Saturni appellantes*. quid stultius? Deum colebant, cuius nomen ipsum quasi inominatum horrebant. at nomen Iesu mel in ore, melos in aure, vt ait Bernardus.

Saturnus inter sidera maleficus Deus.

Saturnum, vt male ominosum nominare gẽtiles ipsi horrebant.

22 Nostram fidem ex præuijs oraculis probat; nam multa dicũtur ab Isaia de diuinitate, & humanitate Christi, & dilatatione Ecclesiæ. *Nunquid, vt ista homines ãte per prophetas prædiceret, Christus magicis artibus fecit? aut discipuli ista finxerũt, vt dilataret Ecclesia locum tabernaculi sui, omnes nationes, & linguas occupans? vt longius, quàm Romani imperii iura tenduntur, vsque in Persas & Indos, & alias barbaras gentes, funiculos porrigat; vt non timeret hominum minas, ac furias, quãdo in sanguine Martyrum tanquam honore purpureo vestiebatur? &c.* notabile hoc planè est: scilicet magnum videbatur Augustino Ecclesiam vsque ad Persas, & Indos dilatari: quid hoc tempore, cum inauditas antea regiones, ac nouum Orbem, nouos Indos occupauit? pulchrè autem ait, Ecclesiam, cum regnum cœlorum dicatur, regni purpuram assecutã sanguine Martyrum tinctam; quod apud Esaiam dicitur: *his omnibus quasi ornamento vestieris, &c.* Corneliæ Matri Gracchorum cum quædam nobiles matronæ ostenderent vestes à se præclarè cõtextas & purpura ornatas, expectaui t illa donec filii aduenirent, tum eos matronis ostentans ait: hæc mea ornamenta sunt, vestesquè pretiosæ.

Prophetiæ certa sunt argumenta fidei.

Propagatio fidei a prophetis prædicta.

Ecclesia quasi regina purpuram tinxit Martyrũ sangune.

23 De destructa Idololatria sic. *Vbi sunt nunc Dii gentilium? vbi vaticinia fanaticorum, & diuinationes Pythonum? vbi auguria, vel auspicia? cur non profertur ex eorum antiquis libris aliquid contra?* legendus circa hoc Plutarchus de defectu oraculo.

Ad Christi aduentum cuncta demonum oracula muta sunt facta.

culorum sub Christi aduentum. quid mirum quod verbosi dæmones tacuerint, cũ Verbum diuinum se protulit in terris?

Nõ ideo Christiani præualent gentibus quia hi Deos sceleribus offenderunt.

24 *Diluit obiecta gentilium. Offendimus, inquiunt Ethnici, Deos nostros, & deseruerunt nos, ideò aduersus nos Christiani præcelluerunt*. sed hoc in laudem redundat Christianorum, quia diminuta est eorum felicitas ob flagitia, contra prospera ti Christiani. Addit acutè: quomodo Dii offenduntur flagitijs, si rebus flagitiosissimis placantur? vt mactatione hominũ, & ritibus impudicis. Cicero enim apertè fatetur, *sibi Floram numen ludorum celebritate placandam*. at in his ludis maxima turpitudo erat; ideò ipse Cicero, *cum Roscium quendam laudaret histrionem, ità peritum dixit, vt solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare; ità verò bonum, vt solus esset dignus, qui eò non deberet accedere*. pulchrè hoc a Tullio dictum de modestia, & pudore sapientis etiam in re mimica.

Deorum ritus, & sacrificia incesta.

Modestia etiã in scenicis ludis seruãda.

25 Incarnationem Verbi accommodatam esse dicit nostræ naturæ: *Cum rebus æternis contemplãtium veritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur, purgatur homo per rerum temporalium fidem, vt æternorum percipiat veritatem; nam & nobilissimus Philosophus Plato in Timęo sic ait; Quãtum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. duo illa sursum sunt, æternitas, & veritas; duo ista deorsum, quod ortum est, & fides: vt ergo ab imis ad summa reuocemur, atque id quod ortum est, accipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad æternitatem*; & quia in contrariis per medium reductio fit, ideò Christus Deus, & homo mediator est. *ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis &c.* acutè admodum rationacinatur. Vide admirabilem Dei sapientiam cum bonitate coniunctam, cur factus sit homo; nempe vt quod ortum est gradum faceret ad æternitatem. & per fidem consequeremur veritatem.

Verbi incarnatio quàm accommodata nostræ naturæ fuerit.

26 Euangelij dignitatem, ac veritatem ostendit. nam Discipuli Christi id prædicarunt q̃ Christus docuit; quippè ipsi membra sunt eius capitis. *nec aliter accipiendum est Euangelium quàm si ipsam manum domini, quam in proprio corpore gestat, scribentem conspexeris*. vide quanta sit auctoritas Euangelij, & quàm certa fides; nec mirum quod Cecilia id quasi monile gemmatum semper ferret in pectore.

Euangelio fides habenda quasi esset scriptum Christi manu.

Ex Libro II. de Consensu Euangelistarum.

1 Agnoscit mysterium in serie Christi geneseos. Matthęus excepto Christo, quadraginta homines in eius generationis serie enumerat, quod indicat regnum Dei accquirendum per disciplinam laboriosam, & tribulationem; nam per totidem dies ieiunium Christi fuit, & in lege Moses, & Helias totidem diebus ieiunarunt, id significatur cum dictum esset. *Ego autem constitutus sum rex &c.* additur. *reges eos in virga ferrea. reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur: tempus est, vt iudicium incipiat à domo domini; sed reguntur boni per disciplinam, mali verò comminuuntur*. nota iustos ipsos virgæ Dei ferreæ subiici, hoc est afflictioni, in qua primi ipsi exercentur, sed ad correctionem, vt in area triticum verberatur. at mali, vt confrigantur ac pereant. acutè autem mysterium animaduertit ex numero in Christi genesi quadragenario, ieiunii proprio. *quod indicat regnum Dei acquirendum per disciplinam laboriosam, & tribulationem*. subiungit in hanc sententiam. *Numerus quadragenarius temporalem hanc vitam significat, & quia temperantur quadripartitis vicibus, & quia Mundus ipse quatuor partibus terminatur. quadraginta autem quater habet denariũ: quamuis sit alia ratio fortasse secretior*. & hoc acutè animaduersũ. hinc collige quàm cõgruenter hic numerus ieiunio, ac pœnitentiæ tribuatur, scilicet vt tẽporis iactura apta pęna luatur, Mundusque sublunaris purgetur, ex quatuor elementis concretus, quibus vtimur male.

Euangelica disciplina laboriosa est.

Psal. 2.

Tum iustitum mali sub virga ferrea Christi sed modo diuerso

2 *Beatus venter qui te portauit, &c.) hoc mulier exclamauit, cum de cęlo signum Iudæi à Christo quærerent*. rectè & egregiè adnotat; nam de cœlo, seu diuinitus factum, vt venter fœmineus sine semine, obumbrante Spiritu sancto, conciperet, & vbera nutrirent lacte de cęlo plena. illustris planè mulier, quæ inter quæsita cœli signa illam laudauit mulierem, quæ in Apocalypsi stellis, ac cœli signis ornatur, & de qua dicitur: *signum magnum apparuit in cęlo*.

Deiparæ venter, & vbera laudata cum de cœlo signa Iudęi peterent

De septuaginta Interpretibus sic. *Si quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis septuaginta multis locis distet ab hebræo, nihil occurrere probabilius existimo, quàm illos septuaginta eo spiritu interpretatos, quo & illa, quæ interpretabantur, dicta fuerant; quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur, consensione firmatum est, &c.* verba

Septuaginta interpretes in idem diuinitus conspirarunt.

ba enim seruiunt diuinæ voluntati; eloquentia variatur, non recedendo à Dei voluntate. notum est de his singulis à Ptolemęo Rege in singulas inclusis cellulas, & in unam interpretationem diuinitus conspirantibus.

29 Quod Matthæus ait. *Accessit vnus ex eis legislator tentans eum: Magister quod est mandatum in lege? &c. Marcus ait in fine ei dictum: Non longè es à regno Dei: fieri potuit, vt quanquam tentans accessierit, domini tamen responsione correctus sit. aut certè ipsam tentationem non accipimus malam, sed experiri volentis ignotum.* Nota, quia loquutus est dominus de charitate, ideò in ipsa fortasse loquutione conuersum, & tanquam in dilectionis fornace conflatum. Addit Augustinus, eum, qui apud Lucã est, videri alium, qui idem interrogauit, nã voluit iustificare se ipsum.

Sermone Christi de dilectione legis doctor est conuersus.

Luc. 10.

30 Apud Marcum dicitur, fracto alabastro perfusum Christi caput: Ioannes verò pedes nominat. malè hoc hæretici calumniantur, quasi non potuerint, & pedes perfundi. *nam vel non ita fractum omninò est alabastrum, vt nihil vnguenti remaneret ad pedes; vel ante pedes vncti, quã caput.* nota, sed cur ante pedes vncti? an per gradus veluti ascẽdit ad caput? humilitate .s. quia ad crucifixi pedes lacrimatura. an pedes laboriosi magis? his addit. *alÿ Euangelistæ aiunt discipulos murmurasse de vnguento effuso; Ioannes solum Iudam nominat:* sed nimirum, vel vsus loquendi talis est, vt quod ad vnũ pertinet, pluraliter etiam dicatur; vel omnes de vnguẽto locuti, sed cęteri discipuli curã pauperũ spectarunt, Iudas autem qui fur, auaritiã: vel cęteris discipulis à Iuda persuasum, nõ debuisse profundi vnguẽtum. vbi vides in communitate quanti damni sit cęteris vnius improbi persuasio.

Cur Christo ante vncti pedes quam caput.

An ceteri quoque discipuli murmurarint de vnguẽto, an solus Iudas

31 Cur Ioannes, qui dixerat antea, *Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eũ Iudas, dicit: & post buccellam introiuit in eum Satanas,* si per persuasionem intrat in cor. *sed tunc intelligere debemus à diabolo Iudam plenius fuisse possessum, sicut Apostoli in die Pentecostes plenius acceperunt Spiritum sanctum, quem per insufflationem acceperunt à Christo.* vide differentiam: Iudas plenè possidetur à spiritu maligno, qui plenè possidendus erat à Spiritu sancto, nisi obstitisset auaritia. item nota, quò magis crescunt beneficia, magis ingratitudinem puniri. ita Iudas post bucellam plenius possessus à Satana.

Post buccellam Iudas plenius possessus à Diabolo.

32 Quærit, cur dicat Marcus: *Priusquã bis gallus cantet, ter me es negaturus: at alÿ Euangelistæ aiunt; antequam gallus cantet,* absolutè; & Lucas: *Non cantabit gallus donec ter abneges nosse me.* si ergo tota negatio fuit ante, frustra additur, *priusquã bis gallus cantet: sed attenderunt Euangelistæ, quando cęperit trina negatio, non quando eam completurus esset Petrus. quã quam in animo eius tota potuit intelligi ante primum galli cantum, affectione, & timore Petri; tanta scilicet formidine imbibita, vt postea tertiò interrogatus negaret.* vt si quis dicat: antequam gallus cantet, ad me scribes epistolã, in qua ter mihi conuiciaberis. vide vt affectus attendatur, antequam factum. & nota vim affectus, qui factum ex se multiplex, simul ante in se recolligat.

Galli cãtus an ante tertiam Petri negationem.

Marc. 15

Affectus in peccãdo attenditur ante quã factum.

33 Quod ait Marcus non solùm, Pater, sed, Abba pater, à Christo dictum, cũ idem sit Abba, hebraicè, quod latinè, pater, fortasè dominus propter aliquod sacramentum vtrumq; dixit, *volens se ostendere illam tristitiam in persona sui corporis, id est Ecclesiæ, suscepisse, venientibus ad eum partim ex hebręis, ad quos pertinet, quod ait, Abba; partim ex gentibus, ad quas pertinet quod ait, pater. etiam Paulus Apostolus non prætermisit hoc sacramentũ, cum ait: In quo clamamus, Abba Pater.* Nota Paulum ea verba vsurpari velle à nobis, cũ clamamus ad Deum, quæ Christus exclamans ad Patrem vsurpauit orãdo, sanguinem exudans: nimirum, vt quo affectu orandum sit, constet. item vide, vt inter tantæ agoniæ angustias summo amore illis verbis amplè complexus sit & Iudęos, & gentiles, vlus eorum lingua, vt magis ipsos sibi conciliaret.

Marc. 14.

Cur Christus orans in horto locutus sit hebraice & græcè Abba pater.

Rom. 8.

Galat. 4.

34 *Respexit dominus Petrum.) In exteriore atrio fuit Petrus inter seruos, qui simul se calefaciebant ad ignem. non est autẽ credibile, quod vbi audiebatur dominus à Iudęis, vt corporalis fuerit ille respectus. nam cum dixisset Matthęus. Tunc expuerunt in faciem eius &c, addit: Petrus autẽ sedebat foras in atrio. item Marcus: & cum esset Petrus in atrio deorsum. ergo illa Christi intus, immò in superioribus tunc agebantur: qua propter mihi videtur illa respectio diuinitus facta, vt ei veniret in mẽtem quoties negasset. & quid dominus prædixisset. atque ità misericorditer domino respiciẽte salubriter fleret, sicut in psalmo dicitur: Respice in me, & exaudi mè. denique cum frequentius soleant in narrando Euangelistæ ponere Iesum, quàm dominum, hic Lucas Dominum posuit, vt vel ex hoc intelligeretur, illam respectionem à Iesu non humanis oculis, sed diuinitus factam.* Notabilis expositio, vt Christus corpore absens à Petro, eum respexisse dicatur per internam inspirationem. vbi nota: tunc negauit Petrus, cum Christus expuebatur &c. & tamen intentus erat totus in Petri salutẽ. deinde, non mirum Petrum inter seruos conuersantem, seruiliter, & abiectè negasse. pręterea acutè notat respectum à Chri

An Christus respexerit Petrum exterius oculis an interne per inspirationem.

Psal. 12.

Cur Christus respiciẽs Petrum dominus appellatur.

sto

stos tanquam domino, cum inter seruos negasset. addo & hoc notabile, quod tunc dicit dominum, cum expueretur, &c. an quia honorificum est opprobria iniustè pati? an dicendum est in conuersione peccatoris Christum gloriari, ac dominum appellari velle, quasi potitum possessione cordis? ità in creatione tum primùm appellatur dominus, cum creauit hominem.

35 *Sicut dictum est per Hieremiam prophetam.* At potius hoc Zacharias propheta dixit: sed *quia spiritu regebatur, non frustra occurrit aliud pro alio nomē prophetę, vt insinuaretur, omnes sanctos prophetas vno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare; & quæcunque per eos Spiritus sanctus dixit, & singula esse omnium, & omnia singulorum.* vt si dictum vnius pro alterius eius familiarissimi vsurpes, & si postea recorderis, non cures reuocare, quòd scias, vtriusq; esse eandem mentem; multò magis in prophetis. Addit item acutè: vel quia apud Hieremiam est emptio agri, apud Zachariam autem numerus triginta argenteorum; vt vtrumq; conferre lector admoneatur; nam illud: *Quem appretiauerunt &c.* ex reuelatione addidit Matthæus. tum sic mysticè. *Emitur de pretio domini ager figuli in sepulturam peregrinorum, tanquam ad permansionem quietis eorum, qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per baptismum.* Mira pietas: cum Christus ad supplicia rapiebatur, & mortem; tūc maximè consulebat nobis de requie nostra; & pretium suę vitæ in hoc conferebat.

Hier. 32.

Vnus propheta pro altero citatur, quia vnus, est qui loquitur Spiritus sanctus.

36 Quærit, *Quomodo intelligitur eadem Maria Magdalene, & à longe stetisse cū aliis mulieribus, sicut Matthęus, & Lucas dicunt; & iuxta crucem fuisse, sicut Ioannes dicit? possumus intelligere, quod illa, quæ simul aderant cum matre domini, postquam eā discipulo commendauit, abire cœperant, vt à densitate turbæ se exuerent, & cetera quæ facta sunt, longius intuerentur.* Nota: non ausæ sunt reliquę semper mulieres manere iuxta crucē. soli Dei Matri cū Ioanne quasi iam filio locus datus, vt ineffabilis charitatis spectaculo proximè adhærerent, qui maximè diligebant.

Matth. 27.

Luc. 23.

Maria, & Ioannes a cruce nunquam recesserunt.

Ioan. 19.

Marc. 15.

37 *Ioannes apertissimè dicit, à militibus suspensum dominum, non à Iudęis: occultè igitur Marcus ostendere voluit, cum dixit; erat hora tertia: eos magis crucifixisse, qui clamauerunt, vt crucifigeretur; & verissimè demonstratum, tunc eos crucifixisse, quando clamauerunt, maximè quia nolebant videri, se hoc fecisse; ideò noluerunt accipere, cum ait Pilatus. Accipite eum vos &c.* Nota. Iudęorū lingua Christum crucifixum ante quàm clauis. Item rectè carpit eos, qui cū sceleste agant, nolunt hoc sceleri attribui, variis integumentis vsi.

Christus lingua crucifixus ante quam clauis

Frustra tegitur scelus sub alio prętextu.

Ex Libro IV. de Consensu Euangelistarum.

1 L*Vcas de spiritu immundo ait, quod sic exierit ab homine, vt nihil ei noceret; Marcus autem ait: discerpens eum, vel, vt alij legunt, conuexans. hoc intelligitur quia illa iactatio membrorum, atque vexatio non eum debilitauit membris elisis, vt solent exire dæmonia &c.* Nota, nam in conuersione quoquè peccatoris multæ difficultates, & damna proponuntur a Diabolo, quasi lethaliter nocitura, sed tamen secundùm apparentiam: vt hic videbatur discerpi, sed nihil lædebatur.

Luc. 9

Diaboli uana terricula-mēta nō timenda.

Matt. 9

2 Quærit, cur Christus præcepit dæmonibus, ne ipsum prædicarent, si sciebat non facturos? *Vt pigris ostenderet, quantò studiosiùs, quantòq; feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet, vt prædicent; quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant.* acutè admonet. pertinet hoc ad concionatores, vt ardenter id opus exerceant. quanquam prò nefas: Dęmones vel prohibiti Christum prædicabāt, hi sæpè se ipsos magis prædicant vana eloquentia: adeò plusquam Satanicum est hoc.

Prædicatio ardēter ingerenda.

Concionatores vani taxantur.

3 Exponit illud. *Quid mihi, & tibi est mulier?) nō hoc dicit repellens eam, de qua suscepit carnem, sed suam tunc maximè insinuans diuinitatem, aquam conuersurus in vinum, quæ diuinitas illam etiam mulierem fecerat, non in illa facta erat.* vide, vt non tam Deiparam offenderit illo verbo, sed potius cohonestarit, dum se Dei filium declarat, & ipsius matris conditorem.

Ex Libro XXXIII. Quæstionum.

1 D*E anima sic. Omne verū in veritate est, anima ex eo anima est, quia est; at vera ipsa aliquādo fallitur, ergo non à se ipsa est, sed à summa veritate Deo.* acutè notatum; vt anima factorem agnoscat suum, illum laudet, se contemnat. subiungit ostendens pecatum esse voluntarium. A nullo sapiente fit homo deterior; ergo malitia non est ab authore Deo; *neque deterior fit ex nihilo, quia nihil est.* neque ex alio, quia hic non vim, sed suasionem tantùm offerre potest, ergo homo ex seipso fit deterior. ità nulla excusatio remanet peccanti.

Vnde cōstet animam a Deo factam.

Peccatū ex propria voluntate est.

2 Egregiè de Incarnatione ratiocinatur. Liberatio, vt esset perfecta, debuit esse

vtriusq;

vtriusque sexus. *Ergo, & virum oportuit suscipere per Incarnationem, qui sexus est honorabilior, & de fœmina nasci*. Vide, quam sapienter incarnatio instituta sit, vt vterq; sexus honoraretur, sed pro gradu, vir Deo cōiunctus hypostaticè, qui summus honor est, & fœmina electa in eius matrem, quod post illud item excellentissimum est.

Per incarnationē vterque sexus liberatus ex honoratus.

3 Quàm cautè sensus custodiendi sint ostendit, per quos diabolus sibi in animam aditum facit. *Malignus spiritus sēsibus immissus incestat animæ sanctitatem, accomodat coloribus, adhæret sonis, odoribus se subiicit, infundit sapori; nebulis implet meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius solet; & quia radius aetheriæ lucis est, in eoque speculum diuinæ præsentiæ; in hoc enim rectè factum meritum relucet, Deus vbique præsens est; tunc enim vnicuique nostrum simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in eius præsentia se esse putauerit: Deus enim qui nusquam deest, pollutis animis præsens non videtur, quem videre mentis cæcitas non potest*. Notabile est hoc de dæmonibus, qui cum tentant se sensibus nostris infundunt, & meatus intelligentiæ nebulis effundunt, & quod horrendum dictu est, insinuat se picturarum incestarum & fucatis faciei coloribus, illecebrosi cantus sonis. Seplasio, vnguentis, delicatis, & sapidis, &c. pulchrè autem ait, lumen rationis esse radium lucis ætheriæ, & speculum diuinæ præsentiæ; vide igitur quid sit habere præsentem Deum in puro corde, & id quàm præclarum. speculum est diuinæ præsentię, ipsum in se repręsentās, si se immune seruet à labe.

Diabolus per sensus se immitens incestat animæ sāctitatem.

Speculum diuinæ præsentiæ in mente fœdādā non est.

4 Trinitas diuinarum personarum sic probatur. Vniuersæ creaturæ causam trinam esse oportet: *qua sit, qua hoc sit, qua sic amica sit*. creatura autem causam auctorem Deum dicamus oportet, ergo &c acutè dictum sicut & id quod subiungit: *cum veritas quæritur, plusquàm tria genera quæstionum esse non possunt: vtrùm omninò sit; vtrùm hoc, an aliud sit; vtrum approbandum, improbandumuè sit, &c*. Vide vt diuina Trinitas quædam quasi sui vestigia intelligentiæ mentis impresserit.

Trinitas personarū ostenditur.

5 Præclarè, & egregiè ostendit, Deum esse summum bonum. *Ad Dei bonitatem id tantùm pertinet, vt sit omne quod est*: ergo non esse ad eum pertinere non potest; at huiusmodi malum, seù peccatum est, boni igitur tantummodo causa est, ac propterea ipse summum bonum.

Deus est summum bonum.

6 *Dei* prouidentiā sic probat. *Omne quod est, in quantum est, bonum est; & quod bonum est ex participatione bonum est ab eo, quòd semper bonum est: ergo nihil est casu, sed ex prouidētia*. Ad hæc quicquid geritur in Mundo, aut diuinitùs fit, aut nostra volūtate; Deus autem est præ omnibus iustissimus: ergo ad eum, & pertinet pærmium, & pœna.

Dei prouidentia probatur.

7 Docet, cur Christus in cruce potissimum mori elegerit: Nimirum sapientia *Dei* homo factus est, vt rectum doceret: *ergo debuit docere non esse metuenda, quæ non sunt metuenda*. & quia quidam mortem quidem non horrent, sed tale genus mortis, vt crucem, tanquam infame genus mortis, ideò hanc accepit, nè hanc metueres. scilicet cessit in præclarum, decus ac triumphale trophæum illud supplicium, quod omnium turpissimum habebatur. ibi igitur victa mors est, vbi maximè vigebat.

Cur in Cruce mori elegerit Christus.

8 *O*stendit diuinā prouidentiam posse per malum hominem punire, & opitulari, nam impietas Iudæ nobis saluti fuit. & tribulatio, aut pœna impiorum est, aut exercitium iustorum; sed hi, quia non referunt ad iustitiam *Dei*, ob maleuolentiam puniuntur; sicut boni remunerantur, quāuis dum prodesse volunt, alijs noceant. *Alijs, inquit Apostolus, sumus odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. summo enim Deo cuncta benè administrante quæ fiunt, nihil inordinatum in Vniuerso, nihilq; iniustum est, siuè scientibus nobis, siuè nescientibus*. Notabilis locus de diuina prouidentia summoq; consilio in dispositione eorum, quæ in Mundo fiunt.

Diuina prouidentia omnia rectè disponit.

2 Cor. 2.

9 Docet vnde vitium oriatur, & in quo positum sit. *Omnis humana peruersio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui fruendum est autem honestis, vtendum verò vtilibus. oportet autem frui pulchris incorruptibilibus; vtilibus autem vtendum cum quoquo eorum opus est &c*. pulchrè, & acutè ostendit, in quo positum sit vitium: in ordine præpostero fruendi, vel vtendi. & vide quę requirantur ad fruitionem, vt sint honesta, pulchra, & incorruptibilia.

Vitium in quo positum sit.

Quibus fruendū sit, & quibus vtēdum.

10 Virtutem sic definit. *Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus*. vide quàm iniquum sit à virtute abhorrere, nobis adeò congruente. vitiū sequimur, quod naturæ, ac rationis dissonum, ac dissentaneum est.

11 De Charitate sic eleganter. *Charitatis uenenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporaliorum. nutrimentum verò eius est imminuino cupiditatis*. vide quid sit auiditas opum honorum &c. *uenenum charitatis*. definimus amare Deum, cū cor istis affimimur sicut contra quid est contemptus, & abiectio rerum temporalium *nutrimentum charitatis*. hoc religiosi quia egerunt, incremento dilectionis in Deum proficere debeant. *T*um sic charitatem egregiè definit. *Charitas est modus animi, quo amantur ea, quæ non sunt præ ipso amante contemnenda, idest quod æternum est, &*

Charitas quomodo interit, vel uiget.

& quod amare ipſum æternum poteſt.

12 Filij diuinitatem ſic probat. *Deus quem genuit, quia meliorem ſe gignere non potuit, nihil enim Deo melius, generare debuit æqualem; ſi enim voluit, & non potuit infirmus eſt; ſi potuit, & non voluit, inuidus eſt: ergo æqualem filium genuit.* acuta ratio cur filius æqualis patri ſit.

Aequalitas filij cum patre.

13 De *I*deis multa acutè habet. *Sunt namque Ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, & eodem modo ſe ſemper habentes, quæ in diuina intelligentia continentur. & cum ipſę neque oriantur, neque intereant, ſecundùm eas tamen formari dicitur omne quod oriri, & interire poteſt &c.*

Dei ſimilitudo in quo poſita ſit.

14 Dei ſimilitudo quomodo habeatur, oſtēdit Res sunt magis, vel minus ſimiles Deo, quatenus plus minuſue participāt perfectionis. ità corpus ipſum hominis cum ſit ad intuendū cœlum erectum, *magis ad imaginē, & ſimilitudinē Dei eſt, quàm cetera corpora animalium*: filius Dei imago Dei; homo ad imaginem Dei. vide gradationem ſimilitudinis ad Deum in homine.

15 Oſtendit quid differat tempus veteris legis à nouæ. *Status legis fuit, vt pueri ſub pædagogo, vt ait Apoſtolus. iuuentus autem aduentus Chriſti; & ſicut non eadem ætas in homine optanda, quia deeſſet pulchritudo alterius ætatis: ità in Mundo &c.* hinc collige quanto cum feruore pietatis nunc poſt Chriſtum agendum ſit, vt in iuuenta.

Aetas mundi ante Christum vt pueritia poſt vt iuuētus.

16 Proportionē affert inter Chriſti corpus, & tēplum. *Dicitur conceptio humana ſic procedere ac perfici, vt primis ſex diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinē; ſequētibus nouem diebus conuertatur in ſanguinem; deinde duodecim diebus ſolidetur; reliquis decem, & octo formetur vſque ad perfecta lineamenta membrorum, & hinc vſque ad tempus partus magnitudine augeatur; fiunt ergo dies quadraginta quinque; addito autem vno, quod ſignificat ſummam, fiunt quadraginta ſex; quo numero multiplicato per ſenarium, fiunt ducenti ſeptuaginta ſex, ideſt nouem menſes, & ſex dies, qui computantur ab octauo Kalendas Aprilis, quo die conceptus dominus creditur; quo eodem die etiam paſſus eſt, vſque ad octauum Kal. Ianuarij, quo die natus eſt: non ergo abſurdè quadraginta ſex annis dicitur fabricatum eſſe templum, quod corpus eius ſignificat; vt quot anni fuerint in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis domini perfectione.* Hos item gradus in perficiendo religioſo conſiderari poſſe puto, ſi religionem ipſam quaſi matrem dicamus. acutè autem notat, quàm congruenter Chriſtus templum cum ſuo corpore contulerit: nam quot anni ibi poſiti, tot dies hic. vbi nota ex Chaldæo, qui ait: *fundata eſt domus domini tempore apparitionis florum,* vulgata habet: *in menſe Zio* ità eodem tempore fuit & incarnatio *V*erbi facta: eius nimirum, qui ait: *ego flos campi, & lilium conuallium.*

Formatio hominis in vtero quot diebus fiat.

Quot anni in ædificatione templi totidē in formatione corporis Chriſti in vtero.

17 Interpretatur euangelium de decem virginibus. *Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis.*) *Qui nō propterea gaudēt, quia Deo placent, intrinſecus oleum non habent.* oleum pro lætitia accipitur. ſunt qui continentes non viuunt, niſi in laudibus hominum. vbi nota quid ſit diuinam tantùm gloriam ſpectare: intus in corde de ea lætari, intus lucere Deo, & ardere. hoc iuxta ſuū nomē; egit Ignatius in primis noſter diuinæ gloriæ ſemper intentus, propriæ contemptor; ſed Tereſia maximè, quæ ad hoc voto ſe obſtrinxit: nempe ex prudentibus virginibus præcipua fuit.

Cor quaſi olei uas eſt cum lætamur de Dei gloria.

18 *Ne ſufficiant nobis, & vobis.*) *Quia quiſque de ſe rationem reddet, nec teſtimonium alterius iuuat, vbi Deus nouit.* Nota, cur olei ſui partem negarint virgines ſapientes: quia diſtrictum iudicium Dei ità ſanctos territos tenet, vt non parum aſſequi ſe putent, ſi ipſi ſaluentur.

Dix quiſque ſibi ſufficit ad ſalutem.

19 Exponit illud euangelij de Samaritana. *Hora erat quaſi ſexta.*) *Vide in puteo tenebroſam profunditatem. admonet intelligere Mundi huius infimas partes, quò venit dominus hora ſexta, hoc eſt ſexta ætate generis humani. in ſenectute dominus noſter aduenit, vt moriente ſcilicet vetere homine, nouum in ſe conſtitueret, quem exutum labe terrena in cæleſtia Regna transferret.* vide quid ſpectarit incarnatio diuini Verbi, reformationem hominis in nouum. pulchrè autem dicit de putei profunditate, referens eam adima noſtræ naturæ, quò ſe Saluator contulit.

Cur Chriſtus tam ſero aduenerit.

20 *Vade, voca virum tuum.*) *ideſt ſpiritu intelligentiæ præſens eſto. eſt enim animæ quaſi maritus quodammodo ſpiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam coniugem regit.* eleganter tanquam cōiugiū ſpiritus, & carnis facit. & certè hæc mulieris inſtar rixoſa, & moleſta eſt, ſed proles operum bonorum intendi debet.

Spiritus & carnis quaſi coniugium.

21 Hæc de Lazaro. *Vbi poſuiſtis eum? ſic Adam dictum eſt: Adam vbi es? & vt Lazarus ſepultus, ſic Adam sè abſcondit.* acutè adnotat ſimilitudinem etiam in verbis, & proportionem. ac fortaſſe ideo lacrymatus eſt Chriſtus, reuocans in mentem primum peccatum, cauſam mortis.

Cur fleuerit Chriſtus in reſurrectione Lazari.

22 *Prodijt de monumento inuolutus manibus, ac pedibus.*) *Quia etiam à carnalibus recedentes, adhuc tamen in corpore conſtituti, alieni à moleſtijs carnis eſſe non poſſumus, dicente Apoſtolo: Mente ſeruio legi, carne autem legi peccati.* Vide quàm imperfecti ſimus, etiam à Chriſto reſuſcitati per gratiam, tamen colligati vinculis carnis moueri per nos ad bonum opus non poſſumus,

Rom. I.

Imperfectio in hac vita, & carnis uincula

sub

subiungit. *Quod autem facies eius sudario te cta erat, hoc est, quia in hac vita plenam cognitionem habere non possumus, sicut idem Apostolus ait ad Corinth. Nunc videmus per speculum in ænigmate, & dixit Iesus: solutte eum, hoc est quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, vt facie ad faciem videamus; illius autem linteamina, & sudarium, qui peccatum non fecit, & nihil ignorauit, in monumento inuenta sunt.* acutè de velamine Lazari, & cur Christus rediuiuus ea secum non tulerit.

21 Elegans est hoc quantumuis breue elogium gratiæ. *Vbi non est gratia Liberatoris, auget desideria prohibitio peccatorum.* hoc patet in lege veteri: ex quo beneficium agnoscitur nouæ. vetus prohibebat peccata, quamobrem natura, vt corrupta, magis incitabatur, vt suam sequeretur voluntatem, non Dei; gratiam autem, hoc est vires ad obsistendum peccato ex se non conferebat, vt noua per sacramenta.

Deus pictori comparatus reformans imaginē suam in nobis.

22 Exponit illud. *Scimus quoniā cū apparuerit, similes ei erimus) Ipsa est reuelatio filiorum Dei, quam nunc expectat reuelatio creaturæ; hoc est, vt operante pictore subiectis sibi coloribus, & ad opus eius paratis, expectatio coloris manifestatio est imaginis expectatæ.* non quod alij sint qui pingendi, vel alij colores, sed quia aliam dignitatem habebunt. pulchrè Deum reformantem suam in nobis imaginem in resurrectione, pictori comparat.

23 Et illa eiusdem Apostoli verba *Omnis creatura ingemiscit, & parturit.) Omnis creatura in homine numeratur, quia omnis creatura partim spiritalis; partim animalis, partim corporalis.* ità homo, & intelligit, vt spiritalis; & viuit, vt animalis; & corporeus est: cum ergo miser homo congemit, & dolet, omnis creatura ingemiscit, & dolet. est hoc contra mundanos, qui ducunt in voluptate dies suos, ignari casus sui, inter tot gemitus & quasi partus dolores quid absurdius quàm ioca, quàm risus?

Omnis creatura ingemiscit in homine.

24 Egregiè disserit de gratiæ necessitate, & cooperatione nostra. *Deus non miseretur, nisi voluntas præcesserit, sed ipsum velle Deus operatur ac tribuit; nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus siue intrinsecè, siue extrinsecè; ad illam enim cœnam, quam dominus dicit in euangelio præparatam, nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam, vt venirent vocati erant in libera voluntate; vocatio ergo ante meritum voluntatis operatur: alterum eorum ad misericordiam, alterum ad iudicium pertinet, iuxta illud psalmi; Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine.* nunquid latebat Pharaonem, quantum boni consecutæ fuerant terræ illæ per aduentum Ioseph? illius ergo rei gestæ cognitio vocatio eius fuit; quod autem vocatus obtemperare noluit, meruit pœnam, vt indicaretur, & condemnaretur; vt supplicio, siuè obdurationis, siuè submersionis posset erudiri populus, & inde sibi meritum compararet. vocatio autem ipsa, siuè in singulis hominibus, siuè populis profundæ est opinationis; *vt possitis, inquit, comprehendere longitudinē &c.* Nota de duplici genere vocationis, intrinseca per animæ illustrationem, & extrinseca per exempla.

Luc. 14.

Vocatio præcedit meritum voluntatis.

Psal. 101

Rusticè vocatio non respondentes Deo uocanti.

25 Iustos Deum habere regem dicit. *Regnum Dei sunt, in quibus nunc regnat per fidem, secundùm quod erat qui dicit: Possidenos.* pulchra vox, qua nos Deo Regi subijcimus. quid aut nobilius, aut fœlicius quàm cedere in possessionem Dei? hæc erat Mosis oratio: *Obsecro, vt auferas iniquitates nostras, nosque possideas.* contra de anima impij dicitur. *Ponam eam in possessionem ericij:* ob aculeos scilicet malæ conscientiæ.

Exod. 34

Iusti qua si Dei possessio.

Esaia 14.

26 Exponit illud Apostoli. *Cū tradiderit regnū Deo, & patri.) idest, vt nutritos fide incarnationis perducat ad speciem, qua æqualis est patri.* pulchrè fidem de Incarnatione, & lactente Christo facit quasi nutricem, quæ lacte nos pascat, donec ad cibum beatæ visionis apti simus: ac tunc sicut ablactato Isaac conuiuium illud magnum fiet. *saturabor cū apparuerit gloria tua.* & sanè fides rerum est nō apparentium, vt lac ex vbere matris non apparens sugitur: rectè igitur ait nutriri nos fide.

Fides nutrix est nostra.

27 Inperpretatur illud eiusdem Apostoli. *Vbi est mors contentio tua? vbi aculeus tuus?) Mortem significare arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ uolūtati delectatione bonorum temporalium: non enim diceretur: ubi est contentio tua? si non restitisset, & repugnasset, iuxta illud. caro concupiscit aduersus spiritum &c. fit ego per mortificationem perfectio, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato, & uiuificato, idest bonæ uoluntati subiiciatur. nunc quandiu in nobis est, ut resistat bonæ uoluntati auxilio Dei per bonos homines, & bonos Angelos indigemus.* Audi triumphalem vocem, & insultantem morti, eius, qui concupiscentiam, quæ mors est animæ, vicit. & vide, vt Deus in nobis saluandis vtatur ministerio, nunc hominum iustorum, nunc Angelorum: præclarum munus Apostolicorum hominum, quod commune habent cum Angelis. hinc dicitur: *Ite Angeli ueloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam &c.*

Vox iusti triumphalis insultantis morti.

Et Angeli, & homines iusti ministri Dei sunt ad salutem.

28 De libertatis vsu sic. *Adam ante peccatum erat, ut si quis nondum expertus uenationem, si liberè postea venetur, si ista libertate male vsus venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim subrepens delectatio mortificat animam, vt si abstinere velit, absque molestia, & sine angore non possit*

Adam in paradiso uenatori similis.

possit. *Ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccando facta est delectatio, quæ cum dolore cohibetur*. pulchrè ait, Adam in paradisi vmbroso illo nemore instar venatoris fuisse, sed imperiti: male enim vsus libertatis arcu, se ipse, nosque transfixit: mortis aculeus pro sagitta fuit. at venari debuit per orationis arcum, & sic cœlesti præda potiri: sicut dixit Iacob de vrbe Sichen. *quã acquisiui in gladio, & arcu meo*, quod Chaldæus interpretatur *in oratione, & deprecatione mea*. de primis igitur parentibus dici potest: *conuersi sunt in arcum prauum*.

27 Exponit illa verba. *Alter alterius onera portare.*) *Dum sumus in hac uita, onera inuicem nostra portemus, ut ad eã uitam, quæ caret omni onere, peruenire possimus: sicut de ceruis nonnulli scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant cum cornibus, super inuicem portent, ità ut posterior super anteriorem ceruice proiecta caput inclinet*: succesiuè post primum qui nulli incũbit. ità dicitur. *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarũ, &c. Suffer fratris irã, vt ipse te sufferat*. notabilis locus de charitate fraterna, quæ ad religiosos maximè pertinet qui quasi cerui gratiarũob tot accepta beneficia ad fontem vitæ anhelant, venena vitiorum superant, currunt sursum ad cœlestia &c. *ponet pedes meos quasi ceruorum*.

Onera inuicem portanda more ceruorum.

Prou. 5.

28 Acutè discrimen inter has voces ponit. *Imago, Aequalitas, & Similitudo distinguenda sunt. quia vbi imago, continuò similitudo, non continuò æqualitas; vbi æqualitas, continuò similitudo, non continuò imago: vbi similitudo continuò imago, non continuò æqualitas: vt in speculo, est imago, & similitudo, non tamen est æqualitas. in duobus ouis paribus inest æqualitas, & similitudo, non tamen imago, quia neutrum de altero expressum est: item ouum perdicis in quantum ouũ est, simile est ouo gallinæ, nec imago tamen est, nec æquale est quia breuius. rursus in parente, & filio est imago, & similitudo, & æqualitas, præter illam temporis. in* Deo *autem perfectissima; non enim videri potest rectè Deum generasse in tẽpore filium, per quẽ condidit tẽpora*. rectè de filii æternitate argumẽtatur.

Imago similitudo, & æqualitas differũt.

29 De Vniuersi administratione sic ait. *Vnaquaque res visibilis in hoc Mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam*. Vide quantum cœlestibus illis spiritibus debeamus, quorum opera Mundus temperatur iuxta Dei iussum.

30 Addit: *Omnis anima partim priuati cuiusdã iuris sui potestatẽ gerit, partim Vniuersitatis quæ potẽtior est parte, legibus sicut publicis regitur; est autẽ lex Vniuersitatis diuina sapiẽtia: igitur anima tantò est pietate purgatior, quantò priuato suo minus delectata legẽ Vniuersitatis intuetur, eique deuotè, ac libenter obtemperat. quantò autẽ amplius priuato suo gaudet, suam potius quam Dei, qui õnibus præsidet, diligẽs potestatẽ, tãtò est sordidor, tantoq; magos pœnaliter diuinis legibus tanquã publicis seruire cogitur; ac tantò magis subditur Potestatibus, quę priuato suo gaudent, & honorari ab hominibus, sicut Dij cupiunt. atq; ita similes fiũt dæmonibus, quibus, diuina lege sæpè cõceditur, vt eos, quos sibi secundùm eorũ merita subiugauerint, etiã miraculosum aliquid præstent*. Vide quanti dãni sit ꝓpria volũtate liberius agi, cũ potius diuinæ Vniuersitas pareat. pulchrè dictum: *lex Vniuersitatis est diuina sapientia*. In pœnã autẽ est, cũ Deus permittit per dæmones mira quędã fieri, vt satisfiat peruersæ volũtati ipsorũ. huc spectãt quæ sequũtur.

Lex Vniuersitatis diuina sapiẽtia est.

Si quãdo dæmones mira facere permittuntur in pœnam malorũ est.

31 *Cum talia faciunt Magi, qualia non nunquam sancti faciunt, diuerso fine, & iure faciunt. illi quærunt gloriam suam, isti Dei, illi per quædam Potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, isti publica administratione, iussu eius, cui cuncta creatura subiecta est; & quemadmodum pleriq; mali milites, quos imperialis disciplina condemnat, signis imperatoris sui nonnullos possessores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non iubetur, extorquent: ità nonnunquã mali Christiani, vel schismatici, vel etiam hæretici per nomẽ Christi, vel verba, & sacramenta Christiana exigunt aliquid Potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est. Magi igitur faciunt miracula per priuatos contractus; boni Christiani per publicam iustitiam; mali Christiani per signa publicæ iustitiæ: nec mirum est quod hæc signa valẽt, cum etiam ab extraneis vsurpentur, qui omninò huic nomen ad istam militiam non dederant. propter hoc, & nomen excellentissimi Imperatoris valet, vt ille, qui in nomine Christi eycit dæmones, nisi Deus ipse prohibeat, vt in Actis Apostolorũ de Sceuæ filiis dicitur*. elegans de Imperatore similitudo in Christo, cuius nomẽ, auctoritas, vel in exteris valet.

Discrimen inter miracula sanctorum, & Magorum.

Christi nomen, vel in Magis suam ostendit potentiam.

Act. 19.

32 Ait dominus: *Satanas Satanam non excludit*. cum autem excluditur nomine alterius dæmonis, *ideò parcit corpori, vt ipsius hominis voluntati, per impietatis errorẽ triumpho maiore dominetur. hoc autem modo non exit Satanas, sed potius in intima ingreditur &c. sic ait Apostolus: Secundùm Principem potestatis aeris huius, qui operatur in filiis diffidentiæ; non enim eorum corpora collidebat: sed in voluntate, uel potius cupiditate regnabat*. rectè ait, cũ dæmon exit opera dæmonis, nõ illã esse expulsionẽ sed potius cõspirationẽ dæmonũ ad perniciẽ. ideo S. Chrysostomus ait, peccatores priores dæmoniacis; nã his potius cõpatimur. & vide quid sit talis magica expulsio, diaboli triũphus quidã, quo captiuã facit animã dũ simulat se soluere. hinc ait Iob: *Calcet super*

Marci 13.

Ephes. 2

Magia, triumphus est dæmonum.

per eũ quasi rex interitus. diabolus enim & rex est, dominio in peccatores; & simul lictor; & carnifex. cõtra verò cũ à Sãctis per sacras preces expellitur dæmõ, triumphus est Christi præcellens. *Tũ* docet cur Deus permittat hæc mira fieri per Magos, quæ multi quamuis sancti nõ faciũt? nimirũ *nè decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quàm in operibus iustitiæ.* egregiè ratiocinatur: permittit Deus dæmones aliquando mira facere, ne sanctitatem in his potius positam putemus quàm in actionibus virtuosis.

33 Vniuersæ creaturæ septenarium numerum competere docet: *Nam* aut est inuisibilis, vt anima, & ei *ternarius numerus tribuitur: quare diligere Deum tripliciter iubetur, ex toto corde, anima, & mente.* aut est visibilis, vt corpus, & huic quaternarius numerus tribuitur ob quatuor elementa. acutè de septenario, typo Vniuersi. animæ ternarium competit quippe tripliciter Deum diligere iubetur; addo ob potentias item tres. quaternarius corpori cõpetit ob quatuor elementa; hi autem numeri vniti septenarium constituunt. ex quo etiam colligitur, quàm competãt homini septem sancti *S*piritus dona, & quasi concordem lyram esse in *D*ei laudem aduptatam: ac proinde homo aptè dicitur microcosmos, & Vniuersi compendium. constat autẽ tum ex parte inuisibili hoc est spiritu, tum ex parte visibili, hoc est copore. addit alia acutè de numeris.

Septenarius numerus cur creaturæ cõpetat.

34 *De* ærumnis etiam bonorum sic. *Quia & esse Deum, & iustum, atque omnipotentem esse perniciosissimæ iniquitatis est dubitare, nulla causa probabilior occurit, cur iusti homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit.* affert exemplũ de medicina, & præclarè subiungit. *ille potest dicere iniustè ista fieri, qui solam vitam mortalem, quàm nunc agimus, existimãs, quæ diuinitus prædicta sunt, futura non credit pensurus grauissima supplicia infidelitatis suæ.*

*Ex Libro XXI. Sententiarum.

1 PVlchrè argumentatur, neminem vitiosum posse esse felicem. *Omnis qui benè vult viuere, si viuit, vt vult, beatus est, omnis autem homo beatè vult viuere: Omnis igitur homo, qui viuit, ut vult, beatus est; ex quo cõficitur, neminem viuere vt vult, qui vult turpiter viuere, quia nemo beatus est qui turpiter viuit.* acutè conuincit, eum qui post cõcupiscentias it nõ esse felicem; quia qui licenter omnia facit ac liberè? minime liber est, sed seruit cupiditatibus suis.

2 Agni paschalis ritus interpretatur. *Agnus eligitur, ut simplicitas, & innocentia designetur; masculus, ut uirtus comprobetur; immaculatus, ut sine crimine; mense primo, ut totus annus à primordio proprio consecretur: quartadecima die mensis, ut lumine ueritatis impleto, erroris nox operiatur; ad uesperam, ut seculi occasus imminens approbetur; assus est agnus, quia Christi sermo robustus: quidquid superest, diuinis ignibus imponitur, idest quæ quis capere non potest, Christi diuinæ scientiæ remittat. stantes edunt, ne quis se in euangelio ad necessitatem prosternat, sed ingenti animi robore contra persecutionũ prælia inuictus idest sublimis, & erectus assistat. succincti lumbi, continentiæ signum sunt; addito baculo, Spiritu sancto, quò quis nititur. festinantes edunt, feruentes cum fide probantur.* hæc ad Eucharisticum item cibum refert, vbi nota præsertim illud; ideò primo mense celebratum Pascha, vt totus annus consecraretur; & Spiritum sanctum quasi baculũ nostræ peregrinationis esse.

Ritus agni paschalis ad Eucharistiã relatus.

3 Eleganter nos munit contra Astrologorum obseruationes, quæ officiunt libertati. *Illud breuiter noueris, omnes leges, præmia, supplicia, &c. penitùs labefactari atque subuerti, nisi uoluntas sit causa peccati. ex ipsis Mathematicis, cum aliquis eorum nummatis fatua fata vendiderit, mox vt oculos à tabellis eburneis ad domus suæ moderationem reuocauerit, plagis onerandam uxorem, putat; si petulantius iocul antem uiderit, quæ si ei dicat, quid me cædis? Venerem cæde si potes, à qua cogor hoc facere; hoc ille non curat, &c.* lepidè dictum: *fatua fata uendere nũmatis,* dum fatui Astrologi diuitem nacti, ei imponunt, vt nummos accipiant, fatui quoque, qui his ineptijs credunt, & venalibus fatis se diuites putant.

Astrologi fatua fata uendunt.

4 *M*agica miracula sic distinguit à veris, nam Magi fecerunt similia ijs, quæ Moses: *sed hoc interest, quod cum sancti talia faciunt, in nomine Dei domini omnium rerum de sublimioribus apparatibus iubetur inferiori creaturæ: cum autem mali homines magicis artibus operantur, similia in manus suas dantur; cum exaudiuntur à demonibus; digni sunt enim, qui tali exauditione decipiantur, vt pœna illis fiat hoc, quod impetrare videantur beneficium.* Vides Magis, & præstigiatoribus in pœnam verti quod faciunt, quia hoc modo mancipia fiunt dæmonum, dùm ijs imperare videntur.

Differentia inter miracula Magorũ & Sãctorum.

5 *R*esurrectionem possibilem probat, nõ modò ex Dei õnipotentia, sed ex hac ratione: quia *omne quod est aliquo modo, neq; tamen summo modo, eius speciei participatione est &c. vnde mirum non est, si hoc corpus modum istum suum, quo nunc est, in quantum est, recipiat, aut meliorem aliquem sortiatur.* acutè probat. nã cũ corpus nõ habeat suũ esse participatũ à sũmo esse, à quo cõseruatur, cũ in nihilũ non abeat, profectò retineb:

Resurrectio corporũ [illegible]

tineb:

tinebit suum esse, & poterit melius reddi in suo esse: quod etiam de toto corpore vniuersitatis videtur intelligere, quod post iudicium perficiendum à Creatore sit.

Peccatū a Deo esse non posse ratio conuincit.

6 Peccatum a Deo non esse sic ostendit. *Non potest rectè Deo tribui, nisi quod in se habet esse, idest omne eius bonum: quod autem ad peccatum, mortemq; pertinet, sine dubio vergit ad non esse: non est ergo ab eo, quod summè est, immò ei contrarium. quod ergo quæris, vnde sit, non est vnde sit.* pulchrè, & acutè non nisi in defectu consistere peccatum ostendit, ac proinde Deum auctorem habere non posse, qui summè est.

7 Virtutum genera sic acutè distinguit. *Primæ ciuiles politicorum.) Purgatoriæ sunt, quibus exuitur anima à vitijs. Exemplares, quæ iam contemplanti menti imprimuntur à Deo, vbi totum viuit, vbi tovinit, vbi totum semper tum semper beatè viuit.*

Cur Deus aduersa pmittā.

8 Non est omittenda breuis, sed digna sententia. *Non sunt bona dui nisi sustineantur, aduersa.* hinc aiunt quidam Deum permisisse, vt omnes per mortem transeamus ad requiem. neque enim tam iucunda, & gratia esset immortalitas, nisi experti essemus quàm amara sit mors.

9 Elegans, & acutum est illud de Trinitate personarum. *Vnum si solum esset, in se esse, sterile esset, & nihil præstaret; sed quia benignum est, procedens est ad aliquid faciendum, processit in alterum se: ipsa est generatio vnici, quia qui facit, est, & per quē facit est, effecerunt duo vnum enim intercedit duo, & his duobus est aliquis ordo, & fiunt tria, quæ Trinitas dicitur.* potest hoc ipsū referri, aliquo modo ad proximi vtilitatem procurandam, quod ait. *vnum qua benignum est, procedens ad aliquid faciendum, processit in alterum &c.*

Trinitas per sonorum acutè ostenditur.

10 Pulchrè admodum, & acutè ostēdit animum per similitudines quasdam ad Deum transferri debere. *Omnis transitus de loco ad locum per lineam fit, quoniam omne latum linea sibi coniungitur, & omne corpus linea sibi coniugatur; & omnis transitus in anima, idest muratio, vel effectus, per quasdam quasi lineas, idest per transitus medios fit. homo si verum sciat, penè Deus est; mens autem hominis quàm optimo motu fieri debet. quo igitur circuitus est mouenda? est autem optimus mentis ceruitus rationalis cogitatio, quæ ab eo, quod quæritur, profecta per succedentium argumentorum circulum certior redit in locum. ideoq; etiam similitudines intellectus idoneæ sunt, nam quasi auferunt animos ab eo quod agitur, & illò iterum referunt.* hinc à primis sapientibus fabularū ortas dicit imagines: *vt cū ad res fertur intentio referturq; ad id, quod significant; motu suo mens etiam cum ludit, exerceatur.* simile est quod ait Aristoteles in libro de arte poetica, cur plus voluptatis afferat viuum expressa leonis pictura, vel sculptura, quam ipse leo viuus: quia nimirum intellectus ibi aliquid de suo ponit dum ratiocinando confert effictum cum vero, hinc quoque discinus, cur Christus parabolis vti soleret. sed illud in primis notādum, animæ affectum in aliud tendere quasi per intermedias lineas, hoc est similitudines, quasi motu quodam, & transitu. cumq; animæ motum perfectum esse conueniat, ad Deum per illas trāsire debere.

Mens per circuitum similitudinem ad Deū.

Ex Libro I. Quæstionum ad Simplicianum.

1 DOcet non nisi per gratiam nos benè operari. *Apostolus multis in locis fidei gratiam præponit operibus, non vt opera extinguat, sed vt ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia, nè quis arbitretur ideò se percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non potest, nisi per fidem receperit gratiam, interna, vel externa admonitione motus ad fidem; in Cornelio non erat tanta fides, quanta sufficeret ad obtinendum regnum cæleste ante baptismum; nisi quis renatus fuerit &c. fiunt ergo inchoa tiones quædam fidei conceptionibus similes; non solum autem concipi, sed etiā nasci opus est, vt ad vitam perueniatur æternam.* pulchrè ait, prius opus bonum tanquam in vtero animæ concipi, sed in lucem edi oportere, vt sempiterna luce nos beet. est autem in signis hic locus de gratiæ necessitate. præcedit gratia tanquam vexillifera, conseruatur bona per opera.

Bona opera non præcedit gratiam sed consecuntur

2 Ostendit institum moralis virtutis studium, vestigium esse perfectionis, ad quam aspirare debemus. *Nisi enim supernę iustitiæ quædam impressa vestigia teneremus, nunquam in ipsum cubile, ac penetrale sanctissimum, atque castissimum spiritualium præceptorum nostræ infirmitatis inhiaret intentio; nam hæc imago siuè vestigium negotijs hominum de fastigio summę æquitatis impressum est.* Eleganter dictum. Nota, vt per virtutes morales, & ciuiles sternatur iter ad veras, ac perfectas: vestigia enim quædam illa sunt supernè impressa, quibus in adyta diuiniora penetramus, ad quæ *inhiare* debet intentio, idest auidissimè ferri. facessat hinc oportet segnities, atque tepiditas.

Virtus mortalis uestigium perfectionis

3 Dei auxilio in bonis operibus opus esse probat. nēpè aliquando ità frigida est oratio, vt nec cum dolore aduertamus

quia si vel hoc dolemus, iam oramus; quid ergo aliud ostenditur, nisi quia, & petere, & pulsare ille ostendit, qui iubet? quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Vide quando oratio omnino imperfecta sit, immò nulla, cum distrahimur, nec tamen de distractione dolemus; nam si doleremus, hoc ipsum esset orare.

Vistrahi in orando nec dolere, orare non est.

Ex Libro II. Quæstionum ad Simplicianum.

1 DE discretione spirituum sic. *Dixerunt pueri Saul: Spiritus Domini malignus suffocat eum:) suprà dictum est, spiritus malignus à* Domino; *cum autem absolutè dicitur Spiritus* Dei, *bonus intelligitur;* dicitur spiritus Domini propter ministerium, à domino propter permissionem *prophetat autem Saul cum alijs, quia potest etiam malis prophetia donari; vnde illud. Si habuero prophetiam &c.* notabile est quod Spiritus malus suffocabat Saulē, potius quàm aliud damnū inferebat. an quia inuiderat, mulieribus laudes Dauid canentibus, ideò fauces oppressit? an quia inuidus ob loquēdo detrahit aliorū gloriæ?

Cur Saul inuidus suffocatur a dæmone.

2 Quæritur, quomodo Spiritus immundus in Pithonissa potuit agere, vt Samuel à Saule videretur? *Multò maioris miraculi est, quod ipse Satanas potuit loqui cum Deo, vt est apud* Iob. *rursus si mirum videtur quod Samuelem à mortuorum receptaculis extraxerit, multò magis mirum quod Satanas ipsum dominum assumpsit, & statuit supra pinnaculum templi. quod si hoc ideò nos non conturbat, quia dominus voluit, & permisit; ita &c.* Addit: potuit etiam illud esse aliquod phantasma; nam & in imaginibus, & somnijs dicimus; vidi Simplicianum &c. & Pharao spicas dixit se vidisse in somnis. Nota vt nihil sine Dei permissione fiat; qui ad bonum dirigit, quæ fiunt: nam Samuel, qui apparuit Sauli, mortem ei prænunciauit, quo, ostendit ab his malis artibus esse abstinendum.

Magia ars in damnū redūdat vtentis

Ex Quæstionibus ad Dulcitium.

1 EXponit illud Apostoli: *Alij supra fundamentum Christum ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos; alii fænum, lignum, stipulas; vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.) Iste ignis in hac vita facit vni fideli cogitanti quæ Dei sunt, hoc est ædificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri cogitanti quæ Mundi sunt, idest ædificanti fænum &c. illius opus nō exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur, vt hic; itá post hanc vitam credibile est inueniri, aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantò magis, minus ue bona temporalia dilexit: tantò tardius, citius ue saluari.* per pœnitentiam, scilicet, & eleemosinam. Notabilis locus de Purgatorio, vbi opera, quæ fœnum, & lignum præseferunt; ex dilectione terrenarum rerum ob vilitatem comburuntur. felix qui nihil nisi aurum charitatis, argentum puritatis, lapides pretiosos operationum sanctarum ad ædificium confert: vide autem vnde sciri possit duratio manentium in Purgatorio: *prout magis, aut minus bona temporalia dilexit*. magnū hoc religiosi solatium, qui ea contemnendo reliquit.

Duratio manentium in purgatorio quanta sit.

2 De sepultura fidelium hęc habet, Flora religiosissima fœmina quæsierat, *vtrùm prosit cuique post mortem, quod corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepeliatur, petens pro defuncto filio, ut de cadauere fidelis iuuenis Cynegri factum est, vt scilicet in beatissimi Felicis confessori basilica poneretur*. Nota amorem, & spem in sanctos Martyres post hanc vitam. quantò igitur magis colendi dum viuimus, & apud eorum basilicas quàm frequentes orandum?

Apud sanctorū tumulos sepelon quam sit optalilo.

3 De suffragijs defunctorum sic. *Non negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuaris, cum pro illis sacrificium mediatoris affertur, uel eleemosina in Ecclesia fiunt; sed eis hæc prosunt, qui cū uiuerent, ut eos sibi postea possent prodesse, meruerunt &c.* præclarum monitum, itá enim piè viuere debemus, vt mortui aliorum pijs suffragijs digni esse possimus. Tum sic egregiè concludit de suffragijs. *Cum ergo sacrificia, & eleemosina pro baptistatis defunctis offeruntur, pro ualde bonis gratiarum actiones sunt, pro non ualde malis propitiationes sunt: pro ualdè malis, etiam si nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum consolationes sunt* nota tres gradus eorum, pro quibus suffragia fiunt, & quibus prosint.

Suffragia pro sunt ii, qui viuentes se iis fuere dignos.

4 Scrutantur illud Apostoli. *Nos qui residui sumus, rapiemur obuiam Christo &c.* vellem audire doctiores, an sine morte hoc possint; nam si dicitur; *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*; ergo resurrectio supponit mortem, & sic mutarem sententiam. *neque enim esse debemus indociles doctiores. & certè melius homo corrigitur prauus,*

prauus, quam frangitur durus. Vide, vt humiles esse debeamus aliorum sententijs potioribus acquiescentes, nec de nostris nimium præsumentes. audi quid tam egregius Doctor de se dicat. *Circa ea, quæ scripsimus, ità nostra exercetur infirmitas, ut nulla in eis veluti canonica instituatur authoritas, ego plus amo discere, quàm dicere; ut ergo discamus, inuitare nos debet suauitas veritatis; vt doceamus cogere necessitas charitatis*. Vide quàm cautè & humiliter de suis scriptis loquatur. tamen ipse de se ait: *vocabant me cedrum Libani &c.*

Augustini humilitas, & ingenuitas in cedendo aliorum sentētijs.

5 Qua ratione Cœlum acquiratur, ostendit. *Quid potentius, quàm ut regnum cœleste non solùm Zacchæus emat dimidio rerum suarum, sed & uidua duobus minutis, & tantundem ibi vterque possideat? quid potentius, quàm, vt idem regnum, & thesauris diuitis, & calice aquæ frigidæ pauperis valeat?* nota de mirabili pretio regni cœlestis, quod tamen potest acquiri val paruo, modò magna sit charitas in eo, qui dat paruum.

Regnum cœleste uenale, uel paruo, sed charitate magna.

6 Exponit locum psalmi. *Gloria, & diuitiæ in domo eius,) Domus eius, cor eius est, vbi Deo habitante opulentius habitat cum spe vitæ æternæ, quàm cum hominibus habitantibus in marmoratis, lequeatisque tectis cum timore mortis æternæ.* pulchrè quasi opulentā domū, ac regiam dicit cor hominis, si habeat Deum. Nero auream appellauit suam, & cœli stellarumque fecit imaginem; sed fecit se habitore vilissimam.

Cor iusti opulenta Dei domus est.

7 Docet quid sentiat de Samuelis mortui apparitione. Non est mirandum, si verus Samuel venerit ad malum Saulem; nam & boni vocati in hac vita adeunt malos. quanquam hoc potius phantasma fuit. *Deus temporalia dumtaxat ad eorum pœnam, quibus ista prædicantur, per infernos spiritus vult cognoscere; vt malum, quod eos impedit, antequam ueniat, prænoscendo patiantur; ut quod audiunt ab Angelis, prenuncient hominibus: miscent tamen fallacias, & uerum quod nosse potuerunt, non docendi magis, quàm decipiendi fine prenunciant; & fortè hoc est, quod cum illa imago Samuelis Saulem prædiceret, verè moriturum, dixit etiam, secum futurum, quod vtique falsum est. nam inter bonos & malos magnum Chaos dicitur interpositum*: Acutè adnotat dæmonis fallacias. affert aliquid veri, vt cetera falsa credantur. hinc ait potuisse Saulem colligere, non esse verum Samuelem, quia cum esset malus ipse, & ille bonus, vnà futuros promittebat. vide quàm cauendum sit curiosè arreptitios interrogare, & responsa petere.

Diabolus inloquēdo miscet uera falsis ut fallat.

8 Exponit illud: *Spiritus domini super ferebatur super aquas.) Quia subiacebat scilicet bonæ voluntati creatoris quicquid illud erat, quod formandum, perficiendumquè inchoauerat.* rectè interpretatur, cur dicatur Spiritus sanctus superferri? nimirum, vt eius suprema maiestas, ac dignitas intelligatur, quia eius volūtati creatura se subiiciebat. quantò magis creatura rationalis subiici debet? hinc animalia illa Cherubica, *vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* vide imperium, ac potestatem.

Spiritus sanctus superfertur creaturis ijs imperando.

9 Pergit idem exponere. *Spiritus Domini super ferebatur) An quia egenus, atque indigens amor ità diligit, vt rebus, quas diligit, subijciatur? propterea, cum memoraretur Spiritus Dei, in quo sancta eius beneuolentia, dilectioque intelligatur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentiæ necessitatem potius, quàm per abundantiam beneficientiæ Deus amare putaretur.* Præclarè ostendit Deum nihil coactè facere, in quo discimus eum imitari, non subiiciendo nos ipsis creaturis, quas amamus; sed superferri debemus quadam animi sublimitate, ne temporalibus istis immergi videamur. Subiungit. *super ferebatur amando, nec tamen se subiiciendo creaturis, ideo Apostolus dicturus de charitate, super eminentem viam demonstraturum se dicit; & alibi supereminentem uocat scientiæ charitatem Christi*. Vide cur dicatur superferri Spiritus sanctus, quia amabat res creatas, sed eo modo, quo oleum, quod misericordiæ typus est, aquæ super eminet, non subijcitur.

Ezech 1

Spiritus sanctus superfertur creaturis quia illis non indiget.

1. Cor. 12

Ephes. 3.

Spiritus sanctus amor est sed nulli subiectus

10 Querit, cur Dauid dictus *secundùm cor Dei*, si Deus præsciebat peccaturum? an secundùm cor eius fuit, vt pœniteret? an de Christo intelligitur? vt apud Osee. *Requirent dominum, & Dauid regem suum, & stupebunt in Domino, & in bonis ipsius*. at cum hæc dicebantur, Dauid iam obierat. vbi nota eum, quem peccatorum pœnitet, esse secundùm cor Dei, hoc est impensè ab eo diligi. idem etiam interpretatur de Christo, cuius typus erat Dauid, præsertim cùm *immutauit uultum suum, & ferebatur manibus suis*, quod ad Eucharistiæ mysterium pertinet: *requirent dominum, & Dauid regem suum, & stupebunt in Domino, & in bonis ipsius*; quid autem magis stupendum quàm hoc mysterium? græcè est ecstasin habebunt. & sanè à multis Sanctis in Eucharistia ecstasis haberi solita. de regina Sabba inuisente Salomonem dicitur: *Non habebat vltrà spiritum, videns cibos mensæ eius, & ordines ministrantium*. & ta men regijs assueta deliciis.

Osee 3.

Pœnitens est secūdū cor Dei.

Eucharistia stuporem, & ecstasin parit.

Ex Libro LXXXIII. Quęstionũ Osorij.

Christus lingua crucifixus ante quam manu.

1 QVęritur, cum Marcus hora tertia, dicat Christum crucifixũ, Ioannes sexta: vtri credendum? respondet: vtrique. *Nam hora tertia clamant Pilato iudęi, crucifigatur, milites hora sexta crucifixerunt: igitur quod illi lingua, hoc isti manibus effecerunt, iuxta illud psalmi. dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. unde hora tertia dominum occiderunt.* nota; velocior ad Christi necem fuit lingua, quàm manus.

Imago Dei in nobis quando eluceat.

2 Expēdit nonnulla loca Geneseos. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.) Mens quando cogitat, & quærit æterna, tunc verè imago Dei dicenda est; & cogitando æterna vir est, vt ait Apostolus: vir non debet velare caput suum, cum sit imago gloriæ Dei; quantoque magis se extenderit ad id, quod æternum est, tantò magis inde formatur ad imaginem Dei. quando verò cogitat temporalia, mulier apparet; tunc non est dicendum imago Dei, ac propterea debet uelare caput.* præclarus hic locus est de Dei imagine in nobis. vide, quid sit cogitare de Deo, ipsum Deum depingere, vel exculpere in se. virile quiddam est ad ęterna aspirare; at cogitare terrena, & voluptuosa, muliebre, effœminatum est; & vt in rebus fit, de quibus erubescimus, velare caput oportet.

Homo cogitando æterna uir, & imago Dei dicitur, cogitando tēporalia, mulier.

Cur aquæ super cælos sint.

3 Diuisit aquas ab aquis.) *Qualibet sint aquę illæ super cœlos, eas ibi esse minimè dubitamus; sicut enim nubes, quæ vtiq; aquæ sunt, feruntur super aerem, ita fieri potest, vt aquæ tenues sint super cœlos. nam ex hoc pōdere elementorum multi philosophi resurrectionem carnis illudentes, non posse fieri inquiunt; vt homo, qui vtique ex terra factus est, sit in cælo; sed hæc veritas conuincit, quæ facit multa animalia terrestria, in aere volitare, & aquam esse super aerem, & ignem esse in terra. ergo Dei potentia, quæ hæc facere approbatur, facit, vt & homo & aqua sint supra cælum.* Vide cur aquas Deus posuerit ab initio in cœlo, in loco non proprio, vt & homo, ex terra, itemq; ex aqua compositus, posset ad eundem locum aspirare; sed cur aquæ potissimùm elementum in cœlo collocauit, vnà cum homine postea futuras? an quia, & homo per, eas, hoc est per baptismum ibi collocandus? vt gratiæ principium sit semper ante oculos beatorum. an, vt alii putant, ad recreandos oculos beatorum?

Non implicat aquā aut hominē super cęlos poni.

4 *Vt operaretur, & custodiret illum.) Non indigentia, non necessitate, sed sola voluptate. custodiebat autem non contra bestias, aut alia animalia, sed sic solùm ne amitteret peccando, quem custodire poterat obediendo.* egregiè interpretatur, quid esset custodire paradisum, hoc est obediendo Deo ita se gerere, vt illam possessionem non amitteret. custos igitur Dei bonorum obediētia est. Addit. *vel vt Deus operaretur, vt homo bonus esset, & custodiret, vt tutus esset.* vide vt omni ex parte egeamus Deo, vel operante in nobis bonum, vel illud custodiente.

Deus, & operans, & custodiens bonum in nobis.

5 Quærit, cur Deus minatus est mortem, si non statim Adam mortuus? quia quatuor sunt mortis genera: prima animæ in vita per peccatum, quò spectat illud: *sinite mortuos sepelire mortuos suos.* secunda mors corporis. tertia solius animæ post mortem ante iudicium, vt diues ille cruciabatur in igne. quarta mors, post iudicium. Adam tunc mortuus prima morte, ex qua tres reliquæ consecutæ, Vbi nota hanc quasi malorum quadrigam, cuius auriga peccatum est. adeò vndiq; obsidemur non minus, quàm quatuor generibus mortis. Quærit etiam quomodo Adā timere potuit mortem, quam nondum erat expertus? videlicet per scientiam, qua tenus est priuatio vitæ.

Peccatū quatuor mortis genera intulit.

Adam quomodo timere poterat mortē si nondum expertus.

6 *Germinet terra herbam virētem &c.* Dices: sunt aliqua ligna infructuosa, vt spinæ &c. *Nullatenus dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus afferunt adiumenta.* nam alia ad medicamenta sunt, alia ad vsum. spinæ licet post peccatum nascantur ad laborem hominum, tamen antea ad pastum pecorum erant &c. referrem hoc ad religiosos in rebus domesticis occupatos sine literis; neque enim hi nullum afferre fructum dicendi sunt, qui ceteris circa alia diuini obsequii munera occupatis *aliquo modo afferunt adiumenta*: ac proinde apto vocabulo coadiutores vocamus.

Nihil dicendum infructuosum quod ad aliquem usum est.

7 Quæritur, quomodo adducta animalia ad Adam? an vt adducunt aucupes ad retia? an voce iussionis de nube facta, cui obedirent? nequaquam, sed *Angelica natura iussa Dei perficiens, mouet iussis omne genus animantium, docens id quod nescit.* nam si adeò animalia docentur hominum magisterio, quantò magis Angelorum opera? mira dignitas hominis, vt ad eius in omnia animalia dominium, & imperium ostendendum, Angeli suam operam nauarint, ea ad ipsum adducendo. hinc etiam collige, bestiis peiores eos esse, qui Angelicis inspirationibus renituntur. agit autem hic acutè de differentia motus animi, & Angeli.

Bestiæ ad Adam ab Angelis adductæ.

8 *Et requieuit Deus, &c.) Deus post sexti diei opera requieuisse dicitur die septi-*

mo

mo: non enim in aliqua creatura, eius bono indigens requieuit, sed in se ipso. ergo quia nullam creaturam per indigentiam fecit, proinde in nulla creatura requieuit. nota, cur Deus non dicatur requieuisse in aliquo ex sex diebus, cum creaturas condebat; sed seorsum à creatione in die septimo; vt ostẽderet, in nulla earum, vt pote nullius indigum, sè requiescere, nisi in se ipso. Dices, cur dicitur in prou. *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo?* an quia Deus habitauit in carne accepta ab ipsa Virgine? mirus honor carnis Christi, & Deiparæ, vnde accepit. in hac carne quietem inuenit Deus, cum antea dixisset. *non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.*

Cur Deus nõ requieuit in aliquo sex dierum dũ crearet.

Dei Verbum requieuit in carne a Deipara accepta.

9 *Cur præcepit vobis Deus &c.)* Quæres, quomodo serpens locutus? *Assumpsit in ministerium illud diabolus, vtens eo velut organo, per quod articulatum sonum emitteret, quod ille nesciebat; sic quamuis audiant verba Marsorum, ad quorum incantationes de speluncis exeunt, nequaquam tamen intelligunt: non enim obediunt intelligendo, sed permittente Deo coguntur à diabolo.* Nota, diaboli arte fieri incãtamenta serpentium per præstigiatores, quales orant Marsi: adeò sollemne vult esse vulnus antiquum; vt quoniam initio in serpẽte nos perdidit, adhuc ijs vtatur ad perdendas animas per magias.

Serpens instrumentum diaboli, & initio, & postea per magias.

10 *Vox sanguinis clamat ad me de terra.) Sanguis Abel significat sanguinem Christi, quo vniuersa Ecclesia accepto dicit, Amen. nam qualem clamorem faciat vniuersa Ecclesia, dum potatur sanguine Christi, & dicit, Amen, tu ipse, si potes, considera. Iudæi ergo in persona Cain non credentes, quia non potantur sanguine Christi, maledicti sunt super terram; super illam scilicet terram, quæ aperuit os suum per confessionem, & bibit sanguinem fratris sui, scilicet Christi.* nota morem in Ecclesia post sumptam, vt tunc solebant, in vtraque specie Eucharistiam; post sumptum sanguinẽ, clamandi magna voce. Amen: qui clamor inexplicabilis dicitur, siuè ob magnum affectum, siuè quod apud Deum altissimè perueniret. Iudæi, autem hunc sanguinem proiiciunt super Ecclesiæ terram, quæ aperit os, cum confitetur Christum, eumq; recipit per actum fidei, dum rei veritatem fatetur; hoc enim sibi vult, Amen. & per actum charitatis auidè aperto cordis ore dum sumitur.

Sanguis Abel typus sanguinis Christi præsertim in Eucharistia.

Sanguis Christi Eucharisticus nõ sine clamore.

11 Quæritur, cur coruus non sit reuersus in arcam? *Aut aquis interceptus est, aut aliquo cadauere illectus insedit, & significat homines carnalibus rebus deditos: vel si aquis est interceptus, eos qui de Ecclesia exeunt, & hereticorum baptismo polluuntur: licet enim vnum baptisma sit, tamen cum extra Ecclesiam baptizantur, ad perniciem sumunt.* Vide, quanta vis sit peruersæ consuetudinis, vt coruus benefici custodis, & nutricii Noè oblitus, cadaueri inhæserit; vel si aquis obrutus est, debuit statim viso periculo regredi, sed libertate vagandi in interitum ruit.

Coruus nõ rediës in arcam typus carnalis hominis vel hæretici.

12 Abraham egrediens de cognatione sua &c. significat, inquit, Christum de Iudæis migrantem ad nos; vel *cum nos de vitiis prioribus, quasi nobis à natiuitate cohærentibus, & affinitate coniunctis eximus, & de domo patris sui, idest de omni memoria Mundi huius*. nota: Abraham ab idololatris recessit, nos a vitiis. sed & quædam idola vitia sunt. certè de auaritia dicitur. *quæ est idolorum seruitus*. pulchrè autem de Mũdo exire dicimur tanquam e paterna domo, cum commodorum omnium obliuiscimur, & omnis tenerioris affectus: quod maximè religiosi faciunt.

Exire de domo patris vt Abraham est abiicere memoriã Mũdi

13 Exponit quod sit illud tertium cœlum, quò Paulum dicit se raptum. *Tria sunt genera visionum; corporalis, spiritualis, intellectualis; corporalis, quæ fit per corpus, spiritualis, cum imagines eorũ, quæ vidimus, in memoria cõdimus? per intellectualem nec corpus uidemus, nec imaginẽ corporis, sed intellectu, visuq; discernimus; ob id raptus fuit Apostolus in tertiũ cœlũ, idest ad intellectualem visionem, vt Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa verita, scerneret. tres ergo cœli sunt tria visionum genera: ad hoc profectò peruenit Paulus, vt Deum sic in ista vita videret, sicut sancti post hanc vitam vident.* Vides, apertè ostendi Paulum ad Dei beatificam visionem raptum, licèt per transitum; talem Christus Ecclesiæ nutricium constituit. *lac vobis potum dedi*. quid de Deipara dicemus, quæ lactauit Deum? an non putabimus multò magis hoc ipsi concessum? & quàm tunc ineffabilia audiuit verba, cum diuinum ipsum Verbum concepit?

Paulus in raptu per transitum vidit Deũ.

14 Quærit, *quid significat quod Enoch septimus ab Adam translatus sit?* respondet: *Enoch septimus ab Adam transfertur ad Deum, & septimo requies promittitur sanctis, quia in sexta ætate sæculi reformantur in agnitione Dei, vt transferantur ad regnũ.* acutè notat Enochi priuilegium, cur raptus interim à morte, & mundi miserijs? quia nimirum septimus numeratur ab Adam; dies autem septimus & sanctificatus, & Dei requies est. referri potest hoc ad Deiparam, cui dies septimus hebdomadæ sacer est: nam assumpta in cœlum, omninò iam caritura morte, perpetua fruitur quiete.

Enoch septimus ab Adã translatus requiem indicat sãctorũ.

15 De cognitione duplici, qua Beati perfruuntur in cœlo, hæc docet. *Ipsa creaturæ cognitio in semetipsa vesper, in Deo est mane, quia plus videtur ipsa creatura in Deo, quàm in se ipsa.* Vide perfectionem beatificæ visionis: & quàm præclara sit cogni

tio

tio Beatorum, quæ Luciferum sidus, & Hesperum exprimat. huc refer illud Iob. *qui producit Luciferum in tempore suo*, hoc est cum Deum videbimus, & in ipso res creatas.

* Ex Quæstionibus veteris Testamenti.

1 Deum nullis verbis exprimi posse docet ob immensam naturæ sublimitatem. *Quæritur quid sit Deus? hoc est, quod nulla attingit opinio, quia enim super omnia est, necesse est, vt omnium mentes excedat.* rectè argumentatur; si enim eum omnino cognitione assequi possemus, nec trāscenderet mentis nostræ vires, non esset supra nos.

2 Quæritur, *cur Deus Mundum fecit? fecit, quia est opifex; aut negetur si nōn est; sed esse, ipsa opera manifestant; fecit ergo vt esset quod non erat, quia sine dubio melius est, esse, quàm nō esse;* Addit alteram rationem: *Ne mysterium prætereamus, cur Mundus factus sit, dicimus diaboli apostasiam multos Angelos secum in præuaricationem traxisse, dum voluit sibi regnum impia præsūptione defendere, ut Esaias significat: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, &c. quia ceteris lucidior apparebat; cernens enim infra se multas spirituales Potentias, ipsa elatione inflatus voluit dici Deus: sicut hic videmus exemplum eius quosdam imitatos, qui contemplatione aggregatorum circa se militum elati, satellitibus in hac re fomitem conspirationis præbentibus, imperium sibi vendicare voluerunt: hinc Deus, vt eius præsumptionem non potestate, sed ratione destrueret, Mundum condidit, vt hic homo positus, creatus ex supernis, & infernis, idest ex cœlestibus, & terrenis, vnius Dei dominium non tantùm voce, sed & imagine, quà vnus ab vno Deo factus est, ex quo ceteri orirentur, ostenderet. ideò enim Deus vnus vnum fecit, vt doceret ab uno omnia esse, ac per hoc unum esse Deū; ut superior creatura ad confusionem suam in homine disceret, qui de terra conditus est, ueritatem. ex eo diabolus inimicus extitit homini; præuidit enim, quia ad accusationem eius factus est homo: unde omni subtilitate sua egit, ut accusatorem suum participem damnationis efficeret. diuinitatem illi spondens, ob quam effectus ipse reus.* Nota, iuxta hunc sententiam Mundus factus fuisset ad diaboli opprobrium. communis tamē opinio est, Mundū à Deo conditum, vt bonitatem suam manifestaret. itē nota, hominem esse quasi librum, vel magistrum, à quo verum Deum sciat diabolus. rursum hominem accusatorem esse diaboli, ideò ipse accusatoris partes præuenit, vt nos potius rei inueniamur. & illud acutè animaduersum, cur Deus vnum initio creauerit hominem, vt vnus opifex agnosceretur: quò etiam refero, cur vnum Mundum crearit, cum plures, & innumerabiles posset.

Cur Deus Mundū fecerit.

Homo creatus vt esset accusator diaboli.

Vide censuram Bellar. descrip. Eccl.

3 Quærit, *Cur non ante Mosen Mundi creatio scripta? quia non erat tantus error antea; at ubi ità creuit, ut etiam filij Israel in Aegypto tradi audirent à philosophis Aegyptiorum, à quibus etiam Moses fuerat instructus, omnem peritiam Aegyptiacam, quæ Apim quendam Mundum istum asserit per malos Angelos condidisse; hunc quoq; principē Mūdi uideri, &c.* nota quid de Api illo senserint boue; nam ideò, & lunam fuisse impressam ei ferunt, opera sine dubio dæmonis, quasi inferiori Mundo dominanti, item aquilæ figuram, quasi naturæ sublimitate, perspicacitate &c. tunc igitur Mundi creatio doceri coepta est, cum circa ipsius Cōditorem magis errari cœpit.

Cur non ante Mosen de Mundi creatione scriptum.

Apis ab Aegyptijs putatus Mundi cōditor.

4 Manichæos acutè arguit, qui hominem à Satana dicebāt factum, Mundum à Deo: stultiores ceteris, nam cum Mundus hominis causa sit factus, hominem autem ab aduersario creatum dicant, perinde est ac si in domo alterius alter posuerit dominum. huc spectat quod addit: *hominem sexta die constituit, ut in domum iam factam habitatorem introduceret.* Vide vel Dei pietatem, vel hominis dignitatem, cui primùm extructa quasi regia est, ac præparata: ipsi tamen eius Conditori, ac fabro *non erat locus in diuersorio.*

Pier. Val.

5 De Cain sic. *Cain totum animum terræ inferens, quid creatore dignum esset non aspexit, qualiacumq; offerens munera, ut per Malachiam ueritum.* rectè Cainum arguit, qui terræ culturæ deditus labore manuum, etiam animo terræ inhærebat: at quicquid in fructibus, & frugibus terra producit, cœlo debet, vnde Sol, imbres &c. igitur cœlum suspicere Can debuit, & Deum hæc omnia gubernantem, vt par erat, ibi regnantem adorare. hine ei obijcitur: *quare concidit vultus tuus?* hoc est in terram pronus? sulculum vt agricola inserebat arbori, ipse interim *totum animum terræ inferens.* quid abiectius, aut stultius?

Mundus hominis causa factus, ac proinde vterque à Deo.

Cur homo vltimo locò creatus.

6 Quærit, *Vt quid Moses descendens de monte cum tabulis uultum splendidum habuit, & intolerabilem? Accepta potestate in peccatores, qui adorauerunt uitulum, cum honorificentia descendit de monte, cum facie gloriosa, in tantum, ut à peccatoribus uideri non posset. ostensum autem in eo est, quod peccatores gloriam Dei non merentur aspicere.* nota, propter peccata, populum non meruisse, nec potuisse intendere oculos in splendorem Mosis, qui erat instar bicornis

cornis Lunæ: nimirum quia Apim bouem colere voluerunt cum illa Lunæ effigie, quam diximus in corpore velut insculptã habuisse; ac præterea Isidem, quam pro Luna corniculatam effingebant. Item nota, cur ille vultus splendor Mosi communicatus sit, *accepta potestate in peccatores*. pulchrè facit hoc pro nostro S. Ignatio, cuius vultus splendidus sæpè visus, quippe in peccatores potestatem acceperat, eorum conuersioni totus addictus; nec ad idololatriam tantùm, sed etiam ad hæreses destruendas à Deo constitutus. licet certè Ignatium cum Mose conferre, quando, & de ipso summus pontifex dixit; *digitus Dei est hic*. ac Moes quidem ab Aegyptiis accepit hoc elogium, Ignatius verò à Romano hierarchá, Deique vicario.

Cur infantapolis incẽdio etiã pueri cõbusti

7 Quærit, cur etiam infantes Sodomæ cremati, si non peccarant? *Difficile de malis nati, & inter nequissimos educati, mentem suam temperant ad disciplinam sequendam; vide ergo si non magis benefactum est cum filiis perditorum; prouisum enim est illis, ne diù viuentes exempla sequerentur patrum, à gehẽna liberi sunt in aliena causa occisi. deterrere autem voluit Deus impios patres, vt vel affectu filiorum ad reuerentiam Creatoris: vel filii timentes, ne incurrerent in peccata patrum, Dei legi obtemperarent*. Nota admirabilem Dei pietatem, & prouidentiam, etiam dum punit: nam, & parentibus consulit, vt metu amittendæ rei carissimæ conuertantur, & filiis, ne si viuerent sequendo paternos ritus, & mores, & ipsi æterno igni damnentur. inciderunt quidẽ infantes Sodomæ in poenam damni ob peccatum originale, at non etiam in sensus, quæ dicitur gehennæ ignis, cum carerẽt actuali nota etiam, facile filios nequitiam contrahere, si parentes mali sint, ob malum exemplũ, & educationem.

Dei vindictio sæpe in beneficium cedit.

8 Quærit, *Quare Angelus volebat occidere Mosen, nondum circumciso filio? Quia in summo viro, vtpote ductore populi, acerbissimum est peccatum. pergebat ad filios Israel missus à Deo Abrahæ, nec ferens signum iustitiæ Abrahæ, ut non uideretur ab eo missus, qui Abraham elegerat. filios autem aut adducere secum ad Aegyptum non debuit, qui cæteros ibat inde educere: aut certè circumcisos assumere*. ideò Sephora sciens causam, ob quam irasceretur Angelus, filium circumcidit. Nota, cum Moses audisset, *ego sum Deus Abrahæ*, qui filium obtulerat morti, & initiũ fuit circumcisionis, debuit & ipse filio nõ parcere, præsertim cum nõ ad mortem. pulchrè autem notatum, & acutè: cum Mosi mandatum esset, vt extra Aegyptum educeret populum, cur filios eò introducebat? hinc etiam discant superiores religionum viuere ad sui patriarchæ normam, vt Moses iussus ad Abrahæ;

Peccatum in summis viris seuerius punitur a Deo.

Cur Moses ab Angelo pene occisus.

vt ipsi maximè obseruent instituta maiorum suorum.

9 Cur Manna pluerit, docet. *Manna panis Angelorum dictus est, quia ea virtute creatus est, quà Angelica natura subsistit; vt Deo gratias referret, qui tanta cura seruos suos gubernat, vt eis adbuc in carne positis, si necesse fuerit, exhibeat ea, per quæ viuant Angeli*. tum addit de mystico cibo: *hic ergo panis, ac cibus non Mundi lege creatus est commixtione eleementorum, sed desuper venit spiritali satione prouisus; nec quidem in supernis habebatur, quia corporibus alendis ad momentum virtute creatus est*. Præclare adnotat, cur suauissimum illum cibum in deserto per Angelos Deus fieri voluerit; vt indicaret sè sic diligere hominem, vt paratus esset, etiam spiritali cibo, quo Angeli pascuntur, eum pascere, visione videlicet ipsius Dei, quasi eiusdem mensæ conuiuam, quod & in Eucharistia fit per fidem.

Cur mãna dictus panis Angelorum

10 Quærit, cur Ioseph adiurauit filios Israel, vt cum liberarentur, cineres eius de Aegypto transferrent? *Sciens videlicet ab Aegyptiis se coli causa administrationis, qua in magna egestate Aegyptum gubernauit, post exitum, errorem quæsiuit auferri, ne ei deferretur debitus Creatori honor*. Vide quàm alienus esset à fastu etiam post mortem. similiter Paulus, & Barnabas scidere sibi vestimenta, cum se quasi Deos adorari viderent. sed tamen honor sequitur fugientes, nam Ioseph pro Serapide cultus cum modio tritici.

Ioseph trãsferri iubet sua ossa ex Aegypto ne coleretur.

11 De Helisæo sic. *Helisæus auarus ad bonum, dupliciter spiritum sibi inesse, quàm in magistro erat, postulauit: auiditate enim non considerauit discipulum, & se supra magistrum. Helias tamen sciens non ambitione præsentis gloriæ postulare, priuari non est passus meritis suis*. sed hoc Heliæ merito habuit, non enim Helisæus maior Heliæ, quia Ioannes Baptista dicitur venisse in spiritu, & virtute Heliæ, & nemo illo dicitur maior natus; ideò *veniens Helisæus ad aquarum transitum non accepit honorem ab eis, vt posset transire, nisi nominasset Deum Heliæ*. Vide quam auaritiam laudet. præclarè, ac pulchrè dicti de Helisæo, *auarus ad bonum*. duplicem, hoc est abundantem Dei spiritum postulauit, non ambitione ductus, sed affectu virtutis. est hoc contra tepidos religiosos, & quauis mediocritate contentos.

Helisæus auarus ad bonũ duplicẽ spiritum postulat

12 Videtur non fuisse verus Samuel, qui excitatus est à Pythonissa, sed Satanas sub eius habitu. *hoc enim nititur, vt adoretur quasi Deus; non autem vir iustus permisisset se adorari, nec dixisset Homo Dei, qui erat in refrigerio Abrahæ, ad Saulem virum pestilentem, dignum ardore gehennæ, Cras mecum eris. his duobus titulis subtilitatem falla-*

An verus Samuel apparuerit Sauli.

fallaciæ sua prodidit improuidus Satanas; quia & adorari se permisit sub habitu Samuelis contra legem, & virum peccatis pressum cum Samuele iustissimo futurum mentitus est. ad eum igitur transmigrauit, quem adorauit: semper enim diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit quæ abhorrent à personis, per quas fallere nititur, nota quā sit necessariū donū de discretione spirituū, quod inter ceteros S. Ignatio nostro concessum fuit. tum vide vt diaboli fraus, & malitia quantumuis tegatur, det ansam sui.

Quomodo diabolusquidam præuideat.

13 De Satanæ fraudibus hæc item monet. *Non est magnum diabolo ante diem, occasum corporis præuidere, cum signa quædam soleant apparere morituris, quippe à quibus protectio Dei amota videtur. quantò magis diabolus Angelica maiestate sublimis, de quo Apostolus ait, An ignoratis altitudinem Satanæ?* quantum hoc ad humilitatem facit cuiusuis humani ingenii, quod diabolus scientissimus adhuc dicitur, *Angelica maiestate sublimis*: Apostolus appellat, *altitudine Satanæ*. quis se aut sapientem iactet, aut putet sua prudentia posse eludere eius fraudes? Tum arguit in vaticinis diabolum consulentem: *Tanta hebetudine mentis effectus est Saul, vt ad Pythonissam confugeret, deprauatus causa peccati ad ea se contulit, quæ damnauerat.* Vide quantam cęcitatem afferat cupiditas nimia regnandi, & viuendi. Paulo ante ait Scriptura *Saul abstulit Magos, & hariolos de terra, & interfecit eos qui Pythonem habebant in ventre.* quis non admiretur zelum. mox autē curiositate ductus Pythonissam hanc, quæ latens effugerat eius manus, impiè, & abiectè consuluit.

Diaboli magna peritia est.

Mundus non est ab æterno.

14 Mundum non esse ab æterno indicari ait, per vicissitudines, & mutabilitates temporum. Addit. *Et certè homo cœpit in Mundo sine homine; ergo cui fructificabat annua fœcunditas Mundi?* rectè arguit, nam Mundus pro homine factus est homo autem in tempore factus. at si Mundus ab æterno fuisset, & homo defuisset, quis eius bonis tandiù frueretur? otiosum, & inutile opus fuisset.

Diaboli abiectio & perpetuus gemitus.

15 Diaboli infelicitatem indicat. *Diabolus profectus de sacratissimis cœlorum sedibus, in terra volutatur gemens semper.* egregiè indicat in quantam miseriam inciderit diabolus. huc refer quod Cain etiā ob inuidiam dicitur: *cur concidit vultus tuus?* scilicet non coelum, sed terram respiciens, & post homicidium, *eris gemens &c.* multò magis ille qui totius humani geneśis statim homicida fuit. Scilicet abiectè *volutatur in terra*, qui superbè dicebat: *ponam sedem meum in Aquilone, similis ero altissimo*, nunc autem, *gerens semper*, de quo dictum est: *in delicijs paradisi tui fuisti &c.*

Quomodo serpens ad Euam sit locutus.

16 Quæritur, quo modo Eua intellexerit serpentis verba *Serpentis vtiq; ore: si enim hodie non desunt, qui latratus canum intelligunt, & luporum ululatum, & barritum elephantorum, & cantum gallorum, quare non magis Eua scire poterat, & intelligere sibilum serpentis, cum multos sciamus auium voces discernere?* hinc puto colligi posse, vocem illam serpentis non sine sibilo serpentino fuisse, ac se diabolum attēperasse instrumento.

Regiæ personæ quanta veneratio exhibenda sit.

17 Quæritur, *Cur Dauid Saulem, postquam Deus ab eo recessit, Christum domini vocat, & defert ei? quia sciebat in officio ordinis regalis diuinam esse traditionem: ideircò adhuc in ea positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit; Dei enim imaginem habet Rex, sicut Episcopus Christi; & Apostolus ait: potestatibus sublimioribus subditi estote &c. si non propter se, certè propter ordinem, ideò & Pharaoni futuræ famis somnium reuelatum est, & Nabucdonosor, alijs secum assistentibus, solus filium Dei vidit in camino ignis, non vtique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis.* Notabilis hic locus est, & egregius de Regis persona honoranda quæcumque sit. sciebat Dauid Saulem reprobatum, & tamen tam honorifico, & præclaro nomine appellat *Christum Domini*. gētilis erat Pharao, sed quia Rex, cui cura de subditis, Deus ei reuelat futuram in Aegypto famem. & quod non minus mirum est, gentilis & impius Nabucdonosor, sed quia Rex, cui iustitia exercenda est, solus inter tot adstantes videt Dei filium inter pueros, vt sciat esse innocentes, & liberet.

Dei veranda iudicia circa nominum salutem uel damnatione.

18 Quærit, *si anima quæ peccauerit, ipsa morietur*, cur propter Achan occisi sunt alij triginta? nimirum illa verba ad mortē animæ pertinent. *illi autem, quia pauci fuerunt, contra multos superati sunt. nulla ergo iniustitia in voluntate Dei; in potestate enim habet adiuuare si vult; vt si affuerit, misericors sit; si noluerit, iustus: nec tamen in talibus debitor est, vt teneatur obnoxius.* præclarè dictum, iuxta illud, *miserebor cui miserebor &c.* ideò Iosuè scidit vestimenta sua, videns Deum auxilium suum subtraxisse: vbi nota, quàm sint, & timenda, & reuerenda Dei iudicia in puniendo, vel miserendo.

19 Explicat, quid sibi velit illud Ecclesiast. *Melior est canis viuus leone mortuo? Quia sicut Leo fortior omnibus feris est, ità Christianitas omnibus sectis. si quis ergo ab hac destiterit, amittit salutem, ità vt deterior gentili sit; nam in Chananæa per canes significatos gentiles saluator ostendit. peius autem est amisisse salutem, quàm non habuisse.* nota de hæreticis, qui peiores gentilibus dicendi sunt; leo fuit quandiu cathol-

tholicus, sed viuus leo, Ecclesiæ leænæ generosissimæ filius; per hæresim leo mortuus horribili putore iam fœdus. canis est gentilis, sed si Christo hero adhæreat, fidelis fit custos. idem refer ad apostatas, vel e virtutis culmine lapsos, respectu peccatoris conuersi.

Cur Deus Mosi in igne apparuerit & in rubo.

20 Quærit, cur in igne, & rubo apparuit in monte dominus Mosi? *Quia Deus excelsus est, dignum ergo fuit in alto apparere. & quia ignis semper superiora appetit sursum crescendo ad cælum, in eo debuit dominus apparere. in rubo verò apparuit, quia peccatorum causa legem descenderat dare, & lex statim vindicare non venerat, sed prius ostendere; ideò ignis rubum non combussit, nam quia peccata non sunt de natura, sed ex accidenti, rubi, scilicet spinarum materia non habet radicem spinis armatam.* acutè adnotatum. rubus, inquit, radicem non habet asperam, nec aculeis horridam: ita nec natura nostra ex se malitiam habet. pulchrè item ait, cur Deus Mosi, & in monte apparuerit, & in igne. ob sub limitatem scilicet suæ naturæ, & quia ignis sursum tendit ad cælum, vt nostræ quoq; cogitationes eodem tendant.

Cur Deus acceptauit Abrahā uotū de prole obl tanō item Iephtæ.

21 Quæritur, cur Abrahamo prohibitum filium immolare, non Iephtę? quia sunt multę differentiæ. *Iephte filius fuit meretricis, ac princeps latronum: stulta etiam fuit deuotio, & improuida. Quid enim si canis, aut asinus primò occurrissent, quod dominus offerri prohibuit? aut si filius alienus, vt in dolore alieno exultans redderet uotum? iccircò improuidę menti quod in alienam perniciem deuouerat, in illum ipsum iudicio diuino retortum est. filia autē eius lucrum fecit; quia enim innocens in malis patris mortua est, pæna caruit inferi, quod diu fortè viuendo adipisci nequiuisset.* Vide quanti sit facienda vita hominis: quia voto illo in periculum veniebat aliena salus, etiam si non certè, Deus in illum perniciē retorsit; Tum vide Dei pietatem: qui ex malis colligere soleat bonum, vt in hoc facto, curās salutē æternā filiæ per eius necē. atque hic aduerte quàm sit difficile diù viuere sine peccato: nam hæc tum virgo erat, si diutius vixisset, damnationem fortasse incurrisset inter paternæ aulæ delicias, ac fastum, patre præsertim triumphatore. obtulit piè se victimam, non restitit, non in consultationem saltem reuocauit, vtrùm votum valeret: quis in hoc nunc non consuleret certè doctores, & in leniorem partem incliuaret? Aduertendum tamen hic est, Iepthe in scriptura laudari cum dicitur. *Iephte, Dauid, Samuel &c.* & subiungitur: *hi omnes testimonio fidei probati &c.*

Iephtæ filia fortasse dānanda p immolationem saluata.

Vide cēsurā Bellar. de scrip. Eccles.

22 De Iephtæ victoria sic. Non triumphauit Iephte ob sua merita, sed *quia Allophyli Deos suos laudabant, quasi qui subiectos illis fecerant filios Israel, vituperantes Deum Abraham. iccircò propter honorem nominis sui Deus vindicauit in Allophylis.* nota, vt felicitatem nemo suis meritis tribuere debeat, cum aliquando pendeat ex aliorum demeritis, & ideò tu felix ex aliorum bonis, quia illi meruerunt esse infelices perditis bonis suis.

Felicitas non sēper a meritis propriis pendet.

23 Gratiam se ad omnes extendere docet. *Cur aiunt Iudęi, nos non nostra lege uti, sed sua? cum manifestū sit donū Dei esse omnium volentium; cesset itaque ista vsurpationis temeritas, quia gratia Dei communis est omnibus, quamobrem dicitur: Epulamini gentes cum plebe eius.* Vides gratiam, quæ scilicet sufficiat ad salutem, ad omnes extendi, & sicut epulum quoddam commune, vt mensa illa Solis opipara omnibus patens apud veteres fuisse dicitur. frustra igitur Iudęi iactant, ad ipsos tantùm Dei legem, & beneficia pertinere.

Gratia ad oēs se extendit.

Iudęorū iactātia nos non vti lege nostra sed sua.

24 Messiam venisse conuincit. *Prophetia Danielis completa est, quia à primo anno Darii, vsque ad Christi aduentum; & excidium Ierusalem completa sunt hebdomadę septuaginta, qui anni sunt quadringenti nonaginta, vt etiam à Tertulliano computatum est.* cur ergo, inquit, non credunt Iudęi, cum trecenti circiter anni iam fint supra hunc numerum? nam etiam si quis falli posset in computandis diebus, & mensibus Imperatorum: *vbi autem creuerunt tempora super numerum præscriptum annorum promissi Christi, nulla prætendi potest excusatio.* hinc collige quantò Iudæorum perfidia maior nunc sit, cum præter trecentos annos tot alij fint translacti.

Complet o heb domadū Danielis arguit Iudæos incredulos.

25 Exponit illud. *Faciamus hominem ad imaginem &c.) Non potest dici ad Angelos locutus, quia non potest dici vna esse imago Dei, & Angelorū, sicut Imperatorū, & hominum: sed in eo imago Dei est homo, vt sicut vnus est Deus in cælis, ex quo omnia subsistunt spiritualia: ita vnus esset in terris homo, ex quo cetera haberent carnis imaginē.* Vide admirabilem hominis dignitatem, & quasi collationem cum Deo. quid excellētius? illud pulchrè, & acutè, cur Deus ex vno homine propagarit ceteros, ac non multos simul procrearit; vt vel ex hoc disceret homo vnū Deum agnoscere auctorē.

Imago Dei in homine in quo cōsistat.

Cur Deus vnū initio creauit hominem.

26 De eadem Dei imagine sic. *Aliquibus videtur Dei imago factus homo, quia in dominatione; nam subiungitur: vt dominetur piscibus maris &c.* facit hoc ad honorem regis, qui summi regis peculiariter imago dici potest, & ad iustum, qui dominatur suis passionibus.

Imago Dei in homine ob dominium.

27 Mirum quantum ad Ecclesiæ decus hoc faciat. Per Ecclesiam, inquit, etiam supernę Potestates docentur, vt ait Apostolus. *Vt innotescat Principibus, & Potestatibus*

Per incarnationem sub vno magisterio didicerunt, & Angeli, & homines.

ribus &c. septē autem mulieres apud Esaiam septem Ecclesię sunt. *In hac Ecclesia, quæ in terra est, omnium Ecclesiarum facta est mentio, quia cum hoc Sacramentum creatoris prædicatur, etiam cælestibus huiuscemodi intimatur doctrina inferioribus enim, cum insinuatur, necessè est, vt audiant & superiores.* grandis dignitas omninò humanæ naturæ, post quam à Verbo diuino suscepta est; sublimia mysteria non ante communicata Angelo quàm homini; itá Ecclesia magistra fit etiam Angelorum, & hoc quasi commune lycęum est hominum, & Angelorum.

Esaim 14

28 Declarat illud Esaiæ. *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur*, si septem illæ mulieres pane vescuntur proprio, & vestimētis suis induuntur, idest, & viuunt, & nudæ non sunt, vt ipsę aiunt; quid ergo ipsis deest? scilicet habemus, inquiūt, verba legis, quibus reficimur, et Creatoris nomine cēsemur, quia indumētū professionē indicat. *Sic & seniores, & officiales, ex vestibus intelliguntur qui sint: sed quia hæc satis non faciunt ad Deum promerendum, hoc etiam statuit, vt per sacramentum filii, & cognitionem vnius Dei, hæres homo esse incipiat regni cælestis: per fidem enim ablutus pergit in paradisum.* acutè obiicit, et respondet, ostēdens fidei in Christum necessitatem sub typo illo mulierum, quæ licet alioquin commodè se habere viderentur, tamē apprehenso viro aiūt. *tantummodò inuocetur nomen tuum super nos &c.* Deinde exponit illud. *quid est quod poscunt vt auferatur ab eis opprobrium, nisi quia Christum expectabāt promissum ad abolenda peccata?* nota quantum opprobrium sit peccatum, quo tamen solent stulti mundani quandoque etiam gloriari.

Necessitas incarnationis et fidei in Christum.

Peccatū opprobrium est

29 Baptismi nobilitatem indicat. *Qui baptizati estis, Christum induistis, ait Apostolus: vt Magistratus purpura induuntur, ac discernuntur à ceteris, itá Christiani &c.* Vide quanta sit dignitas Christiani nominis, & rectè purpuram nos induere dicit, cum Christum induimus, quia eius sanguine purpurascimus in reges. quid indignius quàm talem purpuram fœdare peccando, & ei præponere viles diaboli pannos?

Per baptismū quasi regiam induimus purpurā.

30 Etiam Angelos ad Ecclesiam pertinere ait. *Spiritales etiam, & cælestes potentiæ opprobrio subiacerent, si membra non essent huius corporis, & caput suum non cognoscerent.* grande quiddam est hoc quod ait, etiam supremos Angelos Christo opus habuisse, vt in eo statu dignitatis essēt, alioquin viles, & cōtemptibiles futuros fuisse: ex ipso enim gratia. Porrò hoc idem de ablato opprobrio Esaiam clarè ostendisse ait. *In illa die illuminabit dominus in consilio super terram; quia abluet dominus sordes &c.) Quid tam euidens, quàm quo die promissum Dei est impletum, & fidei Sacramentum declaratum, homines illuminati sunt & per Creatoris cognitionem purificati?* huc refer illud Cant. de incarnatione. *Quis det te fratrem meum, vt inueniam te foris, & deosculer tè, & iam mè nemo despiciat?* ergo anteà despicabilis erat; osculum autem coniunctionem indicat Verbi cum humana natura, et foris inuentus, idest in terris.

Angeli ipsi opprobrio subiacerent, nisi caput agnoscerēt Christum.

Per incarnationem naturæ nostræ opprobrium in decus versum.

Ex Quæstionibus Noui Testamenti.

1 QVæritur, cur Deus si nullius eget, filium generauit? respondet pulchrè: quia nimirum Mundus non esse condignum opus eius maiestate. *Filium generauit, vt magnitudini suæ congruus responderet effectus &c.* Vide quam paruum sit opus, ingens hic Mundus, & quàm viles respectu diuini Verbi creaturæ vel superæ.

Cur Deus Verbum filium generauit.

2 Quæritur, cur Christus circumcidi voluit, cum cæteros esset prohibiturus circumcidi? Quia mandatum est temporis præteriti; fuit enim signum promissi filij Dei, quo nato signum cessit corporale, dato Spiritū sancto obumbrante. *Hoc est, vt de immensitate diuinitatis aliquid esset in vtero virginali, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur &c.* pulchrè admodum dictum. Vide penè immensitatem gloriæ in vtero virginali, qui excepit immensum, & ideò obumbrata dicitur Virgo, ob immensum diuinitatis splendorem, cui impar est humana natura.

Cur Christus circumcisus sit, si aboliturus circumcisionem.

Virginalis vteri obumbratio ex immēsitate diuini splēdoris.

3 Quæritur cur VIII. Kal. Ian. natus Christus? *Vt Mundum ipsum, & tempora à sè instituta doceret, tunc nasci homo voluit, quando ex magna diminutione lux, quæ dies est, crementum incipit accipere, vt tempus natiuitatis eius ratione congruat doctrina diuina quæ ex vmbra mortis homines cœpit multiplicare ad vitā.* rectè adnotat Christū eo tempore natum, quo nox decrescere incipit, & dies augeri, vt nos ex vmbra mortis, & nocte ignorantiæ ad vitalem lucem per eius ortum traduci ostenderet.

Cur Christus natus 25 die Decembris.

4 Quæritur, cur dominus crucifigi voluit VIII. Kal. Aprilis? *Vt omnia sè voluntate patris rectè condidisse doceret, tunc voluit passione sua Mundum redimere, & reformare, quando & eum creauerat; idest in æquinoctio, vnde Mundus initium cœpit, et dies super noctem cresceret: eodem enim die voluit esse renouationis gaudium, qui fuerat, & dedicationis.* pulchra, & elegans ratio. vbi nota Mundi creationem dedicationem vocari, quia in Dei gloriam conditus, tempore verno, & creatus est, & renouatus, quo se creati

Cur Christus crucifixus est 25 die Martii.

se creati auctorem ostendit, quasi ad ipsū pertineret lapsum reficere, qui fecerat.

5 Quærit, si Marcus ait, dæmones cognouisse Christum: *Sciebant enim ipsum esse Christum*: cur *A*postolus ait: *quia nemo Principum huius seculi cognouit eū*. respondendum est, nouisse dęmones eum esse, qui fuerat per prophetas promissus; nō tamen mysterium diuinitatis. *Videntes aliquando diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigentes quid verum esset, torquebantur*. Vides, vt delusus sit diabolus stratagemate diuino, licet tàm vafer ipse esset, & callidus; & rectè hunc dubitationis æstum pro cruciatu illi fuisse ait.

Dęmonū cruciatus ex dubitatione an Christus esset verè Dei filius.

6 Quęrit, si lex vsque ad Ioannem durasse dicitur, cur seruata est ab ipso Christo? *Quia per partes cessauit, vt prædicante Ioanne baptismum pænitentiæ, cessarunt neomeniæ, &c.* at circumcisio vsque ad nouæ legis prædicationem durauit. Nota per Ioannem Baptistam neomenias, hoc est nouæ Lunæ obseruationes in primis cessasse; nempe ipse Lucifer Solis iustitiæ fuit. item nota pœnitentiam respondere neomeniæ, quia per eam renouatur homo, & illustrari incipit.

Per pœnitentiæ baptismum cessarunt neomeniæ.

7 Explicat illa verba: *Filius, qui est in sinu patris, ipse nobis reuelauit.*) *Sinus patris quid est, nisi affectus in charitate veri patris, per naturæ vnitatem in filium?* hinc collige quo affectu nobis sit in Eucharistia accipiendus, dum nostro quasi sinu, & pectore recipitur, qui amantissimi patris Dei sinu fouetur æterno.

Quo affectu Christus excipiendus in Eucharistia.

8 Exponit illud: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*) Quia dubitatio non permansit de resurrectione: *vt sicut gladius missus pertransiens iuxta hominem timorem facit, & tamen non percutit; ità & dubitatio mæstitiam faceret, non tamen occideret, quia non sedit in anima, sed pertransiit vltra*. sic dicitur de Iosepho. *Ferrum pertransiit animam eius; quia licet de Dei iudicio dubium venerit; ob innocentiam tamen in Deo sperauit*. acutè de Iosepho, quem ferrū pertransiit, nō percussit, neque enim dubitatio aliqua, si fortè humanitus eius mēti sè obtulit, fiduciæ in Deū quicquam nocuit, sed vltra abiit, pertransiit. Deiparæ item tristitia, & dolor de filii passione non abstulit spem de resurrectione; sed incredibili animi fortitudine obtulit eum patri Deo, a quo resuscitandum credebat. nota interpretationem.

Quid sit gladium pertransisse Deiparæ animam.

9 Explicat vulgi dictum. *Tributum pannosum, aurum nunc appellatur, quia & pauperes exigūtur*. pulchrè hoc referri potest ad Christum recēs natum. *pannis eum inuoluit*. nempe humana natura per peccatū originale nuda, & depauperata quid afferret Christo nisi viles pannos? & aurū ipsum, quod Magi offerunt, etiam tributū pānosum est respectu diuinę opulentiæ.

Tributū pannosū a nostra natura Christo nato oblatum

10 Quid per peccatum originale factum sit, his verbis ostendit. *Diabolus superbia de primo homine triumphauit*. Notabilis hic modus loquendi est, per originale peccatum Diabolū de nobis triumphasse, sibi trophea erexisse &c. ergo dicere *D*eiparam in illud incurrisse, est dicere, ipsam in triumpho *D*iaboli captiuam, & catenatam sub iugo ductam; cuius modi ignominiam nè Cleopatra quidem ferre potuit, & mortem prætulit, vt eleganter ait Horatius his verbis. *S*cilicet inuidens priuata deduci superbo, non humilis mulier, triumpho.

Diabolus per peccatū originale de nobis triumphū duxit.

Deipara in diaboli triumpho captiua minime ducta.

11 Quærit, cur nos in paschate obseruamus Lunam, si paganos in hoc reprehendimus? ob mysterium, inquit. *Vt resurrectio domini primo die inchoati Mundi facta discatur, qui dies dominicus dicitur; in corpore enim domini totus propè Mundus resurrexit, & instauratus est: ergo non Lunam colimus, sed numerum, qui per Lunæ cursus institutus est, custodimus*. pulchrè dicit, diem resurrectionis Christi esse etiam diem resurgentis Mundi, antea sepulti.

Sepultus antea Mūdus vna cū Christo resurrexit

12 Quærit, *Si maior est gratia, & manifestor indulgentia in nouo testamēto, quàm in vetere, cur Esaias sedentem in throno maiestatis vidit Deum Sabaoth. idest Christum, vt interpretatur Euangelista Ioannes? Haec, inquit, locutus est Esaias, quando vidit maiestatem eius. in nouo autem, Stephanus stantem se vidisse dicit Iesum à dextris Dei: quid est istud, vt hic subiectus videatur post triumphum, & illic quasi dominus ante quā vinceret? Nimirum propheta visus est quasi rex, vt corriperet plebem. in pace erat tunc causa diuinitatis eius, ideò se ostendit sedentem; in Stephano autem Saluatoris causa vim patiebatur, ideò sedente iudice* Deo, *stās apparuit, quasi qui causam diceret; & quia bona causa eius erat, ad dexteram iudicis erat*. pulchrè obiectum, & acutè responsum, cur Dei filius ante victoriam, & triumphum crucis in maiestate sedens in solio Esaiæ se videndum præbuerit; post vero gloriam resurrectionis, stantem? nimirum hic propria causa agebatur, an verè filius *D*ei esset, quod propugnabat Stephanus; & ideò quasi apud patrem iudicē causam peroraret, stabat, & quia causa præualebat, vt optima, & fauore digna, dicitur stetisse à *dextris virtutis Dei*.

Cur Dei filius Esaiæ visus in throno Stephano stātē stans

13 De die Pentecostes sic. *Non alio die, quàm die dominico Pentecoste est, vt totum quod ad salutem humanam pertinet, dominico die, & inchoatum, & adimpletum noscatur. & factus est Mundus, & reformatus. manna quoque datum in Eucharistiæ mysterio*. Vide quàm præclarus sit eius vsus dominico quoque die.

Dies dominicus Eucharistiæ sumendæ aptus.

M Ex

Ex Quæstionibus ex vtroque mixtim:

1 DE Heliseo sic. *Pueri ob Heliseum irrisum ab vrsis occisi, vbi silua esse non legitur.* rectè miratur. Vides statim adesse Dei vindictam in impios vnde minus expectari posset; statim vndequaque accurrere, & ad nutum prosilire creaturas quasi satellites, iuxta illud: *armabit creaturam in vltionem inimicorum.* & hoc solùm ob irrisum Dei seruum, licet à pueris.

Vnde vrsi extiterint ad necem puerorũ Heliseum irridentium.

2 De signis iudicij sic. Eadem signa acciderunt in primo aduentu in passione de obscuratione Solis, & Lunæ, quæ de secundo narrãtur; nam, & de hoc ait Esaias: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* & Amos: *Occidet Sol in meridie, scilicet hora sexta. Imago huius rei, quæ futura est in aduentu domini secundo, in passione domini est ostensa. in Apocalypsi dicitur, Plangent illum, qui eum crucifixerunt.* Et hic locus valde notandus, quod peccatores in iudicio sistendi sint quasi crucifixores iuxta illud Apostoli, *iterum crucifigentes Christum, & qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti &c.* Item nota, si eadem signa futura in passione, quæ in iudicio, ergo & in passione Luna fortasse in sanguinem verti visa, referens scilicet matrem gladio doloris traiectam; & Sol sacco cilicino velut indutus, vt dicitur in Apocalypsi: nempe videns Dominum nudatum abiecit lucis indumentum. eadem autem signa futura in iudicio, quæ fuerũt in passione, indicant seueritatem iudicii, ex eo quod eius passione proficere noluerimus.

Eadem signa in passione acciderunt quę in iudicio erũt.

Heb. 10

3 Exponit illud Esaiæ: *Erit super omnem montem excelsum, & in omni loco excelso aqua perambulans. in die illa cum perierint multi, & cum ceciderint turres, & erit lumen Lunæ vt lumen Solis, & lux Solis septies tantum in die, cum sanabit contritionem, &c. Hunc opinor esse diem, quem pater Ioannis Zacharias ostendit dicens; Visitauit, & fecit redemptionem &c. sed si Sol in secundo aduentu conuertetur in tenebras, & Luna non dabit splendorem suum, quomodo ergo augebit Solem & Lunam in die, quo visitabit dominus populum suum? nisi planè Solem, & Lunam sanctis comparatos intelligamus, vt alibi in scriptura. hi ergo, qui omnibus suis relictis dominum secuti sunt, Soli, & Lunæ comparantur, septies honorati, sicut dicit dominus: Nemo est, qui reliquerit domum, &c qui non recipiat septies tantum in hoc seculo. qui ergo ad præsens septies honoratur, potest intelligi, quia etiam in futuro septies clariores ceteris futuri credantur, vt resurrectio eorum Soli comparetur, & Lunæ, ceterorum verò sicut stellæ; & qui hic claritatem Lunæ habent, in futuro Solis accipiant claritatem; & qui hic Soli comparatur, septies tantum credatur accipere.* notabilis locus hic est, & pulcherrimus pro religiosis. vides eos in iudicio insolito splendore apparituros Solis, & Lunæ, & peculiari cum honore. Moses adhuc viuens instar corniculatæ Lunæ splendorem habuit. noster quoque Ignatius Philippo Nerio radiatus est visus. erant adhuc hi mortales, quid cum immortales exurgent?

Esa. 30.

Lucæ 5

Mirus splendor religiosorum in die iudicii.

4 Exponit illa verba Christi. *Confiteor tibi pater, quia abscõdisti hæc à sapiẽtibus, & reuelasti ea paruulis &c.) Non literatis seculi regnum Dei, non scrutatoribus siderum æternitatem promisit, sed rectè agentibus; non dialecticis &c.* huc refero illud prophetæ. *Ibi fuerunt gigantes illi nominati; non hos elegit dominus.* vides quàm præponderet humanæ sapientiæ virtus, & ingenii iactãtiæ humilitas.

Matt. 11.

Regnum Dei non promittitur sapiẽtibus sed humilibus:

Baruch 3

5 Explicat illud. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.) Quia vbi spiritus Dei erat, obscuritas non erat; quantum enim poterat, illuminabat aquã, hoc est supereminent aquas. abyssum autem, hoc est immensam profunditatẽ illuminare non poterat.* nota quod ait: Spiritus sanctus ipse illuminabat quodammodo aquas, sed in superficie, nempe vbi erat aqua perspicua; non tamen profundam, & occultam abyssum. huc refero quod dicitur: *effunde sicut aquam cor tuum.* si enim cor perspicuum sancto Spiritui faciemus per simplicitatem, & innocentiam, illuminabitur ab ipso. secus si instar abyssi occultũ, hoc est malitia tectũ. ad primũ pertinet illud Ecclesiast. *diligite dominum, et illuminabũtur corda uestra.* dilectio enim Spiritus sancti donum est. ad secũdũ illud Esaiæ: *væ qui profundi estis corde.*

Eccles. 2.

Esaiæ. 17

6 Cęli ornatum ad mysterium refert. *Sicut ad ornamentum domus pertinet, vt habeat auro distincta laquearia, ità & Mundo ornatum præstant stellæ, diuersa luce fulgentes.* pulchrè, & eleganter iuxta illud: *Spiritus eius ornauit cęlos.* Vides cęlum laqueari aureo conparari. finxit quidem Nero domum, quam ob magnificentiam, & opes auream vocauit, & stellarum similitudine ornauit, sed Tyrannus ipse eam incoluit ferreus.

Mundi domus cœlum pro laqueari bus habet stellis ornatum.

7 De luce sic. *Luci, quæ facta est prior, est additus Solis splendor, ità vt connexa sit hæc, & indiuidua.* pulchrè hoc ad Deiparam referri potest: nam sicut lux illa transfusa, & coniuncta cum Sole dicitur nunc lux solaris, ità caro Mariæ in Christum transfusa iustitiæ Solem in splen-

Deiparæ caro quam splendida.

splendorem processit immēsum. hinc collige quàm ab hac luce abhorreat originale peccatum tenebricosum.

7 *Et tenebræ erant super faciem abyssi.) Tribus diebus sine luminaribus fuit hic Mundus; non enim erat, quibus adhuc proficerent officia eorum; at vbi herba producta, &c. necessaria fuerunt, quæ, & nutrirent, & conseruarent.* nota, vt nihil otiosum Deus esse sinat in natura: nō ante Solem, Lunam, stellasq; produxit, quàm extarent ea, circa quę suum exercerent munus. hinc disce, quò quisquam excellentior est, vt luminaria, eò magis spectare debere vtilitatem publicam.

Cur Mūdus triduo sine Sole Luna, & stellis.

Nihil in natura otiosum.

8 De hominis creatione sic. *Cum omnia super terram ex aquis, & terra produci iussisset, hominem tantùm vt faceret, limum terræ manibus apprehendisse describitur, vt multum differre hominem ab iis, quæ faceret, edoceret.* Intuere igitur pulchrū, admirandumq; spectaculum, manu Dei limum contrectatum, in aurum quasi conuersum, vt ait Moses Barcephas; vel vt reor, quasi sardium gemmam, quia hoc sonat nomen Adam apud Hebręos ob rubicundum colorem. certè quid vilius cæmento, & trulla cæmentaria? tamen vbi nos legimus, *stabat dominus super murum litum, & in manu eius trulla cæmentaria,* 70 legunt, *super murum adamantinum, & in manu eius adamas*: tantum pretii redundat ex Dei manu.

In creatione limus terræ Dei manibus apprehēsus.

Imago Dei in Adam in quo consistit.

9 *Faciamus hominem ad imaginem &c.) Patris ad filium verba sunt: hæc est autem imago Dei in homine, vt vnus factus sit quasi dominus, ex quo ceteri orirentur. habens imperium Dei, quasi vicarius eius, quia omnis Rex Dei habet imaginem.* præclarè omninò dictum: vides hominem tanquam regem in Regia paradisi collocatum, & quasi Dei vicarium accepisse imperium in animātia cetera. vides etiam quàm excellens sit regia dignitas, quasi Deum imperantem repræsentans. ac proinde eius iustitiam, bonitatem, prouidentiam præseferre debet.

Imago Dei in homine principatum refert.

Rex Dei uices gerit, & eius prefert imaginem.

10 *Luminare maius, & luminare minus) Sol, & Luna ante se, cum sint clarissima, habent nulla: ità factum est, vt potiora posteriora, anteriora autem, cum se vident inferiora, nihil horum sibi vendicet æternitatem.* acuta ratio, cur quædam, quæ sunt minus pulchra, quàm *Sol*, & Luna, creata sint ante ipsa, ne scilicet aliquid in eis esse diuinum videretur, & alterum alteri quodammodo, inuideret. ante creata est terra, nec ideò superbit, quia Sol post ipsam creatus, pulcher, & præclarus *Sol*, sed ne superbiat, terra prior nobilitatem sibi vindicat ortus: ità Deus sapienter omnia temperat.

Cur Sol, et Luna cum sint præstantiora post terram formata sint.

11 Tempus in Mundi creatione, ordinatuq; positum mysterio tribuit. *Sex dierum opera sex millium annorum habent figuram, quia quod vnoquoque seculo futurum erat, sex dierum per ordinem operibus continetur; vt pote quia prioribus sæculis tanta cognitio Dei in terra non erat futura, sine splendore anteriores dies videntur. ante hominem pecora fiunt, quia veteres nostri inculti, & agrestes pecudum more victuri erant; sexto autem die homo factus, sicut in sexto millenario annorum aduentus Christi hominem fuit, nè morti esset obnoxius; imago Dei factus homo Dei, quia dono Dei coimaginari debebat filio* Dei, *vt ait Ioannes: Cum apparuerit, similes ei erimus. & vas electionis: Coimaginati, inquit, filio Dei. arbor autem uitæ imago fuit futura gratiæ Dei, quæ est Corpus dominicum, quod qui edit, viuet in æternum. quod autem septimo die requieuit, significat, quod impleto sexto millenario annorum, in septimo requiescet, cessante iam Mundo ab omni opere sæculari.* acutè singulos dies creationis correspōdere dicit singulis millenarus, nam, vt ait *Dauid*, *mille anni ante oculos tuos tanquā dies externa.* Vide autem quātò maior a nobis perfectio requiratur post Christum, quantò scilicet nobilius homo differt à ceteris animantibus. Iam illud pulchrè dictum, nos *dono Dei coimaginari filio Dei*: ob similitudinem scilicet eius, qui est imago patris: sic legit Pauli locum.

Cur ante hominē pecora creata.

Ioan. 3.

12 Nouatianus arguebat, quod Eucharistiam etiam peccatores sumant, respondet sic. *Ipse Dominus Iudæ, quem furem sciebat, corpus suum non denegauit, quia secundùm Apostolum, qui indignè sumit, gladium sibi sumit.* nota, sic legit, vbi vulgata *iudiciū.* quàm hoc peruersè fit, vt quisquā gladio se ipse iuguler accipiēs vitam? huc refero illud: *Cū sederis ad mensam principis, statue gladium in gutture tuo.*

Eucharistiam in digne sumens gladio se iugulat.

1. Cor. 11

13 Diaboli fraudem per hæreticos ostendit. *Sicut mel veneno admiscetur, per quod lateat; ità, & legi diaboli quædam iusta mali admiscent, & nomen applicant veritatis. non enim potest sola impietas proponi, quia non inuenit emptorem; & vbi lex diaboli est, si ipsum nominetur, horretur.* pulchrè ostendit virtutis decus, quod tantum est, vt vitia ipsa eius colore fucata apparere velint, alioquin non haberent sequaces. egregiè itaque dictum: *sola impietas non inuenit emptorem.* equus strigosus, & vlcerosus venalis non est, nisi phaleratus.

Mæum sub specie boni uenenū melli admixtum.

Malū venale non est nisi sub specie boni

14 De Malorum damnatione sic psalmum exponit. *Sicut puluis, quem proiicit ventus a facie terræ &c.) Ità impii ministris Angelis proiecti a facie Dei, sine quo non potest viui, interibunt.* nota; *A*ngeli in iudicio quasi venti proiiciēt impios a facie Dei, & eos quasi puluerem

psal. 1.

Angeli quasi uenti puluerem, ita impios proiicient.

rem dispergēt, & meritò, quippe Angeli putantur collegisse puluerem, ex quo formatus est homo: vlciscentur igitur ingratitudinem, reducendo ad priorem vilitatem; at de iusto sequitur. *Folium eius non defluet*, idest viuet, non arescet in tentatione, Dei præsidio quasi humore accepto. Vbi nota, iustum per Dei gratiam quasi imbrem, aut rorem, non arescere in puluerem, sed viriditatem accipere, ac bonis operibus germinare. subiungit. *& omnia quæcunque faciet prosperabuntur.) hinc Ioseph, qui timorem Domini præsenti vitæ præposuit, omnia, quæ agebat, prospera faciebat Deus.*

Bonorū opera prosperātur à Deo.

15 Alterius psalmi locum item de premio, & pœna, sic exponit. *Tollite portas principes vestras.) hęc vox Sanctorum est Angelorum, qui dicunt ad Principes, & Potestates, aduersus quas nobis colluctatio est, vt tollant portas principis sui, idest diaboli. eę sunt perfidia, & fallacia idololatriæ, per quas itur in gehennam.* nota quid sint hæresis, & idololatria, portæ diabolici carceris. sequitur. *& eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ) Fides, spes cum charitate portę sunt æternales, quia nō potest aboleri, quod prædicatur per veritatem. illę autē portæ principis tenebrarum, per quas itur ad gehennam, perfidia, & fallacia idolorum, tēporales sunt, quia omne mendacium non permanet; docetur ergo, vt tollat portas principis tenebrarum, idest, vt amoto multorum Deorum errore, vnius Dei fides introducatur in Christo.* pulchrè de duplici genere portarum. æternales cœli portæ sunt, fides, spes, charitas: eleuatæ sunt, ascensu igitur opus est; sed ante tollendę infernales, idest idololatriæ, & hæreseos: hoc & exoptant & agunt Apostolici viri: quid mirum? cum hoc ipsū sit desideriū Angelorū, et idē zelus aduersus dæmones de destruenda idololatria, et inferenda fide, vel purganda: vnde dicitur. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam.* possumus item dicere, portas, quæ tollendæ sunt, esse cetera quoque vitia; quæ verò attollendæ sunt, et eleuandæ, esse virtutes, in primis quas theologales vocant, et rectè eleuandas dicit, neque enim mediocri virtute contenti esse debemus, sed sublimi, ac celsa. pulchre item adnotat vocari æternales ob stabilitatem veritatis propriam.

Fides spes charitas cur portæ æternales dicātur.

Angelorū zelus aduersus dæmones de vitiis tollendis.

16 Mysterium agnoscit in numero. *Psalmus quinquagesimus. Miserere, &c. non pro temporis ordine quinquagesimus est, sed ratione. quantum enim ad historiam pertinet, anterior est, quā tertius; prius enim à Nathan correctus, quàm insurgeret Absalon: sed quia numerus quinquagenarius significat remissionem, & lex quinquagesimo die data est, vt post remissionem, & purificationem legem acciperet.* acutè notat cur hic psalmus insertus sit huic numero. cum prior sit quàm tertius; ante enim Dauid pœnituit peccati, quàm Absalon eum persequeretur; sed habita ratio est mysterii, non temporis. quia enim psalmus hic, *Miserere &c.* remissionem exposcit, ideo numerus quinquagenarius apponitur, quippe quinquagesimo quoque anno seruus liber fiebat &c.

Cur psalmo, miserere tribuatur numerus quinquagesimus licet non suo loco.

17 Pergit exponere quædam eiusdem psalmi. *Vsquequaque laua me.)* sic legit pro *amplius*. scilicet vt nihil delicti remaneat: *sollicitus est ne totum remittatur.* nota, non quod non tollatur totum peccatum mortale per contritionem, sed semper leuiores quidam affectus manent, qui inclinant ad illud: vult igitur, ità delictum ablui, vt nullum, nè minimum quidem vestigium appareat, perinde ac si nunquam commisisset. Mox sequitur, *& vincas cum iudicaris.* nam alii mendacem Deum putant, videntes non dari statim præmia bonis, & supplicia malis: vt hoc vincat, petit.

Peccati abolitio usquequaque petenda.

18 *Redde mihi lætitiam salutaris tui.) Beatitudinem sibi dari postulat, quæ promissa erat in Christo, vt omnibus maculis ablutus, & reparatus esset, & confirmatus in regno à Spiritu sancto, quem ideò principalem dicit, quia super omnem creaturam est, per quem reges regnant.* rectè cum Dauid prævideret à sè nasciturum Christum, perfectissimè vsquequaque ablui, ac mundari petiit; & vt regnum esset stabile, id per Spiritum sanctum obtinere vult, qui in creaturis regnat amoris imperio, vt ipse magisterium det bene regnandi.

Cur regni stabilitas a Spiritu sancto petenda sit.

19 *Docebo iniquos vias tuas.) idest quod confitentes suspicis peccatores.* en vt pœnitentiæ doctor euaserit: nec satis fuit ipsum pœnitere, sed ceteros Dei misericordiæ participes facere conatus est. id præclarè egit, vt ceteros omittam, nostra ætate Camillus Crucicerorum auctor.

Vere pœnitens fit aliis pœnitentiæ doctor.

20 *Vt ædificentur muri Hierusalem.) Nunquid destructi erant? sed Ecclesiam significat, quæ per fidem à Christo construenda erat. cuius muri essent sancti homines, vt docet Apostolus Ioannes: quia & Hierusalem ciuitas, & muri eius serui Dei sunt intelligendi.* egregiè ait, seruos Dei esse muros mysticæ Hierusalem, quæ laus ad religiosos maximè pertinet. apud Amos dominus stat *super murum adamantium*, & fortem scilicet, & pretiosum, sed ex ipsius gratia; nempe *in manu eius adamas ex 70.* huc etiam refero illud Spartiatæ dictum, qui cum interrogatus esset, cur Sparta muros non haberet? ciues ostendens: isti, inquit, muri sunt; & propugnacula eorum pectora.

Sancti homines inprimis religiosi muri sūt ciuitatis.

Ac-

n missæ sacrificio vna cum Christo immolari per deuotionē debemus

21 *Acceptabis super altare tuum vitulos) Per vitulum populum nouellum significat in Christum fide renatum, cuius deuotio quotidie super altare domini delibatur.* Præclarè indicat, nos quotidie in missæ sacrificio vnà cum Christo quodammodo immolari super altari debere, & in sacrificiū offerri, iuxta illud Pauli: *Christo confixus sum cruci & configurati morti eius.* Pulchrè de populi ei sacrificio adstante ait: *Cuius deuotio quotidie super altare domini delibatur;* quasi deuotio libamen quoddam sacramenti suauissimum sit.

Cur ad saluandum secunda persona potissimùm venit.

22 Quæritur, cur filius Dei missus, nō potius alius? respondet: non quia non poterat per Angels vinci diabolus, nam ad vincendum Absalon seruis iniuncta res est, & per bonos nunc vincitur diabolus. licet inferiores conditione. *Tum ait, antea hoc solùm putabam, quia ideò filius à patre missus, ne ad iniuriam eius pertineret, si opus per eum factum, per alterum reformaretur, sed hoc non satisfaciebat ad tam magnam, et admirabilem causam, nisi & aliud comprehendatur: ipsum enim ratio tangebat, vt veniret ad comprimendum eum, qui dignitatē eius, & meritum vsurpasset. post enim Deū patrem diabolus dici voluit, sed hoc est filii Dei, qui post patrem Deum secundus est non natura, sed ordine; non tantùm igitur ad comprimendum diabolum venit, sed ad manifestandum se ipsum omni creaturæ, vt reprobata persona diaboli, hunc esse cognoscerent cuius principatum, & maiestatem præsumpserat Satanas.* Vide finem incarnationis, cur secunda persona Trinitatis se nobis manifestarit? quia Diabolus arroganter eum titulum, & decus affectauerat, Pater declarare voluit, & ostendere Mundo, hunc esse suum verum filium, non illum fraudulēdū.

Fides præcedat sciētiam oportet.

23 Præire debere fidem scientiæ dicit. *Primùm credi debet, deinde sciri quod creditur, quia, vt fidelem, & in hac re diligentem adiuuat Spiritus Sanctus, vt intelligat fidei rationem.* notabile documentum de fide, cui se intellectus subiicere debet, & ille fit dignus, quem Spiritus Sanctus doceat fidei rationem, qui fidem præponit rationi.

Portæ mortis vitia & errores portæ vitæ æternales dogmata fidei.

24 Rursus exponit illud. *Tollite portas, Principes, & eleuamini portæ æternales) Nisi enim tollatur error de mentibus incredulorum, non poterunt percipere fidem vnius Dei in Christo: hoc enim edocentur, vt sublatis portis, per quas itur ad mortem secundùm perfidiam à Diabolo cœptam, suscipiant fidei sacramenta per quæ itur ad vitam. ista enim sunt, quæ significāt in æternalibus portis, quia veritas fidei æternitas est, perfidia autem temporalis est, quia mendacium adinuentio Diaboli est: Diabolus enim cœptam præuaricationem in cœlis, seminauit in terris, multorum Deorum serens culturam, quorum principatum habet.* rectè ait, prius tollendas portas mortis, idest errores infidelitatis, & sic intrari per portas vitæ, hoc est per dogmata veræ fidei. & egregiè interpretatur, cur dicuntur æternales portæ fidei, ob veritatis scilicet perpetuitatem; Item nota, Diabolum seminare vitia, & errores in terris, venenatarum instar herbarum, quibus etiam tanquam ad incantationem vtatur, mentes hominum peruertendo.

Peruersè sit vt homines faciant Deos, potius quā Dii homines Deos.

25 Gentiles sic conuincit, *Quid respondeant Pagani, qua ratione pugnent, non video: nam nullum afferunt certum auctorē, nec signum diuinitatis. homines sunt auctores Deorum, cum contra esse debeat.* Si ele menta colunt, non ostendunt, à quo sit hoc præceptum; immò ipsa luminaria &c. quæ colunt, habebunt iudices contra se. Præterea. *absconduntsua mysteria, quia turpia: vel in eo prudentes, erubescunt enim palam illudi.* rectè arguit: nam potius à Diis, si veram diuinitatem haberent, fieri deberent homines Dii; quàm ab hominibus Dii; rectè itē notat, creaturas, quas gētiles colunt, vt Solem, Lunam, Stellas, fore iudices contra ipsos, nam ministrando ostendunt se omnium Creatori subiectas, præterea dum clam, & occultè celebrant quorundam Deorum mysteria, vt Cybeles, Bonæ Deæ &c. satis apertè indicant illa esse indigna, & nefaria, vt propterea erubescant, *omnis enim qui male agit, odit lucem.*

Stultè gentiles putant crucem esse stultitiam.

26 Exponit illud Pauli de Christo crucifixo. *Gentibus autem stultitiam) si crux Christi est stultitia, cur dæmones, ac Dii eorum eam horrent?* magnum argumentum vel ab hoste, neque enim illi cum sapientissimi sint, & acerrimo intellectu stultitiā timerent. immò stultus qui hoc non sapit, nec intelligit potentiam crucis, quam ipsa Dei sapiētia elegit vt instrumētū salutis

Turpes gentilis ritus arguuntur.

27 Idololatriam arguit ex turpitudine. *Transfigurant sè in fœminas, & discussis in aqua inhonestè crinibus, mollem, quassatamquè vocem, ac turpem emittunt; quod si publicè facerent ab omni populo lapidarentur, & Cynocephalus ille, qui mutabūdus per omnia se circumfert loca, quærens membra Osiridis adulteri viri Isidis.* rectè arguit: nempe Cynocephalus animal est canina facie, quæ turpitudinis, & impudentiæ imago est; & vide diaboli fraudem, qui clam hæc fieri iubebat, adeò naturam ipsā hominis hæc infanda respuentem timebat. contra ait Christus: *quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* celebris autē est illa apud poetas Osiridis laceratio, quē Isis flens requirebat, & inuentū in palude

Styge à mærore sic dicta, tumulauit.

28 Pergit ostendere idololatriæ turpitudinem. *Illud autem quale est, quod in spelæo velatis oculis illuduntur? nè enim horreant turpiter dehonestari se, oculis illic velantur.* Nota cęcitatem ipso facto ostensam, nam & cæcus Cupido fingitur, & cæci cupidinea exercebant. Carpit & alios gentilium ritus in sacris execrandos. *Alij autem sicut alæ alas percutiant, vocem coracis emittentes.* scilicet voce coraces se, idest coruos fingebant ante aras, nō columbas, aut turtures, vt decebat; & vt David dicebat: *Etenim passer inuenit sibi domum & turtur nidum: altaria tua, domine virtutum.* Addit: *alij leonum more fremunt.* tetrum spectaculum, delubrum in caueam ferarū versum; sed nimirum aptè leones se fingebant, catulos videlicet eius leonis, qui *circuit quærens quem deuoret.* nihil autem impotentius libidine: apud Aristophanem leæna vocatur meretrix; & Lais nobile scortum sculptam habuit in sepulchro leęnam. quantò sanctius, & castius Chrysostomus? qui alludens ad leonis robur, & generositatem, de Eucharistica mensa loquens ait. *Tāquam leones ex illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles:* Ad hæc subiungit. *Alij ligatis manibus intestinis pullinis proiiciuntur super foueas aqua plenas, accedente quodam cum gladio, & irrumpente exta illa, qui se Liberatorem appellet.* multos autem eorum ait, nostræ fidei honestate cognita, illa turpia execratos fuisse: illud sanè aptè, cum ligatis manibus super foueas proiiciebantur; ostendebant quippe libidinis statum, nam vt est in prou. *fouea profunda est os alienæ.* & iterum: *fouea profunda est meretrix.* Nota etiam, vt diabolus affectabat nomen Liberatoris, seù saluatoris per armatum illum gladio; at is verè Christus est, qui nos, è fouea damnationis liberauit cruce armatus. Denique de idololatriæ turpitudine sic. *Liber furens vbique cum Priapo depictus inuenitur; difficilè enim impurus, non iracundus est.* nempe ebrietas & libido iuncta sunt; nam sine Baccho friget Venus: erat autem Priapus impudicitię Deus præcipuus. Hæc dicta sint vt ostendam rectè Augustinum in ista flagitia fuisse inuectum. nec tamen omnia in concionem producenda esse censeo. misereat illorum temporum, & gratulemur de nostris.

Gentiles in sacris inceltis coruos se, & leones fingebāt

Diabolus liberatoris nomen affectans in veterū sacris.

Prou. 22.

Mos in veterum sacris minus pudicis proiciendi se supfoueā.

29 Mathematicos audiendos non esse ait. *Nam si homines nascuntur qui mali, vel boni sunt frustra data est lex. nunquid accusari potest Sol, quia vrit, aut aqua quia frigefacit? aut nunquid remuneranda est aqua, quia sitientes recreat, aut Sol quia gelidos calefacit? quod enim natura sua est, faciunt, vnde nec damnantur, nec laudantur.* rectè conuincit. hinc collige, Mathematicos destruere iura hominum: nam si agens necessarium, non liberum quisque nostrum est, tollit quod est præclarissimum, libertatem; quod est in republica iustissimum, præmium, & pœnam.

Mathematici tollunt præmiū, et poenā cum ex necessitate hominē agere dicunt.

30 Ostendit, stellas necessitatem non inferre; quia aliquando quis bene agit, aliquando male, quando vult; ante Iuliani edictum non licebat viros suos vxori dimittere, vt postea. *Vbi latuit fatum tot temporibus? tot à Mose præcepta quomodo tradita? dormientibus credo fatis? & nè quis ad plagam cœli referendum id putet, in omnē propè orbem dispersi Iudæi legis suæ mandata custodiunt. hæc præcepta contra fata sunt, non enim fortè fuerunt tribus millibus annorum, & suprà à constitutione Mundi, posteà autem data permanent vsque in finē.* rectè arguit. si enim fato coacti agerent homines, semper ita agerēt. lepidum est illud de dormientibus fatis. non igitur illud rectè a tragico poeta dictum. Fatis agimur, cedite fatis.

Si fatis agere mur cōsilia spōte non mutaremus.

31 Idem probat ex variis moribus, & ritibus gentium, qui liberam in hoc voluntatem ostendunt. *Eunuchos in regno Romano facere non licet, alibi licet: Persæ mulierum more inaures habent, quod hic inhonestum. quia autem, & hic fieri possit, attestātur Antistites Matris magnæ, & rè vera magna fuit, sed meretrix.* acutè indignum cultum carpit. Deorum matris meretricis, cuius sacerdotes inaures ferre soliti, tanquam in sponsalibus: contra Deiparæ Virgini applicat Ecclesia illa verba. *Beatus qui audit me &c.* ideò ei initiati, & addicti inaures mysticè habent aureas. huc spectat quod subiungit. *Mos Maurorum est, vt inaures, etiam in naribus habeant fœminæ; nunquid fati est? si fati esset, etiam huc translati remanerent; atqui hic immutantur vtrobique eligitur quod magis placet, ergo non ex fato.* nota morem: huc refero illud prou. *inauris aurea in naribus suis &c.* his addit. *Persarum reges vehiculis ferebantur, nec videbantur à populis.* vide quantus in maiestate regia fastus; at Deus summus omniū rex, qui olim Seraphim alis occultus velabatur, assumpta carne omnibus se videndū exhibuit. *videbit omnis caro salutare Dei.* quid mirum quod Magi reges ad videndum Regem omnium natum veniant? subiungit de variis gentium moribus. *Reges Madian camelis delectabantur ad sessum, ità vt colla eorum aureis exornentur torquibus.* Addit: & in nobis ipsis hoc cernimus, nam alii delectantur vno genere uestis, alii alio. Quod ait de regibus Madian, vt cameli, qui eos veherent, ornarentur torquibus aureis: huiusmodi animæ iustorum sunt, quæ Deum vehunt; cameli sunt ob fortitudinem &c. ac fortassè sic ornati erant cameli illi Magorū regū, de quibus dicitur:

Sacerdotis magnis me- cum inauribus.

Varijgētium mores indicant nos fato non agi.

Cameli regum Madian torquibus aureis ornati

Inun-

Frugalitas veterum Romanorum vnguentis abstinentium.

Inundatio camelorum operiet te. Denique sic concludit. Cum varientur instituta, ex disciplina est, non ex fato. olim Romani vnguentis abstinebant, non item postea: nō fata abierunt, sed *disciplina fecit, quæ etiam ipsius fati pędagogus est.* pulchrè hoc dictū, & addit: videmus consuetudine etiam bestias mitigari, quid mirum si homo rationalis mores immutet?

32 Dæmonum fraudem, ac tentandi modum exponit, & eorum officia diuersa. *Munimenta animorum sunt meditatio legis diuinæ, & operatio. cum otiosos nos dæmones vident à rebus diuinis, excitantur ad sollicitandos nos; ipsi enim sunt, qui per carnem, & sanguinem seminant concupiscentias; quamuis enim habeat caro proprium motum originis suæ, nunquam enim est otiosa carnalis natiuitas, tamen accedit ad necem hominum adiutorium dęmonum. diuersa autē sunt dęmonia, & dispari voluntate; quædam enim cum perturbant animum, elidunt corpora; quædam verò admiscentia sè sanguini generant animis desideria: alia autem cordi hominis se copulantia, suggerunt cum blanditiis contraria. nonnulla sunt, quæ sola corpora obligant infirmitatibus, vt illam filiam Abrahæ, quam dominus curauit. hæc omnia ignorantes Pagani fatum appellant; contra fatum bonum appellant, cum bene temperata sunt corpora &c.* Arguit hoc, nam ista temperatio etiam in brutis est. notabile autē est, & horrendum, tot diuersa dæmonum genera in nostram perniciem conspirare, tot, tamquē variis modis: ac præsertim nos otiosos aggredi, & immiscere se sāguini hominis, hoc est rei pretiosissimę. quamobrem Iuuenalis mercedem sanguinis vocat. ità excitant desideria carnalia, & quod audacius est, in cordis regiam penetrare audent, quæ Dei factura peculiaris est. *Qui finxit singillatim corda eorum.* cōtra ait Origenes, de bonis Angelis homini se insinuantibus; sic enim intelligit illud. *Benedicite omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*

Otiosos præsertim dæmones aggrediuntur.

Varia dæmonum genera, et officia in nostrā perniciem conspiratorū.

33 De animi in corpus imperio sic. *Ideò imperator est corporis animus, vt gubernet illud retinaculis legis diuinæ, quam adiutorio dedit Deus, vt alia suadentem quàm illa docet, inimicum seductorē intelligamus.* pulchrè animum Imperatorem dicit, iura corpori dantem, vt ius diuinum seruetur, & legis fræno moderantem potentias, ac sensus. eundem instar aurigæ periti facit habenis equum coercentis. Addit itē pulchrè. *Animi est ducere corpus; si autem dimiserit illud, vt eat quò vult, præcipitabit ipsū, sicut equus furiosus sessorem.* rectè de corpore vt equo frænando ab auriga animo. nota est fabula de Phætonte.

Animi imperium in corpus.

Animus auriga corporis

34 Negat esse credendum Mathematicis, quasi diuinent; quia quæ dicunt, iis, qui credunt, præualent, permittente Deo, non iis, qui ea irrident. tum nihil esse fatale quod cogat, sic ostendit. *Ad subruendum fatum pertinet, quòd Sol sub Iosue iussus est stare, & obediuit eius imperio, contra id quod sibi in ratione Mundi fuerat præscriptum. et sub Ezecnia amplius factum legitur, vt reuerteretur retro, vt certum haberet, eum posse quindecim annos addere ad vitam, qui de bora nona fecerat sextam. at Mathematici negant addi posse ad vitam.* nota hoc de hora nona, quæ facta est sexta. nam Ezechias ideò fleuit, quia moriens sine prole, de Messia sollicitus erat; igitur quasi beneficio futuri Messiæ ex eius stirpe, & merito eius passionis, vitam recepit; sexta enim hora crucifixus, & nona expirauit: ideo idem Sol, qui tunc lucem auxit, postea diminuit in Christi morte.

Sol stans sub Iosue, & retrocedēs sub Ezechia Ostendit res fato non agi, sed Dei nutu.

35 Pergit Mathematicos, arguere. *Si v.g. fati est seruum habere, Ninus dicitur primus bellum intulisse finitimis, & fecisse seruituti obnoxios; vbi igitur tamdiu fata fuerunt? nam astra facta sunt initio.* Subiungit quod ad irrisionem, & opprobrium ipsorum facit. *Qua ratione nati dicentur, qui Mathematicos vrbe Roma expulerunt? & certè Pagani fuerunt. quomodo fato fiunt quæ contra fatum sunt? si est fatum, non facit contra se,* rectè arguit. ipsi gentiles expulerunt Mathematicos ex vrbe Roma: si expulsio fuit ex fato, ergo fatum sibi ipsi aduersatur: *Est inquiunt,* his addit. *fatum vnicuiq. præstans qua morte moriatur: quod si ita est, nō est accusandus homicida, nā se defendet: & quod fatis agentibus hoc fecit, & ille agentibus fatis occisus est.* acutè arguit: nam dupliciter se excusaret, ex parte sua, & ex parte occisi.

Si fatum esset nulli mores de nouo inducerentur

Si fato cogeremur nemo ut reus puniri debet.

36 Ostendit virtute, non fato res agi pręclaras. *Apud Thuscos natus dicitur quidam tam formosus faciei, quàm nemo vnquā fuit; & quia uir bonus erat, ne vnquam in suspicionem veniret, qui oculos etiam honestarum fæminarum illiciebat, faciem sibi septem plagis vulnerauit, vt pulchritudinem quæ ab omnibus desiderabatur, damnaret. ecce quomodo si fata sunt, superiora sūt. Dices, naturæ fuit, vt formosus nasceretur, fati verò, vt faciem vulneraret: quod si ità est, non nascitur fatum, sed accidens causa est; & si accidens est, non erit fatum, sed consilium.* notabile planè hoc exemplum de septem plagis, quas sibi iuuenis ille inflixit, vt oris speciem deformaret, ne in suspicionem veniret defloratæ pulchritudinis. septenarius certè numerus pulcherrimus est, vt & Septentriones ostendunt, & septem planetæ. ceterùm ille sibi plagas intulit, vt os deforme faceret; at verò Christi plagæ ipsum potius pulchriorem fecerunt, nam dicitur: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus*

Iuuenis quidam pulchrā faciem septem plagis deformauit ut suspicionē vitaret infamię.

in

in stola sua &c. subiungit aliud exemplum liberę voluntatis. *Cum quidam ad peregrina loca proficisceretur, vxorem suam amico, quem fidelem sciret, commendauit; qui ut diligenter custos eius esset, abscidit se ipsum, ne qua foret suspicio; at qui uincit quod in eo natum est, potius exinanit fatum,* & hoc notabile fidei exemptum est. quantò castius, & sine vlla suspicionis vmbra agendum est ijs, qui spiritales profitentur se fœminarum patres?

Mirum fidelitatis exemplum.

37 *Item ex variis moribus gentium* ostendit, hominē liberè agere, non ex fato. Amazones apud Scythas, necatis maribus, in armis versatæ regnarunt, cur non id antea factum, vel apud alias nationes? præterea, *tempore Constantini morionem se triginta annis finxit quidam, ut Imperatorem, sicut ipse postea dixit, à tædiis suis auocaret. ubi est ratio futurorum, quando unusquisque quod uult facit?* Vide etiam quid agat adulatio, vt ad omnem vilitatem descendat. Ad hæc, audaciam Mathematicorum, & impietatem carpit: Quidam, inquit, in tantum hebetantur, vt ipsum Deum sub fato egisse contendant ex eo, quia dixit. *Non dum venit hora mea.* at voluntatis per hoc suæ horam significauit, non fatalis necessitatis; nam ait alibi. *habeo potestatem ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.*

Adulatione nihil uilius.

38 Diaboli in nos odium ostendit. *Principes, & Potestates malos Angelos sub se habent, qui sub nomine fatorum voluptates suas diuersas efficiunt, sicut malefici fatentur: aliis libidinem, aliis petulantiam, aliis iracundiam odio procurant &c.* Vide totum Erebum variè occupatum ad nostrū exitium: quantus stupor, & quanta dementia, nos interim non modò desides esse, sed ludios?

Totus Infernus occupatus in nostram perniçē.

Dæmones sub fatorum nomine uarie nos perdunt.

39 Concludit hoc de fato. *Mathematici fatis credentes, fidei semen exterminant. nos de Deo propterea omnia credimus, & si qua aduersa extiterint, eius nutu comprimi suppliciter oramus; nec tamen nescii, quia si quid aduersum nobis benè agentibus euenerit, tolleratum proficiet ad coronam.* nota quod ait de Mathematicis horrendum, *fidei semen exterminant*, efficiunt nè fides radices agat, ac germinet: cum omnia ad Deum potius referri debeant ex eius prouidentia, quæ aduersitates quoque dirigit ad felicitatem æternam.

Mathematici fatum ponentes fidei sementem tollunt.

40 *Ad passionis Christi fructum hæc pertinent, Cum mors augumentum facere se putaret, accepto sanguine Saluatoris, minorata defluxit.* præclarè, ac pulchrè dictū: quò plus sanguinis fusum à Christo per mortem, eò debilior, & minor ipsa mors facta: Addit item pulchrè, Diabolum cum occidi fecit Saluatorem, sanguinem eius, cum omnium nostrum sanguine amisisse, *Ergo sanguis Saluatoris fusus iniustè hoc præmium consecutus est, vt originis suæ sanguinem cum triumpho recuperans ad pristinum statum reuocaret, meliorata substantia.* Vides Diabolum nostrum sanguinem auidè instar belluæ exorbere destinasse; atque vt hoc assequeretur, curasse Christum, qui impedimento erat, occidi: sed hoc modo, & Christi sanguine, & nostro priuatus est, quia & nos per ipsum vitam consecuti sumus immortalem inuulnerabiles facti. *Christi &c. sanguis iniustè fusus fecit, vt originis suæ sanguinem cum triumpho recuperaret.* eleganter vocat Christi sanguinem triumphalem. hinc morti inculcamus: *vbi est omnes victoria tua?* & alibi dicitur: *expolians Principatus, & Potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

Diabolus occidi curās christū & huius sanguinem amisit, & nostrum.

Christi sanguis triūphalis.

41 *Abraham miris laudibus extollit. Abrahæ patriarchæ fides tam præcipua, & admiranda fuit, vt ceteri homines iusti patrem hunc credulitatis, Dei iudicio, fateantur. prærogatiua enim honorum eius, ac meriti Fides est, quam cum rebus incredibilibus dare non ambigeret, inter cetera etiam Saluatorem videre dignus extitit in spe tunc futuræ incarnationis. Abraham, inquit, pater vester diem meum vidit &c. qui enim merito fidei pater factus est, dignus fuit, ut filiorum suorum futurorum spem præuideret.* fides in eo fuit, vt ex sterili, & sene semen, vt stellas coeli, multiplicandum crederet. vbi nota pulchrè illud dictum, *prærogatiua honorum Abrahæ, ac meriti fides est* exiit illæsus ex igne, triumphum egit &c. sed Fides præeminet. tum illud eleganter addit, *Abraham vnus è Mundo, quia credidit, segregatus à mundanis, iustificatus est.* adeò fides eum, qui adhuc est in Mundo, supra, & extra Mundum superiorem facit.

Abrahā fidei merito præcognouit incarnationem Verbi.

Fidei excellentia in Mundo degēt supra Mūdum facit.

42 Pulchrè fidei robur, ac victoriam exprimit. *Hoc fidei propugnaculum est, hic triumphus, cum non de alio, quàm de Deo credit posse id quod promittit, quod Mundi sapientes stultum aiunt credere, quia rerum natura hoc non potest.* pulchrè de triumpho Fidei, captiuat enim intellectum. triūphauit Abraham de hostibus eripiens Loth; sed Fidei triumphus eum illustriorem fecit. rectè item appellat Fidē. firmissimū propugnaculum aduersus sensus, & ea, quę curiosius dictat ratio intellectiua.

Fidei nobilissimus triūphus.

Fides propugnaculum est.

43 Est, & hoc preclarum de Abraham elogium, quo eius fidem amplificat. *Magnus, & admirabilis Abraham, natura Chaldæus, magister credulitatis apparuit; quamuis Astrologiæ peritus, Deum tamen præposuit humano consilio, illo tempore, quo Mundus adhuc scientia paruulus erat, nec signis, aut prodigiis, quæ ad fidem attraherent, illustratus. Deo, contra scientiam suam, fidem non denegauit. ideò exemplum generis*

Abrahæ admirabilis fidei magister.

Abrahã non suã artem de horoscopo sed Dei nutũ secutus.

ri humano datus est fidelissimus; in ipso enim præfigurata sunt omnes gentes ad salutem venire per fidem. ideò probatus in filio offerendo. ò fides, quæ tam chara, & suauis est, vt parentum, ac filiorum affectibus præponatur. notabile planè est, quod licet Abrahã esset Astrologiæ peritissimus, apud Chaldæos educatus, non tamen filii horoscopo regebatur, sed ad iussum Dei, quo vtebatur pro horoscopo, vitam filio tollere statuit. pulchrè item magnitudinem virtutis admiratur: *cũ adhuc Mundus esset paruulus scientia, nec signis, aut prodigiis illustratus*, hoc est adultus: quid nũc agere debemus, penè iam senescente Mundo post tot miracula, & exempla Sanctorum, post tantam Euangelii lucem?

Deus beneficium quod cõfert non vult esse sterile, sed fructiferũ.

44 De gratitudine erga Deum sic pulchrè. *Magna dilectio est Dei erga genus humanum, quæ intellecta quidem ducit ad cælum; nõ intellecta deducit ad inferos. Deus enim beneficium suum gratum esse vult, & fructiferum, vt & nobis proficiat, & illum misereri delectet.* egregiè dictum: Vide quid Deus spectet in collocando beneficio, vt & nos eo vtamur colono ad salutẽ, & ipse naturam suam expromat ad benefaciendum procliuem. rectè ait, non vult beneficium suum otiosum esse, ac sterile. hinc illud Apostoli: *Gratia eius in me vacua non fuit.*

Diabolus longe aliter affectum inuenit Iob erga vxorem, ac olim Adam.

45 Iobi victoriam de Diabolo per tolerantiam eleganter exaggerat. Iob inquit, nullis libris lectis &c. ante legem seruauit legem. *& quia tentator irreuerens est, post amissionem bonorum, petit illum percutere à capite; acceptaque potestate, recrudescente incrudelitatis sæuitia, percussit virum iustum ea plaga, quam nemo hominũ tolerare possit, nisi solus qui vincere potuit Satanam. deinde vt Adam, per mulierem decipere aggreditur: in quo non solùm immobilem inuenit Dei seruum, sed etiam magistrũ increpantem uxorem, & docentem omnia, quæ Deo permittente accidunt, tolerãda; quod ad duplicem pœnam pertinet inprouidi Satanæ, quia nec suasit quod uoluit; & ui huius inuidiæ alios fecit discere, quod nec hunc scire uolebat: quantum enim prosit tentatio Dei serui, & quantum obsit diabolo, hac lectione plenius edocemur; cum enim putat se nocere, tum promouet eos; & cum unum persequitur, ad uirtutem prouocat; uidentes enim auxilio Dei hunc protegi, multi imitatores eius existunt; lucrum enim uolens facere, perdidit: semper enim furor eius damnosus est; nam cum persequitur iustos, ne munerentur, digniores facit.* Vide primùm Iob in sterquilinio tanquam in cathedra magistrum factum, de Dei prouidentia disputantem, &c. deinde diabolum improuidum sibi potius damnum intulisse, idque duplex, dum unum iustum persequitur, & tentat.

Diabolus nocere volẽs Iob sibi duplex intulit damnum

46 Malè quosdam putare ait, per Christum instaurari tantùm quæ fuerant in Adam: *Ille factus est in animam viuentem, per Spiritum verò in animam viuificantem, vt homo in aliquo sit similis creatori; quem credit. quia enim mysterium fidei trinum est, trinus fit, corpore, anima, & Spiritu sancto. per quem dicimur filii Dei: ergo donum Dei plus gratiæ concessit hominibus tempore Saluatoris, quàm receperat Adam; quia non solùm est instauratus, sed etiam melioratus: hoc enim, & iustitia, & ratio exigebat, vt tunc vberior esset Dei clementia, quando mysterium diuinitatis voluit innotescere, vt adoptati à Deo Spiritum sanctum acciperent, per quem spiritum adoptionis habere videãtur: ideò dicitur, Spiritus non erat datus, quia Iesus non erat clarificatus; quod per Iohelem promissum. In nouissimis diebus effundam de spiritu meo &c. & Apostolus ait. Apparuit gratia, & benignitas &c. ac per hoc in veteribus sanctis non ità fuit Spiritus sanctus, vt nunc in fidelibus, qui exeuntes de sæculo apud inferos erant. alioquin quomodo fœlix, & beatum tempus præ ceteris dicitur Saluatoris aduentus, si ea præstitit, quæ antea erãt. præstita? quæ noua dona dedit Deus, cum regnum filii sui dedicauit in nobis?* vides felicitatem à Christo datam in primis consistere in communicatione Spiritus sancti; item per hoc nos maximè assimilari Deo quasi in vno sint tria, corpus, anima, & Spiritus sanctus, per eius scilicet donavnione quadam ineffabili.

Per Christum homo non solum instauratus sed melioratus.

Ioel. 2.

Cur dicatur felix & beatũ tempus aduentus Christi.

47 Ostendit discrimen inter adoptionem humanam, & diuinam. *In Mundo quia res imperfectæ sunt, adoptati ab hominibus filii nullum pignus, sed solum nomen accipiũt; Deus autem, quia perfectus est, plus facit, vt adoptatis spiritum suum det, per quem aliquam veritatem adoptati ab eo videantur habere: quia vocabula sine rebus inania sunt,* Vide quantò hæc adoptio nobilior sit. cum pende pignoris pretium quantum sit, quod dat Deus, cum adoptat nos in filios: Spiritum sanctum donat, gratiam inquam, omni dono præstantius, quæ ad sublimiorem statum eleuat adoptatum.

Adoptio Dei non in verbis tantũm sed in re hoc est donatione spiritus sancti.

48 Eleganter de æqualitate Spiritus sancti. *Spiritus sanctus tertius ordine est, non natura; gradu, non diuisione; persona, non ignorantia. deniq; quæ legimus de filio Deo, eadem legimus de Spiritu sancto.* hinc Christus, hunc spiritum veritatis appellat, & se ipsum veritatẽ, & vterq. paraclitus dicitur

Spiritus sanctus æqualis ceteris personis

49 Ad Diuinam prouidentiam hoc pertinere ait: *& alium paraclitum dabit vobis. Mundus hominis causa factus est cum ijs, quæ necessaria illi futura essent; domus enim facta est homini cum annona.* pulchrè dictum de annona; prouidentia enim non solùm domum hanc amplam, Mundum videlicet, homini apparauit habitatori, sed omnia

Mundus homini refectus datus homini quasi domus cum annona.

omnia, quæ opus sunt, vt commodè habitet.

Diabolus præstigiator est talis speciè virtutis.

50 Fraudem diaboli ostendit sub prætextu virtutis. *Sumptus quidam damnant licitos, vt illicitos doceant licere. hæc sunt præstigiæ Satanæ, vt causas inuertat, quasi nouum insinuans aliquid, excludat veritatem, in qua nihil nouum est, sed totum æternum.* Rectè diabolum præstigiatorem vocat. tegit fraudem vt alios fallat. sed vel ex eo fallacia potest argui; quod noua dogmata proponit suis asseclis, vt præsentia præponenda futuris, &c. cum veritas oppositum semper docuerit: sic in ceteris.

Melior est natiuitas nostra per Christũ quam Adæ.

51 *Ad humani generis dignitatem* per Christum acquisitã hoc pulchrè facit. *Sacramentum Creatoris addiscere nemo potest, nisi natus. nam per Dei cognitionem meliorata natiuitas plus meretur, quàm fuerat collatum Adæ, quia in cœlo, non in terra regnabunt credentes. nam si Encænia celebrabrantur Hierusalem, idest dedicationis templi Dei, agebatur festiuitas, quantò magis celebrandus ipsius hominis natalis est, qui magis templum Dei est, cuius manibus est fabricatum? melius templum est corpus nostrum, quia hoc Dei opere, illud humano labore constructum, & hoc sub spe æternitatis est, illud perditionis. itaque qui Deo instituente natum se nouit, vt ei gratias agat, cognitionẽ habens mysteriorũ eius, debet in natali suo gaudere, videns profectũ esse natiuitatis suæ. nõ natiuitas crimẽ incurrit, sed voluntas.* Marcion autẽ putabat à diabolo fabricatũ hominis corpus; & animam, vt in tenebras immissã. vbi nota corporis dignitatẽ, quod templo ipsi Salomonis ornatissimo, ac sacratissimo præponendum sit; & pulchrè comparat festiuitatem encæniorum, idest dedicationis templi cum natali die nostro; cum templum Dei simus multò dignius. refer hoc ad *Deiparæ* Natiuitatem maximè, quæ sanctuarium *Dei* est. item ad renouationem spiritus siue votorum, quæ quasi natiuitas quædam est.

Encænia idest dedicatio templi typus reformationis nostræ per Christũ.

Encænia seu dedicatio tẽpli ad Deiparæ natiuitatem relata.

Manichæi putabant animas a Luna suscipi ac Soli tradi,

52 Manichæi nuptias damnabant, eos sic arguit. *At in libris vestris scriptum habetis, animam nascendo liberari, vt à Luna suscepta animæ exeuntes de corporibus Soli tradantur, quem Deum animarum vestrarũ asseritis: at hanc liberationem nesciretis, nisi nati essetis.* Nota liberationis modum, quo licet ineptè, & falsò putabant, animas à Luna suscipi e corpore solutas, itemque à Luna Soli Liberatori tradi, tum redire in corpora. quantò sanius dixissent, si à Deipara peccatores conuersos, & purgatos tradi dicerent filio Liberatori, tanquã à Luna Soli? sanius quoque dici poterat, animas iustorum exeuntes è corpore ab ipsa offerri filio.

Peccatores conuersi à Deipara filio traduntur.

53 Pergit in eodem. *Audi nunc Catholice, & ex Euangelio disce prodesse natiuitatem: cum Simeon iustus vellet exire de sæculo, sufficere sibi putans Creatoris, siuè mysterij eius notitiam, non permissum est ei, nisi incrementum faceret in Dei perceptione, vt plenam haberet fidei suæ mercedem; reseruatus ergo est in vita, vt securus esset, quia de vita ad vitam trãsiret, cum spei suæ fructum vidisset.* nota, cur Simeon, cum post visum dominum mortem optaret, superuixerit, vt videlicet proficeret magis in Dei cognitione, & fide, licet iam senior, & perfectus, & vt maior esset eius merces magis merendo in vita longius educta, & pleniùs frueretur beatitudine. non ergo malum est natiuitas, & vita. ac vide quàm benè vtendum sit tempore, neque vnquam satis nos profecisse putemus.

Natiuitate & vita bene vti ad bonum pertinet.

54 Similitudine declarat, Nihil inesse mali in natura ex creatione, sed ex culpa fieri malam; *Est enim Natiuitas quasi arbor, quæ inseritur, quia si bono surculo inseritur, melior fiet; si malo, deterior: ità & natiuitas; si bona accedat doctrina, bonos faciet fructus; si mala, malos.* Vide quantum puerilis valeat educatio, & instructio in vtrãque partem, siue in bonum, siue in malum prout institutio fuit. elegãs est arboris similitudo, & insitionis.

Bona educatio quasi arbor bono surculo inserta.

55 Diaboli inuidiam ostendit. *Cum omnia animantia homini fuissent subiecta serpens contra hanc constitutionem erexit se: & dolo, ac fallacia circumuentum hominem sibi subiecit: ideò sententia domini reprimitur, ne supra hominem esset, vt calliditate sua non solùm nihil se profecisse doleat, sed & deteriorasse; nam cum esset prudentior cæteris bestijs, postea maledictus est præ omnibus.* Nota cur serpens tentarit. quia enim Deus eum vnà cum cæteris bestiis subiecerat homini, licet prudentiorem cęteris bestiis; ideò diabolus inuidus voluit potius hominem ipsum subiici serpenti, per quem venenum suggestionis euomuit: at ne de hoc se iactaret, iussus est per maledictionẽ humi serpere, ac ventre repere, vt prudentia, atque astutia ei cederet in ignominiã.

Cur serpens maledictus

56 Sic vrget aduersarios damnantes nuptias. Si malę sunt, vt ipsi dicũt, nuptię, cur *Anna* sterilis petebat filium? certè non obstitit Petro vxorem duxisse, nè principatum Ecclesiæ acciperet, licet *Ioannes* esset virgo. tamen hoc frænum matrimonii viui imponit. *Propter dies processionis aliquando Christiano non licet conuenire cũ vxore; quia etiam à licitis abstinendum sit, vt impetretur quod postulat, vnde Apostolus ex consensu ait abstinendum ad tempus, vt vacetur orationi, quia maior reuerentia habetur Dei causis. ac per hoc Antistitem eius puriorem esse ceteris oportet: ipsius enim personam habere videtur eius Vicarius, necessè habens quotidie Christi vicem gerere, orare pro populo, aut offerre; ità*

Castimonia uel in coniugio.

&

Ministri altaris quasi Imperatoris præstites.

& ceteri ministri: nemo enim Imperatori ministrat nisi vestimentis claris, & mundis indutus: Deus autem quoniam natura clarissimus est, ministros eius natura magis quàm uestibus mundos uult. Notabilis locus de castimonia: vt Ecclesiæ ministri, præsertim Antistites, ac sacerdotes coram summo Imperatore continuò assistentes sint, ac propterea more magnatum, ac procerum Deo digni apparere debeant.

Quam insignes castimonia sint oportet Ecclesiæ ministri.

* Ex Questionibus veteris Testamenti.

Mundi cursus ec series a prouidētia gubernatur.

1 ARguit eos, qui Deum non curare humana dicunt: *Nulla, inquiunt illi, nostri actus est contemplatio: totus rotati seculi cursus, & quædam mundani orbis inexplicabilis uolutatio, ità correpium rapit, ac proiicit, ut stultus credatur quisquis se ad curam Dei reuocare posse putaret.* Nota, vt hæretici de temporum volubilitate male loquentes quasi vertiginem paterentur iuxta illud: *stulti facti sunt &c. Dominus miscuit in medio eius spiritum uertiginis*, permittendo scilicet. Tum sic arguit. Communi gentium more in fide, & perfidia testis Deus appellatur, & bona ab ipso petuntur, & in periculis inuocatur. *Nobis, qui Deum omnia nosse credimus, qui deuotè ad martyrium festinamus, inæstimabilis fructus, perpetua uita præstabitur*, Vide quo animo quisq; esse debeat, cū prompta præparatione ad martyrium, qui Deum omnia curare credit per prouidentiam, & mercedem beatitudinis expectat. pulchrè & præclarè dictum, *deuotè ad martyrium festinamus*. Apollonia virgo etiam insiliit in flammas.

Quisque promptus esse ad martyrium debet.

Esa. 19.

2 Quæritur, *Cur Adam in Mundo positus præceptum accepit, cum ipse dominium exteriorum haberet? nimirum, ut ei subiectus esset, qui dederat potestatem, ne dominatio tanta illum extolleret, & conditoris sui immemor fieret.* Vides quàm periculosus sit dominatus, & imperium. ac proinde eò speciosior in principe apparet humilitas, vt in Ludouico Franciscano regis filio, in nostro Borgia, & Aloysio &c. nihil igitur tutius quàm subiici, quod religiosi agunt per obedientiæ votum.

Cur Deus Adæ quē principē constituerat dedit præceptum.

Tutius est subiici quam imperare.

3 Quærit, *cur Angelus missus loqui ad Mosen, in igne apparuit? Quia natura Angelica secundùm se simplex est, cuius substantia superiora appetit, non inferiora.* Hinc collige quid sit Angelicè viuere, scilicet superna appetere: hæc egerunt in primis Thomas Aquinas, & Aloysius, ambo Angelici dicti, sed ille Angelico balteo dignatus.

Cur Angelus Mosi in igne apparuit

4 Quæritur, cur signum Pharaonis datum à Mose sit in serpente, in quem virga cessit? *Vtique serpentem fecit, qui & terrorem incuteret, nec tamen obesset, per id quod stupore quodam ad nocendum tardior est. si enim leonem fecisset, aut vrsum, aut aliquid tale, quomodo euaderent qui aderant? nec enim occidere voluit quenquam, sed solum timorem ponere, & ostendere virtutem: vt quia prima præuaricatio per serpentem cœpit, similiter recordatio cogitationis Dei, & morum emendatio serpentis signo proueniret.* Notabilis locus de Dei pietate: potuit primum signum Pharaoni ostendere in euocandis leonibus, & vrsis, è siluis in vrbem, qui omnia lacerando vastarent. sed tantùm vnum serpentem obtulit, & eum ex virga pastorali factum, nempè ad reducendos animos ab errore; simul etiam vt meminissent præcepti Dei, quod serpēs primò dissuaserat cum communi pernicie, ac propterea tali terreretur exemplo, ne Deo obsisteret: discant porrò prælati in prima animaduersione non omnem effundere statim vltionem in subditos, sed initio mollius agere, ad terrorem potius quàm ad grauem punitionem.

Cur Deus Pharaoni primum signū obtulit virgam in anguem versam, nō vrsos ac leones.

prælati non statim initio grauiorem subdito inferant pœnam.

5 . Quæritur, *Si anima, quæ peccauerit, ipsa morietur; quid est quod Charmi peccante, triginta sex viri occisi videntur eius causa? Charmi quidem peccauit, & occisus est lapidibus, illi autem triginta sex viri, qui in pugna mortui sunt, non vtique pressi à Deo sunt, sed non adiuti. Charmi ergo causa hæc præstitit, vel obfuit, quia qui adiuuari habuerant à Deo, neglecti sunt. hinc Iosue contristatus scidit vestimenta sua, quia intellexerat, Deum auxilium subtraxisse in hoc loco.* est hoc valdè notabile, ob culpam vnius, qui caput est, Deum subtrahere ceteris auxiliū, seu tutelā: quod prælati in primis horrescant, & vide quanto luctu hoc dignum sit: idem attigit supra, vbi hic Charmi Achor vocatur.

Deus ob unius culpam ceteris subtrahit auxilium seu protectionem

6 Pulchrè exponit illud. *In Sole posuit tabernaculum suum.) Idest corpus suum, in quo habitauit Christus, qui à Pilato cæsus est: quomodo ergo dicitur in psalmo de Christo, flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo? quippè cum templum corpus suum dixerit, nempè tam anima, quàm corpus tabernaculum est filii Dei; ne, quia passa est caro, aliquid mæstitiæ apud inferos anima eius passa putaretur, ostendit scriptura non potuisse animam eius turbari apud inferos, quia ad hoc se pati permisit, vt Principes tenebrarum hebetes remitteret; permissa est anima, vt tristaretur, tropheū protinus referens eorum, à quibus contristata fuerat.* nota, pulchrè interpretatur tabernaculum in Sole positum, Christi humanitatem diuinitati coniunctam; sed mirum quod; flagellatum corpus in Sole posuisse dicit, an quia maxime

Christi humanitas tabernaculum in Sole positum.

Corpus Christi flagellatum cur dicatur in Sole positum.

Christi descēsus ad inferos tropheo nobilis.

ximè illustre exemplum id patientiæ fuerit. certè tabernaculum à Mose factum, ex pellibus rubricatis, & cruentis confectum Soli expositum fuit in campo. præclarè item ait, in descensu ad Inferos Principes tenebrarum ad huius Solis insuetatum splendorem exhorruisse, & illustre trophæum inde reportatũ, iuxta illud: *expolians Principatus, & Potestates traduxit palam confidenter, triunphans illos in semet ipso.*

7 Quærit, *Cur Salomon spiritum sapientiæ habuit, cum vitam mundam non habuerit? nimirum primò merito suo accepit spiritum prudentiæ; posteà verò quàm mulieribus est deditus, si habuit spiritum sapientiæ, regni merito habuit, sicut & Nabucdonosor regni merito in camino Christum vidit.* facit hoc plurimum ad Regum decus, & dignitatem, qui quoniam loco Dei populos regunt, quædam priuilegia gratis data eis communicantur ad commune bonum, & commodum, vnde patet iis obedientiam deberi, iuxta illud Apostoli: *siue Regi quasi præcellenti &c.*

Regibus etiam malis priuilegia quædam dat Deus ob munusquod exercent

8 Exponit locum Ecclesiast. *Spes est, inquit Salomon, in tenebris; melior est canis viuus leone mortuo;) tenebræ ignorantiam significant, quia spes est in gẽtili potius, quam in apostata, quoniam quandiù in fide durauit, leo erat; at vbi recessit, mortuus dicitur, canem verò gentilem dixit, de quo spes est ut credat dum viuit.* Acutè exponit quomodo spes esse dicatur in tenebris. quia nimirũ spes est vt gentilis conuertatur, & aptè subiungit de cane viuo: Chananæam enim alloquens Christus canibus gentiles cõparauit. leo autẽ mortuus hæreticus est, qui fidẽ amisit, quãdiu Catholicus, & iustus est, viuo leoni comparatur: hinc ait Chrysostomus, nos ex Eucharistia, quod est mysterium fidei, leonum instar egredi spirantium ignem. hoc idem ad religiosum iam apostatam refer. melior quippe secularis est quasi canis, sed viuus, quàm ille leo, sed mortuus, prorsus inutilis, immo putidus.

Melior gentilis quã hæreticus.

Melior secularis quam religiosus apostata

Ex Quæstionibus noui Testamenti.

1 QVærit, cur quatuor sint Euangelistæ? *Quia congruum fuit annum Domini acceptabilem, vt vocat propheta, à quatuor voluminibus contineri; sicut enim annus à quatuor temporibus euoluitur, ità dicta, & gesta Domini quatuor libris contenta sunt.* acutè, & pulchrè, nam tempus, quo Christus vixit, Esaias vocat: *annum Domini acceptabilem*. anni quatuor tempora sunt. Equidem dixerim cum *Vere* Euangelium Lucæ pósse conferri, quia *Solis* ad nos accessum, idest Christi incarnationem, quæ vernò tẽpore facta est, describit; cum Aestate Euangelium Ioannis, quia tanquã *Solem* in Auge diuinitatis describit, ac totum Euangelium feruet dilectione plenũ; cum *Autumno* pomifero vberius Matthæi *Euangelium*; cum Hyeme Marci constrictius. *Addit ipse:* sicut quatuor anni tempora discrepare inter se videntur, sed tamen ad idem conspirant, scilicet ad frugum prouentum, ita *Euangelia* sensu concordant; licet in verbis aliquid videatur dissimile.

Quatuor Euangelia respõdẽt quatuor anni temporibus.

2 Quærit, cur non antea diabolus tentarit Christum, vt cum auditum esset, natum esse Saluatorem Mundi, sed post baptismũ id aggressus? respondet: Quia interim dissimulauit Christus suam potentiam; *Baptizatus autem descendente in se Spiritu sancto, cum apparuisset hominibus testimonio Dei Patris, æmulatione zeli ductus est inimicus ad iniuriam, videns hoc factum sibi obesse; intellexit enim ordinationem baptismi ad salutem hominum procuratam.* Nota odium diaboli in baptismum, nam & nunc in Peruana regione barbari andropophagi nolunt hostes, antequam ab ipsis deuorentur, à nostris baptizari, & insipidam aiunt esse atque insultam carnem baptizati, licet eius ori sal ritè ingeratur.

Cur diabolus nõ tentarit Christũ ante baptismum.

Odium ingens diaboli in baptismum.

11 Quærit, cur Christus post quadraginta dies esurierit, qui enim toto illo tẽpore non esurierat, poterat & postea non esurire, sed ita anxium tenuit diabolum: *Mirabatur stupore hebetatus: duabus enim ex causis torquebatur, videns enim infirmitatem, accedebat, & inueniebat virtutem, vt cernens hominem suspectus esset de Dei virtute: ad hoc ergo esuriit, vt illuderet astutiam Satanæ.* huc refero illud: *draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* igitur indignum est, si nos potius ab ipso illudamur. potestas erat accedendi, circumueniendi non item.

Christus esuriit vt anxium teneret diabolũ, & dubiũ

12 Quærit, *Cum Dominus orandum docuerit pro inimicis, cur contra occisorum animæ in Apocalypsi a Domino postulant vindictam? Nempè causam clamare intelligendum est. ipsa enim non tacet, sed semper vindictam flagitat: sicut dicit Deus ad Cain: Sãguis fratris tui clamat ad me de terra. quid est hoc? nisi quia causa facinoris clamat, vindicari desiderans?* sicut enim dicitur terra laudare Dominum, cum opera ipsa bona laudant, ità sanguis effusus clamare, cum facinus ipsum clamat: vbi nota causam ipsam se tueri, & agere apud tribunal Dei, orare, perorare, etiã sine alio patronó.

Quid sit martyrũ animas clamare vindictã

13 Quærit, cum tres Euangelistæ dicant Christum crucifixum sexta hora, cur solus Marcus dicat, tertia? quidam ad

Pila-

Pilati sententiã referunt, quia tunc prò crucifixo habetur, sed Pilatus à quinta hora in sextam dedit: potius igitur ab ea hora, qua Iudæi clamarunt, vt crucifigeretur: interim flagellatio, & illusio fuit ante sententiam. *Ostendere Marcus voluit, Saluatorem non Iudicis sententia occisum, quia difficile, qui Iudicis sententiam accipit, non iustè occisus videtur*: ac certè diù repugnauit. Acutè soluit; vbi nota, quàm integra supponatur esse sententia Iudicis vel in gentili, vt dici non debeat Christus crucifixus ab eo tempore, quo ipsam protulit, ne quodammodo iustè damnatus videretur: vt igitur clarius appareat iniuste crucifixum, tum id dicitur, cũ nondum iudex protulerat sententiam, sed Iudæi clamarunt iniustè crucifigendum.

Cur Marcus dicat Christum tertia hora crucifixum, acuta responsio.

Iudicis sententia reputatur vt recta.

14 Quærit, *Cur Saluator Iacobum, & Ioannem discipulos suos filios tonitrui appellauit, qui potius videntur filii Dei dicendi? Nimirùm quia tonitrua terrorem incutiunt, quasi eius filii, qui timendus sit.* tonitrua autem licèt ex collisione nubium fiant, tamen Dei voluntate fiunt; huc refero quod Ioannes, & Iacobus itá dicti voluerunt ignem è cœlo euocare in ingratos, licèt prohibiti sint. ad tonitrui fragorem refer prædicationem, qua concussere hominum mentes; & ad coruscationem, miracula gentilium aciem perstringentia.

Cur Iacobus, & Ioannes filii tonitrui dicti potius quam filii Dei.

15 Quærit, *Cum Saluator dicat: Qui non reliquerit omnia sua &c. non potest meus esse discipulus, cur Euangelista ait: Venit Ioseph ab Arimathia homo diues, qui, & ipse discipulus erat Iesu? hunc sensum paucis absoluit Apostolus: Qui habent, tanquam nõ habentes sint, &c. qui ergo sic habet, quasi non habeat, reliquisse videtur; non præsumens de his, sed tanquam dispensatorem, & ministrum eorum se intelligens: hoc enim relinqui dicitur, quod à desiderio recedit, & gratiam non habet.* facit hoc ꝑ viris primariis, & inter medias opes penè religiosorum more viuentibus. adeò affectus in his notandus est.

Non possessio psa opum sed affectus taxatur.

16 Quærit, cur Verbum nõ antea carnem suscepit? *Quia si ei, cui necessitas imminet, antè subueniatur, erit quidem gratus, non valdè tamen potuit scire, quid sibi præstitum est.* Primùm fecit se cognoscere per Mundi fabricã, & prouidentiã suam; deinde obsolescente Dei notitia, data est lex, & prophetæ; tãdem se ipsum obtulit neci, vt videntes de quanto periculo eruti essent, beneficii magnitudinem agnoscerent. *Vt si etiã vsus exegerit, sãguinem pro illo fundentes, nec sic se vicem reddere profiteãtur. quàm gratum ergo, & pretiosum beneficium existimant, quod nec morte cõpẽsari putant?* Nota, etiã martyres impares se tanto amori fateri debere; nam vita Christi est vita hominis Dei, ac proinde lõgè excellentior quàm nostra. præterea id factum ait, vt magis appareret, iustitiã distulisse vindictã de diabolo per triumphum, cum multa iã mala in orbe ille patrasset. Tum præclarè subiungit. *Diabolus deuicto homine triumphauit. hic victus genus suum vendidit peccato: non ergo iustum erat victori statim auferre violenter spolia. regnum eius abstulit ratione, nõ potestate.* Nota: triumphasse diabolum dicit per peccatũ originale: igitur si in hoc incurrit Deipara, ducta est in diaboli triumpho captiua. certè Cleopatra itá hoc probro sum potauit, vt ante sibi ipsi mortem consciuerit. vide etiam vt quasi venalia mancipia traditi simus originali peccato, quàm hoc abhorret à Dei matre?

Cur Christus distulit incarnationẽ tandiu.

Beneficium incarnationis nec per martyrii quidem sanguinem conpensari potest.

17 Quærit, cur dicat Apostolus de Hebręis. *Cum eratis sub elementis Mundi huius:* quod paganis cõuenire videtur. respondet: *Pagani nõ sub elementis seruiunt, sed ipsis elementis: colunt enim astra, terram, aquam: Iudęi autẽ sub elementis; obseruant enim neomænias, sabbata &c. Christiani autem nõ sub elementa, sed supra Deo seruiunt, in Spiritu Deũ adorãt.* pulchra interpretatio, ac distinctio, quid sit seruire in elementis Mundi esse sub elementis, & supra elementa: vides quàm sublimis, & eminens sit fides nostra.

Gentiles seruiunt elementis Mundi Iudęi subsunt. Christiani super eminent.

18 Quærit, *Cũ in Christo sint omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, quomodo de die, & hora iudicii dicit se nescire?* sensus Pauli est. *Qui habet Christũ, pro omni sapiẽtia, & scientia Dei illi credat: vt scire Christum, totum sit scire. hinc illud ad Coloss. Nemo vos circumueniat per philosophiam, &c. & non secundùm Christum. & mox: Nemo vos abducat, etc frustra inflatus mente carnis suę.* egregiè dictum: scire Christum, est totum scire. vide in quo consistat vera scientia: habes Christum, omnem habes scientiam. Tum ait, Christum scire diem iudicii, sed dissimulasse se scire, quia non erat proficuum nobis, quos semper paratos volebat. vt si alicui in dolore posito, poscenti gladium suum, vt se interimat, non habere te dicas. *cęterùm, si pater omne iudiciũ dedit filio, & nemo scit, quid sit in Deo, nisi spiritus Dei, qui est & Christi, quomodo id nescire dicendus est? an potest fieri vt iudex nesciat diem iudicii?* rectè arguit. vide autem quàm vtilis sit ignorãtia extremi diei, vt Christus non curet in hoc ignorãs haberi, ac dissimulet quod perfectissimè scit.

Scire Christum est totum scire.

Coloss. 2. Matth. 24.

Cur Christus dixerit se nescire iudicii diem

19 Quærit, *Cur, cum Apostoli omnes ægros sibi oblatos sanassent, propriis tamen infirmis medelam nõ dederint, vt Epaphrodito? quia cũ iam per fidem discimus vera esse, quæ promissa sunt, ad hoc se armat animus, vt spretis præsentibus, futuris dignus existat nõ solùm autem in fide tentatur homo, sed in ægritudine, in damno &c. vt si in his ad auxilium dæmonum nõ fuerit adductus, sine sanguinis ꝑtio mercetur martyriũ.* Notabilis locus. ait, morbum patienter toleratũ ꝑ martyrio esse, & ꝗ mirum est, *sine sanguinis ꝑtio*, tãta res emitur. itẽ nota, salutẽ corporis sępè negari, vt discamus, nõ in ea felicitatẽ cõsistere. ac pulchrè ait, ꝑ fidẽ. *armari animũ, vt spretis præsentibus, futuris dignus existat.* hinc illud: *In omnibus sumentes scutum*

Cur Apostoli alios ęgros curabãt non item amicos.

Fides nos armat ad tolerantiam.

Patientia martyrium venale fine pretio sanguinis.

Euangelium melleum est & suaue fidelibus amarũ hæreticis.

ctum fidei: nempe hoc: retunduntur omnia.

20 Quærit, *Quid est quod dictum est Ioanni; Accipe librũ, & deuora illud, & amaricabit ventrẽ tuum, sed in ore tuo erit dulce tãquã mel?* Quia *hæreticis, quos in ventre significauit, Euãgelium amarum est; totum enim Ioannis* Euãgelium *cõtra hæreticos est, cõtra Photinũ, qui Christũ ante Mariã negat; cõtra Ariũ, qui &c. in ore autẽ, quod vtiq; capitis pars est, honorabiliores, & fideliores significat, quibus veritas, quæ de Christo est, dulcis est.* Nota de Ioãnis Euãgelii apud fideles suauitate: nẽpe & dilectionis plenũ est, & de diuinitate agit: igitur apis quædã fuit Ioannes mellificãs. mira est mũditia apis, & castitas, sed habet aculeos & fucos arcet, idest hæreticos.

Cur Paulus tristari vetans de morte, dolebat de Epaphrodito,

21 Quærit, *Cur Paulus nõ cõtristãdum esse dicit de mortuis, & tamen ipse de Epaphrodito ait. Infirmus fuit propè mortẽ, sed Deus misertus est illi, nõ solùm autem illi, sed & mihi, ne tristitiã super tristitiam haberem.* sed hoc erat, quia socio priuabatur in euãgelizãdo: *aliud est solatium requirere absentis, aliud dolere interitum iã nõ futuri.* pulchrè distinguit dolebat verò, non vt de amico, sed vt de socio amisso Euãgelii, qui animos lucraretur.

Cur si Innocentes occisi erãt ex stirpe Liæ, Rachel nõ illa plorabat.

22 Quærit, *Quid est quod occisis filijs Liæ, qui sunt ex tribu Iuda, Rachel filios suos plãgere dicatur?* nimirum *Rachel filii pro impudicitia, quàm in cõcubina hominis Leuitæ operati sunt, extincti fuerunt & erasi à reliquis tribubus; filii autẽ Liæ in primæuis annis ætatis in causa Saluatoris occisi sunt, & vita æterna donati: ideò igitur filiis Liæ passis, & occisis in Dei causa, plãctum Rachel adimpletum Euangelista testatur, quia tunc plus plangere filios cœpit, quãdo filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, vt ad vitam pertineant; quia cui aduersum aliquid euenit, ex fœlicitate alterius, infausta sua miserius luget.* Nota acutã explicationem: cum Innocentes essent ex tribu Iuda ex *Liæ* progenie, non habebat hæc materiam nisi gaudendi, quod pro Saluatore morerentur. Rachel autem eius soror videns quàm dispar mors fuisset à se progenitorum ob crimen cæsorum in tribu Beniamin; in fletum quodammodo prorupit. vide igitur inconsolabilẽ dolorẽ, non ex morte oriri, sed causa mortis pro crimine, & ex morte animæ eorum, *qui, & in præsenti, & in futuro periisse noscuntur vnde cõsolationem nõ recipere dicta est.* ita Dauid audita morte infantis filii, surrexit à terra, luctum deposuit. at audita morte *Absalonis* Inconsolabiliter fleuit: quia alter innocens, alter reus est mortuus.

Cur Saluator in cæco curando lutum adhibuit.

23 Quærit, *Quid est, vt cũ Saluator omnes propè curasset, cæco tamen per lutum de sputo factum oculos reformauit? scilicet auctorẽ se opere cõmendauit: per id.n. emẽdauit, per quod erat cõditum* egregiè ostẽdit Christi diuinitatem quia .n. primũ hominem ex luto effinxit; vt declaret se eiusdem cõditorẽ & figulũ, in oculo perficiendo item lutũ adhibuit. ac simul nota, ne oculus peccet, videndo pulchritudinem creaturarum, lutum m... ante oculos esse habendum, quo formati sumus, & in quod redacendi.

Lutum nostri generis, in oculis habẽdum ne per concupiscentiam peccent.

24 Quærit, cur dicat *Apostolus: Omnibus õnia factus sum? quod factũ adulatoris est, & hypocritæ. adulator ille est, qui ideò alteri dat cõsensum, ne offẽdat eum, quẽ vult habere propitium; qui autẽ proter scandalũ aliquid facit, quod nõ quidem periculosum; sed superfluum sit, saluti studet illius, quem scãdalum pati nõ vult; aliquid facit, quod nõ quidẽ periculosum, sed superfluum sit saluti, vt cum circumcidit Timotheum propter Iudæos, & purificatus intrauit in tẽplum.* vide, vt se accomodat iis õibus Paulus propter salutem, adeo vt penè adulationis suspicionẽ incurrere videretur.

Ex Libro I, de cura pro mortuis.

Lazari pompa funebris nobilior quam diuitis purpurati.

1 IN vita acquirendum monet quod pro sit mortuis, tum hic: *Inanis est curatio funeris, conditio sepulturæ, põpa exequiarum magis viuorum solatia sunt, quã subsidia mortuorum. nam si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla. præclaras exequias in conspectu hominum purpurato illi diuitis turba exhibuit famulorum, sed multò clariorem in conspectu domini vlcerato illi pauperi præbuit ministerium Angelorum, quo eũ nõ extulerũt in marmoreũ sepulchrũ, sed in sinum Abrahæ.* Pulchrè differentiã põpę funebris in vtroq; ponit. ac vide vt sinus Abrahæ pro mausoleo nobilissimo pauperi fuerit: inanes impensas in marmora hoc arguit. Addit. *Ipsi philosophi has exequiarũ pompas cõtẽmnunt: & pro patria cadentes nõ curabant an à feris lacerarentur; nã Lucanus sic ait: Cœlo tegitur qui nõ habet vrnam. malè igitur insultant, & Christianis insepultis obiiciunt, quod suis nõ subuenerit Christus, vt nuper Romæ in barbarica vastitate.* rectè arguit gentiles carpentes diuinã prouidentiam, ac pietatem, quod Christianorũ insepulta esse cadauera pateretur; cũ philosophi ipsi, immò poetæ ista neglexerint. at nulla maior põpa, licet oculis nõ sẽper cõspiciatur, quàm qua anima iusti Angelorũ comitatu effertur in cœlum.

Reliquiæ Sanctorum cur honorãdæ.

2 Sepulturæ quæ ratio habenda sit, docet. *Nõ tamen cõtemnenda corpora defunctorum, maximè iustorum, ac fidelium, quibus tanquã organis, ac vasis ad bona opera Spiritus sanctus sit vsus; si enim paterna vestis, annulus, ac si quid huiusmodi, &c.* præclarè reliquias Sanctorum annulis, ac vestibus pretiosis comparat: annulis ob affectum erga Christum sponsũ seruatum, & ob signaculum fidei; vestibus item pretiosis, quatenus castum corpus est veluti regium indumentem animæ. porro sepulturæ curam, & ab *Angelo* apud Tobiã laudatam ostendit, & Christus vnguenti effusionem ad sepulturæ suæ memoriam commendauit: *vult enim Deus hæc exhiberi cadaueribus ad astruendã fidem resurrectionis.* prophetę etiam curam habuerunt

runt de sua sepultura, vt Iacob, & Ioseph. Vbi nota, cur cura cadauerum adhiberetur, cur vnguentis linirentur, vt ostendatur, nō esse spernenda, quæ aliquādo reuocāda essent ad vitā, eamque sempiternam.

3 Quærunt, an locus sepulchri iuuet vita functos? *Prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonæ affectionis est, sed ad hoc, vt dum adeunt, ac reuoluūt, vbi sint posita eorum corpora, quos diligunt, eisdem sanctis tanquā patronis susceptos apud dominum adiuuandos orando commendent: quod iis tantum prodest, qui cum viuerent talia sibi post hanc vitam prodesse meruerūt.* præclara ratio cur expediat apud sanctorum reliquias sepulturam habere, vt scilicet cognati, & amicos quasi pannos adhibeant ad refrigerium, & quæris locum impetrandum: nec tamen omittenda supplicationes, si non apud Martyres sepulti sint, nam generatim ab Ecclesia preces exhibentur. *vt ab vna, & pia matre communi.* quibus desunt parētes, cognati etc. *adiuuat igitur defuncti spiritū nō mortui corporis locus sed ex loci memoria viuus matris affectus.* pulchre dictum de materno affectu Ecclesiæ erga defunctos. Addit nō sine fructu esse in his precibus genua figere, prosterni, vel extendere manus vt se excitat internus affectus: Vbi nota deuotionem ad martyrū maximè sepulchra vt prope ea sepeliri vellent quod sperarent purgatorii flāmā eorum sāguine facilius sopiri posse. *Item* nota hæc iis prodesse qui piè vitā finierūt. vide deniq; quàm laudatur, exterior ipsa deuotio sē prosternēdo, manus externēdo &c.

4 *Respōdet obiectio cur Deus sinet sæpe inhumanos esse iustos, cū hoc in pœnā impiis cō minetur. Ideo, inquit, pmisit Deus* martyrū corpora in Gallia canibus, ac feris obiici cremari &c. ne sepulturæ fiderēmus: sed quia impii dolent, si sciant adhuc viui, se nō sæpeliendos in sepulchris patrū suorū, sed fore insepultos, ideò hoc in pœnā iis prædicitur, sic inobedienti prophetę accidit, nec tamen dā[illegible]atus est in anima nā leo ipse occisum custodiuit. quare idest ait Apostolus: *Cum iudicamur, à Domino corripimur, vt nō cum hoc Mundo damnemur* & icircò idem ipse propheta qui eum deceperat, voluit cum ipso sepeliri, vt veniente tempore à *Iosia* qui eruit cætera sepulchra, non violaretur. affectu carnali prouidens cadaueri suo. *sed hunc affectum Martyres Dei vicerunt: nec mirum quod contempserunt, quod post mortem non erant sensuri, qui non potuerunt eis cruciatibus vinci, quos viuentes sentiebāt* vt essent iisdem Martyres testes eius veritatis, nihil ad fidem resurrectionis hoc obesse. nota Deo ipso fuisse curæ cadauer prophetæ, I. in ea re inobedientis. simile quid Iob accidit, nā cū data esset *D*iabolo potestas eū affligendi, simul eius custos est factus *Verūtamēanimā eius serua.* Est autem præclara illa ratio cur Martyres miraculis clari noluerint à Deo impetrare vt cadauera non iacerent insepulta, vel intacta essēt à feris nempè quia omni affectu erga carnem spoliati erant, etiā post mortem hoc indicantes qui tormenta nō curarent, cum ea sentiebat viui, quantò minus. cum mortui? & simul vt constaret sine hac corporum cura, per *D*ei potentiam resurrecturos.

5 De pietate item erga mortuos sic. Laudantur à Dauide ij, qui misericordiā fecerunt cum cadaueribus Saulis, & Ionathæ. at quę misericordia nihil sentientibus? *qapy, homines naturali affectu quod sibi nollent post mortem, nec alijs vellent.* nota pietatis affectum erga mortuos instituit ob naturæ cognationem. sciebat certe *D*auid *S*aulem à Deo reprobatum *fl*ebat de nece, & simul de data à sepultura gaudebat.

6 De reuelatis Sāctorum corporibus sic *Cū reuelatur de bonorum inhumatis corporibus, Angelicis fieri crediderim ministeriis; uel ad solatia bonorū, quibus apparēt uel ut pietas cōendetur,* Vide, vt *A*ngeli ipsi immortales erga sāctorū cineres piè affecti sint & nota duplicē causā eiusmodi reuelationis.

7 Narrat apparitiones varias. *Audini Mediolani patrem apparuisse filio, ut ostenderet cautionem de pecunia reddita quàm ideò in testamento nō scripserat; item Eulogio Carthagine Rhetori cōdiscipulo Mediolani apparui difficilem Ciceronis locū explicaturo in somnis ei explicās qui eū tenebat sollicitū quomodo id fiat, ignoro.* Vide quàm ingenue tantus doctor loquatur. ceterùm hinc discipulis quàm vtile sit ei sexto cōmendare in difficultatibus literariis; multò propitior aderit in Theologicis, quia præfuit in externis.

8 *Est* Esaie hoc mirum quod subiungit prope Hipponē homo quidā vdda nomine, curialis, pauper, ęgrotans aliquot diebus, penè mortuus exiguo flatu quasi eui gilās *Eatis, inquit, ad domū curinæ fabri ferrary* ibi mortuū inuenerū t eodem nomine visus autem sibi fuerat tāquā à Iudice audire, nō se requiri, sed alium quendā cudā fabrum ferrarium vidisse itē hic se aiebat, & inter mortuos, viuos oblatum sibi presbyterum, qui *A*ugustini iussu eū baptizauit, deinde in paradisū ducendū; iussum tamen, baptizari, & cum diceret, se modo à presbytero baptizatum, nō verè inquit, id gestum, sed imaginariè notabile omninò factum quem apud *A*gustinum ipsum furius narratum habes.

9 Mortuos nescire res nostras ait, scire tamen possunt, vel ab ijs qui moriuntur, quatenus permittitur à Deo, vel ab *A*ngelis. *possunt etiā spiritus mortuorū aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessariū est eos nosse, vel nō necessariū, siuè præsentia, siuè futura Deo reuelāte cognoscere* vidē quàm stultū sit cō-

Cur olim apud se pulchra martyrū sepeliri optarent

1. Cor. 1

Cur Deus permiserit Martyres sæpe in humano, iacere ue bestiis deuorari.

Mortuos sepeliendi affectus à natura insitus.

Cur Deus reuelare solitus larentia Sancto rum corpora.

Augustinus viuens alteri in somnis apparēs quæstionem soluit.

Mirum de duobus cudidis nomine alterò loco alterius mortuo ex resurgente.

An vita functi sciant quæ apud non geritur.

parare ſibi nomẽ poſt mortẽ, cũ quid hic agatur, ignoraturus ſic ceterũ Patriachis in primis religionũ puto reuelari quæ ad ſuũ ordinẽ ſpectant, & patronis vrbiũ, & maximè Deiparę cõ nuni Chriſtianorũ matri.

An verè Samuelis anima Sauli apparuerit.

10 Mitti quoq; ad viuos ſpiritus defunctorũ poſſe dicit, vt contra è viuis in paradisũ; ſic Paulo accidit. Samuel mortuus Sauli apparuit, & licet id quidam putent dæmonis ſpectrum, tamen liber Eccleſiaſtici continet in laude patrum, *quòd Samuel, etiã mortuus prophetauerit*. certè Moſes cum Helia apparuit in monte, & ſanctus Felix Nolanis, cum à Barbaris oppugnarẽtur, apparuiſſe dicitur. nota cõmercium Sanctorũ cum hominibus, etiã cum in patria ſunt, ad opem referẽdã accurrunt idem Neapolitanis accidit ab hoſte obſeſsis, & S. Ianuarij aſpectu mirè liberatis.

Sancti licet in patria ad noſtrũ auxilium accurrit.

Viſiones Sanctorũ per ipſorũ an per Angelos fiant.

11 De patrocinio ſanctorum ſic. *Magna quæſtio eſt, nec mearum virium, vtrũ Martyres cum opitulãtur alijs, præſentes adſint, ſiuè ad memorias ſuas, ſiue per Angelos, ſiue vtrumq; conſulerẽ libenter Ioannẽ illum Monachũ prophetã, qui mulieri religioſiſſimæ auidè cupiẽti eum videre, cũ nollet fœminas intueri, per viſum nũciauit, in ſomnis, ſe eã viſurũ*. Vide quàm cautus ſit tantus doctor Eccleſiæ in decernẽdo, quę euidentiam nõ habent; Tum nota Ioannis Monachi modeſtiã, in fœminam licet piam: ideoq; meruit miro modo cũ alibi degeret, alibi apparere. Addit: *Mediolani apud sãctos Protaſiũ, & Geruaſiũ Martyres expreſſo nomine adhuc viuũ dæmones Epiſcopũ cõfitebãtur Ambroſiũ: atque vt ſibi parceret, obſecrabãt, illo aliud agẽte, atq; hoc cũ ageretur, omninò neſciente*. nota admirabilẽ Ambroſii sãctitatẽ, deterrebat è terris Imperatores, vt Theodoſium; deterrebat ex inferis aduerſarias Poteſtates, etiam abſens.

Ioannes Monachus nolens fœminam inuiſere tantum per ſomnium apparet.

Ambroſium uel abſentem qua ſi pręſentem dæmones formidabant.

Ex Lib. de Catechiſmi rudim.

1 D*O*ce, qua ratione Catechumeni instituendi ſint. *Narratio*, inquit, eis exhibẽda eſt ab initio Geneſeos. totus pẽtateucus, Iudicũ, & Regnorũ & Eldræ libri, & totũ Euangelium, & actus Apoſtolorũ, vſq; ad tẽpora Eccleſię sũmatim tamẽ: *ità vt eligantur quędã mirabiliora, quæ ſuauius audiũtur, atq; in ipſis articulis cõſtituta ſunt aliquãto immorãdo in his, cetera excurrendo*. vide qua induſtria vtẽdũ ſit ad rudes in fide inſtituendos, vt prius ab iis ordiamur quæ admirationẽ cõtinẽt ex rerũ præſtãtia, & quãdã animi oblectationẽ vt alliciãtur, cuiuſmodi ſunt præcipua Abrahæ facta, Ioſephi, Dauidis, &c. hæc vult nota eſſe Catechumenis, quæ nunc plerunque ab adultis Chriſtianis ignorantur.

Catechumenis præcipua ſacræ ſcripturæ facta addiſcenda.

2 Pulchre de veteris teſtamenti figuris. *Sicut Iacob manũ, prius dũ naſceretur, emiſit ex vtero, deinde ſecutũ eſt caput, ac reliquia membra; licet caput naturæ ordine prius ſit quàm manus, ac cætera membra; ità Chriſtus præmiſit in sãctis prophetis quãdã partẽ ſui corporis, qua veluti manu ſe naſciturũ eſſe prędixit, nũciã etiã populũ pręcedẽtẽ ſuperbè vinculis legis tãquã digitis quinque ſupplãtari quinq; videlicet Moſis libris ità ſuperbi ſuã iuſtitiã volẽtes cõſtituere, nõ aperta manu Chriſti repleti ſunt benedictione, ſed cõſtricta, atq; concluſa retẽti ſunt*. acutè dictũ, vbi vides Dei filiũ ab initio intẽtum noſtræ ſaluti, quaſi manu prætenta. hinc ait: *In manibus prophetarũ aſſimilatus sũ*. tum nota ſuperbiam ab ipſo vtero conſtrictam, ac frænatam in figuram humilitatis Chriſti venturi.

Chriſtus per prophetas quaſi ex vtero legis manum pręmiſit, vt Iacob.

3 Cur Eua formata ſit, docet. *Fecit Deus homini adiutoriũ fęminã, nõ ad carnalẽ concupiſcentiã, quãdo quidem nec corruptibilia corpora tũc habebãt ante peccatũ, ſed vt haberet vir gloriã de fęmina, cũ ei pręeſſet ad dominium, ſeque illi pręberet imitandũ in innocentia, atque pietate, ſicut ipſe eſſet gloria Dei, ſic eius ſapiẽtiã ſequeretur*. præclarè dictũ: nota, vt nuptias Deus inſtituerit, non ad explẽdã cõcupiſcẽtiã, ſed vt vir exẽplar virtutis eſſet vxori, atque ità ſibi eſſet ad gloriam, non ad probrum.

Vir vxori quaſi virtutis exẽplu propoſitum ad imitãdi.

Finis matris mortui non concupiſcentia poſti reddecus uirtutis.

4 Oſtẽdit, nihil eſſe quod ad Dei gloriã nõ redũdet. *Quicquid homo fecerit, laudabilem inuenit Deũ: ſi rectè fecerit, per iuſtitiã pręmiorũ: ſi peccauerit, per iuſtitiã ſuppliciorũ: ſi pęnituerit per miſericordiã indulgentiarũ. cur ergo nõ faceret Deus hominem, quãuis eũ peccaturũ pręnoſceret? cũ & ſtãtem coronaret, & cadẽtẽ ordinaret & ſurgẽtẽ adiuuaret, ſẽper, & vbiq; ipſe glorioſus bonitate, iuſtitia, clemẽtia. maximè quia & illud pręſciebat, de propagine mortalitatis eius futuros ſanctos, qui nõ ſibi quęrerent, ſed creatori ſuo gloriam; & eũ colẽdo ab omni corruptione liberi cũ Angelis ſanctis beatè ſemper viuere mererẽtur*. egregiè adnotat, cur creatus ſit homo, licet Deus præuideret peccaturũ, quia nimirũ ex hominũ genere *pręſciebat futuros sãctos, qui nõ ſibi quęrerẽt ſed creatori ſuo gloriam* talis in primis fuit ſanctus noſter Ignatius maioris diuinæ gloriæ ſemper appetens talis Tereſia ad id etiam voto ſe adſtringens rectè etiam ait, in quolibet hominis ſtatu ſiue virtutis, ſiue malitiæ, diuina attributa relucere.

Cur Deus creauit hominẽ licet præuideret peccaturi.

Quanti Deus æſtimet eos qui ipſius gloriam quærítur.

Ignatii ac Tereſiæ ſtudium diuinæ gloriæ.

5 Diaboli ignominiã oſtẽdit. *Nõ ideò putandus eſt viciſſe diabolus, quia ſecũ plures, cũ quibus à paucis vinceretur, attraxit; nam & palea in maiori multitudine sũt quàm triticũ*. rectè ratiocinatur: nõ ideò Diabolus victor dicẽdus eſt, quia plures habet, qui ſe ſequantur, & innumerabilẽ exercitũ; quid enim hoc, ſi à paucis bonis vnà cum illis expugnatur, ac vincitur?

Non quia Diabolus ſolus ſequaces habet ideò maioris eſt.

6 Dei auxilium ad omnes ſe extendere probat. *Nouerat Deus, quod tẽpore Noe homines non eſſent ſe correcturi, tamẽ cum per centũ annos arca fabricaretur, prædicabatur*

vtiq;

Dei pietas in monēdo etiam si præsciuis sit obstinationis.

vtique eis ira Dei ventura, vt si cōuerterētur, parceret eis, vt posteà Niniuitis; nec etiam Deus ignorabat, quod etiā ex illis, qui fuerūt in arca seruati, nascituri erāt mali. Vide Dei pietatē, etiā si præsentiat hominis peruicaciā; nō cessat monere, & per annos cētū expectare, lentè arcā fabricari iubens.

Veteres patres non nisi in Christo saluati.

7 Per Christum etiam veteres patres saluatos dicit: *Dei filius homo factus est, vt totius Ecclesiæ corporis caput esset. sed sicut totus homo dum nascitur, etiam si manum in nascendo præmittat, tamen vniuerso corpori sub capite coniuncta, atque compacta est: quemadmodum etiam nonnulli ex ipsis patriarchis ad huius ipsius rei signum manu præmissa nati sunt: ità omnes sancti, qui ante domini natiuitatem in terris fuerunt, quamuis antè nati sint, tamen vniuerso corpori, cuius ille caput est, sub capite cohæserunt.* Vide, vt omnes iusti, licet ætatibus non iisdem, in vnum corpus coalescant. alludit ad factum Phares & Zamar.

Cur spiritus sanctus dicatur Dei digitus.

8 Spiritus sancti æqualitatem demonstrat: *Lex digito Dei scripta, quo nomine significatur Spiritus sanctus, sicut in Euangelio declaratur, quia dona Dei sanctis diuiduntur, vt cum diuersa possint, non tamen discedant à concordia charitatis; in digitis autem maximè apparet quædam diuisio, nec tamen ab vnitate præcisio.* rectè ostendit & Spiritus sancti dona diuidentis munus, & eandem, quæ ceterarum personarum, naturā.

9 *Ad* Regiam dignitatem hoc pertinet. A*postolus pro Regibus orari vult, iubentur enim dominis temporalibus æquanimiter, fideliterque seruire.* subiungit egregiè: si reges iniqui sint, ipsi subditi Regum iudices erūt. si illi iusti, subditi quoque Reges erunt. vbi nota ciuitatē Regū dici posse eā, quæ & Regē, & subditos iustos habet.

Ecclesia quasi vitis Martyrum sanguine rigata fructificat.

10 Persecutionibus Ecclesiam propagari ostendit. *Illa vitis, quæ per Orbem terrarum, sicut de illa prophetatum est, fructuosos palmites diffundebat, tantò pullulabat amplius, quantò vberiore Martyrum sanguine rigabatur.* sarmenta autem, quæ ex hac vite amputantur, hæreses, & schismata dicit esse: igitur igni destinata. vide quo humore nutriatur Ecclesia quasi vitis, Martyrum sanguine, & quia abundè hunc sufficit persecutio, hinc illa vitis huius mira propagatio: *Extendit palmites suos vsque ad mare &c.*

Incarnatio diuini amoris testificatio fuit.

11 Cur Verbum incarnatum sit, docet. *Quæ maior causa est aduentus Christi, nisi, vt ostendat Deus dilectionem suam in nobis? vt sicut ipse prior dilexit nos; si amare pigeat, saltem redamare non pigeat: nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando; & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere.* in ipsis etiam sordidis amoribus est hoc, *vt animus, qui torpebat,*

Boni est non fœdamare sed amantē Deum.

cum se amari senserit, excitetur; & qui iam feruebat, cum se redamari senserit, magis accendatur: quantò magis id in amore casto? vide igitur causam Incarnationis, magnitudinem scilicet dilectionis. quamobrem præclarè dictum: *Nimis durus est animus, qui dilectionem saltem non rependat.* hinc ait Paulus. *Qui non amat Iesum Christum, anathema sit.*

Dei amor in nos quāti æstimandus.

1[2] Pergit de dilectione egregiè dicere. *Opera pretium est animaduertere, quanquam etiam superiores velint ab inferioribus diligi, eorumque in se studiosè delectentur obsequio, & quantò magis id senserint, tantò magis eos diligant: tamen quanto amore exardescat inferior, cum à superiore se diligi senserit; ibi enim gratior amor est, vbi non æstuat indigentiæ siccitate, sed vbertate beneficientiæ profluit. iam si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, ineffabiliter commouebitur in amorem, si vltro ille fuerit dignatus ostendere quantum diligebat eum, qui nequaquam sibi tantum donum promittere auderet: quid autem superius Deo iudicante? & quid desperatius homine peccāte?* Nota tres gradus amoris, parium, superiorum, inferiorum, aut indignorum. nota item quantum sit gaudium contriti peccatoris, cum fruetur dilectione spontanea Dei, qua se fecerat indignum; & cū amantē āplectetur, quē iudicē formidabat.

Amicitia bonorū quāti facienda.

13 De dilectione bonorum sic: *Coniungere bonis, quos videris tecum amare regem tuum: nam si in spectaculis & vanitatibus insanorum certaminum illi volebāt inhærere, qui tecum, vel aurigam, vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant: quantò magis te delectare debet eorum coniunctio, qui tecum amant dominum, de quo nunquam erubescet amator eius, quia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddit inuictos.* Pulchrè alludit ad factiones aurigarum: iusti currunt in stadio virtutis, in theatro agunt, venātur cœlestia &c. Necesse omittēda breuis illa sed præclara vox: *Magna est miseria superbus homo, sed maior misericordia humilis Deus.*

Catechumeni quo modo instituendi.

14 *De* instituendis item Catechumenis ait, post narratam sacram scripturam Catechumeno, & *D*ei amorem, & seueritatem intimatam, quærendum ab eo, nùm aliquo commodo adductus id agat? sed si diuinitus admonitum se dicat, lætissimum nobis præbebit aditum exordiendi, quanta cura sit Deo pro malis; & à visis, ac somniis ad certiora scripturæ oracula transferendus. Post narrationem scripturæ spes resurrectionis intimanda; deinde instruendus, & animandus aduersus tentationes, & scandala; & fallaciæ improborum aperiendæ, ne seducantur. Si sit varijs scientijs instructus, & peritus, paucis interrogetur: sin tantùm grammaticus, vel orator, nec

Ministri Ecclesiæ latinitatis ignari carpuntur.

idiota, nec multùm doctus, admonendus ne sordeat illi eloquium scripturæ sacræ; *Ne irrideat si aliquos Antistites, vel ministros Ecclesiæ viderit cum barbarismis, & solæcismis Deo ministrare, vel non intelligere perturbatèque distinguere quæ pronunciant: nouerint non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. non quia ista minimè corrigenda sunt, vt populus ad id, quod plenè intelligit, dicat: Amen. sed tamen piè toleranda ab iis, qui didicerunt.* Modestè arguit sacerdotes nonnullos, & prelatos latinitatis ignaros, & simul ostendit, non in hoc esse vim sacramenti modò in necessariis non aberrent; nam nonnulli gentiles eruditi dum baptizarentur, eos irridebant. Huc facit illud Demosthenis, cui de rebus seriis dicenti, cum verbum prolapsum esset minus rectè, respondit censori, non in eo verbo positas esse Grætiæ fortunas.

Qui rudes instituit attemperare se debet ut Christus egit nobiscum

15 Interpetratur illud: *Exinaniuit semetipsum dominus &c.) Hinc ergo factus est paruulus in medio nostrum, tanquam nutrix fouens filios suos. num enim delectat, nisi amor inuitet, decurtata, & mutilata verba immurmurare? & tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibent; & suauius est matri minuta mansa inspuere paruulo filio, quàm ipsum mandere, ac deuorare grandiora: non ergo recedat de pectore cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, & susurrantes pullos confracta voce aduocat.* Eleganter ostendit exemplo Dei filii pietatem, qui per incarnationem attemperauit se nostræ naturæ, paruulus nascens &c. sapientes quoq; Ecclesiæ ministros ait descendere debere ad infima in docendis catechumenis: referri hoc potest ad concionatores, vt se auditorum capacitati accommodent.

Intentio est quasi mentis aucupiũ.

16 Pulchrum illud de intentione, quasi mentis aucupis: *Tunc verè opus est bonum, cum à charitate iaculatur agentis intẽtio, & tanquam ad locum suum rediens, rursus in charitate requiescit.* Videtur metaphora ducta à venantibus qui iaculũ tendunt, quod deinde amento seu loro ad se retrahunt, ac recipiunt. felix aucupiũ, quo Deus capitur: hinc illud ex hebręo, *prædã dedit timentibus se.* hinc & iaculatorias vocamus preces breues, sed affectu plenas.

Beati absorpti in Dei visione.

17 Est, & hoc insigne de fide. *Credimus quod non videmus, vt ipsis meritis fidei etiã videre quod credimus, & inhærere mereamur: vt ipsius vnitatis Trinitatem non iã verbis fidei, & strepentibus syllabis personemus; sed contemplatione purissima, & ardentissima in illo silentio sorbeamur.* pulchrè ait, nunc imperfectè nos de Trinitate loqui, sed in patria tanquam absorpti feruore dilectionis, eius visione fruemur. nunc balbutimus, tunc vocalissimo silentio profundæ contemplationis Deum laudabimus iuxta illud ex hebræo, *Te decet silentium, Deus, in Sion.*

* Ex libro I. de Incarnatione Verbi

1 Exponit illud. *Vapor est virtutis Dei, & ἀπόῤῥοια, idest emanatio omnipotentis Dei purissima, splendor enim est lucis æternæ, & speculum immaculatum operationis Dei, & imago bonitatis eius.) Imago interdum dicitur ea, quæ in materia in qua est ligni, vel lapidis, depingi, vel sculpi solet. interdum imago dicitur eius, qui genuit, is qui natus est: cum in illo similitudinem lineamenta eius, qui genuit, in eo, qui natus est, mentiuntur. puto ergo quasi priori exemplo adaptari eum, qui ad imaginem, & similitudinem Dei primus factus est hominum, secundæ verò comparationi, imago filii Dei conferri potest, etiam secundùm hoc, quod inuisibilis Dei inuisibilis imago est.* Nota de duplici ratione imaginis. Adam ad imaginem Dei factus est, vt simulacrum affabrè exculptum, vel effigies coloribus expressa; at Dei filius est in similitudinẽ perfectissimam naturę. Sap. 7.

Imago Dei quo modo diuerse accipiatur in verbo, & in nobis.

2 Pulchra similitudine exponit illud. *Exinaniuit se ipsum dominus,) Qui erat in forma Dei per ipsam sui exinanitionem studuit nobis diuinitatis plenitudinem demonstrare, vt si esset statua occupans totum Vniuersum, quæ cerni non posset tota, & fieret alia simillima, sed non ea magnitudine, vt hac se consolari posset; sic Verbum exinanitum patris similitudinem repræsentabit: quare ait: Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Vide Dei sapientiam simul, & pietatem, non sine stratagemate, vt nobis innotesceret, & solatio esset, immensitate in angustias humani corporis contracta: quo spectat illud; *Verbum abbreuiatum fecit dominus super terrã.* huc pertinet factum Semiramidis, quæ staturæ suæ integrum montem adæquauit: quod & Alexandro quidam sculptor promisit. sed illud superbiæ figmentum: hoc de Saluatore pietatis argumentum.

Exinanitio Christi per statuæ similitudinem expressa

3 Exponit pluribus illud de Verbo diuino. *Vapor est quidam virtutis Dei, & ἀπόῤῥοια, idest emanatio omnipotentis gloriæ purissima, & splendor lucis æternæ, & speculum immaculatum operationis Dei, & imago bonitatis eius.)* Quinque hæc de Deo definiens Salomon, ex singulis quibusque certa quædam inesse sapientiæ Dei designat. *Vapor virtutis intelligenda est virtus Dei, qua viget, qui omnia visibilia, & inuisibilia, vel instituit, vel continet, vel gubernat; quæ ad omnia sufficiens est, quorum prouidentiam gerit, quia velut vnita omnibus adest. nec solum vapor virtutis Dei, sed*

Cur Dei filius dicatur ut por uirtutis Dei emanacio splendor speculũ imago.

virtus

virtus ex virtute dicenda est, ne videatur alicui anterior esse in Deo omnipotentis appellatio natiuitate sapientiæ, per quam pater vocatur. subiungit: ἀπόρροια dicitur, seu emanatio; quia etiam in omnipotentia gloriæ societatem habet vterque omnipotens, ideò dicitur emanatio omnipotētis gloriæ, quia eadem potestate omnipotens, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* purissima autem emanatio gloriæ omnipotentis dicitur, ad distinctionem gloriæ in aliis sanctis, quæ non est purissima, quia est accidentalis, & potest discedere. sequitur. *Et speculum paternæ inopinationis,) inopinatio est vigor quodammodo quidam in patre dum operatur: & sicut in speculo idem motus cernitur eius, qui operatur; ita filius idem cum patre facit; vnde ait,* Ioan. 5. *vsque modo pater meus operatur, & ego operor.* acutè interpretatum. Quod autem ait. *Et imago bonitatis eius) imago dicitur ob supradicta de speculo: principalis autem bonitas in patre est, ex quo vel filius natus, vel Spiritus sanctus procedit, sine dubio bonitatis naturam in se fert.* creaturæ autem abusiuè accidentalem continent bonitatem ideò dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus,* Marc. 10. vt ostendatur, non esse alia bonitas in filio quàm in patre. nota eleganter quinque appellationes. Sed prius *eiice trabem de oculo tuo,* vt tantæ lucis capax, & splendoris fias.

De Verbo apud priscos philosophos rudis cognitio.

4 Pergit in eodem, *Omnes quidem, qui quoquo modo prouidentiam esse sentiunt, Deum esse ingenitum, qui vniuersa creauit, atque disponit, confitentur, eumque patrem vniuersitatis agnoscunt: hūc tamē esse filiū, nos soli pronunciamus: quamuis sanè hoc mirū, et incredibile videatur Grecis, ac barbaris philosophis; tamen ipsorum, etiam à nonnullis habita videtur esse opinio, cū verbo* Dei, *vel ratione creata omnia esse confitentur: nos verò secundùm fidem eminentiorem, diuinioremq; rationem de filio Dei nullius alterius possibilitatis esse credamus, exponere, nisi solius scripturæ, quæ à sancto Spiritu inspiratur; de substantia verò Spiritus sancti nec suspicionem vllam habere quis potuit, præter eos, qui in lege & prophetis versati sunt, vel eos qui sè in Christum credere confitentur.* Nota ignorationem omnimodā apud priscos philosophos de Spiritu sancto; nēpè, cum sit amor, ignotus erat non amantibus. egregiè autem ait, licet rudem quādam, & valde imperfectam notitiam habuerint de Verbo Deo, nos non ea niti, sed scriptura, & fide magistra longè eminentius, ac diuinius edocente. Subiungit de Spiritu sancto pulchrè. *Quis non stupescat quanta maiestas sit Spiritus sancti? cum qui dixerit verbum in filium hominis, sperare audeat veniam, non item qui Spiritum sanctum blasphemet.* rectè, quia nihil tam indignum amore, quàm amorem ipsum odisse.

Verbi notitia non priscis philosophis sed fide fundatur.

Spiritus sancti notitia apud philosophos prorsus nulla.

Filii Dei generatio cuiusmodi sit.

5 Filij generationem exponit. *Filius à Patre non est pars aliqua substantiæ Dei in filium versata, aut ex nullis subsistentibus creatus, scilicet extra substantiam suam, vt fuerit aliquando quando non fuerit, sed velut si voluntas procedat à mente; nec absurdū videtur, cum dicatur filius charitatis.* ideò splendor lucis æternę dicitur, nam lux nūquam sine splendore esse potuit, ita nec filius sine patre intelligi. Tum ostēdit quàm absurda sit opinio hereticorum, qui negāt filiū coæternum Patri; *Quomodo potest dici, quòd filius aliquando non erat? nihil enim est aliud dicere, quàm quia fuit aliquando, quando veritas non erat, quando sapientia non erat, quando vita non erat; cum in his omnibus perfectè Dei patris substantia sentiatur, quæ quidem quamuis intellectu multa esse dicatur, re tamen, & substantia vnum sunt, in quibus est plenitudo diuinitatis.* rectè arguit mendacii, quia filium, qui veritas est, aliquando negant fuisse. rectè item stultitiæ, quia aliquando sapientiam negant extitisse.

Filius Dei coæternus patri.

Beatitudinis brauium nō nisi post multos agones datur.

In Trinitatis visione felix Beatorum satietas, & simul inexplebilis.

6 De Dei cōtemplatione sic pulchrè. *Per solam Trinitatis confirmationem intueri possumus beatam vitam, in qua cum post multos agones peruenire possimus, ità perdurare debemus, vt nulla vnquam boni illius satietas capiat, sed quantò magis de illa beatitudine percipiemus, tantò magis in nobis, vel dilatetur desiderium eius, vel augeatur, dum semper ardentius, & capacius patrem, & filium, & spiritum sanctum, vel capiamus, vel teneamus.* Nota inexplebilem auiditatem notitiæ de tribus diuinis personis. quid mirū ēcū dicat Esaias de Seraphim: *requiem non habebant clamantes: Sanctus, &c.* & tamen in eo requiescunt beati. rectè autem ait, hoc tantum beatitudinis præmium nō haberi, *nisi post multos agones*: tanquam enim præclaros, ac strenuos Olympionicas Beatos dicit, brauium consecutos.

Ex Libro II. de Incarnatione.

Thren.

1 **H**Ieremiæ locum explicat. *Spiritus vultus nostri Christus dominus, in vmbra eius viuemus in gentibus;) Quia sicut vmbra corporis inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter motus, ac gestus corporis suscipit, & gerit, sic puto, eum animæ Christi opus, ac motum, qui inseparabiliter inhærebat, & pro nutu eius, ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, vmbram Dei hanc vocasse; in qua vmbra nos viueremus. in huius nanque assumptionis sacramento gentes viuunt, quæ imitantes eam per fidē veniunt*

Christi humanitas cur vmbra dicatur sub qua viuamus.

ueniunt ad salutem. elegans similitudo vmbræ corporis sequacis, & susceptæ humanitatis; ac fortasse ideo in Incarnatione dictum Deiparæ: *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Addit item pulchre. Sicut ferrum in fornace totus ignis efficitur, ità anima in Verbo &c.

8 Exponit illum locum psalmi, *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.) Ostendit, quòd ità anima aliter oleo lætitiæ, idest Verbo Dei, & sapientia vngebatur, & aliter participes eius, scilicet prophetæ, & Apostoli, illi enim in odorem vnguentorum eius concurrisse dicuntur; ista verò anima vasculum vnguenti ipsius fuit, cuius fragrantiæ participes illi fiebant digni. Sicut ergo alius est vnguenti odor, & alia vnguenti substantia; ità aliud est Christus, & aliud participes eius; & sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris: ità anima Christi, velut vas, in quo inerat substantia vnguenti, impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem: participes verò eius, cum proximi fuerint vasculo, tantùm odoris erant participes, & capaces; & qui ex odore eius participes, si se paulò longius à fragantia eius amouerunt, inpossibile est, vt non incidant in odorem contrarii. itaque quoniam boni, maliquè eligendi facultas omnibus præsto est, anima Christi ità elegit diligere iustitiam, vt pro immensitate dilectionis ei inconuertibiliter, atque inseparabiliter inhæreret*. exemplum rursus affert de ferro ignito, quod igne superstite frigus non potest recipere, ità nec anima Christi, peccatum: eleganter autem, ac pulchrè dicit diuinitatem tanquam pretiosissimum vnguentum, & suauissimè olens fuisse in Christo, veluti vasculo plenissimo sancti hoc odore allecti certarunt ei proximè inhærere. quò longius quis recedit, non modò eo priuatur, sed in graueolentiam incidit sentinæ vitiorum. Apostoli, virgines, & religiosi, qui relictis omnibus Christum secuntur, & eius fragrantiæ vicinius adhærent, rectè dicũt. *Christi bonus odor sumus in omni loco.*

Christus vas plenissimũ suauis vnguenti plus flagrantiæ referunt, qui magis accedunt.

Euchari stiæ fragantia

9 Ostendit, in hac vita non nisi per vmbratiles formas Deum cognosci. Lucas ait: *Mariæ ab Angelo dictum: Spiritus sanctus obumbrabit tibi. & Paulus de lege dicit, quia similitudini, & vmbræ deseruiunt cœlestium hi, qui carnalem habent circumcisionem. & Propheta, in umbra, inquit, Christi uiuemus inter gentes. uidendum ergo est, ne omnium harum ueritas umbrarum in illa reuelatione noscatur, cum non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem sancti gloriam Dei, & rerum causas, & ueritatem speculari merebuntur.* Vide quàm arcanum sit, & incrutabile incarnationis mysterium, vt ideò inumbratio dicatur. cetera quoque mysteria in hac vita tantùm vmbra sunt cælestium.

In hac vita umbram tãtum cœlestium habemus

10 Pergit in explanatione eadem; *Oleo lætitiæ ungitur, cum Verbo Dei immaculata redẽptione coniuncta est anima Christi, & per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia filij Dei benè, & plenè capax fuit; ideoquè, & vnum cum ipsa est, et eius vocabulis nuncupatur; nam & filius Dei mortuus esse dicitur &c.* nota lætitiam animæ Christi, cum in instanti conceptionis est coniuncta cum Verbo, & cum per hoc vidit se incapacem peccati: & tamen hoc tam ineffabile gaudium ita contemperatum est miro modo in passione, vt diceret; *Tristis est anima mea.*

Christus in incarnatione lætitiæ unguẽto inunctus est

Ex tractatu de Trinitate, & Vnitate Dei.

1 TRium officiorum formas doni Spiritus sancti in Apostolis ostensas dicit. prima pertinet ad ius Ecclesiæ in Episcopis, & sacerdotibus, qui omnia in traditione dominica, per Spiritum sanctũ agere debent. *Quorum remiseritis peccata &c.* secunda in pentecoste data omnibus credentibus, qui tum acceperunt Spiritum sanctum. tertia solis Apostolis initiò insignis, ac virtutibus facta: *vsque dum fidei semina iacerent ad crementum: semina enim fidei sunt virtutes per Apostolos factæ.* præclarè ait, miracula esse fidei semina. ità apud barbaras gentes nuper accidit per Apostolum Indiarum Xauerium, vnde tantæ fruges animarum extiterunt: multum enim ad hoc contulit multitudo, & magnitudo miraculorum.

Tres officiorum formæ in Ecclesia per Spiritũ sanctũ datæ

2 Mortem Christi non obfuisse diuinitati, docet. *Mors Christi non est diminutio diuinitatis, sed depositio corporis: sicut enim qui vestimenta conscindit, induto facit iniuriam; ità qui carnem eius crucifixerunt, diuinitati ipsius contumeliam intulerunt.* pulchrè quasi regium paludamentum facit Christi carnem, quo Deus indutus sit, & vt tunica clauata purpuratorum, ità clauis ferreis contexta, sed auro pretiosioribus.

Christi caro paludamẽtum regium diuinitatis.

3 *Item æqualitatem personarum in* Trinitate ostendit. *Ioannes dicit vniuersè: Pater in me manẽs facit opera, & Matthaus: In Spiritu sancto eiicio dæmonia. de Patre dicit Apostolus: Qui suscitauit Iesum à mortuis. & Ioannes: Soluite templum hoc, & triduo resuscitabo illud. quis autem ità desipiat, vt putet Spiritum sanctum resurrectioni hominis Christi non fuisse cooperatum, cum ipsum in virgine Maria fuerit operatus?* rectè adnotat indiuisibilia esse opera Trinita-

Spiritus sanctus cooperatus est Christi resurrectioni.

nita-

nitatis ad extra; ac proinde & Spiritum sanctum cooperatum resurrectioni Christi in sepulchro, vt conceptui in vtero virginis. nam similia in multis fuerunt; ex vtero enim, & sepulchro clausis exiit.

4 Facit hoc ad dignitatem hominis etiam vt corporei. Ait Apostolus *corpora vestra templum sunt Spiritus sancti.* Nec *Salomonis templum tam acceptabile Deo, quàm hoc.* mira dignitas. nam templum illud totum erat auro collucens, tam affabre factum, tot sculpturis insignitum &c. & quod præcipuo est, de eo dicit: *& erunt oculi mei, & cor meum ibi.* quàm igitur sanctè, castèque corpus seruandum?

Corpus hominis nobilius têplo Salomonis

Ex tractatu de Essentia Diuina.

1 PVlchrè Dei naturã describit. *Deus extra omnia, sed non exclusus; intra omnia, sed non inclusus, &c.* tum exponit mysticam interpretationem, quid indicet, ac significent, quæ de ipso dicuntur nostro more. *Dei caput essentiam diuinitatis significat; capilli Angelos, & electos. Capilli, inquit, eius quasi lana munda & vestimentum, vt nix: hoc significat per vestimentum eius cãdidum, quod & per capillos capitis, sanctos videlicet Angelos, & multitudinem sanctorũ dealbatorũ* subiungit: oculos dicitur *Deus habere, quia omnia ei aperta; aures, quia auris zeli audit omnia.* nares, quia inspirat in corda fidelium; facies Dei cognitio, quæ de eo habetur. posteriora Incarnatio; os Dei Christus Verbum Dei; lingua Dei, Spiritus sãctus qui & calamus: labia vtriusque testamenti consonantia; brachium Dei filius, & Ieremias ait: *eduxisti in brachio excelso populum tuum.* iccircò autem filius Dei brachium eius dicitur, quia omnis creatura electa ab ipso continetur. *Sicut lutum, inquit, in manu figuli, ità & vos in manu mea Israel.* digitus Dei est Spiritus sanctus, à quo lex scripta dicitur, ipse enim scripsit, qui scribenda dictauit, & Lucas ait: *in digito Dei eiitio dæmonia.* & Mattheus: *in spiritu Dei.* at in plurali digiti prophetę intelliguntur, per quos Spiritus sanctos libros legis ab sua inspiratione descripsit. pende singula, & ad rem tuam transfer. Vides Angelos, & sanctos Deo cohærentes capillos dici Dei, & instar lanæ ob mansuetudinem; fouent enim nos exemplo, protectione, & c.

Dei natura qualis sit.

Daniel. 7

Angeli, sancti per Dei capillos expressi.

Quid sit in Deo oculi aures, digiti &c.

Ieremi 19

2 Differentiam ostendit, qua Dei imago dicitur, & de filio, & de nobis. *Aliter est imago Dei patris in filio suo, hoc est quem nõ aliunde sed ex substantia sua per omnia sibi similem genuit, & æqualem: aliter verò in anima hominis, quam non ex se, idest de substantia sua, sed ex nihilo creauit; sicut aliter est imago Regis in filio, quem ex se genuit sibi similem, aliter in annulo eius, siuè in cera imago eius impressa, quæ non est hoc quod ipse sicut filius, qui natura est hoc, quod pater.* nota ingens discrimen; nam Dei filius substantialiter exprimit patrem summum vniuersitatis regem, nos vt cera, vel annulus: huc refer illud ad Iechoniam dictum. *si fuerit Iechonias sicut annulus in manu mea &c.* est tamen hoc ipsum egregium, & insigne, vt aureo regis annulo, ac signaculo comparemur: certè, & vt annuli aurei esse debemus pretio virtututis, & insignes signaculo Christi.

Dei imago subst tialiter in Verbo in nobis uelut in annulo regio.

3 Pergit ad reliqua, quæ de Deo mystice dicuntur. *Cor Dei patris arcanum sapientia eius mysticè innuit, ex quo Verbum idest filium suum sine initio genuit: Eructauit, inquit, cor meum Verbum bonum:* hinc collige, cur pater intonuit: *hic est filius meus dilectus, &c.* nempè quasi ex vtero cordis enatus, & tamen ad passionem pro nobis misit; quamobrem rectè id Ioannes exagerat: *Sic Deus dilexit müdum, vt filium suum unigenitum daret* sequitur. *Alas habere dicitur Deus, pro eo quod sicut auis, electos suos tanquam pullos sub se colligit, fouet, & ab insidiis Diaboli, & malorum hominum protegit, iuxta illud psalmi: sub vmbra alarũ tuarum protege me.* huc refer illud: *sicut Aquila expandit alas suas &c.* Addit: *Scapulas habere dicitur, quia infirma membra Ecclesiæ patienter, quasi in scapulis suis portat, & portando protegit: scapulis, inquit, suis obumbrabit tibi.*

Quid sit in Deo cor, quid alæ.

4 Reliqua sic interpretatur. *Venter Dei patris secreta origo substantiæ, vel sciẽtiæ eius accipitur, ex qua origine ineffabili ante omnem creaturam filium suum genuit: Ex vtero, inquit, ante Luciferum genui te.* Vel venter occulta *Dei* iudicia & inscrutabilia indicat, iuxta illud Iob. *De cuius vtero egressa est glacies?* subiungit. *Pedes Dei stabilimentum virtutis, ac potentiæ eius sũt, eò q vbique præsens sit, et vniuersa illi subiecta terra. Vel pedes Incarnatio, quæ diuinitati subiecta est tanquã capiti pedes; nã p caput diuinitas exprimitur. Viderunt, inquit, sub pedibus eius opus lapidis Sapphirini; sicut autem per lapidem sapphiri cœlestes creaturas idest Angelos sanctos, ità per cœlum serenum sanctam electorum Ecclesiam ex hominibus assumptam mysticè demonstrare voluit: super quas duas creaturas homo assumptus à filio Dei in perpetuum regnat.* Vel per pedes *Dei* significantur prædicatores. hinc ait; *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.* pulchrè Angelos per sapphires intelligit ob naturæ pretium, & pulchritudinem. sed mirum quod cum apud veteres imperii typus, & insigne fuerit; sapphi-

Quid sit in Deo venter ac pedes

Angeli Sapphiris comparari substratis Dei pedibus.

Exod. 24

Ecclesia serenum cęlũ est.

Sapphirus, dicatur Dei pedibus; adeo Deo subiecti esse gaudent cœlestes spiritus pulchrè etiam Ecclesia serenum cœlum dicitur Spiritu sancto diffonto nubes errorum.

Caro Christi indimentum diuinitatis purpureum.

5 Interpretatur Deo adiacentia, *Vestimenta filii Dei aliquando eius caro est. vnde Esaias, Quis est iste qui venit ad Edon, tinctis vestibus de Bosra? vel Ecclesia sancta per fidem, & dilectionem ei coniuncta; palliū Dei Ecclesia est; lauabit, inquit, in vino stolam suam : & in sanguine vuæ pallium suum, hoc est in sanguine passionis carnem suam.* calceamenta Dei mysticè significāt Incarnationem; *In idumaam, inquit, extendam calceamentum meum*. ob gentilium, scilicet conuersionem: gressus autem Deo aduentum in Mundum, & regressio ad trem, quò spectat illud, *visi sunt gressus tui Deus &c.* pulchrè Christi carnem regium quandam traheam, ac purpuram facit diuinitatis; vnde ait Apostolum dicitur, *Induimini dominum nostrum Iesum Christum*, vt & nobis dicatur. *ego dixi Dii estis, & filij excelsi omnes*.

Dei solū sunt non Angeli non doctores Ecclesiæ

6 Cetera, quæ de Deo dicuntur, sic exponit. *Ostendere dicitur Deus faciem suam, cum respectu gratiæ suæ, quibus vult electis scilicet suis se ipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit subiungit sedet super cherubim; in illis enim sedet siuè Angelis siuè spiritualibus viris, qui scientia eius, & dilectione pleni sunt; Cœlos inclinat, & descendit, quia ante aduentum suum prænuncios Angelos, siuè prophetas misit, qui eius aduentum nunciarent hominibus. Caligo sub pedibus eius, quia impij à sua malitia excæcati, Incarnationem eius agnoscere non potuerant*. egregiè interpretatur Dei solium siue thronum dicitur cherubim tum viros doctos simul ac pios. talis cherub Thomas Aquinas; tales Dei sedes regiæ in primis Augustinus ipse ceterique doctores.

7 Varios modos ostendit, quibus loqui dicitur Deus, *loquitur Deus vel per subiectam creaturam, sicut ad Mosen in Rubo &c. vel in somnis, vt ad Iacob; vel occulta tantum inspiratione inuisibiliter corda sanctorum tangendo, vt in prophetis*.

Christa dulcis nos frui

8 Concludit puod de Dei significatis instituerat. *Dormire Dei est, cum vnigenitus filius in assumpta carne pro nobis mori dignatus est, cuius mors rectè dulcis somnus ppædictus est ipso dicente per Ieremiam Quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi*, Nota dulcis Christo mors fuit, ideò felleum poculum in cruce, *cum gustasset noluit bibere*, ne videlicet mortis dulcedinem violaret, ideò de sua morte tanquam de mellificio loquitur, *circumdederunt me sicut apes*.

Iere, 31.

Matt. 27

Ex tractatu de F de rerum Insibilium

1 Arguit dicentes non esse credendum, quia non videntur res fidei; at multis credimus, quæ oculis non videmus, vt in amici cogitationibus accidit: nescitur enim an verus amor sit, item in historiis, quod si ibi sunt indicia, & ideo creditur multò magis in fide sunt prophetiæ, quas impleri videmus, vt de Ecclesiæ propagatione, & idololatriæ destructione, ex quibus medijs debemus credere præterita, & futura, tum sic pulchre per prosapopeiam si Ecclesia loqueretur, sic diceret, *Ego, quā miramini per vniuersum mundum fructificantem, atque crescentem, aliquando non fui sed quia Abrahæ olim facta promissio à Deo est; In semine tuo omnes gentes benedicentur &c. & ecce in Christo benedici omnes gentes eam videtis &c.* rectè ex veritate prædicationis iam completæ de propagatione Ecclesiæ colligit eam in vera fide fundari.

Oraculum cōpletum de propagatione Ecclesiæ multum facit ad fidem adstruendā.

10 Rursus fidei veritatem sic probat: Videmus, inquit, inter cetera impleta, quæ continet psalmus: *eructauit cor meum verbum bonum &c. vbi dicitur, omnis gloria eius filiæ regis intrinsecus: quæ, & oculos extraneorum fulgens fama prædicatorum suorum in diuersitate linguarum, velut in fimbriis aureis, & vestis variata te perstringat*. pulchrè hoc, & ad Dominici, hoc est prædicationem ordinem spectat, & ex nostro ad Indiarum apostolum Xauerium qui fama prædicationis, & fulgore miraculorum perstrinxit exterarum gentium oculos & fimbriis acireis, hoc est dono variarum linguarum dotatus est, quò refert fimbriam pontificis aureis tintinnabulis sonoram; est enim societas Iesu extremo loco condita.

Gloria filiæ regū idest Ecclesiæ per famā prædicationis diffusa.

11 Pergit in eiusdem loci explicatione, *Omnis gloria filiæ Regis intrinsecus.*) *dum scilicet Ecclesia in sanctis suis in interiore homine renouatur de die in diem*, Vide in quo posita sit gloria Ecclesiæ vt intrinsecus semper in maiorem pulchritudinem renouetur philosoohim veterum ceteræ sectæ si quid moralis virtutis præseferebant totum extrinsecus in superficie extat. Item internum spiritus renouationem ad religionis decus maximum facere dixeris Rursus de Ecclesiæ propagationem, *Ecclesia diffamata vbique odore bono eius, etiam consecrandæ virgines adducuntur ad Christum, de quo dicitur; Adducentur Virgines post eam, & ne quasi captiuæ in aliquem veluti carcerem viderentur adduci;*

Decus Ecclesiæ in interna spiritus renouatione consistit.

ad

adducentur, inquit, in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis. facit hoc pro sanctimonialibus Christi sponsis, quæ tam hilariter se in parthenone vltro dedicarunt, non coactæ à parentibus, vt interdum fit.

4 Et hæc pulchra prosopopeia est. Vox Ecclesiæ illa est: *Si hæc videtis, quæ longè ante prædicta, & tanta manifestatione completa sunt, me attendite, quam videtis, etiam si videre nolitis. an vobis inane, vel leue uidetur, & nullum, uel paruum putatis esse miraculum diuinum, quod in nomine Christi unius crucifixi uniuersum genus currit humanum?* præclarè ait, neminem vel gentilem posse dissimulare, se nescire Christianam Religionem, cum adeò vbique floreat, & emineat; nec posse quemquam de eius veritate dubitare, quam vel hoc ingens testatur miraculum, quod ad prædicationem Christi, opprobriis, & pœnis acerbissimis affecti, & crucifixi, tanto numero, & alacritate vniuersum genus currat humanum, quod & nunc fit apud ipsos barbaros.

Magnu miraculum credulitas tot nationum Christu crucifixum pro Deo habentium

5 Huc item pertinet quod addit. *Etsi de Christo, & de Ecclesia testimonia nulla præcederent, quem non mouere deberet, ut crederet, repentè illuxisse diuinam humano generi claritatem, quando uidemus relictis Dijs falsis, confractis simulacris, templis subuersis, tot uanis ritibus expiatis, unum uerum Deum ab omnibus inuocari? & hoc esse factum per unum hominem ab hominibus illusum, uinctum, flagellatum, expoliatum, exprobratum, crucifixum, occisum, & per discipulos eius idiotas, & imperitos, & piscatores, & publicanos, per quos eius magisterium commendaretur, electos, qui Euangelium linguis omnibus, quas non didicerant, impleti Spiritu sancto sonuerunt; & sic ad hoc Euangelium corda conuersa, mortalium etiam sapientum, & excelsorum, ut etiam contra ipsā fidem catholicam nulla secta peruersa exoriatur, ut non affectet, atque ambiat Christi nomine gloriari: quod ideo sinitur, ut exerceat sanam, & ipsa contradictio disciplinarum.* rectè ait, magnum argumentum nostræ fidei esse, quòd idololatria, tam vetusta, tam penitus insita, non per armatos, non per philosophos, sed per piscatores destructa sit, & in nihilum redacta, sæuientibus frustra tyrannis in Martyres.

Argumētum veræ fidei destructio idololatriæ renitentibus frustra tyrannis.

6 Tum sic de vera fide concludit. *Quis ergo nisi mirabili dementia cæcatus, aut mirabili pertinacia durus, ac ferreus, nolit habere sacris literis fidem, quæ totius Orbis prædixerunt fidem? Hieremias ait: Ad te gentes uenient ab extremis terræ &c. uerè mendacia coluerunt patres nostri, &c.* Certè hoc nostra ætate vidimus, cum ex vltima Iaponia Romam principes legati venerunt, Gregorio XIII. hierarchæ fidem profitentes. rectè autem adhuc peruicaces durus, ac ferreos vocat. nempe, *testimonia tua credibilia facta sunt nimis:* est porrò, & illud argumentum fidei veritatis, quod quæ euenerunt, respondeant oraculis antecedentibus: Denique ait, non debere obstare, nec deterrere ab accipienda fide, quod sint hæretici, & mali Christiani permisti: nam Ecclesia dicitur in Cant. *sicut lilium in medio spinarum*, non autem in medio extraneorum.

Post tot fidei veritatis testimonia non credere duri ac ferrei ingenii est

* Ex Tractatu de Substantia dilectionis, & amoris

1. Eleganter de dilectione distinguit. *Vnus fons dilectionis intus saliens duos riuos infudit; alter est amor, Mundi cupiditas, alter est Dei charitas; medium quippe est cor hominis, vnde fons amoris erumpit, & cum per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas appellatur; cum verò per desiderium ad interiora dirigit, charitas. ergo sunt duo riui, qui de fonte animi emanāt, cupiditas, & charitas, illa omnium malorum, hæc omnium bonorum radix.* Vides cor hominis esse veluti scaturiginem quandam, vndè duo riui profluant, cupiditas, & charitas; mirus ille fons apud Plinium: simul, & accendens faces extinctas, & incensas extinguens similiter fit in anima. illud proprium charitatis, hoc cupiditatis.

Cor veluti fons vnde duo emanant riui cupiditas, & charitas

2 Amorem sic egregiè definit. *Amor est delectatio cordis alicuius ad aliquid propter aliquod desiderium in appetendo, & gaudium in perfruendo: per desiderium currens, per gaudium requiescens: hinc bonum est, & hinc malū est cor hominis.* ex hoc colligi potest an Deum amemus, si ad eum per desiderium currimus, & si per gaudium in eo requiescimus, non in creaturis.

Amoris egregia definitio

3 De suauitate charitatis sic eleganter. *Omnipotens Deus, qui summum bonum est, hominem suę beatitudinis participem fecit, qua, vt perfrui aptus esset, fecit in eo dilectionem spiritalem, palatum cordis quodammodo, per hanc sanctificans ad gustum dulcedinis internæ, vt per eam dilectionem suæ felicitatis iucunditatem saperet, eique infatigabili desiderio inhæreret.* pulchrè de palato cordis, quo dulciter nobis sapit Deus; nisi illud, vel cupiditatis veneno corrumpamus, vel iracundiæ felle.

Dilectio spiritalis palatum cordis.

4 Elegans planè, & hæc dilectionis Dei descriptio est. *Per dilectionem copulauit sibi Deus creaturam, vt ei semper inhærendo, ipsum, quo beatificanda erat, bonum*

ex

Apiculæ instar sugere debemus Dei suauissimâ dilectionem.

ex ipso quasi per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & in ipso semper gaudium possideret: ò apicula suge, suge, & bibe dulcoris sui inenarrabilem suauitatem. immergere, & replere, quia ille deficere nescit, si tu non incipias fastidire. adhære ergo, & inhære, siue fruere: si sempiternus gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit. pulchertimus, inquam, hic locus est de dilectione Dei, vbi nos ait, tanquam apiculas sugere debere suauitatem dilectionis Dei, videlicet tanquam ex flore gratissimo iuxta illud Cantic. *ego flos campi*, siue saturitatis, vt alii vertunt: His addit, *dilectionis vinculum, quod ligat creaturam cum Deo, tantò felicius, quantò fortius, propter quod vt nexus, & concordia perfecta habetur, geminatus est nexus charitatis, Dei & proximi.* nota, cur duplex voluerit esse vinculum charitatis, vt scilicet esset insolubilius.

Charitas Dei, & proximi duplex vinculũ vt sit firmior dilectio, et insolubilis.

5 Exponit illud Cant. *Ordinate charitatem*) sic legit. *Quid est ordinate charitatem? si desiderium est amor, benè currat; si gaudium, bene requiescat. tria sunt quæ amari benè vel malè possunt, Deus, proximus, & Mundus. Deus super nos est, proximus iuxta nos, Mundus subter nos: tria Deus, duo proximus, vnum Mundus habeat in cursu desiderij nostri: amor namq; per desiderium, & de Deo, & cum Deo, & in Deum ordinatur. currere potest, de Deo currit, quando de eo accipit, vnde diligit &c. de proximi verò salute gaudet, cum proximus in via Dei currit, sed non in proximum spes nostra conferenda. vnum est Mundi, de ipso scilicet, de eius pulchritudinem contemplando currere ad Deum, sed non cum ipso, nec in ipsum etc.* Nota, acutè, ac pulchrè de dilectione distinguit, ordinemque in amando demõstrat. tria, inquit, in Dei dilectione quisq; consideret: vt de Deo accipiat, vnde diligat, & vt cum Deo iungatur, & vt in Deũ tendat: duo in proximi dilectione, vt de proximi salute gaudeamus, & cũ proximo gratulemur. vnum denique in Mundi dilectione, vt ex eius pulchritudinis contẽplatione, ad Dei pulchritudinem referamus animum, nec cum ipso Mundo nostra sit conuersatio, aut in ipso delectatio, ei inhærendo, ac sistendo in eo.

Ordo dilectionis in quo consistat pulchrè ostenditur.

6 Et hoc pulchrè de amore: *Vita cordis amor est, & idcircò impossibile est vt sine amore sit cor, quod viuere cupit: si se mens diligit, quia in se perfectum bonum, non inuenit, felix amor non erit; si aliquid extra se imperfectum, amorem quidem suum irritat, sed miseriam non excludit: feliciter ergo non diligit, donec ad vnum, & summum bonum, qui Deus est, per amoris desiderium se conuertat, & in eo vt nihil vltra appetat, firmissimè requiescat.* acutè, & præclarè ostendit dilectionem in Deum tendere debere, non in res creatas. nã si se diligat anima, non expletur, quia non possidet totum bonum, cum sit semper capax maioris. et si diligat cetera creata, cum nihil inueniat vsquequaque perfectum, non sit ei satis. ac pulchrè sanè ait, *impossibile est, vt sine amore sit cor, quod viuere cupit*. ergo vt beate viuat, id diligat, quo potest impleri: hoc nihil est præter Deum.

Cor sine amore viuere non potest.

Cordis amor nõ nisi Deũ diligendo expleri potest

7 Eleganter admodũ hoc de fide. *Mũdus iste quasi quoddã diluuiũ est, eò quod omnia ad aquæ similitudinẽ incertis euẽtibus fluctuando decurrunt. vera autẽ fides, quæ æterna promittit, ab huius Mundi cupiditate in superna animum attollit. nauem igitur fidei siue arcam in corde suo ædificare debes, vt e naufragio in portum salutis appellas. porro cum ea, quæ ad salutem nostram attinent, partim per homines, partim per Angelos, partim per semetipsum operatus sit Deus, in hac arca spirituali prima sit mansio opera hominum, secunda opera Angelorum, tertia opera Dei. supremus cubitus ipse auctor vniuersorum Deus.* pulchrè Mundum quasi fluctuans mare facit ob instabilitatem; fidem autem tamquam arcam Noeticam. sicut igitur aquæ tunc non modò non obruerunt arcam, sed potius eleuauerunt super altissimos montes: sic consideratio instabilitatis huius Mundi nos ad superna, & æterna debet attollere. & sicut in arca erãt tres mansiones, ita tria à nobis consideranda, quæ Deus ad salutem nostram direxit: opera hominum, per exempla, & hortamenta sanctorum; opera Angelorum; per eorum custodiam, illustrationem, protectionem. opera Dei, siue naturalia, qualis & Mundi huius pulcritudo, & vsus, siue supernaturalia, vt Incarnatio Verbi, & Sacramenta, & miracula &c. & sicut arca illa in cubitũ desinebat, ita fides nostra in ipsum Deum. porro hæc præclara fidei nauis, & tot Martyrum victoriis laureata pulchrè conferri potest cum ornatissima illa Tyri naui apud Ezechielem.

Fides nauis seu arcę Noe comparata.

Ex libro de Continentia.

1 EXponit locum Apostoli: *Sentio, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*) *Hanc pugnã non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum, debellatoresque vitiorum:* nam mundani tunc se beatos putant, eum concupiscentiis cæci seruiunt. Addit eleganter, ac pulchrè. *Tales milites Apostolica tuba isto sonitu accendit ad prælium; Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore &c. neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ*

Deo

Paulus Apostolica tuba acuens ad spiritale bellum.

Deo. Vide, vt Paulus in acie præconis instar tubæ nos acuat ad bellum contra concupiscentiam sub imperatore Deo. sed mirum quod membra nostra tam mollia, vocet arma, quibus strenuè pugnemus: ità sanè caro fit ærea, & adamantina per Dei gratiam. eodem spectat quod sequitur. *Tuba vtique canit, bellum in quo versemur, ostendit, & vt acriter dimicemus, hostesque nostros mortificemus, ne ab ipsis mortificemur, accendit. denique in hoc prælio aduersus carnalem quodammodo exercitum, idest opera carnis, velut aliam producens aciem spiritalem: Fructus, inquit, spiritus, est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia; vltimo loco posuit continentiam, quia præcipuè voluit eam nostris mentibus inhærere.* pulchrè conflictum demonstrat inter opera carnis, hoc est vitia, & virtutes, tanquam oppositas acies; & vt milites vltimi fortissimi erant Triarii dicti, in quibus nitebatur spes victoriæ; ita vltimo loco posuit continentiam.

Continentia quam eximia virtus sit.

Nemo in spiritali bello tam fortis, vt sit omnino inuulnerabilis

2 Negat victoriam nostris viribus acquiri posse sine gratia. *Cum audis: Peccatum vobis non dominabitur, noli de te confidere, sed de illo, cui Sanctus quidam dicit, Non dominetur mihi omnis iniquitas. ideò Apostolus statim subiecit; Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* acutè adnotat, nos à tyrannide peccati liberari non posse sine Dei auxilio. addit pulchrè. *In hoc tam magno prælio, in quo viuit homo sub gratia, & cum bene pugnat adiutus, exultat in domino cum tremore; non desunt tamen etiam strenuis bellatoribus, & operum carnis quamuis inuictis mortificatoribus aliqua vulnera peccatorum, propter quæ sananda quotidie veraciter dicunt. Dimitte nobis debita nostra.* Nota, vt sub Gratia stipêdia mereamus, & si quæ vulnera accipiamus, ab ea sanemur; nemo mortalium prorsus inuulnerabilis, sed in promptu adest medicina magnũ certe pondus est in illis verbis: *Quamuis inuictis mortificatoribus operũ carnis non desunt aliqua vulnera peccatorum.* quid si non sit mortificationis amans?

Excusatio peccati validissimũ diaboli telum.

3 Arguit excusantes peccata. *Contra diabolum principem, regemque vitiorum multò vigilantius, & acrius oratione certandum, dum instigat ad excusanda potius peccata, quàm accusanda; ac sic illa vulnera non modò non sanentur, sed etiam si mortifera non erant, grauiter, & lethaliter infligantur. hinc Dauid: Non declines, inquit, cor meum ad excusandas excusationes in peccatis.* est hoc valdè notabile malum excusationis: quasi validissimũ diaboli telũ, vt propterea multa vigilãtia, & orationis præsidio vtendũ dicat. nã sicut leue vulnus nisi aperiatur, & sanies extrahatur, euadit malignum, & mortiferum; ità & leue peccatum, nisi confessario, vel prælato pateat, vt curetur. itaquè, eleganter concludit: *Nolens se fateri esse reum, addit potius ad reatũ.*

4 Oppugnat diuersos excusandi prætextus. *Alij se fato ad peccandum queruntur impelli, tanquam hoc decreuerint sidera, & cœlũ potius talia decernêdo peccare dicũt; alii Fortunæ malunt imputare, quod peccant qui omnia fortuitis casibus agitari putant; nec tamen hoc fortuita temeritate, sed perspecta ratione sapere, atque asseuerare contendunt. qualis ergo dementia est, disputationes suas rationi tribuere, & actiones suas casibus subiugare? alii totum quod male faciunt, in diabolum referunt, nec volunt cum illo habere vel partem. sunt qui excusationem suam extendunt in accusationem Dei, diuino iudicio miseri, suo autem furore blasphemi; nam aduersus eum ex contrario principio inducunt mali substantiam rebellantem, cui non potuerit resistere, nisi substantiæ, naturæque suæ partem eidem rebellanti contaminandam, corrumpendamque miscuisset; & tunc se peccare dicunt, quando natura mali præualet naturæ Dei.* Vide ad quam impietatem inducat excusatio, & quæ subterfugia frustra quærat: Addit: *Sunt & qui in excusatione accusent Deum, vt dicant, ei placere peccata; nam si displicerent, nullo modo ea fieri omnipotentissima vtique potestate permitteret. sed contra est: nam cur punit ista, si placent?* immò punit etiam in ijs, qui non damnantur: *habet quippè peccatum pedissequam pœnam suam;* dolore enim opus est, aut temporali, aut sempiterno: huc refero illud ad Cain dictum; *In foribus aderit peccatum tuum:* ad ianuam expectat, vt pœna pedissequa comitetur quocunque eas. acutè autem illud arguit. fortuitò omnia fieri dicunt, tamen hoc ipsum non fortuitò, ac temerè, sed consultò, & data opera affirmant.

Varia genera excusationum de peccato uel uana uel impia.

5 Docet, cur Deus peccata permittat. *Perfecti intelligunt ad omnipotentiam Dei potius id pertinuisse, vt ex libero arbitrio voluntatis venientia mala esse permitteret. tanta quippè est omnipotens eius bonitas, vt etiam de malis posset facere bona, siuè ignoscendo, siuè sanando, siuè ad vtilitates piorum coaptando, atque vertendo, siuè etiam iustissimè vindicando. sæuiunt hostes, de eorum sæuitia facit Martyres.* acutè arguit, quòd aiebant ad omnipotentiam Dei spectasse, vt hominem à peccato immunê faceret; immò hoc omnipotêtis est, posse facere ex ipsis malis bona, quod quadrupliciter facit: vel ostendêdo pietatem, dum ignoscit; vel peritiam, dum sanat; vel sapientiam, dum in aliorum vtilitatem vertit; vel iustitiam, dum vlciscitur, inter hæc autem bona

Cur Deus pecca ta permittat nec impediat.

præcipuum est martyrium Tum sic concludit: *Non defuit Deo potestas talem facere cui adiaceret peccare si vellet, non peccare, si nollet, hoc prohibens, illud præcipiens, vt prius esset illi bonum meritum non peccare, & postea iustum meritum non posse peccare.* tales sunt Angeli, & iusti post hanc vitam, nota etiam varios modos, quibus mala Deus ad bonum dirigit.

6 De fomite hæc habet, contra Manichęos, qui illud Apostoli: *Caro concupiscit aduersus spiritum &c.* dictum putabant. *Ob duas naturas ex contrarijs inter se principiis cōfligentes, vnam boni, alteram mali:* at vtraque natura bona est, & carnis & spiritus: *verùm in hac bona hominis, & à bono condita natura nunc bellum est; quoniam sanitas nondum est; languor sanetur, pax est. languorem istum culpa meruit, natura non habuit, quam sanè culpam per baptismum gratia iam remisit, sed sub eiusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore cōfligit. in tali pugna sanitas erit tota; victoria, nec temporaria, sed æterna: iuxta illud: Benedic anima mea dominum &c. qui sanat omnes languores tuos.* eleganter de fomite, quē quasi natura conflictum dicit cum suo languore. quid æger miles in acie aget? sed gratia præsto est ex languido fortem reddens, ex deside acrem, & vegetum.

Fames intestinum bellū ex culpa ortum.

Naturę cum suo languore confligitus fomiti resistēdo.

7 Pergit ostendere naturam ex se malam non esse, ex eo quod fomitem habeat. *Non est ista prior vita creati hominis, sed posterior pœna damnati. à mali reatu iam solutus est homo per indulgentiam, sed ne leue existimet esse quod fecit, adhuc cum suo vitio pugnat.* Nota, cur tanti belli molestiam permiserit Deus, vt peccatum detestemur, cuius causa tantum vexamur. *sed in cœlo pax summa erit. quid mirum quando, & in hac vita, in isto bello quotidie minuuntur in proficientibus, non peccata solùm, sed ipsæ concupiscentiæ, cum quibus non consentiendo confligitur.* hinc collige, quanta esset in Aloysio nostro vel adolescente perfectio, quantum robur, qui in hunc hostem dominium habuit: meritò Angelici nomen sortitus, quasi iam penè inter victores in cœlo insertus, quod multò magis Thomæ Aquinati competit ob Angelici baltei donum.

Cur Deus permiserit relinqui enim peccato remisso.

Thomæ Aquin, & Aloysij Gonsagæ castitas.

8 Exagitat Manichæos, dicentes Christum non habuisse veram carnem, quia carnis natura mala. *Quomodo igitur est in Apostolorum doctrina veritas, quæ id prædicat, quod in carne Christi erat falsitas? quomodo in Christo non erat vllum malum, in quo erat tam grande mendacium? dicente: palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* acutè arguit, præsertim cum idem dixerit, *ego sum veritas.* Tùm ostendit carnem ex se malam non esse, ex eo quod Paulus moneat non debere esse scissuras inimiciarum in anima, exemplo membrorum, quæ eas in se non patiuntur. atqui & idem vult offerri corpora nostra, *hostiam viuam, sanctam, Deo placentem*. malum igitur non nisi ex culpa est. alioquin quomodo caro in hostiam acceptabilem Deo cedere posset?

Luc. 24. 1. Cor. 10 Rom. 10.

Cato ex se mala nō est cū possit horrit Deum.

9 *Non omnem continentiam laude dignam dicit, nisi quæ ex virtute, nam & hæretici, & superstitiosi id agunt, & quidā non attingunt vxores suas, dum quasi mundi per magicas artes peruenire ad vxores moliuntur alienas.* Nota diaboli versutiam, persuadebat Magos mundos fieri, vt fierēt immundissimi, adeò non audebat sine velamento munditiæ ad inquinamenta procedere.

Cōtinentia ea laudabilis quæ ex virtute est.

10 Matrimonium concessum, ait, vt intemperantiæ frænum. *Concupiscentiam carnis relaxare solet: continentia coniugalis, eiusque frænis hactenus moderamen imponere, vt nec in ipso coniugio immoderata licentia diffluatur; sed custodiatur modus.* mox addit, *continentia moderatur, & quodammodo limitat in coniugibus carnis concupiscentiam, & eius inquietum, atque inordinatum motum certis quibusdam finibus ordinans benè vtitur hominis malo, quem facit, et vult perficere bonum: sicut etiam Deus vtitur hominibus malis propter eos, quos perficit bonos.* Vide in quo Deum imitatur cōtinentia coniugalis quod autem frænum vocat, scilicet carnem calcitrosæ equæ instar, & præcipitis coercet, ne vaga libido sit in alienas. in coniugio autem ipso rectè monet, etiam frænum esse debere, & modum, nam vt quidpm aiebat, potest quis ebrius fieri, etiam ex proprio dolio.

Matrimonium datum vt frænum intemperantiæ.

11 Denique de continentiæ necessitate sic pulchrè. *Hæc magna intentione res agitur. carnalibus motibus, et delectationibus prauis suauitate sanctitatis spiritali vigore, et continentiæ decore resistitur: sic illæ deponuntur, dum ab hac premantur; quisquis quasi securus cessauerit, illico in arcem mentis illæ prosilient, atque hanc in suam redigent seruitutem, turpiter deformiterquè captiuam.* rectè, et eleganter carnis delectatio ni suauitatem opponit spiritus, et hostili concupiscientiæ continentiam bellatricem. alioquin libido victrix arcem mentis occupabit, & explicato cupidinis vexillo mentem ipsam captiuam faciet: quo refert illud. *non regnet peccatum in vestro mortali pectore.* egregiè autem ait; *Hæc magna intentione res agitur.* itam acre bellum strenuè, non remisse confici debet.

Ex

Ex libro de Patientia;

Deus tã patiẽter nos ferẽs monitor est patiẽtiæ.

1 DE patientiæ dignitate sic. *Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, vt etiam ipsius, qui eam largitur, patientia prædicetur. Dei patientiam, qua malos, vt corrigantur, expectat, verbis explicare quis possit?* quid mirum? *Deus charitas est*, & de charitate dicitur, *Charitas patiens est, benigna est, &c.* vbi nota, Deum, vt ostendat quàm sibi grata sit patientia, ipsum primum eam exercere velle, peccatores sufferendo.

Vera patientia quæ sit.

2 Hortatur ad tolerantiam veram; quæ est cum virtute, quando pro falsis diuitijs, & honoribus, immò pro sceleribus tanta perferuntur, vt de Catilina dicitur, *quod famem, sitim, frigus, ferre poterat. eius corpus erat patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quàm cuiquam credibile est, in quibus est miranda duritia, neganda patientia: nam hæc comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ.* nempe causa notanda est, non enim ait Christus: *in patientia vestra possidebitis villas vestras, cupiditates &c. sed animas vestras. si ergo tanta suffert anima, vt possideat, vnde pereat, quanta debet sufferre ne pereat?* pulchra conclusio, & elegans. Addit: *Si tanta suffert pro salute carnis inter manus secantium, siuè vrentium Medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum? &c.*

Patiẽtiæ robur, & merces quanta.

3 Patientiæ robur, & mercedem venustè proponit. *Cum torquent mala, sed non extorquent opera mala, non solùm anima possidetur, sed ipsum corpus, dicente Domino: & capillus de capite vestro non peribit:* in resurrectione videlicet, *quia per dolorem, & mortem corporis inuiolabilis sanitas, & felix immortalitas comparatur.* venusta est antithesis: *torquent mala, sed non extorquent opera mala &c.* idest afflictio non eam vim habet in iusto, vt à virtute desciscat.

David patiẽtiæ exemplũ egregiũ.

4 Affert exempla patientiæ. *Hac sanctus Dauid conuiciantis opprobria tolerauit, & cum posset vlcisci, non solùm non fecit, sed alium pro se dolentem, commotumquè compescuit; ac potestatem regiam magis adhibuit probibendo vindictam, quàm exercendo.* Nota in quo Dauid sit vsus auctoritate regia; in iubendo, & imperando alijs, ne suam iniuriam vindicarent.

2. Reg.

Iob in sterquilinio collatus cũ Adam in paradiso.

5 De Iobi patientia sic eleganter. *A capite vsque ad pedes ardebant dolores. aderat vxor nõ adiuuans, sed suggerens blasphemiam: eam tantùm diabolus nocendi peritus reliquerat, qui quantum esset necessaria tentatori, in Eua didicerat, sed nunc alterum Adam non inuenit; cautior fuit iste in doloribus, quàm ille in nemoribus. ille victus est in delicijs, iste vicit in pœnis. inter dolores coniugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam &c.* pulchra collatio inter Adam in nemoroso, & delicato loco, & Iob in sterquilinio; quod quasi lycæum reddidit præclarè enim ibi philosophatus est etiam de cœlo, ac sideribus.

In quo differat patientia iustorũ, & mundanorũ.

6 Comparat patientiam mundanorum cum ea, quæ iustorum. *Illa terrena est, ista cœlestis; illa diabolica, ista Deifica &c. huic voluntas humana, nisi desuper adiuta, & inflammata, non sufficit; quia Spiritus sanctus est ignis eius, quo nisi accensa diligat, impassibile bonum ferre non potest quod patitur malum.* Egregiè dictum, eum tantum mala libenter pati, qui amat impassibilem Deum, ità vt patientia sit ex radice charitatis. quò spectat, illud, quod subjcit ex Paulo: *Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c.* Rom. 8.

Patientia mundanorũ stupor est non fortitudo.

7 De mundanorum item patientia sic. *Cur non sit superborum falsa patientia, sicut & falsa sapientia? Mundi cupiditas, cum sustinet onera, gloriatur de viribus propriæ voluntatis, tanquam de stupore morbi, non de robore sanitatis.* rectè stupidos, non sanos vocat mundanos, dementer multa sufferentes: Addit: sicut boni patiuntur ex instinctu Spiritus sancti, ità mali ex suggestione diaboli.

Gratia præueniẽs probatur.

8 Gratiæ beneficium sic ostendit. *Bona opera non præuenerunt misericordiam Dei, sed secuta sunt; scriptum est; miserebor cui misertus ero, &c. & misericordia eius præueniet me.* Nota, vt Deus anteuertat gratia sua opus nostrum, ac proinde ei tribuendum sit bonum; cum igitur dat gloriam, coronat dona sua.

Ex libro de bono Viduitatis:

SIc Viduas & piè, & eleganter alloquitur. *Placete Christo ex quaque parte cogitationis, qua occuparetur Mundo, vt placeretur viro. placete illi, qui displicuit Mundo, vt placentes ei liberarentur à Mundo: hunc enim speciosum præ filijs hominum viderũt hões in cruce, & nõ habuit speciẽ; ex hac tamẽ deformitate Redẽptoris vestri manauit pretium decoris vestri, sed decoris interioris: Omnis pulchritudo filiæ regis intrin-*

secus. non amat ille fallaciarum fucos; uero ueritas delectatur. Ego, inquit, sũ via, ueritas, et uita; currite ad illum, placete illi ex illo, ui uite cũ illo in illo, et de illo affectibus sanctissimis, et castissimis à uiro tali amate amari. Pulchrè hoc vltimum inprimis dictum de cõplacendo Christo sponso, & præclarè ait, omnem beatorum pulchritudinem manare ex deformitate Christi crucifixi: *non est ei species, neque decor.*

2 Ostendit per dilemma, Christum præferendum amore omnibus. *Ecce omnia temporalia transeunt. si Mundus iam periit, nupta cui parit? si autem adhuc duraturus est Mundus, cur non magis amatur, per quem factus est Mundus?* hoc est, aut Mundi finis iam instat, quid est igitur opus generare per nouas nuptias? aut durabit adhuc, præeligatur igitur conditor Mundi.

Christus amore præterendus re bus omnibus mũdanis

3 *E*gregiè hoc facit ad continentiæ votum. *Plus ardenter feruent libidine quæ non desperant eiusmodi voluptates; quæ autẽ innuptæ castimoniam Deo vouent, ipsam spẽ subtrahunt, quæ fomes amoris est.* Vide quid sit vouere continentiam, subtrahere fomitem igni, vt extinguatur.

Continẽtię voto extinguitur libido

4 Spiritales exercitationes ad delicias refert, ideoq; auidè sumendas dicit, vt sũt lectio, meditatio, & psalmodia. *In delicias spiritales etiam ipsa, quæ videntur laboriosa, vertuntur; nullo enim modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, vt uenantium, aucupantium, vindemiantium, ludentium, & vide quàm pudendum sit, si delectet, vt fera capiatur, vt pila iaciatur, & non delectet vt Deus acquiratur.* præclarè dictum. vide igitur quàm indignum sit religioso maximè tœdio affici spiritaliũ exercitationum. ecquæ deliciæ gratiores? ecquod aucupiũ iucundius, & venatio, quàm vbi Deus cedit in prædam? quod indicasse vedetur Dauid dicens, vt ex hebręo vertitur. *prædam dedit timentibus se.* ideoquè dicitur in Cantic. *similis capreæ hinnuloq. ceruorum.*

Res spiritales ueræ deliciæ sunt.

5 *D*e societate bonorum, & scandalo vitando sic seriò monet. *Sancta conuersatio cauta in omnibus esse debet, ne fortè cum mala non sit vita per lasciuiam, mala sit facta per negligentiam.* Nec *audiendi sunt qui dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam suam, existimationem hominum non impudẽter solùm, sed etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum: nobis est necessaria bona vita nostra, aliis fama nostra. hinc dicitur. Prouidentes bona non solùm coram* Deo *sed etiam coram hominibus, & placete omnibus per omnia, vt ego non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis vt salui fiant.* pulchrè dictũ illud. *nobis est necessaria bona vita nostra, aliis fama nostra.* cõsciẽtia enim intus pertinet ad salutem propriam, ædificatio autem foris ad aliorum. & rectè crudelem vocat, qui non curat de aliorum damno, qui per ipsum scandalum patiuntur.

Crudelis est qui scandaiũ dat aliis.

* Ex libro de Vera, & falsa Pœnitentia.

1 *V*Eræ pœnitentiæ vtilitatem ostendit. *Ignorans se, per pœnitentiam recognoscit. quærẽs se, per hanc se inuenit, etc.* est & elegans apostrophe ad pęnitentiam.

2 *E*xponit illud *Iob. Peccaui, quid faciam tibi? &c.* ? hoc est adeò mihi graue est peccatum, quod non velim contra me te non vindicare. *quæro enim in me, quid supplicii possim excogitare, quod tibi possit sufficere.* Vide ardens pœnitendi studium. excogitabat secum, non quomodo fugere posset pœnam, sed quam potius idoneam inueniret, vt Deo satisfaceret.

Ardor pęnitentiæ in Iob vt Deo satisfaceret

3 *D*e prodigo filio sic. In Euangelio pater stola, & annulo filium reuertentem excipit. *Stola eum induit, quia in eo charitatis integritatem restaurauit; annulum in manu posuit, quia ex fide eum per fidem fecit operari, per Spiritus sancti dona eum subarrauit. calceamenta dedit, quia Ecclesiam eius prædicatione ditauit. in vitulo saginato ostensa sunt sacramenta Dominici corporis per pęnitentiam, & confessionem reddi.* rectè ad mysterium Eucharistiæ refert vitulum pinguem: hilariter enim Christus ad mortem iuit; vel ideo saginatus, quia *saturabitur opprobriis.* vt ait Esaias; huc etiã osculũ pertinet, iuxta illud: *osculamini filium, vel adorate panem.* sic enim alii vertunt quod habet vulgata: *apprehendite disciplinam.* eo accepto osculo, non iam dicit, vt constituerat dicere. *fac me vnum de mercenariis tuis,* quia iam iterum filius. *V*ide igitur quomodo hic vitulus mãducãdus: cum stola prima, hoc est insigni charitate, & dilectione; cum annulo aureo perfectæ fidei, &c.

Vitulus saginatus filii prodigi Christus in Eucharistia.

Ad Eucharistiã quanto cum animi ornatu accedendum

4 *D*ocet, quid sit peccare in Spiritum sanctum, & cur hoc peccatum irremissibile dicatur. *Peccant in Spiritum sanctum, qui impoenitentes existunt vsque ad mortem; Spiritus enim sanctus charitas est Deitatis, amor est genitoris, & genitæ veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit, sui ipsius arrham. qui igitur peccat ei, gratiã suam recuperare non amat, et nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor, et charitas; nec ad eum tendit, vnde sumpsit arrham; in Spiritum sanctũ peccat, et* nun-

Peccatum in Spiritum sanctum impoenitentia est cur irremissibile dicatur.

nunquam post mortem, sicut nec viuens consequitur veniam. Vides Spiritum sanctum esse amorem patris, & filii, ac proinde vtrinq; procedere. egregiè autem affert causam, cur tam seuerè dicatur irremissibile peccatum: nempe ob summam ingratitudinem. *quia nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor*, & eius donum, gratiam spernit, quam facilè consequi posset pœnitendo.

Impœnitentia in iniuriam cedit Spiritus sancti.

5 Peccata sic distinguit. *Sunt quædam peccata venialia, quæ oratione dominica quotidie soluuntur, cum dicitur: Dimitte nobis debita nostra; alia verò, quæ sunt ad mortem, non sic, sed per fructus pœnitentiæ soluuntur*. Vide vim dominicæ orationis in venialibus soluendis, quibus certè ignis debetur, licet non æternus.

Venialia errata p dominicam orationem soluũtur

6 *Arguit eos, qui negant pœnitentiam post baptismum; quippè aiunt. Quia esset ad peccatum incitatio. quis enim non semper peccaret, si redire semper posset? quis, inquiũt, cæcum bis illuminauit? non Lazarum, quem prius dilexit, non filium viduæ bis resuscitauit, &c.* At *medicorum est centies visitare, centies curare: nec sacerdos si peccauerit desperare debet, licèt scriptum sit: Quis orabit pro eo? dictum enim est hoc, ne facilè cadat, cui in hoc grauior notatur pœna*. orabit autem pro eo Ecclesia, & sancti. Vide quàm graue sit sacerdotem labi. *quis, inquit, orabit pro eo?* cui scilicet potius orare conuenit pro aliis, qui peccant.

Post lapsum semper pænitentiæ locus datur.

Sacerdotem peccare quam graue sit

7 Ostendit, licet fragiles simus, tamẽ peccati, vel parui indignitatẽ. *Apostolus ait: In multis offendimus omnes.) Licet speciosi sint pedes euangelizantium pacem, tamẽ excutiendus est puluis, qui contrahitur in via. nullum est peccatum adeò paruum, quod non crescat neglectum: non enim considerandum est quid feceris, sed quem offenderis, quàm bonus qui illum sua dulcedine, & pietate creauit ex nihilo, ad cuius commoda creauit cœlum, & terram, cui seruiunt omnia tanquam filio, cui misit Angelum in auxilium, qui eum educauit, & nutriuit, vt filium; propter quem tam multipliciter pati constituit; talem patrem offendere, cõtra eius voluntatem aliquid committere animaduertentibus, quàm est crudele? vnde qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ità semper plorant*. Eleganter dicta, & rectè exaggerat quàm fugiendum sit vel leue delictum; & quàm ab eo retrahere debeat recordatio tot beneficiorum vel per creationem, vel per redemptionẽ; ità vt crudelitatis sit, offensio quantumuis videatur leuis, cum tam insigni benefactori fiat iniuria. nota etiam, quantum humiliari debeamus ob tam faciles lapsus, cum etiam Apostolici viri iis pedibus, quibus excurrunt ad *Dei* gloriam prædicandam, puluerẽ contrahãt, quod, in typum, cauẽs Xauerius eos potius sanguine cruentabat inter saxa, & vepres properando impingens. deniq; insignis illa sententia est: *nullum est peccatum adeò paruum, quod non crescat neglectum*. cocodrillum ingentem, & immanem belluam ex paruo ouo excrescere aiunt.

Memoria tot Dei beneficiorum retrahit vel a leui peccato.

Nullum est peccatum adeo parui quod non crescat neglectum.

8 De Dei dilectione sic. *Qui se cognoscit quid est, diligit hoc solùm, quod spectat ad illum, qui est*. præclara vox licet breuis; cũ bonum nostrum sit quod simus, quid enim nihilo miserius? ergo eum impensè diligere debemus, qui vere est, & à quo sumus.

Deus est amãdus qui vere est, & a quo sumus.

9 *De sempiternæ vitæ desiderio sic. Doleamus esse exules à patria, doleamus uiuere in corruptibili materia &c.* Tum de sãcto Andrea pulchrè. *In hoc desiderio erat Andreas, qui in cruce positus à Domino requirebat, cum plebs uellet eum de cruce deponere: Nè permittas me descendere viuum; sed tempus est, vt commendes terræ corpus meum; tandiù enim portaui, tandiù supercommendatum vigilaui, laboraui: recordor quantum sit in portando onerosum, in coercendo lentum, in dominando superbum. laboraui, scis domine, quoties à puritate contemplationis me retrahere conabatur, quoties à dulcissima quietis tuæ somno me excitare cõtendit, &c.?* Nota vt Apostolus corpus suum putauit oneri, & impedimento fuisse, quid de nostro dicemus? atqui ille velut alatus Orbem terræ prædicando discurrit. adeo suspirandum ad æternam vitam, vt sine impedimento fruamur *Deo*.

Desiderium æternæ uitæ deposito corporis onere.

Andreæ Apostoli in cruce desiderium corpore se soluendi

10 *Arguit malè pœnitentes. Sunt quos se pœnitet, sed non omnino, quippè reseruantes sibi quædam, in quibus delectantur; nec aduertũt, Dominum simul surdum, et mutum à dæmonio liberasse; per hoc docens, nos nunquam, nisi de omnibus sanari; ideò etiam septem non sex dæmonia expulit, vt omnia crimina simul eiicienda doceret, & legionem ab alio eiiciens neminem reliquit*. Acutè ostendit, pœnitentiam, & mortificationem debere esse perfectam, & integram ex omnibus, quæ salutem impediunt. non dedit, prius auditum, & paulò post loquelam, & in legione dæmonum, idest ferè sex millium, ne vnus quidem superfuit quasi paulo post eiiciendus, sed statim, & simul oẽs eiecti; ità in mari rubro, omnes persecutores demersi.

Vera pœnitentia omnia uitia prorsus eradicat nullo relicto.

11 *De compunctione sic. Pœnitens quicquid sordidum contraxit, oportet, vt abluat lacbrymis mentis; sed satis durus est, cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. nemo se excuset se non habere fontem lacrymarum, qui nonnunquam lachrymis ostẽdit dolorem in iactura temporalium*. Notabilis locus de lacrymis; satis, inquit, durus est, qui dolorem internum exterius nõ ostendit flendo; nam signum est non esse ex corde; nec quisquam se excusare potest quòd natura sit ineptus ad lacrymas; nam si amit-

Vera pænitentia non potest nõ prorumpere in lacrymas.

si amittat, vel opes, vel parentes, statim in promptu sunt lacrymę.

12 Confessio vt sit facienda, docet. Sacerdoti sè ostendat pœnitens cum lacrymis, vt leprosus. *Multum satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorũ, quæ commisit, nuncio Dei denegauit. verecundia magna est pœnitentia; vnde patet quòd quantò pluribus confitetur in spe veniæ turpitudinis criminis, tantò facilius consequetur misericordiam remissionis.* Vide quàm pium sit idem peccatum confiteri pluribus sacerdotibus: quo generalis quoque confessio comprobatur, quia erubescentia ipsa est magna pars satisfactionis. vbi etiam de integritate meminit confessionis.

Confessio iterata probatur ob erubescẽtiam.

13 Sacerdotis potestatem ostendit. *Lazarum de monumento iam suscitatum obtulit dominus discipulis soluendum; per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus: Quodcumquè, inquit, solueritis super terram &c.* tum pulchrè exponit illud; *erit solutum, & in cœlis.) ergo Deus, & omnes ordines cœlestis militiæ, & omnes Sancti in mea gloria laudant vobiscum, & confirmant quos ligatis & soluitis.* egregiè, & pulchrè dictum: cum sacerdos confert absolutionem pœnitenti; tunc omnes ordines cęlestes, hoc est Angelicas hierarchias & choros & Sanctos omnes eandem a peccatis veniam confirmare cum gaudio, & ei plaudere.

Sacerdoti absoluenti pęnitentia plaudũt omnes Angelorũ ordines, & sancti.

14 De confessario eligendo sic. *Qui omnino confitetur, sacerdoti meliori quàm potest, confiteatur, & scienti ligari, & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur à Deo, & ambo in foueam cadant.* est hoc notabile documentum de electione Confessarij periti. immo ait: *meliori quàm potest.* certè causæ patronum non nisi optimum quisque in sua causa eligit.

Confessor eligẽdus melior quàm potest.

15 Ad secretum confessionis hoc pertinet. *Si peccatum est occultum, sufficit referre in notitiam Sacerdotis. nam in resurrectione filiæ principis pauci interfuerunt qui viderent; nondum enim erat sepulta, nondum extra domum in notitiam deportata.* Non sic in filio viduæ, & Lazari. nam ille publicè iam efferebatur; hic quadriduo ante elatus, & tumulatus. Est hoc & prælatis notandum: occulta enim peccata subditorũ facilè promulganda non sunt, sufficit pœnitentia secretior.

Occultũ peccatũ nõ palã dum sed cõfessionis sigillo reseruandum

16 Peccatori non ad desperationem, sed ad auxilia recurrendum dicit: *Credendum est, & pietas fidei postulat credere, quod omnes eleemosinæ, ac totius Ecclesiæ, & orationes, & opera iustitiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conuersionem suam.* Vide quàm piè sentiendum sit de iis, quos saltem in morte pœnitet. Addit. Ideò Iudam desperasse, quia iuit ad extraneos, ad Phariseos, qui aiunt: *Tu videris, quid ad nos?* ad quos scilicet non pertinebat. *Si iuisset ad fratres; ad illos qui orauerant pro socru Petri febricitante, interrogasset Petrũ pro se lacrymas effundentem, non fugisset Martham, & Mariam, quæ vitam Lazari impetrarunt. iuit ad Phariseos, idest diuisos, & diuisus periit.* præclarum, & notabile est quod ait, si Iudas non ad Phariseos, sed ad Apostolos ipsos, vel ad Magdalenam licet ab ipso Iuda exagitatam in vnguenti effusione, recurrisset, horum intercessione tãti sceleris veniam impetraturũ fuisse. ac proinde subiungit: multùm valere vnitatem Ecclesiæ conuenientis ad orandum; at hoc amittitur per excommunicationem.

17 Pœnitentiam negat esse differendam. *Nunquam credat quis sufficere dolorẽ, cum vita finiet; tandiù speret de gratia, quandiù sustentatur à pęnitentia. dicit dominus; Vade, & amplius noli peccare. non dicit; Nè pecces, sed noli. quod quomodo seruatur, nisi dolor continuè cum pœnitentia custodiatur?* pulchrè ait, gratiæ spem sustentari à pęnitentia, ac tanquam columna inniti, aut basi; est autem valde notabile dictum: *nunquam credat quis sufficere dolorem, cum vita finiet.* adeò difficile tunc est uerè conteri.

Non expectandus vitę finis ad pœnitendum.

Gratiæ sustentatrix pœnitẽtia.

18 *De circumstantiis confessionis*, ait, considerandam qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tẽtatione, & in ipsius vitij multiplici executione &c. illa verò vox in primis notatu digna. *ideò, Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit.* igitur affluentia Bonorum temporalium magnum est incitamentum ad peccandum, & qui in abundantia est, versatur in lubrico. ideò Diabolus, vt alibi ait, nõ inuenit in deserto, quo tentaret Christum, nisi lapides è solo euulsos. sin autem de bonis spiritualibus intelligamus, quia Adam tot beneficiis primus, & abundantius affectus fuerat, grauius peccauit.

Circumstantiæ peccati in confessione det eendæ.

Adam plus peccauit quia omni bono abundauit.

19 Exponit illud. *Qui in vno peccauerit, factus est omnium reus.) Quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio, vt si quis cadit in auaritiã, largitatem destruit, & castitatem minorauit: amore enim pecuniæ, vel violaret castitatem, vel saltem minus amaret &c.* Vide vel vnius peccati vim detestabilem. nempe ait, tantarum virium vnũquodque esse, vt toti virtutum agmini se opponat infestè, atque hostiliter: nam vt illud vnum peccatum assequatur, non dubitat, si opus sit, & alia committere.

Vnum peccatũ toti virtutum choro opponitur.

20 *Pœnitentem sic pręparat. Ponat se omninò in potestate Iudicis, in iudicio sacerdotis, paratus omnia facere pro reparanda animę vita, quæcumque faceret pro reparanda corporis morte, cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quę faceret pro differenda*

ferenda morte moriturus. pulchra antithesis quid non ageret æger, vt mortem differret? & tamen tandem moriturus alio morbo; quòd igitur confessarii monitum respuet, quo fiat immortalis? Tum eos arguit, qui ob verecundiam, partem vni, partem alteri peccatorum confitentur: monet etiã, *non prius ad Domini corpus accedat, quam confortetur bona conscientia.*

Excusatio nulla est de peccato.

21 Excusationem à confessione omninò remouet. *Peccantes ne dicamus: Non aliud potui: quia Deus fecit me pauperem, ideò sum furatus. non mirum si deditus sum fornicationi, quia talis naturę, & fragilitatis sum creatus; nam quisque malo se subjcit ex arbitrio.* Addit. *Sunt qui referunt culpam in Dei prouidentiam, deputantes* Dei *ordinationi, & necessitati; sciuit quidem Deus quid facturus esset qui peccat; sed non ordinauit peccare, qui nullum relinquit inpunitum; ordinauit pœnam amantibus culpam, non ordinauit peccare qui peccatum voluit curare; sed permisit libertati, quod peccator donauit necessitati.* Vide vt præscientia *D*ei non officiat libero arbitrio.

Gratia semper inuita recedit.

Gratia licet expulsa nõ dedignatur regredi si remoueas culpã.

22 Nec illam excusationem admittit: Dices, Nihil boni possum habere nisi inspirante *G*ratia: si me non conseruat, quam habeo culpam? at potes liberè tenere Gratiam, si euites culpam. *Non enim Dei relinquere est, nisi relinquentem: Gratia semper inuita recedit, & nunquam aliquem spontanea deserit. præsto semper est Gratia, quæ nũquam deficit, nisi prius expulsa: continuè, & necessariò quod suum est, inspirat, si est qui recipiat, & expulsa reuertitur per pœnitentiam.* Nota pulchrè de Gratia. semper illa præsto est, adeòque nobis adesse optat, vt etiam expulsa per peccatum, si reuocetur per pœnitentiam, quasi oblita iniuriæ redeat: *Gratia semper inuita recedit.* nos eam expellimus: quid ingratius? sed mira pietas vel sępiùs expulsa, non dedignatur regredi. si sibi hostiliter aduersantem detesteris culpam.

Cur Deus non impediat peccata.

23 Ostendit, cur Deus sinat fieri peccata. *Voluit Deus hominem non peccare, sed & humanam naturam non amittere. non vult ità hominem non peccare, vt eum bouem sine libertate statueret; nec enim haberet, quẽ remuneraret, nec cui fulgorem suæ claritatis infunderet; nec quo imaginem, & similitudinem suam inueniret.* Egregiè docet, cur Deus cum possit impedire peccatum, id non agat; si enim homini libertatem tolleret, non dignus esset remuneratione, qui benè agit, quia ageret necessariò vt bruta; nec adeo per voluntatem Deo similis esset, &c.

24 Pulchrè de Gratiæ custodia. *Ad hanc Gratiam protegendam, ad hanc non expellendam addidit Angelos, & omnes Sanctos beatos, addiditque ei omnes in æterna vita collocatos. addidit, & in carne viuos, & totam sanctam Ecclesiam succurrentem, & quod maximum est, filium suum, quem tanta pro nobis pati decreuit, interpellatorem constituit continuũ.* Pulcherrimus hic locus est de Gratia, quã vt Deus conseruaret in nobis, tot cõstituit eius protectores, & custodes, *A*ngelos scilicet, & beatos, & hic Ecclesiam, & ipsum *D*ei filium. hi omnes cõueniunt, vt Gratiam foueant, ac retentent, ne per culpę illecebram, quam ei præponimus, velut ingratitudine irritata auolet à nobis. vide igitur quàm magnum bonum sit Gratia, & quantus thesaurus, cui conseruando, & Cœlum, & Ecclesia semper inuigilet.

Ad Gratiam in nobis cõseruandã Deus cõstituit pro excubiis, Angelos, sanctos & Ecclesiam.

25 Baptismi vim ostendit. *Pœnitentia si extremo vitæ halitu aduenerit, sanat, & liberat in ablutione baptismi, ità quod nec purgatorium sentiunt qui in fine baptizãtur.* latro baptizatur, cum Christum confessus est, & audit; *hodie mecum eris in paradiso.* mira prorsus vis curationis per baptismũ: animam agentem ad vitam redigit immortalem.

26 De expiatione peccati fit. *Peccator etiam si conuersus euadat, non tamen euadet omnem pœnam; nam prius purgandus est igne purgatorii, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. hic autem ignis, & si æternus non est, miro tamen modo est grauis, excedit enim omnem pœnam etiam Martyrum.* Notabilis omninò locus de igni purgatorio, & de grauissimo eius cruciatu. quis non exhorrescat audiens immania supplicia, quæ in Martyres tyranni excogitarunt? atqui illa non ęquant horum acerbitatem, quam igitur piè, & impensè pro illorum liberatione apud Deum contentendum est? & quàm curandum vt eas pœnas effugiamus, etiam à leuibus peccatis abstinendo? itaque subiungit: *studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, vt post mortẽ non oporteat talem pœnam tolerare.*

Ignis purgatorii superat omnes Martyrũ cruciatus.

27 *A*d contritionem sic hortatur. *Cõtinuè dolendum est de peccato, quod indicat ipsa vis actionis: pœnitere enim est, pœnam tenere, vt semper puniat, in se vlciscendo quod commisit peccando.* Pulchrè definit pœnitentiam, à tenenda pœna, arctè; scilicet, ne elabatur è manibus. perpetuò flagellanda culpa est, & crucianda, nec vnquam parcendum ei, per quam amisimus Deum. *S*ubiungit. *Qui impoenitens moritur, omninò moritur, & æternaliter cruciatur, quia si semper viueret, semper peccaret. omnia ista mala deuitat pœnitentia, quę dolorem semper expetit in pœna.* Acuta ratio cur peccato, quod in tempore committitur, correspondeat æterna pœna. nimirùm cum peccator sciat post mortem succedere æternitatem, si in morte non retractat illud per pœnitentiam, signum est illud æternaliter velle

Pœnitẽtiæ elegans etymologia.

Cur peccato temporali correspõdeat eterna pœna.

ac

ac proinde æternitas poenę debetur. contra verò pœnitens ita peccatum odit, vt mallet æternaliter affligi, ac propterea Deus ex sua misericordia dat præmium æternũ.

Pietas confessarii erga poenitẽtem commendatur.

28 Pœnitenti spem, confessario pietatem insinuat. *Non erubescat peccatæ confiteri peccatori; animaduertat sacerdos quod qui sine peccato est, prius lapidem mittat. quomodo lapidet qui se lapidandum cognoscit? ideò dimisit adulteram, quia nemo erat sine peccato criminali, qui iustè proiiceret, nam venialia remittebantur per ceremonias; cognoscat igitur in se, & purget quod alios videt sibi offerre.* rectè monet, sacerdos cum audit aliorum peccata, & monet de contritione poenitentem, tum maximè ex suis conteri debet. ità quoque confessiones audiendo fœda spectra tentationum effugiet facilè.

Confessarius quomodo se gererede beat erga poenitẽtem.

29 De scientia, quæ requiritur in confessario, vt de circumstantiis interrogandis &c. sic monet, *Interroget à peccatore quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare peccata. cognito itaque crimine varietatem eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus &c. paratus erigere, & secum onus portare. habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine; discretionem in varietate. adiuuet orando, instruat operando; sit particeps laboris, qui particeps vult esse gaudii; nec spem auferat, nec temeritatem concedat.* Vide quanta concurrant in confessario, necesse sit; perspicacitas, suauitas, pietas, discretio, &c. vetatq; agi hæc per scriptum, vel nuncium.

* Ex Tractatu de Salutaribus documentis

Christus amore dignus, nõ diabolus

1 OStendit, quàm præstet Christum sequi potius, quàm diabolũ. *Christus inuitat nos ad amicitiam suam, Diabolus ad infernum. Saluator nos amat, & proditor nos odit: ideò non prętermittamus redemptorem, ne sequamur prædonem. charior nobis sit qui libertatem restituit, quàm qui nos captiuauit.* eleganter per antitheta ad Christi amorem excitat, & ad odium hostile diaboli, de nobis triumphare satagentis.

Deum habenti nihil superest optandum.

2 Deum nostram possessionem esse debere dicit. *Et quid potest esse felicius quã cui efficitur suus Imperator, census; & hereditas dignatur esse ipsa diuinitas? quid, rogo, homini sufficit, cui Conditor ipse non sufficit? gaudet miles ex armilla, & corona, sed non æternum est gaudium. gaudet adulter &c. sed hæc gaudia velut venena Diaboli repudiare debemus.* pulchrè ait, qui Deum habet, nihil ei superesse quod amplius requirat. & rectè notat, quantò felicius sit ei militare quàm alteri. Imperator Deus dat, pro stipendio, quid præstantius? se ipsum; vilia præ ipso cetera sunt, nam vide quid sint gaudia mundana, venena scilicet atra diaboli. quò refer calicem illum aureum in manu meretricis Babylonicæ. in auro propinat, vt venenum non transpareat.

3 Exponit illud Pauli. *Cogitate vos mortuos esse peccato &c.) Quid est peccato mori, nisi vt sit sicut homo mortuus in sepulchro? qui nulli detrahit, nemini calumniatur, non inuidet bono; non turba maxima sibi adstantis curam gerit; non auro argentoque circumdatus salutationibus potentium delectatur; non eum superbia inflat, non histrionum verba in risum excitant &c.* sæpè idem prorsus hoc est, ac quod præcipit noster Ignatius, iubens suos instar cadaueris per obedientiam quolibet versari. his maximè conuenit quod sequitur.

Iustus Mundo iã mortuus nulla re ex mundanis afficitur.

4 Elegans est antithesis inter Christi, & Mundi militiam. *Habet & Christus milites suos. Tu in prælio galeam ferream gestas in capite, sed illius galea Christus est: tu lorica, ille charitate vestitus, ac semper armatus. ille nunquam inermis, quia illius hostis ad tempus dimicat, hic pugnare non cessat; tua arma laboriosa, & grauia sunt ad portandum, illius verò arma suauia, & leuia sunt: tu ornamento armillarum brachia decoras, ille virtutum ornamento anima sua à Christo decorẽ accipit, &c.* Vide quibus differat miles Mundi, & miles Christi; & quàm expediat, sub hoc potius mereri stipendia: quod ad Ignatium nostrum referre potes, ex mundana militia ad diuinam reuocatum, & ad duo vexilla, de quibus in palæstrico libello spiritalium exercitiorum egregiè scripsit.

Ignatius suos cadaueris instar quoque. verius per obedientiam agi iubet.

5 Mortis memoriam commendat, qua ad Christum reuocamur; *Quando mors venerit, cum videris totum corpus intumescere, & in fœtorem esse conuersum; nonnè claudis nares tuas? vbi tunc erit suauitas luxuriæ? vbi blanda verba, sermones dulces? vbi effrænata & inutilis lætitia? hic finis pulchritudinis carnis; O quam felix bonum, splendidam pulchritudinem Christi amare, & radiantibus fulgoribus eius nostra pectora illustrare.* Nempè hoc Franciscum nostrum Borgiam ad Christi seruitutem traduxit ex Duce; aspectus videlicet Isabellæ Augustæ mortuæ, quæ cum antea esset insigni pulchritudine, enormis deformitatis effecta spectaculum, dignosci non poterat. rectè igitur ad veram, & stabilem Christi pulchritudinem nostrum traducit affectum. hoc enim indicat per illustrationem pectoris.

Militia Christi quantò præclarior terrena

6 De iracundia deponenda sic; *Est genus serpentis, qui cum cœperit ire ad bibendam aquam, antequam veniat ad fontem, euomit omne venenum. imitare tu hunc serpentem, iuxta illud: Estote prudentes sicut serpentes; & omne venenum iræ, & odij ama*

rum

rum euome,& remitte conseruis tuis, vt & tibi remittantur à Deo peccata tua. Vide in quo maximè serpentis prudentia sit imitanda,& ex animante infestissimo disce elementiam. cum oramus,cum Eucharistiā sumimus,quid aliud agimus nisi quod ad vitæ fontem accedimus?ideoque iubet, munus ipsum apud altare relinqui. *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

Oratio grande animæ munimē.

7 *Breue,sed eximium illud est oratio nis elogium.Oratio,grandis est munitio animæ.*huc refer murum illum adamantinum ab *Amos* visum iuxta 70, cuius architectus,ac faber Deus ipse erat: *& in manu eius adamas.* & quod de *Aarone* dicitur, qui Deum placaturus, stans inter viuos,& mortuos *protulit seruitutis suæ scutum orationem,* vide quàm grande munimen.

Iudæ pectus auaritiæ flamma ardescens.

8 *Iudæ* proditionem sic exagitat. *Iudæ pectus auaritiæ flamma exarsit.* Vide quàm exarserit,vt Magdalenæ lachrymarum flumine extingui nequiuerit,sed & de vnguento effuso calumniam impegerit. nec illa ipsa aqua,qua Dei filius in cœna lauit eius pedes. *Addit de auaritia. Auarus inferno est similis,qui quantoscumque deuorauerit,nūquam dicit satis:sic etsi omnes thesauri confluxerint,auarus non satiatur.* Vide,vt auarus adhuc viuus gehennam secùm ferat.

Peccatū venenū est in cor trāsfusum.

9 Peccati damna demonstrat. *Qui minima spernit,paulatim defluet ad maiora.ne spernamus morsum serpentis, ne venenum eius conspergatur in corda nostra.quia quamuis venenum vita sit serpentis, mors est hominis.* Vide,quid sit peccatum mortale:venenum antiqui serpentis transfusum ad cor.diabolus quia serpens est,viuit veneno peccati,hoc delectatur, quod nobis exitio est. porrò indicium veneno infecti cordis esse aiunt physici, si comburi non possit: quod peccatori accidit, vt tanto diuinæ charitatis igne nihil afficiatur.

Cant. 2.

Verum Mundi decus Christus est.

10 Exponit illud Cant. *Ego flos campi, & lilium conuallium) idest ego decus Mundi,& virginitas humilium. abscindamus virgulta spinarum: scimus enim, quod cor nostrum ager est domini.* Vide quod sit verum *Mundi* decus;non aspectus Solis in die,nec stellarum in nocte, nec species hortorum &c.sed Christus.item nota Virginitatem non nisi in humilibus custodiri,hoc est lilium in valle.pulchrè autem ait: *Cor nostrum ager est domini.* ac proinde aratro crucis,ac mortificationis excolendum, ac præparandum, vt pulcherrimi huius lilii plantarium fiat.

Ebrietas est manifestus dæmon.

11 *Est hoc acre contra intemperantiam dictum. Non est alind ebrietas, quàm manifestus dæmon.* Quasi alia quædam vitia non ità apertè Satanicum ostendant malum,vt ebrietas:hęc enim statim se prodit, mentem,& rationem perturbando.

Exercitationes spiritales non ad ecclesiasticos tantum pertinēt sed ad omnes.

12 Mundanorum sententiam carpit. *Grandis confusio est animabus laicorum, qui dicunt:quid pertinet ad me legere libros scripturarū,vel audire, vel discere, & ad Ecclesias sanctorum recurrere? cum Clericus fiam, faciam,& quæ oportet Clericos facere; cur omnia huius terræ bona,& æterni regni felicitatem æqualiter participare, & æquali labore iugum Christi ferre non vult?non est,inquit Apostolus,Iudæus,neque Græcus;non est seruus,neque liber,sed omnia,& in omnibus Christus.* scilicet auditur & nunc ista vox stultitiæ plena à mundanis prolata,quasi tantùm Ecclesiastici, & religiosi curare debeant, & solliciti esse de sua salute. *Vide* autem quanti faciat lectionem sacrorum librorum, in quibus vel seculares vult esse versatos.

Lacrymis spiritalis ignis accendi tur.

13 *De lacrymis sic pulchrè, Vbi fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat.* Notabile dictū de lachrymis, quarum humore excitetur dilectionis incendium.habet hoc salsa maris aqua,vt aiunt physici,vt irritamentum sit ignis. hoc puto mare illud simile crystallo mistum igni in Apocalypsi.

Virtus & perfectio omnibus cōpetit.

13 Rursus ostendit cuilibet conuenire virtutem: *Nulli nocet puerilis ætas, si fuerit mente perfectus; nec senilis proderit ætas,si fuerit paruulus mentè,vel sensu. Dauid puer in Regem eleuatur, Saul senior de culmine regali expellitur. Saluator à senioribus crucifigitur, & ingressus eius Hierusalem à paruulis collaudatur.* Vides neminem excludi à studio virtutis.notabile autem documentum est,sanctitatem,vel malitiam ætati esse decori, vel dedecori, nec tam annos quàm virtutes computandas.

15 Tum deterret impios magnitudine æterni supplicii; *Væ istis, quibus præparatur dolor vermium,ardor flammæ, sitis sine extinctione,vbi mors optatur & non dabitur.vbi nec mater diligit filiū &c.hæc timuerūt iusti & hęc fugerunt.* vides etiā iustis formidabilem esse gehennam: immò de Martyribus ipsis ait Ambrosius: *Pone Martyrē circumspectantem omnia plena suppliciis,deinde cogitantem illum ignem perpetuum, illam pœnæ recrudescentis ærumnam: trepidare corde,ne,dum præsentibus cedit, perpetuis se dedat exitijs.*

Tria in Mundo pulcherrima charitas, perseuerantia Angelorum patrocinium,& paradisus.

16 De Deo vnicè diligendo sic pulchrè: *Tria sunt, quibus in hoc Mundo non sunt meliora;amor sanctus in bonis operibus, perseuerantia, & sancti Angeli, qui eam suscipiunt,& paradisus, in quem ducitur. Angeli enim sancti delectantur animarum spiritali cantico,sicut psalmista ait: Beatus quem elegisti, & assumpsisti; inhabitabit in atriis tuis;replebitur in bonis domus tuæ.* Notabilis sententia;homini,quem scilicet beata Trinitas fecit, tria in Mundo apposuit ad salutem

litem: amorem sanctum, seu charitatem cur perseuerantia in bono, & Angelorum patrocinium, & beatitatem æternã. quàm infelix est, qui tam præclara incitamenta salutis neglexerit!

Peccatori pie cõpatiendũ

17 Monet, vt de proximi bono gaudeamus, peccanti autem compatiamur. *Sed prob dolor: nos aliquando rigorem simulantes, materiam in flammas mittimus; & cum ignis accensus fuerit, fugimus.* Vide, quid sit non compati aliorum defectibus: nam per increpationem immodicam, & importunam igni fomitem præbemus, & exulceramus potius vulnus quàm medicamur.

Eleemosina ex alienis bonis Deo ingrata.

18 Non omne quod pauperi datur, Deo gratum dicit. *Non est eleemosina, quam facimus de prædis mortuorum, siue de rapinis pauperum; Qui offert, inquit, sacrificium ex rapina, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Notabile dictum de eleemosina, idem enim est de raptis bonis pauperis offerre Deo, ac eius quasi victimæ ingulatæ sanguinem effundere, atque offerre, quo quid magis impium?

Spiritus sãctus in corde, et flagrat, & fragrat.

19 De Christo sequendo, Mundo relicto, sic pulchrè. *Hoc suauiter fragret in cordibus vestris. hic ignis Spiritus sancti in nobis feruere faciat, vt sequamur vestigia Redemptoris, ne desideremus remanere in hoc Mundo, & pereamus cum Mundo.* rectè, nã ideò vestigia reliquit in terris impressa ascensurus in cœlum. eleganter dictum: Spiritus sancti gratia in cordibus, & fragret, & flagret: fragrat instar vnguenti, flagrat instar ignis: cor igitur, & pro alabastro est, & pro thuribulo.

Mundani qua uoceur gebũtur in iudicio.

20 Vltimum iudicium in memoriam reuocat. *Lugendum nobis est, si regnum Dei promissum perdamus, & subitò dicatur nobis: O vos amatores Mundi, exite obuiam sponso Christo, & ad illum, quem videre non vultis. cum videbitis plagas ipsas, quas in corpore suo pro vobis pertulit, quid tunc gementes, & dolentes dicemus?* Vide quo clamore exterriti mundani ad iudicium euocandi sint. plagas Christi dicit obiiciẽdas, quæ vt beatis erunt gaudio, ità reis horrori.

Mundus amarum pharmacum suis propinãt

21 Dei minas Mundanis acriter intentat. *Firmiter teneamus, quia spes humana in amaritudinem vertitur, & amaram potionem ipse Mundus amatoribus suis propinat. & ipsa veritas dicit: vbi est quod amabatis? ò mi frater, nunquid ferreæ sunt carnes nostræ, vt non contremiscant? vel etiam sensus noster adamantinus, vt non mollescat, aut non euigilet ad talia Dei verba?* Vide, quàm amara potio sit Mundi, quæ putatur dulcis, & rectè proponit consideratione eius euanescentis. Tum nota quantam vim habeat ad conuersionem memoria horrendi iudicii, quæ quodlibet, vel ferreum, & adamantium cor mollire possit, nempe colliquefactum in conflagratione Mundi totius.

Iustus cõsiderans stragem tot animarũ per peccata, fletu tabescit.

22 In communi salute curanda commendat ardorem. *Deficiunt flendo oculi eorum, qui considerant mortes animarum; Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? &c. alibi quoq; Optabam anathema esse pro fratribus meis. discamus in tanto Christi Apostolo tantam flagrare Christo charitatem, ac nemo negligat salutem animarum, pro quibus tantum sanguinis pretium est fusum.* Nota de zelo animarum, quarum peccata contemplantes Apostolici viri, & interitũ, incessanter lachrymis obruuntur; hinc ait propheta: *Faciam luctum quasi struthionum &c.* rectè igitur, *deficiunt fletu oculi eorum qui considerant mortes animarum.* hinc illa nostrorum expeditio Indica, Germanica &c.

23 Quàm sit Deus prõptus ad veniam, ostendit. *Quàm velociter placauit iram Dei, qui dixit: Pronunciabo aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei,) Attende frater, magna res: pronunciabo; non dixit: pronunciaui. vox mea nondum in ore erat, veruntamen Deus audiuit vocem cordis mei; vox mea nondum in ore, sed auris Dei iam in corde erat; & quid secutum est? & tu remisisti impietatẽ peccati mei paratus est semper Deus peccata nostra indulgere, si non tardauerimus reuerti.* Vide immensam Dei pietatem præcurrendo vota nostra: oppositum est hoc Homeri dicto, qui Litas, hoc est preces, quas Deas putabant, claudas facit, quia si serò ad Deum perueniant preces hominum, & ideo vix serò exaudiantur.

Dei occulta iudicia sollicitos de salute tenere nos debent.

24 De metu Dei iudiciorum hæc seriò. *Timeamus, ne nobis Deus inferat iram suam, quia quosdam prædestinauit ad supplicium, nec iniustè, sed alto suo iudicio; nec Iudam suscepit pænitẽtem, nec Petrum deseruit flentem. nec Saul respexit pænitentem, nec Dauid despexit confitẽtem sic pius, & misericors dominus alto suo iudicio separat vasa iræ à vasis misericordiæ. O si attendamus miseriã Iudæ viri olim perfecti, & in perditionem perducti: mustum sancti Spiritus potare non potuit, quo accepto continuò crepuit, totumque fractum.* rectè monet, sollicitum quemque esse debere de sua salute ob occulta Dei iudicia. & acutè ait, Iudam Apostolicum spiritum tanquam feruidum merum continere non potuisse inutili vase, & ideo crepuisse.

Cur Iudas post proditionem crepuit.

Tũ sic pulchrè addit: *Tempus est, vt reparemur, & si in aliquo fracti sumus, omnipotentem Deum figulum, & artificem habemus: potest reparare perditum, qui creauit integrum; ipse enim ait: Sicut lutum in manu figuli, ità & vos estis in manu mea.* pulchrè ad noui hominis reformationem hoc facit.

Ele-

Christus bonus pastor orandus ne sinat gregē suum a bestijs lirapi.

25 Elegans est apostrophe ad Christū pastorem. *Imple ò bone pastor officium summi pastoris;persequere leonem,qui rapuit ouem de grege tuo. leo interficiatur, & leo de faucibus eruatur. tot de grege tuo quotidie rapiūtur oues,quare taces? responde quare tantum, ac tandiù taces? accipe arma tua, & progredere,pugna cum leone.* hæc oratio semper esse debere in ore Apostolici viri, qui habet zelum animarum.facit autem hoc pro Euāgelio. *Ego sum pastor bonus.* sic Christum exprimens Dauid pastor de se aiebat. *Veniebat leo,vel vrsus &c.nam, & leonem, & vrsum interfecit seruus tuus.* sic igitur quotidiana vox nostra,dum tot animarum cogitamus interitum:*Tot de grege tuo quotidie rapiuntur oues, quare taces? arripe arma tua, &c.* & nos eodem venandi studio siluam istam intremus, Iaponiam,Sinas &c.

Fideles filii lucis sunt.

26 Exponit verba Pauli. *Induamur arma lucis, & in nocte,non opera noctis,sed diei peragamus;quia filij Dei appellati sumus,credite in lucem,vt filij lucis sitis. quid est,nos arma lucis indui? nisi credere in Deum, qui illuminat omnem hominem, &c. qui dixit, dum lucem habetis,credite in lucem.* nota quod ait. *filij lucis sumus.* nā Iob in typo Christi vocauit vnam ex filiabus, *Diem*: multò igitur æquiùs est, animam Dei filiam à luce denominari per bonorum operum splendorem, & fidei claritatem.

Peccatores in iudicio omni ornatu spoliatos diabolus pferet.

27 Quàm viles per peccatum facti simus,ostendit: *Multis bonis in prima fronte nos diabolus expoliauit;nudos, & miseros reddidit,suisque pannis derisit inuolutos; expoliauit nos pudicitia, accinxit impudicitia, expoliauit temperantia, fecit intemperantes; expoliauit immortalitate, & propinauit mortem; his turpissimis, ac fœdissimis pannis nos,ac posteros inuoluit,ac semiuiuos relinquit. ideò nūc vigilet vnusquisque nostrum, ne apud Deum diabolus in die Iudicij suos pannos agnoscat.* Vide, quàm fœdus peccor apparebit in die iudicij,qui dum viueret vt ille diues,*induebatur purpura, & bysso.* tunc pannis sordidis diaboli indutus.hoc cauit Apostolus dicēs. *Induimini dominum Iesum.* cæterùm quid mirum quod tàm viliter, & abiectò vestitus apparebit peccator? quando pannosus, ac vilis ipse diabolus est:etenim,*faciem eius præcedit egestas:*ait Iob.

Diaboli declamatio contra nos accusatio in iudicio, qualis.

28 Apponit verba, quibus in iudicio accusaturus est diabolus peccatorē. *Exultabit ille aduersarius in conspectu Iudicis superiorem se nobis esse declarans; agēs talem causam apud iudicem. Aequissime Iudex Iudica istum esse meum ob culpam, qui tuus esse voluit per gratiam. tuus est per naturam,meus est per miseriam. tuus est passione, meus est persuasione. à te accepit immortalitatis stolā, à me hanc pannosam meam vestem accepit; cū mea veste huc aduenit. dimisit te, confugit ad me; meas sorores video comitari, superbiam, iram &c. meum esse cognosco, qui meus esse voluit. mea concupiscit,mecum puniri debet; quem tu dignatus es pretio liberare, mihi se voluit obligare:heù heù; frater, poterit ne talis aperire os, qui talis ibi inuenitur, vt iustè iræ cum diabolo deputetur.* Vide quā efficaciter diabolus declamaturus contra nos iudicio,ac peroraturus sit, exprobans peccatori accepta dona Dei, sed spreta; ac sibi debere contendens, qui se secutus est viuēs: ità ex blando suasore fiet acerrimus accusator.

Peccare est conculcare filiū Dei quid hi rribilius.

29 Quantus Dei cōtemptus sit in peccando,declarat. *Recitetur in medio nostri sententia Pauli terribilis,terribiliterque prolata, quæ corda simul, & corpora nostra contremiscere faciat. Terribilis inquit, quædam est expectatio Iudicii &c.irritam quis faciens legem Moisi, &c.quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? Extendamus igitur aciem cordis nostri ad terribilem Apostoli sententiam perspiciendam, & inuestigandam.* Pende verba;quid tam detestabile quàm conculcare Dei filium? hoc est, qui est in sinu patris; eùm sub pedibus ponere, & purissimum sanguinem pro te fusum, peccatorum sordibus inquinare:rectè horrore,ac tremore dignum dicit.

Caro nō mortificata ager est diaboli vitia seminātis.

30 Carnem spiritùs repugnantem sic exagitat. *Diabolus in carne seminat semina sua,concupiscentiam, superbiam, &c. caro nostra in malitia semper vult esse potens, at in ieiunio,in vigiliis &c. infirmam se esse fingit: caro data est nobis quasi animæ bellum, quæ si si mortificetur, adducit vitam; si nutriatur, præparat se contra animam ad pugnam. ò caro crudelis bestia, quid grauas animam, quæ nihil optaret, nisi Deo seruire, si tibi inimicæ non se iunxisset:nec solam teipsam occidis, sed illam.quid quæris? suffocas animam, et versa vice tu sis domina,et illa ancilla. non tu effugies pœnam, dum illa patitur gehennam: esto consenties aduersario tuo,dum es in via.* Vides quid sit caro;nisi excolatur à Deo,ager diaboli, in quo seminet semina vitiorum. eadem immanis est bellua,quę,nisi per morficationem dometur, nisi cancellis inclusa teneatur.erumpit in cędem.

30 Pergit insultare carnali sensui. *Caro cadere diligit,surgere negligit,inquieta, & impatiens; flammis gehennæ animam circumdans: tinea animæ,atque incendium.* Nota singula, acrimoniam habent:caro cadere diligit, nempe à cadendo dicta est caro, & propriè de cadauere dicitur. rursus incendiaria est,animæ admonens inferni faces, velut vna ex Furiis:deniq; pulchrè addicit pias preces animæ ad Deum, vt caro obediat spiritui, & hic charitate ferueat. *Sanctum in me opus inspira,vt cogitem,compelle vt faciam;suade,vt diligam te. confirma me, vt teneam te.custodi me,ne perdam te.* breuis

uis sed digna precatio, quæ ex corde sæpè proferatur.

* Ex libro de Amicitia.

Affectus ingēs erga mellifluum Christi nomen.

Omnes amicitiæ postponendæ amori erga Christum.

1 DE se sic loquitur. *Cum essem puer, delectabar amare, & amari; legi Ciceronem de amicitia; cum verò placuit domino corrigere deuium, relicta spe sæculi, intraui monasteriū, & statim legendis nostrorum libris operam dedi, vbi mellifluum Christi nomen meum sibi totum vendicauit affectū, ità, vt nihil aliud posset mihi sapidum esse, vel dulce.* Vide quantò suauior sit spiritalium librorum lectio, quàm sæcularium; nec mirum, nam in illis inuenitur, *mellifluum Christi nomen*, quippe vt ait Bernardus. *Iesu nomen mel in ore, melos in auribus &c.* quod ad nostram Societatem maximè facit, mellifluo Iesu nomine insignitam, *vt nihil aliud ei sapidum, vel dulce esse possit.* Tum ostendit, sine fide vanā scientiam. Constat, inquit, Tullium veræ amicitię ignorasse virtutem, cum eius principium, finemque Christum penitùs ignorauerit, qui est alpha, & omega, idest principium, & finis. Vide autem, vt cui Christus sapere occœpit, ōnia humana illi desipiāt. legerat elegātē Ciceronis librū de amicitia, sed vbi Christum amare cœpit, *ille sibi totū vendicauit affectum*. hominum amicitias post habuit.

2 Amicum pulchrè definit. *Amicus quasi amoris, vel ipsius animi custos dicitur, quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius amici oportet esse custodem, vt omnia eius secreta fideli silentio seruet, &c.* egregiè dictū: verus amicus est custos amoris mutui, & ipsius amici: nempe ne amor sua culpa dissoluatur, sedulò cauet. huc spectat quod Christus ad Apostolos ait. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* ac præcipuè hoc Ioāni cōuenit dilecto, cui secreta cōmunicauit. ad ipsū ptinet etiā quod addit: *Amicitia virtus est, qua talis dulcedinis, ac dilectionis fœdere ipsi amico copulatur, vt unum fiat de pluribus. quare ipsam amicitiā non inter fortuita, uel caduca, sed inter ipsas uirtutes, quæ æternę sunt, etiam Mundi huius philosophi locauerunt. hinc dictum est: Omni tempore diligit, qui amicus est; uix tria, uel quatuor amicorum paria apud ueteres legimus.* egregiè ait. amicitiam veram, quia ex deliberatione, & cōsilio est ob eximias dotes amici, stabilem esse ac firmam, ac proinde ex duobus velut vnum quid componi, et effici.

Verus amicus custos est amoris, & amici

Vera amicitia non fortuitò initur, & ideo perpetua.

Prou. 17.

Non est vera amicitia quę inter improbos.

3 Societatem maiorum detestatur. *Falsò præclarum nomen amicitiæ assumitur, inter quos est conuenientia vitiorum, nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam, & alterius.* rectè ait, falsò sibi vsurpare hoc nomen amici, quod vtilitatis est, qui se inuicem perdunt. his addit. *Amicitia carnalis, quibus agitata furiis à se ipsa consumitur, eadem leuitate resoluitur, qua contrahitur.* nimirum quia secundùm impetum affectionis rapitur, non ratione, stabilimentū non habet. eleganter autem indicat, amorē minus honestum quasi à *Furijs* accendi, quæ tædas ardentes, sed fumidas, & à gehenna accensas peccatoris pectori infeliciter admouent.

Amicitia carnalis tāquam a furiis agitata fertur in sana.

4 De veræ amicitiæ bono sic. *Amicitia secundas res facit splendidiores, aduersas leuiores. non aqua, non Sole, non igne magis vtimur, quàm amico; vbique gratus, necessarius, vtilis: quare amici & absentes mortui viuunt, &c.* elegans elogium de honesta dilectione. vide quàm præclarus amici vsus. pertinet hoc ad Apostolos, vt dictum est, sed maximè ad Ioannem dilectum. quod ait. *non Sole magis vtimur, quàm amico.* ob splendorem videlicet eius castimoniæ, & illustrationem de Verbi diuinitate.

Veri amici elogiū.

Ioannis à Christo dilecti pręclara laus.

5 Exponit illud Cant. (*Osculetur me osculo oris sui.*) *Osculum triplex est: In signum reconciliationis, cum amici fiunt, qui inimici erant. In signum pacis, sicut communicati in Ecclesia; In signum dilectionis inter sponsum, & sponsam, vel inter amicos post diuturnam absentiam; sed sicut plerique aliis rebus naturaliter bonis ad voluntatis satellitium abutuntur, ità & osculo.* rectè distinguit triplex genus osculi; & vide quàm peruersè diabolus abutitur illo, quasi satellite voluptatis, & armato ministro ad capiendas animas; vsus est. & Iudas osculo quasi satellite, nō minus quàm satellitibus ipsis, quibus stipatus accessit ad capiendum dominium.

Tria osculorum genera.

Iudas osculo vsus quasi satellite ad capiendum Christū.

6 Quàm vtilis, & illustris sit vera amicitia, rursus ostendit. *Vt ait Tullius, Solem è Mundo tollere videtur, qui amicitiam de vita tollit, quia nihil melius à Deo habemus, nihil iucundius.* iterum nota, amicum conferri cum Sole. vnus Sol est, purissimus, velocissimus, ardens: is igitur verè Dei amicus dicendus est, qui hæc in se experitur. Ad Ioānem dilectum, vti dixi, pulchrè referri potest.

Solem e Mundo tollit, qui amicitiam negat.

7 Quæ sint in amicitia seruanda, docet. *Primordia amicitiæ spiritualis, primùm intentionis habere puritatem, rationis magisterium, temperantiæ frænum: sic erit ordinatus.* Vide, quò ordinanda sit amicitia, ad castè sanctèque viuendum, ad rationabiliter agendum, ad temperatè moderatèque viuendum: vbi hæc tria absunt, vera amicitia dicenda non est.

Tria requisita in vera amicitia

8 Variam amoris originem docet. *Amor aut procedit ex natura, vt matris in filium,*

Quinque fontes amoris. *silium, aut ex officio ex ratione dati, & accepti, aut ex sola ratione, sicut inimicos ex praecepti necessitate diligimus; aut ex solo affectu, vt ob pulchritudinem, ac ceteras dotes; aut ex ratione simul, & affectu, cum ob virtutis meritum amor ex ratione castus, dulcis sit ex affectu*. Vide quis amor verè sit secūdùm rationem, scilicet qui castus est; hinc honesta quaedam suauitas oritur. acutè autem quinque quasi amoris incitamenta adnotat, & quasi dilectionis fontes ostēdit.

Fūdamētum amicitiae Dei amor. 9 Amor in quo fundādus sit, ostendit. *Fundamentum amicitiae, Dei amor est, ad quem omnia quae, vel amor suggerit, vel affectus, sunt referenda; vt quidquid adstruitur, fundamento conueniat, &c.* Egregiè monet non super aedificandū in amicitia, nisi i acto fundamēto diuini amoris. solent in fundamētis iaci pretiosa quaeq; vnde illud. *fūdabo te in sapphiris*, quae gemma coelestis coloris est: amādus est igitur amicus propter Deū.

Vera amicitia stabilis est quadam aeternitatis specie. 10 De duratione amicitiae sit. *Stabilis debet esse amicitia, & quandam aeternitatis speciem praeferre, semper perseuerans in affectu*. Vide, quantam cum aeternitate cognationem habeat verus amor: quia enim aedificium amicitiae pro fundamento habet Deum, corruere non potest: sin ile est illud psalmi. *In aeternum misericordia aedificabitur*. hanc dilectionis stabilitatem egregiè ostendit Apostolus, cum dixit. *Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? &c. certus sum quia neq; mors; neq; vita; neque Angeli &c.*

Detractio venenum est amicitiae. 11 Amici defectus, vt ferendi, seù corrigendi sint docet. *Detrahere amico, venenum amicitiae est, quod Mariae sororis Moysis corpus lepra foedauit, & eiecta est extra castra sex diebus*. hinc illud seuerum Dei dictum. *quomodo si pater spuisset in filii faciē &c.* quasi nullus esset vilior locus, in quem inspueret, quàm detractor. & rectè venenū appellat, iuxta illud: *acuerunt linguas suas sicut serpentis*. quid autem agendùm? *si fortè in ijs, qui tibi digni, ac benè probati amici videbantur, erumpant vitia? adhibenda diligentia, vt sanentur; alioqui dissueda est amicitia, nō rūpēda*. Vide quàm amāter, quā cautè cum amico sit agēdū, si quid peccet. Elegans est metaphora cū vestis non cum impetu scinditur, sed lentè dissuitur: quasi enim pretiosae vestis ornatus est amicitia.

Amicitia non dirumpēda sed dissuēda. 12 Amicitiam quae destruant, ostendit. Sex, inquit, amicitiae sunt contraria. conuicium, superbia, reuelatio secretorum, detractio, scandalum, seu infamia. *Non enim praeponderare debet religioni, non fidei, non charitati multorum, ac saluti*. Nota praesertim hoc vltimum, amicitiam non praeponderere debere religioni, iuxta adagium: amicus vsque ad aram.

Amicitia ob stabilitatem aeternitati cognata. 13 Rursus de stabilitate amicitiae sic. *Amicitia aeterna est, cum enim de duobus fecerit vnū, sicut id quod vnū est, non potest diuidi, ita & amicitia non potest à se separari*. huc facit quod supra dixerat, amicitiam cognatam esse aeternitati.

Quatuor ad amicitiam pertinentia. 14 In quibus posita sit amicitia, docet. *Ad amicitiam quatuor pertinent: dilectio in beneficiorum exhibitione; affectio in interiore quadam dilectione; securitas sine suspicione de reuelatione secretorum, iucunditas in prosperis, & in aduersis, & in omnibus quaedam dulcis, & amica collatio*. Pulchrè haec quatuor referri possent ad Ioannem Euangelistam dilectum, memoratis beneficijs à Christo in ipsum collatis, & interno affectu, & reuelatione secretorum, & amica collatione, vel in prosperis vel in aduersis: nam duxit eum in monte Tabor, & in mōtē Caluariae, & ei matrē tradidit.

Quatuor probanda in amico fides intētio, discretio, patientia. 15 De amicitiae probatione sic. *Quatuor probanda sunt in amico: fides vt ei te securè committas, intentio, vt nihil nisi Deum, & eius bonum spectes; discretio, quā do agendum cū amico; patientia, ne correptus doleat, vel pro eo aduersa pati pigeat*. nota item de Ioanne, quem diligebat Iesus, nam ei dixit: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* in aduersis quippe probatur amicus vt cum maximè.

Sinceritas amicitiae propria. 16 Amorem sincerum esse debere ait. *Qui in rebus humanis nihil nosciunt bonum, nisi quod fructuosum est, hi amicos sicut boues suos diligunt, in quibus aliquid boni sperant se capturos. non est, vt ait Ambrosius, vectigalis amicitia, sed plena decoris gratiae virtus; non licitatione pretiorum sed concertatione beneuolentiae: non debet esse mercenaria, sed gratuita*. Nota quanti Ambrosiū faciat. eleganter certè dictum, non esse vectigalem amicitiam, & esse concertandum inuicem, vt vincamus beneficiis. Vide quae apud ipsum Ambrosium ponderauimus.

Amicitia non impetu sed consulto contrahenda. 17 Sunt, & illa praeclara de amicitia monita. Quidam, inquit, indiscretè talem amicum habere volunt, quales ipsi esse nō possunt, qui impatientes sunt: quare caue ēdū, ne imprudentē tibi sumas, & lites quotidianas tibi ipse perquiras. sed illud monitū p̄clarissimū. *Cauendus est quidā impetus amoris, qui praecurrit iudicium, & probandi adimit potestatem: quare paulatim procedere debemus in affectu, donec iam probato sè totum cōmittat amico*. egregiè monet, quod, & Seneca philosophus scripsit, amicū prius probandū, deinde in pectore recondendū: quod ad Ioannē dilectū in Christi pectore recumbentem pulcherrimè facit, ideoque

Perfecta amicitia communne facit propriū bonum. subiungit: *Eligat quē ad amicitia secreta lege familiari admittat, in quem copiosè suum infundat affectum denudans pectus suum usq; ad inspectionē viscerum, medullarum, cogitationum, & intentionum cordis*. aduiuum exprimit Christi affectum in Ioannem.

19 Perfectae amicitiae ponit exemplū, *Ionathas foedus iniens cum Dauid, seruulum in amicitia adaequat domino, fugatum*

Vera amicitiæ exemplũ Ionathæ cum Dauid. à Patre, alind [illegible] morti sibi prætulit, se humilians, & illum exaltans. Tu, inquit, eris rex, & ego ero secundus post te; defert amico, vt æquali, sed præuenit in officio; amicitia enim nescit superbiam. Nota vim amicitiæ. Ionathas successor regni erat: nihil tã zelo plenum: tamẽ eum gradum amico alacriter defert, purpuram exuit, qua ipsemet illum induit, & quasi inaugurat regẽ manibus propriis, vsque inquit, ad balteũ, fortasse gladium sibi reseruauit, vt defenderet amicum. Vide autem quàm arctus nexus: conglutinata est anima Ionathæ cum anima Dauid.

Amicitiæ totum nondum uerbis expressum factis præuen. eadum. 19 De amicitiæ promptitudine sic. Intercide amici verba petentis, occurre beneuolentia, vt non rogatus videaris patrare quod petitur. ingenuus animus nihil magis erubescendum æstimat, quàm rogare. pulchrè ait. antequam amicus totum exprimat votum suũ verbis, intercidenda hæc sũt, vt amor factis respondendo præueniat. hinc de charitate dictum iuxta 70. ala eius ala ignis.

Signa sinceri amoris memoria amici quasi præsentis. 20 Veri, & intensi amoris signa eleganter ostendit. Quod tenerè diligimus, id videndi desiderio æstuamus; ea namque est vis amoris, vt oculus mentis offerat, quod ardentius mens desiderat; occurrunt enim nota tua, verba tua melle condita, occurrit felicium noctium iucunditas, quæ me mihi furantur, & studio, & labori, in media namque lectione te somnio; in somnis amplector te. in amplexibus te amitto: medere ergo desideriis, medere ergo absentiæ. facit hoc in primis pro S. Teresia, quæ amoris incendio, tanquã in amplexu Christi spõsi obiit; ac multò magis pro Deipara post Christi ascensũ.

Amicus oculos amici vereatur ne quid ei displiceat. 21 Est, & hoc monitum sanè præclarum de amicitia. Oculos vereatur amici, vt nihil quod dedeceat, præsumat: nam quidquid ipse deliquit, in amicum redundat. puto quia inter se vnum sunt, commune fit vtrique quod fit. Vide igitur quis verè Deum diligat, qui scilicet eius oculos etiam intima cordis penetrantes veretur, ne in aliquo illi displiceat.

Correctio ægrè facienda 22 Quàm amanter corrigendus sit amicus, pulchrè docet. Corripiat amicum vultus tristior, & sermo deiectior. intercipiant verba lachrymæ, vt non solùm videat, sed etiam sentiat procedere ex amore. vide, quàm beneuolè sit facienda correctio, vt ægrè ad eam faciendam nos induci cognoscat amicus, quod ipso vultu præseferat.

Vera amicitia Christum pro scopo habet. 23 Concludit hoc de amicitia satis piè. Orando pro amico transit subitò affectus in affectum, ipsius Christi dulcedinem tangens: ita à sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens, quo amplectitur Christum, spiritalem amicitiæ fructum capit. Vide quàm casto amore amplectendus sit amicus, vt is amor gradus sit ad amandum Christum.

Ex libro I. De Sermone Domini in monte.

Apostoli cum esse alacriter pati pro Christo. 1 Acutè adnotat, quod cum Christus cæteras beatitudines enumerat, dicat vniuersè, & indefinitè. Quoniã ipsorum est regnum cælorum. cum autem hanc, præsentes compellet, dicẽs: beati eritis cum persequentur vos, &c. nimirum ostendere voluisse puto, hanc beatitudinem maximè apostolicæ vitæ conuenire, quæ est ex persecutione, & ideò ad Apostolos sit apostrophe. vetus elogiũ: est fortiter agere, & pati Romanũ est. immo verius, Apostolicũ est.

Faber ferrarius persecutor nascentis Ecclesiæ 2 De Pauli persecutione sic. Apostolus propterea non orat pro Alexandro fabro ærario, quia iam frater erat, & ad mortem, idest inuidentiæ facibus fraternitatem oppugnando peccauerat. Alexander, inquit, ærarius multa mihi mala ostendit. reddat dominus illi secundùm opera eius, quem & tu deuita, valdè enim restitit nostris sermonibus. Notabile est Ecclesiam initio habuisse aduersarium fabrũ ferrarium, siuè ærarium, quasi qui arma Cyclopis instar fabricaret contra ipsam. & rectè ait, inuidentiæ facibus, videlicet tanquam in Aetneo camino. Behemoth quoque, idest diaboli ossa apud Iob fistulæ æris dicuntur, quibus quasi tubis indicit bellum. sed idem Alexander faber ærarius omen fuit probandæ Ecclesiæ, dum persequendo vasa fortissima cõflat velut in fornace, scilicet Martyres. huc spectat quod Paulus dicit de se; factus omnium peripsema est autem græcè peripsema id, quod à fabro ferrario abraditur in vasis æreis, vt splendescat; ità Ecclesia pulchior facta persecutionis lima; sed in præmium miraculosè ferunt pro amuleto fuisse, quod è catenis Apostoli ferreis erat abrasum.

Inuidia peccatũ est in spiritũ sanctum irremissibile. 3 De charitate in proximum sic. Hoc est fortassè peccare in Spiritum sanctum, per malitiam, & inuidiam, fraternam oppugnare charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti. Notabilis explicatio contra inuidos & detractores, cum hoc peccatum opponatur Spiritui sancto, qui totus est amor, irremissibile in hac, & in altera vita dicatur: de eo intellige, quem non pœnitentia emollit, sed pertinacia durat.

Peccati regnum mortificatione euertitur 4 Exponit illa verba. Nõ regnet peccatũ in vestro mortali corpore) Destruitur, & euer situr peccati Regnum, partim correctione hominũ, vt caro spiritui subiiciatur; partim dãnatione perseuerantium in peccato, vt iustitia ordinetur. intuere Paulum, nonnè tibi videtur, in seipso Stephanum martyrem vindicare, cum ait, castigo corpus meum? quis ergo conuincit Martyres sanctos non talẽ suã vindictã domino esse deprecatos; nã ipsa sincera, & plena iustitia, & misericordia vindicta Martyrũ est, vt euertatur regnum peccati.

egre

egregiè ait per mortificationem bellum indici, atque euerti peccati regnum. *Cum caro subiicitur Spiritui sancto.* & vide quid spectarit Paulus in corporis castigatione, vindictam de se sumebat ab persecutionē Ecclesiæ; & hanc vindictam à *Deo Stephanus* ipse deprecatus est, & alii Martyres, vt lictores & *Tyranni* conuerterentur. itá qui *S.* Petrum ordinis Prædicatorum occidit, religiosus est factus.

Sol monitor benignitatis etiam erga inimicos.

5 Ad pietatem hoc pertinet. *Qui Solem suũ oriri facit super iustos, & iniustos.*) non ait, *qui facit Solem oriri, &c. sed addit, suum, vt hinc admoneamur quanta liberalitate inimicis nostris ea præstare debeamus, quæ nos non creauimus, sed ex eius muneribus accepimus.* egregiè ratiocinatur à maiori ad minus. Huc refero illud. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* hoc est, vt iram dimittas antequam *S*ol abeat, qui est exemplum benignitatis Dei, cum Solem rem purissimam communicet etiam oculis impurissimis: & si *D*eus ipse largitur bona sua, cur nos non bona eius?

Ex libro II. de Sermone domini in Monte,

Oratio nõ ostēditur ex verbositate sed ex affectu.

1 INterpretatur illud. *Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici.*) *scilicet arbitrantes sicut hominem iudicem verbis adduci in sententiam.* Nota explicationem, non quod longam orationem nolit, cum Paulus iubeat semper orare, sed non esse cum Deo disertis, & exquisitis arte verbis vtendum, quasi hoc modo trahatur ad cōcedendum quod volumus; hoc enim affectu cordis potius fit, quàm affectatione verborum.

Cur olim Christiani orarẽt versus Oriẽtem

2 De habitu orantis sic. *Cum ad orationem stamus, ad Orientem conuertimur, vnde cælum surgit, non tanquam ibi sit tantùm Deus, & ceteras Mundi partes deseruerit, sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, idest ad Dominũ, cum ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, idest ad cæleste conuertitur.* pulchra ratio cur ad *O*rientem primò orare Christiani sint soliti, quia Oriens pars excellentior est Mundi; vt sicut corpus nostrum ad corpus excellentius Mundi conuertimus, ità intelligamus, & animum nostrum ad id, quod maximè spiritale excellit, conuertendũ, idest ad Deum.

Quotidianus panis etiam Eucharisticus dicitur.

3 *N*on est omittenda hæc interpretatio. *Panem quotidianum in oratione dominica intelligimus siue spiritualem, siue in Sacramento, siuè in victu visibili, quotidianum quia ad tempus datur in hac vita.* nota de quotidiana sumptione *E*ucharistiæ in sacerdotibus, ad quam cæteri quotidie saltem affectu anhelare deberent.

Ex expositione Epistolæ à Romanos.

Trinitas personarum & æqualitas sãcti spiritus in Pauli verbis ostenditur.

1 SPiritus sancti, & æqualitas in ceteris personis, & beneficientia erga nos ostenditur. *Quod Apostolus gratiam, & pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo dicit, non adiungens etiam Spiritum sanctum; non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei Spiritum sanctum intelligamus; gratia porrò, & pax quid aliud est, nisi donum Dei? quæ non datur nisi in Spiritu sancto; & ideò ipsa Trinitas pariterque incommutabilis vnitas in ista salutatione cognoscitur. ad Timotheum addit, misericordiam, quò enim familiarius, eò dulcius: quod modò scribens ad Timotheũ id verbum interposuit: quo planè aperitur, atque ostenditur, non meritis operum priorum, sed secundùm misericordiam Dei nobis dari Spiritum sanctum: gratia, inquit, misericordia, & pax à Deo patre, & Iesu Christo,* Vide præclarum nexum Spiritus sancti, siuè gratiæ, & misericordiæ, vt eius dona misericorditer, non merito dari intelligamus. *T*um nota ex Paulo pium salutandi in fide *T*rinitatis modum: quò spectat quod sequitur.

Gaudiũ multi ex vestigio tantùm Trinitatis.

2 Vestigium *T*rinitatis in verbo salutationis agnoscit. *Non est prætermittendum quod pater Valerius animaduertit, admirans in quorundam rusticorum collocutione, cum alter alteri dixisset; Salus: quæsiuit ab eo qui & latinè nosset, & punicè: quid esset, Salus? responsum est, Tria. cum ille agnoscens cum gaudio, salutem nostram esse Trinitatem, conuenientiam linguarum non fortuitò sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione diuinæ prouidentiæ, vt cũ latinè nominatur, Salus, à Punicis intelligatur, Tria; & cum Punici lingua sua Tria nominãt, latinè intelligatur Salus.* Vide quãtum gaudii attulerit cognitum vestigium tantùm Trinitatis, quod ad conuersionem & fidem posset certè allicere. huc facit, & quod subiungit. *Interrogati rustici nostri quid sint? punicè respondentes, Chanani, corrupta scilicet, sicut in talibus solet, vna litera: quid aliud respondent quàm Chananæi? itaque Chananæa petens salutem filię, Trinitatem poscebat, quia & Romana lingua, quæ in salutis nomine Trinitatem punicè sonat, caput gentium inuenta est in aduentu Domini: Chananæa verò gentium sustinebat personam. & cum de pane respondit Dominus, Trinitati attestatur; nam, & in alio loco in tribus panibus Trinitatem intelligendam* Luc. 11. *esse apertissimè docet.* acutè adnotat verbi mysterium. sed hæc verborum consonantia tantùm ad elegantiam, & hila-

ritatem audientium facit.

Ecclesia mater pie ubera poenitentibus protendit.

3 De Ecclesiæ benignitate in recipiendis pœnitẽtibus sic pulch. *Ipsa catholicæ Ecclesiæ tam insignis auctoritas, quæ in eodem dono Spiritus sancti omnium Sanctorum mater toto fœcunda orbe diffunditur, cui unquam hæretico, vel schismatico, spem liberationis, si se corrigat, amputauit? cui placandi Dei aditum clausit? non ne omnes ad vbera sua, qui eam superbo fastidio reliquerunt, cum lacrymis reuocat?* certè id per Monicam egit Ecclesia cum Augustino ipso, filio lacrymarum dicto. vbi vides hæreticorum conuersionem lacrymis impetrandam. eleganter autem Ecclesiam pietatis vbera prætendentem poenitentibus facit, maternũ eius affectum denotãs.

Cum lacrymis cõuersio impiorũ a Deo impetrãda.

4 In Paulo Spiritus sancti gratiam considerat. *In illo numero Iudæorum resistentium Spiritui sancto, & non ob aliud Stephanum vas eius, nisi quòd esset plenus Spiritu sancto, lapidantium, etiam erat Paulus in manibus omnium, quorum vestes seruabat, quod postea sibi pœnitendo increpitat, eo ipso Spiritu sancto iam plenissimus, cui primò inanissimus resistebal, & paratus iam lapidari pro talibus dictis, qualium prædicatorem ipse lapidauerat.* Vide inuidiam, & peruicaciam Iudæorum, & simul præstantiam protomartyris Stephani, qui ideò lapidatus est tam durè, quia erat plenus Spiritu sancto, quo corda molliuntur. tum nota, Paulum, qui ad eum lapidandũ operam suam præstitit, de se dicere, *semel lapidatus sum.* Stephano impetrante, vt socium gloriæ haberet hostem. agnosce quoque Dei pietatem erga poenitentes: Paulus vestes lapidantium tenens, vt quasi omnium manibus lapidaret Stephanum plenum Spiritu sancto, mox per egregiam cõuersionem ipse factus est, *Spirito sancto plenissimus.*

Cur Paulus non ipse lapides in Stephanum iecerit sed uestes lapidãtiũ te nuerit.

Figmentũ quod Spiritus sanctus uenerit trecentos annos post Christũ.

5 De Spiritus sancti aduentu falsam hæreticorum opinionem arguit. *Samaritani item restiterunt Spiritui sancto. item hæretici quidam, qui eum post trecentos annos ferè venisse confingunt, non die quinquagesimo pentecostes. alii eum prophetas in Phrygia, per quos tantò post loqueretur, elegisse concedunt alii negant æqualem &c.* nota figmentum hæreticorum dicentium, tam serò venisse Spiritum sanctum post trecentos à Christo annos, cum potius ille velocissimus sit ad benefaciendum; & in Phrygia primùm datum, nam ibi Montanus se paracletum finxit cum Prisca; & Maximilla pseudo prophetibus, ac potius meretriculis.

Peccatũ in Spiritũsanctũ est obstinatio in peccãdo cum desperatione.

6 Peccatum in Spiritum sanctum ait, non intelligi de non credentibus, nec de baptizatis, si post peccatum resipiscant: nã Simoni iam baptizato venalem putanti Spiritum sanctum Petrus dat consilium pænitendi: *ergo peccatum in Spiritum sanctum, quod non remittitur, nullum intelligitur, nisi perseuerantia in nequitia, & malignitate, cum desperatione indulgentiæ Dei, hoc est enim gratiæ illis resistere.* ideò irremissibile dicitur. ceterùm Christus ipsis Iudæis, quorum blasphemus est appetitus, dat pœnitendi locum, addens: *Aut facite arborem bonam &c. & cum illi dixissent: In Beelzebub eiicere demonia, misericorditer admonuit, ne verbum dicerent in Spiritum sanctum, ne gratiæ Dei, quam per ipsum donare venerat, resisterẽt.* Nota Christi mansuetudinem, & misericordiam, ipsos blasphemos suam gratiam recipere hortantis; & vide quam exaggeret Christus impoenitentiam, nimirum per illam iniuria fit gratiæ, & misericordiæ, quæ semper parata est ad recipiendum peccatorem.

Cur obstinatio cum desperatione dicatur peccatum in Spiritũ sanctum.

Ex expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos.

1 Exponit illud: *Sed non sicut delictum, ità est & donatio.) Duobus modis donatio præcellit, vel quod multò magis abundet gratia, qua vtique in æternum viuitur, temporaliter autem per mortem Adæ mors regnauit; vel quia in Adam vnum delictum damnatum est; à Christo autem multa donata sunt.* Vide Dei pietatem, dum donum maius facit delicto; vel ex hoc quia per delictum, corpus mortem temporalem incurrit, per gratiam verò immortalitatem perpetuò acquiret. præterea delictum per quod Adam in damnationem incurrit, fuit vnum; at gratia per quam saluamur, est multiplex in tot Sacramentis &c.

Donatio facta per Christum superabundat delicto.

2 Obduratio vnde oriatur, docet. *Obduratum dicitur cor Pharaonis, vt tam euidentibus signis non moueretur. quod ergo tũ Pharao non obtemperabat præceptis Dei, iã de supplicio veniebat. sicut enim in iis, quos eligit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei beneoperentur; sic, & in his, quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam malè operetur.* Vide, quantum mali sit iniquitas, vt p eã dignus fiat obduratione peccator. acutè ait: sicut gratia per fidem principium est meriti; ita peccatum principium demeriti, & obstinationis mõstrosa res peccator, qui in tãto igni, & æstu diuinæ charitatis, non modò emollitur, sed lapidescit. nimirum diabolũ imitatur, de quo dicitur: *cor eius indurabitur tanquã lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Iob. 4.

Peccatori obstinatio est in poenã delicti.

Ex

Ex Epistola ad Galatas.

Dies Aegyptii hoc est infausti, male cauentur in agendo.

1 INterpretatur illud. *Dies obseruatis, & menses &c.)* Aut de superstitione gentilium loquitur, *qui vel in agendis rebus, vel in expectandis euentibus vitæ, ac negotiorum suorum ab Astrologis Chaldæis notatos dies, & menses, & annos, & tempora obseruabant; & nunc plena sunt conuenticula hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt. iam verò ne aliquid incohoetur diebus, quos Aegyptiacos vocant, sæpè nos monere non dubitant, nescientes, vt dicitur, vbi ambulant.* exaggerat autem indignitatem rei, quod etiam cum in Ecclesia locus hic Pauli legeretur, id auderent: & rectè, cum hæc sapiant ethnicismum: Aegyptii etiam dies dicebantur infausti, quos Romani atros vocabant, quibus aliquid magni momenti agere cauebant: atqui virtuti nihil non faustum, non candidum esse subiungit. Aut de Iudæis intelligit, qui adhuc ritus veteres obseruabant neomeniarum &c. quæ vt vmbræ præcesserant. Tùm explicat, cur elementa Mundi infirma, & egena appellentur. *Manifestum est, volumina temporum per elementa huius Mundi, hoc est cœlum, & terram, & motus, atque ordinem syderum administrari, quæ infirma appellat, ex eo quod infirma, & instabili specie variantur; egena verò, ex eo quod egent summa, & stabili specie Creatoris, vt quomodo sunt, esse possint.*

Cur elementa Mundi dicuntur infirma, & egena

Nota, vt tota hæc Mundi dispositio, cœli, terræquè complexus infirmus dicatur, & egenus. infirmi nè sunt, & egeni ipsi cœli naturæ diuitijs pleni, & terra auri argentique fodinis, & gemmis? itá sanè respectu æternitatis, quæ sola stabilis, sola diues est. Tum vide quã egeat Vniuersitas vt, sit Dei præcepto, et vt rectè sit, eiusdẽ Dei donis, hoc est prouidentia, liberalitate, pietate &c. vt propterea, & infirma dicatur ex se, & egena.

Vniuersitas egena & infirma dicitur egẽs Dei donis atque præsidi.

2 Item exponit illud: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.) Qui tanguntur huiusmodi motibus, et tamen immobiles, et in maiore charitate consistunt, hi non hæc agunt, et ideò regnum Dei possidebunt.* pulchrè dictum, in concupiscientiæ motibus immobiles non esse oportere, & ex tentatione potius proficere in charitate. sed quanta felicitas Aloysij Gonsagæ, qui huiusmodi motibus nec tangebatur, adeo eos habebat edomitos.

In sensus motibus immobilem esse quã præmio dignum.

3 De lenitate est hoc. *Instà opportunè, importunè) Ita hoc intelligendum est, vt tu opportunitatem omnino non deseras, licèt illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum; tu tamen curam sanitatis eius animo teneas mansueto, et modesto, et fraterno: quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitatis affectus.* Egreglè hoc dictum. et subiungit quod si irrriteris ab eo, qui molestè audit correctionem, prius in re sananda est perturbatio; vt medicus non tractat vulnus, nisi sanis manibus. et si adhuc ille sit infestus; et de relinquendo tibi cogitatio subrepat, *oportet te lauantem lacrymis huiusmodi puluerem, multò salubrius meminisse, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando et in ipsa eorum obiurgatione peccamus. cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit.* pulchrè ostendit quàm piè debeat correctio fieri, vt perturbationem medicari volentes, sani à perturbatione simus: quid enim absurdius quàm vt peccatum corrigere volens peccet? rectè item monet, ne offendamur, si is qui corrigitur, non æqui bonique cõsulat. illud autem præclarè dictum, non tam sanguinem ex alieno vulnere acriter, quàm lacrymas e nostro piè elici debere in corrigendo: *oportet te lauantem lacrymis huiusmodi puluerem etc.* adeo hoc negotium tam est agendum lingua, quàm oculis.

Correctio non minàdo sed lacrymando fiat.

4 Hypocritas hac voce perstringit. *Quid ista cæcitate tenebrosius? homini de falso bono placere studes, de vero malo displices Deo?* elegans antithesis de falsa virtute, et vera malitia. rectè cæcitatẽ appellat tenebriosissimã hypocritæ, qui non dispicit, ac distinguit, quanta sit in vtraque re absurditas, et indignitas.

Hypocrisis tenebriosissima coecitas est.

5 Interpretatur illud: *Ego verò stigmata domini mei in corpore meo porto.) idest habeo alios conflictus, & certamina in carne mea, quæ in persecutionibus, quas patior, mecum dimicant: stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarũ seruiliũ; vt si quis seruus in cõpedibus fuerit propter noxã, vel huiusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur; & ideò in iure manumissionis inferioris est ordinis. nunc ergo Apostolus stigmata voluit appellare, quasi notas pœnarum ex persecutionibus, quas patiebatur. propter culpã enim persecutionis, qua persecutus erat Ecclesiam Dei, hęc sibi retribui cognouerat; sicut ab ipso domino dictum est Ananiæ: ego enim ostendam illi quæ oporteat pro nomine meo pati.* Nota humilitatem Pauli, qui persecutiones Ecclesiæ tribuebat suæ culpæ, quod ipse olim illius persecutor fuisset; ac proinde, vt stigmaticum, & mastigium mãcipium se putabat, quis igitur nostrum nõ patienter sufferet ærumnas, quæ peccatis nostris debentur? quanquam Francisci Assisiatis stigmata diuersæ rationis fuerũt, nõ serui, sed amantis, quibus assimilatus est Christo. Quò refero illud Cant. iuxta 70. *similitudines auri faciemus tibi cum stigmatibus argẽti.* vide, quã nobilia stigmata sũt, quę auro, argentòq; decorantur ob pretiũ! non igitur in pœnã, aut probrũ sed in prę miũ, & decus data.

Cur Paulus se stigmaticũ dixerit.

Pauli stigmata quæ fuerint.

S. Francisci Assis. stigmata

Ex commentario in Iob iuxta 70. Interpretes.

Dæmones subiecti bonis Angelis.

1 *VEnit diabolus cum eis.) Vtrùm quia non potuit, nisi per eos audire, hoc est Angelos?* Vide, vt boni Angeli magisterio superiores sint malis, vt à bonis discãt mali quid ipsis permittat Deus.

Peccati scabies testa domini passionis eraditur.

2 *Tulit testam, vt raderet scabiem.) Per passionem Domini, significat eradi peccata confitentium.* Nota quã fœda peccata sint, quæ scabies dicuntur, ac proinde abominabilis peccator est, & indignus consortio aliorum, ne eos inficiat. rectè autem Christi passionem testæ cõparat charitatis igne duratę, qua sanies nostrorum eraditur peccatorum.

Cur execrabilis nox conceptionis hominis.

3 *Pereat nox, in qua dixerunt: conceptus est homo.) Dixerunt hoc aliquæ scilicet Potestates.* Nota execrationem ob lætitiã aeriarum Potestatum, hoc est dæmonum in conceptione hominis, in quantum concipitur in peccato originali, ac proinde filius iræ. dicas nè in conceptione Deiparæ hoc dæmonum factum esse tripudium? imò luctum dicam. huc spectat quod sequitur. *Non veniat in ea lumen;) Memoriæ scilicet.* si dies nostræ conceptionis memoria dignus non est ob peccatum originale, & caligine obliuionis offunditur; ergo contra, conceptio Deiparæ sine labe, digna est memoria sempiterna.

Dies iudicii quã amarus.

4 *Conturbent eam quasi amaritudines diei) Dies iudicij quibus conturbãtur carnales.* huc refero illud Ioelis. *Vox diei Domini amara:* non modò dies ipse iudicij, sed nomen eius diei amarum dicit, iis scilicet qui huius vitæ dulcedine allecti voluptatibus se dediderunt.

Eminentes in peccatis tenebricosa sunt sidera.

5 *Tenebrescant sidera noctis illius.) hoc est eminentes in peccatis.* En mundanorum hominum fastus, & quasi sidereus fulgor, vt repentè vanescat in tenebras. ad hos quoque referri potest illud Iudæ Apostoli. *hi sunt sidera errantia, quibus seruata est procella tenebrarum in æternum.* Ad hęresiarchas tamen maximè pertinet, quibus cõpetit etiam quod sequitur.

Hęreticorum, & obscenorum poetarum libri ubera sunt nequitiæ

6 *Quare vbera suxi?) Vbera doctrinæ sunt nutrientes ad nequitiam.* hoc non modò ad hæreticorũ prauam doctrinã refero, sed etiam ad eam, quæ ex poetarum obscœnis libris, & carminibus hauritur. hæc vbera Lamiarum sunt iuxta illud: *nam & Lamiæ nudauerunt mãmas suas, lactauerant catulos suos.* Lamiæ autem monstra noxia sunt, ore quidem virgineo, cetero corpore belluino, cuiusmodi voluptas est.

7 Cum Regibus honoratis terræ, qui gloriabantur in gladio: *quod est verbum Dei.* Nota quanta sit dignitas Euangelici viri, qui gladium verbi Dei tractat, ac vibrat. hi non Regibus modò, sed Regibus honoratis æquantur: nec mirum, cũ Reges ipsi eum territi venerentur: quãquam hi quasi Reges armati non delicatè in aula, sed in campo laboriosè sunt. Sequitur. *Aut cum principibus, quibus multum fuit auri;) idest sapientiæ.* Inter huiusmodi principes ditissimos numero Chrysostomum, cui, vt nomen ipsum indicat, *multum fuit auri, hoc est sapientiæ.*

Viri apostoli a regibus comparatur.

Diaboli fremitus & rugitus contra bonos.

8 *Fremitus leonis, & vox leænæ.) ipse diabolus, qui sæpè bestiæ nomine à prophetis ponitur.* Vide quàm anhelet Diabolus in nostrã perniciem. puto intelligi posse & de sæuitia in Catholicos hæreticorum, ad quos aptè etiam ob varias sectas discordes pertinet quod sequitur: *catuli leonum diuisi sunt ab inuicem.* ad eosdem referre potes quod sequitur.

Diaboli gaudiũ extingantur per viros apostolicos.

9 *Et gaudium draconum extinctum est,) idest superborum.* Vide quò superbia tandẽ decidat, ludibrio erit, nempe, & de diabolo rege ipsorum dicitur: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Dracones in primis hæreticos dixerim tumentes veneno superbiæ; quorum gaudium per Ecclesiæ doctores, qui eos impugnant, extinctum est. sicut & dæmonum superborum gaudiũ per Apostolicos viros humilitate insignes, qui eis prædam eripiunt animarum.

Cur Diabolus dicatur myrmicoleon.

10 *Myrmicoleon perijt, quia &c.) Quia in nouissimo nõ erũt, quos inducens quasi comedat. separatis iam pijs ab impiis. myrmicoleon dicitur, diabolus, vel quia vtrumque in eo est, cum rapit, & occultè prosequitur frumenta, quæ sublato oculo facit non germinare; vel quia auaris, & in terra thesaurizantibus dominatur; vel quia iustos persequitur quasi formicas sibi escas præparantes æstate ad hyemem.* Nota quod ait, diabolum instar formicæ frumenti oculo quasi frugiperdã insidiari; quod refer etiam cum in Eucharistia fidei oculum perdere conatur: vel quia leo æstuans febri formicas dicitur persequi, vt ijs vescatur, ità diabolus furore ardẽs iustos, qui prouidi sunt in parandis bonis; nam dicitur. *vade piger ad formicã.*

Apostolici viri vulturibus comparati cur.

Pulli uulturis altissime uolantes contemplatiui sunt.

Dæmones uultures cadauera peccatoris appetentes.

11 *Pulli Vulturis altissimè volitant.) Vultur benè intelligitur dominus mortalitate nostra descendens, vt pasceretur; conuertens nos in corpus suum.* Mira Dei dignatio; Vulturi cadaueribus pascenti assimilatur; quid enim peccator, nisi putidum cadauer est? sed in Deum viuum per grãtiã transmutatur. Addit: *pulli Vulturis sunt filii sponsi altissimè volantes, conuersationem in cælis habentes; Possunt & pulli Vulturis in malum accipi, aeriæ scilicet Potestates, quæ mortibus, hoc est peccatis vescuntur; & quia superbiunt, cum non sint ad humilitatem mortalitatis nostræ perductæ, altissimè volant.* pulchrè

pulchrè ait, secundū bonū sensum per Vultures altissimè volantes, Euangelicos viros intelligi, qui peccatoribus pascuntur, quos in se conuertunt, nec tamen relinquunt contemplationis altitudinem. In malum autem Vulturis volatus refert superbiam dæmonum, ex eo quod incorporei, & immortales sint, quorū pastus cadauerosi peccatores sunt, quos in se transmutant. hinc de Iuda proditore dicitur: *vnus ex vobis diabolus est*.

Iudęorū duritties, & gentilitatis credulitas.

12 *In die occurrēt illis tenebræ.*) sic accidit Iudæis, qui tanquam in nocte, palpitant in meridie; *qui videntes tot signa, adhuc dubitabant*. ad eosdem refert quod sequitur: *& feroces bestias non timebis*, *) quia tibi gentes obaudient*. sæuierunt Iudæi sæpè in Christianos etiam in pueros, vt Simeonem, & in ipsam imaginem crucifixi, vnde mirus ille cruor effluxit, tamen adhuc obdurato sūt corde; sed interea gētilitas vbique credit mitis, cuius ferocitas mutuenda videbatur. subiungit spectantem ad hoc interpretationem. *& bestiæ pacificæ erunt tibi.*) *vel Iudęos intelligit, vel Gentiles*. alterum referri potest ad *Ignatiū* nostrum, qui Iudæum paucis his verbis conuertit. Mane nobiscum, Isaac; alterum ad Xauerium, qui tot barbaros sæuitia insignes fide mansuefecit. Sequitur: *In pace erit domus tua.*) *idest Ecclesia*. pertinet hoc ad Catholicos; nam hæretici inter se dissentiunt, & digladiantur.

Prædicatio Dei sagittæ vius est.

13 *Sagittæ domini in corpore meo sūt.*) *verba Dei, quibus anima transfigitur, cum cogitur ad confessionem*. pulchrè interpretatur. sicut enim sagittæ vulnera in corpore tanquam ora quædam aperiunt. ità verba Dei, dum transfigunt, ora aperiunt ad confitendum. ideoque prædicationis arcu intenduntur: sed vt hoc fiat, terrere debēt, non mulcere. audi igitur quod sequitur: *quarum furor ebibit sanguinem meum*) *Verba enim Dei tollunt peccata*. ità enim terrendus est peccator iudicii, & inferni metu, vt quasi exanguis reddatur. S. Vincentius dicitur concionando peccatorem vertisse in cinerem.

Os sese iactantis fœtorē inhalat.

Voluptas carnis putida res est.

14 *Fœtidas escas meas video, sicut est odor leonis.*) *propter superbiam, & iactantiam verborum. vel quod amplectentes carnalia fœtorem leonis habeant*. Vide quàm putida res sit voluptas. & nota quod de leone physici aiunt: dicitur .n. relinquere in esca, quam tetigit, fœtorem quendam; ità diabolus, vel peccator, cum alteri suadet, vt peccet præsertim carnaliter. tamen id mundani stultè pro honore habent. Tum illud diligenter cōsidera, ex ore eius, qui se iactat, quendam fœtidum edi halitum. contra de humili dices, eius os suauem spirare fragrantiam.

15 *Desit mihi ciuitas sepulchrum, super cuius muros saliebam.*) *Vt sciat, quia mortuos teget, quicumque in illa fuerunt, de cuius tanquam firmamento, & munimine superbiebant*. en quid sit Mundus, cuius asseclæ ad culmen gloriæ per mundanas dignitates ascendere, immò salire conantur, ciuitas sepulchorum. hic sepulti Alexandri, Cæsares, Scipiones &c. huc refer titulū illū loco datum post expletum desiderium in deserto. *sepulchra concupiscentiæ*, qui titulus Mūdo competit. & certè ad mundanos pertinet illud Christi dictum. *sine mortuos sepelire mortuos suos*.

Mundus ciuitas sepulcrorum.

Angeli hominū propinqui, in iudicio malis auersi.

16 *Propinqui mei non aspexerunt me.*) *idest Angeli*. Mira dignitas gentis humanæ vt cognationem cum beatis illi mentibus habeat. sed quantò propinquiores facti post incarnationem? nam *inclinauit cœlos, & descendit*. quid custodibus *Angelis* propinquius nobis? tamē in iudicij die damnatis ità auersi erunt, vt nec aspicere dignentur, cum suis consilijs non acquieuerint.

Torrens diuinæ misericordiæ in iudicio siccabitur.

17 *Tanquam torrens deficiens &c.*) *Misericordia enim aliquando tanquam torrens inundauit me*. Vide abundantiam beneficiorum Dei. certè torrens, etiam saxa inūdās trahit: quid ni & misericordiæ torrens peccatores? sed in malorū morte, & in iudicio deficiens siccabitur, quia ingratitudo exsiccat misericordiæ fontem, vt ait Bernardus.

Iustus terrori est diabolo.

18 *Qui me metuebant, nunc irruerunt super me,*) *Diabolus videlicet, cum Angelis suis*. Vides Diabolum cum toto suo exercitu solitum fuisse timere vnum Iob ob innocentiam, nec ausum ad eum accedere nisi potestate à Deo facta. adeò iustus terrori est totis Inferis. Ignatius noster baculo senili diabolū fugare solitus, vt sit mancipijs virga obiecta.

Adam seruus metuens effectus abscondit se sub umbra.

19 *Tanquam seruus metuens, & consecutus vmbram.*) *quod significat absconsio Adam, & tectio foliorum, de quibus vmbra fit, quam relicto Deo consecutus est homo*. Vide vt Adam creaturæ dominus creatus. *præsit piscibus maris, & volatilibus cœli &c.* repentè per peccatum seruus euaserit, & seruus metuens infelix abscondit se sub foliorum caducorum vmbra, cum Dei protectione velut vmbraculo destitutus est.

Plenitudo temporaliū bonorū inanitas est.

20 *Expectaui menses vacuos, & noctes dolorum datæ sunt mihi.*) *nam in temporalibus bonis, & lux amittitur sapientiæ, & materies est pœnarum*. Vide quid lucro inhians lucretur, inanitatem, tenebras, dolorem; plena est arca nummis, plena marsupijs, & tamen inanitas dicitur; splendor argenti, tenebræ sunt.

Immensa Dei pietas repulit diabolum non hominē.

21 *Vtrùm nē ego sicut mare sum, aut draco?*) *idest non me sicut diabolum repulisti*. Nota mare procellosum dici diabolū quia tot gentes naufragas absorbet; itē magnæ belluæ, mōstroq; marino similem, na-

uce

ues euert enti;& fluctus concitanti. sed ineffabilem Dei pietatem rectè commendat, qui diabolum semel peccantem omnino repulerit, hominem pœnitentem recipiat: licet & de peccatoribus dicatur. *Impij quasi mare feruens. & fel draconum vinum eorum.*

Mũdana opera inutilia vt aranearum.

22 *Araneis implebitur tabernaculum eius.) Opera significat inutilia:* nempè vt araneus se euiscerat ad muscas capiendas, ità mundanis accidit. rectè igitur horum princeps dicitur Beelzebub, idest dominus muscarum.

Sapientia, & doctrina Sanctorum soli comparata.

23 *Qui præcipit Soli, & non oritur.) Cum aut sapientia non intelligitur, aut ii, qui scripserunt.* Pulchrè sapientiam, & doctrinam Sanctorum Soli comparat. nunc Deo permittente Deo latet impios sed agnoscēt in iudicio dicentes impij. *Ergo errauimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non illuxit nobis.* id ad hæreticos maximè pertinet.

Propagatio Ecclesiæ opus diuinum est.

24 *Qui extendit cælum solus.) idest qui Ecclesiam, quæ propriè fides Dei est, extendit per totum orbem. solus, ad significandam vnitatem Trinitatis*, acutè interpretatur. vbi nota propagationem fidei non tribuēdam labori nostro, ipse est qui dilatat Ecclesiam in fide Trinitatis in vnitate naturæ. quomodo enim tam subitò fides extendi potuisset etiam quò Romana arma non peruaserant præsertim in tanto persecutionum opposito?

Ecclesiæ firmitas inter persecutionum fluctus.

35 *Et ambulans supra mare tanquam super terram.) idest firmiter confirmans Ecclesiam, vel subiiciendo sibi peccatores, in quibus non mergitur, non cedendo tentationibus.* nempè impij tanquam mare feruens dicuntur, hos tamen calcando sibi subijcit Ecclesia. quid tyranni? quantos excitarūt fluctus persecutionum? Adde hæreticos, & schismaticos. super hos fluctus in persona Petri semper ambulauit religio calcans impunè.

Cur peccatores vocentur cursores.

26 *Vita mea leuior cursore;) Tanquam fugitiuos dicit homines à iustitia recedentes,* rectè cursores peccatores vocari puto etiã ob id, quod ad Inferos procurrentes literas suæ damnationis secum ferunt.

Immortalitas quasi paludamentum regium non huius vitæ.

27 *In sorde me tinxisti;) Videlicet mortalitate perductum.* sequitur, *& exetratum est me vestimentum meum, idest immortalitas, qua cupimus superuestiri, sed non possumus in hac corruptione.* eleganter vestimentum quoddam ornatissimum dicitur immortalitas, quæ nunc in ista vita nos quodammodo execratur inter sordos huius seculi degentes: tamen quædam eius vestimenti veluti quædam gemmæ, ac margaritæ in terra commodatæ sunt nonnullis sãctis, vt incorruptio corporis post mortem, & splendor vultus in vita &c. illud Xauerio, hoc Ignatio nostro concessum.

28 *Nonnè sicut lac mulsisti me?) quin etiam lac mortalibus præbuit misericordia, cum homines informi primordio formauit.* pulchrè dicit primis parentibus tanquam recens natis Dei misericordiam quasi nutricem vbera porrexisse, qui tamen infantiæ lacte spreto, potius pomum vetitum in suam, & nostram perniciem manducare voluerunt. simplicitati infantili serpentis astutiam prætulerunt.

Misericordia quasi nutrix primorum parentũ porrexit vbera.

29 *Si iustus fuero, nec potero respirare.) Quia scilicet tu vides peccata quæ homines latent.* Vide quàm horrendum sit iudicium iusti Dei. hominis adeo metu perculsi stupebunt, vt respirare vix possint, & hoc ob peccata non solũ publica, & aggregata, sed quę ipsimet ignorant: vnde illud prophetę. *ab occultis meis) mũda me, domine.* quid agēt iniusti? vnicum nunc respirandi remediũ; fiducia passionis Christi, secundùm quod ait Hieremias. *Spiritus oris nostri Christus Dominus: captus est in in peccatis nostris; sub umbra illius viuemus.* hebraicè est, respiratio oris nostri. Sequitur *plenus sua opprobrijs. scilicet in conspectu tuo.* Vide quod sit homo etiam iustus coram Deo; res vilissima, & ignominiosissima præ summa illius maiestate, ac perfectione. Addit, *& capior sicut leo) idest ad occasionem est superbia peccatum quod homines latet, quando etiã in factis laudabilibus possit obrepere.* Nota quàm Deus detestetur superbiam, etiam si foras non se prodat, etiam prouenientem ex benefactis: eleganter autem indicat stragem superborũ, quàm in iudicio Deus per Angelos quasi venatores faciet sub metaphora stragis leonum, qui superbiæ typus sunt, in venatione, in amphitheatri cauea, spectante non Vrbe, sed Orbe. huc pertinet notabile illud factum, cum reo Britonumum iussit regiam aulam Christiano pictore eius artis peritissimo depingi; admonens, vt imagines eiusmodi essent, quæ ob admirationem traherent ad se spectantiũ oculos; quales sunt venationes leonum, aprorum vrsorum. ille extremum Iucium depinxit, & quandam horribilem quasi ferarum stragem, hoc est improborũ per Angelos quasi venatores factam in totius Orbis terræ amphitheatri cauea. introductus tandem rem, & picturæ spectaculo attonitus, atque obstupefactus, cum mysterium cognouisset, Christianam fidē statim amplexus est vnà cum subditis.

Iudicij memoria nos respirare nõ finit.

30 *Instaurat in me tormenta mea.) Ipsa mortalitas tormentum est, de qua tribulationes aliæ fiunt.* quàm stultè igitur hanc vitã amamus? hoc est qnod ait Gregorius: amamus miserias nostras. tormenta fnnt iustis quæ videntur blandimenta mundanis. hæc vita series est malorum; nec aliud ibi cernis, nisi inter se nexos, & quasi catenatos labores, vt est in adagio.

Ipsa nostra mortalitas tormentum est.

31 *Aut vestigium Dei inuenies?* nota,

vt rem

Christi relicta uestigia in monte Oliueti.

vt rem difficilem dicit; reliquit tamen vestigium in cœlum ascendens in Oliueti monte, vt eius vestigia sequi meminerimus, quò eodem tendamus. hęc vestigia ante desiderabantur, nec inueniri poterāt, quia nondum Deus incarnatus pedem fixerat terris. horum vestigiorum mirè auidus fuit Ignatius noster Hierosolymam adiens, semel, atque iterum reuisens. possumus tamen Dei vestigia creaturas dicere, per quas ille notitiam sui dat.

Mundani quasi onagri sunt in deserto.

32 *Vir natus mulieris tanquam Onager erit in deserto;) cupiditate scilicet libertatis, impatiens dominatoris, ac domitoris.* Vide quid sit is, qui licenter in suas voluptates excurrit, Onager in deserto; desertus à Deo, animal indomitum simul, & vile.

Pura cōscientia quasi fōs limpidus Solem repręsentans.

34 *Sic fulgebit facies tua, tanquam aqua pura.) conscientia videlicet.* Agnosce hic fulgorem illum in S. Ignatii nostri vultu à S. Philippo Nerio visum, & in quibusdam aliis Sanctis. vides vnde prouenerit, ex pura conscientia; at mali, quia perturbationibus agitantur, tanquam pura aqua, esse non possunt, nec in eis imago Dei relucere, quasi Solis in limpido fonte.

Oratio cum Lucifero planeta comparatur.

35 *Oratio tua tanquam Lucifer erit.) idest oratio ante illuminationem praibit.* pulchra, & elegans similitudo. quemadmodū Lucifer solem præit, ac diem secum fert, ità oratio affert lumen, idest illustrationes diuinas; & vt Lucifer inter stellas pulchritudine, & magnitudine, quarum veluti choros ducit, præcellit; ità oratio affert secum ornamenta cæteris, & idem Vesper est, nam diu noctuq; orandum. denique vt Lucifer diem præuenit, ità oratio, iuxta illud quod de manna dicitur. *Oportet præuenire Solem in benedictionibus.*

Apostoli regibus comparati.

36 *Qui collocat reges super sedes.) idest Apostolos,* secundū illud, *sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* En quò peruenire fecit piscatores, è scapha in solium regni ad eos pertinet & quod sequitur.

37 *Et circumdedit balteo lumbos eorum;) balteo regum lumbos circundat, idest continentia.* Pulchrè hoc pertinet ad S. Thomam, cui post victoriam de muliercula, Angelus balteo lumbos constrinxit, continentiæ donum tribuens: instar Regis tūc inauguratus est, & balthe o præcinctus, ob subiectos sibi motus concupiscentiæ nunquam rebelles. Ceterùm Apostolis dictum, *sint lumbi vestri præcincti:* continentia enim maximè Apostolicis viris necessaria, vtpotè cum omni genere hominum versantibus; ità vt non modò ipsi non inquinentur, sed alios mundent.

Continētia quasi regius balteus est.

S. Thomas Aquin ab Angelo præcinctus alter.

Dei laudes non nostras prædicare debemus.

38 *Qui permutat labia fidelium.) Nēpè vt non de sua iustitia, sed de gratia eius præsumant.* Vide quid labia, & os nostrum persona re debeat, gratiam: gratia semper in ore sit, de Dei beneficiis loquamur, non de nostris meritis, & laudibus, à Deo petēdum hoc est, & quasi egregium eius opus rectè dicitur.

Præsens vita vmbra est mortis.

39 *Qui produxit in lucem vmbram mortis.) idest fecit, vt cognosceretur vita ista, quia vmbra est mortis.* pulchrè dictum: tunc homo vero lumine illustratur, cum se esse vmbram agnoscit, & in tenebris iacere: & hoc item intelligere, non exiguum Dei donum est.

Peccata singillatim confitenda, & apertè.

40 *Animam meam ponam in manus.) Inspiciendum est, vt nihil cœlem, siuè vt cōputem peccata mea.* Nota quid sit animam suam in manus habere, idest palam, & apertè expositam, vt nihil astutiæ, ac fraudis in ea sit. pateat Deo, & confessario; Vel dicamus, quia digitis computamus in arithmeticis, anima tunc inter digitos est, cum cōputamus, & enumeramus peccata nostra; neque enim vniuersè peccata confiteri satis est, sed oportet eorum species, & numerum declarare, cum grauia sunt.

Iudicii sive examē apud proximū cōscientiæ tribunal.

41 *Ecce appropinquo iudicio meo.) idest vt iudicem de me, quasi ipsa sit iustitia, in cōfessione sibi non parcere.* Egregiè dictum, non expectat vltimum Christi iudicium, de suo loquitur. nempè nos ipsi in nobis tribunal quodammodo constituere debemus, ac nos reos fateri, hoc autem tribunal proximum nobis, hoc est præsens esse semper debet, non quasi procul positum, & remotum, vt illud extremum. hinc illud in nostra Societate institutum examen conscientiæ bis in die. porrò, quàm seuerum sit oportet, quod ipsa iustitia constituit? ipse sibi peccator est, & iudex, & lictor. mira res: ibi veniam meretur qui sibi non parcit.

Iuuentutis peccatum superbia.

42 *Imposuisti mihi peccata iuuentutis.) quia superbierim quod est peccatum iuuentutis.* scilicet iuuenis audax natura est, & de se præsumens frœnum excutiens quis crederet, Deum hoc potius exprobrare, quàm luxuriam in iuuene? sed superbia magis communis omnibus est, etiam castis.

Mortalitate qua si vinculo compedimur.

43 *Posuisti in compede pedes meos.) idest in vinculo mortalitatis.* Vide quid sit hæc vita; vinculū, quo impedimur ne curramus ad Deum. permisit tamen hoc vinculum Deus ad humiliationem nostram: hinc illud Pauli, *cupio dissolui, & esse cum Christo. Sequitur, & radices pedum meorum contemplatus es cupiditates scilicet.* radix affectuum cæterorum cupiditas est: affectib. fertur animus, & quasi passibus currit. hoc Deus penitùs cōtemplatus, terreni ne sint, an cœlestes.

Deus nostrorum affectuū considerator.

Renouatio spiritus necessaria.

44 *Qui veterasco sicut vter, vt vinum nouum portare non possim.)* Vide quàm necessaria sit renouatio spiritus, alioquin Spiritus sancti feruido mero impleri nequimus.

45 *Breui viuens tempore, & plenus iracundiæ*

Idem eft iracūdia ac miferia.

cundiæ plena.) fic legit vbi nos: *repletur multis miferijs*. Nota iracundiam vocari miferiam, puta quia in calamitatibus exacerbatur animus, & feipfum quodāmodo lacerat. multæ sūt in hac vita irafcēdi occafiones, ideo plenus homo miferijs multis.

Error pœna peccati.

46 *Adnotafti, fi quid inuitus erraui.*) *etiam hoc adnotafti, inuitum autem errare pœna peccati eft*. Nota cur Deus adnotat peccatum, etiam cum inuitò erratur. quia in pœnam peccati præcedentis permittitur, vt erret peccator.

Plinius

47 *Et quidem mons cadens defluit*:) *ità & homo ex altitudine, & firmitate fua cecidit*. Eleganter Adam monti comparatur ab altitudine ftatus, fed Cyboto monti fimilem dicas, quem in terræmotu terra ipfa abforbuit. olim ille mons fuit, at peccando effecit, vt nos in valle miferiarum, & lacrymarum fimus. Sequitur. *& petra veterafcit, & alluuione paulatim terra confumitur.*) *Cum crebris cupiditatibus quafi alluuionibus atteritur. gradus fecit de monte ad petram, de petra ad lapides, de lapide ad arenam, quia has diminutiones carnales patiuntur*. Nota, hominem comparari monti diruto, lapidi veteri, arenæ: ità femper in eo quiddam minus inuenitur, & humana fublimitas penè in nihilū redigitur. Idem in in rebus fpiritalibus accidit, vt cum cœperis de culmine perfectionis cadere, femper in peius ruas, & delicta in numerum arenarum augefcant.

Adam monti fimilis ruenti per originale peccatum.

48 *Mutafti faciem eius, dimififti eum.*) *cum fcilicet imago Dei in homine exterminata eft*. Nota in Adamo per peccatum mutatam faciem quodammodo, exterminata videlicet Dei imagine, quam præferebat: & dimifit eum, quia ftatim eiecit eum è paradifo voluptatis, & vt græca vox indicat, cum impetu expulit. & ficut fingunt Actęonem mutata facie à canibus proprijs dilaceratum, ità Adam beftias eft in fe immanes expertus, mutata iam facie, quam ueritæ antea illi parebant.

Peccator impœnitens efca dæmonū quafi vulturū fit.

49 *Decretus eft in efcam Vulturum.*) *Aeriarum videlicet Poteftatum, quæ mortibus peccatorum vefcuntur*. Vides, dæmones, præfertim qui in aere ifto verfantur, ac volitant, Vulturibus fimiles effe rapacibus, qui dicuntur obferuare prælij diem, vt cadaueribus abundè pafcantur, ficut illi diem mortis. infelix impius, qui per Dei præfcientiam decretus eft fua culpa in efcā Vulturum talium lacerandus, quafi fauciū, & abiectum cadauer.

Peccatores obftinati fcutarij funt diaboli.

50 *Currit contra Deum in craffa ceruice fcuti fui.*) *Contra fcilicet faciendo, ac præcipitur, præfumens de protectione fua*. Nota: peccatores obftinati, nec fe prona ceruice humiliantes Deo, tanquam milites Diaboli funt, armati fcuto confidentiæ fuæ; currunt contra Deum, eius præceptis præfractè obnitentes, ac fua peccata defendentes pertinaciæ fcuto. nempè hi diaboli fcutarij funt, de quo dicitur: *corpus eius fcuta fufilia*.

Libido capiftrū eft trahens ad mortem.

51 *Fecit capiftrum fuper fœmora.*) *Scilicet, vt libidinibus fuis colligaretur. quo vinculo duceretur ad mortem*. Nempè fœmur ad generationem, & libidinem pertinet. libidinofus ipfe fibi carnifex eft, capiftrum fibi facit, quo trahatur ad mortem. innexuit fibi reorum vinculum, cum fe implicauit, & illaqueauit amore carnali. quid vilius, aut miferius?

Pacis bono priuari quantum malum fit.

52 *Decidat tanquam flos oliuæ.*) *hoc eft decidat à pace*. Vide quantum fit damnum pace priuari. ficut hoc execrabile, fic contra quafi bene aufpicando dicitur. *erit quafi oliua gloria eius*.

Ofee 14.

Præfens vita piraticum bellū eft.

53 *Sagittæ piratarum eius fuper me ceciderunt.*) *Aerias intelligit Poteftates, quibus vtitur Deus, & eis permittit, vt exerceantur boni, aut puniantur mali. piratæ autem dicuntur, quia in hoc mari nauigantibus infidiantur*. Vide, quam difficilis nauigatio fit huius vitæ; præter fluctus decumanos, & fcopulos, & Sirenum illecebras, infidiantur piratæ, vt fpolient nos, & ij fagittis armati. eft igitur hæc vita tanquam piraticum bellum omni conatu conficiendum.

Dei oculus quā horribilis in peccatores.

54 *Acie oculorum irruit.*) *Ipfe enim tanquam lumen eft punitoribus oftendens puniendos*. igitur non latet occultum peccatum Dei oculos: & hi oculi, qui illud viderunt, quafi lumen emittunt, & oftendunt peccatorem lictoribus, vt eum rapiant ad pœnam. quid autem infelicius, & horribilius, quàm benignum Dei oculum habere in fe iratum, & quafi irruentem ad vindictam?

Dęmonū furor in eos ques puniendos fufceperunt.

55 *Acriter percuffit me ingens dominus, & fimul cucurrerunt in me.*) *Deo enim percutiente concurrerunt Angeli Satanæ*. Nota vel alacritatem, vel furorem, & impetum dæmonum ad puniendum peccatorem, cum datur eis à Deo poteftas. quàm auidè exfaturabunt in eo omnem rabiem, cum in Inferis habebunt?

Defideria carnis lanceæ diaboli sūt.

56 *Circumdederunt me lanceis, emittentes in renes meos.*) *Propter defideria carnalia, quæ fibi impacta dicit per malas perfuafiones ab Angelis malis*. Notabile eft quod dicit, & fanè horrendum, ac tetrum, cum dæmones perfuadent defideria carnis, tūc velut agmine facto circumdant hominem, ac lanceas in renes immittunt, vbi eft concupifcentiæ fomes. idem dixeris de lenonibus, qui ad hoc peccatum alliciunt, qui quafi lancearij diaboli funt.

Inuidia fellis effufionem habet.

57 *Effuderunt in terra fel meum.*) *Vt fcilicet terrena bona zelarem in his, qui iis abundant*. Nota: effunditur in terra fel noftrum, cum amaritudinem fentimus, quòd nobis terrena non fuppetant, quemadmodum

dum aliis; & hoc opus est dæmonum, qui fellea nos inuidia oderunt, & idem inuidiæ fel in nos transferunt: quid monstrosius quàm vt mel alienum, idest prosperitas, fiat fel tuum?

Peccatū internis cōpūgēs cilicio cōparatur. 58 *Cilicium assuerunt carni meæ.) Peccata interiora intelligit*: sed cur interna peccata cilicio comparat? puto quia pūgunt, & molestiam afferunt conscientiæ: igitur rectè pari pœna peccatum plectitur. sed quoniam, vt dicitur, clauus clauo truditur, hoc molestum animæ cilicium tollitur cilicio corporis per pœnitentiam.

Consuetudo carnalis vmbra mortis. 59 *Et super palpebram meam vmbra mortis.) Vellem videre, sed impedit me consuetudo carnalis*. Vide, quid sit sensualis appetitus, vmbra mortis, quæ oculis offunditur, nè rectum videāt, sed vmbram mortis mors ipsa sequitur, nam *mors intrat per fenestras*. quid miserius quàm cum oculi luces dicantur, per impudicū aspectum excipere vmbram mortis?

Originale peccatum quasi cruentum vulnus. 60 *Terra, ne operiar super sanguine carnis meæ.) idest ne optando terrena, accedat cumulus cupiditatum terræ super vinculum mortalitatis meæ, sub nomine sanguinis*. Nota, peccatum originale tanquam ex vulnere sanguinem esse carnis, nam contrahitur in animæ coniunctione cum carne. si addatur etiam peccatum voluntariū ob terrena desideria; obruitur vulneratus homo, & tanquam iniecta, & aggesta terra, & puluere sepelitur. rectè igitur Deipara immunis à vulnere peccati originalis dicitur, quæ etiam à veniali volūtario fuit, nec puluere vel leui vllius terrenæ cupiditatis infecta. actualis enim peccati fons est originale.

Diabolus latro immortalitate nos spolians. 61 *Furati sunt exteri bona mea.) Ipsam immortalitatem, qua spoliatur, qui semiuiuus à latronibus est relictus*. Vide, quæ sint bona nostra: non opes, sed immortalitas; sicut contra, mala nostra est mors animæ. item nota, nos per peccatum originale à diabolo ceu latrone spoliatos, & immani vulnere cōfossos, semiuiuos quodammodo relictos. non igitur in illud incidisse Deiparā dixerim, de qua natus est is, qui se vitā dixit; nec spoliatā indumēto gratiæ abiectè iacuisse, q̄ ei adstat *in vestitu deaurato*.

Dei beneficia vincula sūt. 62 *Quis est iste? ad manum meam ligetur.) Quia dominus inter homines futurus erat, vt vix ab eis discerneretur, ait, quis est iste? vinculo autem charitatis custodiat me, & ducat quò vult*. Vide, vt per cognitionē Christi, & beneficiorum eius statim excitetur charitas, qua ei vnimur, & alligamur. ad manum, idest vt omnia nostra opera ad ipsum tendant. extorquet hoc vel illud beneficium, quo Deus incognitus est pro nobis versatus in terris, ne nobis nomen, & gloriam arroganter comparare studeamus, & fieri omnibus noti.

63 *Teneat eum necessitas causa regalis.) Quia se Christum iactabit Antichristus, permittitur illi cupiditas, sed opportuna punitio valebit ad gloriam Dei*. rectè causa regalis dicitur, quia quasi perduellionis reus, & rebellis punietur Antichristus. Sequitur: *confortauit super eum sitiens.) Vt vincant eum sitientes iustitiam*. Vide qui vincant sub typo Antichristi diabolum, scilicet qui non quolibet modo virtutem velint, sed auidè sitiant. quid mirum cum & ille sitiat tàm ardenter nostra vitia? Antichristi punitio.

64 *Abstulit coronam de capite meo.) Hoc est dignitatem spiritalem, quam dat sapientia*. Pulchrè ostendit, hominem quasi regem constitui per sapientiam, qua qui per peccatum priuatur, ignominiosè tanquam diadema illi, & corona detrahitur, fitque ex rege, Diaboli vile mācipium, iuxta illud. *venundati estis in peccatis vestris*. Per peccatum diadema regium amittimus.

65 *Circundederunt tabernaculum meū.) Cor videlicet, & conscientiam*. Vide, quam maximè partem exercitus diaboli obsideat, cor nostrum. tabernaculum est hoc velut Imperatoris animi. cor igitur omni cautela custodiendū. precandus instanter Deus, vt tam longa soluatur obsidio. Diaboli exercitus cor hominis obsidet.

66 *Miseremini mei saltem vos amici mei) Angelos videtur postulare, vt pro se deprecentur, aut certè Sanctos pro pœnitente orent*, rectè monet, vt nobis amicos conciliemus ad impetrandam à Deo veniam, Sanctos Angelos: ipsis amici erimus, si casti. orandi igitur sunt Sancti, & Angeli in primis pro liberatione maximè eorum, qui in Purgatorio ardēt. licet de illis scriptum sit, *qui facis Angelos tuos ignem vrentem*. Angelorum, & Sanctorum oratio imploráda ad ueniā peccatorum.

67 *Vt scribantur stylo ferreo, & plumbi lamina.) sic cedant sermonibus meis corda hominum*. rectè cor hominis comparatur plumbo: vnde illud *Vsquequo graui corde*? in hoc plumbeo corde prædicator veluti scribit, non blandis, & mollibus verbis, sed fortibus, hoc est stylo ferreo. & sicut huic ob fortitudinem cedit plumbi lamina, & finit notas inscribi, sic cor hominis fortibus concionatoris verbis. hinc ei dicitur: *Exalta in fortitudine vocem tuam*. Stylus ferreus Dei uerbum cor lamina ubi inscribitur.

68 *Fel aspidum in ventre.) Occulta scilicet malitia nocendi*. Egregiè dictum: qui molitur alteri malum, & occultè insidiatur, fel aspidum habet intrinsecus, sibi maximè nocet: nam & veneni amaritudinem intra se continet, & surdus est monitis instar aspidis. Occultū odium uenenū aspidum est intra uiscera.

69 *Diuitiæ euomentur.) Cum tormento scilicet interiori, & pressura cordis. quàm molestum est deglutitum cibum euomere? tam molestum auaro in morte relinquere diuitias*. dulces mundano videntur diuitiæ, & ideo inexplebiliter ijs inhiat: at monet sapiens. *mel inuenisti? comede quod sufficit tibi; nè fortè satiatus euomas illud*. Pœna diuitis euomentis in morte diuitis.

De

det, sed de ijs gloriantur.

Iusti in sepulchro tanquam aceruus tritici in area.

81 *Et tamen ipse dominus in sepulchrũ deductus est, & super acerruum vigilauit.) Ante enim dominus resurrexit, quàm aceruus resurgeret resurgentium.* Rectè congeriem eorum, qui in sepulchris sunt, aceruũ appellari puto: sunt enim in sepulchris cõditi tanquam aceruus frumenti, iuxta illud ipsius Iob. *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur triticum, &c.* ibi tanquam in area sunt, vt in horreum cœleste suo tempore inferantur.

In aduersitatibus stabiles torrentis lapides sunt Christo grati.

82 *Dulces fuerunt ei lapides torrentis) discipuli eius, quos seculum non subuertit.* Rectè discipulos quasi torrentis lapides fuisse ait, hoc est stabiles in aduersitatibus. dulces Christo fuerunt idest charissimi; nã ait ad ipsos: *vos estis qui permansistis mecũ in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, &c.* sicut autem Dauid torrentis lapidibus vsus est ad immanem illum gigantem deiiciendum; ita Christus Apostolis ad diabolum profligandum.

Iobi votum vt vnus e Thronis de coeles ti hierarchia esset

83 *Quis mihi tribuat vt veniam vsque ad solium eius?) Videlicet, vt sim tam sanctus, vt perueniam ad eorum numerum, qui sedes, & solium eius sunt.* Nota sublimitatem perfectionis, ad quam aspirabat Iob, & culmen virtutis: quàm altum enim est illud solium in quo sedet *Deus*? vnus è cœlesti hierarchia eorum, qui Throni *Dei* sunt, numerari volebat. vile præ illo sibi videbatur thronus suus regius. & quando tam generosos spiritus conceperat Iob? scilicet cum iacebat abiectus in sterquilinio. quod sanè votum impleuit Deus. quã alta spectet is, qui vsque ad solium Dei venire contendit? nam Esaias ait: *Vidi dominum sedentem super solum excelsum, & eleuatum:* tum addit: *Seraphim stabant super illud.* ergo ad seraphicum statum tendit hic, qui hoc dicit.

Cor Deus emollit igne tribulationis.

84 *Deus molliuit cor meum.) Tribulationibus scilicet, vt scirem timere, & cauere futuras pœnas: hoc misericordiæ Dei deputatur:* nam Pharaonis cor potius est obduratum tribulationibus. Vides tribulanem esse tanquam ignem, quo cor veluti ferreum emollire vult *Deus*. contra igitur *Dei* consilium est, in afflictione per impatientiam obdurescere.

Quam indignum sit abiicere animũ in tribulatione.

85 *Exaruit quasi malua in æstu altitudo eius.) Non tulit æstum tribulationis propter infirmitatem.* indigna res, vt qui alti sunt, & eminentes, celsique virtute, vt cedri, aliquando ita se abiiciant in aduersis, vt maluæ instar humilis, ac vilis herbæ æstu exarescat.

86 *Suauis factus est ei panis in adolescentes.) Impio, & persecutori suauem panem dicit, idest persecutionem, quam libenter facit adolescentibus, idest amatoribus voluptatum.* Nota quàm procliuis ad voluptatem sit ea ætas, & quàm diabolus auidè appetat adolescentes maximè perdere: hic eius sumus est pastus. vulgata habet. *panis mendacii:* tanta affinitas est inter mendacium, & adolescentiam promittit multa de prosequutione virtutis, de fuga vitij; sed monitores eludit, ac fallit.

Adolescentis perditio diaboli suauis est pastus.

87 *Nemo putet esse moram piratis.) Dæmones sine mora secundùm permissum Dei tentant.* Vide quàm expediti sint, & veloces prædatores animæ in huius vitæ procelloso mari: velis, remisq; vt dicitur, contendunt, vt nos dispolient. nobis tamen tanta mora est in eis cauendis vel debellandis; certè apud Romanos piraticum bellum multos veterum fecit illustres, cum strenuè profligatum est ad mora vitandam spectat illud Pauli: *Deus conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

Dæmones piratæ veloces sunt.

88 *Si Lunæ præcipit, & non lucet.) Luna est rationalis anima natura, cui Sol intelligibilis est, qui illuminat omnem hominem; & quoniam tantò magis Luna lucet terrenis aspectibus, quantò magis recedit à Sole; cum autem propinquat Soli, interimitur terris; intelligamus animæ diuinitùs præcipi, vt superior sit natiuitate terrena, atque mortali, quã splendor eius apparet terreno sensu videntibus, appareat & propinqua, subiiciaturque sapientiæ, quo eius luce secretissima exultans glorietur, quia & cum apparet hominibus, dono creatoris apparet.* Pulchrè monet exemplo Lunæ: vt appropinquemus Christo ceu Soli, atque ita supernè illuminemur, nec curemus apud homines in terris per famam splendescere: sed quia benefacta vix tegi possunt, quin luce se prodant, hoc ipsum à Sole iustitiæ agnoscendum est, non à nobis.

Iussus est Lunæ in star supernè lucentis nõ infernè.

89 *Ligans aquas in nubibus suis.) Propter obscuritatem prophetiæ prophetas appellat: quia huc illuc discurrunt scripturæ sacræ per totum Orbem.* hoc maximè tempore id fieri videmus etiam in nouo. subiungit acutè: *& non est scissa nubes sub eo:* quia prophetæ non sibi contradicunt, nullaque est scissio diuersæ sententiæ.

Prophetiæ quasi nubes per totũ orbem discurrunt.

90 *Qui tenet faciem Solis.) Nescilicet agnosceretur ab impiis Sol iustitiæ.* Referri posse puto hoc ad Christi transfigurationem, cum *resplenduit facies eius sicut Sol.* reliquo tempore diuinitatis lux repressa latebat. huc etiam refero quod sequitur. *Et extendit super eum nubem suam.) iuxta illud: nubes lucida obumbrauit eos.* sed ipse sic interpretatur: *extendit nubem, carnem videlicet, quã dominus suscepit.* legimus prodigiosè aliquãdo pluisse sangui-

Caro Christi nubes rescida sanguine.

guine, caro igitur Christi nubes fuit, quę in passione exundauit in imbrem sanguinis, fœcundans agrum cordis nostri.

Diaboli uulnus ac dolor cum tentationi resistitur.

91 *Prudentia eius vulneratus est cetus.) Idest diabolus dolore. quod sibi iusti non cedant.* Nota cur prudentiæ Dei tribuat permittere tentationes? quia præuidet bonum futurum, quod redundat in iustos, vt victoriam sui, triumphum de diabolo &c. vide autem quid sit eius tentationi resistere: vulnus illi luculentum infligere, & dolorem acerrimũ inurere. huc spectat quod sequitur. *Præcepto peremit draconem desertorem.) Ostendit quomodo sit diabolus vulneratus à iustis, cum scilicet acceperunt præceptum, quo ei renunciarunt.* vide, quid sit Dei præceptum, nempè eo vtimur quasi hasta, vel gladio ad configendum antiquum hostem, vt cum ipse Christus tentanti respondit. *scriptum est, non tentabis dominum Deum tuum.*

Initium euangelij Ioannis tonitru est.

92 *Virtutem tonitrus eius quis sciet?) Tonitrum dixit illam vocem, quam dedit tonitrus: In principio erat Verbum &c.* aptè; nam Ioannes filius tonitrui dictus. Legi in nostris annalibus cum hoc legeretur in nostro templo apud Indos, proximum idoli templum repentè corruisse.

Fragrantia spiritus in Iob licet in sterquilinio.

93 *Spiritus diuinus in naribus meis.) Ostenditur propheticè dicere quæ dicit.* mirũ & præclarum est quod dicit: cum iaceret in sterquilinio, tantùm abest, vt tetrum odorem naribus hauriret, vt potius suauissimum exhalaret diuini spiritus vnguentum. hanc spiritus fragrantiam non sentiebat vxor, quippe maledica, de qua dicit, *halitum oris mei exhorruit vxor mea.*

Mundani terræ ac luto comparati, si resipicant euadunt in argentum.

94 *Si collegerit, vt terram, argentum, adhuc terra, & lutum sunt.) Idest prudentes, & sapientes, cum adhuc stulta, & carnalia sentiunt; cum consenserint postea correcti, & cognoscentes ad iustos conuertentur.* Nota, quantumuis prudentes, & sapientes, antequam iustitiam amplectantur, quàm viles sint: terræ, & luto comparantur; sed inde euadere in argentum purissimum, & splendidum, & sonorum possunt, si veram sapientiam addiscãt, neglectis carnis desiderii, superna quærentes.

Timor Dei vel in Angelis locũ habet.

95 *Claustra cœli metuunt eum,) vel Angeli, vel qui acceperunt claues regni cœlorum.* vide vt Dei timor etiam Angelos teneat: certè Astrologi motum quendam trepidationis, vt vocant, in cœlo constituunt. Item qui claues regni cœlorum gestant, vt Romani pontifices, timere Deum in primis debent, quippe rationem reddituri totius Ecclesiæ. quanquam & religiones, quæ claustrales dicuntur, quid nisi claustra cœli sunt, in quibus viget maxime timor Dei?

96 *Est argenti locus vnde sit.) Prudentes, qui magis in actione sunt.* Pulchrè eos, qui sunt actuosę vitę, argento cõparatum ob nitorem splendoremque virtutis cunctis conspicuum, tum ob prædicationis sonum. Sequitur. *Locus autem auro vbi purgatur.) Sapientes, qui in contemplatione.* vide quanti pretii sit contemplatiua vita, quæ auro comparatur, vt actiua argento: quid cum hæ ambæ iunguntur? igitur quasi auri, argentique fodina est illa religio, quæ vtramque vitam complectitur, contemplatiuã, & actiuam, cuiusmodi est inter ceteras Societas Iesu.

Religio continẽs contemplatiuam vitam, & actiuam est quasi auri argentique fodina.

97 *Aes similiter, vt lapides excluditur.) Quia totum de terra separatur, & missi sunt boni cum malis ad tempus, donec purgentur, ac separentur.* rectè bonos æri comparat, quia eorum virtus tacta resonat per bonam famam. vide autem quàm viles mundani sint, qui lapidibus comparantur, præsertim ob ipsorum multitudinem.

Boni æri, mali lapidibus comparati.

98 *Et facta est discissio torrentis à cinere. Hoc est à confitente peccata sua torrens lapsus temporalium.* Nota: confitens peccata tanta contritione esse debet, vt cinerem referat; scilicet in quem abiisse Niniue tota visa est per Ionæ prophetæ prædicationem. effectus autem veræ pœnitentiæ est animi separatio à rebus mundanis, quæ torrentis instar præter labuntur.

Separatio a terrenis signum veræ poenitentiæ.

99 *Locus sapphiri lapides eius.) Pretiosi, & necessarii ædificio Ciuitatis cœlestis.* Sanctos intelligit. quid igitur cœlesti Ciuitate pulchrius? nempè de qua dicitur. *Fundabo te in sapphiris.* quod & ad religionem referrem, vbi coelestis est cõuersatio, vt sapphirus est colore. certè sub Dei pedibus visum *opus lapidis sapphirini.* huc refer quod sequitur. *Et aggeres ei aurum.) aurum non ei additum est, sed aggeres.* Nota cumulum meritorum altissimum, qui fit in religioso præsertim statu, vtpotè exaggeratę virtutis.

Ecclesia, & religio sapphiri structura est.

100 *Semitam, quam non cogitauit auis, nec vidit oculus vulturis.) Idest humilitatem domini non intellectam à diabolo.* Nota; licet diabolus volucri ingenio esset, assequi non potuit Christi humilitatem, sed ea delusus est. vultur dicitur, quia ipsius pastus sunt cruenta, & putida cadauera peccatorum.

Diaboli vultori comparatus.

101 *Omne pretiosum vidit oculus meus.) Idest oculus humanus vidit omne pretiosum per Verbum carnem factum.* Pulchrè interpretatum: nam in Christo erant, & sunt *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* ideo Simeon nil aliud iam in vita requirebat, eo viso. nec mirum quod Magi proiecerint ad eius pedes aurum, cum eo viso etsi vilibus pannis inuoluto, *omne pretiosum viderunt.* & ipse saluator ait: *Beati oculi, qui viderũt quæ vos videtis &c.* quid in

Verbum caro factum omne pretium continet.

in altera vita, vbi se beatis videndum præbebit in culmine gloriæ.

Martyrũ virtus inter persecutionũ fluctus probata.

102 *Altitudinem fluminum reuelauit.) Hoc est ostendit, ac patefecit virtutem tolerandi persecutiones in Martyribus.* rectè Martyrum virtutem admiratur, qui profũdis fluuijs tot persecutionum obruti, ac demersi non sint, & quorum extingui non potuerit charitas; iuxtà illud. *nec flumina obruent illam.*

Modus creandi in Deo.

103 *Quando fecit, sicut vidit, numerauit.) Non extra vidit, vt creaturas faceret, sed in semetipso sicut artifex.* Egregiè de creatione. hoc autem de præscientia quod sequitur. *Tunc vidit, & exposuit eam.) In prædestinatione dominus vidit viam, qua se conuerterent tentati.* Vide Dei præscientiam, & quasi methodum in peccatore cõuertendo sanè mirabilem, tali occasione, loco, tempore, &c.

Ecclesiæ pax exoptanda.

104 *Quis me restituet in menses pristinos dierum?) Loquitur Ecclesia paruo illo tempore, quo dominus fuit cum discipulis sine persecutione, vel hæresi.* Nota quod esse debeat votũ cuiusq; catholici pro Ecclesia, nẽpè vt floreat quasi verno illo tempore, & aureo seculo, quo nondum conflatum persecutionis ferrum, nondũ hæreses ortæ; cum erat pax, & quies Christianę reipublicæ. Idem refer ad pristinũ statũ, ad cuius feruorem, & quietẽ, quæq; religio suspirare debet. quò referri possunt & sequentia. vel quisq; religiosus id referat ad primum sui tyrocinij feruorem.

Christi caro, & sermo lucernæ splendidæ instar

105 *Cum lucebat lucerna eius super caput meum.) Vel carnem domini intelligit visibiliter præsẽtẽ, vel verbũ ex ore præsentis corporaliter.* sed cur Dauid ait. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* hic autem: *super caput meum.* Puto quia verbum ipsum à Christi ore immediatè acceptum præstantius, & efficacius fuit menti illuminandæ. *beati oculi, qui vidẽt quæ vos videtis &c.* vna vox: *Sequere*, vel publicanum traxit.

Abundãtia spiritalis consolationis ministro.

106 *Cum flueret per vias meas butyrum.) exultationem intelligit fidei, & bonorum operum.* vbi nota abundantiam dulcedinis spiritalis, dum per viam præceptorũ incedimus; ipsa, inquam via ad patriam, non laboriosa, sed dulcis est iusto.

107 *Cum montes Dei abundarẽt lacte.) Prophetas intelligit.* igitur vbera quædam prophetiæ sunt, quibus adoleuit veri Dei fides; & Iudæos quasi paruulos alebant. lac sugitur, nec videtur, ità prophetia. Montes autem dicuntur prophetę ob celtitudinem oraculorum, ac mysteriorum.

Prophetæ montes abundãtes lacte.

108 *Videbant me adolescentes, & abscondebantur.) Intelligit concupiscentijs deditos.* idem ferè accidit sancto Bernardino Senensi, cuius præsentiæ pudorem reuerebantur impudentes alij adolescentes, & ad eius aduentum componebantur. vides etiã reuerentiam, quam exhibere debet ea ætas dignioribus.

Senectus palmæ arbori comparatur.

109 *Aetas mea senescet sicut arbor palma.) Idest multo viuam tempore, in honore sempiterno, & celsitudine, & rectitudine.* huc refer illud psalmi. *senectus mea in misericordia vberi.* & nota, palmam dari victoribus, nec cedere ponderi. non igitur immunis esse debet senectus à pugna, nec otiosa languescere. erecto, & celso sit animo, licet curuato corpore. trecentas, & sexaginta vtilitates affert palma mortalibus, vt Babylonij aiebant, quot ferè dies anni sunt. vide quis verè in senectute bona vixisse dicendus sit.

110 *Arcus meus in manu mea gradietur.) faciam quod præcipis.* Vide quid sit verus obediens, tanquam arcum tenens sẽper paratum, vt ad scopum, quem prælatus statuerit, se exerceat: gradietur, inquit, scilicet progrediendo per profectum in spiritu. recta item intentio ad Dei gloriam semper tendens per gradientem hunc arcum intelligi potest.

Iudæi literam tãtum sequentes cortices rodunt.

111 *Qui rodebant cortices arborum.) Hoc est figuras legis, quibus vtilia tegebantur, tanquam pro cibo habebant Iudæi.* quid igitur stultius, quàm fructu arboris relicto, vel eius nucleo, cortice velle vesci? hoc faciunt Iudæi cum tantùm litera pascuntur, mysticum abiiciunt sensum. Sequitur. *Qui sub stirpibus terræ manebant.) Non falsẽ in stirpibus, sed inferius: præcepta legis carnalia intelligit; stirpes enim non sunt ipsi fructus, sed vnde surgunt partes fructiferæ.* & hoc Iudæorum ritus literales arguit, & iuxta carnis tãtùm sensus humiles, spiritali contempto sublimiore.

Concionatur ad cor loqui debet potius quã ad aures

112 *Nunc autem cithara eorum ego sum.) Idest qui me ad aures habebant, non ad cor.* est hoc contra eos, qui prædicatores volunt vt auribus grata dent verba, non cordi; & tanquam musico carmine delectãtur, non pœnitentiæ, & iudicii tonitru. refer hæc item verba ad Iudæos, qui Christi non vsi sunt ad compunctionem, sed ad fabulam, & curiositatem, vt cum signa quærebant ab eo.

Dei pharetra est tribulatio ex occulto eius iudicio.

113 *Aperiens pharetram suam afflixit me.) Pharetram intelligit secretum suum iudicium, vnde tentari permittit.* Pulchrè ait, Deum tãquam è pharetra, sic ex occultis suis iudiciis tribulationes quasi emittere vt compungat corda, quasi ad scopum, quem bonus auceps intendit.

Redeuntes in seculum auctoritatẽ amittunt.

114 *Exuit me stola.) Authoritate scilicet pristina, quod contingit consuetudine peccandi.* Vides quid agat peccatum, vilem & nudum facit, quod contigit statim primo peccanti Adã. itẽ qui è religione ad sæculũ redeũt, exuũt vnà cũ vestibus auctoritatẽ,

tur ad auxiliũ nostrum; nã & *Stellæ contra Sisarã pugnauerunt.* In errorũ nocte sumus quã multi essent lapsus,& præcipitia? quã tum viæ duci debemus, *Angelo* excubitori, ac defensori?

A Deo diuina expetenda ac poscẽda non hæc infima.

128 *Qui separat me à quadrupedibus terræ.*) *Idest sapientiorem me fecit. sic est quærendus Dominus, vt non ab eo terrena bona desideremus, qui bestiis meliores sumus.* rectè monet: igitur qui non nisi terrena appetit, non distinguitur quoad hoc à iumentis, & brutis.

Iustus,& religiosus carnẽ suam regẽs rex est.

129 *Cum Regibus in solio sedere eos facit.*) *Reges dicit, qui carnem suam regunt; vnde est illud: Quis Rex iturus committere bellum, &c.* Nota, nã ibi loquitur Christus de ijs qui eum secuturi essent; vt sunt religiosi: igitur vide excellentiam; non solùm enim iustus, seu religiosus Rex est, sed velut in throno sedet, cum iura dat, & leges passionibus suis: sic Salomon in throno sedens leones manu premebat in eo exsculptos; item ascendens, & descendens. quod autem Rex verè dicatur iustus, apertè patet ex eo, quod vbi vnus euangelista ait. *multi Reges voluerunt videre, quæ vos videtis;* alter ait, *multi iusti.*

Delectatio terrenæ funes sunt paupertatis.

130 *Capientur in funibus paupertatis.*) *Hoc est longis consuetudinibus delectatio num carnalium, quæ sunt de iis, quibus in hac vita indigemus.* Nota miram interpretationẽ: delectationes carnales funes vocat: funes quia seruum faciunt, & captiuum; paupertatis verò, quia nunquam satiant. hinc illud psalmi: *Diuites eguerunt, & esurierunt, &c.*

Iuuentus natura sua superba est.

131 *Moriatur in iuuentute anima eius*) *Idest in superbia, qua se extollebant de meritis propriis.* Nota: pro imprecatione, & detestatione est, vt superbus quis esse permittatur; illud quoq; notabile, quod interpretatur, idem esse iuuenem, & esse superbum: adeò illa ætas arrogans est. quò admirabilior humilitas in iuuene, præsertim principe, vt in Ludouico Franciscano, & nostro Aloysio Gonsaga fuit, &c.

Prædicatores Angeli sagittarii sũt corda cõpungentes.

132 *Et vita eorum vulneretur ab Angelis.*) *Idest à Nuntiis veritatis, quorum aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* rectè prædicatores Angelos interpretatur, iuxta illud: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, &c.* Iacula sunt eorũ verba; iis autem sagittis alii compunguntur ad salutem, alijs pœnitere nolentibus vulnus sunt ad mortem. hinc etiam habes qualis esse debeat concionator vitæ, Angelicæ scilicet.

Eucharistica mẽsa opipara.

133 *Et descendit mensa tua plena pinguedine.*) *Sacramentum intelligit corporis, & sanguinis eius, panis, qui de cœlo descendit.* Pulchrè interpretatur. nota quid det pro premio: *descendet mensa, &c.* quid est descendit? nisi quia dicitur *panis, qui de cœlo descendit.* mira Saluatoris humilitas. simile est quod ait per prophetam. *declinaui ad eum vt vesceretur.* eadem porrò mensa plena pinguedinis sic dicitur. *Aser pinguis panis eius:* piguis, quia caro est hic panis. ad hoc mysterium pertinet quod sequitur. *Non deficiet iustos iudicium) quamuis edant iusti, & saturentur, ad imitandas passiones domini parati in plenitudine charitatis, non tamen ideò non facit iudicium ipsorum.* horribile est quod ait, fore, strictum iudicium, etiam eorum, qui pie saginati carne, & sanguine Christi sunt, & parati ad moriendum pro eo, imitantes eius passionem. quid dicẽdũ de ijs, qui accedunt indignè? rectè vocat Chrysostomus horrendũ nimis, & tremendum mysterium. Vides quoque per illud Sacramentum charitatis plenum, concipi fortitudinem ad Martyrium: ideò S. Laurentius eo pastus igne eo cibo, non sensit ignem, vt idem Augustinus ait. Vide igitur quàm præclarus actus charitatis sit exercendus in Eucharistiæ sumptione; vt quoniam memoria sit eius passionis, nos Christi imitatione ad necem pro ipso subeundam offeramus. hinc Dauid cũ dixisset. *Quid retribuam domino? &c.* subiũgit: *pretiosa in conspectu domini mors Sanctorum eius.*

Etiam iusti cum horrore ad eucharistiã accedere debent.

134 *Omnis homo respicit ad eum.*) Nã *qui compunguntur pœnitentia peccati, ii homines sunt.* Acutè adnotat, peccatores, quia non respiciunt ad *Deum*, veros homines dicendos non esse, sed velut irrationales bestias. cum ratio ipsa postulet, vt creatura agnoscat creatorem suum, à quo habet vt sit, & vt benè sit. vide aũt quid sit ad Deum respicere, compungi considerata eius admirabili bonitate, & propria malitia.

Homo dicendus non est qui se ad Deum non refert.

135 *In his omnibus non obstupescit animus eius, nec mutatur cor suum à corpore.*) *Vt scilicet cor eleuetur à terra, ac sursum habeatur ad Deum.* rectè ait. inter tot Dei magnalia, & beneficia mirum est, quod animus non obstupescat, nec cor quasi à sensibus abstractum quadam ecstasi eleuetur è terra ad *Deum*, præsertim cum paulò ante de Eucharistiæ beneficio locutus sit. certè regina Sabba licet delicijs affueret omnigenis, ad mensæ tamẽ Salomonis magnificentiã prorsus obstupuit. *videns cibos mensæ eius, & ordines ministrantium, non habebat vltra spiritum.* & propheta ait. *affluebunt in bonis eius.*

Eucharistiæ ex-ctus ecstasis, & abstractio a terrenis.

136 *Neque per tabernaculum extendit nebulam.*) *In carne mortali tanquam tabernaculo habitans, per eam non est agnitus à persecutoribus, & eam extendit, atque expandit in cruce.* Pulchrè dictum de Verbo incarnato, nec agnito. ita dicitur in Exodo *operuit nubes tabernaculũ.* huc spectat illud initij Ioannis Euangelij. *habitauit in nobis:*

Caro Christi ta- bernaculum expansum in cruce.

vox græca indicat scenam, seu tabernaculum posuit. porrò in cruce tanquam Imperator extendens tabernaculum sui corporis militare, deuicit Mundum, spoliauit Infernum, &c.

137 *Ecce fundit super omnia lucem suam. Effudit super omnes gentes, & radices maris contexit.*) lux hæc non est ad abscondendum, sed ad manifestandum, quia ostendit populis peccata eorum per lucem veritatis. Vide, vt nulla natio excusare se possit, luce iam Euangelij effusa vbique, etiam vltra Oceanum. refer hoc ad Xauerium, qui lucem hanc in ipsum Orientem inuexit. acutè autem ait, cur, si lux est, dicatur, *radices maris contexit*. quia per veritatis agnitionem, & veniam peccatorũ, quodam modo hæc teguntur, vnde beati dicuntur, *quorum tecta sunt peccata*.

Illuminatũ fidei per toti Orbem.

138 *Immanibus contexit lumen.*) si legatur, *Immanibus*, ità dicit, quia non dimittit iis, qui aliis debita non dimittunt ob immanitatem; si verò *in manibus*, ità dicit, quia *excæcatum est cor eorum, qui de manibus suis, hoc est de operibus gloriantur, se ipsos iustificantes*. iuxta primam lectionem nota crudeles cæcos ferri ira; iuxta secundam, superbos amentia excæcari, nempè mortalitatis conditionem non intuentes. Sequitur *& immolauit de ea in contrariũ.*) *idest vt misericordes, vel confitentes mala sua, vt Gratiæ subdantur, ipsi veniant ad lumen.* Vides vt illustratio Dei sit, esse misericordem, & esse humilem. misericors Solis instar super iustos, & iniustos exorientis diuina luce clarescit. item qui excusso iugo peccati Gratiæ subditur, non fit seruitute obscurus, sed illustris: quo ostendit Gratiæ regnum, & dominium sine vlla violentia: huc etiam pertinent, quæ sequuntur.

Misericors diuino lumine repletur.

Confessio ex illustratione Dei est.

139 *Vt nunciaret super illo, amico suo.*) *Super illo, scilicet lumine. sensus est: nunciauit de lumine suo, amico suo, quod abscondit immani, vel ingrato. amicum suum appellat imitatorem suum.* Vide in quo posita sit amicitia cum Deo, in imitatione eius pietatis &c. Ceterùm vel hinc agnosce quàm amicus esset Dei S. noster Ignatius, cuius vultus lumine resplendens visus est in primis S. Philippo Nerio. Mosis vultus splendebat, de quo dicitur: *loquebatur cum Deo, vt amicus cum amico.* sicut hic dicitur de lumine, *vt nunciaret super illo, amico suo*. fuit autem Ignatius in multis Mosi similis: nam de vtroque dictum est. *digitus Dei est hic.* vterq; legislator, & vterque charitate in Deum, & proximum illustris. huc facit quod sequitur.

Amicitia Dei in imitatione consistit.

Ignatii resplendens vultus.

140 *Vt nunciaret possessionem.*) *Idest, vt ipsum lumen possideant, qui se à terrenis extrahunt; nunc annunciatur nitentibus ascendere; nam cum ascenderint, videbunt facie ad faciem sine nuncio: dicuntur autem ascendere contra eum, hoc est obuiam ei, obuiam Christo, vt ait Apostolus.* Pulchrè ostendit, splendorem illum in nonnullis Sanctis ex ipso vultu nonnunquam emicantem indicasse, quod se à terrenis abstraxerant; & cœlestẽ quandam vitam agebãt siderum more. itẽ eos in resurrectione obuiam Christo ituros in aera, splendore clarissimo circumfusos.

1. Thess.

A terreni abstrahi, cœlesti luce circumfũdi est.

145 *In hoc obstupuit cor meum, & euulsum est de loco suo.*) *De terrenis scilicet rebus, quibus delectabatur, vt sursum haberetur ad Deum.* Egregiè ait, cor euelli quodammodo de loco suo, cum abstrahitur à terrenis, vbi primùm obstupuit animus considerans diuina. & quidem S. Philippi Nerei cor re ipsa amotum de suo loco est, et costa diffracta ex charitatis impetu. vnde hoc nisi quia totus abstractus à terrenis ad supera tẽdebat, stupefactus ex cõsideratione diuinorum; testes quoq; eius ecstases miræ, sicut & aliorum nonnullorum Sanctorum, quæ indicabãt, nihil iam eos cum terra habere commune, & ad cœlestia subuolare.

Abstractione à terrenis cor de suo loco mutatur.

142 *Audite sonitum terroris, & vocis eius*) In hoc euulsum est cor de loco suo, de terrenis; *Euangelio scilicet per orbem terræ terribiliter sonante: pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Vide quis verus Concionator sit, qui scilicet ità de pœnitentia acriter, ac terribiliter loquitur, vt cor peccatoris conuertat, & amoueat de loco, vbi erat, idest in pecunia, in luxuria &c. hinc vaticinium illud. *Niniue subuertetur.* Ephrẽ acutè, id ait fuisse cõpletum, quia per pœnitentiam alia euasit à prima. Vides vt poenitentia quasi terræmotus quidam sit, per quem legimus aliquando agros integros suo loco amotos. *sicut cor auulsum est de loco suo.*

Cor per pœnitentiam quasi terræ motu euellitur loco suo.

143 *Subter vniuersum cœlum circuit, & lumen eius in finibus terræ.*) *Dum Ecclesia per omnes gentes diffunditur.* præclarus locus de propagatione, & splendore Ecclesiæ, quæ nũc maximè vbiq; lumẽ effũdit suum, toto iam Orbe peragrato ab Apostolicis viris, à quibus etiam Orienti ipsi lumen infusum, antea tenebris inuoluto.

Propagatio mira Ecclesiæ per totũ orbẽ facta.

144 *Post eum fremet vox in sonitu superbiæ suæ.*) *Cum tuba secundi aduentus intonabit, in sonitu celsitudinis, nam primus aduentus in humilitate fuit.* fremet, inquit, satis antea *diù tacui, patiens fui*: silentium vertetur in fremitum, & in sublimem sonitum horribilis tubæ, immò horrendi tonitrui cum coruscatione. itaque subiungit. *Tonabit fortiter in voce sua mirabiliter.*) *Quia non fortitudinis, sed infirmitatis fuit illa vox primi aduentus.* Nota, præsertim cum in præsepi infantulus vagiebat. vagitus

Secundi aduentus horribilis species.

tus in primo aduentu, tonitrua in secundo. tonabit fortiter, fulmen intendens sententiæ in impios; mirabiliter autem ob resurrectionem totius humani generis subitò factam ad tubæ vocem.

Diuinitas quasi nube humanitatis tecta magnum quiddā, & prorsus mirū.

145 *Fecit magna, quæ nesciebamus, præcipiens nubi, vt sit supra terram.) Cum scilicet latuit diuinitas in infirmitate carnis.* magnum certè mysterium incarnatio Verbi, & incognitum primò, etiam ipsi diabolo tam perspicaci: quasi nube obiecta diuinitas fuit, sed ex hac nube iudicii tandē fulmen erumpet.

Signaculum nostri reatus manibus inuitum ferimus.

146 *In manu omnis luminis signat.) signat ei per opera eius, quod reus sit, vt sciat omnis homo infirmitatem suam, & clamet: Infelix ego homo, &c.* Nota; quasi manibus inuitum reatum ferimus. opera ipsa nostra mala signaculo notata sunt, quo arguimur, vt nulla esse possit excusatio.

Protectio Gratiæ ad omnes se extendit, quantūuis scelestos.

147 *Introierunt autem bestiæ sub protectione, & quieuerunt in cubili.) Peccatores introierunt sub indulgentia Gratiæ, & quieuerunt in conscientia sua remissis peccatis.* Pulchrè de indulgentia Gratiæ admittentis ad se bestias ipsas, hominem scilicet, ob peccatum comparatum iumentis insipientibus: neminem excludit Gratia, & vocationis suæ sono Orpheo vocalior, etiam bestias ad se trahit, hoc est peccatores quātumuis belluinis moribus turpes; atque ita fit, vt conscientia quietè se habeat, quæ sine Gratiæ indulgentia inquieta semper est, peccato, vel stimulante, vel terrente. eleganter dicitur. *introierunt sub protectione*, quasi Gratia patrona sit, & reconciliatrix nostra cum Deo.

Tentatio non nisi Dei permissu accidit.

148 *De promptuarijs superuenit tempestas.) idest tentatio prouenit de occulto rerū ordine.* Vide quid sit tentatio, tempestas est, non tamen casu, sed è promptuario diuinæ sapientiæ probantis fidē, siue aliud ad salutem intendentis. in hac porrò tempestate quid aliud agendum est nisi vt cum Petro clamemus. *Domine, salua nos, perimus.* Subiungit. *De promptuarijs superuenit frigus.) idest de secreto, & occulto iudicio in eos, qui non perseuerant, vt refrigescat eorum charitas.* verendum planè est occultū iudicium Dei, quo permittit nonnullos antea charitate flagrantes refrigescere. hinc illi tragici casus nonnullorum, qui ingressi religionem magno cū ardore pietatis, postea non perseuerant. porrò mirum quòd in fine Mundi propinquante eius incendio, *refrigescet charitas multorum.*

Occultū Dei iudicium de ijs qui non perseuerant in bono.

149 *A spiritu* Dei *dabitur glacies.) Etiam ex aliorum operibus bonis, in quibus est spiritus* Dei, *durescunt quidam quasi glacie liuoris, dum ipsi laudari cupiunt, quibus est Paulus odor mortis in mortem. quis idoneus, vt intelligat rectè, ac iustè à spiritu* Dei *dari glaciem?* Vides quantum malum, & quàm peruersa res sit inuidia; nam ex imitatione feruorem potius concipere quisque deberet, consideratis aliorum bonis operibus, sed glaciatur potius, & obduratur, vnde accēdi deberet exemplo. *à spiritu Dei dabitur glacies*, cum potius de glacie alibi dicatur. *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ.*

Inuidus inde gelascit vnde feruorē concipere debet.

150 *Frumentum si cupimus irrigari; disseminauit nubem lucem suam.) Euangeliū intelligit incarnationis suæ.* Eleganter de messe euangelica. vbi vides fructum prædicationis à Deo esse. fides euangelij nubes est circumquaquè discurrens, sed cum nubes sit, miro modo nō tegit, sed diffūdit lucem, quia qui prædicatur, splendor est paternæ gloriæ.

Messis euangelica ex prædicatione verbi incarnati.

151 *Gubernat aquam qualiter illi placuerit, vt pluat super vnam ciuitatem, & non in aliam.) Potest accipi de imbre spirituali.* Nota Dei iudicia occulta, nam Barnabas cupiens euangelizare in vno loco, iussus est à Deo in alteram regionem ire. huc pertinet quod sequitur.

Cur hæc non alia natio cōuertatur Dei iudicio refer uatur.

152 *Et ipsæ nubes per circuitum vertitur in gubernaculis.) Idest ad operandum omnia, quæ mandauerit. gubernacula, in quibus illa nubes per circuitum vertitur, prædicatores sunt verbi, per quos Ecclesiæ gubernantur ad operanda omnia mandata Dei.* Pulchrè prædicatores esse dicit quasi gubernacula, & fidem, seu euangeliū nubem. qui regit, & tractat illa gubernacula Deus est, vertitque quò vult, vt auriga currus habenas, & nauis clauum gubernator tractat: huiusmodi nubis gubernaculum Xauerius fuit, quo Deus fidem per noui Orbis regiones circumegit.

Viri Apostolici quasi gubernacula circū acta à Deo, quo velit fidem ducunt.

153 *Non omnibus est visibile lumen; quod refulget in nubibus.) De illuminatione gratiæ loquitur; refulget lumen in nubibus, non tamen hoc nubium proprium est, illuminantur enim, sed non est omnibus visibile. multi enim putāt lumine suo fulgere animas, cum sapientes sunt.* Eleganter ostendit, Dei dona tanquam Solis radios in nobis veluti nubibus reflecti, quarum potius est inobscurare lumen; tamen ità quandoque à Sole lucent, vt mira in eis Sol operetur, nam, & cœlestis arcus, & pareliæ, idest Sol geminatus apparet, vt qui videt Solem illum in nube depictum, verū putet esse Solē, cū tātum imago sit accepta à vero, sic fallitur qui sapientiam aliunde quàm à Deo agnoscit, cum scriptum sit. *Omne donum de sursum est, descendens à patre luminum.*

Sapientiæ lumen a Deo velut a sole in nobis reflectitur.

154 *Spiritus transit, & mundabit eas.) Ostenditur per tentationis correptionem homini, quod peccatis suis tenebræ sint, & egeat Dei gloria, vt eius lumine illustrari velit.* Vide vt omnis illustratio mentis à Spiritu Sancto fit, itemque purgatio. hinc collige, cur, cum Spiritus sanctus paracletus sit, idest,

inundans mare in se ipsa comminuit fluctus suos, vastata discordiis, atque bellis, ac tyranni ipsi ferè omnes miserè perierunt.

164 *Cognouit Lucifer ordinem suum.*) *Christus resurrectionẽ suã, de quo Petrus ait Lucifer oriatur in cordibus vestris.* pulchrè resurgens Christus splendenti Lucifero cõparatur. igitur fuit vt. Vesper in passione. vt hæc stella dicitur ducere reliquum astrorum chorum, ita sancti resurgentes cum Christo fuerunt. huc facit illud eiusdem Iob. *Cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

Christus resurgẽs Lucifero siderĩ cõparatur.

165 *Apprehendere pennas terræ) virtutes scilicet spiritales fidelium, quibus à sæcularibus suspenduntur illecebris. sic in psalmo dicitur: Si recipiam pennas meas in directum &c.* elegãter alas virtuti tribuit. terrã dicit vel ob stabilitatem, vel quia mirè per Dei gratiã inuenitur hæc leuitas in homine licet ex terra concreto. quid terra grauius? tamẽ & homo terrena carne grauatus, pẽnatus fit virtutibus, & ad coelestia subuolat. hinc illæ ecstases, cum sublimes in aere pendent Sanct, ietiam viuentes in corpore terreno.

Homo pennatus euadit per virtutes.

166 *Excutere impios ex ea.) per ipsas pennas Ecclesiæ vbique prædicatur ministerio circumuolantium nunciorum, iustè apprehendet eas. sic opus iudicii, cum venerit excutere impios ex Ecclesia, qui nunc ante iudicium permissi tolerantur* Vide quid sint Apostolici viri; quasi pennati Orbem excurrunt, & velut aquilæ fulmen iudicii intendunt; pulchrè, *circum volitantes nuncios* appellat, vt propheta: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* nam & nubes non modò imbrem, sed & fulmen secum ferunt. tales sunt qui vltra Oceanum extremas Indiæ regiones prædicatione peruadunt, e nostra inprimis Societate.

Viri Apostolici pennati orbem peruolitant

167 *Et tu sumens lutum figurasti animal?) siue Adam sexto die siue Christũ sexta ætate.* rectè inculcat vtrumq; beneficium, & creationis in Adam, & redemptionis in Christo, vt grati simus.

168 *Cur venisti ad fontem maris?) Confitendo scilicet quidquid occultum erat in cordibus impiorum. fons maris secretum est, vnde erumpit omnis amarissima impietas.* Nota amaritudinem, quam affert peccatum homini, nisi confiteatur; nam quandiu secretum latet, fons maris est, & conscientia agitatur quasi fluctibus decumanis.

Amaritudo conscientiæ peccato ris non confitentis.

169 *Aut tibi aperiuntur metu portæ mortis?) Nempe omnibus morientibus aperiuntur, sed non metu, nisi illi vni, qui destruendæ mortis causa est mortuus, vel ad resurgendum apertæ.* egregiè ait, aliis morientibus Infernum aperiri sine metu, immo cum gaudio moriẽtes excipere: at Christũ excepit magno cũ metu, vt pote ab ipso destruẽdus patribus ereptis. & nota, plures portas dici mortis, non vnam: adeò per varios casus, & innumerabiles morbos ad mortem pergimus corporis, sicut ad mortem animæ per vitiorum genera varia. huc pertinet quod sequitur.

Infernus solũ Christum cũ metu excepit.

170 *Aut ianitores inferni videntes te timuerunt?) idest sicut timuerunt eum, quem tam citò dimiserunt, quem inuiti amiserunt. porrò inferni ianitores aliquæ Potestates morti præpositæ intelliguntur.* Nota quantum terroris Christus incusserit inferis Potestatibus, nam eum citò dimiserunt, licet tres dies, ac noctes morari se velle dixisset, sed hoc tempus expleri non sunt passę. & sicut Aegyptij, qui ante nolebant hebræos dimittere, territi posteà prodigiis, & suppliciis, ipsi vrgebant, vt discederent citò. ità dęmones Christũ ex inferis dimiserunt, licet illum resurgere noluissent.

Dæmones citò Christũ dimise. rũt ex Inferis ob metum.

171 *Aut cognouisti latitudinem sub cælo?) Ecclesiam scilicet dilatatam* huc refer illud ipsi dictum. *Dilata tentorium tuum, etc.* hoc maximè tempore nullus penè angulus latet, quem Apostolici viri non penetrarint. nulla regio tam longè Oceano discreta, quo fides non persuaserit.

Ecclesiæ mira propagatio per orbẽ

172 *In qua terra habitat lux, aut quis tenebrarũ locus?) De philosophis loquitur, qui non glorificauerunt, nec gratias egerunt Deo, sed euanuerunt in cogitationibus suis. vel tenebrarum locus, qui excipit perseuerantes in peccatis; & terra, in qua habitat lux, terra viuentium exceptura perseuerantes in bono.* Vides, non nisi à Deo inferi cognitionem de cœlesti gloria, & inferni pœnis. vtramque cognitionem cõiungit; inter spẽ enim & metum sumus in hac vita. rectè etiam veteres philosophos in caliginum loco, & tãquam in Cimmeriis tenebris versatos dici, quòd de Deo rectè non senserint. Ecclesia vero lucis regio est.

Ecclesia lucis regio, philosophi ve rò caliginis.

173 Nunquid scis, *quia tunc natus es, & numerus annorum tuorum multus?) Non enim ex quo quisque in hac vita apparuit, computandus est numerus annorum eius, sed ex quo facta est prima mortalis natiuitas in Adam.* Notabilis locus de originali peccato, nam omnes in Adam peccauimus, quasi vnum cum illo fuissemus, & tunc quodam modo dies vnus natalis illius, & noster fuit, seu potius sepulchralis.

Adam natalis & noster fuit.

174 *Quis est pluuiæ pater, & quis præparat glebas roris?) hoc est quis prædicatores mittit? & quis præparat animos, vt prædicationem benè suscipiant?* Vides, & veræ prædicationis verba à Deo inspirari, & fructum in auditoribus Deo tribuendum: non est hoc industriæ, aut eloquentiæ nostræ opus.

Verba concionatori à Deo inspiranda & fructus Deo referendus.

175 *De cuius vtero procedit glacies?) vel in bonum, hoc est quis dat stabilitatem, & à fluxu continentiam; vel in malum, vt vterus pro secreto ponatur.* hoc est quis dedit improbos in reprobum sensum, seu quis

per-

persuadendo facit, vt alii in charitate frigescant? nempè ipse nouit. vbi nota de occultis Dei iudiciis circa prædestinatos, & præscitos, cur permittat nonnullos indurari. quoad primum verò sensum rectè continentiam à Deo dari dicit, & eam cum glacie comparat aduersus æstum libidinis. egregiè Franciscus Assisias vt eam extingueret, in niues se coniecit, & noster Ignatius, vt adolescentem incestum compesceret, in glaciatum stagnum.

Religiosi astris cō parati.

176 *Aut intellexisti nexus Pleiadis, & septum Orionis aperuisti? aut aperies Arcturos in tempore suo, & Vesperum super ædificationem eius induces?*) in hebræo est, maziroth. hæc sidera nominat pro omnibus: *Omnium siderum nomine omnes in Ecclesia intelligendi sunt, qui conuersationem habent in cælo. nexus eorum intelligitur, quibus, & inuicem sibi, & Deo connectuntur, ne cadant. quis autem hoc noscit, nisi ille ostendisset, qui ait: Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis. & Qui me diligit, diligetur à patre meo.* Pulcherrimus hic locus est de religiosis maximè, qui societatis nexu, & charitatis vinculo & inter se, & cum Deo coniuncti sunt. quin & ipsa tria vota nexus sunt, nam *Funiculus triplex difficile rumpitur.* nota item, hoc nexu fieri, vt difficilius religiosi cadant, quàm sæculares. Pleiades autem religiosi dici possunt, vel ex eo, quod illæ in coelum translatæ finguntur, quod in terris virginitatem seruare non possent expetitę à procis. eędem Vergiliæ dicuntur verno enim tempore exoriuntur inter odores florum. Orion autem gladio aureo armatus fingitur, quod ad obediētiam pertinet, vt gladius ille Abrahæ ad immolandum filium. denique Arcturus ad paupertatem, nam hæ stellæ quasi humana dedignatę, nunquam ità se inclinant, vt mari vel mergi, vel certè tingi videantur. Nota etiam, hæc, quæ de his stellis dicuntur mysticè, quasi rem arduam ad diuinam operationem referri. adde & hoc difficile à seculari bus intelligi, quàm sit perfectus hic status, & quanta cum vnione viuāt. *Aut intellexisti nexus Plaiadum? &c.*

in religione quasi

Tria vota in pleiadib & Orione & Arctu ro expressa.

Etiam iusti mores ne immutētur verendū est.

177 *Scis commutationes cæli?*) *Nempè alii in bonum, alii mutantur in malum*: ideò pluraliter dixit. *Vides quàm metuendum sit ipsis iustis, ne aliquando alios induant mores?* certè & in coelo nonnullę mutationes Astrologos ipsos suspensos tenent. Lucifer, vt est apud Varronem, aliquando, & figuram, & magnitudinem, & colorem mutauit; & nostra ætate in Cassiopea, quod apparuit, sidus euanuit. *Addit*, posse intelligi etiam iuxta illud. *Omnes resurgemus: sed non omnes immutabimur*, scilicet in statum beatorum: nam quis sit futurus ex prædestinatis, ipse tantùm scit.

178 *Vocabis nubem voce?*) *Aut interiore; aut illa qua dictum est: Sequere me: aut illa, qua dictum est: Saule, Saule, &c.* pulchrè, eū, qui ad religionē, & Apostolicam vitā vocatur, quasi nubem dicit. vocatur enim ad communem vtilitatem, ad fructus Ecclesiæ, ad pluuiam diuini verbi, ad promptam obedientiam, quocunque vox iubentis quasi spiritus deferat, iuxta illud: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?*

Dei vocatio quasi nubes ad imperium deducentis

179 *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, & varietatum scientiam?*) *Texit & apud Solomonem mulier vestimenta viro suo: opera ergo intellecta sunt Ecclesiarum, quibus honoratur Deus.* locus prouerbiorū est. *Quæsiuit linum, & lanam, & operata est consilio manuum suarum. Sindonem fecit, &c.* facit hoc maximè pro sancta Teresia, quæ tam mirabiliter, ac sapienter Ordinem instituit, ac tanta varietate operum bonorū quasi contexuit ad ornamentum sponsi Christi, vt dicere possis cum admiratione: *Quis dedit mulieri texturæ sapientiam? &c.* in corde enim, tanquam in officina cogitando ea contexi debent, quæ ad ornatum Ecclesiæ faciunt. *Addit* eleganter in eadem verba? *Quis dedit texturæ sapientiam? &c.*) *Contextio quasi staminum est infirmos fratres tanquam lanuginantem tramam, firmorum fratrum quasi staminum contextione constringere, maximum, & singulare opus est Ecclesiæ; & varietatum scientia ad id valet, vt tanquam in polymito ea est varietas colorum, qua non turbetur decus vnitatis: sic in fratribus ita sint dona diuersa, vt nulla inuidiæ discrepantia cohæreant; Studentes, vt ait Apostolus, seruare vnitatem in vinculo pacis.* notabilis, & pulcherrimus locus de concordia religiosorum, cum velut in opere phrygionico ex variis filis inuicem contextis ornatus existit.

Bonorū operum quasi cō. textus operi phrygionico similis.

S. Teresia sui ordinis quasi pulcherrimi aulai textrix.

180 *Et organa cæli in terram quis declinauit?*) *Angelos scilicet cælestes, per quos diuinæ voces denūciari solent: non, vt ille, qui cecidit, sed flexu obedientiæ declinati in terram, maximè cum & ipse dominus esset in terra; nam Euangelista inquit: Et Angeli ministrabant ei.* Eleganter Angeli organa musica cœli dicuntur, qui non casu, & lapsu, sed obedientiæ flexu, e cœlo in terram ad bonum mortalium declinantur; ità vt obedientia tanquam choragus, seu phonascus sit cœlestium organorum, ac symphoniæ. rursus hæc Angelorum in terram declinatio tunc maximè facta, cum Dei Verbum, *inclinauit cælos, & descendit.* nam et in eius natiuitate, *facta est multitudo cælestis militiæ laudantium, &c.* ipse pulchrè refert ad Angelos ministrantes Christo post victoriam tentationis in deserto, itaque ei tanquam victoriale carmen cecinerunt, horrida eremo in cœleste odeum versa. referri

Angelorum chori Christum demulcentes in natiuitate & in deserto

hoc

hoc item potest ad S. Cæciliam, de qua dicit Ecclesia: Cātātibus organis Cęcicia domino decantabat. item ad S. Nicolaum fo. lent. qui sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelicum concentum audiuit, aures suauissimè demulcentem.

In Eucharistia Christus sibi vnit glutine charitatis.

181 Diffusus est sicut terra cinis, & agglutinauit cum lapidibus cibus.) *hoc est, diffusa est latè humilitas pœnitentiæ ad hoc, vt dominus, qui humilibus dat gratiam, cohæreret eis tanquam glutine charitatis, se ipsum illis dans cibum per sacramentum corporis, & sanguinis sui; stulta tanquam lapides eligens, qui Angeli cibus est, Verbum Dei: ergo agglutinabis te, præcedente pænitentia.* Vides vt Eucharistiæ sumptionem præcedere debeat pœnitentia, & humilitatis actus, quibus se homo cinerem noscat, & durum lapidem, non emollitum tot beneficiis, cui tamen dominus se dans in cibum agglutinetur tenacissima charitate: hoc idem indicauit subcineritius panis Eliæ. pulchrè autem *charitatis gluten* vocat, quo nos in hoc sacramento Christus sibi vnit: sicut dicitur: *aglutinata est anima Ionathæ cum anima Dauid*: donando illi purpuram, ac regia ornamenta vsque ad balteum.

Euchariſtiæ præparatio pœnitentia, & humilitas.

Concionatores pœnitentiam inculcare debent.

181 *Tanquam cinis deffundetur, facies ei viam.) hoc est quod dicitur apud Matthæum.* Facite *fructus dignos pænitentiæ. & potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Vide quæ fuerit præparatio viæ à Ioanne Christo facta, prædicatio scilicet pœnitentiæ; pœnitentes autem cinere inspergi soliti. videant prædicatores quid è suggestu in populum diffundere debeant, flores, an cinerem? certè S. Vincentius Ferrerius dicitur tam ardenter concionatus, vt quendam ex auditoribus mirè in cinerem verterit.

Psal. 90.

183 *Aut capies leoni escam, aut animas draconum implebis?) cum scilicet de impietate conuictos, quæ volunt latere, tradit Deus malos in diaboli potestatem: omnes enim Angeli eius leonibus, & draconibus comparantur, vnde illud psal. Conculcabis leonem, & draconem.* Quid infelicius, quàm iusto Dei iudicio tradi impios in escam dœmonibus tanquam au d issimis bestiis? quam auid tatem exprimunt illa verba: *animas draconum inplebis.* quasi semper anhelent ad eos vorandos; item leo ab Apostolo famelicus appellatur. huc pertinet quod sequitur.

Daemones leones, & dracones, eorum esca peccat. r

184 *Pauidi sunt in cubilibus suis, & in latebris insidiarum suarum:) Nam si pauidi non essent, quis sustinere posset? pauent autem illius imperiis, sub quo exclamant: Venisti ante tēpus perdere nos. sicut nec in porcos, nisi permissi, intrarūt. permittit autē iustitia, qua regūtur omnia, vel ad probationē, vel ad dānationem, vel ad correptionem.* Nota dæmonū subiectionē Deo, quos leones dicit, quasi lepores vides: etiā dum nobis insidiantur, pauidi sunt: & dum audaces videndur, timent, vt eos, diuina gratia protegente nos, non timere discamus. Addo: pauidi sunt, ne à Deo eripiatur eis præda per conuersionem. nota item tres causas, cur Deus per illos vexari homines sinat. de iisdem in sequentibus sermo est.

Dæmones & si audacissimi pauent ad nutum Dei.

185 *Sedent in insidiis latitantes:) Non enim quiescit in eis voluntas nocendi, etiam cum potestas non datur: obseruant autem in insidiis in tam siluosa densitate occasionum carnalium.* Vide fraudem. dæmones velut immanes bestiæ latitant inter occasiones, tāquam inter frondosas arbores siluestres, ac densas; & machinantur perniciem, etiam cum velut in cauernis coercentur à Deo. rectè appellat, *siluosam densitatem occasionū carnalium.* ob innumeras peccandi occasiones, quæ in seculo sunt.

Dæmonum (e ua volū. tas nos perdendi etiam cum impediuntur à Deo

186 *Quis præparauit coruo escam? pulli enim eius ad Deum clamant errantes.*) Ita, & in psalmo dicitur. *Qui dat escā pullis coruorū innocātibus eū.) significātur autē peccatores adhuc nigri, nondum dealbati remissione peccatorum, sed pulli, quia iam humiles: errantes, quia nondum cognouerunt veritatē, præparatur esca propter præscientiam Dei, qui nouit conuersum iri etiam nondum humilem.* Vides præscientiam Dei non tollere libertatem, sed præparare peccatorem, qui conuertendus est, ad gratiam mediis aptis.

Dei præscientia ad nostrum arbitrium facit.

187 *Si cognouisti tempus pariendi, tregelaphorum in petris?) Tregelaphus ex hirco, & ceruo animal: in quantum hircus aliam legem in membris sentiens repugnantem legi mentis, sed peperit in petris, cum firmamenta solida ponens exemplorum in scripturis, non desperat, donec viuacitate cerui serpentinis suasionibus superatis, spiritu viuat.* rectè hominem velut hirco ceruum dicit. hircus est quatenus petulantiæ fomitem habet, ceruus quatenus serpenti contrarius, hoc est diabolo contradicit: ceruus enim spiritu extractum serpentem interimit. in petris parere, est operari ad solida exempla Sanctorum.

Homo hirco ceruocō paratus.

188 *Aut partus ceruarum custodisti?) Ecclesiarum videlicet materno affectu imitationem suam persuadentium, quibus iam non possunt serpentinæ opiniones nocere: tamen & tales custodiuntur, non de se, sed de Deo præsumentes.* Ecclesia, inquit, quasi cerua nos hinnulos parit, compressis anguibus, id est hæreticis, quorum venenatas opiniones rectè serpentinas vocat, à quibus custodiri, diuinæ protectionis est.

Ecclesia ceruæ nos hinnuli.

Ecclesiā Deus custodit ab hæreticis quasi venenatis anguibus.

189 Et *dolores eius soluisti?)* Non enim sine dolore dicebat ille: *filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. soluuntur autem hi dolores, cum fuerit partus editus, & veritas persuasa.* pulchrè facit Paulum quasi ceruum, peccatis quasi serpentibus

Paulus ceruæ parienti comparatur.

Ex prædicatione nihil nobis vel plausus vel pecuniæ vindicandum.

*nihil ex eo sibi vendicabit. V*ide quàm præclarum sit nihil mercedis prædicationis titulo recipere, & quā ad perfectionē spectet, nihil ad suam gloriam inde traducere. *D*einde quærit, cur hæc per interrogationem dicantur? *Quia difficile est, vt iste monoceros velit seruire &c. sed tamen, & hoc præstat, atq; efficit in hominis anima, qui facit mirabilia solus, captiuās intellectum ad obedientiam suam.* Habes hic quod maximè in suis requirit S. Ignatius, vt captiuent intellectum ad obedientiam; hoc in suis regulis in primis inculcat. difficilè id quidē. quid enim intellectu, præsertim per tot doctrinarum genera versato, natura superius? sed postea quàm hic monoceros diuina vi est domitus, ad obediendū fit aptissimus.

Sancti licet literati non inferiores sunt sapientibus.

199 *Penna Struthionis mista est aliis herodi, & accipitris.) Tardis ingenio donauit qui stulta Mūdi eligit, vt æquiparētur ingenio sorum celeritati pariter credentium, qui per illas alias aues significantur, hoc est herodiū, & accipitrem.* Vide vim gratiæ. efficit, vt rudes, & indocti, & simplices, vt Antonius, Hilarion, Franciscus, & similes instructi diuinitùs cœlesti sapientia intelligant sublimia quæque mysteria, non minus ac docti.

Nobiles viri religionem intrantes abiecta spe seculi laudantur.

200 *Reliquit in terra oua sua.) Idest spem priorem huius sæculi, in terra reliquit:* nam in ouo spes est fœtus seu pulli. Pulchrè pertinet hoc, & sequentia ad diuites, nobiles, qui ad præcipuos honorum gradus aspirare poterant, sed relicto sæculo intrant religionem, & oneribus Mundi depositis, diuinarum rerum altissima contēplatione se erigunt ad cœlestia; nec iam domesticis curis, quas semel abiecerunt, afficiuntur; *& oblitus est quia pes disperdit, & bestia agri conculcat*: etiam in rebus aduersis circa statum suæ gentis ac familiā, immò *obdurauit contra filios suos*: non modò non curant fœlicitatem terrenam, cū spe, vt in ouis, sed in actu, vt in pullis exclusis.

Seculares imperfecti in religione bene pennati euadunt.

201 *Cum tempus fuerit, in altum euolabit.) Idest cum præceptum est mundanis, ne spē in terrenis ponerent; tunc penna struthionis mista velocibus auibus cœlum petit.* acutè dicit. penna struthionis quandiù in ipso est, attolli non potest ob grauitatem corporis eius auis, sed si mistas haberet posset aliarū leuiū auiū plumas, cum his altè euolaret: ità sæculares imperfecti, per gratiam onus sæculi relinquentes, ex struthionibus in accipitres, religiosis ceteris quasi perfectè volantibus immixti, vertuntur, & ipsi quoq; per sublimitatem contemplationis à terrenis euolant ad cœlestia.

Martyr generoso equo cōparatur.

202 *Aut circumdedisti equo virtutem?) Martyrem videtur describere intrepidum, et alacrē fidei salutaris, non tamen virtute proprii, sed cum circumdedit dominus.* Pulchrè Martyrē generoso equo cataphracto cōparat in prælijs. quò refero illud prophetæ. *posui eum quasi equum gloriæ meæ in bello.* vndiq; martyr circumdatur Dei virtute, & gratia, quia vndiq; cruciatur Martyr, sæuitia tyrannorum. Item ad Martyres referri possunt fere cetera, quæ hic de equi generositate commemorat.

Martyrū charitas quam ampla.

203 *Prodiens in campum.) In lucem libertatis exiens, in latitudine charitatis exultat.* Egregiè Martyris generositatem, ac libertatem exprimit, ac pulchrè charitatis amplum campum ostendit: magis certè eius argumentum nullum est. ceterùm in his verbis quis non Xauerium agnoscit? in Indiæ campos prodeuntem, & in latitudine charitatis exultātem, dum angustum sinum manu dilatat huc, quæ de generositate equi dicit, ferè omnia competunt.

Martyr fidei scuto armatus.

204 *Occurrens iaculo contemnit.) Quia circumposita sunt ei arma, in quibus est scutum illud fidei in quo ignea iacula extinguātur, vt ait Apostolus.* Vide quàm adamantinum sit, & impenetrabile scutum fidei: tantam dat fiduciam, vt hosti occurras, & iacula non solùm hebetentur, sed ignea extinguantur Christi videlicet sanguine.

Mortificatio gladio comparata cum gaudio suscipienda.

205 *Super ipsum gaudet arcus, & gladius.) Per confessionem quippè eius asseritur, & comminatio futuri supplicii, hoc est arcus à longè, & debellatio præsentium cupiditatum, hoc est gladius.* rectè gladium pro mortificatione accipit, quæ quia cum gaudio suscipi debet, ait: *gaudet gladius super ipsum.* Pulchrè item indicat, iudicium vltimum, quod pro arcu à longè feriente intelligit, iustis gaudio esse ob retributionē, iuxta illud: *leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Cur Martyr contemnat gladium ten timeat lanceam?

206 *Lanceæ, hastæq; tremore.) Quid est quod lanceæ, hastæq; tremore super ipsum gaudet arcus, & gladius? an quia cadi, & ipse tremat, ac timeat futuram mortem, quā iaculatur diuina iustitia? sic potest præsentē contemnere quam persecutor minatur, vt prædicet cum fiducia veritatem, atque ità super eam gaudeat. nisi gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset in nobis, negligens esset ipsa securitas, & superba præsumptio; ità dicitur in psalmo. Exultate ei cum tremore.* Nota rem miram: Martyr contemnit gladium, sed lanceam timet. cur ita? acutè interpretatur: gladium, qui de propinquo ferit, idest præsentem mortem Martyr contēnit, & ideò contemnit, quia timet lanceā, quæ de longinquo ferit, idest diuinæ iustitiæ minas, quò spectat etiam illud psalmi. *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis trepidauit cor meum.* quæ verba Martyris sunt, vt explicat *A*mbrosius; & obiicit: si fortis debet esse Martyr, & constans, quomodo dicitur trepidare? quia, inquit, in mediis tormentis reputat secū illū ignē perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum &c. pōdera & illa verba *A*ugustini:

Psal. 2.

Ps. 118.

gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esse debere, ne nimia securitas dãno sit.

207 *Et iracundia euertit terrã.) Apud semetipsũ irascens, ad euertendas in se terrenas concupiscentias. in qua fortè sententia dictũ est. Irascimini, & nolite peccare.* Vide in quẽ exercenda sit iracundia. in seipsũ, in insurgentes cupiditates terrenas, non in proximum, quantumuis infensum.

Tentatio exprimẽtum virtutis est, & quasi belli tuba.

208 *Non credit, donec clamauerit tuba.) Non.n. est credendũ, facilè euersã esse terrenã cupiditatẽ, nisi tẽpus ipsũ tentationis docuerit.* Pulchrè interpretatur: quandiù in hac vita sumus, exarmati esse non debemus, adhuc tubæ militares clangunt, & sonitus lituorũ strepit. itẽ non pôt ferri iudicium de passionibus victis, quandiù nulla adhuc est est pugna. Sequitur. *Cũ autẽ tuba cecinerit; dicit euge;) idest cũ tẽpus tentionis aduenerit, gloriabitur in tribulatione; nã tribulatio patientiam operatur, &c.* Verba sunt Apostoli. vide animositatem iusti, audita hosti. li tuba, hoc est oblata sibi occasione exercendæ virtutis per tentationẽ siue aduersitatẽ, non modò non trepidat, sed gloriatur se habere materiam triumphorum.

Iustus præmanit se ad tentationẽ, quasi procul olfac. bellu.

209 *Procul odoratur pugnã.) Procul, inquit, quia colluctatio est aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus, quæ non videntur: aptè autẽ dictũ est, odoratur, propter Principẽ potestatis aeris huius; odores quippè olfactu sentiuntur siuè boni, siuè mali. odoratur ergo pugnã, qui intelligit Principẽ potestatis aeris huius operari in persecutoribus, cũ aduersus spiritalia spiritualibus armis dimicet.* Vides vt aerem hunc procellis, & tẽpestatibus obnoxiũ insederint dęmones. nempè vt inquietã eorũ, & turbulentã naturã, esse sciamus. Tum nota perspicaciã, & cautelã iusti; procul inquit, odoratur pugnã; præmunit se, arma præcepit, præuidet fraudes, ne incautũ aggrediatur hostis. huc spectat quod subiũgit

Dæmone ut perturbatores aerem nubilis incolunt.

210 *Tonitrũ Ducũ, & clamorẽ.) subintellige, odoratur. tonitrũ dictũ puto propter ipsũ aerẽ, in quo spiritualia nequitiæ clausa versãtur, quos Apostolus vocat rectores Mundi, idest impiorũ; qui ibi rectores uocantur, hic duces; ducũ aũt taliũ clamorẽ dicit odorari Martyrẽ, non ignorantẽ astutiã, & quanta diabolus, & Angeli eius moliãtur. sed aduersus hũc clamorẽ ducũ surdæ sunt aures fideliũ.* i. dęmones vtpote nostrę quietis perturbatores, aereã incolunt regionẽ, vbi tonitruorum fragor, ac fulminũ ictus fiunt. eorũ itẽ instinctu, persecutionũ sæuit tẽpestas, & incẽduntur fulmina. martyr non metuit, quia lauro coronatus triũphali. quod autẽ ait odorari, tonitrum, puto dictum ob sulphureum fulminis odorem.

211 *Nunquid in sapientia tua plumescet accipiter? expansis pennis immobilis respiciẽs ad Austrum.) Nẽpè in sapientia Dei, qui est Christus, nouus homo paulatim innouatur, cõuersationẽ habiturus in cælis. accipiter expãsis pennis immobilibus respicit ad Austrũ; sic ille explicatis ab omni impedimento sæculari pennis geminæ charitatis, nec tamen de se ipso præsumens fidit, illũ inuocãs, à quo ipse charitatis ardor inspiratur.* Facit hoc pro renouatione spiritus, quæ in nostra Societate fit itẽ bis in anno. debet hæc fieri expãsis pennis geminæ charitatis ad Austrũ, Spiritus sancti feruore cõcepto: accipiter est imitãdus, tum in volatu, nã hæc tãtũ auis recto cursu fertur, cum aliæ ferãtur obliquo, vt videlicet recta intentione feramur ad Deum, tum in aucupio animarum.

212 *Nunquid ad prẹscriptũ tuũ eleuabitur aquila, &c.) Potest exaltatio aquilæ ad illud Apostoli pertinere. Siuè mẽte excedimus Deo.* Pulchrè de altitudine cõtẽplationis, & de ecstasi Sãctorũ velut aquilarum cælorum.

Ecstasis SS aquilæ uolatui comparata.

213 *Aut vultur super nidũ suũ in petra sedens morabitur?) sic legit. hoc ad illud pertinere pôt quod subiungit Apostolus. Siuè tẽperãtes, vobis.* Sequitur. *Sedens morabitur, non iã cõtẽplãdo, sed inferioribus cõsulẽdo, vt impij, qui pro mortuis habentur, iustificati per verbũ, quasi ore deuorati, cõuertãtur in corpus Ecclesiæ. vultur. n. de mortuis pascitur.* in petra idest Christo, ideò additur. *charitas. n. Christi vrget nos.* vide vt Apostolus, è tertio vsq; cœlo se demittat ad prædã animarũ. Xaueriũ hic, & in sequẽtibus expressũ vides, itẽq; in præcedentibus de aquila.

Vir Apostolicus ex alto contemplationis descẽdit ad prædam animarum instar aquilæ.

214 *Lõgè oculi eius respiciũt.) Spe futuræ immortalitatis in vitã æternã intentionẽ suã lõgè porrigit; quãuis opera eius in carnis infirmitate volutentur, idest duobus motibus iactentur dũ incertũ habet humana ignorantia ex iis, quæ misericorditer facit, quid cui prosit.* Egregiè ait iust- intẽtionẽ sẽper ferri ad supera, & sursũ. s. spe cœlestium, aciẽ mentis dirigere, Dei gloriã spectare; nec à tã sublimi proposito ex infirmitate naturæ deijci.

Iusti intentio ad æterna fertur.

215 *Vbicũq: fuerit cadauer, cõfestim rapitur.) Vt mortuos sæculo, dum eis exhibet oris ministeriũ in opere sermonis, quasi in corpus Ecclesię traiiciat.* Vide quod sit officiũ Apostolici viri: vultur est, vbi peccatoris prædã videt, statim cõcitato cursu rapitur, vt in in se cõuertat quasi cibũ: hoc sibi voluit similis illa Petri visio in linteo illo animalibus referto, cũ ei dictũ est: *Occide, et mãduca*

Vir Apostolicus uultur est cadauera peccatoris in se trãsmutans.

216 *Semel locutus sũ, iterũ nõ adiiciã.* Cur hoc ait, si & hic sæpè locutus, & adhuc locuturus? sed intellige, non adijciã quasi de Deo cõquerẽs. *Cui locutioni atq; clamori cõtrariũ est beatissimũ illud silentiũ, de quo Dominus ait, & silebit sine timore ab omni malignitate.* rectè ait conqueri de Deo, esse obliqui cum tumultu; contra verò eum diligere, est beatissimo quodam silentio in eius contemplatione perfrui, iuxta illud: *Te decet, Deus, hymnus in Sion* alij vertunt, silentium. Hactenus Augustini in Iob.

Peccatũ tumultus est apud sed dilectio silentium & quies.

FINIS LIBRI QVARTI.

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM

LIBER QVINTVS.

Continens Tomi Quinti præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX LIBRO I. DE CIVITATE DEI.

Ex Cap. 1.

Nihil firmum in terreno fastu.

DE difficultate humilitatis, & eiusdem excellentia hæc habet. *Magnum opus, & arduum, sed Deus adiutor noster est: scio quibus viribus opus sit, vt persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis, qua fit vt omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia non humano vsurpata fastu, sed diuina gratia donata celsitudo trascendat*. Vide vt omnis terrena sublimitas vacillet, & nutet; at humilitas vt fundamentis altissimis nixa, tuta consurgat. ac proinde ad *D*eum recurrendum rectè ait.

2 Dolet, quod quidam impij, cum in vastatione vrbis Barbari parcerent Christianis, qui in templa confugissent, & ipsi se Christianos metu falsi, eo nomine liberati fuissent, postea religionem ipsam persequerentur. *An non illi Romani Christi nomini infensi sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? testantur hoc Martyrum loca, & basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione Vrbis ad se confugientes suos, alienosque receperunt. hucusque cruentus sæuiebat inimicus; ibi accipiebat limitem trucidatoris furor*. Nota reuerentiam in Martyrum, & Apostolorum templa. meruerũt, vt qui sanguinem pro Christo fuderant suum, mollirent barbaros, ne funderent alienum. Sequitur. *Qui alibi truces, atque hostili more sæuiebant, postquam ad illa loca veniebatur, tota feriendi frænabatur immanitas. plurimi non euasissent, nisi seruos Christi se esse finxissent; & tamen mala, quæ illa Ciuitas pertulit, Christo imputant; bona, quòd viuerent, fato suo*. Nota ingratitudinem horum, cum fidem insectarentur, cuius prætextu salui euaserant. & vide quantò æquius sit Christianum Christiano parcere. Negat autem aliquando factum, vt victores parcerent victis, propter Deos, vt Barbari fecerunt propter Christum. *Tot bella gesta conscripta sunt, proferant aliquem ducem barbarum præcepisse, vt irrupto oppido nullus feriretur, qui in templo fuisset inuentus*. certè Priamum ad aram mactatum dicit Maro, vrbes à Dijs protectas negat. *Non ideò Troia perijt, quia Mineruam perdidit, neque homines à simulacro, sed simulacrum ab hominibus seruabatur*. contra nunc accidit, vt ceteros vrbium patronos omittam, vt Ianuarius, & Agnellus visi sint Neapolitanæ vrbis fugare hostes.

Barbarorum reuerentia in Martyrũ templa.

Ex Cap. 2.

Ex Cap. 3.

4 Idem arguit, hoc est Deorum impotentiam, cum Maro dicat: Sacra, suosque tibi commendat Troia Penates. & alibi, victos Penates vocet. Tum acutè perstringit Ethnicos dicentes, Romam ideò vastatam, quia Dijs se priuassent. *Quantò sapientius creditur, non Romam ad istam cladem non fuisse venturam, nisi illi prius periissent, sed potius olim fuisse perituros, nisi eos, quantum potuisset, Roma seruasset*. Addit illud item acutè: *Cur dicitur, ideò Vrbem periisse, quia custodes perdidit Deos suos? cum vel sola potuerit esse causa pereundi, Custodes habere voluisse perituros*. cecidit, inquit, Vrbs ideò, quia *D*iis confidit, qui erant casuri.

Vrbes ideò destructæ, quia Diis fisæ sunt custodibus destruẽdis.

Ex Cap. 4.

5 Confert asylum Iunonis cum basilica Apostolorum. *Compara nunc asylum illud, non cuiuslibet Dei gregalis, vel de plebe, sed Iouis ipsius sororis, & coniugis, & reginæ omnium Deorum; illuc incensis templis, & Diis erepta spolia portabantur, non reddenda victis, sed diuidenda victoribus: huc autem, & quod alibi ad ea loca competentum est pertinere, cum honore, & obsequio religiosissimo reportatum est: ibi clausa, hic interdicta captiuitas est*. Vide quantus honor exhibitus basilicæ *A*postolorũ, quã meritò quasi Capitolio ipsi trophæis ornato præposueris, & verum reorum perfugium dixeris,

Basilica Apostolorum præfertur Iunonis asylo

Ex cap. 5

Dii contempti à suis cultoribus.

6 Cæsaris dictum refert, quo ostendit, nullum fuisse templorum asylum apud Ethnicos. *Rapi Virgines, fana spoliari &c. hic si fana tacuisset, Deorum sedibus solere hostes parcere putaremus, & hæc non ab alie-*

nigenis hostibus, sed à Catilina, & sociis eius nobilissimis Senatoribus, ac Ciuibus Romana templa metuebant.

Ex Cap. 6.

Marcellus ad fana Deorum confugientibus non pepercit

7 Pergit ostendere, etiam laudatos viros non pepercisse Deorum templis. *Egregius Romani nominis M. Marcellus, qui Syracusas vrbem ornatissimam cepit, fertur etiam prius fleuisse ruituram, & ante eius sanguinem suas illis lacrymas effudisse: gessit & curam pudicitiæ etiam in hoste seruanuandæ; euersa est Ciuitas more bellorum, nec vspiam legitur ab Imperatore tam casto, atque clamente fuisse præceptum, vt quisquis ad templum fugisset, abiret illæsus.* Nota pulchrè dictum de Marcello, qui præuenit lacrymis hostilem sanguinem, ac cædem: quod sanctius fecit Christus, cum *videns ciuitatem, fleuit super illam.*

Nihil hostilius Deo irato.

8 Soluit obiectum lepido, & iocoso alterius dicto. *Fabius quidem Tarentinæ euersor vrbis à simulacrorum deprædatione se abstinuisse laudatur. nam cum ei scriba suggessisset, quid de signis Deorum captis fieri iuberet, vt cognouit grandia esse, & armata, relinquamus, inquit, Tarentinis Deos suos iratos.* Nota ritum Ethnicorum, qui colebant Deos, gigantum instar armatos, quasi eorum præsidio magis, quàm militum, exercitus niterentur, nostrorũ verò patronorũ arma sunt apud Deum preces. vide vt nihil hostilius sit, quàm numen iratum. hinc Achior ait Holoferni; *Perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, & ascendamus, quoniam tradet illos Deus.* adeo nihil est peccatore miserius.

Iudit. 5.

Ex Cap. 7.

Basilica Apostolorum asylum contra barbarorum impetum.

9 Concludit de vrbis casu. *Quidquid vastationis in hac Romana clade commissum est, fecit consuetudo bellorum; quod autem more nouo factum est, vt immanitas barbara tam mitis appareret, & amplissimæ basilicæ implendæ populo, cui parceretur, eligerentur: hoc Christi nomini tribuendum, quisquis non videt, cæcus: quisquis videt, nec laudat, ingratus: quisquis laudanti reluctatur, insanus est:* Vide vt bona omnia referenda sint Deo, præsertim cum repente frangitur peruicacia. & nota Christianorũ pietatẽ in hostili incursione concurrentium ad Apostolorum templum.

Ex Cap. 8.

Cur aduersa vel prospera æque Deus ei bonis, & malis cõferat.

10 Ostendit, cur bona, & mala Deus soleat indifferenter tribuere, tum Iustis, tum impijs. *Ista temporalia bona, & mala vtrisque voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.* Addit: *sed interest plurimum qualis sit vsus; nam iustus nec extollitur his bonis temporalibus, nec frangitur malis; impius autem ideò huiusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur: manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum. sub vno igne aurum rutilat, palea fumat. item pari motu exagitatum & exhalat horribile cœnum, & suauiter fragrat vnguentum. sic in eadem afflictione mali Deum blasphemam, boni laudant.* Vide quid sit in iusto afflictio, motus vnguenti, statim virtus apparet, odorem suum ostendit: contra in malum statim profertur iræ & impatientiæ grauiter olens cœnum. Item docet, cur Deus non semper hic puniat, sed tamen interdum puniat: *Si nunc omne peccatum manifesta puniretur pœna, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur; rursum si nullum peccatum nunc puniret apertè diuinitas, nulla esse prouidentia putaretur.*

Ex Cap. 9

Cur etiã iusti in hac uita affligantur.

11 Docet, cur etiam boni cum malis in hac vita affligi permittantur. ob peccata scilicet, nisi grauia, saltem leuia, ne se iustos, & perfectos putent. *Quod quisque quantumlibet laudabiliter viuens cedat in quibusdam concupiscentiæ, si non ad gurgitem flagitiorum, certè ad aliqua peccata, vel rara, vel tantò crebriora, quantò minora.* hinc puto factum, vt Sancti sibi attribuant aduersos casus. ac vide quanti incommodi sint peccata vel parua, vt etiã magnis calamitatibus cooperentur. præcipuè autem bonos vexari cum malis, ait, quia deserunt eos docere, & corrigere ex humano respectu, qui si emendati fuissent, Deum non irritassent. *Plerumque ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis malè dissimulatur; vel cum laboris piget, vel cum eorum os coram verecundantur offendere: iure ergo istam vitam, dum affliguntur, amaram cum eis sentiunt, quibus amari esse noluerunt.* acutè, ac pulchrè dictum per paranomasiam. si tamen non corrigat, quia opportunius tempus requirit, hoc charitatis est, modò non fiat ex infirmitate: *qua delectet lingua blandiens, & reformidetur vulgi iudicium, &c.* Nota, vnde Deus iratus calamitates mittat, quia prædicatores non seriò agunt, sed blandiuntur auribus: hinc fit, vt peccatores non corrigantur, & tam illi, quàm ipsi immissis calamitatibus affligantur. *Addit*, iustos interdum vnà cum malis vexari ad probationem.

Concionator blãdiens, uel metu [illegible] arguens taxatur.

Ex Cap. 10.

Iustus in aduersis nihil bonorum perdit.

12 Licet boni vnà cum malis in hac vita affligantur, tamen bonos nihil deperdere ait. *Amiserunt omnia, quæ habebant, nunquid fidem? nunquid pietatem? hæ sunt opes Christianorum.* affert exemplum Paulini. *Paulinus noster Nolanus Episcopus ex opulentissimo diuite voluntate pauperrimus, & copiosissimè sanctus, cum Nolam barbari vastauerunt, & ab eis teneretur, sic in corde suo precabatur: Domine nõ excrucier propter aurum, & argentum, vbi enim sunt omnia mea, tu scis.* sanè præclarior

hæc

hæc vox sua bona ponentis in Deo, quàm Biantis item in vastatione vrbis, qui dixit: Omnia bona mea mecum porto. quid mirum? pauca vel potius nulla erant, nullius ponderis.

Ex cap. 11. 13 Iustis nihil obesse mortem, licet sæuissimam, dicit. *Non facit malam mortem nisi quod sequitur mortem; non itaque multũ curandum est eis, qui necessariò morituri sũt, quid accidat vt moriantur, sed moriendo quò ire cogantur. melior certè mors fuit pauperis inter lingentium canum linguas, quàm diuitis impii in purpura, & bysso.* Egregiè ait, non mortem timẽdam, sed quò ferat mors. nam cum varii cuique casus, & genera mortis impendeant, *quæsò vtrùm sanius est, vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo?* Acutè ait, eum, qui viuit, omnia genera mortis posse timere ob incertos casus; qui autem moritur, vnum habet.

Nõ mors timẽda, sed quo mors ferat.

Ex cap. 12. 14 Nihil obesse dicit bonis, quod in clade insepulti relinquantur. *Omnis ista curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diuiti pompa famulorum, sed multò clariores in conspectu domini vlceroso illi pauperi ministerium tribuit Angelorum.* Tum citat illud poetæ. Cœlo tegitur, qui non habet vrnam. Addit. *Ipsi gentiles philosophi sepulturæ curam contempserunt, & sæpè vniuersi exercitus dum pro terrena patria morerentur, vbi postea iacerent, vel quibus bestijs esca fierent, non curarunt.* quantò magis Christi resurrectionem expectantes? huc refero illud philosophi tyrannum deridentis: Theodori quidem nihil interest, humi ne an sublime putrescat. sed constantius nostri omnia genera pœnarum pro Christo desidentes.

Mortem non facit felicem pompa exequiarum.

Ex cap. 13. 15 Esse quidem contemnendam sollicitudinem de sepultura dicit; *Nec tamen ideò contemnenda, & abiicienda sunt corpora defunctorum, maximèque iustorum: quibus tanquam organis, & vasis ad omnia opera bona sanctus vsus est Spiritus; si enim paterna vestis & annulus & si quid huiusmodi, tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ multò familiarius, atque coniunctiùs, quàm qualibet indumenta, gestamus. Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruit, & ipse dominus religiosæ mulieris bonum opus prædicat de vnguento in sua membra effuso, quod illa ad eum sepeliendum fecerit.* & Patriarchæ de suis corporibus condendis, & transferendis egerunt. vbi nota multò magis pro reliquijs sanctorũ honorificè curandis. curam porrò mortuorum Deo placere ait: *Propter fidem resurrectionis astruendam,* & vt ostendat, si ei grata sunt officia exhibita in mortuos, quantò magis in viuos sentientes per eleemosinam. Ceterum; si opprobria, & incommoda iustos viuentes non faciunt miseros, multò minus post mortem.

Sanctorũ corpora ut organa & vasa spiritus post mortem veneranda.

Ex cap. 10. 17 Pergit ad reliqua Vrbis incommoda, *Sed multi, inquiunt, Christiani etiam captiui facti sunt. hoc sanè fuisset miserrimum, si aliquò duci potuerunt, vbi Deum suum non inuenerunt; fuerunt in captiuitate tres pueri, nec Deus defecit consolator: nimirum qui prophetam non deseruit nec in visceribus belluæ. non credunt hæc; at in suis litteris credunt Arionem Methymneum nobilissimum citharistam, cum esset eiectus de naui, ereptum delphini dorso, & ad terras esse prouectum. verùm illud de Iona incredibilius est: planè incredibilius, quia mirabilius est; mirabilius, quia potentius.* confert pulchrè Arionem canentem supra delphini dorsum, & Ionam orantem intra viscera ceti, instar citharoedi.

Nihil aduersi est Deum secum habenti.

Ex cap. 15. 17 Ostendit quàm falsum sit, ideò Romanos vastatos, quòd Deorum cultum reliquissent. Nam M. Attilius Regulus, qui Deorum cultor eximius fuit, vt iuramentum per Deos factum seruaret de redeundo ad hostes, reuersus, ab ipsis atrocissimè necatus est: *inclusum quippè angusto ligno, vbi stare cogeretur, clauisque acutissimis vndique confixo, vt se in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret etiam vigilando peremerunt.* quòd si Dijs probro fuisse negant, quod hic necaretur, & patria careret, cum aliam non haberet, multò minus non est exprobrandum Christianis captiuitas, qui supernam expectant patriam. hinc illud Martyrum gaudium in similibus nonnunquam pœnis.

Martyres M. Attilio Regulo prælati.

Ex cap. 16. 18 Negat exprobrandũ nomini Christiano, quòd in ea clade virgines, & sanctimoniales stuprum passæ sint, quia per vim factum. *Sit hoc in primis positum, atque firmatum, virtutem, qua rectè viuitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus vsu fieri sanctæ voluntatis, qua inconcussa, & stabili permanente, quidquid alius in corpore egerit, quod sine peccato proprio non valeat euitari, præter culpam esse patientes.* Vide vt voluntatis sanctitas refundatur in ipsum corpus. & attende Virtutem reginam tanquam ex alto quodam animi solio imperantem.

Regina uirtus ex animi solio mẽbris imperans.

Ex cap. 17. 19 Illicitum dicit, irrationabiliter se necare, nam & Iudas detestandus, quòd diffidens de Dei misericordia, se ipsum occidit. *Iudas cum se occidit, sceleratum hominem occidit, tamen non solùm Christi, sed etiam suæ mortis reus fuit*

Iudas deicidio addidit homicidium.

fuit, quia licèt propter fuum fcelus, alio fcelere fuo occifus eft. acutè de Iuda dicitur, parricidium, feu fecundùm fumptam carnem, Deicidium homicidio cumulaffe altero, potius quàm expiaffe.

Ex Cap. 18.

20 Non nifi voluntate pudicitiam amitti dicit. *An enim, ne vel aliena polluat libido, metuitur? non polluet, fi aliena erit. quis dicat perdi pudicitiam, fi fortè in oppreffa carne fua expleatur libido, non fua? alioquin pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus benè viuitur, fed in bonis corporis numerabitur, qualia sūt vires, pulchritudo, &c.* Rectè argumentatur, nam fi virtus ad animum pertinet, nulla vi corporea expugnari poteft. contra amitti dicit, fi voluntas fit libidinis exercendæ, etiam nondum exercita. *& hinc admoneamur, ita non amitti corporis fanctitatem, manente animi fanctitate, etiam corpore oppreffo, ficut amittitur corporis fanctitas, violata animi fanctitate, etiam corpore intacto*.

Corpus per vim non polluitur quia uirtus ad animum fpectat.

Ex Cap. 19.

21 Iniquè ait, exprobrari Chriftianis virginibus inuoluntarium ftuprum, cum Lucretiam idem paffam laudent, & cuiufdam viri docti de ea teftimonium profert. *Egregiè quidam ex hoc, veraciterque declamans ait: Mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium vnus admifit: fplendidè, atque veriffimè intuens in duorum corporum commiftione, vnius inquinatiffimam cupiditatem, alterius caftiffimam voluntatem; & non quid cōiūctione mēbrorū, fed quid animorū diuerfitate ageretur, attendens; duo, inquit, fuerunt, & adulterium vnus admifit*. acutè dictum de difpari conditione in vno, eodēq; actu. Tum affert rationem, cur noftræ virgines non feipfas interemerint, vt Lucretia. *quod hæc feipfam, quia adulterium pertulit, etiam non adultera, occidit, non eft pudicitiæ charitas, fed pudoris infirmitas; Romana mulier laudis auida nimium verita eft, ne videretur, quod violenter eft paffa cum viueret, libēter paffa fi viueret: non hoc feminæ Chriftianæ fecerunt: habent quippè intus gloriam caftitatis, teftimonium confcientiæ habent coram oculis Dei fui*. Nota, refert ad auiditatem nimiam laudis Lucretiæ vt fe occiderit, nè alij putarent voluntariè factum. at Chriftianæ virgines eo metu caruerunt, præfertim cum Deum teftem haberent: tam fanctè caftèque viuebant, vt nemo fufpicari poffet, ne non inuitò id actum effet.

Lucretia fe ob ftuprum interimens taxatur præ noftris uirginibus.

Ex Cap. 20.

Negat igitur vlla de caufa licere feipfum occidere. hinc illud: *Non occides: præfertim quia non addidit, proximum tuum*. addit tamen, malè quofdam interpetratos, etiam beftias occidi vetitum, nam & fruteta, & herbas extirpare non liceret, quia licet nō fentiant, viuunt. at dicitur: *Occidit vites eorum in grandinem*. Porrò Iephtæ factum in immolanda filia, an pro iuffu Dei fit habendum in quæftione effe ait. *Nec Samfon aliter excufatur, quod feipfum hoftibus ruina domus oppreflerit, nifi quia Spiritus latenter hoc iufferat, qui per illum miracula faciebat*. Nota, non tam facilè in finiftram partem aliorum facta effe vertenda.

Pf. 75.

Ex Cap. 21.

Sampfon fe interimens ex peculiari Dei inftinctu.

Ex Cap. 22.

22 Negat mortem voluntariam ad magnitudinem animi pertinere. *Potius enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non poteft vel duram fui corporis feruitutem, vel ftultam vulgi opinionem; maiorque animus meritò dicendus eft, qui vitam ærumnofam magis poteft ferre, quàm fugere; & humanum iudicium, maximèque vulgare, quod plerumque errat, præ confcientiæ luce, ac puritate contemnere*. De Cleombroto verò, qui lecto Platonis libro de immortatate animæ, de muro fe præcipitem dedit, quafi ad meliorem abiturus vitam, fic fentit: *hoc magnè potius factum effe, quàm benè, teftis potuit effe Plato ipfe, quem legerat, qui id prohibendum iudicauit*. Rectè ait, maioris animi effe ferre aduerfa viuendo, quàm fugere fponte moriendo, fe necando, quod potius pufillanimi eft. quod autē Cleombratus immortalitatis affequendæ ftudio id egerit: efto egerit magnè, at minus benè, vel fuo magiftro tefte.

In aduerfis fe interimere pufillanimitatis eft.

Ex Cap. 23.

23 Catonem Vticenfem arguit, qui victoriam Cæfaris de fe non ferens, feipsū occidit, cum tamen filio ob amorem fuaferit, vt reconciliaretur Cæfari, fperans de eius benignitate: cur igitur non & ipfe ceffit? nifi quia, *aut gloriæ ipfius Cæfaris, vt ipfe Cæfar dixiffe fertur, inuidit, fi fibi parceretur; aut, vt aliquid mitius dicam, erubuit*. Tum eum arguit amicorum, & fapientium teftimonio, qui ipfum dehortantes à nece. *imbecillioris, quàm fortioris animi effe cenfuerunt, quod demonftraretur non honeftas turpia præcauens, fed infirmitas aduerfa non fuftinens*.

Cato feipfum interimens pufillanimitatis arguitur.

Ex Cap. 24.

24 Iobi laudat fortitudinem animi, *Qui tam horrenda mala in fua carne perpeti maluit, quàm illata fibi morte omnibus carere cruciatibus*. ceterùm ait. *fi Regulus, quo non proferunt Romani meliorem, & præclariffimi alii viri, licet falforum Deorum cultores, ab hoftibus victi feipfos ferire noluerunt, quantò magis Chriftiani verum Deum colentes, & fupernæ patriæ fufpirantes, ab hoc facinore temperabunt? cum eos in illa humilitate non deferat, qui propter eos tam humiliter venit altiffimus*. Nota quid folari debeat in anguftia pofitos, non fuga per mortem, fed præfentia vitæ, qui Chriftus eft.

Iob ideo fortis quia per necem nō fugit aduerfa fed ufit.

Ex Cap. 25.

25 Non ideò fibi quemquā inferre necem debere dicit, quod vereatur, ne libidini confentiat, dum vis infertur. *Quis ita defipiat, vt dicat, iam nunc peccemus, ne fortè poftea peccemus*. acutè; nam pro incerto peccato certum committis; potius fidendum

Neq; ob bonum finem fe licet occidere.

dum adiutorio Dei. Respondet autem ad obiectum de quibusdam sanctis fœminis, quæ persecutionis tempore pro pudicitiæ tutela se in flumen proiecerant, & pro martyribus habentur. *Quid si hoc fecerunt, nõ humanitùs deceptæ, sed diuinitùs iussæ, sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere?* innuere videtur Pelagiam, de qua Ambrosius, & Sophroniam, de qua in historia Ecclesiastica: putantur enim diuino instinctu id egisse.

Ex Cap. 26. Pelagia, & Sophronia ob tutelã pudoris se interimentes excusantur.

25 Negat consciscere cuiquam licere sibi mortem, vt fugiat pericula peccandi; nam si liceret, nullum aptius tempus esset se necandi, quàm statim post baptismum accepta remissione omnium peccatorum, vt purus, ac mundus moriaris, & seculi pericula vites; & tamen nefas id est, sed gratiæ præsidio nitendum. Tum eas solatur, quæ per vim vitiatæ. *Non sit vobis tædio vita vestra, si ludibrio fuit hostibus castitas vestra; habetis magnam, veramque consolationem, si fidam conscientiam retinetis, non uos consensisse peccatis eorum, qui in vos peccare permissi sunt.*

Ex cap. 28. Passæ vim in pudore quomodo se solentur.

26 Ostendit, cur Deus permiserit ab hostibus pudicitiam sanctimonialium attentari; nempè vel quia superbiebant de virginitate, vel quia prauidebat superbituras. *Quamuis inscrutabilia sint Dei iudicia, tamen videte, ne fortè de isto pudicitiæ bono vos inflatius extulistis: non accuso quod nescio; quorum verò corda interrogata respõdent, nunquam de hoc se superbisse, nec istæ, quæ tales sunt, permissum hoc esse causentur; fortasse istæ habebant aliquid latentis infirmitatis quæ posset in superbiæ fastum, si hanc humilitatem in vastatione illa euasissent, extolli.* Notabilis locus: vide quid agat superbia, vel præsens, vel præuisa, vt permittat Deus tantum inferri opprobium, modò illa absit omninò: adeò ipsam odit, & auersatur. affert & aliam causam; ne putarent in corpore potius, quàm in animo, & volũtate hanc positam esse virtutem. nam si ità esset, *nequaquam ille permisisset, vt hæc accciderent Sanctis suis.*

Ex cap. 29. Cur Deus permittat aliquando virgines uim pati.

Superbia quã Deo detestabilis.

27 Docet quid respondendũ sit Ethnicis obiicientibus, quod à calamitate liberati à Christo non sint. *Deus meus vbiq; præsens est. ille cum me aduersis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemque mihi æternam pro toleratis piè malis temporalibus seruat.* præclara vox, & in tribulationibus vsurpanda. & nota tres causas cur Deus permittat aduersa: aut ad probationem, aut ad vltionẽ, aut ad maius meritum. idem sic explicat *Veri Dei familia bonis terrenis tanquam peregrina vtitur, nec iis capitur; malis autem, aut probatur, aut emendatur.*

Ex cap. 28. Tres causæ cur Deus permittat aduersa.

28 Ethnicos ait, iccircò nobis calamitates exprobrare, quia felicitatem ponunt in voluptate, & prosperitate terrena, quæ potius obest. *Vt secundis rebus, ea mala oriantur in moribus, quæ sæuientibus peiora sint hostibus.* Vide vt nullus hostis sit terrior voluptate, & nequitia: vtitur autem auctoritate ipsorum. *Scipio ille Nasica vester quondam pontifex, quem sub terrore Punici belli in suscipiendis Phrygijs sacris, cum vir optimus quæreretur, vniuersus Senatus elegit, istam vobis metuens calamitatem, nolebat æmulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui, & contradicebat Catoni decernenti vt dirueretur, timens infirmis animis hostem securitatem, & tanquam pupillis Ciuibus idoneum tutorem necessarium videns esse timorem.* & sanè ità accidit, vt diruta Carthagine, rueret statim Roma seditionibus intestinis. vbi nota pulchrè dictum de securitate ab hoste, quam potius dicit hostilem; & metum esse, quasi tutorem pupillorum: quod transferri potest ad denotandum, cur Deus permittat nos tentari. Item nota Senatum delectum fecisse optimi viri, qui pontificium exerceret munus, & cui cõmitteret curam matris Deorum. multò igitur magis Deus eum delectum habuit in Iosepho, & Ioanne, quibus vt omnium optimis demandarit curam matris suæ.

Non aduersitas sed prosperitas pro hoste habenda.

29 Pergit ostendere ex securitate malos mores, & ex his reipublicæ ruinam sequi. *Romanus populus secundis rebus auarus, luxu iosusque effectus est; quæ vitia Nasica ille prudentissimè cauenda esse censebat, cum Carthaginem nolebat auferri, vt timore libido premeretur, libido pressa non luxuriaretur, luxuriaque cohibita, nec auaritia grassaretur, quibus vitiis obseratis Ciuitati vtilis virtus cresceret, & floreret.* Vide quid rempublicam seruet, morum disciplina. Addit: *Hinc est, quòd idem Nasica caueam theatri Senatum construere molientem, ab hac dispositione, & cupiditate compescuit.* Nota contra theatrica spectacula, quæ desides animos emolliunt, & eneruant.

Ex Cap. 31. Romanis prosperitas aduersaria fuit.

30 Scenicos ludos acriter insectatur: *Ludi scenici spectacula turpidinum, & licẽtia vanitatum non hominum vitiis, sed Deorum vestrorum iussis Romæ instituti sunt; tolerabilius diuinos honores deferretis illi Scipioni, quàm Deos eiusmodi coleretis. Dii propter sedandam corporis pestilentiam ludos sibi scenicos exhibendos iubebant. pontifex autem vester propter animorum pestilentiam scenam construi prohibebat. si aliqua luce mentis animum corpori præponitis, eligite quem colatis.* Dæmones præuidentes cessaturam breui pestem corporum, eos fefellerunt, quasi curaturi, vt grauiorem inducerent animi pestem. vide igitur, quid sint spectacula, quàm plena contagijs, & exitii, quæ pontifex ipse gentilis, etiam Diis iubentibus, vetuit. acutè ait: dignior hic minister Deorũ honore, quàm Dii ipsi.

Ex cap. 32. Dii spectacula imperarunt ad tollendã pestẽ, sed introducta maiori animi peste.

Ex libro II. de Ciuitate Dei.

ex Cap. 3. 1 ARguit Ethnicos dicentes, Romæ calamitates ortas ex Diis relictis; at ante hoc iidem vexati. *Ortum est vulgare prouerbium: pluuia defecit, causa Christiani. recolant antequam Christus venisset in carne, quibus calamitatibus res Romana multipliciter variaque contritæ sunt, & in his defendant, si possunt, Deos suos; si propterea coluntur, ne ista mala patiantur cultores eorum.* Vide diaboli astutiam, qua & nunc apud barbaras nationes vtitur, vt in odiu nostros adducant.

Gentiles falsò calamitatē adscribebant introducta Christi fidei.

ex cap. 3. 2 Carpit Ethnicorum Deos, quod benè viuendi præcepta non tradiderint cultoribus suis. *Vtique dignum erat, vt quomodo isti illorum sacra, ità illi istorum curarent facta:* at ipsorum spectacula & ludi turpissimi sunt. *Cælesti virgini, & Berecynthiæ matri Deorum omnium ante eius lecticam die solemni lauationis eius cantabantur à nequissimis scenicis, qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire: habet enim quiddam erga parentes humanæ verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferri. quæ sunt sacrilegia, si illa erant sacra? aut quæ inquinatio, si illa lauatio? & hæc fercula appellabantur, quò velut suis epulis immunda dæmonia pascerentur.* Acutè arguit, quod Deorum matrem tam obscœnis carminibus celebrarent, qualia nec propriā matrē deceret audire. Tum vide vt matri Deorum turpissimę, opposita sit veri Dei Mater, & Virgo; & eius lauationi, huius purificatio mūdissima, cū Eucharistiæ epulo. Addo, quod quidam Magnam matrē dictā, putant siue quia Solis mater est habita, siue ob cœli filios quadraginta quinque. antea vocabatur Regina ex Diodoro; ac pridie idus Aprilis eius simulacrum lauabatur, ac purificatur in fluuio. Deipara, quidē Solis iustitiæ Magna mater est, nec dedignatur dici nostra. certè illa turrita fingitur: at de Deipara verius illud dicitur: *Collum tuum sicut turris Dauid & vbera tua sicut turris, &c.* ob protectionem scilicet suorum.

Matris Deorum turpissima spectacula.

cap. 3. 3 Scipionem Nasicam, quem vt optimum elegerunt ad deferendū matris Deæ simulacrum: deceptum ait, cum eiusmodi matrem habere puderet etiam pessimum quemque. si ergo Scipionem interrogares vtrùm vellet matri suæ diuinos adhiberi honores & immortalem fieri, profectò ille suæ matri tantam felicitatem, si fieri posset, optaret; sed nullo modo vellet quicquid turpe exhiberi, *quod offenderet quamlibet matronam.* Notabilis hic locus mihi videtur de immaculata Deiparæ conceptione, quam *Dei filius cum matri posset concedere, vtique, & optauit, & dedit.* labem verò originalis peccati planè fœdissimam esse quis neget? *Profectò ille suæ matri tantam felicitatem optauit.* immò dedit, quia potuit.

Scipionis deferens simulacrū matris Deorum vana laus.

4 Pergit ostendere, nullas à Diis datas leges benè viuendi. *Demonstrentur loca talibus aliquando conuenticulis consecrata, non vbi ludi agerētur obscenis vocibus, nec vbi Fugalia celebrarentur effusa omnia licentia turpitudinum: & verè Fugalia, sed pudoris & honestatis; sed vbi populi audirent, quid Dii præciperent de luxuria refrenanda, &c. sicut nos ostendimus ad hoc Ecclesias institutas.* lepidè & acutè alludit ad nomen, Fugalia, verè scilicet fugienda sacra, ac vide quid concionator docere debeat in templis. Citat Persei versus, quid homini sit discendum, vt benè viuat. ex Cap. 4.

Deorum nulla præcepta de bonis moribus vt in Ecclesia.

5 Frustra proferri, ait, Platonis, & cæterorum philosophorum moralia præcepta, si in Diis vitia cernuntur; nam hoc magis mouet: *Quantò satius erat ad erudiendam ad iustitiam iuuentutem, publicè recitari leges Deorum, quàm laudari inaniter instituta maiorum? omnes enim cultores Deorum magis intuentur, quid Iuppiter fecerit, cum eos libido pepulerit, feruenti, vt ait Persius, tincta veneno, quàm quid docuerit Plato, vel censuerit Cato. hinc apud Terentium flagitiosus adolescens spectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi Iuppiter mittit in Danaæ gremium imbrem aureum; at quem Deū, inquit? Qui templa cœli summa sonitu concutit; ego homuncio id non facerem?* Vide ex turpibus picturis quàm irritetur libido; & rectè ait, hanc quasi ignito veneno mescere. ex Cap. 7.

Exempla Deorum ad virtutem scirè deberunt non ad nequitiā

6 Perstringit Deos, qui non modò scenicos ludos ob turpitudinem non itati prohibuerunt, sed institui iusserunt, vt placarentur in peste. *Quis igitur non ea sibi sectanda arbitraretur, quæ actitantur ludis, diuina authoritate institutis?* Certè quidam nuper apud barbaros peritus apud ipsos fidem nostram amplexus aiebat, hanc clarè propositam ob sanctitatem extorquere assensum, contra quàm idololatria. & nota ad sanandam pestem, pestilentes induxerunt mores. quid peruersius? Ex cap. 8.

Dii ad pestem sedandā turpes imperāt ludos.

7 Fraudem agnoscit dæmonum. *Maligni spiritus, quos isti Deos putant, etiam flagitia quæ non admiserunt, de se dici volūt, dum tamen humanas mentes suis opinionibus veluti retibus induant; siuè homines ista commiserint, pro quibus se colēdos mille nocendi, fallendique artibus interponunt, siuè etiam nonnullorum hominum illa crimina vera sint, quæ tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, vt ad cœlestia, & turpia perpetranda, velut ab ipso cœlo traduci in terras, satis idonea videatur auctoritas.* Ex cap.

Diaboli venatoris retibus idololatræ tenentur.

ritas. Vide incredibilem astutiam, vt darent pondus nequitiæ, eam quasi de cœlo deducunt. & rectè quasi irretitos venatione diaboli populos dicit; eius enim typus, *Nembrot robustus venator.*

Ex cap. 11.

Scipio irridendus hominum famæ cõsulens, non Deorum.

8 Irridet Scipionem, qui vetuit pœna capitis, ne quis poetarum carperet famam alterius hominis; de Diis autẽ nõ curauit. *Ità ne, Scipio, pluris tibi habenda visa est existimatio vestræ curiæ, quàm Capitolii? imò Romæ vnius, quàm Cœli totius? vt linguam maledicam in ciues tuos exercere poetæ etiam lege prohiberentur, & in Deos tuos securi tanta conuicia nullo censore iacularentur?* est hoc contra eos legislatores, & principes, qui in cetera sunt seueri, non item in iis, quæ ad Dei honorem spectant.

Ex cap. 13.

Ars scenica contemptibilis apud gentiles ipsos.

9 Incongruum esse dicit, vt ex vna parte ars scenica Romæ probro esset, & tamen in Deorum celebritatibus scenici adhiberentur, nam tribu carebant. *Qua consentanea ratione homines scenici ab omni honore pelluntur, & ludi scenici, Deorum honoribus admiscentur? quomodo abiicitur scenicus, per quem colitur Deus? & theatricæ illius turpitudinis qua fronte notatur actor, si adoratur exactor?* acutè, & pulcrè illudit, & arguit: vbi vides antiquitatis stultitiam sibi dissonam. nota etiam, vt apud ipsos gentiles scenici, ac mimici in contemptu essent.

Ex cap. 14.

Platõ inter semideos habitus inferior omni Christiano, vel rudi.

10 Profert Platonem, poetas ex bene morata vrbe pellentem, Diis ipsis ludos scenicos præcipientibus. *Confer Platonis humanitatem à ciuibus decipiendis poetas vrbe pellentem, cum Deorum diuinitate honori suo ludos scenicos expetente, cui tandem honores diuinos honestius decerneret ciuitas? vtrùm Platoni hæc turpia, & nefanda prohibenti, an dæmonibus hac hominum deceptione gaudentibus? hunc Platonem* Labeo *inter Semideos commemorandum putauit, sicut Herculem, & Romulum: Semideos autẽ Heroibus anteponit: verùm hunc Semideum non Heroibus tantùm, sed etiam Diis ipsis præferendum esse non dubito.* Addit tamen. *Nos quidẽ Platonem nec Deum, nec Semideum perhibemus, nec cuipiam Apostolo, aut Martyri, aut Christiano homini comparamus.* Mirum beneficium: quilibet Christianus, licet sit abiectè natus, sit rudis, & imperitus, Platone maior est, quia fide illustratus. est tamen notandus zelus rectè educandæ iuuentutis, vel in gentili philosopho, vt propterea poetas exegerit; quod, & Lacedæmonii fecerũt. Vide etiam, quanto in honore eum habuerint; licet eius doctrina præ illa Augustini ac ceterorũ Ecclesiæ Doctorum, à quibus in multis redargutus est, penè insipientia sit.

ex cap. 15.

Adulatio homines vel scelestos diuinis honoribus afficit.

11 Adulatione magis, quàm ratione Romanos vsos in Diis faciendis dicit. *Romulus beneuolentia ciuium velut receptus in cœlum, Quirinus est nominatus, ac Neptuno & Plutoni, & ipsi Saturno prælatus, flamine instituto.* Vide quid agat adulatio!, adeò res exaggerat, vt non modò ad sidera euehat, sed ad Deos: sic vel sceleratissimos Imperatores diuos fecerunt; aras, ac templa statuerunt.

Ex cap. 16.

Dii nullas leges bene viuendi suis dederunt.

12 Ostendit, Diis nullam fuisse iustitię curam in suis cultoribus. *Si à Dijs suis Romani viuendi leges accipere potuissent, non ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis. & quamuis Lycurgus Lacedæmonius leges ex Apollinis auctoritate se accepisse confinxerit, id prudentes Romani credere noluerunt, ac propterea non inde acceperunt.* Vide vt gentiles ipsi irriserint fictitia miracula, & oracula. rectè Deorum nequitiam carpit, qui nullas leges bene viuendi suis darent, ac proinde oporteret aliunde ab hominibus accipere. cõtra Pachomius regulas ab Angelo accepit. Moises à Deo leges sanctissimas accipere meruit.

Lex Euãgelica, posita turpibus veterum institutis.

13 Cum commemorasset foedos Romanorum mores ante aduentum Christi, ijs opponit Euangelicam doctrinam. *Legant nostra, & per Prophetas, & per Apostolos tàm multa contra auaritiam, atque luxuriem quàm excellenter, quàm diuinè, non tanquam ex philosophorum concertationibus strepere, sed tanquam ex oraculis, & Dei nubibus intonare.* Vide quid sit Apostolico spiritu loqui: quò spectat illud: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* hinc tonitrua prædicationis longè audita ad vitia deterrenda, hinc coruscatio, ac fulgura miraculorum, &c.

Ex cap. 20.

Politica uiuendi ratio sine religione taxatur.

14 Inducit improbos, conscientiæ libertatem in republica sectantes, & politicè potius, quàm religiosè viuere volentes, qui sic loquuntur. *Tantùm stet, inquiunt, respublica, tantùm floreat copijs referta, victorijs gloriosa, vel quod est felicius, pace secura sit, non iubeantur dura, non prohibeantur impura, Reges non curent quàm bonis, sed quàm subditis regnent, prouinciæ regibus non tanquam rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum suarum prouisoribus seruiant. ceterùm de suis, vel cum suis, vel cum quibusque volentibus faciat quisq; quod libet; saltationes vndique concrepent, theatra inhonestæ lætitiæ vocibus resonent, &c. quis hanc rempublicam non dicam Romano imperio, sed domui Sardanapali comparauerit? qui quondam Rex ità fuit voluptatibus deditus, vt in sepulcro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius, etiam cum viueret, hauriendo consumpserat.* quod de ethnicis dicit, hoc dicito, & de hæreticis libertatem cõscientiæ sequentibus. ac nota, regem non minus rectorem esse debere morum, quàm prouisorem temporalium. est autem hic elegans locus contra malè politicas rationes.

15 Comparat pulchrè rempublicam bene moratam cum instrumento musico.

Cicero

Cicero in libro de Republica inducit, Scipionem, eum qui Carthaginem extinxerat, de republica disputantem, quando præsentiebatur ea descriptione, quam describit Salustius, iam iamque peritura, cum vno Gracchorum occiso seditiones graues cœperant. Cum autem Scipio dixisset, vt in fidibus, ac tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatũ, ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, tenuis tamen efficitur & congruens; sic & summis, & mediis, & infimis interiectis ordinibus, vt sonis moderata ratione Ciuitatem consensu dissimillimorũ concinere; & quæ harmonia dicitur in cantu, eam esse in Ciuitate concordiam, eamque sine iustitia nullo modo esse posse. huc refero illud visum Seueri imperatoris, quo imperium auspicaturo, vt refert Dion, oblata per speciem lyra est, quam temperaret plectro pro sceptro. huc, & illud *Iob* spectat: *Qui facit concordiam in sublimibus, & concentum Cœli quis silere faciat?* potest multò magis ad religionem quamque referri, quasi musicum instrumentum chordis congruè tẽperatum, ac resonans assiduè Dei laudes.

Respublica picturæ comparatur. 16 *Arguit eos, qui dicerent: Quod iam vulgo ferebatur, rempublicam regi sine iniuria non posse. Scipio autem cum definisset rempublicam esse rem populi, collegit tunc esse rempublicam, cum bene, ac iustè geritur: alioquin nullam esse.* Tum dolet Cicero maiorũ mores esse collapsos: *Ante nostram memoriã & mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, & ueterum morem, ac maiorum instituta retinebant excellentes uiri: nostra uerò ætas cum rempublicam, sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescentem uetustate, non modò eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, ut formam saltem eius, & extrema tanquam lineamenta seruaret.* Notabilis locus pro renouatione spiritus, quã Ignatius instituit bis in anno, quo pulcherrimam velut imaginem Societatis virtutum coloribus expressam, ne vetustate euanescat, renouandam curauit. huc etiam spectat illa execratio in eos, qui hæc non curant. sic enim pergit Cicero, *Quid manet nunc ex antiquis moribus, quibus Scipio dixit rem stare Romanam? mores enim ipsi interierunt virorum penuria; cuius tanti mali non modò reddenda nobis ratio est, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda causa est.* Magni ponderis hæc verba sunt præsertim in religionum præpositis, qui si maiorum mores deperdi siuerint, non modò rationem reddituri sunt Deo, sed grauissimè puniendi quasi paricidæ matris. & nota de virorum penuria iuxta antiquorum virtutem: cauendumque quod sequitur: *Nostris enim vitiis, non casu aliquo rempublicam verbo retinemus, rè ipsa verò pridem amisimus.* habes igitur rempublicam, & lyræ concentui, & picturæ egregiè comparatam.

Respublica à maiorẽ institutis desciscens facile.

Religio facilè ruit nisi renouetur spiritu.

17 Perditos ante Christum Romanorum mores arguit, & Deos irridet, non tuentes vrbem. *Cum à Gallis Roma capta, & incensa est, vbi erat numinum turba? an præsentes fortè dormiebant? tunc enim solùm collis Capitolinus remanserat, qui etiam ipse caperetur, nisi saltem anseres, Diis dormientibus, vigilarent: vnde penè in superstitionem Aegyptiorum, bestias, auesque colentium, Roma deciderat, cum anseri solemnia celebraret.* Quotannis anserem in pompa ferebant, cuius auis strepitu excitati hostem repulerunt; canem verò vt desidem immolabant. contra apud nos sanctissimi vrbium patroni semper excubant, & in aduersis iuuant. Ex Cap. 20.

Roma liberata per anseres vigiles Diis dormientibus.

18 Ostendit, prospera, & aduersa ex Dei voluntate pendere, & Dei prouidẽtia. *Quia & si in suis rebus dæmones possunt, tantum possunt; quantum secreto Omnipotentis arbitrio permittatur, ne magni pendamus terrenam felicitatem, quæ malis etiam plerumq; conceditur; nec eam rursus quasi malam arbitremur, cum ea etiam multos pios, ac bonos inuitis dæmonibus prepolluisse videamus.* Nota, cur permittat Deus, prospera etiam per Dæmones dari, ne magni scilicet habeatur prosperitas terrena, quæ vel ab infelicissimis, quales hi sunt, tribuatur; nec tamen ex se mala est, cum & bonis concedatur, vt Constantino magno, & nunc Ferdinando Augusto victori inclyto, fremẽte licet salutis hoste. diuina igitur prouidentia sapienter ista disponit. Ex Cap. 23.

Felicitas & aduersitas ex Dei voluntate pendet.

19 De prænunciata Syllæ victoria sic. *Quare Dij curauerunt felicia ista nunciare, & non curauerunt Syllã tanta mala facturũ sceleslis armis ciuilibus corrigere?* Acutè carpit: nã Dei propriũ est animæ bono consulere. Addit, *cum venisset Tarentum Sylla, atque ibi sacrificasset, vidit in capite vitulini iecoris similitudinem coronæ aureæ; mox quidam clamauit: à Bellona nuncius venio: victoria est tua, Sylla. atque vt diuino spiritu clamasse crederetur, nunciauit quod propè futurum, & mox factum; non tamen ille clamauit: Ab sceleribus parce Sylla.* Nota de corona aurea, quæ in victima apparuit. at ex quadraginta illis, qui in gelidum stagnum iniecti sunt, cum vnus defecisset, ac triginta nouem coronæ custodi militi e cœlo demissæ apparuissent, re cognita, conuersus per martyrium impleuit numerum quadragenarium coronarum. huc refer quod canit Ecclesia de Martyribus, *Corona aurea expressa signo sanctitatis, &c.* Acutè autem malitiam carpit dæmonum, nam si iusti Dij essent, potius nunciassent Syllæ calamitatem aliquam, qua eum à sceleribus reuocarent, quàm victoriam, qua insolens factus Ex Cap. 24.

Dij vt fautores malorũ taxantur.

ctus, nequior euaderet.

Ex Cap. 25. 20 Ostendit, Deos suo exemplo scelera persuasisse. *Cum in Cãpaniæ planicie, vbi paulò post ciuiles acies præliatæ sunt, visæ sunt duæ acies præliari, relictis etiam vestigiis in puluere, quid aliud Dii egerunt? non vt sibi Romani bellando ciuiliter, tanquam Deorum exemplo nullum nefas admittere viderētur.* Vide quàm grata diabolo sit discordia præsertim ciuica, vt diabolus exemplo ei præierit, ac præluserit, incitans animos exhibito scilicet spectaculo ipsorũ dæmonum inter se decertantium. Addit: Cum paulò ante, cœpto bello ciuili, miles quendam occidisset, ac postea fratrem agnosceret, detestatus bella ciuilia, se ipsum supra fratris corpus occidit; ne igitur alii deterrerentur à bello ciuili. *Dæmones, quos illi Deos putabant, inter se pugnantes hominibus apparere voluerunt, ne imitari tales pugnas ciuica trepidaret affectio, sed potius humanum scelus diuino excusaretur exemplo.*

Diabolus incitans ad discordiam suo exẽplo.

21 Acutè detegit dæmonum fraudem qui in publico non nisi flagitiosa fieri uolebant, in secreto quædam bonorum præcepta se dare fingebant, *Quod si ità est hoc ipso calliditas aduertenda est. tanta enim vis est probitatis, & castitatis, ut omnis, uel penè omnis eius laude moueatur humana natura; nec usque adeò sit turpitudine uitiosa, ut totũ amittat sensum honestatis: proinde malignitas dæmonum, nisi alicubi se transfiguret in Angelum lucis, nõn implet negotium deceptionis: foris itaque populis celeberrimo strepitu impietas impura circumsonat, & intus paucis cis castitas simulata uix sonat. decus latet, & dedecus patet; malum, quod geritur, omnes cõuocat spectatores; bonum, quod docetur, uix aliquot inuenit auditores: tanquam honesta erubescenda sint, & inhonesta glorianda. spectabamus hinc meretriciam pompam, hinc uirginem deam &c.* Est hoc contra eos, quos non pudet palam malè agere, pudet benè. addit, illa ipsa simulata præcepta bona in secreto data ad fallendum data, nempe *in adytis falsorum Deorum.* Vide vim virtutis, maximè castitatis, sine cuius specie aliqua ne diabolus quidem quicquam impudẽtur moliri audeat. Huc refer, quod Ignatius fidelium pietatẽ per suos publicam fecerit, declamando, & quæ quasi etiam in plateis declamando, & quæ quasi erubescenda, apud nobiles præsertim viros clausa domi in ædiculis latebat, nũc palàm omnibus patet, iuxta illud, *quæ audistis in cubiculis, prædicate super tecta*, & sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.

Cur Diabolus publicè mala doceret, priuatim bona.

Ignatius latẽtem anteapietatem in publicũ protulit

Ex Cap. 27. 22 Ostendit quàm indignum fuerit placare Deos obscenitate ludorum. *Tertullius Philosophus ædilis factus, iussit Floram matrem ludorum celebritate placandam, qui ludi tantò deuotius, quantò turpiùs celebrari solent. Satius erat tales Deos irritare temperantia, quàm placare luxuria, qui non oppugnarentur defensores oppugnatoribus mœnium, nisi prius fierent expugnatores bonorum morum.* Rectè arguit: Si Dii ob virtutem irati hostes immisissent, non tantum mali secutum esset, quia hi corporibus, ipsi animis nocent. acutè autem dictum, Deos non tam propugnatores, quàm expugnatores dicendos.

Dii non propugnatores vrbiũ sed expugnatores dicendi.

Ex Cap. 28. 23 Iniustè Christi legem vexari dicit, ob quã à tot erroribus Mundus est liberatus, *Abstarum immũdissimarum Potestate tartareo iugo erui per Christi nomen homines quę ruutur ingrati, & murmurant quia populi Ecclesias confluunt: vbi audiunt, & hic benè viuere, & postea beatè. vbi nihil flagitiosum, ac turpe spectandum proponitur, sed veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona dantur, aut beneficia postulantur.* egregiè quatuor vtilitates numerat adeuntium templa. & nota quid agẽdum ibi sit, contra eos, qui ibi confabulantur; curiosè, immò impudicè aspiciunt, &c. rectè etiam persecutores Ecclesiæ redarguit, cum per ipsam Mundus per errores deperditus, sit renouatus.

Per Ecclesiam Mundus est renouatus.

Quatuor vtilitates templa adeuntium.

Ex cap. 29. 24 Elegans planè hortatio est ad vrbẽ Romam, vt ad veri Dei cultum se transferat. *Hæc potiùs concupisce, ò indoles Romana laudabilis, ò progenies Regulorum, Sceuolarũ, Scipionum, Fabritiorum, hæc potius concupisce; hæc ab illa vnitate discerne. si quid in te laudabile naturaliter eminet, non nisi vera pietate perficitur. nunc iã elige quid sequaris, vt non in te, sed in Deo vero sine vllo errore lauderis. expergiscere, dies est sicut experrecta es in quibusdam, de quorũ virtute perfecta, & pro fide vera, etiam passionibus gloriamur, qui vsquequaque aduersus Potestates inimicissimas confligentes, easque fortiter moriendo vincẽtes sanguine nobis hanc patriam peperere suo, ad quàm patriam te inuitamus, & hortamur, vt eius adiiciaris numero ciuium, cuius quodammodo asylum est remissio peccatorum: non audias degeneres tuos Christo detrahentes.* Pulcherrima hæc suasio fieri item potest ad Angliam, vnde tot sanctissimi olim reges, & martyres, ac sancti viri prodierunt, vt ad fidem redeat. item ad religiosam quampiam familiam, vt pristinum feruorem resumat. præterea ad quemlibet magnæ indolis adolescentem, vt à Mundo se auocet. *Tũ* pergit Romam alloqui, quam inuitat ad Ecclesiam. *Illic tibi non Vestalis focus, non lapis Capitolinus sed Deus vnus, ac verus: Qui nec metas rerum, nec tempora ponet. non sunt hi Dii, sed maligni spiritus, quibus tua felicitas pœna est non tam vno Troianis Romanas arces, quàm hi omni hominum generi sedes inuideat sempiternas, &c.*

Hortatio ad nouã Romam vt verem cau. at.

Hortatio ad religiosos de feruore resumendo.

Ex

Ex libro III. de Ciuitate Dei.

Ex Cap. 2.

1 DEos falsos irridet, quasi capta sit Troia, quia Laomedon periurus fuit Apollini & Neptuno, quibus pro extructa eorum ministerio Troia mercedem promiserat; *Miror Apollinem nominatum diuinatorem in tanto opificio laborasse, nescientem quod Laomedon fuerat promissa negaturus: quanquam nec ipsum Neptunum fratrem Iouis decuit ignarum esse futurorum. videant ne grauius sit tales Deos credere, quā Diis talibus peierare.* acutè arguit, ac salse de vanitate vel fabulæ, vel oraculi. Deinde ostendit, nec esse probabile, quod quidam dicunt, Troiam à Dijs euersam esse ob adulterium Paridis: *Dii enim autores, doctoresque peccatorum esse assolent, non vltores.*

Apollo alius diuinatis nō sibi irridetur.

Ex Cap. 3.

Troia non est euersa ob adulterium Paridis.

Ex Cap. 4.

2 Varronis sententiam refert, qui licèt penè fateatur falsa esse, quæ de Diis dicuntur, tamen *Vtile esse ciuitatibus dicit, vt viri fortes, etiam si falsum sit, ex Diis genitos se esse credant, vt eo modo animus humanus, veluti diuinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipsa securitate felicius.* Notabilis sententia: quantò enim magis vtile nobis erit hæc cogitatio de re vera, quibus dicitur: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes,* & qui à Petro, *diuinæ consortes naturæ*, vocamur? quantum hinc spiritus hauriemus? huc refer illud à Paulo allatum ex gentili. *ipsius & genus sumus. genus ergo cum simus Dei, non debemus &c.*

Opinio licet falsa de origine ad Deos referenda vtilis visa Varroni.

Diuinæ consortes naturæ veriùs nos dicimur, quam gentiles.

Ex Cap. 5.

3 Rursus negat Troiæ excidium vindicatum ob Paridis adulterium, cum non sit stuprum in matre Romuli, quæ Vestalis erat, vindicatum. *Quomodo possunt Diis adulteria displicere hominum, quæ in seipsis concorditer ferunt? si autem falsa sunt, nec sic quidem possunt irasci veris adulteriis hominum, qui etiam falsis delectantur suis; nec vllo diuini concubitus obtentu Romuli matris causa defenditur: fuit autem Sylvia sacerdos Vestalis; et ideò Dii magis in Romanos sacrilegum illud flagitium, quàm in Troianos Paridis adulterium vindicare debuerunt. nam & ipsi Romani stupro detectas Vestales sacerdotes viuas defodiebant; adulteras autem fœminas quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant; vsque adeò grauius, quæ putabant delicta diuina, quàm humana cubilia vindicabant.* Nota quanti sit habitum virginitatis decus, & quàm seuerè dedecus punitum, quippe quod sacras personas tangebat.

Dii quia ipsi scelesti non poterāt uitia hominum uindicare.

Ex Cap. 6.

4 Ostendit Diis scelera placere, quia fratricidium in Romulo vlti non sunt. *Si peccata hominum illis numinibus displicerēt, vt offensi Paridis facto deserta Troiam ferro ignique domuerent, magis eos contra Romanos moueret Romuli frater occisus, quàm contra Troianos maritus illusus: magis irritaret parricidium nascentis, quàm regnantis adulteriū ciuitatis.* eleganter arguit, indignos diuino cultu, qui in flagitiis, & sceleribus maximis conniuerent. non ita accidit Cain, qui vltionem veri *Dei* sensit, tremore membrorum assiduo.

Romuli fratricidium impunitum arguit Diis scelera placere.

5 Negat, ob instituta *Diis* sacra per Numam, pacem Romæ concessam; nam multò magis pax tributa esset, cum sacra illa in vsu ipso posita vigebant, & tamen post Numam vsque ad *Augustum* vix vnus commemoratur annus post primum bellum Punicum, quo belli portæ clausæ sunt. igitur, *magnum beneficium est pax, plerumq; etiam sicut Sol, sicut pluuia, vitæque alia subsidia super ingratos etiam, & nequam.* Vides felicitatem humanam non semper esse præmium virtutis, & pacem à vero Deo poscendam, ac certè quomodo *Dii* essent aliis pacis auctores, si inter se ipsos diffidebant?

Ex Cap. 9.

Dii non fuere pacis auctores Romanis.

6 Respondet obiicientibus, ideo Deos permisisse bella, vt Romanum augeretur imperium per ipsa: *Scilicet vt magnum sit imperium, cur esse debeat inquietum? nonnè in corporibus hominum sanius est modicam staturam cum sanitate habere, quàm ad molem aliquam giganteam perpetuis affectionibus peruenire? nec cum perueneris requiescere, sed quantò grandioribus membris, tantò maioribus agitari malis?* Notent hoc dynastæ, qui, nisi causa suppetat, suis non contenti finibus, infestis armis omnia perturbāt. itaq; laudat illud Sallustii: Initio, inquit, reges diuersi, pars ingenium, alii corpus exercebant; etiam tum vita hominum sine cupiditate agebatur, sua cuique satis placebant.

Ex Cap. 10.

Ambitio dilatandi imperii per bella sine causa taxatur.

7 Ostendit Deorum impotentiam. *Neque enim aliunde Apollo ille Cumanus, cum aduersus Achæos, regemque Aristonicum belligeretur, quatriduo fleuisse nunciatus est; quo prodigio haruspices territi, cum id simulacrū in mare putassent esse proiiciendum, Cumani senes intercesserunt, ac retulerunt tale prodigium, & Antiocui & Persæ bello in eodem apparuisse figmento; & quia Romanis feliciter prouenisset, ideò Apollini dona missa testati sunt tunc velut peritiores acciti aruspices responderunt, simulacri Apollinis fletum ideò prosperum esse Romanis, quia Cumæ colonia Græca esset, suisque terris vnde accitus est, hoc est ipsi Græciæ luctum, & cladem Apollinem significare plorantem. deinde mox Aristonicū victum, & captum esse, quem vinci vtique Apollo nolebat, & dolebat; & hoc sui lapidis, etiam lacrymis indicabat.* rectè notat, Apollinem fleuisse ob impotentiā, cū suos tueri non posset; at Christus Hierosolymā videns fleuit, quod suo illa nollet vti auxilio. sub ū

Ex cap. 11.

Deorum impotentia irrisa à Numa pōpilio.

git

git de Deorum imbecillicitate: *Hinc Numa Pompilius cum recoleret, Troianos Deos, neque Troianum, neque Lauiniense regnum diù conseruare potuisse, alios prouidendos existimauit, quos illis prioribus, vel tanquam fugitiuis custodes adhiberet, vel tanquam invalidis adiutores.* acutè & falsè dictum, ideò Numam alios exhibuisse Romanis Deos, quod intelligeret adductos à Troia imbecilles; vel ne fugerent, ijs custodes addidisse.

Ex Cap. 11. 8 Irridet inutilem Deorum numerum Romæ auctum post Numam, & pulchrè perstringit, & lepidè. *Aesculapius ab Epidauro abiuit Romam, vt peritissimus medicus artem in vrbe nobilissima gloriosius exerceret, mater etiam Deorũ nescio vnde à Pessinunte; indignum enim erat, vt cum eius filius iam colli Capitolino præsideret, adhuc ipsa loco ignobili latitaret. miror sanè, si & ipsa peperit Cynocephalum, qui longè postea venit ex Aegypto; & vtrùm Dea Febris ex illa nata sit, viderit Aesculapius pronepos eius.* meritò irridetur Cybele nõ tã Deorum, quàm monstrorum mater; vnde & Febris ipsa, quæ inter Deas recensita. Concludit: *Sub hoc tot Deorum præsidio, quos numerare quis potest? Indigenas, Alienigenas, Cælites, Terrestres, Marinos, Fontanos, Fluuiales, &c. cõstituta Roma tam magnis & horrendis cladibus affligi non debuit: nimis enim multos Deos grandi fumo suo tanquam signo dato ad tuitionem sui congregauerat aras, & sacrificia iis constituendo, & felicior quidem cum paucioribus vixit.* acutè perstringit idololatriam; & pulchrè illud de fastu Romano dictum, quo quasi fumo, vt fit ex arcibus, Deos ad se tuendam malos collegit, sed frustra. potest & ad fumum tot victimarum alludi.

Aesculapius Romæ cultus, & Cybele Deorum seu monstrorum parens &c.

Roma quò auctior Dijs eò ærumnosior fuit.

Ex Cap. 13. 9 Venerem Romanis amicam irridet, quæ coniugia in Sabinarum raptu iniri siit cum suorum strage. *Vt miseræ fœminæ nondum ex iniuria maritis conciliatæ, iam parentum sanguine dotarentur; nec auderent flere patres occisos, ne offenderent victores maritos; & hi manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent; talibus nuptiis populum Romanum non Venus, sed Bellona dotauit; aut fortasse Alecto illa infernalis furia, &c.* Satis eleganter dictum, in primis illud de dote paterni sanguinis. Ecclesiæ certè dos sanguis Christi. penè idem referunt dissidia coniugum, cum, quasi Furiarum tædæ prælatæ sint in nuptijs, exardescunt in odia.

Cruentis Sabinarũ nuptiis non Venus præfuit, sed Bellona vel Alecto tædifera.

Ex cap. 14. 10 Agit de impietate Romanorum in bellis; ac pulchrè amplificat illud, cum *De Tergeminis hinc atque inde fratribus euentum belli placuit experiri: à Romanis Horatii, ab Albanis tres Curiatii processerunt. ab vno autem Horatio tres Curiatii superati, & extincti sunt; ità Roma extitit victrix ea clade, etiam in certamine extremo, vt de sex viuis vnus rediret domum. accessit aliud huic pugnæ atrox, atque horrendum malum; nam vni Curiatiorum desponsata fuerat Horatiorum soror; hæc postea quàm sponsi spolia in victore fratre cõspexit, ab eodem fratre, quoniam fleuit, occisa est, at apud Maronem pius Aeneas dolet etiã hostẽ sua perẽptũ manu; & Marcellus Syracusanã ciuitatẽ recolens, sub manus suas subitò concidisse, communem cogitans conditionem, flendo miseratus est. quæso ab humano impetremus affectu, vt fœmina sponsum suum à fratre suo sine crimine fleuerit, si viri hostes à se victos etiam cum laude fleuerunt. ergo sponso à fratre illatam mortem quando fœmina illa flebat, tunc se contra matrem ciuitatem tanta cognati cruoris effusione, vicisse Roma gaudebat. quid mihi obtenditur nomen victoriæ? pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipsi, sed puto esse satius cuiuslibet inertiæ poenas luere, quàm illorum armorum gloriam quærere talium certaminũ theatrici spectatores Dij erant &c.* refer hoc ad Christi sponsi mortem, cuius sanguini Martyres & suum iunxerunt, non modò lacrymas: cui Ecclesia illud piè vsurpet. *Sponsus sãguinum tu mihi es.*

Impietas adhibita a Romanis primis in bello.

Horatiorum soror a fratre occisa quod virũ fleret occisum.

Marcellus flet in strage hostium.

Ex Cap. 15. 11 Narrat Regum ferè omnium Romanorum exitus infelices. *Romulum propter ferocitatem à senatu discerptum esse dixerunt, subornatumque nescio quem Iulium Proculum, qui eum sibi apparuisse diceret, eumque per se populo mandasse Romano, vt inter numina coleretur.* Addit defectum Solis, qui tunc accidisse dicitur, naturalem fuisse, secus in Christi morte cum erat plena Luna. *Eum Solis defectum Romuli meritis tribuerunt; quasi verò si luctus ille Solis fuisset, non magis ideò credi deberet occisus, ipsumque scelus auersione etiam diurni luminis indicatum. addunt alii etiam subitam tempestatem, quæ profectò aut occasionem sceleri præbuit, aut cædis, facinorisque secretum.* Deinde ait, post Numam, Tullum Hostilium cum tota domo fulmine conflagrasse. Tum de Tarquinio superbo sic: *Hunc illi Dii nefarium parricidam soceri interfectione regnantem, & de bellorum manubiis Capitolium fabricantem manentes viderunt; & regem suum Iouem in illo altissimo templo, hoc est in opere parricidæ sibi præsidere, atq; regnare perpessi sunt.* Nota de Capitolio, quasi Iouis regia à cruẽto tyrãno extructa, ac proinde indigna Deo; tũ sic Deos irridet: *Miror, si scelere tãto Dii nõ discessere aris, adytisq; relictis nisi fortè quispiam sic eos defendat, ideò remansisse Romæ, quò posset Romanos magis punire supplicio,*

Romæ reges prisci omnes fere male periere.

In Romuli morte Solis eclipsis siue tẽpestas quid denotarit.

plicio, quàm adiuuare beneficiis. acutè tandem ita concludit. *Nec fuit Romanorum vita sub regibus vsq; ad expulsionem Tarquinii superbi, per ducentos ferè, & quadraginta, & tres annos, cum illæ omnes victoriæ multo sanguine, & tantis emptæ calamitatibus, vix illud Imperium intra viginti ab vrbe milliaria dilatauerint.* Notabilis locus pro Ecclesia, quæ contrà inter medias persecutiones statim toto Orbe dilatata est, etiam Apostolis viuentibus, item pro nostra Societate Iesu, cui, vel Ignatio conditore viuente id contigit, non quidem sine sanguinis effusione pro Christo, quod ad gloriam pertinet, & ad laudem.

Roma diu cum paruo imperio contra quam Ecclesia.

12 Longam texit seriem calamitatum, quas identidem passi Romani, nec tamen à Dijs adiuti sunt. *Quàm misera fuit illa respublica tam longa ætate per tot annos vsq; ad secundum bellum Punicum, bellis foris inquietare non desistentibus, & intus discordiis, seditionibus ciuilibus? proinde victoriæ illæ non solida beatorum gaudia fuerunt, sed inania solatia miserorum, & ad alia vsque alia terribilia mala subeunda, illecebrosa incitamenta minimè quietorum. vbi ergo erant illi Dii, qui propter exiguam, fallacemque huius Mundi felicitatem colendi existimãtur? cum Romani tantis calamitatibus vexarentur; vbi erant, quando in Caudinas furcas sub iugum hostium mitterentur? vbi erant, cum &c. quid illa ingens pestilentia, quàm multos interemit? cuius causam esse dictum est, quod plurimas ædes sacras multi occupatas priuatim tenerent. sic interim ab imperitiæ in curando crimine Aesculapius liberatus est; vnde autem à multis ædes illæ fuerant occupatæ, nomine prohibente, nisi quia tantæ numinum turbæ diù fuerat frustra supplicatum? atque ità paulatim loca deserebantur à cultoribus, & vacua possent humanis vsibus vindicari.* Nota de Dijs, quos Ethnici ipsi vt inualidos post habebant. falsè autem arguit, ideò sacras ædes in publicos vsus cessisse, quia piis vacuæ quos sibi inutiles videbant. contra verò fit sanctis Vrbium Patronis, quorum opem, & in hostili incursu, & in pestilentia sæpè sumus experti.

Ex Cap. 17.

Roma tot passa calamitates nec à Diis adiuta.

13 Calamitates enumerat Punici belli otiantibus Dijs. *Instaurati sunt ludi seculares, quorum celebritas inter centum annos fuerat instituta; renouarunt etiam ludos sacros Inferis. nimirum etiam quando renouati sunt, tanta copia morientium ditatos Inferos etiam ludere delectabat, cum profectò miseri homines ipsa rapida bella, & cruentas animositates, & funereas hinc inde victorias, magnos agerent ludos dæmonum, & opimas epulas Inferorum.* Vide dæmonum de hominum interitu lætitiam, quē ludis prosequi iubebant, & epulis. Tum primi belli Punici exitia narrat. *Captus est Regulus vir planè magnus, cuius captiuitas indignissima, & iuratio fidelissima, & mors crudelissima; si Deos illos non cogit erubescere, verum est quòd ærei sunt, & non habent sanguinem:* acutè Deos perstringit non succerrentes ei, qui vt iuramentum seruaret Diis factum, tam acerbè necabatur: rectè ex ære durissimo fiunt eorum statuæ, quos non mouet suorum interitus; & ideò non erubescunt, quia exangues sunt, lapidei, ærei &c. Deinde agit de publico Romæ incendio, quod etiam Vestæ templum occupauit: *Vbi igni velut vitam perpetuato diligentissima substitutione lignorum, non tam honoratæ, quàm damnatæ virgines donare consueuerant. tunc verò ille ignis non tantùm viuebat, sed etiam sæuiebat, cuius impetu exterritæ virgines sacra illa fatalia, quæ iam tres, in quibus fuerant, presserant ciuitates, cum ab illo incendio liberare non possent, Metellus pontifex suæ quodammodo salutis oblitus, irruens ea semiustulatus abripuit. homo igitur potius sacris Vestæ, quàm illa homini prodesse potuerunt.* Nota dictum acutè: quia Vestales alebant ignem quasi viuentem, senlete sęuientem, mortemque minitantem. Metello verò oppone Apolloniam, quæ mira constantia se in ignes insulit.

Ex Cap. 28.

Romani clades passi ludos instituebant Diis.

M. Regulus amicus Deorum nec ab iis adiutus.

14 *Accedit ad clades belli secundi. De Cannensi autem mirabiliter horrendo quid dicam? vbi Annibal ipse tanta inimicorum æde satiatus parci iussisse perhibetur, vnde tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quò intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, vt facilius eam caperet mensura, quàm numerus. denique tanta militum inopia consecuta est, vt Romani reos facinorum, & seruitia colligerent, vt instrueretur exercitus. pugnaturis defuerant arma, detracta sunt templis, tanquam Romani Diis suis dicerēt: Ponite quæ tandiu inaniter habuistis, si fortè aliquid vtile inde facere possint nostra mancipia, vnde vos nostra numina nihil facere potuistis,* & hoc acutè dictum, quoniã Dij armis pro nobis vti, vel nesciũt, vel nolũt, ea mãcipijs aptemus, fortasse hæc vtilius ea tractabunt. Addit. *Tunc cum defecisset ærarium, vnusquisque quod habuit, contulit, vt præter singulos annulos aureos, singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi senatus ipse relinqueret.* Nota in sũma necessitate decori nõ obliti, omnes opes in belli sũptũ cõtulerũt, sed in summa inopia, ornamẽta propriē dignitatis sibi reseruarũt, licet tenuia. & illud notãdũ. vix ferẽdũ nũc dicit: *quãdo pro superflua vo-*

Ex Cap. 19.

Cannensis horribilis clades sine Deorum ope.

Romani arma de templis Diis detrahunt quasi imbecillis, & mãcipiis aptant.

voluptate plura donantur histrionibus, quàm tunc legionibus pro extrema salute collata sunt. Vide quàm intolerandum fit, spectaculis, ac rebus scenicis tantum opum impendere, hoc est rebus inutilibus, quod possis in vsum virtutis.

15 Deos exagitat, qui Saguntinis fidē ergaRomanos seruātibus nō succurerūt. *Saguntinæ vrbis interitum legere, nè dicam scribere, horroris est. primò fame contabuit, nam etiam suorum cadaueribus pasta perhibetur; deinde defessa nè in manus Annibalis perueniret, ingentem rogum publicè struxit, in quem ardentem, ferro etiam trucidatos omnes se, suosque miserunt. si Saguntinorum Christianus populus esset, & huiusmodi aliquid pro fide Euangelica pateretur, quanquam se ipse nec ferro, nec ignibus corrupisset, non mercede breuissimi temporis, sed æternitatis interminæ potiretur. pro istis autem Dijs, qui propterea coli probibentur, vt harum labentium, ac transeuntium rerum tuta felicitas sit, quid nobis eorum excusatores de Saguntinis pereuntibus respondebunt?* Vide quàm ampla, & quàm certa mercede Martyres suos verus Deus afficiat; contra quàm diabolus cum suis agit, tamen tam multos habet asseclas. tum acutè concludit, alludens ad Regulum iuramento astrictum, & ad Saguntinos fœdere. *Si fidei seruatæ irascuntur illi Dii, quærant per fidos, à quibus colantur. sin autem etiā illis propitiis interire homines, ciuitatesque possunt, nullo fructu felicitatis coluntur.*

Saguntini ne in manus Annibalis veniāt se in rogu omnes misserunt, nec a Diis protecti.

16 Ingratam fuisse dicit Romam Scipioni exulare iusso, nec tamen à Dijs adiutum, quos impensè colebat. *Huius ab adolescentia vita scribatur Diis dicata, templisque nutrita.* Nota; nam & Liuius scribit eum quotidie in Capitolo consoluisse Iouem: hæc pietatis laus multò æquius debetur quibusdam, quorum vita ab adolescentia fuit Deo vero dedicata, templisque nutrita, vt S. Thomæ Aquinatis, BB. Stanislai, & Aloysij è nostro ordine, quorū etiam cum Deo familiaritas fuit magna per studium orationis eximium.

Scipio ab adolescentia Diis dedicatus fuit, & tamen mala passus.

Ex Cap. 13.

17 Horrēda prodigia, quæ sociale bellū præiuerunt, narrat. *Antequam se aduersus Romam sociale bellum commoueret, cuncta animantia humanis casibus subdita, vt canes, equi, boues, & alia pecora subitò efferata, & domesticæ lenitatis oblita, omnem non solùm aliorum, sed etiam dominorum auersabantur accessum, non sine exitio, vel periculo accedentis, si quis de proximo vrgeret; si hoc signum tantum malum fuit, quantum fuit illud malum, cuius hoc signum fuit?* Nota: referri hoc potest ad horribile iuditium vltimum, & eius signa tunc enim creaturæ etiam irrationales, quarū factus erat dominus homo, & quæ nunc ei leni obsequio seruiunt, subitò aduersus ipsum efferabuntur, iuxta illud. *Armabitur omnis creatura contra insensatos*, etiam illæ, quæ non habent sensum. *hinc, & Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* adde *confusionem sonitus maris, & terræmotus per loca, &c.* sic igitur argumentatur. *si hæc signa tantum malum erunt, quantum illud erit malum, cuius hæc erunt signa?* hac est iudicium ipsum ad tribunal Dei.

Ante sociale bellum cuncta animalia, domestica efferantur ac sæuiūt.

18 Narrat horribilem exitum Gracchi. *Percussum Gracchi caput quantum graue erat, tanto auri pondere Consulti venditum est.* Nota: addunt historici ab interfectore plumbum cerebri loco infusum capiti, quò magis ponderaret, ac veniret pluris: quanti igitur Sanctorum reliquiæ præsertim Martyrum, quippè. *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorū eius*, æstimādæ sūt ad quæsitū pietatis, si auro repensum est seditiosi Oratoris caput? maior Chrysostomi laus, qui ab aureo ore nomen adeptus est. nota etiam de impijs, de quibus dicitur. *Demersi sunt quasi plumbum.* & iniquitas apud Zachariam, *sedet in talento plumbi.*

Ex Cap. 12.

Gracchi caput auro repensum.

19 Irridet senatus consultum, quòd aedem Concordiæ in loco seditionum, & cædium dedicarit. *Quid aliud hoc fuit, quàm irrisio Deorum? illi Deæ templum constituerunt, quæ si esset in ciuitate, non tantis dissentionibus lacerata corrueret, nisi fortè sceleris huius rea Concordia, quia deseruerat animos ciuium, meruit in illa aede tanquam in carcere includi. & si templum tum Febri, tum Saluti constitutum est, cur non tantùm Concordiæ, sed etiā Discordiæ?*

Ex cap. 25.

Frustra senatus ædem concordiæ dedicauit in vrbe tam discordi.

20 Deorum item imbecillicitatem ostendit. *Scæuola pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Vestæ sanctius habebatur, aram ipsam amplexus occisus est; ignemque illum, qui perpetua cura virginū semper ardebat, suo penè sanguine extinxit.* Eleganter dictum: & nota nullum templum sanctius etiam apud Ethnicos habebatur, quàm vbi virginitas seruabatur, licet ad tempus. Tum ostendit Syllanam de Mario victoriam bello crudeliorem fuisse. *Subhastatæ sunt tanquam villæ, quędam nobiles ciuitates, vna verò, velut vnus reus duci iuberetur, sic tota iussa est trucidari.* nempè idem quodammodo in Adamo accidit, per peccatū. n. originale tota posteritas rea velatrunus reus. Tum sic pulchrè. *Pax cum bello de crudelitate certauit, & vicit: illud enim prostrauit armatos, ista nudatos bellum erat, vt qui feriebatur, si posset, feriret, pax autem, vtiqui euaserat moriens non repugnaret.* quibus enim in bello se armis tueri cinere licebat,

Scæuola ad aram ignemq; Vestæ frustra confugiens occisus sanguine ignem extinguit

bat, his in pace exarmatis non licuit. crudelior igitur talis pax quā ipsū bellū.

Calamitates male adscribebant gentiles Christianis quibus & ante Christū afflicti.

21 Narrat alia mala, & prodigia grauiora ante Christum natum, quæ tamen non tribuunt, Diis cultis, cur ergo nunc Christo? inter cetera Aetnam arsisse, serpentes volasse, boues locutos, *infantem nondum natum de vtero matris quædam verba clamasse ferūt.* Verius quod B. Iacobus è Franciscana familia in vtero monuit matrem, quæ festinatò hostē fugiebat patriam inuadentem, vt temperaret celeritatem, ac bono animo esset.

Ex libro IV. de Ciuitate Dei.

Ex Cap. 6.

Romanorum felicitas vitrea.

1 Romanorum felicitatem ostendi vix posse, ait, in tot bellicis cladibus, & demosticis, & cruēta cupiditate versātiū. *Vt vitro lætitia eorum comparetur fragiliter splendido, cui timetur horribilius, ne repente frangatur.* Nota: frustrà igitur erat titulus ille, Romæ æternæ: frustra æneis statuis se firmabant, splendebat felicitas, sed instar vitri, quod facile comminutum est ferro tum domestico, tum hostili.

Regia felicitas in virtutis magis quam iu potentia est posita.

2 Quantum reipublicę conducat pietas, & religio, ostendit. *Si verus Deus colitur, eique sacris veracibus, & bonis moribus seruiatur vtile est, vt boni diù lateque regnent; neque hoc tam ipsis, quàm illis vtile est, quibus regnant. nam quantum ad ipsos pertinet pietas, & probitas eorum, quæ magna Dei dona sunt, sufficit eis ad veram felicitatem, qua & ista vita bene agatur, & postea percipiatur æterna. in hac ergo terra regnum bonorum non tam illis prodest, quàm rebus humanis.* Pulchrè ostendit quanti habenda sit pietas, & probitas, propter quas potius quàm propter regni splendorem Rex felix dicatur.

3 Docet, in quo sita sit vera libertas. *Iustis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen; proinde bonus si seruiat, liber est; malus autem si regnet, seruus est, nec unius hominis seruus; sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum.* Pulchrè dictum; iniusta vexatio *virtutis examen est*, & vide in quo sit posita vera libertas.

Ex Cap. 4.

Regna sine iustitia magna latrocinia sunt.

4 De Iustitia in regno seruanda sic. *Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia, & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parua regna? eleganter enim, & veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit; nam cum rex interrogaret, cur mare haberet infestum? ille libera contumacia ait, cur tu Orbem terrarum? sed quia ego exiguo nauigio id facio, latro vocor; tu quia magna classe Imperator.* acutè, & falsè dictum, & cum libertate. magnus igitur princeps si rapax est, magnus est latro, licet impunè id agat.

Terrena felicitas mortuos non comitatur.

4 De humana felicitate nihil redundare in mortuos, docet. *Quid inter est eorum, qui sub Romulo Deos coluerunt, & olim mortui sunt, quod post eorum mortem Romanum in tantum creuerit imperium, cum illi apud inferos causas suas agant?* idem dixerim de diuitibus, qui opes iniquè cumulant, vt per posteros familia augmentum accipiat gloriæ: ipsi verò ad tribunal Dei sistuntur vt vt sempiternis opprobrijs afficiantur. hinc illud monitum. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius; quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet in inferno gloria eius.*

Ex Cap. 8

6 Incrementum imperij Romani negat per Deos factum, cum singuli suis ministerijs diuersis, ac sæpè vilioribus satis occupati sint. *Neque enim in hoc tam præclaro opere, ac tantæ plenissimo dignitatis, audeat aliquas partes Deæ Cloacinæ tribuere, aut Volupinæ, aut Libentinæ, cui nomen est à libidine, aut Vagitano, qui infantium vagitibus præst, aut Cuninæ, quæ cunas eorum administrat*, rectè ostendit istius modi vilia numina inepta ad ad tanti imperij molem tuendam. his addit. *Rura Deæ Rusinæ, iuga montium, Deo Iugatino assignarunt. collibus Deam Collatinam, vallibus Valloniam præposuerunt.* Nota: hinc intelligitur quod de Hebræis Palæstini putabant: *Dii montium Dii eorum, & non est Deus vallium*: qua voce Deus iratus est, quasi solū in monte Sion esset, vbi colebatur: Immò nec vnū Deū suffecisse iis ait, vt vnā rem curaret; nam *frumento berbescenti Segetiam, deinde collecto, Tutulinam, quæ illud seruaret, præposuerunt. item eidem germinanti Proserpinam, deinde culmis Nodotum, postea folliculis Volutinam, & his apertis Patelinam, præterea florenti Floram, lactescenti Lacturciam, maturescenti Maturam, &c.* lepidè irridet exiguas Deorum vires, & nota quot Deos frumenti tutores fecerint: cum vnus ac verus Deus id se præstitum Hebræis promittat, si bene colant *implebuntur horrea tua &c.* Addit: *vnus quisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omninò sufficit. tres Deos isti posuerunt, Forculam foribus, Cardineam Cardini, Limentinam limiti*: atqui de vno vero Deo dicitur: *Dominus custodiat introitum, & exitum tuum.*

Tutela Romæ frustra commissa Diis ad hoc ineptissimis.

Prou. 3.

7 Arguit

Ex Cap. 10.

6 Arguit veteres stulti cultus. *Quis ferat, quod cum tantum honoris, & quasi castitatis igni tribuerent, aliquando Vestam non erubescant Venerem dicere, vt vanescat in ancillis eius honos, aut virginitas?* rectè arguit, nam eandem faciebant Vestam pudicam, & Venerem impudicam. addit, *Vestæ autem ideò virgines seruire solitæ, quod sicut ex virgine, ità nihil ex igne nascatur.* Vbi nota ignem castimoniæ fuisse symbolum, vt mirum non sit, cur Spiritus sanctus in igne venerit.

Male vesta virgo habita pro Venere.

Cur ignis typus sit castimoniæ.

7 Non accipit excusationem dicentium, verum intelligi Deum, per varia tamen nomina: nam cur potius non vnus dicitur Deus? *Vultis, vt ipse in æthere sit Iuppiter, ipse in aere Iuno; ipse opem ferat nascentibus, & vocetur Opis; ipse leuet de terra, & vocetur Leuana. in diuâ Rumina mammam paruulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam; de pauore infantium Pauentia nuncupetur; de stimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur, Stimula dicatur; Strenua sit Dea strenuum faciendo &c.* nota, nam multò his religiosius noster Aloysius stimulis secum latus cõpungebat ferreis, vt se ad virtutũ cursũ ageret. Tum irridens arguit, quod quædã sidera inter Deos collocarint, cætera non item: *Cur non metuunt paucis placatis, toto cælo irato viuere?* lepidè dictum, quasi reliquis astris inuidiam inferant. Vide autem quot Deos assignarint infanti ob imbecillitatem: ad tutelam Opem, leuanam Ruminam, Cuninam &c. vt intelligas quantum custodi Angelo debeamus, tot illa munia sollertius exhibenti.

Inepta excusatio quod sub plurium nominibus Deorum vnum intelligerent.

Ex Cap. 12.

8 Eos arguit, qui Deum animam Mundi, & Mundum corpus Dei putabant. *Quod si ità est, quis non videat, quanta impietas, & irreligiositas consequatur? vt quod calcauerit quisquam, partem Dei calcet, & in omni animante occidendo, pars Dei mutiletur.* Eos item arguit, qui saltem sola animalia rationalia partes Dei putabant: *At quid infelicius credi potest, quàm Dei partem vapulare, cum puer vapulat? &c.*

Diuinitas nec Mundo nõ cõpetit, nec eius partibus.

9 Quærit acutè, cur & Iniquitas inter Deas adscripta non sit? nam qui iustum bellum mouet, supponit in finitimis iniquitatem. ceterùm, *proculdubio felicitas maior est, vicinum bonum habere concordem, quam vicinum malum subiugare bellantem: mala vota sunt, optare habere quem oderis, vt possint esse quem vincas.* si ergo aliena iniquitas causa fuit, vt iustè bellando Roma victrix esset, aliena colatur iniquitas. falsè concludit, & nota an optandum sit latius velle regnare.

Mirum quod a Romanis congruenter inter Deos nõ sit posita, & iniquitas.

Ex cap. 15.

10 Quærit, cur Quietis Deę templum extra portam Collinam potius, quàm intra vrbẽ, vt Strenuæ Stimulæ, &c. ædificarint, *An quia inquieta quies ipsa? an potius quia qui illam turbam non plane Deorum, sed dæmoniorum coleret, ueram quietem habere non posset? ad quam uocat uerus medicus: Discite a me &c. & inuenietis requiem animabus uestris.* acutè carpit. sunt tamen qui dicãt, Quietem, quia erat Dea mortuorum, ad omen malum vitandum extra vrbem cultam. nisi dicas, quietem in strepitu vrbis, & negotiorum non inueniri, quod facit pro religiosis solitariis.

Cur templũ quietis Deæ extra vrbem potius quã intra posuerint.

Ex cap. 17.

11 De Victoria Dea sic. *An fortè dicũt, quod Deam Victoriam Iuppiter mittat, atque illa regi Deorum obtemperans, ad quos iusserit, ueniat? hoc uerè dicitur non de illo, sed de uerò Deo rege seculorum, quod mittat, non Victoriam quæ nulla est, sed Angelum suum, & faciat uincere quem uoluerit.* Nota, Angelum obtinere Victoriæ locum. atqui hæc alata in numismatis ponitur, coronam, & palmam victori porrigens. Angelus certè & hoc agit, ideò Dei populo duci dicitur *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c.* ipse profligat hostem, vt in exercitu Sennacherib, vnus tot millia, adeo vt pro integro exercitu sit: *Castrametatur Angelus in circuitu timentium eum*, sic hebraicè vbi vulgata, *immittet.* pulchrè igitur in templo sculpta erant simul, *Cherubim, & palmæ.*

Loco Victoriæ alatæ Deus Angelos mittit.

12 Fortunam colentes arguit. *Quomodo fortuna bona est, quæ sine vllo iudicio venit ad bonos, & malos? vt quid autem colitur, quæ ità cæca est, passim in quoslibet incurrens: vt suos cultores plerumque prætereat, & suis contemptoribus hæreat? aut si aaliquid proficiunt cultores eius, vt icircò ab ipsa amentur, iã merita sequitur, nõ fortuitu venit.* acutè ostendit, cur mali quoq; fortunati sint, quia nimirum Fortuna cæca est, nec rectè discernit. quid autem indignuis Deo, quàm cæcitas. rursus negat posse dici Fortunam aliam esse malam, aliam bonam, quia diuinitati non nisi bonis competit, vt ait Plato, & si tantum bona est, eadem est, quæ Felicitas, non distincta.

Fortuna non discernit bonos a malis.

Ex cep. 19.

13 Soluit obiectum de Fortuna Muliebri. *Tantum sanè fortunæ veluti numini tribuunt, vt simulacrum eius, quod à matronis dedicatum est, & appellatum Fortuna muliebris etiam locutum esse memoriæ commendarint, atque dixisse, quod eam ritè matronæ dedicauerunt*, atqui id ex dæmonis arte factum Fuit enim Fortuna loquax, ex mutâ felicitas; & ad quid aliud, nisi vt homines rectè viuere non curarent, conciliata sibi Fortuna, quæ illos sine

Fortunę simulorum loquax ex diaboli astutia.

vllis bonis meritis faceret fortunatos? Pulchrè dictum: *fortuna loquax & muta felicitas.* & nota astutiam diaboli, cur induxerit cultum Fortunæ, vt non curantes de meritis bonorum operum, ei soli confiderent. itaque apud Hebræos ipsos eum cultum induxit. *qui ponitis Fortunæ mensam, &c.* ceterùm quod Fortuna sibi acceptum dixerit mulierum donum, fortunatior verè Thomas Aquinas fuit, cui Christus ex imagine locutus est: Benè scripsisti de me, Thoma.

Fortuna loquax est, sed felicitas muta.

14 De virtutis, & fidei cultu sic. *Virtutem quoque Deam fecerunt, quæ quidem si Dea esset, multis fuerat præferenda; & nūc quia Dea non est, sed donum Dei, ipsa ab illo impetretur, à quo solo dari potest; sed cur & fides Dea credita est?] cur non suffecerat Virtus? nonne ibi est & fides? si quidem in partibus iustitiæ fides est; sed cur & temperantia Dea esse non meruit, cum eius nomine nonnulli Romani principes non paruam gloriam cōpararint? quare fortitudo, prudentia, sapientia, nulla numinum loca meruerunt? an quia in nomine generalis virtutis colūtur, sed in illa vna Virtute, & Fides est, & pudicitia, quæ tamē extra in ædibus propriis altaria meruerunt.* acutè cōuincit, & arguit imperitiæ, quod cū Virtutē inter Deas numerarent, etiā fidē seorsum Deā dixerunt, quasi hæc non esset & Virtus. ac puto vel ex hoc stultos agnosci, quod Sapientiam prætererint, sed & hæc donum Dei est, non Dea. quod autem & temperantiam non fecerint Deam, rectè miratur, nisi fortè quia longè ab ipsa moribus abhorrebant.

Virtus vt Dea habita Fides seorsum quasi non esset & ipsa virtus.

15 Quærit, cur non fuerint contenti virtute, & felicitate? *Nam vbi virtus est, & felicitas, quid aliud quæritur? quid ei sufficit, cui virtus & felicitas non sufficit? omnia quippe agendo cōplectitur omnia; optanda felitas; & si Iuppiter ideò colebatur, vt hæc daret, cur non intellectum est dona Dei esse, non Deas; si autem pietate sunt Deæ, saltem alia tot Deorum turba nō quæreretur. quid doctrina vel à Mercurio, vel à Minerua petendum esset, cum virtus omnia secum haberet? ars quippe ipsa bene recteque viuendi virtus à veteribus definita est, vnde ab eo quod Græci ἀρετὴ dicitur virtus, nomen artis latinos traduxisse putauerunt.* Nota virtutis definitionem, & etymon: & vide quanta sit affinitas inter sapiētiam, & virtutē. Tum ad reliqua pergit. *Quid necesse erat cōmēdare Deo Statilino stātes, Deæ Adeonæ adeūtes, Abeonæ abeūtes? Deæ menti, vt bonā haberent mētem, Deæ Volumnæ, vt bona vellent, Deæ Pecuniæ, vt pecuniosi essent, Deo Aesculano, & filio eius Argentino, vt haberent æream, argenteamque pecuniam? miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quem Deum si haberent, & patri Argentino, & auo Aesculano Aurinum præponerent. quid necesse erat tantam Deorum turbam propter hæc colere, & inuocare, cū posset magno felicique compendio vna Dea felicitas cuncta conferre? nec Deus Spiniensis, vt spinas agris eradicaret, rogaretur, &c.* lepidè irridet hos, & similes Deos. pulchrè illud de Aurino dictum, quem miratur non vt Deum cultū, sicut Argentinum, & Aesculanum. an quia si Aurum pro Deo haberetur, omnes Deos cedere necesse erat, & præ illo viles haberi, quod autem de cultu Spiniensis Dei dicit, vide quo honore affectæ essent spinæ apud Romanos: sed multò maior honos quod coronarint Deum, quàm quod ipsę habitæ sint pro Deo. rectè autem tantam Deorum turbam, vt commodè viuerent, irridet, cum hoc præstare posset vna Felicitas, quā vt Deā stultè colebāt. nota etiā Mentem pro Dea cultam, & Volumnam. atqui & bona mens, & bona voluntas à Deo est. vnde illud: *Da mihi intellectum, & doce me facere voluntatem tuam.*

Virtus Dei donum itē felicitas & sapientia.

Virtus cur ab arte nomen accepit apud Græcos.

Maius decus spinarū ex Christi capite quam ex Deo spiniensi.

16 Varronem arguit, qui gloriabatur se scientiam colendorum Deorum Romanis tradidisse. *Quid est quod pro ingenti beneficio Varro iactat præstare se ciuibus suis? quia non solùm commemorat Deos, quos coli oporteat à Romanis, sed etiā dicit, quid ad quemque pertineat.* hoc est, quam quisque vim haberet, vt inuocari ritè posset. *Quis non huic gratias ageret si vera monstrare, & si vnum verum Deū, à quo essent omnia bona hominibus colendum doceret?* Notabilis locus, nam hinc patet, quantum debeat nouus Orbis terrę Xauerio, qui veri Dei cultum docuit, & alijs Apostolicis viris, ac præcipuè ipsis Apostolis, ac Paulo doctori gentium.

Apostolicis viris verū Deū colendū docentibus quātum debeamus.

17 Romanos irridet, quod serò Felicitatem per Lucullum colere cœperint, cum antea Pauorem, Pallorem, &c. pro Dijs habuerint. rectè illudit: quod antiquiores, ac proinde nobiliores Dij essent pauor, & pallor, quàm Felicitas Dea. Subiungit. *Deinde quid est, quod iam Romanū Imperium longe, lateque crescebat, & adhuc nemo felicitatem colebat? an ideò grādius imperium quàm felicius fuit? nam quomodo esset ibi vera felicitas, vbi vera non erat pietas? pietas enim est verax veri Dei cultus; sed & postea iam in Deorum numerum felicitate suscepta, magna bellorum infelicitas subsecuta est.* Egregiè dictum: nō posse esse veram felicitatem, vbi non est pietas vera. quod notent principes, & legislatores maximè, ne politicis rebus religionem posthabeant. rectè autem vanā Felicitatis diuinitatem ostendit, cum post eius apotheosin, infelicior euaserit reipublicæ status.

Antea pauor, et pallor prodiis habiti quam felicitas.

18 Inanem ostendit excusationem, quod quæ de Dijs dicuntur, figmēta sint poetarum, cum ita credantur: vnde ait Cicero: Diuina mallem ad nos. & cur Deorum ipsorum iussu instituti sunt ludi scenici? *vt Liuius narrat*; *In illis certè ludis poetica numinum crimina frequentantur, in ijs corruptorem pudicitiæ Iouem turpissimi histriones cantabant, agebant, placabant. si illud fingebatur, ille irasceretur; si autem suis criminibus, etiam fictis delectabatur, quando coleretur, nisi diabolo seruiretur?* rectè conuincit: cur si pro fictis habenda sunt, iubentur à Dijs in spectaculi exhiberi? itaque pulchrè concludit. *Istene daret felicitatem, qui tam infeliciter colebatur?*

A poetis dicta de Diis, eorum iussu etiam in theatris exhibita.

19 Reijcit tria genera Deorum, ex Scæuolæ pontificis sententia. *Disputabat hic, tria esse tradita genera Deorum; vnum à poetis, alterum à philosophis, tertium à principibus Ciuitatis: primum genus nugatorium dicit esse, quòd multa de Diis fingātur indigna; secundum non congruere ciuitatibus, quod habeat aliqua superflua, aliqua etiam quæ obsit populis nosse, vt non esse Deos Herculem, Aesculapium, Castorem, & Pollucem; proditur enim à doctis, quod homines fuerint, & humana conditione defecerint &c. hæc pontifex nosse populos non vult: expedire igitur existimat falli in Religione ciuitates, quòd dicere Varro ipse non dubitat. præclara verò religio: quò confugiat liberandus infirmus, & cum veritatem, qua liberatur, inquirat, credatur ei expedire quod fallitur.* acutè, ac falsè arguit: quid enim stultius dici potest quàm hoc dictum expedire, vt in quibusdam circa diuinum cultum ciuitas fallatur? cum Deus summa veritas sit. huc ego refero quod iuxta serapidem Harpocratis simulacrum esset, digito ori admoto, quasi esset silendum, eum fuisse mortalem. Pergit. *Poeticum Deorum sanè genus Scæuola respuit, vbi dicitur Iouem conuersum in bouem, aut cygnum, vt cum aliqua concumbat; ò Scæuola, ludos tolle, si potes, vbi crimina Deorum libeat mirari, & placeat imitari. si autem tibi responderit populus, Deos ipsas roga, quibus instigantibus vos ista iussistis, ne talia sibi iubeant exhiberi.* rectè conuincit: negat vera esse quæ poetæ de Dijs fingunt, & tamen ipse Deorū iussu ludos scenicos fieri volebat, vbi illa poetarum commenta exhibebantur. idē supra inculcauit.

Sceuola tria genera Deorū assignabat poeticū philosophicū politicum.

Varro expedire dicit ciuitati, in aliquo falli circa Deorum cultum.

20 Romani Imperij stabilimentum negat ab auspiciis pendere, vt dicitur. *Martem, & Terminum, & Iuuentutem nec Ioui regi Deorum loco cedere voluisse, quo significatum sit, Romanos terminos neminē commoturum &c. at termini imperii, deficientibus multis ad Annibalem Ciuitatibus, ad angustum fuerunt coarctati; & postea in Orientalibus partibus Adriani voluntate mutati sunt termini imperii Romani; & nostra penè memiria retrorsum terminus cessit sub Iuliano.* item & Romana iuuentus, & gens Martia sæpè contrita bellis. vbi nota potius hoc de Ecclesia dici debere, cuius termini dilatati sint vltra Oceanum vbique terrarum, iuxta illud. *Dilata locum tentorii tuo lōgos fac funiculos tuos ad dexteram, & læuam penetrabis &c.* & illud quod non Salomoni, sed Christo competit. *Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum.* antea extremos hominum Morinos dixere, sed quantò vlterius Ecclesia penetrauit? *A bortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.*

terminus a Romanis pro Deo cultus falsò dictus eius amplitudinis auspex.

Es. 54.

21 Ostendit, etiam nonnullis Ethnicorū sapientibus Deorum simulacra, & superstitiones non placuisse. *Cicero augur irridet auguria, & reprehēdit homines corui, & cornicula vocibus vita consilia moderantes; & in libro de natura Deorum, Q. Piccius indignatur institutioni simulacrorum; & qui totos, inquit, dies precabantur, & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* quantò magis qui simulacra instituerunt Deorū, & ipsorum coniugia? &c. vbi nota quā a olim cura esset patribus de filiis, vt totos dies precarentur pro ipsis, quod & Iob sed sanctè, castèque faciebat. nūc totos dies impendunt in pecunia cumulanda.

Dii vel a suis est cultorib. contempti.

Ex Cap. 30.

22 Varronē ait, licet ad notitiā veri Dei non peruenerit, vnum tamen Deum colendum sensisse. *Dicit enim, quòd hi sibi videantur animaduertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam, motu, ac ratione Mundum gubernantem; ac per hoc, & si non tenebat, quod veritas habet: Deus enim verus non anima, sed animæ quoque est effector, & conditor: tamen si contra præiudicia consuetudinis liber esse posset, vnum Deum colendum fateretur, ac suaderet. Dicit etiam, antiquos Romanos, plusquam annos centum, & septuaginta, Deos sine simulacro coluisse: quod si adhuc, inquit, mansisset, castius Dii obseruarentur; cuius sententiæ suæ testem adhibet inter cetera etiam gentem Iudæam.* Nota; nam diuersa est ratio de sacris imaginibus, neque enim has colimus, sed quod per ipsas reprēsētatur. Tum simulacrorum damna profert ex Varrone. *Nec dubitat ità concludere, vt dicat, qui primi simulacra Deorum populis posuerunt, eos ciuitatibus suis, & metum dempsisse, & errorem addidisse; prudenter existimans, Deos facile posse in simulacrorū stoliditate cōtēni.* rectè notat, iuxta illud: *oculos habent, & nō videbunt; aures habēt, & non audient &c.* tantum igitur abest, vt metum incuteret Iuppiter lapideus cū fulmi-

Roma annos 170. sine simulacris.

Simulacra non ad metū sed ad cōtemptum Deorum facere ait Varro.

fulmine, vt potius quasi stolidus contemneretur in lapide

Politica ratio per fraudem Deorum cultum induxit.

23 Populorum principes arguit de inducto cultu Deorum. *Hoc vtique non aliam ob causam factum videtur, nisi quia hominum velut prudentium, & sapientium negotium fuit, populum in religionibus fallere, & in eo ipso non solum colere, sed imitari etiam Dæmones, quibus maxima est fallendi cupiditas: sicut enim Dæmones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt; sic & homines principes non sanè iusti, sed Dæmonum similes, ea, quæ vana esse nouerant, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos ciuili societati velut arctius alligantes, quo similiter subditos possiderent; quis autem infirmus, & indoctus euaderet simul fallaces, & principes ciuitatis, et Dæmones?* Vide quid agat ratio, quæ dicitur, politici status, principes, & dynastas cooperantes diabolo facit ad seducendos subditos patet hoc etiam in hæreticis. contra catholicorum principum pietas, & religio laudanda, qui ad cultum in subditis veri Numinis promouendum incumbunt.

Ex Cap. 33.

Cur Deus regna re permittat etiam malos.

24 Concludit de potestate, consilioque vnius, verique Dei. *Deus igitur ille felicitatis auctor, & dator, quia solus est Deus, ipse dat regna terrena, et bonis, et malis; et ideò bonis, et malis, ne eius cultores adhuc in prouectu animi paruuli, hæc ab eo munera quasi magnum aliquid concupiscāt* Notabilis ratio, cur culmen ipsum honoris regium etiam malis det Deus, ne scilicet quicquā terrenum, & si celsissimum, pro magno habeatur: quātò igitur cetera minora?

Regna non à fortuna sed a Dei prouidētia pendent.

25 De veri Dei prouidentia, terrena regna dispensantis sic. *Nec hoc temerè, & quasi fortuitò facit, quia Deus est, non Fortuna, sed pro rerum ordine, ac temporum occulto nobis, notissimo sibi, cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tanquam dominus regit, moderatorque disponit: felicitatem uerò non dat, nisi bonis.* Nota liberam Dei voluntatem, à qua regna ipsa pendent; ac propterea eorum duratio, ac felicitas ab eo petenda, & eius cultui piè studendum.

26 Ostendit Deum auctorem bonorum: *Vt cognoscerentur terrena bona, quibus solis inhiant, qui meliora cogitare non possunt, in ipsius unius Dei esse posita potestate, non in multorum falsorum, populum suum in Aegypto de paucissimis multiplicauit, et eum inde signis mirabilibus liberauit; nec Lucinam mulieres inuocarunt, quādo earum partus, ut miris modis multiplicarentur, & ab Aegyptiorum infantes necare uolentium, manibus seruāuit. sine Dea Rumina suxerunt, sine Cunina etc. nec inuocarunt aliquam Deam Manniam, quando de cœlo manna sumpserūt, etc.* Nota, nā ferūt Lucinā hoc ipso tēpore coli cœptā vt adnotaui in synchronologia, quo Iudæi dispersi. *& nunc quod per omnes ferè terras gentesque dispersi sint, illius vnius veri Dei prouidentia est, vt quod Deorum falsorum simulacra, aræ, templa euertuntur, de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit, tantò ante prophetatum, ne fortè cum legeretur in nostris, à nobis putaretur esse confictum.* Vide Dei consilium admirandum in dispersione eius gentis: per totum Orbem ferunt secum inter cetera testimonium Zachariæ: *Disperdam nomina idolorum de terra, &c.*

Ex libro V, de Ciuitate Dei.

Fati nomine abstinendū licet ad Deū referat.

1 Regna nec fortuita esse, nec in stellarum positione fundari docet. *Causa magnitudinis imperii Romani nec fortuita est, nec fatalis, secundùm eorum sententiam, qui ea dicunt esse fortuita, quæ vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationali ordine venientes. & ea fatalia, quæ præter Dei, & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingunt: prorsus diuina prouidentia regna constituuntur humana, quæ si propterea quisque fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat.* Vide quam cautè de rebus bus diuinis loquendum. subiungit: *vulgò enim fatum non intelligunt, nisi vim positionis syderum, qualis est quando quis nascitur siuè concipitur.*

Astrologi iniuriā astri faciunt dum ad scelera cogi per ipsa homines aiunt.

Astrū quasi clarissimus senatus & splendidissima curia ad Cardinales relata.

2 Aduersus Astrologos sic pulchrè *Illi, qui positionem stellarum quodammodo decernentium qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quid vè mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ista decernant, magnam cœlo faciunt iniuriam, in cuius uelut clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda.* elegans metaphora de Cœli senatu & quasi curia, vbi astra decreta faciant; atqui illa potius nobis seruiunt. ego verò libentius appellauerim: *clarissimum senatum, & splendidissimam curiam,* quasi siderum, Cardinalium, vbi coram summo Hierarcha de religione sāctissima decreta fiunt: rectè autem ait, astrologos iniuriam facere sideribus, quæ præcipua Mundi ornamenta, ac decora sunt, dum aiunt,

homi-

homines ad scelera ac dedecora per ipsa cogi, ac determinari.

3 Narrat de duobus fratribus, qui simul eodem tempore ægrotabant eum eodem morbi incremento, quo Hippocrates suspicatus est esse geminos; at Possidonius Astrologus reterebat ad vim, cõstitutionemque siderum, quod eodem tẽpore cõcepti. & nati. sed probabilior Hippocratis opinio, referentis hoc ad parentum dispositionem, & eandem alimentorum rationem; nam multi alij, eodem tẽpore concepti: *Nos autem nouimus geminos non solum actus, & peregrinationes habere diuersas, verum etiam dispares ægritudines perpeti.* rectè soluit argumentum referentium omnia ad horoscopi vim. sed quicquid sit de constitutione corporis, ad animum, qui spiritalis est, eiusquè libertatem quid astra possunt?

An morbi causa aut altra

4 Nigidii Methematici sententiam refert, qui dictus est figulus: nam, *Dum rotam figuli vi quanta potuit intorsisset, currente illa bis numero, de atramento tanquam vno eius loco summa celebritate percussit: deinde inuenta sunt signa, quæ fixerat, desistẽte motu, non paruo interuallo in rotæ illius extremitate distantia, sic, inquit, in tota cœli rapacitate, etiam si alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussit, in cœlo spatiis plurimum est. hinc sunt, inquit, quęcunque dissimillima perhibẽtur in moribus, casibusque geminorum.* hoc figmentum fragilius est, quàm vasa, quæ illa rotatione finguntur; *nam si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, vt alteri geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat, cur audent ceteris, qui gemini non sunt, cum inspexerint eorum constellationes, talia pronunciare; quæ ad illum secretum pertinẽt, quod nemo potest comprehendere, & momentis adnotare nascentium?* rectè arguit, ac lepide irridet Mathematici dictum de similitudine rotæ, qua figulus vasa fingit: hæc quippe sententia non minus ficta, & fragilis est, vt facile argumenti ictu contritum fiat inualidum. Tum affert exemplũ de Esau, & Iacob geminis: *Nati sunt duo gemini, sic alter post alterum, vt posterior plantam prioris teneret; tanta in eorum vita fuerunt, moribusq; diuersa, vt etiam inimicos eos faceret inter se ipsa distantia. nunquid hoc dicitur, quia vno ambulante, alius sedebat, &c. quæ pertinent ad illas minutias, quæ non possunt ab eis comprehendi? vnus duxit mercenariam seruitutem, alius non seruiit: vnus honorem primogenituræ amisit, alter adeptus est, &c.* Denique sic concludit: *Si ergo hæc ad illas pertinent minutias temporum, quæ inter se habent gemini, & constellationibus non adscribuntur, quare aliorum constellationibus non inspectis ista dicuntur? sin autem ideò dicuntur, quia non ad minuta incomprehensibilia, sed ad temporum spatia pertinent, quę obseruari, notarique possunt, quid hic agit rota illa figuli, nisi vt homines luteum cor habentes in gyrum mittantur, ne Mathematicorum vaniloquio conuincantur?* lepidè, & acutè arguit; quò referri potest illud: *in circuitu impii ambulant.* Tum rectè dictum ab Hyppocrate, ait, qui morbum illum eodem tempore geminorum, corporum temperationi simili, non sideribus tribuebat. quod sic ostendit: *Cur enim nõ alter prior, alter posterior ęgrotabat, sicut nati fuerant?*

Nigedii mathematici similitudo in astrorum rotatu.

Ex cap. 4.

Esau, & Iacob simul nati cõtrariis moribus.

Ex Cap. 5.

Homines luteũ cor habentes in gyrum missi a mathematicis.

5 Superstitiones arguit: *Iam illud quis ferat, quod in eligendis diebus noua quædam suis actibus fata moliuntur? non erat videlicet ille natus, vt haberet admirabilem filium, sed contemptibilem; & ità, vti doctus elegit horam qua ille conciperetur; fecit ergo fatum quod non habebat. ò stultitiam singularem. eligitur dies, vt ducatur vxor: vbi est ergo, quod nascenti iam sidera decreuerunt?* rectè superstitionem arguit horarum, ac dierum, præsermit in natali, & nuptijs nam vt destruant natalitium fatum, quærunt uxorium, & vnum horoscopum opponunt alteri. huc refer atros, & nefastos Romanorum dies, itemque certos quosdam appellatos Aegyptiacos dies, quos cauebant in agendo. lepidè Lucullus prohibentibus militibus pugnam, quod esset dies ater; atqui ego, inquit, faciam album ex victoria.

In nuptiis certus dies superstitiosè delectus.

6 Docet, vnde fiat, vt Astrologi aliquando diuinent. *Non immeritè creditur, cum Astrologi mirabiliter vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum. quorum cura est. has falsas, & noxias, opiniones de astralibus fatis inferere humanis mentibus, non horoscopi notati, & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.* Vide quàm Satanicum sit hoc diuinationis genus, quo multi allecti eam artem fouent.

Astrologi diuinant ex satanæ instinctu

7 Fati nomine quid intelligendum sit, docet. *Qui non astrorum consuetudinẽ sicuti est cum quidque concipitur, vel nascitur, vel inchoatur, sed omnium connexionẽ seriemque causarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controuersia laborandum, quandoquidem ipsum causarum ordinem, & quandam connexionem Dei summi tribuunt voluntati, & potestati, qui optimè, & veracissimè creditur, & cuncta scire antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere, &c.* rectè ait quid sentiendum sit de fato: abstinendum tamen paulò ante dixit hoc vocabulo, quod apud vulgus aliter sonet destruens diuinam prouidentiam.

Pro fato quid intelligendum sit.

8 De præscientia Dei sic. *Non timemus, nè ideò non voluntate faciamus, quod*

volun

voluntate facimus, quia id nos facturos ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest, quid timent in præscientia futurorum? videlicet quia si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse præscita sũt; & si hoc ordine venient, certus est ordo rerũ certus est ordo verũ præscienti Deo, & si certus est ordo causarũ, si autem certus est ordo causarũ, quò fit omne quod fit, fato, inquiunt, fiunt omnia quæ fiunt: quod si ità est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitriũ voluntatis; frustra igitur leges dantur, neque vlla bonis præmia, malis supplicia constituta sunt. ità qui negat præscientiam futurorum, dum vult facere liberos, facit sacrilegos. acutè dictum: nam in Deum velut inuitum redundat iniuria. cum sic respondet. *Nõ est consequens, vt si Deo certus est omnium ordo causarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio; & ipse quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo. eiusq; præscientia cõtinetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. atque ità omnes. qui rerum causas præsciuit, profectò in eis causis, etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit,* & infra addit. *Qui non est præscius omnium futuroum, non est vtique Deus.*

Dei præscientia non tollit liberum arbitriumnostrum.

9 Rursus de fati nomine sic. *Ordinem causarum, vbi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi fortè vt fatum à fando dictũ intelligamus, idest aliquando, iuxtà illud; Semel locutus est Deus, idest immobiliter, & incommutabiliter est locutus, sicut nouit incommutabiliter omnia. quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est.* Tum pergit ostendere, per Dei præscientiam non tolli hominis libertatem. *Multa facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus. quo primitùs pertinet & ipsum velle, nam si voluntas est; si volumus, non est: non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præsciuit, quod est in nostra voluntate; non enim quia hoc præsciuit, nihil præsciuit; vtrumque amplectimur illud, vt bene credamus; hoc, vt bene uiuamus. male autem uiuitur si Deo bene non creditur.* pulchrè, & acutè dictum de præscientia, & libertate demum sic concludit. *Proinde non frustra sunt leges, exhortationes, &c. quia, & ipsas futuras esse præsciuit, & preces ualent ad ed impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præsciuit; neque ideò peccat homo, quia ilium peccaturum præsciuit; immò ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit; qui si nolit, vtique non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit.*

Fati vocabulo non vtendum.

Ex Cap. 9.

Qualis sit Dei præscientis.

10 Romanorum imperii incrementum à Deo concessum, ait, vt temporale præmium in hac vita. *Quod ceteras cupiditates laudis auidi, huius unius ingenti cupiditate presserunt; propter hanc multa illa miranda fecerunt laudabilia, scilicet secundùm hominum existimationem; hoc insitum habuisse Romanos, etiam Deorum apud illos ædes indicant, quas coniunctissimas constituerunt Virtutis, & Honoris, pro Diis habentes quæ dantur à Deo; unde intelligi potest, quem finem uolebant esse uirtutis, & quò eam referebant, qui boni erant, ad honorem scilicet; nam mali nec habebant eam, quamuis malis artibus honorem conarentur adipisci, idest dolis atque fallaciis, melius laudatus est cato, de quo dictum est, quò minus petebat gloriam, eò magis illum sequebatur: quandoquidem gloria est, cuius ille cupiditate flagrabat, iudicium hominũ benè de hominibus opinantium, & ideò melior est uirtus, quæ humano testimonio contenta non est: honorem igitur non debet sequi virtus, sed ipse virtutẽ; neq; enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, vbi est bonum hominis, quo melius non est.* Nota de vera gloria, quæ humano testimonio contenta non est adeò excellit humana: quod facit pro laudis præconio Ioanni Baptistæ à Christo pronunciato. Vide tamen Dei pietatem, quæ non est passa sine aliquo certè temporali mercede abire imperfectam illam Romanorum speciem virtutis. alludio autem ad Marcelli factũ, qui duas ædes ædificauit, Virtutis, & Honoris, ea arte, vt ex illa in hanc fieret ingressus.

Ex Cap. 12.

Romani ob speciem virtutis remunerati tempo raliter in augmento imperii.

11 Præclaram Catonis sententiam affert. *Nolite, inquit, existimare, maiores nostros armis rempublicam ex parua magnam fecisse: nam si ita esset, multò pulcherrimam nunc eam haberemus, quippe sociorum, ac ciuium, præterea armorum, & equorum maior copia nobis quàm illis est; sed alia fuerũt quæ illos magnos fuerunt, quæ nihil nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius.* Notēt dynastæ, qua ratione augmentum gloriæ comparetur, vel ab ethnico homine magisterium habetur, imperium non armis, sed virtute fundari.

Imperii augmentũ non ex armis sed ex pietate

12 Resecandum dicit studium laudis humanæ, cum iustorum gloria omnis in Deo sit. *Tam est hoc vitium inimicum piæ fidei. si maior in corde sit cupiditas gloriæ quàm Dei timor, & amor; vt dominus diceret: Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam, quæ à Deo solo est, non quærentes?* non ait tamen ita gloriam fugiendam esse, vt eius metu desinamus prodesse aliis. tum sic infert: *hoc secuti sunt Martyres, qui Scæuolas,* &

Ex Cap. 11.

Martyres, & magnitudine armier numero præstant veterum gloriæ.

& Curtios, & Decios non sibi inferendo pœnas, sed illatas ferendo, & virtute vera, quoniam vera pietate, & innumera multitudine superarunt. egregiè ostēdit quod Martyres non nisi diuinam spectarint gloriam, & ideò omni Romanorum laude præstantiores, ac longè maiore numero id genus hominum Ecclesia proferat, quàm omnis vetustas. præclarum igitur est Ignatii nostri institutum, omnia ad maiorem Dei gloriam referentis.

Romani in hac vita remunerati quia excludēdi in altera.

13 De Romanorum gloria sic concludit, *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam in ciuitate sua cœlesti, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis actibus eorum, quia consuluerant patriæ; consilio libero, priuatas res pro republica contempserunt, &c.* Vide Dei pietatem; nihil non remuneratum relinquit saltem in hac vita. sed simul vide quàm metuendum sit ei, qui in prosperitate est, ne exigua, & leuis hæc summa mercedis sit solumque vt purpurato illi dicatur, *recepisti bona in vita sua*, contra mercedē iustorum dicit in cœleo positam, *Merces autem Sanctorum longè alia est etiam hic opprobria sustinentium, vbi est vera, & plena felicitas, non Dea sed donum Dei, &c.* Denique de vtilitate gloriæ terrenæ sic. *etsi peruersitas sæculi admitteret, vt honoratiores essent quique meliores, nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus*, rectè, nam quid leuius fumo, qui mox euanescit? huic oppone illud, *æternum gloriæ pondus*. hinc etiam collige quàm verùm sit illud, *mendaces filii hominum in stateris.*

Pœnitētia cum Romæ asylo collata.

14 Confert pœnitentiæ sacramentū cum asylo Romano, *Remissio peccatorum, qua ciues ad æternam colligit patriam habet aliquid, cui per vmbram quandam fuit asylum illud Romanorum.* pulcha similitudo asyli cum pœnitentia, ad quam confugiens peccator reus tutus est.

Homo iustus superbit considerans quāta Romani egerint pro temporali gloria.

15 Eleganter, ac pie ostendit, Christianum, quantumuis iustum, debere alienum esse à iactantia, cum tanta Romani gesserint pro temporali gloria. *Quid ergo magnum est pro illa æterna, cœlestique patria cuncta sæculi huius quamlibet iuuando blandimenta contemneret, si pro hac temporali, atque terrena filios Brutus potuit & occidere? Torquatus filium, non quia contra patriam, sed quia etiam pro patria, tamen quia contra imperium suum ab hoste prouocatus iuuenili ardore pugnauerat, licet vicisset, occidit, ne plus mali esset in exēplo imperii contempti, quàm boni in gloria hostis occisi: vt quid se iactent qui pro immortalis Dei legibus, &c.) si Mucius, qui pro Porsenna Rege alterū deceptus occidit, in ardentem aram ante oculos eius dexterā extendit, dicens; multos tales, qualem ipsum, videret in eius exitium coniurasse: cuius ille, ac talium fortitudinem perhorrescens, se compescuit; quis regno cœlorum imputaturus est merita sua, si pro illo non vnam manum, sed totum corpus flammis impenderit? si Curtius armatus equo concito in abruptū hiatum terræ se præcipitem dedit, &c. si sū occidendos certis verbis quodammodo consecrantes Decii deuouerunt, vt ipsis cadentibus, & iram Deorum sanguine suo placantibus, Romanus liberaretur exercitus, nullo modo superbiant sancti Martyres, si vsque ad sanguinis effusionem, fidei charitate certarunt. si Marcus Puluillus dedicans ædem Iouis, sibi ab inuidis morte filii nunciata, vt eo nuncio perturbatus abscederet, atque ita dedicationis gloriam collega eius consequeretur, ità contempsit, vt eum etiam proiici insepultum iuberet, quid magnum se pro Euangelii prædicatione fecisse dicturus est, cui dominus dicit: Sequere me, & sine mortuos suos?* Nota quanti æstimaretur actus ille pontificius dedicandi ædes sacras; præcipuè religiosi notent, quàm parum illud sit, quod pro Christo agunt, cum gentiles tanta egerint pro laude terrena. præterea qui Christum sequitur, ac se dedicat Deo, & in salutem item aliorum vocatur, quantò magis omnem cognationis post habebit affectum? Addit de Reguli ob fidem iuris iurandi nec acerbissima, & de Lucii Valerii consulis paupertate alieno sumptu elati, &c. Adde illud præclarè dictum. *Felices nos, vel filios nostros non diuitiæ terrenæ faciunt, sed Deus, qui est mentium vera opulentia.*

Ex Cap. 11.

Conandum vt laudati respondeamus operę.

16 De humanæ gloriæ contemptu sic. *Virtutes habenti magna virtus est contemnere gloriam, quia contemptus eius in conspectu Dei est, iudicio autem non aperitur humano.* addit: *in laudatoribus autem suis quamvis paruipendat, quod eū amant; nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes; ideòque instat ardenter, vt potius ille laudetur, à quo habet homo quicquid in eo iure laudetur*, rectè monet, ardēter instandum. vt nequaquam nos, sed Deus laudetur, ad quem finem se diligi finit. item curandum, vt bonæ de nobis opinioni respondeamus operibus ad eundem finem.

17 Pulchrè ostendit, turpe esse non modò voluptati, sed humanæ gloriæ seruire. *Solent philosophi, qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdā philosophis, qui virtutes corporalis voluptatis fine metiuntur, vt has propter ipsam putent appetendam, tabulam quandam verbis pingere, vbi Voluptas in sella regali quasi delicata quędam regina considat, eique Virtutes famulæ subiiciantur, obseruantes eius nutum, vt faciant*

ciant quod illa imperauerit, quæ prudentia iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo Voluptas regnet, & salua sit: iustitia iubeat, vt nulli faciat iniuriam, ne Voluptas viuere secura non possit. fortitudini iubeat, vt si dolor acciderit per pristinarum deliciarum recordationem, mitiget præsentis doloris aculeos: temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum, ne per immoderationem noxiã aliquid valetudinem turbet, & Voluptas offendatur. ità Virtutes cum tota sua gloria dignitate tanquam imperiosæ cuidam, & inhonestæ mulierculæ seruiunt Voluptati. nihil hac pictura dicunt ignominiosius, aut deformius, & verum dicunt; sed non existimo satis debiti decoris esse picturã, si etiam talis fingatur, vbi Virtutes humanæ gloriæ seruiant: licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, & multum inanitatis habet, vt nihil illæ virtutes agãt, nisi vnde placeatur hominibus, & ventosæ gloriæ seruiantur. Eleganter velut in pictura proponit imaginem delicatulæ Voluptatis, velut reginæ sedentis in throno, humanæ gloriæ vento tumentis, & cũ intolerabili fastu iura Virtutibus indignissimè dantis. huc refero illud. *transierunt in affectum cordis*. quod alij legunt, *in picturas cordis*. & illud. *dabit cor suum in similidinem picturæ*. quàm diuersa hæc, immò opposita imagini Dei, quam initio impressit in nobis?

Virtus non modo voluptati non seruit sed nec terrenæ gloriæ.

18 De Iuliano apostata sic. *Cum vanis deditus esset oraculis, fretus securitate Victoriæ, naues, quibus victus necessarius portabatur, incendit. mox merito temeritatis occisus, &c.* rectè ostendit quàm sinistrum euentum sortiantur dediti diuinaculis. sic & Saul accidit. referri in bonum potest, si religiosus in ingressu omnem spẽ sibi præcidat redeundi ad seculum, omnino bonis renunciãdo, ac pauperibus cuncta distribuendo.

Iulianus apostata fretus diuinaculis interiit.

19 Impios Reges iusto Dei iudicio punitos aliquando, etiam in hac vita dicit. *Nostra memoria cum Rhadagnisus rex Gothorum agmine ingenti, & immani iam in Vrbis vicinia constitutus, Romanis ceruicibus immineret, vno die tanta celeritate sic victus est, vt ne vno quidem, non dicam extincto, sed nec vulnerato Romanorum, multò amplius quàm centum millium prosterneretur eius exercitus; & ipse cum filiis mox captus pœna debita necaretur: nam si ille tam impius cum tantis copiis Romam esset ingressus, cui pepercisset, &c.? quas autem isti pro Diis suis voces haberent? quanta insultatione iactarent, quod ideo ille vicisset, quia quotidianis sacrificiis inuitabat Deos?* Nota impiam barbari Regis pietatem, quotidie sacrificantis Diis suis pro victoria, & felicitate, licet meritò infelicissimum sortitus euentum. quid Christiani reges facturi sunt? vt non tam armis, quàm religione nitantur, spe freti diuini auxilii non defuturi, propositis sibi exemplis Constantini, Theodosii, Heraclii, &c.

Ex Cap. 21.

Infelix exitus principũ impiorum.

20 Pulchrè ostendit, in quo sit Imperatoris felicitas; non quòd bona temporalia victoriæ, & similia dentur, nam & ideò aliquando hæc ei negantur, vt aspiret ad æterna. *Neque nos Christianos quosdam Imperatores ideò felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel hostes domuerunt &c. hæc enim & aliqui cultores Dæmonum acceperunt, & hoc ideò, ne hæc velut summa bona desiderarent: sed felices eos dicimus, si iustè imperãt, si inter linguas sublimiter honorantium non extolluntur; si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciũt.* est hoc certè notandum dynastis, ac Regibus, vt potestas humana famuletur maiestati diuinæ, & curent Dei cultum maximè dilatare; quod faciũt certè nostri reges, & Ferdinandus Augustus in primis: pergit item pulchrè in virtutibus imperatoriis. *si plus ament illud regnum, vbi non timent habere consortes; si malint cupiditatibus suis, quàm quibus libet gentibus imperare &c. & si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ. si pro suis peccatis, humilitatis, & orationis sacrificiũ Deo immolare non negligant: tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea reipsa futuros; cum id, quod expectamus, aduenerit.* Felix igitur, exclamo sæpe, sæpius felix es, Ferdinande Auguste, vosque ceteri Reges, ac dynastæ Romanæ Ecclesiæ alumni: macti estote Christiana virtute.

Ex Cap. 23.

Imperatoris ac principis, vera felicitas nõ in victoria posita, sed in virtute.

Virtutes Christiani imperatoris ac principis, quæ propriæ sint

21 Ostendit, cur Christianis Regibus aliquando Deus prospera det, aliquãdo permittat aduersa. *Ne homines, qui Deum crederent propter æternam vitam colendum, has sublimitates, & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi dæmonibus supplicaret. Constantinum imperatorem verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, cui etiam condere Ciuitatẽ Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, concessit &c. sed ne rursus Imperator quisquam ideò Christianus esset, vt felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus, Iouinianum multò citius quàm Iulianum abstulit, Gratianum ferro tyrannico permisit interimi*. Vide quantum præualeant æterna caducis. & vt purè Deus sit diligendus. pulchrè dictum, & præclarè: *propter vitam æternam quisque debet Christianus esse*.

Ex Cap. 25.

Cur Deus aliquãdo aduersa permittat Christianis principibus.

22 Theodosij imperatoris pietatem com

commendat sub Maximo persecutore. *Hic in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas, atque illicitas, sed ad Ioannem in Aegypti eremo constitutum, atque ab eo nuncium victoriæ certissimum accepit. Deinde Tyrannum Eugenium, accepto rursus prophetico responso, fide certus oppressit, contra cuius robustissimum exercitum magis orando, quàm feriendo pugnauit. milites retulerunt, extorta sibi esse de manibus quæcumque iaculabantur, cum à Theodosii partibus in aduersarios vehemẽs ventus iret, et non solùm quæcunque in eos iaciebantur, concitatissimè raperet sed etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret, vnde et poeta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit.*

Theodosius Imperator in belli procinctu confugit ad preces Dei seruorum.

„ *O nimium dilecte Deo, cui militat æther,*

„ *Et coniurati veniunt ad classica venti.*

Victor autem Iouis simulacra, quæ aduersus eum fuerant nescio quibus ritibus veluti cõsecrata, et in Alpibus constituta, deposuit, eorumque fulmina, quod aurea fuissent, iocantibus, quod illa lętitia permittebat, cursoribus, et se ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter, benigneque donauit. Insignis, & egregius hic locus est. nota primò, *I*mperatores ad Dei seruos tanquam ad asylum cõfugisse in regni periculis, & sic prosperatos. contra Sauli accidit consulenti pythonissam magicis artibus, cum exitio suo ac suorum. deinde nota ingens prodigium venti pro Theodosio pugnantis, extorquentis tela de manibus militum, & in hostes dirigentis, & tela hostium in ipsos retorquentis. *I*tem nota impietatem hostium pietatẽ, qui in bello in *D*ijs suis spem ponebant, & eorum simulacra opponebant cum fulmine, vt quasi de *C*œlo pugnaretur: quid agent Christiani milites? Neapolim certè melius, & Agnellus, & Ianuarius sæpè tutati sunt ab hoste Illud verò quàm lepidum fuit? vt victores milites peterent à *T*heodosio se fulminari aureis victi *I*ouis simulacrorum fulminibus, non vt perirent, sed vt ditescerent, quo, & illudere Iouem visi sunt: potius *D*eus verus noster cum aduersitates quasi fulmina iaculatur aurea, non tam nos ferit, quàm erudiendo ditat, ac proinde appetere debemus, ijs impeti.

Theodosius diuinitus adiutus in bello ac miro modo.

Gentiles ferunt in bello Deorum simulacra sed frustra.

Milites victores aureis Iouis fulminibus peti appetunt a Theodosio.

23 Laudat præcipuè in *T*heodosio zelum tuendæ Ecclesiæ ab hæreticis: *Ex ipso initio imperii non quieuit aduersus impios laboranti Ecclesiæ subuenire, quam Valens hæreticus fauens Arianis vehementer afflixerat, cuius Ecclesiæ se membrum esse magis, quàm in terris regnare gaudebat.* præclara laus Imperatoris, quæ laus nunc iure debetur Ferdinando Augusto hæreticos strenuè debellanti.

Zelus religionis imperatoris proprius

24 De Theodosij quoque demissione sic pulchrè. *Quid autem fuit eius religiosa humilitate mirabilius? quando Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam Episcopis intercedentibus indulgentiam promiserat, tumultu quorundam vindicare coactus est, sic egit pœnitentiam, vt imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans, magis fleret videndo prostratam, quàm peccando timeret iratam.* Vide vt Imperatoris pietati plaudatur à subditis. plus vt pium amabant, quàm vt acrem timebant. & nota, vt quantumuis primarijs viris pœnitentia non sit erubescenda. habet vel humilitas suũ decus

Theodosii imperatoris humilis poenitentia devincta.

Ex libro VI. de Ciuitate Dei.

1 RIdiculum esse ait, à falsis Dijs vitam æternam petere. *An verò illi peritissimi, & acutissimi viri, qui pro magno beneficio, & à se conscriptæ gloriantur, vt sciretur, qua re cuique Deorum supplicandum esset, quid à quoque esset petendum, ne qualis ioculanter in Mimo fieri solet, peteretur à Libero aqua, à Nymphis vinum, erunt autores cuipiam hominum Diis supplicanti, vt cum à Nymphis petierint vinum, eique responderint, nos aquam habemus, hoc à Libero pete; possit rectè dicere: si vinum non habetis, saltem date mihi vitam æternam: nonne illæ cachinnantes responderent: ò homo putas nè hos in potestate habere vitam, quos audis non habere vel vitem? porrò si à Cerere vinum, à Libero panem, à Vulcano aquam, à Nymphis ignem petere erroris est, quantò maioris deliramenti erit, si cuiquam istorum pro vita supplicetur æterna?* pulchra paranomasia illudit *D*ijs de vita, vel vite. & nota mimicum lusum peruersè petendi à Nymphis, quæ abstemiæ sunt, vinum; & à *B*accho aquam. item nota philosophos, & & Varronem inprimis gloriari solitos, quod modum tradidissent orandi Deos; quantò hæc maior laus Sanctorum, qui verum *D*ei orandi modũ præscribunt? qualis est hymnus eucharisticus *T*homæ, &c. huc spectant Ignatij nostri præclaræ illæ spiritales exercitationes institutæ ad rectè ĵ orãdũ.

Vita æterna à Diis peti non poterat.

2 Varronis ingenium, non facta comẽdat. *Vir doctissimus vndecumq: Varro, qui tam multa legit, vt aliquid ei uacasse miremur: tã multa scripsit, quàm multa uix quẽquã legere potuisse credamus*: cessit tamẽ tantæ consuetudini, & legibus circa *D*eorũ cultũ: nẽpe laus hæc immensæ lectionis, & scriptionis vnà cum veræ fidei doctrina, ac vera pietate, *A*ugustino competit, cæterisq; sanctis doctoribus, & inter recentiores doctissimis purpuratis Baronio, & Bellarmino, itemque Francisco nostro Suarez, &c.

3 *T*heologiæ partitionem à Varrone

D d

Triplex Deorum partitio a Varrone tradita reiicitur.

rone traditam arguit. *Quale illud est, quod tria genera Theologiæ esse dicit, idest rationis, quæ de Diis explicatur, eorumque mythicon appellari, hoc est fabulosum; alterum physicon, tertium ciuile; deinde ait: Mythicon appellant, quo maximè vtuntur poetæ; physicon, quo philosophi; ciuile, quò populi. in primo, inquit, sunt multa contra dignitatem, & naturam immortalium ficta; in hoc enim est, vt Deus alius ex capite, alius ex fæmore, & alius ex guttis sanguinis natus &c.* de secundo multos philosophi libros reliquerunt, vt qui dij sint, vbi, quod genus; an ex igne sint, vt credit Heraclitus; an ex numeris, vt Pythagoras; an ex atomis, vt Epicurus. nihil in hoc genere culpauit, remouit tamen id à foro, idest à populis: scholis verò, & parietibus clausit: illud autem primum mendacissimum, atque turpissimum à ciuitatibus non remouit; tertium genus est, inquit, quod in vrbibus ciues maximè sacerdotes nosse, atque administrare debent, in quo est, quod Deos publicè colere, quæ sacra, & sacrificia facere quempiam par sit: prima, inquit, Thelogia accomodata est ad theatrum, secunda ad Mundum, tertia ad vrbem.

Ex Cap. 6.

Varronis Theologia tam mythica quam ciuilis dānatur.

4 Pulchrè confert Theologiam de Diis Varronis mythicam cum ciuili, & vtramque damnat. *Nec fabulosa, nec ciuili Theologia sempiternam quisquam adipiscitur vitam; illa enim de Diis turpia fingendo seminat, hæc fauendo metit. illa mendacia spargit, hæc colligit. illa res diuinas falsis criminibus insectatur, hæc eorum criminum ludos in diuinis rebus amplectitur. illa de Dijs nefanda figmenta hominum carminibus personat, hæc ea Deorum ipsorum festiuitatibus consecrat. facinora, & flagitiá numinum illa cantat, hæc amat. illa prodit, aut fingit, hæc autem, aut attestatur veris, aut oblectatur & falsis: ambę turpes, ambæque damnabiles, sed illa, quæ theatrica est, publicam turpitudinem profitetur; ista, quæ vrbana est, illius turpitudine ornatur. hinccine, uita æterna sperabitur, unde temporalis ista polluitur?* huc & illa spectant. *Non alij Dij ridentur in theatris, quàm qui adorantur in templis: nec aliis ludos exhibetis, quàm quibus uictimas immolatis.* cur igitur illud excluditur, hoc admittitur? nulla omninò excusatio, quasi aliud sit Deos in templis, aliud in scena colere.

5 Pergit cognationem ostendere inter Theologiam Varronis fabulosam, & ciuilem. *Quid aliud ostendunt illa simulacra, & habitus Deorum? nunquid barbatum Iouem, imberbem Mercurium poetę habent, pontifices non habent? nunquid Priapo mimi, non etiam sacerdotes enormia pudenda fecerunt? quid de ipso Ioue senserunt, qui eius nutricem in Capitolio posuerunt?* Nota Iouis nutricem in Capitolio positam inter triumphales lauros, quid de Deipara dicendum? tum de Laurentina Herculis scorto inter Deas relata dæmonis ludificationem narrat. *Herculis ędituus otiosus, ac feriatus lusit tesseris secum, utraque manu alternante, in una constituens Herculem, in altera se ipsum, sub ea conditione, ut si ipse uicisset, de stipe templi sibi cœnam pararet, amicamque conduceret; si autem uictoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia sua uoluptati Herculis exhiberet: deinde à se ipso, tanquam ab Hercule uictus esset, debitam cęnam, & nobilissimam meretricem Laurentinam Deo Herculi dedit.* hæc vidit in somnis sibi Herculem commisceri, &c. deinde inter Deas relata. *atqui hęc dedecora non poetarum sed populorum sunt; non theatrorum, sed templorum:* ergo non minus inhonesta Theologia ciuilis quàm mithica. Sic & illa, *Sacra sunt Veneris, vbi amatus eius Adonis aprino dente extinctus iuuenis formosissimus plangitur. Sacra sunt matri Deùm, vbi Athys pulcher adolescens, ab ea dilectus deploratur.* huc refer illud Ezechielis, *Mulieres plangentes Adonidem.* matris autem Deum insano luctui opponę Deiparæ de filio meritissimum luctum. ad hoc reseruandæ sunt lacrymæ casti amoris indices, non incesti.

Iidem Dii, & poetis & sacerdotibus communes.

Iouis nutrix in Capitolio culta.

Dii irrisi ab ipsis sacerdotibus.

Ex Cap. 8.

Quæ de Diis dicuntur frustra ad naturalem theologiā referuntur.

6 Ostendit frustra dici, hæc ad naturalem Theologiam reduci, vt *Quando agitur de sacris Matris Deum, caput est certe, quod mater Deorum est terra; quid euidentius suffragatur eis, qui dicunt omnes istos Deos homines fuisse? sic enim sunt terrigenę, sicut terra eis mater est; in vera autem theologia opus Dei est terra, non mater.* acutè dictum. hinc enim arguit Deos fuisse mortales, quia ex terra geniti dicuntur.

Multitudo Deorum impotentiā ipsorum arguit.

7 Irridet Deorum impotentiam, cum vnus vni rei curandæ non sufficiat: ita natalis Dii multi, ità connubii. *Si dicat quisquam, nutrices adhibari infanti, quarum vna nihil nisi escam, altera nihil nisi potum daret, sicut isti ad hoc duas adhibuerunt Deas, Educam, & Potinam, nempe desipere, & aliquid monstro simile in sua domo agere videretur.* Tum sic de ortu cuiusque: *Mulieri fœta post partum tres Deos custodes Varro commemorat adhiberi: ne Syluanus Deus per mortem ingrediatur, & vexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus; & primò limen securi ferire, postea pilo, tertiò deuerrere scopis, hauine sunt numina salubria vrbium? etc.* securim referebant ad cædendas arbores, pilum ad farterendū, scopas ad fruges conseruandas. ità fit, ne

Tres Dii custodes mulieris foetæ.

terra

terra filuefcat; hinc Intercidona, Pilumnus, Deuera.

Coniugii Dii tres non tuto res pudicitiæ sed euerfores.

8 *Ad* connubium item, Deos plures adhiberi arguit, nulla honeftatis ratione habita. *Cum coniunguntur, adhibetur Deus Iugatinus; cum domum est deducenda, quæ nubit, Deus Domiducus, vt in domo sit, Deus Domitius; vt maneat cum viro, Dea Manturna. quid impletur cubiculum turba numinum, quando, & paranymphi inde discedunt? ad hoc impletur, non vt eorum præsentia cogitata maior, sit cura pudicitiæ, sed vt fœminis, quæ sunt sexus infirma, nouitate pauidæ, illis cooperantibus; virginitas auferatur; adest enim, & Venus, & Priapus &c.* recte perftringit Deorum non cuftodiā pudicitiæ in coniugibus, fed turpitudinē. itaque fic concludit. *Si vlla est frons in hominibus, quæ non est in numinibus, nonnè cum credunt coniugati, tot Deus vtriusque sexus esse præsentes, & huic operi instantes, ità pudore afficiuntur, vt & ille minus moueatur, & illa plus reluctetur? & certè si adest Virginiensis Dea, vt Virgini zonam soluat, &c.* Vide quàm oppofitæ fint his ritibus pudiciffimæ facramenti matrimonij leges. quod de folutione zonæ refert, contrà Thomas Aquinas virginali zona ab Angelo præcinctus eft.

Dii varii affignati à Varrone homini ab ortu vfque ad vitæ finem.

9 Pergit ad ceteros Deos: *Varro commemorare, & enumerare Deos cœpit à conceptione hominis, quorum numeros exorsus est Ianus, eamq; seriem perduxit vsque ad decrepiti hominis mortem; & Deos ad ipsum hominē pertinentes clausit ad Næniam Deā, quæ in funeribus senum cātatur.* Notà quod ait, Ianum præfuiffe concepto homini, qua fi ingredienti hunc Mundum, fert enim claues, vt conceptus ipfe hominis non fine aliquo religionis aufpicio effet. ac vide quò tandem definat hominis vitæ curfus, in funebrem næniam.

Ex Cap. 10.

10 Senecæ fententiam contra idolorum cultum refert, quem ex parte coætaneum fuiffe *A*poftolis dicit. *Is in eo libro, quem contra superstitiones scripsit, reprehendit ciuilem, & vrbanam Theologiam multò vehementius quàm Varro theatricam; & fabulosam, deinde de Theologia naturali loquens ait: hoc loco dicet aliquis, credam ego cœlum, & terram Deos esse, & supra lunam alios, & infra alios, &c.* deinde cum irrififfent in facris *A*egyptijs Ofirim lugeri perditum, mox de inuento gaudium fieri, vbi in re ficta verè doletur, de capitolio fic ait. *In Capitolium perueni, pudet publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit officij; alius horas Ioui nunciat, alius lictor est, alius vnctor, qui vano motu brachiorum imitatur vngentem. sunt, qui Iunoni, ac Mineruæ capillos disponant longè à templo, non tantum à simulacro stantes, digitos mouent ornantium modo. sunt quæ speculum teneant, sicut quę ad vadimonia sua Deos aduocent. sunt qui libellos offerant, & illos causam suā doceant. omne illic artificum genus operantium Diis deridet. mox addit: Sedēt quædam in Capitolio, quæ se à Ioue amari putant, nec Iunonis quidem, si credere poetis velis, iracūdissimæ respectu terrentur.*

Superftitio am his de cultu idolorum in capitolio, & amore in Deos.

Nota quot, & quantas affectus erga *D*eos fui fignificationes egerunt: fuppliciter libellos de fua caufa offerebaut, ornare illos geftiebant, fpecula, vt olim in templo Hierofolymitano piæ mulieres, dicabant; fed illi non fine macula fuperftitionis amari à Diis affectabant. erubefcendi materies ifta eft, illis ob fuperftitionem, nobis ob exiguum aut nullum affectum in Deum verum.

Superftitiofa pietas gentium erga Deos confufio noftra eft.

11 Quid de noftris rebus Seneca fenferit, oftendit. *Reprehendit sacramenta Iudęorū, & maximè sabbata, inutiliter id eos facere affirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam ferè ætatis suæ partem perdunt vacando, & multa in tempore vrgentia non agendo lædantur. Christianos tamen iā tunc Iudæis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.* Notā cur de rebus noftris locutus Seneca non fit: certè vidēs Chriftianos falsò accufatos quafi vrbis incendiarios, & à Nerone damnatos, in rus feceffiffe dicitur, valetudinem caufatus, nolens indigno adeffe fpectaculo bonorum necis.

Seneca cur non aufus Chriftianos corpore vt Iudæos.

Ex Cap. 11.

12 Quæ dicenda fit verè vita, vel mors docet fic pulchrè. *Eam vitam æternam dicimus, vbi est sine fine felicitas; nam si anima in pœnis viuit æternis, mors illa potius æterna est dicenda, quàm vita; nulla quippè maior, & peior est mors, quàm vbi non moritur mors; sūma autē mors animę est alienatio à vita Dei in æternitate supplicii.* Egregiè oftendit infelicem damnatorum ftatum. *nullà peior mors quàm vbi non moritur mors.*

In damnatis sūma mors eft.

Ex libro VII. de Ciuitate Dei.

Ex cap. 1.

1 VErā Deitatē, fiuè diuinitatē in Varronis theologia reperiri negat, quam ille fexdecim complexus eft libris; nec vita in ijs inuenitur æterna. Tum fic. *Magna res agitur, cum vera, & verè sancta diuinitas, quamuis ab ea nobis fragilitati necessaria subsidia prębeātur, nō tamen propter mortalis vitæ transitoriā vaporem, sed*

Sexdecim Varronis libri de viis inutiles.

propter vitã beatã, quæ non nisi æterna est, quærenda, & colenda prædicatur. Confer S. Thomę theologicos libros, de quibus nõ nisi Deũ ipsum pro mercede quæsiuit. vide autẽ inanẽ Varronis laborẽ in sexdecim libris, quos de Dijs scripsit; nec tamẽ verum attigit Deum, ac proinde nec æternæ vitæ consequendæ modum edocuit.

2 *Irridet* quæ de Diis selectis Varro narrat, ex quibus duodecim mares, Ianus, Iuppiter &c. octo fœminę, Tellus, Venus, Mineruа, &c. Ianus primus Deus in conceptione hominis, quòd aditum in hunc Mundum aperiat; sed cur non & selecti vocentur, *Vitumnus & Sentinus, quorum alter vitam, alter sensus puerperio largiuntur? nã profectò sine vita, & sensu quid est illud quod vtero geritur, nisi abiectissimũ quid, limo, & pulueri cõparandum?* vide nostri generis vilitatem: quod autẽ de duodecim selectis Diis dicit, aptè duodecim à Christo selecti sunt Apostoli, à quibus, & hi duodecim, & ceteri omnes prorsus aboliti, & deleti sunt.

Ex Cap. 21.

Dii selecti duodecim mares, & octo fœminæ ex Varrone.

3 Item arguit, cur nõ Felicitas inter selectos Deos numerata? cur non Pecunia Dea Mineruæ prælata, cum plus possit? Addit. *Posuerunt & Mentem Deam, quæ faciat pueris bonam mentem, & tamen inter selectos ista nõ ponitur.* rectè argumẽtatur. ac vide, quantò satius sit nunc si parentes infanti statim ab ipso vero Cõditore bonam mentem apprecentur: Præterea cur, inquit, Venus potius, quã Virtus? an quia plures appetũt Venerem quàm Virtutẽ? si ita est, & Pecunia potius quàm Minerua inter selectos numerari deberet. *cũ in omni genere humano plures alliciat auaritia quàm peritia.* Videį in quantas ineptias abierint tot hominum ingenia sine fidei ductu. Mentem finxerunt Deam, in hoc peculiariter sine mente.

Ex Cap. 3.

Mẽs pro Dea culta, at non vna è selectis.

4 Lepidissimum est illud de Iano, quẽ quia non fecerant, vt ceteros Deos, flagitijs fœdum, *Nam, & Saturnum fugientem benignus excepit, & cum hospite partitus est regnum, certè effigie fœdum fecerunt, & monstrosum, hoc est quadrifrontem. An fortè voluerunt, vt quoniã plurimi Dei selecti erubescẽda perpetrãdo amiserũt frõtẽ, quãtò isto innocentior esset, tãtò frontosior appareret?* Elegãs, & aculeata simul irrisio de Iano bifronte, ceteris Diis prorsus effrontibus, vt de turpitudine nõ erubescerent.

Ex cap. 4.

Dii prorsus effrontes præter Ianũ bifrontẽ

5 Deos Varronis selectos sic irridet. *Gratulandum istis esset, nisi magis ad iniurias quàm ad honores selecti viderentur. nã illã infimã turbã ipsa ignobilitas texit, ne obrueretur opprobriis.* nẽpè pauciora turpia de his, vt minus notis, sciuntur, ac proinde melior quodãmodo eorum sors est, quod ignorẽtur. ac rectè arguit cũ delectus hominũ fiat ob excellẽtiã virtutis; delectũ Deorũ factũ ob enormitatẽ scelerũ.

Ex Cap. 5.

Dii selecti dicti flagitiis insigniores.

6 Varroni doctissimo viro cõpatitur, quòd frustrà elaborarit in diuinitate quęrenda. *Anima tua tã docta, & ingeniosa: ubi te multũ dolemus per hæc mysteria doctrina ad Deum summum, à quo facta est, non cum quo facta est, nullo modo potuit peruenire.* Vide infelicitatem frustra suscepti laboris sine fidei lumine. proh quantum est quod nos Deo debemus: tã præclara ingenia desipuerunt: hinc illud Christi dictum sublimiter præfando: *Confiteor tibi pater, domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* huc spectat & illud. *Stulti facti sunt principes Tanaos &c.* Similiter quod est apud Baruc de vera sapientia. *Non est audita in terra Chanaan, neq; visa est in Themna,* & mox: *ibi fuerunt gigantes nominati illi: non hos elegit dominus:* hinc de nostro statu concludit: *Beati sumus, Israel, quia quę Deo placent, nota sũt nobis.*

Felicia ingenia infeliciter desipuere sine fide.

7 Februarium mensem, ait, dicatum fuisse Deo Termino. *Cum sit sacrũ Purgatorium, quod vocant februũ:* quia is mensis erat cũ terminus anni; sed cur Terminus nõ vnus è Diis selectis? Si Ianus, quia principium est, primus inter illos est, multò magis igitur Terminus, vt finis vitę complementũ. *Termino dari debuit plus honoris, maior .n. lætitia est, cũ res quæque perficitur; sollicitudinis autem plena sũt cœpta.* Nota vt eodem februarij mense opposita sit purificatio Deiparę purgationi veterũ, seũ potius inquinamento, & expiationi impiæ. item nota vt anni finem, ac temporis terminum purgatũ esse voluerint, quod multo magis vitæ termino cõpetit, vt non nisi castè purgati claudamus vitã.

Ex Cap. 7.

Sacrum purgatorium mẽse februario cui opposita Deiparæ purificatio.

8 Rursus de Iano sic. *Ianus duas facies ante, & retro habere dicitur, quod hiatus noster, cũ os aperitur, Mundo similis videatur, vnde, & palatum Græci* κόσμον *vocant, & nõnulli poetæ latini, cœlũ.* Vides in homine, hoc est in microsmo, seu paruo mũdo os apertũ referre imaginẽ magni Mũdi, & palatũ cœli: igitur cũ ad loquendũ aperitur, non nisi de cœlestibus loqui debet, aut de Mũdi natura, ac miro Deo opificio; itẽ quod palatũ cœlũ dixerunt, rectè admonet Paulus, *quæ sursum sunt sapite.* vt cœlestia .s. sapiamus, & rerũ supernarũ saporem habeamus iisq; delectemur. quãquam hoc de Iani interpretatione sic lepidè irridet. *Ecce quò pductus est Mũdus propter palati nostri vocabulũ, quid aũt hoc ad animã? quid ad vitã æternã? vt propter solas saliuas colatur hic Deus? &c.* Egregiè hæc vox vsurpari debet in rebus, q̃ ad anĩ męsalutẽ nõ faciũt: *quid hoc ad vitã ęternã?*

Ex Cap. 8.

Os hominis apertum Mũdi speciẽ refert.

9 Iouis nominum interpretationes refert. *Iouem dixerunt Opitalum, quod opem indigentibus ferret; Impulsorem Statorem, Centumpedem, Tigillum, Almũ, Rumã &c. quod haberet impellendi, statuendi, stabiliendi*

Iuppiter dictus Opitulus Mundi stabilinē tum māmosus, &c. quæ ad verū Deum referenda.

biliendi potestatem, quod tanquam sigillus Mundum contineret, & sustineret, quod aleret omnia, quod ruma idest mammilla aleret animalia. Nota singula: quantò verius dices Dei veri, quasi potentiam sigillum esse, qui Mundum sustineat, ne Mundus corruat, præsertim homo microcomos, ac proinde in eo inniti debemus. Tum eundem considera quasi mammosum, omnia alentem. certè inter alia nomina vocatur in scriptura Deus Saddai, quod quidam deducunt, à sad hoc est mãmilla, & Christus apud Clementem Alex. dicitur mammilla patris. Porrò irridet, quod Ioui addiderint Deam Ruminam, item mammosam, quasi non satis fuerit ad hoc Iuppiter; cum maiestate Deorum videatur indignum, vni rei non sufficere *Deū* vnum, idest *vt mammis alantur animalia, duorum Deorum potestate curari, quorum vnus sit Iuppiter rex ipse cunctorum, & hoc agat cū nescio qua Rumina ipse Ruminus*. Puto tamen hoc pie posse transferri ad Deiparam, cuius etiam lacte nos ali vult Deus, non quia ipse solus satis non sit, sed vt honoret matrem. Ceterùm quod Iouem Opitulum vocabant, hoc vero Deo competit, qui nobis opitulatur per gratiam, & quod Impulsorem, non quidem impellit gratia, sed allicit, quamquam &c. Ecclesia orat vt nostras ad se etiam rebelles compellat propitius voluntates, sine tamē libertatis dispendio? Denique quod centū pedū Iouem dicunt Dei prodius velocitatē ad succurrēdū fatearis licet.

Ex Cap. 12.

10 Lepidè irridet quod Varro ait, ad Iouē cetera nomina, siuè vt vocat, numina referri & eundem esse pecuniam Deā. *& pecunia, inquiunt, vocatur, quod eius sint omnia. ò magnam rationem diuini nominis &c. sed nimirum hoc auaritia Ioui nomen imposuit, vt quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videatur. longè autem aliud esset, si diuitiæ vocaretur; aliud namque sunt diuitiæ, aliud pecunia; nam dicimus diuites sapientes, iustos bonos, quibus pecunia, vel nulla est vel parua; magis enim sunt virtutibus diuites, per quas satis est quod adest; & Deum ipsum verè dicimus diuitem, non tamen pecunia, sed omnipotentia. qualis est ista theologia, vbi rex Deorum eius rei nomen accepit, hoc est pecuniæ, quam nemo sapiens cōcupiuit?* hnc refero illud quod Deus apud nos dicitur. *diues in misericordia &c.* & nota diaboli fraudem: voluit Iouē ipsum dici pecuniam, vt qui hanc amat, non modò non peccare, sed Deum amare videretur; & vt quā plurimos habeat cultores, cū plurimi sint pecuniæ amatores.

Vt auaritiam honorarent, Iouem pecuniā euocarunt.

Ex cap. 14.

11 De Mercurio sic. *Mercurius est appellatus, quasi medius currens, quod sermo currat inter homines: alas, & in capite, et pedibus ponunt, volentes significare, volucrē ferri per aera sermonem.* facit hoc pro S. Paulo; nam hic Lystris habitus est pro Mercurio ob sermonis vehementiam; & certè Chrysostomus cū alatū vocat, huc illuc discurrentē per Orbē, ac prædicātē.

Mercurius vnde dictus S. Paulus pro Mercurio habitus.

12 Reprehendit siderum cultum. *Venerem esse etiam Lunam volunt, quamuis de illo fulgentissimo sidere apud eos, tā quam de malo aureo, Iuno, Venusque contēdan: sed vt solet Venus, Iunonē vicit.* Acutè, & lepidè dictū. alij tamen Matris Deorū stellam dixerunt Luciferum, vt refert Plinius, & idem fulgētissimum sidus, quasi enim leonis iubam imitetum splendore, iubar eius sideris dixerūt. hoc ad *Deiparam* verius refert; quamquam oppositā Veneri, quippè virginū principē, planè *fulgentissimū sidus* ob excellētiā gloriæ.

Ex Cap. 15.

De Lucifero sidere certa ne Iuno Venus, & manet Deum sed Deiparæ cōpetit.

13 Transit ad *Apollinem*. *Apollinē Solem esse dixerunt, Dianamque germanam eius, similiter Lunam, & viarum præsidem, vnde & virginem uolunt, quia nihil pariat, & ideò ambos sagittas habere, quod ipsa duo sidera de cœlo radiis ad terras vsq; pertingant*. huc refero quod vocat Lucretius, tela diei, & illud prophetæ: *in luce sagittarum suarum ibunt*, rectius refer Lunā ad *Deiparā* vnde illud: *pulchra vt Luna*. eius radij seu illustrationes animæ sagittæ sunt cōtra diabolū. est eadē verè dux viæ, qua tēdimus ad cœlestē patriā.

Diana virgo dux viæ & iaculatrix.

Ex Cap. 19.

Deipara virgo Lunæ corporata.

14 De Saturno interpetrationem lepidè irridet. *Falcem, inquit, habet propter agriculturam: certè illo regnante non erant agricolæ, quia primi homines viuebant ex feminibus, quæ terra spontè gignebat: an falcem, sceptro perdito, amisit? vt qui primo tempore rex fuerat otiosus, filio regnante fieret operarius laboriosus.* acutè de sceptro in falcem commutato. deinde arguit has de *Dijs* interpetrationes, quæ nō ad verū Deum, & incorpoream naturam, sed ad corporea, & corruptibilia referantur.

Ex Cap. 21.

15 Turpia Deorum sacra detestatur in primis illud, cui honor præfandus est. *In oppido Lauinio vni Libero totus Mensis tribuebāt, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis vterentur, donec illud membrū per forum transuectū, esset, cui mēbro inhonesto matrē familias honestissimā palā coronā necesse erat imponere*. Obruissem sanè hoc silētio, sed refero quia retulit August. vt cōstat quāta esse Mūdi labes āte Christi aduētū, & cōtra quātū nunc virginitatis studiū efflorescat. Vide ergo impudētiam diaboli prorsus execrabilem, qui inhonestū mēbrū in honore esse voluit, ne quis turpiter facere, putaret sibi esse probro, ac dedecori. ac nota hoc vitiū tāquā ceterorū regem corona insignitum ipsius diaboli opera, quippe quod in omnes ferè dominatur. hinc apud Esdrā meretrix re-

Libido regina vitiorū.

gi coronã e capite aufert vt sibi imponit.

16 Tellurem negat, vt Deam coli debuisse. *Terram infirmam Mundi partem cur volunt esse Deam? an qui fœcunda est? cur ergo non magis homines Dii sunt, qui eam fœcundiorem faciunt excolendo? sed pars animæ Mundi, inquiunt, quæ per illam permeat, Deam illam facit: quasi non euidentior sit in hominibus anima, quæ vtrùm sit, nulla sit quæstio, & tamen homines Dij non habentur.* presertim cum dicat Varro, *tertium gradum animæ esse summum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præeminet; hoc preter homines omnes carere mortales, &c.* addit, vnà cum Altrice terra etiam Altori Dei sacrificatum, quod ex terra alantur omnia. at Deus de se dicit. *Nũquid solitudo factus sũ Israeli, aut terra serotina?* quo ostendit, se qualibet terra in beneficiis citò dandis fructuosiorem esse. nos potius dicamus, Deiparam Altricẽ, de qua dicitur. *terra dedit fructum suum;* Iosephum Altorem, seu nutricium.

Ex Cap. 23.

Terra Altrix culta cũ Altore

Ier. 2.

17 Affert Varronis interpretationes de Tellure. *Varro quasi de ipsa turba verecundatus, vnam deam vult esse Tellurem; eandem, inquit, dicunt Matrem Magnam, quod tympanum habeat; significari esse orbem terræ; quod turres in capite, oppida; quod sedes fingantur circa eam, cum omnia moueantur, ipsam non moueri, cymbalorum sonitus ferramentorum iactandorum, ac manuum, & eius rei crepitum in colendo agro quid fit, significant; ideò area, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum esset inuentum. leonem, inquit, adiungunt, solutum, ac mansuetum, vt ostendat nullum esse genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subigi, coliq; conueniat. his addit; Tellurem putant esse opem, quod opere fiat melior; matrem, quod plurima pariat; magnam quid cibum pariat, &c.* Tum ista sic irridet. *hæc sunt Telluris, & matris magnæ preclara mysteria, quæ omnia referuntur ad mortalia semina. ita nè adhęc relata, & hunc finem habentia tympanum, turres Galli iactatio in sana membrorum, crepitus tympaniorum, confictio leonum vitam cuiq; pollicentur æternam?* Atqui sanctius hæc ad Deiparam ex parte possut spectare, quam terræ fructum gignenti diximus similem dici; quę vera est, & magna Dei Mater, apud quam, & per quam peccatores tanquam indomiti leones statim cicurantur, & mitescunt; quæ nobis opitulatur. atq; hæc omnia non ad temporalia, sed ad vitam referuntur ęternam. turros verò ad eius protectionem pertinent, vnde in canticis dicitur: *vbera tua sicut turris, & collũ tuũ sicut turris David.*

Terra Deum Mater dicta turrita, & cũ leone

Deipara magna Dei mater opposita Cybelę.

18 De Athor matris Deum amasio castrato interpretationem irridet. *Porphyrius philosophus nobilis Athyn flores significare perhibuit, & ideò abscissum, quia flos decidit ante fructum; non ergo ipsum hominem, vel quasi hominem, qui vocatus est Athys, sed virilia eius flori comparauerunt; propter vernantem ergo faciem terræ, quæ ceteris temporibus est pulchrior, hoc fictum dicit.* Vide mysterii turpitudinem; id appellarunt florem, quo pudicitia defloratur. hìc enimuerò, lector, ingemisce mortalium insaniæ, et simul gaude, tè inter illa turpitudinum monstra natum non fuisse; ad hunc enim finem ista narrantur: nec tamen ullo modo hæc, et similia in concionem proferenda.

Ex Cap. XXV.

Inep. turpium fabolarũ interpretatio Porphyrii.

19 Lepidè turpes de Diis interpetrationes irridet. Cum gentilibus exprobramus ritus turpes, vt de abscisis Gallis, hoc est castratis matris Deorũ ministris etc. *respondent; hæc omnia referuntur ad Mundum; videant ne potius ad immundum. nos autem animum quærimus, qui vera religione confisus non tanquam Deum suum adoret Mundum, sed tanquam opus Dei propter Deum laudet Mundum, & mundanis sordibus expiatus, mundus perueniat ad Deum, qui condidit Mundum.* nota pulchram paranomasiam in mundi uocabulo; ac uide quò tendat Christiana philosophia in contemplatione naturæ: ut uidelicet ad ipsius conditoris cognitionem perueniat.

Mundi naturęq; inuestigatio quid spectare debeat.

20 Narrat de Numæ Pompilii libris, in quibus secretas causas sacrorum scripserat, inuentis per bubulcos, cum in eius tumulum impegissent aratrum, ex senatus consulto incensis. *Illos libros iàm perniciosos esse iudicauit, vt nec obrui rursus iuberet, ne humana curiositas multò vehementius rem iam proditam quæreret, sed flammis aboleri nefanda monumenta.* en qualis cultus Deorum, in quos qui maximè pius, maximè impius ab ipsis eorum cultoribus iudicatus.

Ex Cap. 28.

Numæ libri de arcanis ex senatus consulto cõbusti.

21 De Numæ item magiis sic. *Numa, ad quem nullus Dei propheta, nullus Angelus mittebatur, hydromantiam facere compulsus est, vt in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes dæmonum, à quibus audiret quid in sacris constituere, atq; obseruare deberet, quod genus diuinationis Varro à Persis dicit allatum, quo & ipsum Numam, & posteà Pythagoram philosophum vsum esse commemorat, vbi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari, & necro mantiam grecè dicit vocari. his artibus didicit sacra illa Pompilius, quorum sacrorum facta prodidit, causas obruit: ità timuit & ipse quod didicit.* Nota vt in aquis sè videndos exhiberent dæmones, scilicet vt animas demergerent; sed simul ostenderunt quantas strages ederent animarum, cum sine sanguine nollent apparere. Tum dicit,

Numæ diuinare per hydromãtiam.

Numa sanguine dęmones euocabat

cit, cur libros illos contumulari secum Numa voluerit: *Aut ergo dæmonum illæ tam sordidæ, & nociuæ cupiditates ibi erant conscriptæ; aut Dij illi omnes nihil aliud quàm homines mortui prodebantur.* huc refero, quod Vegyptii in templis Harpocratis simulacrum posuerunt digito labris admoto indicens silendum, quales Dii fuerint, hoc est mortales, scelesti &c. porrò Numa hic cum Aegenia nympha se collo qui fingebat, vt fides dictis haberetur, adeò omnia plena fraudibus, ac dolis.

Ex Libro VIII. de Ciuitate Dei.

Vera philosophia est Dei dilectio

1 VErum philosophum sic definit. *Si nomen ipsum philosophiæ latinè interpretemur, amorem sapientiæ profitetur: porrò si sapientia Dei est, per quem facta sunt omnia, vtiq; uerus philosophus est amator Dei.* pulchrè ostendit vanum omnem philosophi fastum esse, nisi Dei Verbum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, amet, & colat. rectè in hoc veram philosophiam ponit magister gentium Paulus, *scire supereminentem scientiam charitatis Christi.*

Ex Cap. 2.

2 Duo fuisse genera philosophorum dicit: alterum Italicum, cuius auctor Pythagoras Samius: alterium Ionicum, cuius Thales Milesius. tum varias sententias attingit: *Thales aquam putauit rerum esse principium. Anaximander non ex vna re, idest humore, sed ex suis propriis quasque res nasci putauit; quæ rerum principia singularum esse infinita, innumerabiles Mundos gignere, &c. Anaximenes omnes rerum causas infinito aeri dedit, ac Deos ex aere credidit. Anaxagoras rerum, quas videmus, omnium effectorem diuinum animum sensit, & dixit ex infinita materia, quæ constaret ex similibus inter se particulis, rerum omnium genera pro modulis, & speciebus propriis singula fieri, sed animo faciente diuino; &c.* ex his vnus alteri successit. vide igitur ignorationis tenebras, cum discipuli à magistris dissentirent. considera Thaletē in suis aquis naufragū, Anaximenem in suo infinito aere inaniter differentem, Anaximandrum inter innumerabiles Mundos errantem, nec se veluti è labyrintho extricantem, &c.

Ineptæ Philosophorum sententiæ de principiis rerum.

Quid Socratem induxerit, vt primus mortalē philosophiam doceret

3 De Socrate sic. *Socrates primùm vniuersam philosophiam ad corrigendos, componendosque mores flexisse memoratur, cum ante illum omnes magis physicis, idest naturalibus rebus perscrutandis operam maximam impenderint; non mihi autem videtur posse ad liquidum colligi, vtrùm Socrates hoc faceret tædio rerum obscurarum, & incertarum ad aliquid apertum, & certum reperiendum animum intenderit, quod esset beatæ vitæ necessarium, propter quam vnā omnium philosophorum inuigilasse, ac laborasse videtur industria; an verò volebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in diuina conari: quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas, atque summas non nisi in vnius veri, ac summi Dei voluntate esse credebat; unde nō putabat, nisi mundata mente posse comprehendi; & ideò purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, vt deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret.* Nota primum quid spectarint omnes philosophi vigilijs labore, industria, vt beatam inuenirent vitam: quantò magis Christiani, quorum est verè philosophari: non igitur lucrum, aut quippiam vile spectandum. deinde vide quid induxerit Socratem ad moraliter potius, quàm speculatiuè philosophandum: nempe quia illius, & facilior cognitio, & ad beatam vitam idem aptius. denique noluit philosopham, nisi antea moribus purgatum accedere ad cognitionem causarū, quę à Deo sunt: quod si hoc in naturalium rerum scientia quæsiuit, quid in diuinarū? rectè igitur noster Ignatius iubet, præcipuum studium in virtute, ac sanctimonia collocari, vt non nisi purgata mente ad disciplinas, ac literas accedamus.

4 Platonis opinioni ceteras veterum philosophorum anteponit. *Plato Dei cognitorem, imitatorem, amatorem dixit esse sapientem; cuius participatione fit beatus.* notā, vt nequaquam dicendus sit sapiens, nisi hæc tria habeat: vt in Dei cognitione se exerceat, vt eum per operationem cum virtute imitetur; & eundem toto cordis affectu diligat. sic philosophatur Plato: quid nos eruditi fide magistra?

Sapiens dicēdus Dei cognitor imitator & amator.

5 De dæmonum in idololatria fallacia sic. *Impuri dæmones terrestribus gaudijs deditos populos Deorum nomine seducentes, humanos errores tanquā suos diuinos honores habere voluerunt, vbi ad spectandos suorum criminum ludos, cultores suos tanquam suæ vanitatis administratores habuerunt, ac sibi detestabiliores ludos de ipsis spectatoribus exhibentes.* acutè dictum, dum dæmones iubebant sibi scenicos, & theatrales ludos turpes dicari, ipsi spectatores dæmonibus ludo erant. idem accidit cunctis peccatoribus ac mundanis, qui dum per ludum transigunt vitam, ludus dæmonum fiunt, vnde Dauid orabat: *neq; irrideāt me inimici mei.* potius nos iis illud amus, iuxta illud, *draco iste, quem formasti ad illudendum ei.*

Peccator per ludum niuens fit diaboli ordus

6 Ostendit, apud ipsos ethnicos sapien-

entiores idololatriã ludibrio fuisse. in hoc genere sunt illa, quæ, *Alexander Macedo scribit ad matrem sibi à magno antistite sacrorum Aegyptiorum quodam Leone patefacta, vbi ipsi Maiorum gentium Dii Iuppiter, Iuno, &c. homines fuisse produntur: timens enim ille quasi reuelata mysteria, petens admonet Alexandrum, vt cum ea matri conscripta insinuauerit, statim iubeat concremari.* huc refert & illud Numæ, qui libros secum in sepulcro obruit, quos deinde senatus incendi iussit.

7 Stoicos arguit, qui ponerent indicium veritatis in sensibus corporis. *Vbi ego multum mirari soleo, cum pulchros dicant non esse, nisi sapientes, quibus sensibus corporis istam pulchritudinem viderint?* nota quantum decus vel Ethnici putarent inesse in sapiente, vt hunc tantum verè pulchrum dicerent. hinc illud summi philosophi: incredibiles sui amores excitaturam sapientiam, si oculis cerni posset. Tum Platonicorum sententiam laudat. *hi discreuerunt ea, quæ mente conspiciuntur, ab ijs, quæ sensibus attinguntur. lumen autẽ mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eundem ipsum Deũ, à quo facta sunt omnia.* præclara uox: cum res creatæ, à Deo sint, non posse eas rectè intelligi sine lumine ipsius creatoris, & sine cognitione ipsius; ac lume illud mentis ab eodem petendum est, iuxta illud: *omne donum de sursum est, descendens a patre luminum.*

Sapiens, est verè pulcher

Lumen mentis ad discẽdat oratium, & ipsum Deum factorẽ omniũ.

8 Philosophorum opiniones de summo bono refert, qui, & finis sit, & propter se appetatur; quippe alij in animo posuerunt, alij in corpore, alii in vtroq; nam qui tertiam genus extrinsecus addiderũt, ut gloriam, pecuniam, &c. id non propter se appetendum. *Cedant igitur hi omnes illis philosophis, qui non dixerunt, beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo.* nota uocem dignam Christiano philosopho. *Tum* pergit in sententia Platonis. *Plato determinauit finem boni esse secundùm virtutem viuere; ei soli euenire posse, qui notitiam Dei habeat, & imitationem, nec esse aliam ob causam beatam; ideoq; non dubitat hoc esse philosophari, amare, Deum cuius natura sit incorporalis; vnde colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiæ, cum Deo frui cœperit.* item paulò post. *Ipsum verum, ac summum bonum Plato dicit Deum, vnde vult esse philosophum amatorem Dei; vt quoniam philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus, qui Deum amauerit.* vide quò ethnicus philosophus disserendo peruenerit, quod certè erubescẽdum nobis est in Dei amore tam tepidis.

Vera beatitudo est frui Deo

Vera philosophia iuxta plato nem est dilectio Dei.

9 Eos ceteris philosophis anteponit, qui circa Dei cognitionẽ melius disputarunt. *Quicunque igitur philosophi de Deo summo, & vero ità senserunt, quod et rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarum; quod ab illo nobis sit, & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ, siuè Platonici accommodatius nuncupentur, siuè quodlibet aliud secta sua nomen imponant, siuè tantumodò Ionici generis, siuè etiam Italici, siuè aliarum quoque gentium, qui sapientes, vel philosophi habiti sũt Atlãtici, Libyci, Aegyptii, Indi, Persę, Chaldęi, Scyth, Galli, Hispani, aliique reperiuntur, qui hoc viderint, & docuerint, eos omnes ceteris anteponimus, eosq; nobis propinquiores fatemur.* Notabile est, Gallos, & Hispanos in primis etiam olim habitos inter sapientes, & sanè hoc tempore vtrobiq, vt cum maximè literatura floret, ac viget. *D*einde affert monitum *A*postoli: *Cauete, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem seductionem secundum elementa Mundi.* sed non omnes tales arbitremur. subiungit de quibusdã: *quod totum est Dei, manifestum est in illis &c.* addit tamen. *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c.*

Ii philosophi præponendi qui rectius de Deo senserunt.

Varia genera philosophorum & nationes philosophię deditæ.

Galli, & Hispani apud veteres inter sapientes habiti.

Philosophia deceptoria cauẽda.

10 Quemlibet Christianum, etiã illiteratum ad Dei cognitionem aspirare posse, ait. *Nec si literas philosophorum Christianus ignorans, verbis eorum, quæ non didicit in disputatione, non vtitur, ideò nesciit ab vno vero Deo atque optimo, et naturam nobis esse, qua facti ad eius imaginem sumus; & doctrinam, qua eum, nosque nouerrimus; & gratiam, qua illi cohærendo beati somus:* Nota tria hæc quæ qui, libet Christianus nosse debet, quo sapientior fit priscis. & vide Dei pietatem ineffabilem, quæ vel rudibus, & illiteratis aperuit salutis viam: nec in ingenio præsidium posuit, sed in pietate.

Tria quæ qui notuit licet illiteratus doctior fit priscis philosophis

11 Ostendit, vnde Plato Dei cognitionem acceperit. *Nonnulli putarunt, eum, quando perrexit in Aegyptum, Hieremiam audisse prophetam, vel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse: sed diligenter supputata temporum ratio Platonem indicat à tempore, quo prophetauit Hieremias, centum fermè annos postea natum fuisse: quapropter nec Hieremiam videre potuit tantò ante defunctum, nec scripturas legere, quæ nondum fuerant in græcam linguam translatæ; nisi fortè, quia fuit acerrimi studii, sicut Aegyptias, ità & istas per interpretem dedicit colloquendo: nam quod Plato dicit amatorem Dei esse philosophum, nihil sic in illis literis flagrat.* nota, in sacra scriptura nihil tam ardenter inculcari quàm Dei dilectionẽ. Item quia quod dicit: *Ego sum qui sum: tanquam in eius comparatione, qui verè est, quia incommutabilis est, vt ea, quæ mutabilia facta sunt, non sint, vehementer hoc Plato tenuit, & diligentissimè commendauit.* huc refero quod

Plato in Aegypto sacras scripturas didicit.

Plato vocat philosophos amatores Dei.

Sacra scriptura nihil sue inutilem fines exigi lectione

ex

ex vna parte templi Delphici scriptum erat, Es: ex altera verò, Nosce te ipsum. ita: salutantes resalutabantur.

12 De Genio Socratis sic. *Apuleius Platonicus librum scripsit de Deo Socratis, vbi disserit, & exponit, de quo genere numinum, numen sibi Socrates habebat adiunctū, & amicitia quadam conciliatum; à quo perhibetur solitus admoneri, vt desisteret ab agendo, quando id, quod agere volebat, prosperè non fuerat euenturum. dicit enim, non illum Deum fuisse, sed dæmonem, pertractās Platonis de Deorum sublimitate, & hominum humilitate, & demonum medietate sētentiam. hæc si ità sunt, quonam modo ausus est Plato poetas vrbe pellendo ipsis dæmonibus auferre theatricas voluptates? nisi quia hoc pacto admonuit, animum humanum quā uis adhuc in his moribundis membris positum pro splendore honestatis, impura dæmonum iussa contemnere, eorumq; immunditiam detestari. nam si Plato hæc honestissima prohibuit, profectò dęmones poposcerūt, atq; iusserunt; aut igitur fallitur Apuleius, & non ex isto genere numinum habuit amicum Socrates, aut contraria inter se sentit Plato, modò dæmones honorando, modò eorum delicias à ciuitate benè morata remouendo.* quippe ludi scenici Deorum iussu instituti. vbi nota vel ab ethnico philosopho indignos homine spectatore putatos ludos, quos Dii sibi dicabant: adeo Dii homine turpiores. simul nota, splendori honestatis opponi spectacula minus pudica; quæ tamen ad splendorem falsò pertinere putantur. Concludit deinde, dæmones ità malos esse, vt Apuleius erubescens, titulum inscripserit de Deo Socratis. *non est igitur Socrati amicitia dęmonis gratulanda.* hinc collige quanto potius gratulāda Franciscæ Romanæ ob familiaritas cum Angelo peculiari, ad cuius comæ splendorem noctu, sine alio lumine videre, & legere potuisse dicitur. quod autem ait Genium Socrati pro monitore in rebus agendis fuisse, id verius custodi Angelo competit.

Ex Cap. 14.

Plato poetas e ciuitate propulit, quorum fabulas in scena agi Dii iusserunt.

Socrati genius pro morū voce habere dictus.

13 Perstringit Apuleium, qui dæmones ponebat aerios inter Deos cælestes, & homines terrestres. *Indignum enim putabat misceri homines Diis, & Deos hominibus; dignum autem misceri dæmones vtrisque; hinc qui petita allegent, inde concessa qui apportent. quæro quales preces hominum Diis bonis per dæmones allegari putat, magicas, an licitas? si magicas nolūt tales, si licitas nolunt per tales.* acutè argumentatur: nam si quis v. g. peccauit magiam exercendo, quomodo si pœniteat, impetrabit veniam à Dijs, allegando eos, qui ipsum ad magiam induxerunt? vbi nota quod aiebat hic philosophus, hominem rem adeò vilem non posse cōmercium habere cum Dijs, & intima familiaritate misceri sine aliqua re media; quid hic dixisset de ineffabili veri Dei charitate, qua nobiscum in Eucharistia manens se se homini conglutinat, & vnit ipse per se!

Ex Cap. 5.

Apuleus indignū putabat admitti ad colloquium cum Diis homines nisi mediātibus dæmonibus.

14 Hermetis prædictionem refert, & dolorem de idololatria aliquando destruēda. *An ignoras, ò Asclepi, quod Aegyptus imago sit cœli? aut quod est verius, translatio, aut descensio omnium, quæ gubernantur, atq; exercentur in cœlo? ac si dicendum sit verius, terra nostra Mundi totius est tēplum. & tamen quoniam præscire cuncta prudentem decet, istud vos ignorare fas non est: futurum tempus est, cum appareat Aegyptios in cassum sedulam religionem seruasse, & omnis eorum veneratio in irritum casum frustrabitur. hæc igitur vana, deceptoria, sacrilega Hermes Aegyptius, quia tēpus, quo auferrentur, venturum sciebat, dolebat, sed tam imprudenter dolebat, quàm imprudenter sciebat; non enim hoc ei reuelauerat Spiritus sanctus sicut prophetis sāctis, qui hæc præuidentes cum exultatione dicebant; Erit in die illa, dicit Dominus, exterminabo nomina simulacrorum à terra, & mouebuntur manufacta Aegypti, &c. huic autem Aegyptio illi spiritus indicauerunt tempora perditionis suæ, qui etiam præsenti in carne Domino, trementes dixerant: Quid venisti antè tempus perdere nos? siue quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur, quia sciebat, vt cogniti spernerentur, & hoc erat ante tempus, hoc est ante diem iudicij, quo æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur.* nota, vt Deus permiserit dæmones ipsos ad maiorem ipsorum cruciatum, & mærorem idololatriæ destructionem, non modò præuidere, & lamētari sed illam apud suos prodere. item nota in eos, qui dicunt, Christum serò incarnatum, cum dæmones ipsi ante tempus, ac citò venisse affirmarint. ceterùm quod Aegyptum Hermes vocat *Imaginem Cœli, ac totius Mundi templum.* id verius Ecclesiæ competit veritatis magistræ. de religioso quoque statu verè ac pulchrè dixeris. *An ignorus quod religio imago sit cælo? aut translatio ac descensio omnium quæ exercentur in cælo?* nempe Angelorum vita viuitur.

Hermes idololatria destructionem prædicit de dæmonibus edoctus.

15 Hermetis ipsius dictum refert exaggerantis magicam artem, qua homines Deos in statuis, tanquam in corpore vinculis colligarint. *Omnium admirabiliū vincit admirationem, quod homo diuinam potuit inuenire naturam, eamq; efficere. quoniam ego proaui nostri multum errabant circa Deorum rationem, inuenerunt artem, qua efficerent Deos.* nota insanum, & impium

dictum

dictum: sed hæc quidem ars abominanda, illa verè veneranda, & admiranda vis est, quę diuinitùs nostris sacerdotibus est tra ta, *Omnium admirabilium vincit admirationem.* iuxta illud; *memoriam fecit mirabilium suorum, &c.* vbi per verba consecrationis Christus, qui est Deus homo quodāmodo producitur: vocatur enim illa quasi incarnationis extensio. & certè sacrificare proprio vocabulo dicitur, facere: quanquam ità sacerdos quasi facit Deum, vt fiat & ipse per participationem quasi Deus; ipsis enim in primis dicitur *Ego dixi, Dii estis.* Hermes quidem ob eā potestatem vocabat hominem miraculum magnum, & animal venerandum, & honorandum: quid de veri Dei sacerdote dicendum? magnum Hermeti videbatur, quod in statuis alligare posset homo dæmonū. hic verò sub speciebus illis amoris vinculis tenetur Deus. cedat impietas tātæ pietati.

16 Exponit illud psalmi de idololatriæ destructione prædictum. *Cantate Domino &c. quoniam omnes Dii gentium dæmonia:) Titulus huius psalmi est: Quādo domus Dei ædificabatur post captiuitatem; quippe immundi spiritus simulacris arte nefaria colligati, cultorum suorum animas in suam societatem redigendo miserabiliter captiuauerant. post hanc ergo captiuitatem, qua homines à malignis Dæmonibus tenebantur,* Dei domus *ædificatur in omni terra, idest Ecclesia de viuis lapidibus.* Vide astutiam diaboli, dum se alligari a Magis in statuis fingebat, illos potius vinctos in captiuitatem ducebat. quod autem ait de ampla ædificatione Ecclesiæ, superstitione deleta; hinc collige, quàm laudandi sint Apostolici viri, ac pręcipue ille Orientis Apostolus Franciscus, qui prędictionem illam de idololatriæ destructione sedulò impleuit, summo cum ipsorum dæmonum dolore, & Ecclesiam domum regiā quodammodo laxiorem fecit, & ampliorem, captiuitate Orientalium soluta.

Magi, & idololatræ captiui diaboli.

Xauerii laus de idolatria destructa & fide amplificata.

17 Sanctos Angelos dæmonibus opponit, quos internuncios, & interpretes dicebant Deorum. *Ambiendum est ad beneuolentiam, seu beneficientiam sanctorum Angelorum per bona voluntatis similitudinem, fide interim illis appropinquamus.* Vide quid ambire debeamus, quasi rem magni & honoris, & commodi, scilicet Angelos nobis conciliare, qui & beneuoli sunt, & benefici: hoc autem fit eos imitando castimonia, charitate, &c.

Angelorum beneuolentia ambienda per eorum imitationem.

18 Hermes sic idololatriam Aegypti destruendam deplorat. *Terra ista sanctissima sedes delubrorum, atque templorum, erit sepulcrorū, mortuorumq; plenissima. Dolor videlicet dæmonum per eum loquebatur, qui suas futuras futuras pœnas apud sanctorum Martyrum memorias imminere mærebant; in multis enim talibus locis torquentur, &c.* Nota, dæmones præuidisse honorem Martyrum, & pœnas suas apud eorum sepulcra, quare iam tum multò ante curabant, vt reliquiæ Martyrum vilescerent, ideò sic abiectè de iis loquebantur; nempè apud eas torquendi erant in ergastulis: similiter apud Chrysostomum Babylas martyr cum catenis suis sepeliri voluit, ac statim Apollo in eo templo oracula reddere cessauit, obijciens quod templum mortui cadauere esset prophanatum.

Dolor dæmonū ex destructione idololatriæ, & martyrū gloriā pręuisa.

19 Ostendit longè diuerso modo, quàm fit à gentilibus idolis, cultum Martyribus impendi à nostris. *Nos non ipsis offerimus sacrificia, sed Deo; vt Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem innocato in auxilium, & eorum renouatione adhortemur.* Nota quē ad finem Martyrum celebritates fiant. *vt imitari non pigeat quod celebrare delectat.* quod autem ad Martyrum tumulos nonnulli epulas solerent afferre, id non sacrificandi, sed sanctificandi causa factum dicit, & à melioribus Christianis non fieri.

Cultus Martyrū ad imitationem spectat.

Ex libro IX. de Ciuitate Dei.

1 Stoici negant cadere in sapientem affectus, Platonici concedunt cadere, sed regi imperio. atqui A. Gellius loquens de insigni Stoico, qui in tempestate expalluit, refert Aristippi Socratici responsum, qui in re simili nautæ ipsum arguēti de timiditate, ait, *Meritò pro anima nequissimi nebulonis eum non esse sollicitū, se autem pro Aristippi anima timere debuisse.* deinde ex Epicteto dicit, non esse in hominis sapientis potestate non pulsari phantasia, sed posse non assentiri. Est autē pulchra vox illa de passionibus animi, siue affectibus iuxta Christianam philosophiam. *In disciplina nostra non tam quæritur vtrùm pius animus irascatur, nec vtrū sit tristis, sed vnde sit tristitia; nec vtrùm timeat, sed vnde timeat; irasci enim peccāti, vt corrigatur, contristari afflicto, vt liberetur, timere periclitanti nè pereat, nemo sanus reprehendat.* malè ergo Stoici misericordiam culpant, ac melius ille pro homine liberando misertus fuisset, quàm pro se timuisset. vbi nota charitatis philosophiam; Aristippus enim contemnebat aliorum vitam, nec alienum periculū curabat, sed suum: at quid inhumanius quā nō cōpati, & misereri hominis, pręsertim in animæ periculo, cui dū succurris, & illum, & te saluas.

Aristippus in naufragio sibi timens & spernens nautam non timētem taxatur.

Osten-

2 Ostendit ex ipso Plotino, qui putabat dæmones corpore præditos sempiterno, infeliciores esse hominie, qui mortale corpus gestat. *Plotinus cum de humanis animis ageret; pater, inquit, misericors mortalia illis vincula faciebat; ità ipsum quod mortales sunt homines corpore, ad misericordiam Dei patris pertinere arbitratus est, ne semper huius vitæ miseriis teneantur.* Nota, nempè huc pertinet illud psalmi. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis; si autem in potentatibus octoginta, & amplius eorum labor, & dolor; quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur.* ac propterea Cherubim cum igneo gladio positos ad paradisi aditum quidam dicũt, ex Dei pietate videlicet, ne homines, vel dæmones acciperent de ligno vitæ, cuius esu miseria huius vitæ nobis redderetur æterna.

Mors ꝑ beneficio habẽdane sẽper in miseri viuamus.

3 Arguit Plotini sententiam, qui dicebat, animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sint; Lemures, siue laruas, si mali. *Manes autem Deos dicit, cum incertum est, bonorũ eos, seu malorum esse meritorum; in qua opinione quantam voraginem aperiat perditis moribus, quis non videat?* quia nimirùm mali dum laruas se fore putant, peiores fient desperata salute, &c.

Plotini inepta sententia animas in dæmones verti

Ex Cap. 16.

4 Arguit quod Plotinus ait, dixisse Platonem, *Nullum Deum misereri hominis, & hoc præcipuum eorum sublimitatis esse specimen, quod nulla attrectatione hominum contaminentur.* Ideoque dæmones inter homines, & Deos medios constitui; atqui multo magis dæmones contaminarẽtur nobiscum versantes; quod si hi non contaminantur, multò minus Dij, qui melius dicuntur. certè *radijs Solis, & Lunæ terra contingitur, nec istam contaminat lucem.* Nota de Dei in nos facilitate, quam negabant, quasi sublimitas, & maiestas Dei in hoc consisteret, vt non versaretur cum homine, nec se ab eo contrectari sineret, quod aliquo modo videtur sensisse Pharisæus ille, cum Christus à Magdalena contrectaretur, & ceteri Pharisei; cum eũ vituperarent versantem, & comedentem cum peccatoribus, quasi verò contaminari posset ille, qui erat lux vera, & Sol iustitiæ. immò Dei sublimitas in miserendo maximè spectata semper est: vnde sic precatur Ecclesia: Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserendo manifestas, &c. sed quid diceret Plotinus, si Deum nostrum non modò versari cum homine videret, sed ipsi per Eucharisticũ cibum vniri?

Plotinus Dei sublimitari non congruere aiebat versari cũ homine.

5 Plato ait, *Vix sapientibus viris, cum se vigore animi, quantum licuit, à corpore remouerunt, intellectum Dei velut in altissimis tenebris rapidissima coruscatione lumẽ candidum intermicare.* Nota, Platonem ipsum putasse Dei cognitionem non infundi animo, nisi se à corpore, quantum licet, seiunxerit, & eam illustrationem rapidissimæ coruscationis instar elabi; at verius, & firmius id dici debet de SS. Ecclesię doctoribus, quibus corruscauit lumẽ hoc candidum præclarissimè, vt in S. Thoma, vitæ candore, & doctrinæ sinceritate illustri, nec rapidè, sed stabiliter. hinc illi meritò pingitur radiatum Sole pectus.

Sapiẽtia requirit abstractionẽ a corpore iuxta Platonem.

6 Refert illud Plotini. *Fugiendum est ad altissimam patriam; & ibi pater, et ibi omnia. quæ igitur fuga? similem Deo fieri. si ergo Deo quantò similior, tantò fit quisq; propinquior, nulla est ab illo tanta longinquitas, quanta eius dissimilitudo incorporali illi, vero, æterno, & incommutabili; tantò est anima hominis dissimilior, quantò rerum tẽporalium, mutabiliumque cupidior.* Pulchrè dictum: cum Deus æternus, & immutabilis sit, eum similem Deo fieri, qui non sequitur temporalia, & mutabilia. ab his igitur recedendum: pende illud. *Fugiendũ ad altissimam patriam: ibi pater, & ibi omnia.*

Similes efficimur Deo per abstractione a temporalibus, & mutabilibus rebus iuxta Plotinum.

7 Innotuisse ait Christum dæmonibus. *non per hoc quod est vita æterna, sed per quædam occultissima signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum, potius quàm infirmitati hominum poterat esse conspicua.* Nota: suspicabantur Iudæi, & calumniabantur signa quasi magica. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia*: at hoc ipsi dęmones id suspicari non poterant. ideò clamabant. *Scio quia sis Sanctus Dei.*

Ex Cap. 21.

Marc. 1.

Dæmones vnde Christũ nouerũt.

8 Cuius modi sit dæmonum, & qualis scientia in cognoscendo, docet. *Dæmones non æternas temporum causas, & quodammodò cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum experientia futura prospiciunt.* non sic Angeli boni, *qui in æternis, & incõmutabilibus Dei legibus, quæ in eius sapientia viuunt, mutationes temporum præuident, Deique voluntatem, quæ tam certissima quã potentissima est, diuini spiritus eius participatione cognoscunt; ideò nunquam hi, at illi sæpè fallũtur.* Vide quàm stultè vel ex hoc fides habeatur diabolo. & nota quàm ambienda sit bonorum Angelorum familiaritas, ac beneuolentia non nisi recta, & vera docentium.

Ex Cap. 22.

Angeli mali falli posũt, nõ item mali.

9 De Angelorum scientia sic. *Angelis bonis omnis corporalium, temporaliumq; rerum scientia, qua inflantur dæmones, vilis est; non quod earum ignari sint, sed quod illis Dei, qua sanctificantur, Charitas chara est, præ cuius ineffabili pulchritudine, cuius sãcto amore inardescunt, omnia quæ infra sũt, & quod illud est, non sunt, seque ipsos inter illa contemnunt. & ex toto, quod boni sunt, eo bono. ex quo boni sunt; perfruantur, &c.*

Angeli boni õnem sciẽtiam materialem vilem putant præ dilectione Dei.

Nota

Nota egregiè dictum de dilectione *Angelorum* erga Deum: inardescunt, inquit, ad *Dei* pulchritudinem. ceteræ creaturæ, inter quas ipsi sunt, quasi non sint, reputantur. vide igitur quantò abiectius nos homunculi de nobis sentire debeamus. Addit. *Diotima quoque illa apud Platonem in conuiuio ait, diuinam pulchritudinem vnam esse, quæ amari debeat.* Sed nota illud maximè, omnem humanam scientiam præ charitate vilem esse.

Ex Cap. 23.

Cur homines potius quā Angeli in scriptura Dij appellātur.

Quod Angeli non soleant *Dij* appellari vt homines potius ad eorum præstantiam facit.

10 Si, vt Platonicis loqui videtur, Dij vocantur à Deo conditi, & ei inhærentes, est quæstio nominis: in scriptura certè, & *Angeli*, & homines Dij vocantur, sed expressius homines: *Ego dixi Dii estis, &c. dicemus, expressius homines nuncupatos Deos, quàm illos immortales, & beatos, ne scilicet propter illorum excellentiam aliquē eorum nobis constituere Deum infidelis auderet infirmitas, quod in homine facilè est euitare; & euidentius dici debuerunt homines Dii in populo Dei, vt certi, ac fidentes fierent, esse eum Deum suum, qui dictus est Deus Deorum.* acutè notat, cur in scriptura homines *Dij* appellentur expressius, quàm *Angeli*. tum quia ob infirmitatem humanam non potest esse suspicio, quod homines natura Dii sint: vnde patet insania, & impudentia nonnullorum, qui diuinos honores affectarunt. Illud etiam præclarè dicit, homines appellari Deos tū ob decus, tum ob fiduciam, quod talem habeant natura Deū, qui eos per participationem quantumuis viles *Deos* facere possit, in filios adoptando. nota etiam Angelorum excellentiam, quæ tanta est, vt si Dij dicerentur, suspicaretur fortasse aliquis esse verè *Deos* natura. quod igitur nō sic appellentur, nō iniuriæ est, sed honoris, contra hominum impudentiam, è quibus aliqui se *Deos* fecerunt.

Ex libro X. de Ciuitate Dei.

Ex Cap. 11.

Anima quasi luna à Sole idest Deo illuminatur.

1 PLotinus ait, ex lumine *intelligibiliter illuminante animos fieri beatos. Dat similitudinem ad illa incorporea, de his cœlestibus conspicuis, amplisque corporibus, tanquam sit Sol, & ipsa Luna; Lunam quippè Solis obiectu illuminari putant*. Vides, *Deum* Solem dici, animam hominis Lunam, vt ab eo agnoscat se illuminari iuxta illud: *Omne donum de sursum est, descendens à patre luminum*. hinc Mosis facies corniculatæ instar Lunæ apparuit cū *Deo* loquentis. *Luna* respectū nostri tunc maximè illuminatur, cum à Sole recedit, quod per humilitatem nobis contingit, vnde Petrus Christum à se recedere cupiebat: *exi à me, quia homo peccator sum domine*, idest vt Luna non sine macula. licet autem homo dictus sit φῶς lumen, vt est apud Nazianzenum, & de Apostolis dictum: *vos estis lux mundi*, tamen fons ipse luminis Deus est; quod aduertit Theophilactus in illis verbis non sine mysterio de Ioanne Baptista. *Non erat ille lux*, vbi græcè est cum articulo. Τὸ φῶς. non erat ille talis lux, idest fons lucis.

Ex Cap. 3.

Bonum nostrum est Deo adhærere cum magno affectu.

2 *De* summo bono sic. *Bonum nostrum nullum est aliud, quàm Deo cohærere, cuius vnius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur, fœcundaturque virtutibus.* Pulchrè spiritale cum Deo animæ connubium ostendit, magnæ castæque dilectionis plenum. huc refer illud: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*.

Ex Cap. 4.

Sacrificium in ara cordis charitatis igne perficitur.

3 De vero sacrificio sic item pulchrè. *Huius Dei templum simul omnes, & singuli templa sumus. cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum; eius vnigenito cum sacerdote placamus; ei cruētas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus; ei suauissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio, sanctoque amore flagramus; ei dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus, & reddimus, &c.* refer hoc ad Martyres in primis, & religiosos, quod spirituale sacrificium est, præsertim propter vota, quod holocaustum gratissimum est. habes aram cordis; incensum feruidæ charitatis; hostiam te ipsum mortificatione mactatam, simulque sacerdotem. Idem his verbis ostendit. *Verum sacrificium est omne opus quod agitur, vt in sancta Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus*. referri hoc præclarè liceat ad nostram maximè Societatem, maiorem Dei gloriam pro fine spectantem, illi tenaciter inhærendo. *vt in sancta Societate inhæreamus Deo, omne opus referentes ad illum finem boni, &c.*

Ex Cap 6.

Societas Iesu ad Dei gloriam omnia referens.

Porphyrii superstitiosæ purgationes animæ iactantur.

4 De animæ purgatione ineptas sententias explodit. *Porphyrius quandam quasi purgationem animæ per theurgiam, cunctanter tamen, & quasi pudibunda disputatione promittit: reuersionem verò ad Deum hanc artem præstare cuique negat; animamque dicit per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas vocant, idoneam fieri, atque aptam susceptioni spirituum, & Angelorum ad videndos Deos*. Notà quàm hallucinati sint philosophi, qui dum purgare animas profitebantur, inquinabant potius superstitiosis ritibus. teletas græcè, hoc est perfecta quædam, vti putabant, sacrificia magica ad hoc adhibebant, vt purgata anima Deo videndo esset idonea; cū Christus dicat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. & sacramenta ad hoc in-

stituta

stituta sint, vt purgent animam. his opposuit diabolus insanas has teletas. apparebant autem ipsis varijs ludificationibus dæmones fallaces. Eundem sic arguit. *Admonet Porphyrius vtendum alicuius dæmonis amicitia, quo subuectante, vel paululum possit à terra quisque post mortem eleuari; aliam verò viam esse perhibet ad Angelorum superna consortia.* Vide ineptias. nam anima à dæmonibus potius post mortem ad ima, & inferna detruditur, non ad supera. opera verò ipsa bona, & virtutes sunt, quæ tunc eam subuectant, & eleuant in cœlum, quasi pennæ quædam; Angeli quoque boni id præstant, vt patet in mendico Lazaro, qui ductus dicitur ab Angelis in sinum Abrahæ. ac propterea eorum amicitiam ambire debemus.

Porphyrius dæmonis amicitiã ambiendã dicit vt in cælũ eue hamur.

5 Dæmoniacas ostendit fraudes superstitiosæ theurgiæ. *Quod autem, qui has sordidas purgationes sacrilegis ritibus operatur, quasdam mirabiliter pulchras, sicut esse commemorat Porphyrius, vel Angelorũ imagines, vel Deorum, tanquam purgato spiritu videat, si tamen vel tale aliquid videt, illud est, quod Apostolus dicit, quoniam Satanas transfigurat se velut Angelum lucis; eius enim sunt illa phantasmata, &c. sicut de Proteo dictum est: Formas se vertit in omnes.* Nota diabolũ Proteo dici similem: putatur hic idem ac Busiris crudelissimus, & versutissimus ad fraudes. certè Antonio, & multis alijs Sanctis se Proteum fecit, cum varijs se obtulit formis plerumque deformibus; sed tunc fallacior, cum formosior.

Diabolus Proteo comparatus varijs formis falla.

6 Porphyrius ad antistitem quendam Ægypti scribit, mirans, cur Dij non solùm alliciantur victimis, sed cogantur ab hominibus; *& si Dij sunt, quomodo alij benefici, alij malefici esse dicantur, &c. vnde dicit alios opinari, esse quoddam genus, cui exaudire sit proprium, natura fallax, omniforme, multimodum, simulatos Deos, & homines, & animas defunctorum, & plenum esse temeritatis, & fastus, &c. sed hæc tam tenuiter suspicatur, vt alios afferat opinari; difficilè quippè fuit tanto philosopho cunctam diabolicam societatem, vel nosse, vel fidenter arguere; quæ quælibet anicula Christiana nec nosse cunctatur, & liberrimè detestatur.* Vide, vt fides etiã aniculas faciat philosophorum magistras. Ancilla certè captiua olim Iberiã vniuersã ad veri Dei cultum sola conuertit. Addit: idem Porphyrius scribens ad eundem Anebuntem, tanquam talium sacrorum præclarissimum Antistitem, inter cætera quærit, *Cur ipsis Soli, ac Lunæ, aut cuique coelestium homo quilibet vitio obnoxius intendit minas, eosque territat falsò, vt eis extorqueat veritatem? nam & coelum se collidere minitatur, & cetera similia homini impossibilia, vt illi Dij tanquam insipientissimi pueri falsis, & ridiculis comminationibus territi, quod imperatur,*

Porphyrius miratur aliquos dæmones esse maleficos.

Quęlibet anicula Christiana doctior Porphyrio philosopho.

efficiant. dicit enim, scripsisse Cheremonem quendam talium sacrorum, vel sacrilegiorum peritum, ea, quæ apud Ægyptios sunt celebrata rumoribus, vel de Iside, vel de Osiride marito eius, maximam vim habere cogendi Deos, vt faciant imperata, quando ille qui carminibus cogit, ea prodere, vel auertere comminatur; vbi etiam se etiam Osiridis membra dissipaturum terribiliter dicit, si facere iussa neglexerint. Vide, vt aduersarij ipsi non potuerint dissimulare, ac tegere superstitiosam insaniam. Osiris, & Isis, Sol, & Luna putabantur: his, loco precum, minabantur, dicentes: Cœlum confringam, occulta Isidis mysteria patefaciã, &c. nisi feceritis quod postulo; Addo, hoc idem in more positum olim apud Persas, vt igni, quem colebant, minarentur, se in aquas eum proiecturos, si petita non impetrarint. immò & nunc apud Sinas ità cum Dijs agunt. porrò vt hic Porphyrius, ita Iamblicus mirabatur, quòd vates farina vterentur, vt Deos ad se euocarent, & eorum numine impleti loquerentur: adeò Eucharistiæ sacrificium iniquus dæmon, vt hoc ei opponeret, æmulabatur.

Veteres Dijs comminabantur, nisi petita cõcederent.

Veteres farina vsi vt Deos euocarẽt.

7 Pergit in superstitionibus redarguẽdi. *Quod Porphyrio videtur, herbis, & lapidibus, & animantibus, & sonis certis quibusdam, ac vocibus, ac figurationibus, atque figmentis etiam obseruatis, in cœli conuersione motibus astrorum fabricari in terra ab hominibus Potestates idoneas varijs effectibus exequendis, totum hoc ad eosdem ipsos dæmones pertinet, ludificatores animarum scilicet subditarum, & voluptaria sibi ludibria de hominum erratibus exhibentes.* Vide, quàm sint detestandæ figuræ istæ ex cœli constellationibus, vt vocant, effictæ, & similia, quibus mathematici quidam superstitiosè, & impiè sunt addicti.

Imagines astronomicæ superstitiosæ improbantur.

8 De eodem Porphyrio hæc habet: *Ad epistolæ finem petijt ab eo antistite, se doceri, quæ sit ad beatitudinem via ex Ægyptia sapientia. ceterùm illos, quibus conuersatio cum Dijs esset, ad hoc vt propter comparandum, vel mercaturam, & similia mentem diuinam inquietarent, frustra eos videri dici coluisse sapientiam.* Vide, vt hic carens fide ducem requireret; sed eum, qui cæcus duceret cæcum. animaduerte tamen, vt licet gentilis, neget Deum colendum ob temporalia, quamquam hæc peti possunt à Deo, modò eius voluntati nostram subdamus. & illud notabile, quod addit idem Porphyrius, non sibi videri Deos, qui licet homines alloquantur, nihil tamen ad beatam vitam spectans moneant. *Illa ipsa numina, cum quibus conuersarentur, & si de ceteris rebus vera prædicarent, tamen quia de beatitudine nihil erutum, nec satis idoneum monerent, nec Deos illos esse, nec dæmones benignos, sed aut illum, qui dicitur fallax, aut*

Porphyrius philosophus ducẽ ad beatitudinem quærens nec inueniens.

Porphyrius ipse negat Deũ ob temporalia ambiendum.

 huma-

humanum omne commentum: hinc disce quàm vera sit fides nostra, quæ magistra est acquirendæ fœlicitatis æternæ, & hanc semper inculcat: vide igitur quid Concionator in dicendo spectare debeat.

Ex Cap. 12.

Nullum maius miraculum quam ipse homo propter quem fiũt miracula.

9 De Miraculis sic differit. *Quidquid mirabile fit in hoc Mundo, profectò minus est, quàm totus hic Mundus: quamuis autem miracula visibilium creaturarum videndi assiduitate viluerunt, tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatis, rarissimisque maiora sunt; nam, & omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum est homo: qua propter Deus, qui fecit mirabilia, seù visibilia cœlum, & terram, non dedignatur facere visibilia miracula in cœlo, & in terra, quibus ad se inuisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam; vbi verò, & quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est, &c.* Nota quod & Hermes dixit, hominem ipsum esse magnum miraculum. immò nullũ maius miraculũ quàm ipse homo, nam propter ipsum fiunt miracula, vt excitetur ad diligendum, & colendum Deum. Nota etiam ad Dei consilium pertinere quando sint facienda miracula. hinc illud de aqua in vinum vertenda: *nondum venit hora mea.*

Ex Cap. 13.

Plotinus agnoscens Dei prouidentiam vel in minimis.

10 Etiam temporalia à Deo expetenda dicit, à quo curantur & minima. *Prouidentiam, certè Plotinus Platonicus à summo Deo, cuius est intelligibilis, atque ineffabilis pulchritudo, vsque ad hac terrena, & ima pertingere, flosculorum, atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia quasi abiecta, & velocissimè pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi forma intelligibilis, & incommutabilis simul habens omnia perseuerat.* huc refero illud. *mecum est pulchritudo agri*: ac vide vt his excitari debeamus ad Deum, eiusque prouidentiam admirandam vel in minimis commendare.

Maiora, & veriora miracula nostra sũt quàm quæ gentiles iactãt.

11 Docet, multò admirabiliora apud nos esse, quàm quæ Ethnici de Dijs suis iactant, vt de serpente Æsculapij Romam aduecto; de naui matris Deùm muliercula vnius zona ad pudicitiæ testimonium tracta, &c. & licet quædam falsò videantur æqualia, tamen ipso fine discernuntur: nam dæmones se coli volunt, Angeli Deum. *Hinc enim ostendunt quàm sincero amore nos diligant, quando per sacrificium non sibi, sed ei nos subdere volunt, cuius & ipsi contemplatione beati sunt.* hinc collige eos, qui purè propter Deum operantur, Angelis esse similes; & qui propter propriam gloriam, dæmonibus. hinc Angelus vetat Ioannem sibi ad pedes accidere dicens: *conseruus tuus sum: Deum adora.*

Ex Cap. 16.

Angeli mira operãdo Deo tribuũt honorem dæmones sibi.

Apoc. 22.

12 De beatifica visione sic pulchrè. *Illa visio Dei tanta pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, vt sine hac quibuslibet alijs bonis præditum, atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* Notabilis sententia, & Christiano doctori potiùs, quàm externo philosopho congruens. quid hic mundani dicent, qui caduca hæc & vilia præferunt Deo?

Plotinus ait sine Dei visione quemlibet licet opulentissimũ esse infelicissimum.

Ex Cap. 21.

Fortitudo ciuitatis Dei ex psecutione emicuit.

13 Martyrum decus ostendit, & persecutionis bonum. *Potestas permissa dæmonibus, vt inimicitias aduersus Dei ciuitatem exerceant, non solùm perniciosa non est, sed etiam vtilis inuenitur Ecclesiæ, vt Martyrum numerus impleatur; quos ciuitas Dei tantò chariores & honoratiores ciues habet, quantò fortius aduersus impietatem potestatum etiam vsque ad sanguinem certant. hos multò elegantius, si Ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros heroas vocaremus; hoc enim nomen à Iunone dicitur tractum, quod græcè Iuno ἥρα appelletur, vnde Heros eius filius; quo significatum est quod aer Iunoni deputetur, vbi volunt cum dæmonibus heroas habitare; quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum. sed è contrario Martyres nostri heroes nuncuparentur, si vsus Ecclesiastici sermonis admitteret; non quod eis esset cum dæmonibus in aere societas, sed quòd eosdem dæmones, idest aereas vincerent Potestates.* Præclarè dictum de Martyrum gloria, & heroum nomine ob heroicam fortitudinem. licet alij putent hoc nomen herois ductum ab ἔρως idest ab amore, quia vt interpretatur Hierocles, ad Dei amorem nos erigunt, quòd certè ad Martyres verissimè, & maximè pertineret, nisi id veteres fabulis inquinassent. putabantur autem heroes nati ex immortali patre, & mortali matre; iracundi autem adeò, vt si quis per eorum templa iret, magnopere caueret, vt id faceret summo cum silentio. est & in sacris literis *Ciuitas heroum*, vt qui dam vertunt: quod aliàs apud ipsum Augustinum adnotauimus.

Martyres an heroes dicit possint & vnde hac nomen.

14 Stultam nonnullorum opinionem arguit: *Porphyrius dicit ex aliorum opinione, bonum Deum, vel genium non venire in hominem, nisi malus fuerit ante placatus: tanquam fortiora sint apud eos numina mala, quàm bona; quandoquidem mala impediunt adiutorium bonorum, nisi eis placata dent locum.* rectè arguit, quid enim indignius quàm subijcere bonitatem malitiæ? & hanc maioris virium, & potestatis facere? Atqui contra dicit Christus. *Cum fortis armatus custodit atriũ, si fortior superuenerit, diripit omnia vasa eius, &c.* nec solùm non sunt antea dæmones placandi, vt nos adiuuent Angeli boni, sed potiùs non fiunt hi nobis coniun-

Angeli boni validiores quam malis.

coniunctiores, nisi illi fuerint ante despecti: & vnus Angelus bonus tam validus est vt sit instar exercitus integri. *Castrametatur Angelus domini in circuitu timentium eum.*

15 De animæ purgatione per Trinitatem agit. *Dicit Porphyrius, diuinis oraculis fuisse responsum, non nos purgari Lunæ teletis, atque Solis; vt hinc ostenderetur, nullorum Deorum teletis hominem posse purgari; cuius enim teletæ purgant, si Lunæ, Solisque non purgant, quos inter cœlestes Deos præcipuos habent? denique eodem dicit oraculo expressum, principia posse purgare; quæ autem dicat principia tanquam Platonicus, nouimus; dicit enim Deum patrem, & Deum filium, quem græcè appellat paternum intellectum, vel paternam mentem; de Spiritu autem sancto, aut nihil, aut non apertè aliquid dicit, quamuis quem alium dicat horum medium, non intelligo.* sed negat Augustinus dici debere tria principia; cum vnum sit natura, quamuis vnaquæque persona sit distincta. *Verum itaque dictum est, non purgari hominem sine principio, quãuis pluraliter apud ipsos sint dicta principia.* Vide quàm cautè in diuinis loquendum. & nota eorum stultitiam, quam dæmon ipse reiecit; Solem, & Lunam valere ad purgationem animæ; certè, & in Luna sunt, quæ vocantur maculæ, & Sol ipse per crystallinũ calamũ quasi maculosus apparet. Nota etiam in Trinitate consistere veram purgationem animæ, & rectè, quia cum ad eius imaginem, ac similitudinem creata sit, eius est hanc infectam reficere, cuius est facere: id autem coactus est dæmon fateri licet subobscurè, & peruertendo verba, vocans principia pro principio. quod autem Porphyrius pro Spiritu sancto medium vocet, sanctè monet. *Liberis verbis vtuntur philosophi, nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Notandum Theologis, & concionatoribus monitum. Subiungit, Christum Deum principium verum, quo purgamur, esse: quãquã *Hunc ille Platonicus non cognouit esse principium, nam cognosceret purgatorium; at hic quærentibus Iudæis, quis esset, respondit: Principium, qui & loquor vobis; neque caro per ipsam mundat, sed per Verbum, à quo suscepta est.* huc refero id, quod dixit, *ignem veni mittere in terram.* purgare proprium est ignis.

16 Exponit illud psalmi. *Velut pecus factus sum apud te, & ego semper tecum.) Velut pecus dixit, vtique non intelligens; ea quippè à te desiderare debui, quæ mihi cum impijs non possunt esse communia; non ea, quibus cum eos abundare cernerem, putaui me incaßum tibi seruiße, quando, & illi hæc haberent, qui tibi seruire noluissent; tamen ego semper tecum, quia etiam in talium rerum desiderio Deos alios non quæsiui; ac p̃ hoc sequitur; tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria aßumpsisti; tanquam ad sinistram cuncta illa pertineant; quæ abundare apud impios cum vidisset, penè collapsus est. quid enim mihi, inquit, in cœlo, & à te quid volui super terram? reprehendit se ipsum, quia cum tam magnũ bonũ haberet in cœlo, rem transitoriam, fragilem, & quodammodo luteam felicitatem à suo Deo quæsisset in terra. defecit, inquit, cor meum, Deus cordis mei; defectu vtique bono ab inferioribus ad superiora. sequitur; Mihi autem adhærere Deo bonum est; hoc tunc perfectum erit, cum totum quòd liberandum est, fuerit liberatum; nunc verò illud fit, ponere in Deo spem meam.* Vide, vt pecuinum, stultum, & brutum sit quærere à Deo terrena, nempè quæ sunt cum brutis communia, quæ & sinistra dicuntur: nihil igitur aliud quærendum præter ipsum Deum, & tunc apprehensa dextera ad superna attollimur cum gloria.

17 Porphyrium exagitat quòd Christum veram sapientiam, & quo verè purgamur, non agnouerit Deum. *Benè est quod metuendam dicis hanc artem, vel legum periculis, vel ipsius actionis. ignorantiam certè, & propter eam multa vitia, per nullas teletas purgari dicis, sed per solum* πατρικὸν νοῦν, *idest paternam mentem, siue intellectum; hunc autem Christum esse non credis: contemnis enim eum propter corpus ex fœmina acceptum, & propter crucis opprobrium; at ille implet quod prophetæ prædixerant: Perdam sapientiam sapientium, &c.* Vide stultitiam; nam admirari potius debuit diuinam pietatem, & consilium. quomodo enim purgari à superbia debuimus, nisi per humilitatem? &c.

18 Item arguit philosophos, qui Christum ob corpus sumptum contemnunt, cum ex ipsis nõnulli putent, licet stultè *Solê istum, & cetera sidera esse animalia beatissima, & cum his corporibus sempiterna.* tum affert causam, cur Christum ipsi oderint. *Quia Christus humiliter venit, & vos superbi estis: pudet videlicet doctos homines ex discipulis Platonis, fieri discipulos Christi, qui piscatorẽ suo spiritu docuit sapere ac dicere: In principio erat Verbum, &c. q̃ initium sãcti Euangelij secundũ Ioannẽ, quidam Platonicus aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat.* Vide vt Ioan-

Dæmon coactus fateri purgationem animæ nõ fieri per Solem, & Lunam.

Theologus quam cautus esse debeat in vsurpatione verborum.

Ex cap. 23. Ioan. 8.

A Deo terrena bona petere pecuinũ est.

Lutea felicitas huius seculi.

Ex Cap. 28.

Porphyrius Christũ negauit Deũ propter opprobri & crucis.

Es. 33.

Philosophi quia superbi ideo humilitatem oderunt, in Christo.

Ioannis Euangelium aureis litteris scribẽdũ.

nem ex piscatore tàm admirabilem Theologum reddiderit. nota etiam præclarum eius Euangelij elogium: dignum, inquit, est aureo charactere, & loco eminentissimo; nempè de diuinitatis sublimitate statim agit, quæ auro comparatur. Æmilius tamen illud initium barbarum vocare ausus est, furore ipse barbarico. Deinde sic eos conuincit. *Cur Philosophi erubescunt discere à Christo, si Socrates ipse apud Platonem, & Xenophontem multa refert in Aspasiam, & Diotimam magistras?* facit hoc pro S. Teresia, à qua discere possunt etiam sapientes tanquã à vera magistra pietatis, ac morũ.

Socratem non puduit discere à mulieribus.

Ex libro XI. de Ciuitate Dei.

Ex Cap. 7

Sol accensus ex prima luce Christus ex virgine.

1 EXponit illud Geneseos. *Fiat lux;) Aut aliqua lux corporea, siuè in superioribus Mundi partibus longè à conspectibus nostris, siuè vnde Sol postmodum accensus est. aut lucis nomine significata est sancta Ciuitas in sanctis Angelis.* Nota, nam sicut splendida illa luce Sol se induit, ita Christus Sol iustitiæ, ex Deipara carnem purissimam accepit, & rectè ait: *vnde Sol postmodum accensus est:* quod ardentem Deiparæ charitatẽ innuit. an non vterus eius ignitæ fornacis instar fuit, vnde ignitus prodijt & filius. *ignem, inquit, veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt accendatur?*

Angeli in siderum maximè creatione Deũ laudarunt.

2 De Angelorum creatione, ac tempore, quo creati sunt, sic differit. *Angeli opus Dei sunt, nam cum dixisset: Benedicite omnia opera Domini Domino, subiungit etiam Angelos. & mox: Ipse dixit, & facta sunt.* quod autem non facti sint post sidera, patet ex illo Iob. *Quando facta sunt sidera, laudauerũt me voce magna omnes Angeli mei.* Nota in siderum præcipuè creatione Deum laudatum ab Angelis quarto die, nimirum quia ex horum pulchritudine mortales maximè accendi possunt ad cœlestia, sic Dauid ait. *Domine quàm admirabile est nomen tuum, &c.* & mox: *videbo cœlos tuos, lunam, & stellas, &c.* & .s. noster Ignatius ea intueri solitus, clamabat; Quàm sordet terra dum cœlum aspicio: quamobrem meruit eius sepulchrũ stellis honorari: porrò similem pæana ab Angelis puto dictum in fundatione religionum, quarũ patriarchis fit, vt Abrahã significatum. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* & in Deuter. dicitur. *Estis hodie sicut stellæ cœli.*

Ex Cap. 9.

Angelorũ gaudium in fundatione religionum.

3 Pergit de Angelis. *Si ad istorum dierum opera pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cum dixit Deus. Fiat lux; si illa rectè in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profectò facti sunt participes lucis æternæ.* Vides creatos Angelos in gratia, quod multò magis de Dei Matre dixeris, cum paritura, qui ait, *Ego sum lux mundi.* eodem spectat, quod subiungit item de Angelorum creatione. *Simul vt facti sunt Angeli, lux facti sunt, & illuminati, vt sapienter, beatèque viuerent. ab hac illuminatione auersi quidam Angeli, &c.* refer hoc ad eandem Deiparam. hinc illud Iob: *Si subitò apparuerit Aurora, arbitrantur eam vmbram mortis.* nempè dęmones auersi à luce. & nota. *si subitò,* inquit, idest statim, ipso cõceptionis instanti.

Angeli creati in gratia.

Ex Cap. 11.

4 Comparat statum primi hominis ante peccatũ, & iusti ex Christi beneficio, Beatior, inquit, homo ante peccatum, quã nunc quilibet iustus quantũ ad delectationem; *Neque enim infirmus fuisset, & obnoxius morti; sed quantum ad spem, beatior nunc esset, qui certò sciret de sua beatitudine æterna, etiam si esset in tormentis positus.* Nota, ac refer hoc ad sanctos quosdam, quibus ante mortem æterna beatitudo reuelata est, vt Frãcisco Assisiati, Nicolao Tolẽtinati, &c.

In quo differat status Adam ante peccatum & nunc iusti securi de venia.

5 Quàm alienum à nobis peccatum debeat esse, & malitia, ostendit. *Vitium cõtra naturam est, vt non possit nisi nocere naturæ, non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ potius cõpeteret esse cũ Deo: quapropter voluntas mala grande testimonium est naturæ bonæ.* Vides, naturam non esse ex se malam, sed ex voluntate: nulla igitur excusatio peccatoris. præclarè ait, *naturæ nostræ competere esse cum Deo.* nempè ad eius imaginem est, similitudinemque formata: mala ergo voluntas testis est contra se.

Naturæ nostræ cõpetit esse cum Deo ergo non ex se mala.

Ex Cap. 17.

6 Ostendit, cur creatus sit diabolus, si Deus præsciuit fore malum. exponit autẽ illud psalmi, cum dicitur. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Nõ es hoc intelligendũ de natura mala à Deo formata, sed *quia cum conderet, futuræ malignitatis non erat ignarus, & præuidebat quæ bona de malo eius esset ipse facturus;* nempè vt illuderetur *ab Angelis, vt prosint tentationes eius Sãctis, quibus eas obesse desiderat.* Nota de Dei præscientia in malis, vt in dæmonibus, quos tamen direxit ad bonum finem, vt eius superbiæ illuderent iusti ad triumphum, exerciti ad coronam. Huc pertinet quod sequitur.

Diabolus licet præuisus à Deo malus futurus, tamen creatus ad materiã nostri triumphi.

7 Dei sapiẽtiæ, ac prouidentię tribuit, quidquid in Mundi temperatione disponit. *Deus neminem crearet, quem præuideret malum, nisi nosset quibus bonis vsibus accõmodet, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret; antitheta enim, quæ appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, &c.* Est hoc pulcherrimè dictũ de bonis, & malis ad bonum finem à Deo directis; nam & in his est, in quo Deum laudes. venustè igitur nota dispositionem diuinam

Ex Cap. 18.

Ordo sæculorum tanquam pulcherrimum carmen ex antithetis constat.

uinam

uinam in hac vniuersitate temperandam carmini elegantissimo comparat, suis numeris concinnato. antithetis autem etiam in oratione vsus Paulus, cum dixit: *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris: per ignominiam, & bonam famam; sicut ignoti, & cogniti, &c.* vbi nota & sacras litteras non carere rhetoricis figuris. ceterùm stultus est, ac valde rudis, qui huius pulcherrimi carminis elegantiam non agnoscit, sed de Dei prouidentia vacillat, cum videt, non modò bona in hac vniuersitate esse, sed etiam mala permitti; nec id summo consilio agi intelligit, sicut antitheta, seu opposita carmini congruunt.

Ex Cap. 10. 8 Exponit illud: *Fecit Deus duo luminaria, &c, principio diei.* sic legit. nota, in græco est, ἀρχὰς in principatus; vt in psalmo dicitur: *Tecum principatus in die virtutis tuæ.* principatū quippe continent inter astra Sol, & Luna. Vide igitur quātum eminere inter ceteros debeant ij, qui præsunt, quantum hæc scilicet luminaria inter minora sidera.

Prælati præcellere debent sub ditis.

Ex Cap. 2. 9 Pulchrè illud de Mundi opificio. *Et vidit Deus quod esset bonum;) Plato ausus est dicere, elatum esse Deum gaudio, Mūdi vniuersitate perspecta*: nec tamen tunc beatior quàm antea: *Sic placuit factum, vt placuit adhuc faciendum.* nota Dei gaudium de sua bonitate diffusa. huc facit illud: *lætabitur Dominus in operibus suis.* quale igitur gaudium futurum in fine sœculorum, cum creatura liberabitur, à corruptione? &c. item quale gaudium Dei, vel in matris, vel in filii conceptu?

Dei gaudium ex Mundo condito

Lucis creatio quam nobilis.

10 Illud quoque de lucis creatione satis eleganter dictum. *Si quærimus quis lucem fecerit, Deus est; si per quod fecerit, dixit, fiat, & facta est; si quare fecerit, quia bona est: nec auctor excellentior, nec ars efficacior Dei verbi, nec causa melior, quàm, vt bonum crearetur à bono Deo; hanc enim causam Plato condendi Mundi iustissimam dicit, ut à bono Deo bona opera fierent.* nota tria illa cōcurrentia ad creationem, lucis maximè; & item Platonis sententiam in sacris literis congruentem in Timæo. hæc porrò eadem tria in microcosmi formatione considera, nisi quod hic magnificentius dictum, *faciamus*, non autem, *fiat.*

Ex Cap. 11. 10 *Expendit illud: Diuisit Deus inter lucem, & tenebras) Duas Angelicas uidelicet societates, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho superbiæ, &c. unam sancto amore flagrantem, alteram propriæ celsitudinis immundo amore fumantem, &c.* nota differentiam inter bonos Angelos, & malos. illi ex igne, amoris ardorem. hi fumum acceperunt. Τυφῶς græcè superbia est, à verbo, Τύφομαι superbio, fumo, cōburo, vnde Tiphon dictus Osiridis frater apud Plutarchum, inuidentiæ Deus, omnia peruadens, atque peruertens, quem scilicet imitātur superbi; & nota amorem propriæ excellentiæ immundum vocari, licet res splendida esse videatur.

Angeli boni igne dilectionis splendidi mali fumo superbiæ tetri.

12 Miratur Origenis errorem, qui putauit animas ob peccatum in varia Mundi corpora quasi vincula illigatas; *eamque causam dicit fuisse Mundi faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur.* At fuisset hic Mundi ornatus, etiam si peccatum non fuisset; nec tamen p hoc destruitur ornatus: *Sicut pictura cū colore nigro, loco suo posito, ità rerum uniuersitas etiam cum peccato pulchra est.* venustè de Mundi pictura. cuius præclara species deleri non potest per ipsa mala quippe à Deo ad bonum diriguntur finem, ideoque permittit. Ex Cap. 23.

Mundus picturæ co nparatur.

13 Manichæorum stultam sententiam de mundanis corporibus insectatur. *Quid stultius quàm dicere, unum esse Solem, non ob uniuersi decus, sed quia una anima sic peccauit, ut eo clauderetur? at si plures sic peccassent, plures fuissent Soles.* rectè arguit. putabant hi, varia Mundi corpora orta esse ex varietate peccatorum, quæ ante Mundum conditum commisissent animæ, ex quibus vna pro pœna sit solari corpori affixa. Sed illud velut ex cœno aurum, hoc est bonum sensum collige, quemlibet Mundi splendorem etiam solarem in pœnam cedere, si insit peccatum. ceterùm Deus iustis ob bona opera in corpore patrata, potius dat hoc in præmium: *fulgebant iusti sicut Sol, &c.*

Cur Sol vnus sit stulta Manichæorū opinio ob vnā animā peccatricē.

Ex libro XII. de Ciuitate Dei

1 DAemonum peccatum in quo positum fuerit, docet. *Angelorū alii potestate sua potius delectati, velut bonū suū sibi ipsi esset, à cōmuni bono beatifico ad propria defluxerunt: fastus pro celsitudine, vanitas pro scientia, inuidia pro charitate fuit.* pēde hæc tria. porrò totū peccatū fuit nolle adhærere Deo; & nota amoris proprii dānum, & quàm peruersa res sit, scientiam in vanitatem tumoris abire.

Diaboli quale peccatū

2 Ex rebus creatis nullam natura malam esse, contra Manichæos docet. Non benè mala dicuntur solùm respectū proprij commodi: *Sicut illa animalia, quorum abundantia Aegyptiorum superbia vapulauit; sed isto modo possent & Solem vitupe rare, quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni a iudicibus iubentur ad Solem.* Nota morem de damnando, aduerso Sole, præcipuè debita non reddentes, cū Sol beneficus sit omnibus. hinc principes illi iussi à Deo suspendi contra Solem, scilicet quasi debitores; tenētur enim exēplo & auctoritate coercere subditos à malo.

Mos debitores suspēdendi ad Solem.

Animalcula in igne viuentia animantium typus

3 Ad prædicta pertinet quod sequitur. *Non sunt audiendi qui laudant in igne lucem, ardorem autem vituperant, nec attēdunt in illo ardore, qui ei displicet, nonnulla animalia per conuenientiam salubriter viuere.* nempe Aristoteles refert, pennatas in Cypro esse bestiolas, quæ in igne viuunt, quod & de salamandra dicitur: quā quam in Cypro Veneri dicata quid mirum? cum tales sint amantes.

Ex Cap. 7. Causa peccati non est efficiens sed deficiens.

4 Peccatum, & malitiam non nisi in defectu positam, dicit. *Nemo quærat causam efficientem malæ uoluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens: deficere enim ab eo, quod summè est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam.* vides malum non esse quid positiuum à Deo creatum. itaque pulchrè dictum: *eius causa non est efficiens, sed deficiens.*

Ex Cap. 9.

5 De Angelorum creatione, quam in gratia factam esse dicit, hæc habet. *Angeli simul cum facti sunt, & à quo facti sūt, amore, cum quo facti sunt, adhæserunt.* idem affirmat Hieronymus in Osee, vbi ait in magna pinguedine spiritus creatos, iuxta illud Ezechielis: *plenus sapientia, perfectus decore; omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* vnde colligitur, quantò magis id de Deipara concepta dicendum sit; quot illa ornamentis statim affluxit? quàm ardenter conditori adhæsit, quæ Angelis erat præficienda regina? quidni dicā? *simul cum facta est, et a quo facta est, amore, cum quo facta est, adhæsit.*

Gratia excitans auiditatem animæ affert boni

6 Quantum qualibet creatura rationalis Dei gratia indigeat, docet. *De Angelis quoque dicitur; Charitas Dei, quæ diffusa est per Spiritum sanctum:* nec possent fieri meliores, nisi per Deum: etenim *voluntas qualibet bona inops esset in solo desiderio remansura, nisi esset ille, qui bonam naturam, ex nihilo sui capacem fecit, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando auidiorem.* Vide quid agat Dei excitatio; statim auiditatem excitat in amādo; elegans locus de Gratia excitante.

Ex Cap 10. Aegypti quaternis mensibus annum terminabāt vt antiquissimi putarētur. Aegyptii quater sidera vertisse cursum dicebāt & Solem in oriente occidisse.

7 Inuehitur in Apuleium, qui dixit, homines perpetuò ante fuisse. soluit obiecta. *Perhibentur Aegyptij tam breues annos habuisse, vt quaternis mensibus finirentur.* Nota: nam vt ipsi mortalium primi haberentur, hæc finxerunt. itaque triginta reges ante Amasin numerabant, ac supra tredecim millia annorum; interim verò quater sidera vertisse cursum dicebant, & Solem bis occidisse, vnde oritur, vt est apud Melam, ac proinde bis ab Occidente ortū; quod ego potius retulerim ad duos illos Franciscos, tanquam duos Soles ex Occidente, idest Hispania oriundos, Franciscum Xauerium, & Franciscum Borgiā clarissimos viros: atque ille quidem ex Occidente, hoc est, ex Imperatricis morte, quæ conuersionis causa fuit, in Orientem religiosæ vitæ se contulit.

Cur Mūdus non ante creatus.

8 Quærunt nonnulli, cur tam serò homo creatus? At si spectamus æternitatem, etiam si ante sexaginta millia annorum, et amplius fuisset creatus, quæri poterat, cur non & ante? *Consideret quisque omnia sæculorum spatia definita, si æternitati interminatæ comparentur, non exigua existimanda esse, sed nulla.* rectè arguit, imperitè id non modò curiosè inquiri. De duratione vero consequenti sic ait. Quidam philosophi resolutionem sæculorum posuerunt, vt v.g. Plato in Academia per innumerabilia ante sæcula docuerit, & docturus sit. sed contra hoc dicitur. *Christus semel pro nobis mortuus est, & mors illi vltra non dominabitur. & in psalmo: Tu Domine seruabis nos, & custodies nos in æternum.* satis istis existimo conuenire quod in eodem psalmo sequitur: *In circuitu impii ambulant; non quia per circulos, quos opinantur, eorum vita est recursura, sed quia modò talis est errorum eorum via, idest falsa doctrina.* acutè perstringit quasi erroris vertiginem, dum hominum vitam ità vertendam putant; nec obstare, ait, quod dicitur: *Quid est quod fuit? quod futurū est, etc.*

Ex Cap. 13. Opinio de circulo, & resolutione seculorum ad eundem statum improbatus

Ex Cap. 21. Cur animalia plura simul, at homo vnus ex quo alij creatus.

9 Cur cetera animalia plura Deus simul creauit, hominem tantùm solum? nimirum, vt maior esset inter homines beneuolentia, cum se ab vno prognatos viderent. *Vt eo modo vehementius homini cōmendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumque concordiæ, si non tantùm inter se naturæ similitudine, sed etiam cognationis affectu homines necterentur.* vide vt in ipso primordio concordia commendata sit.

Causa secunda non agit sine causa prima idest Deo.

10 Deum conditorem vniuersitatis agnoscendum, ait. *Nam si Vrbem Romam, & Alexandriam non fabros, & architectos condidisse dicimus, sed reges, quorum voluntate, & imperio fabricatæ sunt; quantò magis non nisi Deum debemus conditorem dicere naturarum? qui neque ex materia facit aliquid, quam ipse non fecerit; nec operarios habet, quos non ipse creauerit; & si potentiā suam, vt ità dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ità non erunt, sicut ante quàm fierent, non fuerunt.* Vide quantam habeat creatura dependentiam à creatore, & in fieri, vt dicitur, & in conseruari. Addit, quæ fiunt ab alijs præexistente materia, ab ipso facta fieri: *sicut de virgis variatis fecit Iacob, vt pecora colore varia gignerētur.* vbi nota, similitudo, & affectus quantum valeant; nam in Brabantia vrbe, vbi die quodam festo solebant inducere personas diuorum, vel dæmonum, quidam, vt erat sic personatus instar dęmonis, rem agens cum vxore, filium eodem aspectu horribilis dæmonis genuit.

Ex Cap. 26. Personatus habitu dæmonis gignit filiū eodem habitu.

Cur

11 Cur ablato peccato, eius pœna relicta sit mors, docet. *Quia si continuò sequeretur immortalitas corporis, ipsa fides euacuaretur, quæ tunc est fides, quādo expectatur in spe. quod in re nondū videtur; fidei autem robore, atque certamine, etiam mortis superandus fuerat timor, quod in sanctis Martyribus maximè emicuit, cuius profectò certaminis nulla esset victoria, nulla gloria.* Nota, cur mors relicta sit, vt per victoriā ipsius mortis immortaliter viuamus; & vt Martyrum fortitudo spectaculo esset. Addit item pulchrè. *Nunc verò maiore & mirabiliore gratia Saluatoris in vsus iustitiæ peccati pœna conuersa est: tunc enim dictum est homini: morieris, si peccaueris; nunc dicitur Martyri: morere, ne pecces. tunc dictum est, si mandatum transgressi fueritis, morte moriemini; nunc dicitur: si mortem recusaueritis, mandatum transgrediemini.* Vide vt Martyri mors vertatur in vsum vitæ, quæ per primos parentes data est in pœnam. & nota elegans in vtroque discrimen.

Cur ablato peccato mors relicta.

12 Mortem per peccatum irrepsisse ostendit. Non mortuus esset Adam nisi peccasset. dices philosophi cōstituunt beatitudinem potiùs in separatione à corpore; respondetur, id dici post corruptionem carnis: certè Plato ait, plures Deos à summo Deo accepisse, vt essent immortalia ipsorum corpora per gratiam, seu beneficium, quod ex natura non habebant. *Quoniam, inquit, estis orti; immortales vos quidē esse, & indissolubiles non potestis; nec vnquā tamen dissoluemini, nec vos vlla fata periment; nec valentiora, quàm consilium meū &c.* igitur poterat homo nisi peccasset immortaliter viuere Deo tuente.

Plato ait Deos petijsse a summo Deo vt immortalia essent corpora.

13 Refellit quosdā, negātes in cœlo corpora humana immortalia esse posse, vel ibi habitare. *At si animæ, vt beata sit, corpus est omne fugiendum, fugiant ipsorū Dii de globis siderum, fugiat Iuppiter de cœlo, ac terra &c.* rectè argumentatur: dicendum est igitur, corpora fugienda, sed vt corruptibilia, grauia, moribunda, non, vt in cœlo erūt incorruptibilia, & leuia. nā, & ipsi philosophi dicebant, *Deos habere animas æternis corporibus alligatas.* Quod autem corporis grauitatem obijciunt, ne in cœlo sursum esse possit, cur nō poterit vis diuina quod aliquo modo ars facit? vt quædam grauia ex metallis in vasa conflata natare possint, &c. præterea *si Dii minores, quibus inter animalia terrestria etiam hominem faciendum cōmisit Plato, potuerunt, sicut dicit, ab igne remouere vrendi qualitatem, lucendi relinquere, quæ per oculos emicaret; ita ne Deo summo concedere dubitabimus, vt carni humanæ naturam relinquat, detrahat ponderis tarditatē?* rectè, nam ita Patres explicant illud psalmi. *vox domini intercedentis flammā ignis.* putabat Plato lucem inesse oculis, qua vident; certè tribus pueris splendor ab ardore intercisus est.

Falsum est corpora nō posse esse in cœlo modo sint immortalia

Grauitas corporis non impedit ne in cœlo esse possit.

14 Exponit illud. *Serpens erat callidior &c.) Diabolus malesuada versutia colubrum, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit tanquam instrumento abutens.* Nēpè cum dæmon serpentē induit, ostendit ipso aspectu quid vafrè machinaretur. huc spectare videtur illud, quod Pherecides dixit, dæmonum principem à Ioue detrusum, Ophioneum dictū, idest serpentinum.

Curdiabolus sua tentamenta serpenti aspectu

15 Transit ad illud: *Fecerunt sibi campestria.) Campestria latinum quidem verbum est, ex eo dictum, quod iuuenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebāt.* Vide, vt primi parentes post peccatum, pugnam experiri incipientes carnis, & spiritus, se palestritarum more induerint, scientes se iam in exercitatione positos. hinc illud psalmi. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* quod alij legunt. *palæstritarum.* adcò nihil otiosum, ac desidiosum admittendum est in tanto luctamine.

Huius uitæ lucta perpetua palestritarum.

16 Præclarè illud dictum de verecundia, etiam inter coniuges seruanda. *Licet, sicut ait quidam Romani auctor maximus eloquij, omnia rectè facta in luce se collocari velint: tamen hoc rectè factum sic appetit sciri, vt erubescat videri.* rectè prolatum vel ex Ethnici ore. quātò nunc modestior esse debet matrimonij vsus, vbi sacramentū interuenit? huc spectat quod sequitur.

Vsus matrimonij verecundiam requirit.

17 Quorundam philosophorum arrogantiam, impudentiamque perstringit. *Cynici, qui publicè rem vxoriam habebant, salinis opprimebantur. non solùm amiciebātur pallio, sed clauam ferebant.* Nota, & impudentiam in re vxoria, & arrogantiam; nam se Herculi similes cum claua faciebant, quasi monstrorum, sic vitiorum domitores essent; at nec libidinis, nec superbiæ monstra, quæ certè immanissima sunt, in se domabant. Lucianus ait, eos baculo pro sceptro, & pallio pro regia trabea vsos, quasi ipsi verè dicendi essent Reges; nam & Diogenes dum venundaretur, interrogatus quā artē profiteretur, regnare, inquit, scio. tēpore quoque Augustini Donatiani, & Circumcelliones hæretici hos imitantes, incedebant similiter palliati cum claua contra Catholicos, quasi monstra domituri, quanquam crucis claua per Doctores Ecclesiæ ipsi domiti sūt. Ignatius quidem noster tanquam sacratus Hercules senili baculo pro claua vsus, non semel Stygia monstra fugauit, quæ se ipsi per speciem obijciebant.

Cynici philosophi impudentes clauā Herculis more ferebant.

18 Ostendit, ante peccatum primorū parentum omnia membra obedire potuisse homini; nam etiam nunc quidam,

cum

In statu innocentiæ caro obediēs spiritui; spiritus Deo.

cum voluntariè aures mouent, cæsariem ante frontem vel retrò ponunt, ab imo canūt, fiet, &c. *presbyter Restitutus ad naniæ cātum à sensibus se abstrahit.* at post peccatū homo, *non obediens Deo, non potuit obedire nec sibi.* Nota de motu carnis in concupiscentia, quem inter ceteros, Aloysius noster, iuuenis meritò Angelicus dictus, non sensisse dicitur, adeò obediens Deo spiritus, & ipse carnem sibi obedientem habuit. nota etiam illud de Restituti presbyter ecstasi naturali ad cātum næniæ, ne in hoc sanctitatem positam arbitremur, nisi adsint signa præclara virtutum.

Ex libro XV. de Ciuitate Dei.

Cur Abel non condiderit ciuitatē vt Cain.

1 AD cœlestem conuersationem hoc pertinet. *Scriptum est de Cain, quod condiderit ciuitatem, Abel autem tanquam peregrinus nō condidit; superna enim sanctorum ciuitas, &c.* Egregiè aduotat cur Abel nullam condiderit ciuitatem vt Cain: quia nimirū nō se terræ ciuē, sed cœli existimabat. ad hoc refero illud Pauli. *Nostra conuersatio, seu noster municipatus in cœlis est.* & tamen Abelis tempore clausum erat cœlum, quòd nūc nobis post Christi aduentum patet.

Cain cū Romulo Abel cū Remo collatus.

Ex Cap. 5.

2 Cain, & Romulum fratricidas inter se comparat: Cain Abelum, Romulus Remū, fratres occiderunt, hoc discrimine. *Quod isti terrenæ ciuitatis ambo ciues erāt, & ambo gloriam de Romanæ reipublicæ institutione quærebant: vt ergo dominationē haberet vnus, ablatus socius. Abel autem hanc non quærebat, nullo autem modo fit minor, accedente, seù permanente consorte possessio bonitatis; immò possessionem bonitatis tantò latius, quantò concordius indiuidua sociorum possidet charitas.* Nota differentiam mundanæ possessionis, & diuinæ, hoc est bonitatis: nam tantò magis hanc eam possides, quantò cum pluribus eam communicas: & acutè ait, cum plures eandem rem totam habeant, per hanc communionem, rem ipsam potius ampliorem fieri, multiplicari, ac dilatari, quàm imminui in partes, ac frusta.

Cain cur dicatur male diuisisse.

Ex Cap. 7.

3 Exponit illud ad Cain dictum. *Si male diuidas, &c. Hoc ipso Cain male diuidebat, dans Deo aliquid quidem suum, sibi autem se ipsum; quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, offerunt Deo munus, quo putant, cum redimi, vt eorum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis, & hoc est proprium terrenæ ciuitatis, Deum, vel Deos colere, vt regnet victoriis, &c. boni quippè ad hoc vtuntur Mundo, vt fruantur Deo; mali autem contra, vt fruantur Mundo, vti volunt Deo.* Notabile dictum de Deo purè, & sinceriter amando. vsus est Mundi, fruitio Dei.

Corpora & vita hominum tendūt semper ad decrementū.

4 Declarat quid sit: *Gigantes erant super terram.) Plinius secundus doctissimus homo, quantò magis magisque præterit seculi excursus, tantò minora corpora naturam ferre testatur. idem dicit, esse adhuc gentem vbi ducentos annos viuitur.* Non igitur mirum quod de gigantibus, & longa eorum vita dicitur. vide vt Mundus ipse subinde decrescat, quo ostendit, se ad nihilum suum tendere, nisi sustentetur à Deo.

Societas Christianorum præfigurata in Enoch & Societas Iesu.

Ex Cap. 18.

5 De Seth filio Enos scriptum est: *Hic sperauit inuocare nomen domini.* Quæritur: an non hoc fecit & ipse Seth? præterea, cur non dicitur, inuocauit, sed sperauit inuocare? respondet: *Quia prophetia est, exoriturum populum, qui secundùm electionem gratiæ inuocaret nomen domini.* eodem sensu addit: *Præfigurata est hominum Societas, quæ non secundùm hominem in re terrenæ felicitatis, sed secundùm Deum viuit in spe felicitatis æternæ.* rectè adnotat verbum illud, *sperauit*, quod est de re futura; quod ad Societatem Christiani populi venustè refert ob Christi nomen. id verò facit maximè pro Societate Iesū, eius nomine insigni, ob quod peculiariter pertinere dici potest ad Ciuitatem cœlestem: *Præfigurata est hominum Societas, quæ non secundùm hominem, sed secundùm Deum viuit.* vulgata habet, *iste cœpit inuocare nomen domini.* peculiari scilicet ritu, honore, veneratione.

Enoch septimus ab Adā figura requietis nostræ.

Ex Cap. 19.

6 De Enoch sic. *Enoch septimus ab Adam interpretatur, dedicatio.* hoc autem septenarij numero sabbatum consecrātū est, & Deus requieuit ab omni opere suo. subiungit. *Huius Enoch translatione nostræ dedicationis est præfigurata dilatio. quæ quidem facta est in Christo capite nostro, qui resurrexit & translatus est: restat altera dedicatio vniuersæ domus, cuius ipse est fundamentum, quæ differtur in finem.* acutè notat, Enoch figuram fuisse iustorum, qui transferendi sunt in æternam requiem, qui erunt Dei numini, maiestatique deuoti, ac dedicati.

Castitas sine fide etiā apud gentiles sed sine merito.

7 Castimoniam, quæ in fide fundatur, verè laudabilem dicit: alioquin etiam hæretici quidam coniugio abstinent. *Etiā Indorum Gymnosophistæ, qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiæ, à generando se cohibens: non est enim hoc bonū, nisi secundùm fidem summi boni, qui est Deus, hoc tamen nemo fecisse ante diluuium reperitur; nam, & ipse Enoch genuit filios, & filias, antequā transferretur.* Nota cœlibatum cœpisse post diluuium, territis credo hominibus, quod id immissum scirent ob carnis peccatum. ac propterea

etiam

etiam à licitis abstinere cœperũt, paucissimi tamen. nota etiam, Gymnosophistas, vtpotè deditos contemplationi Solis purissimi sideris, putasse non nisi castissimè sibi viuendum, quod religiosis maximè aduertendum est. certè principes illi, qui non prohibuerunt populi fornicationem, contra Solem patibulo affixi dicuntur. similes nostris Gymnosophistę pœnitẽtia, & mortificatione, sed inani, & inutili, qa sine fide.

7 Quærit, cur tam paucæ successiones numerentur in Cain generationibus? quia scilicet non semper per primogenitos ducuntur. *Non erat consequens, vt primogeniti regnantibus succederent patribus, sed quos regnando meritum propter virtutem terrenæ vtilem Ciuitati, vel pars aliqua reperiret, vel succederet iure regnandi, quem pater præ filijs ceteris dilexisset. primus igitur Regum esse potuit Cain, secundus eius filius Enoch, &c. sextus Lamech.* Nota, primum Regis affectasse fastum Cain, qui, & ciuitates primus condidit, sed fratrem eius sanguinis purpura verius fecit Regem, cum martyrem fecit. vbi etiam nota pro S. Ioanne, quem maximè Christus dilexit, Regnum charitatis adeptum: ideo & aquilæ insigne, vt Regi debetur.

Olim is delectus in successionẽ regni quem pater maxime dilexisset.

Ioãni regia aquila debetur ob regnum dilectione partum.

8 Explicat denarij numeri mysterium. *Quoniam lex denario numero prædicatur, profectò numerus vndenarius, quoniam transgreditur denarium, transgressionem legis, ac per hoc peccatum significat. hinc est, quod in tabernaculo testimonij vndecim vela cilicina fieri præcepta sunt: in cilicio quippe est recordatio peccatorum propter hędos ad sinistrã futuros.* nota acute de vndecim cilicijs, testimonij tabernaculum operientibus; at intus non nisi ex auro ferè omnia, ita corpus iusti cilicio induitur, nam & tabernaculum Dei in se continet aureum.

9 *Videntes filij Dei filias hominum, &c.) Filij Dei vocantur filij Seth, iuxta illud: Ego dixi Dij estis. Aquila, quem interpretem Iudæi ceteris anteponũt, filios Deorum interpretatur.* Vide quàm vel iustis cauendum sit, præsertim circa vitium carnis. præterea agit hic de Faunis, de Siluanis, & incubis: *Quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam, & tentare, & efficere compertum est.* nota de spiritu immũditiæ, nam hoc epitheton à Christo datur: *immunde spiritus:* ipsimet certè in porcos ire petierunt.

Etiam iustis timẽdum de vitio carnis.

Dæmones immũditijs gaudent.

10 *Gigantes erant super terram)* Plures gigantes fuerunt ante diluuium, *qui fuerũt terrigenæ societatis hominum; quos propterea creari placuit Creatori, vt etiam hinc ostenderetur, non solùm pulchritudines, sed nec magnitudines, & fortitudines corporum magnipẽdendas esse sapienti; quia spiritalibus, atq; immortalibus longè melioribus, ac firmioribus beatificatur homo; de quo alius propheta ait: Ibi fuerunt gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, scientes prælium: non hos elegit dominus, nec viam scientiæ dedit illis, sed interierunt: & quia non habuerunt sapiẽtiam, perierunt propter inconsiderationem.* idem mysticè puto referri posse ad gentiles philosophos, qui verãm sapiẽtiam, cuius sola magistra fides est, ignorãrunt. vide igitur cur Deus huiusmodi bona etiã malis præbeat, ne scilicet illa admiremur, sed potius æterna.

Dotes corporis non magnifaciẽdęrũ etiã habeant mali.

Baruc. 3.

11 Arcam Noe significare corpus humanum dicit: *Humani quippe corporis à vertice vsq; ad vestigia, sexies tantum habet, quàm longitudo est, &c.* est hoc sanè notabile, nam sicut in arca illa animalia varij generis paruo contenta cibo, nec admodum vario viuebant, & castè, ità & in corpore viuendum. quidam arcam illam pheretri imaginem habuisse dicunt, & certè corpus græcè *σῶμα* quasi *σῆμα*, idest sepulchrum dictum putat Macrobius.

Arca Noe symbolũ humani corporis.

Arias Mont.

12 Nequaquam sacra omnia, quæ in scriptura nominantur, aliquid significare ait, sed adduntur ad nexum eorum, quæ significant, vt in citharis, &c. insunt, quibus nectuntur quæ percussa resonant; *ità quoq; solo vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria, & soli nerui in citharis aptantur ad cantum, &c.* rectè, scripturam tanquã fertilem agrũ esse dicit, quẽ interpretando excolimus. est etiam tanquam musicum instrumentũ, & significationes quasi chordæ, quæ tanguntur. quid igitur delectabilius? peritissimi igitur citharœdi Hieronymus, Augustinus, & alij interpretes huius generis.

Sacra scriptura musico instrumẽto, & agro cõparata.

13 Quæritur, cur generatio Cain vsque ad diluuium narratur, sed generatio Seth in ipso Enos iterum recipitur ab Adam? respondet: quia Deus malos non computat, iuxta illud: *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* tametsi illi *posuerunt nomina sua in terris suis,* sed frustrà; cum nulla ipsorum ratio habeatur apud Deum: *quorum non est memor amplius.*

Mali apud Deum nõ computãtur.

Ex Libro XVI. de Ciuitate Dei.

1 EXponit illud: *Nembroth robustius venator corãm Domino;) Tutam, veramq; in cœlum viam molitur humilitas, leuans cor ad Dominum, non contra Dominum.* nota, humilitas cum se abijcit, tunc turrim molitur altissimam in cœlum, & tutissimã. addo: eadem virtus verè venatrix est, dum cœlum prædatur, vt ait de Ioanne Baptista Christus: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Humilitas tutam in cęlum viam molitur.

2 De

2 De diuisione linguarum sic. *Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti.* Nota acutè, cur superbia punita sit in lingua, quia per linguam iussa dantur. & quia Dei iussis per superbiam non obtemperabant, meruerunt, vt dum in turris fabrica architectus aliquid iuberet, operarij non obedirent, quia quod iuberet, non intelligebant: ita Deus dare solet correspondentem culpæ pœnam.

Cur turris impedita per linguas.

3 Pergit in eodem. *Venite, descendamus, &c.) Ad Angelos hæc loquutus est Deus.* Nota, vt ad superbiam coercēdam vocati sint Angeli, quippè qui iampridem superbiam exosi; ac propterea vnà cum alijs arrogantibus non ceciderant.

Cur ad destructionem turris adhibiti sint Angeli.

4 Agit de monstrosis partubus; Vt, inquit, sunt monstra singula, ita possunt & populi esse mōstrosi, vt qui oculum vnum in fronte habere dicuntur, vel duos in humero, & qui solo halitu viuant carentes ore, & quibus sinistra māma sit muliebris. Cynocephali canino capite latrant, &c. *Apud Hipponem Dyarrhitum est homo lunatas habens plantas, nec tamen in his Creator errauit:* quia spectanda est ratio totius vniuersitatis, non partium tantùm. quod ait de ijs, qui duos oculos haberēt in humeris, referri potest, vt non tam præsentia, quæ coram sunt, quàm quæ post manent, ac futura spectemus. Addit, varia hæc monstrorum genera *in maritima platea Carthaginis musiuo, hoc est vermiculato emblemate depicta fuisse.* Vide pictoris ingenium, qui nō modò admirationi, & ipse videri voluit in rebus miris, sed etiā delectare in rebus horrendis, & elegans esse in deformibus. vidisses depictos non nisi Centauros, Gorgones, Chimæras, Lamias, &c. quanquam in corde impij, quid non monstri depingit Diabolus? iuxta illud: *Posuerunt cor suum in similitudinem picturæ.* platea quoque lata, vbi hęc visuntur, hic Mūdus est. contra cor iusti, quàm pulchras habet rerum species? *Pone me vt signaculum super cor tuum.*

Populi habentes duos oculos in humero typus non præsentia, sed futura spectātiū.

Pictura omnigenum mōstrorū in platea Carthaginis.

5 Negat esse aliquos Antipodas, etiam si terra sit sphęrica, aitq. *Absurdum est aliquos homines ex hoc in illam partem Oceani immensitate traiecta nauigare, ac peruenire potuisse.* Nota: quantum conciperet gaudij nūc Augustinus, si ab Apostolicis viris Xauerio duce immensitatem Oceani prætervectam videret, & fidem etiam in extremo Orbe apud Antipodas disseminatam, qui alter Orbis dici potest, Regnis quamplurimis, & innumeris populis refertissimus.

Ex c. 22. Antipodas nullos esse putabat Augustinus, nec eā partē orbis adiri posse.

6 De Abraham ætate sic disputat. Septuaginta quinq; anni Abraham, quando egressus est de Charra, ex illo computātur, ex quo de igne Chaldæorum liberatus est, nō ex quo natus est; tanquam tunc primò, & verè sit natus. *Ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputatur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum.* hoc ex quorundam sententia. vbi nota, non cōputari inter annos vitæ, nisi eos, quibus obedimus Deo; & natalem quasi diem esse quo nos Deo dicamus, liberati à sæculi periculis. sic apud Romanos si quis putaretur occisus in bello, ac sospes redijsset, mos erat eum tanquam recens infantem natum fascijs cingere, &c. Addit deindè Augustinus notabilem explicationem. *Quod autem Abrahamo iam in Mesopotamia constituto, hoc est iam egresso de terra Chaldęorum, dixit Deus: Exi de terra tua, &c. non vt corpus inde eijceret, quod iam fecerat; sed vt animam euelleret, dicitur; non enim exierat inde animo, sed spe redeundi, & desiderio tenebatur.* Vide vbi posita sit perfectio, scilicet in affectu amputando, & animo à terrenis auellendo, etiam si à re optata absis corpore. audiant religiosi.

Abrahā dies computantur, ex quo de igne Chaldęorū incolumis euasit Deū piè confessus.

Plutar.

Abrahā dictū veniret de terra Chaldęorum, licèt iam egressus, sed affectū intellexit.

7 Exponit illud: *Numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.) Magis mihi videtur promissa posteritas cęlesti felicitate sublimis.* ceterùm hinc Arati, & Eudoxi improbat sētentiam, qui centum stellarum numerum definiunt. nota hoc de S. Ignatio Patriarcha, in cuius tumulo stellæ sunt visæ, nam hoc tanquam omen fuit fœlicitatis cęlestis dandæ Societati, ac posteris suis, iuxta illud: *Dominus Deus multiplicauit vos, & estis hodie, sicut stellæ cęli.* item Brunonis ordo per stellas significatus est Hugoni.

Ex c. 23. Promissionis terra ad veterem patriā pertinebat. Deut. 1.

8 Indicat, quid significent in sacrificio Abraham columba, & turtur indiuisa, secùs ac alia animantia: *Carnales inter se diuiduntur, spiritales nullo modo, siue à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant, vt turtur; siuè inter illas degant, vt columba.* nota duplex genus spiritalium; alterum cōtemplatiuum, alterum actuosum, vtrūq; concors, vtrumq; ad Dei sacrificium sine diuisione pertinet. turtur solitaria auis est, columba domestica. quid si vtriusq; vitæ perfectio simul cōiungatur, vt in quibusdā religiosorum familijs? quid præclarius?

Ex c. 24. Turtur cōtemplatiuæ vitæ typus columba actiuę ambæ indiuisā.

9 Abrahamum ait, non ad libidinem, sed ad prolem accepisse ancillam Agar, ipsa vxore Sara lubente, & volente. tum sic. *O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.* elegans locus ab alliteratione, & simul ab opposito. vide vt sinistrè sentire de nemine debeamus.

Ex c. 25. Nihil in sinistram partē accipiendū.

10 De Isaac iusso sacrificari sic. *Nunquā sanè crederet Abraham, quod victimis Deus delectetur humanis; quanquam diuino intonāte præcepto obediendum sit, non disputandum.* nota de vera obedientia simpliciter exequenda, non rationes inquirendo. hoc & noster Ignatius inculcat: sicut in rebus fidei, inquit. pulchrè autem dictum. *intonante diui-*

In obediēdo nō est disputandum. Obedientiæ iussio tonitrui cōparata.

diuino praecepto : quippe quemadmodum ceruæ tonitru, ita nos iussu parturimus: *Vox Domini obstetricantis ceruas*.

11 Exponit illud de Rebecca: *Gestiebāt gemini adhuc in vtero eius inclusi*. nota, sic legit, quod vulgata *collidebantur*, & septuaginta, calcitrabant, Aquila confringebantur, Symmacus ἐπλέαζον, idest in similitudinem nauis in superficie ferebantur: ex quo collige quod à Plinio dictum est, nos ex vtero matris in huius terræ littus tanquam è naufragio eiectos appellere. gestire autem est gestu aliquid indicare, sicut illi discordiam.

Ex c. 36. Lucta Iacob, & Esau in vtero per gesticulationem facta.

12 *Ecce odor filij mei tanquam odor agri pleni, &c.) Odore nominis Christi, sicut ager, Mundus impletur. eius benedictio est de rore cœli, hoc est de verborum pluuia diuinorum; & de vbertate terræ, hoc est de congregatione populorum. eius est multitudo frumenti, & vini, hoc est multitudo, quam colligit frumentum, & vinum in Sacramento corporis, & sanguinis eius*. pulcher locus de Societate Iesu, qui eius nominis odore, atque fragrantia & virtutū impleuit Orbem, vt dicere possimus humiliter: *Christi bonus odor sumus in omni loco*. item ros cœli prędicatio cęlestis est, & vbertas terræ, fructus in tot populis; idq; maximè prouenit ex frequentatione Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, quæ per nostros inducta in primis est.

Ex c. 37. Odore nominis Christi Orbis velut ager impletus.

Societas Iesu fragrās odore eius nominis.

13 Prophetias ceteras de Christo interpretatur. *Vnus, & idem Iacob benedictus, & claudus: benedictus in eis, qui in Christum crediderunt; atque in infidelibus claudus, vt prædictum est in psalmo. Claudicauerunt in semitis suis*. huc refer illud de iustis: *ponet pedes meos quasi ceruorum*. & de Christi aduētu dicitur: *tūc saliet quasi ceruus claudus*: de infidelibus conuersis, & velocissimis subitò factis etiam ad martyrium.

Ex c. 39. Infideles conuersi ex laudis cerui effectu.

14 Adnotat illum locum. *Alligans ad vitem pallium suum, & cilicio pullum asinæ suæ*. nota, sic legit quod vulgata, *ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ò fili mi, asinam suam*. cilicium autem ad mortificationem corporis pertinet, quæ in primis sustinetur ob Christi passionem. nisi fortè scriptum sit cilicium pro helicio; nam septuaginta vertunt; ad helicem idest capreolum, vitis, seu hederæ species illa sit; tum illud interpretatur: *ex germinatione, fili mi, ascendisti; recumbens dormisti, vt leo, &c.* sic legit. vbi vulgata, *ad prædam*, & sic exponit: *ipsum genus mortis, hoc est sublimitas crucis in eo intelligitur, quod ait, ascendisti*. rectè, nam & ideo crux illa pro curru item illi fuit: *& quadrigæ tuæ saluatio*. rectè quoque ex germinatione ascendit crucem, tanquam sic Ecclesiæ ager eius sanguine irrigatus germinarit. Denique alludens ad Eucharistiam: *lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum, & fului oculi eius à vino: hoc est spiritales eius inebriati sunt poculo, de quo canit psalmus; calix tuus inebrians quàm præclarus est*. pulchrè interpretatur: nam qui cernit sinceris oculis fidei hoc Sacramentum, ebrietate quadam charitatis exæstuat. certè in oculis inter ceteras vna est, quæ vuea dicitur, tunica.

Ex c. 40.

Ebrietas diuinæ charitatis in Eucharistia per oculos fidei.

15 Quandam Mundi ætatem facit, vt *à Noe ad Abraham fuerit quasi pueritia populi Dei, ab Abraham vsque ad Dauid, adolescentia; deindè vsque ad Christum iuuentus*. Vide, in quo primum robur accipere, & adolescere cœpit religio; in Abrahamo propter obedientiam, sed a sanguine Christi maximas vires accepit. quantus ille vigor spiritus in Martyribus? quantæ in religiosis perfectæ virtutis indicia?

Ex c. 41. Mundi ætates circa Dei cultum.

Ex Libro XVII. de Ciuitate Dei.

1 Exponit illud de Sacerdotio nouæ legis: *& erit qui superauerit de domo tua, veniet adorare ei obolo argenti.) Cui adorare, nisi summo illi Sacerdoti, qui & Deus est? neque enim in illo veteri Sacerdotio veniebant, vt Sacerdotem adorarent. quid est autem obolo argenti, nisi breuitate verbi fidei, de quo dicitur: Verbum consummās, & breuians faciet Dominus super terram. quid ergo dicit iste, qui venit adorare Sacerdoti Dei, & Sacerdoti Deo? iacta me in vnam partem Sacerdotij tui, manducare panem. Nolo in patrum meorum collocari honore, qui nullus est, sed quantulumcumque membrum esse cupio Sacerdotij tui, & manducare panem, de quo dicitur: panis, quem ego dedero, caro mea est pro Mundi vita. breuis est ista confessio, & humilis: iacta me, &c. ipsa est obolus argenti*. nota pulchrè de desiderio Sacerdotij, cum humilitate capessendi, de quo supra dixerat: *dedi domui patris tui, idest Aaronis, omnia quæ sunt ignis filiorum Israel in escam*, idest victimas; sed referri hic ignis potest ad ardorem charitatis in hoc sacrificio. acutè autem interpretatur illud de obolo argenti, parua moneta ad speciem, sed speciosa simul, & sonora. certè fides grano minimo sinapis comparatur, sed habet acrimoniam.

1. Reg. c. 12.

Rom 11.

Sacerdotium cum magna charitate, & humilitate suscipiēdū.

2 Multa in psalmis ait non competere Salomoni, sed Christo, vt cùm domus eius dicitur fidelis; at idola coluit. item *notum est quibus terminis conclusum fuerit regnum Salomonis, & tamen dicitur: dominabitur à mari vsq; ad mare, &c.* Psalmi autem omnes putantur esse Dauid, licet alijs nominibus titulos aliquando habeant, nam hoc ad mysterium refertur; & quanquam quidam postea fuerint, potuit eos præuidere, *sicut Rex Iosias exoriturus, & regnaturus post annos amplius, quàm trecentos, cuidam prophetæ*

Ex c. 42. Psalmi omnes putātur Dauid.

Ex c. 43. Iosias nominatim multo ante prædictus.

cum

3.Reg.13. *cum ſuo nomine reuelatus eſt.* Tum exponit Pſalmum: *Eructauit cor meum verbum bonũ.* de Chriſto, & Eccleſia, poſtremò cõcludit. *Cum igitur huic Reginæ Ciuitati Dei tantò ante prædictum ſit, quod videmus impletum: pro patribus tuis, &c. proculdubio quidquid tropicis loquutionibus ſubobſcurè dictum eſt, debet his conuenire.* eleganter, ac pulchrè Reginã vocat Dei Ciuitatem numinis maieſtate, cuius eſt ſponſa, & ipſa Ciuitas verius, quã quod de veter; Roma dictum, Ciuitas Regum eſt.

Ex c.44. Ciuitas Dei regina eſt.

Ex c.45. Eccleſ.10. 3 Exponit illud Eccleſiaſt. *Væ tibi terra, cuius Rex eſt adoleſcens.) Adoleſcentem dicit diabolum propter ſuperbiam, & temeritatem, & alia vitia eius ætatis.* Notabilis interpretatio: loquitur de terrena Ciuitate. addo diabolum item adoleſcentem dici poſſe, quia in robore, & vigore ſemper eſt ad nocendum; quanquam ex fraudum experimentis, vetuſtiſſimus. vide igitur quanto in timore ſint oportet adoleſcentes, quibus cum Diabolo tanta cognatio eſt vel in nomine, vel in vitijs eius ætatis.

Diabolus cur dicatur à ſcriptura adoleſcens.

Ex Libro VIII. de Ciuitate Dei.

1 Temporum rationes ſupputat noſtrorum, & exterorum. *Natus eſt Abraham, regnante Nino, qui ſolos Orientis Indos nõ ſubegit, quos aggreſſa eſt Semiramis. cũ autem Abraham egreſſus eſt de Babylone, regnabat filius Nini, qui ſucceſſit Semiramidi matri. apud Sycionios regnabat Telexion, qui ob manſuetudinem Deus eſt habitus.* Vide quã propria Dei manſuetudo ſit, vt propter hanc ille diuinis honoribus putatus ſit dignus. Eſt & Regis maximè propria virtus iuxta illud: *proſperè procede, & regna, propter manſuetudinem, &c.* Nota etiam de Nino, qui cùm tot populos ſubiugaſſet imperio, *Solos Orientis Indos non ſubegit.* adeò hi iam tum refractarij, & indomabiles videbantur. facit hoc plurimum ad laudem S. Thomæ Apoſtoli, & Xauerij noſtri, qui *Orientis Indos* etiam vltimos, barbarie, & crudelitate inſignes Chriſtianæ fidei iugo ſubiecerunt inermes.

SS. Thomę, & Xauerij laus ob domitos Indos, quod non potuit Ninus.

Manſuetudo regem inter Deos poſuit.

2 Pergit ad alios. *Regnante primo Argiuorum rege Inacbo, Deus loquutus eſt ad Iſaac. eius filia Io fuit, quæ poſtea Iſis appellata, vt magna Dea culta eſt in Aegypto. quamuis alij ſcribant ex Aethiopia veniſſe in Aegyptum Reginam, & quod latè iuſtèq; imperauit, eiſq; multa commoda, & litteras inſtituerit, hunc honorem illi habitum eſſe diuinum, & poſt mortem tantum honorem, vt capitale eſſet, ſi quis eam fuiſſe hominem diceret.* Vide quanti ſemper habita ſit beneficentia. deindè confer Iſidem cum Tereſia magiſtra virtutis, &c. præterea *his temporibus Græcia ſub Phoroneo Argolico Rege, legum, & iudiciorũ quibuſdam clarior facta eſt inſtitutis. Phegius tamen frater huius Phoronei iunior cum eſſet mortuus, ad eius ſepulchrum templum eſt conſtitutum, in quo coleretur vt Deus, & ei boues immolarentur. credo honore tanto ideò dignum putatum, quia in regni ſui parte (pater quippe loca ambobus diſtribuerat, in quibus eo viuente regnarent) iſte ſacella conſtituerat ad colendos Deos.* Nota in iuniore pietatẽ, licèt ſuperſtitiosè, & vide quid aſſequutus ſit ex cultu diuino, ſcilicet vt, & ipſe Deus haberetur: quod ſuo modo præſtat Deus Sãctis ſuis, qui ipſum honorarunt in terris. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi.* ſimul & illud nota, patris ſcilicet pietatem in filios, qui etiam viuens voluit ſecum regnare filios.

Iſis ob literas introductas Dea habita.

Iſidi Tereſia prælata.

Phegius ob cultũ Deorum introductũ, & ipſe Deus habitus.

3 Iacob tempore Apim, ſeu Serapim in templis, cum Iſide cultũ dicit in Aegypto, capitale autem erat eum Deum non dicere. *In omnibus ferè templis, vbi colebatur Iſis, & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labijs impreſſo admonere videretur, vt ſilentiũ fieret; hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, vt homines eos fuiſſe taceretur.* Nota. erat illud ſimulacrum Harpocratis; Apis colebatur in boue, quo mortuo alium ſimilem quærebant alba macula, inſtar lunæ creſcentis in latere, aut fronte inſignitum, ceterùm nigrum; in tergo erat effigies aquilæ, in lingua nodus; ludebat in thalamo templi ornatiſſimo, vt ait Strabo, & per lictores turba ſubmouebatur, vt fit Regibus. facile autem fuit dęmoni ſimilem ex prægnante vacca educere: Apim, ſeu Serapim putatum fuiſſe Ioſephum quidam dicunt, vt frumenti prouiſorem, nam modium capite ferebat. Diodorus Serapim eundem facit cum Pane. Vide primùm aſtutiam Diaboli per Harpocratis ſimulacrum iubẽdo, vt tacerẽt Sacerdotes miniſtri apud populum patefacere Deos, quos colerent, fuiſſe mortales, ita decipiebat: ita agit & in Mundo, quem quaſi felicitatis typum proponit, tegens eius vitia, & miſerias. Tũ nota, & figuram, & cultum Api boui exhibitum, quem honorem ut fugeret Ioſeph, oſſa ſua ex Aegypto transferri moriens iuſſit.

Harpocratis ſimulacrũ in templo tacere iubens Deos fuiſſe mortales.

Apis bouis effigies, & cultus qui & Ioſepho exhibitus.

Herodorus, & Valerianus.

4 De Moſis contemporaneis ſic. Moſes natus eſt ſub quarto decimo Aſſyriorũ Rege Saphro, & Sycioniorum duodecimo Ortopoli. & *His regnantibus fuiſſe à quibuſdam dicitur Prometheus, quem proptcrea ferunt de luto formaſſe hominem, quia optimus ſapientiæ doctor fuiſſe perhibetur. frater eius Atlas magnus fuiſſe Aſtrologus dicitur, vndè occaſionem fabula inuenit, vt eum cœlum portare confingeret. præterea vſque ad Cecropem Regem Athenienſium, quo regnante Deus per Moſem eduxit ex Aegypto populum ſuum, relati ſunt aliquot in Deorum numerum, cæca, & va-*

Prometheus, & Atlas fratres ſuppares Moſi, & Aaroni

Ex c.46. Moſes ſub Cecrope rege Athenienſium.

& vana superstitione Græcorum. Nota inuidiam diaboli, qui, cum per Mosem Deus verus coli cœpit nouis ritibus diligentius, ipse conatus est inducere mendaces Deos, & falsos. ceterùm Moses magis quàm Prometheus finxit, hoc est instituit hominem per leges sanctissimas; & Aaron frater, Atlantis instar, in humeris sustinuit duos lapides pretiosos, duorum hemisphæriorũ symbola; immò in veste eius poderis intextus erat Orbis terrarum totus. Cecropi etiam, quem biformem ob sapientiam fecerunt, Mosem sapientissimum oppone. Addit: *His temporibus etiam Mercurius fuisse perhibetur nepos Atlantis, multarum antè artium peritus claruit, posterior fuit Hercules; Minerua verò longè antiquior; nam temporibus Ogygis, ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali fertur apparuisse ætate, multorum sanè operum inuentrix.* Nota Mineruam, quæ sola virgo dicitur, ad lacum inuentam. Ignatius ad lacũ se libidinoso iuueni opponit, virginitatis defensor & veræ sapientiæ dux.

Mercurius nepos Atlantis suppar Mosi.

5 De Athenarum Vrbe sic. *Athenæ; illa Ciuitas mater, ac nutrix liberalium disciplinarum, ac tot tantorumque philosophorum, qua nihil habuit Græcia clarius, atq; nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite Deorum suorum, Athenas nomen accepit, & de victoria per fœminas fœminea, & à victo læsa ipsa victricis victoriam punire compulsa est, plus aquas Neptuni, quàm Mineruæ arma formidãs; nam in mulieribus, quæ sic punitæ sunt, & Minerua, quæ vicerat, victa est, &c.* Nota lepidè irrisam fabulam, & vide vt diabolus Atheniensibus maximè illuserit, qui se sapientes profitebantur, litem illam de eius Vrbis fundatione inter Deos fingens.

Ex Cap. 9.

Diabolus Athenis, in primis illusit, sapientiam profitentibus.

6 De Areopago Varronis sententiam refert; negat enim ideò à Marte dictum, qa Ἄρης dicitur Mars. *Quòd cũ homicidij reus fieret, iudicantibus 12 Dijs, in eo pago sex sententijs absolutus sit; nec minus hoc falsum dicit, quàm quod de tribus Deab⁹, Iunone, Minerua, & Venere, quæ pro malo aureo adipiscendo apud Iudicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur, & ad placandos ludis Deos inter theatricos plausus cantantur, atque saltantur.* Nota, nam iuxta ipsorum opinionem de Marte ibi in iudicium vocato, aptè Paulus in eodem Areopago de iudicio disseruit. *Statuit diem, in quo iudicaturus est Orbem in æquitate, &c.* de quo etiam dicitur. *in medio autem Deos diiudicat*, hoc est ipsos iustos: ac si iudices Areopagitæ tam seuerè iudicarunt in tenebris, ne personarum rationem haberent, quid de Deo iudice putarent? ideò nonnulli territi crediderunt. illa verò lite de pulchritudine inter Deas quid deformius?

Ex Cap. 12.

Areopagus vnde dictus iudicij locus.

Act. 17.

7 Pergit in Synchronologia. *Per hæc tẽpora, idest à b exitu Israel ex Aegypto vsque ad mortem Iosue, Dionysium, qui etiam Liber pater est dictus, vitem ferunt ostendisse in Attica terra hospiti suo; tunc Apollini Delphico instituti sunt ludi musici, vt placaretur ira eius, qua putabant afflictas esse sterilitate Græciæ regiones.* Vide, vt hæc tempora, quibus cultus diuinus amplificabatur per Mosen, & Iosue, &c. dæmon Bacchicis orgijs inquinare conatus sit, vt falsos Deos facere t auctores bonorum, & malorum. vbi nota musicis instrumentis irám numinis placare conatos, quod illi potius orationis, morũque concentu agendum docebant.

Mosis, & Iosue tẽpore Bacchi orgia celebrata.

8 De Hercule sic. *Tunc Herculem, cuius ingentia duodecim facta numerantur, in Oetha monte à seipso incensum produnt, cum ea virtute, qua monstra subegerat, morbum tamen, quo languebat, sustinere non posset.* Vide, quàm difficilè sit ægritudinem ferre, vt non nisi diuina vi, non propria superari possit, vel herculea.

Quam difficilè sit patientia superare morbum.

9 Erichthonij fabulam narrat, quem Vulcani, & Mineruæ filium dicunt, licèt hæc dicatur virgo, sed doctiores aiũt hinc fabulam ortam. *Quod in templo Vulcani, & Mineruæ, quod ambo vnum habebant Athenis, expositus inuentus est puer, dracone inuolutus, qui eum significauit magnum futurum; & propter commune templum, cum essent parentes ignoti, Vulcani, & Mineruæ dictum esse filium.* Nota morem proijciendi nothos, vel egenos infantes in templa, & eos Dijs commendandi: quantò religiosius, ac sanctius illud Dauidicũ mysticè dictum. *In te proiectus sũ ex vtero, &c.* Tũ irridet eos, qui hæc excusant quasi allegorica. *Quoniam ludos Dijs ipsis poscentibus exhibent, vbi turpiter aguntur, quæ velnt sapienter negantur, & his falsis, & turpibus Dij placantur, vbi, & si fabula cantat crimen numinum falsum, delectari tamen falso crimine est verum.* acutè hoc extremum dictum ex antithesi, quod etiam referri potest ad lectionem obscœnorum poetarum multa in hoc genere fingentium: in re minimè vera dãnũ verũ.

Mos proijciendi infantes inopes in templo.

Delectatio de re falsa vt fabula verũ crimen est.

10 Quæ post Iosue mortem sub Iudicibus euenisse fabulosè dicuntur, commemorat. *His temporibus fabulæ fictæ sunt de Triptolemo, quod anguibus portatus alitibus iubente Cerere, egentibus terris frumenta volando contulerit; de Minotauro, quod bestia fuerit inclusa labyrintho; de Centauris, de Cerbero, de Phryxo, & Helle eius sorore; de Gorgine, quod fuerit crinita serpentibus, & aspicientes conuertebat in lapides; de Bellerophonte, quod equo volante sit vectus; de Amphione, quod citharæ suauitate lapides mulserit, & attraxerit; de falso Dædali, & Icari volatu; de Oedipo, quod Sphinga monstrum humana facie quadrupes soluta quæstione, suo præcipitio perire compulerit; de Antheo, quem necauit Hercules, quod filius terræ fuerit, propter quod cadens in terra fortior soleret assurgere.* item de Ioue verso in aureum imbrem ob Danaen,

Ioui in pluuium aurum verso oppositus S. Nicolaus Myræ Episc.

naen. *vbi intelligitur pudicitia mulieris auro fuisse corrupta.* rectè fabulam interpretatur. contra Nicolaus Myræ Episcopus aurum per fenestram proiecit, ne pudicitia puellarum venalis fieret auro procorum. ex dictis nonnulla traduci possunt ad spiritalia, vt de Triptolemo, *qui frumenta volando contulit*, ad Xauerij prædicationem; qui etiam Eucharisticum frumentum distribuens in sacris, visus est è terra elauatus. illud quoq; ad vtile sensum refer de Antheo terrigena: quandiu enim Deo, qui nos genuit, adheremus, nihil nobis oberit: Addit. *His temporibus Latona peperit Apollinem, nō illum, cuius Oracula consulebant, sed quem cū Hercule ferunt Admeti regis armenta pauisse tunc & Liber pater bellauit in India, Bacchas secum ferens, non tam virtute nobiles, quàm furore. nonnulli à Perseo hunc occisum scribūt, & tamen eius velut Dei nomine per immundos Dæmones Bacchanalia sacra, vel potius sacrilegia sunt instituta, de quorum turpitudine postea sic Senatus erubuit, vt in vrbe Roma esse probiberet.* Vide originem, & indignitatem Bacchanalium, quorum vestigia nec dum apud Christianos deleta sunt omnia. Addit. *Per ea tempora Perseum, & vxorem eius Andromedam in cœlos receptos esse crediderunt, vt imagines Deorum stellis designare, ac nominibus appellare non erubescerent.* refer hæc dignius ad Sāctorum apotheosin post multa strenuè gesta, & Deiparæ assumptionem. Libero autem Indiam debellanti oppone Xauerium Indiarum Apostolum, sobrium mente, sed ebrium Deo.

Triptolemo Xauerius comparatus, & Baccho Indiç domitori prælatus.

Andromedæ in cœlum receptæ Deipara prælata.

11 Item de Iudicum temporibus sic. *Per idem tempus extiterunt poetæ, qui Theologi dicti sunt, quoniam de Dijs carmina faciebant, è quorū numero Orpheus, Musæus, Linus; Orpheum autem infernis sacris, vel potius sacrilegijs præfecerunt.* Vide insaniam Ethnicæ Theologiæ. Nota tamen quam in rem primi Ethnici poetæ carmina fuderint, in Deorum laudes; nunc nonnulli ex Christianis in hominum, ac mulierū obscœnitates: illi Theologi dicti; hi Theomachi dicendi.

Primi poetæ Theologi dicti inter ethnici.

12 Præter hæc. *Saturni filius Picus Laurenti regnum primus accepit, iudicante apud Hebræos fœmina Debbora; sed per illam Dei spiritus id agebat; nam & prophetissa erat. sūt qui Pici patrem Stercen, siue Stercutium potius fuisse asseuerent, à quo inuentum ferunt, vt limo animalium fœcundarentur agri. porrò Picus Faunum genuit.* Nota veterum Deorum fœditatem, & vilitatem, quo tempore purissimus Dei spiritus Debboram afflabat. Debbora hebraicè dicitur Apis, quid in volatibus vtilius? Picus rex Latinorum in auem strepentem Picum à Circe mutatū ferunt, quid molestius? re vera Debbora prophetissa fuit, & Picus vanus augur, auiū volatu stultè diuinans.

Debboræ prophetissæ synchronus Picus augur.

13 Refert cetera commenta Græcorum. *Troia euersa, Diomedem fecerunt Deum, quem poena irrogata perhibent ad suos non reuertisse, eiusque socios in volucres fuisse conuersos, templum eius esse, aiunt in insula Diomedæa non longè à monte Gargano, qui est in Apulia, & hoc templum circum volare, atque incolere has alites tam mirabili obsequio, vt rostrum aqua impleant, & aspergant; & eò si Græci venerint, non solùm quietas esse, sed & adulari; si autem alienigenas viderint, subuolare ad capita, tamque grauibus ictibus, vt etiam perimant, vulnerare; nam duris, & grandibus rostris ad hac prælia videntur armatæ.* Nota, cur Archangelus Michael Cœlestiū alitum princeps templum sibi in Gargano monte elegerit, vt has superstiones, & sine dubio dæmonum, vt mox ait, fraudes aboleret ipse armatus in aerias Potestates cū socijs multò fortius, & acrius. quod autem ait de Diomedæis auibus fuisse velut adulatrices Græcis, & infēsas aduenis, refer ad dæmones, ac Mundum, iuxta illud. *Si de Mundo essetis, Mundus quod suum est, diligeret nunc autem quia de Mundo non estis, odit vos Mundus.*

Diomedis aues apud Garganum montem p Michaele superstitione nūc liberum.

14 Trānsit ad transformationes hominum. *Hoc Varro vt astruat, commemorat alia non minus incredibilia, de maga illa famosissima Circe, quæ Vlyssis socios mutauit in bestias; & de Arcadibus, qui forte ducti transnatabāt quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta viuebant; si vero carne non vescerentur humana, rursus post nouem annos, eodem renatato stagno, reformabātur in homines; & nominatim expressit quendam, qui cum gustasset de sacrificio, quod Arcades immolato puero, Deo suo Lycæo facere solerent, in lupum fuisse mutatum, & anno decimo in figuram propriam restitutum, in pugillatu Olympiaco vicisse certamine.* hinc Pana, & Iouem Lycæos dictos ait: vbi illud ad mores refer; si quis dum punitur à Deo aliqua aduersitate rectè se gerit, nec male agit, relictis prauis moribus, & Deum parsurū, vt Nabucdonosor accidit. simul aduerte quid putarint ipsi gentiles; malos, ac scelectos belluas potius esse, quàm homines. refer & ad Herodis lupinam rabiem ob pueros innocentes occisos. Est autem notabile illud de Arcadibus, qui in lupos per magiā versi, per ieiunium, hoc est per carnis abstinentiam restituebantur in pristinā terram, quod peccatori potius per pœnitentiam, & abstinentiam accidit.

Ex cap. 17.

Arcades per magiam transformati in lupos per ieiunium restituti.

Sanguinē occisi pueri lingens in lupum versus verius de Herode.

15 Ostendit, cur permittat Deus dæmones facere quædam mira in magijs, &c. *Quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum? quod ita intelligitur, vt de huius seculi ciuitate, quæ profectò, & Angelorum, & hominum societas impiorum est, fidei passibus, quæ per dilectionem operatur, in Deum viuum profi-*

Cur Deus permittat Magos alijs nocere.

proficiendo fugiamus, quantò quippè in hac ima potestatem dæmonum maiorem videmus, tantò tenacius mediatori est inhærendum. Nota rationem; vt enim nos Deus à terrenis, vbi hæ fallaciæ dæmonum, & malorum sunt, ad cœlestia, & ad se traducat, hæc fieri finit. exempla affert huiusmodi transformationum. *& nos cum essemus in Italia audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dicebant, quibus vellent, seu possent, viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent; nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque seruari: sicut Apuleius sibi accidisse, vt accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut indicauit, aut finxit.* Negat autem hæc sine permissione Dei fieri; nec dæmones, aut animas, aut corporis ipsius figurā transmutare possunt, sed hæc secūdū phātasiam accidere, vt fit in somnis; *nam quidam nomine Præstantius patri suo sibi contigisse indicabat, vt venenum illud per caseum in domo sua sumeret, & iaceret in lecto quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. post aliquot autem dies eum velut euigilasse dicebat, & quasi somnia enarrasse, quæ passus est: caballum se scilicet factum, annonam inter alia iumenta baiulasse militibus, quæ dicitur retica, quoniā ad retia deportatur. quod ita, vt narrauit, factum fuisse compertum est, quæ tamen ei sua somnia videbantur.* ea onera portata à dæmonibus dicit. Diomedeas item aues ab his pro socijs Vlyssis suppositas, sicut ceruam loco Iphigeniæ; & quod illæ aues agunt in templo, etiam dæmonū opera fieri, vt Diomedes credatur Deus.

Augustini tempore mulieres per offam casei transmutantes in lupos sed imaginarie.

16 Pergit ad cetera. *Regnauit Aeneas post Latinum tribus annis. Hebræorum iudex erat Samson, qui cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules.* Nota, vterque mulierum fraudes expertus, & Samson, & Hercules: sed alter mysticè, & hic quidem viriliter obijt. columnæ quasi laborum meta vtrique fuerunt, licet diuerso modo: sed fortior hic, qui manu concussit, atque euertit, quàm qui tantum collocauit. & illi quidem leo occisus inter labores numeratur, huic inter voluptates, nam ex leonis occisi ore mel hausit. immò vero quātò fortior Samson? qui non Vulcanijs armis, sed iumenti mandibula hostiles copias fudit.

Samson Hebræis id quod Græcis Hercules. vterque collatus.

Samson contemporaneus Aeneæ.

17 Ad hæc. *Per idem tempus Codrus rex Athæniensium Peloponensibus hostibus se interficiendum ignotus obiecit. hoc modo prædicant eum patriam liberasse: responsum enim illi acceperant, tunc demum se superaturos, si eorum regem non occidissent. fefellit ergo eos habitu pauperis apparendo, & in suam necem per iurgia prouocando; & hunc tanquā Deum Athenienses sacrificiorum honore coluerunt.* Vide quanti pietas etiam apud Gentiles sit æstimata: nempè propria Dei est beneficentia quid de vero Dei filio Christo? de quo alterum verè dictum: *Habitu pauperis apparendo.* alterum non item; nam non solùm non prouocauit Iudęos iurgijs, sed beneficijs, per miracula multa de ijs benemereri conatus.

Codrus habitu pauperis se deuouit & pro Deo habitus. cum Christo confertur.

18 Dauidis tempore Atheniensium cœpisse rempublicam dicit, sublato regum nomine. *Salomonis autem tempore, qui templum illud nobilissimum Dei Hierolymis condidit, apud Latinos condita est Alba.* Cōfer augustissimi delubri ædificationem cum Albana Vrbe, quæ sordido porcæ omine fundata dicitur. confer Dauidis sapientiam diuinitus haustam, & eius regni administrationem præclaram cum politia Atheniensium, superstitionibus plena. & hi quidem falso sapientiam iactabāt, de illo verò dicitur: *Dauid sedens in cathedra sapientissimus.*

Templum Salomonis erectū cum Alba condita.

19 Romulus, vel à lupa, vel à meretrice altus. *Meretrices enim lupas vocabant vnde & lupanar dictum. Item volunt Rheam siue Iliam Vestalem virginem de Marte genitos concepisse, isto modo stuprum honorantes, vel excusantes; & ideò lupam admonisse vbera paruulis, quia filios Martis agnouit.* Vide libidinum fraudes in flagitio tegendo, immò honorando. rectè autem lupæ dictæ meretrices, quippè insidiantur innocentiæ adolescentium quasi ouium. hinc illud: *Ne de animam tuam crudeli.*

Meretrices lupæ dictæ.

20 Comparat regnum Assyriorum cū Romano; Nino facile fuit Asiam subiugare, exceptâ India, cum adhuc rudes essent bellandi homines, mille annis post diluuium. *Roma verò tot gentes, & Orientis, & Occidentis non ea celeritate, ac facilitate perdomuit, quoniam paulatim crescendo robustas eas, & bellicosas, quaque versum dilatabatur, inuenit.* hinc nouæ Romæ maius robur, ac virtus apparet; quæ nationes omnes quātumuis asperas non paulatim, sed statim subegit, immò Indiam, vt fecit per Apostolum S. Thomam, & Xauerium nostrum.

Vetus Roma paulatim gētes domuit noua statim.

21 Item de Roma sic. *Tempore quo Roma condita est, rex erat in Iuda Achaz, vel sicut alij computant, Ezechias.* Nota iuxta primam sententiam, nam tunc Achaz datū oraculum de incarnatione Verbi Dei. *Ecce Virgo concipiet, &c.* cum Roma religionis sedes, & solium futura condebatur: ita veluti regia domino, qui promittebatur nasciturus, parabatur. si verò Ezechiæ tempore condita est, cum is acerrimus idolorum destructor fuerit, & maximè pius; præclaro omine fundata est de veri Dei religione, cuius futura erat princeps, & magistra.

Roma cōdita sub Achaz vel Ezechia, auspicato.

22 Pergit ad Achaz, & Ezecchiæ tempora. *Eodem tempore nonnulli Sibyllam Erythræam*

thræam vaticinatam ferunt, quæ de Christo quædam manifesta conscripsit, vir clarissimus Flauianus Proconsul ostendit quodam loco in capitibus versuum græcè ordinem literarum ita se habentem, vt hæc in eo, verba legerentur: Ἰησοῦς Χρειστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ; *hoc est Iesus Christus Dei filius Saluator; horum autem græcorũ quinque verborum, si primas literas iungas, erit* ἰχθὺς, *idest piscis, in quo nomine mysticè intelligitur Christus, eò quod in huius mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate viuus, hoc est sine peccato esse potuerit.* Nota mysterium, & certè piscis instar afflatus in cruce, & piscis instar obmutuit in passione adeò vt præses hoc supra omnia *admiraretur vehementer.* & de asso pisce post resurrectionem comedit, se significans. Tum affert carmina Sibyllæ, vbi nota versum illũ. *Iudicij signo tellus sudore madescet.* adeo illud metuendum est, neq; enim mirum cur Christus cruento sudore maduerit, sistens se patri peccatoris forma. Addit ex Lactãtio alia carmina Sibyllæ de Christo, & primo loco hoc ponit. *In manus iniquas infidelium postea veniet, & dabunt Deo alapas manibus incestis, & impurato ore expuent venenatos sputus, & colaphos accipiens tacebit.* Vide vt primo loco hoc, & iterum exaggeret de alapis, & colaphis in faciẽ impactis, quod & Iobo horrendum est visum. *tetendit manum contra omnipotentem, &c.* Nota & de sputis, quæ venenata vocat ab rabiẽ velutis serpentinam. rectè dicũtur *genimina viperarũ.* pergit. *Dabit ad verbera simpliciter sanctum dorsum.* & hoc indignissimum, nam ait. *Portabam eos in humeris meis.* tum Iudæos exagitat. *Deum tuum spinis coronasti; & horridum fel miscuisti.* vide vt fel horridum appellet. immò hoc repetit, vt maximè impium. *ad cibum fel, ad sitim acetum dederunt.* Dicit autem hanc Sibyllam à nonnullis referri ad Troiana tempora non Romuli. Porrò si vaticinata est sub Romulo, opportunè dum Roma fundabatur, de Christo oraculum datum, cuius religio ibi regiã habitura erat, & sub Achaz, cui dictum. *Ecce virgo concipiet.* rectè per Sibyllam virginem Christus e virgine prędictus.

Sibylla de Christo vaticinãs sub Achaz.

Primæ literæ carminis Sibyllini de Christo eum piscẽ significãt.

In iudicio telluris sudor erumpens.

Sibylla alapã Christo impactam bis exaggerat.

Sibylla vocat sputa venenata Christo iniecta

Fel Christo datum Sibylla horridum appellat, & iterum inculcat.

23 De captiuitatis Chaldeæ tempore sic. Romulus per id tempus habitus est Deus, Numa non item. *Qui Deorum tãtum numerum induxit constipans, vt locum ipse reperire non potuerit.* Acutè, ac lepidè carpit Numam, & deridet quasi sibi nocuerit Deorum multitudinem instituẽdo; vt propter infinitum eorum numerum, defuerit sibi locus. subiungit. *Hoc regnante Romæ, & apud Hebræos initio regni Manassæ, à quo impio Rege Esaias perhibetur occisus, Samiam fuisse Sibyllam ferunt.* Vide vt Numæ superstitioni, & Deorum turbæ Deus opposuerit Esaiam veræ diuinitatis propugnatorem: immò etiam Sibyllæ de vno, ac vero Deo vaticinia: Manassen impium hoc ipso redarguens. Addo ex Eusebio, Manassen Esaiæ interfectorẽ statuam sibi erexisse quinque facies habentem, qui tamen sic impudens fuerit, vt ne vnã quidem frõtem habere sit visus, sanctissimi vatis, ac sibi sanguine iuncti ausus sanguinem fundere, ac necare serra, diuidendo quem sibi natura iunxerat. quamquam postea pœnitendo resipuit.

Numa tot Deos induxit, vt sibi locũ non reliquerit.

Numæ æquales tẽpore Esaias & Manasse, & Sibylla Samia.

24 Sub Tarquinio Prisco, & Sedecia captiui Iudæi in Babylonem ducti, euersa Hierosolyma, & templo, vt Hieremias prędixit. tunc septem sapientes Gręciæ floruerunt. *Hi sunt Solon Athieniensis, Chilo Lacedæmonius, Periander Corinthius, Cleobolus Lindius, Bias Prianæus:* qui Thaleti, & Pittaco Mitylenæo adduntur. *Item captiuitatis tempore, & Anaximander, & Anaximenes, & Xenophanes physici claruerunt. tunc & Pythagoras, ex quo acceperũt appellari philosophi.* Vide vt Deus ostendere voluerit, vanam ethnicorum esse sapientiã, & veram horum philosophiam, quæ in tolerandis aduersis consistit. exercebantur illi vanis disputationibus; interim Deus hos exercebat vtilibus captiuitatis incommodis.

Septẽ Sapiẽtes tẽpore captiuitatis.

Vera sapiẽtia posita est in tolerãdis aduersis.

25 Prophetæ, deficiente regno Assyriorum, & incipiente Romano, de uocatione gentium cecinerunt. *Per ea tempora isti veluti prophetiæ fontes eruperunt: quando autem ea scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoq; prodesset; tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc Ciuitas, quæ gentibus imperaret.* pulchrè, & acutè, adnotat, opportunè de gentium vocatione prædictiones factas tunc, cum vrbs nationibus dominatura condebatur, & augebatur. itaq; ex eo tempore Roma religioni destinabatur, ac proinde totus Orbis, cuius erat illa caput.

Prophetæ cur sub initium Romani imperij.

26 Esaiæ prophetiam maximè commendat. *Esaias de Christo, & Ecclesia prophetauit multò plura, quàm ceteri; ita vt à quibusdam Euangelista potiùs quàm propheta diceretur, vt cum ait: Annũciabimus corãm illo, vt infans, vt radix in terra sitienti. & mox; Homo in plaga positus, &c.* nota vt vertat illud apertè de infante Christo, quod est in vulgata de germine; & illud, *virum dolorum:* homo in plaga, quasi totus vna esset plaga.

27 Exponit illud Habacuc. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte vmbroso, & condenso) per Austrum significatur meridies, idest feruor charitatis, & splendor veritatis.* per montem vmbrosum, altitudinem scripturę occultè loquentis intelligit. vide vt Christi aduentus charitatis feruorẽ accendere debeat, iuxta illud: *ignem veni mittere in terram.* pergit: *Splendor eius, vt*

lumen

Feruor charitatis ex Christi aduentu.

lumen erit; *Quid est, nisi fama eius credentes illuminabit?* nempe & Orienti ipsi verũ lumen infudit. *Cornua in manibus eius. Quid est, nisi trophęum crucis? & posuit charitatem firmam fortitudinem suam.* præclarè de triumphali crucis victoria, & fortitudine charitatis. *Stetit, & terra commota est. Quid est, nisi quod stetit ad subueniendum, & terra commota est ad credendum?* certè & nostri Ignatij conuersio cum terræ motu domus facta dicitur. *Respexit, & tabuerunt gentes. hoc est, misertus est, & fecit populos pœnitentes.* Vide quid agat, & quãtũ habeat virium diuinus obtutus. Petrus respiciente domino totus extabuit in lacrymas. *Defluxerunt colles æternales. hoc est humiliati sunt ad tempus, vt erigerẽtur in æternum: ingressus æternos eius pro laboribus vidi: hoc est non sine mercede æternitatis laborem charitatis aspexi.* Vide vt breuis labor ingressum ad æternitatẽ quasi clauiger aperiat. *Gentes Aethiopum expauescent, &c. gentes perterritæ nuncio mirabilium tuorum, etiam quæ non sunt in iure Romano, erunt in populo Christiano.* hoc nuper apud Indos factum, qui signis, & miraculis Xauerij cõuersi, in quorum typum Aethiopem ferre humeris sibi visus. *Qui ascendes super equos tuos, & equitatio tua salus. hoc est Euangelistæ tui portabunt te, quia regũtur à te.* pulchrè aurigam ipsum facit Christum; & strenuos equos apostolicos viros. *Intendens intendes arcum tuum super sceptra. hoc est comminaberis iudicium tuum etiam regibus terræ.* Nota quid maximè prædicari debeat, in primis regibus, iudicium, quo vel depicto Bulgarorum rex territus cum suis baptismum accepit. certè huius iudicij arcus regibus præsertim in secundo psalmo intentatur: *& nunc reges intelligite, &c.* pergit: *Fluminibus scindetur terra: hoc est influentibus sermonibus prædicantium aperientur ad confitẽdum hominum corda, quibus dictũ est: Scindite corda vestra.* Vide quid spectet prædicatio. doctrinæ flumine vehementi fertur, & lacrymis, vt ipso impetu corda scindat auditorum: quò etiam spectat quod sequitur. *Viderunt te, & doluerunt, &c. Quid est, videbunt te, & dolebunt populi? nisi vt lugendo sint beati. quid est disperges aquas in incessu? nisi ambulando in ijs, qui te annunciant, hàc atque illàc disperges fluenta doctrinæ.* refer hoc quoque ad Xauerium in primis, qui simul per vepres, & saxa in incultis Indiæ itineribus currendo dispergebat sanguinis fontes è plantis. *Abyssus dedit vocem suam: profunditas cordis. Eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo; hoc est ascendit Christus in cœlum, & ordinata est Ecclesia sub rege suo*: vide ascẽsus Christi vtilitatem, *In lucem iacula tua ibunt, in splendore coruscationis armorum tuorum: dixerat enim suis; Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Nota contra occulta conuenticula hæreticorum. pulchrè autem prædicationem Apostolicam miraculis firmatam vocat iacula cum coruscatione armorum. *In comminatione minorabit terram: idest comminando humiliabis homines.* Vide quid cõcionatori sit agendũ prædicatio non palpando fiat, sed comminando; ità minorabitur terra, idest quod terrenum est, & crescet quod celeste. *Excitasti vincula vsque ad collum; & bona hic possunt intelligi vincula sapientiæ, vt vinciantur pedes in compedes eius, & collum in torquem eius.* egregiè hoc facit pro religiosorum votis, quæ vincla torques gemmatus sint vt is, qui Danieli ob sapientiam datus. nihil igitur in obedientia vile. *Præuidisti in stupore mentis. hoc est vincula; excitauit enim bona, præcidit mala: illud. dirupisti vincula mea; & hoc in stupore mentis, idest mirabiliter.* Vide quàm eximium, & stupendum sit veræ sapientiæ pedes inijcere per religionis ingressum, abiectis sæculi vinculis, quibus non sine stupore soluuntur etiam excellentes viri, vt præter alios, quibus abundant ceteri ordines, Frãciscus Borgias noster ex Duce purpurato, quod alij nobiles, & magnates vehementer admirati sunt, itaq; sequitur. *Capita potentium mouebũtur. in ea scilicet admiratione.* sequitur: *Vt ascendam ad populum peregrinationis meæ. Recedens, vtique à populo maligno, non peregrinante in hac terra, neque supernam patriam requirente.* pro hoc habet vulgata, *accinctum* .s. expeditum in peregrinando, in hac terra non morando. *Gaudebo in Deo salutari meo. Melius mihi videntur quidam codices habere: in Deo Iesu meo, quod nomen est nobis amicius, & dulcius nominare*: præclarè hoc facit pro Societate Iesu. huc refer quod Paulus, vt notat Chrysostomus, etiam paragogicè, & sine sententiæ necessitate hoc nomen Iesu vsurpet. apud Iapones ferunt in omnibus negotijs, actionibus, & sermonibus desinere in Amidę nomen, Dei eius gentis proprij, & hoc mira cum dulcedine. atqui ait Bernardus. *Nomen Iesu mel in ore, melos in auribus, &c.* Deniq; exponit. *Super excelsa imponet me, vt vincam in cantico eius. Ipse vincit in cantico Domini, qui placet in eius laude, non sua: vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Vide vt tunc demum victores declaremur, cum Deum vincentem dicimus, cuius præsidio vincimus. vulgata habet, *deducet me victor in psalmis canentem.* hic legit, *vt vincam.* Sic & Paulus ait. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo.*

28 De antiquitate sacræ doctrinæ agit. *Philosophi nomen cœpit à Samio Pythagora, qui eo tempore, quo Iudæorum soluta est*

Crux in trophęũ cessit.

Charitas fortitudo, & robur Christi, &c.

Æternitas merces laboris temporalis.

Æthiops in figura gẽtilitatis Xauerio apparens.

Apostoli equi, Christus auriga.

Iudicium inculcandum principibus, ac Dynastis.

Cõcionatoris officium cum vehementia agẽdũ.

Nobiles viri religionẽ ingressi in admiratione sũt.

In nostra victoria Deus declarandus est victor.

1. Cor. 1.

Abraham sapientia præuenit omnes sapientes aliarum gentium.

est captiuitas, cœpit excellere, atque cognosci. Socrates post Esdram in chronicis inuenitur. Thales etiam, & ceteri sapientes non ante nostros prophetas, præter Orpheum, Linũ & Musæum; qui poetæ Theologi dicti sunt; sed nec hi ante Mosen; erat tamen ante Mosen in Ægypto aliqua doctrina; nam dicitur ipse *eruditus omni sapientia Ægyptiorum; sed sapientia Ægyptiorum sapientiam prophetarum antecedere potuit; quandoquidẽ, & Abraham propheta fuit.* Isis quidem in Ægypto literas tradidit, quam mortuam, *tanquam Deam magnam colendam putarunt; sed Isis Inachi filia fuit, qui primus regnauit Argiuis, quando Abrahæ iam nepotes repeꝛiuntur exorti:* Vide vt sapientiæ fons apud nostros scaturiat, quem in riuulos deriuatum inquinarunt exteri. lege Clementem Alexandrinum.

29 Pergit in eodem. *Quod attinet ad philosophiam, quæ se docere aliquid profitetur, vnde fiant hominis beati, circa tempora Mercurij, quem trismegistum vocauerunt, in illis terris eiusmodi studia claruerunt; sed tamen post Abraham, &c. eo quippe tempore, quo Moses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus Promethei frater maternus, auus Mercurij maioris, cuius nepos fuit trismegistus iste Mercurius.* supra etiam adnotauimus, Mosen, & Aaronem Atlãtis tempore fuisse, sed ille Orbem sustinere humeris dictus est, Aaron autẽ humeris duos Sardonichas pro duobus hemisphærijs sustinuit. ac Prometheus quidem igne cœlitus accepto dictus est animasse hominem, Moses verius Dei lege, de qua dicitur: *In manu eius ignea lex.* ceterùm de concursu, & cõparatione nostrorum cum exteris, vide nostram Synchronologiã, cum encomijs illustrium virorum veteris instrumenti.

Moses, & Aaron cõtẽporanei Prometheo, & Atlanti.

30 Veterum sapientium errores refert, & discrepantes inter ipsos sententias. *Ac miror, cur Anaxagoras reus factus sit, quod Solem lapidem dixerit ardentem, negans vtique Deum, non autem Epicurus, qui nullum Deorum omninò in Mundo habitare contendit, ad quem preces hominum, supplicationesque perueniant.* huc refer dictum illud coniectorum ad Nabucdonosor: *Dij, quorum nulla est cum hominibus conuersatio.* Porrò vide quàm digno supplicio mactandi sint hæretici, multa in Christum iustitiæ Solem blasphemantes, cum Anaxagoras damnatus sit quod Solem hunc lapidem dixisset, licet igneum & splendentem.

Hæretici meritò supplicio addicendi.

Anaxagoras damnatus quod Solem dixisset lapidem ardentem.

31 Traductioni sacræ scripturæ à septuaginta interpretibus factæ multum defert. *Septuaginta interpretes apud Ptolemæũ Philadelphum diuinitus sacras literas interpetratos esse, traditio est: traditur tam mirabilem, ac stupendum, planèque diuinum in eorum verbis fuisse consensum, vt cum ad hoc opus separatim singuli sederint, in nullo verbo, vel verborum ordine, alter ab altero dissentirent, & tanquam si vnus esset, interpretati.* Nota, nam Hieronymus licet illud de varijs cellulis non approbet, tamen eos alibi Spiritu sãcto plenos dicit, vt apud ipsum vidimus. Putat igitur Augustinus versionem septuaginta interpretum præferendam traditioni hebraicæ, ac prophetas fuisse ipsos dicit: ideò alia addere, alia omittere, &c. prę ferendi igitur, *in quibus tantum signum diuinitatis apparuit.* At nunc quidem vulgata est de fide.

Auctoritas magna 70. interpretum.

32 Exponit locum Ionę in quo septuaginta legunt: *Adhuc post triduum Niniue subuertetur.* vbi est in vulgata. *adhuc & quadraginta dies.* de triduo Christi in sepulchro intelligendum ait, & impletam prophetiã. *Euersa est enim Ecclesia gentium per pœnitentiam, vt qualis fuerit iã non esset.* acutè verba interpretatur. nempè Niniue ipsa euersa dicenda est, dum alia facta est nouo habitu, & specie pœnitentis. ita impletum quod Ionas prędixit.

Niniues comminatio excidij post triduum an post 40. dies?

33 Prophetiam Aggęi de Ecclesia interpretatur. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.* Neque enim de restaurato post captiuitatem templo intelligi potest, cum deinceps, & prophetæ cessauerint, & varijs calamitatibus afflicti fuerint; igitur de Ecclesiæ, & gentium vocatione. *Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus; idest de quibus dicitur; Multi sunt vocati, pauci vero electi. talibus electis gentium domus Dei ædificatur per testamentum nouum, lapidibus viuis longè gloriosior, quàm templum illud fuit.* postea ab Alexandro Magno subiugati Iudæi: *& hostias sanè Alexander immolauit in tẽplo Dei, non ad eius cultum vera pietate conuersus, sed impia vanitate, cum Dijs eum falsis colendum putans.* deinde à Ptolemæo Lagi filio captiui in Ægyptum ducti, postea contriti bellis, vt est in libris Machabęorum, & tẽplum ipsum prophanatum; quod item à Pompeio, & Cassio factum. Notabile & illud de Alexandro Magno hostias in templo immolante, & ad summi sacerdotis aspectum venerabundo, vt est apud Iosepho, quò discant Christiana reges, ac Cæsares, quantò maior veneratio debeatur nũc Christi Vicario.

Templum reædificatum gloriosius typus Ecclesiæ.

Alexander Magnus hostias immolat in Hierosolymo templo.

34 Quidam decem tantùm persecutiones Ecclesiæ numerant, sed multas relinquunt, præter has & factas, & futuras. *An non Iulianus, quem non numerant in decem, est Ecclesiam persecutus? qui Christianos liberales literas docere, ac discere vetuit, &c.* Item Valens, & rex Gothorum infensi hostiliter fuerunt. nimirùm sic Ecclesia capit augumentum. nostra tempestate in Iaponia maximè per tyrannos idem actum, & agitur. itaque qui persecutiones multas non facilè, horrore sæuitiæ, ad-

Detrahit Ecclesiæ gloriæ qui persecutiones futuras negat.

admittit, detrahit potius Ecclesiæ gloriæ quæ per ipsas, & auctior fit & illustrior.

35 Arguit vanas opiniones de duratione Mūdi. terminum quidam Mundi, atque Ecclesiæ annos ponunt quadringentos, alij quingentos, alij mille ab Ascentione Domini, ac definitum aiunt ab oraculis Christianæ religionis tēpus; videntes autē eius incrementa, & miracula, dicunt, Christum quidem innocentem fuisse, sed Petrū maleficia operatum, vt Christus coleretur per annos trecentos sexaginta quinq; at cur Petrus sanguinem spargeret, vt non suum, sed Christi nomen coleretur? *si Petrus maleficus fecit, vt Christum sic diligeret Mundus, quid fecit innocens Christus, vt eum sic diligeret Petrus?* acutè conuincit. ceterū à die Pentecostes per Idus Maias. *trecenti illi sexaginta quinque anni reperiuntur impleti per easdem idus Maias, cōsulatu Honorij, & Eutychiani. porrò sequenti anno, quando iam secundùm illud oraculum dæmonum, aut figmētum hominum, nulla debuit esse religio Christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necessè perquirere; interim quod scimus in ciuitate Carthagine Africæ Gaudentius, & Iouius comites Honorij imperatoris XIIII. Kal. Aprilis falsorum Deorum templa euerterunt, & simulacra fregerunt.* Addit multos ad fidem cōuersos post hoc, visa vanitate prędictionis. addo ego, & nostra ætate nouum Orbem, & remótissimas barbarorum gentes ad fidem conuersas. Tum pulchrè de Petro, quem maleficum dicebant: *Nos non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus; Petri de Christo ædificati sermonibus, non carminibus venenati, nec decepti maleficijs, sed beneficijs eius adiuti.* Elegans antithesis. opponit prædicationem apostolicam carminibus magicis, & beneficia maleficijs. illa potius pro amatorijs philtris sunt, & Petri ipsius lacrymæ pro poculo. quid mirū, si & Ignatium nostrum maleuoli incantatorem vocabant? quòd ad Christi dilectionem, & vitam seueriorē nobiles matronas in primis traheret. Illud quoque rectè adnotat: Si Dij præuiderunt quantum damni ipsis eueniret ex Petri opera, cur non impedierunt? *Isti Dij, qui sunt, qui possunt ista prædicere, nec possunt auertere? ità succumbentes vni malefico, & vni sceleri magico, quo puer, vt dicunt, anniculus occisus & dilaniatus est, vt sectam sibi aduersariam tam prolixo tempore conualescere, tot tātarūq; persecutionum horrendas crudelitates non resistendo, sed patiendo superare, & ad suorum simulacrorum, templorumque euersionem peruenire permitterent.* Nota diaboli, hoc est calumniatoris per hæreticos fraudem. ex inuidia obijciebant de puero anniculo à Christianis occiso per maleficia; immò hæretici potius, vt Cataphryges, & Peputiani infantis sanguine farina macerata panem Eucharisticum conficere se dicebant, vt est apud eundem Augustinum in epistola ad QuodvultDeum. idem Gnostici ad pellēdos dæmones faciebant, vt est apud Psellum. Vide igitur qua arte diabolus in odium Eucharistiæ, & dominici sanguinis sitvsus.

Vana opinio hæreticorum de duratione Mundi, & Ecclesiæ.

Hæretici Petrū per magiam fecisse aiunt vt Mūdus diligeret Christum.

Hęreticorum calūnia de Christianis pueri sanguine vtentibus.

Ex libro XIX. De Ciuitate Dei.

1 IN indagatione summi boni, & mali veterum controuersias narrat. cum alij id in animo, alij in corpore, alij in vtroque ponerent. *Ex hac tripartita veluti generalium distributione sectarum M. Varro tam multam dogmatum varietatem scrutatus, vt ad ducentas octoginta, & octo sectas, quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillimè perueniret.* Nota miram sanè varietatē sententiarum, & numerum, cum tamē vna sit veritas. de his profectò dicas: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* illud autem falsè addit. *beatitudinem sibi ipsi facere in huius vitæ infelicitate moliti sunt.*

Veterum sectæ & opiniones de summo bono & beatitate numero 288.

2 Docet quid hac in re sentiēdum sit. *Si quæretur à nobis, quid ciuitas Dei de finibus bonorum, malorumq; sentiat, respondebit, æternam vitam esse summum bonum, æternam verò mortem esse summum malum; proinde ad illam adipiscendam, istam vitandam rectè nobis esse viuendum.* Nota, quæ sit vera philosophia Christianorum inter tam multiplices veterum errores. ac vide quantum fidei debeamus quæ ex tam multiplici labyrintho nos extricauit.

Æterna vita summū bonum, æterna mors summum malum.

3 Terrenam hanc vitam miserijs obnoxiam dicit. licet enim socialis vita approbanda sit, tamen amicitiæ ipsæ ciuiles securæ non sunt; quid mirum? cum sæpe domi existant insidiæ à nostris, ac tantò amariora mala, quantò pax dulcior: si ergo domus cōmune perfugiū in his malis humani generis *tuta non est, quid ciuitas, &c.* rectè argumentatur à minori ad maius, & magnam huius vitæ miseram dicit, quod securitas nusquam sit, nec apud tuos.

Magna miseria huius vitæ quod nec suorū tuta sit fides.

4 Etiam in bellis iustis miseriam vitæ istius agnosci dicit, quia bellum iustum supponit iniquitatem in parte contraria. *Quæ iniquitas vtique homini est dolenda, quia hominum est. quisquis autem, vel patitur mala tam magna, tam sęua sine animi dolore, vel cogitat, vel multò vtique miserius, ideo se putat beatum, quia & humanum perdidit sensum.* Vide quanta perfectio dilectionis requiratur, vt etiam in iusto bello defleamus hoc titulo, non quod nos impugnemur, sed quod iniustè agatur, cum omnes fratres simus; adeo inter ipsa spolia triumphalia luctus locū habet. huc refero illud: *Nam &*

Miseria itē huius vitæ est in bellis ipsis iustis iniustitia hostis

Lamiæ

Lamiæ nudauerunt mammas suas, filia autem populi mei quasi struthio in deserto. est in eos qui communibus malis non ingemiscunt. Lamia crudele monstrum est, nec tamen beneficio lactis caret.

Miseria item huius vitæ obnoxium esse ludificationibus Dæmonū.

5 Et hanc in miserijs huius vitæ numerat, quod ipsa amicitia Angelorum suspecta sit. *Quia Satanas transfigurat se in Angelum lucis: magna igitur Dei misericordia necessaria est, ne quisquam cum bonos Angelos amicos habere se putat, habeat malos dæmones.* certè Teresia ipsa initio hoc metuebat, ne illuderetur. & Dauid aiebat: *neque irrideat me inimici mei.* ac pro magno Dei munere data est Ignatio nostro discretio spirituū.

Pacis quā eximium sit bonū.

6 Perfectam pacem non nisi in æterna vita haberi dicit, iuxta illud psalmi. *Confortauit seras portarum tuarum, & qui posuit fines tuos pacem. Quando enim confirmatæ fuerint istæ seræ portarum eius, iam in illam nullus intrabit, nullus exibit.* Nota & stabilē felicitatem iustorum, & stabile supplicium damnatorum. nec illi beatitatem amittere, nec hi vnquam adipisci poterunt. tum de pace sic. *Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil possit melius inueniri.* vide quantum voluptatis in pace, quæ si æterna sit, quantis votis, & studijs ambienda?

Pacē omnes inquirunt etiā hostes, & crudeles vt Cacus in spelunca.

Ex Cap. 12.

7 Ostendit, ipsas hominum inquietudines, & bella pro fine pacem habere, eiusque in rebus cunctis reperiri vestigia: *Nam & illi, qui pacem, in qua sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo volunt commutari, & subiectis leges pacis imponere.* deinde pulchrè pacem, vel in Vulcani filio Caco, licet fabuloso, agnoscit, qui seorsim in spelunca latebat sine vllius commercio. *Quem propter insociabilē feritatem semihominem, quàm hominem dicere maluerunt. hic tamen ipsa spelunca sua solitaria, cuius semper recenti cæde tepebat humus, nihil aliud quàm pacem volebat, in qua illi nemo molestus esset, nec eius quietem vis ullius, terrorue turbaret; & vt seditionem famis ad excludendam de corpore animam concitantem pacaret, rapiebat, necabat, uorabat; quamuis immanis, ac ferus; paci tamen suæ vitæ, ac salutis immaniter, ac ferociter consulebat; aut si atrox ignium vomitus ab eo deterrebat hominum societatem, fortè non nocendi cupiditate, sed viuendi necessitate sæuiebat.* huic monstro in spelunca immaniter degenti oppone Sāctos multos eremi accolas, innocentissimè vera pace fruentes. Tum de semiferis ad feras ipsas pergit: *Ipsa sæuissimæ feræ genus proprium quadam pace custodiunt, gignēdo fœtus, fouendo, atque enutriendo; quæ enim tigris non filijs suis immurmurat, & pacata feritate blanditur? quis miluus, & c. iniquus autē odit iustam pacem, & amat iniquam pacem suam; nō amare tamen qualemcumque pacem,*

nullo modo potest. nullum quippè vitium ita contra naturam est, vt naturæ deleat etiam extrema vestigia. Nota eleganter dictum. peruersè quidem id fit, ideò molestè; vt in partibus corporis, si caput deorsum sit, pedes sursum.

8 De libertate naturali sic. *Dominamini piscibus maris, &c.) rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini. inde primi iusti pastores pecorum magis, quàm reges hominum constituti sunt: conditio quippè seruitutis iure intelligitur posita peccatori; proinde nusquam scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij vindicaret; Eris seruus.* acutè notatum, initio dominiū homini datum tantùm in irrationalia animalia. peccatum fecit vt etiam rationale subijceretur: nimirū quia irrationabiliter egit. attamen pulchrè addit. *felicius tamē seruitur homini, quàm libidini, cum sæuissimo dominatu vastet corda mortalium.* vide vt libido victrix domina in ipsam arcem cordis inuadat, & euertat. Tum exponit locum Pauli. *Apostolus iubet seruos subditos esse dominis suis, vt scilicet si non possint à dominis liberi fieri, suam seruitutem ipsi quodāmodo liberam faciant, dum non timore subdolo, sed dilectione fideli seruiunt.* Egregiè demonstrat, vt amor liberam faciat ipsam seruitutem.

Imperiū hominis ante peccatum solum in animalia irrationalia.

Nulla seruitus abiectior, q̄ libidinis.

Ephes. 6.

9 De œconomia sic pulchrè. *Quia hominis domus initium, siue particula debet esse ciuitatis; omne autem initium ad aliquem sui generis finem, & omnis pars ad vniuersi integritatem refertur, consequens est, vt ad pacem ciuicam pax domestica referatur, idest vt ordinata imperandi, obediendique concordia cohabitantium referatur ad ordinatam imperandi, obediendiq; cōcordiam ciuium: ità fit, vt ex lege ciuitatis præcepta sumere patrē familias oporteat, quibus domum suam sic regat, vt sit paci accōmodata ciuitatis.* Præclarum monitum ad patrē familias hoc est, vt rectus institutis, ac moribus domum suam quasi ciuitatulam administret.

Familia quasi parua respublica gubernāda.

Ex Cap. 16.

10 De certitudine nostræ fidei sic. *Quod attinet ad illam differentiam, quam de Academicis nouis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omnino Ciuitas Dei talem dubitationem tanquam amentiam detestatur; nā, vt ait Apostolus, ex parte scimus, &c.* licet non perfectè in hoc corruptibili corpore; at credit canonicis scripturis.

Nouæ Academiæ dogma repugnans fidei.

11 Dei ciuitatem non distingui exteriori habitu dicit, vt Cynici ab alijs sectis, sed dogmatibus; ex triplici verò viuendi genere, otioso, actuoso, & mixto, interest quid eligas. *Nec sic quisque, debet esse otiosus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi; nec sic actuosum, vt contemplationem non requirat Dei, &c.* facit hoc pro nostra Societate, quæ habitu non distinguitur à

Ex Cap. 19.

Societas Iesu habitu non distinguitur & contēplatiuam vitam iungit actiuæ.

ceteris

ceteris clericis, & actuosam vitam cōtemplatrici inserit. ad illam pertinent tot munia, ac ministeria in bonum proximi, conciones, missiones, &c. item tot academiæ, gymnasia. ad hæc studium orationis, & alia spiritalia exercitia.

Episcopatus etymon docet, & munus. *Episcopatus nomen est oneris, non honoris: græcum est enim, atq; inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur eis, quibus præficitur, super intendit, curam eorum scilicet gerens. ἐπὶ quippe super, σκοπὸς verò intentio est: ergo ἐπισκοπεῖν super intendere est; vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* refer hanc laudem in primis ad Carolum Borromęum, qui tātum super intendit curæ suorum, ad Bellarminum itē nostrum, Capuanum antistitem purpuratū.

Episcopus vnde sic denominetur, & eius munus.

12 Romam nunquam fuisse verè rempublicam ostendit. *Scipio apud Ciceronem in libris de republica definit rempublicam esse rem populi; quæ definitio si vera est, nunquam fuit Romana respublica. populum enim definiuit cœtum multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatum; at vbi iustitia vera non est, nec ius esse potest. quæ autem iustitia est hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus subdit? hoccinè est suum vnicuique tribuere?* Vides rempublicam non esse, vbi religio vera non est; non enim ibi libertas, vbi dæmonum seruitus. nec respublica est, vbi viget iniustitia: at quid iniustius, quàm negare Deo debitū cultum?

Roma verè respublica non erat, cum Deum verum non colebat.

13 Veram Religionem ex ipsis dæmonum responsis probat. *Porphyrio interroganti quem Deum placando, reuocare posset vxorem suam à Christianismo, hæc ait Apollo; fortè magis poteris in aqua impressis literis scribere, aut inflans pennas leues per aera, vt auis volare, quàm semel pollutæ reuoces impiæ vxoris sensum, &c.* Nota constātiam fidei in fœmina, nec dęmonum artibus quatiendam. sic Iustinæ accidit, quam affirmauit dæmon nullis magijs subuerti posse, quod Cyprianum ad fidem adduxit. Deinde addidit idem Apollo. *Iudæi suscipiunt magis Deum, quàm isti;* & meritò ab istis occisum ait. atqui occurrit Augustinus, hic Deus Iudæorum dicit. *Sacrificans Dijs eradicabitur; miror igitur quod Porphyrius non perhorruerit, & sacrificans Dijs, eradicari non formidarit. In Deum, inquit, regem ante omnia, quem tremit cælum, & terra, & mare, & inferorum abdita, & ipsa numina perhorrescūt, quem valdè Sancti honorant Hebræi.* Vide quàm oderit Diabolus Christi passionem, vt eam iniustam fuisse persuadere conatus sit, quamtamen ipse Pilatus, & vxor iniustam dixit; *nihil tibi, & iusto illi.* Post hæc ait Porphyrius. *De Christo interrogantibus, si est Deus, ait Hecate: Quoniam quidem immortalis anima post corpus vt incedit, nosti; à sapiētia autem abscissa semper errat. viri pietate præstantissimi est illa anima; hanc colūt alieni à veritate. interrogantibus autem, cur ergo damnatus est? respondit Dea, corpus quidem debilitantibus tormētis semper oppositum est; anima autem piorum cælesti Sedi insidet; illa verò anima alijs animabus fataliter dedit, quibus fata non annuerunt Deorum obtinere dona, neque habere Iouis immortalis agnitionem, errore implicari: propterea ergo Dijs exosi, quia quibus fato non fuit nosse Deum, nec dona à Dijs accipere, his fataliter dedit iste errore implicari.* ità, & laudat Christum, & vituperat Christianos; sed sic arguit Augustinus: *Quæro, si fataliter dedit Christus Christianis erroris implicationem, vtrùm volens, an nolens dederit? si volens, quomodo iustus? si nolens quomodo beatus?* Tum notat incōstantiam in Dijs; nam Apollo vituperat Christum, & ait, iustè à Iudæis occisum; Hecate autem laudat, sed ambo in hoc cōueniunt, ne fiant Christiani, quia eruerentur ab ipsorū potestate. vide quàm vafrè diabolus fidei se opponere semper studuerit.

Apollinis oraculum de vxoris Porphyrij constātia in Christi fide.

Apollo Christi necem à Iudæis iustè factam dicit.

Hecates oraculum laudans Christū, sed redarguēs Christianos.

14 De pace seruientium Deo sic. *Pax propria nostra, & hic est cum Deo per fidē, & in æternum erit cum illo per speciem; sed hic talis est pax, vt solatium miseriæ sit potius, quàm beatitudinis gaudium.* pulchrè distinguit vtramque pacem. & vide quantū discrimen. ad hanc igitur toto affectu suspirandum, & adspirandum. Addit. *Ipsa quoq; nostra iustitia tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quàm perfectione virtutum. vtique subrepit aliquid in hoc loco infirmitatis, siuè benè confligenti, siuè hostibus iam victis dominanti; vnde si non facili operatione, certè labili loquutione, aut volatili cogitatione peccetur.* Nota quàm imperfecti simus, vel lingua, vel cogitatione, quam ob distractiones mentis rectè volatilem dicit. sicut & labilem loquutionem; in æterna verò vita, *in illa pace finali imperabit Deus homini, animus corpori.* idq; sine vlla repugnantia. vide admirabilem transfusionem imperij ex Deo in animum, ex animo in corpus.

Pax huius vitæ multo inferior, quā futuræ.

Perfectio animæ in hac vita multo inferior, quā in altera.

Facile vel labili loquutione, vel volatili cogitatione peccatur in hac vita.

Ex libro XX. de Ciuitate Dei.

1 Etiā si in hac vita mali semper prosperarentur, & boni affligerentur, rectum tamen, inquit, esset Dei iudicium, immò benignum. *Vt iniqui, qui non erant assequuturi bona æterna, temporalibus vel deciperentur pro malitia sua, vel pro Dei misericordia consolarentur bonis; & iusti, qui non erant passuri æterna tormenta,* tem-

Deus semper iustus etiam si mali prosperentur boni affligantur.

temporalibus, vel pro suis quibuscumque, vel quantiliscumq; peccatis affligerentur, vel propter implendas virtutes exercerentur malis. nunc verò cum hęc ambobus communia sint, discimus illa tantum bona quærere, quæ sunt bonorum, & illa mala fugere, quæ propria sunt malorum. præclarè de æquitate diuini iudicij, siuè mali prosperentur, siuè boni affligantur.

2 Explicat illud Eccles. *Deum time, & mandata eius custodi, quia hoc est omnis homo.) Iste sapiens librum sic cõclusit, quoniam qui hoc non est, nihil est; non enim reformatur ad imaginem veritatis, remanens in similitudine vanitatis.* Vide in quo consistat natura hominis: hinc aiunt tot hominem constare ossibus, quot in veteri lege præcepta traduntur.

Homo nõ est nisi timeat Deũ

3 Docet, quid sit, quod in Apocalypsi dicitur. *Regnauerũt cum Iesu mille annos.* Negat quod quidam dicebant, hos annos post resurrectionẽ voluptati impendendos: minus male dixissent, si de spiritualibus delicijs intellexissent. dicunt autem, *Sex annorum millibus, tanquam sex diebus impletis sequuturum veluti Sabbati septimum in annis mille postremis; sed mille anni duobus modis possunt intelligi; aut quia in vltimis annis mille ista res agitur, idest sexto annorum milliario tanquam sexto die, cuius nunc spatia posteriora voluuntur, sequuturo deinde Sabbato, quod non habet vesperam, vt huius milliarij tanquam diei nouissimam partem mille annos appellauerit, vt pars significetur à toto; aut certè mille annos pro annis omnibus huius sæculi posuit, vt perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo; millenarius enim numerus denarij numeri quadratum solidũ reddit, &c.* acutè interpretatur hoc de millenario, ac rectè arguit, qui etiam sanctos pœnitentiæ, & mortificationis amantissimos, Epicureos euasuros mille ipsos annos stultè, impièq; dicebant.

Opinio de millenario voluptario post resurrectionẽ redarguitur.

4 Exponit quod sequitur. *Misit illum in abyssum.) Diabolum scilicet. abyssi nomine significata est multitudo innumerabilis impiorũ, quorum in malignitate profunda sunt corda; non quia ibi ante non erat, sed quia exclusus à credentibus plus cœpit impios possidere; plus enim possidetur à Diabolo, qui non solùm alienatur à Deo, sed odit seruientes Deo.* Notabile est hoc de persequentibus religiosos, ac bonos, quod insignis nequitiæ argumẽtum est. sequitur. *Et clausit, & signauit super eum. signauit quia occultum esse voluit Deus, qui pertineant ad partem Diaboli, & qui non pertineant: hoc prorsus in hoc sæculo latet, quia, & qui videtur stare, vtrùm sit casurus; & qui videtur iacere; vtrùm sit resurrecturus, incertum est.* Formidabilis sententia de incertitudine salutis. cum autem ait, illũ vinctũ, ne seducat, prædestinatos scilicet intellige, qui licet aliquando cadant, resipiscunt.

Satanicũ est religiosos odisse.

Prædestinatio res occulta.

5 Pergit exponere locum Apocalypsis. *Post hæc oportet eum solui breui tempore.) Alligatio diaboli est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest, vel vi, vel dolo: tunc autem soluetur; nam tribus annis, & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus sæuiturus; & tamen tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, vt vinci tanto eius impetu, insidijsq; non possint; si autem non solueretur, minus appareret eius maligna potentia, minus Sanctorum patientia probaretur, minus deniq; perspiceretur, quàm magno eius malo tàm benè fuerit vsus Deus. soluetur in fine, vt quàm fortem Dei aduersarium Dei Ciuitas superauerit, cum ingenti gloria sui redemptoris, adiutoris, & liberatoris, aspiciat; quandoquidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus. Quamuis, & nunc quosdam milites Christi tam prudentes, & fortes fuisse, atque esse non dubium est, vt etiam si tunc viuerent, omnes eius insidias, atq; impetus, & cauerent prudentissimè, & sapientissimè sustinerent.* Nota primò tres causas, cur in fine soluendus sit diabolus. deinde fuisse, & esse nunc in Ecclesia eiusdem roboris inuictos heroes, qui, vel soluto diabolo valeant, Deo iuuante, & obsistere, & vincere pugnando. adeo Ecclesia fœcunda semper est mater heroum. Hinc etiam patet nostra inertia, & desidia, qui cum ligato pugnantes, sæpe vincimur.

Tres causæ cur in fine Mundi soluendus sit Diabolus.

6 Exponit illud item Apocalypsis. *Qui non adorant, nec imaginem bestiæ.) Imago bestiæ simulatio eius mihi videtur; in eis videlicet hominibus, qui quasi fidem profitentur, & infideliter viuunt.* Vide, quàm irrationabilis sit status hypocritæ, ac bestialis, quippe qui per simulationem bestiæ simulacrum quodammodo adorat. de quibusdam populis narrant, qui canis diademate insigniti nutum obseruabant, eoque regebantur. sed hi imaginem ipsam adorare dicuntur bestiæ.

Hypocritæ imaginis bestiæ adoratores sunt.

7 Iterum explicat illud Apocalypsis. *Regnabunt cum Iesu mille annos.) Profectò Sancti cum suo Rege, etiam in ipsa præcipua persecutione regnabunt, mala tanta vincentes, quãdo diabolus non erat alligatus, vt eos persequi omnibus viribus possit.* addit mox: *Quis audeat dicere, tunc cum illo non regnatura sua membra, quando ei maximè, ac fortissimè cohærebunt, & quo tempore quantò erit acrior impetus belli, tantò maior gloria non cedenti, tantò densior corona Martyrij.* Vide vt vel inter carnificum manus, & Regum minas regnent Sancti. pulchrè ait, auream illorum coronã tũsionibus densari quodammodo, atque perfici, vt sit solidior, & sanguis in decus purpuræ cedit.

Sancti, & martyres in ipsa persequutione regnãt coronati.

8 De statu Mundi post iudicium sic. *Mutatione rerum, non omnimodo interitu trãsibit hic Mundus, vnde & Apostolus ait: præterito* Ex c. 14.

terit figura huius Mundi. figura ergo præterit, non natura. sequitur. *Et aperti sunt libri, & alius liber apertus est, &c. libros dixit apertos esse, & librum, sed cuiusmodi non tacuit, qui est vita vniuscuiusque. ergo libri intelligendi sunt Sancti, & veteres, & noui; vbi ostendit mandata: in altero autem quid horum quisque non fecisset, siuè fecisset.* rectè distinguit, & acutè libros, & librum: in illis præcepta sunt vtriusq; testamenti, ideo pluraliter dicũtur; in hoc quid cõtra illa, vel cõmissum, vel omissum. & liber dicitur, quia singulare cuiusque erit examen. Tum explicat quis hic sit: *Quædam vis est intelligenda diuina, quo fiet, vt cuique opera sua in memoriam reuocentur, vt accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul, & omnes, & singuli iudicentur.*

Cor. 7.

Qui sint libri aperiendi in iudicio, & quid liber

9 Cum dicitur. *Cæli ardore soluentur.* de cœlis aereis intelligendum ait, non de supremis, vbi Sol, & luna, & sidera. *Quærat forsitan aliquis, eo ipso tempore conflagrationis, vbi erunt Sancti cum corpore? possumus respondere futuros eos esse in superioribus partibus, quò ita non ascendat flamma illius incendij, quemadmodum nec vnda diluuij. sed nec ignem pertimescent incorruptibiles facti, sicut virorum trium adhuc corruptibilia corpora, & mortalia in camino ardenti viuere illæsa potuerunt.* huc fortasse spectat illud. *simul rapiemur cum Christo in aera*: in altissimam eius regionem. & rectè ait, etiam si intra ignes essent, non illis hos nocituros. subiũgit: cum dicitur, *Malos mittendos in ignem æternum, hic ignis cuiusmodi, & in qua Mundi, vel rerum parte futurus sit, scire arbitror neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit.* Vide quam cautè loquatur. at sunt qui putent descensurum ignem à sua sphæra, alij ex incendio radiorum Solis, &c.

Ex c. 8.

Iusti ab igne iudicij illæsi.

10 Exponit Esaiæ locum de resurrectione. *Resurgent mortui, & resurgent, qui in sepulchris erũt, & lætabuntur omnes, qui sunt in terra; ros enim, qui abs te est, sanitas illis est; terra verò impiorum cadet.) sanitatem rectissimè accipimus immortalitatem: terra verò cadet; idest corpora impiorum ruina damnationis excipiet.* pulchrè ad hunc rorẽ potest referri illud Esaiæ. *Ossa vestra quasi herba germinabũt.* & illud Oseæ. *Ero ros, Israel germinabit, sicut lilium.* erit igitur instar Auroræ dies iudicij Sanctis post mortis tenebras. item affert illud: *Ecce Dominus, vt ignis veniet, & vt tempestas currus eius, &c. currus eius Angelica ministeria nõ inconuenienter accipimus.* Vide currus Angelicos triumphales, qui, vt Eliam, recipient iustos; iidem autem ad conterendos cum impetu impios venient.

Resurrectio rori cõparata.

Iusti in resurrectione quasi Elię curru rapiẽtur in aera Angelorum ministerio.

11 Exponit illud eiusdem prophetæ, vbi Deus *Relicturum se dicit super eos signa, quæ vtique mirantes credant in eum, & emissurum ex illis saluatos in gentes diuersas, & longinquas insulas, quæ non audierunt nomen eius, & annunciaturos gloriam eius in gentibus. adducturos autem ex omnibus gentibus munus Domino in vehiculis, quæ vehicula bene intelliguntur adiutoria esse diuina per cuiusque generis ministeria Dei, vel Angelica, vel humana in Ciuitatem sãctam Hierusalem, quæ diffusa per terras in sanctis fidelibus: vbi enim credunt, ibi veniunt.* pulcherrimus, & notabilis hic locus est de viris Apostolicis, quos saluatos vocat, vel ob quandam penè certitudinem salutis, vel habita ratione ad Dei decretũ, quasi prædestinationis signo notatos, qui ad Ecclesiam infideles deducunt. hunc locum ad solatium ostendere soleo ijs, qui Indiam petunt. eleganter autem Dei gratiam vehiculum, & currum vocat, facit enim ne laborem sentiamus, & cursum ipsum incitat ad bonum opus.

Missio Indica signũ prædestinationis.

Gratia Dei vehiculo, & currui cõparatur.

12 Ostendit quanti faciat Hieronymũ. *Quatuor illa regna apud Danielem exposuerunt quidam Assyriorum, Persarum, Macedonum, & Romanorum: quàm verò conuenienter id fecerint, legãt presbyteri Hieronymi librum in Danielem, satis diligenter, eruditèque conscriptum.* Vide quàm laudem impertiat, & diligentiæ, & eruditionis, vtrumque enim in interprete requiritur: id autem verum esse apud ipsum vidimus.

Ex c. 23.

Dan. 7.

Hieronymi diligẽtia, & eruditio laudatur in interpretãdis scripturis.

13 Ex loco Malachiæ colligit, *In iudicio quasdam quorundam pœnas purgatorias futuras, vbi dicitur: Ipse ingredietur quasi ignis cõflatorij, & quasi herba lauantium; & sedebit conflans, & emundans sicut aurũ, & argẽtum, & emundabit filios Leui, &c. subiungit: Erunt domino offerentes hostias ex iustitia, &c. hostiæ porrò in plena, perfectaq; iustitia cum mundati fuerint, ipsi erunt; quid enim acceptius Deo tales offerunt, quàm se ipsos?* pulchrè animæ, quæ igni purgantur, hostiæ Deo gratissimę dicuntur. addit & Esaiæ locum. *Lauabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, &c.* est autem insignis hic locus de purgatorio. & nota quod ait, *Emundans aurum, & argentum.* adeò: etiam iusti ferè hac purgatione egent. ideoq; subiũgit: *& purgabit filios Leui.* peculiariter Ecclesiasticos iudicaturus. vide insuper quanti pretij sint illæ animæ, non enim stipulæ, sed auro, argentoq; comparantur.

Malac. 3.

Igni purgatorio etiã iusti ferè indigent.

Esa. 47.

10 Pergit in verbis Malachiæ. *Et placebit domino sacrificium Iudæ, & Hierusalem, sicut diebus pristinis, & sicut annis prioribus.) Malè Iudęos interpretari dicit de veteribus sacrificijs suis, quia illa non in iustitia, sed pro peccato erant. fortassis tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiso fuerunt; tunc enim puri ab omni sorde. ac labe peccati se ipsos Deo mundissimas hostias offerebant:* & licèt qui offerunt in fide, iustè offerant, non tamen comparari potest hæc iustitia cum illa, quæ erat ante peccatum, & qua post iudicij mundationem Sancti potientur.

Hostia mundissima nõ hic sumus, sed in alia vita.

Post

Post iudicium cum fuerint igni mundati, qui eiusmodi mundatione sunt digni, & nullum in Sanctis inuenietur omninò peccatum, atq; ità se ipsos offerent in iustitia, &c. nota; videtur sentire, ignem illum in iudicio pro purgatorio futurum iustis nondum benè purgatis. vide autem vt in hac vita nihil insit perfecti apud nos in Dei obsequio, ac proinde suspirandum ad futuram.

Virtutes gentilium vitia potius dicēda.

15 Negat veram esse virtutem sine religione. *Nam qualis corporis, vitiorumq; potest esse mens domina, veri Dei nescia, nec ei subiugata, sed vitiosissimis dæmonibus prostituta? proinde virtutes, quas sibi anima habere videtur, nisi ad Deum retulerit, vitia potius sunt quàm virtutes.* Nota in primis aduersus gentiles, qui speciem aliquam fucatæ virtutis ostendebant, eamque in propriam gloriam conferebant. certè sub Christi aduentum narrat Dion, Virtutis simulacrum, quod erat ante portam, in faciem delapsum corruisse. puto quia omnis illa gentilium simulata virtus, iam abolenda erat. Illud etiam pulchrè dictum. *Sicut non est à carne, sed supra carnem quod carnem facit viuere, ità non est ab homine, sed supra hominem quod hominem facit beatè viuere; immò suprà quamlibet potestatem, virtutemq; cœlestem.*

Beatitudo non nisi à Deo.

16 De separatione bonorum, & malorum in iudicio interpretatur illud Malachiæ. *Erunt mihi dicit dominus, in die, qua ego facio acquisitionem, & eligam eos sicut eligit homo filium suum, qui seruit ei; & videbitis quid sit inter iustum, & impium, & inter seruientem Deo, & ei qui non seruit ei. quia ecce dies venit ardens sicut clibanus, & vniuersi qui faciunt iniquitatem, erunt stipula, &c. & orietur vobis, qui timetis nomen meum, Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius; & egrediemini, & salietis sicut vituli de vinculis relaxati, & conculcabitis iniquos, & erunt cinis sub pedibus vestris.* Notabilis, & pulcher hic locus est pro religiosis maximè, cum dicitur, in iudicio discrimen appariturum, *inter seruientem Deo, & eum qui non seruit ei.* nam sæculares mali, & mundani vt stipulæ leues & inanes igni iudicij consumentur. at Dei seruis Sol clarissimus gloriæ illucescet velociter, & egredientur de sepulchris, vt vituli nouelli, qui iugum obedientiæ anteà libenter tulerant, &c.

Dei serui in iudicio quasi vituli exiliēt lætabundi

17 De Iudæis conuertendis intelligit illud Zachariæ. *Effundam super domum Dauid, & super habitores Hierusalem spiritum gratiæ, & misericordiæ, & aspicient ad me, pro eo quod insultauerunt, & plangent planctu quasi super charissimum, &c.) Dolebunt scilicet se fecisse quod fecerunt illi, de quorum stirpe descendunt: non igitur dolebunt de reatu criminis, sed pietatis affectu. sanè vbi LXX. Interpretes dixerunt: Aspicient ad me, pro eo quod insultauerint, sic interpretatum est ex hebræo; quem confixerunt; sed illa insultatio vniuersæ non defuit passioni.* puto ad quemlibet peccatorū posse hoc referri, licet non confixerit Christum manu; nam si peccatū mortale aliquando commisit, crucifixit Christum, teste Apostolo; ac præcipuè flenda est illa insultatio tot opprobiorum, quæ fuit in tota passione, *detento, alligato, adiudicato, ignominiosa veste induto, spinis coronato, irridenter adorato, &c.* Nota singula. Vides etiam signum esse spiritus gratiæ, & misericordiæ infusæ, deflere Christi passionem.

Spiritus gratiæ, & misericordiæ ad deflendam Christi passionem requiritur

Christi insultaio, & opprobria in tota passione.

Ex Libro XXI. de Ciuitate Dei.

1 Arguit eos, qui negant damnatorū corpora in inferni igne posse esse perpetua. *At sunt animalia corruptibilia quæ tamen in medijs ignibus viuant; nonnullū etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperitur, & non solùm sine vlla læsione videmus ibi esse, sed extra esse non posse. mirabile est dolere in ignibus, & tamen viuere; sed mirabilius viuere in ignibus, nec dolere; si autem hoc creditur, cur non & illud?* rectè argumentatur, ac subiungit: Nō quia apud Inferos dolor erit, item & mors erit, quia vinculum illud non amplius soluetur: *prima mors, animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore.* pulchrè & acutè temporalem hanc mortem, æternamque distinguit.

Damnatorum corpora igne exuri non mori ostēditur.

Ex Cap. 3.

2 Varijs miris exemplis durationem corporum futuram probat. *Quis nisi creator Deus dedit carni pauonis mortui ne putresceret? quis paleæ dedit vel tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet, vel tam feruidam, vt poma immatura maturet? de ipso igne mira quis explicet? quo adusta nigrescunt, cum ipse sit lucidus; & penè omnia, quæ ambit, & lambit, colore pulcherrimo decolorat; & ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit; quamquā è contrario, lapides igne candente percocti, & ipsi fiunt candidi, &c.* Venustè dictum de igni, qui pulcherrimè coloratus cum sit tollit pulchris rebus colorem denigrando &c. hoc certè agit & Mundi splendor. Tū pergit de duratione corporum à simili. *Quid in carbonibus? nonnè miranda res est, & tanta infirmitas, vt ictu frangantur leuissimo, tanta firmitas, vt nulla ætate vincantur? vsque adeò vt eos substernere soleant qui limites figunt, ad conuincendum litigiatorem; quis eos dedit tandiū durare incorruptibiliter posse, nisi ille rerum corruptor ignis?* Nota pulchram antithesim, & morem in terminis agrorum carbones sternendi in perpetuum signum limitaneum: sicut & corporis quasi agri pulchritudo terminatur in nigredinem mor-

Duratio corporum post resurrectionē probatur.

Ignis mira natura.

mortis. Addo ex Plinio, Dianae templum contra terræmotus substratis carbonibus fundatum: ex quo colligo perfectionis ędificium fundandum esse in cognitione denigratæ nostræ naturæ per peccatum. Item calcem contemplatur frigidam, sed igni sopito. *Propter quod calcem dicimus viuam, velut ipse ignis latens, anima sic inuisibilis visibilis corporis*. refer hoc ad Xauerium in viua calce integrum seruatum, ac pęnè viuentem, in cuius videlicet pectore candido ignis ille diuinus, quasi anima fuit excocta charitate. Subiungit & de adamāte, qui solo hirci sanguine vincitur. & de magnete rapiente ferrum. *Quod cum primū vidi, vehementer inhorrui, quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum, atque suspēsum; deinde cum ferro, quem rapuerat, vim dedisset suam, communemq; fecisset, idem annulus admotus est alteri; eumque suspendit; atque vt ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat. accessit eodem modo tertius, accessit & quartus; iamq; sibi per mutua cōnexis circulis, non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum; sed mirabilius quod si lapidē tenueris sub argento, ferrumq; super argentum posueris, sicut subter mouetur manus, ita ferrū desuper cōcitatissimo cursu, &c. at si iuxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum. India mittit hos lapides.* Quod de catena dixit annulorū extrinsecus adhærentium, ad societatem malorum referri potest, vel ad peccatorū nexum, cum alterum trahit alterum, iuxta illud: *Væ qui trahitis iniquitatem, vt funem longum.* ita etiam in bonum, exemplum alicuius viri primarij trahit alium, & sic deinceps. quod autem adamas impediat ne magnes trahat ferrum, certè Hieronymus in vocatione Matthęi Christū magneti cōparat. obstinatio est, quæ impedit ne trahat. *Posuerunt cor suum, vt adamantem.* contra Matthæus statim trahi se siuit promptus ad nutum.

Vt ignis latens in calce ita anima in corpore.

Magnetis natura mira in trahendo catenatos annulos.

Adamas impedit ne magnes trahat ferrū.

3 Vt probet illud de corpore perpetuo igni obnoxio, nec consumpto, ostendit multa alia mira cerni, quorum causa percipi nequeat. *Agrigentinum Siciliæ salem perhibent, cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere; cum verò aquæ, velut in igne crepitare. In Epiro fontem perhibent, in quo faces accenduntur extinctæ, & tamen extinguuntur accensæ. Apud Garamantes fontem frigidum interdiu, feruidum nocte.* addit de Asbesto lapide, *Qui semel accensus extingui nō potest.* de pyrite lapide, qui si prematur, adurit. Ad hæc. *Poma Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu pressuuè tentata, in fumum, ac fauillam corio fatiscente vanescere. In Perside lapidem selenitem gigni, cuius interiorem cādorem cum Luna crescere, atque deficere. In Cappadocia vento equas concipere, sed earum fœtus non amplius triennio viuere.* Nota, multa enim ex his referri ad morales sensus possunt, vt hoc vltimum, neque enim quæ superbiæ inflatione acquirimus, diù durare possunt: quò refer illud: *Ephraim pascit ventum.* & & quasi fontes, oppositum, quàm alij efficientes, sunt quidam, qui aliorum moribus non se accommodant, vel singulares sūt, vt alijs admirationi sint. Poma autem Sodomorū ad speciem matura, & pulchra, sed per tactum in fumum euanescentia, quid nisi Mundi voluptas, & fastus est?

Ex c. 5.

Mira fontium quorundā natura.

Poma sodomorū ad speciē pulchra, sed in fumum ab eūnt Mūdi typus.

Multa in natura mira, quorū causas nescimus qd mirum si diuina.

4 Ad id probandum alia mira affert ex humana arte, vel opera dæmonis, vt: *In Veneris fano ferunt lucernam sub dio sic ardentem, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, vnde inextinguibilis dicta: aut ergo in illa lucerna mechanicum aliquid de lapide asbesto ars humana molita est; aut arte magica factum, &c. alliciuntur autem dęmones ad inhabitandum per creaturas, per varia genera lapidum, herbarum, carminum, &c. maximè autem possident corda mortalium, qua potissimum possessione gloriantur.* Nota de Magia, qua maximè vtitur machina diabolus ad expugnandam cordis arcem. quod autem de inextinguibili Veneris igne dicit, satis ostendit libidinis flammam, cum semel accenditur vix deinceps extingui. Tum pergit ad artificiosa mira. *Itā factum est, vt in quodam templo lapidibus magnetibus in solo, & in camera proportione magnitudinis positis, simulacrum ferreum aeris illius medio inter vtrumq; lapidem, ignorātibus quid sursum esset, ac deorsum, quasi numinis potestate pendere, &c. quantò magis Deus potest facere, quæ infidelibus sunt incredibilia?* Dicit autem in sequenti capite, in rebus miris summam credendi rationem esse omnipotentiam Creatoris. ceterùm quod narrat de vi magnetis fortasse intelligit id, quod refert Nicephorus de Solis simulacro, quod videbatur assurgere in aera in templo Serapidis. idem de impij Mahometi sepulchro referunt. per hæc artificia diabolus rudibus præsertim imponit.

Libidinis ignis inextinguibilis, vt in Veneris fano.

Simulacrū Solis in aere suspēsū per magnetē.

Diabolus per mira artis mechanicæ imponit.

5 Docet non omne mirum, ac nouum contra naturam esse; nam, vt refert Varro: *Stellam Veneris, seu Hesperum, quam Homerus pulcherrimam dicit, Castor scribit tantum portentum edidisse, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum, quod factum itā neque antea, neque post sit; hoc factum Ogyge regnante dicebat Adrastes.* Nota, nam, quoad magnitudinem Venerem mutatā fortasse non adeò mirum, quippe animaduersus nuper est crystallino calamo, eam stellam, vt Lunam, crescere, & decrescere. ceterùm ait Aristoteles, Græcos cū Iustitiā laudarent, eam huic stellæ comparasse, ac prætulisse, ob insignem pulchritudinem. quāquam vereor, nè, & aliàs quoq; accidat idem prodigium, vt Iustitia mutet magnitudi-

Ex c. 8.

Stella Veneris aliquādo mutauit colorē, & cursum.

Iustitia Veneri sideri, seu Lucifero cōparata.

 tudi-

tudinem, colorem, & cursum suum. Neque illud omittam, quòd illud portentum sub Ogyge accidisse dicitur, idest tempore patriarcharum, præsertim Iacob, cui in scala illa ostensum est incarnationis mysterium; vt mirum non sit Veneris stellam mutato colore expalluisse, exorituro numine per eorum progeniem de matre Virgine. Vide nostram synchronologiam in encomijs Patriarcharum.

Ex Cap. 11.

Cur peccato momentaneo correspondeat infinita duratio poenę.

6 Ostendit iustum esse, vt impij perpetuò torqueantur, licet peccatum temporale fuerit. *Nemo extitit, qui censuerit tàm citò finienda esse tormenta, quàm citò factum est vel homicidium, vel furtum, &c. non temporis longitudine, sed iniquitatis magnitudine metiendum.* hanc porrò magnitudinem malitię plerique Theologi infinitam constituunt, quod Deus infinitè bonus offenditur; ac proinde certè duratio supplicij infinita sit oportet. Tum pręclaram affert rationem, cur nobis videatur durum, æterna pœna puniri temporale peccatum, ex defectu scilicet perfectæ cognitionis offensæ Dei. *Pœna æterna idcò dura, & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum, deest ille sensus altissimæ sapientiæ quo sentiri possit quantum nefas in illa prima præuaricatione commissum sit: quantò enim magis homo fruebatur Deo, tantò maiore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum.*

Altera ratio cur peccato respondeat æternitas poenæ.

Nota alteram rationem cur peccato respondeat æternitas supplicij. dignus, inquit, peccator est æterna poena, quia reijcit tantum bonum, vt vita frui possit æterna, contempsisti æternum bonum ad quod côditus es; subeas æternum malum, ad quod condemnatus es.

Cur Deus permittat plures dãnari quã saluari.

7 Docet, cur plures sint damnati quã salui. *Si omnes remanerent in pœnis iustæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis: rursus si omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret seueritas vltionis, in qua propterea multò plures, quàm in illa sunt, vt sic ostendatur quid omnibus deberetur.* Pulchra ratio; nam sic melius intelligimus nostram miseriam, & Dei misericordiam, dum ex tam inquinata massa saluamur.

Ex Cap. 13.

8 Platonicos carpit, qui *Quamuis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes pœnas emendationis adhiberi putãt, vel humanis inflictis legibus, vel diuinis, siue in hac vita, siue post mortem;* iuxta quod ait Maro, purgari animas post mortem per elementorum pœnas ad ignem, ad aerem, siuè ventos, & ad vndas. *Nos verò in hac quidem mortali vita esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus affliguntur, quorum vita inde non fit melior,*

Pœna vel temporaria vel æterna ad quid ordinetur.

sed illis sunt purgatoriæ qui eis coerciti corrigantur. cetera omnes pœnæ siuè temporariæ, siuè sempiternæ, vel pro peccatis vel pro exercendis, declarandisque virtutibus inferuntur. mox addit, *temporarias pœnas alij in hac vita tantùm alij post mortem, alij & nunc, & tunc, sed ante iudicium illud nouissimum patiuntur.* Nota de purgatorij pœnis, quas in hac vita luere iustos sinit Deus, vt purificati omni ex parte rectà in cœlum tendant.

9 De pœnis item huius vitæ sic. *Rarissimi sunt, qui nullas in hac vita, sed tantùm postea pœnas luant; quanquam tota ipsa vita mortalium pœna sit, quia tota tentatio est; nec parua pœna est ipsa insipientia, vel imperitia, vt ad discẽdum pueri per pœnas adigantur. quis autem non exhorreat, & mori eligat, si ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rursus infantia? quæ quidem non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem; & quid malorum aggressa sit, nesciens, prophetat quodammodo. solùm quando natus est, ferunt risisse Zoroastrem, nec ei boni aliquid monstrosus risus ille portendit; nam magicarum artium fuisse perhibetur inuentor.* Vide quàm infelix sit ista vita, vt ridẽtem nasci inaspicatum sit; adeo ad fletum nati sumus. at Zoroaster magia nihil adiutus est, victus à Nino. Tum ostendit damnũ primæ transgressionis, vt pueri licet baptizati, *nonnulli etiam incursus malignorũ spirituum aliquando patiantur.* Vide miseriam huius vitæ, vt innocentes ipsi pueri à dæmone torqueri permittantur, quo cõstet quid impij passuri sint: ait tamen nihil id ipsis obesse, si in ea ætate moriantur. Deinde pœnam illam commemorat repugnantiæ carnis, & spiritus. sic igitur pulchrè de hominis anima: *quæ pacem felix cum Deo habere noluit, secum pugnat infelix.* Præclarè dictum. quia anima non obtemperauit Deo, ideo nec caro obedit animæ.

Ex Cap. 13.

Tota vita mortaliũ poena est.

Risus Zoroastri recens nato inauspicatus.

Vnde fit vt caro repugnet spiritui.

10 Huius sæculi militiam, & pugnam cum vitijs ostendit. *Paucissimi autem sunt tantæ felicitatis, vt ab ipsa ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant, sed magna spiritus largitate opprimãt quicquid in eis possit carnali delectatione dominari, &c.* Egregiè facit hoc ad laudẽ in primis S. Thomæ Aquinatis, necnon B. Aloysij nostri, qui ambo Angelici nomen adepti ob admirabilem integritatem immunes à lethali noxa, & carnis strenui domitores compressis motibus, sed quo modo hoc consecuti? *magna Spiritus largitate.*

Ex Cap. 16.

Magna spiritus largitas requiritur in vita trãsigenda si ne morta li peccato

11 Eos arguit, qui in iudicio Sanctorũ intercessione supplicium æternum putant fore vitandum, ex eo quia tunc quantò sãctiores, tantò efficaciores. *Nam quò pertinet, inquiunt, quòd scriptum est: Quàm magna*

Ex Cap. 18.

magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te? nisi vt intelligamus propter timorem absconditam misericordiæ diuinæ tam multam, secretamque dulcedinem. quasi verò tot illis minis inferni Deus tegat nunc misericordiam, ne peccemus, sed tunc ad preces Sanctorum apertior sit futura: vbi vides in male interpretando stultitiam, & quot vana effigia sibi fingat improbitas. Addit in sequentibus capitibus, alios hoc extendere ad hæreticos etiam ob baptisma, alios ad Catholicos ob Eucharistiæ perceptionem, malè interpretantes illud. *hic est panis, qui de cœlo descendit. vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*. alij id concedunt, si quis in fide perseuerauerit Catholica, licet sit impius, quia scriptum est. *Si quis perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. & si quis ædificauerit super fundamentum hoc fœnum, &c. ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. alij putant, qui eleemosinis dediti sunt, tutos fore, licet scelestè viuant, quos omnes redarguit soluens obiecta, & explicans loca.

Vana effigia hæreticorum de improbis tandem saluandis.

Matth. 24. 1. Cor. 3.

11 De vera victoria vitiorum sic. *Nõnunquam apertissima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa. tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur; quem amorem nisi Deus ipse non donat, nec nisi per Christum*. Nota vt superbia lateat sæpè in opere, quod videtur à virtute fieri. huc spectat illud Diogenis, qui cum media hieme se in gelidissimum stagnum immisisset lotutus, ceteris miserantibus, & admirantibus tolerantiam, ait Plato: si vultis verè misereri, discedite; nam cum spectatores non habebit, decedet statim de glacie; contra quàm Ignatius noster egit, qui, vel remotis arbitris, solo conscio Deo, & iuuene, quem reuocare volebat à libidine, in gelidissimo lacu iacuit, quod non nisi ex charitate factum. Elegãter illud dictum de vana complacentia operis boni, *quædam sibi placendi altitudo ruinosa*. arduus, ac perdifficilis ascensus est ad virtutem. forsitan ascendisti summo cũ labore; sed complacentia quasi vertigo te deuoluit in præceps.

Ex Cap. 26.

Complacentia boni operis ruina est ex celsitudine.

13 Pulchrè exponit locum Ionæ: Irridebant hæretici iudicij minas, nam et Ionas minatus fuerat subuersionem Niniue, cui tamen pepercit Deus. Immò, inquit, impleta est prophetia. *Niniue subuertetur: Euersa est Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. stantibus enim mœnibus, atque domibus, euersa est ciuitas in perditis*. acutè interpretatur. subuersio Niniue fuit ipsius conuersio. huc refero illud Hieremiæ, cui dictum. *Elegi te, vt destruas, & ædifices, euellas, & plantes, &c.*

Ionæ 3.

Ionæ prædictio de subuersione Niniue, vera fuit mysticè.

14 Exponit item pulchrè locum illũ Apostoli. *Si quis ædificauerit super fundamentum hoc, &c.* Vide in Apostoli verbis hominem ædificantem super fundamentũ hoc Christum, aurum, argentum, lapides pretiosos. Qui sine vxore est, inquit, cogitat, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Vide alium ædificantem ligna, fœnum, stipulam. *Qui autem*, inquit, *matrimonio iunctus est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori*. his addit: *uniuscuiusq; opus &c. dies domini reuelabit in igne: delicias quippè huiusmodi, & amores teneros propter coniugalem quidem copulam non damnabiles tribulationis ignis exuret*. ad hunc ignẽ refert orbitates, & alias afflictiones, per quas saluantur, ratione fundamenti, à quo nullo terreno amore vel parentum vel amicorũ diuelluntur, &c. *Qui has necessitudines sic amat carnaliter, vt tamen eas Christo domino non præponat, malitq; ipsis carere, quàm Christo: si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem saluus erit, quia ex earum rerum amissione tantum necesse, vt vrat dolor, quantum hæserat amor*. secus si parentes, &c. amet propter Christum; nam tunc illa dilectio non ligno, fœno, & stipulæ, sed prorsus ædificio aureo, argenteo gẽmeo deputabitur. Vide differentiam in pretio naturalis amoris, & supernaturalis, licet fundamentum fidei vtrque habeat. Sed præcipuè nota, quòd ad castos, & religiosos refert ædificium aureum, argenteum, gemmeum; ad coniugatos verò lignum, ac fœnum; & licet illi paupertatem voueant, tamen ædificãt sumptuosiùs quàm Nero, cuius aurea dicta est domus & cœli imaginem referens.

Ex c. 26.

Diligere propter Christum est ædificare aurum argentum gemmas. secundum autem naturam lignum ac fœnum.

Ex libro XXII. De Ciuitate Dei.

1 De Deo sapienter disponente omnia sic. *Cum præsciret Angelos quosdam per elationem desertos futuros, nõ eis ademit tanti boni, hoc est liberi arbitrij potestatem; potentius, & melius esse iudicãs etiam de malis benefacere, quàm mala esse sinere: quemadmodum nec homini, simul prauidens quid boni de malo eius esset ipse facturus, vt inde suppleat, & instauret partem, quæ lapsa est Angelorum, ac sic illa dilecta, & superna Ciuitas non fraudetur suorum numero ciuium, quin etiam fortassis, & vberiore lætetur*. Vide Dei sapientiã, ac prouidentiam eliciendo ex malis bona. Tum nota hoc, quod probabile putat, cœlestem patriam profecurã numero ciuium & augẽdã. suppletis hominibus sanctis. ità vt plures saluandi sint homines, quàm ceciderint Angeli.

Ex cap. 1.

Deus etiã de malis benefacit ideò mala permittit.

Fortasse plures homines saluandi quã ceciderũt Angeli.

Dei immutabilitas probatur solis exemplo.

2 Dei immutabilitatem sic docet. *Cũ Deus mutare suam dicitur voluntatem, vt quibus lenis erat, reddatur iratus, illi potius quàm ipse, mutantur; & eum quodammodo mutatum in his, qui patiuntur, inueniunt; sicut mutatur Sol oculis sauciatis, & asper quodammodo ex miti, & ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud se ipsum maneat idem qui fuit.* Pulchra de Sole comparatione rem ostendit, & oculis saucijs. rectè igitur ait. *Ego sum Deus, & non mutor.* Idem sic explicat. *Si non solùm tempus, quo aliquid futurum est, sed etiam vtrùm futurũ sit, ignoramus, dicimus: Fiet, si Deus voluerit: non quia Deus nouam voluntatẽ, quàm non habuit, tunc habebit, sed quia id quod ex æternitate in eius immutabili præparatum est voluntate, tunc erit.* Nota modum loquendi vsurpari solitum de futuris actibus, humiliter de Dei nutu, sanctèque præfando.

Ex c. 2.

Dei volũtatẽ præfari solemnis in agẽdo.

3 Arguit veteres sapientes, qui negabant terrena corpora posse cœlum inhabitare. *Neque enim natura pateretur, vt id, quod esset de terra, nisi in terra maneret.* at multò mirabilius est animam incorpoream ligamento corporis vinciri; nam anima est cœlesti corpore præstantior.

Ex c. 3.

Non repugnat corpori cœlum inhabitare.

4 Arguit eos, qui resurrectionem communem negant. *Iam tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt. incredibile est Christũ resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne. incredibile est Mundum rem tam incredibilem credidisse. incredibile est homines ignobiles, paucissimos, imperitos piscatores rem tam incredibilem tam efficaciter Mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse.* Præter tot miracula, quæ de Apostolis leguntur, & creduntur. Cur igitur non & hoc incredibile creditur de communi resurrectione, cum hoc eadem scriptura testetur, quæ illa alia? Tum sic hæreticos vrget. *Si paucis obscuris, minimis, indoctis, hoc est Apostolis credidit Mundus, cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi Mundo iam credenti adhuc vsque non credunt?* magnam hæc vim habent ad præfracta quæcumuis ingenia conuincenda.

Tria sunt quæ videbantur incredibilia iam facta sunt, superest resurrectio.

5 Pulchrè comparat Romam veterẽ, cum Ecclesia. *Posteri non quidem credebãt, sed tamen dicebant Deum Romulum, ne ciuitatem, cui seruiebant, de conditore eius offenderent, aliter eum nominando quàm Roma, quæ id non amore quidem huius erroris, sed amoris errore crediderat. Christus autem quamquam sit cœlestis, & sempiternæ conditor ciuitatis, non tamen eum quia ab illo condita est, Deum credit, sed ideò potius est condenda, quia credidit. Roma conditorem suum iam extructa & dedicata tanquam Deum coluit in templo; hæc Hierusalem conditorem suum Deum Christum, vt construi possit, & dedicari, posuit in fidei fundamento. illa illum amando esse Deum credidit; ista istum Deum credendo amauit.* Elegans planè collatio cum antithesi: aliud est amor erroris, aliud error amoris. Tum aliud affert discrimen. de Romuli diuinitate nihil antea prophetatum, sicut de Christo, nec alij populi eum pro Deo habuerunt, nisi fortè quidam, vt Romanis complacerent; non tamen propositis acerbissimis pœnis, vt Martyres. de quibus sic præclarè. *Christo non solùm colendo, sed etiam confitendo tantam per Orbẽ terrarum Martyrum multitudinem metus reuocare non potuit, non leuis offensionis animorum, sed immensarum, variarumq; pœnarum & ipsius mortis.* Addit rem sane notabilem: *Et licet hæc ciuitas Christi haberet magnorum agmina populorum, non tamẽ aduersus impios persecutores suos pro temporali salute pugnauit, sed potius vt obtineret æternam, non repugnauit. ligabantur includebantur, cædebantur, laniabantur, trucidabantur, & sic multiplicabãtur. non erat eis pro salute pugnare, nisi salutẽ pro Saluatore contemnere.* Nota; nam ita factum in legione Thebæa, & alijs multis millibus Martyrum agminibus, qui cum potuissent resistere, pro Christo mori maluerunt, armis tñ induti, ne ob imbecillitatẽ cessisse viderẽtur. Tum pulchrè dubium mouet; Cum dicant sapientes, nullum bellum suscipiendum, nisi pro fide, aut salute; si hæc vna conueniant, vt salus perdenda sit pro fide pugnando, quid agendum? & *vtrùm rectè fecerint Saguntini, cum vniuersam suam ciuitatem interire maluerũt, quàm fidem frangere Romanis datam? at ciuitatis Dei salus talis est, vt cum fide per fidem teneri, vel potius acquiri possit; fide autem perdita ad eam quisque venire non possit; quæ cogitatio firmissimi, ac patientissimi cordis tot, ac tantos Martyres fecit, qualem ne vnum quidem habuit Romulus.* Nota discrimen. nam etiamsi fides humana posset aliquando excludere salutem, non item potest diuina: hinc fit vt tot martyrium susceperint, quod in nulla secta accidit.

Ex c. 6.

Differunt amor erroris, & error amoris.

Aliter Roma dixit Romulũ Deum aliter dicit Ecclesia Christum.

Martyrũ ingẽs multitudo pro batio fidei quod in nulla alia secta.

Multitudo martyrum cum re sistere posset aduersarijs maluit cedere pro Christo.

Salus nostra nõ nisi cum fide & per fidem habetur.

6 Ostendit Mundi conuersionem non nisi diuinæ fuisse virtutis, quia Roma cum credidit, iam erat eruditioribus temporibus exculta, non rudis. sed diuina vis fuit declarata miraculis: *Vt resurrectio, & immortalitas carnis, & firmissimè crederetur, & prædicaretur intrepidè, & per Orbem terræ pullulatura fœcundius, cum Martyrum sanguine sereretur. legebantur præconia prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, & persuadebatur Veritas noua consuetudine, non rationi contraria: donec Orbis terræ, qui persequebatur furore, prosequeretur fide.* Eleganter dictum per anomi-

Difficultas inolitæ superstitionis abolẽdæ superata miraculis.

nominationem, ideo in affectum commutato, & rectè ostendit difficultatem tollendi inolitam superstitionem, sed superatam vi miraculorum. pulchrè ait, *fidem sanguine Martyrum irrigatã pullulasse, ac regerminasse fœcundius*.

7 De miraculis in argumentum veræ fidei sic. *Quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui Mundo credente non credit.* pulchrè obstinationẽ incusat, cum verum sit illud. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Tum narrat ipse miraculum, quod Mediolani accidit de cęco vidente apud reliquias SS. Geruasij, & Protasij, & alijs ægris sanatis. narrat, inquam, subitam sanitatem ad preces orantium factam Innocentij viri primarij, desperata iam salute ex fistula in ima corporis parte, ac penè expirantis. *Passus erat in sectione illa, & diuturnos, & acerbos dolores, sed vnus, inter multos, sinus fefellerat medicos, &c. se inter Medicorum manus non dubitabat esse moriturum: nos ad orationem ingressi sumus, &c. scrutatur Medicus oculis, digitisque contrectat; inuenit firmissimam cicatricem. nam illa lætitia, & laus, & gratiarum actio misericordi, & omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium lacrymantium ex gaudio, non est committenda verbis.* Nota, nam ferè idem accidit Xauerio nostro, qui ex ligamento crurũ spõte pęnali, læthale vulnus cõtraxerat; nec dissimilis Ignatij salus fuit, & ea, quæ nuper, nobis testibus, Marcello Mastrillo, postea strenuo fidei apud Indos athletæ accidit, ipsius Xauerij ope. Item narrat de Innocentia fœmina cancrum insanabilem in mammilla habente, quæ *in somnis admonita est, vt appropinquante pascha in parte fœminarum obseruaret, vt ad baptisterium quæcumq; illi baptizata primitùs occurrisset, eundem locum signo crucis signaret, fecit, & confestim sanitas sequuta est.* Nota primùm in ipso baptismo seorsum fœminas baptizatas ad verecundiam seruandã; deinde vim baptismi, nam mulier recens baptizata, nondũ pietate Christiana exercita, subito tactu sanauit tam fœdum morbum, & rectè in mammilla, quippè in baptismo ritè lac, & mel degustarat. Addit & mirum quiddam. *Medicum quendam podagricum in vrbe Chartaginis, qui cum nomen dedisset ad baptismum, & pridie quàm baptizaretur, in somnis à pueris nigris, cirratis, quos intelligebat dæmones esse, baptizari eodem anno prohibitus fuisset, eisque non obtemperans, etiam conculcantibus pedes eius in dolorem acerrimum, qualem nunquam expertus esset, iuisset, magisque eos vincens lauacro regenerationis ablui non distulisset, in baptismo ipso non solùm dolore, sed etiam podagra deinceps caruiße.* Nota inuidiam diaboli, premendo pedes podagrici, nè iret ad baptismum; & nota habitum dæmonum, cirratos, & comatulos pueros imitãtium, quod certè absterrere eam ætatem debet à cirris. quid quod, & ad grandiores hoc vitiũ, & hic habitus Satanicus irrepsit, hoc maximè tempore? Narrat & de domo Hesperij viri tribunitij, quę à malignis spiritibus obsidebatur: *Perrexit vnus, & obtulit ei sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deo protinus miserante cessauit.* Vide vim Eucharistiæ cum oratione; quantò magis per illam domus cordis expurgabitur à vitijs? hunc Hesperium habuisse secum aliquid de terra sepulchri Christi ait, quam post expiationẽ domus non ausus est ibi apud se habere, sed Episcopo tradidit, & paralyticus sanatus. vbi nota res sacras, & reliquias Sanctorum non tam domi, quàm in templis hoc est in Dei regia asseruandas, & Episcopi authoritatem adhibendam. Addit in Victoriana villa prope Hipponem ad reliquias SS. Geruasij, & Protasij Energumenũ adolescẽtem allatum; dæmonem minatum esse, si exiret, aliquid mali; exijt excusso oculo, ac tantum pendente. *Sed ad ipsorum Martyrum reliquias precibus fusis, & pendente oculo intra redacto, mox sanatus.* & illud notabile miraculum. *Hipponensem quandam virginem scio, cum se oleo perunxisset, cui pro illa orãs presbyter instillauerat lacrymas suas, mox à dæmonio fuisse sanatam.* Vide nouum genus collyrij, lachrymas mistas oleo, quas dæmon fugit, nè eo veluti fomite, ignis, quo semper ardet, augeretur, & rectè vnxit se oleo more athletarum, luctaturum contra diabolum, sed vicit, quia mixtas lachrymas habuit. Præterea refert de sene quodam Hipponensi nomine Florentio, qui veste indigẽs. *Ad viginti Martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce, vt vestiretur, orauit. irridebant eum adolescentes quasi à Martyribus quinquagenos phollos, vnde vestimentum emeret, petijsset; at ille tacitus obambulans, eiectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, quem apprehensum cuidam coquo bene Christiano, indicãs quid gestum esset, trecentis phollibus vendidit; lanam inde comparare disponens ad vestitum: sed coquus conscindens piscem, annulum aureum in ventriculo eius inuenit, ac religione perterritus homini eum reddidit, dicens, ecce quo modo viginti Martyres te vestierunt.* Notabile, & insigne miraculum. ac vide, an cũ hoc paupere quodammodo commodius, & melius egerit Christus, quàm cùm se ipso, & Petro; tantùm enim didracma pretiũ in pisce inuẽtum est; at hic annulus aureus multò maioris valoris; nimirũ iuxta illud, *& maiora horum facient.* Martyres, inquam, quibus se ille commendauit spoliati vita pro Christo, pauperem induerunt. Ad hæc miracula addit illa de S. Stefani reliquijs. *Cæca mulier flores, quos ferebat, dedit, recepit,*

Cęcus visũ recipit apud reliquias SS. Geruasij, & Protasij item alter dæmoniacus.

Mulier recens baptizata sanat ægrũ.

Diabolus formã sumẽs pueri cirrati, & comatuli.

Diabolus Medicum podagricum impedit baptizetur, sed baptizatus sanatur.

Permissæ sacrificiũ liberatur domus malis spiritibus obsessa.

Reliquiæ Episcopis tradendæ nec tã domi, quàm in templo seruandæ.

Oleo lacrhymis mixto in uncta Virgo a maligno spiritu liberata.

Pauper nudus se S Stephano cõmẽdans piscem inuenit cũ annulo aureo.

Flores reliquijs S. Stephani tactis ægros sanãt

 oculis

oculis admonuit, protinus vidit. addit & Lucillum Episcopum fistula diù laborantem *Illius pia sarcina vectatione repente sanatum, nam deinceps eam in suo corpore non inuenit*. Nota de floribus, qui certè sancto Stephano valdè accomodati, cum eius nomen coronam significet. quò spectat quod affert de Martiali viro primario, qui à Christiana fide abhorrebat. eius gener ad S. Stephani reliquias orauit, vt daret illi bonam mentem; *deinde abscedens aliquod de altari florum, quod occurrit, tulit, eiq; cum nox esset ad caput posuit. tunc dormitum est; & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur; missis presbyteris baptizatus est. hic quamdiù vixit in ore habebat: Christe accipe spiritum meum, cum nesciret hac verba fuisse beatissimi Stephani vltima, quando lapidatus est à Iudæis*. Vide vt ex floribus pietas effloruerit; & quam bene precaretur nondum baptizatus, scilicet vt daret sibi Stephanus bonam mentem. dedit tum per baptismum, tum per præclara illa verba, quæ eius animo, & linguæ indidit. scilicet corpus sanans, deuotionem inserens, vt ille quasi semper animam agens disceret piè, sanctè, beatèq; mori: non igitur in morte tantùm, sed semper in vita hæc vsurpanda sunt verba. mortuos quoq; suscitatos memorat, inter quos quendam *oleo eiusdem Martyris perunctum*. rectè tanquam oleo illo athletico inúxit in lucta contra mortẽ Addit de miraculorum eius libellis, *ad septuaginta ferè numerum eos peruenisse*. mirũ, certè, & illustre admodum de Stephano testimoniũ, sed quid mirũ, quod erga se pijs benefaceret, si vel impijs hostibus moriens est bene precatus. Narrat & de muliere, cui à Iudæo persuasum fuerat, vt contra desperatum languorem, *annulum capillaceo cingulo insereret, quo cingeretur. qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inuẽtũ bouis*. hæc profecta ad reliquias S. Stephani inuenit in terra lapsum annulum integrũ integro cingulo: vtrumque proijciens in flumen sanata est. Tum pulchrè sic concludit: *Non credunt hoc qui etiam dominum Iesum per integra virginalia matris egressum, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt; sed hoc certè quærant, & si verum inuenerint, illa credant. clarissima fœmina est, Chartagine habitat, &c.* præclarũ argumentum de integritate vteri virginalis. Deniq; narrat de decem fratribus, *qui maledicto matris tali pœna diuinitùs sunt coerciti, vt horribiliter quaterentur tremore membrorum, in qua fœdissima specie oculos suorum ciuium nõ ferentes, toto penè vagabantur orbe Romano. ex his ad nos venerunt duo, Paulus, & Palladia, frater, & soror. die paschatis, cum frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, vbi Stephani martyrium erat, Paulus orans teneret, repentè prostratus est, & dormienti simillimus iacuit; non tamẽ tremens, sicut etiam per somnium solebat; mox sanus surrexit. eius soror idem agens, item sanata*. Notabile exẽplum de maledicto matris; sed nimirum ab eo sanandi erãt, qui pro maledicto potius veniam persequutoribus optauit.

Recẽs baptizatus diuinitus discit S. Stephani morientis verba.

Virginitas Deiparæ etiam post partũ probatur miraculo S. Stephani.

Decẽ fratres maledicto matris tremore membrorũ correpti, sed à S. Stephano sanati.

8 Comparat mira, quę gentiles de Dijs iactant, cum miraculis Martyrum. *Si qua similia videntur, sicut à Mose Magi Pharaonis, sic eorum Dij victi sunt à Martyribus nostris. fecerunt autem illa dæmones eo fastu impuræ superbiæ, quo eorum Dij esse voluerunt. faciunt autem ista Martyres, vel potius Deus; ijs autẽ orantibus, aut cooperantibus, vt fides illa proficiat, qua eos non Deos esse nostros, sed vnum Deum habere nobiscum credimus*. Nota discrimẽ. in altero spectatur propria gloria, in altero solius Dei. Tum ait, nos non offerre templa, & sacrificia Martyribus quasi Dijs. *Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis; quia hoc sunt & ipsi*. Nota loquendi modum.

Miracula Deorum, & Magorum Pharaonis à Martyribus superata.

9 Platonicos arguit, qui negabant terrenum corpus in cœlo esse posse, quia non seruaretur ordo elementorum, vt terra in imo sit, &c. sed contra quia, *qui pennarum leuitatem donauit auium terrenis corporibus, vt portentur in aere: immortalibus factis corporibus hominum cur non poterit donare virtutem, qua etiam in summo cælo valeant habitare?* plumbum ipsum arte natat; anima certè tam excellens est, vt tam mira operetur in corpore graui, cum leuis sit, &c. *Cur valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum aliquo modo, & animæ leuare sursum terrena corpora non valebunt?* Putãt isti, aut Deum, aut dæmonem potuisse aquam suspendere in cribro, ne deorsum ferretur, vt narrant Ethnici scriptores; cur non & hoc? & si aeris locus est inter ignem, & aquã, cur eum inter aquã, & aquam etiam, & inter aquam, & terram sæpe inuenimus? cur ignis, cuius sphęra suprema est, inuenitur in terris, immò & sub terris? vbi nota præsertim illud, quod de auibus dicit, quæ cum terreno constent corpore, tamen eleuantur è terra. addo & illud multò mirabilius de Architæ columba, quæ erat ex ligno exanimis, & tamen eleuabatur in aera libratis arte ponderibus. cum igitur ars tantum possit, quid ni potestas diuina? huc refero morem illum Longobardorum, qui ligneas columbas in sepulchris collocabant, quasi aliquando euolaturas in cœlum ob corporis resurrectionem, iuxta illud Apostoli: *Rapiemur in aera*. pennis scilicet illis deargentatis, & posterioribus auro illitis. hinc, & aquilas alij exculpere soliti in sepulchris, tũc enim nostra corpora *Mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ, & volabunt, & non deficient*. Iob.

Platonici negantes terrenum corpus in cęlo collocari posse redarguuntur à simili.

Leuitas corporũ beatorum.

Colũbæ, & aquilæ, cur in sepulchris sculptæ.

10 De perfectione corporum Beatorũ

sic

Mira suauitas coloris in corporibus beatorũ.

sic differit. *Omnis corporis pulchritudo est partium congruentium cum quadam coloris suauitate: nulla tunc erit in beatorum corporibus deformitas, quam facit incongruentia partium, quia, & praua corrigentur, & quod minus est, supplebitur. colorum porrò suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt sicut Sol? &c.* Nota in primis de suauitate coloris in corpore, quod sancti ieiunijs, & vexationibus fecerant pallidum, & exangue.

11 Pulchrè integritatem eorundem corporum, peculiariter Martyrum, ostendit. *Nescio quomodo sic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerũ cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt, & fortassè videbimus, non enim deformitas in eis, sed dignitas apparebit. Quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideò tamen si aliqua Martyribus amputata, & ablata sunt membra, sine ipsis erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: & capillus de capite vestro non peribit.* Nota de cicatricum Martyrum pulchritudine, ac multo magis de Christi vulneribus: quod autem ait de restituendis membris ablatis, testis est Ioannes Damascenus, cui vel in hac vita diuinitùs restituta est abscissa dextera. Vinceslaus rex Polonorum suo duci, cui pro se dimicanti abscissa fuerat dextera, reddidit ex auro fictam, sed optabilior fuisset vera, quia ad vsum, & integritatem. item nota etiam in ipsis beatorum corporibus, non tàm corporis, quàm virtutis pulchritudinem fore spectabilem, quia illa virtutis est præmium. Tum exponit illud: *Surget corpus spiritale. Erit spiritui subdita caro spiritalis, sed tamẽ caro, non spiritus. sicut carni fuit subditus ipse carnalis; sed tamen spiritus, non caro.* Vide vt caro obediens spiritui, penè in ipsius spiritus conditionem nobiliorem transeat.

Integritas, & pulchritudo corporũ beatorũ.

12 Agit de miserijs huius vitæ ob peccatum, de ignorantia, de calamitatibus, de vitijs varijs, de multis casibus, & periculis, & tam diuersis generibus morborum, & mortis. Addit. *Contra milleformes dæmonum incursus quis innocentia sua fidat? quandoquidem ne quis fideret, etiã paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, vt in eis maximè, Deo sinente, monstretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda fœlicitas.* Vide quàm Deus detestetur arrogantiam, vt ne quis fidat de sua innocentia, permittat innocentissimos pueros aliquando à dæmone vexari, & simul ne hanc vitam amemus, in qua nec innocentia felix est, aut tuta. Est autem admodum notabilis, & horrenda illa vox, qua appellat: *Milleformes dæmonum incursus:* nõ ait solùm multiformes. sic illud de Alecto furia, cui crimina mille, mille nocẽdi artes.

Milleformes dæmonũ incursus hãc vitam infestant.

Cur Deus finat etiã innocẽtes infantes à dæmone vexari.

13 Inter huius vitæ miserias præcipuã dicit pugnam spiritus, & carnis. *Aliquando enim concitatius, aliquando remissius, non tamẽ desinit caro concupiscere aduersus spiritum.* hinc collige nostri Aloysij felicitatem, qui hunc belli laborem minime sentiebat. Addit cautelam, & metum, nè errore decipiamur, nè in aliquod vitium labamur, &c.

Inter vitæ miserias est rebellio carnis

14 Agit de bonis, quæ homini Deus etiam in hac vita communicauit, præsertim tot artium. *Vbi præcipuum locum verba, & literæ tenent ad delectandos animos. quos eloquutionis ornatus, quàm diuersorum carminum copiam? ad mulcendas aures quot organa musica? quot cantilenæ modos excogitauerit? quantam peritiam dimensionum, atq; numerorum? &c.* Vide quantum Deo debeamus etiam ex literatura, & disciplinis. Tũ item pulchrè de corporis harmonia, & instrumentis animæ, *non nè satis ostendit quali animæ vt seruiret, tale sit corpus adiunctum?* deinde transit ad Solis siderumq; conspectum, & terræ ornatum, &c. deniq; concludit: *& hæc omnia miserorum sunt, damnatorumq; solatia, non prẽmia beatorum. quæ igitur illa sunt, si talia sunt ista? quid dabit eis, quos prædestinauit ad vitam, qui dedit hæc etiam eis, quos prædestinauit ad mortem? &c.* elegans locus, & insignis de ineffabili mercede Beatorum, cui quicquid est in humanis excellentiæ facile cedat.

Quantum Deo debeamus ex literatura, & ceteris beneficijs. Ex c. 24.

15 Soluit obiectum. *Porphyrius dixit, vt beata sit anima, corpus omne fugiendum.* non ergo resurrecturum corpus. at Plato ait, summum Deum ceteris Dijs pro beneficio promisisse, vt corpora, quæ haberent ex se non immortalia, fierent immortalia. *Quoniam estis orti, immortales esse, & indissolubiles non potestis. dissoluemini, neque vos vlla mortis fata perimẽt; nec erunt valentiora, quàm consilium meum. non ergo, vt beatæ sint animæ, corpus est omne fugiendum, sed corpus incorruptibile recipiendum.* rectè arguit etiã ex Platonis sententia esse in Dei potestate vt corpus reddat immortale. fugiendum est, sed quatenus corruptibile, mortale, repugnans spiritui, &c.

Ex c. 30.

Corpus quatenus fugiendũ.

16 Verum esse ait, si coirent in vnum hæ duæ sententiæ; *Singula quædam dixerunt Plato, atque Porphyrius, quæ si inter se communicare potuissent, facti essent fortaßè Christiani. Plato dixit, sine corporibus animas in æternum esse non posse; ideò enim dixit, etiam sapiẽtum animas post quamlibet longum tempus tamen ad corpora redituras. Porphyrius autem dixit, animam purgatissimam, cum redierit ad Patrem, ad hæc mala Mundi nũquam esse redituram. si ambo, & singuli vtrumq; dicerent, puto quod viderent esse iam consequẽs vt & redirent animæ ad corpora, & talia reciperent corpora, in quibus beatè, ac immortaliter viuerent. quia secũdùm Platonem etiam sanctæ animæ ad humana corpora redibunt; & secundùm Porphyrium ad mala Mundi huius*

Platonis; & Porphyrij sẽtentiæ de resurrectione iungendæ in vnum.

sanctæ

sanctæ animæ non redibunt, dicat itaque cum Platone Porphyrius: redibunt ad corpora, dicat Plato cum Porphyrio; non redibunt ad mala, & sic ad ea corpora redire consentient, in quibus nulla patiantur. acutè vtramque sententiam nectit, vnde veritas elici possit; quem nexum illi sine fide non viderunt.

17 Eodem hæc spectant. *Amātes Platonem dicunt eum aliquid simile nobis de mortuorum resurrectione dixisse.* In libro de republica inducitur homo reuixisse, & narrasse quædam Platonis disputationibus congruentia. *Labeo etiam dicit, duos vna die fuisse defunctos, & occurrisse inuicem in quodam compito; deinde ad corpora sua iussos remeare, & constituisse inter se amicos esse victuros.* sed hæc resurrectio, si fuit, non perpetua fuit, nam postea iterum mortui. *mirabilius quiddam M. Varro ponit his verbis. Genethliaci, inquit, quidam scripserunt esse in renascendis hominibus, quam appellant παλιγγενεσίαν. hanc scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, vt idem corpus, & eadem anima, quæ coniuncta in homine aliquando, eadem rursus redeat in coniunctionem.* hoc licet falsum sit, tamen illud accipiemus, inquit, delapsa cadauera in cinerem &c. rursus redire posse ad id quod fuerunt.

Resurrectio non nullorum ostendit possibilē reditum ad corpus.

Opinio mathematicorum de reditu animi ad corpus post annū 440.

18 Ostendit non requiri corporeos oculos ad videndum Deum. *Vidit Heliseus accipientem munera seruum suum, vbi ipse nō erat; nam secundùm LXX. Interpretes ait. Nonnè cor meum tecum ibat? &c.* quod interpretatus est Hieronymus ex hebræo: *Nonnè cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?* porrò Iob *in carne mea, inquit, videbo Deum, non per carnem meam; ac si dixisset, in carne mea ero, cum videbo Deum.* ad hæc addit. *ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus, vt videatur ab altero in altero, videatur in seipso, atque in omni, quæ tunc fuerit, creatura.*

Ex C. 29.

Deus non videtur per carnē sed in carne mentis oculo non corporis.

19 De statu beatorum plura, & pulchrè. *Quanta erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum? vacabitur Dei laudibus: nam quid illic aliud agatur, vbi nulla erit desidia, vel indigentia, nescio.* Vide præclarum exercitium beatorum, perpetuam Dei laudem. Addit. *Omnes illi, qui nunc latent, harmoniæ corporalis numeri non latebunt, & cum ceteris rebus mentem in artificis laudem rationalis pulchritudinis laude succendent. motus, & status sicut ipsa species decens erit; ipse erit finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur.* Nota de decenti modestia, & compositione corporum in beatis, quam & nunc sequi decet. pulchrè autem tanquàm lyræ concentum, & harmoniam vocat resonantem Dei summi opificis laudem. Subiungit. nulla tunc erit inuidētia, sicut nec in corpore oculus vult esse, qui est digitus, &c. *sic itaque habebit donum alius alio minus, vt hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* Pulchrè dictum, hoc ipsum Dei donum magnum esse, non inuidere alterius dono, contentum suo licet minore; Addit, liberum arbitrium beatis non tolli quia iam peccare non possunt, sed hoc potius perfici: *Seruandi gradus erāt diuini muneris, vt primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo, nouissimum quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum, hoc recipiendum præmium pertineret; & sicut prima immortalitas fuit posse non mori, nouissima non posse mori: ita primum liberum arbitrium posse non peccare, nouissimum non peccare. certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est?* sed in Deo, ex natura, in creatura ex munere: ad hæc subiungit. *Voluntas beatorum fruens erit indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum, oblita pœnarum; nec tamen ita suæ liberationis oblita, vt liberatori suo sit ingrata; non solùm sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit; alioquin si se fuisse miseros nesciturì sunt, quomodo, sicut ait psalmus: Misericordias domini in æternum cantabunt? quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi iucundius ciuitati.* Nota primò quantum attinet ad scientiam rationalem, beati memores sunt prætetitorum malorum; quantum autem ad experimenti sensum, quod affert dolorem, prorsus immemores. Nota item, quem psalmum cantaturi sint beati, & in cuius gratiam, hoc est laudando ipsam gratiam Christi, per sanguinem ipsius datam.

Exercitatio beatorum Dei laus perpetua.

Nulla inuidentia in beatis ex maiori dono alterius.

Liberum arbitrium in beatis non tollitur quia peccare iam nequeunt sed perficitur.

Beati quomodo recordabuntur peccatorum.

FINIS QVINTI LIBRI.

PON-

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM.

LIBER SEXTVS.

Continens Tomi Sexti præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX CATALOGO HÆRESVM AD QVODVVLTDEVM.

1 VArias hæreses enumerat, præcipuè illas. Ex hæreticis *Simon Magus se Christum, & Iouem appellabat. Mineruam meretricem Selenen, quam sibi sociam fecerat scelerum; imaginemque & suam, & eiusdem meretricis discipulis suis præbebat adorãdas, & Romæ tanquam Deorum simulacra consecrari.* Nota, hæreses plerunque meretrices ad societatem sibi adiunxisse, vt nuper Lutherus fecit. quid mirum? certè Salomonem ipsum ad idololatriam traxerũt. sed hoc mirum, quod Simon meretricem suam Mineruam appellarit, quæ virgo dicta est. Selenen hoc est Lunam tolerabilius, nam hæc maculosa est. Idem Simon dicebat, se dedisse legem Mosi in monte Sina; & tempore Tiberij in filij persona apparuisse; tum in Spiritus sancti persona igneis linguis. hunc Petrus Apostolus superauit. vbi nota neminem aptius Simoni Mago opponi potuisse quàm Simonem Petrum Apostolum, vt videlicet perpetuis madens lacrymis fictum illud igneum falsi paracletrnumen extingueret; & qui per aquas mirè ambulàuit incolumis, per aerem volantem præcipitem detraheret in terram, & ille quidem claudum sanauit, hic verò cadens claudus est factus. Ad hæc Simon ille se Solem faciebat & meretricem Selenen hoc est Lunam, eãdemque Mineruam. at Simon hic verè Sol Ecclesiæ, hanc quasi Lunam illuminauit, & magistram gentium fecit.

Simon Magus meretricem sociam hęresis habuit.

Simõ magus se Iouem & paracletum legislatorem dicebat vxorem Mineruam, Selenem.

2 Saturniani à Saturnino dicti: *Qui Mundum solos Angelos septem, præter conscientiam Dei patris fecisse dicebat. Basilidiani à Basilide, qui trecentos sexaginta quinque cœlos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. vnde etiam quasi sanctum nomen cõmendabat, quod est* ἀβραξας *; cuius nominis literæ secundùm græcam supputationem eumdem numerum complent, &c.* Vide vt arithmeticam scientiam scripturæ necessariam ad errorem, & impietatem traduxerint hæretici, quod & Cabalistis ferè accidit. certè quouis anno bissextili aliud cœlum addendum erat. adeo annum superstitionibus inficere conatus est diabolus, cum scriptum sit, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. sed qui tam multos cœlos sibi finxerunt, nullum obtinuerunt. Ijdem Simonem Cyrenensem pro Christo crucifixum dicebant. Vbi nota vt diabolus conatus sit gloriam crucis infringere, & Christi passioni inuiderit, qui per eam de ipso triumphanit, vt ait Apostolus.

Basiliani tot cœlos ponebant quot anni dies.

Basilides Simonem Cyreneũ pro Christo crucifixum dicebant.

3 Nicolaitæ creaturam non Deo, sed quibusdam Potestatibus tribuunt. *Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos gloriantur, sed nonnulli eos Borboritas vocãt, quasi cœnosos propter nimiam turpitudinem.* hi Angelorum nominibus fabulosis terribilius animas capiunt, &c. nota, vt scientiæ nomine velare se putarent libidines, cum vera scientia non cadat in animam incestam, & impuram, cœlo cognatam, non cœno. ex hac hara lutulenta Luteri grex est: Ijdem terrebant vulgus inusitatis, & horrendis nominibus Angelorum, cum tamen nihil sit illis amantius.

Gnostici sibi scientiæ no[me]ne indiderãt cum essẽt impuri.

Gnostici horrenda nomina ponebant Angelis ad terrorem.

4 Carpocratiani à Carpocrate, dicebant, ad Principatus, & Potestates nõ trãsiri, nisi per omne turpitudinum genus. Vide ad quantam impudentiam hæresis progredi possit. *Sectæ socia fuit Marcellina quædam, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ adorando, incensumque ponendo*. & hìc vide vt diabolus adhibuerit mulieres ad perniciem, vt & in initio mundi. item nota, vt confuderit Paulũ Apostolum veritatis præconem cum fabuloso Homero, & Pythagora, qui magia nõ caruit; sed Paulo philosophanti totus Mũdus credidit, nec per ineptum silentium Pythagoricum; nam *in omnem terram exiuit sonus eorum & in fines Orbis terræ verba eorum*. Iam his, qui tam dissimiles iungebant imagines, dici poterat illud Pauli: *Quæ societas Christi ad Belial.*

Carpocrãtes colebat imagines Iesu, & Pauli cum Homero &c.

Chi-

5 Chiliastæ à Cerintho mille annos voluptuarios post communem resurrectionem ponebant: nempe Sanctos ex seueris, & vt ita dicam Stoicis, per id tempus Epicuri de grege porcos faciebant. quid stultius, & impudentius? *Valentiniani triginta Aeonas, id est sæcula dicebāt, quorum principiū esset Profundū, & Silentium. Profundū patrem vocabāt, & Christum ab hoc Profundo missum spiritale, vel cœleste corpus secum attulisse, nihilq; assumpsisse de Virgine Maria, sed per illā tanquam per riuum, siue fistulam transisse.* Nota, vt diabolus inuiderit maternitati Deiparæ. dogma certè dignum profundo silentio, vt contra Verbū patris. ceterū rectè quidā hoc de triginta Aeonibus simile dicit Virgilianæ Scrophæ triginta fœtus enixæ. quantò religiosior mulier illa exclamans inter Pharisæorum calumnias. *Beatus venter, qui te portauit.* Et nota hæreticorum fraudem, quasi in honorem Christi dicentium, assumpsisse corpus cœleste. at maius decus sumpsisse terrestre, sed cœlo altius inferendum. quid si non sudasset, esurijsset, fleuisset, &c.?

Valentiniani negātes Deiparam verā Dei matrē, sed riuo, & fistulæ similem dicentes.

Error de cœlesti Christi corpore.

6 Heraclionitæ ab Heracleone *Feruntur suos morientes nouo modo quasi redimere, per oleum, balsamum, & aquam, & inuocationes, quas hebraicis verbis dicunt super capita eorum.* Vide, vt diabolus opposuerit sacramēto chrismatis, superstitionē suam; & redemptioni sanguinis Christi falsam suam. morientibus maximè insidiari voluit. prophano oleo eos inungi, vt acrius arderent in gehēna. ex balsami odore ad illius fœtorem traducebat, ex aqua ad ignem. Item nota, quàm necessaria sit cognitio hebraicæ linguæ, cuius ignoratione vulgus decipitur ab hæreticis.

Sacramēto Chrismati ęgrorum quid opposuerit diabolus.

7 Ophitæ impiè putant Christum fuisse serpentem, qui decepit primos parētes: *Verum colubrum nutriunt, qui per incantationes ascendit altare, euocatus è specu, & oblationes lambit, quas putant eo contactu sanctificatas, & ita confringunt in Eucharistiam.* Vide diaboli inuidiam in Eucharistiam. instar serpentis infudit venenum mortiferum, vbi est panis vitæ. & quia initio Ecclesiæ Eucharistia reseruabatur intra columbam argenteam, vt est apud Basilium, ipse simplicitati columbinæ serpentinam opposuit astutiam.

Ophitæ per serpētem conficiebāt Eucharistiā.

8 Addit illa monstra. *Caiani Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis, simul & Iudam proditorem diuinum aliquid putāt esse, & scelus eius beneficium deputant, asserentes eum præsciisse quantum esset Christi passio profutura.* Vide quò progrediatur hæresis sub falso nomine pietatis. at Christus ait de Iuda. *Væ homini illi, per quē filius hominis tradetur, &c.* De Seuerianis sic. *Vinū oderāt, quod de Satana, & terra germinasse putarent vinum.* vide & hic fraudem. nam poeticas fabulas de gigantum sanguine, ex quo vinum dicebant, hi hæretici sequebantur, nè eius vsus esset in sacris. Addit: Seuerus hic Philumenam puellam ferebat secum quasi diuinitus afflatam, cui Christum pueri specie, vel Paulum apparere fingebant. *Panem vt ferunt, grandem in angustissimam ampullam inferebat, eumq; extremis digitulis leuare solebat illæsum, eoq; solo quasi diuinitùs sibi cibo dato erat contenta.* & hic vide inuidiam diaboli in Eucharistiam, vt eam malis artibus simularit. Catharina certè Senensis Eucharistico solū cibo diu viuebat, sed diuinitus, vt & Elias Angelico illo pane sustentatus, *vsque ad montem Dei Oreb*. Tum nota quā fallere possint visiones, & spectra præsertim muliercularum.

Cain, & Iudas ab hæreticis honorati.

Seueriani vinū oderant quasi de gigantum sāguine.

Visiones muliercularū, quā facile fallant.

Diabolus nouū Eucharistiæ genus simulans, & mirum.

9 Huc spectant Cataphryges. *Hi sacramenta perhibentur funesta habere; nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemq; inde facientes. puer si moriatur pro Martyre habetur; si superuixerit pro Sacerdote.* Vide, vt incruentum sacrificium cruento commutarint; & funestum Sacramentum pani vitæ opposuerit diabolus. His addit Peputianos idem agētes, qui etiam *suam ciuitatem Hierusalem vocant, dantes mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque honorentur.* Nota arrogantiam vel in nomine ciuitatis, vel in Sacerdotio muliercularum. Ecclesia quidem vera Hierusalem est, vbi veri Dei cultus per ritè initiatos.

Cataphrygū Eucharistia ex farina, & infantium sanguine.

10 Adamiani *Adam imitantur nuditatē, quę fuit ante peccatum, vnde & nuptias auersantur. nudi erant, & ex hoc paradisum suam arbitrantur Ecclesiam.* & horum arrogantia notabilis. nam potius religio paradisus dicenda est, vbi per voluntariam paupertatē nudè, sed iucundè viuitur. Est & hæc Pauli præclara vox, quæ ait. *nudi sumus, & colaphis cędimur.* & alibi *in frigore, & nuditate.* & tamen hic ceù sub alia pſona de se dicit. *quoniam raptus est in paradisum.* Cathari ob superbiam continentiæ ita se vocāt. Apostolici nuptias auersantur, & res proprias possidentes: *isto se nomine arrogantissimè vocauerunt, & nullam spem putabant eos habere, qui vterentur his rebus, quibus ipsi carebāt.* Nota vt Apostolici viri nomen affectarint hæretici, non vt alios conuerterent, sed vt peruerterent.

Adamitæ nudi incedētes, suā Ecclesiam paradisū vocabant.

Apostolicos se nominabant quidā hęretici.

11 De Manichæis sic. Dicti sunt à Persa quodam, qui vocabatur Manes; *Sed discipuli vitantes nomen insaniæ, geminata litera Manichæum quasi manna fundentem pro Manichæo, & insano appellabant.* Nota fraudem, nam græcè μανεὶς est insanus. tametsi iusto Dei iudicio hoc tantùm habuit de manna, quod sicut de manna dicitur, *apparuit decorticatum.* ita Mannichæus hic à re-

Manes vt insaniæ nomen effugeret à manna sic dictus ab asseclis.

ge

ge Persarum, quòd filiam, quã se sanaturũ promiserat, potius magicè occiderit, excoriatus, & cute decorticatus est. ac vide vt diabolus hæresis venenum suau ssimæ ambrosiæ nomine tegere conatus sit.

12 Prosequitur de eisdem Manichæis. Dicebant partem Dei mixtam cum mala purgari in electis suis. *Quicquid verò purgatur luminis, per quasdam naues, quas esse Lunam, & Solem volunt, regno Dei tãquam proprijs sedibus reddi; quas item naues de substantia Dei pura perhibent fabricatas, lucemq; corpoream in his nauibus esse purissimam, alibi mistam dicunt esse Dei naturam.* Nota figmentum de duabus lucis nauibus, Sole & Luna, quod ex parte a gentilibus Philosophis acceperunt, quorum nõnulli Solem instar scaphæ esse dixerunt. hæretici errori impiam fabulam adiunxerunt hisce nauibus cum naufragio fidei. quantò satius mysticè dixissent, esse instar nauium purissimæ lucis, quæ scilicet ad cognitionem increati luminis contemplatores veherent? sed illi quàm turpiter *naues illas, idest duo luminaria ita distinguunt, vt Lunam dicant factam ex bona aqua, Solem verò ex igne bono; esse autẽ in ijs nauibus sanctas Virtutes, quę se in mares transfigurent, vt illiciant fœminas gẽtis aduersæ, &c.* quod mare tam impium, & sordidũ dictum de istis nauibus potest eluere?

Manichæorum figmẽtum de duabus nauibus, Sole, & Luna.

13 De abominanda eorum turpitudine addit. *Execrabili superstitione velut Eucharistiam conspersam cum semine humano sumũt: puella nomine Margarita istam nefariam turpitudinem prodidit.* quis hoc legens non abominatus reclamet? prò nefas. adeò purissimo Sacramento diabolus impurus inuidit. Sed ne candidissima margarita proijceretur ante porcos, per puellam nomine Margaritam effici debuit, quæ flagitiũ detexit.

Margarita puella detegit Manichæorum scelus de Eucharistia.

14 Eorũdem insana dogmata profert. *Manichęi carnes mortuas non comedunt, quasi ex eis fugerit diuina substãtia. agriculturam oderunt, quia carpendo herbas, & poma, lædunt substantiam diuinam, sed permittunt sibi, quasi in suo stomacho purgetur. putant auctorem suæ sectæ esse Spiritum sanctum, nam & hic duodecim discipulos habuit, quos afflauerit. Ad hæc orationes faciunt ad Solem, per diem quaq; versus circũeuntes, ad Lunam per noctẽ.* Nota superstitiosum ritum. circumagebãt se cum Sole heliotropij more, quasi eum sequentes cultu. noctu quoq; orabant Lunæ cursum sectantes: nempè cum planetarum erroribus errabant, sed illi ad bonum Vniuersi, hi ad perniciem. quantò satius iustitiæ Solem Christum sequi, & Deiparã, quæ pulchra vt Luna dicitur, orando, ac mentem semper eò reflectere? huc spectãt illæ veterum strophæ, & apostrophæ in facris, & in Circẽsibus ludis Soli dicatis, Solis cursus imitatione quadam. item Pythagoræ ritus iubentis in orando circumuolui: sed præstat orando nos esse paratos quocumque nos Deus agat. Præterea *Manichæi vinum non bibunt, dicentes esse fel principum tenebrarum.* ego potius de eorum venenata doctrina dixerim: *fel draconum vinum eorum.* certè Christus primo miraculo aquam vertit in vinum. Iidem concupiscẽtiam aduersus spiritum distinctam substantiam putabant; & post Mundi incendium in quodam globo quasi carcere dãnandam. rectius de æterno suo apud Inferos carcere, ignique perpetuo cogitassent. ceterùm quæ de suo stomacho purgante in pomis diuinam substãtiam garriebant, planè stomachum mouent.

Manichei orantes se cum Solis cursu circumagebant, & Lunæ.

Manichęi vinum fel principis tenebrarum dicebant.

Fabula Manichæorum de concupiscentiæ carcere post iudicium.

15 De Psallianis, siue Euchytis sic. *Hi tantùm orant, vt incredibile videatur; nam cũ Apostolus dicat: Sine intermissione orate, hoc est, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi, isti ita nimis hoc faciunt, vt hinc iudicentur inter hæreticos nominandi.* Nota vt specie recti diabolus decipiat. quid sãctius prima facie videtur, quàm perpetua oratio? tamen quia hoc iactanter, & superstitiosius agebant, vel ob id inter hæreticos computãtur: adeò verum est illud: ne quid nimis. discant igitur religiosi nimio zelo pleni à prælatis regi, ac moderari etiam in rebus pijs. Iidem aiebant, viddraconem ... se ex eorum, qui à flagitijs conuertebantur, ore, lutulentos sues cum fœtibus exire: & ignẽ in eos, qui non comburit, intrare, itaque purgari. vbi nota illusionem, & hypocrisis fictiones. quanquam spiritaliter hoc certè fit; ex conuersis enim abeunt praua desideria, & immunda; ac cœlestis ignis intrat sancti Spiritus, quo purgantur.

Psalliani hæretici semper orantes.

Psalliani ex cõuersis peccatoris ore sues egredi se videre iactabant.

16 Seleuciani *negant Saluatorem in carne sedere ad dexteram Patris, sed ea se exuisse perhibent, eamque in Sole posuisse, iuxta illud. In Sole posuit tabernaculum suum.* Vide quid sentirent de Christi corpore, & quanquam falsò eius habitaculum faciebant solare corpus, cũ potius supra omnes cœlos euectum sit vnà cum anima. recogitet tamen qui id per Eucharistiam sumit, quàm purus esse debeat. hinc ait Chrysostomus. *Quo non solari radio splendiorem illam manũ esse oportet carnem hanc diuidentem? os, quod igni spiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Sed hoc habes vel ab hoste, qui non nisi splendidissimum illum planetam Christi corpori excipiendo assignabat.

Ps. 18. Seleuciani Christi corpus in Sole relictũ dicunt

17 Ascitæ *Ab vtre sic dicti, quem inflatũ bailantes circumibant, quasi euangelici vtres noui testamenti musto pleni.* Nota ineptias, & insaniam verè ebriorum: velut vtres ipsi erant inflati, non cęlesti nectare, sed Satanica superbia. ità diabolus Apostolis Spiritu sãcto plenis per ludibrium inuidebat.

Ascitæ vtrem circũferebãt quasi Spiritu sancto pleni.

18 Pattaloryachitæ. *In tantum hi silentio*

tio student, vt naribus, & labijs suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum sibi arbitrãtur. græca vox ex palo, & naribus ducta. Vbi nota sub recti specie fraudem diaboli, nã non loqui cum oportet, vitium est; hinc ait Esaias. *Væ mihi, quia tacui.* non semper esse decet Harpocratem. sed hi meritò suo ipso silentio tecti in obliuione iam sunt.

19 Donatiani, siuè Donatistæ aiunt: *Quod Ecclesia de toto terrarum Orbe perierit, vbi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remanserit. Maiorius eius Episcopus eloquentia sua confirmauit hanc hæresim. ad hanc pertinent Circumcelliones, genus hominũ agreste, & famosissimæ audaciæ, non solùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo; nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium, se ipsos necare consueuerunt, & in istum furorem alios seducere, vt occidãtur ab alijs, mortem, nisi fecerint, comminãtes.* Vide quanta sit Martyrum gloria, vt eam hæretici dementer affectarent. certè diabolum præcipitium suadentem Christus redarguit. & dæmoniacum, qui in ignem, & aquam ruebat, sanauit. Quod autem Donatistæ de Africanæ tantùm Ecclesiæ terminis dicebant, alibi impugnat. & in Malachia apertè arguuntur illis verbis. *Ab ortu Solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, &c.*

Donatistæ necẽ sibi inferebant affectantes Martyrũ gloriam.

Ecclesiam Africæ tantũ terminis cõtineri falsum est.

20 Priscillianistæ *Corpus nostrum secundùm duodecim signa cæli esse compositum dicebant, fatalibus stellis colligatum. in capite arietem, taurum in ceruice, Geminos in humeris, cancrum in pectore, plantas in piscibus vltimo signo, &c. constituebant.* Nota de fatalibus stellis, & vide in quos errores astrologi incidant. quantò satius, corpus cœlesti munditia purum seruandum monerent, vt calcaturum sidera; ac singulas eius partes virtutibus subderent, caput contemplationi, manus sanctæ operationi, pectus diuino amori, &c.

Priscillianistæ singula mẽbra hominis singulis cęli signis adscribebãt.

21 Alias quoque hæreses enumerat. *Alij nudis pedibus semper ambulant, eò quòd Dominus dixerit ad Mosen. Solue calceamentũ de pedibus tuis; & quod propterea Esaias iussus fuerit nudis pedibus ambulare. inde ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia diuina sic intelligunt.* Vide quid faciat intentio. nudipedalia si ad mortificationem referantur, Sanctorum sunt; si ad superstitionem, hęreticorum sunt, & mera hypocrisis ostẽtatio. Addit alias hęreses: numero sũt octoginta, & octo.

Ex 3.5.6.

Nudipedalia hæreticorũ.

88. hæreses tẽpore Augustini

Ex Libro de quinque hæresibus.

1 Eleganter à pugna metaphoram ducit. *Ad certamen Domino adiuuante processimus; nos non hostium turba, non quasi vitrea fulgẽtia terreãt arma. Goliam magnum, robustum, armis terribilibus munitum Dauid solus puer vno lapidis ictu prostrauit.* addit mox item eleganter. *Ecce quasi hostium compositæ acies: sumite arma; est lorica iustitiæ, scutum fidei, galea salutis, gladius spiritus. eia certamen in promptu est. feruet opus. vrgent aduersarij. sed nemo expauescat, plures sunt nobiscum, quàm cum illis. nobiscum est Moses, qui diuino imperio tumentis ponti voluentes flexuosis sinibus vndas vno ictu virgæ percussit, & aridos vertit in campos. nobiscum est Iesus fortissimus prœliator, qui diem, ne sui cursus metas peragerer, statuit, & nocti, ne accederet, imperauit; qui gentium reges nõ singillatim, sed gregatim superauit, captiuauit, humiliauit, occidit. nobiscum est Dauid manu fortis, &c. qui omnia futura præuiderunt, & prædixerunt.* pulchrè referri possunt hæc ad eos, qui hæreticos impugnant, qualis bellator, immò imperator egregius fuit inprimis ipse Augustinus, & hac ætate Robertus Bellarminus noster, qui cõtrouersias scripsit, & hæreticos conuicit testimonijs sacræ Scripturæ. introduci possunt Dominicus, Ignatius, &c. adhortantes ad hanc pugnam suos.

Eph.6.

Hortatio elegãs ad pugnam aduersus hęreticos.

2 Ipsorum gentilium testimonijs hæreticos redarguit. *Audi Mercurium, para frontem, & excipe lapis lapidem; frangere, vt confirmeris. hoc lapide percussus lapideus, desinat esse sacrilegus. Filius, inquit, benedicti Dei, cuius nomen non potest humano ore narrari, &c.* aptè Mercurij trismegisti testimonio vtitur, & quasi lapidem iacit; nam Mercurius ipse inter lapides colebatur, vnde illud prou. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij.* concludit. *Non tibi meos auctores profero: tuus est Mercurius, cui inter Deos tantus honor, & cultus à vobis illatus est, &c. & dæmones dicunt: Nouimus quod sis Filius Dei. venisti antè tempus perdere nos. vtinam quomodo dæmones Iudicẽ, sic homines agnoscerent Saluatorem.* Affert & Sibyllæ testimonium. *Audiamus quid & Sibylla vates dicat; Aliũ, inquit, dedit Deus filijs hominum colendum. eadem ait. Ipsum tuum cognosce Deum Dei filium esse: alio loco filium Dei σύμβουλον appellat, id est consilium, vel consiliarium. & Esaias dicit; Vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius; in quo Arius arguitur, qui cum dicit minorem Dei filium, dicit aliquando Deum non habuisse filium: & si fuit sine filio, fuit sine consilio.* rectè arguit. nam si filius, qui sæpè iam dicitur

Hęreticos arguunt Mercurius Trismegistus, & Sibyllę

dicitur minor est patre, & non ei coæternus, ergo Deus pater fuit aliquando sine consilio, & sapientia, quod dicere stultissimum est.

3 Arianos arguit negantes æqualitatē filij cum patre. *O Ariane, mulier apud Salomonem filium noluit diuidi, & tu diuidis Dominum Deum tuum? tunicam eius in cruce pēdentis carnifices Pilati non sunt ausi conscindere, & vos conamini charitatem Dei in cælo sedentis, immò Deum ipsum charitate diuidere? &c.* pulchrè, & muliere meretrice, & Pilati satellitibus peiores hæreticos dicit. & nota similitudines, cum enim illi alterius naturæ filium facerent, à patre diuidebant, at ipse de se dixit. *Ego, & pater vnum sumus.* huc refert illud. *Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.*

Ariani meretrice, & Pilati satellitibus peiores.

4 Petri verba ad Christum se transfigurantem expendit. *Faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnum, &c.) Quid dicis, Petre? Mundus parturit, & tu secretum petis? vides tenebras Mundi, & tu lumen abscondis? &c.* Nota eleganter dictum: Mundus dolebat nondum edito partu salutis æternæ per Christi passionem, Petrus impediebat hūc partum ibi commorando. Tum exponit illud. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. lucerna in candelabro, Christus in cruce.* pende illud de modio, quæ certa mēsura est, at charitas Christi de cruce pendentis immensa fuit. Denique sic in illa verba: *Hic est filius meus dilectus, &c.* sic vrget. *Nubila tonāt: quid tōnant? hic est filius, etc. vides in terra hominem, audis de cælo Deum.* addit præclarè: *hominem video, sed præ filijs hominum est quod intelligo: nescio quid mihi coruscat, & tanquàm de latebris fulgidum aliquid splendet.* ex humanitate scilicet fulgor quidam latentis diuinitatis irradiat. *resplenduit facies eius sicut Sol, &c.*

Christi transfiguratio, quā præclara.

Ad Cathecumenos. Ex concione contra Iudæos, Pag. & Arian.

1 Diabolum describit, & eius inuidiā ostendit. *Renunciauimus diabolo, & pompis eius. prius discutiamus, qui, vel quid sit diabolus. Diabolus Angelus, per superbiam separatus à Deo, à se ipso deceptus, alterum decipere concupiuit. auctor mendacij, inuentor mortis, radix malitiæ, &c. hic primum hominē ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circumdatum, immortalitate vestitum, cum videret terrenum accepisse, quod ipse amiserat, inuidit statim insatiabilis homicida; & cum tantis bonis expoliasset, obsitum pannis suis deridens eum suo dominio obstrinxit, atque illo vinculo omnem prolem eius sibimet obligauit. turpes enim pannos suscepit Adam, quando à Diabolo expoliatus immortalitate, morti propinatus est, etc. quid perdidit, & quid accepit?* Nota de peccato originali, & vide an Deiparæ cōueniat vestis hæc pannosa, & turpis, vt illā diabolus aliquando *obsitam pannis suis deriserit, & suo dominio obstrinxerit vinclis.* pudet dicere à diabolo derisam futuram Dei matrem, quæ illi terrori est. pudet obsitam eius pannis cernere: at contra in psalmo dicitur: *In vestitu deaurato.* & si Adam statim creatum dicit *charitate circumdatum*, cur nō & Deipara dicatur charitatis auro circumdata statim? denique quod ait, Adam propinatum morti ob venenum acceptum, Deiparæ potius propinauit poculum vitæ.

Diaboli fraus, & hostilitas.

Diabolus per peccatum originale spoliatos trabea pannosos fecit.

2 Est illa pulchra parænesis. *Renunciemus huic hæreditati, in qua sunt panni diaboli, hoc est eius pompæ.* Vide quid sint omnes Mundi pompæ, viles, & sordidi panni Satanæ. at contra quàm pretiosi pauperis Christi panni? *Pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio.* at apud eos pannos abiecta sunt diademata Magorum regum, & prostratæ purpuræ.

Tota Mūdi pompa viles panni diaboli sunt.

3 Eleganter Apostolos inuocat, quasi salutis causæ patronos. *Adhibeamus huic pupillo idoneos defensores, & Apostolorum tanquam Iuris petitorum cælestium ei patrocinium subrogemus. Apud vos, Petre, Paule, Ioannes, ceteriq; sancti consiliarij, veri Iudices, causam exponimus huius pauperis, & pupilli, idest generis humani, qui ex paterno chirographo inuentus est reus, obstrictus ab aduersario detinetur. non est aliud, quo huic subueniatur, nisi ex vestro consilio; dignamini pro huius miseri libertate proferre sententiam. & vos adstrinxerat hæc obligatio, nisi vobis gratia Christi subuenisset. consilium, quod à Iudice accepistis, promite. hæc est vox omnium: Quod fecimus, faciat, renunciet diaboli pompis, &c.* Nota genus humanum per peccatum originale quasi paterno chirographo reum, & obstrictum ab aduersario teneri.

Apostoli, vt patroni, & consiliarij inducuntur.

4 Extremo iudicio antè oculos proposito deterret mundanos. *Vigilet vnusquisque, ne apud ipsum diabolus suos pannos recognoscat. expectatur enim iudicij dies. præsto erit aduersarius. recitabuntur verba professionis nostræ, & si quis debitor ex hac vita migrarit, superiorem se esse declamans aget sic apud Iudicem causam: Aequissimè Iudex iudica; nam iudicium præparatio Sedis tuæ. iudica meum esse, qui tuus esse noluit post renunciationem; vt quid inuasit pannos meos? &c.* Nota quibus argumentis ante tribunal Iudicis cōtra nos causam sibi adiudicaturus est diabolus, quos ex ipsis pannosis, ac sordibis vestibus recognoscet.

Diabolus in iudicio suos quasi pannosos agnoscet.

Diaboli ad Christi tribunal cōtra nos accusatio.

5 Arianorum carpit audaciam de diuina natura temerè scrutantium, cum nec humanam nostram comprehendere possimus. *Insane, prius redi ad te, considera te to-*

tum, si potes comprehendere te, & tunc disputa de illo, qui fecit te. vide quàm non altè sapiebat humilis Dauid, qui deiecit Goliam. Mirificata, inquit, est scientia tua ex me; inualuit, & non potero ad eam. considerauit enim quid in se ipso ageretur. considerauit animam suam; inspexit fabricam, discussit se intus quid esset, & ex qua parte istam tam pulchram molem gubernaret, atque in vasculo luteo quomodo habitaret anima plena tantis thesauris sapientiæ, scientiæ, & prudentiæ. vbi illic essent tãta, tàm preciosa, tàm grandia. quæ loca anima obtineret, in qua nullus est locus? atque ex vno fonte quomodo procederent singulæ virtutes? vidit hæc, considerauit hæc; voluit, nec valuit comprehendere se, & exclamauit Deo dicens: Mirificata est scientia tua ex me; inualuit, & non potero ad eam: hoc est quando te possum comprehendere tam magnum; qui me ipsum non queo explicare extremum, & paruum? Vide quàm mirabilis sit animæ status in corpore, in luteo vasculo thesauros sapientiæ complectentis, & virtutum opes; vt quid eam in huius vitæ sordes abijcimus?

Psal. 138.

Animæ hominis mira excellentia, ex qua Creatoris incomprehẽsibilitas seruitur.

Docet quid sentiendum de Christo. *Serua, hæretice, hos gradus, & peribit error tuus, filius apud patrem æqualis cum patre, quia sempiternus cum sempiterno. æqualis in forma Dei, minor in forma serui, non solùm patre, sed Angelis: æqualis cum patre nouum cõstituit Mundum, minor patre perditum reparans Mundum. æqualis cum patre vitam largiens æternam, minor patre mortem suscipiens nostram.* pulchrè distinguit per antitheta quod ad humanitatem Christi, & quod ad Diuinitatem pertinet.

Christi operationes, & hominem, & Deum declarant.

7 Exponit satis eleganter illud psalmi. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* processit Christus vt sponsus in natiuitate, *Dei filius ex corde patris, hominibus filius ex vtero matris. his nuptijs cœli nouam stellam, nouum, ac splendidum lumen eodem sponso operante producunt, vt eum veluti in lingua sua laudarent.* Nota, & compara cor patris, & vterum matris. eruditè verò ait, stellam illam accensam quasi nuptialem fuisse tædã iuxta morem: cœlestis fax fuit, quia nuptiæ cœlestes; eadem fax dum splẽdorem eiibrat, quasi vibrans lingua eloquitur, & canit epithalamium: ita cum & Amor ipse harum nuptiarum auspex descendit, hoc est Spiritus sanctus, faces detulit linguarum instar vibrantium.

Christus, vt sponsus in natiuitate. stella pro face nuptiali, & pro lingua epithalamiũ concinente vsus.

8 Ad easdem nuptias refert Infantium innocentium necem. Occisi sunt, *vt ad nuptias cœlestis sponsi congregaretur infantium turba.* huc refero illud Sephoræ de filio circumciso. *Sponsus sanguinum tu mihi es*; in nuptijs olim adhibebatur hasta cœlibaris cruenta, quæ in corpore gladiatoris stetisset, vt sponsa paratam se intelligeret ad sanguinem pro sponso fundendum; quod in his cœlestibus nuptijs Ecclesiæ sponsæ accidit. sequitur de Innocentium cæde. *Occidit Herodes infantes, mortiq; propinauit, sed his Christus æternam vitam, immortalitatemque donauit.* pulchrè ait, quasi poculum propinatũ morti ex horum infantium suauissimo sanguine, ac penè lacteo, vt mors dulcesceret: quis enim non libenter perferat mortem, cum vel infantes præeant exemplo?

Alex. ab Al.

Innocẽtes infantes occisi ad Christum spõsũ pertinent.

Sãguis Innocẽtium infantium pro poculo morti fuit, vt dulcesceret.

9 Ioannis Baptistæ humilitatem exaggerat. *Non sum, inquit, dignus vt soluam corrigiam eius calceamenti. O fidelis testis, ò amice sponsi. quãtum te humiliasses, si corrigiam eius calceamenti soluere te dignum dixisses? & hæc à te dicta sunt antequàm Christum videres, qui cum ad te ipse veniret excelsus, & humilis, ecce, inquis, agnus Dei, &c. agnouit præco iudicẽ, paranymphus sponsum; qui habet, inquit, sponsum, sponsus est; amicus autem sponsi, stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. sufficiant vobis, ò Iudæi, testes ex lege, & gente vestra.* rectè notat profundam Ioannis humilitatem. non enim paruus humilitatis actus fuisset, si dixisset, sibi licere ad Christi pedes abijcere, vt eum instar famuli, ac mancipij calcearet, qui certè secũdùm carnem cognatione eum attingebat; sed hoc ipso se indignũ dixit. hinc Iudęos arguit, qui Christum Messiam non credũt.

Ioannis humilitas erga Christum commendatur

10 Conuincit item Iudæos gentilium testimonio. Nabucdonosor, & si gentilis, agnoscit filium Dei in fornace: *Nonne, inquit, tres viros misimus? ecce ego video quatuor viros, & aspectus quarti similis filio Dei. ò alienigena, quis annunciauit tibi filium Dei? nondum quidem Mundo nascitur, & similitudo nascentis à te agnoscitur. vnde tibi hoc, nisi quia sic te diuinus ignis intus illuminauit? &c.* Nota, ignis externus terrenus nihil egit in pueris suo calore, sed ignis internus diuinus, qui inspirabatur à quarto, idest Dei filio, accendit cor Regis, & illuminauit: qui accendi iusserat fornacem ad crudelitatẽ, ipse piè accensus est ad pietatem. quanta igitur perfidia Iudeorum? qui Christum nec natum agnoscunt, quem Rex barbarus agnouit nondum natum.

Nabucdonosor agnoscit in fornace Christum nondum natũ, Iudæi, nec natum.

11 Sibyllæ testimonio conuincit non credentes. *Vt suo gladio percutiantur inimici, audite quid Sibylla dixerit:*

E cœlo mox adueniet, &c.
Cum iacet incultus, densis in vepribus orbis, &c.
Eripitur Solis iubar, & chorus interit astris.
Decidit è cœlo ignisque, & sulphuris amnis, &c.

Si quis in græco capita horum versuum discernere voluerit, inueniet Ἰησοῦς Χρειστὸς υἱὸς θεοῦ σωτήρ, *idest Iesus Christus filius Dei Saluator.* Notabile planè significationis arcanum. vides licere ex inuolucris etiam literarum eruere mysteria abdita, modò absit superstitio. item

Carmen Sibyllæ continens in primis literis Iesu nomẽ.

Mundus, vt spinosus, & incultus ager incẽdetur.

In iudicio sulphureus, & igneus imber decidẽs omnia cõsumet.

item nota Mundum in iudicio quasi agrũ incultum, obsitum spinis inuentum iri, & quasi siluosum & infrugiferum, & ideo igni comburendum. in primo aduentu etiam spinas inuenit, sed eas capiti imposuit suo ne Mundus periret. expende illud de astrorum choro: nunc enim quasi choreas agitãt lætabundę ad voluptatem, vtilitatemq; nostram; tunc autem: *Operiam cœlos, & nigrescere faciam stellas, & omnia luminaria cœli mœrere faciam.* & illud quàm horrendũ de imbri sulphureo igneo?

12 Sunt & illa Sibyllæ verba præcipuè notanda. *Dabunt Deo alapas manibus incestis, & impurato ore expuent venenatas salinas.* Vide quid maximè exaggeret in Christi passione, opprobria, & ignominias mitissimi Christi vultus, hoc est alapas datas, & sputa ex ore venenato emissa. hoc & Iob vt maximè impium vrget. *Tetendit aduersus Deum manum, & contrà Omnipotentem roboratus est.* sputi verò opprobrium quantum sit, ostendunt illa verba de sorore Mosis leprosa. *quomodo si spuisset pater in faciẽ eius,* sed quantò fœdiora carnificum sputa?

Sibylla exaggerat maximè alapas & sputa in Christum impacta.

13 Quàm vera, & certa sit Christi fides, ostendit. *Vniuersa creatura testimonium Christo dixisse visa proclamat. nonne cœlum testimonium dixit, quando nouum sidus velut lingua, & digito, quo potuit, natum Deum hominem gentibus demonstrauit? nonne mare testimonium dixit, cum sui Domini portauit impressa vestigia? nonne terra, quando eius cõspersa saliua lumen non videnti restituit? nonne Inferi, cum Lazarum incolumem reddiderunt? quid in passione? nonne contra impudentiam vestram quodammodo publicam lucem testem citabo? quæ cæcitas infusa cordibus vestris, vt vos non terreret illa tanta medio die Solis obscuritas, & inter eius radios claros amputata subito lux, nox recondita in diem? luget terra, &c.* Pulchrè testem adhibet lucem ipsam, quæ se abdidit: quod enim certius & clarius testimonium quàm lux, & lux Solis? eleganter item stellam, quæ Magos duxit, quasi cœli digitum indicem vocat, simulque linguam eloquentem.

Omnis natura Christum Deũ testatur atque proclamat.

Stella Magorum lingua cœli Christum pclamans & digitus index.

14 Et hæc in Iudæos eleganter dicta. *Nostræ saluti militabat vestra malitia.* certè lancea illa vexillum militare salutis fuit. huc pertinet quod sequitur. *Quantum clamastis vt crucifigeretur, quantum laborastis? sed omnis iste labor fructus est noster: à vobis ille occiditur, nobis resurgit.* his addit. *Nundinas malas agebatis animæ vestræ, quando fundebatis pretium salutis nostræ, à malo venditore mali emptores.* Pulchrè ait, in illo celebertimo paschatis festo, tanquam in communi mercatu Iudęos nundinatores fuisse sanguinis Christi. malus emptor, malus vẽditor; at bonum nobis pretium. simile est illud. *O insensati Galatæ &c. ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* quasi enim proscriptio omniũ Christi bonorũ facta est à Iudęis, honoris, vitæ, etiam tunicæ: insensatus est, qui tanto proposito lucro non ditescit.

Malitia Iudæorũ militauit nostræ saluti.

Iudæi nũdinatores Sanguinis Christi.

15 Pergit Iudęos arguere. *Resurrectionem pecunia opprimere voluistis, & ecce iam toto Mundo celebratur. dispersit vos per vniuersas terras, vt vbique prophetias de eo, & quæcumque dicta sunt, vos perferatis, ac lucernam legis tanquam lignea candelabra sensu carentia gentibus ministretis, ne dum prædicãtur à nobis, dicantur fuisse conficta. hinc dicitur in psalmo: Ne occidas eos, sed disperge eos, &c.* Eleganter dictum & acutè, cur Deus non omnino extinxerit Iudaicam gentem. nempè Iudæi tanquam lignea candelabra, non argentea, vel aurea, ob vilitatem gentis, præferunt tamen lucernam sacræ scripturæ, immò circumferunt per Orbem, vt omnibus luceat, discutiens tenebras ignorantiæ.

Cur Deus non extinxerit gentem Iudaicam sed disperserit.

Ps. 58.

16 Arguit tribuentes miracula Christi, magicis artibus, cum prophetiæ, quæ de his egerunt, & alia ad magiam pertinere non possint. *Nunquid magicis artibus fecit, vt coleretur mortuus? Magos miserat antequam natus?* breui argumento, sed valido quasi pugione confodit sacrilegum dictum; neq; enim suspicio magiæ cadere potest certè in nõdum natum, aut iam emortuum.

Christi miracula magiæ suspecta esse non possunt.

17 Hæreticorum sectæ quàm facilè corruant, ostendit. *Non mirum, ò hæretici, si tot ruinas quotidie fabricatis, qui petram integram Christum in fundamento habere noluistis.* acutè perstringit, cur ea comminiscantur, quæ facilè ruunt, ratione concussa.

Hæreticorum dogmata quasi ædificia ruinosa.

18 De æterna felicitate sic. *Non est ista vita, qualis & altera: hic falsitas, illic veritas, &c ò quale erit illud gaudium, vbi nullus timor, cum te videris esse socium Angelorum, cum Rege regnantem; sine auaritia diuitem; sine morte viuentem, &c.* Eleganter, ac piè. quis ad felicitatem tantam adipiscendam non totus ignescat affectu?

Quam differat felicitate altera vita ab ista.

19 Veram matrem non nisi Ecclesiam ostendit, non Iudæorum, non hæreticorum conuentus. *Sponsa Iudæa non est, quæ virum suum non agnoscit. turpis est, quæ tanti viri speciem fuscare contendit. pulchram esse te dicis, ac de auro, & ornatu plurimo gloriaris. respõdet tibi speciosus præ filijs hominum: species fornicariæ facta est tibi, irreuerens facta es, &c.* Pulchrè dictum de Synagoga, quæ auro & ornatu, siuè templi, siuè scripturarum gloriatur, sed turpis est facta ob contemptum pulchri sponsi Christi. Addit item admodum elegantem apstrophen, alludens ad hæresum quoque colluuionem. *Non ergo te agnosco virginem: Arius abstulit integritatem tuam. semper viuit mater. nouerca quid te supponis? non potes excludere pulchram. vide quæ sit mater vera, quæ adhuc te tolerat suos filios præfocantem.* rectè matrem vocat

Synagoga sponsa nõ est sed Ecclesia.

Synagoga nouerca est, Ecclesia mater.

Ecclesiam, nouercam Synagogam, vt mirũ non sit, quod Ecclesiæ filios persequatur, ac præfocet, ne filium Dei voce fateantur.

Ex oratione contra Iudæos.

EXponit titulum quorundam psalmorum. *Pro ijs, qui commutabuntur, canticum pro dilecto*. idest Christo. *Cantatur ibi passio Domini transfigurantis in se quasdam voces membrorum suorum, hoc est fidelium*. vt cum dicit: *Delicta mea à te non sunt abscondita, &c.* illa verò ad ipsum pertinent: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Iudæi adhuc amari sunt ex panentibus, qui dederunt in escam Domino fel: ipsi fel, & acetum facti sunt, felleas, & acidas pani viuo epulas ministrarunt*. acutè dictum. Iudæi adhuc amaro animo sunt in Christi alumnos, seruantes scilicet amaritiem acceptam à maioribus suis, qui Christo pro manna tradito retribuerunt amatissimum fel, & acetum. ceterùm nota titulum huius psalmi de passione. *Pro ijs, qui commutabuntur*. nihil enim adeò valet ad commutandum animum, & ad conuersionem, quàm cõtẽplatio passionis Christi. quid mirum? quando & latro, qui prius cum socio obtrectabat Christo, mox admirans eius patientiam, cõmutatus est, quod etiam accidit ijs, qui interfuerunt. nam dicitur: *& omnes, qui aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua reuertebatur*. Nota item, transfigurationem vocat Christi in cruce, personam peccatoris sumentis: confer hanc cum illa, quæ in altero monte facta est. quamquam & ibi de hac loquebantur.

[Ps. 44. 68. 79.]

[Iudæi post propinatum Christo fel adhuc amaritudinem continent cõtra ipsius asseclas.]

[Christus in monte Caluario quasi trãsfiguratus est.]

Ex libro de altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ.

1 ELeganti, ac pulchro dialogismo inducit Ecclesiam, & Synagogam de dignitate contendentes. Synagoga sic adoritur. *Prophetæ ad me omnes venerunt*. respondet Ecclesia contra Iudęos. *Nõ probo, eosdem Sponsi mei iuuenes metatores, scilicet Christi gerulos literarum, mãdatorum portitores, inuidiæ causa à te interfectos*. Nota prophetarum munus; quasi tabellarios dicit, siuè cursores, & metatores hoc est, vt ait Vegetius, qui præcedentes locum castris idoneum eligunt, exercitui, & Imperatori præeunt.

[Ecclesiæ cũ Synagoga dialogismus, & de dignitate conflictus]

2 Pergit Synagoga iactanter contra Ecclesiam ex gentilitate collectam. *Ego Regem noueram, cuius literas frequenter accepera. tu siluicola barbarorum ritu, intra inuia angusto tuguriolo commanebas. tu cum gentibus, cum quibus ego sæpè pugnaui, pastorali more balantia pecora sequebaris: ego sceptro, & legionibus fulta apud Hierosolymam purpureo amictu regnabam. ego Reges, milites, & alienigenarum gentium duces occidi. mihi Persa, & Indus aurum, gemmas, ebur, argentum, sericum, totasque opes aduexit. tu montana, rustica, apta pecoribus, depressis in vallibus diuersabaris; tu ex vasta rupe incondensior, cui rimosus lapis timidum præbebat hospitium, lac de caseo, vaccinia cum glande metebas. ego Pharaonem cum suis curribus, ego Ægyptios, Chananæos, Cethæos, & ceteros Reges occidi*. Elegans planè Synagogæ oratio, nisi quod iactabundæ. nempè quasi Regina de sceptro, & purpura se iactat, quam à Deo acceperat ob eius cultum; sed frustra, si Deo ipsi, hoc est Messiæ, purpura, & sceptro arũdineo illusit. quod autem Synagoga gloriabatur. *mihi Indus, aurum, gemmas, &c. aduexit*. id nunc Ecclesia, de Indorum confsione luculentius prædicat.

[Synagoga frustra se de regno, & regijs opibus iactat.]

3 Obijcit Ecclesia Synagogæ, quod gloriam, quàm iactat, sceleribus polluerit. *Recognosco quæ loqueris, & laudes tuai diffiteri non possum; scio quia vrbis tuæ ambitiosa fora, & Capitolia celsa vidisti. armorum tuorũ impressio, & fulgentia clypeorum signa, spicula, enses, iacula, expressos equestrium exercituũ gemitus, magnos ornatus, duces, tyrannosque prostrauit: sed memor esse debes, quid propter vnam mulierem Dinam feceris in Sichem; imbelles homines, & innocentiæ suæ honore fulgentes latronum ritu vastasti*. Elegantissimè dicta. sed vide vt omnem gloriam labes inquinet vitiorum. venustè ab Ezechiele describitur ingens animæ decus quasi sponsæ ornatus, sed per peccatum nudata vilescit. Tum nota templũ illud Hierosolymitanũ tanquam celsum Capitolium vocari: in eo certè insculptæ palmæ fuerunt, & coronæ.

[Peccatum omne decus, quod est in anima perdit.]

4 Vrget Synagoga. *Regem non habet, qui proprio gaudet imperio*. Respõdet Ecclesia, ostendẽs illam sibi iam esse subiectam, seque præcellere. *In eo me gaudeo sublimatã, quod celsis facta sum celsior, & regnantium regna disieci. & ecce sub pedibus meis purpurata quondam regina versaris. regnasti, fateor; reges tibi, & principes ceciderunt. noli irasci, si quæ fueras domina, mihi facta videris ancilla. recito testamentum: in genesi dicitur. Duæ gentes, & duo populi in vtero tuo: maior seruiet minori. regnasse te dicis, triumphasse, sceptrum tenuisse, purpuram possedisse. me minusculam vel in vallibus delituisse, vel in collibus habitasse saxorum. te auro, bysso, serico, gemmis claruisse nobilibus, me pecorum lacte vixisse; sed tu maior, & diues seruatura minori, testamentum recipis, apices recognoscis. respice in legionibus signa, nomen Saluatoris intende, & considera*

[Synagoga decus omne in Ecclesiam confluxit.]

[Gen. 25.]

fideraste de regno iam esse deiectam. Dominus, inquit, regnauit à ligno: Ecce miracula passionis. ecce speculum lucis. ego sum regina, quæ te de regno deposui. ego sum sponsa, quæ relictis idolis de silua, & monte descendi, vt ait Patriarcha tuus: ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. vnde venis virgo cum lacte, cum floribus, intemerata iuuencula opaco de nemore, simplex, læta, pallio niuali composita? sponsus meus speciosus præ filijs hominum, rex regum, qui caput meum mitra composuit, me protinus purpurauit. & hæc eleganter dicta. vbi nota; fatetur quidem Ecclesia humile genus, quippè ex gentibus idololatris, sed quia Messiam recepit, quẽ Synagoga repulit, in ipsam transfusa est omnis gloria, regia insignia, &c. nobilitas autem vera ex virtutum potius, quàm ex maiorum prosapia æstimanda est.

Ecclesia purpuratæ reginæ similis.

5 Ecclesia conuincit Synagogam ex scripturis. *In deuteronomio dicitur: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos die, ac nocte. in vna enim die fuit dies, & nox, cum Saluator suspenderetur in ligno. ab hora enim diei sexta vsque ad nonam tenebra facta sunt. nox lumen abstulit, ac diem feralis, & luctuosa caligo cæcauit.* acutè interpretatur. est autem pulcherrimus hic locus de Christo crucifixo, qui tunc maximè cum moriebatur, vita dicitur, quia mortẽ destruxit: hęc diu noctuque imago versari ante oculos debet, hoc est perenni recordatione. eleganter dictum: *diem feralis, & luctuosa caligo cæcauit*. vel vt Iudęorum cęcitas indicaretur, vel illacrymauit natura parentando suo Conditori vsque ad cæcitatem consumptis oculis; certè Sol est est Mundi oculus.

Christus moriẽs vita vocatur pendens ante oculos p memoriã assiduam.

6 Ecclesia item exprobat Synagogę in primis crudelitatem, & impietatem. *Criminis te furore, & profano parricidio prædamnasti. gladius tuus per apicem mucronis madido adhuc cruore distillat. Altaria, inquit, tua demoliti sunt, & prophetas tuos interfecerunt gladio.* huc refero illud: *quem non prophetarum persecuti sunt patres vestri?* certè adhuc sæuities furit. adhuc sanguine distillat gladius Iudæorum, nam nõ contenti Christum interfecisse, eius postea imaginem confodere conati sunt, & Simonem puerum, inter ceteros, Tridenti crudelem in modum crucifixerunt. Denique Synagogam ipsam scripturis, quas pręfert, redarguit. *Cognita sunt omnia, & in suo ordine feliciter cucurrerunt: & ideò tuo te gladio scito esse percussam, tuo te testamento damnatam.* adagium est.

Iudęorũ gladius adhuc distillat cruore ob odium in Christũ.

Ex libro de vtilitate credendi.

1 PVlchrè affectum ostendit erga Ecclesiam matrem. *De me quid dicã? qui nunc vbera Ecclesiæ post longam sitim penè exhausta tota auiditate repetiui, atque altius gemens, & flens concussi, atque expressi, &c.* Nota, tam insignis Ecclesiæ doctor instar simplicis infantuli ad vbera Ecclesiæ inhiare se dicit, idque magna cum siti. est hoc contra hæreticorum atrogantiam.

Ecclesiæ vberibus cum simplicitate inhiãdũ.

2 Hæreticorum fraudes detestatur. *Idem nobis faciebant quod insidiosi aucupes qui viscatos surculos propè aquam desigunt, vt sitientes aues decipiant: obruunt enim, & quoquo modo cooperiunt alias, quę circa sunt, aquas, vel inde etiam formido losis molitionibus deterreant.* Vide quid sint hæretici, venatores, & aucupes insidiãtes, vt adhæreant alij doctrinæ fallacis visco. simile est illud: *facti estis sicut rete expansum subter Tabor*. illaqueantes scilicet animas, ne ad catholicæ perfectionis culmen euadant.

Hæretici quasi aucupes visco peruersorum dogmatũ fallunt.

Ose. 5.

2 Docet modum interpretandæ sacrę scripturæ. *In veteri testamento reperire est, & historiam, & ætiologiam, & analogiam, & allegoriam,* per historiam narratur quid gestum sit. per ætiologiam, qua de causa factum vel dictum: vt causa libelli repudij permissi, durities fuit Iudaicæ gentis. per allegoriã, vt de duobus filijs Abraham ex libera, & ancilla dicit Apostolus: per analogiam, vt cum vtriusque testamẽti congruẽtia percipitur. Vides quasi Cherubicam illam Ezechielis quadrigam.

Interpretatio sacræ scripturæ quatuor modis fit.

3 De cauendis in legendo fraudibus hæc monet. *Tria genera sunt errorum, quibus homines errant, cum legunt; primum genus est, in quo id, quod falsum est, verum putatur, cum aliud putauerit ille qui scripsit. alterum cum illud, quod falsum est, verum putatur; id tamen putatur, quod etiam putauit ille, qui scripsit. tertium cum ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, cum hoc non intellexerit ille, qui scripsit; in quo tamen genere non parum est vtilitatis.* in primo genere sunt fabulæ, vt de Rhadamanto iudice apud inferos ex Marone. in secundo falsa doctrina, vt de anima ex atomis, quod sentit Lucretius. in tertio genere, vt Epicuri sententia, quia alicubi dicit in virtute esse summum bonum, & hoc laudetur dictum, licet senserit esse in voluptate. habes igitur quasi tricipitẽ Cerberum Inferos intrantibus blandientem. Tum in scripturis hæreticorum interpretationes vitandas monet; quis enim vellet sibi explicari obscuros Aristotelis libros ab eius inimico, vel geometri-

Lectio librorum tripliciter decipere potest.

cas literas Archimedis ab Epicuro?

4 Irridet hæreticos, qui peruersè intelligentes scripturas, eas insectantur. *Qui mihi similes videntur illi mulierculæ, quam ij ipsi solent deridere, quæ irata, quod ei Sol iste laudaretur, vt erat religiosè simplex, concitata exiliuit, & eum locum, quem Sol per fenestrā illustrauerat, crebro pede percutiens. ecce, inquit, Solem, Deumque vestrum calco, clamare cœpit. Stultè quidem & muliebriter, quis negete? sed nonnè tibi tales videntur isti, qui ea, quæ non intelligunt, aut cur, aut qualia, sine impetu orationis lacerant? quidquid est, mihi crede, in scripturis illis, altum, & diuinum est.* Nota: irridebant hæretici simplicis mulierculæ factum calcantis Solem ab ipsis adoratum, cuius vim non intelligeret; at magis ipsi irridendi, qui scripturas spernunt, quarum vim non intelligunt. est tamen aliquo modo admirandus zelus religionis in illa simplici fęmina. pulchrè autem ait: *quicquid est in scripturis illis, altum, & diuinum est.* vide igitur quàm sincerè, & humiliter interpretandæ.

Hæretici male capiunt in scripturis quæ non intelligũt

Mulieris simplicis zelus calcando Solem, quem Manichęi adorabāt.

5 Superari se dicit diuinæ cognitionis præstantia. *Quemadmodum post longam cęcitatem, ac tenebras, oculis vix apertis Solem quis conetur ostendere, quem oculi desiderant; ita mihi nunc euenit, non neganti esse ineffabile quoddam animæ bonum, quod mente videtur, & me ad contemplandum nondum esse idoneū cum gemitu, & fletu confitenti; sed non deseret, si veritatem amo.* Vide quàm hebetem, & quasi noctuam se fateatur tam perspicax, & acutus doctor in Dei cognitione, nec sine gemitu, & lacrymis, sed cum spe tamen ad theologicam scientiam aspirare se dicit, quia veritatis amore ducitur.

Cognitio de Deo cū gemitu, & lacrymis exposcēda.

6 Quid ante conuersionem egerit in veritate indaganda, exponit. *Sæpè vt Academici, putabam verum inuenire non posse, ad quod suspirabam. Sæpè rursus intuens mentem humanam, tam viuacem, tam sagacem, tàm perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret; eumdemq; ipsum modum ab aliqua diuina auctoritate esse sumendum. occurrebat inexplicabilis silua. restabat aliud nihil in tantis periculis, quàm vt diuinam prouidentiam lacrymosis vocibus deprecarer. & iam ferè me commouerant nonnullæ disputationes Mediolanensis Episcopi.* Vide quò confugiendum sit, cum aliquid ingenio assequi non possumus, ad diuinam scilicet prouidentiam, ad eam enim pertinet tribuere cuiq; necessaria ad salutem. tum ad sanctos doctores recurrendum. & nota de ingenti desiderio inueniēdæ veritatis.

7 Breuis est illa, sed præclara vox. *Sordes animæ sunt amor quarūlibet rerum, præter animum, & Deum.* Sordes appellat etiam, quæ mundanis videntur splendida, nempè & Apostolus ait. *Omnia arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam.* Diaboli autem proprium est proponere suis asseclis sordes huiusmodi tanquam res honorificas, & fulgore conspicuas. sic egregiè Hieronymus, & alij interpretantur illud apud Iob. *Sternutatio eius splendor ignis.* per sternutamentum egeruntur capitis sordes, ac fæces, quas tamen ille vt res splendidas ad speciem præfert. porrò quod ad dilectionem pertinet: animum ait diligendum propter Deum, Deum verò propter se ipsum.

Præter Deum, & animam Mundus hic plenus est sordiū.

8 De veræ fidei probatione, cùm per miracula, tum per mores sic. *Homini non valenti verum intueri, vt ad id fiat idoneus, purgariq; se sinat, auctoritas præsto est, quam partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit: miraculum voco quicquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatē mirantis apparet. & hæc quædam sunt quæ faciunt admirationem; quædam etiam magnam gratiam, beneuolentiamq; conciliant, cuiusmodi fuerunt à Christo sanati languidi, saturata quinque hominum millia quinque panibus.* notabile est hoc de Christi miraculis, qui cum posset facere multa ad admirationē, vt Solem sistere, montes transferre, &c. ea maluit facere, quæ ad commodum aliorū essent. Tū causam affert, cur hæc crebrò nō fiant? nimirum quia vilescerent. *nam & diei noctisque vices, & constantissimum ordinem rerum cœlestium, & pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorumq; saporumq; varietates, &c. non adeò admiramur. sed da, qui primùm hæc videat, & sentiat, hebescit, obruiturque miraculis.* nota: nam præclarè quis ageret, si hæc quasi primùm spectans admiraretur, & conditorem glorificaret; quod agebat Dauid cum dicebat. *Domine, quàm admirabile est nomen tuum, &c. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunā & stellas, quæ tu fundasti.*

Miracula Christi ad vtilitatem magis, q̄ ad excellentiam, spectabāt, vt à Iosue Sol coercitus, &c.

Quæ sint miracula. & cur nō crebro fiant.

9 Affert secundam probationem de veritate fidei, ex moribus, & communi bonorum consensu. sic eleganter. *Mores item multum valent ad obtinendas hominum mentes. parumnè consultum rebus humanis arbitramur, quòd nihil terrenum, nihil igneum, nihil quod corporis sensus attingit, pro Deo colēdum esse etiam imperitum vulgus in tam multis, diuersisq; gentibus & credit, & prædicat? quod castitas vsque ad coniugij, prolisque contemptum? quod patientia vsq; ad cruces flammasq; neglectas? quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus? quod denique totius huius Mundi aspernatio vsque ad desiderium mortis incenditur? pauci hoc faciunt, sed populi probant, fauent, diligunt, & suam imbecillitatem non sine quibusdam scintillis virtutis accusant. hoc factum est diuina prouidentia per prophetarum vaticinia; per humanitatem, doctrinamq; Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum sanguinem, per prædicabilem Sanctorum vitam, & per digna rebus* tantis

Fidei veritatis probatio miracula, & sanctitas morum.

Vita religiosorum magnū argumētum veritatis fidei.

tantis pro temporum opportunitate miracula. & dubitamus nos eius Ecclesię cōdere gremio, quæ aduersarijs frustra latrātibus, populorum iudicio, conciliorum grauitate, miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas partes dare, vel summæ impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. pulchrè Christianæ fidei veritatem probari dicit, ijs, quę vel sunt mira prodigio, vel admiranda actione, præsertim illa, qua Mundi fastus contemnitur per paupertatem, & caro domatur per castitatem, quæ laus ad religiosos maximè spectat. inter præcipuas igitur probationes veræ fidei est vita religiosorum.

Ex Libro contra epistolam Manichæi.

Hæreticorum conuersio quā difficilis sit.

1 OStendit quàm difficilis sit hæreticorum conuersio. *Seruum Domini non oportet litigare, sed mitem esse. illi in vos sæuiant, qui nesciunt quanta cum difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt possit intueri Solem suum, non istum, quem colitis.* Vide quanta dexteritate, & mansuetudine opus sit in vulneribus hæreticorum tractandis, & quàm difficilis eorum conuersio. elegās autem est comparatio inter oculum mentis, & corporis, & inter vtrumq; Solem.

2 Increpat Manichæos, quod quadragesimale ieiunium pro Christi passione ac morte non seruarent. *Quid causæ est quod pascha Domini plerumque nulla celebritate frequentetis, nullo prolixiore ieiunio, &c. cum vestrum Bema, idest diem, quo Manichæus occisus est, quinque gradibus instructo tribunali, & pretiosis linteis adornato, & in promptu posito, & obiecto adorantibus, magnis honoribus prosequamini? hæc ego cum quærerem, respondebatur; eius diem passionis celebrandum esse, qui verè passus sit; Christum autem, qui natus non esset, neque veram, sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse, sed finxisse passionem.* Vide quàm diabolus inuiderit passioni Christi, vt eius gloriam ad Manetem hęresiarcham transfundere conatus sit, qui à rege Persarum excoriatus, & necatus erat, quod filiam non sanasset. diem igitur eius necis honorabant, extructo tribunali cum quinque gradibus pretiosè ornato. Bema græcè Βῆμα tribunal significat, & suggestum pro concione, siuè in foro, siuè in castris: at Christus potius in cruce velut in tribunali fuit, sic enim eam appellare solent patres, vnde iura dixit, & regna disposuit, inde etiam tāquam è suggestu Imperator in castris milites conscripsit suo sanguine. pro quinque autem gradibus pretiosè ornatis, quinque eius vulnera melius accipimus, quibus fit ascensus ad Deum. quò referri & illud canticorum potest. *ferculum fecit sibi rex Salomon; ascēsum eius purpureum, &c.* certè pro ferculo quidam tribunal, ac suggestum intelligūt.

Manichęi sollēniter celebrabant mortē Manetis non autē Christi

3 Pergit in sua Epistola iactanter Manichæus. *Hæc sunt verba ex perenni, ac viuo fonte, quæ qui audierit, crediderit, custodierit, nunquam erit obnoxius morti, sed æterna, & gloriosa vita fruetur.* Vide quibus verborum illecebris per fraudem hæretici alios capere conentur: perennem, ac viuum fontem appellat doctrinæ venenum. sed hæc blandimenta obtrudunt, *Vt imperitorum animis per ornatā ianuam errores latēter irrepāt.* Pulchrè ornatam ianuam appellat ornatam locutionem, sed quæ introducit ad mortem.

Hæretici splēdido sermone illaqueāt animos.

4 Manichæi figmenta commemorat. *In exordio, inquit, fuerunt duæ substantiæ à se diuisæ; & luminis quidem imperium tenebat Deus pater, continens apud se sapientiam, & vitales sensus; per quos etiam in membra luminis sui comprehendit; in vnoquoque autem membrorum eius sunt recondita millia innumerabilium, & immensorum thesaurorum. ipse verò pater copulata habet sibi beata, & gloriosa secula, cum quibus degit. ita autem fundata sunt eiusdem splendidissima regna supra lucidam & beatam terram, vt à nullo vnquā, aut moueri, aut concuti possint. iuxta verò vnā partem, ac latus illustris illius, ac sanctæ terræ, erat tenebrarum terra profunda, & immensa magnitudine, in qua habitant ignea corpora, genera scilicet pestifera; rursum regio ignea, & introrsum gens caliginis, ac fumi plena, in qua morabatur immanis Princeps omniū, & dux &c. terram lucis per infinita spatia diffusam dicit, & quinque antra gentis tenebrarum.* Vide quàm fallacibus spectris illuderēt, & imponerent alijs. duodecim membra diuini luminis fingebant, & in singulis membris innumerabiles thesauros repositos; ipsi interea tenebricosi, & egeni vera sciētia. potius dixeris duodecim Apostolos quasi Christi esse membra, *in quo repositi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* quos thesauros illis communicauit, iuxta illud: *omnia, quæ accepi à patre meo, nota feci vobis.* quod autem ait de quinque antris Principis tenebrarum, potius ea dixeris quinque sensus, in quibus per suggestionē ille latitat insidians. tum nota ex ipsa hostium voce, quàm horribilis, ac tetra sit regio, vbi diabolus inhabitat.

Manichęorū inepta, & impia figmenta.

Habitaculū horrendum principis tenebrarum.

Ex Libro de duabus animabus contra Manichæos.

1 NOn fidendum esse proprio ingenio ostendit suo exemplo. Sed si quid quæsitionis occurreret ad dignoscendum arduæ, ac perdifficilis, *recurrerem in me,*

pro-

In difficultatibus theologicis non fidendũ ꝓprio ingenio, sed ad Deum recurrẽdum precibus, & lacrymis.

prosternerer Deo, altè ingemiscerem, quærens ne me in medio spatio, quo certis rationibus promouissem, hærere pateretur. nullo modo possem existimare, quod me sic affectum ille desereret; admoneret potius suis illis ineffabilibus modis, &c. Vide quo recurrendum sit in difficultatibus theologicis maximè, ad orationem scilicet ad lacrymas; quod de se fatebatur Thomas Aquinas, & Bonauentura.

Vitium in defectu consistit.

Anima peccando quasi Sol deficiens fit.

2 Docet à simili quid sit vitium. *Si Sol iste tanta claritate conspicuus, & diei luce sufficiens vsque ad Lunæ similitudinem in conspectu nostro paulatim deficeret, non illum defectum videremus, sed lucem, qua defectus remaneret; nam defectus ipse neque visu, neque alio sensu sentitur: referamus nunc considerationem ad virtutem, cuius intelligibili luce splendere animum conuenientissimè docemur. porrò ab hac luce virtutis defectus quidam non perimens animam, sed obscurās, vitium vocatur.* Vitium igitur non est aliquid positiuum, nec natura aliqua mala, sed defectus à virtute. vbi nota animam iusti Soli splendidissimo cōparari, ac per vitium prodigiosè deficere. vt in prodigijs numerant, si quando præter eclipsin, Sol obtenebrescere sit visus cum horrore mortalium.

Hæretici per impia dicta deducebant, ad fatendum Deũ auctorem peccati.

Hæreticorum arrogantia in interrogando.

3 Pergit ostendere vitium non esse aliud nisi defectum. *Fortasse quis dicat, vnde ipsa peccata, & vnde malum? si ab homine, vnde homo? si ab Angelo, vnde Angelus? quos ex Deo esse cum dicitur, videtur tamen imperitis, quasi per quandam catenã ad Deum mala, & peccata committi. hac quæstione illi regnare se putant. quasi verò prius interrogare sit scire.* Egregiè arguit impiè dicta, cũ ex vno alterum deducentes, & ex hoc aliud, tandem peccata ad Deum auctorē referrent. sunt quidem peccata ipsa inter se velut orbes in catena nexi, vnde illud, *væ qui trahitis iniquitatem in funiculis, &c.* cum vnum post alterum committitur, id tamen metaphoricè dicitur, non quod peccata aliquam naturam habeant, cum sint tantùm defectus à bono. ideoque nefas est hæc ad Deum quasi principium referre. sed quid mirùm est, talem impiorum dogmatum catenam necti à catenatis diaboli mancipijs?

Manichęorum error de animę natura vel bona vel mala dẽstruẽs liberum arbitrium.

4 Arguit impiam Manichæorum sententiam. *Manichæi duo animarum genera dicunt esse: vnum bonum, quod ita ex Deo sit, vt non ex aliqua materia, vel nihilo ab eo factum, sed de ipsa eius omninò substantia pars quædam processisse dicatur. alterum autem malũ. quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt. atque ita duo genera fuisse aliquando discreta, nunc esse commista.* sed contra est, quia anima non se applicat ad bonum vel malum vt duplex, sed vt libera; quod si vna esset natura mala, altera bona, neutram posset pœnitere, quia natura ex se mala mutari non potest, nec bonam pœnitere, quia malum non agit.

Ex libro contra Fortunatum Manichęum.

1 Negat nos inuitos peccare, & cogi à contraria, & inimica nobis substantia; nam. *si pœnam meretur qui peccat inuitus, debet & præmium mereri, qui benè facit inuitus. quare nobis pœnitentia imperatur, si nos nihil mali gessimus, sed gens tenebrarum?* rectè argumentatur, alioqui secundùm istorum sententiam posset anima cum Deo ita conqueri: *Quid commerui? quid me expulisti de regnis tuis, vt contra nescio quam gentem pugnarem? depressa sum, permixta sum, corrupta sum, defecta sum. non est mihi seruatum liberum arbitrium. tu nosti necessitatem, pressa sum; cur mihi imputas vulnera, quæ suscepi? &c.* vides ideò peccatum nobis imputari, quia liberi agimus. suggerit diabolus, non cogit. qui & ipse non natura, sed voluntate malus est.

Si coacte operaretur anima posset cũ Deo conqueri.

Consuedo quædã coactio est sed tamen libera.

2 Exponit illud, quod obijciebat ex Apostolo. *Prudentia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta, nec .n. potest.* non dicitur, non posse subijci quasi vi coacta; sed vt mala consuetudine fit, vt *cum facti ipsius tenuerit perniciosa dulcedo, & voluptas, eadem ipsa consuetudine sic implicatur, vt postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.* exemplum affert soliti peierare; videtur aliter non posse. *Pugnat aduersus animam consuetudo facta in carne ipsa. est nimirum carnis prudentia, quæ quandiu ita est, legi Dei subijci non potest, quandiu prudentia carnis est, sed illuminata anima desinit illa esse carnis prudentia; sic enim dictum est, prudentiam carnis non posse legi Dei esse subiectam, sicut si diceretur, glacialem niuem calidam esse non posse: nullo enim pacto quandiu nix est, calida esse potest, sed cum resoluitur, & desinit esse nix, vt possit calescere.* Elegans similitudo de niue per lumen resoluta, & anima illuminata. Tum exponit illud Matthæi de arbore bona, & mala. non quod duæ naturæ sint, altera bona, altera mala, sed ipsam voluntatem intelligit ad bonum vel malum se applicātem liberè, quod ex verbis ipsis ostenditur; nam ait: *aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis est qui possit facere naturam?* rectè arguit; nam cum dicit, *facite*, liberum denotat arbitrium, non substantiæ necessitatem.

Ex

Ex libro contra Adimantum.

Nouum testamentum non repugnat veteri.

1 RESpondet Manichæorum obiectis, quod vetus testamentum contineret quædam contraria nouo, vt cum in illo dicitur; Deus septimo die requieuit ab omnibus operibus suis, & in hoc? *pater meus vsque modo operatur*. quod de administratione, & gubernatione intelligi debet. & cum in illo dicitur, homo formatus ad imaginem Dei, & in hoc, *vos ex patre diabolo estis*: id accipiendum est non de natura, sed de doctrina, & imitatione.

Cur humana Deo tribuãtur vt zelus &c.

2 Adimantus vituperabat illud, quod dicitur in deuteronomio. *Deus vester ignis est edax. Deus zelans*: quòd zelus dolorem secum ferat, perturbationem, & cruciatũ. Respondet, nõ hoc significari, *sed quia nihil dignum de Deo dici potest, ideo vsque ad ista peruentum est, quæ cum homines indigna esse putauerint, cogantur dicere, etiam illa, quæ conuenienter de ineffabili diuina excellentia se dicere existimant, indigna esse maiestate Dei. ceterùm quo verbo, nisi zelo Dei melius posset eius voluntas insinuari? quo vocamur ad coniugium Dei, & non vult nos turpi amore corrumpi, & punit impudicitiam: non frustra vulgo dicitur, qui non zelat, non amat. ad hoc etiam pertinet edax ignis; & Dominus dixit: Ignem veni mittere in terram; quem ignem illi discipuli se accepisse confessi sunt, qui dixerunt. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cũ aperiret nobis scripturas? ipse est ignis edax; consumit enim veterem vitam diuinus amor; & innouat hominem, faciens, vt eum amemus. nolite ergo timere ignem, qui est Deus, sed timete ingẽ; quem parauit hæreticis Deus.* acutè hoc vltimum de igne altero dictum in hæreticos; & nota alterius effectum in nobis: *Vt consumat veterem vitam & innouet hominem, faciens, vt Deum amemus*: vt ignis in se conuertit quod vrit. zelus autem pertinet ad amorem ipsius Dei in nos. nota etiam, nullam vocem inueniri Deo dignam, sed mutuam accipi ab humanis.

Cur Deus dicatur ignis consumens.

Luc. 24.

Prou. 6.

3 Adimantus reprehendebat illud prou. *Imitare formicam, & intuere diligentiam eius, quia ab æstatis tempore ad hiemem colligit sibi alimonias*, cui contrarium videatur illud euangelij; *Nolite cogitare de crastino*. at hoc ad id pertinet, vt temporalia non amemus, nec timeamus, ne nobis desint necessaria, & propter ipsa conquirẽda Deum deseramus. *Nam si hoc ideò dictum est, vt non seruetur panis in crastinũ, magis hoc implent vagi Romanorum, quos passiuos appellant, qui annona quotidiana satiato ventre, aut donant statim quod restat, aut proijciunt, quàm ipsi Apostoli, qui cum Domino loculos habebant; illud autem de formica ità positum est, vt quemadmodũ illa æstate colligit, vnde in hieme pascatur: sic Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat verbum Dei, vt in hieme aduersitatis habeat, vnde suauiter viuat.* Vide quid agat mentis scopus, seu intentio: Romani illi sine vllo merito ità in dies viuebant, vt quod supererat, donarent, aut proijcerent, sed non propter Deum. Egregiè autem ad mysticum sensũ refert illam formicæ solicitudinem.

Mat. 6.

Quid sit non cogitare de crastino.

Ex libro I. contra Faustum Manichæum.

1 FRaudem ostendit eloquentiæ hæreticorum. *Faustus fuit gente Afer, eloquio suauis, ingenio callidus. volumen edidit aduersus Catholicam veritatem. hoc aggrediar in nomine & adiutorio Domini, vt omnes intelligant, quàm nihil sit acutũ ingenium, & lingua expolita, nisi à Domino gressus hominis dirigantur; quod multis etiam tardioribus, & inualidioribus occulta æquitate diuina misericordia præstitum est, cum multi acerrimi, & facundissimi deserti adiutorio Dei à veritatis via longius aberrarint.* Vide vt humanum ingenium quantumuis perspicax cæcutiat sine fide. & vt multi rudes superarint per fidem omnem veterum philosophiam, & eloquentiam. nota etiam hæreticorum fraudem eloquentiæ illecebris irretiendo.

Hæretici eloquentia abutũtur ad fraudem.

Ingenium nisi à Deo dirigatur aberrat.

2 Nihil derogare veritati fidei dicit, quod quidam sint imperfecti. *Tu semichristianos cauendos putas, quod nos esse dicis: nos autem pseudochristianos cauemus, quod vos esse ostendimus.* fatemur deesse aliquid ad perfectionem, sed id quod ex parte obseruamus, falsum non est, vnde ait Apostolus. *Gaudens, & videns quod deest fidei vestræ. Cernebat vtique quandam fabricam spiritualem, sicut alibi ait: Dei ædificatio estis. gaudebat ex eo, quod iam ædificatum videbat, satagebat ex eo quod vsq; ad culmen perfectionis adhuc esse ædificandum sentiebat.* Nota, non esse malè sentiẽdum de alijs ob aliquas imperfectiones, nec ideo omittendam circa eos curam, nam qui cœpit Deus, ipse perficiet. idem dicendum de religiosis, si quid fortè in aliquo seculares animaduerterint, quod offendat. rectè autem perfectionis studium ædificationi comparat, cui vt Paulus ait; non fœnum, & lignum, sed aurum & argẽtum, & lapides pretiosi aptentur.

Col. 3.

Non est male sentiendum da fide vel religioso statu si quis imperfectior sit.

3 De

3 De primo serpente sententiam ipsius arguit. *Cur serpentem patrem nostrum dixisti? soletis enim vituperare Deum, qui praeceptum dedit, & laudare serpentem, qui homini per suum consilium oculos aperuit. aequum est vt serpentem diabolum à vobis laudatum tu potius agnoscas parentem tuum; nam ille te filium etiam modò vituperatus agnoscit.* acutè perstringit. potius ipse ex serpente patre videris ortus, qui serpentina lingua venenum euomis hæreseos. cæcutis ipse, dum laudas serpentem, quòd aperuit oculos Adam. sed ad quid aperuit? nempè vt videret nuditatem, & miseriam suam.

Manichæi serpêtem laudabât, quod aperuisset oculos Adam.

Ex Libro II. contra Faustum Manichæum.

1 Lepidè, & eleganter irridet Fausti insanum, ac fabulosum dictum de primo homine. *Ex armario vestro nescio quē primum hominem profertis, qui ad gentem tenebrarum debellandam de lucis gente descenderit armatus aquis suis contra inimicorum aquas, & igne suo contra inimicorum ignem, & ventis suis contra ventos. cur ergo non & fumo suo contra inimicorum fumum? an in fumo vestra mendacia tanquam fumo ipso euanescunt, atque deficiunt?* acutè hoc de fumo in Faustum, quo & eius oculos obruit. stultè autem id fictum dicit, primum hunc hominem armatum aqua, & igni, contra hostilem aquam, & ignem; nam aqua non est contraria aquæ, &c. Ego dixerim potius hominem armari debere aquis, hoc est lacrymis aduersus fluxas Mundi vanitates, quę perpetuo labuntur, quas aquas frustra euomuit draco aduersus mulierem illam in apocalypsi, Ecclesiæ typum. item armari igne charitatis aduersus ignem concupiscentiæ, & afflatu sancti Spiritus, hoc est gratia, siue suspirijs, & gemitibus, quos ille excitat in nobis, aduersus ventos, siue mūdani fastus, siue passionum impetus.

Fabula Manichęorum de primo homine armato igni, & aquis.

Matt. 27.

2 Impiam de Christo sentētiam carpit. *Christum non sub stellæ testificatione ponitis, sed in stellis omnibus colligatum esse dicitis.* Nempè nō minus impiè Christus à Manichæis colligatus stellis, quàm a Iudæis funibus, cum *vinctum adduxeruut eum ad Pilatum*: ceterùm si colligatus erat stellis, quomodò Stellam Magorum ab Oriente distantem ad se ducebat? sequitur. *Fingunt se indignari, quod filio Dei fiat iniuria, quia eum natum stella monstrante dicimus, tāquam genesis eius sub fatali constellatione sit constituta; cum eum ipsi non tantùm sub stellarum connexione, sed in vinculis omnium terrenorū, & in succis omnium herbarum, &c. ligatum dicant, vt solui purgariq; non possit, nisi ab hominibus electis, videlicet Manichęorum, ructetur.* Putabant illo bello, quod primus homo gessit contra gentem tenebrarum, eius filium Christum commistum principibus tenebrarum, colligatum, atque confixum corporeis rebus, esu autem purgari suo. vbi vides ad quas ineptias, immò ad quam impietatem hæresis deueniat. ipse potius Christus dans se nobis in cibum, nos à peccatis soluit, & purgat omni labe. Tum sic concludit: *Stella Magorum Christo non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium; nec eū subijciebat imperio, sed indicabat obsequio.* Addit egregiè. *Non ideò Christus natus est, quia illa stella extitit, sed ideo illa noua exorta est, quia Christus natus est. vnde si dici oporteret, non stellam Christo, sed Christum stellæ fatum fuisse diceremus. & si fata à fando, idest dicendo dicta sunt, quia Christus verbum Dei est, in quo antequam essent, dicta sunt omnia, nō consortium Christi fatum Dei est, sed fatum etiam siderum Christus est.* penè similibus vtitur verbis Gregorius magnus de hac stella.

Manichęi Christum in stellis colligatū dicebant.

Nō Christus subiectus Stellæ Magorum, sed stella Christo.

3 Irridet Manichæorum Euangelium fictum. *Quomodò euangelium vestrum dicendum est, idest bonus nuncius? quandoquidem ipse Deus vobis velo sibi opposito lugere nunciatus est, donec sua membra ab illa contaminatione pungentur.* rectè arguit, nam euangelium significat bonum, & lætum nuncium; at ipsi in suo euangelio Deum mœstum fingunt, vtpotè immistum contrarijs Potestatibus, & oppasso velo tectum, quasi ea de re erubescētem. satius dixissent, eum sibi velum oppandere quodammodò mœstum, ne scelera videat hominum; & ideò, præter ceteras causas, eius velari vultum Ecclesiæ ritu propè quadragesimæ finem. aut dicamus Solem ipsum in sui conditoris morte lugentem obtexisse se caliginis velo.

Diabolus opponens Euāgeliū Manichæorum Euāgelio Christi.

Manichęi Deum fingebāt mœstū oppasso velo ob partē sui mixtā Principi tenebrarū.

Ex Libro III. contra Faustum Manichæum.

1 Ostendit, contra quàm Manichæi euangelium, de Christo propriè euangelium dici, hoc est bonum nuncium, in cuius exordio ipso omen salutis indicatur. *Numerus Christi generationum secundùm Lucam ad septuaginta septem peruenit, quem numerum ipse Dominus in peccatorum remissionem commendat dicens: Non tantùm septies, sed vsque septuagies septies.* acutè adnotat omen bonis nuncij, vt verè hoc dici possit euangelium: & quod melius, & optatius nuncium, quàm remissio peccatorum?

Christi tātum Euangelio cōpetit hoc nomē boni nuncij cur?

Ex

Ex Libro IV. contra Faustum Manichæum.

1 PRæstantiam Christi Euangelij demonstrat. In veteri testamento, promissiones temporalium, in nouo æternorum; sed in illis temporalibus figuræ erant æternorum, & vetus fidem nouo astruit. ideo ipse Dominus post resurrectionem dans se videndum, & tractandum vetus testamentum citat: *Oportebat, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt, &c.* nec nos igitur temporalibus promissis illis ducimur, nec ipsi Patriarchæ, qui ex reuelatione, quò illa spectarent, videbant. *ideò illorum nec tantùm lingua, sed & vita prophetica fuit.* est hoc pulchrè dictum, ac certè notabile; vt ostendat vetus testamentum habere cognationem cum nouo. nam cum Deus Patriarchis bona temporalia promittebat, & eorũ semini, eos intellexisse ait, sub eorũ figura promitti cęlestia, ac proindè ad hęc anhelasse: vt cum Hierusalem aurea promittebatur, &c. malè igitur Manichæi hoc reprehendebant, quòd Deus in veteri testamento, non nisi terrena promitteret pro virtute, & terram lacte, & melle manãtem: cum interea ipsi alias terras fingerent. *terram Chananæorum, quæ manifestè illi populo data est, contemnere vos gloriamini, quasi ...ita vos terram luminis describatis ex vna parte, à terra gentis tenebrarum, tanquam cuneo coarctato discissam, vt neque in rerum veritate inueniatur, & in cogitationum vestrarũ falsitate credatur.* Nota fabulam luminosæ terræ, cui opposita esset tenebricosa; ita veritati fidei illudebãt. potius luminosam terram dixeris Ecclesiam oppositam tenebricosæ hæreticorum, vel religiosorum statum tenebris mundanorum.

Luc. 26.

Vetus testamẽtum terrena promittebat, sed vt typum æternorum noui.

Fabula Manichęorum de duplici terra luminosa, & tenebricosa.

Ex Libro V. contra Faustum Manichæum.

1 CHristi passioni sic obtrectabãt Manichæi. *Christum, qui dicit, ego sum veritas, speciem carnis, mortem crucis, vulnera passionis, cicatrices resurrectionis mentitum esse suadetis.* Vide vt diabolus passioni Christi inuiderit, quæ scilicet ipsi exitio fuit, & ipsius regno.

Manichęi Christum dicebant mentitum fuisse vulnera.

2 Superstitiones illorum arguit. *Non præcepit vobis Christus, vt herbam non euellatis, sed ne homicidium perpetretis, qui discipulos suos per segetem transeuntes vellere spicas Sabbato non prohibuit, vt & præsentes Iudæos conuinceret, & futuros Manichæos. illa falsa sunt homicidia, vestra sunt vera, cum animas trucidatis.* Manichæi herbas vellere sacrilegum putabant, quasi læderent ijs immistam Dei substantiam; vbi nota Christum suis gestis præuenisse errores hæreticorum. item hæreticos, vt crudeles homicidas habendos, vel cum blandè per eloquentiam subuertunt animas: quod si etiã nacti sint dynastas, & Principes adhærentes suæ sectæ, etiam in corpora catholicorum immaniter sæuiunt.

Manichęi herbam euellere homicidium putabant nõ autem hominem catholicum necare.

Ex Libro VI. contra Faustum Manichæum.

1 PErgit Manichæorum ineptias commemorare, & impia figmenta arguere. *Dicitis, dolorem sentire fructum, cum de arbore carpitur, cum comeditur, cum conteritur, cum manducatur, &c. Item duas animas esse in animantis corpore.* hinc pugnam illam oriri censebant carnis, & spiritus in nobis. *dicunt isti vaniloqui, in illa pugna, quando primus homo eorum tenebrarum gentem elementis fallacibus irretiuit, vtriusque sexus Principibus ibidem captis, plerosq; in cœlestibus fabricis colligatos, in quibus erant, & fœminæ pragnantes, quæ cum cœlum rotari cœpisset, eam vertiginem ferre non valentes, conceptus suos abortu excussisse, eos abortus in terram cecidisse, concubuisse, genuisse. hanc originem aiunt esse carnium omnium in terra, aquis, aere. ergo si de cœlo est origo carnium, absurdum est propter has immundiores eas putare, quàm fruges, quæ oriuntur è terra.* Nota quibus nugis alios irretirent. carnẽ, quæ in iustis potius instrumentũ est animę ad cœlum acquirẽdum, tanquam abortum è cœlo proiectum putabant in terram ad coitus immunditias. Sed lepidè eos deridet. vermes igitur ipsi commendent, quia hi non sunt ex concubitu.

Manichęi cur carnes comedere horrerent, ...

Ex Libro VII. contra Faustum Manichæum.

1 NEgabat Faustus Christi genealogiam; quia ipse dixit: *Quæ est mater mea?* deinde quia qui eam scripserunt, vt Matthæus, & Ioannes, non adfuerunt eius ortui. itaque dicebãt, tam stultum esse hoc credere, quàm si quis cęcum, aut surdum testem in iudicium vocet. Respondet, *Si propterea putant eum non habuisse in terra matrem, vel genus, quia ait: Quæ est mater mea? superest, vt etiam discipulos eius affirment non habuisse patres, quia dixit eis: Ne vobis dicatis patrem in terra: vnus est enim pater vester Deus.* quo potius ostendit, regnum cœlorum præponi terreno generi. ad

Matt. 12.

Manichęi negabant Christi genealogiam, & Deiparæ maternitatem.

ad alterum respondet lepidè; si Matthæus non adfuit recens nato, num adfuit Manichæus, qui tantò post natus est, vt testetur matrem, & genus non habuisse? certè Apostoli, & per Spiritum sanctum, & per recētem memoriam scire poterāt, tum sic eum vrget. *& tamen cæci, & surdi dicuntur Apostoli. vtinam tu non tantùm cæcus, & surdus fuisses, ne tam vana, & sacrilega disceres; sed etiam mutus, ne talia diceres.* acutè & eleganter perstringit audaciam.

Ex Libro VIII contra Faustum Manichæum.

Matth. 9.

1 Reijciebat Faustus testamentum vetus, quia dicitur in Euangelio. *Nemo pannum nouum assuit vestimēto veteri.* sed hoc intelligitur de eo, *qui continentiam vult habere spiritalem, & nondum deposuit carnalem*, ita increpatur Petrus secundùm carnem diligens Christum, & prohibens eum à passione. Tum lepidè Manichæos irridet. *Vndè igitur potuerunt Principibus tenebrarum membra Dei vestri non adiuncta, atque consuta, sed quod est vehementius, commixta, & concreta cohærere? nisi fortè inde vultis probare, vnum fuisse nouum, alterum vetus, quia maior scissura facta est, vt miserabilis pannus de regno lucis abscinderetur, & globo tenebrarum æterna pœna configeretur. & tamen argutè sibi videtur velut acu linguæ diuinarum scripturarum firmamenta compingere, talium fabularum sordidus sartor, aut mendicus indutor.* acutè, ac pulchrè compungit Manichæum, de panno assuto male interpretātem, quamobrem eius linguam acus instar assuentis dicit, & turpem sartorem vocat. ceterùm cùm horrescis, lector, impium dictum de Dei artubus commixtis Principibus tenebrarum, vide quam horribile quoq; sit malè accipere Eucharistiā cū mortali peccato, & dominicum corpus, quasi cōmiscere diabolo, qui intus regnat in corde. quò refer illud Pauli: *Quæ commixtio lucis ad tenebras?* certè de Iuda indignè communicante dicitur: *vnus ex vobis diabolus est.*

Manichæus fabularum sordidus sartor.

Quā horribile sit indignè sumere Eucharistiam.

Ex Libro IX. contra Faustum Manichæum.

1 EXponit illud Apostoli. *Simul sedere nos fecit in cælestibus in Christo.) Quia spe certa quod futurum est, iam tenemus. non dum hoc in nobis, sed iam in illo.* ipse vt caput hoc habet, ergo & membra. vides quàm nobis abiectus videri debeat omnis Mundi fastus præ hoc tam sublimi solio, in quo cū Christo sessuri sumus.

Eph. 2.

Ingens iusti dignitas consessuri cum Christo.

Ex Libro X. contra Faustum Manichæum.

1 MYsteriū in Euæ formatione agnoscit. *Fit verò dormienti coniux de latere, fit Christo moriente Ecclesia de sacramento sanguinis ex eius latere: vocatur Eua vita, & mater viuentium, quæ de viri latere facta est. & ait Dominus: Si quis non manducauerit carnem meam, & biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam.* Nota, vulnus maximè lateris Christi ad Eucharistiam pertinere. Adam, vt dixit alibi idem Augustinus, in eo actu interfuit curiæ Angelorū, mira quadam ecstasi. quid de hoc Sacramento dicemus? hinc illi Sāctorum enthei raptus. sicut autem ex Adæ latere Eua formata, sic è Christi latere Ecclesia, & per frequētationem huius Sacramenti creuit.

Eucharistiæ in Christi latere typus

2 Ad Eucharistiam etiam refert illud de Abel. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.) Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus respondetur. Amen. hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fideliū eodem sanguine redemptorum.* Nota morem veterum Christianorum, qui accepta Eucharistia dicebant, Amen, quæ vox erat quasi vox sanguinis Christi clamantis, vt pater rei veritatem nostra saluatione cōfirmet. addo ita dictum vt eliceretur actus fidei in mysterio fidei, confirmantibus ita verè esse; verum illud esse corpus, & sanguinem Christi. vbi aduerte Christum de eo mysterio loquentem eandem vocem vsurpasse. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* huc etiā refert quod sequitur; *Maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem, &c. non ait: maledicta terra, sed tu à terra, quæ aperuit os suum, idest Iudæus ab Ecclesia, quæ aperuit os suum in confessione peccatorum accipere sanguinem Christi.* Notabilis hic locus est de confessione peccatorum, quæ præcedere debet Eucharistiæ sumptionem. quāquam & apertio illa oris ad auiditatem referri potest, iuxta illud: *Aperi os tuum, & implebo illud.*

Vox Amē in sūptione Eucharistię vt vox sanguinis Abel.

Confessio præcedat sumptionem Eucharistiæ.

Auiditas in sūptione Eucharistiæ.

3 De coruo ex arca emisso sic. *Coruus aut aquis interceptus, aut aliquo supernatante cadauere illectus, significat homines in immunditia cupiditatis teterrimos: sed columba emissa, non inuenta requie, reuersa ostendit, per nouum testamentum requiem Sanctis esse permissam.* Nota vim consuetudinis malæ. coruus intra arcam abstinuit cadaueribus, statim emissus redijt, vt antea solitus.

Coruus nō rediēs illectus cadaueribus typus peccatorum.

4 De arcus, siue Iridis significatione sic. *Posuit Deus testamentum inter se, & homines arcum in nubibus, qui nonnisi de Sole re-*

Dei gloria pulchrè Iridi comparata.

splendet: illi enim non pereunt in diluuio extra Ecclesiæ arcam, qui in prophetis, & in omnibus diuinis scripturis, tanquam in Dei nubibus agnoscunt Christi gloriam, non quærunt suam. Pulchrè ait, Iridem ab admiratione ob pulchritudinem Thaumãtiam dictam, Christi gloriam significare, quæ ijs, qui ipsam quærunt, inter quos Ignatius noster fuit, ac Teresia, signum salutis, ac prædestinationis est. sic de quadriga illa Cherubica Ezechielis dicitur. *Vidi velut aspectum arcus cum fuerit in nube*, & mox *eleuata est gloria domini. & ascendit gloria domini, &c.*

Baptismi sublimitas in arcæ Noe eleuatione denotata.

5 Mysterium agnoscit in altitudine aquarum diluuij. *Centum quinquaginta diebus exaltata est aqua, commendans nobis altitudinem baptismi ad tenendam quietis fidem.* Vide quanta sit baptismi excellentia, atque sublimitas, etiam cum caput aquis demittitur: nempè altissimum mysterium Trinitatis præcipuè continet.

Dilatatio Ecclesiæ in Iaphet benedictione figurata.

6 Ad Ecclesiæ amplificationem refert illud. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in domibus Sem. Videte Manichæi, ecce in cõspectu vestro est Orbis terrarum. hoc stupetis, hoc doletis in populis nostris, quia dilatat Deus Iaphet, & habitat in Ecclesiis.* Vide inuidiam hæreticorum. hinc & Apostolicos viros insectantur, qui hanc fidei dilatationem procurant, etiam in nouo Orbe terrarum. Manichæi intrà Africa fines Ecclesiam concludebant.

Iacob sõnium de scala ad Christum relatum acutè.

7 Iacob somnium interpretatur. Lapis vnctus à Iacob, est Christus ab vnctione sic dictus; ibi visi Angeli ascendentes, & descendentes, & Iacob Israel vocatus: ita Nathaniel verè Israelita dictus, & Christus ait. *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes supra filium hominis. cum ille tanquam eum lapidem habens ad caput confessus est filium Dei, & regem Israel, ista confessione velut vngens lapidem, idest ipsum confitens esse Christum.* acutè adnotat proportionem. Iacob vocatur Israel, Nathanael Israelita. ille vngit lapidem, hic Christum, idest vnctum fatetur. vtrobique mentio de Angelorum ascensu, & descensu super Christum, & vnctum lapidem; nisi quod ibi per somnia res ostensa, & per figuram, seu noctis vmbram, hìc in expressione veritatis. Deinde ait. *In scala significati sunt Euangelistæ & prædicatores, ascendentes vtique; cum ad intelligendam eius supereminentissimam diuinitatem ascẽdunt vniuersam creaturam, vt eum inueniant factum ex muliere, &c.* Vide munus prædicatoris. primò vitã agere debet Angelicam, deinde in concione modò maiestatem diuinitatis ostendere, vt auditor reueteatur; modò ad humanitatem, & passionem descẽdere, vt amet. Addit item pulchrè. *ascenditur, & descenditur, dum prædicatores non solùm se erigunt vt Christum sublimiter spectent, sed etiam se humiliant, vt temperanter annuncient. videte Apostolum ascendentem. Siuè mente, inquit, excedimus Deo. videte & descendẽtem. Siue inquit, temperantes sumus vobis. dicat & per quem ascenderit, & descenderit: Charitas enim Christi compellit nos.* Nota, vt prædicatores accommodare se debeant, & attemperare capacitati auditorum, idque ob Dei gloriam, & communem salutem.

Concionatores Angelis scalæ Iacob comparati.

Virga Mosis ex serpente cauda apprehenso restituta nostra conditio in fine mundi pChristũ.

8 Mysterium virgæ Mosis exponit, *Virga Mosis in terra serpens effecta Christi mortem figurauit à serpente venientẽ. sed apprehensa cauda rursus virga redditur, quia in fine per vitæ reparationem morte consumpta nihil serpentis apparet. nos quoque corpus eius in eadem mortalitate per lubrica temporum voluimur; sed fine nouissimo, velut cauda seculi per manum, idest potestatem iudicij, ne vltra prolabatur, apprehensa reparabitur, & morte destructa resurgẽtes in dextera Dei virga regni erimus.* Pulchrè dictum, nam etiam apud veteres serpẽs in se conuolutus tẽporis symbolum erat. nos igitur nunc temporanei, & morti subiecti sumus; sed in fine Mundi post resurrectionem virga Dei, idest sceptrum regni erimus in manu Dei, iuxta illud. *Israel sceptrum hæreditatis eius.* Similiter dicitur. *eris corona Domini in manu eius, & diadema speciei.* certè Adam antequam per serpentem temporaneus, & mortalis fieret, quasi virga regni erat: *præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs terræ.* sed per peccatũ instinctu obliqui serpẽtis, cõmissũ obnoxius est factus tortuosi temporis veluti flexibus, ac mortalitati. sed tandem in fine Mundi per resurrectionem à Christo restituendus in sceptrigerũ decus regni cœlestis.

Ierem. 51.

Columna in deserto figura Christi.

9 Columnam in deserto interpretatur de Christo. *Quia rectus, & firmus, & fulciens infirmitatem nostram, per noctem lucens, per diem non lucens: vt qui non vident, videant. & qui vident cæci fiant.* illud de Iudæis, hoc de gentilibus intelligit. confer autem columnam, in qua diriter flagellatus est, cum illa lucida, & roscida, qua se exhibuit in deserto: roscidam hãc quidẽ, sed proprio cruore, sequitur. *Nubes, & mare rubrum baptismus, vtique Christi sanguine consecratus. hostes sequentes à tergo, qui moriuntur, peccata præterita.* Nota; nam de ijs dicitur. *nequaquam eos vltra videbitis*: adeò peccata omnino profliganda sunt.

Exod. 14.

Funiculus coccineus Rahab memoria passionis Christi.

10 De Rahab signo sic. *Coccus à meretrice per fenestram tanquam per os corporis mittitur, quod est vtique sanguinis signũ.* Rahab typus peccatoris erat: cum ore fit confessio tãquam coccineus funiculus e fe

nestra emittitur, quod salutis est signum: peccatum quidem coccino comparatur, iuxta illud. *si fuerint peccata vestra sicut coccinum, &c.* sed ille color sanguinis ex vulnere animæ est: opponi igitur illi debuit sanguis vulnerum Christi. & rectè coccineus funiculus dicitur, quia nihil tam tenaciter nos colligare cum Christo debet quam eius passionis memoria. simile est illud: *in funiculis Adam traham eos:* secundi scilicet Adæ.

Hierico ad tubæ sonum corruens, Mundus est. Euangelio iam promulgato destruendus.

11 Muros Hierico corruentes septies. p Arcã circumdatã ad sonum tubæ sic interpretatur. *Testamentum Dei per tempora, quæ septem dierum numero dilabuntur, nunc circumit toto Orbe terrarum. vt in fine temporum nouissima mors destruatur.* Pulchrè, & acutè interpretatum; nam & Hierichо nomen Lunam hebraicè significat, obnoxium scilicet remporum mutationi hunc Mundum denotans, cum igitur Euãgelium, vt Arca illa circumducta, totum iã Orbem ambierit; & tuba prædicationis vbique personuerit, tunc status huius mortalitatis per iudicium destruetur; quò item spectat illud: *in tuba Dei, in voce Archangeli, &c.*

Iahel ligno Sisaram configens Ecclesia victrix p crucem.

12 De Iahèle, quæ Sisaram clauo, & malleo occidit, hanc affert interpretationem. *Quæ est ista mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens?* rectè miratur in muliere magnitudinem animi militarem, nec alijs armis quàm ligno victricem. in Ecclesiæ typum referri potest. item ad S. Tertiã crucis mortificatione diabolum superantẽ per se atq; suos.

Gedeonis vellus, & area ad Ecclesiæ typum relata.

13 Gedeonis vellus sic interpretatur. *Quid vellus complutum area, sicut & postea compluta area sicco vellere, nisi gens Hebræorum primò habens mysterium Dei, Orbe vacuo; nunc totus Orbis habens illa euacuata?* rectè per vellus ouillum Synagogam indicari ait, quia ouium maximè sacrificijs erat addicta. area verò Ecclesia rectè dicitur ob latitudinem, & ob Eucharisticum frumentum loco veteris sacrificij. area quippè locus frumenti est. hæc ampla area diuino rore Dei beneficiorum nunc irrigatur, sicco iam vellere, hoc est victimis Iudaicis abolitis.

Fauus in ore leonis potestas regia antea Ecclesiæ infensa nunc benigna.

14 De leone Samsonis hæc habet. *Quid sibi vult in ore leonis occisi fauus extractus, nisi quia videmus leges ipsas regni terreni, quæ ante aduersus Christum fremuerant, nunc dulcedini prædicationis Euangelicæ munimenta præbere.* Pulchrè leoni regiam potestatem comparat, vtpotè regi animaliũ. hæc potestas primò in Christianos sæuijt per tot Imperatores, ac tyrãnos; deinde à Christo domita, & per baptismũ mortificata, in eo quippè commorimur Christo, mellis dulcedinem cœpit habere, vt in Constãtino magno. nam quid ego de huius temporis imperatore Ferdinando, ac ceteris Christianis regibus dicam? quanta in ijs dulcedo pietatis? quæ suauitas beneuolentiæ in bonos?

Duo ligna mulieris panificæ crucis Christi typus.

15 Exponit illud de muliere, quæ ait propheta. *En duo ligna colligo, vt faciam panem, &c.* refert ad crucem ex duobus lignis tranuersim positis. *non solo ligni nomine, sed etiam numero lignorum signum crucis expressit.* rectè crucis typum dicit. vbi nota, ligna illa ad ignis nutrimentum accepta fuisse, sicut crux charitatis est fomes. his lignis panis ille cœlestis excoctus est nobis in cibum.

Fides Ecclesiæ arbor finapis vbi nidificant quasi volucres sapientes.

16 Interpretatur granum sinapis, quæ arbor ex minima fit magna, vt super eam aues nidificent. *Inter omnia olera granum illud sinapis regnat, sub cuius vmbraculis longè latèque porrectis, etiam alta petens superbia gentium, tanquam in cœli volatilibus confugiendo requiescit.* Eleganter ostendit, gentiles etiam excelsi, ac præpetis ingenij ad Ecclesiam se contulisse, cuiusmodi fuerunt Iustinus Philosophus, Cyprianus, & alij; hìc potius tanquam volucres consederunt, relictis altissimis cedris superbientis philosophię. Pulchrè dictum. *inter omnia olera granum sinapis regnat.* fides enim Ecclesiæ quasi regina suos vbique fasces præfert, ex omnibus gentiliũ sectis superior, & imperiosior est. idem de nostra Societate dixerim, *quæ minima est &c.* hìc sapientes nidificant, non in superbis cedris.

Vetus testamẽtum legi debet referendo ad nouũ.

17 Pulchra similitudine ostendit, vetus testamentum esse referendum ad nouum. *Si quis nostrum, qui hebræas literas ignoramus, idest ipsos vocum characteres, videret eas in pariete conscriptas honorato aliquo in loco, quis esset tam excors, vt & modo pictum parietem putaret, ac non potius intelligeret scriptum? vel si legere non valeret, non tamen illos apices aliquid significare dubitaret? ita prius illa omnia, quæ sunt in vetere testamento scripturarum sanctarum quisquis non peruerso animo legerit, sic oportet moueatur, vt aliquid ea significare non ambigat.* rectè argumentatur à simili: alioquin quid necesse erat in arcæ fabricatione v. g. mensuras omnes tã enucleatè explicari? & sic de alijs. *Vidit hoc Philo quidam vir liberaliter eruditissimus, vnus eorum, cuius eloquium Græci Platoni æquare non dubitant, & conatus est aliqua interpretari, non ad Christum intelligendum, in quem non crediderat, sed vt magis appareret quantum intersit vtrùm ad Christum referas, an præter illum quaslibet coniecturas mentis acumine persequaris. hic arcam diluuij secundùm humani corporis rationem fabricatam volens intelligi, tanquam membratim omnia pertractabat.*

at

Vulnus lateris Christi p ostium arcæ Noe indicatum.

at vbi ventum est ad ostium, quod in arcæ latere factum est, omnis humani ingenij cõiectura defecit. scilicet de inferioribus corporis partibus, è quibus excrementa egerunt, ausus est dicere, quod potius pulchrè ad mysterium Christi lateris pertinebat, vnde sacramenta fluxerunt. vbi nota quantum hebescat acies humani ingenij, vt vir tantus, qui alter Plato dictus est, in diuinis interpretandis ad ineptias, & sordes ábierit. tum sic acutè, ac lepidè: *Nec mirum si ostio non inuento sic errauit*: non intellecto scilicet vero significato ostij arcæ, intrare non potuit ad veritatem. vide igitur vulnus illud Christi lateris quantę excellentiæ sit, quòd humana mens quantumuis doctrinis exculta, sine fide percipere non possit: ideò cum Thomæ ostendit latus, dixit. *noli esse incredulus, sed fidelis*.

Excellentia vulneris lateris Christi superat vim ingenij.

18 Figuratam intelligentiam scripturæ malè reijci ait, cum gentiles ipsi figuratè locuti sint. *Nam & ipsi vt fabulas suas aliquo modo commendent, ad nescio quas philologias, vel theologias, idest rationes vel naturales, vel diuinas interpretando referre conantur. ex parte planè satis indicantes qualia sint, ex parte dissimulantes, dum ea rident in theatris, quæ venerantur in templis; in turpitudine nimium liberi, in superstitione nimium serui*. acutè hoc dictum: liberè scortantur, at seruiliter addicti sunt extispicijs, &c. rectè autem stultitiam taxat, dum eadem, & irrident simul, & colunt, illud in scena, hoc in delubro, Iouem auriformem ob stuprum, & similia proponunt.

Male gentiles in scripturis figuras, & mysteria taxant. quæ & ipsi vsurpant.

19 Agnoscit Christi prophetiam in persona Iudæ filij Iacob. *Catulus leonis Iuda. de germinatione fili mi ascendisti. recumbẽs dormisti vt leo, & catulus leonis.*) *Christus catulus leonis, qui nascendo paruulus factus est, propter hoc additum: de germinatione fili mi. ascendit in cruce; recumbens dormiuit vt leo, quia non est victus à morte; & vt catulus leonis, quia inde mortuus, vnde & natus*. Vides Christum recens natum tanquam leonis catulum. hinc illę terror iniectus, & dæmonibus, cum abijt in Ægyptum puer, idolis confractis. huc spectat illud prouerb. *Catulus leonis fortior iumentis*. quippè in Ægypto iumenta colebantur, & pecora. recubuit autem vt leo; nam moriens quasi ingenti rugitu edito exterruit Inferos, tremefecit tellurem. vnde & Cẽturio fassus est Deum, *videns quod sic clamans expirasset*. coniunguntur autem hæc duo. *catulus leonis, & leo.* quia eam mortem subijt, propter quam accipiendam natus: quare illud psalmi. *in laboribus à iuuentute mea.* vertitur ab alijs; expirans ab infantia mea. vel quia inter vterum Virginis & Christi sepulchrum nõnulla similitudo fuit: ex vtroque enim illæso exiuit, et si dicitur de sepulchro, quod tãtum excepit mortuum. *erit sepulchrum eius gloriosum*: quid dicendũ de vtero virginali? hinc illud psalmi: *gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*.

Cur Christus dictus simul, & catulus leonis, & leo.

Prou. 25.

Vterus Deiparæ collatus cum Christi sepulchro.

20 Pergit in explanatione eiusdem prophetiæ. *Alligans ad vineam pullum suũ, & cilicio pullum asinæ. cum scilicet clamabat ille; Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum*. nota sic legit. *alligans cilicio pullum*. sed quid habet commune vinea, cuius fructus lætificat cor hominis, cũ cilicio, & pœnitentia? nisi quia mortificatio Sanctis in delicijs est. item quia Christi passioni, ac sanguini, qui per vinum illud denotatur, respondemus nostri corporis mortificatione. hinc ille cilicij vsus in sũptione Eucharistię præsertim. vide quæ põderauimus in benedictionibus patriarcharum. huc spectant sequentia.

Mortificatio corporis suauis & adolescenti maximè necessaria.

21 De Christi sanguine interpretatur. *Lauabit in sanguine vuæ amictum suum. fulgentes oculi eius à vino, & dentes candidiores lacte.* Ipse botrus est, qui pependit in ligno ex eo vinum, idest sanguis expressus. Subiungit admodum pulchrè, & piè. *Iam verò fulgere oculos eius à vino, illa in corpore eius membra cognoscant, quibus donatum est sancta quadam ebrietate alienatæ mentis ab infra labentibus temporalibus æternam lucem sapientiæ contueri. hinc illud Pauli: Siue mente excedimus Deo hi sunt fulgentes oculi à vino; sed quid sequitur? siue temperantes sumus vobis: nec paruuli relinquuntur nutriendi, & dentes, inquit, candidiores lacte.* Vides in sacramento passionis, & sanguinis Christi, ac proinde in Eucharistia inesse ebrietatem quandam sanctam alienatæ mentis à terrenis, & in Deum raptæ. hinc illę in Sãctis, cùm eam sumebant, admirandę ecstases. & præclarè dicũtur ibi oculi fulgentes à vino, quia mentis acies illustratur diuinitus, vnde dicitur. *Accedite ad eum, & illuminamini.* contrà quàm facit ebrietas mũdana, quæ potius offuscat aciem mentis, & hebetat. in hoc etiam sacramento tanquam Christi vbera sugimus, & lac haurimus, cum innocentia vitæ, & simplicitate fidei. ac proinde rectè dicuntur: *dentes eius lacte candidiores*.

In Eucharistia mẽtis oculus, & inbriatur. & fulget.

Ecstasis sanctorũ in Eucharistiæ sũptione.

22 Acutè ostendit, cur Deus prophetias præmiserit. *Præmonstabantur hæc à prophetis, quia etsi attestabantur miracula, tamen non defuissent, qui magicæ potentiæ cuncta illa tribuerent; sed magicis artibus longè antequàm nasceretur, prophetas sibi constituere, nemo diceret*. rectè ostendit, cur fidem miraculis tantùm confirmare Deus contentus non fuerit, sed, vt nullum prorsus locum calumnia haberet, per prophetas ante nunciatus est, priusquam magiam exercere posset, nondum natus.

Cur prophetię ad fidem probandam cum satis essent miracula.

23 Fidem materno lacti cõparat pulchrè. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi; qui nulli aperiun-*

Fides cū materno lacte confertur.

tur, si sibi per maternam carnem traiectum cibum, idest per apostolica, & prophetica vbera lactis alimoniam contempserit, & tanquam infantilem victum quasi prægrandi ætate fastidiens, prius in venena hæreticorum, quàm in sapientiæ cibum, cui se idoneum temerè arbitratur, irruerit. Vides Apostolos matrum instar fuisse, quod Petro, & Paulo maximè conuenit, de quibus Ecclesiæ dicitur; *duo vbera tua, sicut duo hinnuli ceruorum.* & certè de se Paulus dicit: *lac vobis potum dedi.* & quod admirabilius est, vel mortuus ex abscissis ceruicibus dedit.

Prophetę, & Apostoli tanquā gemina vbera fidē aluerunt.

Ex libro XIII. contra Faustum Manichæum.

Manichæi Orpheo potius, & Sibyllis quam prophetis credendum male putarunt.

1 REfellit quod Faustus dicebat, accommodatiora esse de Christo vaticinia Sibyllarum, & Orphei, & Hermetis trismegisti, quàm prophetarum. *Non attēdūt in nullis Ecclesijs ea recitari, cum Hebræi prophetæ in omnibus gentibus clareant, atque ad Christianam salutem tot fidelium examina adducant.* Nota quanta sit vis, & pondus verborum sacræ scripturæ, quæ ad conuersionem animarum multò magis vim habeant, licet simplicia, quàm quæ aut sublimiter ab Hermete, aut eleganter ab Orpheo, & Sibyllis dicta de Christo sunt; & Orpheus quidem & siluas, & saxa, & fluuios ad se trahere dictus, nec tamen quemquam ad suam fidem traxit, quod prophetæ, & Apostoli fecerunt.

Manicheus sibi vēdicans titulum apostolatus Pauli.

2 Manichæi impiam audaciam ostendit. *Omnes Manichæi epistolæ ita exordiūtur. Manichæus apostolus Iesu Christi. sed quemnam testem hic apostolatus adducit?* Vide quàm hic inuiderit epistolis Pauli, vt vel titulum earum ambierit ob præstantiam.

Perdix cōtentiosum animal typus hæreticorum.

3 De hæreticis exponit illud: *Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit. Perdix nimis contentiosum est animal. notum est quanta auiditate ipsius contentionis currat in laqueum; non enim disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pertinacia, vt congregent, quæ non pepererunt; nam Christianos per Euangelium natos inueniunt.* Meritò carpit hæreticos, quia nullo nituntur veritatis fundamento, non nisi clamoribus, & contentionibus vtuntur quasi tabulæ in foro.

Manichæi Christi nomine quasi melle veneni poculum illinebant.

4 Astutiam sacrilegam Manicheorum ostendit, dum ea, quæ ad Christum pertinent, tribuunt auctori suo, vt alios alliciāt. *De Christo, cuius iam nomen vbique dulciter clarum est, Manichæum semper commendare conati sunt, vt hoc melle scilicet venenati sui poculi labra perungerent: cum enim Christus promiserit suis, missurum se paracletum, idest consolatorem, vel aduocatum Spiritum veritatis, hunc paracletum dixerunt esse Manichæū, vel in Manichæo.* Nota fraudem; Christi nomen præferunt, cuius dulcedine poculum illinunt veneno plenum, vt incautis propinent: tantum inest suauitatis in Christi nomine, tanta in Spiritu sancto dulcedo, vt nisi eam sibi affingant hæretici, sciant neminem se posse attrahere. itaque Manetem hæresiarcham, vt stultitiæ etymon græcum effugerent Mannetem vocarunt à manna, & paracletū dixerunt, quasi affluētem dulcedine Sācti spiritus. sed ad Saporem pertinuit, qui eum necauit, manna istud in amaritiem vertere merito condimento. quod autem Christi nomen dulciter clarum, & melleū dicit, sic Bernardus. *Iesu nomen mel in ore, melos in aure.*

Manicheus paraclitū à Christo missū se dicebat

Christi vulnera non fictitia ad speciem sed vera fuerunt.

5 Exponit illud. *Maledictus, qui pependit in ligno.* Idem est ac mortalis omnis, qui in ligno pependerit, *Poterat dicere: maledictus omnis, qui mortalis, siue omnis moriens; sed quia futuri erant hæretici, qui dicerent de Christo; pependit quidem in ligno, sed specie quadam, non vt verè moreretur; clamauit maledictus, idest verè mortuus; nam mors de illo maledicto venit: si tetigeris, morte morieris.* acutè interpretatur: maledictum vocauit, hoc est mortuum; nam mors ex maledictione illa prodijt quæ Adā peccanti data. Subiungit. *Si illa vulnera, & illæ cicatrices falsæ, vt ipsi aiūt, erant, falsum est quod pependit in ligno.* Vide vt diabolus abolere conatus sit affectum nostrum erga vulnera Christi, quasi tantùm apparentia essent vmbratili specie.

Manichæi circumagebāt se die cum Sole, noctu cum Luna.

6 Superstitioné Manichæorum carpit. *Moses, qui vobis videtur nulli diuinorum percepisse, Solem, & Lunam vetuit adorari, ad quorum circuitum vos per omnes angulos vertitis, vt eos adoretis, Solem, & Lunam vera laude laudauit, cum eos factos à Deo, & in cœlesti ordine ad peragenda sua opera collocatos esse narrauit, Solem in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis.* Nota superstitioné, qua illi, floris instar heliotropij, vt diximus, toto die circumagebant se cum Sole, quasi eius assidui asseclæ. quod potius agi debet circa Solem iustitiæ Christum, vt eum semper sequamur; & nostros actus ad eius normam dirigamus. ex hoc affectu prodijt illud Petri: *Tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.* & illud Thomæ. *Eamus, & nos, & moriamur cum illo.* hoc est occidamus vnà cum Solis occasu. Nota etiam eandem circumactionem factam à Manicheis noctu cum Luna, imitando eius cursum. potius nos iuuet ad Deiparæ exempla virtutum conformari.

Christi, & Deiparæ imitatio opponenda superstitioni Manicheorum.

7 Pulchrè Dei naturam super eminentem describit, contra quam Manichæi dicebāt, creaturas eius esse partes, ac membra.

Dei natura supereminens creaturis cōtra Manichæos.

bra. *Sed ille perfectus, & nullius indigens, & nusquam defluens, neque discissus, neque per loca distensus, apud se totus incommutabilis, sibique sufficiens, se ipso beatus, propter abundantiam bonitatis per Verbum suum, dixit, & facta sunt.* egregiè, & eleganter ostendit, quàm amplè, & sublimiter de Deo sentiendum sit; & quantò superior ille natura sit supereminens creaturis omnibus.

8 Faustus reprehendebat Mosen, quod *Maledictum* vocet, qui Solem adorauerit, & Lunam. *Si ergo, inquit, sub gentili positus rege Solem cogar adorare, & cum restitero maledictum hoc metuēs iubear crucifigi, in aliud eius incurram maledictum, quod dixit: Maledictus qui pependit in ligno. at vos quidem nullus gētilis cogeret adorare Solem, quod nec ipse Sol cogeret, si in terra regnaret, quia nec nunc à vobis vult hoc fieri, sed sicut Creator ipse impios blasphematores suos vsq; ad iudicium sustinet; sic & ipsa cœlestia tolerant vanos adoratores suos vsque ad iudicium Creatoris sui.* Nota æquiuocationem hæretici. maledictum, inquit, vocat Moses, cultum Solis, item maledictum vocat pœnam crucis; quo igitur ille se vertet? nam si primum maledictum vitat, incurret in alterum. respondet Augustinus, primum illud maledictum dici mortem irreparabilem animæ, secundum mortem corporis, sed reparabilem per resurrectionem. deinde nota non mirum esse quod Sol, licet Creatori obediens, sufferat se coli ab idololatris, cum & Deus interim scelera sufferat. pulchrè autem ait, Solem ipsum, si in terris regnaret astrorū satellitio circumseptus, in tanto splendore imperij non permissurum sibi diuinos honores haberi.

Aequiuocationes hæreticorum, vt fallant.

Sol si in terris regnaret astris circū septus refutaret diuinos honores.

Ex Libro XV. contra Faustum Manichæum.

1 DIcebat Faustus, idem esse admittere vetus testamentum simul cum nouo, ac replere vas diuersi generis liquoribus, & melli fel, aquam vino coniungere. *Ecclesia nostra, inquit, sponsa Christi contenta sit bonis viri sui, famæ suæ custos diligentissima; nisi sponsi sui non accipit literas. vestra Ecclesia vsurpet testamentum vetus, quæ immemor pudoris, alieni viri, & muneribus gaudet, & literis. amator ille vester, & pudoris corruptor Hebræorum Deus dipsychio lapideo suo aurum vobis promittit, & argentum, ventris saturitatem, & terram Chananæorum. hi vos delectauerunt sordidi quæstus, vt sitis ingrati tam immensis dotibus Christi. duobus maritis neutri placituri seruitis. Christianam denique fidem Hippocentaurum facite, nec equum perfectum, nec hominem. nobis soli Christo seruire permittite; eius tantùm immortali dote contentis.* Nota Fausti dictum elegans, sed venenatum. sub prætextu honoris Christi veterem legem reijciebat, quasi solùm terrena promittentem, à quibus potius animus segregandus est; nec intelligebat per illa, quasi manu duci ad bona cœlestia. item, quod Ecclesia sponsa vni viro Christo hærere debeat, quasi verò Hebræorum Deus alter esset à Christo: item fidem nostram, quasi monstrosam dicebat, & Hippocentaurum ex commistione duplicis testamēti, quasi diuersæ naturæ, seù instituti essent. at apud ipsos potius hæreticos Hippocentauri sunt, & monstra ista permixta ex sētentijs sibi aduersantibus.

Eloquentia hæreticorū sub specie boni fallax.

Manichęi vetus, & nouū testamentū cōiungere vocabant hippocentaurum.

2 Acutè, ac lepidè Faustum irridet reijcientem vetus testamentum. *Faustus nouo melle plenus respuit acetum vetus. & Paulus aceto vetere plenus effudit dimidium, quo caperet infusum mel nouum; non seruandum, sed corrumpendum: nam quod ait: Vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, ex nouo melle est: quod autem sequitur; Quod ante promiserat per prophetas, &c. ex aceto vetere, quis hoc sustineret audire? nisi nos consolaretur idem dicens: Oportet hæreses esse, vt probati fiant manifesti in vobis.* scilicet vetus testamentum quasi vetus vinum iam coacescens, & euanidum uidebatur Fausto, nec uidit, Augustino potiùs esse acetum in pectore, ut est in adagio. hoc est acutam, sapiēdamq; doctrinam, qua ipsum acriter perstringeret.

Manichęi vetus testamētum vinū corrumpēdū dicebant.

3 Manichęos exagitat, quod Ecclesiam suam sponsam Christi veram iactarent. Tum ad Christi Ecclesiam oratione cōuersa, eleganter eam alloquitur, gaudens se Manichæorum secta liberatum. *Te, vera sponsa Christi Ecclesia Catholica, alloquor, &c. expertus fugi, quod experiri non debui; sed tibi profecerunt etiam pericula mea, cui nunc seruit liberatio mea; quia nisi verus, & verax spiritus tuus, de cuius latere facta es, in vero sanguine suo remissionem peccatorum posuisset, absorbuisset me vorago fallaciæ, & terram factum serpens irreparabiliter deuorasset.* Nota, vt peccatori conuerso malorum experientia esse pro stimulo debeat ad virtutem, & inde proficere: ita Augustinus cognitione hæreseos Manichæorum, in quam incurrit, vsus est in ea detestanda in bonum Ecclesiæ. huc spectat illud Iob. *Mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, &c.* item vide quid sit hæresis. *vorago fallaciæ.* quasi dicat, Euripum, aut Charybdim. iuxta illud summi oratoris: Quę Charibdis tam vorax tantos absorbere gurgites potuisset, &c.?

Apostrophe Augustini ad Ecclesiā sponsam verū agnoscentis recta Manichæorū secta.

Peccatori conuerso experientia malorum stimulus esse ad virtutem debet.

Hæresis vorago fallaciæ.

4 Pergit eleganter Ecclesiam alloqui. *Noli decipi nomine veritatis: hanc tu solam habes, & in lacte tuo, & in pane tuo. & in tuis quidem grandibus secura es; sed appello interim paruulos tuos, quos vel tanquam oua sollicitis alis foues, vel tanquam infantes lacte nutris,*

Ecclesia nutrix nostra, vel lacte, vel pane.

In nido Ecclesiæ quasi pulli nutrimur, & fouemur a-lis.

nutris, sine corruptione fœcunda virgo mater. Vide vt Ecclesia candidæ columbæ instar excludat pullos suos, velut in nido: itaque in eius fide mori idem est, ac votum illud impleri Iob. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* nempe id Martyres in primis assequuti sūt. porrò vt mater Ecclesia est, sic contrà hæresis nouerca est, nec uirgo, sed scortum. quod autē ait de Ecclesia, quæ nos *nutrit pane, ac lacte suo*, puto intelligi præcipue ob Eucharistiam, in qua maternum suum affectum maximè ostēdit, quò referri potest illud Ecclesiast. *Initium necessariæ rei vitæ hominum lac, & panis, &c.* certè per Eucharistiæ frequētiam initium sui progressus fecit Ecclesia, & rectè ait, *hanc tu veritatem habes in lacte, & pane tuo*, ob certitudinem huius mysterij.

5 De ueteri testamento admittendo, sic Ecclesiam ipsam compellat: Non decipis, quia Deum adoras promittentem terram Chananæorum, &c. *Intelligis enim in illis promissionibus te figuratam, & prophetatā præscientiam parturijsse Sanctorum.* Vide ut per tēporalia illa Deus alliceret ad æterna. similiter illa mysticè dicta. *Turres Hierusalem gemmis ædificabuntur, &c.* subiungit acutè. Irrident illi legem in lapideis tabulis datam, non item tu, quæ lapideum cor non habes. *Tu potius istos irrides, qui dicunt lapides habere sensum, & intelligentiore vita viuere, carnem autem stolidiore, & obtusiore: vnde non à veritate, sed à vanitate sua coguntur fateri, mundius esse legem conscriptā in tabulis lapideis, quàm suum thesaurum in pellibus morticinis. an fortè quia in tabella sua etiam lapides dicunt esse ossa Principum, non eis dubitant coria præponere agnorum?* falsè dictum, & lepidè. nam Manichæi carnem detestabantur, quia ex copula nata, lapidē verò carni præponebant, nempe ipsi lapideo corde. illud autē è Deucalionis fabula sumptum, cum lapides dicerent ossa Principum. hoc etiam stultè; nam pecuniā seruant in marsupijs ex pelle brutorum, carnem tamen hominis damnant, quasi hominis corpus vilius sit, quàm pecudis cutis.

Manichęi lapidū naturā carnis naturæ præferebant.

6 Ecclesiam hortatur, ne legem veterē ad se pertinentem spernat, quam diptychium appellat ob duas tabulas. *In illo diptychio lapideo iam tu non corde lapideo intelligis quid duro illi populo congruebat, & in eo tamen agnoscis petram ipsum sponsum tuum, quem Petrus vocat lapidem viuum, &c. lege sanè illud diptychium, ne timeas, planè sponsi tui est. alijs lapis ille significauit duram stoliditatem, tibi autem firmam stabilitatem; digito enim Dei scriptæ sunt illæ tabulæ, digito Dei sponsus tuus eiecit dæmonia. quinquagesimo die post pascha datæ sunt illæ tabulæ, & eodē datus est digitus Dei Spiritus paracletus.* Addit lepidè, vt hoc digito expellat Manichæum, qui se paracletum hoc est Dei digitum falsò dicebat. Nota pulchrè dictū, lapides veteris legis Synagogæ fuisse symbolum duræ stoliditatis, Ecclesiæ autem portēdisse firmam stabilitatem. item aptè eodem die, quo lata lex est, venisse Spiritū sanctum: nàm lex illa digito Dei fuerat scripta, & Spiritus sanctus dicitur digitus Dei. quod autem hortatur Ecclesiam vt hoc digito expellat hæreses, pulchrè ad Ignatium nostrum aliquo modo referri potest, hæresum per suos depulsorem, de quo Summus Pontifex dixit: Digitus Dei est hic. certè initio ipso constitutionum meminit amoris illius legis, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet.

Cur lex in tabulis lapideis data.

Collatio legis datæ in tabulis, & Spiritus sancti in cordibus.

7 De eiusdem veteris legis tabulis sic ad Ecclesiam. *O pudicum diptychium, in quo dilectus tuus prænunciauit canticum nouum in decachordo psalterio tanquam pro te etiam neruos suos extensurus in ligno. ò diptychium coniugale, quod non sine causa odit adultera:* sic appellat sectam Manichæorū. est autem lex quasi spōsi pignus, ac donum spōsæ datum. pulchrè autem etiam ait, citharæ instar fuisse Christum in cruce; ambo enim in ligno neruos extendunt, hinc ille dulcis sonus vel ad patrem de ignoscēdo inimicis, vel ad matrem, & Ioannem, vel ad latronum alterum. rectè igitur ad ipsum dicitur in resurrectione. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* elegāter item appellat duas tabulas legis *diptychium coniugale*: quasi coniungat thalamo duos, Deum, & animam.

Christus in cruce, vt cithara neruis extensis.

Cur duabus tabulis lex data.

8 Manichæorum figmenta redarguit. *Ostende nobis, Manichæa congregatio, mæchos tuos, splenditenentem ponderatorem, & Atlātem laturarium: illum enim dicis capita elementorum tenere, Mundumque suspendere, istū autem genuflexo, scapulis validis sub bāiulare tantam molem, vtique ne ille deficiat. adamasti Deos falsos per figmenta cogitationum tuarū, quibus omnia poetica mendacia grauiora, & honestiora reperirentur, vel certè hoc quod apud poetas nominem decipit professio falsitatis.* Nota commentum de duobus Dijs, quorum alter immenso splendore fulgens Orbem libraret, alter eum humeris sustētaret. quod similiter poetæ dicūt, tolerabilius est; nam fatentur se non dogmaticè loqui, sed fabulosè, ideoque hæretici ipsis deteriores sunt; sed vt iuxta adagium, è cœno, vt alibi, aurum colligam; dici quodammodo potest, Deum Orbem terræ librare, nec tamen ob immensum splendorem à nobis oculis cerni; summum verò pontificem eius loco Atlantis instar hanc molem sustinere humeris; nam & summus sacerdos Hebræorū humeris ferebat duos Sardonycas, qui duo significabant hemispheria. diceres & aliquo modo Franciscū

Manichæi figmētum de duobus Dijs alteromundū librante altero sustinente Atlantis instar.

Summus Pontifex cū Atlante collatus.

Xaue-

Xauerium, cum eius humeris Æthiops ille incubuit, nomine totius gentilitatis, Atlãtem præfetulisse. huc spectat, & illa visio Francisci Assisiatis, Ecclesiam Lateranensem collabentem humeris sustinentis.

9 Pergit Manichęorum figmenta contra Dei legem arguere, eorum congregationem sic perstringens. *Quomodo sanam doctrinam ferres illarum tabularum, vbi primum praeceptum est, Deus tuus, Deus vnus est, cum tot Deorum nominibus delectata turpissimis fornicatione voluteris? an non recordaris amatorium canticum tuum, vbi describis maximum regnãtium Regem, sceptrigerum, perennem, floreis coronis cinctum, & facie rutilantem? quem si solùm talem amares, erubescendum tibi esset: nam etiam vir vnus floreis coronis cinctus pudica coniugi displiceret.* acutè dictum, vt etiã quod addit; non enim excusari potes, quasi ad mysticum sensum hæc referas, nam ais, te proponere veritatem nudam sine figuris. *propriè igitur cantas Deum sceptrigerum, floribus coronatũ. ponat saltem sceptrũ, quando coronis floreis cingitur. non decet regia virga seueritatem illa luxuria mollitudo.* lepidè figmentum irridet: fingebant .n. Deum corporeum, facie rutilantem, cum sceptro, eumdemque ludicro more cum corolla ex floribus intexta, quod est contra decorum: at nos Deum hominem contemplemur rutilanti facie, ideoque velata, ne oculos perstringeret Iudęorum illudentiũ cum arundineo sceptro, & spinea corona, quod certè Iesum, hoc est Saluatorem decet. hunc opponamus vano numini illi sceptrigero, florigero, &c.

Manichęorum Deus sceptrifer cum corolla florea cui oppõtus Christus cum spinea.

10 Adiungit alia Manichæorum fictitia numina. *Huc accedit, quod non solus ille à te adamatus est; sequeris enim cantando, & adiungis duodecim Secula floribus cõuestita, & canoribus plena, & in faciem patris flores suos iactantia; vbi & ipsos duodecim magnos quosdam Deos profiteris; ternos per quatuor tractus, quibus ille vnus circũcingitur; quem quomodo immensum faciatis, quem sit circumdatum dicitis, nunquam inuenire potuistis.* rectè arguit, nam Deum fingebãt immensum, & tamẽ eũ duodecim alij Dij, siue Aeones .i. Secula circũsistebãt, & quasi concludebant spargentes flores in Regem Deorum. Quantò nos salubrius Regem seculorũ amamus, cinctum lictoribus in passione, qui in eum pro floribus sputa, & alapas, præter spinas, iaciunt? aut dicamus, duodecim Apostolos Christum tot floribus cõspergere, quot sanctis actionibus: quod & alij iusti agunt; vel Christo hæc potius conueniunt Hierosolymam intranti, cui substernebant ramos palmarũ, & oliuarum.

Manichęorum Deus floribus cõspersus ab Aeonibus florigeris.

11 Paradisum Manichæorum fictitiũ deridet. *Inspice, si potes, dedecus fornicationis tua: inuitauit enim te doctrina dæmoniorum mendaciloquorum ad fictas domos Angelorum, vbi flat aura salubris; & ad campos, vbi scatent aromata, cuius arbores, & montes, & maria, & flumina dulce nectar fluunt per cuncta secula, & finxisti hęc in corde tuo, &c.* Vide vt mellitis laqueis, vt vocant, hæretici alliciant alios. sed si quando, inquit, in scriptura huiusmodi dicuntur, in ænigmate dicuntur: at ipsi aiunt se loqui sine allegorijs. *Quid ergo facit affectus tuus in desiderijs carnalibus sordidus in cantibus, & montibus nemorosis, & coronis floreis, & scatentibus? si non sunt, ænigmata rationis, phantasmata sunt cogitationis.* Pulchrè arguit, quò spectat illud Ecclesiast. *Cor tuum phãtasias patitur, &c.* & illud psalmi. *transierunt in affectum cordis*: quod alij legunt, in sculpturas cordis: Tum varios tradit modos notandos ænigmatum sacræ scripturæ; siuè cum est verè corporeum quod obijcitur, vt ignis in rubo; siue in spiritu per imagines corporum in somno, vel ecstasi, vt scala Iacob, & Petri discus, & apocalypsis Ioannis est. siue sola locutione, vt in Cant. & in parabolis Euangelicis.

Dogmata hæreticorum vana phãtasmata sunt.

Eccl. 39.

12 Eadem Manichęorum vana figmẽta eleganter exaggerat, & irridet. *O lasciua, & immunda, adhuc pascis ventos, adhuc amplecteris idola cordis tui? ita ne tu facie ad faciem vidisti regnantem Regem sceptrigerum, floreis coronis cinctum, & Deorum agmina, & splendentem agnum sex vultus, & ora ferentem, micantemque lumine? & alterum Regem honoris Angelorum exercitibus circumdatum, & alterum adamantem heroem belligerum; dextra hastam tenentem, & sinistra clypeum; & alterum gloriosum Regem tres rotas impellentem, ignis aqua, venti; & maximum Atlantem Mundum ferentem humeris, & eum genuflexo, brachijs vndique flexis fulcientem. hæc & alia mille portenta tu facie ad faciẽ vidisti? an doctrina dæmoniorum mendacium per ora deceptorum cantat? væ tibi infelix, quibus phantasmatis construparis, & serpentini poculi ebria audes insultare matronali verecũdia sponsa vnica filij Dei, quod non iam sub pædagogo legis, sed sub magisterio gratiæ, nec superba operibus, nec fracta terroribus viuat ex fide, spe, charitate.* rectè hæresim ebriã veneno serpentini poculi dicit, vnde illa Ecclesiæ verecundæ sponsæ impudenter insultat. pulchrè autẽ Gratiæ magisterium appellat, sapientius quã Aspasiæ illius apud Platonem. illa nos, & humiliter viuere docet; & constanter, ac strenuè agere. ceterùm vide vt hæretici varijs, ac nouis visionibus fictis alios in stuporem verterent, ac deciperent; æmulati scilicet visionem Esaiæ de Deo in solio insidente, Seraphim circumsistentibus. & Ioannis

Manichęorum figmẽtum de agno splẽdente, & heroe hastato, & Atlante.

Sub Gratiæ magisterio viuimus humiliter, & cõstanter.

Paulus Atlanti similis.

Ioannis in apocalypsi, de splendenti agno, dicit enim de cœlesti Hierusalem. *Lucerna eius est agnus*; & Ezechielis de rotis. quod autem fingebant de heroe belligero cum hasta, & clypeo, id verius dici aliquo modo potest de Michaele Archangelo, vel de Paulo Apostolo, quem etiam Atlantem dicas sustinentem cœlum Ecclesiæ, eūdemq; genuflexo, hoc est orationi pro ea instantem, vnde ait, *Flecto genua mea ad Dominū, &c.*

13 Ostendit ideò Manichæos non admittere legē veterem, quia eius præcepta non seruabant. *Apud te fui, noui te, cōiugium detestaris, quo ablato mariti erunt turpiter amatores, meretrices vxores, soceri lenones.* quod autem præcipitur: *Non occides; dum times ne Dei tui membrum ligetur in carnem, non das esurienti panem; & dum formidas homicidium falsum, perpetras verum.* acutè dictum iuxta eorum deliras opiniones. pios se putabant in Deum, si impij essent in pauperes.

Manichæi in pauperes impij.

14 Legis, & Gratiæ vtilitatem describit. *Lex semper est bona, sicut Sol semper est bonus: siuè dolentibus oculis noceat, siuè bonos mulceat: proindè quod est sanitas oculis ad videndum Solem, hoc est Gratia mentibus ad implendam legem, & sicut oculi sani, non Solis delectationi moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reuerberati in densiores tenebras pellebantur: sic anima per charitatem saluata, non iustitiæ legis mortua dicitur, sed illi reatui & præuaricationi, quā lex faciebat per literam, cum Gratia deesset.* legē pulchrè Soli comparat; idem enim est legem, ac Solem de Mundo tollere; per Gratiam autem exacuitur mentis acies, & corroboratur, vt aquilæ instar euadat, irretortis oculis hunc Solem spectans, per obseruantiam legis eiusquè meditationem. vtilius hoc quàm quod Gymnosophistæ agebant planetæ huic oculis semper affixi. elegāter etiam dicuntur ictus asperi radiorum, quibus Iudæi vt hebetes, nec roborato per Gratiam visu, potius obcęcabantur.

Lex Sol gratia sanitas interni oculi.

15 Retorquet in Manichæos calumniam, qui dicebant, veterem legem coniūgere cum noua, cum diuersa sint inter se, esse monstrosum, & Hippocentauri instar. *Vocas Hippocentaurum testamentum nouum cum vetere coniunctum. cur non attendis quid tibi fabula tua confecerit, cum ex parte Dei tui, & ex parte terræ tenebrarum falsum Mūdum fabricat in corde tuo? ita nè ille non est Hippocētaurus semiferus, & semideus?* lepidè, & eleganter ostendit hæreticos potius monstra configere. sed horum mōstrorum domitor egregius est ipse Augustinus, pro herculea claua, calamo vsus.

Manichæi nexum veteris testamēti cum nouo hippocentaurum vocabant.

Hæretici monstrosum fictores.

16 Hæresim incantationi comparat, & commentum quoddam de luce tenebrosū ostendit. *Vsque adeò desipuisti, & venenatis incantationibus serpentinis amens facta es, vt alijs hæresibus aliud, atque aliud idem serpens, tibi autem etiam se Christum esse persuaserit? tenebrauit cor tuum, qui tecum in phantasmatis lucidorum nemorum volutatur; hoc est, quod ait Apostolus: Recedent quidam à fide, intendentes spiritibus, & doctrinis dæmoniorum, &c.* Vide quid sit in hęresim incidere, quasi venenato poculo incantari, & amentem fieri. quid ni hæresim Medeam dicas, aut Circen, homines in bruta vertentem magicis potionibus, ac venenis?

Hæresis incātatrix est, & venenati poculi pocillatrix.

1. Tim. 4.

17 Promissa veteris testamenti vera esse confirmat. *Quid magis incredibile, quàm illud Abrahæ promissum: In semine tuo benedicentur omnes gentes? & quid certius iam tenemus exhibitum? illa certè est vltima promissio: Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. finita quippe omni indigentia, & morte destructa, perpetua Dei laus erit, otiosorum negotium. & alibi; confirmabit, inquit, seras portarum tuarum. nullus enim deinceps intrabit, nullus exibit.* Nota vnum sibi reseruasse Deum promissum implendum, æternam resurgentium felicitatem, & hoc, vt fide nos teneat. ac vide quàm sine alia cura futuri simus, vbi non nisi laudandus est Deus. pulchrè hoc appellat *otiosorum negotium*. otium, sed negotiosum, quies erit, at non desidiosa. hoc institutum religiosi in primis, vel in hac vita sequuntur.

Beatorum negotium perpetua Dei laus. Psa. 83. & 147.

18 Exponit illud psalmi. *Omnis gloria regis intrinsecus.) pulchritudo hæc est castitas mentis.* Nota decus castitatis. in ea sita est omnis gloria filiæ Regis. quasi sit compēdium omnium decorum. & filiæ Regis, inquit, ob nobilitatem, & pudoris purpurā. sed intrinsecus sit oportet in mente, vnde redundet foras.

Omnis gloria Christi spōsæ castitas est.

19 Lepidè irridet Fausti dictum. *Astutè paratum te dicis, Fauste, si quas in libris Moysi de Christo prophetias inueneris, ita percipere, ac si piscem de mari, cum aquam ipsam, vnde piscis capitur, respuas: sed quia omne quod ille scripsit de Christo est, ita Moysi non vis credere, sicut nec piscem vis edere.* Faustus respuebat vetus testamentum, in primis Pentateucum: tantum si quid de Christo ageret, inde se quasi expiscari dicebat, vt in aqua piscem, contempta aqua. atqui ibi nihil est quod non ad Christum pertineat, & referatur. vana igitur similitudo.

Vetus testamētum ad Christum spectat.

20 Interpretatur de Christo à Iudæis crucifixo illud Deuteronomij. *Videbis vitā tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ. & eris timens die, ac nocte.) Hæc verba de Christo intelligi, nemo negauerit, nisi quis aut neget Christum esse vitam, cum ipse de se dicat; Ego sum vita. aut neget Iudæis eum visum esse pendentem, ac non credidisse. & eris timens die, ac nocte, quia in passione Domini obscurato Sole à sexta hora vsque ad nonam nox fuit.*

Deut. 28.

Christus moriens vita dicitur pēdēs.

Nota

Ioan. 14. Nota Christum tunc maximè vitam dici, cum moriebatur, vt etiam apu Hieremiã. *captus est pro peccatis nostris, sub vmbra illius viuemus*. porrò vt securitas affertur credentibds, ita incredulis metus.

Christus per resurrectionem exemplauit inferorum potestates.

21 Exponit locum Pauli. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Vt ergo induatur immortalitate, exuatur mortalitate; vnde dicitur: Exuens se carnem, Principatus, & Potestates exemplauit. per hanc enim mortalitatem nobis inuida diaboli Potestates dominabantur, quas exemplasse dictus est, quia in se ipso capite nostro prabuit exemplum, quod in toto corpore, idest Ecclesia ex diaboli potestate liberanda in vltima resurrectione complebitur.* ita legit. exemplauit Potestates, vt scilicet eodẽ modo, quò ipse in resurrectione, triumphũ agamus de infernis hostibus, qui in nos vt mortales antea sæuiebaut; quos ipse, nos edocens, vicit, patri Deo obediendo, incõmoda vitæ tolerando, mortem subeundo. sic de Principibus illis in pœnam dicitur. *ostende eos contra Solem*. hebraicè, exemplifica.

Manichęi sabbatum vocabant catenam Saturniacam.

22 Aliud conuitium de vetere testamento refellit. *Sabbatorum otium catenas Saturniacas appellatis. vos quidẽ in die, quẽ nos dominicum appellamus, ac resurrectionem Domini veneramur, Solem colitis.* At ocium sabbatorum apud nos sine Saturni cultu est, sed requiem interpretamur: alioquin & vos dicemus mense Martij Martẽ colere. *illo enim mense Bema vestrum magna cum festiuitate celebratis*. Nota, Manichæi sacrum sabbati otium vocabant catenam Saturniacã, qua videlicet quasi cõstricti nihil operari possent. immò Deiparæ nũc sacer est, q̃ Saturnus, seu Satanã ipsũ catena cõstrinxit, ne sibi deuotos captiuos faceret. item nota, solitos Manichæos die dominico Soli cultum exhibere; adeò diabolus inuidit Dei gloriæ, & Christi resurrectioni. Denique nota, Manichæos mense Martij solitos celebrare mortem sui Auctoris Manetis, qui à Rege Persarũ Sapore interemptus est: tribunal cõponebant, siue suggestum, hoc enim Bema significat, ad quem per quinque gradus pulchrè ornatos ascendebatur. ità mensem Martij, quo putatur Christus mortuus, & tribunal ascẽdisse crucis; profanare diabolus conatus est, opponendo scelesti Manetis necem Christi neci; & quinque ascensus gradus quinque vulneribus, quibus ascensus fit ad tribunal crucis.

Manichęi celebrabant mortem Manetis quo tẽpore nos Christi.

Manichæi dicebant dæmones natura malos in Deum insurrexisse.

23 Impiam Manichæi sententiam arguit de natura mali in Deum sæuiente. *Intelligimus malum non esse naturam, quia contra naturam est, non gentem nescio quam tenebrarum aduersus diuina regna à suo principio nascentem, & rebellantem. quæ verè ampliorem formidinẽ intulit Deo vestro, quàm infantibus Lamia; quippè quẽ dicitis, ne sua membra illius impetu capta, & vastata conspiciat, velum contra se posuisse.* Putabant Manichæi dæmones natura malos bello Deum lacessisse, & lacerasse eius membra, quæ ne aspiciat sic lacera, sibi velum oppandat: quasi Deum aliquid latere possit, aut aliquid pati vt Deus est. immò potius natura ipsa cõdolẽs Creatori in cruce commota spectaculo quasi velum oppandere caliginis, Sole obtenebrato visa est. ac velum templi potius scissum, figurarum iam operimentis ablatis. quod autem dæmonas cum Lamijs comparat, nõ est mirandum; sunt enim illa monstra Libyes, virginea quidem facie, & muliebri capillamento, sed fraudulenta, & immania equinis pedibus, aut striges ipsæ infãtium sugentes sanguinem, aut teste Philostrato, quæ libidine allectos crudeliter deuorant.

Dæmones Lamijs cõparati.

Figmentũ Manichæi de velo oculis Dei oppassone se lacerum videret.

Manes id est insanus dictus Manichæus quasi manna fundẽs

24 Manichæorum insignem fraudem arguit in variando nomine auctoris sui Manetis. *Iuratis per vestrum dominum Manichæum qui Manes lingua patria vocabatur. sed vos vt apud Græcos nomen insaniæ vitaretis, velut declinato, & prolongato nomine, quasi fusionem addidistis, vbi amplius laberemini. sic enim mibi quidam vestrum exposuit, cur sit appellatus Manichæus, vt scilicet in lingua græca, tanquam manna fundere videretur, quia græcè fundi χεῖν dicitur.* Nota fraudem, græcè μανὴς dicitur insanus, vt igitur vitarent nominis omen, Manichæum dixerunt. sed & ipsos in hoc insanos dicemus, quòd non Cholichæum potius à felle, quàm Manichæum vocarint, quasi esset nomen deductum à manna. porrò lepidè ait; fusionem illam, quam significaret græcè syllabæ additæ Manetis nomini, satis ostendere illos infuso, & lubrico versari loco, vt fœdè labantur. sed notandum est ex accepto à manna nomine hoc solùm habuisse Manetem, quod vt ait scriptura de manna. *apparuit decorticatum*, vt semen coriandi. Manes antẽ à Rege Persarum Sapore ob filiam non sanatam, vt ille promiserat, excoriatus, ac proinde quasi decorticatus interijt, vt supra diximus; nec aptius qui sapidum mannæ nomen affectabat, quàm à Sapore interfici poterat.

Manichęus à Sapore rege Persarum excoriatus perijt.

25 Manichæi reprehendebant illud testamenti veteris. *Oculũ pro oculo, &c.* sed ait, hoc potius repressum odium, ne vlterius progrederetur nam in vindicta nemo contentus est: *non igitur is fomes, sed limes furoris est; non vt id, quod sopitũ erat, accenderetur; sed ne id, quod ardebat, vltra extenderetur, impositus.* nempè quia odium semper excrescit, & satiatur, nisi progrediatur ad necem, terminũ posuit exsculptũ oculum; non quod id iuberet, sed sicut qui

Cur dicat Deus oculum pro oculo dandum &c.

verum

verum iurat, propinquus est periculo, ne etiam procedat ad falsum. ita & qui repetit iustam vindictam, facilè illo impetu animi ferri, ac rapi poterit ad iniustam: ideò Christus ad perfectiora tendens, illud ipsum cohibens, ignosci prorsus voluit inimico.

Ex libro XX. contra Faustum Manichæum.

Manichæi Solem, & Lunam, & scapham, triangularem, dicebant.

1 Manichæos stultiores facit quàm gentiles; nam hi cum Mundum putant maximum Deum, &c. saltem colunt, quæ sunt, licet Dij non sint; at ipsi colunt sua figmenta, & meras nugas: hinc cōcludit. *Vnde vos verius dixerim nec Solem istum colere, ad cuius gyrum vestra oratio circumuoluitur; nam de ipso tam falsa, & tam detestanda iactatis, vt si suas vindicaret iniurias, iam flammis eius viui arderetis. nam primò eum nauim quandam esse dicitis: ita non tantùm, vt dicitur, toto cælo erratis, sed & natatis. deinde cum omnium oculis rotundus effulgeat, triangulum perhibetis, id est per quandam triangulam cæli fenestram lucem illam Mundo, terrisque radiare; ita fit, vt ad istum quidem Solem dorsum, ceruicemque curuetis, non autem ipsum tanta rotūditate perspicuum, sed nescio quam nauem per foramen triangulum micantem, atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis; in quo illud est intolerabiliter sceleratum, quod de ipsa naui puellas pulchras, & pueros proponi dicitis, quorum formosissimis corporibus inardescant Principes tenebrarum, &c.* Vide quò flagitiosa mens hæreticorum processerit, vt Solem ipsum contaminarent, quem tamen colebant; cum scapham, seu nauem lucis esse finxerunt, quæ non alias merces veheret quàm libidinis; cū nihil sit Sole purius. quid si maculas in ipso Sole aduertissent, vt nunc fit optico tubo crystallino? potius dicēdum erat, Virgines intra Solē quodāmodo habitare, iuxta illud. *ò quam pulchra est casta generatio cum claritate*. nempè intra cœnobia viuunt, quæ splendore virtutum Solem referunt. hæ & sponsi Christi amore castissimo inardescunt, & Christus in eas. huiusmodi naues lucis sine naufragio pudoris habet Ecclesia. rursum Deipara dicitur. *electa vt Sol*. & eadem *facta est quasi nauis institoris*. hac, vt ita dicam, solari naue Virgines tutò vehūtur ad portum salutis. quod autem Solem triangularem fingebant, Augustinus alibi, & alij patres in Sole Trinitatis mysterium cognouere, sapientius, & verius, è quo & lumen procedit, & calor, vt à patre filius, & ab vtroque Spiritus sanctus, hinc dicitur, *Sol tripliciter exurens.* Denique quod ait, Manichæos Solis cultores solitos, dum orarent, *ad eius gyrum ora conuertere*: vel heliotropium florem imitati sunt, vti diximus, vel Gymnosophistas, qui defixis sēper in Solē oculis perpetua eius sideris contemplatione ad eius gyrum se conuertebant. sed melius philosophantur, qui ad Solem iustitiæ se conuertunt, eius nutum obseruantes: hoc est Christi exempla sectantes.

Manichæi Solē quē colebant obscænis figmentis maculabant.

Deipara nauis institoris.

Manichæi orabat cō formantes se ad gyrū Solis.

2 De Trinitate quod fingebant Manichæi, exagitat. *His obscœnissimis pannis conamini assuere ineffabilem Trinitatem, dicentes, patrem in secreto quodam lumine habitare, filij autem in Sole virtutem, in Luna sapientiam; Spiritum verò sanctum in aere.* Iam lumen illud patris corporeum putabant; quod sic eleganter arguit. *Hoc lumen mutabile, illud autem incommutabile voluntate, veritate, æternitate persistit, & inde nobis est initium existendi, ratio cognoscendi, lex amandi. inde omnibus & irrationabilibus animantibus natura, qua viuunt, vigor, quo sentiunt; motus, quo appetunt: inde etiam omnibus corporibus mensura, vt subsistant; numerus, vt ornentur; pondus, vt ordinentur: itaque lumen illud Trinitas inseparabilis vnus est Deus: quam tamen incommutabilem, spiritalemq; substantiam etiam locis diuiditis, nec saltem Trinitati loca tria datis, sed quatuor: patri lumen inaccessibile; filio duo, Solem, & Lunam: Spiritui sancto vnum, id est aeris huius ambitum.* Pulcherrimus hic locus est de Trinitate, & Dei incommutabilitate. & acutè arguit quod Trinitati assignarent quaternarium. vide autem hæreticorum fraudem, qui sub pulchris nominibus lucis tenebras offendebant. sed stultè certè illud, quod filij sapientiam in Luna ponerent: nam contra dicitur. *Stultus vt Luna mutatur.* addit ipse acutè arguens: *Cur in Sole ponitis virtutem filij, in Lunam eiusdem sapientiam? cum enim in ipso patre filius inseparabilis maneat, quomodo potest sapientia eius ab eius virtute separari, vt illa sit in Sole, hæc in Luna? deinde quàm incongruè, quàm peruersè sedem sapientiæ minus lucere dicitis, quàm sedem virtutis? cum ad virtutem pertinere videatur operari, & efficere; ad sapientiam verò docere, & ostendere. cum igitur lux longè in Sole præcellat, quomodo ibi virtus? in Luna autem, quę tantò minus lucet, sapientia est? & cum sit vnum Christi Dei virtus, & sapientia, quomodo separetur à se ipso? cum autem à Sole Luna recedit, fit, vt quoniam infirmantur omnia, quæ virtute deseruntur, eò sapientia sit infirmior, quò est Luna plenior. ita vos cū hac dicitis, & virtute, & sapientia ita caretis. vt nec sapere possitis aliquid fortiter; nec valere sapienter.* Lepidè, & acutè arguit, dum filij Dei attributa diuidunt, & vir

tutem

Manichæi de Trinitate stultè sentientes.

Dei natura pulchrè descripta.

Manichæi patrem in luce secreta, filium in Sole, spiritū s. in aere ponebant.

Manichæi in Luna sapientiam ponebant.

tutem, seu vim operationis eius, & fortitudinem in Sole ponunt, sapiētiam in Luna, ipsi neutrum ostendunt: nam & eneruatè, & stultè dicunt. porrò cum sapientia sit ratio, & dux cum virtute agendi, & quasi magistra, cur non in Sole ponitur, sed in Luna? certè in Ecclesiast. dicitur: *Sapientia manet sicut Sol.* cetera etiam argutè arguit.

3 Manichæorum commenta gentilium poetarum fabulis ineptiora esse eruditè demonstrat. Quid enim, inquit, de ceteris commentis dicendum, si de clarissimis sideribus Sole, & Luna tam inepta dicūtur? *Quis enim ille splenditenens suspendit Mundū? & quis Atlas cum illo supportat? habent quidem gentiles fabulosa figmenta, sed illas fabulas esse norunt, & eas vel à poetis delectandi causa fictas esse asserūt, vel ad naturas rerum, vel ad mores hominum interpretari conantur, vt tria fata in colo, & fuso, digitisque filum ex lana torquentibus propter tria tempora, præteritum, quod iam netum, &c. & Mineruam de Iouis capite natam ad prudentiam cōsiliorum referunt, &c. vos autem primum hominem cū quinque elementis belligerantem, & spiritum potentem de captiuis corporibus gentis tenebrarum, aut potius de membris Dei vestri victis, atque subiectis Mundum fabricantem, & splenditenētem reliquias membrorum Dei vestri habentem in manu, & cetera omnia capta, oppressa, inquinata plangentem, & Atlantem maximum subter humeris suis cum eo ferētem sine interpretatione demonstratis.* acutè arguit. nam gentiles in fabulis certè allegorias agnoscūt; aut delectationem, aut morum compositionem spectant, nec vt vera illa pronunciant. at hæretici sua figmenta quasi dogmata proponunt: nugæ etiam ipsæ impiæ sunt. quid autem absurdius, quàm Mundum ab ornatu dictum dicere factum de captiuis corporibus gentis tenebrarum, aut de laceris Dei membris? adde illud, splenditenentem quandam naturam, & vndique rutilantem tenere in manu lacera Dei membra, à gente tenebrarum oppressi, & miserabili luctu plangentis. quantò melius nos Christi pro communi salute à Iudæis, ministris diaboli, occisi necem, & lacera membra deflemus? de ipsis verò dici potest: *hoc est tempus vestrum, & potestas tenebrarum.* quanquam non natura, sed vitio tenebræ dicuntur.

Splēditenēs suspēdens Mūdū, & Atlas sustinēs fabula Manichæi. Manichæorum figmenta peiora, quàm poetarum.

Tres Parcæ nentes ob tria tempora à poetis dictæ.

4 De Christi conceptu impium Fausti dictum redarguit. *Ait, ex viribus Spiritus sancti, ac spiritali profusione terram quoque concipientem gignere patibilem Iesum, qui est vita, & salus hominum, omni suspensus ex ligno. O demens, potest nè terra de Spiritu sancto conficere patibilem Iesum, & Maria Virgo nō potuit? compara, si audes, virginalia viscera tanta castitate sanctificata, cum omnibus terræ locis, vbi arbores, herbæq; gignuntur; ita nè in illa fœmina exhorrescis vterum pudicitiæ dedicatum? & in hortis omnibus circum quaque vrbes, & cloacinis aquis Iesum gigni non exhorrescis?* Pulcher locus de vtero Virginis omnium hortorum amœnitatem superante. nempe venter eius *vallatus lilijs* dicitur. igitur diabolus inuidens Deiparæ vtero, per Manichæos hoc figmentum protulit, è terra Spiritu sancto madescente Iesum patibilem enatum, eiusque membra in arborum pomis inueniri, ac proinde ex arbore omni fructifera tanquam suspensum è ligno pendere, quo etiam passionis eius, & crucis gloriæ inuidit. pulchrè autem dicit de Deipara. *virginalia viscera tanta castitate sanctificata, & vterum pudicitiæ dedicatum*: scilicet delubri instar sanctissimi. Deinde argutè irridet, quod aiebant, si poma ipsi ederent, Iesu membra eo esu purgari. Addit lepidè, & salsè, *Sicut verum Iesum Ioseph ab Arimathia de cruce deposuit vt sepeliret, ita & vos poma decerpitis, vt Iesum de ligni suspensione depositum vestro vētre sepeliatis.* oppone, lector, his ineptijs mysticum illud de Christo in cruce in Cātico cant. vbi dicitur: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructum eius, &c.* Denique quærit à Manichæis, an idem Iesus sit, quē suspensum in arboribus dicunt, & quem per Solem, Lunamq; distentum faciunt, vt in Sole sit eius virtus, & in Luna sapientia? & an idem, qui à Pilato crucifixus? num igitur tripliciter a se disiūctus? aut si vnus, *cur non sit Iesus, & ille splenditens, & ille Atlas, & ille rex honoris, & ille spiritus potens, & ille primus homo, & quicquid aliud per diuersa nomina, & officia prædicatis?* diuersa inter se hæc numina fingebant. at si sanè loquamur, & mysticè, ad vnum Christum suo modo referri possent. *ille splenditenens.* de quo dicitur: *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* qui, & in monte, & in apocalypsi sic visus. *facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* idem, *& ille Atlas*: iuxta illud: *portans omnia verbo virtutis suæ.* idemmet, *rex honoris, &c.* nempe *rex regum, & dominus dominantium.* Hebr. 1.

Manichæi verā Dei matrē negabant.

Vterus Virginis pudicitiæ dedicatus.

Manichæi Christum ab omni arbore pendere dicebant.

Christus verè splēditenens, & Atlas, & rex honoris.

5 Redarguit falsam opinionem Fausti, qui putabat, parem nobis religionem esse cum Manichæis circa panem, & calicem. *At vobis in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus visceribus vestris, soluendusque ructatibus.* vide vt diabolus illudere voluerit Eucharistico cibo. Addit, *Peius vos decipitis, quàm nonnulli, qui nos propter panem, & calicem, Cererem, ac Liberum colere existimant; sicuti vos propter Sabbatum Saturno fuisse dicatos patres nostros putatis. Sicut enim à Cerere, & Libero longè absumus, ita patres nostri à Saturniacis catenis, vt appellatis.* Vide & hic diaboli inuidiam. persuasit enim gentibus, nos eosdem ritus habere, & eadem numina in Eucharistia, Cererem, & Bacchum, sicut olim in Sabbato

Diabolus persuasit Cererem, & Bacchū adorari à nobis in Eucharistia.

to Saturnum, vt hac ratione gentiles non curarent admodum de ceteris ad religionem nostram pertinentibus, cum non multum differrent à sua, ac frustra ipsos à nobis redargui putarent. quid hoc cibo, vel temperantius, vel castius? quid Cerere, & Baccho impudentius? sine quibus frigetis, &c.

6 Quàm indignè Manichæi de nostri corporis fabricatione sentirent, ostendit. *Dicitis omnia membra vestra, totumque corpus à maligna mente, quam Hylen vocatis, fabricatum, eiusque ipsius fabricatricis partem illic habitare simul cum parte Dei vestri, quæ cum ibi teneatur concatenata, & inclusa, vtrùm Dei templum, an Dei carcerem te dicere debuisti? nisi fortè animam tuam templum Dei dicis, quam ex terra luminis habes; at illam partem Dei soletis dicere, non templum Dei; restat ergo vt templum Dei non te dixeris, nisi ex corpore, quod, secundùm te, diabolus fabricauit. ita quod Apostolus templum Dei vocat, vos machinamentum diaboli, & ergastulũ Dei dicitis.* Vide quàm desiperent: corpus instrumentum animæ ad tam præclara opera, diabolo artifici tribuebant. at per hoc potius diabolus destruitur in Sanctis: cur ad reliquias ipsorum dęmones exhorrẽt, si opus eorum humanum corpus est? nec Deus cõcatenatus ibi est, sed liberè operatur iuxta illud, *inambulabo in eis.* quanquam aureis charitatis catenis in Sanctis quasi deuinctum dicere fas esset.

Manichęi corpus humanum à Diabolo factum dicebant, & in eo catenatum Deum.

7 Manichæos gentilibus Philosophis peiores ostendit. *Propterea nefas habetis pecora occidi, quia humanas animas in ea reuolui arbitramini, sed in hoc gentilibus deterius erratis, quod illi in pecore timuerunt trucidare proximum suum; vos autem Deum vestrum, cuius membra esse etiam pecorum animas arbitramini.* Vide quàm abiectè hæresis de Deo sentiat, de cuius substantia etiam pecorum animas putat. quid magis pecuinũ, ac brutum, quàm hoc sentire?

Manichęi animæ in bruta migrationẽ ponebant

8 Reprehendebat Faustus honorem Martyribus exhibitum. *Ait nos vertisse idola in Martyres. at populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur. ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quãuis in memorias Martyrum, constituamus altaria. quis enim ibi dixit, offerimus tibi, Petre? &c.* Nota tres causas honorandi Martyres, ob exemplum, ob consortium meritorum, ob patrocinium: non coluntur autem cultu latriæ; *Sed eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines, quorum cor ad talem pro euangelica veritate passionem paratum esse sentimus, sed illos tamen deuotius.* scilicèt iam parta victoria. ceterùm & Paulus, & Barnabas oblatos sibi diuinos honores acerrimè repulerunt. vbi nota ideò Sanctos adhuc viuentes veneratione dignos, quia parati sunt ad Martyrium. immò S. Antonius Vlysipponensis in vnum è vulgo cum incidebat, prosternebat se ante pedes illius admirantis, & detrectantis, nec de Martyrio quicquam cogitantis. sed vir sanctus Martyrem fore præuidebat.

Manichęi Martyrũ cultũ idololatriam vocabant

Tres causę cur honoremus Martyres.

9 Manichæorum commentum de defunctis perstringit. *Asseritis animas mortuorum magis minusuè purgatas, aut in reuolutiones ire, aut in grauiores aliquas pęnas. bonas autem in naues imponi, & in cœlo nauigantes transire hinc ad illud phãtasma terræ luminis, pro qua pugnando perierant.* Nota ineptias; satius dixissent, protectione Deiparæ animas in cœlum euehi. nempè de illa mysticè dicitur: *facta est quasi nauis institoris.* & vide vt in ipsa imaginaria sua naui naufragium fecerint fidei. quod autem dicebant, iustorum animas olim pugnasse pro terra luminis, & interijsse, hoc ipso mentis cæcitatem, ac tenebras ostendebant. pugnant quidem strenuè Martyres, & necem subeunt, sed pro *patre luminum.*

Figmentũ Manichęi animas pugnantes olim pro terra luminis, eò deuehi naui.

10 Manichæos conuincit, humanæ carnis substantiam detestantes. *Ait Apostolus. Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem, &c. Sed Manichæi corpora humana opificium dicunt esse gentis tenebrarum, & carceres, quibus vinctus inclusus est Deus.* rursus Hebræorum sacrificia, & victimam Christum præsignarunt, & nostram oblationem, qui sumus eius capitis corpus. vbi nota contra hanc sententiam, vt reor, præmuniuit Ecclesiam Deus in hos, qui dicebant corpora humana esse opus gentis tenebrarum; nam solitus est potius nonnullis Sanctis suis interdum splendorem vultus communicare, vt olim Mosi, postea Ignatio nostro, & alijs. ac tantum abest, vt Deus tanquam in carcere ibi sit, vt potius tanquam in sacrario. patrem Origenis, qui postea Martyr fuit, adeo filij pietatem admiratum ferunt, vt in eius dormientis pectore velut in sacrario orare soleret. & Lucianus Martyr deficiente ara, in suo pectore consecrauit Christi corpus, & fecit rem diuinam. adeoq; falsum est in humano corpore tãquam inter angustias carceris claudi Deum, vt dicat Apostolus, *Cor nostrum dilatatum est.* 1. Corin. 6

Corpus humanũ Dei carcerem dicebant Manichæi

Rom. 16.

Manichæi dicebant corpus esse opus gentis tenebrarũ.

Ex Libro XXI. contra Faustum Manichæum.

1 Circa salutem ad Dei iudicia recurrendum dicit, non ad distincta principia. *Occultum est, altum, & inaccessibili secreto, ab humana cogitatione seclusum est, quemadmodum Deus, & damnet impium, & insti-*

Prædestinatio non curiosè inquirenda, sed Dei iudicio reseruanda.

iustificet impium &c. quantò conuenientius est expauescere, vbi Paulus expauescit, & exclamat: ò altitudo, &c. quantò melius ita mirari, quod vestigare non sufficis, quàm propterea velle alterum Deum malum effingere, quia vnū bonum non potuisti comprehendere? acutè arguit. Iac vide quàm periculosum sit labi in materia de prædestinatione, nisi recurras ad Dei iudicia.

2 De creatione ineptè sentientes carpit. *Malum dicitis eum, qui fecit colubrum; istum autem Solem tam magnum bonum putatis, vt nec factum à Deo, sed prolatum, vel missum esse credatis. at Deus verus, & colubrum fecit inter alia inferiora, & Solem inter alia superiora, & adhuc in spiritalibus multa ista luce longè meliora.* Nota quid sentirent: Solem tanquam exploratorem Mundi missū putabant, vt reges mittebant ad exploranda, quæ in regno fierent, quos vocabant oculos: est autem Sol Mundi oculus. at dicitur de Deo. *tu fabricatus es Auroram, & Solem.* Deinde nota, res spiritales, quæ in dies à Deo producuntur, vt est gratia in anima, longè præcellere Solis luci.

Spiritalia superant solarem lucem, vt gratia, &c

Ps. 73.

3 Etiam monstra ad Vniuersi complementum fieri docet à Deo sapienter, ac prouidè. *Vt in imo ista Dei opera terrena considerem, sed tamen opera Dei, ineffabiliter moueor laude Creatoris illorum, qui prorsus ita magnus est in operibus magnis, vt minor non sit in minimis. ars enim diuina, qua & cœlestia, & terrena opera fiunt, cum ea sint inter se dissimilia, ipsa in omnibus suis similis est, quia in suo quæque genere perficiendo vbique perfecta est. neque enim vniuersum condit in singulis, sed ad vniuersi complexum condens singula, vniuersam se condendis præbet, & singulis omnia congruenter locis suis, & ordinibus faciens, atque disponens, & omnibus particulariter, & vniuersaliter congrua tribuens. ecce in ipso quasi fundo infimo vniuersæ creaturæ aspicite animalia, quæ volant, & natant, & gradiuntur, & repunt, nempè mortalia sunt; hunc enim modulum ab optimo conditore perceptum tanquam in commune conferunt Vniuerso, pro sui generis portione, complendo, vt cum istis imis sint omnia bona, in quibus sunt eis superna meliora. quodlibet animalculum pro sui generis exiguitate administrat quoddam vniuersū suum ad incolumitatem tuendam sibi conciliatum, nam & anima cum castigat corpus suum, diligit carnem suam, quam sibi subdit, & ordinat. quid in ipsa carne vitalia viscera, totius formæ conuenientia membra operandi, vasa sentiendi locis atque officijs suis cuncta distincta, & concordi vnitate contexta moderatione mensurarum, parilitate numerorum, ordine pōderum, nonnè indicant artificem suum Deum verum? vnde enim istis hæc, nisi ab illo, cuius vnitate omnis modus sistitur, cuius sapientia omnis ordo disponitur?* præclarè, ac pulchrè Deus in operibus licet dissimilibus inter se, sui similem, & aptè omnia fabricantem facit. Tum vide vt omnia vel minima, & ima Vniuersum pro suo gradu complere studeant: quod etiam à quoque religioso in sua familia ornanda seruandum est; vt nemo sit prorsus inutilis, & deses. Nota etiam carnis mortificationem ex charitate esse; nam ita caro in suo gradu, & ordine vniuersi ponitur, vt subiecta sit rationi, & animæ. item pende acutam illam rationē, cur Deus æquè sit magnus in magnis, atque in minimis.

Deus sibi semper similis in operibus licet inter se dissimilibus.

Omnia creata pro suo quæque genere vniuersi compositioni congruūt.

Cor. 12.

4 Locum Pauli Manichæorum demētię opponit. *Dicit Apostolus: Deus temperauit corpus; & dicit Faustus: Hyle, non Deus, nisi fortè Deum temperasse corpus non dispositione membrorum, hoc est fabricando, & construendo, sed admixtione lucis suæ intelligit, vt scilicet hæc membra distincta, & locata sedibus suis alter posuerit, qui hæc fabricauit; Deus autem miscendo bonitatem suam huius fabricæ malitiam temperauerit; talibus enim fabulis pueriles animas hebetat. dicant ergo verùm animalia, quæ, secundùm deliramenta eorum, Hyle fabricauerat in gente tenebrarū; antequam Deus illis lucem suam miscuisset, nō habebant istam inter se membrorum concordiam?* at certè ambulabant, audiebant, &c. quæ non possunt fieri nisi membra cōcordent. vides ineptias: corpus ab vno principio apud gentem tenebrarum conditum dicebant cum malitia, ab altero luce temperatum. atqui sine diuinæ bonitatis luce non potuissent prodire in lucem.

Manichæo Deus non fabricator corporis, sed temperator eius malitiæ dictus.

5 Pergit ostendere, non esse constituēda duo principia rerum, quorum vnum malum, ex eo quod quædam noxia sunt. hoc enim accidit per incongruentiam, quod tamen alteri generi congruum est. *Sicut panem, qui quotidiana nostra esca est, si accipiter sumat, extinguitur, &c.* quod si consideraret Faustus, non vtique venenum, & antidotum pro exemplo duarum naturarum mali, & boni poneret; tanquam Deus sit antidotū, & Hyle venenum: *cum eadem res, eadem natura nunc congruenter, nūnc incongruenter sūpta, siue adhibita, vel prosit, vel noceat: Itaque secundùm eorum fabulam posset dici Deus eorum fuisse venenum genti tenebrarum, cuius corpora ita corruperit, vt infirmissima redderet; sed quia & lux ipsa capta, oppressa, corrupta est, inuicem sibi venenum fuerint.* lepidè, ac falsè arguit commentū. duo principia ponebat Manichæus, vnum malum inde(n)s malitiā rebus, alterum bonum eam contemperans: quasi vnum venenatum, & alterum medium, & salubre. cum verè nihil sit natura malum, etiam si noxiū alteri, & ideo noxium, quia cum illius natura non congruit. vbi nota illud de accipitre, cui panis pro ueneno est, cum homini nihil sit pane uitalius: quod referri potest ad Eucharisticum panem; qui enim instar accipitris

Duo principia apud Manichæum Hyle tanquam rerū venenū, Deus tanquam antidotū.

Panis accipitri letalis, homini vitalis typus Eucharistiæ.

rapaces ſunt, ijs lethalis eſt cibus, ſicut & Iudæ quaſi rapaci accipitri fuit. adde quod narrant phyſici, oſſa accipitris attrahere ad ſe aurum, quod anaritiæ proprium eſt.

Ex Libro XXII. contra Fauſtum Manichæum.

1 DEum in tenebris ab æterno verſatum Manichæi objciunt ex ſcripturis, & ideò poſtea miratum cum vidiſſet lucem, & vt bonum laudaſſe. Arguit, *Quaſi ignarum futuri, vt præceptum illud, quod non eſſet ſeruaturus Adam, ei mandaret. improuidum, vt eum latentem in angulo paradiſi videre non poſſet. inuidum, ne ſi guſtaret ille de ligno vitæ, in æternum viueret. appetentem ſanguinis in ſacrificio. perimentem millia hominom ob leuia commiſſa, &c.* Vide quam multiplici veneno tumeat hæc hydra, hæreſin dico tot in Deum blaſphemijs impiā. cum errorum ipſa tenebris tota obruatur, Deo tenebras offundere conatur: atqui contra ſcriptum eſt. *Deus lux eſt. & tenebræ in eo non ſunt vllæ: & cum ait: Fiat lux: lucem non feciſſet, niſi lucifica lux, quod eſt Deus. ſicut enim Deus ſibi ſufficit ad æternam beatitudinē, & ex hac abundat ad faciendos beatos; ita ſibi ſufficit ad æternam lucem, & ex hac abundat ad faciendos illuminatos: nullius bonum cupiens, cum ipſo fruatur omnis voluntas bonæ; nullius malum timens, cum ipſo deſeratur omnis voluntas mala; quia nec auget eum, qui eius dono beatus eſt; nec terret eum, qui eius iudicio miſer eſt.* Pulchrè, & eleganter oſtēdit, in Deo, & lucem eminenter ſemper fuiſſe, cum parens lucis ſit, & omni alio bono ipſum affluere. Tum addit. *Sed lux iſta, quamuis & ipſam fecerit Deus, longè incomparabilis eſt illi luci, quam fecit Deus in mentibus piorum, quas à tenebris lucificat, ſicut ab impietate iuſtificat: quantò magis illi inacceſſibili, quæ iſta omnia facit?* huc ſpectat quod ſequitur.

Deus ante creatā lucem in luce ineffabili erat: non in tenebris vt aiunt Manichæi.

2 Arguit, ac falsè rurſus eludit Manichæos, reprehendentes, quod Deus luce viſa miratus ſit quaſi de re inſolita. *Vidit lucem quod eſſet bona. Videre Dei approbare eſt: nec mirum quod his diſpliceat, quod Deus vidit, quia bonum eſt, quandoquidem Deus ipſorum, cum membra ſua merſit in tenebras, velum contra ſe poſuit. non enim quod fecit, vidit, quia bonum eſt, ſed noluit videre quia malum eſt.* arguit ex ipſorum opinione. fingebant Dei ſubſtantiam in membra diuiſam cum gente mala tenebrarum, quod ne videret, ſibi velum oculis appoſuiſſe, vt in re ignominioſa. at hoc velo non vſus eſt, quia lux, quam creabat, erat bona, ideò aptè dicitur. *Vidit Deus quod eſſet bonum.* Tum alijs ſcripturæ locis oſtendit, admirationem in Deo non oriri ex ignoratione, vt cum fidē Cēturionis Chriſtus mirari viſus eſt, & cū in hæmorrhoiſſæ curatione ait: *Quis me tetigit?*

Figmentū Manichæorum de velo oculis Dei oppaſſo, ne ſuam viueret ignominiam.

Admiratio in Deo non eſt ex ignorantia.

3 De veteris teſtamenti victimis, quas improbabant, ſic. *Figuras in victimis animalium celebrari oportebat propter commendationem futuræ carnis, & ſanguinis, per quam vnam victimam fieret remiſſio peccatorum de carne, & ſanguine contractorum: quia eadem ſubſtantia corporis in cæleſtem commutabitur qualitatem, quod ignis in ſacrificio ſignificabat, velut abſorbens mortem in victoriam.* Notabilis, & pulcher locus de victimis in veteri lege. primò quia caro, & ſanguis victimæ repræſentabat carnem, & ſanguinem Chriſti inſtar victimæ, ideo illud ſacrificium in odorem ſuauitatis cedebat Deo: alioquin quæ delectatio in nidore, ac fumo combuſtæ carnis? deinde nota, cur Chriſtus in carne, & ſanguine ſuo pœnitenti cōſtituerit remiſſionem peccatorum? quia ſcilicet peccatum ex carnis, & ſanguinis concupiſcentia oritur, oppoſuit antidotum. Illud quoque egregiè dictum, carnem victimarū in ignis naturam verſam indicaſſe commutationem corporis noſtri in cœleſtem naturam, & quaſi ſideream; nam de igne Veſtali dicitur, vt ad ſimilitudinem cœleſtium ſiderum cuſtos imperij flamma vigilaret. nec Hercules modò, ſed veteres philoſophi id egerunt, vt Calanus q. in ignē ſe vltro iniecit, ut quicquid terrenum, & mortale eſſet, abſorberetur. ſed his ille ignis potius præludium fuit æterni. at qui è cœlo deſcendit in pentecoſte, hoc egit, ut transformaret homines in cœleſtes.

Deus victimis Iudæorum delectatus quia typus Euchariſtiæ.

Cur Chriſtus nobis carnem, et ſanguinē ſuum obtulerit.

Cur Deus victimas igni comburi iuſſerit pulchra ratio.

L. Florus

4 Differentiam oſtendit inter uictimas populi Hebræi, & gentilium. *Veri ſacrificij vt religioſa prædicamenta Hebræi celebrarūt, ita ſacrilega imitamenta Pagani. antiqua res eſt prænunciatiua, immolatio ſanguinis futurā paſſionem mediatoris ab initio generis humani teſtificans; hanc enim primus Abel obtuliſſe in ſacris literis inuenitur.* Eleganter diſtinguit uocans iſta *religioſa prædicamenta*, illa uerò *ſacrilega imitamenta.* addit, ideò dæmones, *quorum duo maximè vitia ſunt, ſuperbia, & fallacia*, eum cultum ſibi uſurpaſſe, fingentes animas mortuorum, quorum imagines, & ſtatuas finxerant in cœlum receptas, & ſe loco illarum in ſimulacris ſubſtituentes. ubi nota uafritiam dæmonum in ſacrificijs admittēdis. fingebant ſe in ſimulacris adeſſe, vt cultorum ſuorum animas in cœlum ſuſtollerent. quo etiam inuidebant paſſioni Chriſti, quia victimarum ſāguis eius ſanguinem repræſentabat, ideo ſibi quoque vſurpabant.

Victimæ gentilium ſacrilega imitamenta, hebræorum religioſa prædicamenta.

Dæmonū duo maximè vitia: ſuperbia, & fallacia

Cur dæmones ſibi victimas in ſimulacris vſurparint.

5 Reſpondet ad obiectum de nimis atroci ſupplicio eius, qui ſine veſte nuptiali acceſſit ad cœnam. ſed id ſignificat, *Quātum ſit nefas ſacras nuptias adire quærentem gloriam*

Cur tam acriter punitus non habens veſtem nuptialem.

gloriam non sponsi, sed suam. quod certè non leue est. vbi nota quid sit candida, & splendida veste indui. aliquis diceret hoc pertinere ad induti conuiuæ gloriam; non ita, sed ad Domini inuitantis, quem scilicet adire non audet, nisi cum eo ornatu, quem ab ipso accepit. itaque in Eucharistiæ maximè frequentatione cauendum, ne quid gloriæ ad nos deriuemus per hypocrisin.

Dei gloria nō propria, vestis nuptialis est.

6 Obijciunt quod Deus dixerit. *Non parcam peccatori, nec iusto; sed non parcit impijs tanquam sarmentis præcisis ad combustionem; non parcit iustis propter perficiendam purgationem. hos flagellat vt filios, illos punit vt impios.* Nota discrimen, & vide quid impij sint; sarmenta, quæ quia in vite Christo esse noluerunt, non nisi ad ignis nutrimētum deseruiunt.

Diuerso modo affliguntur boni, ac mali in hac vita.

Mali sarmēta sunt ignis æterni.

7 Dei naturam perfectissimam ostendit, contra quàm Manichæi fingebant. *Non colimus versantem ex æterno in tenebris Deum, sed eum qui lux est, & tenebræ in eo nō sunt vllæ, habitantem lucem in se ipso inaccessibilem, cuius lucis æternæ candor, & coæterna sapientia; nec lucis inopinatæ admiratorem, sed lucis factæ creatorem, vt subsisteret; approbatorem, vt maneret. non colimus ignarum futuri, sed mandati præceptorem, & delicti damnatorem. non improuidum nesciendo quærentem, sed interrogando iudicantem.* eleganter dictū per antitheta, rursus Manichæorum amētiā detestando, dicentiū, Deum ante lucem creatam in tenebris fuisse, & ideò vt rem nouam admiratum.

Diuinæ naturę perfectio, & summa sapientia.

8 Paganos arguit, reprehēdentes Christum, quod tempore anni non congruo, poma quæsisset in arbore; & puerilis fatuitatis affectum, quod digito scriberet in terra, &c. *Nempè nihil sapiunt, nec intelligunt, in magnis animis quasdam virtutes vitijs paruorum esse simillimas, nonnulla specie, sed nulla æquitatis comparatione.* vt si puer reprehendat Maronem, quod dixerit: Pars in frustra secāt, pro secat. & relligionem pro religione. ita cum & Abraham reprehendūt de prole, & Agar ancilla, &c. *Quantum distant schemata, & metaplasmi doctorum à solœcismis, & barbarismis imperitorum, tantum distant facta prophetarum à libidinosis peccatis iniquorum.* pulchrè ostendit, puerilliter, & indoctè agi siuè ab hæreticis, siuè à gentilibus, cum ea, quæ figuratè dicuntur in scripturis, ineptè dicta putant. non intelligebāt indicari, quouis tēpore bona opera requiri, & de improbis dici: *recedentes à te, in terra scribentur.* & rursus: *cum iustis non scribantur,* idest in libro prædestinatorum.

Gentiles arguebāt, quod Christus ex arbore ficus extra tempus quæreret.

Gentiles arguebant Christum pro adultera scribētem in terra.

Ierem. 17. Psal. 68.

9 Definit quid sit peccatum, & lex diuina. *Peccatum est factum, vel dictum, vel cōcupitum aliquid contra æternam legem. Lex verò æterna est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans. naturæ autem ordo est, vt anima corpori præponatur, & in ipsa anima ratio ceteris eius partibus, quas habent bestiæ; & in ipsa ratione contemplatio actioni.* Vide legis æternæ præscriptum æquissimum, vt corpus subijciatur animo, & ratio dominetur sensibus, & contemplatio actibus emineat.

Quid sit peccatū, & quid lex.

10 Acutè ostendit & animæ dignitatem, & Dei sapientiam; quod homini voluntatem dederit liberam, vt si cadat, eadē libertate, Deo iuuante, reparet casum, domando vitium, quo ceciderat. *Rationalis creatura in eo genere facta est, vt insit ei possibilitas frænādi delectationem ab illicito, quam non frænando peccarat. magna est igitur humana creatura, siquidem per eam possibilitatē instauratur, per quam, si voluisset, non cecidisset. magnus ergo Dominus, & laudabilis nimis, qui condidit eam. condidit enim & inferiores, quæ non possunt peccare; condidit & meliores, quæ nolunt peccare.* rectè Dei sapientiam in naturis condendis ostendit, & hominis excellentiam. Tum sic pulchre concludit: *Homo subdat sibi quod habet commune cum bestijs; subdat Deo quod habet commune cum Angelis; donec iustitia, & immortalitate perfecta, atque percepta ab istis exaltetur, illis æquetur.* Vide quid agat ordo seruatus in homine: nempè dum subijcit rationali parti partem animalem; facit, vt animalibus superior videatur; dum rationalem Deo, facit, vt perfectius ratione vtatur æquatus Angelis.

Animę dignitas ex libertate arbitrij.

Liberi arbitrij vsus qualis esse debeat.

11 Manichæos prolificum coniugium vetantes arguit. *Manichæi, ne Deus eorum, quem ligatum in omnibus seminibus plangūt, in conceptu fœminæ arctius colligetur, prolem ante omnia deuitari à concumbentibus iubent.* Nota impudēs dictum. putabant Dei substantiam quasi captiuam arctius catenis illigari in conceptu hominis, & flebant quasi miserātes Dei casum; sed conceptus Sanctorum, & reuelationibus, & miraculis aliquando ab ipso Deo illustrati sunt. vt patet in Ioanne Baptista.

Manichæi prolificū cōiugium dānabant

12 Defendit Abraham, cui Faustus obijciebat libidinem, quod cum ancilla rem habuisset, & quod Abimelec, & Pharaoni regibus Saram vxorem commisisset. ita appellabat eum, *Matrimonij sui infamissimū nundinatorem.* respondet ad primum obiectum: Abraham prolis, non libidinis causa cum Agar rem egisse, alioquin Sara id non vltrò permisisset. ad secundum: *ille cōiugem castam, & casto corde sibi cohærentem, de cuius animo, vbi pudicitiæ virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit vxorem, dixit sororem, ne se occiso, ab impijs captiua duceretur; certus de Deo suo, quod nihil eam turpe pati sineret: nec fides, & spes eum fefellit; nam Pharao territus monstris, eam illæsam cum bonore restituit.* ita Abimelech, &c. vbi nota, quàm non statim damnanda sint aliorum facta, cum mentem ignoremus. Abraham non

Abraham a Manichęis matrimonij nūdinator inmittè vocatus.

metuit uitæ suæ, cum tacuit uxorem, sed pudori uxoris, ne ipso occiso licentius ea abuterentur. item fisus est virtuti vxoris: vbi planè admiranda eius pudicitia adnotanda est, quam vir committere potuit gentili regi, nihil veritus ne inter tam validas machinas expugnaretur. nec mirum, pulchrè enim pudicitiæ domicilium eius animum vocat, cui cederet aula, vel regia. sic de pudica illa, & forti, hoc est constanti matrona dicitur: *Confidit in ea cor viri sui.* addit rationem satis acutam. *Si Abraham eam indicasset vxorem, duas res committeret Deo, & vitam suam, & coniugis pudicitiam; pertinet autem ad sanam doctrinam, vt quando habet quod faciat homo, non tentet Deum. cum igitur & vxoris pudicitia, & mariti vita esset in dubio, fecit Abrahã quod potuit; quod autem nõ potuit, Deo commisit. qui se hominem occultare non valuit, maritum se occultauit, vxorem Deo credidit, ne contaminaretur.* refert etiam hoc ad figuram Ecclesiæ. & nota quid agendum in periculis sit, vt quod prudenter euitari potest, euitetur, neque enim hoc repugnat in Deum spei.

Sara pudicitiæ habitaculũ & apud gentilẽ regẽ.

Humana prudentia non repugnat fiduciæ in Deum.

13 Docet, cur scriptura cõmemoret incestum filiarum Loth? *Cum illæ ad cõseruationem generis prolem quærerent, nec se crederent inuenire posse alios viros, velut exusto illa conflagratione Orbe terrarum: neque enim discernere poterant, quousque ignis ille sæuierit, miscere se patri voluerunt; & potius quidẽ nunquam esse matres, quàm sic patre vti debuerunt. prodidit ista Deus in scriptura, non fecit; cauenda admonuit, non imitanda proposuit.* Vide quanti faciendus sit pudor; vt satius fuerit extingui humanum genus in terris, quam incestum perpetrare in cœlũ. Addit. *Peccatum Loth non modò non decolorat scripturæ veritatem, sed etiam laudandam diligentiam commendat, quod hæc tanquam speculi fidelis nitor non solum, quæ pulchra atque nitida, sed etiam quæ deformia, vitiosaque sunt, indicat.* pulchrè sacram Scripturam cum speculo comparat, quo repræsentantur obiecta quoquo modo sint, vt pulchra sequamur, fœda vitemus.

Filiæ Loth an excusẽtur ab incestu.

Pudicitia omnibus præferẽda

Scriptura vniuersaliter censpeculum. & pulchra refert, & fœda.

14 Quanta sit vis, & auctoritas sacræ Scripturæ ostendit, quæ non solùm hæreticos, *Sed tot tantosque gentilium populos penè iam totos à nefaria superstitione simulacrorũ ad vnius Dei cultum Christiano imperio subiugauit, edomito Orbe terrarum, non violentia bellici certaminis, sed inuictæ potẽtia veritatis.* sanè mira uis, nam etiam eas gentes, quas Roma non attigit armis, peruicit. quid mirum? nempe Dei digito scripta, quo quid potentius? nunc vt cum maximè vltra Oceanum apud ignotas nationes, & barbaras fides regnat.

Veritati fidei adscribulantur totius Orbis mira conuersio.

15 Mãdragoram ait significare, *odorem famæ bonæ*. quò pertinet illud Cantici cãt. *Mandragoræ dederunt odorem.* vbi nota odoratam eius radicem referre imaginem cadaueris, cuius potius est teter odor, sed nimirum mortificati, & consepulti Christo optimè olent. quid quod nonnullorum Sãctorum cadauera suauissimè fragrarunt, cuiusmodi Xauerij nostri fuit?

Mãdragora typus bonæ famæ.

16 Quid spectare debeat Princeps, ostẽdit. *Actuosi, & negotiosi homines populis præsunt, non vt præsint, sed vt prosint.* eleganter ludit in verbis, & simul seriò prælatum monet officij. certè Sol dicitur factus, *vt præesset diei.* sed quid eo vtilius dici?

Superior ita præsit vt prosit.

17 Hæreticos arguit, reprehendentes in patriarchis vxorum numerum, cum ipsi nec in una temperantes sint. *Non frustrà tam magnus honor sanctitatis tributus est quibusdam viris, etiam plures vxores habentibus, nisi quia fieri potest, vt Imperator carnis animus tanta temperantiæ potestate præpolleat, vt genitalis delectationis amorem insitum naturæ mortalium ex prouidentia, generandi leges impositas non permittat excedere.* pulchrè sanè uocat, *Imperatorem animũ carnis*, qui ei det leges, ac iura. permisit igitur Deus patriarchis plures uxores, sciens illos ob sanctitatem, hac facultate non abusuros. adeò quod illi tribuunt intemperantiæ, potius temperantiæ probatio fuit.

Cur Deus permisit plures vxores patriarchis.

Animus Imperator est carnis.

18 Docet, cur uolentẽ quendam ipsum sequi Dominus reuocauit dicens: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, &c.) Videbat eum dolosa simulatione tenebrosum, & ventosa elatione iactatum non habere fidei locum, vbi se inclinantem doctorem humilitatis exciperet; quia in discipulatu Christi, non illius gratiam, sed suam gloriam requirebat.* acutè notatum, cur potissimum, & uulpes in opacis foueis, & altè nidificantes aues nominarit; nimirùm sic & occultam eius astutiam, & elationem tacitè perstrinxit. quippè sequi uolebat Christum, ut famam sibi compararet prædicatione, & splendore miraculorum; nihil igitur commune potuit habere cum Christo humilitatis magistro.

Cur Christus volẽti se sequi dixerit, vulpes foueas habent, &c.

19 Eleganter de Dauide, cuius adulterium, & homicidium in scriptura commemorari uituperabant Manichæi. *Legant, & videant in Dauide plura Deum redarguisse, quàm Faustum. sed ibi est & pœnitentiæ sacrificium, & illa incomparabilis mansuetudo vsque ad immanissimum inimicum, & memorabilis humilitas sub flagello Dei, & ceruix regia iugo dominico ita subdita, vt & armatus inimici conuicia sustineret, & vlcisci suadẽtem refrænaret.* pulchrè de regia ceruice Dauid, & diademato capite, quod dum ceteris annuendo, uel renuendo imperabat, tamen iugo Dei ita subiectum habebat, vt armatus ostenderet, se vlcisci posse de Saule, nec velle. quàm igitur nobile Dei iugum est, quod decorat Reges? acutè autem ostendit,

Manichæi Dauidis peccatum arguunt pœnitentiam non attendunt

dit, frustra Manichæos laborare in redarguendo Dauide; nam Deus multò seuerius eum redarguit per prophetam: sed pœnitentiam eius in omni genere admirandam non attendunt. similiter mundani, si quis fortè religiosus hominis more labatur, id exaggerant, cetera eius bona, ac totius religionis præclara opera, & sanctissimum institutum minimè respiciunt.

20 Ostēdit, vt resipiscens Dauid etiam leuissima cauerit. *In Dauid tam religiosus Dei timor fuit, vt cor eius pia sollicitudine trepidauerit, cum exiguam particulam de veste Saulis latenter abscidit, vt haberet vnde illi fidem faceret, quod nollet eum, cum posset, occidere.* Nota de subtilitate spiritus. non absciderat partem vestis ob iram, sed ad bonum finem, vt Saul vidēs ipsum non vltum esse, cum posset, molliretur, nec Deum offenderet: tamen ait scriptura: *percussit cor suum Dauid*. In hoste percussit solum vestē exterius, in se verò intrinsecus cor. dicas eum penè obijsse præ tristitia facti, nam ictus cordis læthalis est. Addit. *Tam prudens Dauid, vt innocentem puerum mortuum non luxerit, at parricidali furore præcipitem fleuerit occisum, animæ præuidens sempiternas pœnas, quas cupiebat eum effugere humaniter viuendo*. acutè notat, cur infantis filij morte audita luctum deposuerit, sed Absalonem fleuerit. nempe mors animæ omni luctu prosequenda, propter peccata, & vitia. porrò quàm admirabilis pietas fuit, non filij flere, sed hostis occasum, & reddere lacrymas suum sitienti sanguinem.

Dauid q etiam in minimis religiosus

Cur Dauid audita morte infantis cessarit à fletu, contra in Absalonis morte.

21 Addit aliud virtutis exemplum Dauidis. *Haud mediocre in illo fidei robur fuit: cum audisset à propheta, quod sibi Deus agnouisset, & tamen quæ fuerat comminatus, euenissent. videbat quippe erga se, & manere veniam, & non negligi medicinam*. nempe virtutis eximiæ fuit, vt mendacij non redarguerit prophetam, quasi falsò veniam promisisset, cum minas omnes in se compleri experiretur etiam post pœnitentiam. vbi nota, verum, & summum beneficium esse remissionem peccati; pœnas verò sensus pro nihilo habendas præ illa. relinquit has Deus vt medicinam. tùm vt ostendat magnitudinem beneficij, cum id remisit, cui tam grande supplicium debeatur, & maius. tum vt pœna frænum sit, ne iterum peccet.

Cur post remissum peccatum adhuc affligamur.

22 Ostendit, cur Saul dicens eadem uerba, quæ Dauid: *Peccaui*: tamen non meruerit ueniam: *Quia in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat. quid aliud & in euangelio discimus, cum eadem vox Petri auditur confitentis Christum filium Dei, quæ etiam dæmonionem īparia verba, sed longè impari corde emittentium. proindè in simili voce fides Petri auditur, dæmoniorum immunditia cohibetur; nempe ab illo, qui non aure humana, sed diuina mēte radices internas vocum illarum nosset inspicere*. ambo dicunt. *Tu es filius Dei*. sed non eadem mens. item multi sunt, qui nullius appetunt vxores, nec tamen ad Dauidis merita perueniunt. *Tantū interest quid cuique in se ipso quantumque displiceat, vt penitùs extirpetur, & quid pro eo fructiferum, & opulentum ingenti feracitate consurgat; quia & agricolæ plus placent agri, qui spinis etiam magnis eradicatis centuplum proferunt, quàm qui nullas vnquam spinas habuerunt, & vix ad tricenum perueniunt*. facit hoc, ne quis superbiat, quod innocenter vitam transfegerit, cum maioris aliquando meriti sint, qui post peccatum seriò resipiscunt. melior est vnus actus valde intensus, quàm multi remissi. elegans est illa similitudo de spinis euulsis feracis agri; patet hoc in Augustino, item in Camillo Cruciferorum parente, & alijs, qui tāto cum spiritus feruore conuersi sint. pulchrè autem ait de illo verbo communi, & Dauidi, & Sauli: *peccaui*, non tam vocem attendendam esse, quàm pectus.

Cur idem verbum peccaui Dauidem iustificat, non item Saulem.

Magni peccatores si resipiscant sæpè feruētiores ceteris.

In oratio ne non tā attendenda lingua quàm pectus.

23 Ostendit, magna ingenia ex vitijs ipsis indicare indolem ad virtutem, si resipiscant; quāquam enim Moses Aegyptium sine potestate non debuit occidere, tamen permissum est ad figuram. *Veruntamen animæ virtutis capaces, ac fertiles præmittunt sæpè vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis exculta. Sicut agricolæ cum terram viderint quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronunciant; & vbi filicem aspexerint, licet eradicandam sciant, validis viribus habilem intelligunt, &c. sic ille animi motus, quo Moses peregrinum fratrem ab impio Aegyptio iniuriam patiētem non seruato ordine potestatis inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus: vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat*. nam postea ab Aegyptijs populum liberauit. *Ita & illa Pauli sæuitia, cum æmulus paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam, putans se Deo officium facere, tanquam siluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis indicium*. ita & cū Petrus gladio defendit Dominum. est hic notabilis locus de conuersione eorum, qui sunt generosæ indolis, qui cum resipiscūt, præclara moliri solent in Ecclesiæ bonum. vt fuit ipse Augustinus. referri etiam hoc potest ad Ignatij nostri indolem, cum Maurum impiè de Deipara loquentem, adhuc miles sine potestate machinatus est occidere. indicium fuit zeli aduersus hæreticos, &c. huc pertinet illud. *Mutabunt fortitudinem, &c.*

Indoles ad præclara agenda ex ipsis vitijs nonnunquam arguitur.

Ignatius nondum perfectus virginitatis Deiparæ vindex

24 Obiecto respondet, quod Moses spoliasset Aegyptios in fuga. *Auro illo malè vtentes ad Creatoris iniuriam idolis seruiebant;*

Moses cur spoliarit Aegyptios in exitu.

bant; & homines peregrinos gratuitò iniustè, ac vehementer affl xerant. non igitur in causa fuit cupiditas, sed religio: non ira, sed pietas. Eundem ab alijs calumnijs sic tuetur. *Moses in gerendis bellis non sæuiens, sed obediens fuit. aduersus violentiam resistentium siuè Deo, siuè aliquo legitimo imperio iubente, bella suscipiuntur à bonis. alioquin Ioannes, cum ad baptismum milites venirent dicentes, quid faciemus? respondisset, arma abijcite, militiam deserite, neminem vulnerate; sed quia sciebat eos non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, & ministros legis, respondit; Neminē concusseritis, nulli calumniā feceritis; sufficiat vobis stipendium vestrum, nec repugnat hoc illi dicto. Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi, & alteram. intelligant hanc præparationem esse non in corpore, sed in corde: ibi est enim sanctum cubile virtutis.* pulchrè dicitur cor iusti, *Sanctum cubile virtutis*. & hoc est, quod in sponsa laudatur. *Omnis gloria filiæ regis ab intus*. intrinsecus igitur in corde virtus sedet, ac proindè in mortificatione spectanda in primis est promptitudo interna. velim etiam notes, quàm aptè Ioannes sibi milites potissimum ad salutem adducendi curam depoposcerit; nempè & ipse quasi dux & imperator fuit in expugnando cœlo, iuxta illud: *à diebus Ioānis Baptistæ cælorum regnum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Bellū inßtū nō prohibetur, sicut nec militaris ars.

Cur Ioannes militibus, maximè præ dicarit.

25 Docet, cur Ecclesiam Deus affligi permittat, cum populum Hebræorum tam insigniter tutatus sit. nempè in nouo testamento ostensum est, esse aliam vitam, ac regnum, præ quo hæc contemnenda. hinc Martyres, *Quorum numerus tantus effloruit, vt si eos Christus congregatos vellet armare, atque adiuuare pugnantes, sicut Hebræos patres adiuuit, quæ gentes resisterent? quæ regna non cederent?* sed vt constaret, non esse Deo seruiendum ob felicitatem temporalem, affligi permisit. sic & Christus dixit se potuisse legiones Angelorum armare. egregia ratio, cur permiserit Deus Martyres mori, cum posset tueri. ne scilicet hanc vitam quasi rem alicuius momēti putemus. Et nota potuisse aliquando Martyres ob ingentem numerum exercitum constituere contra tyrannos, ac se defendere, sed noluisse. sic legio Thebæa vltro ob fidem se interfici siuit, habens in manibus arma, sed nolens vti, paruifaciens temporalem vitam. pulchrè autem dicit, *Martyrum numerus tantus effloruit*. nempè hoc aculei, & spinæ pœnarum effecerunt, vt tanquam purpureæ rosæ in amœnissimo Ecclesiæ agro efflorescerent. & rectè primi Innocentes occisi dicuntur ab ipso Augustino, *Martyrum flores*.

Cur Deus permiserit Martyres occidi nec defenderit.

In Ecclesia tāquā in sato campo Martyres effloruerunt.

26 In eandem sententiam hæc eleganter addit. *Regnauerunt hic Patriarchæ, vt ista regna Deum dare, & auferre ostenderetur. non tamen regnauerunt hic Apostoli, & Martyres, vt regnum cælorum desiderandum potius panderetur. illi Reges bella gesserunt, vt tales quoque victorias appareret Dei voluntate præstari. isti non resistendo interfecti sunt, vt potiorem docerent esse victoriam pro fide veritatis occidi. quanquam & Christiani Imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sacrilegis gloriosissimam victoriam perceperunt.* hæc refer nunc ad Imperatorem Ferdinandum, & ad Catholicos Reges, ac dynastas hæreticorum debellatores; ac vide vt tum victoriæ, tum cædes à Deo dirigantur in bonum. pulchrè autem cōparat veteris legis patriarchas, & reges cum Martyribus, & regibus nouæ; & vide quantò sit horum conditio præstantior.

Patriarchæ, & Reges veteris legis collati cū Martyribus, & regibus nouæ.

Cur Deus Patriarchas bonis temporalibus prosperarit, Martyres autem occidi sinat.

27 Licèt diuersa quædam in vetere testamento videantur à nouo, non tamen repugnare ait, sicut nec in nouo, quod ostendit exemplo, licèt ex apocrypho libro, vbi dicitur, Thomas Apostolus à quodam palma percussus, imprecatus ei vindictam ad aliorum terrorem, statim percussori à leone manus abscissa, & ad mensam allata ab ipso leone. tum Apostolus ei de futura vita veniam impetrasse maiore beneficio, quàm si manum restituisset: *& tamen Apostolus sciebat dictum. Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram. tenebat interius dilectionis affectum, & exterius requirebat correctionis exemplum.* Vide quantum præponderet æterna vita huic temporali; & animæ salus saluti corporis. Nota etiam vt Christus noluerit esse impunitam alapam discipulo impactam, cum tamen tàm patienter tulerit suam: hinc ait. *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. sed ille, qui Christum percussit, quia hic non punitus, æternum incurrit supplicium; cōtra is, qui Thomam percussit. adeò præstabilius est in hac vita puniri.

Thomam Apostolū alapa percutiens à leone percussus, sed animæ salute impetrata.

28 Ait, quadam in scriptura dici tantū ad significandum; ac tunc nihil interesse vtrùm bona, vel mala sint. *Quid enim mea interest, cum volo aliquid legendo cognoscere, vtrùm ex minio reperiam scriptos nigros Aethiopes, & ex atramento candidos Gallos?* licèt si sic pictos videremus, reprehenderemus picturam, quia pictura est imitatio rei pictæ, non autem scriptio, & character. Tum significationē exponit de Iuda cum Thamar. *In Thamar Iudæ nunc intelligitur plebs Iudaici regni, cui Reges de tribu Iuda tāquam mariti adhibebantur, &c.* Nota Reges esse tanquam sponsos suæ plebis, & ad hoc annulo illo vti. quàm igitur amanter eam cōplecti debent? vtrùm gemmatisnè monilibus, ac torquibus ornanda, an tributis ingentibus oneranda, atque torquenda? ita Sol creatus est, *vt præesset diei*. & idem dicitur, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

Differentia inter picturam, & scripturam.

Rex quasi sponsus suę ditionis.

suo, totus placidus, & beneficus. Deindè pergit mysterium exponere. *Thamar interpretatur commutans, siuè amaritudo. huic coniungitur Iuda, idest confessio. confessioni ergò amaritudo misceatur. sedet ad portam Enaim, quod interpretatur fontes: cucurrit enim velut ceruus ad fontes aquarum. accepit in occulto annulum, monile, & virgam. vocatione signatur, iustificatione decoratur, glorificatione exaltatur. quos enim, inquit, prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, illos & iustificauit; & quos iustificauit, illos & glorificauit; & hæc adhuc in occulto*. pulcherrimus hic locus est, vbi vocationem per fidem annulo signatorio, & fidei proprio comparat, iuxta illud: *Sponsabo te mihi in fide*. iustificationem per gratiam monili aureo; est enim gratia quasi gemmatum monile, ac torques ornans animam; denique glorificationem virgæ, hoc est sceptro. an non beati quasi Reges sunt? vt superna ciuitas verius quàm Roma dicatur ciuitas Regum. vide igitur prædestinationis præclara insignia. annulum, monile, sceptrum. rectè item illud interpretatur. Thamar idē est ac commutans, seu amaritudo; Iuda autem confessio. hæc mysticè coniunguntur per pęnitentiam. nam qui commutat vitam, & cōuertitur, nonnisi cum magna amaritudine, & confessione peccatorū id facere debet, cum lacrymarum fonte per Enaim indicato. hæc ad Magdalenam in primis quasi ceruam ad fontes referri possunt.

Peccator conuersus cū lacrymis ceruo comparatur.

In cōuersione peccatoris amaritudo, & cōfessio requiritur cum lacrymis.

Vocatio annulo, iustificatio per gratiā monili, glorificatio sceptro comparata.

29 Refert etiam ad mysterium factum Mosis: nam Aegyptius ab eo necatus, diaboli typus fuit à Christo superati. *Quod autem in arena obruit interemptum, manifestū est eius mortificatam præsentiam in ijs latere, qui non habent stabile fundamentum*. acutè ait, diaboli vim iam fractam esse, sed delitescere, & occultari in inconstātia eorum, qui in bono proposito firmi nō sunt, quod per arenam significatur.

Cur Aegyptius à Mose in arena sepultus.

30 Item ad mysterium refert quod Moses spoliarit Aegyptios. *Id inde est, quod auro, & argento, & veste Aegyptiorum significatæ sunt quædam doctrinæ, quæ in consuetudine gentium non inutili studio discantur; vel significat quod ex ipsis gentibus animæ pretiosæ tanquam vasa aurea, & argentea cum suis vtique corporibus, quod vestes significant, adiungant se populo Dei, & simul de hoc sæculo tanquam de Aegypto liberentur*. Vtraque interpretatio egregia. Nota primò secularē doctrinam ad vtilitatē, ac decus Ecclesiæ conferre, si ad Dei gloriam referatur, vt sunt inter ceteras, liberales disciplinæ. deindè quàm præclarum opus sit conuersio gentilium ad fidem, quàm pretiosa cuiuslibet hominis anima, instar aurei, & argentei vasis, & corpus ipsum ad ornatum animæ spectat. idem igitur est animas cōuertere, ac spoliare diaboli regnum, his onustus spolijs incessit in primis Apostolus Indiarum Xauerius. Rursus vasa aurea, & argentea Aegypti sunt præclaræ indolis adolescentes, & viri illustres in seculo ad religionem transfugientes. *Qui adiungunt se populis Dei, & simul de hoc seculo tanquam de Aegypto liberantur*.

Externæ disciplinæ spolia Aegyptiorū sunt.

Conuersi ad fidem vasa aurea, & argentea, & spolia Aegyptiorū sunt.

In seculo nobiles religionē ingressi vasa aurea, & argentea Aegyptiorum sunt.

31 Interpretatur illud de aureo vitulo. *Aureum est caput vituli, quia videntur idololatriæ ritus velut à sapientibus instituti; est quasi sapientia vitulus aureus, qualia solebāt ipsi primates, & sapientes Aegyptiorum adorare. vitulo igitur aureo significatum est corpus, & societas idololatriæ deditorum, quam Christus illo igne combussit, de quo dicitur; Ignem veni mittere in terram: vt dum in eum credunt gentiles, igne virtutis eius diabolica in ipsius forma soluatur. totum corpus illud comminuitur, idest verbo veritatis humiliatur, & in aquam mittitur, vt eos Israelitæ, idest prædicatores euangelici ex baptismo in sua membra, hoc est in corpus dominicum transferant*. Nota cur caput vituli aureū dicatur; quia ritus colendi Deos putabāt à Sapientibus institutos, vt ab Orpheo, à Numa, à Pythagora, &c. sed confractū est per stulta huius Mundi, per Apostolos piscatores. quod autem in se conuerterint, refer ad gentiles, qui prædicationis igne excocti, & baptizati tantam pietatem ostenderunt, vt Martyrium subierint. ita tres Martyres è nostris in Iaponia ex gentilibus tanquam in Christi corpus conuersi, quippe ad eius similitudinem crucifixi, & lancea traiecti sunt. referri potest & ad peccatorum conuersionem, ad quam opus est igne, hoc est ardore prædicationis: ardeat orator, inquit ille. opus est feruore charitatis, & cōtritione cordis, nō sine pęnitētię lacrymis.

Aureū caput vituli, quia Deorum cultus à sapientibus putabatur institutus.

Peccatori opus est igne feruoris cōtritione cordis, & lacrymis pœnitentiæ.

32 In interpretatione sacræ Scripturæ quid sit obseruandum, pulchra similitudine ostendit. *Nihil est in libris propheticis non præfigurans futura, nisi ea, quę ponuntur, vt contexant narrationem. Sicut in citharis, & organis musicis non quidem omnia, quæ tanguntur, canorum resonant, sed tantùm chordæ; cetera tamen in toto citharæ corpore ideo fabricata sunt, vt essent vbi vincirentur, vnde, & quò tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suauitatem modulaturus, & percussurus est artifex: ita, &c.* pulchrè ostendit interpretem sacræ Scripturæ esse instar citharœdi chordas aptè tangentis; quo & artis huiusce suauitatem, & peritiam demonstrat artificis.

Sacra Scriptura citharæ cōparata.

33 Faustum negantem veritatem Christi carnis, & passionis sic exagitat. *Si Petrus, qui tantùm putauit Christum non moriturum, audire meruit, Satanas; tu quid mereris audire, qui non solùm negas mortuum, sed dicis mortem esse mentitum?* rectè arguit: si Satanam vocat Christus eum, qui non vult mortuum, quantò peior Satana est, qui ficte

Diabolus inuidens passionis gloriæ fictā Christi carnē persuasit.

ctè mortuum dicit? ac vide zelum, quo ardebat Chriſtus circa veritatem mortis ſuę: inuidebat enim diabolus eius paſſionis gloriæ.

Ex Libro XXIII. contra Fauſtum Manichæum.

1 PErgit deteſtari impiam Manichæorum ſententiam, negantium in vera carne Chriſtum paſſum. *Magiæ ſimile aſſeritis, quod paſſionem, mortemq; Chriſti ſpecie tenus factam, & fallaciter dicitis adumbratã, vt mori videretur, qui non moriebatur.* ergo nec vera reſurrectio, nec veræ cicatrices fuiſſent. vbi nota quò progreſſa ſit impietas, vt maximum redemptionis beneficiũ magiæ tribuerit, fallaciter repræſentata per ſpeciem morte, & adumbratis vulneribus. at Chriſtus, qui ipſa veritas eſt, non fallaciter, ſed *Sapienter incantans*, animas tacito veluti ſuſurro inſpirationis diuinæ ad ſe trahit. Mundus potius perniciosus præſtigiator dicendus eſt, qui nobis imponit, res alia ſpecie, qua ſunt, repræſentans, iuxta illud: *Decipit enim figura huius Mundi.* vt ex græco legitur, vbi vulgata habet, *præterit.*

Manichęi Chriſtum non verè mortuũ, & fictitiã carnem oſtendiſſe dicebãt.

2 De vera Deiparę maternitate ſic pulchrè: *Sancta Virgo Maria, quæ Chriſti carnem fide concepit, merito iſto honeſtata, vt nobis Chriſtum, quem cordibus integris credendo conciperemus, & confitendo quodammodò pareremus, etiam corporaliter ſeruata integritate transfunderet: nullo enim modo matrem fecit deteriorem, vt cui munus fœcunditatis attulerat, decus virginitatis auferret.* Notabilis locus de Deiparæ in nos pietate: concepit Dei filium, vt eum ex vtero ſuo in cor noſtrum transfunderet concipiẽdum, & pariendum. huc facit quod ait Chriſtus de ſe: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe eſt Pater meus, & mater mea.* Vide igitur quàm purum, & virgineum cor noſtrum eſſe debeat, quantum ſcilicet fieri poteſt, vt vterus Virginis.

Deipara conceptũ Dei filiũ ex vtero ſuo in vterũ cordis noſtri trãſfundit.

3 Vrget Manichæos execrantes nuptias, & carnem. Nos carnis eſum aliquandò vitamus ad corpus edomandum. *Vos autem immundam dicitis, quod eam diabolus operetur fæculentiore materia mali, ac per hoc carnes tanquam immundiora, & truculentiora Dei veſtri vincula exhorrentes abijcitis; mortem autem laudatis, quaſi per eam natura Dei veſtri à corpore inimicorum eius, & à figmento diaboli, vt dicitis, liberetur; at natiuitatem deteſtamini quaſi per eam Deus veſter ligetur.* Nota blaſphemiam: carnem vt opus Satanæ execrabantur, & in noſtro conceptu Dei ſubſtantiæ partem ei illigari dicebant, quæ morte ſolueretur. immò potius dicendum, Deum animæ caſtæ coniungi, in morte Martyrum præſertim per charitatem perpetuam, & in natiuitate per baptiſmum. Addit. *Sed & veſtra corpora naturam, & opificium tenebrarum eſſe contenditis; animas item veſtras ipſis corporibus inquinari.* Vide vt hæretici in humanam ipſam naturam ſæuiant, quam impijs dictis dedecorant. quod autem dicebãt, hominis corpus *opificium tenebrarum eſſe.* certè in nonnullis Sanctis adhuc viuentibus vultus reſplenduit, vt in Moſe, &c.

Manichęi corpus opus tenebrarum ſtultè dicebant.

Ex Libro XXIV. contra Fauſtum Manichæum.

1 OFicium prædicatoris eſſe oſtendit gignere animas Chriſto. *Euangelij prædicator ſic debet in Eccleſia laborare, vt defuncto fratri, hoc eſt Chriſto ſuſcitet ſemen, qui pro nobis mortuus eſt, & quod ſuſcitatum fuerit, eius nomen accipiat. ſic Paulus, in Chriſto, inquit, Ieſu vos genui.* increpans eos, qui volebant dici Pauli: quaſi diceret, *defuncto fratri vos genui; Chriſtiani vocamini, non Pauliani.* Vide prædicatoris officium quantum ſit; tanquam alter ſponſus Chriſti vices ſuſcipit. ſicut igitur nolens fratris partes ſuſcipere ignominia notabatur, & in faciem eius ſpuebatur; ita qui prolem Chriſto per prædicationem gignere non curat, ignominia dignus eſt. & ſicut non licuit ſucceſſori proprium nomen imponere, ſed prædeceſſoris, ita non licet ex prædicatione nomen ſuum, & famam quærere, ſed Chriſto. huc etiam ſpectat, quod addit acutè ſatis. *Qui electus ab Eccleſia miniſterium euangelizãdi renuerit, meritò contemnitur; hoc enim eſt, quod in eius faciem iubetur inſpuere, non ſine opprobrij ſigno, & vt calceamento pedis vnius exuatur, ne ſit in eorum ſorte, de quibus dicit Apoſtolus: Calceati pedes in præparationem euangelij pacis. & de quibus Eſaias: Quàm ſpecioſi pedes euãgelizantium pacem? qui enim ſic euangelicam fidem tenet, vt & ſibi ipſi proſit, & Eccleſiæ prodeſſe non renuat, benè intelligitur vtroque pede calceatus; qui autem putat credendo ſatis ſibi eſſe conſultum, curam verò lucrandorum refugit aliorum, diſcalceati illius non figuratum ſignificauit, ſed in ſe impletum portabit opprobrium.* Nota, cur familiam fratris propagare non curans diſcalcearetur, quia prædicatorẽ indicabat, qui non curaret Chriſti genus propagare. huc illuc diſcurrendo per ciuitates, & oppida, immò per inuia loca barbarorum. ſicut igitur de apoſtolico viro dicitur ob muneris dignitatem: *Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem, & calceati pedes in præparationem Euangelij.* ita qui hoc non curat, ignominiosè diſcalceatus dicendus eſt.

Prædicatores Chriſto velut mortuo fratri ſuccedunt ad prolẽ animarum.

Cur nolẽs fratris mortui genus propagare, diſcalcearetur.

Eph. 6. Eſa. 52.

Cur Societas non Ignatij, sed Iesu nomen acceperit.

est, ceterùm illud quod vices fratris gerēs non suum nomen imponebat, sed superioris, pulchrè ad parentem nostrum Ignatiū, referri potest, qui noluit nos Ignatianos dici, sed Iesuitas. iuxta quod Paulum dicētem proponit. *defuncto fratri vos genui: Christiani vocamini, non Pauliani.* nempè, vterque Dei gloriam quærebat, non suam, & maiorem Dei gloriam. nec tamen eas religiosorum familias, quæ iuxta præclarū suum institutum Fundatoris nomen præferunt, arguimus.

Victimæ veteris legis Christi immolationis typus.

2 De ritibus veteris testamenti sic. *Vetera sacrificia præfigurabant sanguinem sacrificij, quo nos Christus redemit.* hinc collige quàm Dei filius exoptaret sanguinem suum pro nobis fundere: nam cum nondū maturum esset huius tempus, voluit saltem sibi repræsentari imaginem eius in victimarum sanguine; hoc interim se spectaculo pascens.

Deus quasi medicus alia remedia exhibens in veteri testamēto alia in nouo.

3 Non mirum esse, ait, si alij fuerint in veteri testamento ritus, quàm sunt in nouo; pulchra hoc similitudine ostendens. *Sicut æger non debet reprehendere medicinalem doctrinam, si aliud illi hodie præcipiatur, aliud cras, prohibens etiam, quod ante præceperat: sic enim se habet sanandi eius corporis ratio: ita genus humanum ab Adam vsque in finem sæculi ægrum, atque saucium non debet diuinā reprehendere medicinam; si aliud prius, aliud posterius obseruari præcipiat.* Vide Deum ab initio Mundi tanquam medicum, totum intentum humano generi saucio curando, nunc his, nunc illis pharmacis pro opportunitate, & circumstantijs. quod etiam ad religiosos referri potest, vt non diiudicent prælatum, si modò hoc, modò illud præcipiat, prout expedire videt, etiam si iussa aliquando inter se opposita videantur.

Ex libro de actis cum Felice Manichæo.

Manichæus inuidus titulum Pauli epistolarum affectans.

1 IMpudentiam Manetis ostendit, qui sic inscribebat epistolas. *Manichæus Apostolus Iesu Christi, prouidentia Dei patris.* at Matthias Iudæ locum duodecimum tenuit, & postea Paulus item Apostolus vocatus. vbi vides quàm inuideret Manes gloriæ Pauli, cum æmulatus in titulis epistolarum.

2 Falsam huius hæretici interpretationem arguit. *ex eo quòd Apostolus dicat. Ex parte scimus, & ex parte prophetamus.) Inde putas eum prædixiße alium venturū post se, qui prædicaret omnia, quæ ipse non potuit, quia ex parte dicebat & hunc putas esse Manichæum, qui vos docuerit initium, medium, & finem; & quomodo vel quare factus sit Mundus, de cursu Solis, ac Lunæ &c. at non legitur in Euangelio, Christum dixiße; Mitto vobis paracletum, qui doceat vos de cursu Solis, ac Lunæ: Christianos .n. facere volebat, non Mathematicos. aut si putas hanc doctrinam ad omnem illam veritatem pertinere, quam per Spiritum sanctum Christus promisit; interrogo te, quot sunt stellæ? si accepisti spiritum illum, ad quem dicis pertinere docere ista? vt si non respōdeas, non appareat in te spiritus ille. dic quomodo factus sit Mundus, & quæ agantur in Mundo?* Egregiè & acutè arguit. scilicet ineptè putabat, hoc esse docere Spiritum sanctum omnem veritatem; si doceret res naturales. at donator est ille gratiæ supra naturam; pulchrè igitur ait. *Christianos facere volebat, non Mathematicos*; in hoc est vera philosophia, secundùm Christum viuere. huius doctrinæ magister est Spiritus sanctus. non venit vt ostendat planetarum cursum in cœlo, sed rectum virtutis iter ad cœlum. adeo post habenda est omnis humana doctrina cœlesti; præsertim cum in illa facilè sit hallucinari, in ista non item.

Manichæi Spiritum sanctum putabant venisse ad docendas literas mathematicas.

3 Titulum libri Manichæi arguit. *Thesaurum istum ideò tali nomine appellatis, vt miseros seducatis.* Vide vt speciosis librorum titulis, quibus delitescunt fœda mendacia, hæretici lectores capiant. Thesaurarios se faciunt sapientiæ, sed pro auro cœnum exhibent. iuxta illud Iob. *Sternit sibi aurum quasi lutum.* non attendit iste illud minaciter dictum in primis sibi, *thesaurizas tibi iram in die iræ.* Rom. 2.

Manichæus librum inscripsit Thesaurum.

4 Epistolam Manichæi acutè perstringit. *Præsens est epistola Manichæi, quam dicitis fundamentum. initium in ædificio nullum est nisi fundamentum. si enim ostēdero, in ipso fundamento ruinam esse, cetera eius constructionem quid est vt quæramus?* rectè, & acutè. nam quicquid doctrinæ superædificat, consistere non potest, cum fūdamentum ipsum instabile sit, & ineptū. vide quàm imperitus hic faber, & architectus. & rectè iuxta Manichæi nomen, amens, qui pro fundamento ruinam poneret: quanto ruinosius ipsum ædificium?

Manichæus epistolam inscripsit fundamentum.

5 Eius epistolæ ineptias demonstrat, & inscriptionem primùm irridet. *Pax, inquit Manichæus, Dei inuisibilis, & veritatis notitia sit cum fratribus tuis, &c. sed & dextera luminis tueatur, & eripiat vos ab omni incursione maligna.* Vide vt æmulatus sit inscriptionem epistolæ Pauli. immò ad decipiendum, splendidiora quædā specie addiderit de dextera luminis, cum potius tenebras errorum offunderet mentibus. pacem insinuabat, qui tam acre bellū indixerat Ecclesiæ. itaque rectè arguit. *hoc ad tectorium fallaciæ pertinet; vt possit* indu-

Manichæus æmulans Paulum pacem inscribebat epistolis.

Hæretici pulchris verbis tegunt fœditatem dictorum.

inducere mala, vt patet ex sequentibus. Ita, fundata sunt eius splendidissima regna supra lucidam, & beatam terram; vt à nullo vnquam moueri, aut concuti possint. duas enim terras fingebant, vnam inuisibilem, & incorpoream, alteram lucidam, & coæternam Deo. sed si regna Dei erant ita fundata, vt moueri non possent, cur ait, gẽtem tenebrarum Deo metum incussisse? nam addit. *Lucis verò beatissimæ pater timens magnam labem ac vastitatem, quæ ex tenebris surgeret aduersus sua sancta impendere sæcula, &c.* Dicebant Deum pugnasse contra gentem tenebrarum, & miscuisse naturæ dæmonum ligandam partẽ suam, vt quietem haberet. sed contra est, quia nulla natura est per se mala, nec irrationalis, nec rationalis; dicitur autem hæc mala cũ recedit à bono, idest à Dei lege. Tum sic pergit inceptum, & impium dictũ arguere. *Si Deus vester securus erat in suo regno habitans lucem inaccessibilem, quid poterat metuere de gente tenebrarum, vt & misceret partem, & substantiam suam ligandam? & vt inde purgetur, dicitis in naue lucis. quem Solem appellatis, facientes iniuriam Creatori Solis, & ipsi Soli, quem sic dicitis factum, vt tanta turpitudo celebretur: dicitis enim illic positum Deum conuertere virtutes suas in formas marium, & fœminarum, vt accensis libidine dæmonijs relaxentur membra eorum, & sic euadat pars Dei, quæ ibi fuerat colligata. nos autẽ pollutam dicimus animam ex voluntate peccati, non autem esse animam partem Dei, nec de Deo genitam, sed à Deo factam. sicut dicitur opus fabri, ex eius arte factura.* Silẽda ita fuissent, nisi sanctus hic Doctor ea protulisset, vt videremus in quàm impura figmenta non sine blasphemia progredi soleat hæresis, præsertim fundata in veterum philosophorum erroribus; quos pulchrè Tertullianus appellat Patriarchas hæreticorum. ex ijs quidam Solem dixere instar scaphæ esse, certè naufragi veritatis. sed hæretici auxere commentum impurissimis dictis; Solem scapham, siue nauim dixerunt, quæ non alios nautas veheret quã cinędos, ac pellices dæmonum. ita pulcherrimum, ac purissimum sidus commacularunt. & tamen idem stultè colebant. quantò satius dixissent, Solem quodammodo lucis esse nauigium, cuius pulchritudinis contemplatione ad Dei conditoris notitiam perveharnur.

Manichæi Solem quem colebant impuris figmentis cõmaculabant.

Ex responsione ad Secundinum Manichæum.

1 Operæ pretium est ante responsionem fucata, ac dolosa huius Manichæi verba referre, quæ sunt in epistola ad Augustinum missa; vbi dolet ipsum recessisse à Manichæorum secta. *Muta, quæso, sententiam; depone Punicæ gentis perfidiã. fateor, non tali diligentia, nec tanta industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta perlucent eloquentia. hanc si voluisses veritati concordare, magnum vtique nobis extitisset ornamentum noli erga contra tuam venire naturam, noli esse erroris lancea, qua percutitur latus Saluatoris: vides illum in omni Mundo, & in omni anima esse crucifixum, &c. quis erit tibi patronus ante tribunal Iudicis? ò vtinam à Manichæo recedens, Academiam petijsses, aut Romanorum bella interpretatus fuisses, & non isses ad Iudæorum barbaras gentes, inserens præceptis fabulas, & adducens vxorem fornicariam Osee. an tibi Danielis leones in lacu placuere, quia cauea non erant? sed fortè Daretis, & Entelli certamen, Iacob, & ipsius pammachiam expectare volueras. an pancarpium in arca Noe conspicere disposueras? noui te hæc sẽper odisse, magna amasse, quę terras desèrãt, quæ cœlos peterent. quis te repente mutauit?* Nota. immò ideò eam sectam reliquit, & catholicam fidem amplexus, *quia magna amabat, quæ terras deserant, quæ cœlos peterent.* ac vide ex ipsius aduersarij testimonio quantum esset in Augustino præclaræ indolis; dum ait, non tam fulgere Aniciana marmora, quàm eius scripta, &c. dum eundem quasi doctrinæ lancea armatum bellatorem facit, sed quam postea aduersus ipsos Manichæos intorqueret. deinde nota aduersarij inuidiam: facilius tolerasset, si Augustinus ab ipsis recedens ad profanarum literarum studia se conuertisset potius quàm ad sacrarum. ideoq; sacræ scripturæ irridet historias. Denique sic dehortando cõcludit nõ minus fucatè quàm vafrè. *Subueni animæ tuæ tam lucidæ. noli ornare mortuos, qui viuorum es ornamentum, &c. largire veniam, si quo meo sermone fuerit titillatum tuum aureum pectus: ardore enim hoc nimio feci, quia nolo te à nostro grege diuelli.* Nota & hic Augustini laudes ex ore ipsius aduersarij; illius *animam lucidam* vocat ob ingenij perspicacitatem. *& pectus aureum* ob sentẽtiarũ pretium. licet ipse tenebricosa mente, & ferreo corde. item *viuorum ornamẽtum*. sed ipse fœdissimum mostrum. Nec minus laudis habet hoc extremum. *Sed tua admiranda, sublimique prudentia, cum talia à me exponuntur. tale est, quale si Iordanis Oceano aquam commodet, aut Soli lucerna lucem.* certè & Oceanus quidam ille ob profundam sapientiam fuit, & Solis instar effulsit in Ecclesia. neque ad hoc opus fuit eius cõtaminatæ vocis præconio in re tam perspicua, & Sole ipso clariore. falsò se

Manichæi fucata epistola hortans Augustinum ad suam sectam.

Manichæus præfert scripta Augustini pretiosis marmoribus.

Manichæus irridẽs historiam scripturæ.

Manichæus Academicum quam Catholicum malebat Augustinum.

Manichæus vocat lucidã Augustini animã, aureum pectus, & viuorum ornamentum.

Manichæus Augustinum sapiẽtiæ Oceanum, & Solem appellat.

Iordani

Iordani similem facit, cum impuris hæreſeos aquis ſcateret; falsò lucernæ, cum gẽtem tenebrarum Deo coæuam putaret.

2 Docet Auguſtinus, quid rectè ſentiendum ſit, quid reijciendum vt falſum. Nos etiam, inquit, gentem tenebrarum dicimus iuxta Apoſtolum, cum quibus ſit colluctatio: *At vos eos principes ex ſua quadam propria natura exortos dicitis, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, ſed habuerit æterna vicinitate contiguam; aduerſus Deũ belligeraſſe, eique intuliſſe arte commixtionem boni, & mali*. ſed cõtra eſt, quia quicquid eſt, ab eo eſt, qui ſummè eſt, eſtque in ſuo genere bonum. *atqui iſta omnia bona à conditore Deo facta ſunt certis, ac diſtributis gradibus ordinata, partim locorum interuallis, ac ſedibus, ſicut omnia corporalia, partim meritis naturalibus, ſicut anima præponitur corpori; partim meritis præmiorum, atque pœnarum, vel attollitur ad quietem, vel doloribus ſubditur*. Præclarè dicta. vide admirabilem Dei ſapientiam in ordine vniuerſi, etiam circa ea quæ videntur mala.

Dæmone dicuntur principes tenebrarũ non natura, ſed ꝓprio vitio.

Dei diſpoſitio in ordine vniuerſi admiranda.

3 De malis Angelis ſic. *Propter hoc illi principes, contra quos colluctationem habemus, pœnas peccatorum ſuorum priores patiuntur quàm noceant. nullus enim inuidus vt alterum lædat, non ſibi prior tormento eſt*. Notabilis locus contra inuidos; nam prius nocent ſibi quàm alijs, dum torquentur, & cruciantur ob alterius commodum; in quo diabolum ſimilem habent.

Inuidus vt diabolus prius ſibi nocet quã alijs.

4 Negat malum, ſiuè peccatum eſſe aliquid, vt vocant poſitiuum. Conſenſio, inquit, mala, & culpabilis non eſt ſubſtantia, ſed in aliqua ſubſtantia. *Vna igitur, eademque res, id eſt anima inquantum ſubſtãtia eſt, bona eſt, inquantum autem habet aliquid mali, quod non eſt ſubſtantia, id eſt cõſenſionem iſtam, mala eſt. non enim ex profectu, ſed ex defectu habet hanc conſenſionẽ: deficit enim conſentiens malo, minuſque eſſe incipit; tantò deterior, quantò ab eo, quod ſummè eſt, ad id, quod minus eſt, vergit*. Nota, peccatorem, quantum ex ſe, ad nihilum tendere, quia deficit ab eo quod ſummè eſt, ſcilicet à Deo.

Peccatum nõ eſt qd poſitiuum ſed defectus à Deo.

5 Eleganter, ac pulchrè philoſophatur de ſucceſſione temporum, & viciſſitudinibus rerum à Deo diſpoſitis. *Omnis temporis pulchritudo vicibus ſuis, ac ſuo genere peragitur: ſicut enim ſermo peragitur quaſi morientibus, atque orientibus ſyllabis, quæ per morarum certa interualla tenduntur & ſpatijs ſuis impletis ordinata conſequentiũ ſucceſſione decedunt, donec ad finem ſuum tota perducatur oratio; nec in ipſis decurrentibus ſonis, ſed in loquentis moderatione poſitum eſt, qua ſpecie literarum ſingulæ locorum ſuorum momenta cuſtodiant, cum arti ipſa, nec ſonis perſtrepat, nec peruoluatur, varieturque temporibus; ſic ortu, & occaſu, deceſſu, atque ſucceſſu rerum temporalium, certis ac definitis tractibus, donec recurrat ad terminum præſtitutum, temporalis pulchritudo contexitur*. Venuſtè admodum ſucceſſionem rerum, ac temporum carmini comparat in Dei laudem compoſito. is, qui carmen compoſuit, immotam ſimul tenet artem eius carminis, licet carmen ſucceſſiuè per partes, ſeu ſyllabas prę terfluat. vides igitur vt totum vitæ tempus ad Deum concinendum impendi debeat, quando ipſa rerum natura hoc videtur agere? alibi etiam huius Mundi diſpoſitionem eleganti carmini comparauit.

Tempus carmini, partes ſyllabis comparantur.

6 Quid defectus, quid profectus ſit, docet. *Omnis defectus ab eo, quod eſt, tendit vt non ſit: honor quippè ſummus Deo debetur; qui ergo amat honorem, Deum imitatur; ſed humiles animæ in illo ſe honorari volunt, ſuperbi præ illo*. piè, ac pulchrè dictum, nec minus, quod addit: *Diabolus ideò malus eſt, quia minus eſt, quàm eſſet, ſi id quod ſummè eſt, dilexiſſet*. Nota; quò magis quiſq; Deo adhæret, eò eſt maior, quia ei adhæret, qui maximè eſt: qui igitur vt magni ſint, vel alteri adhærent, vel ſibi cõſulunt, erant; nam ita redduntur parui, ac minimi, quia ab eo, qui ſummè eſt, ad id, quod modicè, ac vix eſt, tranſeunt.

Is verè magnus qui Deo adhæret qui ſũmè eſt.

Ex libro de Natura boni.

1 Eleganter, & acutè oſtendit, peccatũ non eſſe ſubſtantiam, ſed defectum. *Hæc tria, modus, ſpecies, ordo, ad quæ alia pertinent, tanquam generalia bona ſunt in rebus à Deo factis, ſiue in ſpiritu, ſiue in corpore. Deus itaq; ſe ſupra omnem creaturæ modum eſt, ſupra omnem ſpeciem, ſupra omnem ordinem. ſed à quo omnis modus, ſpecies, ordo eſt. hæc autem tria vbi magna ſunt, magna bona ſunt; vbi parua, parua bona; vbi nulla, nullum bonum. eſt autem malum nihil aliud, quàm corruptio vel modi, vel ſpeciei, vel ordinis &c. non eſt igitur peccatum malæ naturæ appetitio, ſed melioris deſertio. malum autem eſt vti malè bono*. vides quanta fiat perturbatio per peccatum, quo corrumpitur modus, ſpecies, ordo, quæ ſunt generalia bona, ad quę alia reducuntur.

Per peccatum corrumpitur modus ſpecies ordo generalia bona.

2 Impijſſimum Manichæorũ figmentũ de anima refert, & execratur. *Beatus, inquiunt, Pater, qui lucidas naues habet, ſuas virtutes, quas ibi habet, transfigurat partim ſpecie puerorum inueſtitum, partim virginũ lucidarum parere iubet aduerſis Poteſtatibus, quæ in ſingulis cœlorum tractibus ordinatæ ſunt. ita illarum ardor, & concupiſcentia*

tia crescit, ac vinculum pessimarum earum cogitationum soluitur. quare anima in eorum membris deuincta laxatur, ac purissimo aeri miscetur, vbi penitùs ablutæ animæ ascendunt ad lucidas naues, quæ sibi ad euectationem, & suæ patriæ transfretationem sunt præparatæ. id verò, quod adhuc aduersi generis maculas portat, per æstus descendit, ac plantis, satisque miscetur, &c. ò monstrum scelestum, &c. Nota figmentum impium, & inceste excogitatū: Dei virtutes in lucidas virgines transformari dicebant, easque dæmones deperire. at cur lucidas appellat virgines, si incesto amore ardent? cum claritas non competat nisi castis. *O quàm pulchra,* inquit, *est, generatio cum claritate.* quod autem lucidarum nauium vectatione purgatas animas ad patriam ferri dicit: quantò verius diceret, id fieri vectatione illustrium, uerarumq; virtutum? idem appellat, *Solem lucidam nauem vitalium aquarum.* hanc Deiparam potius mysticè dixerim, quæ dicitur, *electa vt Sol,* eademq; *nauis institoris.* eadem *Puteus aquarum viuentium.* ita incestis dictis opponimus casta, & impijs pia.

Manichæus Solē appellat lucidā nauim aquarū viuentium.

3 Pergit in impijs Manichæi dictis de anima, quam de Dei substantia facit. *Ait, ipsam Dei partem, quæ commixta est in corporibus, non totam reuocari posse ad pristinam libertatem; ac Deum post amissam partem suam in luctu esse. velum contra se habere, quo dolorem temperet, ne corruptionis suæ partem videat.* ineptè hoc, & sacrilegè dictum; piè potius dicere potuit, Deum, dum animam à se creatam videt per peccatum diabolo iungi, tanquam in luctu esse, & quodam quasi velo oculis oppasso dissimulare scelera. huc referri aliquo modo potest ritus Ecclesiæ sub finem quadragesimæ velandi Christum in cruce.

Manichæi Deum in luctu esse dicebant ob amissā sui parte oppasso oculis velo.

4 Veram maternitatem Deiparæ defendit contra Manichæos, qui putabant per conceptum carnis Dei naturam inquinari. at Manetis ipsorum auctoris & patrem, & matrem commemorant, *qui tamen se mira superbia assumptum à genio suo, id est à Spiritu sancto esse gloriatur.* Vide inuidiam Diaboli obtrectātis Christi conceptui per Spiritum sanctum facto. excitauit Manetē, qui opponeret quasi genio Spiritui sancto genium fictitium suum, à quo esset assumptus. Tum de Deipara sic. *Consecrauit Deus virginitatem, quia de virgine nasci voluit; & sola mater eligenda erat in terris ad suscipiendum hominem, quia iam patrem habebat in cœlis.* respondet autem obiecto. cur dixit; *Quæ est mater mea? & quid mihi, & tibi est mulier? quia docuit, opera diuina facienti terrenos affectus obstrepere non debere. alioquin nec Apostoli patrem haberēt, quia dixit: Patrē ne vocaueritis vobis in terra.* nota pulchrè dictum, in Deipara *consecrauit Deus virginitatem.* in vtero inquam Deiparæ quasi templo sanctissimo. item egregiè dictum, *terrenos affectus obstrepere facienti opera diuina.* quasi tumultus ille curarum terrenarum Dei laudem, & modulationem, ne exaudiatur, impediat.

Manichæus se de Spiritu sācto, quē geniū vocabat cōceptu dicebat.

Deus in Deiparæ vtero quasi templo virginitatem consecrauit.

Terreni affectus obstrepūt diuina tractanti.

5 Arguit blasphemiam in Christum redemptorem. non enim Christum, sed Principem tenebrarum cum socijs suis illa omnia passum putabant: *quibus in iudicio dicere Christus possit. Ille vos liberet, cui meas adscribitis passiones.* rectè arguit; & nota inuidiam diaboli, qui cum se victum Christi morte videret, conatus est illustrem passionis gloriam obtenebrare. itaque persuasit, redemptorem non esse Solem iustitiæ, sed principem tenebrarum.

Manichæus nō Christum passum dicebat, sed Principē tenebrarū.

6 Fraudem hæreticorum detegit. Inscripserat Manichæus librum omni impuritate refertum, Thesaurū vocans: *qui Thesaurus est omnium turpitudinum, & blasphemiarum.* rectè sic dicēdum ait, nam & Plautus vocat thesaurum stupri. & apud Michæam arguuntur, *thesauri iniquitatis.* frustra igitur speciosis titulis conatus est tegere turpitudinem: cum etiam in malam partem thesaurus accipi possit. ac certè ipse Manes, *thesaurizauit sibi iram,* vt loquitur Apostolus, Dei scilicet vltoris, nam viuens excoriatus est à Rege Persarum.

Mich. 6.

Manichæi liber inscriptus thesaurus.

Rom. 2.

7 Docet, carnis substantiam non esse natura malam, vt Manichæi putabant ex loco Pauli male intellecto, *cum ait Apostolus. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c. non carnem damnat, sed admonet, vt subiugemus eam nobis ad bona opera concipienda; & velut coniux spiritui seruiat, quod fit Dei gratia. non enim natura carnis, sed pœna eius nobis reluctatur, quia peccato meruimus esse mortales. nam iterum dicit. Templum est in vobis Spiritus sancti. & tamen cum ipsa caro propter infirmitatem fœnum appellatur, creditis Ioannem de fœno aurum fecisse; & non creditis Deum omnipotentem de corpore animali spiritale corpus facere posse.* pulchrè ait, *carnem veluti coniugem spiritui ad bona opera concipienda deseruire debere, quod fit Dei gratia.* certè de Adam, & Eua dictum: *faciamus ei adiutorium simile sibi:* igitur caro adiuuare debet spiritum, & ei similis esse, vt quodammodo, & ipsa spiritualiter viuat: finis autem huius quasi coniugij est conceptus, ac fœtus bonorum operum. pronuba verò Gratia est, thalamus cor, tedas nuptiales charitas præfert, iuxta illud, *lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* porrò est illud admodum notabile, quod tūc de Ioanne circumferebatur; eum debitori, cui soluendo non erat, fœnum in aurum commutasse. si hoc tam mirum est, & creditur ab ipsis hostibus fidei, cur non credunt, inquit, carnem, quæ fœnum in scriptura dicitur, posse sanctificari, & quodāmodo spiritualem fieri? referri hoc potest ad

Carnis, & spiritus veluti cōiugiū proles bona opera. pronuba gratia.

Ioannes Euāg. fœnum in aurū vertit.

ad resurrectionis decus in corporibus glo riosis; item ad reliquias Sanctorum omni auro pretiosiores. denique & ad fœnum in Christi præsepio, cui Magi reges aurum suum subiecerunt, quod maius est, quam si fœnum versum esset in aurum.

Ex Libro contra aduersarium legis, & proph.

1 NIhil horribilius esse peccato, hoc est animæ morte, ostendit. *Nolite, inquit, timere eos, qui occidūt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius, &c.)* Matt. 10. *Huius generis mortes, per quas anima mittūtur in gehennam, si quis fideli mēte, vt dignum est, cogitauerit, valde vili æstimabit quamlibet ingentissimam stragem, & sanguinis fluuios mortalium corporum: quis non igne consumi, vel ferinis morsibus laniari malit, quàm mitti in gehennam ignis æterni?* Notabile dictum: recole in historijs horrendas exercituum strages, vt in pugna Cannensi, &c. certè huiusmodi dies Romani atros, & nefastos dixerunt. Sed quæ strages æquare poterit illam, præsertim in iudicio innumerabiliū damnatorum?

Strages facienda damnatorum cum nulla bellorū strage conferenda.

2 Item ostendit mortem animæ multò diriorem corporis morte. *Nam mortibus corporeis legimus alios etiam mortuos propter non sua, sed aliena peccata; vbi magis est in dolore corporis plaga viuentium, quàm in resolutione carnis pœna morientium: animarum verò morte alius pro alio plectitur nemo.* acutè, & pulchrè dictum. offertur, & deuouetur aliquando corpus morti pro alio, at non offertur anima; ergo signum est mortem corporis parui esse præ morte animæ.

Mors corporis præ animæ morte parui habeatur.

3 Affert rationem, cur Deus sæuas aliquando pęnas exegerit de peccatis etiam leuibus, quod Manichæi calumniabantur, vt pro nuptiali veste non sumpta. *Sciēdum est, quod ista parua magnarum signa sunt rerū.* Notabilis locus de vitando peccato quātumuis leui. nam v.g. oculus curiosus index est negligentis custodis castimoniæ, &c.

Manichęi obijciebāt q Deus puniret peccata leuia.

Leuia peccata indicia sunt magnorū.

4 Ostendit, cur tam seuerè Deus puniturus sit in iudicio eos, qui pauperi non subuenerunt. *Ite, inquit, in ignem æternum: huius tanti supplicij quæris causam? esuriui, inquit, & non dedistis mihi manducare, &c. pro temporali esca non ablata, sed non data horrendum supplicium, & rectè. perparuum est enim, quod in eleemosynis datur, sed cum piè datur, æternum inde meritum comparatur; & ideò potius, quia paruum est, quod datur, magna impietate non datur; vnde non mirum est quod tantæ sterilitati velut infructuosarum arborum ignis æterni supplicium præparatur.* non igitur crudelis dicendus est Deus: acutè ostendit, cur hoc potissimum delictum Christus examinet, & exaggeret. quia poteras æternum regnum assequi tā paruo pretio, & contempsisti. est & elegās similitudo, rectè igni destinari lignum, vt prorsus inutile, quod ne paruum quidem det fructum. & pro aqua negata quidni debeatur ignis?

Cur Christus in iudicio tam acriter puniat immites in pauperes.

5 Proponit seriò ante oculos magnitudinem æterni supplicij. *Quod diluuium comparari æternis ignibus potest? quæ cædes? quæ vulnera? quæ corporum mortes cruciatibus sempiternis? quis verò æstimare potest, quot millia stabunt ad sinistram ex omnibus gentibus, quæ sempiternis damnanda sunt ignibus?* huc refer illud Prophetæ: *Quis ex vobis poterit habitare cum igne deuorante? quis habitabit cum ardoribus sempiternis?* cogita, quot inuenta sunt horrenda genera pœnarum, scalæ gemoniæ, tauri ænei, &c. conferri non possunt. & quàm horrendum illud spectaculum tot agminum damnatorum tetra facie à sinistris Iudicis? *facies combustæ vultus eorum.*

Horribile spectaculū damnatorum in iudicio.

Esa. 13.

6 De arcu, seu Iride pro signo Noe dato, Manichæi calumniam arguit. *Obliuiosus, inquit, Deus, & emortua memoria arcum posuit in nubibus, qui Iris dicitur, vnde commoneatur non amplius humanum genus delere diluuio. Videbo, inquit, illum, & recordabor fœderis mei: quid agat omninò nesciens, cui meritò opus sit assiduo monitore.* Respondet obiecto, at etiam ait de Lazaro, *Vbi posuistis eum?* & de muliere hæmorroissa, *Quis me tetigit?* num quia ignarus? sed humano more loquitur scriptura: *Nolo enim dicere quid arcus ille significet resplendens è nubibus fulgore, & radijs luminis, quo roscida illustratur obscuritas, grata quodammodo confessione respondens: & quomodo Deus non perdat Orbem diluuio spiritali, memor eorum, quorum figuram gerunt illuminatæ nubes, quoniam non de suo lucere se sciunt, sed de Sole iustitiæ, sicut illæ nubes de Sole visibili.* Pulchra interpretatio de arcu, seu Iride: sicut enim hæc existit ex nubibus roscidis, quæ Solis radios excipiunt, & quasi gratæ ei speciosam Iridem ab admiratione Thaumantiam dictam reddunt; ita sancti lacrymis roscidi agnoscentes se diuinitùs accipere splendorem gratiæ, grati laudem Deo reddunt, seu confessionem, & prædicationem eius gloriæ, vario virtutum colore conspicui, quò Deus placidus redditur, ac mitis: hoc in Sanctis decus cum conspicimus, *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. valdè speciosus est in splendore suo. gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ; manus Excelsi aperuerunt illum.* ita Simon ille Pontifex dicitur: *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* qualis & Augustinus ipse in primis fuit ab admiratione ingenij Thaumantias, & quasi roscida nubes, vt filius lacrymarum, & varijs virtutum coloribus conspicuus.

Arcus, seu Iris Noetica gratitudo Sanctorū erga Deum

Sancti seu nubes roscidæ à Sole illuminatę Iridem pulchram faciunt.

Ex libro contra Priscillianistas, & Origenistas ad Orosium.

1 OPeræ pretium est ante Augustini responsionem quædam referre ex epistola ipsius Orosij; nam sic pulchrè de hæresibus conuictis ab Augustino. *Necesse me fuit conferre in vnum omnes perditionum arbores, & offerre ignienti spiritui tuo*. rectè ignitum appellat Augustini spiritum ob zelum, quo in hæreticos ardebat, sic de Elia dicitur. *Surrexit Elias quasi ignis ardens, &c.* hanc sibi per suos prouinciam eos debellandi sumpsit verè item igniente spiritu noster Ignatius: fecit hoc maximè per Robertum Bellarminum alũnum suum. hinc illa eiusdem Ignatij ignita vox, cũ Socios mittebat per Orbem. Ite, incendite. Tum pergit in arborum metaphora. *Tu malignas plantationes, vel insertiones erue, atq; succide, & veram sparge sementem nobis de tuis fontibus rigaturis.* Vide ex quo fonte, nempè ex Augustini doctrina vera sementis fidei riganda sit. mox addit. *Deum testem spondeo, quia terra illa, quæ nunc ingratos fructus insincera cultura exhibet, si eam visitaueris, vsque in cẽtesimum fructum profusa proficiet.* Vide quantam habeat vim præsentia Doctoris, item Episcopi in visitanda sua diœcesi.

Augustini ignescens spiritus cõtra hæreses laudatur.

Ignitus Ignatii nostri zelus de Dei gloria.

2 Idem Orosius, quantum Ecclesiæ dãnum inferant hæretici, sic ostendit. *Dilacerati grauius à doctoribus prauis, quàm à cruentissimis hostibus sumus.* Vides, nullam stragem posse conferri cum hæresum malo. quid cum hæretici etiam in corpora catholicorum sæuiunt ferro? addo illud lyrici poetæ. Quod mare barbarum non decolorauere cædes? testes sunt patres illi nostri propè fortunatas Insulas in naui interfecti.

Hæretici peiores quam cruentissimi hostes.

3 Idem hæresim de hominis conceptu exponit. *Priscillianus ex veteri testamento hæresim confirmauit, dicens, animam, quæ à Deo nata sit, de quodam promptuario procedere; profiteri ante Deum se pugnaturam, instrui adoratu Angelorum, de hinc descendentem per quosdam circulos à Principibus malignis, & secundùm voluntatem victoris Principis in corpora diuersa contrudi, eique adscribi chirographum, vnde & mathesim prævalere dicebat, asserens quod hoc chirographũ soluerit Christus, & affixerit cruci per passionem.* Vide vt fabulosis portentis omnia miscuerint, & scripturæ sensus peruertant, vt hìc de chirographo mathematico, vbi fata cuiusque scripta essent, affixo cruci, cum de peccati potius chirographo & damnationis debito loquatur Apostolus; item nota illud commentũ de professione militari, quam fieri dicebat ab anima cuiusque coram Imperatore Deo ante ortum: immò potius post ortum in baptismo quasi militari sacramento profitemur nos renunciare diabolo, & pompis eius. quod autem ait, animas in corpora descendere per circulos quosdam, quid ni hæ circulationes sunt, & præstigiæ hæreticales? verè dictum. *in circuitu impij ambulant.* hinc illa vertigo in ipsis erraticæ mentis.

Priscilliani commẽtum de professione militari animæ ante ortũ.

Quale sit peccati chirographũ affixũ cruci.

4 Refert & illa ex dolosa mathesi. *Ait nomina patriarcharum, membra esse animæ, eo quod esset Ruben in capite, Iudas in pectore, Leui in corde, &c.* sed min' cordatè loquuntur. deindè ait; *in membris corporis cæli signa esse disposita, idest Arietem in capite, Taurum in ceruice, Geminos in brachijs, Cancrum in pectore &c. volens intelligi tenebras æternas, & in his principem Mundi processisse.* scilicet corpus humanum stellato Signifero comparabãt. vtinam hinc intulissent, debere ad cœlestia hominem aspirare, vt & in cœlo cognatum ipsi corpus collocaretur; sed potius subijciebant stellis. dicitur quidem in canticis. *vmbilicus tuus crater tornatilis &c.* vertunt alij: in quo sunt similitudines siderum. sed hoc ad variarum virtutum splendorem referendum est.

Priscianistæ signa zodiaci in singulis corporis membris locabant.

5 Pergit Orosius ad alias hæreticorũ fabellas. *De Principe humidorum, & de Principe ignis plurima dicit, volens intelligi arte, non potentia Dei omnia bona agi in hoc Mundo: dicens esse virginem quandam lucem, quam Deus volens dare pluuiam hominibus, ostendit Principi humidorum, qui dum eam apprehendere cupit, commotus sudat, & pluuiam facit, & destitutus ab ea, mugitu suo tonitrua concitat.* Vide quid ineptiarum excogitarint, vt omnipotentiæ Dei detraherent: quasi illi arte, & inuentis varijs opus sit, cum aliquid vult efficere. ceterùm vt ex fimo colligamus aurum, mysticè hoc de Dei inspiratione peccatori facta, quasi intelligibili, & purissima luce, dici poterat, qua obiecta peccator soluitur in imbrem lacrymarum, & timens ne ab ea destituatur, gemitu, & suspirijs detonat: Vel lucem virginem dicamus esse Deiparam. ad cuius castissimos amplexus, ac preces filius pluuiam gratiarum terris infundit. Vel sudauit in Getsemani horto Christus imbri sanguineo, dum apprehendere conatur lucem illam intaminatam, hoc est misericordiam patris, ad eum placandum.

Pluuia, & tonitrua quomodo fierent fabula Priscilliani.

6 Nunc aggrediamur Augustini responsionem. Arguit Origenistas dicentes. *Ignem æternum, quo peccatores puniuntur, non esse verum ignem, neque æternum, sed dici ignem propriæ conscientiæ punctionẽ, æternum autem græcè non esse idem, ac perpetuum. ac proinde omnes peccatorum animas post purgationem conscientiæ, in vnitatem corporis Christi esse reducendas. addunt*

Origenistæ ignem æternum metaphoricè intelligebant de remorsu conscientiæ.

dunt, exusta in totum malitia diaboli, alido saluandam esse substantiam, cum bona sit. at si non est perpetuus ignis damnatorum, ergo nec perpetuum præmium beatorum, cum tamen dicatur de his. *regni eius non erit finis*, & de illis. *ignis eorum non non extinguetur*.

7 Arguit & illud dictum. *Mundum nouissimè ideò factum, vt in eo animæ purgarentur, quæ ante peccauerant; vt pro culpa magnitudine vel paruitate, hanc vel illã Mundi partem sortirentur*; contra est; nã si plures animæ æquè peccassent, plures Soles facere oportuisset; &c. igitur rectè concludit. *factus est Mundus Dei bonitate, magnũ bonũ à summo, & non facto bono, &c.*

Hæretici Mundum dicebant factum esse vt animæ in corporibus purgarent peccata.

8 De Christi carne hæresim damnat. *Aiunt de corpore Domini, quod cum vsque ad nos veniens filius Dei post tot millia annorum, ociosus eò vsque non fuerit, sed prædicans remissionem Angelis, Potestatibus, atque vniuersis superioribus, cum qualitatẽ formæ eorum, quos visitaret, assumeret, vsq; ad palpibilitatem carnis assumptionis specie transiuisse hac passione, & resurectione determinans. rursus donec vsque ad patrem veniret ascendendo tenuasse.* Vide vt diabolus inuiderit nostræ felicitati; etenim ne laus misericordiæ diuinæ ad nos tantũ pertineret in remittendis peccatis, eam ad præuaricatores item Angelos transtulit.

Hæretici dicentes Christum Angelis prędicasse remissionẽ peccatorũ antequam nobis.

9 Corrigit malam Manichæi interpretationem in illud Apostoli. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit. & subiecta est corruptioni non volens, &c.* Solem, & Lunam & stellas rationales potentias putabat. *de homine potius intelligitur, quia in vnoquoque homine est omnis creatura, non vniuersaliter, sicut est cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, sed generatim quodammodo: quia in eo inest ratio, quæ in Angelis; & sensus, qui in bestijs; & elementa, vt terra, ex qua formatus; & ignis, cuius lux ex oculis emicat; & aer in spirando; & humor præsertim in sanguine. ita quodammodo in homine omnis creatura ingemiscit, expectans resurrectionem, & reformationẽ.* Nota in mundanos, qui per iocum, & risũ scurriliter hanc vitam transigunt, tantùm abest vt ingemiscant ad hunc mortalitatis statum. immò ceteris creaturis, & elementis ad voluptatem abutuntur. Tum negat hæc de astris intelligi. putabant enim malè interpretantes locum Iob. *Astra non sunt munda in conspectu Dei*: esse rationali spiritu prædita, *& munda non esse à peccato. sed ideo in cælis esse, quia maiorem, vel meliorem locum minor culpa promeruit.* quasi verò Mundus ad hunc finem esset factus, vt animæ, quæ peccassent, corpora pro qualitate delicti varia in pœnam inducerent. cum potius, vt dixit, ad bonitatem Dei declarandam creatus sit.

Omnis creatura ingemiscens homo significatus.

Astra animata non sunt ideo nec propriè ingemiscunt.

Iob 25.

Ex Libro contra Sermonem Arianorum.

1 Aequalitatem Spiritus sancti cum ceteris duabus personis diuinis tuetur. *Spiritum sanctum minorem conantur ostendere, quod sit illius tanquam Iudicis aduocatus.* sed quomodo Iudice minor est, qui Iudices facit? nam ait Apostolus. *Spiritus omnia iudicat.* acutè arguit.

Spiritus S. æqualis ceteris personis.

Cor. 2.

Ex Libris contra Maximum Arianum.

1 Agit de apparentia diuinarum personarum. Non sic apparuit Christus in homine, sicut columba, & spiritus, vel ignis, & spiritus, vt vna persona sit, sicut Verbum, & homo. *ad horam quippè apparuerunt illa, quæ Spiritum sanctum significando monstrarent visibiliter inuisibilem: columba propter amorem sanctum, ignis autem propter charitatis ignem, atque feruorem, eo peracto significationis officio corporales species transierunt.* ac ne putaretur columba, vel flamma pertinere ad substantiam Spiritus sancti, non legitur postea sic apparuisse. at verò semper idem Christi corpus resurrectione, ascensione, iudicio. vbi acutè notatum, cur Spiritus sanctus nõ semper ignis, vel columbæ forma appareat. ne penitus assumpta putetur. & nota cur illas maximè species prætulerit, indices scilicet amoris, & charitatis.

Cur Spiritus sãctus ignis aut columbæ potius apparuerit quam sub al a specie

Cur Spiritus sãctus non sub vna eadẽque specie semper se obtulerit.

2 Christi diuinitatem contra Arium defendit, rectè exponens illud psalmi. *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, &c.) Timens, ne Spiritus sanctus, quo vnctus est Christus, maior videretur esse quàm Christus, quia re vera maior est homine Christo, voluisti oleo exultationis eam lætitiam significatam videri, qua filius exultauit cũ patre, quando est condita creatura. sed quid dices ad illud Petri? Iesum à Nazareth, quomodo vnxit Deus Spiritu sancto. à Deo Patre vnctus est filius, qui sic homo factus est, vt maneret Deus, qua vnctione plenus erat, idest Spiritu sancto, vt scriptum est; Iesus autem plenus Spiritu sancto reuersus est ab Iordane.* Atqui, prò pietas ineffabilis, hic qui iucundo oleo lætitiæ vnctus est Christus dominus, pro nobis *cæpit pauere, tædere, & mæstus esse*, dicens. *tristis est anima mea vsque ad mortem.* & accepit insuper mistia illa pocula, aceti, fellis, myrrhæ.

Christus quomodo vnctus dicatur oleo lætitiæ.

Act. 10.

Lucæ 4.

3 Æqualem filio ostendit Spiritum sãctum. *Nam quid excellentius in creaturis, quàm virtutes cælorum? at scriptum est.*

Spiritus s. æqualitas cum ceteris personis.

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Addo illud. *Spiritus eius ornauit cœlos.* sed cur cœlorũ virtus, & ornatus Spiritui sancto potissimũ tribuitur? puto ob beneficentiam dum cœli in hæc inferiora influũt. & quia digitus Dei est, quasi pictor ornauit. Tum id apertè ostendit ex Paulo. *Nescitis quia corpora vestra templa sunt Spiritus sancti? ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicumque creaturæ. quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?* acutè perstringit. ac nota nos templa dicata Spiritui sancto peculiariter dici, quia sanctificatio ipsi tribuitur; & *Sãctum est templum domini.* ara cor est.

Psal. 32.

4 Filium æqualem ostendit Spiritui sancto; & hinc colligit. *ex vtero, inquit, ante Luciferum genui te.) ex vtero Dei genitus dicitur filius, vt ostendatur eiusdem substãtia*. addit monstrosam secundùm ipsos reddi generationem Dei, si ex eius vtero procederet diuersa natura. addo ego, sicut monstrum esset, si ferox aquila, vt lyricus poeta ait, gigneret imbellem columbam.

Si filius inæqualis esset patri monstrosa esset generatio.

5 Docet, cur Spiritus sanctus non dicatur gigni. nempè si filius etiam gigneret, *immoderata esset diuina generatio; si genitus filius nepotem gigneret patri, quia & ipse nepos, nisi auo suo pronepotem gigneret, secundùm vos, impotens diceretur. similiter etiam illi, &c.* doctè, ac simul lepidè dictũ.

6 Exponit illum Marci locum. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Quærebat ille non bonum qualecumque, sed bonum, quo fieret beatus, immò ipsam beatitudinem veram; sed interpellauerat tanquã hominem Christum*. Nota, nomine boni beatitudinem indicari, & visionẽ Dei quod est summum, & perfectum bonum, & hoc quærendum, sed apud Christum vt Deus est.

Cur Christus arguerit vocantem se bonum.

7 Acutè ostendit, errare Arium putãtem se derogare patri, nisi minorem diceret filium. *Nescis & Patri, & Filio te inferre contumeliam, si nec ille potuit, aut voluit gignere æqualẽ sibi; nec iste nasci æqualis potuit? non se vult Deus ita laudari pater, vt filium dicatur de se ipso generaße degenerem.* Pulchrè refellit. huc refer illud de Theodosio Imperatore Arij parti fauente; qui cum sederet in throno vnà cum filio, quem imperij consortem fecerat, catholicus pertransiens patri se inflexit pronus, non filio, qua de re à patre increpitus, respondit acutè: tu quoque cur non Dei filio æqualem defers honorem? quo ostendit, & patri iniuriam fieri, nisi æquè filius honoretur.

Patri iniuria fit si filius dicatur minor non si æqualis.

8 Item Christi diuinitatem sic probat. Baruc ait. *Magnus, & non habet finem; excelsus, & immensus. & mox addit. hic Deus noster, non æstimabitur alter ad eum, &c. post hæc super terram visus est, & cum hominibus cõuersatus est.* apertissimus locus de Deo homine facto. itaque sic vrget. *quis est iste magnus, & non habens finẽ &c? responde, video quos æstus, quas patiaris angustias.* addo, rectè Deum nostrum appellari personam Verbi, quasi nobis cognatum carne. Sicut & in illa trium personarum mentione. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*. prima vox ad patrem pertinet. Secunda ad filium, tertia ad Spiritum sanctum. Tum pulchrè concludit. *puto me tibi ad omnia respondisse, sed si non vis eße discipulus, noli eße multiloquus.* rectè carpit, nam in multiloquis nõ deerit stultiloquium.

Christi diuinitas aperte à prophetis demonstrata

Hæretici multiloqui sunt. non veriloqui.

Ex libro contra Felicianum Arianum.

1 De duplici Christi generatione sic. *Sicut sine exemplo mater genuit auctorem suum; sic ineffabiliter pater genuiße credendus est coæternum. de matre natus est, qui ante iam fuit, de patre, qui aliquando non defuit.* Eleganter hoc dictum. tum differentiam ponit inter filium à Deo genitum, & creaturam à Deo factam. *Ille ex patre substantialiter gignitur, creatura non est substantia facientis, sed sola voluntate, ac potestate perficitur. ista corruptibilis per naturam, nisi fuerit seruata per gratiam; ille incorruptibilis, qui nascendo incorruptibilem ex incorruptibili patre videtur habere substantiam. filius per omnia similis patri, dissimilis creaturæ. factor ille non ex eo, quod non est, in id quod est, ac propterea nunquam in id, quod non est ex eo quod est. illa, idest creatura facta ex eo, quod non est, ac propterea quantum ad se attinet, ex eo quod est, in id, quod non est, sui ortus conditione reuertitur*. Nota elegantes antitheses; & vide quàm longissimè distet creator, & res creata.

Differentia inter verbũ genitum, & creaturas conditas.

2 Ostendit in catholica fide constantiam. *Dum nos dicis Aristotelica arte contendere, ipse ad dialecticorum laqueos videris confugisse. sed nos veritate confisos nequaquam possunt ista terrere.* rectè laqueos appellat fallacias argumentorum, quas obtendunt hæretici, sed catholici veritatis pennis elati altius subterfugiunt, iuxta illud. *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*.

Catholicæ dialecticæ laqueis pennati euadunt.

3 Humanitatem Christi non obfuisse diuinitati docet. *Christus sic vtriusque naturæ proprietatem verè ex vtraque gignẽti similis natus expressit, vt & veram carnem suscepiße eum constet ex matre, & indifferentem deitatem habere constet ex patre:*

Humanitas Christi nihil obfuit diuinitati.

tre: quibus in vnam personam incomprehẽsibilis mediatoris dispensationis coniunctis seruauit singulis propria, sed coniunxit proprijs aliena. seruauit propria, dum non amisit immensitatem deitatis, & infirmitatem non respuit carnis: coniunxit proprijs aliena, dum idem atque inseparabilis Christus & proprio carnis occiditur, & proprio deitatis apud Inferos non tenetur. Egregiè Dei sapientiam ostendit contemperantem diuina humanis non perturbatè, atque cõfusè, sed congruenter, & aptè, vt alterum alteri non obesset.

Humanitas, & diuinitas simul in Christo se prodebãt.

4 Eleganter idem ostendit quomodo coaluerit cum humanitate diuinitas. *Nec infirmitatem voluntariam Christi omnipotens eius maiestas exhorruit, nec omnipotentiam corporalis infirmitas extinxit. non est Dei proprium quod famem sensit, sed Dei proprium est quod paucis panibus tot millia hominum pauit. non est proprium carnis, quod super frementes vndas siccis pedibus ambulauit, sed carnis est proprium quod flagella sustinuit: vno mortem gustauit, altero mortuos suscitauit. non dissimilis genitori, cum nasceretur coæterno perpetuus. non dissimilis homini, cum ex matre nasceretur moriturus: idem tamen & æternus in suo, & moriturus in nostro, dum vtrumque continet ex se ipso, & neutrum perdit ex altero.* & hic notandæ sunt antitheses venustæ satis. hinc homo patet, illinc Deus.

Duplex in Christo natura ostẽditur.

5 Pergit item eleganter ostendere vtramq; in Christo naturam. *Non ad Mariam locali motu diuinitas venit, sed ineffabili manifestatione potentia. erat apud inferos resurrectio mortuorum; erat super cælos vita viuentium. tristis erat vsque ad mortem propter affectum susceptæ carnis, non post mortem: non initium mæroris mors ista, sed finis. non incipiunt post hanc iustorum flagella, sed desinunt, cum impedimenta materiæ fluctuantis exponunt.* Nota de iustorum ærumnis in hac vita terminum habentibus. addit item pulchrè de Christo. *Sensit mortem, & pertulit, sed participatione morbi alieni, non proprietate vulneris sui: iacebat mortuus in sepulchro, resuscitans mortuos in inferno; vitam tribuens vniuersis in cælo, nec Mundum dimittens; adscẽdit in cælum, nec cælum deserens venit in Mundum; eodem tempore totum totus implens.* & hæc admirabilem Dei vel potentiam, vel sapientiam, vel in nos beneficentiam præclarè demonstrant.

Ex libro de bono coniugali.

1 DOcet quid futurum fuisset, si non peccasset Adam. *Generationes, si non peccasset Adam vsque ad certum modũ haberent incrementum, nec vergerent tamẽ in senium, aut vsque in senium, nec tamen mortem, donec ista benedictionis multiplicatione terra repleretur. Si enim vestibus Israelitarum præstitit Deus per annos quadraginta sine vllo detrimento proprium statum, quantò magis præstaret corporibus obedientium præcepto suo felicissimum quoddam temperamentum certi status, donec in melius conuerterentur non morte, sed beata commutatione à mortalitate ad immortalitatem?* Attende, lector, magnitudinem felicitatis amissæ, & ingemisce mortalitatis statui. putant quidam ex esu mãnæ hoc prouenisse, vt vestimenta ipsa non consumerentur; quantò magis ex esu ligni vitæ corpus quasi vestimentum animæ incorruptibile fuisset?

Felicitas status hominis si nõ peccasset.

2 Ad virginitatis, & castimoniæ excellentiam facit hoc. Primis, inquit, temporibus ad propagandum populum Dei vti debuerunt sancti connubijs, nunc non eodẽ modo expedit, nisi ijs, qui se non continent. *Quid si omnes velint ab omni concubitu abstinere, vnde subsisteret genus humanum? vtinam omnes hoc vellent dumtaxat in charitate de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta, multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus seculi. vellem, inquit Apostolus, omnes esse sicut me ipsum.* Notabile dictum. potius videri poterat contrarium, vt plurimorum generatione impleretur numerus electorum, sed quia nisi coniungerentur, si castè, & cælibes viuerent, essent toti Deo intenti, facilius salutem consequerentur illi pauci, quàm qui nunc tam multi. nempè vt filij diuites relinquantur à parẽtibus, vsuræ committuntur; & filij ipsi sæpè malè viuentes patrimonium dilapidant. malè enim parta malè dilabuntur. religiosis igitur, qui castitatem vouent, hoc tam præclarum beneficium debetur: *vt citius Dei ciuitas compleatur.*

1. Tim. 3.

Per castitatem Dei ciuitas cõpletur.

3. Cor. 1.

3 Facit & hoc multum pro virginibus, & religiosis. *Mihi videtur hoc tempore solos eos, qui se non continent, coniugari oportere, iuxta dictum Apostoli: Qui se nõ continent, nubant.* Notabilis planè vox, quæ, si promulgaretur, posset quamplurimos adolescentes, qui natura sunt bonæ indolis, & verecundi, ad religionis statum inducere, cum non sint ita præcipites, vt connubij fræno egeant.

Coniugiũ nunc meũ dum solũ ab ijs, qui nequeunt se continere.

4 Ostendit in veteri lege plurium vxorum vsum non fuisse causa libidinis. *Olim cùm adhuc propheticis sacramentis salutis nostræ mysterium velabatur, officio propagandi nuptias celebrabant, nec victi libidine, sed ducti pietate; quibus si talis optio daretur, qualis postea dicente Domino, Qui potest capere capiat, non eos dubitẽ*

Patriarchę in pluribus vxoribus continentiores quàm nunc in vna.

etiam cum gaudio suscepturos fuisse, qui diligēter legit, quomodo coniugibus vtebantur, cum & plures habere vni viro vxores licebat, quas castius habebant, quàm nunc vnam quilibet istorum. nam illi habebant eas in opere generandi, non in morbo desiderij, quod tam magnū est, vt multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quàm modum teneant non concumbendi nisi prolis causa, si matrimonio coniungantur. insignis defensio Patriarcharum, vt temperatiores fuerint in pluribus vxoribus, quàm nunc ferè sunt in vna, quod patet ex paucitate filiorum respectu numeri vxorum. itaque multi ex ipsis, si Christi consilium tunc fuisset auditum, libenter cœlibes, & religiosè vixissent, idem sic etiam eleganter explicat: *Multi facilius se abstinent, vt non vtantur, quàm temperant, vt benè vtantur. nemo tamen potest eis sapienter vti, nisi qui potest & continenter non vti.* Tum de Abraham sic. *Quis neget Abraham continere se potuisse à nuptijs propter regnum cælorum, qui vnicum prolis pignus, propter quod nuptiæ charæ sunt, potuit intrepidus immolare? continentia quippe non corporis, sed animi virtus est,* rectè argumentatur. nuptiæ sunt propter prolem. qui huic licèt charissimæ propter Deum tam alacriter nūcium remisit, non minus vxoribus remisisset.

Coniugiū prolificatio est non desiderij morbus.

5 Probat hoc quod dixit, virtutem ex interno æstimari. *Non est impar meritum patientiæ in Petro, quod passus est, & in Ioanne, qui passus non est, sic non est impar meritum in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generauit: sed Ioannis etiam in opere innotuit, Abraham in solo habitu habebat,* egregia collatio inter Ioannē virginem & Abraham vxoratū, & eundem non passum Martyrium cum Petro passo, Addit: *Si comparemus res ipsas, nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ, quàm castitatem nuptialem; cum tamen vtrumq; sit bonum; homines verò cum comparātur, ille est melior, qui bonum amplius quàm alius habet; at maius est bonum obedientiæ, quàm continentiæ.* Si ergo proponatur virgo, sed inobediens præceptis Dei; & coniugata, sed obediens, planè hęc erit melior; *nam connubium nusquam in scripturis damnatur, inobedientia nusquam absoluitur; sicut in corpore melius est habere Zacchæi staturam cum sanitate, quàm Goliæ cum febri.* Vide vt in omnibus emineat obedientia, sine qua nihil excellit; & qui eam habet, paratus est ad exercitium ceterarum virtutum. hinc Ignatius noster, cum & in regulis sæpè obedientiam inculcarit, & benè longam epistolam de ea scripsisset, contentus fuit paucis circa castitatem verbis, Angelicam requirens. Huc item spectat, quod pulchrè mox subiungit, *Sancti antiqui patres obediētiam tanquam virtutem radicalem, atque vt dici solet, matricem, & planè generalem in opere exercuerunt, continentiam verò in animi habitu tenuerunt. per obedientiam continētiam ipsam opere seruarent, si iuberentur; nam hoc facilius est, quàm filium immolare, propter quē habendum continentiam soluerent.* Nota vt difficilior sit actus obedientiæ, quàm continentiæ, ex quo dignitas eius virtutis apparet, & quæ faciles reddit cęteras, immò parit. quamobrem egregiè dicitur, *virtus radicalis, & matrix.*

Virtus ex interno pensatur.

Ioannes Euang. cū Petro, & Abrahamo collatus.

Potior est coniugata obediens, quam virgo inobediens.

Obedientia virtus radicalis, & matrix virtutum est.

6 Pergit ostendere, sanctitatis præstantiam non æstimandam sola virginitate. *Sequuntur agnum pueri canentes canticum nouum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, quia virgines sunt; nec tamen ideò se meliores arbitrentur primis parentibus Sanctis, qui nuptijs, vt ita dicam, non nuptialiter vsi sunt.* pulchrè hoc dictum de temperantia veterum patriarcharum in coniugijs. quia, inquit, illi solùm ob prolis, non ob carnis desiderium nupserunt; quod si illi, qui nunc virgines sunt, nuberent, mirum esset, si obseruarent. Ad hoc addit item de patriarchis. *Illi propheticè coniungebantur, nec nisi ob prolem, & in ipsa prole, quod in carne venturo Christo proficeret, requirebant.* Vide quàm sancto fine patriarchæ coniugium inirent, non modò non ob concupiscentiam, sed ne deesset fœcunda posteritas Christo venturo, qui concupiscentiam domaret, & castitatem in matre Virgine consecraret.

Apoc. 14.

Finis Patriarcharū in coniugijs pro sapia Christi.

7 Eleganter hortatur virgines, & religiosos, ne de castitate superbiant. *Virgines, puerosque integritatem Deo dicantes maximè commonemus, vt tanta norint humilitate tuendum esse, quod in terra interim viuunt, quantò magis cœli est, quod vouerunt. nempè scriptum est; quantò magnus es, tantò humiliare omnibus. nostrum est de magnitudine eorum aliquid dicere, illorum est de magna humilitate cogitare.* pulchrè illud dictum, tantò magis meminerint vilis plasmationis ex terra, *quantò magis cœli est quod vouerūt.* illud fragilitatis commonet, hoc dignitatis. digna res est laude castitas, sed ab alijs laudetur, castus ipse de se humiliter sentiat, ne fiat incestus, cœleste quiddam est virginitas, quippe Angelorum proprium, sed terrenus est homo, qui eam æmulatur, hoc est fragilis, ideoq; ne tumeat de dono, sed timeat de casu.

Castus humilis sit ne euadat incestus

Ex libro de sancta virginitate.

1 OStendit verum castimoniæ decus ex interna sanctitate æstimari. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset.* Subiungit dictum notabile. poterat

Deus

Deipara felicius Christum gestauit corde, quàm vtero.

Deus imperare Mariæ, vt virginitatem voueret ex præcepto, quod Christū esset conceptura, sed *virginitatem liberè Deo dicauit, cum adhuc quod esset conceptura nesciret, vt in terreno mortaliq; corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto*. nempè vt discerent virgines virginitatem ex se esse expetendam, etiam non posito præcepto. Nota illud pulchrè dictum de Deipara, *Felicius Christum corde, quàm carne gestauit*. nam & Verbum ipsum ex patris corde genitum alibi dicit, vt vtrinq; totus Dei filius ex charitate compactus videretur.

Cur Deus non obligauit præcepto Deiparam ad castitatē, sed liberè deuotam maluit.

2 Illud ad Iosephi virtutem, & decus spectat. *Desponsata Virgo est viro iusto, non violenter ablaturo quod vouerat, sed potius contra violentos custodituro*. Vides quasi thesauri custodem fuisse Iosephum.

Iosephus custos thesauri virginalis.

3 Est hoc ad Virgines monitum sanè præclarum. *Non solùm prædicanda est virginitas, vt ametur; sed etiam monenda, ne inflétur*. huc refer quod ait Gregorius de stultis virginibus, quæ totam curam posuerūt in ornandis exterius lampadibus ad plausum, non in oleo intrinsecus abundè infundendo.

Virgini, quàm noceat superbia.

4 Ostendit etiam Virgines suo modo esse fœcundas, immò præstantius. *Non est cur Dei Virgines contristentur, quod etiam ipsæ matres esse non possint; ille vnius sanctæ Virginis partus omnium sanctarum Virginum est decus*. & ipsæ enim cum Deipara matres sunt, exequentes Dei voluntatem. pulchrè dictum. Deiparam omnium virginum loco peperisse, ac genuisse eiusmodi partum, qui omnium reliquorū est præclarissimus, nempè & Deus est. nullus igitur restat iam virginibus optandus alius partus. Tum affert alium modum, quo matres dici possint, si videlicet cooperentur aliorum saluti. v.g. si mulier diues multum pecuniæ impendat, vt seruos emat, quos faciat Christianos, profectò hæc erit omni fœcunditate maior; nec tamen ea pecunia comparari potest cum virginitate. vbi nota vel in fœminis, ac puellis quantum studium requirat circa proximi salutem etiam cum magnis impensis. egregiè autem hoc ad Teresiam virginem facit, quam verè fœcūdam matrem dixeris tot heroum eius ordinis, quem instituit.

Christus nonmodo Deiparæ, sed omniū Virginū partus est.

Etiā Virgines fœcundæ esse possunt ex cura salutis proximi.

Teresia Virgo fœcunda mater heroū.

5 Acutè ostendit, internam animi puritatem verè virginem facere. *Fortasse melior nupta, quàm Virgo nuptura. nam illa vni iam placet, ista multis, incerta cui danda*: ergò id spectandum, quod in mente versatur. acutè dictum. quid enim miserius statu virginis, sed nupturæ? nam nupta vni viro iā iuncta, huic vni satisfacere studet; illa verò tot, quot aspirare ad eas nuptias possunt.

Melior nupta, quam virginis nupturæ status.

6 Castitatis eminens præmium ostēdit: *Profectò habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate qui habent aliquid iam non carnis in carne*. Præclarum sanè est hoc elogium castitatis; & iure ait peculiare præmium responsurum peculiari præstantiæ virtutis. probat id ex Esaia: *Dabo Eunuchis meliorem locum in domo mea, & in muris, &c.* dementiæ dicit esse intelligere hoc de Eunuchis corporaliter, sed intelligi, *se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes; cœlestem, atque Angelicam vitam meditantes*. quod acutè inde colligit, quia de æterno præmio hic sermo est; quippe subiungitur: *nomen æternum dabo eis*. licèt etiam intelligi possit de gloria, & bono nomine, quod hic habent casti. quò refero illud: *Florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, &c.* Vides quàm excellens sit hæc virtus. quod autem in muris eorum habitatio sit; puto significari quasi excubias poni ad mœnia, vt vigilent armati, & hostem excludant castitati insidiantem.

Casti in cœlo peculiare præmium habebunt.

Eccl. 36.

Castitatis bonū nomen, & fragrātia.

Eccl. 39.

7 Elegans, ac pulchra parænesis est ad castos, & Virgines; *Pergite igitur Sancti pueri, & puellæ; laudate Dominum dulcius, quem cogitatis vberius: sperate felicius, cui seruitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius. vos afferetis ad nuptias cāticum nouum, non quod cantat vniuersa terra, sed quod nemo nouit, nisi vos in citharis vestris*. egregiè ostendit à religiosis uberius cogitandum de Deo, seruiendum instantius, placēdum attentius, &c. hinc Ecclesiast. cum dixisset, *Florete flores, &c.* subiungit. *Collaudate canticum, & benedicite dominum*.

Virginū proprium est tota intētione in Dei obsequio, & laude versari.

8 Item de peculiari castorum gloria, Ioannes in Apocalypsi ait:) *Sequuntur agnum quocumque ierit, virgines enim sunt: at quò putamus eum ire? in quos saltus, & prata? vbi non sunt gaudia sæculi, immò nec gaudia, qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus erunt, sed à ceterorum omnium gaudiorum sorte distincta, gaudia propria virginum Christi. quid est autem sequi agnum, nisi imitari? Sequuntur ceteri fideles, sed quousque potuerint. possunt autem in alijs, præter virginitatis decorem; nam & beati, inquit, pauperes, misericordes, mites, &c.* pulchrè de pratis, & pascuis Virginum peculiari amœnitate uernantibus, per quæ propria huius status gaudia, & ineffabilis animi uoluptas indicatur. Tum redit ad parænesim, *Permanete qui vouistis, & qui nondum vouistis; qui potest capere, capiat. cogitate illud: Nomen æternum. quis explicet quale nomen erit? cogitate quicquid illud est, in muro eius locum meliorem multò, quàm ceterorum*. Nota, videtur indicare castis, ac virginibus nomen aliquod peculiare inter beatos imponēdum à Deo. dicerem nomen Angelici, quod quidam hac virtute insignes, vel in terris assequuti sunt, vt Aloisius noster, sed maximè Thomas Aquinas: nisi fortasse plusquam Angelicum videatur in carne viuere, non secundùm

Gaudia Virginum in cęlo peculiaria, & distincta à ceteris beatis.

Nomē peculiare in cęlo Virginū, atq; castorum.

cundùm

cũdum carnem; ideo rectè ineffabile dicit, *quis explicet quale nomen erit?*

Mensura humilitatis eadem quæ donorum.

9 Humilitatem Virgini impensè commendat. *Quantò maior es, humilia te omnibus. mensura humilitatis esse mensura ipsius magnitudinis cuique debet. superbiam sequitur inuidentia tanquam filia pedissequa; eam quippe superbia continuò parit; nec vnquam est sine tali prole, atque comite. contra hanc inuidentiæ matrem maximè militat Christiana disciplina.* egregiè ait, mensuram humilitatis æquari debere magnitudini donorum, ne hæc deperdantur, & vide quàm turpe, ac pallidum monstrum pariat superbia, inuidentiam scilicet. rectè item monet perpetuum nobis bellum, & pugnam cum hoc tam acri hoste, atque infesto esse debere, idest cum superbia.

Cõtra superbiam acriter militãdũ.

Inuidẽtia superbiæ filia, & pedissequa est.

10 Humilitas quàm grata Deo sit, ostendit. *Matthæus iob aliud non dixit, Centurionem accessisse ad Dominum, cum apertissimè insinuet, quod non ad eum ipse venerit, sed amicos suos miserit; nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accesserit, quàm illi, quos misit.* pulchrè interpretatur, quomodo intelligendum sit, Centurionem cum Christo loquutum, si non ipse conuenit, sed familiares delegauit. nimirum ait, Centurionem longè stantem propinquiorem fuisse Christo, quàm ipsos amicos, quos misit. habet enim humilitas hoc sanè mirum, vt cum indignitatis conscia conatur à Deo se amouere, tunc maximè accedat. Affert exemplum Petri dicentis. *Exi à me Domine, &c.*

Centurio accessit humilitate nõ corpore.

11 Eleganter exemplo Christi ad puritatem simul, & humilitatem virgines hortatur. *Præcipuum magisterium, & virginitatis exemplum in Christo intuendum est, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. ille cui omnia tradidit pater, hæc ait. Video te, bone Iesu, oculis fidei tanquam in concione generis humani clamantem, atque dicentem: Venite ad me, quia mitis sum, & humilis corde. ille cui omnia tradidit pater hæc ait, huccinè redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & sciẽtiæ Dei absconditi in te, vt hoc pro magno discamus à te? ità nè magnum est, esse paruum? vt nisi à te, qui tam magnus es, disci omninò non possit. O doctrinam salutarem. ò magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata, atque infusa est. audiat te Centurio, audiat omne genus ægrorum. hi cum conuertuntur, facilè humiliantur, memores iniquitatum: sed respice agmen Virginum in Ecclesia, hoc genus tibi amatorijs vberibus pullulascit. nomen tuum linguam ad loquendum soluit, nomen tuum velut lac infantiæ suxit infusum. his inclama, quod tu humilis sis. casti sunt, sed eos in peccatis matres eorum in vteris aluerunt. virgines sunt, sed nati ex Virginibus non sunt. carne integri sunt, sed Verbum caro facti non sunt, & tamen discant à te, quod humilis sis. non ego te, anima pudica, vt discas humilitatem, ad publicanos, & peccatores mitto; ad regem cæli te, ò illibata virginitas, mitto; ad speciosorem forma præ filijs hominũ. eum certè non iniquitas, sed charitas humilem fecit. non ibis ad eam, quæ Domini sui pedes lacrymis rigauit, &c.* Pulcherrimus de humilitate locus, vbi Dei filius inducitur tãquam ex alto suggestu alloquens in concione genus humanum. quanta esset expectatio, quid arcanum, & grande doceret Dei sapientia? at ille humilitatem doceret. tam parua ad speciem res tam magnũ requirit doctorem. & illud nota; etiam si virgo sis, at non vt ille ex matre virgine, &c. non est igitur cur te extollas. pulchrè item dictum, virgines in parthenone, *amatorijs vberibus Christi nomen velut lac infantiæ suæ infusum sugere.* propter innocẽtiam, & simplicitatem, vt sic ad perfectionem adolescant. & rectè appellat, *Virginum agmen*, tum ob ingentem numerum, vt videre est in tot sanctimonialium cœnobijs. tum quia velut Amazones strenuè contra carnis vitia dimicant. illud quoq; pulchrè dictum, *nomen tuum linguam soluit.* quasi prima vox, quæ articulatè pronuncianda sit infanti, debeat esse Iesu nomen. denique breuis illa, sed præclara de humilitate vox, *Si non amas, time ne pereas: si amas, time ne displiceas:* itẽ nota illud: *Mors poculo superbiæ propinata est, atque infusa.* quasi venenatum poculum illud fuerit, nempè à serpente datum, *Eritis sicut Dij scientes, &c.* antidotum igitur humilitas.

Christus cõuocata concione totius generis humani humilitatem docet.

Superbia tanquam venenatũ poculũ ab initio homini propinatum.

Virginũ agmen militat contra carnẽ.

Virgines amatorijs vberibus Christo pullulant.

Lingua primò soluenda est Iesu nomine.

12 Rursus Virgini humilitatẽ commẽdat. *Nisi fortè inferis, quia modicum tibi dimisit, viuenti videlicèt à pueritia religiosè, pudicè, illibata virginitate. quasi verò non tu multò ardentius diligere debeas eum, qui flagitiosis ad se conuersis quæcumq; dimisit, in ea te cadere non permisit. vos autem genus electum, & in electis electius virginei chori sequentes agnum, deputate vobis tanquam omninò dimissum, quicquid mali à vobis non est illo regente commissum.* egregiè dictum, ac notent religiosi, qui à pueritia integri se Deo dicarunt, vt non minus, immò magis humiliter de se sentiant, quàm si flagitia commisissent; nam in hæc non incurrisse, non ab ipsis, sed à Deo præueniente factum est. oneraris igitur ingenti beneficio, ne ceruicem extollas.

Quo quis innocentior, & castior eò humilior esse debet.

13 Quàm amet Christus simplicitatẽ, & humilitatem, ex euangelio colligit. *Superbus ille, ac dolosus dixerat: Domine sequar te quocumque ieris. cui respondit Christus; Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis nõ habet vbi caput suum reclinet. Nec enim in astutis, nec in elatis, ac superbis requiescit.* acutè notat, cur has potissimum animantes nominarit, illius enim & astutiam per vulpem, & elationem, ac super-

Cur sequi volenti Christus vulpis, & volucris similitudinem ostendit.

superbiam per volucrem taxauit, quippe qui ipsum sequi vellet non mortificationis causa, sed popularis plausus, videns miracula Christi, & dæmones ab Apostolis pelli, &c. fuit etiam elationis nimium de se præsumere: quocumque, inquit, ieris. quare concludit. *ita ille, qui quocumque volebat sequi, non ad determinatum profectum, nusquã sequutus est.* Nota, nam Petrus & Thomas Apostoli solùm ad cruciatus, & mortem se paratos ostenderunt, quorum alter ait: *paratus sum tecum & in carcerem, & in mortem ire.* & alter, *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* tamen ne nimium de se confiderent, vt vterque à fide deficeret, permisit Deus. quantò hic audacior, siue ad prospera, siue ad aduersa omnia se paratum iactans? Vide igitur, quàm aliena esse debeat à religioso tum astutia, tum superbia, & quàm eius status propria sit simplicitas, & humilitas.

Religiosi status propria simplicitas, & humilitas est.

14 Elegans est illud de Christi affeclis. *Qui timet ab illo discedere dicit cum psalmista. Non veniat mihi pes superbiæ. pergite viam sublimitatis pede humilitatis.* mirũ est, quod ait, pede superbiæ descenditur, pede humilitatis ascenditur. oppositum mundani sentiunt, sed falluntur.

Pede superbię descẽsus fit, pede humilitatis ascẽsus.

15 Pulchra paræneſis ad Virgines, vt imitentur humilitatem Christi. *Inspicite pulchritudinem amatoris vestri. cogitate æqualem patri, subditum matri; in cœlis dominantẽ, in terris seruientem: illud ipsum, quod superbi derident, inspicite quàm pulchrum sit, vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. totus vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. parum vobis amare non licet, propter quem non amastis, & quod liceret.* idest connubium. vides in virgine nõ mediocrem, sed ardentem in Christum amorem inesse debere, cum pro eo etiam licitas nuptias respuerit. pulchrè per antithesim vocat. *æqualem patri, subditum matri. &c.* illud autem satis piè dictum: *totus figatur in corde, qui fixus in cruce.* certè in Claræ virginis à Montefalco etiam exsculptus in corde est.

Christus ad humilitatis exẽplum virgini propositus.

Christus fixus in cruce figẽdus in corde.

Ex Libro de Epicureis, & Stoicis.

1 QVærit, cur cum Athenis essent tot sectæ philosophorum, soli tamen Epicurei, & Stoici disputarint cũ Paulo? nimirum quia Epicurei ponebant beatam vitam in voluptate, quod melioris conditionis putabant, quàm animam, quę citius quàm corporis figura euanesceret in mortuo. Stoici contra in animo, idest in morali virtute, at Paulus beatam vitam locabat in Deo, à quo est omnis virtus. *Constitutis igitur ante oculos nostros tribus, Epicureo, Stoico, Christiano, interrogemus singulos. dic Epicuree quid facit beatum? respondet, voluptas corporis. dic Stoice, virtus animi: dic Christiane, donum Dei.* Vide quantò potior quàm philosophorum veterum doctrina sit, fides Christi. immò quàm illi desiperent post sapiẽtiam toto mari, terraq; quæsitam, nec inuentam. contra admirare Paulum scenarum artificem, sed nullo rhetorum artificio tot ingenia confundentẽ.

Cur Epicurei, & Stoici maxime cum Paulo disputarint.

Ex Libro de verbis; Ego sum, qui sum.

2 DE rubo Mosi oblato sic. *Si ille populus spinis non significaretur, non ab eo spinis Christus coronaretur.* significabat igitur Iudæos igni Spiritus sancti resistentes, dum ardorem non concipiebant. vbi nota illud, *Ego sum, qui sum.* hebraicè legi, ego ero, qui ero. hoc est aliquãndo inter Iudæos versabor, qui accendi nolent eo igne, quem veniam mittere in terras, immò ab ijs spinis coronabor. rectè igitur ait, *vadam, & videbo visionem hãc magnam.* cur scilicet in tanta charitatis flamma, Iudæus non ignem conceperit.

Rubus non concipiens ignem Iudæorum obstinatio

3 Pulchrè exponit verba Dei ex rubo: qui cum dixisset, *Ego sum, qui sum.) Subiunxit; ego sum Deus Abraham, &c.* sensus est: *Sit hoc nomen æternitatis: Ego sum, qui sum, plus est quod dignatus est habere nomen misericordiæ: Ego sum Deus Abraham, &c. si enim hoc solùm esse vellet, quod est in se, quid essemus nos? cum ergo Moses ab illa excellentia essentiæ longè dissimilis desperaret, erigit: Ego sum Deus Abraham, &c. sic sum, quod sum, sic sum ipsum esse, sic sum cum ipso esse, vt nolim hominibus deesse. laudemus ergo ineffabiliter eius essentiam, & amemus misericordiam.* Nota Dei clementiam; cum dixisset quid apud se esset, statim subiunxit, quid apud nos esset, memorans Abraham, &c. apud se sempiternus, immensus, &c. apud nos misericos, beneficus est; quodãmodo plus hoc iactat, & præfert, & pluribus verbis exponit. eleganter dictum: *sic sum cum ipso esse, vt nolim hominibus deesse.*

FINIS SEXTI LIBRI.

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM.

LIBER SEPTIMVS.

Continens Tomi Septimi præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX LIBRO CONTRA PARTEM DONATI.

Ecclesiæ querela contra hæreticos.

1 ECclesiam conquerentem cum Donatianis facit. *O filii, quid querimini de matre? quare me deseruistis? inuidetis, quod Reges sint in Christiana fide? &c.* idem nunc contra hæreticos huius temporis Ecclesia vociferari posset, cuius illi inuident gloriæ, dum à Catholicis Regibus, & à Ferdinando in primis Augusto tanti æstimari videt.

Ex libro contra Epistolam Parmeniani.

Hæretici iactant se à flamma scripturā seruasse quā lingua cōsumunt.

1 HAEreticorum blasphemias carpit. *Testamentum vos à flamma conseruasse gloriamini, quod lingua delere conamini.* iactabant illi, se sacram scripturam quasi Palladium ex incendio sustulisse, sed dum eius loca peruertebant, nihilominus blasphema lingua lædebant: est autē multo deterior linguæ flamma, vnde dicitur: *inflammata à gehenna.* Tum ostendit errorū vanitatem. *Et si contra cælestia fulgura mendacij terreni fumus aliquid præualet, dimisso cælo euanescat in uentos.* Vide splendorem fidei quasi fulgurantis cū tonitruo prædicationis, & anathematis fulmine. nimirùm tanta coruscatio inani fumo hæreticæ sectæ obscurari non potest.

Hæresis aspidi, & basilisco comparata.

2 Calumniam hæreticorum in ipsos retorquet; obijciebant enim Catholicis illud Esaiæ. *Oua aspidum ruperunt & quod confotum est, erumpet in regulum.* rectè de ipsis potius intelligit, nimirùm ob dogmatum venenum, & surditatem instar aspidis, ne sapienter incantentur prædicatione Ecclesiæ doctorum. confoueri autem dicerem, cum à malis principibus, ac dynastis eorum secta protegitur, ita à regulis defesa erumpit in regulum, nam sub eorum protectione maiorem vim capit. vbi nota de commercio hæreticorum; vnde solo afflatu mors venit, vt de reguli, seu basilisci aspectu, & afflatu dicitur.

Hæretici muscæ morituræ.

3 Iisdem adaptat illud Ecclesiastæ. *Muscæ morituræ exterminant suauitatem vnguenti) Propter numerositatem, muscis eos arbitror esse comparatos.* Addo propter molestiam, & sordes: violant autem Ecclesiæ bonum odorem, sed muscæ morituræ, quia sibi ipsi exitio sunt. referri hoc itē putet ad mundanos, qui aliorum bona, proposita mala persuasione, subuertunt.

Sancti inter mundanus sine læsione versantur.

4 Parmeniani obiectum soluit, eum baptismum solum probantis, qui confertur à Sanctis, sicut & Christus Ioannem adijt; Respondet, Christum versatum etiam inter Pharisæos: *Deū enim ita inuiolabiliter facit versari Sanctos suos inter malos; si custodiant eam, quam accipiunt sanctitatem, sicut ipse Christus nulla contagione malignitatis inter Iudæos.* Vide quàm integrè, ac piè religiosus versari inter seculares debeat, Christi more, vt nihil inde mundani contrahat; vt Solis radij in cœnum iacti nihil inquinamenti.

Dilatatio Ecclesiæ Dei gloria.

5 Donatistæ negabant impleri posse promissionem Abrahæ de Ecclesia toto Orbe dilatanda, eamque tantùm apud se inter Africæ fines includebant; Respondet, hoc dicto Dei gloriæ maximè eos detrahere. nam in Prou. dicitur. *In latitudine gentis gloria Regis; in diminutione autem populi contritio Principis.* hinc collige, quā pulchro instituto Ignatius, qui non modò summi Regis gloriam, sed maiorem quærebat, Ecclesiam per suos socios etiam apud barbaras gentes propagandam aggressus sit, cum Christiani imperij dilatatio ad summi Imperatoris Dei gloriam spectet.

Ignatius Dei gloriæ zelator in fundanda Societate.

Ex

Ex libro contra Cresconium.

1 DIalecticam hic vituperabat, & Augustinum vt dialecticum uitandū dicebat: sed opponit Paulum, qui cum Stoicis disputauit Athenis. & in psalmo dicitur: *Suauis sit ei disputatio mea. & in Isaia. Venite disputemus, ait dominus; qui enim disputat, verum discernit à falso*. rhetoris est idem dilatare, sic Paulus, *per arma*, inquit, *iustitiæ à dextris, & à sinistris, per ignominiam, & bonam famam, sicut qui ignoti, & cogniti &c. quid hoc stylo Apostoli vberius, & ornatius? Christus dialecticè interrogatus, vtrùm liceret censum dare Cæsari, non eos reprehendit, vt dialecticos, sed vt hypocritas*. rectè igitur idem Ignatius noster tot academias, & gymnasia instituit sapientius resonantia quàm illa olim clamosa Zenonis porticus; nec modò philosophicas disciplinas, præter Theologicas, sed etiam rhetoricen suos, & addiscere, & doceri voluit: nec tamen per has fastigium veræ sapientiæ impositum dixeris, vt mox videbimus.

Liberales disciplinæ non contemnēdæ.

2 Arguebat itē Augustinum, quod Donatistas minus latinè appellasset, non Donatianos potius à Donato; Respondet, se græco more locutū, sicut dicitur, Euangelista; nec in verbis vim Theologo faciendā. *Si Demosthenes clarissimus orator, cui tanta verborum cura fuit, quanta rerum auctoribus nostris, cum ei nonnullam locutionis insolentiam obiecisset Æschines; negauit ille in ea positas fortunas Græciæ: illo nè, an illo verbo vsus fuerit, & an huc, vel illuc manum porrexisset: quantò minus id nos laborare debemus, quorum non in explicatione sermonis, sed in demonstratione veritatis est maior intentio?* Vides in rebus serijs, & ad religionem, fidemque spectanbus non tam studendum esse verbis, quàm rebus. egregiè vocat ethnicos scriptores auctores verborum, nostros autem rerum. neque enim inani dicendi profluentia nitimur, sed solida veritate.

Ethnici vim ponunt in verbis, nos in rebus.

Ex libro de Vnitate Ecclesiæ.

1 ECclesiæ propagationem prædictam ab Esaia ostendit. *Ecce*, inquit, *isti venient ab Aquilone, & mari; alij autem ex terra Persarum. ecce super manus meas descripsi muros tuos, & ædificaberis, à quibus euersa es.* nēpè Reges primò, ac Tyranni, & Imperatores, eā euertere conati sunt; consecuti postea item Reges, & Imperatores, qui ipsam confirmarunt, ac fouerunt. vel Reges ipsos postea ad fidem conuersos intelligimus, vt nostra ferè ætate Bungi Rex apud Iapones, & alij. quod autem ait. *Ecce isti venient è longinquo, è mari &c.* tempore Gregorij XIII. è regia stirpe proceres Ocano emenso, ex Iaponia vsque Romam venerunt fidei vades. eius muros in manu Dei descriptos protectionem de Ecclesia intellige. Subiungit ad Ecclesiam de multitudine credentium idem propheta. *Omnes hos indues & dispones eos, vt ornamentum noua nuptæ, & dices: quis generauit mihi istos? erunt Reges educatores tui, & quæ principales sunt, nutrices tuæ.* hæ voces Ecclesiæ ad Indiarum Apostolum Franciscum in primis pertinent, qui tot millia hominum, in quibus Reges, Reginasque, in vltimis terræ finibus in Christo genuit; & nota, pulchrè nouam illam Ecclesiam gētilitatis nouæ nuptæ comparat, nam sicut olim illa comebatur cuspide cruenta gladij, quæ in corpore gladiatoris stetisset, vt eo ostenderet sponsa, ad mortem vsque sequi paratam se esse: ita noua illa Ecclesia re ipsa obtulit in multis se neci; ac mulieres ipsæ, nouæ nuptæ instar, solitæ cōficere sibi peculiarem vestem ornatiorem, quam, si occasio ferret, induerent ad necem ituræ tanquam ad thalamum.

Ecclesiæ mirū augmentum.

Reges ac dynastæ gentiles ad fidem conuersi.

2 Item ad Ecclesiam hæc vox dirigitur per eundem prophetam. *Saluatio mea sicut facula ardebit, & eris corona pulchritudinis. vocaberis voluntas mea, & terra tua Orbis terrarum*. Elegans & illustre Ecclesiæ elogium. tamen liceat humilius ad minimam Societatem Iesu hæc accommodare, nam saluatio hebraicè Iesus est, zelus autem huius nominis propagandi pulchrè per faculam ardentem exprimitur, quod de Elia quoque dictum. *Surrexit Elias quasi ignis ardens, & vox eius sicut facula ardebat.* Ignatius certè, vt alibi dixi, mittens per Orbem Socios sic vrgebat. Ite, incendite. igitur ò Iesu Societas, *eris corona pulchritudinis.* conflata scilicet igne persecutionum. *vocaberis voluntas mea.* nostra enim familia obedientiam peculiariter profitetur, adeo vt Xauerius paratus esset post emensa tot Oceani spatia, regredi ad vnam literulam Ignatij, videlicet, I. denique præclarè subiungit; *& terra tua Orbis terrarum*: immò ille ipse nouus Orbis Indorum vltimorum vltra Oceani vastitatem. quod autem ait propheta. *Saluatio mea*, hoc est Iesus, *sicut facula ardebit*. simile est illi: *Donec Saluator eius vt lāpas accendatur*. mirū quantum ardoris charitatis habet hoc nomen, quamobrem nihil frequentius apud igneum illud os Pauli, vt videre est in epistolis.

Iesu nomen vt facula ardēs

Ecclesia corona pulchritudinis.

Societas Iesu per orbem diffusa.

3 Pulchrè ostendit, Christi passionis beneficio Ecclesiam ita dilatatam. *Foderunt,*

Dilatatio Ecclesiæ Christi vulnerib⁹ tribuéda.

runt, inquit, manus meas, & pedes meos, &c. Quid huius crucis pretia? quid tanta humilitate? quid illo innocentissimo, & diuino sanguine comparatum est? nisi quod sequitur; Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Vide quanti steterit Christo conuersio gentium: scilicet quantum est pretium diuini sanguinis. idem refer ad Martyrum sanguinẽ, qui semen est Christianorum, sed peculiariter vulneribus Christi tribuitur hic tantus animorum motus. *Foderũt manus meas, & pedes meos, & conuertẽtur ad dominũ, &c.* quasi ex contẽplatione tanti amoris exarserint. acutè adnotat nexum verborum, & sẽtentiæ. dilatatio illa vulneris præsertim lateris, meruit profectò dilatationem Ecclesiæ.

Ecclesia nõ modò deficit multitudine sed crescit.

4 Huius propagationis prædictionem ostendit; quippè in psalmis nonnulla dicuntur, quæ de Salomone intelligi nequeunt: vt, *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine, idest Iordane, vsque ad terminos Orbis terrarum.* igitur de Christo. quàm peruersè igitur Donatiani aiunt. *Defecit in omnibus gentibus Christiana religio, excepta parte Donati in sola Aphrica.* dicit enim, licet initio ex omni gente crediderint, postea tamen defecerunt multæ, vt Salomoni accidit, cui decem tribus defecerunt. sed contra est, qa illa separatio in tribubus fuit regni, non religionis; nam etiam ex parte Israel erat Elias cum septuaginta millibus hominum, qui non colebant Baal; & hoc acutè conuincit. sed quid illi nunc dicerẽt, cum adeo Ecclesia amplificata est, vt nouus Orbis accesserit, vel inter sæuissimas persecutiones.

5 Falsam Donatistarum interpretationem acutè arguit. *Scriptum est, inquiunt, in canticis, sponsa, idest Ecclesia dicente ad spõsum. Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascas, vbi cubes, in meridie; at Aphrica in meridiana parte Orbis est constituta. Primùm quære, quomodo Ecclesia interrogat Christum, vt annunciet, vbi sit Ecclesia, cum ipsa sit, quæ loquatur? fortasse quia venientes aliqui fideles in Aphricam, timentes ne incidant in Donatistas, interrogent qui sint Catholici, in quibus pascit, & cubat Ecclesia, ne fortè sit adoperta.* sub modio scilicet, & non super candelabrum posita. *Vel ideo illis meridies dicitur propter ingentem sapientiæ lucem, & ingentem charitatis ardorem.* Vide quanta lux sapientiæ, & quàm ardens charitas inesse in Catholicis debeat. Tum addit satis doctè: *Etiam si de terreno loco responderetur quærentibus meridie, non continuò Aphricam accipere deberemus; Aphrica enim in parte quidem meridiana Mundi est, sed ad Aphricum, non ad Austrum, vbi verè meridies est; ibi enim Sol facit medium diem; sub qua cœli plaga potius Aegyptus inuenitur: si ergo sponsus ad sponsã tanquam de Deo familiarius dilecto responderet, In meridie, multò probabilius Ecclesia Catholica in his membris suis hoc agnosceret, quæ sunt in Aegypto in millibus seruorum Dei, qui per eremum sancta societate viuunt, perfectionem Euangelii studentes tenere. quantò enim melius ibi pascere, & accumbere, idest acquiescere filius Dei potest? nã de Aegypto in Esaia dicitur. In illa die erit altare Dei in regno Aegypti, & titulus in signum, & facient sacrificia, & vota promittent domino, & reddent.* Pulcherrimus hic locus est de religioso statu, vbi Christus sponsus amœnissimè, ac iucundissimè requiescat: in meridie, ob feruorem spiritus, & lucem rerum diuinarum, in qua sunt; facit & ad Antonij laudem, qui Solis instar meridiani apud Aegypti regiones illuxit, tot monchorum auctor. item ad S. Marci laudem, qui Alexandrinam tenuit Ecclesiam.

Ecclesia non in Africa solũ vt Donatistæ aiebant.

Ægyptus olim Dei seruis abundans Christi cubile.

Religiosi in meridie sunt vbi Christus cubat

6 Hæreticos, cum miracula videntur facere, tum magis cauendos esse admonet. *Si aliquis in hæreticorum memorijs orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderij sui accipit siue bonum, siue malum.* Subiungit. *Multis propitius Deus non tribuit quod volunt, vt quod est tribuat.* his addit. *Nonne legimus ab ipso domino nonnullos exauditos in excelsis montium Iudeæ, quæ tamen excelsa ita displicebant Deo, vt Reges, qui ea non euerterent, culparentur? vnde intelligitur magis valere petentis affectum, quam petitionis locũ.* Egregiè adnotat, Deum internam orãtis fidem spectare, atque attendere, vt postulata concedat, etiam si locus minimè sit idoneus.

Deus attẽdit internum petẽtis affectũ.

7 Item monet, non mirandum, si apud hæreticos quædã quasi supra naturã fieri videãtur. *Audiant hi, quæ etiam Pagani narrent de templis, & Dijs suis mirabilius vel facta, vel visa; & tamen Dij gentium dæmonia exaudiuntur ergo etiam non Christiani, & Catholici, siue à spiritibus seductoribus, qui tamẽ nihil faciunt, nisi permittente Deo sublimiter, & ineffabiliter; siue ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ salutis æternæ.* Nota tres rationes, cur etiam improbi consequantur optata; & cur Deus mira illa apud gentiles permitteret: adeo omnia Deus sapienter dirigit.

Miracula quæ gentiles narrãt cur permittãtur à Deo.

8 Donatistarum insanam ambitionẽ arguit. Quidam ex Donatistis *se per abrupta præcipitant, vel concremando ignibus inferunt, quos ipsi sibi met accenderunt; aut trucidationem suam, etiam inuitis hominibus terrendo extorquent, vt colantur, & ad eorum sepulchra ebriosi greges se vino sepeliant.* Nota quàm inuiderent hæretici Martyrum honori, vt ad eum consequendum etiam per vim vellent occidi; & vide insaniam, sibi rogum accendebãt, quasi furiæ tædam suis manibus inferentes ad proprium funus, præiudio quodam ignis æterni.

Donatistę inuidi Martyrũ gloriæ se ipsos necabant.

Fide

9 Fide potius, ac Dei dicto standum monet, quàm miraculis; non enim credimus, absolutè tantùm ex hoc capite, quia miracula videmus, sed ob auctoritatem Scripturæ sacræ: ita Christus etiam cũ palpandum se obtulisset post resurrectionem, tamen magis niti voluit scripturis, ostendens impleta esse, quæ ibi prædicta fuerant; miracula quidem, quæ in Ecclesia Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in catholica fiunt, &c. rectè sanè, nam vt Theologi loquũtur, hæc fides resoluitur in hoc, q̃a Deus dixit: quid mirũ? cũ & Pythagorę discipuli hoc in ore haberẽt: Ipse dixit. Tum illud vrget. vnde ex scripturis eruitis, Ecclesiam in sola Aphrica remansisse, vel ex sola Aphrica futuram? an quia dicitur, *vbi pascas in meridie*. at Maximinianistæ contrarij ipsis Donatistis, Bizantini sunt, & magis in meridie, quàm est Numidia, vbi illi certè in actis Apost. *Vas tãquam linteum limpidum quatuor initijs erat alligatum, propter notissimas partes Mundi quatuor, Orientem, Occidentem, Austrum, Aquilonem*. vbique scilicet erat Ecclesia dilatanda. Notabile est illud de Christo, q̃ post tot miracula, & resurrectionem ipsã, adhibebat testimonia scripturarum, vt fide potius, quàm miraculis niteremur. Tũ pergit malam Donati interpretationem arguere. *In meridie, vbi se dicũt esse, Ecclesiam consistere interpretatur. si in partibus Aquilonis esset pars Donati, quæ sunt partes contrariæ meridianis, dicerent de se dictum illud psalm. Mons, siuè latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni; si in Occidente, de se dictum illud; Iter facite ei, qui ascendit super Occasum.* Vide vt hæretici scripturas contorqueant ad peruersum sensum, vt lubet, non sine vafritia.

Sacrę scripturę auctoritate nitendum magis, q̃ miraculis.

Vas linteum per 4. partes Ecclesiæ propagãdæ typus Petro oblatum.

Hæretici scripturã peruersè contorquent ad prauum sensum.

10 Ostendit, Baptismum non esse perfectiorem, si à viro perfecto conferatur: *Si maiorem gratiam accipit, vt ipsi putant, qui baptizatur à sancto, ergo Christus inuidit, cum non ipse baptizauit per se, sed per discipulos suos. Paulus certè solùm Chrispum, & Caium se baptizasse ait, ne putaretur in nomine suo baptizasse, non Christi. cum autem dicitur: Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno nè bibas*: de hæreticorum doctrina est intelligendum, non de baptismo à malis dato. vbi nota, Paulum gentium salutis tam auidum, tamen duos tantùm baptizasse, nè scilicèt gloriarentur quidam se à Paulo potius, quàm ab alio baptizatos, quasi hoc ad maius decus, & gloriam redundaret, & veniam pleniorem.

Cur Paulus duos tantũ sua manu baptizauit.

Ex libro 1. de peccatorum meritis, & remissione contra Pelagianos.

1 De felicitate status ante peccatum, hæc ait. *Si Deus vestimentis, & calceamentis hebræorum præstitit, quod per tot annos in deserto non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale, ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore, quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus?* Aptum exemplum: est enim corpus tanquam animæ indumentum. si illud mannæ vi factum putant, poterat id etiam fieri fructu de ligno vitæ: huc facit quod addit: Elias, & Enoch non videntur habere eandem corporis habitudinem, quæ in resurrectione promittitur; sed *ità fortassè in paradiso ponuntur, sicut Adam priusquàm propter peccatum exire inde meruisset. habebat enim de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem*. ergo mors ex peccato est. vide Dei pietatem, qui etiam post peccatum intra paradisũ Enoch, & Eliam collocauit, ostẽdens quid ceteris præstitisset, nisi Adam peccasset.

Felicitas hominis futura si non peccasset.

2 De infantibus sine baptismo moriẽtibus sic. *Rectè dicitur paruulus sine baptismo mortuus in damnatione omnium mitissima futurus*. Nota, damnationem tamen dicit, quia beata Dei visione carent. Tum Originalis peccati exponit incommoda. *Tunc enim factum est, vt morbo quodam ex repentina, & pestifera corruptione concepto, per mutationes ætatum irent in mortem. quamuis ergo annos postea multos vixerint, illo tamen die mori cœperunt*. quod ait, per peccatum originale incidimus *in repentinam, & pestiferam corruptionem*. narrant de arca quadã olim in Græcia inuenta, quę oppleta intus esset sæuissimis, ac perniciosissimis venenis, qua aperta horribilis pestilentia omnem latè regionem consequuta sit, aere ea contage infecto, & lęthali corruptione fędato: nec tamẽ vllo modo hoc malũ commune toti hominum generi cũ illo cõferri potest. Sed quid hoc miserius, quam vt ingredi vitam sit tendere ad mortem?

Infantis sine baptismo damnatio mitissima.

Adam cũ peccauit statim mori cœpit.

3 Si quæratur, cur quidam infantes moriantur sine baptismo, dicendum: *Iudicia Dei abyssus multa: cuius profunditatis horrore perculsus, ò altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ, &c.* certè non id accidit ob peccatum ab ijs in alia vita conceptum, vt hæretici autumant. & rectè, quàm humiliter Dei iudicia veneranda sint, ostendit, cum Paulum ipsum dicat, *tantæ profunditatis horrore perculsum*. nam ita legunt alij. *O profundum*.

Ps. 35. Rom. 11.

Iudicia Dei animũ horrore percellunt et Pauli.

4 Arguit eos, qui aiunt infantes statim illuminari, quia dicitur, *Erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum.) Sed si ita est, cur non suscipiunt baptismum læti, sed potius flentes, & reluctantes? dictum autem illud est à Ioanne, ne putemus, posse nos ab alijs præter Deum illuminari. quanquam potest etiam intelligi lumen veniens in hunc Mundum, quia græcè neutrum est, fortasse ad discernendam spiritualem illuminationem ab ista corporea, quæ fit per cæli luminaria, &c. quod si quis intelligat de ratione insita, licèt adhuc sopita, quasi de interiori oculo, non est resistendum*: sed is oculus in tenebris est, nisi credat; baptizantur autem in fide Ecclesiæ, quæ supplet defectum intelligentiæ: *Mater Ecclesia cor maternum infantibus præstat, vt sacris mysterijs imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere, nec ore proprio confiteri ad salutem*. pulchrè, & eleganter ostendit Ecclesiæ matris affectum supplendo, quod deest infanti: ac propterea olim in baptismo lac vnà cum melle puto adhibitum.

Infans nō illuminatur sine baptismo.

Ecclesiæ cor maternum supplentis infantię defectum in baptismo.

5 Ostendit necessarium infanti baptismum. *Nemini potest esse salus, nisi per Christum, nec est vlli medius locus, vt possit esse cū diabolo, qui non est cum Christo. hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi meritò innocentiæ sint in vita æterna; sed quia non baptizati non sint cum Christo in regno eius; ita diffinitiuam protulit sententiam: Qui mecum nō est, aduersus me est*. sicut si dicatur. v. g. vna est obstetrix in hac Ciuitate, quæ omnes excipit. egregiè autem notat, nullam dari medietatem: aut cum Christo sis oportet, aut cum diabolo. ideo dicimur nasci filij iræ.

Innocentia nō saluat infantem sine baptismo.

6 Acutè docet coniugium ad bonum finem institutum. *Bonum coniugij propagatio similitudinis est, non expletio libidinis; quatuor enim modi considerari possunt. Bene vtitur bono continentiam dedicans Deo. malè vtitur bono continentiam dedicans idolo. malè vtitur malo concupiscentiam relaxans adulterio. bene vtitur malo concupiscentiam restringēs cōnubio; sicut ergo melius est benè vti bono, quam benè vti malo, cum sit vtrumq; bonum; ità qui dat virginem suam nuptui bene facit, & qui non dat melius facit*. acutè quatuor vtendi modos distinguit, ac vide vt castitas præstantior emineat, quæ *bene vtitur bono*.

Quatuor modi vtēdi circa concupiscibile.

Castitas benè vtitur bono.

7 Ad decus Deiparæ hoc facit. *Redemptorem non concupiscentia carnis, sed obediētia mentis Virgo concepit. sola nostri vulneris medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit*. facit etiam hoc pro priuilegio conceptionis eius, neque enim videtur verisimile accepisse originalis peccati vulnus turpi sanie scatens, quæ paritura erat vulnerum curatorem. & nota, obedientiæ tribuit, quod conceperit Christum. quid hac virtute præstantius, quæ vim suam ostendit in tam præclaro mysterio?

Deipara ex obediētia mentis concepit Christum

8 Exprimit verba Christi de necessitate baptismi. *Sicut Moses exaltauit serpētem, &c.)* ait Nicodemo Christus, cum loqueretur de baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. cur igitur Christi morti ꝑ baptismū conformatur paruulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus?* notabile est, quod Christus dum loquitur de baptismo, memorat suam passionem, qua serpentis venenatos morsus curauit: si igitur infanti datur baptismus, ergo signum est, eam venenum illius morsus accepisse. Vbi nota quid sit incidere in peccatum originale, & an dicere deceat Dei matrem fuisse, *morsu serpentis venenatam*. ita nè venenum accepit ijs venis, quibus lac infudit Deo?

Per peccatum originale morsu serpentis venenati sumus.

Deipara nō est venenata morsu serpentis.

9 Errores narrat circa baptismum paruulorum. Duplex est error de paruulis, alij omnino puros fecerunt, alij tantùm peccato vitæ obnoxios. *Non originaliter, inquiunt, sed in vita iam propria, posteaquam nati sunt, peccatum habere cœperunt. paruulos autem ipsa natura in tacitis infantibus clamat suæ vitæ proprium nullum contraxisse peccatum; si fortè quod plorat, tædioque est maioribus, mirum si hoc iniquitati, non infelicitati potius deputandum est. an quod à fletu nulla prohibitione compescitur? at hoc ignorantiæ est, qua etiam matrem, cum breui valuerit, percutit iratus, & sæpè ipsas etiam mām̄as, quas dum esurit, exugit, hæc non modò feruntur, sed diliguntur in paruulis, &c.* Vide maternum amorem: uerberata ubera lac infundunt lætius paruulis, &c. ita Paulus multa passus aiebat: *lac vobis potum dedi.*

Error negantium originale peccatum

Ipsa infātu verbera maternis vberibus impacta diligūtur.

18 Quæritur, cur Christus non, ut Adā, grandis est natus, sed infans in infirmitate naturæ? Respondetur: Non est vitiosa natura ob malum corporis, nam etiam pecora perfecta mole tūc sunt creata. sed mētis, vis, vsusq; rationis datus. Quæri itē potest, num si Adam non peccasset, filij grandes nasciturí fuissent? at propter uteri capacitatem paruuli fortasse, sed sicut, è costa paruula mulier est facta; *sic eius filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos, grandes protinus facere. certè quod multis etiam pecoribus præstitit, quorum pulli etiam minutissimi statim currunt, & matrem agnoscunt, nec sugendis vberibus cura, & ope admouentur alterius, &c.* Nota & hoc de illo felici statu ante peccatum. non enim infantes tandiù in cunis fuissent, nec tanta parentum cura eguissent, sed statim grandescere potuissent; in quo nunc infeliciores sumus brutis.

Ante peccatum infantes statim fine multa cura creuissent.

Ex

Ex libro II. contra Pelagianos.

Gratia est luce colla ta sed potior.

1 OStendit, Deum non esse auctorem peccati, sed gratiæ. Sicut oculus non eget luce, vt ab ea discedat auersus, sed adiuuatur, vt uideat. *Cõuersos ergo Deus adiuuat, auersos deserit; sed etiam, vt conuertamur, ipse adiuuat, quod certè oculis lux ista non præstat*. Eleganter, & pulchrè dictum: adeò Gratia, quàm lux Solis utilior, ac potentior.

Districtio diuini iudicij vel in leuibus delictis.

2 Exponit locum Iob. *Dinumerasti omnes necessitudines meas; signasti peccata mea in folliculo, & adnotasti, si quid inuitus commisi.) Peccata intelligit, quæ non delectationis causa, sed vitandi doloris, & molestiæ commissit. Vel quia, vt ait Paulus, non quod ego volo, illud facio sed &c.* Vide quàm districtus Iudex, qui tam seuerè adnotat, ut puniat, uel leue delictum, quod timore tantum alicuius incommodi committatur, uel per fragilitatem; enim uerò in hac uita inter tot hostiles impetus, ac tela non leuiter perstringi aliquo ictu, per quàm difficilè est.

Etiam in Iustis Deus inuenit quod puniat.

3 Ostendit, neminem iustum sine peccato esse, quia in psalmo dicitur. *Moses, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos.* qui scilicet ab infantiam erat Deo dicatus, & tamen additur. *Tu, Domine, propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Notabilis locus ad humiliandum quantumuis iustum; nihil inultum reliquit in Moise, quem Deum constituit Pharaonis, & qui cũ ipso tã familiariter loquebatur; nec in Samuele ab utero sibi dicato, adeò uel in seruis suis, & amicis inuenit quod puniat.

Resurrectio carnis differtur ad nutriendam fidem.

4 Fidei necessitatẽ demonstrat. *Christus licèt tot miracula fecerit, resurrectionem tamen carnis in nobis in finem reseruare voluit, vt ex fide viuamus; ideo, nec ipse resurgens in terris diu, aut semper morari voluit; propterea dixit: Nisi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos. aliter non potestis ex fide viuere, quod de meo dono, idest de Spiritu sancto habebitis.* Notabile hoc de fide: cum enim omnes prophetiæ implete sint, tantùm communis resurrectionis, & secundi aduentus restat euentus, quem sibi reseruauit ad nutriendam interim fidem; diù enim est cum expectatur, & semper proximus putatur ob bella, famem, &c. & tamen nondum apparet; sic adolescit fides, quæ est rerum non apparentium.

Fides miraculis quasi lactatur.

5 Pulchrè iterũ de fide. *Ipsa fides miraculis velut quibusdam primordijs lactescentibus germinat, & in suum robur ex illa teneritudine coalescit; tantò enim est fortior, quantò magis ista non quærit.* Eleganter ostendit cur initio Ecclesiæ crebriora fierent miracula: vt eo scilicet quasi lacte fides interim aleretur, donec cresceret, & grãdesceret: ideò Paulus, qui dixerat. *lac potum vobis dedi*. è venis prò sanguine lac dedit, quod ipsum miraculum de lacte pro lacte fuit nascenti fidei. Vel metaphora est à tenero virgulto, quod vt germinet, multo cum studio irrigandum est, &c. hoc item de miraculis in noua Ecclesia Indiarum nostra ætate cernitur, vbi fides frequentibus miraculis lactatur, vt crescat, adeò, vt multi post lac fidei haustum, copiam fundãt sanguinis sui.

Post peccatum licet remissum relicta mors in exercitium virtutis, & Martyrũ gloriam.

6 Ostendit, cur restaurato Mundo per gratiam, mors tamen non sit ablata. *Nimirum etiam post remissionem peccati pœna mortis euenit, vt in eius timore vincendo exerceatur fortitudo iustitiæ: non aliter esset tanta Martyrum gloria, &c.* Præclara ratio cur mors, quæ ob peccatum est data, post peccatum remissum etiam sequatur. nempè vt in ea sustinenda fortitudinem exerceamus, & vt Martyrum in primis gloria esset in Ecclesia, quæ sine morte non esset. hoc spectat quod sequitur. *Propter hoc eiectus Adam contra Eden habitauit, idest contra sedẽ delitiarum; vt significaret quod in laboribus, qui sunt delicijs contrarij, erudienda esset caro peccati*: & hoc egregiè notatum, cur Deus iussit Adam exerceri in terra excolenda multò cum labore, & è regione Paradisi delitiarum: nimirum eruditio illa quædam fuit, vt videns vnde excidisset, & quò eiectus esset, antidotum haberet peccati. Ad hæc subiungit. *Sicut illi primi homines post peccatum iustè viuendo meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum reuocari; sic & caro peccati etiam remissis peccatis non meretur continuò eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati.* sic & Dauidem, etiam post remissum peccatum, minæ sunt secutæ, *vt pietas hominis in illa humilitate exerceretur*. Egregiè adnotat, pœnam, quæ debebatur peccato, quandiù est cum peccato, pertinere ad iram Dei, vt homo damnetur. quandiù autem remissum est peccatum, pertinere ad beneuolentiam Dei vt merendo glorificetur.

Afflictio in hac vita cum peccato p tinet ad supplicium, sine pecca to ad glorificationem.

Ex libro III. contra Pelagianos.

Hieronymi auctoritas quãta esset apud Augustinum.

1 HOc de Hieronymo affert elogium. *Illud scio, quòd sãctus Hieronymus, qui hodie in litteris Ecclesiasticis tam excellẽtis doctrinæ fama, ac labore versatur, ad quasdam soluendas quæstiones, hoc certissimum adhibet, &c.* Nota quàm præclarè sentiat de sapientia, & virtute Hieronymi, quem adhuc viuentem sanctum appellat, & vide quanti faciat eius authoritatem.

Ex libro contra Pelagianos De Natura, & Gratia.

1 MAlè naturam in peccatis accuſāt, non voluntatem, quod etiam Saluſtius vidit, qui ait: falsò queritur de natura ſua genus humanum, &c. *quia tamē corrupta per peccatum originale medicina eget Chriſti*, hinc Iacobus ait de lingua, *quam nullus hominum domare poteſt*. ſcilicet ſine gratia Dei. ac vide, vt liceat ad probationem vti etiam authoritate externorum, parcè tamen, & ad rem accommodatè.

Natura non ex ſe mala ſed corrupta ideoque egens gratia.

2 Orandus eſt Deus, vt ſuperbiam vincamus etiam in rectè factis. *Vbi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere, ſe ſuperaſſe ſuperbiam, ex ipſa lætitia caput erigit, & dicit, ecce ego vinco. Quid triumphas? & ideò victus, quia triumphas. ante tempus enim fortaſſe de illa quaſi victa triūphare delectat, cum extrema eius vmbra illo meridie, quantū arbitror abſorbebitur; qui meridies promittitur in Pſalmo: & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem; ſpera in eo, & ipſe faciet, non ſicut quidam putant, quod ipſi faciant.* Non ergo iuſtificatio eſt ex nobis. egregiè, & acutè ait, hoc ipſum ſuperbire eſſe, cum quis ſe viciſſe ſuperbiā iactat. vinceris hoc ipſo quòd te victorem putas. pulchrè dictum. *ideò victus, quia triūphas.* his addit, *cetera vitia tantùm in malefactis valent: ſola ſuperbia etiam in rectè factis cauenda eſt*. Notabile dictum. vbi igitur vitij non timor ſit, ſi etiā in virtute ſit oportet! quid igitur audacius quàm ſuperbia, quæ vel in humiles ſe inſinuat?

Triūphus de victa ſuperbia captiuitas eſt.

Pſal. 36.

Cetera vitia ſolum malefactis ſuperbia etiam benefactis ſe inſinuat.

3 Effectum diuinæ gratiæ commemorat. *Illa operante nos operamur, præueniti, vt ſanemur; quæ & ſubſequitur, vt etiā ſanati vegetemur. præuenit, vt vocemur; ſubſequitur, vt glorificemur. præuenit, vt piè viuamus; ſubſequitur, vt cum illo ſemper viuamus; vtrumque ſcriptum eſt in pſal. Miſericordia eius præueniet me, & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Elegans, & inſignis hic locus eſt de Gratia, cùm præueniente, tum ſubſequente. habes vtrinque effecta præclara: illa ſanat, hæc vegetat; illa vocat, hæc decorat; illa viuificat, hæc æternat. illa commilitat, hæc coronat.

Gratię præuenientis & ſubſequentis effecta præclara.

4 Non ſine aliquo peccato eſſe etiam Sanctos dicit. *Excepta ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem domini, nullam prorſus, cùm de peccato agitur, habere volo quæſtionem.* nimirum quia ei plus gratiæ ad vincenda peccata eſt datum, vt pariturę eum, qui eſt ſine vllo peccato, quid ni etiam originali, vt mater deſtructoris peccati? pende illud. *Propter honorem domini.* ad hunc enim honorē ſpectans, ait, vt eſſet prorſus ſine peccato; quis aūt honor eſſet domini, ſi aliquando eius mater ſub diaboli poteſtate fuiſſe dicatur? hanc igitur excipe, include ceteros. Tū reſpondet obiectis. Abelis, inquiūt, nullū peccatū cōmemoratur, ergo ſine peccato fuit; atqui non explicat ſcriptura, an aliquando in orando diſtractus fuerit, an pluſculum cibi ſumpſerit, & cetera leuia, in quæ incidunt etiam iuſti.

Ad Dei honorem pertinet Deiparā caruiſſe peccato.

Ex libro ad Valerium De nuptijs, & concupiſcentia.

1 DE neceſſitate Baptiſmi ſic. *Infantes nō baptizati, in poteſtate Diaboli ſūt.* horribile prorſus hoc eſt, quod de peccato originali dicit: quis putet hoc conuenire magnæ Dei Matri, vt aliquando *in poteſtate diaboli fuerit*? quis tyrannus fœdior, ac truculentior? certè ad hanc vocem horreſcūt aures. quin potius ipſa, iuxta Eccleſiæ accommodationem, ſic de ſe loquitur. *Dominus poſſedit me in initio viarū ſuarum.* ſed hæc à nobis piè potius quàm contentiosè ſint dicta; vt in ſimilibus ceteris nondum ab Eccleſia omninò determinatis.

Peccatum originale ſubdit poteſtati diaboli.

Ex epiſt. ad Bonifacium contra epiſt. Pelagij.

1 PElagium arguit, qui aiebat, facilius impleri q̄ bonū eſt, ſi iuuet Gratia, quo additamento, ſcilicet, facilius, ſignificat vtique ſine gratia, licet difficilius, impleri tamen poſſe; cum potius omninò ſit illa neceſſaria. male etiam intelligebat illud Prouerb. *Hominis eſt præparare cor.* quaſi inchoare bonū à natura ſit. *Atqui homo præparat, non tamen ſine adiutorio Dei, qui tangit cor; & à domino reſponſio linguæ, id eſt in eo, quod præparato cordi lingua diuina reſpondet, nihil operis habet homo, ſed totum à Deo eſt; ità cum dicitur in pſalmo: Aperi os tuum, & implebo illud. quid eſt præparare cor, & os aperire, niſi voluntatem parare? & tamen legitur in prouerb. Præparatur voluntas à domino. & in pſalmo: Labia mea aperies.* Egregiè, & acutè demonſtrat, initium ipſum bene operandi nō eſſe ſine auxilio Dei. nota illud: *præparato cordi lingua diuina reſpondet*: nempè Dei lingua, quæ eſt ſanctus Spiritus tum loquitur, cum aures cordis videt arrectas, & attentas. Subiungit item pulchrè oſtendens omne bonum eſſe à Deo: *Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.*

Prou. 2.

Præparatio cordis nō eſt ſine adiutorio Dei.

2 Exponit de Gratia illud pſalmi. *Præuenisti eū in benedictionibus dulcedinis.) Benedicti o dulcedinis eſt: amemus quod præcepit nobis.* Nota Gratiæ ſuauitatem, quā voluntatem

Gratia Dei ſuauiter trahens.

tatem afficit; hinc fit, vt dicat. *Mandata tua dulciora super mel, & fauum*. hinc ait sponsa: *trahe me post te, curremus*.

4 Interpretatur locum Pauli. *Datus est mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet.) Colaphus Satanæ Sancto Paulo impactus erat, vt antidotum ex veneno.* Nota quid sit tentatio, si ei resistatur per gratiam: antidotum veneno serpentis obijcere. venenũ igitur est superbia. nam ait: *ne magnitudo reuelationum extollat me, &c.* Vide quàm peritum medicum agat Deus.

Afflictio antidotũ est veneni.

5 Ostendit, in quo Pelagiani, & Manichæi differant. Illi infantem totum saluum putant ex se, nec opus esse remedio; hi nihil bonum præter animam, carnem pertinere ad Principem tenebrarum. tum sic eleganter. *Iacet inter illos in paruulis humana creatura institutione bona, propagatione vitiata, bonis suis confitens optimum conditorem, malis suis quærens misericordissimum redemptorem; & quamuis per infantiam loqui non valeat, specie tamen tacita, & infirmitate addita impiam vanitatẽ vtrorumque compellat, & illis dicens; Ab eo, qui bona creat, credite me creari; & istis dicens; Ab eo, qui me creauit, finite me sanari.* Nota pulchrum sanè fidei testimonium, & hæreseon detestationem, & hanc in persona infantis, qui agnoscere quodãmodo tacitè Deum videtur, & vt integrum creatorem, & vt necessarium adiutorem. Tum Manichæos arguit, qui nuptias assignabant Principi tenebrarum. Vbi nota à gentilibus ipsis nuptias inter splendentes faces celebratas, tñ eas hæretici tenebricosas faciebant: nisi fortè Furias præferre fumidas faces dicerent. Plutarchus certè virum Soli, vxorem Lunæ comparat; quod & Ioseph in suo somnio vidit.

Infantis elegans fidei professio.

Manichæi nuptias assignabant principi tenebrarũ

6 Probat ex scripturæ locis Gratiam gratis dari. *Nihil sic euertit Pelagianos dicentes, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, quàm illud Ezechielis. Ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, &c. Dabo vobis cor nouum. & alibi. Faciam, vt ambuletis, & obseruetis, &c.* apertè conuincit gratiam gratis à Deo dari. quod autem obijciebāt ex Cypriano, intelligendum ait de opere, & electione; vt apud ipsum Deo iuuante videbimus; sed hic omittenda non fuerunt, similiter de ceteris Patribus, quos in suam sententiam Augustinus citat.

Ezech. 36.

Gratiam gratis dari probatum ex scriptura.

Ex Libro I. contra Iulianum Pelagianum.

1 DE originali peccato per baptismũ delendo, multa affert Patrum testimonia. in primis Gregorius Nazianzanus ait: *Imago Dei labem corporeæ inundationis expurget, & coniunctam sibi carnem verbi Dei subleuet pennis.* Pulchrè dictum. nam sicut initio Mundi, aues ex aquis vi sanctus Spiritus incubantis, subitò in aerem euolauerunt; ita per baptismum anima pennas assumit; quid igitur iacet postea sic viliter abiecta, humi repens? vide autem quo nomine originale peccatum appellet; *labem corporeæ inundationis.* tanquam anima ante baptismum in cœnoso gurgite, & vt Dauid loquitur, *in luto fæcis* demersa sit. vide igitur an Dei mater huius communis inundationis, labe, lutoque inquinanda, obruendaque esse videatur; cũ contrà dicatur. *Macula non est in te.*

Originale peccatum labes est corporeæ inundationis.

2 Addit alterum testimonium eiusdem Gregorij loquentis de Christi natali. *Venerare natiuitatem, per quam à terrenæ natiuitatis vinculis es liberatus. honora Bethlem pusillam, & minimam, per quam tibi regressus ad paradisum est patefactus.* Vincula vocat originale peccatum, quibus nos diabolus captiuos tenebat. est autem pulcher hic locus de Christi natiuitate, quem dum fasciæ colligant, nos peccatorum vinculis exoluimur. magna porrò laus Bethlẽ, per quam aditus in paradisum factus dicitur. nam quia ad natum Deum laudandum conuenit *Multitudo militiæ cœlestis,* proinde illi etiam cœlestes milites, qui custodiebant aditum paradisi, gladio armati, probabiliter venerunt ad dominum laudãdum, qui quasi nouus Adam opponebatur veteri. Nota hic quanti faciat tantus Doctor Gregorij auctoritatem; cuius verba in suã sententiam exscribit. vide quæ apud ipsum ponderauimus.

Bethleem quam honoranda.

3 Egregiè de Catholicorum Episcoporum concilio sic Iulianum vrget: *Si scholam Xenocratis sicut Polemo ex antelucano conuiuio temulentus intrasses, non tanta, quanta in isto cœtu tot Sanctorum deberes verecundia coerceri; hic enim certè tantò maior debet esse verecundia, quantò verior addiscitur sapientia. tantò amplius reuerendi sunt tot memorabilium Episcoporum, quàm vnius Xenocratis vultus, quantò Platone Xenocratis doctore doctor istorum maior est Christus. ego te introduxi temulentum non in alicuius philosophi auditorium, sed in Sanctorum Patrum pacificum, honorandumque conuentum. aspicè illos mansuetè tibi dicentes. Itá ne, fili Iuliane, Manichæi sumus? quæ tuorum argumentorum, vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum cõspectu exeri audebunt? &c.* Elegans redargutio, & comparatio de conuentu sanctissimi Patrum, cum conuentu philosophorũ, & de hæreticis temulentis, cum Polemone. idem pulchrè referri potest ad religiosorũ conuentum, quod veræ sapientiæ, hoc est virtutis gymnasium est, vbi magisterium

Conuentus Episcoporum Xenocratis schola præclarior.

Religiosi quam piè & grauiter cum mundanis agere debeant.

Seria oratio quantam vim habeat ad motum.

quo mundani ex vitæ licentia reuocentur. quod ſi fortè non agimus, erubeſcendum eſt, ne à gentili philoſopho Xenocrate ſuperemur, qui adoleſcẽtem illum procacem temerè in ſcholam irrumpentem ita graui oratione perculit, vt ſucceſſorẽ habuerit. Item vide quid ſint argumenta hæreticorum; acies vitreæ, plumbei pugiones, hoc eſt fragilia, & obtuſa.

Hæreticorum argumenta fragilia.

4 Interpretatur verum ſenſum verborum Chryſoſtomi, quæ Iulianus deridebat in homilia de baptiſmo. *Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebãtur paulò ante captiui. & ciues Eccleſiæ ſunt, qui fuerant in peregrinationis errore. non tantùm vt liberi, ſed ſancti. non tantùm ſancti, ſed &c. Vides quot ſint baptiſmatis largitates, cuius honores computauimus decem?* nempè, *quod ſint liberi, quod ſancti, quod hæredes, quod fratres Chriſti, quod eius cohæredes, quod eius membra, quod templum, quod organa Spiritus.* Nota decem per gratiam baptiſmalem priuilegia, quæ pulchrè *honores* appellat ob decus, quibus carent, qui in peccato originali ſunt. ac proindè ſic inhonoratam creaſſet Deus animam futuræ ſuæ matris, ſi in illud incidere fuiſſet; cum tamen contrà videatur diſcurrendo per ſingula: neq; eum veriſimile eſt fuiſſe vnquam Diaboli captiuãm, ac ſeruam, nec ſanctitatis ſtola nudatam, &c. Tum affert illud, quod aduerſarij obijciebant, infantes carere peccato originali, ſubiungit enim Chryſoſtomus: *hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato.* reſpondet Auguſtinus, in græco legi pluraliter, hoc eſt, *quamuis peccata non habentes*: intellige *propria*. rectè autem increpat aduerſarij audaciam, quod tot, ac tales Eccleſiæ doctores, quos erubeſceret dicere, aut indoctos, aut impios, putaret malè in hoc genere ſenſiſſe. ſic igitur acutè perſtringit. *Mirum ſi in facie hominis tantum interuallum eſt inter frontem, & linguam, vt in hac cauſa frons non comprimat linguam.* in fronte quippè pudor, & erubeſcentia eſt, quæ frons cum vicina linguæ à natura facta ſit, eam frænare deberet, ne impudens quid obloquatur.

Decẽ priuilegia p baptiſmũ.

5 Ex alijs Chryſoſtomi locis oſtendit eius ſententiam de peccato originali in infantibus. Idem enim Ioannes alibi ait, beſtias non niſi poſt peccatum fuiſſe formidoloſas, nam cum ſerpente Eua egit diſputando; at etiam infantibus ſunt terribiles; ergo ob peccatum. idem ait, *Venit ſemel Chriſtus, inuenit noſtrum chirographum paternum, quod ſcripſit Adam. ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis. audis virum eruditum diſtinguere debitũ paterni chirographi ab ijs debitis, quorum per noſtra peccata fœnus accreuit?* Nota chirographum quaſi Adami manuſcriptũ, eadem ſcilicet manu, qua uetitum pomum accepit; item nos fœnus debiti augere peccatis: quid hoc mercaturæ genere ſtultius ad perniciem?

Originali peccato addere actualeeſt debito debita addere, & fœnus augere.

Peccati chirographum ab ipſo Adã ſcriptum.

6 Exponit locum illum Pauli. *Conſepulti ſumus cum Chriſto in baptiſmo*, quod crux Chriſti, & ſepulchrum, hoc nobis baptiſmus: non tamen ait: *complantati morti, ſed ſimilitudini mortis eius*: quia in nobis non ſolùm mors carnis, ſed peccatum, quod eſt mors animæ, quæ nullo modo fuit in Chriſto; ideò ſimilitudo quædam tantùm eſt, nõ paritas ex omni parte. acutè notatum. mira quidem baptiſmi dignitas, qui idem nobis eſt, ac crux ipſa, & ſepulchrũ Chriſti. quod trophæum cruce præſtantius? quid ſepulchro nobilius? *erit ſepulchrum eius glorioſum.*

Baptiſmus eſt nobis pro cruce & ſepulchro Chriſti.

7 Præclarum de Ambroſio encomion affert, cuius teſtimonio cedere debeat Iulianus. *Hic eſt ille Ambroſius, quem Pelagius tanta prædicatione laudauit, vt diceret, in libris eius præcipuè fidem lucere Romanam; qui ſcriptorum inter latinos flores, quidam ſpecioſus enituit, ita vt eius fidem, & puriſſimum in ſcripturis ſenſum apprehendere, nec inimicus auderet.* Vides Ambroſium ab ipſo religionis hoſte laudari, q licet in tenebris eſſet, faſſus eſt eum eſſe magnum Romanæ fidei lumen. quid ni verè dicamus ipſum florem ſpecioſum inter ſcriptores? certè apes in eius infantis os tanquam ad florem pulcherrimum, ac ſuauiſſimum aduolarũt.

Ambroſius Romanæ fidei luminare dictus ab ipſis hæreticis.

Ambroſius ſpecioſus flos inter latinos ſcriptores.

8 Chryſoſtomum ſic commendat. *Hic eſt & Conſtantinopolitanus Ioannes, quem tu in numero eruditorum, ac Sanctorum excellentiſſimum in hac ipſa tua, Iuliane, cui reſpõdeo, diſputatione poſuiſti; muta iam iſtam mentem, obliuiſcere conſiliorum, &c.* ſunt hæc ex Catilinarijs deprompta. vides & hic præclarum teſtimonium, vel ab hoſte. dicitur, *in numero eruditorum, ac Sanctorum excellentiſſimus*. adeo coniunxit cum doctrina, & eloquentia pietatem, ac ſanctimoniam. Tum ſic. *Ioannes Epiſcopus, dicit in Lazari morte, ideo Dominum fleuiſſe, quia de perennitatibus excuſſa mortalitas inferos adamauit.* pulchrè dictum. vbi nota, apud Lazari ſepulchrum peccatum originale defletum à Chriſto, vndè mors orta per Adam. certè ſimilis interrogatio eſt. *Adã vbi es?* & hic, *vbi poſuiſtis eum?* ſi hoc flens dixit, probabile eſt, & lugubri voce illud aliud dictum.

Chryſoſtomus eruditione, & ſanctitate ornatiſſimus ab ipſis hæreticis dictus.

9 Eſt & hoc de ſancto Hieronymo præclarum elogium, & ipſius Auguſtini. *Nec ſanctum Hieronymum contemnendum arbitreris, qui græco, latino, inſuper & hebræo eruditus eloquio, ex Orientali ad Occidentalem tranſiens Eccleſiam, in locis ſanctis, atq; in literis ſacris vſq; ad decrepitam vixit ætatem; hic omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex vtraq; parte Orbis de doctrina Eccleſiaſtica ſcripſe-*

Hieronymus ab Orientali ad Occidentalem Eccleſiam tranſiens Solis inſtar.

Hieronymus trilinguis.

scripserunt, legit. Nota, & sanctum vocat, & indefessum in legendo, eruditissimum, & Orietalis, & Occidentalis Ecclesiæ doctorem. scilicèt quasi Sol ab Oriente ad Occidentem vergens. quid illustrius? & quod

Eccle 43. trium linguarum peritissimum dicit, quid aliud est, quàm illud: *Sol tripliciter exurens, & refulgens radijs suis obcæcat oculos*: hæreticorum scilicèt hebetem aciem perstringens.

10 Rursus Polemonis exemplo hortatur Iulianū, vt ad sanctissimorum virorū voces resipiscat. *Sicut Polemo luxuriæ coronis sensim capite detractis, eisque abiectis manum subdidit, os & vultum formauit ad verecundiam; ad extremum totum se illi, ad quem deridendum venerat, discipulum tradid t; sic & tu loquentibus tibi tot venerabilibus viris, maximèque Ambrosio Episcopo, vel Pelagij ore laudato, Basilio, & Ioanne, tanquam coronas ebriosorum abijce laudes Pelagianorum, tuumque pectus non Platonico Xenocrati, sed istis sacerdotibus, seu potius Christo trade, vel redde.* Nota testimonia sanctorum Patrum, quantum valere debeant ad coercendam impudentiam hæreticorum, quod etiam ostendit, quantam vim habeat grauis, & seria loquutio de virtute ad commouendos animos peccatorum. magna confusio prædicatorum, cum gentilis tam seriò, & efficaciter loquutus sit, vt vel temulentum fecerit sobrium, immò successorem in magisterio, vt dictum est.

Quantum valeat ad mutandos animos procaces grauis, & seria loquutio.

Ex Libro II. contra Iulianum Pelagianum.

1 Elegans dictum Gregorij Nazianzeni de fomite per peccatum originale contracto refert; *Gregorius in Apologetico ait; Intra nosmetipsos proprijs vitijs, ac passionibus impugnamur, & diu noctuq; ignitis stimulis corporis huius humilitatis vrgemur; luto huius fæcis, cui inhæremus, fætorem venis capacioribus exhalante, sed & in lege peccati, quæ est in membris nostris, repugnante legi spiritus, dum imaginem regiam, quæ intra nos est, captiuam ducere studet, vt spolijs eius cedā: quidquid in nos beneficio diuinæ, ac primæ illius conditionis inflexit, vndè vix aliquis fortasse longa se, & districta regens philosophia paulatim nobilitatem animæ suæ recolens, naturam lucis, quæ in se est, humili huic, ac tenebroso luto coniunctam reuocet, ac reflectat ad Deum.* Nota quod ait horrēdū, ad peccādū *ignitis stimulis corporis nos vrgeri.* aptè noster Aloysius castitatis zelo ardens stimulis, & calcaribus, corpus suum compungebat, & vrgebat ad bonum, ita Deus, vt ait propheta. *Posuit eum quasi equum gloria sua.* illud verò apprimè notandum est, diabolum studere inter spolia sui trium-

Diabolus Ignitis carnis nos stimulis vrget.

Aloysius Gonzaga stimulis latus vexabat.

Diabolus imaginē Dei in triumpho captiuam ducere studet.

Zach. 10.

phi ducere captiuam regiam Dei imaginem in nobis, sed contra vt ait Tertullianus de Iob: quale feretrum tulit ille de diabolo? idest quale ferculum spoliorum de victo diabolo triumphans? licèt nudus, & spoliatus iacere videretur. Denique nota, difficilè inueniri aliquem, *tam districta philosophia*, vt se reuocet ad Deum, redditus luci de luto, nempè hoc est verè, ac securè philosophari, quod falsò Stoici profitebantur. itaque seriò addit: *Iam iamnè perspicis etiam cum baptizatis quasi ciuile bellum interiorum remanere vitiorum, &c.* Vides fomitem intra nos ciuili bello aptè comparari; etiam si foris non oppugnet hostis, intus hostis est, intus inclusum periculum est.

Vix aliquis vsque quaque perfectus, ac Deo affixus.

Vera philosophia, in quo cō sistat.

2 Ambrosij testimonio dicta cōfirmat. *Dixisti, me nihil magis laborare; quàm vt non intelligar. ecce fundit eloquium lucidum, ac perspicuum flumen Ambrosius; non est vt hæreat lector, vbi caliget auditor, ille apud Lucā apertissimè dicit, carnem volutabrum, ac diuersorium libidinum commutari in templum Dei, sacrariumque virtutum*; cum videlicet animæ caro subijcitur, qualis ante sumptū serpentis venenum, ac nota hęreticorū inuidiam, qui cum Augustini acumen percipere non possent, obscurum esse calumniabantur. est autē præclarū hoc de Ambrosio elogium, cuius *eloquium lucidum, ac perspicuum flumen* dicit. & tamen hunc ipsum Ambrosium, quem Augustinus ad perspicuitatis exemplum proponit, non desunt, qui eius eloquutionis vim non assequentes, obscuritatis arguere audent. Denique pulchrè declarat vim gratiæ illis verbis, *volutabrum, ac diuersorium libidinum commutat in templum Dei, & sacrarium virtutū.* patet hæc admirabilis commutatio in ipso Augustino, in Ignatio nostro, in Camillo Cruciferorum parente, &c. de quibus item dici potest illud apud Iob. *Mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ, &c.*

Lucę c. 58

Ambrosius ab eloquentiæ perennitate, & perspicuitate laudatur.

Mira vis Gratiæ in cōmutandis animis.

3 Addit alterum eiusdem testimoniū. *Ambrosius de sacramento regenerationis; Malè, inquit, Eua parturiuit, vt partus relinqueret hæreditatem, vt quisque concupiscentiæ volutabro cōcretus, & visceribus infusus, & coagulatus in sanguine, pannis inuolutus prius subiret delictorum contagium, quàm vitalis spiritus munus hauriret.* quod ait pannis inuolutus, *vitiatæ scilicet origin s, non lineis, aut laneis, in ortu ploraturus reatum, quem contraxit ante ortum.* Nota, vilibus pannis inuolutum vitiatæ originis quemque dicit in conceptu; num tu Deiparam item pannosam dices? atqui scriptum est in psalmo. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Porrò, vt nos hoc vili originis panno exueret Deus, & indueret ornatu gratiæ, eum natum mater *pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio.*

Originalis peccati vilitas.

4 Affert

4 Affert & illud Ambroſij in libro de paradiſo: *Quod grauius eſt, inquit, ſe Adam ſuccinxit eo loco, vbi fructu magis caſtitatis ſe ſuccingere debuiſſet, malè ibi ſuccintus eſt foliis inutilibus*, acutè arguit. quæſiuit Adam folia, vt ſe tegeret; non fructum, vt ſe reficeret: fructus autem, & pulcherrimus, & ſuauiſſimus eſt caſtitatis. hoc fructu, ad folia recurrens, priuatus eſt; ſtatim enim concupiſcentiam rebellem ſenſit.

Adam relicto fructu caſtitatis ad folia recurrit.

5 Idem Ambroſius contra Platonem diſputat, *Qui hominum animas reuolui in beſtias aſſeuerat, & animarum ſolum Deum opinatur auctorem, corpora autem Diis minoribus facienda decernit*. Miror, inquit, tantum philoſophum, quomodo animam in noctuis includit, & ranis; feritate quoque induat beſtiarum; cum in Timæo eam Dei eſſe opus memoret inter immortalia à Deo facta. & ſanè iure miratur in ſummo philoſopho ſtultum dictum: nempè fidei lumine carebat, & cœleſti doctrina. immò potius quodammodo in Angelos transformabimur, ſi hic Angelicè vixerimus. cur autem, & corporis fabricator nō idem ſit, qui animæ? alioquin diuiſus erit noſter affectus. rectius Iob; *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum*.

Platonis de trāſmigratione in belluas opinio redarguitur

Idem conditor, & animæ, & corporis.

6. Addit eiuſdem illud ex apologia Dauid. *Bona, inquit, continentia, quædam veluti crepido pietatis; nam in præcipitiis vitæ huius labentium ſtatuit veſtigia, ſpeculatrix ſedula, nè quid obrepat illiciti; mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertit in vitium; ideòq; Apoſtolus non ſolùm à fornicatione nos retrahit, ſed in ipſis coniugibus modum quendam docet, ac tempora præſcribit orandi. intemperans enim in coniugio quid aliud eſt, niſi quidam adulter vxoris?* Vides etiam in licito coniugio continentiam quandam eſſe ſeruandam cum oratione coniunctam; & rectè ait, adultero ſimilem eſſe, qui in propria vxore nonniſi voluptatem carnalem quærit; pulchrè autem dicitur continentia, *quaſi crepido pietatis*, nè in præceps ruas; & *ſpeculatrix ſedula*, ob vigilantiam, tanquam ex arce proſpectans hoſtem, & cuſtodiam ſenſuum ſeruans.

Continentia crepido pietatis eſt nec timus.

Continētia ſpeculatrix ſedula, & cuſtos ſēſuum.

7 Affert, & illud ex libro eiuſdem Ambroſij de paradiſo. *Mauult, inquit, Deus plures eſſe quos ſaluos facere poſſit, quibus donaret peccatum, quàm vnum ſolum Adam, qui liber eſſet à culpa*. ideò & mulierem licèt peccaturam creauit; vbi nota miram Dei pietatem, qui peccatorum hominum generationem non impediuit, vt haberet, *quos ſaluos facere poſſet, & quibus donare delicta*. vide igitur, quàm grata ei ſit conuerſio peccatoris. Addit pulchrè, & acutè, *Deo, cui Vniuerſitatis eſt cura, plus placere debuit id, in quo eſt cauſa Vniuerſitatis, quàm condemnandum id, in quo eſſet cauſa peccati*.

Deus non extinxit poſt peccatūgenus humanū, vt habetur quib' poſſet donare delicta.

nempè primum illud ad diuinam bonitatem pertinet, propter quam Mundum creauit: hoc ad iuſtitiam, quam ex peccato conſequenter exercet.

8 Denique eiuſdem Ambroſij eſt hoc. *Quis eſt tam beatus, qui in corde ſuo ſemper aſcendat? ſed hoc ſine auxilio diuino, qui fieri poteſt? nam dicitur in pſalmo: Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo poſuit, &c.* apertus hic locus eſt de gratia Dei, ſine qua humi repimus abiecti, nec ad cœleſtia, & æterna ſuſpirando aſpiramus. vide igitur præclarum effectum gratiæ, qua per virtutum gradus in modum ſcalæ in corde diſpoſitos fit animi aſcenſus ad Deum.

Dei gratia fit animæ aſcenſus ad Deum.

9 Tranſit ad teſtimonium Cypriani; Hanc pugnam acrem in nobis Cyprianus in libro de mortalitate deſcribit. *Obſeſſa, inquit, mens hominis vix occurrat ſingulis vitiis, &c. & tamen delectat hic inter diaboli gladios diù ſtare, cum magis optandum ſit ad Chriſtum veluti morte properare*. Nota vim vocū illarū; vndiq; ſumus obſeſſi *inter diaboli gladios*. adeo hæc vita campus quidam prælialis eſt. nec tamen metuimus, vt par eſſet, ſed ſtulti delectamur in obſidione eſſe, & inter hoſtilia tela, non tamen vigiles, ſed ſegnes, ac deſides.

In hac vita velut in campo inter diaboli gladios ſtamus.

10 Eſt illa apoſtrophe ad Cyprianum ipſum plena laudis. *Cypriane doctor præclariſſime, & teſtis glorioſiſſime, ſic docuiſti, ſic te imitandum præbuiſti*. rectè & doctor præclariſſimus ob eloquentiam, & teſtis glorioſiſſimus ob martyrium, in quo poſita eſt vera gloria, dum ſcilicet calamum ſuo intingit in ſanguine, vt inſcribat in trophæo titulum fidei triumphalem.

Cyprianus doctor clariſſimus, & Martyr glorioſiſſimus.

11 Sanctorum Patrum auctoritate nitendum dicit in rebus fidei. *Vſque adeò nè permiſcuit ima ſummis longus dies? vſq; adeò tenebræ lux, & lux tenebræ dicuntur? vt videat Pelagius, Iulianus, &c. & cæci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius? &c.* ironicè dictum, & acriter. eſt hoc contra hæreticorū perfidiam, & audaciam, quaſi perſpicaciores noctuæ ſint, quàm aquilæ. vide etiam quanti faciat hos Doctores ſummus Doctor.

Stultum eſt putare tot egregios Eccleſię doctores errаſſe.

12 De baptiſmo paruulorum ſic. *Ideò Chriſtus pro paruulis mortuus eſt, quia ad ipſos pertinet ſanguis, qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, à quo illo ſanguine facitis alienos, cum negatis, eos trahere originale peccatū*. Sed hic nota, non ideò Deiparam, ſi ab originale peccato dicatur immunis, negari redemptam, in quo theologos conſule. illanè aliena ſit à beneficio ſanguinis filij, quæ ipſum ei ſanguinem per conceptum, & per lactis nutritionem communicauit?

Deipara Chriſti ſanguine redempta licet immunis à peccato originali.

13 Soluit, quod Iulianus obijciebat: ſi dicatur opus eſſe auxilio Dei, deijci alios de ſpe ſeruandæ caſtitatis, & deterreri à bono.

Vitium præſertim libidinis virtus moralis ſine gratia expugnare nō poteſt.

bono. *Mentiri me, ais, tantas libidinis vires, vt eam ratio regere, ac frænare non possit. ego non infero virtutibus bellum, sed vitijs. non dico tantas libidinis vires, vt humana ratio diuinitus adiuta eam regere, ac frænare non possit, &c.* pulchrè remouet calumniam; quasi Augustini exaggeratio, & figmentum hoc esset, qui libidinem faceret tam insuperabilem hostem, vt moralis virtus temperãtiæ contra eam nihil possit. planè non potest, nisi Gratiæ armis, & robore munita. nec aliter nimirum lauream assequere, & meritum vitæ æternæ. Itaque sic respondet eidem Iuliano obijcienti, quod etiam infideles aliqui fuerint pudici, ergo non opus gratia: at negat eos verè pudicos, *quando à vero Deo ipse animus fornicatur.* Tum hæreticos arguit. *O ingrati gratiæ Dei, &c.* præsertim cum gentiles ipsi philosophi subindicarint nescio quid de necessario Dei auxilio. *E schola Pythagoræ, ac Platonis doctissimi viri veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ, immortalisque substantiæ, quod est Deus.* Notabilis locus de gratia. Philosophi ipsi, qui de sua sapientia tumidi tantùm præsumebant, vide quid dixerint.

Etiam gẽtiles philosophi subindicarunt opus esse Dei auxilio.

14 Ostendit in infidelibus non inesse veram virtutem. *Quomodo sunt verè iusti, quibus est vilis humilitas veri iusti Christi?* nempè omnia ad iactantiam referebant. Tum sic arguit: *Virtus definitur animi habitus, naturæ modo, atq; rationi consentaneus; at Epicurus virtutes adiungit voluptati ancillas; absit, vt virtutes veræ cuiquam seruiant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum conuerte nos.* Vide quàm honorificum sit Deo seruire. ipsa virtus, si Deo ancilletur, & propter ipsum operetur, regina est non ancilla, secus si aliud spectet.

Virtus nõ est voluptatis ancilla, sed Dei.

15 Idem sic probat, quia *Non officijs, sed finibus discernitur à vitijs virtus.* gentiles vsi virtutibus, sed non ad verum finem: *In Fabricijs ergo, Regulis, Fabijs, Scipionibus, & Camillis, ceterisq; talibus non erat vera iustitia, quia non actibus, sed finibus pensantur officia.* Vide quantum agat finis, & intentio, quot, & quanta legimus de temperantia, iustitia, & alijs virtutibus veterũ, q. cũ Deũ non spectarint, cœlesti præmio caruerunt.

In ethnicis nõ vera virtus inerat.

16 Dei sapientiam, & bonitatem admiratur, quæ etiam mala ad bonum dirigit. *Per vulnus à Diabolo inflictum, in quo claudicat genus humanum, aliquid creante Deo gignitur; quod ex Adam transfertur ad Christum; nam nouit Christus de ipsis diaboli persequutionibus coronas suscitare Martyribus, vtens benè omni genere malorum ad vtilitatem bonorum.* Nota peccatum originale vulneri comparari, quo claudi facti sumus, tardi videlicet ad bonum, & superbi; nam superbia, clauda est, vno pede incedens: *non veniat, inquit, mihi pes superbiæ:* scilicèt tanquam Vulcanus deformis, ita illa eiecta de cœlo est cum Diabolo, & Angelis eius, & clauda effecta. præclarè autem ait, persequutionem à diabolo excitatam cedere in coronas Martyrum, vt videatur artifex illarum, dum tanquam aurum igne purgat, vt eas conflet. hinc etiam collige, Deiparam non videri incidisse in originale peccatum, quod vulnus quoddam claudicationis est, cum contra de ipsa dicatur, *quàm pulchri sunt gressus tui? & ipsa conteret caput tuum.*

Deus mala ipsa dirigit ad bonum.

Peccatum originale vulnus, ex quo claudicans fit ad bonũ.

17 Excludit à paradiso omnem libidinem. *Non erubescis istum morbum, istam libidinem introducere in paradisum, & tribuere coniugium ante peccatum? ideonè tu in cœno latitas, quia libidine carnis, & sanguinis, quasi paradisi flore roseo te coronas, & tanquam libenter tali colore perfusus, & erubescis, & laudas? futurus fuisset concubitus, etiam si non peccasset Adam, sed sicut alijs membris voluntate motis, non libidine concitatis; ò sanitas, ò paradisi deliciæ, &c.* Vide in quo maximè positę essent deliciæ paradisi, non in amœnitate florum, & suauitate pomorum, quæ potius obfuit, sed in castimoniæ flore, fructuq; virtutum.

Delitiæ paradisi in castimonia potius, quã in pomorũ, & florũ amœnitate positæ.

18 M. Tullij dicta congruere ait cum ijs, quæ de natura corrupta dicimus. *Tullius in libro de republica accusat naturam, vt nouercam. nempè rem vidit, causam nesciuit.* idest originale peccatum; idem in Hortẽsio contra voluptatem libidinis disputat. idem ait ex ęrumnis huius vitæ fieri, vt veteres nos natos dicant in pœnam propter vitia contracta ante ortum; *verumq; illud sit, quod est apud Aristotelem, simili nos affli-ctos esse supplicio, atque eos, qui quondam cum in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viua cum mortuis aduersa aduersis accommodata colligabantur; sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse coniunctos.* Nota, nam huc spectat, quod Græci corpus vocarunt σῶμα quasi σῆμα idest sepulchrum. supplicium verò illud vsurpatum dicitur etiam à Mezentio, juxta illud summi poetæ. Mortua quin etiam iungebat corpora viuis. vide igitur, quàm stultum sit, animum blandiri corpori per illicitas voluptates; & quàm incongruum sit illud ornare auro, serico, fucis. Tum soluit, quod obijciebat Iulianus, quod nihil apud philosophos inueniretur scriptum de hoc graui iugo Adam. at alijs verbis hoc explicant, licèt gratiam per Christum non viderint, vt de Tullio dictum est.

Natura nouerca hominis cur dicta.

Animam corpori iunctam, vt reũ viuẽte mortuo ait Aristoteles.

19 Iulianum carpit, qui laudat naturã, & in domanda concupiscentia libidinis negabat gratia Christi opus esse; dicebatque illi seruire ceteros sensus, visum, auditum,

Natura non sufficit ad vitium domandum cũ merito vitæ æternæ.

tum, &c. *Quia, inquit cum vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, vt fit, instituti mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tubicinam, vt spondæum caneret, Pythagoras dicitur; quod cum illa fecisset, tarditate modorum, & grauitate cantus, illorũ furentem petulantiam resedisse. Debuisses sanè, homo Ecclesiastice, Ecclesiastica musica potius commoueri, quid Dauidica cithara egerit in Saule, quando malo spiritu vexabatur & tangente citharam Sancto ab illa molestia respirabat: nè ideò bonum aliquid existimes concupiscentiam, quia musicis cohibetur sonis.* Nota, putabat Iulianus naturam gubernatricem esse animi, & libidinẽ ipsam docilem ex se esse, vt facilè regeretur ab harmonia: sed arguit Iulianum, qui vt non ignarus scripturæ, eam vim ad Deũ, & sacros cãtus potius referre debuit; huc referri potest de prædicatione illud Hieremiæ: *Cor meũ ad Moab quasi tibia resonabit*. cum enim concionator ex corde loquitur, Deus etiam auditori cor tangere solet: & certè ipsa Gratia est quasi tibicina cordis, illud suauiter demulcens ad benè agendum.

Spiritalis musica ad commouẽdum efficax.

Gratia quasi tibicina cordis.

20 Execrabilem de humano corpore sententiam damnat. *Paterniani, & Venustiani hæretici similes Manichæis dicunt, à lumbis vsque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis, superiores verò partes Deum velut super basem aliquam collocasse; adduntque nihil ab hominis studio requiri, quàm vt anima, quam in stomacho, & in capite dicunt habitare, munda seruetur; pubem verò, si omnium flagitiosorum sordibus obruatur, aiunt ad suam non pertinere curã. Ego dico, Diabolum humanam, vel aliquid eius non creasse, sed vitiasse naturam; contraque ipsam Diaboli plagam, qua Dei opitulatione sananda est, nobis esse pugnandũ.* Addo stultè dictum, nam reliquiæ sanctorum, etiam pedum, miracula faciunt, & dæmones ipsos pellunt. ex osse genu S. Nicolai salubre manna profluit; & præterea dicitur in psalmo: *Pedes Sanctorum suorum seruabit*. qui tamen infrà lumbos sunt. & miraculum Iordanis ad transitum hebræorum stantis factum est, vbi sacerdotes pedum vestigia collocarunt. Egregiè autem ait, accepto vulnere à Diabolo, contra ipsum vulnus, & plagam Deo duce, & adiutore pugnandum, vt vincatur hostis à vulneratis, sed Dei gratia sanatis.

Impia opinio corp' à lumbis à diabolo factum.

Gratia vulnerum curatrix.

21 Ostendit, in quo posita sit matrimonij laus. *Christianorum coniugium cõmendaui, qui filios ad hoc generant in hoc seculo, vt propter alterum seculum regenerentur à Christo.* Pulchrè dictum. vide, quẽ finem matrimonium spectare debeat, vt filios generent, qui regenerantur à Christo: patrem se facit, vt Christo prolem augeat, ac beatorum ciuium numerus in altero seculo multiplicetur; ideò Deus Abrahæ generationem promittens, eduxit foras nocte, vt cœlum contemplaretur dicens: *Numera stellas si potes; sic erit semen tuum.*

Finis matrimonij parere filios Deo.

22 Negat aliud rerum principium præter Deum vnum. *Quis audeat eorum, quæ creata sunt dicere non esse bonum? cum omnis creatura Dei bona sit, & benedicat in hymno trium puerorum dominum, etiam frigus, & æstas; quæ inter se sunt contraria, seruant tamen pro rerum incolumitate concordiam.* Nota, vt omnia à Deo creata, licet inter se aduersari videantur, tamen in Vniuersitatis concentum conspirẽt, à Deo directa ad finem bonum. quanta igitur in religiosis potissimùm debet esse concordia, quorum finis supernaturalis est iuuandi proximum.

Ex libro V. contra Iulianum Pelagianum.

1 Arguit quod obijciebat Iulianus de originali peccato, non posse peccatum Adæ in nos transfundi, quia cõtra dialecticos est, accidens de subiecto in subiectum transfundi. Respondetur: *Afficiendo, non emigrando trãseunt qualitates: Æthiopes cum nigri sint, nigros gignunt, nec tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt.* vt stultè Iulianus, ità acutè Augustinus. est autem apta comparatio, per peccatum enim originale Adam velut niger Æthiops factus, ac turpis tales nos genuit, vide autem an Deiparam fas sit dicere Æthiopissam, quæ candidissima columba dicitur in canticis.

Per peccatum origi nale quasi nigri Æthiopes nascimur.

2 Ostendit, peccatum originale posse transfundi; mirabilius enim est, cum rerum corporearum qualitates in res corporeas transeunt, vt ex virgis Iacob in animas pecorum matrum; deinde in corpora filiorum factum est. addit: *Simile quid Soranus Medicus auctor nobilissimus scribit, nam Dionysium Tyrannum narrat, eò quòd ipse deformis esset, nec tales habere filios vellet, suæ vxori in concubitu formosam proponere solitum picturam, cuius pulchritudinem concupiscendo, quodammodo rapere, & in prolem, quam concipiebat, afficiendo transmitteret: non igitur peccati transmigratione de subiecto in subiectum, sed affectione, & contagione pertransit.* Nota factum, quamquam mulier illa in filios pulchritudinem, at Eua in suos potius deformitatem transfudit; ex hoc autem exemplo egregiè colligi potest, et peccatorem quantumuis vitijs turpem, ac deformem, tamen Sanctorũ vitæ

Ex pulchra picta pulchra proles nata.

Peccatores cõuersi ex lectione sanctorum vitæ.

vita quasi pictura ante oculos proposita, posse concipere sancta, & pulchra desideria, ità conuersus est ipse Augustinus, & Ignatius noster, ex lectione videlicet Sanctorum vitæ. item hinc discimus, peccatorē Christi gloriam spectare debere, vt de pulchra prole gaudeat sicut Paulus. *in Christo enim Iesu ego vos genui.*

3 Declarat quid significet, cum Christus dicitur, *In similitudinem carnis peccati.) Quid restat, vt intelligatur nisi, ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati; & hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus cōcipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus, quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit.* Nota, nam cum ait. *Mariæ corpus quamuis inde venerit, &c.* Potest intelligi tantùm de debito peccati originalis, in quod incurrit Deipara; at nullo modo illud transfudit in filium, qui de Spiritu sancto conceptus est.

Deipara debitum peccati originalis non transfudit in Christū.

4 Exponit illa verba matris Machabæorum. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis.* ait hoc mater quasi nesciens verùm animæ filiorum de paterna anima traiectæ fuerint, an aliunde in vtero eius esse cœperint. vbi nota, non pertinere ad mulieres definire, ac sententiam ferre de rebus fidei, ac de arduis quæstionibus. & quanquam Deipara sciuit ab Angelo se de Spiritus sancti numine fœcundam concepisse, ipsum tamen Incarnationis mysterium quantum quātum est omninò percipi non potest.

2. Mach. 7

Incarnationis mysterium superat capacitatem intellect' humani.

5 Item de peccato originali sic. Omnis alia caro peccati est, præter Christi carnem: *Quisquis autem carnē Christi, ità cōparat carni ceterorum nascentium hominū, vt asserat vtramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus inuenitur.* Nota; nec tamen si dicatur Deipara non concepta in peccato originali, esset æqualis puritatis caro matris, & filij, quia hæc vt coniuncta diuinitati sine vlla ratione debiti fuit, quia Christus non modò non peccauit vllo in genere, sed impeccabilis fuit, & peccati destructor.

Caro Christi nulli alter æqualis.

6 Pergit in eodem. *Adam occulta labe carnalis concupiscientiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venturos. caro itaque Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, contagium verò peccati originalis non traxit, quia concumbentis concupiscentiam non inuenit.* sed si mortalitatem non contraxisset, non esset in similitudinem carnis peccati. nempè Christum mortalitatem accepit, vt similis esset carni peccati, sed non contagium, quasi verè peccator. Nota verò quid dicat *Adam occulta labe tabificauit omnes de sua stirpe.* Vides peccatum originale esse tabem quandam in anima, quam reddat fœdè corruptam, & saniosam: quis autem facilè dixerit, Dei matrem fuisse tam turpiter olim *labe tabificatam*, & fœdè saniosam? an non ipsa recordatio, & imago tabis cum sanie nauseam nobis mouet? quāto magis Dei filio, qui ipsius carnem, & sāguinem accepit? scilicet matris, antea contagiosæ, tabidæ, & vlcerosæ.

Originali peccato quasi occulta labe tabificati sum'.

7 Soluit obiectum Iuliani. De ea re, quæ est à peccato libera, non nascitur peccatum; sed connubium coniugale, quod fit tantùm intentione generandi, non est peccatum; ergo inde peccatum originale non oritur. Respondet: Sicut parens tunc non dicitur reus, quando regeneratus est, ita & filius. propositio illa, de re sine peccato, nō nasci posse peccatum, falsa est, quia oporteret dare naturam malam, vnde peccata oriantur, vt putant Manichæi. certè. *Angelus, quem creauit Deus, res à peccata libera fuit, & homo, quem primum creauit Deus, & tamen peccarunt.* acutè arguit. porrò & hoc pro Deipara facit, quod & Angelus, & homo in gratia sint conditi, multò magis in restauratione Mundi, quæ fuit velut altera creatio.

Parentes etiam si sint liberi à peccato originali transfundunt illud in prole.

8 De coniugio sic. *Cum frœnatur libido, nè vltra excessum liberorum fit, non est peccatum: Quia malo benè vti non est peccatum; qui vtuntur, inquit, hoc Mundo, tanquam non vtantur.* idest ita vtuntur persūctoriè, tanquam non diligant. Addit. *voluptatis causa, non prolis facit concubitum culpabilem, sed in coniugibus venialem.* Vides concupiscentiā præcipitis equi more fræno indigere temperantiæ, auriga ratione, siue pudore.

9 Pergit ostendere, baptismum paruulis necessariū, quia & in concubitu honesto inest malum, quo benè vtitur bonitas nuptiarum. *sed non obest renatis, quod obrat natis, vnde fit, vt qui eis nascitur, & illi obsit, si non renascatur.* Pulchrè per allitterationem rem indicat. sicut parenti baptizato, non obest, se natum ex concupiscētia fuisse, ita nec filijs, modò baptizentur.

Ex libro VI. contra Iulianum Pelagianum.

1 Docet à simili, transfundi originale peccatum. Dicebat Tullius, *naturalia per accidens non conuerti. audiebamus à maioribus nostris, Fūdanum Carthaginis rhetorem, cùm pater accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse. accidens quippè fuit in patre, quod factum est in filio naturale.* cōtra è parentibus cum integris membris aliquando nati non integri filij. idem dicendum de peccato originali.

Peccatum originale nos quasi luscos reddidit.

uali. vbi nota, per hoc quasi luscos nos ex lusco parente nasci, adeò hebeti sumus acie mentis in bono: at Deiparæ in primis oculi laudantur in canticis, ne in id incidisse suspicemur. *Oculi tui columbarũ &c.*

2 Refert locum Ecclesiast. *Sicut ossa in ventre prægnantis, ita non agnoscis opera Dei, ait Ecclesiast. ideò nè contra Ecclesiam matrem ratiunculis vestris, quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari, vt vim sacramenti eius occultam, qua purgãdos excipit paruulos, quamuis de purgatis parentibus natos tanquam ossa in ventre prægnantis non contrectando, sed laniando quæratis?* meritò paricidales manus hæreticorum dicit in Ecclesiam matrem odio Neroniano sæuientes. ac rectè pugiunculis dicit vti, quia de proximo feriunt, non vt ethnici de longè, & quò plures ratiunculæ, eò acutiùs penetrant, & materna viscera lacerant penetrando. Caligula sæuissimus tyrannus librũ, vbi nomina occidendorum erãt, inscripsit: Pugio: tales sunt hæreticorum libri, in primis hęresiarcharum.

Cap. 11.

Hæreticorum argumẽta paricidalis pugiunculus contra Ecclesiam matrem.

3 Item ostendit, à parentibus, licet post baptismum careant originali peccato, in filios eius labem posse transfundi. *At purgatur à palea triticum, sicut homo à peccato, & tamen inde cum palea nascitur: alterum trahit præputium proles Iudæi, quod iam non habet parens iam circumcisus: caruit, & tamen tradidit; amisit, & tamen transmisit.* Pulchrè per paranomasiam rẽ explicat. paleæ etiam aptè comparat originale peccatum ob fomitem concupiscẽtiæ quasi ignis.

4 Iulianum sic etiam arguit. *Dicit Apostolus: Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.* ergo si paruuli non mortui per peccatum originale, vt ait Iulianus, Christus non est pro ijs quoque mortuus, quod est contra dictum Apostoli: sed hìc nota, vt supra quoque monuimus, non inde sequi Deiparam non esse Christi morte redemptam, quia debitum incurrit; sed præuenta est eius beneficio.

Christus mortuus etiam pro paruulis ergo in peccato concepti.

5 Iulianus obijciebat. *Alienis peccatis alterum obnoxium non teneri. Respondetur: parentum peccata aliena proprietate sunt actionis, & nostrá sunt contagione propaginis.* Vides iterum contagioni, ac tabi peccatum originale comparari. tabidam igitur, & contagiosam Deiparam aliquando fuisse dicendum esset, si in illud incurrisset.

Peccati originalis contagio.

6 Eundem sic eleganter confutat. *Iulianus contra me clamat. O tempora, ò mores. ego contra eum. Ex hac parte pudor pugnat: illinc petulantia, &c.* vterque Tullij verbis vtitur. quia illis vtebatur Iulianus aduersus Augustinũ, opponit hæc item ex Tullio Augustinus contra Iulianum. vbi nota impudentiam, & quibus armis hæretici Ecclesiam impugnent.

Hęretici impudentiæ armis militant contra Ecclesiam,

7 Acutè admonet de titulis quorundam psalmorum. *In ordine psalmorum, quod mirum videri potuit, prior est psalmus dedicationis domus, & posterior ædificationis; quia dedicatio ad caput domus pertinet, hoc est ad Christum; ædificatio ad corpus totum domus, idest Ecclesiam.* ædificauit autẽ post captiuitatẽ, idest inimico eiecto. acutè, inquã, notat, cur prius mentio de dedicatione domus, quàm de ædificatione, cũ hæc illã præcedere debeat: nimirum, quia dedicatio ad Christum pertinet, quod præsupponit vt caput, & principium Ecclesiæ.

Cur prius templi dedicatio quam ædificatio memoretur in psalmis

8 Iuliani obiectum soluit. *Incredibile videtur Iuliano, quod in vtero baptizatæ, cuius corpus est templum Dei, vt ait Apostolus, formetur homo futurus sub diabolo, nisi Deo renascatur ex Deo. quid? an non adoptat in filium, quem formauit in vtero suæ filiæ? atque ita Deus, in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formauit in diaboli domicilio, & non vult esse in templo suo?* Nota primo Dei iudicia; nam sæpè ex bona matre malus filius, & contra nascitur. vterum malæ matris vocat diaboli domicilium; bonæ, templum Dei; sed locus ex se non affert sanctitatem; nam Angelus in cœlo, homo in paradiso cecidit. deinde nota, quid sit concipi cum peccato originali. *homo futurus sub diabolo.* igitur de formanda Dei matre, si in illud incurrit, dici poterat *futura sub diabolo.* respuunt planè hoc aures: ac non modo non dixerim. *sub diabolo.* sed potius supra Angelos. Subiungit in eandem sententiam. *Non ideò infans est, & ipse templũ Dei, quia ædificatur in templo Dei; matris quippè corpus, vt esset templum Dei, gratiæ beneficium est, non naturæ; quæ gratia non conceptione, sed regeneratione confertur.* rectè obiectum soluit. vide autem quid sit vterus matris si in Dei gratia sit, *templum Dei.* quid de vtero Deiparæ dicendum?

Peccatum originale facit esse sub diabolo.

Maternus vterus absente peccato templum est Dei.

9 De prædestinatione hoc breui complectitur. *Gratia dicimus intrare paruulum in regnum Dei, quoniam bonus est Deus, & alium meritò non intrare, quia iustus est Deus: in neutro esse fatum, quoniam quod vult facit Deus.* rectè Dei iudicio hæc reseruanda dicit. nẽpè omniũ dominus est. altissimo consilio ipse disponit cuncta, nõ fatũ.

Dei volũtas dominatur in rebus non fatum.

10 Iuliani dictum improbat. *Placere tibi significasti sectam Donomachi, quæ honestatem, voluptatemque coniungit; quod philosophi quoque huius Mundi, qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura, beluinaque compactum: hoc ergo monstrum tu, opinor, sectaris.* rectè inuehitur in eos, qui putant posse virtutem cum voluptate car-

Voluptas scyllæum bonum.

carnali iungi. monstrum Scyllæum formãt, quod ex parte mulier esset, ex parte fera: quod si de saxo marino loquamur, ad hoc Scyllæum fretum quàm multi naufragantur? denique Scylla ipsa meretriciæ voluptatis symbolum fuit apud veteres. Addit. *Concupiscentia per baptismum, ne ad illicita pertrahat, salubriter vincitur*. Nota de baptismi victoria circa tam indomitum hostem. subiungit de eadem: In beatis abest exclusa felicitate, in damnatis victa tormentis.

11 Iuliani dictũ sic arguit. *Quis concupiscentiam non erubescat laudare, cum qua compellitur dimicare?* nempè Iulianus illã naturæ bonum appellabat. negat acutè Augustinus, eam per baptismum sanctificari, cùm tãquam intestino bello in ipsam postea sit dimicandum, & optemus tanquã à peste sanari; sicut nec sanctificatur febris in ægro, qui æger est, dum baptizatur; ergo potius per baptismum fit, ne concupiscentia sanctificatos lædat. de fomite autem sic. *Quamuis in baptismo peracta fuerit peccatorum remissio, remansit tamen qua proficeretur in melius aduersus cateruas desideriorum malorum, in nobis ipsis vtique tumultuantium vigilanter exercenda, & instanter exercenda luctatio.* Vide quàm acer hostis, quibus egeat excubijs, qua strenuitate. mox addit. *quantum possunt in hac vita magis magisque minuantur, non quiescunt bella sanctorum*. felix sors Aloysij nostri, qui hos tumultus belli non sensit, egregius domitor passionum. *cateruas desideriorum vocat.*

Baptismus concupiscentiam non sanctificat, sed frænat.

12 Fraudem Iuliani detegit. *De Aristotelis categoriis obtendis nebulas imperitis; ad hoc enim redacta est hæresis vestra, vt gemant sectatores vestri, non inueniri dialecticos iudices in Ecclesia de scholis Peripateticorum, siuè Stoicorum, à quibus possitis absolui.* Obijcitis inquit, non posse hominem immundum immũdo diabolo subdi, quia quantitas non habet contrarium, qua Angelus maior est homine; nec mala malis subdi, sed bonis. *Quid hoc ineptius? quasi non & bonus seruus subdat se domino malo.* Nota versutiam, & fallaciam Iuliani in argumentando, & falsam querelam hæreticorum, quasi non essent in Ecclesia dialectici, & philosophi periti, qui veritatem ostenderent, cum præclarissimi doctores non deessent. quid verò nunc cum tot academiæ, tot publica gymnasia religiosorum personant disputando?

Falsa querela hæreticorum Ecclesiam non habere viros doctos, cum quibus disputarent.

13 Stultum ostendit quod obijciebant hæretici; Res ordinatæ à Deo, ad Deum pertinent; ergo malum est repugnare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur: sed rectè arguit Augustinus. *Posset ergo dicere, Deo resistere agricolas, & eius ordinẽ perturbare, purgãdo agros à spinis, & tribulis, quæ ille peccantibus nasci iussit in pœnam.*

Repugnare diabolo non perturbat ordinem vniuersi.

14 Remouet à se calumniam. *Falsò obijcis à me dictum, Euam à serpente corruptam corporaliter. dixi mente quidem, non corpore mistam, vt Manichæi, qui Principem tenebrarum cum illa coijsse dicunt serpentem patrem, & coniugem; at Apostolus; timeo, inquit; ne sicut serpens Euam fefellit, corrumpantur mentes vestræ à simplicitate, & castitate, quæ est in Christo*. Nota quid tum actum sit: nempè Eua repudiato Deo quasi animæ spõso, fornicata, ac mẽte coniuncta quodammodo est cum diabolo serpente. inde quasi ex venenatæ mentis vtero ortum est monstrum item venenatũ peccatum originis: atque ita per infaustos, & incestos veluti thalamos violata simplicitas, & castitas dici potuit. vide igitur quàm turpem, ac fœdam genesim, & natale habeat peccatum, & an virgini Dei matri congruat. porrò cum hac coniunctione mentis Euæ cum astuto serpente, conuenit coniunctio etiam nominis, vt aduertit Clemens Alexandrinus; nam Heua cum aspiratione serpentem significat; atq; adeò insita est mulieribus ea cognatio, vt ornamẽta ipsa monilium in serpentis figuram, tortuositate illa, habere gestiant; ita communem ignominiam in suum ornamentum transtulerunt.

Eua mente quodãmodo cõiuncta est cum serpẽte diabolo. Originale peccatum quasi partus Euæ cum diabolo coniunctæ.

Matth. 10

15 Exponit illud Christi dictum. *Ne vobis patrem dicatis in terra.) Nimirum quia alios natales inuenimus, quibus non patri succederemus, sed cum patre semper viueremus; & demonstratur paterno antiquo debito non mori, quia hæreditatem patremq; mutauimus*. Pulchrè dictum, per baptismũ nos alios sortiri natales multò nobiliores. itaque non iam Adam, sed Christum parẽtem agnoscimus, ac proinde non illius, sed huius hæreditas nobis contingit. illius hæreditas mors est, huius vita, & immortalitas.

Per baptismum alios natales sortimur nobiliores.

16 Audaciam Iuliani carpit, tot fidei testimonijs resistentis. *Audes, Iuliane, te agmini sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sacerdotumque miscere? cum Patriarcha tibi dicant, etiam pro paruulis oblata sacrificia, eò quod non sit mundus à sordibus nec infans vnius diei: cum dicãt tibi Propheta: In iniquitatibus conceptus sum. cum dicat Apostolus; Quicumque baptizati sumus, in Christo baptizati sumus. cum dicant tibi Martyres, &c.* Vide quantæ audaciæ, ac demẽtiæ sit sub tam sapientibus doctoribus esse peruicacem, & sub tot Martyrum testimonio. quod & ad nostri temporis hæreticos refer.

Magnæ audaciæ est contra dicere tot Ecclesiæ doctoribus.

Ex libris ad Renatum de Anima, & eius origine.

1 PRæscientia Dei non tolli liberum arbitrium, docet. *Præscientia Dei quos sanaturus est, peccatores præscit, non facit; nam si eas animas sanat à peccatis, quas impleuit ipse peccato, vulnus sanat, quod intulit nobis; non quod inuenit in nobis.* acutè, & eleganter per antithesin negat Deum auctorem peccati. nam idem videretur, & hostis. & amicus. idem & carnifex, & medicus. egregiè dictum. *peccatores prænoscit, non facit.*

Præscientia Dei nõ tollit libertatem.

2 Pulchrè latronis fidem exaggerat. *Latro in cruce confessor, de quo nonnunquã præiudicium tentatur contra baptismum, à Cypriano sancto inter Martyres computatur, qui suo sanguine baptizatur, quod plerumque non baptizatis feruente persecutione euenit; tanto namque pondere appensum est, quod confessus est dominum crucifixum, quantum si fuisset pro domino crucifixus. tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum emarcuit. doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturum post mortem. deseruerunt illi sponsorem salutis, honorauit ille socium crucis. inuenta est in eo mensura Martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant Martyres, &c.* & hæc admodum ornatè dicta per antithesin, in primis illud: *fides latronis de cruce floruit, cum Apostolorum emarcuit*: scilicet in illo Caluariæ, ac putriũ ossium fœtore, huius fidei quasi flore se solatus est Christus. nempè ille flos campi erat, qui & hunc vertit in florem. item hoc nota, cum coronatus Christus à Iudæis est spinis, tunc à latrone coronatus est fidei flore. Deinde quod ait; *tanto pondere appẽsum est, quod confessus est, &c.* Subijce mẽtis oculis libram quandam, duas lances habẽtẽ, in vna crucifixionem ipsius latronis: si fuisset facta pro Christo, vt accidit Martyribus, pone; in altera cõfessionẽ de Christo crucifixo, quam facit: æqui ponderis ambo, inquit, futura essent: adeò hæc confessio illi grata fuit, quasi compar, aut germana martyrio: est verò illa præclara laus, latronem tunc subijsse martyrium pro Christo, quando Apostoli, qui postea illud suscepturi erant, defecerunt.

Latronis fides de crucis arbore velut efflomit.

Confessio latronis tantumdẽ pondus habuit ac martyriũ.

3 Pergit item pulchrè de latrone. *Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur, latronem, qui tunc credidit, iuxta dominum crucifixum, aqua illa, quæ de vulnere eius emanauit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum.* quãquã non certò constare ait, an fuerit antea baptizatus, sed si nunc primùm baptizatus in cruce est, nota priuilegiũ huius baptismi, nã alij baptizantur aqua aliorum fontium, latro aqua de limpidissimo fonte cordis Christi, quæ per huius vulnera quasi per canales ducta incredibilem inde suauitatem, & vim salubrem accepit, iuxta illud: *haurietis aquas de fontibus Saluatoris.*

Latro baptizatus creditur aqua lateris Christi.

4 Docet, animas non præextitisse ante conceptum hominis; nam Paulus ait: *Cum ipse det omnibus vitam, & spiritum. quo ostendit, Deum sine cessatione semper animas nascentibus dare. cum det, inquit, non, dedit. cum autem addit: Fecitque ex vno omne genus humanum: animam retulit ad auctorem, corpus ad traducem.*

Anima nõ præextitit ante conceptum.

Ex libris ad Vincentium de animæ origine.

1 PVtabat hic, animam non de nihilo, sed de ipso flatu Dei esse, vt de flatu Elisæi, sed contra, quia huius flatus non erat anima pueri. Idem putabat, esse animam corpoream; sed quomodo tot res, ac tam ingentes capere posset, montes, &c? præterea in somnis multa videt, quæ non sunt vera corpora: Quod autem obijciebat quandam visionem. *Sancta Perpetua, inquit, visa est sibi in somnis cum quodam Aegyptio in virum conuersa luctari.* hoc accidisse ait, quia in anima est similitudo corporis, non ipsum corpus; nam verè illa non mutauerat sexum, sed similitudinem tantùm, tum sic pulchrè. *Quando eius anima luctabatur, in sua vagina erat, vtique omnibus membris viuentis inclusa. quod si tale aliquid apud inferos geritur, & in eis se non corporibus, sed corporum similitudinibus animæ agnoscunt?* ac sic intelligi posse ait illud de linguæ ardore in diuitis Euangelij. notabile verò est illud, Perpetuã cum persecutoribus luctaturam, antea sibi visam virili forma cũ Aegyptio luctari, quasi in palæstra quadam in somnis se strenuè exercens, vt spem conciperet, ità se victricem fore de Tyranno. similis illa fuit in Iacob, sed vigilis lucta cum Angelo; nã si Angelum vicit, multò magis Esaũ vincere poterat. Eleganter porrò ait, animam in corpore tanquam in vagina gladium inclusam esse: quò spectat illud Geneseos. *Nõ permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*: hæbraicè est. *non erit spiritus meus tanquam in vagina.* itaque anima gladius est. cum igitur Tyrãnus mortem afferebat Martyri, putans sic eum posse vincere, potius educebat gladium è vagina; atque hac ratione factum est, ut Martyres tot strages ediderint de idolis, ac triũpharint. solebãt aũt uaginę gemmis ornari, præserrim iaspide, quæ Phrygia sanguinei coloris est. atq; illi,

Visio mira S. Perpetuæ cum Ægyptio in somno luctantis.

Anima in corpore tanquam gladius in vagina.

Plin. 37. c. 8.

Virg. illi, inquit, stellatus iaspide fulua ensis erat. ità hæc vagina corporis Martyrum proprio sanguine veluti gemma ornata est. potest item hoc S. Perpetuæ somnium sibi visæ cum Ægyptio luctari, referri ad S. Xauerium, qui etiam in somno cum turpi illo spectro, quasi Ægyptio adeò luctatus est, vt propter æstum pugnæ sanguinem exudarit. illa verò eiusdem pia lucta fuit, cum in typum gentilitatis Æthiops eius grauãs humeros, pcib⁹ ipsũ expugnare visus est, vt sibi consuleret, euangelizandi labore suscepto. itaque in illa lucta victor, in hac victus, sed vtrobique strenuè, & cum laude.

* Ex libro de prædestinatione, & gratia.

Stultum est iuxta rationes humanas diuina pésare.

1 QVærũt, cur, si Deus vult omnes saluos fieri, alios induret, aliorum misereatur. Respondet. *Quis ità desipiat, vel blasphemet, vt dicat de iustitia Dei lege humana disputandum? qua perfectio si iustitiæ Dei aduersatur, iniusta est.* Egregiè dictum, humanæ iustitiæ proprium esse parere diuinæ, non se conferre cum diuina, rationes, & argumenta sectando.

Falsus prętextus est ex Dei præscientia necessitatem imponi ad peccádũ.

2 Liberum arbitrium à Deo cogi negat. *Si quis peccata sua ita nutriẽdo, figura, vel vmbra, vel typho superbiæ blandiente decipitur, vt dicat: voluntati eius quis resistat? iuxta Apostoli verba, nouerit, hac plus nos ad humilitatem, & pietatẽ cogi, atq; arctari sententia; nam à Paulo id dicitur, vt ad Deum toto corde suspensi, ab eo auxilia postulemus.* non igitur nostris viribus confidendum. rectè arguit, prætextum illum de potentia diuinæ voluntatis ab improbis accipi, vt nutriant peccata, & velut sub ea vmbra peruersam suam voluntatem tegant; nã ꝙ eos ad obediẽdũ Deo magis allicere debet, hoc reuocat. vide aũt quàm ardenter, ac studiosè diuinam Gratiam exposcere debeamus: *ad Deum toto corde suspensi.*

Rom. 9.

Dei auxilium toto corde suspensi petere debemus.

3 Exponit Pauli locum de gratia. *Illud Apostoli: Cuius vult miseretur; puto nullus nisi indignus misericordia audeat disputare. quod verò sequitur; quẽ vult indurat: quid est aliud duritia, quàm Dei obuiare mandatis? vnde illud beati Stephani. Dura ceruice vos semper Spiritui sancto restitistis.* rectè, indignum dicit esse gratia, qui eam non gratuitam agnoscit. & nota vt induratio proprio vitio fiat.

Ibidem.

Act. 7.

Quatuor gradus diuinæ prædestinationis.

4 Et hoc pulchrè exponit. *Quos prædestinauit, illos & vocauit &c.) Ipse enim dedit, vt simus ipse, vt boni esse possimus; præscit enim nos eius diuinitas, sapientia condidit, iustitia damnauit, Gratia liberauit.* Nota quatuor quasi gradus, per quos ascendimus ad cognitionem diuinæ prædestinationis,

5 De Dei immutabilitate sic. *Mundus quamuis pro tempore cœperit, in illa præscientiæ luce faciendus, nullum potuit habere principium; & quotquot homines nati, & nascituri, apud Deum nati iam sunt; aut si transierunt, in illo diuini obtutus lumine permanent.* Mira præstantia diuinæ naturæ.

Dei immutabilitas.

Dei præscientia non tollit libertatẽ.

6 Præscientia Dei negat impediri libertatem. *Relegat quisque illum scripturæ locum, vbi primò Mosi in rubo ignis apparuit, atque ità cor eius ardore diuinæ charitatis igniuit, vt in conspectu Regum sine confusione loqueretur, & ibi inueniret indurationem Pharaonis, non ad operationem Dei, sed ad præsciẽtiam pertinere: ego, inquit, scio, quòd non dimittet vos Pharao, nisi per manum magnam. hæc prima vox Dei est, qua futuram voluntatem Pharaonis, sicut præuiderat, indurabat. postea inter ipsos miraculorum imbres dixisse legitur, ego indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum; vbi iam apertè intelligitur, primam iterasse sententiam.* sed vsus est malo ad bonum aliorum. nota illud, Deus in rubo *cor Mosis ardore diuinæ charitatis igniuit.* nam ignis ille non inflammabat spinas, sed cor Mosis: vbi etiam dicitur vocatus de medio rubi, in hebræo est, de corde rubi: igitur Mosis cor ex corde rubi ignefactum est, quantò igitur ardentius nostrum cor ignescere debet ex Christi spinis coronato? hinc etiam discimus neminem ad concionandum accedere debere, præsertim ad aulam principum, nisi Deo ignitum; nam vel ethnici oratoris vox est: Ardeat orator. Illud autem mirè simul, & pulchrè dictum, Pharaonem, *inter ipsos miraculorum imbres induratum.* nam imbres potius emolliunt terram ad satus accipiendos. adeò peccator, si obstinationem, & peruicaciam induit, nihil ex tot Dei beneficiorum imbribus proficit.

Obduratio nec miraculorũ nec beneficiorum imbribus proficit.

7 Deinde hoc ipsum ostendit ex illo loco. *Iacob dilexi, Esau odio habui) dictum est nondum ijs natis, aut operatis, ne obstaculũ Gratiæ factum putemus.* acutè ostendit, cur ãte ortũ Esau Deus hoc dicens inducatur, nempè vt, postquam ortus est, liberè agere ostendatur, nec vllum à Deo impedimentum poni.

Cur de Esau Deus loquatur antequam natus.

8 Docet, cur cooperationem nostram requirit Deus? Ne scilicet homo deses, ac segnis esset, & nullam industriam haberet. *Ità res ordinauit, vt vocatione ipsius bonorum primordia sumeremus; vocati autem, atque illuminati vias mandatorum nosceremus, & libero, vel eligentis, vel relinquentis arbitrio, tandem subiectam obedientiam coronaret.* Præclarè dictũ de ordine, & dispositione, quam tenet Deus circa salutem nostram. sed nota, quid tã cõtrariũ videtur quã obedientię subiectio & corona? & tamen subiecta obedientia tanquam regina coronatur à Deo. hoc ipsum docet, explicans il-

Deus quã sapienter ac piè ordinet salutẽ nostrã dic, ac disponat.

Cor. 15.

 lud.

lud: *Gratia Dei sum id, quod sum. hæc est prima misericordia, quam liberæ vo luntatis opera subsequuntur. quare addit: & gratia Dei in me vacua non fuit, quid enim fecisti? plus, inquit, laboraui: sed ne hoc quidem sibi tribuens, sollicita pietate subiunxit: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* pulchrè ait, *sollicita pietate*, quasi timeret Paulus, ne laborem suum exaggerans sibi nimium arrogaret; ideo statim se declarat.

Psal. 93.

Cognitio legis non sufficit sine auxilio ad implendam.

8 Probat, gratia opus esse, vt intellectu cõspecta cũ merito agam*. *Dauid dixit: Beatus, quem tu erudieris Domine: sed videamus an hæc eruditio, & scientia legis ad beatitudinem sola suffecerit; cur ergo rursus idem clamauit ad Dominum dicẽs: Da mihi intellectum, & scrutabor, & custodiam, &c. parùm erat, quod ad scrutandam legem popoſcerat intellectum, nisi etiam ad custodiendum significaret auxilium.* acutè ponderat Dauidis postulata. Dicet aliquis, eum popoſciſſe tantùm auxilium ad intelligenda, quæ esset amplexurus virtute propria, sed cur addit deprecãs: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem?* vides gratiæ necessitatem ad legẽ ipsam implendam, & vitium uitandum, nec sufficere cognitionem tantùm.

Deus omninò laudandus in ijs, quæ de nobis constituit.

9 Piè satis, ac pulchrè siue in saluatis, siue in damnatis Deum laudandum ostendit: *Gratulare quicunque illuminatus es, & gratiã, q̃ non merebaris, agnosce. geme, quicũq; induratus es, & iustitiam confitere. dic lauacro gratiæ adiutus: Misericors, & miserator Dominus, patiens, & multæ misericordiæ. dic quicunq; damnaris: Iustus es domine in omnibus, quæ fecisti mihi, quia in veritate, & iudicio super induxisti omnia hæc propter peccata nostra.* Vide ut undique Deo laus debeatur siue puniat, siue coronet.

Dei præscientia neminem cogit.

10 Infallibilem Dei præscientiam non obstare libertati, docet; Obijcientibus autem, Pharaonem nõ potuiſſe mutari, quia sic eum præsciuerat Deus, respondet: *Dei præscientiam non cogere hominem, vt talis sit, qualem præscierat, sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus; quem si cogeret esse, hoc vtique cogeret quod non est. porrò si hoc præscierat futurũ esse, quod non est, præscientia non est.* acutè, ac Theologicè dictum, sed tamen & concionatori ad conciliandam sanæ doctrinæ fidem apud auditores necessarium, modò non iactanter.

2. Cor. 2.

Peccator belligerat contra Dei misericordiã liberi arbitrij armis.

11 Arbitrij libertatem ostendit exemplo Nabucdonosor, & Pharaonis: vterque flagellatus, ille mollitur, hic induratur. *Dic cur medicina vnius medici alij ad interitum, alij valuit ad salutem? nisi quia Christi bonus odor, alijs est odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad benignitatem, & pietatem ambo flagellis clementer admoniti; quid ergo hæc eorũ fecit esse diuersa? nisi quod vnus peccatum ingemuit, alter libero contra Dei misericordiam pugnauit arbitrio;* Eleganter ostendit, cum quis gratiæ non correspondet vocanti, armari quodammodo, ac belligerare arbitrio ꝓprio aduersus Dei misericordiam, iuxta illud Iob. *Tetendit aduersus Deum manũ suam; cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* quid ni hoc Titanico bello insanius dicas? præsertim cum dicat: *contra Dei misericordiam libero pugnabat arbitrio*. cui scilicet misericordiæ tantum debemus. & pugnat liberi arbitrij armis, quod pro magno beneficio tributum est.

De prædestinatione Sanctorum.

12 Docet, cur tandiù sit dilata Incarnatio Verbi? Nempe tunc Christus apparuit, quando, & vbi sciebat credituros. vbi verò, & quando non est prædicatum, præuidebat tales futuros, quales qui in eum, nec mortuis suscitatis credere voluerunt. *Quid ergo mirum, vt tot infideles per Orbem terrarum prioribus sæculis Christus prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* quãquam cum de Tyro, & Sidone credituros fuiſſe dicit, ad occulta eius iudicia recurrendum est. Addit hoc notabile: *Cum nonnulli commemorentur in hebræorum libris, nec de stirpe Abrahæ, nec de populo Israel, qui huius Sacramenti participes fuerunt, cur non credamus in ceteris his, vel illis gentibus alios, atque alios fuiſſe, quamuis eos commemoratos non legamus? ità salus nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui deficit, dignus nõ fuit.* Vide Dei bonitatem ad omnes omni tempore se diffundentem, vt piè credere liceat ex omnibus ferè nationibus fuiſſe aliquos, qui vnum Deum agnoscentes saluati sint.

Cur Incarnatio Verbi tandiù dilata.

Lucæ 10.

Ante Christum probabile est ex omni gente nõnullos saluatos.

13 Non sunt omittendæ diffinitiones illæ. *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia verò ipsius prædestinationis effectus.* Tum de cooperatione nostra cum gratia sic pulchrè: *Nisi homo faciat, quòd Deo non donante, ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet.* Addit item pulchrè. *Si credideris, saluus eris: vnum horũ exigitur, alterum offertur.*

Quid sit prædestinatio, & quid gratia.

14 Per gratiæ donum, nos habere, vt boni simus, ostendit. *Ait Apostolus: Deo gratias, qui semper nos triumphare facit in Christo per odorem notitiæ suæ; per omnes manifestat in omni loco, quia Christi bonus odor sumus, &c. Ecce vnde gratias agit miles acerrimus, & defensor inuictissimus gratiæ.* Elegãter, ac pulchrè Paulum gladio illo suo armatum

Paulus miles acerrimus, & defensor gratiæ.

matum facit quasi acerrimum militem, & propugnatorem inuictissimũ Gratiæ Dei, per quam triumphum acquiri dicit, & bonam famam. nempè Gratia ipsa propugnatrix est, & nobiscum bellatrix. æquum est igitur, vt & à nobis ipsa à calumnijs hæreticorum defendatur.

Exponit illud Apostoli. *Ostium mihi apertum est, &c.) Quando aperitur ostium verbis, nisi cum sensus aperitur audientis vt credat? quid est, orantes, vt Deus aperiat nobis ostium verbi, nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei?* rectè conuincit hoc non esse à natura, quia non peteretur, vt donũ, atqui orari vult Deus, vt mentem illustret, & sensum aperiat, quod principium est, & quasi ostium, quo fit aditus ad bene operandum. orandum igitur est, vt Deus repugulum serasq; tollat, vel ignorantiæ, vel obstinationis, nam diabolus se ipsum vectem facit, vt tenaciter claudat, vnde dicitur: *Visitabit dominus super leuiathan serpentem vectem, & tortuosum.*

Initiũ iustificationis non à natura, sed à gratia.

Fides qua si ostium est à Deo aperiẽdũ.

Esa. 27.

15 Ostendit qua ratione gratia conferatur. *Inclinat Deus corda, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle; vt ait per prophetam; Dabo vobis spiritum meũ, & faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, &c.* huc refer illud ex actis Apostol. *Crediderũt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. quo ostenditur Deus ad regnum cœlorum, & ad vitam æternam parare, & conuertere hominum voluntatem.* Nota, quod ait. *Inclinat Deus corda.* & Dauid ait: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua.* at idem alibi ait, *Inclinaui cor meum ad faciẽdas iustificationes tuas.* quamobrẽ ègregiè vocat *mibilem, & ineffabilem modum*, quo Deus nobis cum per gratiam cooperatur, sine dispendio libertatis.

Ezech. 36.

Mirus, & ineffabilis modus ẽ, quo Deus in nobis per gratiã agit.

Ex Libro de bono perseuerantiæ.

1 DE gratia præueniente, & subsequẽte exponit illud Apostoli. *Vobis donatum est non solùm, vt credamus in eum, verùm etiam, vt patiamini pro eo,) idest vt moriamini pro eius fide: alterum ad initium pertinet, alterum ad finem: vtrumque donum Dei.* Vide quantum dependeat à Deo salus nostra, ab initio usque ad finem. à carceribus, usq; ad metã: in toto stadio eius opeopus est; cũ rectè dictum sit: *Dominus custodiat introitum, & exitum tuum.* & uide quò aspirare debeat finis noster, ad moriẽdum scilicet pro Christo.

Phil. 1.

Initium, & finis noster à gratia pẽdet.

2 Prædestinationem, & saluationem ad Dei uoluntatem, & misericordiam refert. Tandiu Christus non est prædicatus, quod præscierat, non credituros, cum multi, etiam postquam venit, non credant; quanquam non potest hoc dici de Tyro, & Sidone, nam dicit: *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent.* Addit. Deus non punit mortuos de peccatis, quæ præsciebat facturos, si superuixissent; alioquin Tyrus, & Sidon saluarentur, quia prę-uisæ crediture, si Euangelium ijs fuisset prædicatum; non igitur multi infantes sine baptismo ideò mortui, sed quia *non nisi per Dei gratiam gratuitam regeneratio donatur; hinc dicitur in psalmo: Vniuersæ viæ domini misericordia, & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia Dei, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis; & inuestigabilis veritas, qua quem vult indurat, eius quidam præcedentibus meritis, sed cum eius, cuius miseretur, plerumque communibus.*

Cur prædicatio de Christi si de tandiũ dilata.

Prædestinatio ex Dei volũtate pendèt nõ ex meritis.

Dei tum misericordia, tum iustitia inuestigabilis.

3 Gratuitam esse saluationem sic egregiè docet. *Deus non omnibus dando, quid omnes mereantur, ostendit.* Nota cur Deus alterum saluet, alterum damnari sinat, etiam si æquè, aut minus peccauerit, vt scilicet qui saluatur, agnoscat id sibi non deberi, sed misericordia saluari; potuisset enim Deus & ipsi efficacem gratiam non donare. huc pertinet quod sequitur. *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit, vt daretur.* aliquando igitur baptismus filijs infidelium dari potuit, fidelium non item; vbi nota de iudicijs Dei arcanis, & ea humiliter reuerere.

Saluatio ex mera Dei volũtate est.

4 Rursus probat gratiam non dari ex meritis. *In libris confessionum dixi Deo: Da quod iubes, & iube quod uis. quæ verba Pelagius Romæ cum à quodam Episcopo fuissent commemorata, ferre non potuit, & contradixit aliquantò commotius.* Putabat ipse secundùm merita dari gratiam, sed hoc est negare gratiam. *Hæc ingrata Deo sententia destruatur, quam ità exhorruit catholica fides, vt damnari timẽs hoc Pelagius ipse damnauerit.* huc pertinet quod addit: *Prædestinatio prædicanda est, vt possit vera Dei gratia, quæ non secundùm merita nostra datur, insuperabili munitione defendi.* Vide quàm solidis propugnaculis, quàm firmis munimẽtis nitatur gratia.

Pelagius Augustini dictis infensus de gratia.

Ex Libro de prædestinatione Dei.

5 PRædestinationis genera doctè partitur. *Prædestinationes aliæ sunt alligationis, aliæ conditionis; istæ sunt iustitiæ, illæ sunt potentiæ:* videlicet, vt cœlum voluatur,

vt dies,& nox fiat;vt Sol,& Luna ei præsit, alligationis sunt,siuè potentiæ:*vnumquodque enim eorum sic est alligatum suo operi per prædestinationem Dei,vt ab eo dimoueri non possit*. at verò cum prædestinatum est,vt homo, si obediens esset, in vita permaneret,& contra: *est prædestinatio conditionis,& iustitiæ;non enim ante casum prædestinat mori, vt necesse esset; nec sub conditione peccati, nec vim faciens,vt duceret ad mortem. quærenti igitur,cur cœlum voluitur?respondetur absolutè,quia Deus prædestinauit; sed quare homo moritur? non absolutè nisi posito peccato*. insignis,& notabilis, partitio duplicis generis prædestinationis,vnum alligationis, & alterum conditionis:acutè distinctum vtrumquè.

Prædestinatio alte ra alligationis alte ra conditionis.

6 Gradus ponit, quibus peccator fit obnoxius damnationi. *Peccatum in homine incitat in Deo zelum iustitiæ, zelus iustitiæ prædestinationem, prædestinatio autem attrahit mortem.* Vides peccatum ipsũ sibi fabricari,& extruere quasi suppliciũ illud, quod Gemonias scalas vocabant, in quas corpora damnatorum tracta præcipitabantur:ita peccatum per supra dictos gradus peccatorem attrahit ad mortem. Deinde soluit obiectum.Dices,quomodo peccatum est causa prædestinationis, si prior est prædestinatio?respondetur, quia Deus antea per præscientiam futura quasi facta pertractat. *Prædestinatio præcurrit tempore offensio verò affectione.*Egregia,& acutà planè distinctio.

Peccatum quasi per scalas Gemonias peccatorẽ præcipitat ad morem

7 Eleganter exponit Esaiæ locum. *Ego dominus pacem faciens,idest ex me, & creans malum, idest ex te tibi: bellum apud me est iustum, tibi malũ: nam idẽ potest esse vni malum, alteri bonum,vt victoria*. rectè ait, quod Deus nobis reconcilietur, est ex mera sua bonitate;q aũt in nos velut armat' insurgat puniẽdo,ex nostra malitia est, sed ad ipsius iustitiã ptinet. & aptè hoc bellum vocat. *Emittat in eum iram furoris sui,& pluat super illum bellum suũ*.ait Iob.

Es. 46.

Bellum Dei in peccatorẽ apud Deũ iustũ est, licet huic malum.

Iob 20.

Ex libro de gratia,& libero arbitrio.

1 QVod ait Ecclesiast. *Apposuit tibi ignem & aquam; fide, libertate vtrùm eligas intelligitur* ideò in scripturis frequens hæc vox: *Noli*: vt,*Nolite fieri sicut equus.& noli vinci à malo,&c.* Nota,nam mos olim nuptialis fuit, vt sponsæ apud limen sponsi apponeretur ignis, & aqua; ac proinde liberum arbitrium homini concessum Dei donum esse censendum est,nos ad amorem ipsius excitantis.

Libertas arbitrij p ignem, & aquam significata.

2 Ad Dei gratiam refert illud Apostoli. *Ego enim iam immolor,&c. superest mihi corona iustitiæ, &c. Quomodo ista debita redderentur, nisi prius gratia gratuita donaretur? si merita tua bona sunt. Dei dona sunt.hinc Iacobus ait: Omne datum optimum de sursum est, &c. dona sua coronat Deus,non merita tua*.nempè opera bona præcedit cogitatio bona, at ipsa cogitatio bona à Deo est.itaque ait. *Non quia idonei simus cogitare aliquid ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*. Pulchrè, & egregiè ait. *Dona sua coronat Deus, non merita tua*. nam quod coronam in bello acquisieris hostem vincendo, non fuit ex tuis viribus, sed ex ope illius.

Deus remunerans coronat dona sua non merita nostra.

3 Soluit obiectum. Dices, quomodo Apostolus dicit. *Gratia autem Dei vita æterna in Christo*.si alibi dixit: *ei,qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm meritum*. Respondetur, quia bona opera, ex quibus datur vita æterna,ex gratia sunt; *Sine me,inquit, nihil potestis facere*. itaque *vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia;& vita æterna,quæ vitæ bonæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur,quia gratis est data illa,cui datur; sed illa,cui datur, solùm gratia est;hæc autem,quæ illi datur, quoniã præmium eius est, gratia est pro gratia tanquam merces pro iustitia: ita ait Ioannes Baptista de Christo: De plenitudine eius omnes accepimus & gratiam pro gratia*.Egregiè ostendit,quomodo intelligendũ sit,nec repugnet,æternam vitam dici gratiam, & dari secundùm meritum, quia meritum seu bonum opus non fit sine gratia: adeo omni ex parte beneficam gratiam agnoscere oportet.

Rom. 6. & 4.

Quomodo uita æterna sit gratia, & ut secundum meritum.

Ioan. 11.

4 De peccati originalis damnis hæc habet. *Dixerat Apostolus;stipendium peccati, mors. Quia diabolicæ militiæ mors æterna tãquam debitum redditum: deinde cum posset dicere, & rectè dicere:stipendium autem iustitiæ vita æterna, maluit dicere: gratia autem Dei vita æterna; vt hinc intelligamus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. sic in psalmo dicitur. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*.nempè eius miseratione bona operamur,quibus corona redditur. acutè aduertit, cur non vocet stipendium iustitiæ vitam æternam,sicut vocat stipendium peccati mortem? quia nimirùm hoc denotat debitum,non illud cum sit ex gratia. Tum nota quid sit,mors peccato originali debita. *diabolicæ militiæ stipendiũ*, quippè diabolus suis quasi militibus pro stipendio, quod in vitali alimento positum esse deberet, vt olim in farre, siuè adorea, dat mortem.vide igitur an Deipara dicenda sit vnquam in exercitu diaboli fuisse, eiq; velut Imperatori militasse sub hoc stipendio mortis æternæ, vitam paritura: immò ipsa vna tantarum virium est contra diabolum,

Rom. 6.

Mors peccato origĩnali debita est diabolicæ militiæ stipẽdium.

Ps. 102.

bolum, vt dicatur: *sicut castrorum acies ordinata*, & rectè, nam cōtra in originali peccato deordinatio est.

5 Impugnat Pelagij dictum, legem ipsam esse Dei gratiam, qua iuuamur ad non peccandum; at Apostolus ait: *Scientes quoniam non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi.* eundem, & eius asseclas sic vrget. *Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, vt habeamus mentem rationalem, in qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei; sed hæc communis etiam infidelibus, & sic ex natura iustitia est, ergo Christus gratis est mortuus.* Vide quàm vafrè, atque inuidè conatus sit diabolus extinguere in hominibus affectum erga beneficium redemptionis, quasi nihil deberemus tot Christi laboribus, sudoribus, cruciatibus, morti; quando sine eius gratia per naturæ vires bene operari possumus.

Si iustitia ex natura esset nihil Christi passioni deberemus.

6 Arguit item Pelagij dictum. Conuicti Pelagiani aiūt: *Et si gratia nō datur secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur, quia bona voluntas præcedit orantis, quia præcessit voluntas credentis: sed Paulus ait; Deus est qui operatur in vobis, & velle, & operari; & Ecclesiast. præparatur voluntas à Domino.* Vide vt initium ipsum à Deo agnoscendum sit, & vbique gratia locum habeat. Tum respōdet obiectis. *Non iuberet, inquiunt, Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nescit? sed ideò iubet aliqua, quæ non possumus, vt nouerimus, quia ab illo petere debeamus.* Nota Dei sapientiam, & industriam in iubendo. Denique sic concludit. *Vt & velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur.*

Gratia operans, & cooperans.

7 Exponit Dauidis dictum cum à Semei probrosè habitus ait. *Sine illum vt maledicat, quia dixit illi dominus.) Non iubendo dixit Deus, nam obedientia laudaretur; sed quod eius voluntatem proprio vitio suo malā in hoc peccatum iudicio suo, iusto, & occulto inclinauit, hoc est cor eius malum misit, vel dimisit.* Subiungit Dauid; *Vt videat dominus humilitatem meam, & retribuat mihi: Ecce vtitur malo Deus in bonum, qui & ipso diabolo vtitur pessimo ad exercendos, & probandos bonos.* Egregiè Dei bonitatem demōstrat, qui malum ipsum dirigit ad bonum vel inuito, vel inscio eo qui facit malum; quod de diabolo dicit, apertè patet in Iob.

Dei bonitas vtitur etiam malo in bonum, immò ipso diabolo pessimo.

8 Admirabilem Deum ostendit, vel in hoc, quòd voluntatem suā exequatur absque detrimento liberi arbitrij nostri. *Quis non iusta Dei iudicia contremiscat, quibus agit Deus in cordibus malorum etiam hominum, quidquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum?* Roboam respuit propria voluntate consilium bonorum, & tamen dicitur. *Non audiuit Rex plebem, quoniam erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum, quod locutus est in manu Abiæ: vt irati Dei voluntas fieret, quod & etiam futurum esse prædixerat. Sic etiam in paralip. Suscitauit dominus spiritum super Ioram, spiritum Philistinorum, & Arabum, & ascenderunt in terram, &c. Hi ex sua voluntate venerunt, & eorum tamen spiritum dominus suscitauit; agit enim Omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino iniustè aliquid velle non nouit. & in prouerb. dicitur; Sicut impetus aquæ, sic cor Regis in manu Dei; quocunque voluerit, destinabit illud. & in psalmis: Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius. & seducere dicitur prophetā illum apud Ezechielem.* rectè admiratur ineffabilem modū, quo Deus agit quod vult in corde etiam peccatoris, ita vt & fiat quod vult, & peccator proprio vitio condemnetur. præcipuè nota illud de impetu aquæ, cui cor Regis comparatur, quo facilitas Dei ostenditur in Regum cordibus quò velit traducendis.

3. Reg. 12. Paral. 12.

Mirus Dei modus agendi in cordibus malorum prout vult

Prou. 21. Ps. 104.

9 Conuincit apertè aduersarios. *Pelagius certè de paruulis non habet quid respondeat, quibus etiam cum fletu reluctantibus, dum baptizantur, datur gratia, non modò nullis præcedentibus meritis.* acutè demonstrat gratiam non dari ex meritis, cum detur infantibus, qui q̄ fit ignorant, ideoq; ēt flentibus, & reluctantibus. item aliquando filijs infidelium præstatur hæc gratia, cum occulta Dei prouidentia perueniunt ad manus fidelium, & filijs fidelium non datur, vnde illud Apostoli. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, &c.* Nota de zelo baptizandi infantes infidelium captiuorum. & vide vt in omnibus Dei pietas effulgeat, cū pro beneficio detur infidelibus fideliū fieri captiuos, hac enim occasione, & ipsi, & ipsorū filij fidem accipiunt; & quod inter arcana Dei est, aliquando filij fidelium antequam baptizentur, moriuntur, & filij infidelium baptizantur.

Gratia nō datur ex meritis.

10 Præclara vox illa, licet breuis non omittenda. *Non debemus dicere: faciamus mala, vt veniant bona; sed fecimus mala, & venerunt bona.* locus est ab opposito. in altero peruersitas est, in altero cognitio maleficij, & recognitio beneficij, siue gratiæ.

Peccatum nullo prætextu committendū.

Ex libro de correptione, & gratia.

1 De occultis Dei iudicijs in prædestinando sic quærunt. Curaliquem Deus cum fideliter, & piè viuebat, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, antequam malitia mutaret intellectum eius? respon-

De prædestinatis, & reprobis causa non ad nostra sed ad Dei iudicia spectat.

respondendum est: *ò altitudo diuitiarum, &c. sic quærenti, cur Deus non perseuerantiam dedit, cui dedit & dilectionem?* rectè Dei iudicia veneratione admiranda, non curiosius scrutanda dicit. *quis consiliarius eius fuit?* ait Esaias.

Ex responsis ad articulos sibi oppositos.

1 SOluit quod objiciebant, peccata fieri quia Deus ità præsciuit: *Si diabolo obijcitur, quod talium facinorum esset auctor, & inuentor, puto quod aliqua ratione hac se posset exonerare inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret; quia & si delectatus sit furore peccantium, probaret tamen, se non intulisse vim omninò. quanta igitur est dementia ad Dei referendum esse cōsilia, quod nec diabolo in totum adscribi potest, qui eis illecebrarum adiutor, non voluntatis generator? nihil ergo talium Deus prædestinauit, vt fieret; nec animam, vt taliter viueret, præparauit; sed talem futuram non ignorauit, & de tali iustè se indicaturum esse præsciuit.* rectè execratur impium dictū. nam faciunt Deum peiorem diabolo; quia hunc suasorem, illum effectorem peccati statuunt, per præscientiam necessitate imposita. acutè igitur argumentatur. quomodo præscientia est causa peccati, si est condemnatrix peccati?

Non modo non Deus, sed ne diabolus quidē cogit ad peccandū

2 Præscientia non tolli libertatem docet. *Præsciti, quia sunt casuri, non sunt prædestinati; essent aūt prædestinati, si essēt reuersuri, & in bono māsuri; ac per hoc p̄destinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi.* mox addit. *Deus nemini p̄ hoc, q̄ falli nō potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.* rectè ait, tantum abesse vt prægcognitio Dei obsit, vt potius prosit. Tū respondet obiecto, quod frustrà orēt Deum de obtinenda perseuerantia ij, qui prædestinati non sunt. *Ad peccatum nulla est prædestinatio Dei, qui recessurum non deserit antequam deseratur, & facit plerumque, nè deserat; aut etiam si discesserit, vt redeat. cur autē hunc retineat, non illum, nec possibile est comprehendere, nec licitum inuestigare; cum scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non esse ab illo quod ruitur.* egregiè, & grauiter dictum de prædestinatione, circa quam vnū scitur, alterum nescitur.

Præsciti non carēt libertate.

De prædestinatione quid sentiendū

3 Obtemperandum Deo sic ostendit. *Qui facturi non sunt voluntatem Dei, & petunt, vt fiat voluntas Dei, in eo quod voluntate Dei faciendum est, exaudiuntur, vt imitatores diaboli cum diabolo iudicentur; qui enim spreuerunt voluntatem Dei inuitantem, sentient vindicantem.* acutè arguit, cum peccator petit in oratione dominica, vt fiat voluntas Dei, contra se ipsum loqui, quia voluntas Dei est, ut qui non facit ipsius uoluntatem, unà cum Diabolo damnetur. pulchrè igitur ait: *qui spreuerunt volūtatem Dei inuitantem, sentient vindicantem.*

Peccator petens fieri Dei voluntatem, & non faciens contra se ipsū loquitur.

Ex Libro I. Hypognosticon.

1 ARguit dicentes, Deum esse mortis auctorem, quia morti obnoxium creauit hominem, etiam si non peccasset. sed si *Deus mortem fecit, cur Christus Deus mortuum Lazarum fleuit?* idem sic ostendit. *Mors priuatio vitæ est, nomen tantùm habens, non essentiam, & ideò Deus auctor eius dici nō potest.* acutè argumentatur; Deus rerum creator est; at mors est negatio potius rei, idest priuatio uitæ. Tum sic mortē definit. *Opinor, quod ideo mors hoc vocabulū accepit, quod morsu quodammodo venenosi serpentis, idest Diaboli Adam fuerit interemptus.* Nota horrendum etymon mortis; scilicet serpens ille, qui tam blandè diuinitatem promisit ex pomo demorso, eo ipso ore fallaci tunc morsum impressit uenenatū, ex quo læthali morsu mors dicta.

Deus nō potest esse auctor mortis.

Mors à morsu antiqui serpentis dicta.

2 Exponit illud Oseæ. *O mors ero mors tua, morsus tuus ero Inferne.) Quomodo Christus mors extitit mortis, & morsus Inferni? an quod clauorum morsu affigi passus est cruci, & ore lanceæ transforari? nam sic dicitur; cadent in ore gladij; & quod descendit in Infernū, velut os mortis. & in psalmo dicit. Ne absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum: morsus ergo factus est Inferni, cum se tanquam escam suscipi passus est, qua non saturaretur, sed absorberetur.* Nota de acerrimo clauorum dolore, tanquam enim aspero, ac duro belluæ morsu, ita lacerarunt carnem Christi.

Clauorū Christi dolor acri feræ um morsui comparatus.

3 Discrimen ponit inter spiritalem, & corporalem mortem; mors enim spiritalis, *non est mors, vt feræ bestiæ, quæ morsu suo mortificat hominem, & tamen non ipsæ sunt mors.* rectè adnotat: feræ belluæ morsū quidem habent, sed ipsæ sua natura non sunt mors, immò uiuunt. igitur mors mordens crudelior est quauis bellua mordaci. Addit: *Quæ de morte dicuntur, ad auctorem mortis Diabolum pertinent. ipse enim hæc, aut facit dum captiuat, & perimit; aut patitur, dum vincitur, et damnatur.* Nota, ut omni ex parte diabolus lethifer, & mortis author sit, & nobis, & sibi.

Mors omni bellua immanior

Ex Libro III. Hypognosticon.

Dignitas, & definitio liberi arbitrij.

1 DEfinit liberum arbitrium. *Liberum arbitrium ab arbitrando, aut discernendo quid eligat, quiduè recuset, puto quod nomen acceperit; vel quod in sua positum sit potestate, habens agendi quid velit possibilitatem.* Vide quāta sit dignitas liberi arbitrij. quid indignius, quam eum non agnoscere dominum, qui te fecit dominum?

Homo p peccatum saucius sub cura gratiæ curatur.

2 Pulchrè vulneratum hominem sub cura Gratiæ ponit. *Stabulario curam habere iubet sibi traditi sauciati, significans quod per motum misericordiæ eius, non per meritum, quod in vulnerato non inuenitur, vt sanetur, nisi sub cura Gratiæ fuerit, ad perfectum peruenire non possit.* Vides tanquam ægrum hominem, & vulneratum à diabolo latrone, qui eum etiam spoliauit iustitia scilicet originali; cognouit enim se nudum infelix homo. dicam cum Ieremia: *Quis medebitur tibi?* sed bono animo esto, *sub cura Gratiæ es.* presto est, quæ medeatur infundēs vinū, & oleum per sacramenta. vide igitur beneficæ Gratiæ benignitatem, dum quasi sedulus medicus semper adsistit, & si quid amari propinat, ad salutem est; fascijs vulnus obligat, &c.

Gratia clauis cordis.

3 Gratiæ munus quod sit, declarat, *Gratia rationis capaces præuenit, & docet, vt bonum velint, & possint. ita in actis Apost. dicitur: Aperuit Deus cor Lydiæ purpurariæ, vt audiret ea, quæ dicebantur à Paulo*, pulchrè ostendit Gratiæ pietatem, magisterium, potestatem: pietatem, quia præuenit velociter; magisterium, quia docet honesta, potestatē, quia clauis est cordis, qua Deus cor aperit. & cū cor aperuit Lydiæ illius purpurariæ, velut ex armario acceptam purpuram recens inauguratæ reginæ, hoc est Ecclesiæ obtulit.

Act. 16.

Herus Ioseph licet gentilis nouit Ioseph non sine Dei gratia agere.

Deus iustos præsertim castos perfundit vnguento gratiæ, ac misericordiæ.

4 Gratia res prosperari ostendit. Legimus in genesi de Iosepho. *Vidit dominus eius, quod esset dominus cum eo, & quia quæcumque faciebat, dominus prosperabat. & iterum: erat dominus cum Ioseph, & perfudit eum misericordia, & dedit ei gratiam ante principem carceris.* de qua tamen gratia nō se iactabat, sed ait Pharaoni, *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.* Sed quod magis mirum est, herus ipse Iosephi, licet gentilis, cognouit illum non sine gratia Dei cooperante, tanta dexteritate posse vti, ac tam industriè, ac prosperè agere, *vidit dominus eius, quod esset dominus cum eo.* item nota illud pulchrè dictum: *perfudit eū misericordia.* sic enim legit, tanquam Deus apud se habeat alabastriten vasculum, plenum vnguento miræ fragrantiæ, hoc est misericordiæ, qua suauiter perfundit iustos, præsertim castos qualis erat Ioseph, vt bonum habeant apud omnes nomen, & quod magis mirū est, & in carcere tunc erat loco graueolenti, ac fetido. Veteres quidem putabant, se apud principes inituros gratiam, si oleo rosaceo perfusi accederent: at verius, & melius hoc præstat diuina gratia. est enim & ipsa rosæ instar miræ iucūditatis, & simul rosaceū est oleū, siuè vnguentum. hoc etiam facit, quod addit de hebræis paulò ante exitum de Aegypto: *Dedit dominus gratiam coram Aegyptijs, & accommodauerunt illis, & prædati sunt Aegyptios.* quomodo dedissēt ijs, quos oderāt, vasa aurea, & argentea, nisi donum gratiæ fuisset? vides vt gratia non solùm concilies amicos, sed hostes. Valerian.

Gratiæ necessitas ostenditur ex scriptura.

5 Affert ad id probandum, & alia loca. *In Exodo ait Moses. Nè educas me hinc, nisi & ipse exeas nobiscum: quo ostendit opus esse Dei gratia. & in libro Iudicum ait Angelus ad Gedeon: Quoniam dominus erit tecum, & percuties Madian. & in psalmo dicitur: Gratiā, & gloriam dabit dominus. & apud Hieremiam. Det dominus virtutem nobis, &c. quia in peccatis nostris requiem inuenire non meremur.* ergo non ex meritis gratia. & in Ecclesiast. *Labia iustorum distillant gratiam, hoc est dono gratiæ grata, & iusta loquar, nō enim distillant gratiam, nisi fonte gratiæ rigentur.* habes quod supra dixi, de more illo, quo ad gratiam principum conciliādam ibant rosaceo perfusi. vel gratiam mellis fauo comparat, quo labia distillent, iuxta illud Cantic. *Mel, & lac sub lingua tua. & fauus distillans labia tua.* Psalm. 83.

Gratia nō est ex meritis nostris.

Gratiam gratis dari ostenditur ex scriptura.

6 Ostendit ex varijs scripturæ locis, gratiam gratis dari. *Acceperūt gratis per fidem, quæ à Deo est, quæ non habuerunt ante fidem; quia, vt ait Dauid: Pro nihilo saluos facies eos.* Vides nullum in nobis præcessisse meritū. pro nihilo, inquit. tum affert locum Tobię, qui ait, *Quoniam memor fui Dei in toto corde meo, dedit mihi summus Deus gratiam ante Salmanasar Regem. ac ne proprium esse videretur, & non donum, quod memor esset Dei, continuò subijcit: Dedit mihi summus Deus gratiam.* acutè animaduersum; & addit: *Præparatur voluntas à Domino; opera enim bona, vt fiant, præparantur per gratiā præuentum, nullo liberi arbitrij merito.*

Ex Libro IV. Hypognosticon.

Bellum intestinum carnis.

1 EXponit illud Pauli: *Castigo corpus meum, &c.) Vbi porto hostem meum in me, pugnanti contra me virtute gratiæ confortatus repugno pro me.* breuiter, sed elegāter dictum. Vide quale genus belli. hostem Rom. 9.

idest

idest carnem cogor mecum ferre, immò alere, & mecum habere, quæ cōtra me est, & simul pugnare pro me, ne insurgat in me.

2 De trāsmisso ad posteros Adam peccato sic. *Post peccatum sibilo venenosi serpentis hanc inquietam, & mortiferam pestem eorum corpora conceperunt, & in posteros transtulerunt, tanquam hæreditario iure testimoniū peccati sui*. horribile est, quod de peccato originali dicitur, quod vocat, *inquietam, & mortiferam pestem*. hancine dicemus transfusam in Dei matrem, per quam salus est parta, & quies æterna? inquietum certè malum propter molestiam fomitis, quo tamen caruit, ergo etiam peccato. & vide quid egerit venenosi serpentis sibilus insuadēdo: nēpè eo sibilo accersiuit mortem.

Peccatum originale inquieta, & pestifera pestis.

3 Pelagianos acriter obiurgat dicentes concupiscentiam esse naturale bonum. *Audite adhuc repercutientem virga sapientiæ cælestis vaniloqua ora vestra, Apostolum Iacobum. Concupiscentia, inquit, parit peccatum, & rursus. Vnde bella, & lites in vobis; nonnè ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Auditis quale officium habet nimium dilecta ista vestra concupiscentia? nēpe bella, & lites, quibus discordare facit corpus, & spiritū, & in eorum castris hostilibus, tu, hæretice, militare delectaris? si pacem fidei catholicæ sequeris, à turbine bellorum horum, & litium, quo in cordis tuæ pelago circumquaque iactaris, ne ad portū peruenias veritatis, facilè gratia gubernante poteris liberare, & cognoscere malum, quod in malo positus, putas esse pulcherrimū.* Duplicē adhibet metaphoram: à militia, & à nauigatione ductam. elegāter alludit ad nomen Pelagij, facitq; gratiam quasi clauum nauis ferentem, & gubernatricem, vt ad portum veritatis appellat, & naufragio liberet. pulchrè quoque Apostolum Iacobum arguentem eorū falsum dogma facit, *repercutientem virgā cælestis sapientiæ eorum ora*. quod item ad alios referri potest doctores Ecclesiæ, atq; scriptores adversus hæreticos, vt nostra ętate Bellarminū. vt calamus illius sit quædam *cælestis sapientiæ virga repercutiens hæreticorum ora*. Altera quoque metaphora à re militari ducta elegans est, qua explicat intestinum concupiscentiæ bellum, & eam hostiliter nos vexantem facit, tanquam in castris, & lites perpetuas inter corpus, & spiritum excitantem. Itaque enumerat plurima, & grauia eius incommoda, & strages animarum ab ea factas. & vulneratos multos ex ijs ipsis, qui perfectionem profitentur. *Quid de ruina nonnullorum seruorum Dei, & sacrarum Virginum dicā? quæ hac tēpestate naufragium patiuntur? &c.* quamobrem sic hortando concludit. *Si igitur in vobis vllus est pudor, si honestas aliqua, si castitatis intētio, tantam mali necessitatem, idest concupiscentiam carnis bonam dicere desinite, cuius auctorem diabolum post protoplasti peccatuū credite, & quod eam voluntas humana in turpibus moribus refrænare non valet, nisi singularis gratia subuenerit Saluatoris.* pulchrè gratiam motuum frænatricem dicit. hinc collige quanta fuerit abundantia gratiæ in Thoma Aquinate, qui Angelico illo balteo præcinctus concupiscentię motus omnes frænatos habuit: cuius laudis Aloysium quoque Gonsagam nostrum participem, & consortem habuit.

Concupiscētiæ intestinum bellū, & graue.

Virga cęlestis sapientiæ percutienda ora hæreticorum.

Gratia quasi gubernante nauis.

Gratia concupiscentiæ frænatrix

Ex libro V. Hypognosticon.

1 Eleganter, ac pulchrè declarat peccatum originale, ac fomitem. *Eua peccatum à diabolo mutuauit, Adam consensu cautionem fecit, vsura posteritati creuit; hoc est quod infans in vtero matris, hæreditario iure cōstrictus, ante promittat debitum, quàm cautionem patris agnoscat, vel debitorem, etiā genitorem; huius chirographi vsuræ sunt illæ malignissimæ passiones, quibus animæ deprauantur, à quibus non liberamur, nisi per Christum; hoc illud est psalmi: Liberauit inopem, cui non erat adiutor, ex vsuris, & iniquitate; Christus vtique debitum, quod nos vsuris obligauerat, soluit in cruce. ipse itaq; ait: Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Nota in peccato originali, mutuum, cautionem, vsuram. est certè eleganter dictum de infante in vtero, vbi *hæreditario iure constrictus, ante promittit debitum, quàm cautionem patris agnoscat, &c.* quarè, si dicas, Deiparam in peccatum originale incidisse, dicas oportet eam hoc hæreditario iure constrictam, antequam fascijs; atqui ait, *in hæreditate domini morabor*. Nō fuerit immunis in debito, at nō eius peccati vinculis, catenisq; cōstricta; itē nota, nos fœnerari diabolo, dum originali peccato addimus propria.

Originalis peccati quasi mutuatio, & cautio per chirographū facta.

Passiones vsura sūt antiqui chirographi.

2 Peccati originalis fœditatem ostendit. *Hoc cæno peccati, quo nascuntur squalidi, vt in regnum cælorum ingrediantur immaculati, per baptismum sāguine Christi mundātur.* Nota, quibus vocabulis illud exprimat, cœni, sordium. vide, an probabile sit Dei matrem, & cęno fuisse aliquando hoc inquinatam, & talem induisse squallorem, cum immaculata, & tota formosa dicatur in canticis. *fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* vbi lutū, ac cœnum? *sicut Aurora, consurgens.* vbi tabes, & squalor?

Per peccatum originale nascimur cœno obliti, & squalidi.

3 Item originalis peccati grauitatem & infelicitatem ostendit. *Graue iugum super filios Adæ à die, &c.) Quod est hoc graue iugum, nisi peccati? & quarè dicitur iugum, nisi quia ex duobus, ex Adam, & Eua veniat? vel duorum, quia in vtroque scilicet sexu premat, & conterat colla? hoc iugo, hoc est originali peccato deuoti maiorum vitio, ex ipso orti tanquam aratrum trahimus, quandiu sumus*

in

in mortis corpore, cuius cupiditatis vomere proscinditur terra nostra, à cuius iugi onere atque aratro, nemo requiescit, nisi per illum, qui ait; tollite iugum meum, &c. Nota, iugum peccatum originale dici, quod nos premit, & conterit colla nostra. Vide igitur an Dei mater iugum illud subijsse dicenda sit, cuius collum dicitur *turris Dauid.* non inclinata igitur, ac prona, iugoque subiecta; sed erecta, sublimis. nec tantùm hoc, sed decus eximium memoratur *collum tuū sicut monilia.* In Numeris pręcipit Deus, vt victima, quæ sibi sit offerenda, ea sit, *in qua nulla sit macula, nec traxerit iugum.* quod apertè Deiparam immaculatè conceptā, neq; peccato originali subiugatam designat. item in Deuteron. dicitur. *Seniores ciuitatis tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere.* & rectè seniores dicit; quia ferè omnes veteres patres ea dicunt de peccato originali, quę non videntur Dei matri congruere, vt in ipsis adnotauimus. Nota item de vomere cupiditatis, & aratro, quod trahimus graui oppressi iugo, tunc maximè, cum nobis per vitæ licentiam videmur liberi, & leues.

Deipara iugo peccati originalis nūquam subiecta.

4 Ostendit acerba damna ex peccato originali contracto. *Grauantur infantes in onere diuersarum passionum, quas eos in lacte positos perpeti videmus, & stupemus; vexantur enim non nunquam à Dæmonibus diuersis doloribus, & vulneribus cruciantur, & hoc quodammodo loquuntur, cum aculeo pūcti dolorum confusos vocum eiulatus emittunt.* pœnis plectuntur non in actu, sed in ortu paruuli peccatores. Nota cur permittat De' infantes obsideri, & vexari à dæmonibus, nempè vt ostendat obnoxios eos fuisse peccato originali, quod per diabolum inductum. eleganter autem ait, ipsos hoc malum quasi interrupta, & singultanti voce obliqui; & vagitu ipso, & lacrymis tantum infortunitum lugere vix natos. & vide quantum illud peccatum originale fuerit, cuius vt magnitudinem Deus ostēdat, sinit aliquando vel infantes, ceterum innocentes, ab ipso diabolo serpente, qui illūd induxit, miserè cruciari.

Infantes vagitu ipso se miseros ob originale peccatum locuntur.

Cur Deus atreptitios esse sinat infantes.

5 Probat ex loco Iob, baptismum etiam infantibus necessarium. *Audi athletam fortissimum per omnia diaboli flagella transeuntem, & patientia sua eius impatientiam superantem, quid de humanæ naturæ senserit labe: Quis erit, inquit, mundus à sorde? nec infans vnius diei.* Eleganter Iobum athletā facit puluere illo, ac cinere pro arena vsū. & vide patientiæ magnitudinem: considera regem, & iura dantem, incedentem cū insignibus regni, eūdē, vt Dei iussa faciat, libenter humeros lictoris diaboli virgis, ac fascibus subijcientē, & quanto cum cruciatu? *per omnia diaboli flagella transeuntē.* Tum hæresim confutat. *Pelagius putabat, ideò infantes ità vexari, quia Deus prævidet peccata ab ipsis facienda. ita ne insaniunt, vt dicant, vt Deus tanquam facta pro non factis sceleribus puniat?* rectè arguit: cum peccatum originale verè contrahi ab infantibus neget, ad infecta se vertit: ita ne tyrannicè Deum agentem facit?

Iob per omnia diaboli flagella transijt.

Ex libro VI. Hypognosticon.

1 Soluit quod obijcitur; cum iam Deus pūiderit dānationē, frustra laborari benè operādo. sed cōtra, quia *Deus mala tātùm præscit, & non prædestinat; bona verò & præscit, & prædestinat.* Nota discrimen. affert aūt q̄ dicitur in actis; Apostolos volētes ire in Babyloniam, non permisit Spiritus sanctus. *sciebat, inquit, Deus, quia credituri non essent; & alibi. Crediderunt quotquot praordinati erant ad vitam æternam.*

Deus mala tantum præscit: at non prædestinat bona vero vtrūq.

2 Eleganter ostendit, de prædestinatione non esse temerè Dei iudicia exquirenda: dicitur in psalmis. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.) Descende, si vales, in profundum misericordiæ Dei; ascende si sufficis, in altitudinem Iudicij eius, &c. & hæc incomprehensibilia secreta, de quibus Paulus expauit, nobis pāde. sin iactatus curru inanium quæstionum cadis in fluctus vanæ contentionis, & prosperè nauigare non vales, reuertere, & sede in portu fidei &c.* Pulchrè dictum de naufragio eorum, qui nimis curiosè de Dei iudicio scrutantur. potius in tuto portu fidei anchora spei figenda est. videtur etiā alludere ad Phaetontis casum in Eridanum fluuium, dum Solis curru iactanter inuehitur. *iactatus curru inanium quæstionum cadis in fluctus.*

Dei iudicia scrutāti timendus Phaetontis casus.

4 Item de occultis Dei iudicijs agit; Ostenditq; saluationem ex gratia esse, non ex meritis; nam multi diu boni perierunt, alij diu mali, & tandem saluati. *Nouimus & paruulos, quibus vsus arbitrij non est, vt de bonis, aut malis eorum meritis iudicemus, parentum manibus ad gratiam sacri baptismi deportatos, & cum in vno eorum per manus sacerdotis mysterium fidei adimpleatur, aliquoties alterum in parentum manibus factum exanimem fraudatum gratia. quis sapiens, & intelliget hæc?* rectè admiratur, & stupet de Dei indicijs. Addit mox locum Sap. *Omnia Deus in mensura, & numero, & pondere constituit. quis inter hanc mensuram, hunc numerum, hoc pondus Deum sufficit comprehendere? in his Deus index iustus comprehendi non potest, non potest reprehendi.* Ad hæc itē præclarè subiungit. *Quæ in claustro horum trium nobis abscondita nunc latent, solis clauibus iudicij, & misericordiæ Dei tunc reserabuntur, vt sciantur, quando in aduentu eius illuminabuntur abscondita tenebrarum.* Pulchrè declarat, quomodo Dei iudicium, & mise-

Iustitia & misericordia clauicularie sunt arcanorū Dei.

misericordia quasi claues teneant arcanorum Dei, quæ nunc velut in arca clausa, in fine depromentur.

Ex Libro de perfectione iustitiæ.

1 Ostendit quid sit peccatum. Quærūt quid est peccatum, actus, an res? si res est, ergo habet auctorem, & hunc non aliū præter Deum, quod dicere impiū est; aut est actus, & potest vitari. Respondetur, *Peccatum quidem actum dici, & esse, non rem. sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res, quia res pes ipse, vel corpus, vel homo est, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem; quod etiam in interiore homine fit per gratiam. ipsum sanè vitium, quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec homo, &c.* pulchrè peccatum claudicationi assimilat, qui non nisi defectus est à sanitate; medetur autem gratia. quò refer illud, *Tunc saliet quasi ceruus claudus, quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine,* gratiæ scilicet. & illud, *Ponet pedes meos quasi ceruorum.*

Peccatum quædam claudicatio est, cui medetur gratia.

3 Pulchrè exponit locum alterum Iob, *Iustitia vestitus sum, & circumdedi mihi iudicium tanquam chlamydem.) Ista vestis chlamys belli magis solet esse, quàm pacis; vbi adhuc expugnatur concupiscentia, non vbi erit plena sine aliquo prorsus hoste iustitia, inimica morte destructa.* Vides, Iob non tam incedentem velut regem, & imperatorem paludatum cum aurea trabea, &c. quàm militari chlamyde indutum, quasi qui in castris potius, quàm in aula versaretur, indicans mysticè bellum sensus, & spiritus in hac vita perpetuum, vel in Rege.

Virtute quasi militari chlamyde indui esse debemus.

6 Eodem spectat illud eiusdem Iob: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* quod de fide intelligendum est, nam *iustus ex fide viuit.* cæterùm de se ipse Iob ait: *Signasti iniquitates meas in sacculo, & adnotasti, si quid inuitus transgressus sum.* Vides vel minima delicta ex subreptione notari, ac neminem esse, qui in tanto bello, vel leuiter non vulneretur. Addit: *Legitur, quod Iob sine querela, at non sine peccato. abstinens, inquit, se ab omni re mala: abstinet autem, qui peccato, sine quo non est, vel nunquam omninò consentit, vel si aliquando premitur, non opprimitur; sicut luctator fortior, & si aliquando tenetur, non ideò perdit, quo superior inuenitur.* Elegans similitudo ab athleta, qui si fortè ab aduersario constringatur, excutit se; & si ictū excipiat, non despōdet animum. pulchrè dictum. *si aliquando premitur, non opprimitur.* At verò Christus dicere potuit. *quis ex vobis arguet me de peccato?*

Nemo iustus sine aliquo peccato.

Iustus vt athleta si quando premitur, non opprimitur.

7 Ostendit ex Apostolo, requiri cooperationem nostram cum gratia. *Non est, inquit, neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; & in Esaia dicitur: si volueritis, & audieritis me, &c. non quia bonum sine volūtate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi diuinitus adiuuetur. hæc est Dei sanctitas, contra quam qui disputat, claudit ostium misericordiæ Dei.* horrenda vox, qui gratiam necessariam negant ad opus bonum, ij quasi vecte cōcludunt Dei misericordiam, ne ad ipsos prodeat, & præsto sit ad salutem.

Qui cōtra Gratiā disputat claudit ostiū Dei misericordiæ.

8 Docet, quibus grauia sint, vel non sint Dei præcepta. *Laborant in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam non solùm non prementem onere ponderum, sed etiam subleuantem vice pēnarum.* Pulchrè dictum. quò refer illud in cant. de dilectione. *Lampades eius, lāpades ignis, atque flammarum.* vertunt alij. alæ ignis, dupliciter leuitas in altum euehens indicatur, vel ex pennis, vel ex igne: habes vtrumque: huc item refer illud paralip. vbi dicitur de arcæ vectatione. *Adiuuit Deus leuitas.* Abulensis refert ex hebræis, Cherubim passis alis mirè arcam extulisse, ac Leuitas ipsos, ita vt non modò onere non grauarentur, sed quasi pennati vnà cum Cherubim ferrentur.

Charitas leuē facit sarcinam mandatorum.

paral. 15.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

PON-

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM

LIBER OCTAVVS.

Continens Tomi Octaui præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX PRÆFATIONE IN PSALMOS.

Psalmi thesaurũ continent ad omnẽ vsum locupletissimum.

1 ELogium Psalmodię pręfatio cõtinet: cum enim ceteri scripturę libri inter sè diuersa ferè cõtineant, ait contineri in psalmis omnia. *Cõmunis quidam huius doctrinæ thesaurus est, aptè singulis necessaria subministrans.* Rectè thesaurum vocat, vnde sensus spiritalis aurum abscõditum eruitur. & Augustinus ipse locupletare nos potest, eius thesauri opes depromens, & vsum ostendens.

Psalmorũ suauitate animus vel obluctans cedit.

2 Neminẽ, vel peruicacẽ psalmis non flecti dicit. *Spiritus sanctus videns obluctantem, & resistentem ad virtutis viam animum, & ad delectationes vitæ huius inclinari, delectabilibus modulis cantilenæ, vim suæ doctrinæ permiscuit.* Vides spiritus sãcti industriã. Addit item medici more agere, qui austeriora medicamenta melle circumlinit in ore poculi. ad primum refero illud: *cãtabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* scilicet ad solatium itineris laboriosi huius vitæ diuinum carmen accinitur. Ad secundum pertinet virga illa Ionathę austeritatis typus, quam *intinxit in fauum mellis.*

Psalmodia poculum ægri est melle conditũ.

1. Reg. 14

Psalmorũ cantus sapiens quædam animi incantatio est.

3 Idẽ sic declarat. *Sicubi quis quamuis fero, & rapidissimo furore rapiatur, si fortè fuerit psalmi, vt ita dixerim, carminibus incantatus, continuò omnis rabies ferocitatis eius abscedit.* huc refero illud de Saulo, qui carminibus Dauid feritatem ponebat. simile est illud Tullianum de poesi. Bestiæ, inquit, sæpè immanes cantu flectuntur. eleganter quasi incantatum psalmis animum mulceri dicit: est enim, & sapiens incantator, vt ait Dauid.

Psalmus est signifer pacis.

4 Pulchrum est & illud in hoc genere. *Psalmus signifer pacis adducit in concordiã discrepantes: quis vltra inimicum habebit eum, cum vnã ad Deum psalmi emiserit vocem? ita coniunctionem quandam per consonantiam vocis efficit vnius chori modulatione consociatam.* nempe, vt chordæ psalmi inuicem concinunt, ita corda per psalmum. eleganter autem psalmus dicitur, *signifer pacis*, quasi vexillum præferat non belli, sed fœderis. Addit item pulchrè: *Psalmus dæmones fugat, Angelos ad auxilium inuitat: scutum enim est in nocturnis terroribus, diurnorum verò laborum requies, &c.* Vide quo clypeo vtendum sit *contra ignea tela nequissimi*, dum tentationibus nos inuadit, psalmi scilicet verbis non sine lacrymis. quid quod ipsa instrumenti psalterii forma quadratum clypeum referebat, vt ait Hieronymus?

Psalmus scutum est contra tentationes.

Psalmus Angelos auxiliares accit.

5 Et illa elegãter dicta. *Psalmus desertas habitare facit vrbes, totius Ecclesiæ vox vna: Psalmus etiam ex corde lapideo lacrymam mouet: Psalmus Angelorum opus est. ò vere admirandi Magistri sapiens institutum: vt simul, & cantare videamur, & vtilia doceamur in psalmis. Psalmus norma iustitiæ, pudicitiæ decor, prænunciatio Christi in carne venturi, &c.* Nota in primis efficaciam psalmorum in animis commouendis, quando & lapidea colliquat corda, in lacrymas soluens.

Vis psalmis in liquandis vel saxeis cordibus.

Ex Psalmo I.

1 OStendit, cur primus psalmus titulum non habeat. *Animaduertere debetis quanta vis, quanta auctoritas, ac ratio in hoc psalmo versetur, cui nec titulum ausus est scriba præponere, nec numerum indicare, vt solum eum, & vnum potius quàm primum ostenderet.* De Christo interpretatur, pro vt opponitur terreno homini. Addo sine titulo ex materia ipsa habere prioratum, quia de præmio iusti, & pœna impii agit: quæ in republica obseruanda sunt primò.

Cur primus psalmus titulo careat.

2 *In cathedra pestilentiæ non sedit) idest, noluit regnum terrenum cum superbia, quæ ideò cathedra superbiæ dicitur, quia non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam: pestilentia*

Superbia pesti eius malum, & latè serpens

lentia enim morbus est latè peruagatus, omnes, aut penè omnes inuoluens. Vide quàm longè à superbia abesse debeamus; vt à re pestilenti, quæ inficit. vide etiam quàm latè serpat hoc malum, vt penè ad omnes se extendat. refert etiam ad perniciosam doctrinam, & hæresim, vt eius contagionem procul vitemus ex consortio, & commercio.

Triplex gradus in peccando

Et in via peccatorum non stetit.) Considerandus est ordo verborum: abiit, stetit, sedit. abiit enim homo terrenus, cum recessit à Deo; stetit cum delectatus est peccato; sedit cum in sua superbia confirmatus est. acutè notatum: puto enim, sicut Cæsar trophæũ inscripsit de hoste superato tribus illis verbis; Veni, vidi, vici; ita trophæum diaboli de peccatore sic inscribi posse: Abijt, stetit, sedit; per hæc enim peccator Diaboli captiuus est factus.

Ex psalmo II.

Curæ mundanæ lutulenta negotia sunt.

T*Anquam vas figuli confringes eos,) idest conteres in eis terrenas cupiditates, lutulenta negotia, & quicquid de peccatorum limo contractum est.* Vide in quo posita sit ultio Dei, in vitijs destruendis. porrò tot curæ mortalium quid tandem sunt? *lutulenta negotia*. Diabolus ipse, qui harum rerum perfectam cognitionem habet, vt est apud Iob, *sternit sibi aurum quasi lutum.*

Iustus nõ modo immunis à pœna sed dıue præmio.

Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui sperant in eo,) non ait, securi erunt, sed beati, quia eos non modò tunc vindicta non attinget, sed etiam proficiet ad regnum. huc refero & illud: *qui exaltas me de portis mortis.* non ait, liberas, sed exaltas, cum prouentu scilicet felicitatis, & gloriæ, vt notat Chrysostomus.

Ex psalmo III.

T*Itulus est. Cum Dauid fugeret à facie Absalonis.)* pertinet hic psalmus ad passionem, & resurrectionem Christi. loco Absalonis fuit Iudas; nam Absalon, qui hebraicè est patris pax, Iudam expressit, qui osculo insidiatus est Christo. fuga illa Dauidis à facie Absalonis est discessus Christi è mente Iudæ. verba illa Dauidis

Absalon & Iudas inter se collati.

miserationis plena. *Quis det pro tè mori, Absalon fili mi,* indicant patientiam Christi in ferendo Iuda, & excipiendo in cõuiuio corporis, & sanguinis sui. vbi nota comparationem inter Absalonem, & Iudam, & vtrumque ab arbore suspensum, ac puto non minus illacrymasse Christi oculos, quàm Dauidis ad interitum Iudæ conspersa fletu facie, quam osculo cruento non denegauerat.

Non timebo millia populi circumdantis me) Significatur circumuallatio gentium ad extinguendum Christianum nomen: sed quo modo timerentur, cum tanquam oleo, sanguine Martyrum in Christum ardor charitatis inflammaretur? præclarè dictum. refer hoc ad beatum Laurentium, qui in sartagine frixus est suo sanguine velut oleo, quo ardor charitatis efferbuit: fuerunt itẽ Martyres tanquam luctatores, & athletæ: cum igitur persecutores per vulnera sanguinem ab ijs elicerent, tanquam oleo in palæstra religionis eos vngebant potius ad luctam, vt facilè euaderent, & effugerẽt aduersarium. Addo dici posse, oleo sanguinem Martyrum comparari, quod martyrium supernatet, idest emineat ceteris tribulationibus, quæ per aquas significantur in scriptura. item sanguis Martyrum velut oleum nutrimentum suffecit, vt fides nunquam extingueretur, sed semper illucesceret.

Martyrũ sanguine quasi oleo charitatis ardor est accensus.

Ex psalmo IV.

I*N tribulatione dilatasti mihi.) Corde dilatari est, in corde habere infusum Deum, cum quo intrinsecus colligitur iuxta illud: charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum.* ideò de dilatatione loquens conuertitur ad ipsum Deũ. Accommodari possunt hæc verba scilicet Francisco Xauerio, qui in medijs Indiæ persecutionibus positus, cum ferre non posset copiam diuinarum voluptatum, dilatans manu pectus aiebat: sat est domine, sat est, adeò *habebat in corde infusum Deum, cum quo intrinsecùs colligebatur.*

Deus infusus cor di illud dilatat.

Xauerius cordis se dem manu dilatans.

In cubilibus vestris compungimini) Vel vt anima se ipsa puniens compungat, nè in Dei iudicio torqueatur, vel ad excitationẽ tanquam stimulis adhibitis ad videndam lucem Christi. nota; sibi antè iudex sit oporter anima, nè apud Deum Iudicem rea inueniatur; & quod de stimulis ait, quibus sè ad excitationem compungat, referri aliquo modo potest ad Aloysium Gonsagam, qui ad pietatis excitationem latus sibi calcari ferreo, ac stimulis compungegat. deinde adnotat pro verbo, *compungimini*, alios legere, *aperimini*, nam grecè est κατανύγητε, quod refertur ad dilatationem cordis, vt excipiatur diffusio charitatis. pulchrè hoc ad eundem Xauerium pertinet, qui aperiebat sibi largè sinum, & cubile cordis ad excipiendum Deum. Sed si ad compunctionem ipsam hoc referamus, de aperienda sincerè nostra conscientia intelligi potest; quia cordi salubre, ac vitale vulnus dolendo infligimus, ferroque compunctionis aperimus; hinc de Dauid post

Animus sibi iudex sit acer vt Dei iudicium effugiat.

Aloysius Gonsaga stimulis ferreis se compungens.

Xauerii pectus dilatatum effusione charitatis

Vera cõpunctio conscientiæ apertionem habet.

Saulis chlamydem scissam dicitur, *percussit David cor suum.*

Peccator in se iram vertens cedit in victimam Deo.

Sacrificate sacrificium Iustitiæ) Quid enim iustius, quàm vt suis quisque peccatis potius, quàm alienis irascatur, seque ipsum puniens mactet Deo? nempè per pœnitentiam quisque se quasi victimam Deo mactat; ipse sacerdos est, & victima; ira ipsa telum, ac securis est, quæ ad hunc vsum acuitur sanctè, ad alterius iniuriam, impiè.

Signatum est super nos lumen vultus tui, domine) signatum dicit in nobis lumen vultus Dei, sicut denarius signatur regis imagine; homo enim imaginem Dei in se peccando corrupit; ad quod credo pertinere illud: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo: hoc est sicut Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic et Deus; vt quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima lumine vultus eius illustrata, atque signata. rectè assimilat animã nummo aureo, nempè hæc Dei thesaurus est: itaque qui animarum zelum habet, magnum facit lucrum, nã & Christus ait, *lucratus es fratrem tuum.* locupletissima Dei mercatura est conuersio animarum. quòd autem signatus sit hic nummus lumine vultus Dei, simile est quodammodo ei nummorum generi, quo vtebantur Locrenses, hi enim signabant nummos non alia magis nota, quàm Hesperi, siuè Luciferi sideris: talis aliquo modo est imago Dei in homine, nam, vt Lucifer cũ Sole ambulat, nec ab eo recedit; ita qui hanc imaginem seruant, in scriptura dicuntur, *ambulare cum Deo.* & Apostolus, qui Dei imaginem in alijs reformari cupiebat, aiebat: *Lucifer oriatur in cordibus vestris.*

Matt. 22.

Anima habens in se Imaginem Dei nummus est signatus Imperatoris imagine.

Lætitia intus quærenda nõ foris.

Dedisti lætitiam in corde meo) Non ergo foris quærenda lætitia est ab his, qui diligunt vanitatem, sed intus, vbi signatus est vultus Dei. rectè adnotat illud, *in corde meo.* addit, ideò non esse quærendum: *Quis ostendit nobis bona?* hoc est foris, quasi extra nos sint. hac interpretatione indicatur, veram lætitiam ex eo nobis deriuandam, si Dei imaginem in nobis pulchram sine labe refulgere videbimus; quo videntur spectare illa verba Pauli: *Nos autem reuelata facie, gloriam Domini speculantes, transformamur de claritate in claritatem.* hoc est, vt habent græca, nos tanquam lucida specula excipientes gloriam domini.

A fructu frumenti vini, & olei sui multiplicati sunt) hoc est abundantia rerum temporalium capti multiplicantur, nempè phantasmatibus distracti, vt non sint simplices corde: contra verò de se subiungit statim David, dicens, non multiplicatum & distractum, sed singulariter in spe constitutum. *singulares ergo, & simplices, idest secreti à multitudine, ac turba rerum nascentium, ac morientium amatores æternitatis, & vnitatis esse debemus, vni Deo inhærere cupientes.* pertinet hoc ad religiosos in primis, quibus sicut singularitas in ceteris prohibetur, ità hæc, qua vni Deo adhærent secreti ab omni Mundi cura, maximè conuenit. rectè autem ait, cor quodã modo multiplicari, cum distrahitur ad varias Mundi curas, nec vni Deo, & æternitati affixum est: hinc illud: *cor tuum phantasias patitur. & diuisum est cor eorum, nunc interibunt.*

Anima distracta per curas humanas ab vnitate discedit.

Ex psalmo V.

Æterna hereditas vigiles tenet.

TItulus est: *Pro ea, quæ hæreditatem accipiat) Ecclesia hæc est, cuius hereditas vita æterna. vbi attende quæ sequuntur: nam hac hæreditatis spe allecta statim mane surgit, cõtẽplatur quãta sit hæc hæreditas, et cauet ea, per quæ possit amitti.* acutè vtrũq; adnotat & cognitionẽ, & cautionẽ.

Qui orat ab imis assurgere debet ad supera.

Mane adstabo tibi, & videbo) Quid est aliud, adstabo, nisi non iacebo? quid autem aliud est iacere nisi in terra quiescere? Vide, vt in oratione abstrahi à terrenis debeat animus. iace quidem humi prostratus corpore, sed sta mente sublimis. similiter ait propheta de iusto, *ponet in puluere os suum, & leuabit se supra se*: quis non dicat hæc videri inter se opposita? sed ipsa humilitatis depressio, erectio est.

Crudelitas abominatio apud Deũ & exhæredatio.

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur dominus) Apto verbo vsus, nam abominati solent dici exhæreditati. hic autẽ psalmus est, pro ea, quæ hæreditatem accipiet. nota vim verbi ex formulis iuris accepti: exhæres factus abominatus dicitur. vir igitur sanguinum, idest crudelis reijcitur ab ea hæreditate, quæ pij Redemptoris sanguine parta est; quòd multò magis dicendum est de ijs, qui per malam suasionem uel exemplum occidit animas.

Os adulatoris putridum sepulchrũ

Sepulchrum patens est guttur eorum) Qui adulantur quasi sepulchra mortuos in se recipiunt, quos verbis mendacibus interemptos in se conuertunt. mira uidetur, & adnotanda interpertatio: nam os adulatoris, qui alterius nomen æternare laudibus uidetur, & quasi è cineribus obliuionis extrahere, & suaui unguento laudum fragrare, sepulchro potius comparatur, quia mortem potius, quàm immortalitatem affert: nihil, inquam, illo ore putidius sepulchrũ rectè dicitur, quia uitia, rem cadauerosã, tegunt, & operiunt adulatores.

Expelle eos, quoniam inamaricauerunt te Domine) Dictum est: Gustate, & videte quoniam suauis est dominus: peccatoribus autem hic panis veritatis amarus est. ipsi Deum amaricauerunt, qui peccando in ẽã ægritudinem deuenerunt, vt cibus veritatis, quo sana anima gaudent, tanquam fellẽ sustinere non possint. expellendos ait tau-

quam indignos, qui Deo fruantur, quibus Deus, deliciæ beatorum, non sapit iucundè. quanquam & de ijs religiosis dici potest, quibus disciplina proprio uitio fit insuauis. porrò si uerbum inamaricare dicamus significare, à peccatore amaritudinẽ offerri Deo; cum sermo sit de adulatore, intelligi posse puto, eum, dum dulcibus, & mellitis uerbis adulatur homini, tunc uel Deum reijcere, & post habere, ut insuauem, ideoque laudem ad creaturam potius transferre; uel ob offensam ablatæ illi gloriæ, & mortali datæ, ueluti amaritudinem ipsi afferre.

Peccator amaricãs Deum.

5 *Vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*) *volũtas enim Dei præcedit bonam voluntatem nostram, vt peccatores vocet ad pænitentiam, & ipsa sunt arma, quibus expugnatur inimicus. Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, &c. hoc est inuictissimum scutum, quo repellitur inimicus, desperationem salutis suggerens.* Dei igitur uoluntas nos præueniens, & uocans ad pœnitentiam, scutum quoddam est contra desperationem; & hoc ipsum scutum in coronam cedit, quia gloria non est aliud quàm gratia cõsummata: ecqua uerò in re magis Deus suam erga nos bonam uoluntatem ostendit, quàm quod ob hoc filium morti tradiderit? ad quam sententiam addo, passionem ipsam Christi scutum uocari apud Ieremiam. *Dedisti eis scutum cordis laborẽ tuum.* ceterùm si Dei uoluntas bona scutum est nos defendens, cur mala uoluntas nostra obsistit impiè uoluntati diuinæ rebellis, offendendi potius, quàm defendendi munus suscipiens.

Christi passio scutum contra desperationẽ.

6 *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*) *cũ scutũ hoc sit vocatio ad pænitẽtiã, scuto coronari ostendit, quod præmium iusti adepturi sint, qui vocati venerunt, & donec producitur, viriliter sustinuerunt.* Vides hinc vocationem esse tanquam euocationem militum ad premium; & in pœnitentia pugnandum esse cum desideriis carnalibus, sed magnam esse consolationem, quòd corona certissima sit, cum eadem uoluntas Dei, quæ scutum est, sit item corona: quod etiam ad vocationem in religionem, qui pœnitentiæ status est, refero.

Dei volũtas scutum est pœnitentiæ vocationem corona p præmium.

Ex psalmo VI.

Error cõstituentiũ diem Iudicii post annorum septem millia.

Titulus est, pro octaua,) malè quidam intelligunt, post septem millia annorum fore iudicium, post quod octaua sequatur, cum eius tempus Christus dicat ignotum; *Sed dicitur octaua, quia, cum omnia tempora septem dierum repetitione volutentur, octauus fortè ille dictus est, qui varietatem istam non habebit; vel quia dies iudicij erit, tum post functionem animæ, cuius est diligere Deum tripliciter, toto corde, anima, mente; tum post functionẽ corporis, quod constat quatuor elementis, & subiicitur quatuor anni temporibus.* acutè ostendit, vt anima iusti septem sancti Spiritus donis dotanda, vnà cum corpore perficiat septenarium; quo perfecto, octaua sequatur retributionis, aut pœnæ. tum vide audaciam male interpretantium, post septem millia annorum fore iudicium, quasi à secretis essent Dei.

Octaua dicitur dies iudicii cur.

2 *In inferno autẽ quis cõfitebitur tibi?*) At dices: Diues ille in inferno *Vsque adeò confessus est, vt etiam moneri suos vellet vt à peccatis cohiberentur.* Respondet, vel ità dictum, *Quia post iudicium propter profundiores tenebras nullam Dei lucem videbunt; nam iste potuit eleuatis oculis videre Lazarum.* vel quia peccatum ipsum mors est, & Infernus cæcitas animi. Hinc collige peccatores adhuc viuentes in inferno esse; item post iudicium in communi illa damnatorum pœna Inferos tetriore caligine obductum iri; *post iudicium propter profundiores tenebras nullam Dei lucem videbunt.* sicut enim tunc, *Sol in cœlo lucebit sẽptẽpliciter*, ita in Inferno caligo tunc maior septempliciter, corpore simul animaq; pœnæ addictis, erit fortasse futura.

post iudicium tetrior Inferni caligo.

peccatoris status Infernus est.

Turbatus est à furore oculus meus.) nam iræ passio, in primis obcæcat animum, ac tenebras offundit; ideò dicitur: *Sol non occidat super iracundiam vestram. quia Solem, idest sapientiam Dei tanquam occasum in se pati arbitratur mens, quæ sua perturbatione illum videre non sinitur.* Nota, certè cum Sol beneficentiæ symbolum sit illucescens etiam malis, diuinam repræsentat clementiam. hæc cum ab irato, ob perturbationem animi, cerni non possit, ei occidit quodammodo. non occidet ei Sol hic, si ita sedata, purgato oculo videbit quod expediat agere, ideò Iosue iussit interim dum iratus cum hoste confligeret, Solem stare, nec occidere, antequam per victoriam ira sedaretur. audi: quid dicat sapiens: *Iracundia eius impeditus est Sol.*

Irato Sol occidit cur.

Ex Psalmo VII.

1 *SI reddidi retribuentibus mihi mala.*) titulus est. *Pro verbis Chusi.* hic defecerat à Dauid; hebraicè Chusi est silentium, quasi Christus dicat animæ: *Ego pro te, vt tua iniquitates meo sanguine lauarentur, magno silẽtio, ac patientia me tradidi, necem pertuli: nonnè me imitaberis non reddens mala?* Multum valent hæc verba ad tolerandum. sanè hoc de Christi silentio inter opprobria, & pœnas, ipse præses *Pilatus miratus est vehementer.* & Esaias ait. *corãm tondente se obmutuit.*

quan-

quanquam esset patris Verbum, tamen vel in sua causa abstinuit verbis. Addit locum prou. *Melior est qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem.* vbi habet vulgata. *expugnatore vrbium*. quàm ingens laus fortitudinis, euertere tot propugnacula, quæ se opponunt? aduersarias cogitationes, suspiciones, aliorum iudicia, mundanorum conuicia, &c. si parcas maledicenti.

Prælatus in iubēdo præeat exemplo.

2 *Exurge domine in precepto, q mandasti.) hoc est humilitatem præcepisti, humilis appare; tu prior esto, exemplo tuo vincatur superbia.* referri hoc potest ad prælatos, vt exemplo suo præeant subditis in obseruatione legū. Additur: *& synagoga populorum circundabit te: quia credentium multitudo circundedit Christum propter eius humilitatem*. Exaggerat hoc etiam Ambrosius, cum ait, Deum agnitum, & cultum, non tam ex visis operibus creationis magnificis, quàm ex perspecta eius humilitate.

Mens lucerna est egens Dei illustratione vt splēdeat.

3 *Tu illuminas lucernam meam Domine.) Demonstrat, id ipsum, quod anima iusta est, nō ex se habere, sed per illustrantem Deum.* Vides, animam tanquam lucernam à Deo accendi, ita & ipsam illustrari, & alijs præbere lucem. rectè dictum. *Omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* quippè mens nisi inde accendatur, vilis lucerna est, & inutilis.

Christus in primo aduentu tanquam gladius intra vaginam educendus in iudicio.

4 *Nisi conuertimini, gladiū suum vibrabit.) Potest ipse homo dominicus, gladius Dei dici, quem non vibrauit primo aduentu, sed tanquā in vagina humilitatis abscondit. vibrabit autē in secundo aduentu, cum in manifesto splendebit iustis lumine, terrore impijs coruscabit. alij legunt: Frameam suam splendificabit: quo verbo conuenientissimè significatur vltimus dominicæ claritatis aduentus.* Pulchrè humililitatem Christi in incarnatione appellat vaginam, quæ tamen vagina ornamentis nō caret suis, vt plerumque fit: non est igitur despicienda; nam in iudicio latens ensis, tātò splendidior apparebit; nota item in iudicio Christum, quantumuis iratum, & instar gladij exsplendentis, terrorem quidem improbis, sed lumen iustis impertiturū. Si ergo Christus in incarnatione ensis fuit, igitur & Virginis vterus, in quo recōditus, vaginæ instar ornatissimæ fuit. inde nondū eductus terrebat Inferos: cū Galenus dicat Herculē in ipsa matris aluo terrori alijs fuisse. vel certè ibi velut in ignea fornace cōflat' est. ceterū vide q̄ cautè in Eucharistia sumendus sit, vbi sub speciebus illis tanquā in vagina latet hic ensis; non enim sine causa monet sapiens: *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt, & statue cultrum in gutture tuo.*

Christus in secūdo aduentu quasi gladius eductus è vagina.

5 *Arcum suum tetendit, & in eo parauit vasa mortis.) Sacra scriptura vetus arcus est, cuius duritia neruo noui testamenti inflexa, & domita est; inde diuina præconia iacularunt. parauit in eo vasa mortis, quia vt dicit Paulus, alijs sumus odor in vitam, alijs odor in mortem.* acutè, ac pulchrè veterem legem ob minas, & seuera præcepta arcui intēto cōparat, qui in noua laxior fit. ceterū refer animū ad tot de hæresib' strages, quas hoc sacræ scripturæ arcu armati doctores Ecclesiæ fecerunt; ac sicut arcus etiam à longè ferit, ita illi, & veteres hæreses, & posteras impugnarunt; quod & nunc doctissimi, & religiosissimi viri, vel prædicatione, vel libris editis, facere non desistunt.

Arcus sacra scriptura quo armati hæreses impugnamus.

2. Cor.

Ictus diuini amoris facu lo omnia aduersa cōtemnit.

6 *Quid detur tibi, aut quid apponetur tibi ad linguam dolosam? sagittæ potentis acutæ cū carbonibus vastatoribus.) Hoc est ijs sagittis percussus, atque inflammatus tanto ardore ardeas, vt omnium resistentium, & à proposito reuocare volentium linguas contemnas, & persecutiones derideas, vt cum Paulo dicas; Quis me separabit à charitate Christi? &c.* rectè ait: qui Dei sagitta idest amore saucius est, contemnit detrahētis linguæ tela. hinc Magdalena hoc icta vulnere, *quia dilexit multum*, & Pharisæi, & Iudæ conuicia contemnebat. mirùm quod huiusmodi sagitta non sternit humi, qui ea fit saucius, sed vigorem sumit, & robur in aduersa.

Cant. 2.

Vulnus amoris diuini ardorem ciet.

Teresiae ex amoris diuini iaculo æstuque obijt.

7 *Sagittas suas ardentibus operatus est.) idest qui percussi diuino amore flagrarent. qua enim alia sagitta percussa est, quæ dicit: Inducite me in domum vini, constituite me inter vnguenta, constipate me inter mella, quia vulnerata charitate ego sum.* Nota, sic legit, ac pulchrè referri possunt hęc verba ad S. Teresiam, quæ aurea diuini amoris sagitta vulnerari ab Angelo meruit; adeò autē amore in Christū sponsum ardebat, vt elanguisse amorę potius, quàm naturali mortę obijsse sit visa: ebria interim suauitate rerum cœlestium, hoc est introducta in domum vini, & constituta inter vnguenta ob odoramenta virtutum, quarum fragrantia redundauit in corpus etiā mortuū; & inter mella suauissimæ cōtēplationis enutrita; vel si vis legere, vt vulgata. *stipate me malis*; hoc est odoratis pomis, ac dulcibus, fructus intellige perceptos in agro fertilissimo sui cordis. quæ omnia multò magis ad Deiparam referri possunt.

Peccatum vertici, peccatoris quasi gladius impendet.

In verticem ipsius iniquitas eius descendet.) Descendisse dicitur in verticem peccatum, quia onus habet, quia grauat peccatū & onerat, & ad requiem Sanctorum euolare non sinit, ne possit Deo illud dicere; Gloria mea, & exaltans caput meum. Vides vt pennis suis euolare non possit anima peccati pondere depressa. hinc apud Zachariam illud talentum plumbi, quo oneratur iniquitas. addo ego, etiam si peccator inter maximas Mundi delicias sit, necessariò anxium, & pauidum esse, cum iniquitatem supernè, tanquam imminētem vertici gladium contemplatur, vt ille à Dionysio

homine agitantes, sed excluso principe de quo dicitur, *princeps huius Mundi eiicietur foras*; destructa cum his Ciuitas est. eleganter improbos vocat diaboli Ciuitates, in quorum corde tanquam in curia sint fraudulenta consilia &c. membra autẽ, & sensus quasi satellites sũt, & administri detestabiles facinorum, & passiones quasi seditiosæ factiones ciuilis discordiæ. hæreticorum quoque conuentus appelles licet diaboli curiam.

Heretico rum conuentus curia diaboli est.

3 *Perijt memoria eorum cum sonitu) hoc est cum ipso strepitu, quo tumultuabatur impietas.* Vides inanem Mundi strepitum, per bella, per lites, &c. cum ipso Mundo perire, & euanescere: quid enim sono fugacius, & inanius? Addit: *vel quia fit strepitus, cum impietas euertitur; non enim transit ad summam pacem, & summum silentium, nisi qui prius magno cum strepitu cum vitijs belligerauerit.* Vides quanta cum vehementia, quantoque veluti militari cum strepitu clamoris, ac tubarum vitia sint expugnanda, vt muri Hierico corruerunt cum magno tubarum clangore septies repetito, quasi septem primaria vitia expugnanda esse significarent non remissè, sed concitatè.

Mundi fastus strepitus est inanis, & euanidus.

Post vehementem luctam cum vitiis quies, & pax.

4 *Exaltas mè de portis mortis.) Prauæ cupiditates sunt portæ mortis, per quas itur ad mortem. portæ vitæ sunt optima studia per quę peruenitur ad vitam.* Vide quid sint passiones animæ seu vitia, & quid virtutes. subiungit: vel portę mortis sunt corporales sensus, & oculi; exaltantur autem cum iusti quærunt non quæ videntur temporalia, sed quæ non videntur æterna; portæ uitæ sunt sacramenta, & initia fidei, per quæ uenitur ad occulta filii; *non enim oculus vidit, nec auris audiuit &c, quæ præparauit Deus diligentibus se.* egregiè vocat sensus portas mortis, præsertim oculos; iustus autem cum has res uisibiles nõ attendit, sed ad inuisibilium contemplationem altius attollitur, superior fit, & transcendit has portas mortis, quibus rectè opponit uitæ portas, hoc est sacramenta, quibus fit aditus ad æternitatis adyta.

Portæ mortis vel passiones sũt vel sensus corporis: portæ vitę virtutes vel sacramenta

5 *In muscipula ista, quam occultauunt mihi, comprehensus est pes eorum.) Pes animi rectè intelligitur amor, amore enim mouetur tanquam ad locum, quò tendit.* locum autem delectationem esse dicit: *Pes autem seù amor peccatorum comprehenditur in muscipula, cum delectatio ipsa alligat eos, nè inde abrumpat amorem. hinc dicitur radix malorum cupiditas, quia radix est tanquam pes arboris, vnde radix & charitas dicitur à Paulo; in charitate, inquit, radicati.* contra de semine, quod cecidit in petram, dicitur, Sole ardente aruisse, quia non habebat altam radicem: Vide igitur quid sit delectatio, & uoluptas, dolosa diaboli muscipula, pedem seù affectum premens, nè currat ad Deum. proh quantæ insidiæ, quàm cautè incedendum, uidendumque ubi pes, hoc est affectus insistat.

Pes noster affectus est muscipulæ satanicæ obnoxius.

6 *Dum superbit impius, accenditur pauper.) Mirum, & verum quanto studio bonæ spei accendantur paruuli comparatione peccatorum; hinc hęreses esse permittuntur in diuina prouidentia: lucem facit, & ordinat; tenebras autem tantùm ordinat, vt fit earum comparatione lux gratior.* Pulchrè ait, pauperem velut extinctum accẽdi spe retributionis ęternæ, cum uidet se destitui terrenis, quibus abundant impii. doctè autem distinguit, Deum bona, & facere, & ordinare, mala uerò tantùm ordinare ad finem bonum. sic hęreses permittit, ut fidei ueritas magis eluceat.

Pauper vt extincta lucerna accẽditur spè cœlestis præmii.

Deus bona, & facit & ordinat, mala tantùm ordinat.

7 *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ,) Adulatorum lingua alligat animos in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non solùm nõ metuitur reprehensor, sed etiã laudator auditur.* Vide quanti detriti sit adulatio. præcessit autem: *Comprehenduntur in consilijs quibus cogitant:* scilicet quasi vinculis suis capti: vbi fraudem agnosce, hoc est linguam adulatoris tanquam vinculo alligantem, & blandis sermonibus irretientem. perinde hoc est, atque Neronis instar aureo hamo piscari; sed hoc ipsum crudele, & Neronianum est. tam graue dãnum est, quod infert adulatio.

Adulatoris lingua laqueus est ad peccatum.

8 *Secundùm multitudinem iræ suæ nõ quæret.) Multum irascitur dominus, dum non exquirit, dum quasi obliuiscitur, & nõ attendit peccatorem.* magnus hinc metus iniicitur, cum quis peccat, & tamen prosperè ei fluũt omnia, sed effluit è mẽte Dei. notabilis interpretatio. cum ergo peccator impunè agit, nec affligitur, signum est planè reiectum à Deo, & indicari non solum iram, sed multitudinem iræ Dei.

Peccatoris impunitas signũ est admodũ irati Dei.

9 *Insidiatur in occulto, velut leo in cubili suo.)* de Antichristo interpretatur, in quo, & vis est futura, & dolus: vis in leone, dolus in occulto. tum sic. *Prima persecutio Ecclesiæ violenta fuit cum cædibus &c. altera fraudulenta, quæ nunc per hæreticos, tertia est fraudulenta, & violenta per Antichristum: vim habebit in imperio, dolum in miraculo:* nam si Simon Magus simulauit ascensum in cœlum; quid ille non aget? nota da triplici genere persecutionis, fraudulenta fit per hæreticos, & nunc viget: immo eadem violenta ob cœdes Catholicorum: adeo hęretici pręeunt Antichristo.

Tribus modis Ecclesia persecutionem patitur.

10 *Pupillo tu eris adiutor;) idest cui moritur pater hic Mundus, per quem carnaliter genitus est, vt dicat cum Paulo, mihi Mundus crucifixus est.* facit hoc ad solatium religiosorum, qui Mundi hæreditem, quasi paternam spreuerunt, tanquam multò ære alieno obstrictam, & mole-

Religiosis Mundo sibi mortuo, pupillus Dei iure reliquitur

molestijs plenam; & cum ei Mundus quasi pater mortuus sit, eius curam quasi pupilli suscipit Deus.

Ex psalmo X.

1 VT *sagittent in obscura Luna rectos corde.)* sic legit. hæretici tunc tripudiant, cum in Ecclesia viros doctos simul, & probos esse non vident, à quibus argui possint: *cum senserint Ecclesiæ lumine propter multitudinem imperitorum, & carnalium sè non posse conuinci.* certè docti viri apud Danielem dicuntur fulgere, *sicut stellæ in perpetuas æternitates*. pulchrè igitur & Dominicus in primis, & Ignatius noster præcauentes hoc, quod hæretici optant, ordines instituerunt, qui & doctrina, & probitate fulgerent, vt illorum sagittæ vitari possent. Subiungit, Lunam dici Ecclesiam, quia à Christo veluti Sole lumē recipit; renouandam autem hanc Lunam in resurrectione mortuorum. Ceterùm, *obscura dicitur Luna, & cum finitur menstruis cursibus, & cum fulgor nubilo interpolatur, & cum plena deficit.* ità, inquit, Ecclesia passa est persecutionem, & cum noua esset; & cum calumniæ nebulis quasi obtegitur; & *cum Martyrum cædibus, & effusione sanguinis tanquam cruentam faciem illo defectu Luna videtur ostendere*. Elegāter dictum de cruenta Ecclesiæ facie in Martyribus; sed illo sāguine ornantur eius genæ ceu purpurisso. Addo si ad Deiparā, quæ *pulchra vt Luna* dicitur, hæc referamus, dicemus dæmones obseruare, vt sagittent, quos viderint illius patrocinij lumine non illustrari; ipsi enim Andabatarum more pugnant in tenebris, quamobrem & principes tenebrarum dicuntur. obseruant igitur cum aliquis à Deiparæ deuotione desciscit, vt tentationum tela contorqueant.

Hæretici sagittarii erumpūt cum viri docti desunt Ecclesiā defendentes

SS. Dominici, & Ignatii institutum contra hæreticos laudatus.

Cruenta Lunæ facies Ecclesiæ in martyribus.

Dæmones sagittarii obseruāt, cū Deiparæ deuotio deficit.

2 *Sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.)* *Calicem appellat, ne quis præter modum, & mensuram in peccatoribus supplicia per diuinam prouidentiam fieri arbitretur.* acutè ait, cum tam horribiliter procellis similem iram Dei dixerit, parui calicis meminit. sic in Apocalypsi, *Dedit septē Angelis septē phialas aureas plenas iracūdiæ Dei:* quàm parua capacitas phialæ? adeò verū est damnatos puniri citra condignum: at verò beatis nō calix, sed torrēs voluptatis dari pro potu dicitur. & nota phialæ sūt, & aureæ: phialæ hoc est angusta vascula iræ Dei, coarctat enim, & mensurat pœnas Deus; aureæ, non enim ex aliqua passione Deus punit, sed sicut ait sapiens: *Tu autem cùm tranquillitate iudicas; & cum magna reuerentia disponis nos.*

Deus punit citra condignū

3 *Iustitias dilexit.)* *In multis Iustis quasi multæ iustitiæ videntur, cum sit vna Dei, de qua omnes participant, tanquam si vna facies intueatur plura specula* acutè dictum, cùr plus sit dicere iustitiam Dei, quàm iustitias nostras. simus autem, vt specula, oportet, iuxta Theodoreti, & aliorum interpretationem, ac proinde sine puluere terrenorum, vt Dei similitudinem per virtutes, quā licet, excipiamus; quò facit illud: *Nos verò reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformamur, &c.* κατοπτρίζω est imaginès, & reflexiones facere im modum speculi.

Plus est Dei iustitia, quam multæ nostræ.

Nos quasi specula Dei similitudinem referimus per virtutem.

Ex psalmo XI.

1 POnam in salutari.) *idest Iesu, nam de hoc dicitur; Viderunt oculi mei salutare tuum. non dixit quid ponat, intellige quod ad consolationem gemitum pauperum pertinet.* rectè aduertit, explicari non posse verbis, quantum suauitatis, & consolationis posuerit pater in filio, qui dicitur in cantic. *totus desiderabilis.* referre liceat hoc ad Societatem Iesu; dici enim non potest quid præstantiæ, quid iucunditatis in hoc nomine insit.

Iesu nomen ineffabilem continet suauitatē.

2 *In circuitu impij ambulant.) idest in cupiditatibus rerum temporalium. quæ septem dierum repetito circuitu tanquam rota voluūtur, & ideò non perueniunt ad octauum, idest ad æternum, pro quo hic psalmus titulatus est; ita & per Salomonem dicitur: Ventilator impiorum est rex sapiens, & immittit illis rotam malorum.* huc facit quod in Ægyptiorum templis, tempore sacrificii, rotam circumuolui solitam legimus, quo humana omnia in circuitu ferri significabant: rotam autem illam malorum impiis tributam expresserunt fabulæ pœna Ixionis, qui rota versatili cruciarentur. lingua etiam *inflammata à gehenna inflammat rotam natiuitatis nostræ*, vt dicitur à Iacobo. cū igitur circum hæc temporalia se versent mūdani, quid mirum si de ijs dicatur: *Dominus miscuit in medio Aegypti spiritum vertiginis.* scimus quid Samsoni acciderit propter Dalidam, in circumagendo pistrino. Vide autem quid sint temporalia, circa quæ mundani tam sollicitè se versant; *orbis, seu rota malorum.* Simile estillud adagiū: Ilias malorum, & catenati labores. in æternitate igitur stabiliter figenda mens est, non in hoc versatili rerum temporalium motu.

Mundani in circuitu rerum temporalium ambulāt vertigini obnoxiæ.

Mundus rota malorum.

Ex psalmo XII.

1 NE *quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.)* *Diaboli insultatio metuenda est. exultabit, si motus fuero; at non exultauit de Iob, qui firmus fuit.* nota

Dia-

Inconstātia in bono proposito tripudium diaboli.

Diaboli gaudium quantum futurum sit, si fractus fuero, cum tantum sit, si motus. est hoc contra eos, qui facilè à bono proposito deflectunt: hoc est tripudium Diaboli: nempe cum tu reiecto bono consilio quasi caput moues, dæmones pedes mouent in choreas. *Exultabunt, si motus fuero*.

Ex psalmo XIII.

Deum nemo aperte audet non fateri.

1 D*Ixit insipiens in corde suo, non est Deus.) In corde tantùm dixit, nam neque ipsi sacrilegi philosophi ausi sunt ore fateri, Deum nullum esse*. notum est de illo philosopho, qui ut ἄθεος ab Atheniensibus est damnatus, quod nullum diceret Deum. nempe totius ex rerū vniuersitatis vna vox est proclamans Deum auctorem.

Ex psalmo XIV.

In hac vita quasi sub militari tentorio Dei Imperatoris sumus.

1 D*Omine quis peregrinabitur in tabernaculo tuo?)* sic legit. *cum propriè accipitur tabernaculum, belli rei est. vnde, & contubernales milites dicuntur; peregrinamur autem in tabernaculo, quia ad tempus cum diabolo dimicamus*, nota, vt de re difficili interrogat, quis tam acrè bellum confecturus inueniatur? sed sub Dei Imperatoris tentorio esse, certum auspicium est victoriæ. Addit: *tabernaculum hoc maximè fidem significat temporalis dispensationis per incarnationem domini factam*. pulchrè humanitatem Christi diuinitatis tabernaculum vocat: eam contemplari quasi peregrinari est, multa enim inusitata, & admiranda in ea cernere licet; etenim mos hic propriè peregrinantium est. quid autem potest admirabilius cerni, quàm Deus in stabulo, Deus in cruce, &c?

Humanitas Christi tabernaculū diuinitatis.

Charitas ob eminētiam mōs Dei dicitur.

2 *Quis requiescet in monte sancto tuo?) supereminentiam charitatis Christi significat in æterna vita* ideò mons dicitur, sed difficultatem ostendit ascensus, quis, inquit, cognoscere tam sublimem charitatem poterit? proh quantum absumus ab hac supereminentia, si adhuc ima diligimus! huc igitur refero illud Angeli monitum ad Loth. *in monte saluum te fac*. hoc est in sublimitate dilectionis Dei.

Ex psalmo XV.

1 S*Ancti, qui in terra sunt eius.) idest quorum conuersatio spiritalis per anchoram spei in illa cœlesti patria figitur*, acutè dictum de sanctis, nam non ait, *sunt in terra*, absolutè, sed *in terra eius*, hac est in terra viuentium. anchora enim spei ibi figatur oportet, vt tutæ sint meritorum merces.

Anchora spei in cœlum figenda.

2 *Mirificaui omnes voluntates meas in eis.) hoc est miras eas feci in profectu eorum, quo senserunt, quid eis profuerit, vt morerer, et vt resurgerem*. Vide quid Deus requirat à nobis, vt fructuosa scilicet sit in nobis filij passio, & resurrectio: quæ cogitatio valet ad profectum non vulgarem, sed admirabilem, vt patet in sanctis.

Passio, & resurrectio bene considerata miros profectus agit in anima.

Ex psalmo XV.

1 V*T non loquatur os meum opera hominum.) hoc est vt non aliud procedat ex ore meo, quàm quod pertinet ad gloriā, & laudem tuā*. Vide in quo exercēda sit lingua; nō modò non in detrahendo alijs, sed ne laudando quidem nostra opera, immò nec aliena, nisi quatenus redundat id ad gloriam Dei. huius diuinæ gloriæ, immò maioris studiosissimi fuerunt in primis Ignatius noster, & Teresia illustrium cœnobitarum mater.

Omnis sermo nō aliter non nisi Dei gloriā, & laudem spectare debet.

2 *Mirifica misericordias tuas,) idest non vilescant misericordiæ tuæ, ne minus amentur*. nota, tam multa sunt Dei beneficia, vt verendum sit, ne ob multitudinem, & copiam vilescant: fac, inquit, potius, ut admiremur ea, licèt multa sint, immò ideò, quia multa sunt.

Dei misericordia vilescit improbis

3 *In tegumento alarum tuarum protege me.) Alarum scilicet charitatis, & misericordiæ*. Vide quæ sint Dei alæ, quibus accurrit ad nos. refer huc Esaiæ locum, *Sanitas in pennis eius*. Attende, quàm celeriter ad leprosum emundandum accurrerit: dixit ille: *si vis, potes me mundare*, respondit statim: *volo, mundare: & confestim sanata est lepra eius*.

Deus duabus alis charitatis & misericordiæ statim ad nos aduola.

4 *Proiicientes me circundederunt me.) Proiicientes scilicet extra ciuitatem, circundederunt in cruce*. nota, nam cum hæc de crucifixione intelligat, etiam ad passionem pertinebit id quod sequitur: *oculos suos statuerunt declinare in terram*: puto enim ministros id fecisse, ne fortè si domini vultum licèt deturpatum sputis inspicerent, commouerentur: ideoque eius vultum velarunt, cum alapas dabant, ne quid inde splendoris erumpens oculos verberaret.

Crucifixores Christi cur oculis humi fixis.

5 *Erue frameam tuam ab inimicis tuis,) Anima mea framea tua est, quam assumpsit manus tua, idest æterna virtus tua, vt per ipsam regna debellet iniquitatis, & diuidat iustos ab impijs*. pulchrè animam Christi appellat gladium. quandiù igitur vixit, velut in vagina corporis fuit, per mortē quasi extra vaginam profligauit Infernum, contrucidauit hostes, vitia scilicet, &c.

Christi anima quasi gladius e uagina corporis eductus mortē, strages de inferis fecit.

6 *Saturati sunt porcina.) ita legit, vbi vulgata habet, filijs. idest immūditijs cōculcantes margaritas.* mirum est quod ad Iudæos hoc

referat

referat, eos perstringẽs, qui potius abstine bāt à porcina: sed nimirū dum carnalibus delectantur, quasi porcina saginantur: typum oderunt, rem amarunt. & quid aliud egerunt cum Christum contumeliosè spreuerunt, quàm quod margaritā conculcarunt in concha virginei vteri conflatam? *conculcauerunt me inimici mei*. sed vt concilemus vulgatam, quæ habet, *filijs*, cū lectione Augustini, dicamus, cogitationes esse quasi prolem mentis, ac porcina intelligi cogitationes carnis lutulentas, quibus fœcundi sunt mundani.

Luxuria immūdus partu est mentis.

Ex psalmo XVII.

Inuid' in ferrum se cu.a fert.

1 DOlores Inferni circundederunt me.) *idest dolores inuidentiæ, qui mortem operantur*. Nota, inuidos tanquam in Inferno versari, ac simili dolore cruciari, quanquam in Inferno ipso diues ille videtur quodammodo abiecisse inuidiam, cū de fratribus sollicitus erat, ne ad eundem locum venirent, ac se damnato, eos saluari velle saltem verbis indicauit. inuidus igitur damnato peior videtur; & rectè dolorem, & cruciatum vocat inuidiam.

2 *Ascendit fumus in ira eius.) Idest ascendit lacrymosa deprecatio pœnitentium, cum cogitāt quid minetur Deus impijs. & ignis à facie eius exarsit, cum flagrantia charitatis post pœnitentiam inardescit. carbones succensi sunt ab eo, cum qui ante extincti, spe boni desiderij iterum accenduntur.* Vide effectum pœnitentiæ; & nota aquis ipsis lacrymarum accendi ignem amoris. Iam quis in Magdalena pœnitente non agnoscit, *inardescentem flagrantiam charitatis*? dicente domino, *quoniā dilexit multum*.

Pœnitentia affert secū charitatis flammam.

3 *Volauit super pennas ventorum.) Virtutes veluti pennæ sunt animarum, quibus se à terrenis timoribus in auras libertatis attollunt.* Pulchrè in animis quasi pennatis, eu-hi Deum dicit, ipse est qui eleuat per gratiam, & eleuari se putat, dum per sanctos glorificatur. Vide quàm amans sit Deus alacritatis, desidiam, ac tarditatem in bono exosus.

Virtutes pennę sūt animę.

4 *Misit sagittas suas, & dissipauit eos.) Misit Euangelistas pennis virtutum recta itinera transuolantes non suis, sed eius, à quo missi sunt, viribus.* hæc interpretatio Augustini alludit opinor ad eum morem, quo sagittæ pennis instrui solebāt, vt celerius transmitterentur. igitur Euangelistæ, seu Apostoli, pēnatæ quædā sagittæ fuere alacriter trāsuolantes Orbem terrarum; cuiusmodi & Xauerius noster fuit. fulgura ijdem dici possunt coruscatione miraculorum, vt illa apud Exechielem, quasi fulgura discurrentia animalia. sed rectè notat, pennatas illas sagittas transuolare non posse, nisi Dei manu mittantur.

Viri apostolici sagittę pennatæ.

5 *Eruit me, quia voluit me.) Voluit me, antequam illum ego vellem.* Vide vt prædestinatio non sit ex meritis, sed ex mera Dei benignitate. sequitur: *Retribuet Dominus secundùm iustitiam tuā.) retribuet secundùm iustitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit misecordiam, antequam haberem bonam voluntatem.* habes & gratiam præuenientē, & præmia meritorum, vbi gratiæ per bona opera correspondetur.

Gratia præueniens, & meritorum retributio consequens.

6 *Cum innocente innocens eris.) Quia tu nulli noces; sed criniculis peccatorum suorum quisque constringitur*. ita quidam typi habent pro, funiculis. si legamus criniculos, quia hi ad decorem, & speciem concinnātur, intelligemus peccata ipsa vincula esse, quæ peccatores ad delectationem amant, vt alibi dicitur. *iniquitates manus vestræ concinnant*: vt scilicet crines mulieres ad ornamentum solent; sed cedunt in opprobrium uinculorum.

Mundi ornamenta in vincula cedunt.

7 *Posuit immaculatam viam meam.) Viā videlicet charitatis, qua ego ad illum veniam, sicut est immaculata via fidei, qua ipse venit ad me.* Vide duplicem viam, vtramque immaculatam; nā & de illa fidei, de qua Deus venit ad nos, dixerat. *Deus meus, immaculata via eius*. porrò quàm iucunda hæc via charitatis est, si transeuntibus per mare rubrum *apparuit campus germinans, &c.* & in prou. dicitur. *viæ eius viæ pulchræ*. & Paulus de charitate loquens ait. *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*.

Via charitatis quam pulchra sit.

Prou. 3. 1. Cor. 12.

8 *Qui perfecit pedes meos, vt cerui.) idest qui perfecit amorem meum ad transcendenda spinosa implicamenta huius sæculi.* alibi quoq; pedem, amorē intellexit, quo ad aliud tēdimus. Nota velocitatem, qua ad perfectionē tēdere debemus et per difficultates, iuxta illud: *tunc saliet quasi ceruus claudus*.

9 *Et super excelsa mea deducet me.) Idest super cœlestem habitationem figet intentionem meam*. Pulchrè ostendit, intentionem nostram in operando non debere esse in imò hoc est humi defixam, sed erectam, hoc est Dei gloriam spectare. huc pertinet, quod mox subiungit. *Posuit vt arcum æreum brachia mea.) Infatigabilem intentionem arcui æreo comparat*. rectè, vt quasi sagitta collimet ad scopum. denotatur autem per hoc indefessa perseuerantia.

Intentio ad superna erigi debet.

10 *Dilatasti gressus meos.) Idest latam fecisti charitatem meam operantem hilariter.* sequitur: *non sunt infirmata vestigia mea. Quæ scilicet impressi ad imitandum sequētibus.* Vide quàm promptè, & alacriter, & constanter cum charitate benè operandum sit. magnum est hoc incitamentum alijs, vt ijsdem vestigijs insistant. hinc cum dixisset sponsa: *Trahe me post te*: subiungit item de aliis statim: *curremus*. meritò igitur ait spōsus, *Quàm pulchri sunt gressus tui, &c.*

Hilariter & perseueranter in charitate operandū.

Bono exēplo alii excitantur.

Com-

Superbi imbrem Dei misericordiæ non retinent.

11 *Comminuet eos, vt puluerem ante faciẽ venti.*) *Aridi enim sunt, non recipientes imbrem misericordiæ, elati, atque inflati superbia.* Vides superbiam aridam esse terram, priuatam imbre misericordiæ Dei, ac proinde nullos proferre fructus. certè imber denatat de tumoribus collis, in conualles defluit, hoc est in humiles. ideò olim Deus iratus est in Ethnicos ipsos dicentes: *Dij montium sunt Dij eorum, & non est Deus vallium.* at spõsus ipse, vt dicitur in Cãt. appellat se, *lilium conuallium.* & quod ait, *elatos superbia non recipere imbrem misericordiæ.* ad hos pertinet illa maledictio: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos.*

Ex psalmo XVIII.

Christus aperte se ostendit bellatorẽ in Incarnatione.

1 IN *Sole posuit tabernaculum suum*) *Dominus, vt aduersus regna errorum belligeraret, gladium missurus in terram, in manifestatione posuit, tanquam militare habitaculum suum, hoc est dispensationem incarnationis suæ.* eleganter ostendit, Christum in incarnatione Imperatoris instar tentorio posito, in Solem, vt dicitur, & puluerem descendisse, aperto, vt ita loquar, Marte præliaturum; luce quoque miraculorũ se manifestasse Dei filium. In tabernaculo Darij Regis Persarũ, imago Solis erat. quod autem tanquam militare quoddam tentorium fuerit humanitas Christi, ipsemet fassus est: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Bernardus similiter ait: *Arcus tuus, Incarnatio tua.* quis non vulnere charitatis saucium in tanto mysterio cor habeat? idem mox sic interpretatur: *In Sole posuit tabernaculum suum, idest Ecclesiam in manifesto, non in occulto latentem, ne fortè fiat sicut adoperta sequens greges hæreticorum.* nota de Ecclesię splendore, & aperta prædicatione, contra quam sunt occulta conuenticula hæreticorum.

Q. Curtius.

Ecclesia quasi tentorium in Sole locatum.

Vterus Virginalis thalamus Dei sponsi.

2 *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo,*) *hoc est de vtero virginali, vbi Deus tanquam sponsus naturæ humanæ vt sponsæ copulatus est.* Vide quanto cum gaudio, & quasi nuptiali lætitia Christus versatus sit in vtero Matris, qui scilicet thalamus dicatur virginitatis flore conspersus.

Nemini subest excusatio non diligendi ardenter Deum.

3 *Nec est qui se abscondat à calore eius,*) *Cum Verbum caro factum babitauit in nobis, non permisit vllum excusare sè de vmbra mortis, & ipsum enim penetrauit Verbi calor.* egregiè interpretatur, nullam relictam cuiquã excusationem de ignorantia, vel tepiditate, postea quàm enim affulsit incarnationis lumen, & post solutas tenebras, & calorem amoris vehemẽter accẽsũ, quis algeat? certè de hoc Esaias ait: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes; à facie tua montes defluerent; aquæ arderent igni.* Vide quantum dilectionis incendium excitet Incarnatio.

Hilariter seruiendum Deo non seruiliter.

4 *Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda*) *Vt liberè, & cum charitate operemur, non vi, siuè seruiliter.* rectè monet iuxta illud Apostoli: *non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* huc refert quod sequitur: *Timor domini castus*: ità legit, vbi in uulgata est, *sanctus.* timor *castus*, *hoc est non seruilis, quo Ecclesia sponsum suũ quantò ardentius diligit, tantò diligentius cauet offendere.* Vbi nota, castum pro sancto accipi; tantũ est huius virtutis decus. Vide etiam vt custos castitatis sit Dei timor

Castitas antomasticè sanctitas est.

Qnantum uis sit aliquis iustus præferre Dei voluntatem debet suæ.

Nihil Dei voluntate pretiosius.

5 *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum.* Quia nimirùm pluris fieri debẽt Dei iudicia, quàm ista terrena. Addit eleganter: *Quod si quis ipse sit aurum, & lapis pretiosus, vt igne non consumatur, sed assumatur in thesaurum Dei, etiam plusquam se ipsum desiderat iudicia Dei, cuius voluntatem præponit suæ.* Videntur hæc verba ad religiosos maximè pertinere; Dei enim voluntas ab his non modò præponenda auro, & gemmis, & alijs bonis; sed etiam si ipse ob internas virtutes sit instar auri, & gemmarum, pluris tamen faciet Dei voluntatem, quàm sui ipsius. & licet, vt res pretiosa, *sit assumptus in thesaurum Dei.* tamen se abnegare, ac vilipendere debet præferens Dei voluntatem, vt rem omniũ pretiosissimam.

Sancti mellis fauo comparati.

Sancti huic vitæ ceræ instar inhærent facile solu&#x0;ẽdi amoris diuini æstu.

Mors iusti est quasi expressio mellis è fauo in epulas Dei.

Suauitas in Dei præceptũ si cordis palatum male nõ sit affectũ.

6 *Dulciora super mel, & fauum*) *hoc est, pluris faciet Dei voluntatem, & iudicia, quàm mel.* Cum diuinæ voluntatis pretium, & valorem ostendisset, etiam iucunditatem ostendit, & addit pulchrè. *Etiam si quis sit iam mel, qui diem expectet post hanc vitam, quo veniat in epulas Dei; & sit adhuc fauus, vt quasi cera circumplicetur hac vita, non huic concretus, cui opus sit pressura non opprimentis, sed exprimentis manus Dei, qua de temporali vita in æternam eliquetur, tamen dulciora sũt illi iudicia Dei, quàm sibi ipse est.* Nota, sancti ob dulcedinem rerum diuinarum quasi mel sunt; item & ob suauem conuersationem, licet in se ipsos asperi sint; huic autem vitæ, non concreti sunt, sed tantùm instar ceræ adhærent, à qua paruo diuini amoris calore distrahuntur statim soluti: Et vide quid agat Deus, cum affligit pressuris, & morte: *non opprimit, sed exprimit*: quasi mel de fauo ad vsum Dei mensæ. Sãcti igitur etiam si mellei sint, tamen suã consolationem, & voluntatem posthabent voluntati Dei. Subiungit de Dei præceptis. *Dulciora dicuntur super mel, & fauum, sed mel amarum est febrienti, dulce tamen sano* Vides vt magnæ ægritudinis signum sit non delectari Dei mandatis, quæ ex se suauitatem habent melleam; sed nimirum malè affecto palato amarè sapiunt.

7 *Si mei non fuerint dominati,*) *Tè dominus bonum seruum fecit, tù tibi in corde tuo* malum

malum dominum creasti. meritò subderis domino, quem tibi fecisti. cupiditati scilicet, seu diabolo. vide quàm indignum sit, Deo tam bono, tam præstanti domino relicto, vltro subiici quasi mancipium tam vili domino.

Peccator vltro fit diaboli mancipiũ

8 *A delicto magno munda me,) idest superbia: quæris quàm magnum sit hoc delictum? quod deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum. hic ingens morbus animarum omnipotentem medicum de cœlo deduxit, ligno suspendit, vt curaretur hic tumor. ità tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.* nota, sic legit: si ergo magnum delictum superbia, magna virtus humilitas, & vide quàm potens vis morbi, qui non potuit nisi ab omnipotente medico curari. vide etiam quàm grauis ponderis sit, *quod deiecit Angelum.*

Superbia ingens morbus, qui eguit ipsius Dei medicamine.

Ex psalmo XIX.

1 M*Emor sit omnis sacrificii tui.) idest memores nos facias omnium iniuriarum, & contumeliarum, quas pertulisti pro nobis; & holocaustum tuum, quo totus oblatus es, pingue fiat, idest in lætitiam resurrectionis conuertatur.* nota quid à Deo petendum sit, memoria Christi opprobriorum, & passionis perpetua, iuxta illud: *memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* rectè item holocaustum vocat Christi passionem, hoc est totum incensum ob ardorem dilectionis.

Petenda memoria opprobriorum, & crucis Christi

2 *Tribuat tibi secundùm cor tuum) hoc est vt gentiles, & Iudæi conuertantur. & omne consilium tuum confirmet: qui sciens quid vtilitatis haberet passio tua, animam posuisti.* vide quod Christi votum, & cordis desiderium sit, conuersio Mundi; quàm igitur grati sunt ei viri Apostolici, qui huic Christi desiderio explendo operã nauant? & vide quanta sit vtilitas passionis Christi, vt ipsemet tantùm eã perfectè intelligat, ac propterea tanta sit passus.

Christi votum Mũdi cõuersio.

Ex psalmo XX.

1 D*Esiderium animæ eius tribuisti ei.) cũ ait: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, & exoptauit animam suam ponere.* nota, quanta cum alacritate Christus se, & in cibum, & morti obtulerit.

Christi votum mors & institutio Eucharistię.

2 *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.) In principio sermonis eius accedentes ambierunt eum; lapides pretiosi discipuli sui, à quibus exordium annunciationis eius fieret.* Nota dignitatem Apostolorum, tanquam enim duodecim gemmæ coronarũt Christum regem, cum ei populos subiecerunt, quod item Apostolici viri faciunt.

Apostoli lapides pretiosi coronantes Christum.

3 *Pones eos vt clibanum ignis,) hoc est cõstitues eos ardentes intrinsecùs conscientia impietatis suæ.* Vide qua flamma ardeant peccatores, nondum detrusi in infernum.

Conscientiæ malę incendiũ.

Ex psalmo XXI.

1 T*Itulus est, pro susceptione matutina) idest pro resurrectione sua; matutina enim fuit prima sabbati resurrectio eius.* mirum sanè. nam hic psalmus initium habet ab acerbissimo Christi dolore pendentis è cruce: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* tamen huic ipsi initio subscriptus est titulus triumphalis: adeò coniuncta fuit cũ Christi ignominia, gloria. ita loquens ad discipulos ait: *ecce ascẽdimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur, & flagellabitur, & conspuetur.* statim verò subiungit: *& tertia die resurget.*

Christi passio in gloriam cessit.

2 *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?) Anniuersaria recordatio passionis Christi quasi repræsentat quod olim factum est, & sic nos facit moueri, tanquam videamus in cruce pendentem. Passio domini celebratur, tempus est lugendi; & quis nostrum est idoneus ad effundendas lacrymas pro dignitate doloris tanti? quis dabit capiti meo aquam, &c? si verè fons lacrymarum esset in oculis nostris, nec ipse sufficeret; verba, quæ modo audiuimus, fratres, vbi ponimus? si possent, de lacrymis scribi deberent.* pulchrè, ac piè præsertim hoc vltimum, dum ait, partem Euangelij, quæ passionem continet, non atramento, sed lacrymis scribendam esse. Vide autem quomodo consideranda sit Christi passio, quasi adsimus Caluario, vnde dicitur: *Erit vita tam pendens ante te.* & Apostolus ait ad Galatas: *ante quorum oculos Christus Iesus prescriptus est.* quanto autem id cum affectu agendum, quando de Iudæis ipsis dicitur: *omnes, qui aderant ad spectaculum illud, percutientes pectora sua reuertebantur.*

Christi passio quã piè lugenda.

3 *Clamabo per diem, et non exaudies) Non est potior miles, quàm Imperator. Paulus miles optat mortem, vt sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem. sed quid nisi infirmatẽ nostrã portabat? multi clamant, & non exaudiũtur, sed ad salutẽ; nõ est exauditus Paulus de stimulo carnis, non tamen ad insipientiam, sed ad sapientiam: vt intelligat homo, medicum esse Deum, & tribulationem esse medicamentum ad salutem, sub medicamento potius vreris. sanari clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem; ad voluntatem non est exauditus Paulus, ad damnationẽ exauditus est diabolus; petiit Iob ad tentandum, & concessit. & dæmones petierunt ire in porcos, & exauditi sunt.* Notabilis locus, vt nos Dei voluntati totos tradamus in ærumnis, vt ipse disponat. nempe, vt subiũgit: *Qui nos fecit, nouit & reficere; bonus est.*

Deus non exaudiẽs medico comparatur.

qui

qui edificat domum, & si quid aliquando ceciderit, renouet.

4 *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, &c.) hoc est sapientia mea in libris meis tanquam dura non intelligebatur; sed postquam ignis meæ passionis accessit, liquefacta, & excepta, & manifesta in memoriam sunt.* rectè ait, quicquid in Dei præceptis durum videbatur, igni Christi passionis iã emollitum, immo suaue factum. Vide etiã ipsum cor Christi melleum in passione, tũc cum ei propinatum est fel; & cereum in tanta duritia Iudæorum. an non melleum cor ostendit, cum dixit: *pater ignosce illis?* & iccirco dictum puto: *circumdederunt me sicut apes*. an non videtur Christi cor factum tanquam cera liquescẽs, cum ex eius vulnere exiuit sanguis, & aqua, quouis melle suauior? iuxta illud: *eduxit mel de petra*.

Ignis Christi passionis ad emolliẽdũ cor efficax.

5 *Aruit tanquam testa virtus mea) Vt testa sit igne fortior, ita virtus mea igne passionis.* acutè notat obduruisse tormentis Christum, quod adeò verùm est, vt descendere de cruce, vel hoste petente, noluerit. Aruit, inquit, quod ostendit vox illa de cruce pendentis: *sitio*. sed tunc maximè in tolerando fortis fuit, & constans, charitatis igne duratus.

Passionis igne Christus obduruit testæ instar.

5 *Erue à framea Deus animam meam,) idest à morte.* Vide quid sit mors; gladius, vinculum animæ, & corporis secans: sed hic gladius Christo, verius quàm ille Gordianus, auspicatus fuit ad Mundi totius imperium acquirendum. erutus est à framea, scilicet morte per resurrectionem ad immortalem vitam; quo factum, vt frameam hanc Martyres in primis planè cõtempserint. sequitur: *De manu canis vnicam meam) hæreticos dicit oblatrantes*. rectè, sed oppositus illis postea fuit Dominicus, in vtero matris instar catuli visus igneam ore gestantis facem. Subiungit: *& à cornibus vnicornium humilitatem meam) Vnicornes superbi sunt, nam ideò subiecit: humilitatem meam.* Vides, Christum in cruce conqueri maximè de superbis, quippe qui tanto humilitatis exemplo non mouentur. vbi nota gradationem: eripi primò petit à framea, idest morte; deinde à canibus latrãtibus, hoc est à maledicis; tertiò quasi ad magis inuisũ progrediẽs, à superbis. vnicornẽ asperam feram vocat Plinius, & mõstrosam, equo corpore similem, capite ceruo, pedibus elephanto, &c. talis superbus.

Superbus vnicorni comparatus, Christo inuisus.

7 *Confitebor tibi domine in Ecclesia magna) O Christe, ostende nobis fructum passionis tuæ; Confitebor, inquit, tibi in Ecclesia magna. exiit Donatus, & ait: prorsus iam non timetur Deus; totus Mundus periit, & tota pars remansit in Africa. perdidit Christus totum Orbem terrarum, Donatus illi totum abstulit, & in parte ipse remansit. Christus dicit: in Ecclesia magna. & tu dicis: in extrema parte remansit? audeat adhuc dicere, Ecclesia nostra magna est sola Numidia? at dicitur de Ecclesia: Qui timetis Deum, laudate eum. quando laudant Christum, qui aiunt: amisit totum Orbem terrarum?* acutè Donatistas arguit, qui Ecclesiam intra se coarctabant, cum eius dilatatio per Orbem totum terrarum prædicta esset facienda per Christi mortem, ac proinde rectè exclamat: *O Christe, ostende nobis fructum passionis tuæ: confitebor tibi in Ecclesia magna.* certè hoc maximè tempore is fructus quàm vber sit, ostenditur, quando, & deserta, & vastissima loca gentilitatis apud vltimos quoque Barbaros iacto fidei semine fœcundissimè germinarunt: totus iam Orbis terrarum vnus ager domini est.

Christi passio quàm vberes fructus vbique terrarum protulerit.

Ecclesiæ mira propagatio.

8 *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius) Sacramenta corporis, & sanguinis mei reddam coram timentibus me.* huc facit quod sequitur. *Edent pauperes, & saturabuntur. adest humiles, & contemptores seculi, edent, & imitabuntur.* Vide quomodo accedendum sit ad Eucharistiam, cum timore, cum humilitate, & contemptu omnis mundanæ consolationis ad imitationem Christi. Item huc refert: *Viuent corda eorum: Nam cibus ille cordis est*. præclarè dictum de Eucharistia, cibus est cordis, ergo cum fame cordis, & auditate accedẽdum.

Ad Eucharistiã quomodo accedendum.

9 *Edent pauperes, & saturabuntur.) Cœnam suam dedit passionem suam. ille saturatur qui imitatur; & quia pauperes Christum imitantur, ideò pauperes edent, & saturabuntur. dominus est diuitiæ pauperum; ideò inanis est domus, sed cor plenum diuitijs est; diuites quærant vnde arcam impleant; & pauperes quærant, vnde cor impleatur.* pulcher locus de paupertate, & tolerantia ad imitationem Christi, qui est vera refectio cordis, verusquè thesaurus in ipso reconditur. vide igitur quid sit hac mensa saturari, imitari eũ, de quo dictum est: *saturabitur opprobrijs* imitatio Christi saturitas cordis.

Imitatio Christi saturitas cordis.

10 *Conuertantur ad dominum vniuersi fines terræ) Mortuus est dominus, additur & mors discipulorum: da mihi fructum; conuertentur, inquit, ad dominum vniuersi fines terræ. quid respondemus parti Donati? ecce psalmus, scribamus illud in frontibus uestris. Ecce Christus passus est; ecce mercator ostendit mercedem: ecce pretium quod dedit, sanguinem, quem fudit; in sacco ferebat pretium nostrum; percussus est lancea, fossus est saccus, & manauit pretium Orbis terrarum.* pulchrè de fructu passionis Christi, & martyrij, qui est Mundi conuersio. pulchrè item dictum de lancea, per eam precium Orbis terræ, ictu lateris, & scissione fuisse depromptum, diuinum scilicet sanguinem tanquam in cordis marsupio reconditum. rectè autem monet, vt memoriam tantæ pietatis, *scribamus*

Christi sanguinis memoria frontibus imprimẽda.

bamus in frōtib⁹ nostris .s. palàm eā testātes.

11 *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.) Cadunt in terram, qui cœlestem conuersationem deserentes, eligunt in terra beati apparere*. Nota, nam de Eucharistia mentio facta est, quæ cœlestes, & Angelicos mores requirit, à quibus qui desciscit, magno casu prolabitur in mortem. Contra verò de mitis subiungit. *& anima mea illi viuet*. nimirum panis est vitæ. sed ille viuit in Christo, qui Mundo iam mortuus est. itaque sic infert. *Qui in contemptu sæculi mori videtur hominibus, non sibi, sed illi viuet.* Nota effectum Eucharistiæ; nam nos conuertimur in Christum, seu viuimus vita Christi. ita Paulus aiebat. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Vides huiusmodi mortificationem esse vitalem.

Eucharistia cœlestem requirit conuersationem.

Ex psalmo XXII.

1 *IMpinguasti in oleo caput meum.) Lætificasti lætitia spiritali mentem meam; & poculum tuum inebrians quàm præclarum est? idest poculum tuum obliuionem præstans priorum vanarum delectationum.* Egregiè ait, eū qui diuina dulcedine fit ebrius, obliuisci aliarum omnium voluptatum. præclarius hoc poculum, quàm illud Homericum, nepentes dictum, obliuionem indūcens malorum. Vide igitur quàm præclarus sit Eucharisticus ille calix inebrians animam adeo vt nihil iam sit in terris quod eam delectet; quò spectat illud: *Anima saturata calcabit fauum*. hoc est omnem terrenam voluptatem spernet, immò pedibus conculcabit.

Eucharisticum poculum inducens obliuionē terrenorū.

Ex psalmo XXIII.

1 *QVi non accepit in vano animam suā.) Idest qui non in rebus non permanētibus deputauit animam suam, sed eam immortalem sentiens, æternitatem stabilem, & incommutabilem desiderauit.* Vide quid sit in vano accipere animam, scilicet, cum rem acceperis tam prestantem, ad ima proijcere; & rem æternitati destinatam temporalibus, & fluxis rebus addicere: in vano animas accipis, si vanitati studes. secus si æternitas est in voto.

In vano accipit animam qui ad immortalia non aspirat.

2 *Tollite portas principes vestras.) Auferte qui principatum in hominibus quæritis, ne impediāt aditus; quos vos statuistis cupiditatis, & timoris; & eleuamini portæ æternales, eleuamini portæ æternæ vitæ, renūciationis sæculi, & conuersionis ad Deum.* est hic locus insignis pro religiosis, præsertim in seculo nobilibus, qui ablatis, & dissipatis portis, per quas itur ad interitum, intrant salutis portas, quæ eleuatæ dicuntur ob altitudinem perfectionis, quam profitentur, & æternales ob spem æternæ vitæ: vnde de eo qui seculo renunciat, dicitur, *& vitam æternam possidebit*.

Renunciatio seculi, & conuersio ad Deū portę ęternales, & eleuatæ sunt.

3 *Quis est iste rex gloriæ?) Pauet admirans natura mortalis, & quærit; audit; dominus fortis, & potens, quem tu infirmum, & oppressum putasti, dominus potens in prælio; contrecta cicatrices, & senties reparatas, & immortalitati redditam infirmitatem humanam. persoluta est quæ debetur terris, vbi cum morte belligeratum est, clarificatio domini.* Elegās locus de ascensione domini cum dialogismo stupentis naturæ. rectè Ecclesia eam admirabilem vocat, præsertim ob commutationem passionis in tantam felicitatem. *contrecta cicatrices, &c.* quod etiam ad Thomam Apostolum referri potest.

In ascensione mira commutatio passionis in gloriam immortalem

4 *Eleuamini portæ æternales.) Idest portæ Iustitiæ, Charitatis, & Castitatis, per quas anima diligit Deum.* Nota de tribus his portis, per quas initur cœlū, quas, si de religiosis sit sermo, ad tria vota referre poteris. nam iustitia, quæ suum cuique tribuit, cum obedientia congruit, quæ subditum prælato mancipat. charitas cum paupertate; nā vt illa *omnia suffert, omnia sustinet*. adde castitatem. hæ portæ eleuantur, cum illa excellenti quodam modo seruantur.

Portæ æternales eleuatæ tria vota religiosorum.

Ex psalmo XXIV.

1 *AD te domine leuaui animam meam) Desiderio scilicet spiritali, quæ carnalibus desiderijs conculcabatur in terra.* Vide, vt anima iaceat vilis, & abiecta, quandiù terrenis adhæret, nec nisi per desideria cœlestia se eleuet.

Contemplatio iacētem animam eleuat.

2 *In te confido, non erubescā) Qui deserto Deo, sicut De⁹ esse volui, à minutissima bestiola mortem timens, de superbia mea irrisus erubui.* Adami peccatum videtur innuere per serpentem, eius ista vox est. qui dominatum habebat in omnia animalia quantumuis grandia, per superbiam factus est timens vel minima animalcula venenata, à quib⁹ lædi potest ad mortē. quid magis erubescendum, quàm dominum obnoxiū esse vilissimis seruis?

Vilitas, in quam incidit homo per peccatum.

Ex psalmo XXV.

1 *REdime me, & miserere mei.) Hoc est valeat mihi ad liberationem tantum pretium sanguinis tui.* Breuis, sed ardens oratio, & semper in ore habenda. quàm impius est qui tam pretiosum sanguinem audet per peccatum, vt ait Apostolus, etiam pedibus conculcare?

Pretium sanguinis Christi quanti faciendum.

2 Exponit illud Apostol.) *Sol non occidat super*

Iratus Sole iustitiæ priuatur.

super iracundiam vestram. Eijce iram de corde, antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa inuisibilis. acutè dictum de vtraque luce sibi respondente. quantæ tenebræ erunt, si vtraque priuaberis? Addit: vel intellige *Solem verum Christum, non hunc, quẽ adorant Manichæi. caue, ne super iracundiam Sol occidat, idest te deserat, non enim cum iracundia tua cohabitabit.* rectè ait, non posse simul conuenire iratum, & Christum Solem; nam qui iram habet, ea passione obtenebratur: rursus beneficus hic Sol est. nã ideò dicitur: *Orietur vobis timentibus nomẽ meus Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* iratus contra perniciem potius quàm sanitatẽ alteri optat, nec timet: sed timeri vult.

Zelus olim piorum hominum saucios curandi corpore, & animo.

3 *Non sedi cum concilio vanitatis.) Contigit, vt ex officio pietatis seruo Dei sit necessitas in amphitheatro esse; liberare volebat nescio quem gladiatorem, & expectabat donec ille exiret. ecce non sedit in concilio vanitatis, quamuis illic esset corpore. quid est sedere? cõsentire cum his, qui ibi sedent; quod si præsens non feceris, non sedisti; si absens feceris, sedisti ibi.* pulcher locus ne scandalizemur. fieri n. potest, vt inter mundanos supra Mundum simus. & nota zelum piorum: erant enim qui ex officio pietatis curam gererent gladiatorum sauciorum tum corpori, tum animo medentes. egregia laus hæc præsertim Camilli Cruciferorum parentis est.

In sacramento vngimur in reges.

4 Titulus est. *Ipsi Dauid priusquam liniretur.) Vox est desiderantis gratiam Dei, quæ nobis in fine perficietur; vngimur modò in sacramento, quo præfiguratur, quid futuri simus, & illud nescio quid futurum ineffabile, desiderare debemus.* Vides in sacramento nos vngi quasi reges, quo titulo erunt Beati; ad quem statũ toto affectu aspirare debemus.

Ex psalmo XXVI.

Tentatio diaboli in iustum ei cedit in pœna, & iacturam.

1 Q*Vem timebo?) Spiritualia, quæ donat Deus, ipse non aufert, nisi tu dimiseris: temporalia verò ipse aufert, vel alius ipso dante potestatem. Diabolus accepit potestatem in infima Iob, & amisit maxima, & summa; & non est ista potestas rati, sed pœna damnati.* quia ergo nihil potest, nisi Deo permittente, igitur solus Deus timendus: egregiè ostẽdit, diabolum in tentatione iusti potius iacturam facere, & hanc permissionem ipsi non esse pro priuilegio, sed pro pœna.

Beatitudo solum in votis habenda.

2 *Vnam petij, &c. vt inhabitem in domo domini.) Vt nullum timeas, hoc vnum pete, domum. Hæc vita non est domus, sed tabernaculum: tabernaculum autem, aut peregrinantium est, aut militantium, & aduersus hostes pugnantium.* Vides, & peregrinos nos esse simul, & milites: cœlum & patria est, & capitolium. qui ibi est, totum habet, idest Deum. non est igitur quid vltra petas. huc facit quod addit: *Vnam petij, &c.) Multi miseri sunt magis habendo quod amant, quàm carendo.* cruẽtat vox ista mundanos, & diuites, qui se beatos putant. sequitur: *Vt contempler delectationem domini. Ecce quod amo, ecce quare habitare volo in domo domini, per omnes dies; habet magnum speculum, delectationem ipsius domini cõtemplari, quasi diceremus ei: quid ibi facturus es? quæ ibi delectatio tua? quod allectamentum cordis, vnde gaudia suppetent?* quã hoc præclarum? beati spectaculo sempiterno visionis Dei tenebuntur. Addit pulchrè. *Stabimus, & contemplabimur, & fruemur; ecce dixi hoc, & exclamastis desiderio cuiusdam speciei non dum visæ. excedat cor vestrum omnia visa, & cogitationes omnes. quicquid incurrerit, dicite: non est illud desiderabile quoddam bonum, omnis boni bonum.* quis ad hoc votum non exiliat, non inflammetur? vide quàm vehementer in animis audientium Augustinus excitaret affectũ loquendo, & desiderium æternorum.

Dei visio omne spectaculum pulchritudine superat.

Augustini oratio quã efficax in excitando desiderio æternæ beatitudinis.

Ex præsentibus beneficijs excitamur ad spem beatitatis.

3 *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo.) Ideò tantum audeo contemplari, videlicet delectationem domini, quia abscondit me in Christo, qui carnem suscepit; qui tantum pignus dedit peregrinanti, non deseret peruenientem. quod autem ait: in die malorum, &c. hoc est; si in hac vita anima tantum dilecta est fœda, pulchra quomodo fulgebit?* Pulchrè dictum de animæ beatitate in altera vita, cum enim hac misera, tam fuerit Deo dilecta ob vsũ sacramentorum, & spiritales consolationes. hinc inardescit animus ad spem æternorum.

Animi discursus per creaturas omnes, & harum vna vox laus Dei.

4 *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis.) Circumeat animus tuus vniuersam creaturam: vndique tibi clamabit. Deus me fecit. circumi cœlos: omnia tibi resonant creatorem. ipsa species creaturarum voces sunt laudantium creatorem. quis autem explicet laudibus ipsam creaturam? quis dignè laudet cœlos, terram, mare? &c. quis Angelos, Thronos, Dominationes, Potestates? quis dignè laudet hoc ipsum, quod in nobis viget, vegetans corpus membra?* Eleganter animam in inquisitione Dei, per totam rerum vniuersitatẽ sedulò excurrentẽ, & circumcursantem, & Mundum vniuersum vna voce clamentem inducit, quasi Dei præconẽ. sed nulla laus creatorem æquat: Addit & pulchram de Ecclesiæ dilatatione interpretationem. *Circuiui, & immolaui; idest considerauì fidem Orbis terrarum, & in Ecclesia toto Orbe terrarum diffusa ineffabiliter laudaui dominum.* puto per hanc immolationem in circuitu factã ad incruentum sacrificium alludi posse, & mysterium fidei dicitur; quod vbique terrarum iam per sacerdotes fit; tabernaculum Ecclesia, siue templum ipsum est, & hostia vociferationis Christus in altari, quia sanguis eius clamat melius, quàm Abel. & nunc Apostolici viri Orbem

circumeunt, & immolant vnà cum Christo etiam se ipsos per persecutiones, & martyria. & rectè iubilationis hostiam legit, ob alacritatem, quam præferunt vel in morte.

Cur Dauid petat ne Deus licet iratus abs se recedat.

5 *Ne declines in ira à seruo tuo.) Non timet eius iram, ne auferat temporalia, sed timet iratum, ne auferat quod amauit, vultum Dei. hanc putat iram, si auertat ab illo vultum suum.* rectè ostendit, in quo consistat habere iratum Deum, non cum alia quæuis amittuntur, sed cum ipse Deus, eiusque beatifica visio. cogita quid acciderit Absaloni. hic etiam postea quàm sibi patrem reconciliasset Ioabi Ducis opera, cum hac tamē conditione, ne coram ipso appareret, id verò acerbissimè tulit. quare ait: *obsecro, vt videam faciem patris*. Hoc ipsum rursus sic egregiè pergit ostendere. *Ne declines in ira:*

Hoc tantùm malū est, priuari Deo.

Cur non potius optat, vt declinet in ira, ne scilicet accedat iratus? *sed ira eius non est, nisi auersio vultus illius*. acutè quærit, cur Dauid petat, vt Deus iratus non discedat à se, cum potius videatur debere contrarium petere, ne ex iræ præsentia vltio consequatur, sed nimirum qui amat, non pœnam timet, sed absentiam amati. iustus vult Deum secum habere, etiam si ex illius accessu ob sua demerita sit puniendus. immò addit aliquid maius. *Quid si Deus te faceret in delicijs, & voluptatibus terrenis immortalem? respondet amator talis: nolo. quicquid mihi præter illum est, dulce nō est. Auferat totum, & se mihi det.* Pulchra amātis oratio, & plena in Deum affectus. amittā omnia, modò non Deum. Puto etiam Dauid petere, ne Deus iratus à se recedat, quia quandiu quis affligitur, signum est Deum eius curam habere, castigando paternè, vt resipiscat.

Liberum arbitrium impotens est in bene operando sine gratia.

6 *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.) Petiui habitare in Domo Dei, contemplari delectationem tuam. fortè dices mihi. Ambula; liberum arbitrium tibi dedi, perseuera in ambulando; at si me derelinquis, in ipsa via deficiā cadens: dico ergo; Adiutor meus.* Egregius locus hic est de auxilio efficaci ad perseuerandum in bono; quod semper à Deo petendum est. adeò liberum arbitrium impotens est sine Gratia.

Ad maleficia recurrentes ne noceant dæmones magis eos nocentes habent.

7 *Adiutor meus, &c.) Vani homines dicunt; Deus ad vitam æternam necessarius est; Potestates autem istæ, hoc est dæmones ad temporalia; timendum est, ne irati noceant; Non nocebunt nisi ille permittat. illi semper habent voluntatem nocendi. nec, si placebunt, nec, si nocebunt, desinunt nocere velle. quid facies eos colendo, nisi illum offendas, quo offenso in istorum potestatem daberis? & qui nihil possunt tibi facere Deo placato, facient quicquid volunt Deo irato.* Pulchrè dictum in eos, qui relicta Dei ope, & inuocatione, recurrunt ad dæmonum maleficia, & præstigias. nam cum hi semper ad nocendum sint prompti, multò magis id facient, cum per hoc habebunt Deū ipsi peccatori infensum.

In hac vita potius in terra morientiū sumus.

8 *Credo videre bona domini in terra viuentium.) Suspirans dixit, laborans dixit, periclitans dixit. O bona domini dulcia, immortalia, incorruptibilia, sempiterna, incommutabilia, & quando vis videbo bona domini? credo videre, sed non in terra morientium. eruat me dominus de terra morientium, qui propter me suscipere dignatus est terram morientium, & mori.* Pulchra vox animæ in hac vita misera suspirantis ad cœlestem, quæ verè vita est. præclarè dictū per antithesin de Saluatore: mori voluit in terra morientium, vt nos viueremus in terra viuentium.

Ex psalmo XXVII.

Christus ex passione pulchrior effloruit.

1 *Psalmus ipsius David. Ad te domine clamaui, &c. Mediatoris nostri vox est, manu fortis in conflictu passionis; dum extollo manus meas, idest dum crucifigerer; refloruit caro mea, idest resurrexit caro mea.* nempè Dauid Christi typus interpretatur, manu fortis. sed mira interpretatio affertur in hoc loco, vbi de eius crucifisione sermo est. tunc manu fortis dicitur, cum manus cruentę, ferroque transfixæ. ita sanè, nam sic uicit mortem, & manubias eripuit Inferis. Tum vide vt læta subiungat tristibus. *& refloruit caro mea.* S. Norbertus visus est post mortem in pulcherrimū lilium efflorescere, quid de Christo dicemus? nempè ipse de se dicit. *ego flos campi, & lilium conuallium.*

Ex psalmo XXVIII.

In Orbis conuersione viri Apostolici diuinam gloriam spectant.

1 *Titulus est: In consummatione tabernaculi.) Psalmus est perfectionis Ecclesiæ in seculo. vbi aduersus diabolum militatur; Afferte domino gloriam, & honorem; per opera vestra dominus glorificetur, & honoretur, gloriosè per Orbem innotescat.* Præclara vox, & ad Apostolicos viros directa est, qui Ecclesiæ tabernaculo perfecto, hoc est Mundo conuerso, Dei gloriam quęrunt. id nunc maximè agitur vel apud vltimos Barbaros in nouo Orbe, à nostris in primis, quibus ab Ignatio duce data est illa tessera: Ad maiorem Dei gloriam.

Aula Dei cor iusti est ob amplitudinē charitatis.

2 *Adorate dominum in aula sancta eius.) Hoc est in dilatato, & sanctificato corde vestro.* Pulchrè cor iusti vocat augustale summi Regis, & aulam amplam, ac sanctam; ibi sensus aulici sunt, virtutes magistratus &c. quod pluribus prosequitur Ambrosius. vide igitur vbi per Eucharistiā potissimùm reponendus sit Christus, & adorandus. *In dilatato & sanctificato corde*

dilata-

dilatatur per feruorem charitatis, sacrificatur per virtutes ceteras, castimoniam in primis. vide quanta in hoc præparatio.

Christi caro nubes vnde pœnitentiæ prædicatio intonuit.

3 *Deus maiestatis intonuit.) Hoc est de nube carnis terribiliter pœnitentiam prædicauit.* Pulchrè nubem Christi carnem dicit ob candorem innocentiæ, ob imbrem gratiarum, ob coruscationem miraculorũ. sed eodem pœnitentiæ tonitru corda concussit, vt in illo turris casu. *nisi pœnitentiã habueritis, omnes similiter peribitis. vbi eadem prorsus verba bis repetit.* Vide igitur, vt prædicatores pœnitentia debeant tonare, non canere; terrere peccatores fulgure, non mulcere dictione.

Terrena nobilitas cedrus excisa Dei voce.

Baruc.3.

4 *Conteret cedros Libani.) Hoc est elatos nitore terrenæ nobilitatis, cum ignobilia Mundi elegerit Deus ad confundendos.* Nota de potentibus sæculi, & quàm vana sit iactantia nobilitatis. quò refer illud prophetæ. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, non hos elegit dominus.* Contemplare Antonios, Franciscos, & similes illis oppositos.

Sancti ex igne splendorem nõ æstum excipiunt.

5 *Vox domini præcidentis flammam ignis.) Per ardorem concitatissimæ persecutionis, sine vlla læsione transeundo.* Huc mysticè refer Athanasios, Basilios, &c. itẽ Martyres multos, quos re ipsa ignis aut nõ læsit, aut pro rore fuit. in igne duo sũt: splẽdor, & æstus. hæc ad Dei nutum præciduntur, siue interciduntur. vt visum est in tribus pueris: nam flamma fornacis ipsos illustrauit, ministros regis combussit.

Gentilitas cur solitudo dicta licet tam numerosa.

6 *Vox domini commouentis solitudinem.) Hoc est gentes ad fidem, vbi olim nullus propheta, nullus verbi Dei prædicator, veluti nullus homo habitauerat.* Apertè exprimitur Iaponia, ac nouus ille Orbis antea inaccessus prædicatoribus, nunc tanto cum animorum motu concussus. & nota illud præclarè dictum, vbi iusti non habitant, eam regionem seu vrbem licet frequentissimam pro solitudine haberi. nempè simul & à Deo distitutam.

Prædicatores contra detractionem quasi cerui angues elidentes.

Gen.49.

7 *Vox domini perficiens ceruos.) Superatores, & repulsores venenosarum linguarum.* Enimuerò vt cerui angues venenatos superant, & elidunt, ita detractores sermo Dei. & sanè hoc in primis vitium prædicatores insectari debent, quippè ad ipsos pertinet illud. *Nepthali Ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Pulchrè, inquit, at non fucatè loquantur, vt venena vitiorum præsertim viperinæ detractionis tollant, more ceruorum angues elidentium.

Ex psalmo XXIX.

Resurrectio corporum quasi dedicatio Dauidicæ domus.

1 *Titulus est. Dedicatio domus Dauid.) Psalmus lætitiam continet resurrectionis, & immortalem statum mutationis, & innouationis corporis non solùm domini, sed totius Ecclesiæ; Exaltabo, inquit, te, domine, quoniam suscepisti me.* Præclarè ait, sanctos quasi Dei domum, ac tẽplum esse, quod nunc quidem ædificatur, in resurrectione dedicandum. quàm elegans, & quanti sumptus sit oportet hoc ædificium? nempè iuxta illud Pauli: *Vnusquisque videat quomodo super ædificet. si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, &c.*

Renouatio spiritus quædã templi dedicatio est

1. Cor.3.

2 *Vita in voluntate eius.) Vitam æternam intelligit, ad quam redire nullis nostris viribus possumus, sed quia voluit, dedit.* huc refert quod mox sequitur. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Non ex me eram bonus, & fortis, sed ex te pulcher, & fortis.* Præclarus locus de Dei beneficentia erga nos, cui debemus, & quod rectè agimus, & quod æternæ vitæ compotes efficimur.

Deus vult omnes saluos fieri.

3 *Et ad matutinum lætitia.) Futura nostræ resurrectionis exaltatio in matutina Domini resurrectione præfloruit.* Aptè hoc verbo vsus est, *Præfloruit*; nam ad eandem resurrectionem retulit illa verba: *Refloruit caro mea.* en quàm pulchrè spinæ illæ, quibus cõpũctus est, sanguine diuino irrigatæ purpureas protulerunt rosas; vt idẽ ex nostris afflictionibus sperare discamus.

Resurrectio Christi præfloruit nostræ.

4 *Deus maiestatis intonuit.) Per Ioannem, quasi per quandam nubem suam, ipse patri coæternus intonuit. In principio erat Verbum &c.* cum ad ea verba ventum est, *& Verbum caro factum est.* Tũ sic. *Habes maiestatem, ad quam ores: habes humanitatem quæ pro te oret.* ideò Christus mediator dicitur. pulchrè Ioannem ob castimoniam candidæ nubi comparat, sed coruscanti, in hæreticos fulguranti, dum diuinitatem asserit: nempè filius tonitrui rectè dictus.

Ioannes nubes tonans de diuinitate Christi.

5 *Nec delectasti inimicos meos super me.) Ædificatur nunc Ecclesia, in dedicatione apparebit gloria. sæuiant modò inimici, faciant non quicquid volunt, sed sicut desuper permittuntur.* permittitur autem tribulatio, vel ad pœnam, vt Allophili vexarunt Israelitas, vel ad probationem, vt diabolus Iob; vel ad coronam, vt Martyribus accidit. huc refert illud Iob. *Sicut domino placuit, ità factum est. Scilicet non triumphet inimicus, quia ipse fecit.* Nota quid Iob sibi voluerit per illa verba. depressit diaboli arrogantiam, ne se iactaret de plagis sibi illatis, ac veluti triumphalibus spolijs sibi ereptis, nudoq; relicto. triumphus hic fuit nõ ipsius, sed Dei voluntatis, atq; imperij, qui id permisit ad probtionem ipsius Iob, & coronam. Itaque digreditur ad eius laudes, ad cuius vulnera accessit vxor relicta. *Vt Eua adiutrix diaboli, non consolator mariti: sed hic Adam in sterquilinio cau-*

Afflictio cur à Deo permittatur.

Diabolus frustra triumphũ de iusto affectat.

tior, quàm ille Adam in Paradiso: Adam in paradiso consensit vxori, vt emitteretur è paradiso; hic Adam in sterquilinio respuit mulierem, vt in paradisum admitteretur. quid hic Adam? in sterquilinio parturiens immortalitatem intrinsecus, vermibus flue-scens extrinsecùs, ait mulieri; Si bona percepimus de manu Domini, &c. immò diabolus ipse potestatem, quàm sibi volebat dari, manum domini appellauit: mitte, inquit, manum tuam, & tange, &c. Igitur non attendebat Iob quis percuteret, sed quis permitteret. Vide vt aduersa etiam de manu Dei accipienda sint, teste ipso diabolo. Eleganter autem ostendit, vt sterquilinium habuerit Iob cunas immortalitatis.

Iob in sterquilinio Adamo in paradiso prælatus.

6 *Ad vesperam demorabitur fletus.) Cũ expulsus est Adam ad vesperam, deambulauit Deus in paradiso. iam ille peccator texerat se intra lignum. nolebat videre faciem Dei, ad quam gaudere consueuerat. occiderat illi Sol iustitiæ, non gradiebatur ad præsentiam Dei: inde incboata est vita mortalis.* Vide ex quanta felicitate in quã-tã miseriã fuerit lapsus Adã: ante peccatũ solitus gaudere Dei pręsentia, quæ verè vita est; post peccatum ita intra lignum se abscondit, vt mortui more quasi ligneo occulerit loculo. rectè igitur hæc vita dicitur *vita mortalis*, & corpus dicitur græcè σῶμα quasi σῆμα, idest sepulchrum.

Confusio Adam in peccato de Dei præsentia.

Ex psalmo XXX.

1 T*Itulus est. Ipsi Dauid ecstasis;) Ecstasis excessum animi significat, qui fit vel in pauore, vel aliqua reuelatione; sed in hoc psalmo pauor maximè apparet: Ego dixi domine in ecstasi mea, idest in pauore meo. proiectus sum à facie oculorum tuorum* Hinc collige pauorem ingentem, quem de sua prædestinatione quisque habere debet, vt mente excedat extra se. hæc vera ecstasis est, nec capax illusionis.

Timor de prædestinatione in ecstasim nos adducere deberet.

2 *Ipsi Dauid ecstasis.) In excessu mentis duo intelliguntur, aut pauor, aut intentio ad superna. in hac ecstasi fuerunt omnes Sancti, quibus arcana Dei Mundum istũ excedentia reuelata sunt. de hac Paulus: Siue, inquit, mente excedimus, Deo; siuè tẽperantes sumus, vobis; charitas enim Dei vrget nos. si tantùm contemplari vellemus, quæ mente intuemur, vobiscum nõ essemus, sed in supernis. tantus autem fuerat ille mentis excessus, vt diceret; Siuè in corpore, siuè extra corpus nescio: ergo si hanc ecstasim, & hunc excessum mentis significet, titulus psalmi huius, magna profectò, & alta quædam sperare debemus dicturum prophetam.* Egregiè ostendit, quæ sit excellentissima mentis ecstasis: cum scilicet ab imis his, & corporeis, à Mundo isto sensibili se abstrahit, & eleuat altius ad uperna. Addit: si ecstasis accipiatur pro pauore, item congruit; nam agitur hic de passione Christi, qui pauendo, nostra in se expressit: *Non enim est dedignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, vt & nos loqueremur verbis ipsius; hæc enim mira commutatio facta est, & diuina sunt peracta commercia; mutatio rerum celebrata in hoc Mundo à negotiatore cœlesti. venit accipere contumelias, dare honores; venit haurire dolorem, dare salutem; subire mortem, dare vitam. in nobis pauebat dicens: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Pulchrè vocat Christum *negotiatorem cœlestem*. negotiatoris est commutationem facere pecuniæ in varias merces: Christus non est dedignatus vilitatem nostram accipere, & suam nobis, qua licet, tribuere dignitatem. Quod autem ait, quandam ecstasim fuisse in illo vsque ad cruentum sudorem, pauorẽ Christi in horto, vide quàm monstrosa res sint peccata, quæ ibi repræsentata horrorẽ incutere potuerit vel Dei filio ob offensam in patrem. ceterùm puto ad nos quoque hanc ecstasim pertinere; extra enim nos rapere potest efficax passio Christi, de qua multa in hoc psalmo mentio fit; vt cum dicit. *In manus tuas commendo spiritum meũ. & defecit in dolore vita mea. & in laboribus, seu expirans à pueritia mea.* tali ecstasi raptus est ille vir sanctus, qui in monachorum collatione, in qua quærebatur, qua re potissimum quisque piè affici deberet, cum alij alia dixissent, ex eoque iudicium quæreretur, ecquam sententiam maximè probaret, respondit, se non attendisse, sed totũ absorptum fuisse in passione Christi; Præterea si de Eucharistia interpretemur verba quæ sequuntur: *Dux mihi eris, & enutries me.* certè tantum beneficium extra se hominem rapere deberet, iuxta illud Esaię. *Stupebunt in bonis Domini.* sanè mirum est, quod regina ipsa Saba tot eius regionis delicijs assueta, conueniens Salomonem. *Videns cibos mensæ eius non habebat vltra spiritum, &c.*

Perfecta ecstasis est à terrenis rebus ad supernas mentem attollere.

Christus negotiator cœlestis.

In Vitis patrum.

Ecstasis Eucharistica.

3 *Ego dixi in pauore meo;) Etiam Petro dicitur; Cum senueris, alius cinget te. volens, & nolens mortuus est; sed volenti coronatus est. quod paues, tuum est; quod speras, donum Dei est in te.* Egregiè distinguit inter pauorẽ & spem: porrò hinc apparet admirabilior Teresia, quæ sexennis Mauros adijt, subitura martyrium spontè.

4 *In te, domine, speraui.) Pauet, & sperat.* nam paulò ante ait. *Ego dixi in pauore meo.* Addit: Christus loquitur, quia in membris Christi, Christus. hinc apud Esaiam ait. *Sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamẽto. se dixit sponsum, se sponsam.* nimirũ quia ipse, & Ecclesia vnum sunt, ideò vna vox, &

Christus cur dicatur, & spõsus, & spõsa.

& in eius persona ait Saulo : *quid mè persequeris? si fortè contritus in turba pes dolet, clamat lingua: calcas me.* acutè notat, cur Christus dicatur, & sponsus, & sponsa. quia n. Ecclesia vnum facit cum illa, quicquid patitur, id in se receptum dicit. sed vide pietatem: pro mitra accepit spineam coronam, pro ornamento illusus veste alba, nempe ei dici potest: *sponsus sanguinum tu mihi es.*

Nos ipsi spôte per fomitem conflagramus.

5 *In tua iustitia eruè me.) Scilicet si intendas ad iustitiam meam, damnas me. quid est quod de iustitia præsumis? non vides quid intus conflagret in te contra tè? non audis athletam domini ab Agonotheta petente adiutorium pugnæ suæ? non enim sic tè Deus expectat certantem, quomodo te expectat editor, si fortè pugnas in amphitheatro. ille tibi præmiū dare potest, si viceris, adiuuare te periclitantem non potest.* Nota verba illa fomitis vim penitùs explicantia: *non vides quid intus cōflgret in te contra te?* & tamen nos ipsi per varias peccandi occasiones alimus incendium, & rogum nostrum. item vides, nos tanquam in amphitheatri esse spectaculo: pugnantes bestiæ passiones sunt, & dæmones ipsi. sed hìc, quod ibi non habetur, simul idem Deus, & robur donat, & præmiū. ideò dictum puto & scutum & coronam *scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. & faciem templi Machabei, *ornauerunt scutulis & coronis.*

In hac vita tanquā in amphitheatro cum bestiis pugnamus.

6 *Inclina ad me aurem tuam.) fecit hoc Deus, cum Christum misit, qui inclinato capite digito scribebat in terra, cum adulteram obtulerunt puniendam. inclinauit se ad terram idest Deus ad hominem, cui dictum: Terra es.* præclarè adnotat, cur Christus se inclinarit in terram absoluturus adulteram: nempe ostendit, se ideo de cœlo inclinasse, vt terrenos homines liberaret: immò etiam *Inclinauit cælos, & descendit.*

Cor Christus, absoluens adulteram inclinauit se.

7 *Accelera, vt eruas mè.) Hoc quod voluitur seculum, punctum est; non est diù quod habet extremum: bene hanc celeritatem intellexit in ecstasi.* Vide quàm difficile sit bene percipere breuitatem vitæ, licet tam notam; opus est ecstasi, cuius titulum habet hic psalmus, hoc est, vt homo à sensibilibus se auocans consideret æternitatis statū &c. rectè dictum: *Non est diu quod habet extremum.* Tum addit: *ab Adam vsque ad hodiernum diem multò plus peractum est, quàm quod restat peragendum.* notanda hæc opinio nobis est de consummatione seculi. cum hæc tanto antea ab Augustino dicta sint: scilicet prope iam ruiturus est Mundus, & ludit.

Consideratio breuitatis huius vitæ ecstasim parit.

8 *Esto mihi in domum refugii.) Quò fugiam? quam arcem teneam? quibus muris ambriar? quocumque ierò, sequor me. quicquid vis fugere potes, præter conscientiam tuam.* Vides nullum esse præsidium, quò recurramus, nisi Deum, quando omnia hostis occupat, etiam domi: huc pertinet quod sequitur, *Quò ibo à spiritu tuo? nihil mihi restat, nisi àd te fugere, non à te. seruus, vt euadat dominum, fugit vbi non est dominus; sed vt euadas Deum, fuge ad Deum.* Eleganter per antithesin dicta. vt euadas Deum iratum, fuge ad Deum placatum, per pœnitentiam scilicet.

A Deo irato confugiendū ad ipsum Deum placatum.

9 *Dux mihi eris, & enutries me.) Dux es, ne aberrem à te; enutris, vt validus sim ad manducandam escam, qua pascis Angelos. hìc enim lacte nos nutriuit, qui nobis cælestem cibum promisit, & vsus est materna misericordia: sicut enim mater lactans eandem escam, cui sumendæ infans idoneus non est, per carnem traijcit, & lac infundit, hoc enim accipit paruulus, quod accepturus erat ad mensam: sic dominus sapientiam suam vt lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.* pulcher hic locus est, *enutries me*, de Eucharistia; aptè igitur titulus est, *ecstasis.* multi certè sanctorum Eucharistiam sumentes ecstasin experti sunt. deindè aduerte, Dei sapientia, quasi lacte nos à Deo, materno amore, nutriri, & per incarnationem lac euasisse. qui locus vsui esse potest pro nouendiali prece, quam ante natalitia Christi vsurpat Ecclesia: *O sapientia, &c.* multa in hanc sententiā habes apud Clementem Alexandrinum de lactescente Dei Verbo, vbi sugimus vbera illa, *fragrantia vnguentis optimis*: piæ scilicet deuotionis; ibi fons ipse scaturit gratiæ, de qua dicitur: *Omnia deseruiebant nutrici Gratiæ tuæ.*

Eucharistico vbere lactis nutrimentum porrigitur animæ.

Gratia animæ anime in Eucharistia.

10 *Educes me de muscipula, quam absconderunt mihi.) Væ illi, qui in hanc muscipulam cadit. posuit in muscipula errorem, quo illiciat terrorem, quò frangat, & rapiat.* Ità tentauit Christum primò cupiditate in deserto, deinde terrore in passionē. ideò dicitur: *recessit ab eo ad tempus*. redijt enim postea, *tentaturus ianuam timoris, qui clausam inuenerat cupiditatis.* Vide vt diabolus omnes aditus inuestiget. Addit; tentatur & nunc Christus per partem, hoc est Ecclesiā; quod ad nostra quoque tempora referri potest. *Ecclesia nunc non patitur furorem Imperatorum, & patitur furorem mali populi: quāta mala ingeruntur à malis Christianis Ecclesiæ?* nota, vt improbi mores persecutionis genus sit in Ecclesia. quid igitur agendum? *hæreamus Christo.* Nempe sic dicitur: *conglutinata est anima Ionathæ cum anima Dauid.* & in amoris argumentum regiā illi purpuram dedit, *vsque ad balteum.* qui scilicet balteus ambos conglutinatos inseparabiliter constringeret.

Christus tentatus in deserto & in passione.

Christiani male viuentes persecutionē Ecclesiæ post tyrānicam mouent.

11 *Saluam fecisti de necessitatibus animā meam.) Quis hic enumeret necessitates? quis dignè, & c̄? mori necesse est, & nemo vult; nemo vult quod erit, velit, nolit; dura necessitas nollè quod non potest euitari. effici quidem Angeli vel-*

Mors ęgrè accipienda non est post Christi mortē.

vellemus, sed commutatione, non morte, sicut dicit Apostolus: Ingemuscimus grauati, in quo nolumus expoliari, sed superuestiri. volumus peruenire ad Regnum Dei, sed per mortem nolumus. hàc venire dubitas homo, cum hàc ad te venerit Deus? magna consolatio mortis, quod & Deus homo mortuus. sic cum quidam è vulgo vnà cum Phocione præclarissimo duce ebibiturus esset venenum, & mœreret, ait hic: Dubitas cum Phocione mori? Subiungit aliam interpretationem: *De necessitatibus meis eripe me.) Quæ sunt etiā necessitates? vincendarum cupiditatum, & annosarum veterum consuetudinum. vincere consuetudinem dura pugna. vides quàm malè, quàm infæliciter facis, & facis tamen?* proh quanta stultitia, & amentia. nota quàm arctè vinciat consuetudo, ideò alibi catenam ferream vocat.

Mala consuetudo necessitas quodammodo fit.

12 *Nec conclusisti mè in manibus inimici.) Quicumque malè moriuntur, in diaboli manibus concluduntur.* horribile planè dictum. contra dicitur de iustis, *quorū animæ in manus Dei sunt.* Vidit autem Ioannes in Christi dextera stellas septem, tanquam cœlo concluderet animas iustorum: quid beatius? at verò quid infelicius quàm, *concludi diaboli manu?* quàm arctè tenebit? quàm acriter vnguibus dilacerabit? &c.

Male moriens diaboli manu apprehenditur.

13 *Statuisti in loco spatioso pedes meos) hoc est fecisti mihi facilem iustitiam: Angusta via laboranti est, amanti lata est.* præclarè dictum: vide quid agat amor, arctam semitā vertit in campum, latitudine videlicet charitatis. hinc etiam ait: *viam mandaturum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* peccator ipse sibi facit angustias.

Amanti nihil graue.

14 *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis nimium.) Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani, Iudæi. omnibus peius viuunt mali Christiani, ideò sarmentis inutilibus comparantur. sint Pagani ligna siluestria, adhuc potest inde fieri aliquid; & si nodosum sit, & corticosum, doletur, ascietur; de sarmentis autem præcisis nihil fieri potest, ignis ea solus expectat; hoc est vicinis meis nimium opprobrium factus sum. quàm multos putatis velle esse Christianos, sed offendi malis moribus Christianorum?* notabile planè monitum. certè vidi egomet quendam è disciplina Mahumeti, qui cum ad Christi fidem à me inuitaretur, ostentabat digito vicinam meretricis domum, & Christianum eius amasium ante ianuam: quasi diceret, hancine legem sequar, sub qua tam turpiter viuitur? neque enim aduertebat illum facere potius contra legem.

Malus Christianus deterior est gētili.

MaliChristiani vita impedit conuersionem gentilium.

15 *Timor factus sum notis meis.)* Quia cū vident malè viuentes, quos bonos sperabant; sic de alijs bonis suspicantur, ac dicitur: *Qualis vir quomodo cecidit! quomodo inuentus est in illa turpitudine? fortasse tales omnes sunt. ità ipsis, quibus noti sumus, plerumq; in dubium venimus.* Valdè notanda sunt hæc verba à Religiosis maximè, quorum singulorum delictum redundat in opprobriū totius Religionis. huc item spectat quod sequitur.

Scandalū vnius religiosi redūdat in dedecus totius religionis.

16 *Audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.) Quanta mala dicunt aduersarij? nunquid dicunt: ecce quid faciunt mali Christiani? sed, ecce quæ faciunt Christiani. non separant, non discernunt; interim circumeunt, & non intrant: quare non intrant? quia rotam temporis amant, non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem, temporalibus dediti, tanquam rotæ constricti, de quibus dicitur: Pone principes eorum in rotam. & alibi: In circuitu impij ambulant.* rectè res humanas, quæ stabiles non sunt, volubili rotæ comparat. huc refero Ixionis rotam, cui ille ob impietatem traditur addictus. immò huc Samsonis versatilem molam ex Dalidæ fraude. similiter de impiis dicitur, *Inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.* quod autem de sinistra opinione dicit, referri ēt aptè potest ad seculares, qui propter paucorum malorum religiosorum exempla, integras religiones vituperant, & statum ipsum, qui ex se perfectissimus est, & ideò se ab ingressu abstinere dicunt; nec præclara bonorum exempla attendunt. huc pertinet quod subiungit.

Male seculares de tota vniuersitate sinistrè sētiunt ob vnius religiosi delictum.

Mundani in circuitu temporalium rerum tanquam rota voluuntur.

17 *Quoniam in te speraui.) Nihil salubrius, nihil vtilius; volebas imitari nescio quē, inuenisti non bonum. si attendis hominem, & quæris ab illo pendere, adhuc lacte vis nutriri & fieri* μαμμόθρεπτος, *quales pueri, qui diù sugunt, quod non decet; etenim lacte vti, tanquam per carnem velle cibum sibi traiici, hoc est per hominem viuere. fortè in malum incidisti, quem bonum putabas, vt in vbere quasi materno amaritudinem inuenires, vt ea offensione repellereris: faciūt enim hoc nutrices mammothreptis, vt aliqua amara ponant in mamillis suis, quibus offensi paruuli resiliant, & ad mensam inhient.* pulchrè monet, non esse propter scandalum alicuius relinquendā virtutis semitam, si in Deo spem fixeris, etiam si alter ceciderit, tu firmaberis. spectat hoc ad eos maximè, vti dixi, qui ab ingressu religionis deterrentur ob alicuius exitum, vel ob malum exemplum. puerilis hic metus est; solidum cibum caues; pendes adhuc ab alterius exemplo, tanquam à maternis vberibus; cum tempus sit aliquando abstrahi à lacte, & rem ipsam solidè attendere. rectè Abraham conuiuium illud solemne lætus instituit cum ablactauit Isaac. & egregie adnotat, Deum permittere, vt aliquid amari inuenias in eo, quem nimium amas, vt inde te abstrahat.

Non est omittendum bonum ob alterius quem diligit malū.

18 *In manibus tuis sortes meæ) sortem dicit Gratiam, qua saluati sumus. quare sortis*

nomine

nomine appellat Gratiam Dei? quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. nam ubi merita considerantur, electio est, non sors. merito tunica illa domini desuper texta, quæ significat charitatis æternitatem, cum à persecutoribus diuidi non posset, sors in eam missa est: ad quos peruenit, eos significauit, qui ad sortes videntur peruenire sanctorum. ideò ait Apostolus: Gratia salui facti estis per fidem & hoc non ex vobis. vide sortem acutè ostendit, cur Gratia vocetur sors, quia non ex merito, sed ex beneplacito Dei. His subijcit. *Occulta Dei iustitia tibi sors est; sors venit de occulta Dei volũtate, ne expauescamus quod ait: In manibus tuis sortes meæ: quæ sunt enim sortes? hæreditas Ecclesiæ: quousque est hæreditas Ecclesiæ, intra quos fines? vsque ad omnes fines. Dabo, inquit, tibi gentes hæreditatem, &c.* Nota illud in primis pulchrè dictum de tunica inconsutili Christi, quam ait significare charitatis æternitatem. æternitas enim, & charitas ambæ indiuiduæ sunt. felix, cui in sortem cedit.

Gratia cur sors dicatur.

Tunica Christi inconsutilis æternitas charitatis.

Mira Ecclesię amplificatio.

19 *Illustra faciem tuam super seruum tuum.) Confusio nunc putatur, cum omnes Christiani dicuntur, & qui benè viuunt, & qui male. omnes ad vnum altare accedunt, &c. quando discernuntur? Illustra faciem tuam super seruum tuum: appareat, quia ego pertineo ad te; & tamen, ne & ipse superbiat, & quasi se iustificare videatur, adiungit. Saluum me fac in tua misericordia.* rectè ait, Dei vultus splendore discerni à malis bonos, qui inter ipsos latent. ita cum quidam de Mosè murmurarent, Deus de sua luce eius vultui communicauit, vt ostẽderet, *eum ad se pertinere*. quod & Ignatio nostro accidit, præter illustrationes internas: vterq; tamen insigni fuit humilitate. & mirũ sanè, quod iustus post acceptos radios diuinæ claritatis, adhuc anxius, ac trepidus de sua salute clamet. *Saluum me fac in tua misericordia.* adeò nihil confidit meritis suis.

Lux cur Mosis vultui data, itemque Ignatij.

Iusti quò magis à Deo illustrãtur, eò magis humiles.

20 *Non confundar, quoniam inuocaui te.) Quid est quod pro tanta mercede exigis, vt dicas: Non confundar? inuocas Deum, cum in domum cordis inuitas; sed si dicat Deus: ecce venio ad te, quò intrabo? tantas conscientiæ tuæ sordes sustinebo? si seruum meum in domum tuam inuitares, nonne prius mũdares domum? &c.* Egregiè ait, pro magna mercede esse ita recipere Deum, ut non confundaris malè recipiendo. pertinet hic locus maximè ad sumptionem Eucharistiæ. Tum in eos inuehitur, qui confusione digni sunt, cum ob aliud inuocant Deum, quàm ob ipsum Deum. *Inuocas Deum, vt det tibi lucrum; ministrum lucri tui facis Deum; vilnit tibi Deus, parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat, sine auro, & argento non vis illum. quid ergo? de bis, quæ Deus fecit, sufficiet, cui Deus ipse nõ sufficit?* rectè arguit. nam si auaro non sufficit Deus qui dat, multò minus sufficient quæ dantur. magni ponderis, & erubescentiæ est illa uox. *vilnit tibi Deus*. cum aliquid præter Deum quæris, cum cetera sine ipso sint vilia.

Magna merces iusti non cõfundi coram Deo ex mala conscientia.

Mundanis solis vilescit Deus.

21 *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ &c.) Dices, vbi est ista multitudo dulcedinis? respondeo, quomodo tibi ostendam, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti?* rectè, nam & mellis suauitatem, qui febri laborant, non sentiunt. vide igitur quã ægrescant mundani, qui sibi bellè, feliciterque habere videntur.

Mundanis vt febricitantib⁹ nõ sapit dulcedo spiritalis.

22 *In conspectu filiorum hominum.) Etiã in conspectu hominum spera in Deo; noli erubescere de spe tua. non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tãquã in sede pudoris, ne de Christi opprobrio Christianus erubescat.* est hoc contra eos, quos pudet humile aliquid opus agere pro Christo, vt in nosocomijs ægrorum lectulos concinnare, aut in religione uilia munera exercere. pete humilitatis exempla à magno illo Gandię duce Francisco Borgia in primis. pulchrè autem frontem vocat sedem pudoris, & ideò frontem cruce signamus eam præferentes, ne pudeat opprobrij Christi.

Cur crux in fronte signetur.

23 *Abscondes eos in abscondito vultus tui.) Non ait, abscondes in cœlo, in mari, in sinu Abrahæ; vilescat totum quicquid præter Deum est, qui nos mutat in loco vitæ huius, ipse post hanc vitam sit locus noster. si nunc exceperis eum in corde tuo, excipiet ipse te postea vultu suo.* Præclarè dictum, & piè: *Vilescat tibi totum quod præter Deũ est*, rectèque ait nullam aliam stationem à nobis aptandam præter ipsum Deum, nullam autem ei gratiorem parari posse stationem, quàm cor nostrum. hinc dicitur. *Deus cordis mei*.

Deo statio cordis gratissima.

Quicquid præter Deum est vilescit.

24 *Benedicam dominum, quoniam mirificauit misericordiam suam in ciuitate circumstantiæ.) Passus erat in Iudæa Deus quasi in medio Mundo, vbi colebatur, circum quã erant aliæ gentes. mirificasti quoque domine misericordiam tuam in Hierusalem; ibi passus est Christus &c. sed maior laus tua, quia mirificasti misericordiam tuam in ciuitate circumstantiæ, idest in omnibus gentibus effudisti misericordiam tuam; nec vnguentum tuum ibi in illa Hierusalem, quasi in vase tenuisti, sed tanquã confracto vase vnguẽti per Mundum effusum.* huc refert illud cantici. *Vnguentum effusum nomen tuum:* Egregiè interpretatur, Ecclesiam dici ciuitatem circumstantiæ, quia populi omnes eam circunstãt, etiam vltimæ nationes quod nostra maximè ętate videre est: cingitur enim tot, tantisque vastis Insulis, etiam vltimi, ac noui Orbis

Christi misericordia admirabilis apparuit in passione.

Ecclesia ciuitas circumstantiæ ob populos illã ambientes latè.

bis impletus eſt fragrantia diuini huius unguenti etiam aer ille caliginoſus antea & peſtilens.mira in hoc Dei miſericordia apparuit,barbaros tam viles, & brutorum more viuentes ſibi adiungendo per fidem. Tum digreditur ad gentium conuerſionē. *Impleti Apoſtoli Spiritu ſancto coeperunt prædicare magnalia Dei. lapidabantur,occidebantur,fugati ſunt; & cum inde tanquam ex vno loco fugarentur. quaſi ligna ardentia igne diuino totam ſiluam Mundi accēſam feruore ſpiritus, & lumine veritatis impleuerunt.* Pulcherrimus hic locus eſt de ijs quoque, qui noſtra ætate, ex varijs religioſorum familijs repleti eodem Apoſtolico ſpiritu,ſilueſcentes noui Mundi regiones igne ſancti Spiritus purgarunt, ad virturum ſatus,ac fruges,iuxta illud: Sæpè ēt ſteriles incendere profuit agros, &c. ita verò animos ardore pietatis accenderunt, vt ex recens conuerſis multi etiam pro fide martyrium ſubierint: quod maximè in Iaponia contigit,duce Xauerio ardentiſſimi ſpiritus viro. *quaſi ligna ardentia igne diuino totam ſiluam Mundi accenſam feruore ſpiritus, & lumine veritatis impleuerunt.* Addo, ex ijs nonnullos etiam igne crematos à barbaris pro Chriſto:nec tamen ingens ille rogus ardorem ſpiritus æquauit.

Chriſti miſericordia admirabilis excipiendo ad fidem, omnes nationes vel barbaras.

Viri apoſtolici quaſi flamma ſilueſcentem Mundum purgarūt.

25 *Diligite Dominum omnes ſancti eius.) Ideſt vos diligite Deum,qui non diligitis Mundum;nam cui dico,vt diligat dominum? dum hic diligit adhuc amphitheatrum,aut pompas ſeculi?* rectè negat,vtrūque amorem, & Dei,& Mundi ſimul conuenire poſſe. & illud præclarè dictum. *Dilectio vacare non poteſt; etiam flagitia amor operatur. purga amorem tuum; aquā fluentem in cloacam, conuerte ad hortum. nō vobis dicitur:nihil amate, ſed quid ametis,videte.quales impetus habebas ad Mundum,tales habeas ad artificem Mūdi.* quod aquæ amorem comparat, ſanè ita dicit apud Platonem Agatho, nempè vt poſſit per totum amantis animum circumfluere. porrò Deum,& virtutes,per quas Dei participes ſumus,tanquam hortum vocat Auguſtinus, in quem amor noſter ſi influat, quaſi florum fragrantia exiſtat; contra appellat rectè Mundi cloacam, quaſi ſordes, & immunditiæ Mundi ſint diuitiæ, & voluptates,& alia quæ putantur bona.

Amor irriguo fonti ſimilis conuertēdus in vsū hortēſem Dei.

26 *Retribuet his,qui faciunt ſuperbiā.) Dices,quando retribuet?quando vult:de retributione non dubites, de tempore non audeas donare Deo conſilium;aliquibus & hic retribuit. humiliatus videbatur Iob, perditis omnibus remanſit ad ſolam vxorem, non ſuam conſolationem, ſed diaboli potius adiutricem; & ait: Dominus dedit,dominus abſtulit, &c. ſit nomen domini benedictum. Iſta gemma laudis Deo vnde ſunt? videte foris pauperem, intus diuitem; Iſta gemmæ laudis Dei non exirent de eius ore, niſi theſaurum haberet in corde.* Vides Iob, è ſterquilinio tanquam, è fodina gemmas proferentem: & ſanè diſputauit ibi de gēmis.cum ait. *Locus ſapphiri lapides eius, &c.* ſed tunc uerè gemmas protulit, cum in tot ærumnis laudauit Deum:quid autē pulchrius illo ore gemmato? Addit,non hic humiliatus dicendus eſt, ſed ij, qui gratia Dei carent, licet fulgeant ſeculari pompa. de horum verò punitione ſic.*multis facit Deus iſta nunc,ſed non omnibus:ſi enim nemini faceret, quaſi nō videretur vigilare diuina prouidentia: ſi omnibus faceret, non ſeruaretur diuina patientia.* Pulchra ratio, cur aliquando, & non ſemper in hac vita punitio impiorum fiat: vt diſcamus omnia Dei cum prouidentia, tum miſericordia regi.

Iob ore gemmato Deum in afflictione laudans.

Cur Deus aliquos improbos in hac etiā vita puniat non tamen omnes.

Ex pſalmo XXXI.

1 Titulus eſt: *Intellectus ipſi Dauid;) Hoc eſt vt te noueris peccatorem, & cum ex fide per dilectionem benè operari coeperis, non hoc viribus tuis, ſed gratiæ Dei deputes.* Vide in quo conſiſtat vera vis intelligendi, & in quo ſit ingenium exercendum,in cognitione ſcilicet ſuæ fragilitatis, & roboris ex gratia Dei: Addit mox. *Quis eſt manifeſtus intellectus? nemo iactet bona opera ſua ante fidem;nemo ſit piger in bonis operibus accepta fide. opera ante fidem,quamuis hominibus videantur laudabilia, inania ſunt.ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam: fac hominem optimè gubernare nauem, ſed perdidiſſe quò tendit; quid valet quod temonem optimè tenet? cauet,ne latera infligantur, &c. & dicatur ei,vſquequo is? & dicat,neſcio.nonne iſte quantò tibi videtur in gubernanda naui agilior, tantò periculoſior eam gubernat?* ita qui ſapiēs, & prudens, & iuſtus ſibi videtur, ſed ſine fide. vbi nota quid de Socrate, Platone, & alijs Ethnicis philoſophis ſit dicendum. eximij quoad ingenium nauarchi fuerunt. ſed ſalutis ad portum non appulerūt, quia non tendebant ad Chriſtum: caruerunt fide quaſi Cynoſura.in tanto ſtudio ſapientiæ non habuerunt intellectum verum,quo præditus Dauid.

Verus intellectus poſitus eſt in recognoſcendis bonis à Dei gratia.

Veteres philoſophi caruerunt vero intellectu.

2 *Intellectus ipſi Dauid.) Prima intelligentia eſt,vt te noueris peccatorem;conſequens intelligentia, vt cum ex fide per dilectionem coeperis benè operari, ne hoc tribuas viribus tuis,ſed gratiæ Dei,ita non erit dolus in corde tuo.ideò de Natanaele ait: in quo dolus non eſt. vnde hoc? ſub arbore, inquit,fici vidi te, ideſt ſub conditione carnis, quia impietatis propagine tenebatur.*

Cur Chriſtus areſecerit ficū frōdoſam ſine fructu.

quid magnum est videre hominem sub arbore fici? si non vidisset sub ficu genus humanum Christus, aut arescceremus omnino, aut vt in Pharisæis, sola folia inuenirentur in nobis, non fructus: ideoque maledixit ficui non habenti fructus. acutè notat, in quo posita sit uera intelligentia, ut scilicet, & nihil à nobis posse, & omnia per Deum posse intelligamus.

3 *Quorum tecta sunt peccata.) Si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere; noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Eleganter per paronomasiam dictum. *Auerte, inquit Dauid, faciem tuam à peccatis meis; peccata tua non videat Deus, vt te videat. quomodo te videat? vt Nathanaelem, cum esset sub arbore fici, vidit. umbra fici non impediuit oculos misericordiæ Dei.* Pulchrè dictum de Dei oculis pietate illustribus vel in umbra; sequitur, *Nec est in ore eius dolus; At verò qui nolunt confiteri peccata, quantò laborant in defensione peccatorum, tantò plus robur eorum deficit.* Nota rem miram: confiteri, & aperire peccata, est operire, ac tegere peccata, ne Deus uideat: Addit. *Ideò Publicanus non audebat oculos ad cœlum leuare, quia se ipsum intuebatur; ipse sibi iudex erat, vt ille intercederet. à Deo defensus est, quia dixit pro ipso sententiam: Descendit, inquit, hic iustificatus in domum suam.* Eleganter ostendit quoddam tribunal in templo quodammodo constitutum, vbi Publicanus & reus erat, & sibi iudex; Deus autem, qui offensus fuerat, potius patronus: secus accidit Pharisæo.

Aperire peccata cõfitendo est ea operire.

Publicanus in templo tribunal constituit sibi ipsi iudex.

4 *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, cum clamarem tota die.* Videntur primo aspectu hæc contraria, *Tacui, & clamaui:* sed nimirùm. *Tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret; tacuit confessionem Pharisæus, clamauit merita sua: oportuit tacere merita sua, clamare peccata sua.* ideò additur. *inueterauerunt ossa mea: Qui enim voluit esse firmus, factus est infirmior, remansit in vetustate.* huc refero illud leuitici, quod leprosus iubebatur iter faciens, *immundum se clamare.* rectè igitur arguit Pharisæum, qui cum tacere apud Deum deberet merita, & fateri peccata; contrarium fecit. Eleganter distinguit de profectu, & defectu.

Pharisæus tacuit, & clamauit. tacuit demerita, iactauit merita.

5 *Dixi; pronunciabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti, &c.) Magna res; pronunciabo, dixit, non pronunciauit; tu remisisti: sed corde pronunciauerat. vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei iam in corde meo erat.* Vide incredibilem promptitudinem, & celeritatem Dei ad ignoscendum: pronunciabo de futuro est, remisisti de præterito.

Mira Dei celeritas in exaudiendo.

6 *Pronunciabo aduersum me iniustitiã meam.) Multi non aduersum se, sed aduersum Deum pronunciant. dicunt: fatum mihi fecit; stellæ me fecerunt: ita per circuitũ ad Deum volunt peruenire. quis enim stellas fecit, & ordinauit nisi Deus? magni viri sunt, & docti in hoc seculo, qui computãt stellas, ac tempora. dicunt: Mars fecit homicidium, Venus adulterium, &c. in digitis quasi digerunt facta, siuè fata humana, & describunt de stellis mores humanos.* Nota contra genethliacos, quorum discursus omnis eò tandem fertur, vt Deus videatur causa peccati, quia stellas condidit, vnde fataliter cogamur operari. at nõ agnoscamus stellas dominas, quas calcabimus.

Ad fatum & astra referentes peccata taxantur.

7 *In diluuio aquarum multarum.) Multæ aquæ sunt variæ doctrinæ; doctrina Dei vna est. vna aqua, qua irrigamur per Spiritum sanctum, quæ manat de intimo fonte vena pura veritatis. hæc aqua confessionis peccatorum, humiliationis cordis, abijcientis se, nihil de se præsumentis, in nullis alienigenarum libris est; non in Epicureis libris, non in Stoicis, non in Platonicis est. vbicumque inueniuntur præcepta morum, & disciplinæ, humilitas tamen ista non inuenitur. à Christo manat.* Pulcher locus de Christi doctrina, quasi limpido fonte, vbi velut in speculo se homo agnoscit peccatorem, & maculas videt, quod superbi philosophi in turbidis aquis suæ doctrinæ non fecerunt.

Doctrina euangelica fons purus, & limpidus vbi se homo inspectat.

8 *In chamo, & fræno maxillam eorum constringe.) Dum scilicet iactant merita sua.* subiungit. *Multa flagella peccatoris. adhibito fræno sequitur flagellum.* Pulchra similitudo ab equo superbo, & fræno, & flagellis domito. non igitur mirum quod Aloysius Gonzaga noster tam humilis fuerit cum obsequentis equi instar, ac minimè refractarij non modò calcarib' sed flagellis vsq; ad sanguinem cædere se solebat, passiones domitans, in primis superbiam. Deindè seriò monet: *Ne te sine flagellis speres futurũ, nisi fortè cogeris exhæredari. flagellat omnem filium, quem recipit; omnem, inquit, & neminem excipit; etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello. potuit vtique sine tristitia esse iturus ad passionẽ; nam si potuit miles, non potuit Imperator? attende Paulum propinquum passioni: ego, inquit, iam delibor, & reposita est mihi corona iustitiæ. ergo gaudet coronandus, contristatur coronaturus? quid igitur? portabat infirmitatem nostram.* Vide vt Christus gaudiũ trãsfudit in suos, sibi tristitiã applicuit nostram. sed illud horrẽdũ, non flagellari, non pati in hac vita, signum esse exhæredationis vitæ æternæ. quis non obuiis vlnis excipiat aduersa?

Superbia quasi fræno compescenda, & flagellis equorum more.

Non affligi exhæredati filij signum est.

Cur Christus in passione lætitiam excluãt.

9 *Lætamini in Domino, & gloriamini omnes recti corde.) Distorti corde sunt omnes, qui dicunt: aut nõ est Deus, vt dixit impius; aut cum accidit præter voluntatem iniu-*

iniustus est Deus, aut nō gubernat Deus res humanas. Deus aliud noluit. duæ voluntates sunt, sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam, ita duceris in directionem cordis. Nota de diuino placito, cui nos cōformari debeamus. quod item ad religiosam obedientiam pertinet, ne prælati voluntatem detorqueamus ad nostram, insistēdo postulatis; quod seriò monet noster Ignatius. ac vide quàm fœda res sit inobedientia: distortio, & mōstrosa peruersio cordis est.

Dei voluntas non est detorquēda ad nostram.

Ex psalmo XXXII.

1 NOn *saluatur rex per multam virtutem, nec gigas, &c.) Hoc est, nec quisquis militat contra concupiscentiam suam, vel contra diabolum, saluabitur, si se sua fortitudini cōmiserit*. & paulò post. *Non saluatur in virtute sua, qui carnem suam regit; nec gigas, qui militat contra consuetudinem concupiscentiæ, si de sua virtute præsumant*. Notabilis interpretatio: ēt siquis gigātēā fortitudinē habeat nō posse cōcupiscentiæ, & cōsuetudini sensus obsistere, si robori suo, viribusque confidat, hoc est suæ prudentiæ, ingenio, &c. at verò tam acrem hostem ipsi adolescentuli, & puellæ duce Deo facilè perdomāt. tanta vis est in gratia, vt id possit quod non potest gigas. hinc de superbis, & priscis philosophis dictum. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, &c. non hos elegit dominus, neque viā disciplinæ inuenerunt*. & per Ecclesiast. *Antiqui gigantes destructi sunt confidentes suæ virtuti*. quid autem ijs imbecillius, qui libidini, ac ceteris passionibus succumbebant?

Nec gigāteū robur sine gratia obsistere potest concupiscentiæ.

Baruc. 3.

2 *In cithara, & psalterio decē chordarū,) Sicut cithara ex inferiore parte sonat, ita psalteriū ex superiore*. hoc fit cum laudamus Deū vel ob dona supernaturalia, vel ob temporalia; ex amore, uel timore. *Tange psalteriū, implebis legem amore, quod timore non poteras; est quædam pulchritudo iustitiæ, oculos quærit, accendit amatores suos; pro hac Martyres seculum calcantes sanguinem fuderunt. non erant Martyres non amatores, nec vobis dicitur, vt non ametis; qui non amat, friguit, obriguit. ametur, sed illa pulchritudo, quæ oculos quærit*. Vides ex amore operandum, quanquam ex timore pœnæ fit gradus ad amorem. *ex bono seruo, fit bonus filius: interim timendo noli facere, disces & amando non facere*. huc refer quæ subiungit. *Qui amore non ducitur, sed timore coarctatur, mallet non esse gehennam, in quam mittatur; quando incipit amare iustitiam? nisi quando mallet furta non esse, & si gehenna non esset, in quam fures mittantur*. Præclara sanè cogitatio: his actibus frequenter exerceri, veræ, ac solidæ charitatis est. mox addit pulchrè. *Ipsa iustitia qualis est? quis illam pingit? sapientia Dei, quā pulchritudinem habet? per illam pulchra sunt omnia, quæ oculis placent ad videndā, complectendā, corda mundanda sunt. huius nos amatores profitemur; ipsa nos componit, vt ei non displiceamus*. Vide quanta sit pulchritudo iustitiæ, vt nullus Apelles exquisitis coloribus arte vlla p picturā assequi queat. igitur *Ametur illa pulchritudo, quæ oculos quærit, accendit amatores suos*. Similiter dixit Plato; Incredibiles sui amores excitaturam fore sapientiam, si oculis cerni posset. Tum respondet obiecto. Dices: contemnimur ab alijs, ac reprehendimur à mundanis. At amasiæ cum componunt iuxta suū placitum amatores suos, hi non curant, an alijs displiceant. *Dicit vir grauis lasciuæ adolescenti, non te decet cum talibus cincinnis incedere; nouit autem ille capillos suos nescio cui placere, odit te reprehendentem vero iudicio, & seruat in se quod placet peruerso iudicio; Si ergo illi non curant reprehensores veraces, vt sint formosi fallaces, nos in his rebus, in quibus placemus sapientiæ Dei, non debemus curare irrisores iniustos*. Notabilis sententia, non esse nisi Deo placendum in rectè factis, quicquid mundani dicant. verus amor nulla vi concuti potest: & nota solitos argui cincinnatos adolescentes, qui & nostra ætate impunè sic volitant.

Quid sit canere tū psalterio tum cithara.

Pulchritudo virtutis accendit amatores suos.

Excellens pulchritudo virtutis humanitus pingi nō potest.

Amor in Deum mūdanorum dicta peruersa nihili ducit.

3 *Cantate domino canticum nouum.) Non pertinet nouum canticum ad homines veteres; non discunt illud nisi homines noui, renouati per gratiam. superet omnis amor noster, & cantet canticum nouum: cantet non lingua, sed vita*. pulcher hic locus est de renouatione spiritus in religiosis, præsertim in nostra Societate, vbi mos est vota bis in anno renouandi, & quasi nouum canticum concinendi: quod quàm exactè sit agendum, conijce ex sequentibus.

Canticum nouum renouatio spiritus.

4 *Benè cantate ei) Si à bono auditore musico tibi diceretur, vt bene cantares, quantum timeres, nè displiceres artifici? qui, quod imperitus non agnosceret, in te reprehenderet. quis affert Deo benè cantare, sic iudicanti de cantore, sic examinanti omnia, sic audienti? quando potes afferre tam elegans artificium cantandi, vt tam perfectis auribus in nullo displiceas?* Vides in oratione, quod quasi canticum est, quantum vereri debeamus, nè diuinis auribus absoni, & absurdi simus, quod certè fit distrahendo mentem ad terrena &c. citharœdum tunc esse te puta in certamine musico constitutum cum Angelis, cōcine carmen, quā licet, Dei aurib' dignū.

Oratio certamen est musicum Deo audiente.

5 *In iubilatione.) Ecce velut modum cantandi dat tibi. in iubilatione canere, est verbis explicare non posse quod canitur, sicut qui in messe, vel vinea, vel alio opere ferventi cum cæperint canere, cum lætitiam explicare non possunt, auertunt se à syllabis verborum, & eunt in sonum iubilationis. Iubilatio sonus quidam*

Iubilatio est lætitia ineffabilis transcendens ad Deum.

dam est, significans cor parturire quod dicere non potest. & quem decet ista iubilatio nisi ineffabilem Deum? ineffabilis enim est quem fari non potes, vt gaudeat cor sine verbis, & immensa latitudine gaudiorum metas non habet syllabarum. Vide quanto cum animi affectu interno sit orandum, vt vocalis oratio assequi non possit quod mente voluitur. elegans similitudo de amplo stadio in orationis cursu: ne consistas quasi ad metam in ipsis syllabis verborum, sed transcendas ad ipsum Deum.

Deus fit debitor etiam si nihil ei demus proprie nostrum.

6 *Omnia opera eius in fide.) Fidelis homo est credēs promittenti Deo. fidelis idem est exhibens quod promisit. teneamus fidelissimū debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. nihil ei dedimus, & tenemus debitorem, non dicimus: redde quod accepisti.* pulchrè ostendit Dei pietatem, qui voluit se facere hominis debitorem per promissa, quæ liberalissimè exhibet, ac pijssimè; cum tamen id acceperit à nobis, quod suum est per gratiam.

Deus vocat auersos, parcit conuersis.

7 *Diligit misericordiam, & iudicium.) Nunc tempus miserendi. vocat nunc auersos, donat peccata conuersis; adiuuat dimicantes, neminem deserit; donat vnde sibi sacrificetur, vnde placetur. magnum misericordiæ tempus non transeat nos, fratres; venturum & iudicium est.* Vide nexum misericordiæ, & iudicij; ne illa te desidem faciat, hoc adiungitur. rectè appellat, *magnum misericordiæ tempus.* breue tēpus, sed magnum est hoc, quo maxima lucrari possumus. egregiè veteres appellarunt Horas aureas. venustè autem ait. *Deus vocat auersos, condonat conuersis.*

Omnia indigent Deo.

8 *Misericordia domini plena est terra.) Vbi iam non Euangelium prædicatur? vbi salus restat? velis accipere, plena sunt horrea. quid cœli, vbi non est miseria, nunquid quia non indigent misericordia domini, non indigēt domino? omnia indigent domino, & misera, & felicia; ideò subiungit, Verbo domini cœli solidati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: non pars, sed omnis virtus.* pulcher locus de Dei misericordia, qua plena est terra, nunc vt cum maximè, quia vbique Euangelium, etiam inter vltimos barbaros euulgatum. immò plenum est cœlum, quia non modo sancti, sed Angeli ex Christi gratia beatitatem adepti; etiam si hi nunquā peccarint, at poterant.

Cœli nō tam natura quærenda quàm possessio.

9 *Verbo domini cœli solidati sunt.) Exceptis illis superioribus cœlis, ignotis nobis in terra laborantibus, & per humanas coniecturas vtcumque ista quærentibus, qui quomodo sint super inuicem, vel quot sint, vel quibus incolis impleti, multum est à nobis inuenire; satagamus tamen peruenire, ibi est enim patria nostra, quam longa fortasse peregrinatione obliti sumus.* egregiè monet, potius conandum esse per bonam vitam cœlum possidere, quàm per disputationem cœli naturam nosse. venustè dictum. Illude non tam cœlū inuenire, quàm in cœlum peruenire.

10 *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum.) Vnde haberent tantam virtutem oues inter lupos, nisi quia spiritu oris eius omnis virtus eorum? locus iste quando beati Martyris corpus percussum est, lupis plenus erat: vicit tot lupos vna ouis capta, & impleuit locum ouibus ouis occisa.* nota fructum, vel ex vnius Martyris necè; tanta vis in vno Martyre est ad conuersionem populorū. quid in tam innumerabili agmine? quinq; millia hominum ob Ianuarij in amphitheatro constātiam conuersa ad fidem sunt.

Vnius Martyris sanguis sufficit ad conuersionem populorum.

11 *Peccator videbit, & irascetur, &c.) Cum videt peccator solemnitates, & celebritates vestras, putatis eum non dolere? putatis non fremere? sed frustra, nam sequitur. Congregauit iniquitatem sibi. salsa maris aqua, quæ remansit, sæuire non audet, occultum murmur rugit in se, & intrà mortalem pellem fremit conclusa salsugo: congregans, inquit, sicut in vtre aquas maris. antea mare liberis fluctibus sæuiebat, nunc intra mortalia pectora inclusum amarum est. ille fecit, qui in illis vicit; qui posuit terminos mari, vt se remanentes cōminuerent fluctus.* elegans similitudo de amara, & salsa maris aqua, quæ vtre conclusa iam vim, & impetū deperdidit: quod dicendum de tyrannorum persecutionibus, more inundantium fluctuum per acerbissimos cruciatus sæuientibus in Martyres, iam compressis: soli remanent hæretici, conclusum intra se odium in Ecclesiam tenentes. Tùm concludit: *Si quando tamen existunt pressuræ, congregatis iam in arctum aquis, intelligamus hoc dominum facere ad disciplinam, vt dirigat nos in regnum suum composito desiderio: quod desiderium tribulationibus hinc atque hinc coutundentibus producitur, vt simus canori auribus domini, tanquam tubæ ductiles; vt illæ malleo percutiuntur, ita Christiani cor in Deum pressurarum plagis extenditur: quamobrem in tubis ductilibus laudare dicitur.* pulchrè cor tubæ ductili comparatur, dum extenditur pressura, & ictu persecutoris, quasi mallei. Origenes ait, diabolum contra se tubam militarem cōflasse, cum Iobum afflixit. hinc illa quauis tuba vocalior laus: *Dominus dedit, &c.* vbi sic notat: *non dixit; dominus dedit, diabolus abstulit, sed dominus dedit, dominus abstulit; prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum.*

Persecutio tyrannorū quasi inūdās mare, hereticorū quasi maris aqua conclusa.

Per afflictionem cor in tubam conflatur.

12 *Ponens in thesauris abyssos.) Thesaurus est secretum Dei. nouit ipse quid ad tempus proferat ad flagellandum in disciplinam tuam. habet abyssi thesauros, quibus te erudiat ad thesauros cælorum.* nota, afflictionē depromi ex thesauris Dei, ac proinde vt rem pretiosissimam accipi debere. hoc cogita, ex occultis Dei promptuariis prouenire quæ tibi accidunt: ditare te meritis vult Deus.

Afflictio ex thesauris Dei depromitur.

Crux in Cæsarum diademate pulchrius emicat quàm gemmæ.

13 *Ab eo commoueantur omnes, qui habitant terram.) Iam cesserunt Reges mali, facti sunt boni. signum crucis in fronte iam portatur, pretiosius signum, quàm quælibet gemma diadematis. qui sæuierunt, destructi sunt: Dominus, inquit, dissipat consilia gentium, &c. quando scilicet dixerunt: tollamus eos de terra, nō erit nomen Christianum, si torqueantur, si occidantur*. Vide gloriam crucis in diademate Imperatorum, superantis ceteras, quibus circumornatur, gemmas. frustra eam Iudæi in imam terram infoderant.

Prædestinationis series qualis sit.

14 *Consilium domini manet in æternū.) Vnde consilium domini manet in æternum, nisi de nobis quos antea præsciuit, & prædestinauit? quis tollit prædestinationem Dei ante Mundi constitutionem? vidit nos, fecit nos, emendauit nos, misit ad nos, redemit nos.* nota prædestinationis seriem paucis pulchrè comprehensam, & ipsā Dei præscientiam infallibilem sine dispendio libertatis.

Ardens desideriū beatitudinis.

15 *Beata gens, cuius Dominus Deus eius.) Quis est qui hoc audito non erigat se? amant enim omnes beatitudinem, & ideò peruersi homines, quia mali: mali volunt esse, miseri nolunt, & cū malitiæ sit indiuidua comes miseria, isti tamen ideò mali esse volunt, nè miseri sint; sed fieri non potest, vt res deterior te faciat meliorem. aurum, argentum &c. inferiora sunt te; quare quod est melius te, vt inde efficiaris melior te. Intuere cœlum, & terram, non tibi sic hæc pulchra corpora placeant, vt eis fieri beatus velis; in animo est quod quæris. potest corpus tuum melius fieri per animum meliorem, vt cum fuerit iustus animus, fit postea immortale etiam corpus tuum. in animò tuo est imago Dei, accepit eam homo, & peccando decolorauit. ipse ad eam venit reformator, qui erat ante formator. quæris nunc quid sit melius quàm animus tuus? quid, obsecro, nisi Deus tuus? nil aliud melius inuenies, quia cum perfecta fuerit natura tua, Angelis æquabitur: iam supra non est, nisi Creator*. nota gradus, quibus ascenditur ad Deum omnis perfectionis fastigium. rectè autem argumentatur, non posse animum beati præter quā à Deo, quia hic tantùm est ipso omninò superior, nam Angelus gloria coæquatur; vnde ait Ioanni: *conseruus tuus sum*. pulchrè illud de desiderio beatitudinis: *Beata gens, cuius dominus Deus eius. quis est qui hoc audito non erigat se? &c.*

Beari anima non nisi ex Deo potest.

Cor hominis gratiæ manus peculiari studio efformauit.

16 *Qui finxit singillatim corda.) Manu Gratiæ suæ, manu misericordiæ suæ finxit corda, & ijs singulis dona propria spiritualia tribuit. dedit genera linguarum, alteri sermonem scientiæ &c.* quæ tamen in vnum conspirāt. elegans hic locus est; nempe vides Gratiā in corde fingendo, tanquam aurificem, & opificem vasis alicuius, totam operosam, totam intentā, sedula manu aptantem, & formantem cordis opus, singulari quadā industria, solertiaque. hinc etiam colligenon contemnendos alios, qui non habeāt easdem dotes, ac dona, quæ nos fortasse habemus; singulis enim distribuit singillatim, vt vult. item nota, licet Deus sit totius hominis fictor, peculiariter tamen dicitur cordis fictor, quasi peculiari industria finxerit, vt in pyramidis formam esset, & quasdam, quas aures cordis physici vocant, apposuerit, &c.

17 *Fallax equus ad salutem, &c.) Equū intellige figuratè quemlibet honorem, in quem superbus ascendit; quò altius ingrederis, quomodo te deijciat, nescis, tantò elisum grauius, quantò sublimius ferebaris*. Habes, quid sit mundanus honor, & dignitas. equus quidam, qui quò altior, tantò periculosiùs insidetur, ac sessorem duriùs franget: Addit aliam interpretationem. *Fallitur qui putat impetu animositatis suæ defendi à pernicie. quod si salutem quæris: Ecce, inquit, oculi domini, idest dilectio domini super timentes eum*. Vides solùm in Dei pietate esse fidendum. mirè in hoc posita generositas est, vt timeas. sed quemnam? Deum: scilicet à quo vis omnis, & robur.

Fastus mūdanus equus refractarius est.

18 *Ecce oculi domini super iustos.) Adhuc spectatores in amphiteatro insaniunt, & in Sole sedent. nos si spectamus pulchra, & à pulchro spectemur, spectemus quæ in sensibus sunt diuinarum scripturarum, & gaudeamus tali spectaculo; spectator autem noster Deus.* Eleganter spectacula sacræ scripturæ tanquam in amphitheatro exhiberi ait: tantū continent veræ voluptatis. Vides etiam iustos Dei esse theatricum spectaculum, ad quod oculos magna cum iucunditate cōuertat, quò spectat illud Pauli. *spectaculum, siuè theatrum facti sumus Deo, &c.* quàm pulchrum sit oportet quod à tam pulchro spectatur?

Scriptura exhibet nobis pulchra spectacula.

19 *Anima nostra patiens erit domino.) Cur patiens? quoniam adiutor factus est; qua mercede? quia in eo lætabitur cor nostrum.* Nota, quanta merces sit lætitia cordis in domino, vt quicquid pati opus sit, lucrum sit. Addit; ne fortè in patiendo desperes, subiungit. *quoniam adiutor, & protector factus est: Adiutor, dum conamur ad Deum; Protector, dum resistimus aduersarijs.*

Tolerantiæ merces gaudium.

Ex Psalmo XXXIII.

1 T*Itulus est: Psalmus Dauid, cum mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abijt.)* Interpretatur de Eucharistia, vbi se quasi vultu mutato sub specie panis manducandum præbet. sic igitur eleganter, & pulchrè. *Dicitur, In principio erat Verbum: ecce cibus sempiternus; ita eum manducant supernæ Virtutes. quis autem homo posset ad illum cibum? vnde cor tam idoneū illi cibo? oportebat ergo, vt mensa illa lactesceret,* 1. Reg. 21

ret,

ret,& ad paruulos perueniret. vnde autem cibus in lac commutatur, nisi per carnem trajiciatur? nam, quia minus idoneus est infans, vt pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ, & lactis succum de ipso pane pascit infantem. quando ergo de ipso pane pascit nos sapientia Dei & Verbum caro factum est. Præclarus inquam, & elegans hic locus est de Eucharistia, vbi Dei filius, qui beatis solidus panis est, nobis velut infantibus per incarnationem in lac cedit; sicut mater panem comesum infanti versum in lac tribuit. *ipsum panem mater incarnat, & per lactis succum de ipso pane pascit infantē, &c.* id pulchrè, & fusè apud Clementē Alexandrinum habes, qui Christum *mammillā patris* vocat, vt hic dicitur. *oportebat ut nobis mensa illa lactesceret.* Porrò ad hoc mysteriū sic factum Dauid refert; Mutauit Christus vultū suū corā regno patris sui, quod significat Abimelec, idest coram Iudæis; & dimisit eum, scilicet populum ipsum Iudæorum. Achis verò interpretatur, Quomodo? nam quando Christus loquebatur de sacramento corporis sui, dixerunt. *Quomodo potest hoc fieri? insania videbatur dare carnem suam ad manducandum, & sanguinem ad bibendum; ideò tunc quasi insanus putatus est Dauid, sed Regi Achis, idest ignorantibus; nam, quomodo, ignorantis vox est. quid est autem affectabat? hoc est affectum habebat. peruenit enim Christus vsque ad mortem crucis; & quoniam qui crucifigitur, ligno extenditur; vt autem tympanum fiat, caro, seu corium in ligno extenditur: dictum est: & tympanizabat ad ostia ciuitatis, cruce enim aperiebat corda mortalium clausa aduersus vitam æternam. quid autem est, ferebatur manibus? manibus enim suis nemo portatur, sed aliorum: quomodo hoc intelligatur de ipso Dauid, non inuenimus: sed ferebatur Christus manibus suis, quando commendans corpus suum discipulis ait: Hoc est corpus meum. procidebat autem ad ostium portæ, hoc est ad humilitatem se ipse deiecit. clausum cor habebamus ad vitam æternam, quod ille cruce aperuit ad ostia portæ, hoc est ad initium fidei, quo saluamur. vt dicitur in cantico. Venies, & pertransies ab initio fidei. per fidem enim peruenitur ad visionem Dei.* sic legit, vbi nos; de capite Amana. idē sic breuius colligit: *Affectabat, quia misertus est nos de supernis; quid est affectabat? affectu plenus erat; quid enim tam plenum affectu quàm misericordia Dei, qua mortem pro nobis desiderauit? tympanizabat ad ostia ciuitatis: quæ sunt ostia ciuitatis, nisi corda nostra, quæ clauseramus contra Christum? procidebat ad ostia portæ, idest humiliauit se. quid est autem quod saliuæ decurrebant? quid sunt saliuæ, nisi verba infantilia? saliuæ enim currunt infantibus.* verba infantilia videbantur, & insipienter dicta de cibo corporis, & poculo sanguinis. Multa sunt hic adnotatione digna de mysterio Eucharistiæ: quibus addere possumus, Eucharistiam tenero lacti comparari, tamen à Iudæis insipientibus dictum, *durus est hic sermo.* potius ad cibum à diabolo oblatū id pertinebat, qui lapides obtulit. prætetea magnum reputa affectum, qui ostensus est in hoc sacramento, quem etiam indicabant panes calidi, qui in mensa proponebantur. proiecit se ad ostiū cordis nostri, vt in Canticis dicitur de capite guttis nocturnis asperso. sed quid sibi vult tympanizare? nā tympanū ēt in bello vsui est, nisi quod institutum est hoc sacramentum vel ad debellandā diaboli potentiā, vt apud Ezech. *Pone mensam, sumite clypeum.* & in psalmo; *parasti mensam aduersus eos, qui tribulant me:* ideo ad Aquilonē positi licet calidi panes. deniq; saliuas illas infātiles refero ad innocentiā, & simplicitatē, qua est accedendū ad Eucharistiā; item ad abijciendam curiositatē in perquirēda ratione, vique naturæ. sic ad illud sapientiæ conuiuium inuitantur paruuli: *si quis est paruulus, veniat ad me. & insipientibus locuta est, venite, & comedite panem meum, & bibite vinum meum.* Addo quod sicut infantuli specie tunc est visus Dauid reptans manibus; ita sæpè infantis specie mutare solitus vultum suum Christus in Eucharistia, quasi se sanctis multis viscendum exhibuit, quasi nuper de Virgine natus.

Christus in Eucharistia nobis lactescens.

Eucharistia magno cum affectu à Christo instituta.

Dauid vultum immutans typus Christi in Eucharistia.

20 *Magnificate dominum mecum.*) hoc dicit amator Dei: *Nolo solus magnificare Deū. latitudo tanta est in ipsa sapientia Dei, vt omnes animæ amplectantur, & perfruantur. quisquis aurigam amat, aut venatorem, vult ut totus populus eum amet, & clamat in populo, vt ametur illa turpitudo; & Christianus non clamat, vt ametur cum illo veritas Dei? sit in vobis iste feruor: si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei.* pulcherrimus sanè hic locus est de zelo diuinæ gloriæ. alludit autem ad factiones illas aurigarum, quorum erant varia genera, & anni coloribus notabantur: quæque factio plaudebat aurigæ suo. huc refero illud Esaiæ, qui cum Dei pulchritudinem vidisset, & Seraphim plaudentes voce, & alis, indoluit dicens: *Væ mihi quia tacui,* cum scilicet clamare debuissem, vt amaretur pulchritudo illa ardenter, vt faciebant Seraphim. præclara vox ad apostolicos viros: *sit in vobis iste feruor: si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei.*

Zelus Dei gloriæ vt à cunctis ametur.

21 *Accedite ad eum, & illuminamini.*) *Accesserunt Iudæi, vt illum crucifigerent; nos ad eum accedamus, vt corpus, & sanguinem eius accipiamus. illi de crucifixo tenebrati sūt; nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur. accesserunt gentiles, qui absentes, & in tenebris erāt, & illuminati sunt; vnde accedunt? fide sectando, corde inhiando, charitate currendo; pedes tui charitas tua est. duos pedes*

Ad Eucharistiam famelico corde inhiandum.

Dilectio nisi, & Dei, & proximi sit, claudicat.

habens, noli esse claudus, hoc est duo præcepta dilectionis, nota, ad Eucharistiam refert illud: *Accedite ad eum, & illuminamini*. & sanè illustrationes, & inspirationes ibi maximè habentur. pulchrè ait. *Accede; fide sectando, corde inhiando, charitate currendo*; nempè hoc mysterium fidei est, & cibus famelici cordis, & meta nostrorum desideriorum. rectè autem claudicare eos dicit, qui vno tantùm pede dilectionis incedunt; nec Deũ, itemque proximum diligunt.

Eucharistiæ sobria ebrietas.

22 *Gustate, & videte, &c.) Nonne aperit se psalmus, & ostendit sanam illam insaniam, & sobriam ebrietatem illius David, qui figuratè sacramentum dominicum ostendebat? Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* pulchrè vocat sobriam ebrietatem huius sacramenti, quâ sancti extra se rapi soliti. hinc illud: *Calix meus inebrians quàm præclarus est?* & per Ieremiam dicit: *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur.*

Cor iusti gem mis virtutum ornatum nulli aulæ comparãdum,

23 *Diuites eguerunt, & esurierunt) si ad literam respicias, videtur te fallere. vides illos perduci vsque ad vltimum vitæ inter magnas copias diuitiarum, expirare in lectis eburneis, celebrare pompam funeris, & dices: noui quanta hic fecit scelera; ego quotidie ad basilicam surgo, et nihil boni habeo. nolo te sic intelligere, sed in bonis spiritualibus.* Nota quis verè dicendus sit diues. *si ille diues fuit, quia habebat lectum eburneum, tunè pauper eris, si cubiculum cordis tuis plenum sit tot gemmis virtutum, charitatis, fidei, patientiæ? &c.* pulchrè cor iusti, in quo bona conscientia requietem inuenit, quasi cubiculum, ac stratum gemmis, & margaritis ornatum dicit, & ipsis Cæsarum, ac purpuratorum aulis inuidendum. illa vilis præ hac est Neronis domus, quam Auream nominauit.

Vlciscens iniurias se facit Iudicẽ, Deũ quæstionarium.

24 *Inquisiui dominum, & exaudiuit.) Non ait; inquisiui à domino aurum, &c. sed dominum. noli aliud quærere extra dominum, & adhuc te loquente dicet: eccè adsum; quid vis? quid à me quæris? quicquid dedero tibi, vilius est quàm ego; me ipsum habe, me fruere, me amplectere. an verò à Deo petis vindictam de inimico tuo? sed ita facis te ipsum iudicem super inimicum tuum, & facis quæstionarium Deum tuum. vnde scis, ne melior sit is, cuius mortem quæris? &c.* nota vim vocis. quid indignius? vlciscendo, *te facis iudicem, Deum quæstionarium*. porrò quod ait, nihil aliud quærendum præter Deum, certè Thomas Aquinas ab ipso interrogatus quid pro labore vellet, nihil aliud, inquit, præter te domine.

Dies boni sunt qui in Deo & secundũ Deum sũt

25 *Quis est homo, qui diligit dies videre bonos?* Malè conquerimur, nos habere malos dies, & parentes, maioresque nostros habuisse bonos, ac lætiores; at illi similiter querebantur, *Semper dies mali in sæculo, semper dies boni in Deo*. Abraham habuit dies malos, si famem spectes; sed bonos in corde. facit hoc egregiè pro religiosis: *semper dies mali in sæculo, semper dies boni in Deo.* quid hoc felicius? hoc est secundùm Deum viuere.

Deus medicũ præfert cũ affligit.

26 *Aures eius ad preces eorum.) Fortè dicis; si audiret me, tolleret à me tribulationẽ. clamo, & tribulor; sed medicus est, adhuc putre habes nescio quid. clamas, sed adhuc secat. crudelis est medicus, qui parcit vulneri. clamant pueri, dum eos mater fricat in balneis, & non ei parcitur.* rectè agnoscit medicas Dei manus in nostra plaga. opus est ferro, igne. *putruerunt cicatrices meæ.* ideo videtur quandoque non audire preces, quia scilicet non expedit. huc facit quod sequitur.

Ignis camini Babylonici nõ modo non arsit, sed friguit.

27 *Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos.) Tres pueri de camino clamauerunt ad dominum, & in laudibus eorum ignes friguerunt.* mira res: ignis non modò non eos vrebat, sed refrigerabat, & hoc dum ipsi feruentius orabant. subiungit: sed idem nõ liberauit de flamma Machabæos, licet hymnos ibi canerent. eruit Petrum de vinculis, at non de cruce. *fortè illum plus exaudiuit postea, quàm prius; illuc enim misit postea, vbi nihil mali pati posset.* Eripit quidem Deus, si minus aliquando corporaliter, certè spiritualiter. notabile dictum, tunc magis nos exaudiri à Deo, cum vexari sinit; & maius fuisse priuilegium Petri affigi cruce; quàm solui vinculis.

Cur Deus aliquãdo sanctos liberet à tormentis aliquãdo non item.

Boni latronis fracta sunt crura, non fides.

28 *Custodit dominus ossa eorum, vnum ex his non conteretur.) & latronis etiam iusti fregerunt ossa, sed firmamentum fidei ipsius frangi non potuit.* magna laus, vt in fractione corporis, integra, & infracta steterit boni latronis virtus. fregerunt crura, quæ sunt columnæ corporis: sed columna fidei immobilis stetit, tunc maximè cum terra concussa nutabat.

Mundani stulti iudices veræ felicitatis.

29 *Mors peccatorum pessima.)* Intus malum inclusum est, licet non appareat foris. *Qui videbant corpus laxari mortui pauperis, iacere inter limen diuitis, & non esse qui sepeliret, fortè dicebat: sic moriatur inimicus meus at ille in sinu Abrahæ requiescebat.* vide hominum stulta iudicia, & quàm peruersè mundani sentiant circa veram felicitatem. pergit deinde: *Qualis mors esse potuit in purpura, & bysso? quàm sumptuosa pompa? quæ exequiæ funeris ibi fuerunt? quantis aromatibus sepultus? sed non impetrauit aquæ guttam à digito pauperis. nolite admirari marmoratas, inauratasque memorias, &c.* Tum sic concludit. *Si igitur Christiani sumus, credamus; si non credimus, nemo se fingat Christianum. fides nos perducit: quomodo illa dicit, sic sunt. an verum est quod dixit tibi Mathematicus, & nõ quod Christus?* rectè arguit, astrologorum vanis diuinationibus certiorem assensum præstari, quàm fidei. quantum hoc præponderat? Deus dixit.

Lazarus diuite purpurato felicior

Astrologis fides non habenda.

Ex

Ex psalmo XXXIV.

Christus manu fortis in typo Dauid

1 Titulus est, ipsi Dauid) Dauid interpretatur, manu fortis, vel desiderabilis, quod ad Christum pertinet. *Quid fortius manu hac, quæ tetigit loculum, & mortuus resurrexit? quid fortius manu hac, quæ Mundum vicit, non armata ferro, sed transfixa ligno? quid autem desiderabilius eo, quem non videntes Martyres mori voluerunt, vt ad illum peruenirent?* Mirum quod manu fortem dicat, qui manus sibi clauis in cruce configi passus est: sed illis manibus Erebum expugnauit. quod autē interpretatur desiderabilē, huc refer illud in Cant. sponsę de sponso, de quo post multas dotes subiungit, *totus desiderabilis*. nempe ipse dicitur etiam *desiderium collium æternum*.

Christus desideriū animæ.

Nos armamur de Deo, & Deus de nobis.

2 Apprehende arma, & scutum) *Magnum spectaculum videre Deum armatum pro te. & quod eius scutum, quæ arma? dicit alibi: Scuto bonæ voluntatis nos coronasti; arma autem nos erimus, si bene profecerimus; sicut enim nos vt armemur, ab illo habemus; ita ipse armatur de nobis: dicit Apostolus, arma nostra scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus. armauit nos talibus armis insuperabilibus, & splendidis.* mox addit. Armatur ipse de his, quos fecit, armamur nos de his, quæ accepimus ab ipso. *Apostolus quodam loco loricam fidei vocat, alibi scutum fidei; scutum, quia tela inimici repellit; loricam, quia interiora tua transfigi non finit.* Vide vtramque vim fidei, & duplex munimentum, vtrumque insuperabile simul, & splendens; quia semper fides quasi recens. pulchrè autem ait, & nos armari de Deo, & Deum armari de nobis.

Anima gladius quidam est Dei manu vibrandus vt vincat.

3 Eripe ab impijs animam meam, frameā tuam ab inimicis tuis,) *frameam dixit animā suam: apprehendis, inquit, animam meam, et debellas inimicos meos; & quid enim est anima nostra, quàmuis splendida, quamuis producta, quamuis acuta, quamuis vncta, quamuis sapientiæ, & coruscationis luce vibrata, nisi Deus teneat illam, & pugnet de illa? nam qualibet optimè licet facta framea, nisi habeat bellatorem, iacet.* eleganter, ac pulchrè anima gladio martiali comparatur. hinc collige extrahendam esse animam per contemplationem, tanqua è vagina corporis, vt Deus ea vtatur ad præclara quæque agenda, & infernum debellandum. anima certè Christi statim ac è vagina corporis educta est in morte, principem Mundi foras eiecit; quamobrem eam quasi frameam in manus patris commendauit. Nota etiam, quantumuis aliquis polleat ingenio, prudentia, doctrina, & alijs dotibus, & sit veluti acutus, & coruscus gladius, nihil præclarum agere, nisi vibretur perita, & potenti Dei manu. cum autem ab hac tractatur, quantas agit strages vel dæmonum vel vitiorum? talis gladius in primis ipse Augustinus, ceterique doctores. item noster Ignatius, Xauerius, &c.

Cor veluti nauis vigilem requirit Iesum inter procellas.

4 Exurge in adiutorium mihi.) Item alibi ait; *Exurge, quare obdormis domine? dormiebat Iesus, & ideò fluctuabat nauis. nauis tua, cor tuum. Iesus in naui, fides in corde: vigilet fides tua, &c.* pulchrè ait, cor nostrum nauis instar esse inter huius vitę fluctus iactatam. fidem vigilem adstare oportet ad gubernaculum; suscitandus est Iesus per preces, ac vota adde ancoram spei, &c. caue saxa latentia, cauè piratas. Cynosuram respice, Dei gloriam. confer hanc nauim cordis, cū illa Tyri pulcherrimè ab Ezechiele descripta.

Deus vsus est anima Iob tanquam gladio ad expugnandū Diabolū.

5 Effunde frameam, & conclude aduersus eos &c.) *Deus, qui permiserat diabolo, vt bona Iob tolleret, seruum suum interius non deseruerat, & ad ipsum diabolum superandū, animam serui sui frameam sibi fecerat. quantum valet bonū de homine dico. victus in paradiso, victor in stercore. ibi victus à diabolo per mulierem, hic vicit diabolum, & mulierem.* rectè, atque egregiè animam Iob dicit frameam, seu gladium, quo Deus vsus est ad vincendum ipsum diabolum. stultè igitur hic dixit Deo; Mitte manum tuam; misit Deus enim manum suam, & hoc gladio in ipsum vsus est. Ambrosius autē addit, stultè id dictum, quia aduertere debuisset manū Dei ad misericordiam pronam; quanquam ne hoc obijceret ait Deus, *in manu tua est.* nisi quod addidit, *animam illius serua*. scilicet iussus est seruare gladium, quo ipse vulnerabatur. non est passus Deus hunc gladium tanquam in vagina otiosum esse, & rubiginem cōtrahere, sed exercuit aduersus hostem. similiter ad eum vsum animam offeramus nostram.

Ad magica recurrere quā impium sit.

Diuina prouidentia semp vigil.

6 Dic animæ meæ: salus tua ego sum.) *Dicit hoc Deus, sed quidam obsurdescunt, ac potius audiunt inimicos persequentes. si aliquid deest, & in angustijs sunt, quærunt à dæmonibus auxilia, sortilegos quærunt.* sed Deus, vt ostenderet à se omnia petenda, in veteri testamento promisit temporalia, in nouo spiritualia. ità, *contra impiorum opinionem diuina prouidentia vigilauit, vt ostenderet ad Deum pertinere ista omnia.* rectè quidem adnotat, vt ad Dei prouidentiam in omnibus recurrendum ostenderet, in primo testamento temporalia promitti bona, in altero æterna. quam igitur, & dementer, & impiè ad magias recurritur? pulchrè autē diuinam prouidentiam oculatam, ac vigilem facit, quam mundani conniuentem aut dormitantem putant. recogita Cherubicum illum Dei currum totum oculis insignitum, huius typum.

7 Quoniam absconderunt mihi muscipulam corruptionis suæ.) ità legit, vbi nos, inter-

teritum laquei sui. & mox: *veniat illi muscipula, quam ignorat.* vbi apud nos est. *laqueus.* huc refert illud prou. *Criniculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* sic legit, vbi in vulgata est, *funiculis.* quod referre possumus vel ad Magdalenam, quæ vt se criniculis peccatorum contritam solueret, soluit crines. vel ad vitanda peccata quantumvis tenuia, nam, & hęc constringunt. horrendum illud spectaculum tibi propone Ezechielis, qui iussus est crines sui capitis incidere, & eos gladio nudato, & districto insequi tanquam hostes; vt indicaret, vel leuia quæque peccata, vt capillus est, odio magno habenda. rectè etiam criniculi dicuntur peccata, quia vt hi concinnantur manu, & arte, ità peccata excusando concinnamus; iuxta illud, *iniquitates manus vestræ concinnant.*

Criniculis suorum peccatorū quisque constringitur.

8 *Captio, quam abscondit comprehendat illum.) Inde illis nocebitur, vnde nocere conati sunt: vt si quis veneni calicem præparat, & oblitus ipse bibat. nemo malus non sibi prius nocet.* nempe malitia est vt ignis; vt facula incendat, prius ipsa ardet. itaque egregiè subiungit, *Malitia procedit ex te, et quem prius vastat, nisi te? malitia vt alteri non noceat, fieri potest; vt autem tibi non noceat, fieri non potest.* Notabile dictum de damno, quod sibi ipse peccator infligit.

Malitia ipsi primùm nocet auctori.

9 *Anima mea exultabit in Domino.) Quid melius Deo dabitur tibi? ecce proposuit, pete quod vis. si tibi Imperator id diceret, quos tribunatus, comitatusuè ructares? quanta tibi proponeres, & accipienda, & alijs largienda? Deo tibi dicente, pete quod uis, quid petiturus es? protende quantum potes, dilata cupiditatem. non quicunque sed omnipotens dixit, pete quod vis.* pulchrè hæc dicuntur, quæ vt superius, ad S. Thomam Aquinatem accommodari possunt, cum à crucifixo ei dictum: bene scripsisti de me, quam mercedem habere vis? ille solum ipsum petijt. huc facit quòd subijcit. *Sed trascende terram, mare, aerem quamuis volare non possis, porrige cupiditatem tuā vsque ad cœlum; dic tuum esse Solem, Lunā, Stellas, &c. nihil tamen inuenies, aut carius, aut melius eo, qui fecit omnia: ipsum pete, & in eo habebis omnia. in hoc amore dixit anima quadam; Tu es pars mea domine, & dominus pars hereditatis meæ. possideat te, vt possideas illum; eris prædium ipsius, eris domus ipsius.* eleganter facit animam per totam rerum vniuersitatem circumcursantem, vt videat quid eligat, nec tamen inuenire possit, quod ipsius desiderium expleat, præter Deum.

A Deo nihic excellétius quęri potest quam ipse Deus.

10 *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?) Quis dignè de his verbis aliquid dicat? ego puto tantùm pronuncianda esse, non exponenda. quid quæris illud, aut illud? quid simile est? dicet, Solem cole, qui diem efficit: dicam, Solem tu accendisti. Angelos cole, nihil sunt Angeli nisi videndo te, &c.* egregiè, ac piè ostendit, solum Deum expetendum, cui nihil simile, quantumuis eximium, & excellens sit. Addit, eos dici ossa Christi, qui fortes sunt in angustijs: *Qui in corpore Domini de ossibus est, ait, domine quis similis tibi? si dare vis. da & in hac vita quod quæro; si autem non vis, tu esto vita mea, quem semper quæro. ad te quomodo libera fronte exeam, si te offendero? cras fortasse moriturus sum, qua frōte te videbo?* præclara uox & votum. rectè dicit effrontem, qui non erubescit ad Deū ire cassus amore; ad eum scilicet, à quo tā impensè amatus est, & qui amor ipse est, & charitas.

Nihil Deo simile quantumuis excellens.

Effrontis est apparere post hanc vitā corā Deo sine amore.

11 *Humiliabam in ieiunio animam meam, retribuebant sterilitatem animæ meæ.) Nam quale ieiunium illud fuit, qui vix inuenit vnum latronem, quem in cruce gustaret?* Vide quid conqueratur Christus, ieiunum & famelicum se dicit, quod fructus suæ passionis, nostro vitio tam par uos colligat. vnus latro pro suaui potu fuit in cruce, cum palatum habebat felle, & myrrha, & aceto exacerbatū. porrò ad hūc sensū referri possunt illa verba Christi querēris. *Quæ vtilitas in sanguine meo?* & quod ait Chrysologus, Christum illacrymasse in resurrectione Lazari, quod vnum tantū extraheret ab inferis. igitur Apostolici viri auidam Christi famem explent, dum fructus animarum offerunt.

Christus famelicus de nostra salute.

12 *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam; tanquam lugens, & contristatus sic humiliabar.) Sicut enim anima complacet Deo, ei propinquans gaudet; si autem non est talis, luget, et contristatur. ambo hæc ponuntur in psalmo, vbi dicitur: Ego dixi in ecstasi mea, proiectus sum, à facie oculorum tuorum. ecstasis mentis excessus est. effudit super se animam suam, & propinquauit Deo, sed per quandam nubem carnis, pondusque proiectus rursus in terram, recolens, vbi fuisset & videns vbi fuisset, ait proiectus sum à facie oculorum tuorum.* præclara ecstasis humilitatis. vbi nota rem miram: in ecstasi homo supra se effertur, & tamen dicitur, infra se proiectus. nempè quo quisque virtute sublimior, eò de se sentit humilius. hinc ait propheta, *ponet in puluere os suū, & leuabit se supra se.* Tum pende illud eleganter dictum, *Nubem carnis, & pondus.* nubes enim à facili vento dissoluitur, & dici, cœlique pulchritudinē eripit. impedit nunc nubes carnis huius nostræ Dei quasi Solis aspectum, sed in futura gloria ipsa potius inde illuminabitur, deposita crassitudine ponderis. Simile est illud, *Ab Aquilone venit aurum.* legunt alij nubes coloris aurei.

Ecstasis humilitatis qualis sit.

Caro nostra nunc nubes & pondus est.

Sub

Gentiles & mundani exprobrant bonis improperia Christi.

13 *Subsannauerunt me.) Vbicumque gentiles inuenerint Christianum, solent irridere, vocare hebetem, insulsum, nullius cordis, nullius peritiæ, quicquid faciant, Christus in cælo est, honorauit pœnam suam, iam crucem suam omnium frontibus fixit.* Illudebant Martyribus in primis, quod finerent se occidi, bestiis tradi, opprobriis vexari. tanquam stolidi putabantur, sed crucem, quo nihil probrosius antea, videmus in diademate regũ honoratam. idem referri potest ad mundanos, qui stolidos putant eos, qui non vlciscuntur iniurias; aut qui relicto sæculo sponte pro Christo pauperes fiunt, &c. quã obrem Paulinum Bellerophontis morbo affectum putabant, hoc est atræ bilis, cum exuit se senatoria purpura, & lato clauo: sed ille Bellerophonte ipso validior Chimęram hanc mundani fastus elisit.

Non est vniuersitas arguẽda, ob vnius aut paucorum nequitiam.

14 *Confitebor tibi in Ecclesia magna; in populo graui laudabo te;) Fit confessio in omni multitudine, sed non in omni Deus laudatur. palea volat, frumentum stat: ideò in populo graui, quem scilicet ventus persecutionis non aufert. attenditur solùm palea, cum dicunt; ecce quomodo viuunt Christiani; &c.* Vides quemlibet Christianum paratum esse debere ad martyrium cum quodam constantiæ pondere: quantò magis in aliis afflictionibus? grauis dicitur populus Christianus, quia non leuiter quolibet impulsu à bono mouetur ad malum. Vides item, non esse aliis probro, si quis male viuat in religione: non est attendenda solùm palea, sed frumentum.

Populus Christianus grauis dicitur quia non leniter in aduersis mouetur.

15 *Intende iudicio meo in causam.) Non ait in pœnam, sed in causam: Martyres enim nõ facit pœna sed causa.* quippe pœna communis est & malis. nota, nam Donatistæ Martyrum gloriæ æmuli, vltro se præcipitabant, aut aliis occidendos offerebant: non agebatur Christi causa, sed propria.

Martyrẽ non facit pœna sed causa.

16 *Non dicant: absorbuimus eum.) Vult te Mundus absorbere, tu absorbe Mundum, & traijce illum in corpus tuum. macta, & manduca, dictum est Petro. occide in eis quod sunt, fac eos quod tu es.* eleganter dictum. arguit hoc eos religiosos, qui cũ secularibus malis, ac mũdanis cõuersantur, ac potius ipsi fiunt mali, quàm illi boni; nempè non occidunt, seu tollunt vitia, sed mollius, & blandius conuersantur; hi absorbentur à Mundo, non absorbent Mundum. at cerui proprium est, serpentes necatos comedẽdo in se conuertere, qui sunt postea antidotum contra serpentes. talis, videlicet, debet esse prædicator: *Nephtali ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* falsum enim est, non posse, & pulchrè ornateque dici, & simul vitia insectando mactari. Chrysostomus in primis flores dicendi amat sed iuxta illud, quod ait sponsus in canticis: *Videamus si flores fructus parturiunt.* quid autem fructuosius florido sermone Chrysostomi?

Concionator quasi Mundũ absorbẽs in se traijcit.

Ex psalmo XXXV.

1 *Veritas tua vsque ad nubes.) Quæ sũt nubes? prædicatores veritatis. quando minatur Deus, tonat per has nubes; quando per eos miracula facit, coruscat per nubes. terret per nubes, & irrigat per pluuiam.* Ostendit per hoc, prædicatores veritatis esse debere, non fabularum; item instar nubium tonare debere aduersus vitia, & terrere impios, iudicii fulmen intendere, &c. quid si coruscet etiam miraculis, vt Franciscus ille Xauerius? de his puto dictum: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* nam post prædicationem colligere se quisque debet quasi ad nidum suum per contemplationem, sicut & Christus post missionem discipulos secum in solitudinem duxit. Addo; hæc nubes, vt terram fęcundet, sit oportet vt illa ab Eliæ discipulo visa, *quasi vestigium hominis.* vt bono exemplo præeat alijs, qui eius vestigia sequantur, & quod ore dicit, factis agat.

Prædicatores nubibus comparati.

2 *Iustitia tua sicut mõtes Dei.) Sicut cum Sol oritur prius luce montes illustrat, inde ad humiliora descendit; sic cum venit dominus, prius radiauit in altitudinem Apostolorum, prius hos illustrauit montes, & sic descendit ad conuallem terrarum.* nota altitudinem Apostolici muneris, quod & ad alios Apostolicos viros refer, qui magna sunt illustratione diuina perfusi. ideò ait, *qui sunt montes Dei? magni prædicatores.* inter hos numera in primis magnum illum Indiarum Apostolum, quem meritò sæpe libet nominare, Xauerium, dignior is Magni nomine quam Alexander Indos aggressus.

Apostoli montes altissimi prius à Sole illuminati

Magni prædicatores montibus altissimis comparati.

3 *Filij hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.) Attendite dulcissimam sententiam.* locutus erat de hominibus, *homines, & iumenta saluabis domine.* tum nominat filios hominum, quasi rem peculiarem. *Illi homines gaudent cum iumentis in re, filij autem hominum gaudent in spe. illi præsentia bona sectantur cum iumentis, isti futura bona sperant cum Angelis.* Egregiè dictum. vides, nos etiam inter bruta viuendo, si ad cœlestia spectemus, non tam brutorum socios, quã Angelorum esse dicendos. & nota quãtum discrimen inter mundanos, & iustos sit: illi brutorum more, hi Angelico viuunt. rectè autem vocat, *dulcissimam sententiam,* hoc est amoris plenam, esse sub Dei protectione, vt aquila protegit pullos suos. Sic Ignatium Christus solatus: Ego, inquit, vobis Romæ propitius ero.

Dulcissima res esse sub Dei protectione.

4 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ,) Nescio quid nobis magnum promittit; vult illud dicere, at non dicit. non potest ad id, ani-*

Martyrũ & religioſorum diuina quædam ebrietas ſpiritalis.

animus non capit. cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit diuina. Calix, inquit, meus inebrians quàm præclarus eſt. hoc calice inebriati erant Martyres, cum ad paſſionem euntes, ſuos non agnoſcebant. quid tam ebrium, quàm non agnoſcere vxorem, non patrem, non filios, non parentes? ebriierant, acceperãt calicem, de quo dicitur, Calicem ſalutaris accipiam. Vides hęc ad religioſos quoque pertinere, nam & religio genus martyrij eſt, & cum addat, nomen domini innocabo, Societati Ieſu maximè congruere videtur, nẽpè mortificationi sẽper addictæ. hunc tu calicem ſanè præclarum lõgè præfer illi poculo Homerico, quod nepentes vocatũ, nã obliuionem inducit omnium malorum, immo ipſius Mundi; rectè igitur ineffabile hoc gaudiũ eſſe oſtendit, cuius fruitione, perit quodammodo humana mens, & fit diuina. quid præclarius, aut beatius?

Dei miſericordia torrenti cõparata.

5 *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.)* Torrens, aqua eſt cum impetu currens. impetus erit miſericordia Dei ad inebriandos eos, qui ſperant in ſe: nunc qui intra habet ſpem, inebriatus habebit rem. mox addit, & vnde currit tantus torrens voluptatis? quoniam, inquit, apud te eſt fons vitæ. ſcilicet Chriſtus: quod eſt fons, hoc & lumen. Vides vberem Dei miſericordiam cum impetu torrentis inſtar ferri? tollit obſtacula ſalutis, & vt rapidus torrens quicquid eſt obuium rapit, ita illa quantumuis impios ſecum trahit, cum impetu rapit, nec tamen libertatem eripit. in altera item vita idem miſericordiæ torrens incredibile quantum in beatos inundabit, vnde illud: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. contra de punitione dicitur: *ſtillabit furor meus ſuper locum iſtum:* quia videlicet punitio citra condignum, remuneratio autem vltra.

2. paral. 34

Dei voluntas non eſt detorquenda ad noſtrã

6 *Prætende miſericordiam tuam, & iuſtitiam rectis corde.)* cũ ſanus es, dulcis eſt tibi voluntas Dei; cum ægrotas, amara. non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, ſed Dei vis curuare ad tuam. illa recta eſt, ſed tu curuus es, &c. idem referre potes ad obedientiam erga prælatum, qui interpres eſt diuinæ voluntatis. nec enim detorquenda eſt, & quaſi curuanda illius voluntas ad tuam. rectè hoc præcipit noſter Ignatius.

6 *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me.)* Cum cœperit quis ex fonte vberius irrigari, caueat ne ſuperbiat. venit Adæ pes ſuperbiæ, & mouit illum manus peccatoris, ideſt diaboli. nota, nam facile eſt manu deiicere eũ, qui vno pede nititur. ideò ſequitur, *ibi ceciderũt, &c. Vbi? ibi ceciderunt, in pede ſuperbiæ. pedem, affectum dixit.* mox addit: *ſemper obſeruat calcaneum quando veniat pes ſuperbiæ, quando labaris; ſed tu caput eius obſerua, nam initium omnis peccati ſuperbia.* Vides ſuperbiam vno pede incedere; clauda igitur eſt; nec enim aſſequi poteſt quod cupit. & ſicut Vulcanus claudus, qui ob turpitudinẽ dicitur fuiſſe de cœlo deiectus, ità & ſuperbia, vt factum eſt in malis Angelis; aptè enim ſubiungit, *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* Tum ſic: *Ille humilis, qui ſe dicebat indignum ſoluere corrigiam calceamenti, non eſt expulſus, ſed ſtat, & audit, & gaudet propter vocem ſponſi, non propter ſuam.* Vides Ioannem Lucifero oppoſitum. & nota, etiam ſi Ioannes ipſe vox dicatur, ob humilitatem tamen, quaſi ſui oblitus, *gaudet ad vocem ſponſi*, non ad ſuam.

Superbia vno pede incedit vtpote clauda.

Ex pſalmo XXXVI.

1 *NOli æmulari in malignantibus, &c. ſpera in domino.* Non eſt in ſe cõfidendum: *nam Petrus quas vires haberet fides ſua neſciebat, quando dixit domino: Tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire. at dominus, qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænuncians illi infirmitatem eius, tanquam tacta vena cordis eius.* pulchrè ait, Chriſtum vt peritiſſimum medicum ſe exhibere, & remedia apta proferre, tangendo venas cordis. ſæpè febris eſt in nobis alicuius deſiderij terreni noxia, quam non aduertimus, ſæpè infirmiores ſumus quàm putamus. hinc facit quod addit. *Omnis morbus animæ habet in ſcripturis medicum ſuum. quid niſi mali florent, boni laborant? qui ſic ægrotant, bibant potionem pſalmi huius.* vides pſalmi verba ſalubre poculum eſſe ęgreſcẽtis animæ.

Chriſtus vt peritus medicus tangit venas cordis in morbo ſuperbiæ.

2 *Neque zelaueris facientes iniquitatẽ.) Nunc tempus hiemis eſt; veniet æſtas, ideſt iudicij dies: tunc areſcet viror fœni; tunc apparebit arboris gloria, ſi radix alta eſt charitatis tuæ, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Nota cur æſtati iudicium comparet Chriſtus, exemplo arborum vireſcentium, *ſcitis quia propè eſt æſtas.* quia tunc *apparebit arboris gloria.* hoc eſt fructus bonorum operum. & quàm altè defixa, & vtrum emortua, an humore affluens radix charitatis; iuxta illud Apoſtoli, *in charitate radicati.*

Fructus bonorum operum quaſi arboris gloria.

3 *Dabit tibi petitiones cordis tui.) ſignanter dixit, cordis: diſcerne petitionem cordis, & carnis. Deus cordis mei, inquit.* acutè expendit, cur additum ſit, *cordis.* & egregiè interpretatur. petitio, inquit, carnis eſt, velle ſibi præparari oculos ad videndum hanc lucem; petitio cordis ad videndum Deum. & rectè petitio cordis dicitur, quia cum omni affectu beatifica viſio petenda eſt.

Petitio cordis eſt viſio beatifica.

4 *Educet ſicut lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem) Nempè tunc apparebit rectum fuiſſe iudicium tuum, quo iudicaſti Chriſtum ſequi. in iſto ſæculo qua*

ſi

In iudicio apparebit quã præclarum fuerit sæculum relinquere, secus quàm mundani putant.

si nox est; nunc reprehenditur iudicium tuum, & irridetur; quid credidisti? quid tibi promisit Christus? &c. nota est hoc contra mundanos irrisores religiosorum præsertim nobilium, qui sæculari fastu, & opibus relictis Christum sequi aggrediuntur. sic Thomam Aquinatem irridebant, & Aloysium nostrum. sed audi irrisores ipsos fatentes tenebras suas, licet insipientes, in iudicio certè rectè concludent, & quidem dialecticè. *ergo errauimus à via veritatis, et Sol iustitiæ nõ illuxit nobis. nos insensati vitam illorum æstimabimus insaniam, &c.* nota verò quàm apparebit præclarum, & splendidum iudicium, & consilium eorum, qui spreto mundi fastu obscurè latere maluerunt: *educet sicut lumen iudicium tuum, & iustitiam tuam tanquam meridiem*: coram Angelis, ac toto orbis terræ theatro comprobabitur.

Christus instrumẽta pœnarum suarũ sic honorauit multo magis Martyres

5 *Confirmat autem iustos dominus.) Breuis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua. quantumcumque patiaris, non peruenies ad flagella, ad crucem Christi. sed à locis suppliciorum fecit transitũ ad frontes Imperatorum. qui tantum honoris dedit pœnis suis, quid seruat fidelibus suis?* pulchrè dictum. si Christus ipsa opprobria sua sic honorauit, & instrumenta pœnarũ, & crucem, quam fixit in Cæsarum diademate: quantò magis honorabit amicos suos, præsertim Martyres? Deinde addit. *Debemus optare, vt etiam illi, per quos flagellamur, conuertantur per flagella. de Saulo flagellum fecit, vt suos erudiret; sed postea conuertit & Saulum. itaque cum Ananias diceret: Audiui de viro hoc quantas persecutiones, &c. contra ait dominus: ego ostendã illi, quanta oporteat pro nomine meo pati; idest reddam illi, vindicabo me de illo; patietur pro nomine meo, qui sæuit in nomen meum. nouimus quanta sustinuerit Paulus, multò plura quàm fecerat. quasi auarus exactor, cum vsuris accepit quod dederat. gloriamur, inquit, in tribulationibus, & quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? &c. quomodo barebat qui talibus rebus non separatur? præterea Agabus zona alligans se, ostendit idem futurum de Paulo: amici reuocabant à Hierusalem, ille ait: impendar pro animabus vestris.* nota quam vindictã capiat Deus; nam sæpè lictores ipsi, & iudices Martyrũ conuersi, martyrio nobiliore coronati sunt. & S. Petrus martyr è Dominicana familia hanc vltionem de sicario sumpsit, vt conuerteretur ad pœnitentiam, & eundem habitum religionis sumeret.

Vindicta Dei conuersio peccatoris.

Hæreditas beatorum ineffabilis est

6 *Et hæreditas eorum in æternum erit) De hoc certè dictum est: cum apparuerit, similes ei erimus; seruatur ergo nobis nescio quod dulce spectaculum omninò. cogitari ex aliqua parte potest in ænigmate, dici tamen nullo modo: pulchritudo illius dulcedinis. illuc parantur corda nostra in laboribus paratis, sed ad magnum aliquid paratis.* præclara vox, qua ineffabilis magnitudo mercedis indicatur, non exprimitur. & pulchrè ait de apparatu cordis, qui nunc fit ad gloriam hæreditandam. vita hæc præparatio est ad æternitatem: *illuc parantur corda nostra*, hoc est. *hæreditas eorum in æternum erit.*

Hæc vita est apparatus cordis ad æternitatem.

10 *Calicem salutaris accipiã.) de hoc dixit dominus: potestis bibere calicem, quẽ ego bibiturus sum?* rectè calicem passionis appellat calicem salutis, hoc est poculum vitæ. sed antea myrrha vitale nobis pharmacum fuit. cum tàm acerbè mortem obibat in cruce, tunc maximè vita appellatur: *erit vita tua pendens ante te*; de Christo intelligit.

Passio amara Christi potio vitalis.

11 *Fœneratur peccator, & non soluet.) hoc est accipit, & non reddit. accepit homo corpus, sensus, immò mentem; sed non benè viuendo, non reddit, immò rependit mala pro bonis.* Vides quo vinculo obstricti teneamur Deo. totum quod sumus, iure suo repetit, & reddere recusamus.

Peccator male Deo fœneratur debita nõ soluens.

12 *Iustus miseretur, & tribuet.) Quid si pauper est? etiam sic diues est. tu respicis arcam inanem, non conscientiam Deo plenam.* præstat iustus id quod habet, hortando, orando, &c. *habet semper vndè det, cui plenum est pectus charitatis, intus inest voluntas bona, thesaurus pauperum, ad quem thesaurum latro non admittitur.* pulchrè dictum: *voluntas bona thesaurus pauperum.* non parum dat qui nihil habens orat pro paupere, monet, &c.

Bona voluntas thesaurus pauperum.

13 *Et viam eius volet) per dura Christus ambulauit, sed magna promisit. tribulationes nostræ, & si mille annorum essent, appende mille annos contra æternitatem, quid appendis cum infinito, quantumcunque finitum? qui laborant in militia, & versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à iuuentute, exeunt senes, vt habeant paucos dies quietos senectutis, cum eos ipsa ætas incipit grauare, quos bella non grauant*, ad religiosos hoc maximè pertinet, qui sequuntur Christum, hoc est, *viam eius volunt*; arduam, sed quæ ducit ad vitam. magnus stimulus est tam grauis, & tam diuturnus militum labor pro Mundo susceptus inaniter.

Grauis Mũdi militia religiosorum desidiam arguit.

14 *Benedicentes eum possidebunt terram.) Ipse est qui Spiritu sancto ditauit corda pauperum, qui pauper fuit, qui potuit facere diuitem piscatorem, qui infima Mũdi elegit, vt confundat fortia; & non de oratore piscatorem, sed de piscatore lucratus est oratorem. de piscatore lucratus est senatorem, de piscatore lucratus est Imperatorem.* eleganter dictum; vide cui suos thesauros profundat largiter Spiritus sanctus, dita-

S Spiritus mira efficacia.

ditauit corda pauperum. cordi largitio fit, hoc est amãti. rectè etiam miram eius efficacitatem ostẽdit, cum in piscatoris Petri retia non purpuras maris iniecerit, sed purpuratos Senatores, & Cæsares.

Os aureũ est quod de Deo loquitur item sumens Eucharistiã.

11 *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*) *panis est verbum Dei, de quo dixit Christus: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. quando audis, aut legis, manducas; quando inde cogitas, ruminas, vt sis animal mundum: de hoc dicit sapientia per Salomonem: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; stultus autem glutit illum, id est non ruminat, oblitus est quod audiuit*. Vides quàm pretiosus sit sermo de diuinis: ore aureo thesaurum habes. multò magis ad panem eucharisticum refer, vbi is sumitur, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei*. sed ruminandus est attenta consideratione.

Concionatori nõ tam attẽdenda verba quàm fructus.

12 *Tota die miseretur, & fœneratur.*) *Planius dicitur, fœnerat: quid ad nos, quid grammatici velint? melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quàm in nostra disertitudine vos deserti eritis.* lepidè per alliterationem ostendit, rem ipsam attendendam magis esse, quàm verba: quid enim prodest, prædicatorem esse disertum verbis, si auditor remanet desertus à Verbo Dei, hoc est à Christo, sine compunctione, & fructu? Deinde sententiam exponit: *Attende quid facit fœnerator: minus vult dare, & plus accipere: sic fac & tu; da pauca, accipe magna. vide quàm latè crescat fœnus tuum; da temporalia, accipe æterna. da terram, accipe cœlum.* & mox; *terrena dedisti, quod periturum erat in terra, seruatum est in cœlo, factus est thesaurus tuus meritum tuum.* eleganter dictum de lucro, quod fit commutando terrena cœlestibus.

Deus cũ Martyrẽ non eripit à pœnis, adest cum coronis.

13 *Quia Deus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos.*) *Deus visibiliter non dereliquit tres pueros in fornace; inuisibiliter non dereliquit Machabæos: illis dedit vitam temporalem ad confundendos infideles, hos coronauit ad iudicandam impietatem persecutorum.* rectè notat: licet Deus non sit visus in medio Machabæorũ inter supplicia, vt inter tres pueros; tamen inuisibiliter adfuit cũ coronis. horũ sæua mors hostem declarauit impium; illorum vita perfidum. huc spectat quod sequitur.

Tribunal duplex Cæsaris, & Dei Martyri propositũ

14 *Nec damnabit, cum iudicabitur illi.*) *Nam etsi dixit sententiam proconsul in Cyprianum: aliud est sella terrena, aliud tribunal cœlorum. ab inferiore accepit sententiam, à superiore coronam.*) pulchrè dictum de Martyribus cum condennabantur. nota duplex tribunal, eiusque discrimen: alterum crudele, sed vile; alterũ sublime simul, & pium.

15 *Sicut fumus, deficiant.*) *Erigitur in altum fumus, & in globum tumidum pergit: quantò magis erigitur, tantò magis intumescit; sed cum transierit, attende: post tè enim fumus est, ante te Deus.* breuis, sed præclara vox de inani fastu Mundi. sequitur: *Transiui, & ecce non erat. quid est transiui? profeci, perueni ad spiritualia, intraui in sanctuarium Dei, vt intenderem nouissima, & ecce non erat.* Nota in quo consistat profectus in spiritu: cum scilicet huius Mundi vanitas penitùs agnoscitur; hæc autem cognitio per orationem habetur, quam significat ingressus in sanctuarium.

Spiritus profectus consistit in agnoscenda Mundi vanitate.

16 *Custodi innocentiam.*) *Quomodo tenebas sacculum, ne extorqueatur à fure, ità innocentiam custodi, ne extorqueatur tibi à Diabolo. sit illa certum patrimonium tuum. quid tibi prodest auri lucrum, & innocentiæ damnum?* hic tu admirare, & cõmenda Thomam Aquinatem, & alios, qui custodierunt innocentiã baptismi. & quia nonnulli Augustinum ob transactam vitã criminosam taxabant, ait: *Vituperas mala mea præterita; quid magnum facis? sæuior sum ego in malo meo, quàm tu. quod tu vituperas, ego damnaui. male vixi, confiteor; & quantum gaudeo de gratia Dei, tantum de meis præteritis timeo.* mira humilitas: non modò non ægrè fert se taxari, sed ait sæuiorem se ipsum esse iudicem, quàm alij sint, contra se. & vide metum de præteritis erratis post tantam pœnitentiam, & confessionem in suis libris toti Orbi publicatam. illa verò quàm humiliter, & ingenuè dicta? *Sunt adhuc quæ in me reprehendant, sed tamen est ad illos, vt hoc nouerint; multa enim egi in cogitationibus meis, pugnãs aduersus malas suggestiones, & habens conflictum tam diuturnum, & propè continuã vim cum sensibus. gemo ad Deum, & nouit quid parturit cor meum, ille qui nouit partum meum.* nota de conflictu carnis, & spiritus etiam in sanctis; quasi parturientis dolores dicit, hoc est acerbissimos; quò admirabilior Aloysius noster fuit adolescens, qui hos bellicos motus vix vnquam sensit.

Augustinus acrior suorũ peccatorũ vindex quam quilibet calumniator

Pugna carnis. & spiritus vel in sanctis atrox

Ex psalmo XXXVII.

1 T*Itulus est: Pro recordatione sabbati.*) *est hic quidam gemens, lugens, recordans sabbatum, id est requiem.* Vide quid spectare debeant lacrymæ, dolor, ac luctus: & quò aspirandum cum gemitu sit ad requiem sempiternam. Tum psalmum aggreditur. *Domine ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me, &c.*) *id est ne sim ex ijs, quibus dicturus est: Ite in ignem æternum; neque in ira tua emendes me: vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salui erunt, sic*

Suspirandum continuè ad futuram requiem.

tamen quasi per ignem. quare? nisi quia, vt ait Apostolus, ædificant super fundamentum ligna, fœnum, stipulã? si ædificarent autem aurum argentum, lapides pretiosos, de vtroque igni securi essent, non solùm de illo æterno, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt; dicitur enim: ipse saluus erit, sic tamen, quasi per ignem. & quia dicitur: saluus erit: contemnitur ille ignis, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest cogitari in hac vita, & nostis quanta hic passi sunt mali, & passim patiantur. insignis hic locus est de igne purgatorij. vbi nota leuia peccata esse, vt fœnum, &c. quæ acerbissimo igni purganti, non contemnendo, licet non æterno addicenda sũt. vide igitur quàm conandum sit, vt hìc purgemur, ne illo igne cruciemur, & quantum possumus leuia ipsa peccata fugiamus, nec fœnum superædificemus, sed aurum, argentum, & lapides pretiosos; huiusmodi ædifidium tam insigne construxerat noster Aloysius, vel cum aurum, & cetera tẽporalia posthabuit; ac proinde moriens sperare se aiebat, rectà in cœlum iturum immunem purgatorij ignis. accipitris inter aues proprium esse dicunt recto cursu & volatu in cœlum ferri; de quo Iob: *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* terror hic est charitatis.

Qui sint qui rectà in cœlum tendunt sine igni purgatorii.

2 *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt, nõ est sanitas in carne mea.) hinc scilicet illud Apostoli: Ingemiscimus in nobismetipsis, expectantes redemptionem corporis nostri. Quid? nondum redemptus es Paule? nonne pretium persolutum? nonnè sanguis ille tam fusus? sed ait: spe salui facti sumus.* acutè obiicit, cur iam redemptus dicat se redemptionem expectare? sed nimirum adhuc corpori opus est cibo ne moriatur, ac ceteris necessitatibus obnoxij sumus. *vnde ergo infixæ sagittæ? ipsam pœnam; & fortè dolores, quos hic patimur, & corporis, & animæ, dixit sagittas, quas & Iob sibi infixas dixit.* Vide, vt hic mortales saucij simus inter tela, & tamen adhuc nostra amamus vulnera; & in acie positi, velut inter hortẽses delicias nos versari putamus. Addit: *solemus & verba Dei sagittas accipere, sed ista excitant amorem, & nõ dolorem, nã & amor non potest esse sine dolore, vnde illud sponsæ: Vulnerata charitate ego sum, qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem non poterit peruenire quæ est ista sanitas? immortalitas.* pulchrè hoc ad Teresiam virginem refer, quæ amoris iaculo ab Angelo transfixa est. sed ex eo vulnere sanitas, & immortalitas fluxit.

Necessitates huius vitæ sagittæ sunt.

Diuinus amor sagittarius ad salutẽ.

3 *Sicut fascis grauis grauatæ sunt.) fascis peccatorum tuorum replicabitur super caput tuum, & curuaberis* sic legit. vbi nota, peccatorem ex varijs peccatis quasi sarmentis sibi fascem facere, eumque secum in infernum deferre, vt fomitem ignis. interim graui pondere curuus incedit, nec cœlum respicere potest. sic Cain dicitur. *Quare concidit vultus tuus?* fasces etiam puto dici peccata, quia ipsa in virgas, & flagella uertuntur, quibus cæditur conscientia, & quibus peccator vapulat lictore diabolo: ad hunc enim vsus lictores fasces ferebant cum securibus.

Peccator curuus incedit sub fasce peccatorum

4 *Anima mea impleta est illusionibus.) Quanta sunt, vix dici potest: vix orare permittimur; imagines sæpè irruunt, quas non quærimus, &c.* nota de distractionibus in orando, quod maximè dolendum est viro iusto. sic illudimur à dæmonibus, & ludibrio ipsis sumus, dum nihil veriti Dei præsentiam, in humanis rebus vaga mente colludimus.

Distractio in oratione illusio est diaboli.

5 *Infirmatus, & humiliatus sum nimis.) Qui recordatur altitudinem quietis, hoc est sabbati, qui in titulo est huius psalmi, ipse videt quantum sit humilitatus. propterea alius psalmus dicit: Ego dixi in ecstasi mea, proiectus sum, &c. assumpta mente vidit nescio quid sublime, & nõdum ibi totus erat, & vidit quandam, si dici potest, coruscationem factam luminis æterni, vbi sensit, non se ibi esse. vidit vbi esset, & quemadmodum malis humanis coarctatus esset. ibi erat qui dixit: assumptus sum vsque ad tertium Cœlum, &c. sed reuocatus est ad nos, vt gemeret, prius perficiendus in infirmitate, animatus tamen, quia vidit aliquid.* Nota quæ sit vera, & præclara ecstasis iusti, cum scilicet extra se rapitur contemplans æterna, & tamen in hac vita cum sit, cogitur gemens humana sustinere. pulchrè vocat ecstasim, *coruscationem luminis æterni.* hæc inter ceteros Ignatio familiaris fuit, vnde & vultus ei coruscare solitus.

Ecstasis iusti contemplatio æternitatis cũ gemitu mortalitatis.

6 *Rugiebam à gemitu cordis mei.) Gemitum carnis audimus; alius amisit filium, alij grando vineam læsit, &c. at seruus Dei, qui ex recordatione sabbati rugit, vbi est regnum Dei, à gemitu cordis rugit.* rectè distinguit duplicem gemitum, carnis, & cordis: illo mundani pro temporalibus, hoc iusti pro æternis suspirant, & flent. quàm indignum est lacrymas quasi margaritas in terram abiicere, immò in lusum huius seculi?

Lacrymæ non pro temporalibus rebus sed pro æternis fundendæ.

7 *Ante te omne desiderium meum.) Omne, inquit, desiderium. quicquid agit, si desideres illud sabbatum, nõ intermittis orare: si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. tacebis, si amare destiteris. frigus charitatis silentium cordis. flagrantia charitatis, clamor cordis est.* pulchrè dictum, perpetuum esse debere desiderium æternorum, atque hoc esse sine intermissione orare; non oras? in summa hiemè es,

&

& congelascit frigore vox tua, quod de populis quidem hyperboreis fingũt, apud quos voces ipsæ glaciari dicuntur, nec nisi æstate solutæ audiri. rectè igitur ait: *frigus charitatis, silentium cordis.*

Cur Adã se sub vmbra abscõderit.

8 *Lumen oculorum meorum non est mecum.) Adamo lumen oculorum Deus erat; quẽ cum offendisset, abscondit se, & fugit ad vmbram arborum.* acutè notat, Adamum lumine iam priuatum diuinæ dilectionis, quo illustrabatur, & inardescebat, vmbram quæsisse, & sub ea latuisse. preclarè dictum. *Adamo lumen oculorum Deus erat.* sic de cælesti Hierusalem. *ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus.*

Dolor de peccato ex charitate potius quàm ex metu.

9 *Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio, & curam geram pro peccato meo.) ecce vnde dolor, non de flagello, quod medicina est, sed de vulnere, quod peccatum est. quid est autem curam gerere de vulnere? vt sanetur; ecce plangis peccata tua. sed fortè lacrymæ currunt, & manus cessant. redime peccata; gaudeãt indigentes de dato tuo, & tu gaudeas de dato Dei.* rectè monet, dolorem procedere debere ex offensa Dei potius quàm ex metu supplicii. & vide quàm sedulò, ac seriò sit de peccato cura gerenda, quasi de vulnere, inquit. statim igitur, & sollicitè medendum. fasciæ, & malagmata sunt bona opera. in vulnere frustra adhibentur oculi flendo, vidẽdo locum, nisi adhibeatur manus ad curam. id per eleemosinam in primis fit, vbi duplex gaudium, & tuum de dono Dei, & pauperis de dono tuo; nam & tu mendicus es Dei.

Ex psalmo XXXVIII.

Affectus sunt nobis pro pennis, & scalis, & pedibus.

1 T*Itulus est: pro Idithum; canticum ipsi Dauid.) Idithum interpretatur, trãsiliens eos, id est in rebus transeuntibus spem ponentes, ipse transiliit. quò refertur, & canticum graduum est autem hæc ascensio, & ista transilitio non pedibus, non scalis, non pennis; & tamen si interiorem hominem attendas, & pedibus, & scalis & pennis; hi autem affectus sunt; his ambulamus, his ascendimus, his volamus; temporalium rerum volatici affectus sũt; transiliat ergo ista omnia, quibus teneri possitis à terra; erigat scalas suas; exerat pennas suas, vt ille qui ait. Quis dabit mihi pennas columbæ, & volabo?* pulchrè vocat affectus & pedes, & scalas, & pennas. transilire igitur debemus affectibus nostris humana omnia, vt ad Deum quàm altissimè perueniamus.

Mira linguæ custodia in Dauid etiam cum to in bonis.

2 *Obsurdui, & silui à bonis.) Dum nimis timeo ne loquar aliqua mala, tacui omnia bona. & quoniam statui tacere, cœpi non audire. Sequitur, & dolor meus renouatus est, hoc est à dolore quidem, quem calumniatores mihi inflixerant, requieueram in silentio; sed vbi silui etiã à bonis, renouatus est dolor meus, & in meditatione mea exarsit ignis; videbam enim insensatos, & non arguebam, & me sic tacentem zelus domus tuæ comedebat.* rectè ait, licet silere debeamus ad offensas nobis illatas, at non ad illatas Deo, sed loqui quod expedit. sic ait Esaias Dei maiestate visa, quam ceteri paruipẽdunt, *væ mihi quia tacui.* nota autem incredibile prophetæ studium in custodia linguæ, qui, ne illa erumperet in verba indecentia, omninò silere statuerat etiam à bonis, nisi quod zeli ardorem intra se continens efferuescebat.

Dauid æternitatẽ affectabat nõ tẽpus huius vitæ.

3 *Vt sciam numerum dierum meorum quis est.) Non istum, qui non est, & quod me difficilius, & periculosius perturbat, & est, & non est; neque enim possumus dicere esse quod non stat, nec non esse quod venit, & transit. est illud simplex quæro, est verum quæro. quod est in illa Hierusalem sponsa domini &c.* rectè notat, Dauid non locutum de numero dierum huius vitæ, *quis est.* nam tempus ita fluit rapidè, vt nunquam quasi de permanente possis proprie dicere. est. æternitas propriè est, quia eadem semper est, idest Deus, *ego sum, qui sum.* huc refer quod sequitur: *ecce veteres posuisti dies meos.* sic legit, vbi nos, mensurabiles, *hi dies veterascunt. ego nouos volo, qui nunquam veterascunt.* ideò innouati sumus à Christo, habemus testamentum nouum, & cantamus canticum nouum. referri hoc potest ad renouationem spiritus. & nota quod esse debeat nostrum votum æternitas.

Indignũ est ad imaginẽ Dii factos perturbari in terrenis.

4 *Quanquam in imagine ambulat homo, tamen vanè conturbatur.) Magnum aliquid est hæc imago, de qua dictum est. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. conturbatur tamen vanè. vbi est ista vanitas? thesaurizat, & ignorat cui congreget; ò insana vanitas, seruas filijs incertum an futuris, an possessuris.* rectè arguit, quod tantum curæ, ac sollicitudinis ponamus in vanis rebus huius seculi, immemores dignitatis nostræ ob præclaram Dei in nobis imaginem. Addo, thesaurum esse in ipsa velut aurea imagine Dei, quam alibi tanquam signaculum in anima, velut pecuniæ dixit; quid est quod vanè thesauros quæras humi defossos, cum thesauros intra te habeas?

Parati esse bebemus mori ad nutum Dei.

5 *Inquilinus sum apud te.) Ne succenseas ei, quia cum vult, dicit, migra; non enim tibi cautionem fecit, & se obstrinxit, vt conductor domus, accessisti certa pensione ad certum tempus, sed quando vult dominus eius, migraturus es.* Vide quàm promptè Deo vocante hinc migrare debeamus, cũ ius, & dominium habitationis non nostrũ, [illegible] ipsius sit.

Remitte

Æternitas propriè esse dicenda est quia stabilis, et permanẽs.

6 *Remitte mihi, vt refrigerer, & amplius non ero.*) comparatione scilicet facta æternorum: *Attendebat in comparatione illorum, omnia, quæ infra se sunt, non esse; illa enim permanent, hæc mutabilia sunt. respexit in beatam illam regionem, vbi participes sunt vitæ sempiternæ, & timuit extra ire, vbi non est esse; ibi desiderat esse, vbi est summum esse.* pulchrè ad æternitatem accendit animũ, & à temporalibus, quasi non sint, auocat.

Ex psalmo XXXIX.

Concupiscentia lacus est, & lutum fęcis.

1 EDuxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.) *Lacus, lutum concupiscentiæ carnales sunt.* hinc collige quàm aptè S. Ignatius noster se in gelidum lacum iniecerit, vt iuuenis cuiusdam concupiscentiã extingueret, vt sic educeret eum ex vero lacu miseriæ, & luto fæcis; quæ est concupiscentia. non solùm lutum vocat, sed lutum fæcis. quid vilius, & inquinatius?

Dei vbera per instantem orationẽ auidè pulsanda agnorum more.

2 *Sustinens sustinui dominum.*) *Sustineamus dominum, qui promissa non aufert, sed differt. esto pius exactor, exige misericordiam. nõne vides teneros agnos capitibus pulsare vbera matrum, vt lacte satientur?* Vide, quàm instanter, & piè sit Deus orandus. pulsanda quodammodo sunt vbera diuinæ clementiæ, sed agnorum innocentium more. auiditas quædam in anima requiritur ad suauissimi illius lactis alimoniam.

3 *Multa fecisti mirabilia tua.*) Ostendit quænam hæc sint: *Aurigam laudas regentem quatuor equos, & sine lapsu, & offensione currentes. fortè talia miracula spiritualia non fecit dominus? regat cupiditates, motus regat, habenas teneat, & non rapiatur, aurigam laudabat; clamabat, vt auriga veste cooperiretur, immortalitate vestiretur. hæc munera, hæc spectacula dedit Deus. clamat de cælo: specto vos, luctamini, adiuuabo, vincite, coronabo.* eleganter, ac pulchrè alludit ad factiones aurigarum, & plausus, & munera victori data. auriga est qui cupiditates regit: quadriga quatuor affectiones sũt Deus autem agonotheta incitat ad cursum virtutis, ac perfectionis, præmia proponendo. adsunt ad spectaculum cœlestes spiritus &c. talis auriga erat Aloysius noster, cum se generosi equis instar calcari ad latus admoto vrgebat. Tum pergit ad cetera genera spectaculorum. *Specta histrionem; didicit magno studio in fune ambulare nunquid fecit in mari ambulare? obliuiscere theatrum tuum, attende Petrum nostrum, non in fune ambulantẽm, sed in mari; ambula & tu in huius sæculi mari, hoc mare calca, ne mergaris. spectare vis? esto potius spectaculum, vt ait Apostolus, Deo, Angelis, & hominibus.* monet tamen id non sine Dei ope fieri; nam ait Petrus, *Iube me venire ad te super aquas. hæc mirabilia fecit dominus, ipsa intuere. oculus spectantis fides est. in tali petra ambulandum est, quæ in mari mersa non est.* pulchrè funambulorum spectaculo suspensè incedentium præponit Petrum tranantem fluctus pede.

Quisque auriga est suarum passionũ.

Spectaculum Deo gratum exhibere debemus de nobis.

Veri Christiani tã pauci sũt vt numerari possint.

4 *Annunciaui, multiplicati sunt super numerum.*) *At numerus pertinens ad cælestem Hierusalem certus est: nouit enim dominus, qui sunt eius, Christianos fideles, & præcepta seruantes. sunt & supra numerũ, quantis turbis implentur Ecclesiæ? premũt, vrgent se, rursus ab ijs ipsis, si munus est, currunt ad amphitheatrum; hi supra numerum sunt.* acutè adnotat illud, *super numerum.* falsi penè innumeri; veri autem tam pauci, vt non sit difficile numerare. Tum ostendit quantò digniora spectacula proponat fides: *In spectaculis vnus accipit brauium, vt ait Apostolus, ceteri victi discedunt; hic quot quot currant, perseuerantes currant, omnes accipiunt: & qui peior venerat, expectat vt cum posteriore coronetur. agonem enim iusti non cupiditas, sed charitas facit: omnes currentes amant se, & ipse amor cursus est.* pulchrè dictum de Christiano agone, in quo non inuidentia, sed amor locum habet, quia vnus non eripit alteri coronam. pende illud, *ipse amor cursus est.*

In agone Christiano amor ipse cursus est.

5 *Sacrificium noluisti, corpus autem perfecisti mihi.*) *Sacrificia illa tanquam verba promissiua ablata sunt. datum iam corpus est; corpus, inquit, perfecisti. perfectio promissorum abstulit verba promittentia. perfectum est nobis corpus, perficiamur in corpore; nam qui mãducat et bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* addo quod alii legunt, *Corpus autem perforasti mihi*; nam in Eucharistiæ sacramento memoria est dominicę passionis, & vulnerum. Tum alludens ad necem Abel ait. *Terra, quæ ore excepit sanguinem, Ecclesia est; Vox sanguinis clamat ad mè de terra, sed surdus est qui sanguinem fudit, quia non viuit.* de obstinatione Iudeorum intelligit, & addit: *Iudæi in vmbra remanserunt; Solem gloriæ ferre non possunt: nos in luce sumus, tenemus corpus Christi, tenemus sanguinem eius.* rectè, quid igitur mirum si Solem iustitiæ ferre non possint, qui olim, nec Mosis lucem instar Lunæ corniculatæ ferre potuerunt? nos in Solis luce versamur ob splendorem miraculorum, & ob illustrationes diuinas, quæ in Eucharistia maximè habentur; quare dicitur, *Accedite ad eum, & illuminamini.* quod ipse supra ad hoc sacramentum retulit.

Eucharisticum sacrificium Christi vulnerum recognitio est.

Iudæi in vmbra nos in Sole sumus præsertim ob Eucharistiã.

6 *In Ecclesia magna.*) *Quàm magna toto Orbe terrarum? quam magna in omnibus gentibus?* id nunc vt cum maximè verum esse, testis est recens editus quasi alter terrarum Orbis fidei additus per

Ecclesiæ mira propagatio.

Apoſtolicos viros, in primis Oriens per Xauerium.

Latronis fides exaggeratur.

7 *Ecce labia mea non prohibebo.*) pulchrè ad latronem refert: *Alii non cognouerunt miracula facientem, agnouit ille in ligno pendentem; erat confixus omnibus membris, manus clauis inhærebant, & pedes, corpus ligno: lingua tantùm vacabat, & cor: corde credidit, ore confeſſus eſt; credidit, propter quod locutus eſt, & dicitur ei. Hodie mecum eris in paradiſo. paradiſus habet ligna felicia, hodie mecum in ligno crucis.* rectè fidem admiratur. totum latronis corpus impeditum erat in cruce, ſolùm vacabat cor, & lingua: hæc duo impendit in Chriſti confeſſionem, & ſui accuſationẽ: ne reputa funeſtã arborẽ crucis, ſed fœlicem arborẽ paradiſi. Tum trãſit ad Martyrum confeſſionem, & gloriam: *Mortes, in quas pagani ſæuierunt, in illis hodie reficimur. natalem Martyrum celebramus, exempla proponimus, attendimus fidem; iaculabantur in ora interrogantium ſe ſagittas Dei, & multos vulnerauerunt ad ſalutem. hæc ſunt ſpectacula Chriſtiana, hæc videt deſuper Deus, ad hæc hortatur, adiuuat, prẽmia proponit, & donat.* pulchrè dictum de nouo genere vindictæ Martyrum; nam eos, à quibus ſagittis, ac ferro configebantur, ipſi ſalutaribus, ac vitalibus telis verbi Dei configebant, adeò, vt ſæpè lictores ipſi, & iudices conuerterentur ad Chriſti fidem.

Martyrũ vindicta conuerſio perſecutorum.

Simeon Chriſto in manibus accepto iuueneſcit.

8 *Salutare tuum dixi.*) Sic appellauit *Simeon: viderunt, inquit, oculi mei ſalutare tuum. Agnouit infantem in manibus matris, ſine ex factus in puero puer, innouatus fide.* nota vbi primùm agnouit Deum, *In manibus matris.* neſcio quid inde diuinum ſpirauit, & innouatus eſt quaſi iuuenili vigore recepto

Duces noſtri itineris Amor & Timor

9 *Miſericordia, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.*) *Attendo quàm bonus es, attendo quàm iuſtus es: amo bonũ, timeo iuſtũ: amor, & timor perducũt me.* Vide quos duces, & comites habere à lateribus debeamus viẽ; ſed amor dexterã occupet. duo aſtra viẽ duces nautæ notant, Helicẽ, & Cynoſurã: pro his nobis ſunt Amor, & Timor.

Leuia peccata non leue damnum.

10 *Multiplicata ſunt ſuper capillos.*) *Minuta videntur peccata, ſed multa ſunt. magna præcauiſti, an non times minuta? proiecisti molem, vide ne arena obruaris.* rectè adnotat, quod Dauid etiam de iis delictis impensè doleat, quæ aſſimilantur capillis, hoc eſt leuibus, vt capilli multi ſunt, & minuti; at Ezechiel iuſſus eſt in ſtatera ponderare, & obiicere gladio capillos ſuos, mira planè vindicta: *Sume tibi gladium radentem pilos, &c. & diſperges in ventum, & gladium nudabo poſt eos.* rurſus leuia delicta arenæ comparat, ſed hæc vei tardat pedes ad iter perfectionis, vel aggregata obruit; nec ibi ædificium virtutis aſſurgere poteſt, vbi fundamentum arena eſt. leuia peccata, at non leue damnum.

Publicanus à longe ſtans vicinior Deo quã Phariſæus

11 *Excelſa à longe cognoſcit.*) *idest cognouit à longè ſe iactantem Phariſæum; ſubueniebat de proximo confitenti Publicano; iactabat ille merita ſua, & tegebat vulnera; hic offerebat ſananda; ſe agnoſcebat, vt ille ignoſceret.* acutè hæc verba Publicano accomodat, qui dicitur ob humilitatem, *à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare.* ſed hoc fiebat Deo proximus, vt contra Phariſæus procul.

Ex pſalmo XL.

Aſtrologi quidã fanatici Eccleſiæ horoſcopum fingentes certo numero annorum.

1 B*Eatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*) *idest Chriſtum: intellige, quia vbi ſibi expoſita eſt infirmitas, ibi latet diuinitas. diues Deus, pauper homo. aperi ſinum fidei ſuſcipe pauperem, ne pauper remaneas.* pulchrè referri poteſt ad Chriſtũ in præſepio, vel in cruce nudum: Tum eius perſecutores exagitat: *Adhuc dicant, quando morietur, & peribit nomen eius? Sedent pagani, & computant ſibi annos, audiunt fanaticos ſuos dicentes; aliquando Chriſtiani non erunt. adhuc dicunt: quando morietur, & peribit nomen eius? bis victi, vel tertiò ſapite. mortuus eſt Chriſtus, non periit nomen eius. mortui ſunt Martyres, multiplicata eſt magis Eccleſia.* Quid igitur fruſtra in eam inſurgitis? nempe certum numerum annorum fatalem conſtituebant hæretici quidam aſtrologi, quo duratura eſſet noſtra fides. rectè fanaticos appellat, hoc eſt inſanos, & iactabundũ caput non ſine vertigine rotantes. Idem ſic: *Occiſi ſunt Martyres; ad multiplicandam Eccleſiam valuit ſanctus ſanguis effuſus ſeminatione.* præclarè dictum: ſimile illud Tertulliani. *Sanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.*

Sanguis Martyrũ ſemen Chriſtianorum.

2 *Non tradat eum in manibus inimici eius.) idest diaboli. videt diabolus, ſe victum fama, & laudibus Chriſti, videt Martyres coronatos, & ſe triumphatum; & quia difficile decipit vituperando Chriſtum, conatur laudando decipere; antea dicebat: quem colitis? Iudæum crucifixum, qui non potuit à ſe mortem depellere; ſed vbi vidit in nomine eius currere gentes, templa ſubuerti, Idola frangi, &c. induit ſe laudibus Chriſti, & deterret. Magna, inquit, eſt lex Chriſtiana, ineffabilis, quis eam impleat?* reſpondemus, impleri poteſt, non tamen viribus proprijs, ſed gratia. Nota aſtutiam, & inuidiam diaboli, qui vt fraudem tegat, nè apertè Chriſto maledicat, eius legem vt nimis ſeueram laudando, alios ab ipſo conatur auertere. atqui

certè hoc maximè tempore videmus, *In nomine Christi currere gẽtes, templa subuerti, idola frangi*. adeò gratia facillimum facit quod factu difficillimum videbatur. pulchrè autem dicit, *Martyres coronatos laureatos, & diabolum triumphatum*. quasi triũphalem Capitolij pompam proponens.

3 *Benedictus dominus Deus Israel.) Nemo dicat, de Iudæis hoc dixit, non sum ego Israel. magis Iudæi non sunt Israel. scriptum est, Maior seruiat minori. Nobis seruiunt Iudæi; tãquam Capsarij nostri sunt; studentibus nobis codices portant; apud illos sunt prophetiæ, & lex, in quibus Christus prædicatus est. cum Pagani putant nos confinxisse illas prædicationes, proferimus codices Iudæorum, qui inimici sũt. de chartis inimici conuincitur aduersarius*. pulchrè Iudæos Capsarios vocat, & nota cur illi non extincti sunt, sed dispersi per Orbẽ; vt videlicet codices sacros ferant: testimonium verò laudis ab aduersarijs profectum, magnam vim habet ex Aristotile. huc refert dictum psalmi: *pone illos vt rotam*. id est vt per Orbem dispersi ferantur.

Iudæi tãquam capsarij per orbem dispersi cur non extincti.

4 *Non gaudebit inimicus meus super me.) Insultabant in cruce pendenti, & caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant. vident modò in nomine ipsius conuerti genus humanum. modò caput agitent, immò iam caput figant; aut si agitant caput, stupendo, & mirando agitent; nunquid fortè ille est, de quo scriptum est, sicut ouis ad immolandum ductus est, & vulneribus eius sanati sumus?* sic legit, pro liuore. eleganter dictum, & acutè illud de capitis agitatione, quia nimirum pro capite non habebant Christum in fide firmati, ideò caput motabãt. sed irrisio versa est in stuporem, dum vident eum glorificatum, & crucẽ, apud q̃ illudebant capite, affixam capiti Regum in diademate. addo, non mirum quod, *capita mouentes* in errorum vertiginẽ inciderint, iuxta illud, *miscuit in medio eius spiritum vertiginis*.

Cur Iudæi mouerent capita illudentes Christo.

Ex psalmo XLI.

1 *Titulus est, Intellectus filijs Core.) Core interpretatur Caluariæ, vbi Christus est crucifixus: ergo filij passionis, & crucis illius, filij eius sanguine redempti; ergo intellectum excitemus, & si nobis canitur, intelligamus*. meritò ad talem titulum iubet nos excitari; quo ostenditur, nos apud Crucem à Christo generatos. ideò illam nidulum suum appellauit per Iob: *In nidulo meo moriar*. porrò ad hunc titulum pulchrè referri possunt multa, quæ in hoc psalmo dicuntur. ego filios Core, idest passionis, & crucis religiosos maximè intelligo, qui dicere possunt: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. & Christo confixus sum cruci*. intellectum igitur ad hæc, quæ dicuntur excitãt, & nota intellectus dicitur Crucis pœna, quæ *gentibus stultitia*. similiter mundani de religiosi status humilitate iudicãt, quæ vera sapientia est: sed tandem mundani ipsi dicturi sunt: *Nos insensati, &c.*

Verus intellectus est Crucis passio quæ gentibus stultitia.

2 *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes, &c. sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum.) In hac siti exardescamus, ad fontem curramus. vt ceruus curre, impigrè curre, insignè velocitatis in ceruo est. serpentes idem necat, ex quo maiore siti inardescit; peremptis serpentibus ad fontes acrius currit. serpentes vitia tua sunt, auaritia in te sibilat, &c.* Vidè quàm venenatos angues nutriamus. auaritia, lites, ac iurgia sibila serpẽtis sunt. sic impura verba, &c. ceterũm si hic psalmus pertinet ad Christum passum in Caluariæ monte, cur Dauid in typo iusti se sitire dicit ad sitientem, & fortem? scilicet viuum vocat, & fortem tunc, cum infirmus videretur, & in morte. an quia sitire debemus ad eius vulnera? iuxta illud: *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris*. & hoc cum auiditate magna, *vt ceruus curre, impigrè curre*. Idem fortis est, quia passione vicit mortem, & diabolum: viuus, quia mox resurrexit. Dein de addit: *Dicuntur cerui, vel quando in agmine ambulant, vel quando natando aliò permeant, onera capitum suorum super se inuicem portare, ita vt vnus præcedat, deinde alius alij succedat oneri. hoc est illud Apostoli: Inuicem onera vestra portate. talis ergo ceruus in fide constitutus, &c.* rectè sicut, inquit, in vitia odium quasi in angues, ita è contra dilectionem inter nos seruare debemus. vtriusque rei magisterium penes ceruos est.

Ad Christi vulnera sitire, & anhelare debet in primis peccator more cerui.

Cerui inuicè onera ferentes typus mutuæ charitatis

3 *Fuerunt mihi lacrymæ panes.) Lacrymę, panes, non amaritudo, sed suaues panes erant ipsæ lacrymæ; seruata illa siti ad fontem, qua inardesco: panes mihi fiunt lacrymæ, dum differor, & vtique manducando lacrymas suas plus sitit ad fontem*. acutè notat, cur lacrymas panes, non potum potius vocet, quia per ipsas magis accenditur sitis videndi Deũ: sicut cibò sumpto sitimus. Tum vide quàm gratæ, & quàm quotidianæ, & frequentes debeant esse lacrymæ: sicut enim cetera obsonia pane temperantur, sic & oratio & lectio, &c. lacrymis.

Cur Dauid lacrymas panẽ dicat non potum potius.

4 *Vbi est Deus tuus?) Pagani ostendunt Deos suos, sed lapides sunt, & oculos non habent, quibus ostendant Deum meum: sed inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur. ostendo magnitudinem circumfusi maris; stupeo, miror artificem. cælum suspicio, & pulchritudinem siderum admiror, splendorem Solis, &c. mira sunt hæc, laudãda sunt hæc, vel et stupenda sunt, sed non dũ ibi stat sitis mea: hæc miror, hæc laudo, sed eum, qui hæc fecit, sitio*. præclarè ait, affectu in Deo sistendum, qui solus animi sitim explere possit. & Vidè vt creaturæ debeant accendere sitim videndi Deũ; at nostro vitio fit, vt potius extiguãt.

Deus solus animi sitim potest extinguere.

Deum attingere nō potest anima, nisi se ipsā transcendat.

5 *Effudi super me animam meam.) Quādo enim anima mea contingeret, quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super se ipsam effunderetur? si enim in se ipsa remaneret, nihil aliud quàm se videret*. pulchrè dictum, non posse animam Deum, qui tam eminenter est supra ipsam, attingere nisi trascendat se ipsam, & tūc, vt est apud Hieremiam, *leuabit se supra se*. quantò magis igitur eleuare se debet supra corpus suum, & omnia terrena? hæc vera, & perfecta ecstasis est.

Membra militant animæ seruiēti Deo

6 *Introibo in locum tabernaculi admiralis vsque ad domum Dei.) Tabernaculum Dei in terra homines sunt fideles. admiror in eis membrorū ipsorū obsequiū, quæ non exhibent arma peccato, sed militāt animæ seruienti Deo. respicio & ipsam animam obedientem Deo, distribuentem opera actus sui, frænantem cupiditates, extendentem se ad omnia opera, & dura toleranda; iustitiam, & charitatem impendentem ceteris; miror has virtutes in anima, sed adhuc in loco tabernaculi; transeo hæc, & quamuis admirabile sit tabernaculum, stupeo cum peruenero vsque ad domum Dei; ibi intelligam quare in hac terra plerumque benè est malis, & male est bonis. Tamen dum hic miratur membra tabernaculi, perductus est in domum Dei, percepit quandam dulcedinem sequendo interiorem, & occultam nescio quam voluptatem, tanquam de domo domini sonaret aliquod organum; & cum ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, ductus dulcedine, sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis, & sanguinis peruenit vsque ad domum Dei*. pulchrè & eleganter ait, *sanctorum membra militant animæ seruienti Deo*: adeò omnia intenta sunt bene operando: animus ipse velut Imperator est, & simul summo rerum domino subditus; egregiè item ostendit sanctorum adhuc in terra degētium suauitatem cœlestem quasi arrham futuræ felicitatis. certè S. Nicolaus Tolentinas sex menses totos ante obitum organa musica de cœlo oblata sibi audiuit, *percepit quandam dulcedinem, tanquam de domo domini sonaret aliquod organum, &c.* idem ad S. Cęciliam refer, quę cantantibus organis Deo laudes dicitur decantasse. huc spectant & sequentia.

Suauitas ineffabilis spiritus sācti.

7 *In voce exultationibus, & confessionis soni festiuitatem celebrantis*) sic legit, vbi in vulgata est, *sonus epulantis*. Tum sic. *Festa cum hic celebrant homines, suæ luxurię constituunt organa ante domus, vt faciant symphoniam. natalitia, inquiunt, celebrant, nuptiæ hic sunt. at in domo Dei festiuitas sempiterna est; non enim ibi aliquid celebratur, & transit. festum sempiternum chorus Angelorum, vultus pręsens domini, lætitia sine defectu: de illa æterna, & perpetua festiuitate sonat nescio quid canorum, & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat Mundus; tunc mulcet sonus ille, & rapit ceruum ad fontes*. rectè ait, & ineffabilem esse spiritus dulcedinem in anima iusti, & sentiri non posse quasi melodiam eius à mundanis, ob strepitum curarum &c. & quod ait, nos cerui instar sitire Deū debere, est item hæc natura cerui, vt musicis instrumentis delectetur; quod cœlestē quandam harmoniam iusti auribus insonantem insinuat. nota etiam illum morem, vt in natalitijs ante domos organa musica constituerent, itemque in nuptijs, vt mirum non sit nato Christo harmoniam factam Cœlestium symphoniacorum, cum eadem & natalia fuerint, & sponsalia tanquam in nuptijs naturæ diuinæ cum humana: quò spectat illud iuxta 70. apud Iob *& organa cœli quis in terram deduxit?* elegans locus de Christi natiuitate.

Beatorū festiuitas sempiterna non addicta diei

Spiritus melodiæ Mundus obstrepit.

Christi natiuitas Angelicis cantibus honorata.

8 *Abyssus abyssum inuocat.) Abyssus profunditas est. quid autem profundius abysso cordis? abyssus inuocat abyssum, cum homo hominem lucratur. Item quando impij de poena in poenam transeunt, de tenebris ad tenebras, de ardore cupiditatis in flammam gehennę*. Vides impium ex hac vita tanquā ex una flamma ad alteram demigrare. in bonum autem sensum, *Cum homo hominem lucratur*. quod certè Apostolici uiri faciunt, Deo iuuante, ac tum maxime dici potest, *ponens in thesauris abyssos*, tantum est hoc animarum lucrum. hinc illa Deo laus: *Benedictus es, qui intueris abyssos*: cor videlicet.

Cor hominis abyssus est.

Homo hominem lucrari debet.

Psal. 32. Daniel. 3.

9 *Apud me oratio Deo.*) Vt Deo supplicem, non opus emere aromata de longinquo loco, aut adducere victimas: *Intus apud me habeo victimas; intus habeo thus, quod componam*. pulchrè interpretatur illud: *apud me*. Nos templum Dei sumus: semper orare possumus: in nobis est ara cordis, thuribulum charitatis ardens, victima deuotionis, securis, seu secespita sacrificationis &c. Addo quod aiebat Apostolus, *ego immolor &c.* scilicet ego ipse sum victima, quæ mactor.

Nos ipsi templum Dei sumus, vbi semper orare possumus.

Ex psalmo XLII.

1 QVi lętificat iuuentutem meam, quare tristis es anima mea? &c.) *Iuuentus nouitatem significat, incedo nunc tristis in vetustate*. Vides veram lætitiam consistere in nouitate vitæ. senectus ipsa mœstitia est. sic confecta senio dicitur ciuitas à summo Oratore, hoc est tristitiæ plena.

Verū gaudiū in nouitate vitæ est positum.

2 *Confitebor tibi in cithara.) Cithara, & psalmus vtrumque instrumentum manibus tangitur, sed psalmus habet tympanum, seu continuum lignum, cui chordæ innitentes resonant ex parte superiore; cithara verò ex parte inferiore: cum aliquid ex præcepto Dei agimus,*

Impatiẽs in tribulatione citharam frangit.

mus, nec patimur; psalterium est, canunt enim sic Angeli, non enim aliquid patiuntur; cum autẽ aliquid patimur ex eo quod mortales sumus, cithara est. venit enim sonus suauis ex inferiore parte; si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti. pulchrè ostendit, & Angelos, & homines canere, sed diuersis velut instrumẽtis; illi psalterio, velut ex parte superiore tactis chordis, siue terrenis molestiis, nos cithara, ex inferiore. vide autem quid sit in aduersis conqueri, citharam frangere, ac pro suaui concentu in absurdas, & absonas iracundiæ voces erumpere.

Ex psalmo XLIII.

1 T*Itulus est: intellectus filijs Core.) id est Caluaria. ergo clarum est quod filijs passionis eius cantetur hic psalmus. quamobrem Apostolus, cum in persecutionibus laboraret Ecclesia, sumpsit versum consolationis patientia: Propter te, inquit, mortificamur tota die, deputamur vt oues occisonis audiamus vocem Martyrum; videte quàm bonam causam habeat cum dicitur, propter te.* alibi dixit Augustinus, *Martyrem non facit pœna sed causa*. nota quid sibi proponebant Martyres ante oculos in tormentis, Caluariæ montem: ita Hebræi & in angustijs constituti, vsurpabant illam vocem Abraham, cum Isaac immolare iussus est. *In monte dominus videbitur.* vel vt habent 70. quod ad nos pertinet, *In monte dominus visus est.* vides autem Martyres in primis à Christo in cruce generatos, ac propterea filios Caluariæ vocari.

Martyres filij Core hoc est Caluariæ

Martyres Christi passionẽ ante oculos sibi proponebant.

Genebr.

2 *Intellectus filijs Core.) Intellectus dicitur; est enim magnæ considerationis, & magnæ profunditatis consilium Dei*, nempè quod cum tot mira fecerit in saluandis Hebræis per Mare rubrum, &c. deinde eosdem quasi oblitus hostibus dedit. vbi nota in hoc debere intellectum exerceri, vt discurrendo per diuina beneficia, videas, caueasque, ne tuo vitio ijs reddaris indignus. non raro quos misericorditer amauit, iustè reliquit. hoc penitùs intelligere magna pars sapientiæ est.

Intellect⁹ exercendus in Dei iudiciis, cum quos piè amauit iuste reliquit.

3 . *Non exaudies, & non ad insipientiã mihi.) idest, hoc ipsum quod non exaudis, nõ ad insipientiam mihi reputabis, sed ad intellectum: hoc est, non exaudies ad temporalia, vt intelligam à te desideranda sempiterna.* icirco miscuit his terrenis amara: alioqui non desideraremus illa maiora: nota, quod in hoc verum intellectus nostri acumen est, vt intelligamus æterna tantùm expetenda. hoc est verè philosophari. non est illa Dei auersio, sed magisterium. non parcitas, sed liberalitas, vt donum excellentius petenti tribuat.

Deus in temporalibus aliquando nõ exaudit vt discanus amare cœlestia.

4 *A facie inimici, & persequentis.) Quis hic intellectus? præterita sunt: in magna gloria populus de Ægypto liberatus: futura, vt videatur vtrùm animus colat Deum gratis, an ob temporalia? educendus de Ægypto sæculi Christo duce, in medio quid? tribulationes. vnde gaudent Angeli? nisi quia, vt dominus ait, faciem patris semper vident. ad tale gaudium tute præpara, ra amori tuo, si suspicaris aliquid pulchrius quàm est ille, à quo est omne pulchrum.* egregiè arguit. vide vt totus affectus anhelare debeat ad videndum Deum. caret intellectu, qui creaturis posthabet Deũ. ideo titulus est, *Intellectus filij Core.*

Caret intellectu qui aliud præter Deum quærit.

5 *Exurge, quare obdormis domine?) Vox Martyrum est; Domine Iesù occisus es, dormisti in passione, iam nobis resurrexisti gentes non credunt, exurge illis; adhuc eis dormis? dum moriuntur Martyres excitant Christum, & surrexit Christus in gentibus, & conuersi ad Christum fecerunt numerum magnum, quem timerent persecutores, & cessauerint persecutiones.* certè id nostra ætate accidit in Iaponia, vt in persecutione, tot se offerrent vltro morti, vt Tyrannus timeret ne populos integros amitteret, ideoque à cæde abstinuerit. pulchrè dictum. Martyrum somnus excitat Christum. eorum morte fit, vt viuat in gentibus.

Martyrũ mors facit vt Christus viuat in gentibus.

Ex psalmo XLIV.

1 C*Anticum est de sanctis nuptijs, de sponso, & sponsa; de Rege, & plebe; de Saluatore, & de saluandis*. Nota Regem quasi sponsum esse suæ gentis: vide an pro monilibus, & armillis, imponenda nimia vectigalia, & dura tributa sint? neminem incuso, sed quid agendum sit, moneo. Sol creatus est, *vt præesset diei*. idemque dicitur, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Deinde ait. *Titulus est. Filijs Core, pro ijs qui commutabuntur. filij Core idest calui, cum pueri illudentes dicerent propheta: ascende calue: ab vrsis consumpti sunt; idem accidit Iudæis, qui irriserunt Christum in Caluaria monte; Core autem Caluariæ significat.* hinc colligè Romanos vrsis comparatos, à quibus Iudæi consumpti sunt. illi irridebant: descende de monte; hi, descende de cruce. sed tandem hi relicta lupa, vrsam iam non vltricem, sed matrem agnouerunt, hoc est Ecclesiam cuius lingua, quam Spiritus sanctus in pentecoste dederat, formati sunt.

Rex est quasi spõsus regni.

Iudæi illudentes Christo à Romanis occisi qua si vrsis vt qui Hæliseo illuserunt.

2 *Titulus est: Filijs Core, pro his qui commutabuntur &c.) Qui audit hæc, videat: quid erat, & quid nunc sit. ipsum Mundum videat iam commutatum, nu-*

per adorabant idola, nunc Deum verum. residui Pagani mutata expauescunt; & qui nolunt mutari, vident repletas Ecclesias, tēpla deserta. pulcher locus de idololatria destructa, & Mundi mutatione in fidem Christi crucifixi, quod nunc vt cum maximè gratulari debemus. Tum addit. *Sed & vnusquisque nostrum, ex vetere homine in nouum mutatur.* habes hic quod deseruire possit ad renouationem in Societate votorum, nostro de more, ad quam referre possumus quod alij legunt, *pro lilijs*, ob votum castitatis; item quod subiungit. *hoc omnis mutatus agnoscit, videat quid erat*, in sæculo scilicet, *& quid nunc sit*, in religione; dicet sanè, *hæc mutatio dexteræ excelsi.* obedientia verò denotatur, quia *filij Core* sumus, idest Christi crucifixi, qui, *factus est obediens vsque ad mortem.* Core enim Caluaria dicitur, vbi etiam nudus obijt, quod paupertatis est. habes, inquā, tria vota. porrò hæc renouatio votorum tanquam nuptiæ sunt, quibus anima religiosi arctius coniungitur Deo, eius intuens pulchritudinem & admirans.

Renouatio spiritus commutatio quædam est. Dei opus.

3 *In intellectu, canticum pro dilecto.) Solent in nuptijs carmina quædam dici, quæ vocantur epithalamia; sponso cantatur, & sponsa: sponsus Ecclesia est, & Christus sponsus. an fortè in nuptijs istis thalamus non est? at vnde dictum; In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo?* nempè coniunctio nuptialis per Verbum cùm humana natura. huius coniunctionis thalamus, Virginis vterus: itaque subiungit. *Gaudeat sponsa Ecclesia amata à Deo. quando amata? dum adhuc fæda. Amauit fædam, vt non remaneret fæda. amemus illum. verè ipse inuenit multa fæda. & amauit nos: si aliquid fæ di in eo inuenerimus, non amemus; nam in eo ipso quod dicitur; non habens speciem, nec decorem, si consideres misericordiam, qua ità factus est, & ibi pulcher est.* addit. licet aliter Iudæis sit visus, quia non in intellectu; nam ideo in titulo est, *in intellectu canticum &c. intelligentibus autē quod Verbum caro factum sit, magna pulchritudo est: parum est, vt non inde erubescas, nisi etiā & glorieris: mihi, inquit vnus amicorum spōsi, absit gloriari, nisi in cruce, &c. nobis igitur credētibus pulcher vbique spōsus est: pulcher in vtero Virginis, vbi sūpsit humanitatem, nec amisit humanitatē: pulcher natus infans, quia, & cum esset infans, cum sugeret, cæli locuti sunt, Angeli cecinerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepio. pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher resumens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cælo: pulcher in intellectu.* singula de Christi pulchritudine pulchrè dicta pſertim illa, *pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum.* quod ad Iosephi quoq; decus facit. *pulcher in flagellis, pulcher in ligno.* rectè igitur dicitur datus hic psalmus filijs Core, idest Caluariæ, seu passionis; & rectè est, *pro his, qui commutabuntur*, nam & latro sub initium cum altero conuiciabatur, deindè commutatus, vt quidam aiunt, ex mira Christi patientia. ipsi quidem visus est, *pulcher in ligno.* quia vidit, *in intellectu.* hoc est rem sapienter expendit.

Epithalamium de Verbi cō iunctione cum humana natura.

Christus vbique pulcher etiā in inter opprobria & cruciatus.

4 *Canticum pro dilecto.) Audite canticum, neque oculos vestros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. ibi illum non videbitis pulchrum, vbi deprehendetis iniustum. si vbique iustus, vbique decorus: summa enim, & vera pulchritudo iustitia est.* Vide quid impediat quò minus Christi pulchritudinis splendor nos delectet, si mentis oculos infirmos, & hebetes habeamus delectatione terrena, seu Mundi fumo; Item nota veram pulchritudinem non tolli per aduersa, sed per peccatum.

Christus vbique pulcher, quia vbique iustus inuenitur.

5 *Eructauit cor meum Verbum bonum.) Intellexerunt quidam patris personam commendantis nobis natiuitatem quandam ineffabilem. Cor tuum, ò homo, generat consilium, nec quærit vxorem. per consilium natum ex corde tuo, ædificat aliquid, & illa fabrica, antequam stet in opere, stat in consilio. ergo si per Verbum omnia, & Verbum de Deo, quale Verbum est, per quod factum est cælum, & terra, & omnis ornatus cæli, omnis fæcūditas terræ, diffusio maris, distentio aeris, fulgor siderū, claritas Solis, ac Lunæ. Videntur hæc; trascende & hæc, cogita Angelos, Principatus, &c. vnde isti bona faciunt? quia eructauit cor Verbum.* pulchrè de generatione diuina, & acutè dictum ex similitudine cordis consilium generantis sine vlla coniunctione, purissimo partu,

Verbi Diuini generati vestigium in nobis per verbum mentis.

5 *Dico ego opera mea Regi.)* Quæ opera? si per filium facta, ergo de generatione loquitur. dico, id est profero. *Verbum tuum sonat, & transit, sed dicere Dei æternum est. quare opera mea dico? quia in ipso Verbo opera Dei: quicquid enim facturus erat Deus in creatura, iā in Verbo erat.* nota acutè discrimen inter Verbum diuinum, & nostrum.

Discrimē inter diuinū Verbum, & nostrum.

7 *Lingua mea calamus scribæ.* etiam hoc dicitur ex persona Patris: *Quod lingua dicitur, sonat, & transit; quod scribitur, manet. cū ergo Verbum Dei dicatur, & maneat, scriptis hoc Deus maluit comparare quàm sonis.* acutè id notat, cur linguam scribenti calamo comparauit in diuinis? quia Verbum permanens est. sequitur, *velociter scribentis; quia in alijs scriptis, scribitur litera post literam; syllaba post syllabam, verbum post verbum, nec ad secundum transitur, nisi primò præscripto; at nihil velocius, vbi non multa sunt*

Cur in Verbi generatione lingua calamo scriptorio cōparetur.

ver-

verba, nec tamen aliquid prętermissum est, cũ in vno sint omnia: ecce iam Verbum illud sic prolatum æternum ab æterno coæternum. & hoc acutè notatum, cur additum sit, *velociter.* scriptum dicitur Verbum, quia permanens; velociter, quia sempiternum, non successione temporis productum.

Gratia in labijs Christi, dum peccata dimittit.

8 *Diffusa est gratia in labijs tuis.) Venit nobis cum verbo gratiæ, cum osculo gratiæ. q dulcius?* gratia in labiis, quia per labia Christi remittuntur peccata: *Debita tua dimittit, & indebita sua exoluit: magna gratia, quia gratis. propterea tibi gratias agere licet, referre nõ licet, nõ. n. potes, quærebat ille quid retribueret, dicens: Quid retribuam domino pro omnibus? &c. & inuenit quasi aliquod: Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo: remansit in actione gratiarum, nam in relatione defecit. inueni quod Deo des, quod ab illo non acceperis, & retribueris gratiam, nisi fortè peccatum tuum, hoc planè ab eo non accepisti, sed nec ei dare debes: hoc retribuerunt Iudæi, retribuebant, inquit, mihi mala pro bonis. acceperunt pluuiam, & fructum non dederunt, sed spinas dolorum.* pulchrè dictum de osculo Gratiæ, qua nihil dulcius esse ait, hac enim conciliamur Deo. deinde acutè notat, quòd propheta, qui dixerat ob accepta dona se velle retribuere, iterum dicat, accipiam, cum quid dignè referret, non inueniret, in quo & incredibilem Dei pietatem licet agnoscere, qui tunc beneficium repensum putat, cum alterum petitur beneficium.

Deo gratias agere licet, referre non licet.

Obedientia virga directionis est.

9 *Virga directionis &c.* Distorti erant, cum non suam voluntatem Deo subdebant, sed Dei voluntatem sibi: quod etiam ad obedientiam religiosorum refer. Tum sic: *Accede ad istam virgam, sit tibi rex Christus, regat te virga ista, ne frangat te; regit spirituales, conterit carnales; quid in ea times? fortè iniquus eras. audis? odit iniquitatem, nunquid te? clamaret nè tantum, feriturum se, si vellet ferire?* egregiè dictum de Dei pietate nota, nam & per Mosen Pharaonem admonet, vt iumentis consulat, se missurum mox grandinem prædicens. quàm non vult ferire hostem, qui clamat, caue ne feriam? nempe non odit te, sed iniquitatem in te.

David ingens gaudium ex promissione Messiæ

10 *Benedixit te, Deus, Deus tuus.)* hoc potius dicitur ex persona prophetæ, quàm patris, nam sæpè solet in psalmis fieri permutatio personæ: *Impletus propheta gaudio quodam ineffabili & attendens quid Deus Pater de filio reuelarat homini. potuit huic dicere ex persona Dei, benedixit propter gratiam, quæ est de regno cælorum: primum enim testamentum de terra promiserat.* Nota prophetæ gaudium ingens de gratiæ per Christum promissione. quantum nostrum gaudium de executione promissi sit, oportet?

11 *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.) Quisquis dicit hymnum Deo, eructat cor eius verbum bonum, vt & id. quod additur, dico ego opera mea regi, significet summum hominis opus, non aliud esse, nisi Deum laudare. opera tua si non fuerint laus Dei, incipis te ipsum amare. displice tibi, placeat tibi qui te fecit; dic opera tua regi, quia, vt diceres, rex fecit, et ipse donauit quod offeras.* Vide cui dedicanda sint opera nostra, Deo soli. tunc dedicamus, cum eius gloriam quærimus, non nostram. præclara vox. *opus hominis non aliud est, nisi Deum laudare.* & quia hoc ex corde fieri debet, rectè dicitur, *eructauit cor meum verbum bonum.* addo, per verbum eructandi indicari sermonem bonum esse cibum, & alimentum cordis.

Opus nostrum est perpetua Dei laus.

12 *Accingere gladio tuo.) Gladius tuus quid nisi Verbum tuum? hoc gladio strauit inimicum, hoc diuisit filium à patre, &c. placet alicui iuueni Deo seruire, displicet patri. præfertur, & tamen litigat cum filio volente Deo seruire, sed fortior est ille gladius spiritualis separans, quàm copulans natura carnalis.* Vide quanta vis requiratur in ingressu religionis, opus est Dei verbo, quasi acutissimo gladio ad diuidendum tam validum naturæ nexum. refer ad Thomam Aquinatem cum matre luctantem, cum fratribus bellicosis, sed planè victorem vi huius gladii. refer & ad Aloysium Gonsagam nostrum cum patre eandem ob causam strenuè luctantem.

Dei verbum instar gladii separat à mundo religiosum

13 *Circa femur tuum, potentissime.)* hoc est carnem. hinc Abraham iubet femori suo admoueri manum à seruo iurante. *quasi diceret: Pone manum tuam ad altare, & iura.* ad mysterium autem incarnationis spectat, *circa femur, potentissime, quia quod est infirmum Dei, fortius est hominibus.* præclarũ est quod ait, femur Abrahæ, vnde venturus erat Messias, vsum altaris præbuisse. simile quiddam egit Lucianus martyr, qui pectore suo pro altari vsus est facturus sacrum, cum in carcere deesset altare. acutè autem interpretatur illud de femore, quæ pars est corporis mollior, & imbecillior, & tamen in eo potentissimum vocat. quia per carnem Christi cruci affixam victus est diabolus.

Abrahæ femur vn de Messias pro altari fuit seruo iuranti,

14 *Prosperè procede, & regna.) Nonne videmus id factum? attendite Orbem terrarum: intendit prosperè, procedit, & regnat: subditæ sunt gentes, quid erat illud videre in spiritu, quod nunc est experiri in in veritate? in multis habemus redditorem Deum, in paucis debitorem.* egregiè adnotat: si tantum lætabatur propheta videns in spiritu conuersionem gentium; quanta lætitia nostra est, eam factam videre, & quanta eorum per quos fit? quod nunc vt cum maximè fit apud barbaras gentes & vltima sola terrarum.

Cõuersio gentium solum prævisa magno gaudio David fuit.

15 *Sagittæ tuæ acutæ.) Verba cor transfigentia, amorem excitantia: Vnde dicitur in*

Can-

Canticit: Vulnerata charitate ego sum. amore se dicit æstuare, suspirare sponso, vnde accepit sagittam verbi. pulchrè hoc referri potest ad S. Teresiam virginem, quæ diuina hac sagitta per Angelum transuerberata est.

Christi venatoris præda Paulus fuit.

16 *Populi sub te cadent in corde inimicorum, &c.) Blasphemabat Paulus Christum, cecidit, prostratus est, occisus est inimicus Christi, vt viuat discipulus Christi. de cœlo emissa est sagitta, corde percussus est: cecidit etiam in corde, cum dixit, Domine quid me vis facere? modò ibat ad alligandum, &c. O sagittam acutam potentissimi.* Vide Christum quasi venabulum in agrestem feram Paulum intendentem, ac præda feliciter potitum. mox addit, *sagittæ tuæ, potentissimè, & transfigentes, & efficaces*. id ad efficaciam gratiæ referre possumus, quæ potentissimæ, & acutissimæ sagittæ instar penetrat cor, & id efficaciter operatur.

17 *O tù, Deus, vnxit te Deus tuus.) vngitur à Deo Deus, quia homo Deus, & ideò factus est Christus ideo vnctus.* hoc figuratum dicit in lapide à Iacob vncto, & scala, qua Angeli ascendebant, & descendebant. *Angeli ascendunt, & vident: In principio erat Verbum; descendunt, & vident: quia Verbum Caro factum est. ascendunt, vt erigant magnos; descendunt, vt nutriant paruos. vide Paulum ascendentem; Siue mēte, inquit, excedimus Deo. vide descendentem; Siue temperantes sumus vobis. vide ascendentem; Sapienter loquimur inter perfectos. vidè descendentem. Lac vobis potum dedi.* pulchrè ait Angelos post incarnationem descendere, vt nos nutriant; & Paulum quasi per Iacobi scalam modò vsque ad tertium cœlum raptum audientem arcana verba ineffabilia; modò descendētem ad infirmiores, & eorum capacitati se accommodantem.

Paulus Angelus in scala Iacob

Ecclesia vt vestimentū sit sine ruga extenditur in cruce cum Christo.

18 *Myrrha, & gutta à vestimentis tuis.) Ecclesiam sibi Christus quasi vestem exhibet sine macula, & ruga. propter maculam abluens in sanguine, propter rugam extendens in cruce.* Egregiè ostendit Ecclesiam, idest fideles cum Christo configendos cruci, vt sic quasi vestem se exhibeant minimè rugosam, extensam videlicet in cruce. His addit. *Vestimentum Christi est Ecclesia; audi Paulum, illam minimam fimbriam huius vestis: bonus odor sumus ijs, qui salui fiunt, & his qui pereunt, & ad hæc quis idoneus? idest perire hominem ex bono odore, non malo, quæ ratio est?* non ait: malus odor sumus his qui pereunt; nam hoc non esset mirum. potest hoc aptè transferri quod dicit, *minimam fimbriam vestis Ecclesiæ*, ad Societatem nostram, quam minimam vocat S. Ignatius fundator; cuius bonus odor, malis, in primis hæreticis infestus est: fimbriam inquā, sūmi sacerdotis rectè dicas, hoc extremo loco, & vltimo tempore editā, peculiari voto obedientiæ summo pontifici addictam. erat illa floribus, vt ait Philo, ornata, ob bonū famæ odorem. erat tintinnabulis aureis distincta, ob prædicationem; erat malogranatis, ob fructus in Ecclesia Dei, vel ob Martyrum sanguinem.

Cor iusti domus seu arca eburnea Dei.

19 *A domubus eburneis.) Domus eburneæ corda sunt Sanctorum.* præclarè: puto tū ob candorem, tum ob fortitudinem; quasi armaria donorum Dei sint corda iustorum. non nisi in eburnea arca, seu scriniolo suas opes seruat Deus, hoc est in corde firmiter casto.

Apostoli reges, nos filij regū.

20 *Delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.) Reges sunt Apostoli, filiæ animæ, quas per prædicationem genuerunt, vt ait Paulus: in Christo vos genui.* Vide quàm dignè, ac decorè agere debeamus qui sumus soboles regum. Addit, eosdem Apostolos Christus fratres vocat, *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* erat autem lex vetus, vt fratris mortui semen suscitaret superstes frater: hoc effecerunt Apostoli. *nam suscitantes propter nomen fratris, semen fratri suo, quot quot genuerunt, non Paulianos, aut Petrianos, sed Christianos nominarunt; & Paulus videns eos currere ad nomen suum, exclamauit: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? quid enim ait lex? & habeat natus nomen defuncti. filiæ igitur Regum delectauerunt te in honore tuo: quia non susceperunt honorem patrum suorum, sed tuum. ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto tibi ostendo memoriam Petri. in Petro quis honoratur nisi ille defunctus pro nobis? & si nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine defuncti, non Petriani, sed Christiani.* pulchrè hoc spectat ad Ignatium nostrum, Apostolorum normam secutum. sicut enim illi, vt Christi fratres, non imposuerunt nomen suum fidelibus à se genitis, vt Paulani, aut Petriani dicerentur, sed à Christo Christiani; ità nec ipse Societati suum, sed Iesū nomen imposuit, spectans tantum eius honorem, & maiorem Dei gloriam: quanquam aliæ religiones, etiam sancto fine iuxta suum institutum, fundatoris nomen laudabiliter teneant. egregiè autem præfert Romulo Petrum. nam ille Vrbē crudeliter in fratris sāguine, hic piè fundauit in suo. quod autem & Petri templum præfert Romuli templo, quid diceret de augustissimo illo, ac magnificentissimo Petri templo, quod Romæ nunc visitur, & ab vltimis gentiliū etiam ab Indiæ dynastis inuisitur?

Ignatius non suum Societati nomē sed Iesu imponens laudatur.

Petrus Romulo præfertur.

Ecclesia regina, Vrbes Christianorum filiæ regū.

21 *Filiæ Regum in honore tuo.) Ecce Roma, ecce Carthago & aliæ ciuitates filiæ Regum delectauerunt Regem suum in honore, & ex his fit vna Regina. Adstitit Regina à dextris tuis, &c.* Id non modò de Roma, & Carthagine, sed de tota India nunc dici potest: adeò amplè, lateque regnat

Ecclesia, & totius Orbis terræ tanquam vnius penè immensi regni *Fit vna Regina*.

22 *Et filiæ Tyri in muneribus.) Indè erat illa Chananæa de finibus Tyri egressa: filiæ Tyri filiæ gentium, sed quibus muneribus sic ad se vult venire Rex iste? & thesauros suos impleri vult, & ipse donauit, vndè implerentur, & à vobis impleantur.* rectè de Chananæa: sed quod illa munus attulit? fidē. hoc tamē ipsum munus ab eo accepit, cui attulit. Et quoniam de gentilitate intelligit, aptè referri potest ad munera, quæ in signum obedientiæ Romanæ Ecclesiæ ad Pontificem Gregorium XIII. nostra ætate tulerunt tres iuuenes è Regia stirpe, à remotis Iaponiæ finibus vsquè Romam. quò referri potest versus etiam sequens.

Matt. 11. Chananeæ munus fides.

Iaponiæ Dynastę cum muneribus Romam adeunt.

23 *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.) Illi, qui res suas vendebāt, vultū Reginæ huius deprecātes, cū muneribus veniebant, & ea, quæ habebant ad pedes Apostolorum ferebant. vultus* Reginæ erat *Ecclesia*. Vide dignitatem Ecclesiæ Reginæ ab ipso exordio, cui pro tributo omnia bona dabant. Item admirare Petri pedes, qui mare calcarant, opes speciosiùs calcantes; digni maximè ob hoc, qui in cruce ostentarentur cœlo sursum versus. Ad Religiosos hoc referri potest præcipuos Ecclesiæ filios, posthabitis mundanis opibus, & orationi, ac deprecationi intentos.

Neglectus mundi opum in Ecclesiæ filiis commendatur.

24 *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.) Intùs amat qui intus credit. intus amat, vt intus ametur, qui interiorem facit & ipsam pulchritudinem. quæ sunt interiora pulchritudinis? conscientia, ibi amat Christus, ibi coronat.* egregiè de interiore homine, nempè in hoc sincera, & solida laus est. vide Christum tanquam agonothetam intra bonæ conscientiæ adyta coronam, & brauium dantem.

Christus iustum intra cōscientiam coronat.

Ex psalmo XLV.

1 T*Itulus est: In finem pro occultis, pro filijs Core.) Core Caluariā significat. occultum est, sed is, qui in Caluariæ loco crucifixus est, velum discidit, vt templi secreta patescerent. crux Christi clauis fuit, qua clausa aperirentur. credamus affuturum eum nobis, vt ista occulta reuelarentur. finis dicitur Christus. quia vltra, quò credamus, non habemus, cum ad eum peruenerimus.* pulchrè Christi crucem clauem dicit, non modò, quia aperuit cœlum, & clausit inferos, sed quia in difficilibus locis, ad intelligendum aperuit sēsum. hinc S. Bonauentura ad Crucifixi pedes se scientiam assecutum dicebat. acutè autem per antithesim ait, Christum in cruce occultasse diuinitatem, & tanta aperuisse mysteria velo discisso. Habes etiā Christum esse finem votorum nostrorum, vt est in titulo.

crux Christi clauis secretorum, & tēpli veli discissio.

2 *Deus refugium nostrum, & virtus.) Confugis ad aliquem in sæculo magnum; tamen ita potentum ruinæ quotidianæ crebrescunt, vt cum ad tale refugium confugeris, plus ibi timere incipias.* rectè de crebro casu potentium; quo fit, vt tu quoque, qui illis inniteris, simul in idem traharis exitium. quātas circa hoc tragœdias passim excitari videmus? qui antea timebat, posteaquam ad mundanum Principem confugit, in maiori metu est, quia maiori ruinæ obnoxius fit. igitur nonnisi ad Deum confugiendum.

Innitens mundano Principi, in maiore metu esse incipit.

3 *Adiutor in tribulationibus.) Multæ tribulationes sunt humanæ animæ, sed nulla maior, quàm conscientia delictorum. fugit quis in tribulatione ab agro ad ciuitatem, hinc ad domum, à domo in cubiculum, à cubiculo quò confugiat, non habet, nisi interius ad cubile suum: at si ibi flamma sceleris est, non illuc potest confugere; se ipsum quò fugiturus est? se trahit post se, & quocumque talem traxerit, cruciat se.* egregiè de cruciatu malæ conscientiæ, similitudine sumpta ab incendio. fugis huc, illuc. sola spes in interiore cubili; quid si & hoc flamma depascatur? peribit spes: addit & exemplum fabri, qui non vtitur ligno, etsi foris pulchro, si sit putris intus medulla ligni: *Sic si putrefacta intus est medulla conscientiæ*. Vides cariem quandam esse peccatum, peccatoremque consumere.

Habens malam conscientiam, quò cōfugiat, nō habet.

Peccatum quædam conscientię caries.

4 *Transferentur montes in cor maris.) Cùm Apostoli dixerunt Iudæis: Quia vos despicitis verbum Dei, imus ad gentes.* tum ex conuersione gentium per Apostolicos viros facta pulchrè ostendit fidei veritatē. *Liber sit tibi pagina diuina, liber tibi sit Orbis terrarum. in istis codicibus legunt qui literas norunt; in toto Mundo legat & idiota.* Vide quā manifesta sit notio de veritate Ecclesię fidei, quę tam certa est, vt & idiotæ cognoscere possint, cùm videant vbiq; gentium propagatam. elegantèr dicitur totus Orbis terrarum, etiam qui recens inuentus, liber quidam, vndè quisque discere possit, hanc fidem esse veram, pro qua barbari ipsi conuersi necem subeunt. rectè autem Apostolos, & Apostolicos viros montes dicit, tùm ob celsitudinem virtutis, tùm ob firmitatem, & constantiam; & nunc, *Transferuntur in cor maris*, idest in medium Oceanum, quem superiores ingentibus eius fluctibus enauigant. dicatur à summo Poeta: Quanti montes voluuntur aquarū? at Apostolici montes his altiores sunt.

Totus orbis terrarum fidei subiectus quasi liber est idiotis facilis intellectu.

5 *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum.) Vt cùm Apostolos Ephesij cum tumultu occidere voluerunt, quando in theatro pro Diana sua tantum strepitum fecerunt, vt clamarent; Magna est Dea Ephesiorum. inter hos fluctus, & sonitus non timebant, sed Paulus intrare in theatrum volebat, quanquam à di-* *sci-*

Persecutionum fluctus non obruunt Apostolicos viros.

scipulis reuocatus est, vt in carne maneret propter ipsos. Vide quàm imperturbabilis inter decumanos fluctus persecutionum, quippè decem primæ illæ numerantur debeat esse vir Apostolicus, nimirum monti comparauerat.

6 *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.) Cùm sæuit mare, non desinit Deus per impetum fluminis. inundatio illa Spiritus sancti est, de qua dicitur: Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent, &c.* egregiè ostendit, quanta fuerit inter medios persecutionis cruciatus Martyrum gaudium spiritale, quasi inter salsos maris fluctus dulce flumen exundans, quod notauit Hieronymus de Iona, qui cùm absorptus esset mari, tamen flumine se circundatum dicit, *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me.* Xauerius verò in medijs periculorum fluctibus ita flumine diuinæ consolationis inundabatur, vt pectus laxaret, quod incapax esset. quid mirum, cùm inter cætera miracula, etiam maris fluctus dulces fecisse dicatur?

Martyrū in pœnis internum gaudium. Isai. 2.

7 *Deus in medio eius non commouebitur.) Quid est in medio eius? quia æquus est omnibus Deus, nec accipit personas: sicut quod medium est, paria habet spatia ad omnes partes.* acutè dictum, cur Deus cùm vbiq; sit, in medio dicatur esse; videlicet ob æquitatem.

Deus in medio esse dicitur ob æquitatem.

8 *Et inclinata sunt Regna.) Iam non erecta, vt superbirent. sed inclinata, vt adorarent.* pulchrè pronum Orbem terrarum ad Christi adorationem ostendit, & ipsa Regum capita diademate ornata cernua, & demissa. Sed quid mirum, Regna inclinari ei, qui cum ad nos descenderet, *Inclinauit cælos?* vt alibi ait. primùm inclinauit ei se Regnum cœlorum, postea Regna terrarū.

Totus orbis pronus Christū adorat.

9 *Dedit vocem suam Altissimus, & mota est terra.) Arreptitij idolorum tanquam ranæ de paludibus personabant, tantò tumultuosius, quantò sordidius ex delictorum cœno: tonuit de nubibus suis, idest Apostolis, & Prædicatoribus, de quibus intonabat præceptis, coruscabat miraculis. quid strepitus ranarum ad sonitum nubium?* pulchrè de Apostolis, præsertim Ioanne, & Iacobo filijs tonitrui dictis. sed quis crederet, tot Gentiles Philosophos sapientia humana tumentes, ranas garrulas præ ijs fuisse? quòd autem Apostolos nubibus comparat, tùm ob tonitru prædicationis, tùm ob coruscationem miraculorum; rectè Apostolus Indiæ Xauerius dicitur, qui vtrumq; habuit.

Apostoli nubes tonantes verbis, coruscantes miraculis.

10 *Auferens bella.) ea scilicet, quæ aduersus Deum erant. de hoc genere bellantium ait Iob: Cucurrit aduersum Deum in crassa ceruice scuti sui.* hoc est nimiùm præsumendo de virtute, & potestate sua. Vide quantum scelus sit de se præsumere. ceruix, quæ Deo se prona subijcere debet, sit æneum scutum inflexibile, quod vitia defendit: sed mox sequitur; *Et scuta comburet igni.) Scutum est vana præsumptio suæ protectionis; ignis, quo comburitur, est ille, quem venit mittere Dominus. necesse est, vt remaneas inermis; perde arma tua, quibus præsumebas. audi Dominum dicentem: Sufficit tibi gratia mea. dic & tu; Cùm infirmor; tunc potens sum. infirmum se fecit Deus, vt fortem faceret de se, quia infirmabaris de te.* eleganter dictum, cur Deus hominem quasi inermem fecerit, nempè vt ipse validius armaret: *Armat nos Dominus alijs armis, continentiæ, fidei, charitatis; arma autem, quæ à nobis habemus, arserunt, si tamen illo igne Spiritus sancti accensi sumus.* arcum pro insidijs; arma pro publica oppugnatione intellige. nota pulchrè, cur Spiritus sanctus in ignis forma venerit? vt scilicet scuto præsumptionis æneo difficto, alijs nos armis muniat, humilitatis, &c. igni illo diuino noua conflantur arma adamantina, quibus bellatores induamur. hinc puto dici: *Donec induamini virtute ex alto.*

Præsumptio de se ipso scutum ceruicis est Deo resistens.

Spiritus sancti ignis vt vitiorum arma diffingens.

Deus inermem creauit hominē, vt ipse armaret.

Ex Psalmo XLVI.

1 *Titulus est: In finem pro filijs Core. Filios Core habent nonnulli tituli psalmorum, & indicant dulce mysterium, insinuant magnum sacramentum, vbi nos ipsos agnoscimus in titulo, & tanquam speculo proposito, qui simus, intuemur.* mox addit: *Filij Core, hoc est filij Caluij; ac fortè filij sponsi, quia sponsus in loco Caluariæ crucifixus est.* sanè notabile est hoc, quod, cùm in Caluariæ monte Christo fel oblatum sit, dicat, *Hunc titulum dulce indicare mysterium.* adeò passio Christi melliflua est. hinc ait: *Circumdederunt me sicut apes.* huc etiam facit initium psalmi sequentis plenum iubilo.

Crucis passio dulce mysterium.

2 *Omnes gentes plaudite manibus.) Idest vos sanguine illius, qui fusus est in Caluariæ loco, redempti, gaudete per bona opera.* hoc enim est plaudere manibus, hoc genus plausus placet Deo. Vide quo plausu lætetur Deus in ijs, quæ circa nos egit, præsertim cùm tragœdiam suæ passionis dedit, vt scilicet benè operemur. hoc est plaudere manibus ei, qui propterea suas pro nobis manus confixit in cruce.

Christi passioni plauditur per bona opera.

3 *Deus sedet super sedem sanctam suam.) Cœli sunt sedes sancta eius. vis & tu esse sedes eius? para illi locum in corde tuo. quid dicit Scriptura? Anima iusti sedes est sapientiæ. ait Centurio: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum. trepidauit Centurio Christum mittere extra parietes suos, & iam intus erat in corde suo.* nota Christi pietatem. iam Centurionē præuenerat, nisi .n. præfuisset in eius cordis domo, non fuisset inuitatus ab ipso domum; pulchrè dictum: cœlum est Dei sedes, sed illi non inuidet cor iusti.

nam

nam & ipsa ob cœlestem conuersationem habet Deum inhabitantem in corde.

Ex Psalmo XLVII.

1 Titulus est: *Laus cantici filijs Core, secunda sabbati*) hoc est feria secunda, qua firmamentum est factum; sicut prima sabbati, qua lux est creata. *Filij Core, idest filij sponsi crucifixi in Caluariæ loco.* Nota, cantari hunc psalmum in passionis Christi memoriam, quo die firmamentum est factum. cur ita? an quia tunc locus constitutus nubibus ad pluuiam? quod ad lachrymarum imbrem pertinet. an vt ijsdem confixi clauis firmiter eum amemus? sicut alibi interpretatus est verba Habacuc de cruce: ibi, inquit, *Robustam fecit dilectionem suam.* in firmamento certè stellæ quasi cõfixæ clauis inhærent: ita & nos Christi cruci, vt Paulus aiebat.

Cur canticum passionis Christi cantandũ feria secunda cũ factum est firmamentum.

2 *Latera Aquilonis, &c. adiuncta sunt hæc latera ciuitati Regis magni.* idest gentes, quæ seruiebant diabolo, qui ait: *Ponam sedem meam in Aquilone. in alia Scriptura dicitur, Ab Aquilone nubes coloris aurei, in eis magna gloria, & honor omnipotentis. non caliginosæ nubes, sed coloris aurei; vndè? nisi gratia illuminatæ per Christum? ecce latera Aquilonis, ciuitas Regis magni sunt; magna enim gloria medici est, quando ex desperato conualescit ægrotus.* in vulgata est, *Ab Aquilone venit aurum.* idest nubes aureo colore à Sole collucentes; ità animæ illustratæ à gratia: in quo pulchrè videtur Soli comparare gratiam; hinc venusta Iris, idest fœdus cum Deo conciliato. totum autem hoc redit in Dei honorem. Addit: *Latera Aquilonis dicuntur, qui diabolo cohærebant. solemus dicere; bonus homo est, sed mala latera habet, idest bonitate præstat ipse, sed maligni sunt, qui ei coniuncti sunt.* nota adagium de conuersatione cum malis vitanda, de quibus est illud Num. *Erunt vobis sicut lanceæ in lateribus,* ad perniciẽ scilicet. contra de iusto dicitur: *Dominus erit in latere tuo,* nempè ad protectionem.

Iob. 7.

Animæ à gratia illustratæ nubes coloris aurei.

Diabolo adhærentes latera Aquilonis sunt.

Num. 33. Prou. 3.

3 *Ecce Reges terræ collecti sunt, ipsi videntes admirati sunt.) Herodes timens Regnũ amittere, non meruit Regem agnoscere.* acutè dictum. adeò cauendum, ne ratio politica officiat religioni. Herodes dum, vt sibi Regnum terrenum seruet, alios perdit, indignum se præstitit notitia cœlestis Regis. Tum de occisis ab eo propter Christum Innocentibus sic: *Paruus pro se morientes paruulos coronauit. quid inuidetis Reges? videte, non inuidete.* lepidè dictum. hoc est, nõ inuideat Herodes, sed videat potiùs, & admiretur nouam stellam, nouos legatos Orientis.

Herodes terrenum Regnum infidè dũ seruat, amittit notitiam cœlestis Regis.

4 *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei.) Beata ciuitas audiuit in promissione, videt impletum illud: Super omnem terram gloria eius, omnes gentes seruient ei. Vide illum, cuius pedes, & manus fixa sunt clauis; vide regnantem, quem illi videre pendentem; vide in cœlo sedentem, quem contempserunt in terra ambulantem. vide impleri illud: Conuertantur ad Dominum vniuersi fines terræ, hæc videns exclama cum gaudio: Sicut audiuimus, sic vidimus, &c.* Elegans apostrophe ad Ecclesiam de eius propagatione, de qua nostra præsertim ætate iure lætari potest, recens edito altero quasi Orbe diffusa. Nec tamen obstare ait quod in Ecclesia sint plures mali, quàm boni: *Non possumus negare tot esse malos, vt boni vix appareant; nam quisquis aream videt, potest putare quod palea sola sit: da hominem inexpertum, & putat inaniter fieri, quod boues mittuntur, quod homines sub æstu desudant: sed messis ventilatione purganda est: tunc procedet copia frumenti, quæ latebat in palea.* Vide paucitatem bonorum præ malis, *Vt vix appareãt.* Rectè autem dicit, non esse inanem bouis laborem, quia messis etiã stipulas habeat inanes.

Promissio de Ecclesiæ dilatatione iam impleta.

Non officit Ecclesiæ, q̃ malos habeat immixtos.

Quàm pauci sint boni præ malis.

5 *Suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui.) Non omnes suscipiunt hanc misericordiam, sed qui in medio populi mali sunt boni, vndè dicitur in Cantic. Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea inter filias. sit ibi lilium, suscipiat misericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non sit ingratum pluuiæ dulci de cœlo venienti: ingratæ sint spinæ, crescant de imbribus; sed ad ignem crescũt, non ad honorem.* pulchrè dictum, ingratas cœlo esse spinas, quia cùm imbrem accipiant, semper spinæ remanent, nonnisi ad ignem aptæ. ita mali Christiani tot beneficijs frustra affecti. quo refert illud Apostoli: *Obsecro vos, nè in vacuum gratiam Dei suscipiatis.*

Ingratitudo in Deum spinis cõparata.

6 *Disponite corda vestra in virtute eius.) Quæ est virtus ciuitatis huius? charitas; de hoc dictum est: Valida, vt mors, dilectio:* sicut enim cùm venit mors, nullis medicamentis resisti potest; ita contra violentiam charitatis Mundus nihil potest. id sic pulchrè ostendit: *Per charitatem multi mortui sunt sæculo, vt viuerent Deo: hac charitate accensi Martyres, quid eis fecerunt sæuientium tentationes? maiorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quàm persecutiones insectantium: quàm multos enim tenebant filij, nè paterentur? quàm multorum genibus peruoluebantur vxores, nè viduæ relinquerentur? sed lachrymæ quantælibet, & quantolibet impetu fluerent, quomodo ardorem charitatis extinguerent? hæc est virtus Sion; hoc est abundantia in turribus, & annunciate in turribus eius; ponite corda vestra in virtute eius.* egregius hic locus est de efficacia charitatis, & robore. vide quod sit maximum pro-

Charitatis robur maximè agnoscitur in Religiosis, & in Martyribus.

propugnaculum huius ciuitatis, idest Ecclesiæ, siuè animæ, charitas; hæc pro turribus est; in hac virtus, & præsidium constitutum. ac rectè in Dei dilectione coniungit tùm Martyres, tùm eos, qui sæculo relicto strenuè in Religionis ingressu se gerunt: nam hic status quoddam etiam genus martyrij est, dumq; vel lacrymas, vel iras parentum vincunt, palmam reportant, vt Thomas Aquinas, & alij.

Ex Psalmo XLVIII.

Venenati cordis est de Deo murmurare.

1 *AVdite hæc omnes gentes, &c.) Et hæc est in hominibus magna peruersitas, quia cùm debeant ipsi viuere secundùm voluntatem Dei, Deum volunt viuere secundùm voluntatem suam; rectum non arbitrãtes quod ille vult, sed quod ipsi volunt; murmurant aduersus Deum, quòd malis in hac vita benè sit, & laborent boni. venenati cordis est ista sanies eructans in Deum putorem blasphemiæ,* contra hos hic Psalmus est: vbi vides quid sit de Deo murmurare, cor venenatum habere, quod igne dicitur comburi non posse, idest charitate.

2 *Qui habitatis Orbem.)* Distinguit à gentibus alijs iustos, qui possident Mundum, non possidentur à Mundo, nec tenẽtur. vndè illud: *Fideli homini totus Mundus diuitiarum est. qui vult esse diues, non hæreat parti, & totum possidebit; illi inhæreat, qui totum creauit. audi Paulum confitentem se nihil habere, & omnia possidere. & in alio Psalmo dicitur: Edent pauperes, & saturabuntur. quid edent? quod sciunt fideles. quando saturabuntur? imitando passionem Domini sui, & non sine causa accipiendo pretium suum.* acutè monet. non dicendus est diues, nisi qui totum possidet. creaturæ quota pars sunt respectu Dei? minima. immò nihil. nota item locum de Eucharistia, quæ tunc proficit ad saturitatem animæ, cùm imitamur eius passionem; at de ipso dictus est: *Saturabitur opprobrijs.* & aptè sequitur: *Viuent corda eorum in sæculum sæculi.* nam hic cibus est cordis, & singularem affectum requirit.

Non hærendum parti, hoc est creaturis, sed toti, hoc est Deo.

3 *Aperiam in psalterio propositionem meam.)* hoc est loquar per corpus; sic enim vtitur anima corpore, quomodo vtitur citharista psalterio. pulchrè dictum. testis est Iob, in cuius corpore consumptis carnibus, aridi nerui relicti sunt, quasi chordæ, quæ in Dei laudem resonarent, ad quem vsum labia quoque relicta; nam linguam plectro similem dixere sapientes, Philo, Hieronymus, &c. citharista igitur animus, cithara corpus ex neruis. in hac vita tanquam in certamine musico sumus vnà cum Angelis. quàm dedecet nos absurdè, & absonè canere, cùm illi tàm dulciter? id fit harmonico concentu virtutum.

Animus vtitur corpore, sicut citharœdus cithara.

4 *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem)* patet hoc in diuite, & Lazaro: *Mutauerunt vices ambo: ille à ianua diuitis sublimatus est in sinum Abrahæ; hic ab epulis splendidis missus in ignem. ille requiescit, hic ardebit. ille satiabitur, hic timebit. ille laborauerat in finem, & viuet in æternum; hic vixit in finem, & laborabit in æternum: & quid proderat sibi stillari guttam tantùm aquæ de digito Lazari? sed sic ipse guttam desiderauit, idest de digito, sicut pauper micas de mensa eius.* Notabilis pœna. nam licet sciret, guttam satisfacere non posse tantæ flammæ, tamen sicut minutum quiddam, idest micas ab eo optauerat pauper, ità nunc diues non audet petere, nisi guttam à paupere: vide vt culpæ respondeat pœna.

Discrimẽ inter Lazarum, & diuitẽ in euentu.

Cur diues guttã petiit à Lazaro.

5 *Simul insipiens, & imprudens peribunt.) Quis est imprudens? qui non sibi prospicit in futurum. quis est insipiens? qui non intelligit, in quo malo sit. fac tibi amicos de mammona iniquitatis, & eris prudens. nunquid perdis diuitias, in thesauro Dei ponens? pueri simul ac inueniunt nummos, ponunt in thesaurario, & non aperiunt, nisi postea: nunquid quia non vident quod colligunt, ideò perdunt? ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt: ponis tu in manus Christi, & times? non vult Deus, vt perdas diuitias tuas. sed vt illi locum mutes.* Affert exemplum, vt si quis poneret frumenta in humido loco, vbi putrescerent, imprudens esset. Vide igitur quid sit in Mundo opes accumulare. pulchrè autem ait Dei manus quasi thesaurarium locum esse, vbi opes seruentur. hinc illud Cantic. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis,*

Mundanorum imprudẽtia, & inscitia.

Dei manus locus thesaurarius eleemosinarũ tutus.

6 *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.) Audis diuitem dicẽtem: habeo marmoratam domum, quam relicturus sum; & non cogito mihi æternam domum, vbi semper ero. quando cogitat sibi memoriam marmoratam, aut exculptam facere, quasi de domo æterna cogitat.* nempè & hæc insania Aegyptiorũ erat, qui sepulchra magnifica extruebant, pyramides, & mausolea, quòd ibi in perpetuum futuros esse se dicerent. Sed quid stultius, quàm indè immortalitatem petere, vbi mortis memoria excitatur?

Sumptus inanis in funus, & sepulchra taxatur.

7 *Inuocabant nomina eorum in terris suis.) Hoc est tollunt panem, & vinum ad sepulcra, & inuocant ibi nomina mortuorum. putas quando inuocatum est nomen illius diuitis, postea quando inebriabant se homines in memoriam ipsius, nec descendebat vna gutta super linguam ipsius ardentem.* notabile dictum est; nam eodem tempore, quo hæredes illius diuitis, qui Lazarum spreuerat, iuxta morem libabant abundè vinum inter niuales aquas apud eius tumulum in epulo funebri; diues ipse in inferis ardens, guttam aquæ optabat, nec habebat. deindè

Cùm diues poscebat guttã, eius hæredes inebriabant se in epulo funebri ad eius tumulum iuxta ritũ.

dè morem illum epulandi ad tumulos arguit: *Ventri suo deseruiunt homines, non spiritibus suorum. ad spiritus mortuorum suorum non peruenit, nisi quod secum viui fecerunt. inuocant autem nomina in terris suis; non prauident, nisi quemadmodum nomē eorum, quod reprobatur in cælo, inuocetur in terris.* rectè arguit. quid iuuat in terris nominari, si nomen deletum est de libro vitæ? Tùm pergit inuehi in sumptus funebres, & memorias, & titulos sepulcrales. *Putabant se beatos, si haberent memoriam marmoratam. debuerunt potiùs sibi comparare domum æternam in bonis operibus, præparare sibi vitam immortalem, mittere ante se sumptus.* huc refero illud de obstetricibus Hebræorum ob pietatem in infantes, *Aedificauit illis domos.* æternas scilicet, vt interpretatur Gregorius.

Vanitas in sumptu sepulcrorum taxatur.

8 *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.) Tanquam oues in inferno mortem habent pascentem, quia vitam non putauerunt, nisi istam, quæ verè mors est; nos non habemus pastorem, nisi vitam; si ergo in inferno sunt oues, quibus pastor est mors; in cælo sunt oues, quibus pastor est vita. Quid igitur? iam in cælo sumus? in cælo secundùm fidem, nempè nostra conuersatio in cælis est.* Nota, mors est pastor malorum; si ipse pastor amaritudinem habet, quippe ait Agar Rex occidendus: *Siccinè separat amara mors?* quò, nisi ad sua ducet amara pascua tam infelix pastor? meritò id quidē, cùm Christum pastorem reliquerint, qui ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* & qui dicit: *In pascuis vberrimis pascam eos.* Sacramenta intellige, *Quod confractum fuerat, alligabo, &c.* Quid benignius, & vitalius?

Mors pastor damnatorum velut ouium ad amarissima pascua.

9 *Quoniam cùm interierit, non sumet omnia.) Quid ergo secum sumet? dices, illa secum tollit, vnde inuoluitur, & quod illi erogatur ad pretiosum sepulcrum; ego nec hoc dico; exhibentur enim ista non sentienti.* Rectè, & acutè occurrit obiecto. nam in sepulchris olim thesauri recondi soliti, & quæ maximè viuens dilexisset, secum eò inferebat, sed non dicendus est possidere, quæ se ille habere non sentit.

Sepulcri ornatus possessio non est nō sentientis.

10 *Deus redimet animam meam de manu inferni, cùm acceperit me.) Hic ergo quid? labor, pressura, tribulatio. vbi gaudium? in spe futuri dicit Apostolus: Quasi tristes, semper autem gaudentes. tristitia nostra habet, quasi, gaudium nostrum non habet, quasi, quia in spe certa est; qui somnium indicat, addit, quasi; quasi equitabat, quasi disputabat, quia cùm euigilat, non inuenit quod videbat, &c. ita alibi: Quasi nihil habentes, & omnia possidentes.* acutè notat, cur Apostolus de tristitia loquens, apponat, *Quasi,* non autem in gaudio; quia hoc cùm æternum sit, verum propriè, ac solidum est; at tristitia, & quod patimur in hac vita, penè imaginarium est, & subitò euanescens ob breuitatem. Huc refert illud eiusdem Pauli: *Quod ad præsens est temporale, iuxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus, &c.* vbi nota græcè esse, *iuxta hyperbolem,* quia præmij magnitudo est tanta, vt figuratè potiùs, quàm verè dictum putet ignarus quispiam.

Cur Paulus dicat, quasi tristes, & nō itē quasi gaudētes.

Ex Psalmo XLXI.

1 IN *circuitu eius tempestas valida.) Ventilatura scilicet tam magnam aream,* de iudicio intelligit. cogita igitur quàm horribilis sit futura tempestas, & quāto cū impetu vētorum, vt in totius Mundi quasi area separentur stipulæ innumerabiles malorum à frumento bonorum. Hac occasione exponit illud: *Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim Tribus Israel:* qui numerus perfectionem denotat, sicut cùm in reti capti dicuntur centum quinquaginta tres pisces. de quo numerosic pulchrè: *Attendite Martyrum numerositatem: sola quæ dicitur Massa candida, plus habet, quàm centum quinquaginta tres Martyres.* Vide acutè, cur per talem numerum vniuersitas iustorum intelligatur. Addo, quod aiunt Physici, præcipuas piscium species esse centum quinquaginta tres, quo denotatum est, Euāgelicum rete omni hominum conditione esse complendū.

Magna velut area Mundus ventilāda in die iudicij.

Numerus Martyrū penè innumerabilis.

2 *Immola Deo sacrificium laudis.) Videamus quod vectigal nobis indicit, vt sit Rex noster, & voluit nos esse prouinciam suam: Immola, inquit, Deo sacrificium laudis. expaueram, nè fortè aliquid indiceres, quod esset extra me; ad me redeat, vbi inueniam quod immolem. Ara tua conscientia tua; non imus ad Arabiam thus quærere, &c. verebar, nè si victimam extra me quærerem, ablata esset à fure.* præclarè dictum: *Ara tua, conscientia tua.* nullibi gratius Deo sacrificatur, quàm in bona conscientia. non deest deuotionis thus Arabico suauius; non cordis victima, &c. & illud pulchrè dictum: *Rex noster Deus voluit nos esse prouinciam suam.* tùm ostendit, quare dicatur sacrificium laudis hæc oblatio, quæ fit à nobis: *Quia non ego emi quod offerrem, sed tu donasti, nam nec hoc haberem. sacrificium laudis est gratias agere illi, à quo habes quicquid boni habes.* Rursum ait: *Immola, &c. Surgam, quotidie pergam ad Ecclesiam, dicam vnum hymnum matutinum, alterum vespertinum, tertium, aut quartum in domo mea, hoc quodammodo vectigal indixerat.* pulchrè hoc ad Religiosos, & ad sacris ordinibus initiatos pertinet, horas canonicas recitantes, & ad eos, qui templum oraturi frequentant. hoc vectigal Principi Deo pendimus.

Quod Deus petit à nobis, intra nos est, ideòq; facile.

Ara nostra conscientia est, & nos ipsi victima.

Vectigal, quod Deus Rex exigit à nobis, est laus, & gratiarū actio.

Horæ canonicæ vectigal est, quod Deo pendimus.

3 *Aduersus filium matris tuæ ponebas*

scandalum.) *Detrahit quis fratri suo, est autē alius infirmus; aduersus illū ponit scandalum, huic detrahendo; ideò infirmus ille filius matris dicitur, nondum patris; adhuc lacte indigens, & vberibus adhærens: quibus tanquam paruulis ait Paulus: lac vobis potum dedi: & factus sum in medio vestri, tanquam nutrix fouens filios suos: & filioli, quos iterum parturio. meritò fecerunt ipsi matri, vt iterum parturiret, dum detrahentes aduersus filium matris suæ, ponebant scandalum.* Vide quantum Religioni quasi matri dolorem inferant, qui fratribus detrahendo, alios iuniores scandalizant. acutè autem notat, hos quasi adhuc in spiritu teneros, dici filios matris, nondum patris.

Detractio fratrum quātum dolorē inferat religioni matri.

4 *Statuam te ante faciem tuam.) Fac quod tibi minatur facere Deus: tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis dissimulans à factis tuis; & contitue te ante te. ascende tribunal mentis tuæ; esto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat à te confessio.* pulchrè examen conscientiæ tribunali comparat, vbi idem & accusator, & reus, & iudex, & lictor est. si in hoc mentis tuæ absolutus fueris à Deo, horrendum eius Iudicis tribunal euades. noster Ignatius hoc seriò considerans iubet sæpè nos ipsos quasi reos ad hoc *tribunal mentis* per quinque quasi gradus cōsiderationis ascendere, indicens duplex examen, mane & uesperi.

Examen conscientiæ quasi tribunal mentis.

Ex psalmo L.

1 M*Iserere mei Deus.) Tu Sanctum tibi proponis, vt pecces; hoc amas in David, quod in se odit Dauid. librum Dei, vt pecces, inspicis, scripturas audis Dei, vt displiceas Deo.* Vide quàm impium, & stultum sit, ex scripturis petere defensionem peccandi. Tū in hoc illud primum monet: *De longe Dauid vidit mulierem, in qua captus est; mulier longè, libido propè: attendenda ergo infirmitas carnis.* rectè notat quàm cauenda sit quælibet occasio huius vitij vel remota. aspicis tu vel à longè mulierem; at caro quæ prona est ad peccandum, non longè, sed tecum est. Deinde monet aduersus felicitatem acrius vigilandum. *Hoc peccatum non fecit Dauid, cum Saulis persecutionē pateretur, tantò tunc in Deum intentior, quantò miserior videbatur. vtile est medici ferramentum tanquam contra diaboli tentamentū.* huc spectat illud quod narrat Hieronymus de adolescentes tentato, cui Abbas calumniam confinxit, quæ illum in magnam tristitiam induxit. tum interrogatus ab Abbate, num adhuc tentaretur? respondit: *non licet viuere, & licet fornicari?*

Occasio libidinis vel remota vitāda.

Libidinis periculū in prosperitate maius.

2 *Secundùm magnam misericordiam tuā.) Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. subueni graui vulneri secundùm magnam medicinam tuam.* rectè ait, *magna Dei misericordia opus esse, quia miseria magna est.* Addit, *magis magisque laua me, hoc est valde inquinatum.* sic legit & interpretatur quod habet vulgata, *amplius.* vbi nota, quò quisque se magis considerat, eò magis peccatis fœdum agnoscere.

Magna Dei misericordia opus est, quia magna miseria est.

3 *Iniquitatem meam ego cognosco.)* Iudicauit Dauid ouis occisorem morte dignum: *Suam iniquitatem nondum agnoscebat, & ideò alienæ non ignoscebat. sed propheta abstulit à dorso peccatum, & ante oculos posuit, vt videret, illam sententiam tam seueram contra se esse prolatam.* Tum sic subiungit: *Ad secandum, & sanandum vulnus cordis eius, ferramenunm fecit de lingua eius.* eleganter ostendit, linguam pœnitentis, & confitentis veluti scalpellum medicum esse ad extrahēdā foras peccati saniē. ideo Nathan illam parabolā induxit, vt Dauid contra se ipse ferret sententiam. his addit contra impenitentes: *Multos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. ò incredibilis insania: de vulnere ipso non erubescit, de ligatura vulneris erubescit.* Vides castigationes corporis, & flagella vsque ad sāguinem ad curam potius pertinere, quàm ad pœnam. cum enim soluis ad confessionē linguam, tunc ligas ad salutem vulnus.

Pœnitentia & cōfessio medicum scalpellū est.

4 *Tibi soli peccaui,)* Cur ait, soli tibi, si Vriæ causa necis fuit? *Quia solus ille iustus reprehensor, qui non habet quod in ipso reprehendatur.* at huiusmodi solus Deus est. huc refer illud de adultera, quæ tunc maximè timere potuit, cum accusatores discesserunt, quia remansit solus Iesus, qui erat sine peccato, ac proinde maximè infensus peccato, vt acutè notat Ambrosius. non est igitur nostrum, qui etiam rei sumus, in aliorum reatus insultare.

Cur Dauid dicat se soli Deo peccasse cum Vriā interfecerit

5 *Ecce enim veritatem dilexisti, &c.)* *Niniuitæ dexerunt: Quis nouit, si Deus flectat in melius sententiam suam? incertum erat cum dicebatur; Quis nouit? de incerto pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt.* rectè fidem admiratur. licet sub dubio veniam sibi concedendā sperarēt post pœnitentiam, *si fortè,* tamen seriò, & acriter hanc sponte susceperunt. Adde hoc admirabilius, quod in incerta venia non quālibet egere pœnitentiam, sed inusitatam vsque ad bruta. Tum acutè, & pulchrè exponit quid sit; *veritatem dilexisti, idest impunitum peccatum eorum etiam, quibus ignoscis, non reliquisti: at inquit, Niniue nōn est euersa, sed stetit. ego puto impletum quod propheta prædixerat, respice quæ fuit Niniue, & vide quia euersa est; euersa in malo, ædificata in bono; sicut euersus Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator. si ciues huius Vrbis nugis relictis ad Ecclesiam compuncti corde concurrerent, nonne diceremus, vbi est illa*

Niniuitę etiam si incerti de uenia pœnitentiā egerunt.

Car-

Carthago, quia non est quod erat; euersa est, sed si est quod non erat, ædificata est. ita dicitur Hieremiæ: ecce dedi tibi verba in ore tuo, vt euertas, &c. & rursum, vt ædifices, & plantes. acutè satis ostendit, non vanum, sed verũ fuisse vaticinium Ionæ. dixerat, Niniuen euersum iri, euersa est, non enim iam illa prior Niniue facies, sed altera. non abiit in puluerem inuitò, at abiit in cinerem sponte; non arsit flammâ furoris, sed doloris, &c.

Cur Dauid petierit hyssopo mundari.

6 *Asperges me domine hyssopo, & mundabor.) Hyssopus humilis est herba, sed medicinalis, saxo hærens radicibus.* mysticè mundando cordi accommodandus sensus. tum addit: *hyssopum dicunt purgandis pulmonibus aptum esse. in pulmone notatur superbia; illic enim inflatio, illic anhelitus; inde dicitur Saulus spirans, & anhelans cædes. esto humilis in humili Deo tuo, vt sis excelsus in glorificato Domino Deo tuo. humilitas Christi te mundabit.* Nota: hinc coniicè, cur hyssopus humilis herba, & inflationem purgans sit adhibita, & oblata Christo in cruce cum amara potione, vt videlicet nostra detumesceret superbia, & cor humilitate purgaretur; & quia pulmoni salutaris, vbi fit respiratio, documentum datum est, vt nostra respiratio Christus ipse moriens esset iuxta illud Hieremiæ: *Spiritus oris nostri Christus dominus, captus est in peccatis nostris.* hebraicè est, *respiratio oris nostri Christus.*

Cur Dauid pœnitens aspergi velit hyssopo.

Cur in transfiguratione Christi vestis vt nix alba fuerit.

7 *Super niuem de albabor.) per Esaiam ait; Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, velut nix alba erunt. propterea in monte Christi vestis, vt nix refulsit, significãs Ecclesiam purgatam sinè macula, & ruga.* Vide quàm immaculata etiam debeat esse anima iusti, vt induat Christum. nam vt addit Marcus: *Vestimenta eius facta sunt splendida, & candida nimis, qualia fullo non potest super terram candida facere.* sed potest de cœlo artifex Gratia talia facere, vt quodammodo anima transfiguretur in spiritalem pulchritudinem, & candorem.

Spes de Dei misericordia semper crescit.

8 *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.) Satagit de illo grandi peccato; plus præsumit de medici manu, de magna illa misericordia.* acutè notat; primùm dixerat in singulari, *à peccato meo munda me.* nunc pluraliter. adeò spes Dei pietatis semper crescit, & extenditur de venia etiam multitudinis delictorum.

Cor rectũ idest erectũ ad supera petendum.

9 *Et spiritum rectum innoua.) Quando se homo pronum facit ad terrenas cupiditates, incuruatur quodammodo; cum autem erigitur in superna, rectum fit cor eius; hinc dicitur: Quàm bonus Deus his, qui recto sunt corde.* rectè interpretatur cor rectum, idest erectum. nempè & cor ipsa natura pyramidali forma ad superiora tendens acumine formauit, vt in superna se erigere disceret.

10 *Et spiritu principali.) Intelligunt hic nonnulli Trinitatem dictam; in spiritu sancto, spiritum sanctum; in spiritu principali patrem, quoniam scriptum est: Deus spiritus est.* puto, quia pater principium est, & origo reliquarum personarum. & nota, vt Dauid pœnitẽs singulas tres personas sibi conciliare studeat. incipit autem à secunda persona, idest filio, quia hic à sua stirpe nasciturus & redemptor futurus; de quo loquitur, cum dicit: *redde mihi lætitiã salutaris tui.* hoc est Iesu.

Tota Trinitas cõcilianda in venia peccatorum petenda.

11 *Benignè fac domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.) Non enim sibi tribuit aliqua merita sua: tù cum illa benignè fac, munimenta construantur immortalitatis nostræ in fide, & charitate.* pulchrè hæc vocat æternæ ciuitatis propugnacula, & immortalitatis arcem firmissimam. sed Dei clementiæ, nõ nostris viribus tam præclarum ædificium dicit, quod bona Dei voluntas affabrè architectata sit. huc refer illud; *In æternum misericordia ædificabitur.* quanti sumptus ædificium, & quàm ingens, in quod insumitur æternitas!

Immortalitatis monimentũ Dei architecti opus est.

12 *Tunc acceptabis holocaustomata, &c.) Totos nos diuinus ignis absumat, & feruor ille totus arripiat. quis feruor? de quo dicit Apostolus: Spiritu feruentes. non tantùm anima nostra absumatur ab illo igne diuinæ sapientiæ, sed & corpus nostrum, vt mereatur ibi immortalitatẽ, vt absorbeatur mors in victoria.* facit hoc pro nostro Stanislao, cui pectus ità succensum erat amore diuino, non modo animà, vt madidis aqua pannis temperare oporteret ardorẽ. ferè idem Rupertus de quadam religiosa virgine narrat. Vide autem quantum amoris diuini incendium excitandum sit, vt nõ modò in anima quicquid vitiosum est exurendo, ac purgando velut absumatur; sed et corpus ipsum in resurrectione, quicquid mortale est absumptò, in immortalẽ tranferatur statũ; quod frustra Calanus ille philosophus egit, qui se in ignem coniecit, vt absorberetur quod mortale esset. at hic non nisi ignis diuini effectus est.

Feruor spiritus absumens quicquid in anima vitiosum, & in corcore mortale.

Ex psalmo LI.

1 Titulus est: *Cum venit Doegh Idumæus, & nunciauit Saul, &c.) Mors significatur in Saul, & vita in Dauid. etenim nos non persequitur nisi mors, de qua in fine triumphabimus dicentes; Vbi est ò mors contentio tua? &c. Saul interpretatur, appetitio: ipse homo sibi appetiuit mortem, & ideò appetitio nomen est mortis; nã sicut scriptum est: Deus mortem non fecit; impij autem manibus, & verbis accersierunt illam; appetendo in mortem irruerunt.* 1. Cor. 21

figurata igitur in Saul ipsa mors est; ideò psalmus decimus septimus habet titulum: In die, qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum, & de manu Saul. dixit omnes inimicos eius, quid est, & de manu Saul? quoniam exemit nos ab inferis, & de manu mortis liberauit nos. acutè notat, cur cum dixisset de omnibus inimicis suis, adhuc singillatim dicat de Saul. quia nunc de manu diaboli per gratiam liberamur, & tandem de manu mortis per resurrectionem. acutè item notat, cur Saul, idest appetitio dicatur mors, quia cum appetitui nostro consentimus, mortem & appetimus, & oppetimus simul. nos ipsi accersimus nobis mortẽ manibus nostris, hoc est male operando. & Adam manum ad pomum vetitum extendendo.

Mortem homo ipse accersiit sibi.

2 *Venit in domum Abimelech.) Alibi Achis dicitur. & dimisit eum, & abyt. Abimelech interpretatur, patris mei regnum, quod Christus dimisit, & ad gentes transiit. in hac vita mali misti cum bonis; duplex est genus hominum, alterum in profundum cor mittentium, alterum cor cum Angelis coniungentium.* Addit, nec de illis omninò desperandum, nec de his continuò gratulandum. vbi vides quanta in nobis perfectio requiratur, *vt cor cum Angelis coniungamus:* quod fit per Angelicos mores, & sanctæ dilectionis affectum. de hoc tamen monet, non superbiendum; nam *plerumq; qui negotijs sæcularibus implicati sunt, cor habent sursum; & isti qui cœlestes se ipsos prædicant, cor trahunt in terram.* Magnum continet pro religiosis documentum hæc vox, qui non rarò à sæcularibus virtute superamur; de quo sic pulchrè. *Purpuram gerit quispiam; magistratus, proconsul, Imperator est, rempublicam gerit terrenam, sed cor sursum habet, si contemnat ea, in quibus est, & speret in quibus nondum est, de quo genere fuit illa sancta mulier Esther, quæ cum esset vxor regis, in oratione dixit, ità sibi fuisse illa ornamenta regalia, sicut pannum menstruatæ.* quod ait de purpuratis, qui inter regni curas cœlestem habeant cõuersationem, patuit in S. Henrico Imperatore, & alijs dynastis; testatur hoc & Ferdinãdi Cæsaris pietas. quod autẽ de regiis insignibus spretis ait, habes apud Valeriũ M. eius regis dictum de diademate, quod ob innumeras molestias animi, neque in limo inuentum, inde colligi deberet.

Iusti cor suum cum Angelis coniungunt per Angelicos mores, & charitatis affectum.

3 *Tota die iniustitiam cogitauit, etc.) Expectamus huic homini pœnam? parua sibi pœna est? minaris ei? tu cum ei minaris, quò eum mittere vis? in malum? dimitte illum in se: licet multum sæuias, subiecturus es bestijs? at in se ipsum peior est bestijs; interius in se ipsum sæuit, & tu exterius plagas exquiris? immò ora Deum pro illo, vt liberetur à se.* eleganter ostendit non esse cur vindictam expetas ab impio, quia ipse sibi lictor est; bestiam vocat corpus, lacerat autem ipse sibi cor inuidus. pulchrè, & piè ait: *Ora Deum, vt liberetur à se.* Vide quàm infelix sit peccatoris status, vt ipsum hostem misereat lanienæ.

Nulla maior vindicta impii quàm ipsius mala consciẽtia.

4 *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.) Ecce quid faciunt Sanctis mali, capillos radunt; quid faciet nouacula Doegh habenti secum Deum? caluum factura est? & hoc ad Christum pertinet, qui in loco Caluariæ crucifixus est. faciet filium Core, quod interpretatur caluitium; superflua tantùm, scilicet tẽporalia radere possunt, non sempiterna auferre. ergo acuat nouaculam suam Doegh, ablatura est superflua temporalia, nunquid necessaria? sempiterna nullo modo.* Rectè ostendit quàm contemnenda sit persecutio in proscriptione, & spoliatione bonorum, vt faciunt catholicis hæretici. nouacula est, capillos, idest superflua tollit, decorat potiùs, politq;

Iustũ persecutio nõ lædit, sed decorat.

5 *Dilexisti malitiam super benignitatem.) Vis leuare aquam super oleum? at demergetur aqua, oleum supereminebit. super cœlum terram vis tollere? pondere suo cadet terra in locum suum: nunquam benignitatem malitia superabit.* pulchrè oleo benignitatem comparat, malitiæ aquam. semper virtus supernatat, ac supereminet, frustra eam deprimere conantur. rectè autem virtus oleo comparatur, quod est ignis nutrimẽtum, idest diuinæ dilectionis. aquæ autem fluxæ res huius seculi.

Virtus semper supereminat vt oleũ aquæ.

6 *Dilexisti omnia verba submersionis.)* sic legit, vbi vulgata habet: *Præcipitationis.* Tùm sic: *Naufragium fugis, & plumbum amplecteris? tabulam apprehende, crux te perducat.* rectè arguit eos, qui terrenis adhærent in naufragio animæ. malitia plumbum est; hinc illud in os iniquitatis immissum apud Zachariam talentum plumbi: & illud de Aegyptijs: *Demersi sunt in mari quasi plumbum.* an non plumbea verba sunt detractoria, maximo cum naufragio detractoris potiùs, quàm eius, de quo detrahitur? sicut è contrario dicenda sunt verba aurea, quæ laudatoria.

Verba detractoris submersionis dicuntur.

7 *Sperauit in multitudine diuitiarum suarum.) Non pecunia in diuite, sed cupiditas est damnanda. respicis diuitem stantem, & fortè in illo est pecunia, & non auaritia; in te non est pecunia, & est auaritia. pauper ille vlcerosus fortè nec habens vestem, sublatus est ab Angelis in sinum Abrahæ: non est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis: nam quò sublatus est? in sinum Abrahæ. lege Scripturam, & inuenies apud diuitem Abraham multum auri, atque argenti: diues erat, & in sinum eius pauper Lazarus sublatus. in sinu diuitis pauper, ac potiùs ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes.* pulchrè ostendit affectum esse considerandum. vterq;

Diues potest esse affectu pauper, ut Abrahã.

Cur Lazarus pauper sit translatus in sinum Abrahæ diuitis.

san-

sanctus,& Abraham diues,& Lazarus pauper: quia vterq; affectu pauper. alioquin quæ cognatio fuisset inter vnum pauperé, & alterum diuitem? vt illum hic amplexaretur, & sinu suo foueret. deinde ait: *Non tunicas inspecturi sumus in cœlo, sed vestis cuiq; fulgor iustitiæ deputabitur. erunt ergo pauperes induti stolis immortalitatis, & fulgebunt sicut Sol in regno patris sui.* Vide quo indumento beati ornandi sint, præ quo pannosos dixeris diuites purpuratos.

Ex Psalmo LII.

1 D*Ixit imprudens in corde suo: Non est Deus.) Timendo hoc dicere, in corde suo dicit, quia ore dicere non audet.* nempè ipsa natura proclamat, opificem oportere esse tantæ, ac tam pulchræ molis. huc facit quod ipsi Athenienses Philosophũ illũ damnarunt dicentem, nullum esse Deum. Addit, qui ità liberè viuunt, ac si Deo non displicerent malefacta, eos quasi negare esse Deum, quia si est Deus, iustus est, ergo puniturus malos.

Nemo audet palam negare Deum esse.

2 *Deum non inuocauerunt.) Nonnè quotidiè tales rogant Deum? non rogant; Deus gratis se vult coli, gratis diligi. Qui Deum inuocat, vt diues fiat, Deum non inuocat, sed quod ad se vult venire. non vis vt Deus ipse ad te veniat, sed diuitiæ. si Deum inuocares, ipse esset diuitiæ tuæ. tu verò vis habere arcam plenam, & inanem conscientiam. Deus non implet arcam, sed implet pectus.* Eleganter dictum. hoc animaduertas in Xauerio maximè, cuius pectus ita Deus implebat, vt se expectoraret manibus, velut incapacem arcam tot diuitijs fassus. acutè autem ait, non inuocari Deum, cùm inuocatur ex affectu rei terrenæ; quia inuocare est ad se vocare. Vide igitur quid optes. petiuerãt Iacobus, & Ioannes vnà cum matre, sedere à dextris, & à sinistris in regno, vt putabant, temporali, & tamen ijs dicitur postea: *Vsque modo non petistis quicquam, &c.*

Petere aliud, quã Deum, non est petere.

3 *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.) In dubium veniant pecunia, & fides; tu, vt aurum teneas, fidem perdis, grauiori damno percuteris, & de lucro lætaris.* Nota stultitiam, quò refert & illud: *Si dimiserimus eum, venient Romani, & tollent locum nostrum. O stultitiam. timuisti perdere vitam, & perdidisti cœlum. timuisti nè venirent Romani, & tollerent locum, & gentem; nunquid tibi tollerent Deum? perdidisti & locum, & gentem, & Christum.* Rectè arguit & stultum Iudæorum consilium, & auari, qui fidem pro auro amittit, quamobrem auaritia idolorum seruitus dicitur; ac sepè aurum quoque amittitur ob infortunium, ac tandem certè relinquendum in morte.

Qui temporalia præponit æternis, vtrumq; amittit.

Ex Psalmo LIII.

1 T*Itulus est: Intellectus ipsi Dauid cum venerunt Ziphei, &c.)* Vicus erat Ziph, vnde Ziphæi, qui prodiderunt Dauid: *Ziphei interpretantur, florentes, omnis enim caro, vt flos fœni, fœnum aruit, & flos decidit. florent in sæculo, arescent in iudicio, & post ariditatem in ignem æternum mittentur. si flos Ziphæorum appetendus esset, nonnè ipse Dominus in hoc sæculo floruisset? sed maluit inter Ziphæos latere. mulier sancta Esther omnia illa insignia tegebat; sic sibi esse ait, velut pannum menstruatæ. si hæc mulieres possunt, viri non possunt?* Vide vt mundani, qui rebus temporalibus florẽt, Christum persequantur, & prodant. *Florent in sæculo, arescent in iudicio.* certè in Euangelio de illo habes: *Arescentibus hominibus præ timore, &c.* Rec. autem admiratur in muliere despectum terreni fastus: quæ tandem erit viri generositas, si tanta in imbelli sexu? 1.Reg.23

Florentes in sæculo arescent in iudicio

2 *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium, &c.)* hoc est laboro in hac cogitatione, cur mali floreant? sed id suo tempore intelligam. *Remanet & nobis flos, sed qui non cadat. In atrijs, inquit, domus Dei nostri florebunt.* Alludit ad nomen Ziphei, idest florentis. huc refer quod impij ipsi fatentur: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* at Petrus ait, iustis paratam *Immarcescibilem coronam.* in græco est, amaranthinam; amaranthus semper viret.

Flos præsentis sæculi caducus, futuri semper virens.

Ex psalmo LIV.

1 T*Itulus est: In finem in hymnis, intellectus ipsi Dauid.) In hymnis, hoc est laudibus; siuè enim tribulemur, siuè lætemur, ille laudandus est. gaudes? agnosce patrem blandientem; tribularis? agnosce patrem emendantem.* Eleganter dictum. Addit: *Quid est intellectus ipsi Dauid? quia pertinet ad nos magna cura intelligendi, in quo malo nunc simus, & id, quo malo vt liberemur, optemus. inter multas igitur tribulationes huius sæculi plangit psalmus iste de intellectu. ille cum isto non plorat, qui non habet intellectum.* Nota de mundanis, qui ducunt in bonis dies suos in lætitia bacchantes, ac vide quid sit terrena sapere, desipere. sapientia vera est cognoscere præsentem miseriam, & eam flendo, ad supernam felicitatem auidius aspirare.

Intellectus verus positus est in cognitione de præsenti miseria, & futura felicitate.

2 *Contristatus sum in exercitatione mea.) In tribulatione positi verba sunt ista: Vbi omnis malus ideò viuit, aut vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur, ne putetis gratis esse malos in hoc Mundo, & nihil boni de illis agere Deum. omnis malus, aut ideò viuit,* vt

Cur Deus permittat impios viuere?

vt corrigatur, aut vt per illum bonus exerceatur. Vide vt Deus vel mala dirigat ad bonum, ob summam eius tum sapientiam, tum pietatem. Nec tamen impium derelinquendum dicit, nam nonnisi de diabolo desperanda est correctio: *Plerumq; verò tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti.* Addit exemplum diuinæ clementiæ: *Inimico tuo, quem intolerabiliter pateris, quid præstitisti? si Deus eum habet inimicum, cui tanta præstitit, & facit Solem suum oriri etiam super malos, tu qui tot ista non potes, ne vnum quidem seruabis, pacem?* Rectè argumentando conuincit. Deus potiùs irritationis materiam habet, quia inimico tot beneficia contulit, & ipsam hanc lucis vsuram donauit, & tamen ingratum tam piè fouet.

De nullo quãtumuis scelesto in hac vita desperãdũ.

3 *Declinauerunt in me iniquitates, & in ira adumbrabant me.*) Sic legit, vbi vulgata: *In ira molesti erant mihi.* huc pulchrè refero animositatem illius Ducis, qui cùm deterreretur ab alijs, quòd hostes nube sagittarum innumerabilium cœlum obnuberent, respondit: commodùm, nam in vmbra pugnabimus. *In ira adumbrabant me.* ad hanc iaculorum adumbrationem videtur spectare quod subiungit: *Opprobria iaculaturus est? gaude. ille in terra geminat conuicia, tu in cœlo lucra.*

Persecutionis iacula obumbrant, non lædunt.

Valer. M.

4 *Contexerunt me tenebræ.*) Ioannes ait: *Qui odit fratrem suum, in tenebris manet; si enim dilectio lumen est, odium tenebræ sunt, &c.* huc refer, quòd imitari Patrem Christus iubet: *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* ideò enim suadens iram deponere, Solis videtur meminisse orientis, quia qui in ira est, in tenebris est. caligo mentis est furor.

Ira caligo quædã est mẽtis.

5 *Quis dabit mihi pennas columbæ? &c.*) *Columba pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. nihil tam amicum gemitibus, quàm columba. diù, noctuq; gemit, tanquam hìc posita, vbi gemendum est.* pulchrè ait, columbam quasi agnoscere terrenam hanc habitationem esse gemitus locum. tùm de eius volatu sic: *Columba religata affectu, non cupiditate, volare non poterat, propter implendum officium, non propter paruum meritum.* ita Paulus cupiebat dissolui, & esse cum Christo, & tamen necessarium videbat esse in carne propter vtilitatem Ecclesiæ. quod Martinus morti proximus aiebat: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Tùm vide quibus alis induti cœlum petere debeamus, columbæ pennis candidis, immò argenteis, iuxta illud: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, &c.* Mors iusti dormitio est. his etiam pennis ad Religionem euolandum. nam ait: *Aut mortem optabat, aut solitudinem desiderabat.* quamquam religiosus status mors quædã ciuilis est ob continuam mortificationem. Longobardi quoque in sepulchris columbam sculpere soliti, tanquam inde tandem euolaturam in cœlum.

Colũba dilectionis cum gemitu typus est.

Gemitus ob desiderium çterrorũ per columbã indicatus

Ad religionem columbæ instar euolandum.

6 *Vidi contradictionem in ciuitate.*) *Dicimus: Christus est Dei Filius, contradicis. attende saltem gloriam crucis: iam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultauerunt. effectus probauit virtutem. domuit Orbem non ferro, sed ligno.* Est hoc contra Gentiles, & hæreticos Ecclesiæ contradicentes, sed contradictio cedit in gloriam. est autem illud præclarè dictum: *Iam in fronte Regum crux illa fixa est, &c.* hoc est in diademate. item illud: *Domuit Orbem non ferro, sed ligno.* immò quod ferrum non potuit, potuit lignum: Romana enim arma vltra Britanniam non peruenerunt; crux etiam noui Orbis sceptrum est.

Crux in fronte Regũ, & domitrix Orbis.

7 *Non defecit de plateis eius vsura, & dolus.*) *Est vsura peior, cùm non dimittis quod tibi debetur. quid enim facturus es, quando oraturus ad ipsum versum venies? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c. preces tibi composuit cœlestis iuris peritus; qui nouerat, quid ibi ageretur, ait: Aliter non impetrabis. ipse aduocatus, & iurisperitus, & assessor partis.* pulchrè dictum de condonanda iniuria ex iudiciali more. Addit acutè: *Passus es malum? ignosce, ne duo mali sitis.* nam & ille impudens, & tu immanis.

Nolle ignoscere pessima vsura est.

In vltione inimici duplex malum.

8 *Descenderunt in infernum viuentes.*) *Idest scientes se perire. sed quare maximè ipsos Duces terræ hiatus absorbuit viuos, populum autem illis consentientem è cœlo irruens ignis absumpsit? veniat mors super eos, propter illos dixit, super quos venit ignis de cœlo. & statim adiunxit: Descendant in infernum viuentes; propter Duces, quos terræ hiatus absorbuit. à minoribus cœpit, ad maiores conclusit, quia Duces, & Principes scripturas tractant, & nouerunt quomodo Ecclesia per totum Orbem diffusa, &c. ideò viuentes ad inferos descendent, quia malum, quod faciunt, malum esse nouerunt.* deterret hoc in primis Religiosos malos, qui magis quàm sæculares instructi, clarius offensam Dei norunt. igitur Ducibus se infernus statim aperuit, in alios cœlum exarsit. illi animaduertebant pœnam suam in descensu, quia animaduerterant legem.

Cur duces absorbuit tellus, in cæteros cœlum exarsit?

Magis puniendi q plus dignitatis vel scientiæ habuerint.

9 *Quoniam nequitia in hospitijs eorum in medio eorum.*) Sic legit vbi vulgata: *In habitaculis.* Tùm sic: *In hospitijs, vbi peregrinantur, & transeunt: non enim hìc semper futuri sunt, & tamen pro animositate temporali sic pugnant. In medio eorum: nihil tam mediũ, quàm cor.* rectè arguit de breuitate temporalis honoris, & fastus mundani, qui permanens non est. hospitio cordis excipi dicitur, non domicilio, quia mox abit, & euanescit. acutè notatum. dignitas, vel volu-

Voluptas hospita cordis, qa transiens.

luptas hospita est, nec domina, nec inquilina; in transitu est; hinc post breuem voluptatem adulterij Dauid parabolam accepit à Nathan Propheta de hospite: *Cum peregrinus quidam venisset ad diuitem, &c.*

2. Reg. 12

10 *Vespere, & mane, & meridie narrabo.) Finis in meridie est, sed inde non declinatur in occasum. in meridie lux excelsa, vt splendor sapientiæ, feruor dilectionis. vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. vespere narrabo pœnitentiam morientis, mane annunciabo vitam resurgentis, meridie orabo, vt exaudiat me, sedens ad dexteram Patris. quanta securitas! quanta consolatio!* acutè notat, cur non seruet naturæ ordinem, mane, meridie, & vespere? sed hic in meridiem definit. quia meridies significat gloriam ascensionis, cui tamen non succedit occasus. meritò autem ait, hæc omnia pro nobis sic disposita mysteria continuò in ore habenda cum laude.

Vesper mors, mane resurrectio, meridies ascensio.

11 *Iacta in Domino curam tuam.) Occurrit nescio quis tanquam naui fluctuanti, & dicit: Ego excipio. responde, portum quæro, non saxum. iacta in Domino curam tuam, & vide quia te portus excipiet.* huc facit quod sequitur: *Non dabit in æternum fluctuationem iusto. Antequam intres in portum, ab anchora noli abrumpi. fluctuat nauis in anchoris, sed non longe à terra proijcitur; ad tempus fluctuat, anchora spes est.* nempè primò nautæ dant signum in magna tempestate, vt alij succurrant naui, at nobis nonnisi ad Deum recurrendum est; interim spe vtendum, vt anchora. ac vide quid respondendum sit Mundo opem tibi promittenti: *Portum quæro, non saxum.* præclara vox: nam Mundo fidere, est in scopulum incidere, & fieri naufragium.

A Mūdo regi est ferri in saxa, non portum.

Ex psalmo LV.

1 *Titulus est: Cùm tenuerunt eum, &c.) Aliquam domum intraturi, cuius sit, ad quem pertineat, in titulo inspicimus; ita in superliminari Psalmi habemus inscriptionem: Cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth. Allophyli, idest alienigenæ. nempe Iudæi, qui eum non agnouerunt.* elegans similitudo de psalmi structura tanquam de augusta domo cum epigraphe. Nota quanta vis ad interpretationem sit in titulo, ad quem referri possunt quæ in psalmo ipso dicuntur. deinde sic ad mysterium refert: *Geth, interpretatur torcular, tenetur in torculari corpus Christi, idest Ecclesia eius; in torculari, idest in pressura, sed fructuosa pressura; iniuria videtur fieri vuæ, dum calcatur; sed ista iniuria sterilis non est. ait hic propheta: Miserere mei, quia conculcauit me homo: noli timere quia conculcat te homo, vinum habeto, vua factus es, vt calceris. primus botrus in torculari pressus est Christus, cum in passione expressus est, manauit illud, vnde calix inebrians iam præclarus est.* egregiè despectum, & vexatum iustum conculcatæ vuæ comparat, vbi species iniuriæ redundat in gratiam. Tum affert illud Apostoli. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur. ergo si nihil pateris, non dum cœpisti piè viuere; non dum ingressus es torcular: præparare ad pressuras; sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.* huc refero illud, quod Nicephorus narrat de S. Euphemiæ corpore, quod multò post mortem copiosè fundere solebat sanguinem. de Abele item dicitur, *Vox sanguinis clamat*, vt est in hebræo. nimirum copiosissimo tot Martyrum sanguini præiuit, quò fuit vindemia lætior. quid de Ianuarii nostri sanguine dicam? qui post tot sæcula quasi nuper de torculari martyrij sumptus suauissimi musti instar æstuat, & ebullit.

Afflictio torcular est qua conculcamur vt exprimatur lætitiæ vinum.

2 *Pro nihilo saluos facies) Desperati sunt, sed tu verbo sine labore curas, quamuis nos stupeamus inspiciendo.* Vide quàm facile Deo sit ex summis malis eripere ad miraculum. Addit alium sensum præclarū *Pro nihilo, hoc est nullis præcedentibus meritis, saluos facies eos.* immò in Paulo potius præcesserant demerita, quibus dānaretur. *Non ad te afferet arietes, tauros, aromata, aliaque dona. Sed vnde saluentur? gratis data gratia tua. quid ille latro attulerat ad crucem? de fauce venit ad iudicium, de iudicio ad lignum, de ligno in paradisum. credidit, propter quod locutus est; sed ipsam fidem quis donauit, nisi qui iuxta pependit?* Vide per quos gradus latro peruenit ad regnum: mira res. ex scelesto reus, ex reo damnatus, ex damnato beatus.

Pro nihilo idest nullis meritis nostris Deus nos saluat.

Latronis mirus saltu, e rapina in cœlum.

3 *In ira populos deduces.)* sic legit, vbi vulgata, *confringes.* cū sic: *Irasceris, & deducis; sanas & saluas; terres, & vocas; quid est enim, in ira populus deduces? imples tribulatione, vt recurrant ad te, ne delicijs seducantur à te; ira videtur, sed paterna. quàm multi impleuerunt domum Dei in ira eius deducti?* Notabilis locus de perferendis aduersis. multi sunt in cœlo, quibus ipsa ira Dei dux fuit ad cœlum, iter strauit, introduxit, euexit in regni culmen ipsa depressio. quid hoc admirabilius? nisi illis irā suam ostendisset per flagella, non resipuissent, ac proinde saluati non essent.

Ira Dei, hoc est afflictio multis dux fuit ad regnū.

4 *In me sunt, Deus, vota tua &c.) Quod Deo dem, idest Dei laudes, nemo mihi eripit, quia in corde inclusum est. eripit quis aurum, argentum, nunquid auferet vota, quæ in me sunt? abstulit omnia Iobo tentator, & hoc non paulatim, sed cateruatim vno ictu, vno impetu: solus remansit Iob, sed in* illo

Internas animi opes diabolus Iobo furari non potuit.

illo erant vota laudis, quæ redderet Deo, arcam sancti pectoris sui fur diabolus non inuaserat; plenus erat vnde sacrificaret; quæ habebat, retulit; sit, inquit, nomen domini benedictum. ô diuitiæ interiores, quò fur nõ accedit ipse dederat Deus, vnde accipiebat. de agro daturus es? ipse pluit, de corde dare vis? ipse dedit fidem, &c. rectè exponit, in nobis, siue intra nos esse quod offeratur Deo, & hoc ab ipso Deo esse, qui accipit. pulchrè item vocat, *arcam sancti pectoris.* plenam interioribus diuitiis. his adeo plena erat arca sancti pectoris Xauerij, vt cum eas capere non posset, clamaret: sat est domine, sat est. sed quid dicemus de Ioanne, *qui supra pectus domini recubuit?* hoc est, *super arcam sancti pectoris plenã interioribus diuitijs,* nẽpe *in quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ, & sciẽtiæ Dei.* inde videlicet hausit illas diuinæ sapientiæ ingẽtes opes, *In principio erat Verbũ &c.* Addit diabolũ non agnouisse Iob in corde, cum dixit, *non gratis colit Deum.* & ideò permisit Deũs, vt cor eius pateret per flagella. tũ sic laudat; *Remansit Iob solus à facultatibus; solus à suis, plenus Deo. vxor sanè relicta est: misericordem putatis Diabolum, quia reliquit vxorem? nouerat per quam deceperat Adam; suam reliquit adiutricem.* acutè diaboli versutiam carpit. Pergit in eodem sic: *Vulnere percussus totus, integer tamen intus respondit ac lumine viuentiũ, de lumine cordis sui; lumen enim viuentium sapientia. poterat tunc vxor virum amplius amare, si pulchritudinem interiorem sufferre, & inspicere potuisset. vbi ille pulcher erat? coram oculis domini; quia in illo erant vota quæ redderet Deo. quàm integrum erat patrimonium quod possidebat &c.* præclarè dictũ; Iob cũ totus cõscissus esset vulneribus, tamẽ integer erat intus. In tenebris, vt ipse de se dicit, strauerat lectulum suum, tamen radiato diuinitus corde micabat. responsa sapientiæ plena dabat, *de lumine cordis sui* vt mirum non sit quod postea vni ex filiabus nomen indiderit, *Diem.* certè diei parens Sol est. deinde pulcher dicitur Iob, vel cũ in sterquilinio iaceret vermibus, solùm quia in se Dei laudes habebat, ob quem odorem orationis, alteram filiam vocauit, *Cassiam,* Denique adeò erat integrum illi patrimonium, quod frustra inimicus abstulerat, vt tertiam filiam appellarit iuxta 70. *cornu Amalthea* propter abundantiam scilicet.

Ioannes recumbẽs super pectus Christi quasi diuinarũ opum plenissimam arcam.

Iobi pulchritudo interior inter vermiũ sordes.

Ex psalmo LVI.

1 **T***Itulus est; In finem, ne corrumpas in tituli inscriptionem.) Indignati sunt Iudæi, quia inscriptus erat titulus: Rex Iudæorum. puduit illum habere regem, quẽ crucifixerant: non viderunt quia ipsa crux futura erat in frontibus Regum.* ideò tollendum curabant, sed ait Pilatus: *Quod scripsi, scripsi,* id est, ego non corrumpo veritatem. sepulchrum autem, quod excisum erat in petra, velut spelunca erat, quò Dauid fugit à facie Saul. resurrexit Dominus ex illa spelunca illæsus, vt Dauid. aperta prophetia est de titulo crucis. sed cur tanta Deo cura de titulo illo ne tolleretur? puto quia rex Iudæorum idem est, ac rex cõfitentium, vt interpretatur supra Marcum auctor inter opera Hieronymi. Tum nota vt spelunca illa illustrata sit Christi corpore: *& erit sepulchrum eius gloriosum.* excidamus & nos in pectore velut in petra huiusmodi speluncam.

Cur tanta cura in psalmo de titulo crucis.

2 *Dedit in opprobriũ conculcãtes me.) idest Iudæos. videte; dispersi sunt per omnes gentes; codicem portat Iudæus, vt credat Christianus; librarij nostri facti sunt; quomodo solent serui post dominos codices ferre, vt ipsi portando deficiant, illi legendo proficiant.* acutè & eleganter Iudæos irridet vt librarios nostros, & quasi famulos, ac mancipia Christianorum.

Iudæi dispersi per orbem librarii Christianorũ sũt.

3 *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum.) Quomodo infantes faciunt sibi sagittas? de cannis. talis sagittæ quæ vires? qui ictus?* sic Iudæi inaniter in Christum sæuierunt mox resurrecturum. vbi nota; cũ cannas illas in manu Christi dederunt, ostenderunt se inaniter sæuire, sicut ipsa arundo inanis est.

Iudæi velut arũdinatis sagittis pueri Christum frustra lædere conatis

4 *Exurge psalterium, & cithara.) Psalterium organum est quod quidem manibus fertur, percutientis, & chordas distentas habet; sed illum locum, vnde sonum accipiunt chordæ illud concauum lignum, quod pendet, & tactum resonat, quia concipit aerem, psalterium in superiore parte habet, cithara in inferiore. per carnem suam Christus duo genera factorum operatus est, miracula, & passiones; miracula desuper fuerunt, passiones de inferiore. caro ergo diuina operans psalterium est, caro humana patiens cithara est. sonet psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, surgant ægroti, resurgant mortui: iste est psalterij sonus: sonet & cithara; esuriat, teneatur, flagelletur, crucifigatur.* pulchrè Christum in cruce citharã fuisse dicit, quandoquidem tanta cũ suauitate dilectionis, ignoscẽs vel inimicis obijt. & si cithara quorundam lapides traxisse fingitur, de hac dicitur: *cũ exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum* certè in eius morte, saxa ipsa e suis euulsa sunt locis. quanquam & psalterium tunc fuit supernè resonans, ob miracula, & prodigia, fugiente Sole, tremente terra, &c.

Christus cithara per passionem, psalteriũ per miracula.

5 *Magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.)* Videretur potius dicendum, magnifica-

Cur Dauid ponat misericordiam in cœlo & veritatē in terra.

ficatam veritatem vsque ad cœlos: *Etenim in cœlo Angeli laudant Deum, videntes ipsam speciem veritatis; ibi veritas; sine caligine. sine interpellatione falsitatis: hic autem in nostra miseria vtique misericordia. sed nubes sunt prædicatores veritatis, inde Deus, & coruscat miraculis, & tonat præceptis; veritas igitur præpollet in Angelis, sed dedisti illam & hominibus, & præbendo illis misericordiam in communione resurrectionis Angelos facis; ideò magnificata est misericordia tua vsque ad cœlos. gloria Deo nostro, quia nec deseruit nos misericordia facere beatos per gratiam suã; nec fraudauit nos veritate, quæ carne cooperta venit ad nos, vt eam postea facie ad faciem videre possimus.* Acutè quærit, & respondet, cur misericordiam, quæ ad homines est, ponat & cœlis; & veritatem, quę ad Angelos spectat, terram versus? quia nimirum ex misericordia faciet nos in cœlis æquales Angelis; & ipsorum veritatem, & Dei cognitionem communicat hìc hominibus.

Ex psalmo LVII.

Peccator tribunal conscientiæ secū circumfert.

1 *IVdica causam meam.) Iudicis tribunal est in mente tua; sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor.* paucis ostendit quàm districtè reus peccator sententiam subeat: non potest effugere se ipsum, ergo nec tribunal, quod secum circumfert. adest scelerum testis, adest lictor. quàm infelix est qui semper hæc spectat, & secures penè ceruicibus intentas horrescit?

2 *Iniquitatem manus vestræ connectunt.) Quandiù connectis, ligas peccatum peccato; nō solùm vincula, sed criniculi sūt, criniculi, qui fiunt intorquendo, hoc est peccatis peccata nectendo: scriptum est: criniculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. & vę qui trahunt peccata sua sicut restim longam. porrò sicut peccatis suis quisque constringitur, sic & peccatis suis cæditur. ideò dominus male versantes in tēplo flagello de resticulis facto exclusit. delectant nunc te hæc vincula, sed in fine senties; ligate illi manus, & pedes, &c.* acutè dictum; nunc peccata peccatis nectimus, & quasi funem facimus contortum; hoc ipso fune vapulabimus, & vinculum cedet etiam in flagellum. Vulgata habet, *Iniquitates manus vestræ concinnant.* Heliogabalus præuidens se ob multa flagitia tandem fune trahendum, concinnauit sibi ex auro, & serico restim, quasi nobiliter sic trahendus, sed fœdissimè tractus est vnco. frustra igitur peccator vario prætextu concinnat iniquitatem: vlciscar, inquit, ne familiæ dedecori sit iniuria, &c.

Peccator sibi laqueum parat nectendo peccata peccatis.

3 *Sicut aspidis surdæ, obturantis aures suas, &c.) Non laudat Marses incantantes, sed similitudinem inde accipit: sicut neque cum Apostolus ait; Non sic pugillor, quasi aerem cædens, ad pugillatum, & pancratium nos hortatur.* Deinde sic exponit. *Cum Marsus incantat, vt educat aspidē de cauerna in lucem, illa amans suas tenebras, recusat audire, allidit vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram. in cauda posteriora intelliguntur; ergo nec ex præterita vita nostra, nec ex præsenti delectari debemus. hoc monet Apostolus dicens, quem aliquando fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis? reuocat à recordandis cum delectatione præteritis. quid de præsentibus quomodo iubet & ipsa contemni? nec respicientibus, inquit, temporalia, sed quæ non videntur æterna. si præsens te vita delectat, aurem in terra posuisti; si præteritis illis delectaris, aurem de cauda obturasti; debes ergo ire in lucem, exire de tenebris; audita voce medicamenti medicati à sapiente, vt dicas: Quæ retro oblitus, in ea, quæ ante sunt extentus. cum dicit, quæ retro oblitus, non obturat aurem de cauda. cum dicit, in ea quæ ante sunt, extentus, his præsentibus non obsurduit. meritò exultat lingua eius prædicans veritatem in luce noua, deposita vetere tunica.* acutè naturam aspidis in peccatore ostendit, quia ne sapienter Dei verbo incantetur, vnam aurem terræ defigit inhærens præsentibus voluptatibus, alteri quasi caudam infigit, inhærens præteritis: ita semper in latebra est. at Paulus audiens incantantem prodit in lucem; nam lux cum in conuersione circumfulsit. & rectè quasi anguis renouatus dicitur, quia *quasi squamæ ceciderunt ex oculis eius.* Tum astutiam serpentis in hoc imitandam ait: *Offer omnia membra tua percutienti, dummodo caput integrum serues, idest Christum.* & vt quasi senectam veteris hominis deponas, recole illud Apostoli. *exuentes veterem hominem, & induentes nouum.* atque vt serpens id agens, coarctat se per foramen angustum, ita *arcta, & angusta est via, quæ ducit ad vitam.*

Peccator aspidi cō paratus surdæ aduersus incantantes

4 *Sicut aspidis surdæ, quæ non audit vocem incantantium, & medicamenti medicati à sapiēte.) sic legit. factum est hoc, & in primis temporibus fidei. Stephanus Martyr prædicabat veritatem, & tanquam tenebrosis mentibus, vt eas in lucem educeret, cantabat. vbi venerat ad commemorationē Christi, quem illi nollent audire, quid ait scriptura? clauserunt, inquit, aures suas.)* immò incantatorem suum lapidauerunt, huc refero illud Esaiæ. *Auferam à vobis prudentem eloquij mystici, & incantatorē.* vt est in hebræo. adde Stephanum quasi suauissimo cantu frustrà vsum ad Iudæos incantados. sic quoque noster Ignatius, quod

Stephano sapienter incantanti Iudæi vt aspides aures continuerunt

quod peccatores suauissimè conuerteret, habitus est incantator. verius dictus esset, *sapienter incantans;* & quid erat eius hortatio, nisi *medicamentum medicatum à sapiente?* vt legit Augustinus.

Tripliciter igne consumitur peccator, iudicii, inferni, conscientiæ.

5 *Supercecidit ignis.)* futura pœna duplicem speciem habet; vna est, in qua ardebat diues ille in inferno; altera in iudicio, de qua dicitur: *Ite ignem æternum.* quid igitur? nunquid impij in hac vita non puniuntur? nō ita. sed est quædam hìc occulta pœna: *sicut cera, inquit, quæ fluit, auferentur. nescio quā pœnam præsentis etiā vitæ, cū ait, auferentur, vult ostendere scriptura; concupiscentia mala quasi ardor ignis est, libido consumit, &c.* horrendum dictu. præter ignem inferni, quo peccator post mortem secundùm animā exuretur. præter ipsum ignem, qui post iudicium etiam corpora comburet in sempiternum; est & tertius ignis occultus, qui vel viuentem cruciat, concupiscentia scilicet, ac ceteræ passiones.

6 *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem:) Ignis scilicet concupiscentiæ, vel iracundiæ. quantus hic ignis est? super quem ceciderit, non videbit Solem: ideo dictum est; Sol non occidat super iracundiam vestram; illum Solem intelligit, de quo impij loquuntur: Sol non ortus est nobis. quare non viderunt Solem? quia vicit illos concupiscentia carnis; & ista vnde venit? attende: natus es cum eo, quod vincas. noli tibi hostes addere; vince cum quo natus es, qui tecum processit. quare prouocas cateruas cōcupiscentiarū?* egregiè, ac rectè vrget: igni proprio concremamur ob fomitem innatum, cur huic igni addimus nutrimenta voluptatum? cur hosti nos ipsi arma exhibemus contra nos? ac vide quantus sit ignis passionum, vt possit Solem obumbrare. nec mirum; quia ignis iste caliginosum habet fumum, velut ardentibus Furiarum tædis accensus.

Concupiscentiæ & aliorū peccatorū ignis fumidus obumbrans intelligētiæ Solē.

7 *Antequam intelligant spinæ vestræ rhamnum.) Rhamnus densissima spina est. primò herba est mollis, & pulchra; ibi tamen sunt spinæ postea processuræ. modò delectant peccata, & quasi non pungunt; in iudicio spinæ illæ rhamni, id est dolores omnes, et compunctiones tormentorum producentur. quales spinas patientur qui dicturi sūt: Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, &c? seræ & infructuosæ spinæ pœnitentium sunt. spinarum sterilitas est. pœnitentia huius temporis, dolor medicinalis est; pœnitentia illius temporis dolor pœnalis est: de illa dicitur; Conuersus sum dum configitur spina; de altera: discissi sunt nec compuncti.* rectè distinguit, & notat quod ait, *in iudicio dolores omnes, & compunctiones tormentorū producendas.* adeò in tot, ac tam acutos vepres ad exulcerandum excreuere oblectamenta seculi. Tandem ait, hoc ipsum non paruam pœnam esse, quod nunc hebetes, ac cæci non videant Solem, nec spinas è voluptatibus procedentes fore præuideant acutissimas, & durissimas, quę nunc molles tanquam in herba delectant.

Peccati nunc vt mollis spinæ non sentitur acumen, sed in iudicio durescens exulcerabit.

8 *Sicut viuentes, sicut in ira absorbet eos.) Quare non dixit: Viuentes, sed tanquam viuentes? nisi quia falsa est hæc vita impiorum? neque enim viuunt, sed viuere sibi videntur. & quare non in ira? nisi quia tranquillè hoc facit Deus; nam & hoc scriptum est: Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas.* Vtrūque notandum, & malorum verè vitam non esse, cùm mortui sint Deo; & Deum non tam irasci, quàm zelare salutem nostram. non ait, in ira Dei, sed quasi in ira.

Peccator verè non viuit.

Mira Dei clementia peccatores sufferendo.

9 *Lauabit manus suas in sanguine peccatoris.) Cùm iustus videns pœnam peccatoris, proficit ipse, & mors alterius valet ad vitam alterius. dum spiritaliter sanguis currit, tu videns talem vindictam, laua illic manus tuas, deinceps mundus viue.* pulchrè dictum de vulnere peccatoris, è quo sanguis manat inflictæ à Deo vindictæ, quam considerans iustus, timet, & cauet. Vide igitur quàm luculentam accipiat plagam peccator, vndè *Spiritaliter sanguis currit.* non ait, fluit.

Peccatoris luculēti vulnus multo manat sanguine.

10 *Dicet homo: Vtique est fructus iusto.) Ecce antequam veniat quod promittitur, antequam veniat vita æterna, hic in hac vita est fructus iusto. qui tale gaudium dat nunc de fide, de spe, de charitate, quale præparat in finem? qui in via sic pascit, quomodo in patria saginabit?* rectè à minori ad maius argumentatur. potes hoc accommodare ad sanctum Franciscum Xauerium, qui sibi sinum laxabat, impotens tantam vim supernæ dulcedinis continere; ad cæterorum quoque Sanctorum ineffabile in hac vita gaudium, & spiritale tripudium, futuræ pignus beatitatis.

Iustus vel in hac vita fruitur virtutis fructu.

Ex Psalmo LVIII.

1 DE *viris sanguinum salua me.) Erant illi viri sanguinum, qui clamabant: Sanguis eius super nos, & super filios nostros: sed nec in eius corpus exurgere viri sanguinum cessauerunt: ex illa quidem Ecclesia, quæ primò effloruit de gente Iudæa. primò Stephanus lapidatus est, & quod vocabatur, accepit, Stephanus enim corona dicitur.* Vides quasi ver quoddam fuisse primæ Ecclesiæ, ac floridum tempus. Rachel mortua dicitur verno tempore, hoc est Synagoga; Innocentes vocantur flores Martyrum. ex his floribus recentis Ecclesiæ fuit Stephanus, sui nominis corona redimitus; quamobrem & flores in eius corpus iniecti, cùm inuentum, & translatum est, miracula patra-

Stephanus primus Martyr quasi in Ecclesiæ vere effloruit.

Sanguis Martyrũ semen Christianorum.

trarunt, vt ipse Augustinus refert. Addit: *Deindè effusus, & magnus, & multus Martyrum sanguis, qua effusione tanquam seminata seges Ecclesiæ fertilius pullulauit*. Huc spectat vox illa Tertulliani, cùm ait: *Plures efficimur, dum à vobis metimur: Martyrum sanguis semen est Christianorum.*

Persecutores Ecclesiæ venatoribus cõparati.

2 *Quia ecce venati sunt animam meam.* sic legit, vbi vulgata habet: *Ceperunt.* sanè quidam Psalmus habet in titulo: *Pro cerua matutina.* & alibi dicitur: *Canes multi circundederunt me*. pertinet autem hic Psalmus ad Christum, & Martyres. venati sunt, sed præda gratissima non ad venatores pertinuit, sed ad Deum spectatorem. amphitheatrum cœlestis curia fuit, & Mũdus vniuersus.

cur Christus se gallinæ potissimũ similem dixerit?

3 *Exurge in occursum mihi.*) hæc ait, quoniam assumpsit infirmitatis carnem, vt pullos Hierusalem colligeret sub alas suas, tanquam gallina infirmata cum paruulis. hinc ait: *Quoties volui te congregare sicut gallina congregat pullos suos? aues cæteras, etiam ipsas columbas infirmari cum pullis non videmus; quomodo gallina hoc habet? quomodo raucescit vox? quomodo fit hispidum totum corpus? dimittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos nescio quid ægrotum, & ea est materna charitas, quæ inuenitur infirmitas*. pulchrè describit affectum peculiarem gallinæ erga pullos suos. propterea huic potiùs, quàm aquilæ, aut alij ex auibus se assimilauit. huc refero cõplexionem illam astrorum, quam Mathematici in cœlo appellant gallinam, vt est apud Abulensem. adeò tanta pietatis species nos admonet etiam de cœlo iuxta Astronomorum figuras. Addit de Christo: *Tamen in ipsa infirmitate est agnoscendus patri æqualis, non visione, sed fide.* sic soluit illud, quod ait Magdalenæ: *Noli me tangere.* cùm tamen fuerit postea à mulieribus, & discipulis tangi, & palpari. sensus est: *Noli quod vides, hoc solùm me credere: humilis tibi nunc videor? nondum ascendi ad Patrem meum. ascendit ad Patrem, quando nobis innotescit æqualis Patri: Qui videt, inquit, me, videt & Patrem meum.*

Cur à Magdalena se tangi Christus noluerit?

Dei comminatio horrorem debet inferre cuilibet.

4 *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*) *Quem non terreat? quis ad suam conscientiam rediens non contremiscat? quæ etiam si sit sibi conscia pietatis, mirum nisi sit conscia etiam iniquitatis: & tamen verum est, nec vacare potest: Non miserearis, &c.* rectè mirum esse ait, si quis non conscius sit iniquitatis, hoc est grauioris peccati: admirandi igitur in hoc præter cæteros Dominicus, Thomas Aquinas, Petrus Martyr, & apud nos Stanislaus, & Aloysius. præterea nota illud horrendè dictum: *Iniquitatem es operatus? ad te pertinet hæc sententia: Non miseraris omnibus, qui operantur iniquitatem: vera est, nec vacare potest: nulla culpa immunis est pœnæ.* explicat deindè hoc iterum: *Non miserearis, &c. hoc duobus modis intelligitur; siuè quia nullum peccatum impunitum relinquit Deus; siuè quia est quædam iniquitas, cuius non miseretur: ipsa est defensio peccatorum. quid vis, inquiunt, faciã fato meo? curris ad stellas. quis fecit, & ordinaui: stellas? Deus. ergo Deũ accusas, te defendis. ad hoc excusatur reus, vt culpetur Iudex.* Nota contra Astrologos. indignum se facit misericordia Dei, qui non se in peccando, sed tacitè Deum accusat, quod stellas fecerit, à quibus cogatur ad scelus patrandum. meritò igitur cœlo priuatur, qui cœlo calumniatur.

Mirũ est, si qs graue peccatum nunquam cõmiserit.

Mathematici decretorijs stellis Deum accusant.

5 *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*) *Iniquitas etsi parua magnitudine sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante; ergo puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiã Dei; non enim Deus miseretur quasi blandiens peccatis.* Vides veniale quoque peccatum non impunè abiturum; ac rectè ait, Deum non ideo facilè parcere, quasi peccare sit parui momenti, sed ex abundantia pietatis, si resipiscentem videat. itaq; pulchrè, & acutè subiungit: *Tu cum punis iniquitatem, iam facis æquitatem, & ideò miseretur Deus, quia inuenit operantem æquitatem*: vera igitur sententia est: *non miserearis omnibus operantibus iniquitatem*. quia si miseretur, hoc ideo, est, quia inuenit pœnitentem, hoc est non iniqua iam operantem.

Etiam leuia peccata sunt obnoxia pœnæ.

6 *Conuertantur ad vesperam.*) *Vespere idest serò, post missum Spiritum sanctum compuncti sunt; sic enim voluit Christus mori, vt sanguine suo etiam effusores eiusdem sanguinis redimeret*. Vide admirabilem Christi pietatem: ipsorum hostium saluti, ac vitæ profuit sanguis ille, quem impiè per necẽ expresserant.

Crucifixores ipsi redempti sunt Christi sanguine.

7 *Famem patientur, vt canes.*) *idest desiderẽt Gratiã Dei; & Saulus ex lupo canis factus de micis domini sui in Gratia eius cucurrit.* Transferri hoc potest ad S. Dominicum canis specie in vtero visum; quanquam non ex lupo, immo lupis, hoc est hæreticis semper infestissimum. is planè fatur *de micis domini sui, in Gratia eius cucurrit.* vbi nota incitamentum, & stimulum, quem Gratia admouet ad cursum. ad eius verò alumnos pertinet, quod sequitur. *Circuibunt ciuitatem, idest Mundum. quomodo circuibunt? euangelizando*: nempè prædicatorum ordo egregiè dicitur, & antonomasticè: Iam vides apostolicos viros similes esse venaticis canibus, prædam odorantur, currendo & esuriendo salutẽ animarum. itaq; prædicatio quædam venatio est, Gratia venatrix, prædicatores canes venatici, quos illa instinctu suo, quasi clamore, & plausu incitat ad cursum per siluescentem Mundum: præda sunt animæ.

Apostolici viri canes venatici, gratia venatrix.

S. Dominicus catuli venatici specie in materno vtero visus.

Fa-

Chananææ humilitas commendatur.

8 *Famem patientur, vt canes)* Canes Iudæos dicit tanquam immundos: sic ait Chananeæ, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. suscepit mulier conuicium, & meruit beneficium. ò mulier, inquit, magna est, fides tua. vnde iam mulier. quæ paulò ante canis? confitendo humiliter: nam & catelli, inquit, comedunt, &c.* Vide vim humilitatis: quodammodo transformatum in impurum animal, & brutum, ob peccatum, restituit humanæ formæ.

Dei facilitas in gentium conuersione.

9 *Pro nihilo habebis omnes gentes.) Quia facillimum erit, vt credant in te omnes gentes.* Nota Dei potentiam. quid enim difficilius, quàm vel solam Romam abolitis Deorum ritibus ad fidem inducere sub crudelissimis tyrannis? quę porrò tanta vis illa, quæ tot barbaras nationes, etiam humanum sanguinem exsorbentes fide mulceret?

In Deo fidendũ, nihil in nobis.

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam.) Quia si recedo à te, cado: si accedo, fortior fio.* Addit egregiè: *Totum, quod pulchrum est in anima, est virtus, & sapientia; sed nec ipsa sibi lux est, atque virtus. est quædam origo, fonsq; virtutis, & radix sapientiæ, & si ità dicendum est, regio incommutabilis veritatis, à qua recedens tenebratur, accedens illuminatur. non à te recedam, non de me præsumam; fortitudinem meam ad te custodiam. sequitur: Quia Deus susceptor meus, &c. vbi enim eram? vbi iacebam? quò erectus sum?* hoc religiosis in primis considerandum puto, vt sæculi statum cum Religione comparent, & beneficium totum à Deo agnoscant, à quo robur acceperint resistendi carni, & sanguini. huc facit quod subiungit:

Dei auxilio egemus ad conseruãda bona.

11 *Fortitudinem meam ad te custodiam.) Quia quicquid possumus, nisi apud illum, & ad illum seruemus, recedendo amittimus: vigilare semper mens nostra debet, & magis appropinquare, non gressu pedum, subuectione vehiculorum, non celeritate animalium, non eleuatione pennarum, sed puritate affectuum, & probatione sanctorum morum.* Vides, vt fortitudo in operando facilè in infirmitatem ruat, nisi apud Deum, & à Deo custodiatur, magis, magisq; ei inhærendo, qui vires dat. & eleganter ait, puritatem affectuum, & vitæ sanctitatem esse pro curru, & alis, quibus euehimur ad Deum.

Puritas affectus pro curru, & pēnis est tēdentibus ad Deum

Misericordia Dei præuenit nos nullis meritis.

12 *Misericordia eius præueniet me.) Quid attuli boni, vt me iustificares? Quid in me inuenisti, nisi sola peccata? tuum nihil aliud, nisi natura, quam creasti; cætera mala mea, quæ delesti. non ego prior ad te surrexi, sed tu ad me excitandum venisti.* præclara vox, quæ in Religiosi maximè ore esse debet. Mox addit: *Ante omnia bona me præuenit; & si nihil in me boni inueniet, ipse me faciet bonum; ipse iustificabit conuersum; & ipse admonet, vt conuertatur auersus.* pulchra alliteratio est.

13 *Ne occidas eos.) Necessarij sunt Iudæi gentibus credentibus, vt ramis superbiæ præcisis, inserto oleastro gentilitatis, demonstrent misericordiam tuam. igitur disperge illos: iam id factum est, dispersi per gentes ipsi habent codices, in quibus prophetatus est Christus; vt si fortè Paganus dubitet, cum ei ostendimus euidentes prophetias de Christo, ne putet à nobis esse conscriptos, de codicibus Iudæorum probemus.* Nota, cur non extincta omninò sit gens Iudæorum, tùm vt Dei misericordia in Gentiles pateat, quos admisit, cùm illi renuerint; vt plena vbera misericordiæ Dei haberent quem alerent: tum vt, dum Scripturas sacras ipsi hostes ferunt, veritati maior sit fides.

Cur Deus non extinxerit gentem Iudæorum?

14 *Comprehendantur in superbia sua.) Exaggerem quid mali sit superbia? Diabolus indè solùm puniendus est. non ei imputatur adulterium, non rapina, &c.* Vidè, quàm perniciosa sit superbia; vt hoc vnum vitium, immò vnus actus huius suffecerit ad Luciferi, & sociorum exitium sempiternum.

Superbia sola satis fuit ad diaboli ruinam.

15 *Deus meus, misericordia mea.) Non inuenit impletus donis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam? nomen, sub quo nemini de sperandum est; misericordia mea quid est? totum quicquid sum, de misericordia tua est. vt essem quid feci? vt esset qui te inuocaret, quid egi? dedisti mihi, vt sim, & potuit alius mihi dare, vt bonus sim? si tu mihi dedisti, vt sim, & alius vt bonus sim, melior ille mihi erit, at nemo te melior.* Rectè exaggerat admirabilem Dei erga nos pietatem in tot, tantisq; beneficijs. & acutè notat, cur non per Angelum nos saluarit: quia huic plus deberemus, quàm ipsi Deo. tùm rectè aduertit, Deũ non misericordem dici, sed antonomasticè misericordiã ipsam, vt omnium bonorum fontem.

Deus non modo misericors, sed ipsa misericordia.

Cur Deus non saluauit nos per Angelum?

Ex psalmo LIX.

1 *Titulus est: In finem pro ijs, qui immutabuntur, &c.) Hoc est qui à veteri vita in nouam transeunt. mutantur qui in regnum Christi transeunt à regno diaboli. In finem idest Christum, qui finis est legis. tituli inscriptio est: Rex Iudæorum.* quod autem additur: *Ipsi Dauid in doctrinam*, intelligit, vt in Christi gratiam transeuntes ipsi viuamus, qui pro nobis est mortuus. docti, regnum eius non esse de hoc Mundo. vbi nota, quantum passio Christi, quæ in ipso titulo ostenditur, valeat ad immutandum animũ; certè de spectatoribus ipsis in Caluariæ monte dicitur: *Et omnes, qui aderant ad spectaculum illud, percutientes pectora sua reuertebantur.* omitto immutationem latronis, & Centurionis. nota item ad doctrinam hoc valere, nempè è cruce velut è cathedra nos docuit Christus vitare pec-

2. Reg. 8.

Christi passionis meditatio plurimũ valet ad commutandum animum.

Christus è cruce tanquam è cathedra nos docuit.

peccatum, cui tanta satisfactione opus fuerit, &c. sequitur in titulo: *Quando succendit Mesopotamiā, Syriā Sobal &c. quando enim nos mutasset Christus, nisi fecisset quod dixit: Ignem veni mittere in terram? porrò Mesopotamia interpretatur, eleuata vocatio: iam totus Mundus vocatione eleuatus est. Syria interpretatur, sublimis; sed illa, quæ erat sublimis, incensa est, & humiliata vana vetustas. gratias Christo, qui eam succendit. quando vetera virgulta succenduntur, vireta succedunt.* Accommodari hoc potest ad Religiosos de eorum vocatione eleuata ob excellentem perfectionis statum, & de renouatione spiritus per vota. quippè Mesopotamia, idest eleuatio incenditur, cùm eleuatur ad statum Angelicum per castitatem anima incensa Spiritu sancto. Syria, idest sublimis incenditur, cùm per obedientiam superbia destruitur. Sobal, idest vana vetustas, cùm vanitas rerum temporalium per paupertatem consumitur. hæc est immutatio in titulo indicata, quæ tota fit ad imitationem Christi, tollendo crucem. Ad Religiosos quoque pertinet sequens explicatio: *Percutitur Edom, scilicet terrenus, cum qui portauimus imaginem terreni, portamus cœlestis. percussit duodecim millia in valle Salinarum. duodecimus perfectus numerus, quem ter quaterni faciunt. per Angelos in Trinitate omnes vocati sunt. vallis humilitas est, & salinæ saporem significāt: multi humiliantur, sed vanè, & fatuè. patitur quis, sed præ honore tēporali, &c. quare nō propter Christum? quare non propter saporem salis?* Vide quàm insulsè faciant, qui laborem non dirigunt ad Christum. huc spectat illud Prophetæ: *Quare appenditis argentum, & non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* denique ait: *Succendit Mesopotamiā, percussit Edom. vtrumque Christus attulit in Mundum, & ignem venit mittere, & gladium.* Acutè notatum, & in incendio Mesopotamiæ, & in cæde Edom, quod ad spiritalem sensum refer, nempè igni diuino inflammat corda, vel purgat; gladio separat à terrenis,

Stulta humilitas, & labor q nō propter Christū.

2 *Deus destruxisti nos.*) *Destruxit, sed vt ædificaret, vt sit ædificatio in nouum hominem, ædificatio mansura in æternum: ideò sequitur: Iratus es, & misertus es nobis: propter nouitatem, propter eos, qui immutantur.* alludit ad titulum: *Pro ijs, qui immutabuntur.* Vide quid agat Deus peritissimus architectus per tribulationem, vel cognitionem malorum sæculi. destruit vetus, & ruiturum ædificium ex ligno, & stipula, & superædificat aurum, argentum, & lapides pretiosos, vt ait Apostolus. acutè igitur notat, cur, cùm dixerit: *Destruxisti nos, iratus es nobis,* statim subiungat: *Misertus es nobis?* nēpè destructio hæc immutatio ędificij est ex ruinoso, & vili in firmū, ac nobile.

Deus destruit per afflictionem, vt nouum ædificium surgat pulchrius

3 *Conturbasti terram, & commouisti eam.*) *Quomodo? conscientia peccatorum. quò imus? quò fugimus? quando ille gladius vibratus est.* Referri hoc egregiè potest ad conuersionem sancti Ignatij, nam eo resipiscente, solum cubiculi terræmotu concussum est; quo significata est commotio ipsius animi. ad quem spectat etiam quod sequitur: *Sana contritiones eius, quia commota est. nam est digna sanari. si mota est.* intellige de plaga cruris ex ictu bellici tormēti, per Petrum Apostolum mirè sanata. Alludi etiam potest ad motum terræ in Christi morte, quo cōmotus latro alter ex blasphemo pius est factus, itēq; Centurio.

Cōuersio peccatoris terræmotui comparata.

Ignatij conuersio cum terræmotu.

4 *Potasti nos vino stimulationis.*) sic legit vbi vulgata habet: *compunctionis.* Tum sic: *Quid est stimulationis? non perditionis; nā erat medicina vrens.* Vide q d sit afflictio, stimulus, & calcar ad virtutē, & potius medicina, quā vulnus. huc spectat ꝙ sequitur.

Afflictio stimulus est ad virtutem.

5 *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugerent à facie arcus.*) *Arcus est extentus adhuc in comminatione, nondum in præsentatione. in arcu sagitta in priora mittitur, neruus tamen retrò extenditur in contrarium, quā illa mittenda est; & quantò plus est extentus retrorsum, tantò maiore impetu sagitta currit in priora. quantò enim magis differtur iudicium, tantò maiore impetu venturum est.* Nota quàm verendum sit, ne exarmati tunc simus; non induti lorica iustitiæ, non muniti fidei scuto aduersus tam intenti arcus iacula. Tum pergit in eodem: *Significat autem per tribulationes temporales fugiēdum ab ira ignis æterni. dicit enim Petrus: Tempus est vt iudiciū incipiat à domo Dei. sic ait exhortans Martyres ad tolerantiam, cùm strages à persecutoribus fierent, ne in his duris deficerent.* Notabilis locus. Martyres exhortatur ad necem, vt effugiant iram vltimi iudicij: adeò hoc metuendum est, vt atrocitas ipsa martyrij libenter subeunda sit, nè in illud incidas. Est tamen in hoc adnotanda mira Dei pietas. quis enim Dux, & Imperator significat, ac præmonet hostem, vt caueat, ne vulneretur? at Deus *dat significationem, vt fugiat à facie arcus.* ita missurus plagam grandinis, pręmonet Pharaonem per Mosen, vt iumentis consulat.

Arcus Dei nunc est in comminatione, in iudicio erit in præsētatione.

Dies iudicii metuendus etiam iustis.

Dei pietas in pręmonendo de vindicta.

6 *Lætabor, & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar.*) *In Sichem Iacob abscondit idola Laban, & appellauit locum tabernaculorum, quia ibi oues, & armenta posuit. diuidam igitur Sichimam, idest gentiles idololatras; nam ex ijs alij credent, alij non credent; diuisi sunt nunc in fide, postea diuidentur in iudicio, oues à dextris, hædi à sinistris.* Nota lætitiam iusti ex conuersione gentilium: *Lætabor, & diuidam, &c.* pergit in interpretatione: *Sichima, interpretantur humeri, nempe diuiduntur humeri, vt altos grauent peccata sua, alij tollant sarci-*

cinam Chrifti, & iugum leue; alia farcina pondus habet, Chrifti farcina pennas habet: nam & qui fi pennas tollis, onus tollis, & quò magis onus abftulifti, magis in terra remanebit; exonerare voluifti, fed iacet. porta farcinam Chrifti. & inuenies quàm rapiês fit in cœlum. facit hoc maximè pro religiofis: mortificatio, & onera religionis pennæ funt potius quàm grauamina. *Chrifti farcina pennas habet* præclarè dictum. abfurdum eft igitur de ijs conqueri. eleganter & illud per antithefin dictum. onus Chrifti deponere non eft leuari, fed deprimi; non erigi, fed iacere.

Chrifti farcina pennas habet.

7 *Meus eft Galaad.) Galaad habet interpretationis fuæ vocem. & magni facramenti; interpretatur enim aceruus teftimonij. quantus aceruus teftimonij in Martyribus? meus eft Galaad, mei funt Martyres veri. dilatata eft claritas Chrifti, & per hanc dilatationem occupatæ funt gentes.* fanè Martyres aceruatim concurrebant ad martyrium, fæpè multitudine innumerabili. an non quæ dicitur Maffa candida aceruus teftimonij fuit? in integris pene vrbibus votum de fubeundo martyrio mirè animaduerfum & noftra ætate in Indiæ regionibus. Addo illud quod ait, *meus eft Galaad*. meum dicit ob amorem peculiarem, quo Chriftus amat fuos Martyres. Sequitur, *& meus eft Manaffe: Manaffe interpretatur oblitus. de Ecclefia dici poteft illud Efaiæ: Confufionem in perpetuum obliuifceris, & ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor. iam nemo meminit illius confufionis, quando ignominia erat effe Chriftianum.* Refer hoc ad religiofi obliuionem de feculo, cui dicitur, *obliuifcere populum tuum, & domum patris tui.* & rectè poft Martyrum mentionem; nam ad hos religiofi accedunt proximè. & quæ apud Mundanos pro ignominia reputantur, apud ipfos in honore funt, vt paupertas, humilitas, &c.

Martyrũ multitudo innumerabilis.

Religiofus Mundi oblitus effe debet.

8 *Ephraim fortitudo capitis mei.) Ephrem fructificatio interpretatur. hæc fructificatio eft capitis mei, ideft Chrifti. ò magnum granum. infirmus eft pendens, fed audi fortitudinem eius: quod infirmum eft Dei, fortius eft hominibus, &: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipfum.* Nota: aptè poft mentionem conftantiæ Martyrum, & fi uis, etiam religioforũ, oftenditur vnde fit tanta fortitudo membrorum, nempe à Chrifto vt capite.

Chriftus fortitudo noftra eft vt caput membrorum.

9 *Iuda rex meus, Moab olla fpei meæ.) Per Moabitas fignificantur opera mala; inde tribulatio Ecclefiæ; inde olla ebulliens; olla ebulliente charitas refrigefcit quare non potius ò charitas, & tu contra ollã feruefcis? ardet olla iniquitatis, fed maior eft flãma charitatis. quid times Moabitas? olla fpei meæ, non confumptionis, &c.* Sciêtes, *ait Paulus, quia tribulatio patientiã operatur, patientia probationem probatio fpẽ, &c* pulchra apoftrophê ad Charitatẽ, quæ feruore fuo opponi debeat perfecutionis ardori. refer hoc ad S. Laurentium, de quo alibi ait. *hoc igne beatus Laurentius incenfus flammarũ non fenfit incendiũ.* immò ex illo igne fpem beatitatis accepit. ita facta eft perfecutio ardens olla fpei, hanc dicit effe ollam illam ab Aquilone fuccenfam.

Flamma charitatis maiorquã perfecutionis.

10 *Quis deducet me in ciuitatẽ circũftantiæ?)* fic legit vbi vulgata habet, *Munitam.* In alio quoq; pfalmo dicitur. *Circũibit ciuitatẽ circumftantia, ideft circũfufio gentium, quæ habebat in medio vnam gentem Iudæorum colentẽ verũ Deũ. ipfa eft ciuitas circũftantia, quæ dicitur rota, ideft Orbis terrarũ: vox, inquit, tonitrui tui in rota.* rectè Orbem terræ rotã vocari puto, non modò ob figuram, fed ob reuolutiones, & viciffitudines humanarũ rerũ. porrò ficut Hierufalem dicitur ciuitas munita, & quafi metropolis à circumftãtibus vrbibus cincta: ita nunc Roma quafi metropolis religionis, munita præfidio principum Apoftolorum: nifi quod circumftantes vrbes vfque ad vltimũ terræ, eiufdẽ religionis cum ipfa funt, fecus quàm olim dicebatur, *Notus in Iudæa Deus.*

Orbis terræ per rotam defignatus.

11 *Non egrêdieris Deus in virtutibus noftris.) Ideft non contra hoftes apparebis, vt tempore Mofis, & Iofue, cum eorũ fortitudini gentes cedẽbãt, fed intus operaberis, quando catenati Martyres ducebãtur, quã do percutiebantur, nonne contemnebantur tanquam deferti fine adiutore? at quomodo Deus operabatur intus? quomodo eius dulcẽ faciebat fpẽ vitæ æternæ?* Nota differẽtiã Dei auxiliorum. in veteri teftamento foris operabatur, hoftes opprimendo; in nouo intus Martyres ipfos animando, & folando. Addit. *Si bellare vellet Ecclefia, & gladio vti, videretur pro vita præfenti pugnare, quia verò hanc contemnit, ideò factus eft aceruus teftimonij de vita æterna.* huc refer quod ait Hieronymus, Martyres maluiffe ceruices cedẽdo fubmittere, quã manus pugnando cõmittere; quod certè visũ eft in legione Thebęa quę cum poffet obfiftere, vt erat infigni fortitudine, maluit cedere vel armata.

Deus in veteri teftamento foris operabatur protegendo, nunc intus.

Ex pfalmo LX.

1 E*Xaudi Deus deprecationẽ meã, &c.)* Ad Chrifti tentationem fpectat hic pfalmus. *Agnofce te in illo tentatũ, & te in illo agone vincentem, vt tibi vincendo magifterium præberet.* pulchrè oftendit Chriftum in deferto athletici certaminis, & palęftræ magiftrum potius fuiffe, quã pugilẽ.

Chriftus in deferto vincendi magifterium tradidit.

2 *Turris fortitudinis à facie inimici) Caue ne feriaris, fuge ad turrim.*

niu-

nunquam te ad illam turrim Diaboli iacula secutura sunt: ibi stabis munitus, & fixus ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim. quicquid pateris, cogita quia qui prior est passus, & qui hic passus, & mortuus, resurrexit; talem, & tu finem spera, & intrasti turrim: tù potius in diabolum iaculare tela, quibus feriatur, & vincatur. tela ista sunt fides tua, spes, opera bona; non ità esto in hac turri, vt vaces ibi, & sufficiat, quod ad te hostis tela non perueniant; sed age aliquid; non cesset manus; opera tua bona gladij sunt, quibus inimicum interficias. pulchrè turrim appellat memoriam passionis Christi, ad quã in ærumnis confugere debeamus: ex hac turri iaculis petendus hostis, & ex eadem vexillum crucis fas est explicare victricis. possumus & ad Societatem Iesu hæc referre; nempe, *Turris fortissima nomen domini.* dicitur ergo cuilibet nostrum, *Intrasti turrim, iaculare in diabolum tela, non cesset manus &c.*

Passio Christi considerata turris fortitudinis est cõtra tela diaboli

3 *Annos eius vsque in diem generationis, & generationis.) huius scilicet, & futuræ. generatio præsens comparatur Lunæ, propterea quod Luna nascitur, crescit, & occidit; sed generatio, qua regeneramur resurgendo, non erit vt Luna, sed, vt ait dominus, tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum.* Addit per Lunam mutabilitatem significari, & Hierico interpretari Lunam, & dicitur ille descendisse ab Hierusalem in Hierico: *Descendibat ab immutabilitate ad mutabilitatem; & meritò in itinere vulneratur, & semiuiuus relictus ille Adam, ex quo est totũ genus humanum.* Vides Adam per peccatum originale saucium, semiuiuum cum posteritate relictũ. igitur Deipara si illud incurrit, item saucia, & semiuiua iacuisse dicenda esset: at ipsa salutem, & vitam peperit. ac propterea ne mutabilitatem hanc in ea suspiceris, cum dicitur, pulchra vt Luna, statim subijcitur, *electa vt Sol*. adeò semper in excellenti statu gratiæ fuit.

Luna præsentis vitæ instabilis typus, Sol futuræ.

Vulneratus apud Hierico typus Adami.

Ex psalmo LXI.

Pretium Christi sanguinis non modo in redemptionem sed in magnũ nobis honorem cessit.

1 HOnorem *meum cogitauerunt repellere*) sic legit, vbi est in vulgata, *pretium meum.* idem ergo sunt honor, & pretium; & cum pretium nostrum fuerit sangnis Christi, profectò dicendum est, nõ modò in redemptionem, sed in magnum honorem nobis cessisse tàm pretioso redimi sanguine: certè sanguis hebraica voce ab honore, pretio, æstimatione & gloria ductum aiunt Rabbini, honorem autem suum dicit sanguinem, quem fudit, non solùm propter nos, qui sumus eius capitis membra, sed puto, quia tribuit sibi honori eum fudisse pro nobis, licèt cum tot ignominijs fuderit.

2 *Cucurri in siti.) Illi interficiebant, ego eos sitiebam. illi honorem meum cogitauerunt repellere, ego eos in corpus meum cupiebam traijcere.* Vide incredibilem pietatem. hostes meum sanguinem ebibere cupiebant, ego eos im me ipsum conuertere cupiebam. illi necem meam sitiebant, ego ipsorum vitam. at profectò, vt mox subiungit: hoc voluit illa vox in cruce, *sitio*. nam quid aquam sitiret, si eam habebat in corde? quia fluxit è vulnere. Tum dicta explicat, *Bibendo quid facimus, nisi humorem foris positum in corpus ducimus nostrum? sicut caput vituli in ignem missum comminutum, & potum in aqua datum: Caput vituli corpus est impiorum, in ignem mittitur tribulationum, & verbo Dei comminuitur: comminuti credunt. per baptismi autem aquam traiiciendi erant homines in corpus ciuitatis Hierusalem.* Christi verò de nostra salute ardentissimam sitim eleganter ostendit. *hoc vsque in finem sitit Christus: currit, & sitit, multos enim bibit, sed nunquam est sine siti; inde est enim Sitio, Mulier da mihi bibere. Samaritana ad fontem sensit dominum sitientem, & à sitiente satiata est. sensit prior illa sitientem, vt biberet ille credentem; & in cruce positus, Sitio, dixit, quamuis illi non id dederint quod sitiebat, ipsos enim ille sitiebat.* dederunt enim illi acetum, non vinum nouũ, idest hominẽ nouũ. huc refero illud Gregorii Nysseni, qui ait: *Deus sitit sitiri*. Et vide quàm ardenter nos sitiat: *Currit, & sitit Christus: multos enim bibit, sed nunquam est sine siti.* imitentur hoc prædicatores, vt in conuersione hominum, licet multa sit facta, nunquam desistant. Ad hunc sensum pulchro dialogismo alloquitur Ecclesiam, quæ per Apostolicos viros semper sitit gentium conuersionem. *Sic & corpus capitis huius, idest Ecclesia vsque in finem ab initio cucurrit in siti, & quasi ei dicerent. quid in siti? quid tibi deest Ecclesia in tanto honore, in tanta sublimitate, in tanta celsitudine, etiam in hoc seculo constituta? quid tibi deest? impletur de te quod est predictũ; Omnes gentes seruient ei: quid ergo sitis? tantis populis non satiaris? Quos populos dicis? Ore suo, inquit, benedicebant, & corde suo maledicebant. multi vocati, pauci electi. turbæ dominum premebant, mulier vna tangebat. qui sollemnitatibus Hierusalem implent Ecclesias, ijdem sollemnitatibus Babyloniæ implent theatra.* Vide ardentem sitim animarum in Ecclesia. & nota ideo adhuc sitire, quia ex tot Christianis pauci sunt boni. transferri hoc potest ad sitim, quam nonnullorum ordinum religiosi habent cum magno zelo animarum; inter quos minimus noster ordo propterea currit per vniuersum Orbem, quod maximè fecit S. Francisci

Sitis Christi in cruce de nostra immo de hominum salute.

Sitis Christi de Samaritanæ salute erat.

Sitis in Apostolicis viris de salute animarũ.

ciscus Xauerius Indiarum Apostolus. *excurri in siti.* etiam laceris pedibus, & cruentis ob cursum inter vepres, & saxa.

Aurum nunc per afflictionis ignē purgatur vt luceat in monili

3 *Ab ipso patientia mea.) Quod non videmus, per patientiam expectamus. nunquid lucet aurum in fornace aurificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit. patiatur nunc fornacem, in fornace aurum, & palea: ardet palea, purgatur aurum. fornax Mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. quod vult aurifex facit, vbi me ponit aurifex, tolero.* pulchrè ostendit, quomodo nos Dei voluntati conformari debeamus; vt aurum aurificis voluntas, & manus per ignem, in quamcumque vult formam, accommodat. ac vide quid sit beatitas afflictioni respondens: *aurum in monili lucebit: patiatur nunc fornacem.* refer hoc ad S. Laurentium in primis.

Deus vult nos non solum saluari sed cum multa gloria.

4 *In Deo salutare meum: liberator meus, & glorificator meus.) Saluus ero in Deo, & gloriosus ero in Deo: non enim tantùm saluus, sed & gloriosus. saluus quia iustificatus, gloriosus quia etiam honoratus: quos iustificauit, inquit Paulus hos & glorificauit.* huc refero illud Chrysostomi qui sic exponit illa verba, *qui exaltas me de portis mortis.* idest non solùm liberas, sed exaltas, cum honore videlicet, & gloria. est hoc contra eos, qui dicunt, satis est pœnitendo saluari, nec curant per meritorum cumulum excellentem in cœlo gloriam possidere.

Religiosus p mortificationem se totum effundit in Deum nihil de se retinens.

5 *Effundite coram illo corda vestra.) Alibi ait: Effudi super me animam meam, hoc est, vt Deum attingerem, in me non remansi. nolite corda vestra retinere intra corda vestra. non perit quod effunditis; ille enim susceptor meus; trasilientes ad eum, leuate corda vestra.* pulcher locus de abnegatione sui in religiosis, qui quò Deum attingant, nihil retinent sui. sicut à vase aqua effunditur tota; non sic oleum, quod tenacius est. hos transilientes ad Deum dicito; nam & titulus psalmi est, Idithum, quod transiliens interpretatur, à creaturis scilicet omnibus, etiam à se ipsis, vt ad Deum perueniant. huc videtur, & illud prophetæ spectare de iusto. *leuabit se supra se.*

Alteri rapiens sui iacturam facit.

6 *Rapinam nolite concupiscere.) Quid rapias, vides: à quo rapiaris, non vides. prçda illa in muscipula est; tenes, & teneris. concupisce Deum: pascet te qui fecit te.* Nota rapinæ damnum. dum raperis, & dum prædaris, fis ipse præda. non est possessio sed iactura.

Diuitiæ ceu torrēs secum in præceps rapiunt possidentem.

7 *Diuitiæ si fluant, nolite cor apponere.) Idest si exundent, & tanquam de fonte currant, noli ibi te figere. certè vel hoc time: Diuitiæ si fluant; non vides, quia si cor appones, & tu flues?* acutè dictum, nam si humanæ res cum impetu, torrentis instar labuntur, te quoque illæ ipso impetu secum in præceps rapient, dum eas amplecteris.

Falsæ stateræ De° & iudex erit, & vindex.

8 *Mendaces filij hominum in stateris.) Falso examine fallitis, intuentes. nescitis alium esse qui appendit; alium qui de pondere iudicat.* rectè, & acutè arguit. est hoc contra eos, qui latere posse putant fraudem suam. & qui humana magni æstimant, & alijs venditant: at adest ponderis iustus iudex Deus, qui dolum, falsumque libramentum & ostendet, & puniet.

Incarnationis mysterium qui considerat omnes creaturas trascendat oportet.

9 *Semel locutus est Deus.) Apud se semel locutus est Deus, quia vnum Verbum genuit.* huc eleganter refert illud, *Idithum*, qui est titulus psalmi & interpretatur trāsiliens: *Ille ergo Idithum transilierat acie mentis forti, & valida terram, aerem, nubes, ex quibus sæpè locutus est Deus. transilierat etiam omnes Angelos acie fidei; erat enim iste transiliens, non contentus terrenis, sed velut aquila volans, prateruectus omnem nebulam, qua tegitur terra, peruenit ad aliquid, vniuersam transiliens creaturam, & quærens Deum, effundens supra se animam suam, peruenit ad principium, & Verbum Dei apud Deum: inuenit vnius patris vnicum Verbum, & vidit quia semel locutus est Deus.* hæc, & alia pulchrè. vbi nota, eum, qui Incarnationem contemplatur, debere trascendere, ac transilire omnem creaturam; tam altè aquila illa euolauit, cunctaque Ioannes transcendit, cum ait: *In principio erat Verbum, &c.* Sic intelliges Deum locutū semel gignendo Verbo: sæpè in alijs creaturis, vt è nubibus, Angelis, &c.

Dei iustitiæ & misericordiæ nexus

10 *Duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi domine misericordia.) His duobus continentur prope omnes scriptura. propter hæc duo, prophetæ, patriarchæ, lex, & ipse dominus. potestatem eius timete, misericordiam eius amate; nec ità de misericordia præsumatis, vt potestatem contemnatis; nec ità potestatem timeatis, vt de misericordia desperetis; si tantum nocere posset diabolus, quantum vult, nemo fidelis esset in terra.* Vide, vt Deus clementiam, & iustitiam prouidè temperauit. & nota diaboli immensum odium, & inuidiam in genus humanum: per ipsum non stat quin omnes in exitium ruamus; quamobrem iactat: *Inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & sicut congregantur oua, quæ derelicta sunt, ita vniuersam terram ego congregaui, &c.* Tum addit. *Noli dicere, quare dat tantam potestatem? qui dat potestaté, habet æquitatem.* quod auté habeat æquitaté, & iustitiā, patet ex eo, quia etiam si quid est in nobis iustitiæ, ab ipso est; nā propterea reprehendimus iniustum; *Vnde illud nescio quid, quod coruscat menti tuæ? etiam si nunc anima sit* Esaia 10.

Mentis coruscatio quædam qua vitij fœditas agnoscitur à Deo est.

mul-

multis ex partibus in caligine constituta, vnde hoc iustum. pulchrè coruscationem, & splendorem quendam mentis vocat, nō sine fulmine, & tonitru, quo intra nos ipsos deterremur à scelere, eiusque fœditatem agnoscimus: quæ illustratio profectò habetur à Deo.

Ex Psalmo LXII.

1 *Titulus est: Ipsi Dauid, cum esset in deserto Idumea.) Idumea intelligenda est vita ista, vbi tantos patimur labores, &c. sitiunt homines in sæculo, & non intelligunt se in deserto esse Idumea, vbi debet sitire anima ipsorum Deo: sitiuit, inquit, tibi anima mea. hic sitiendum est, alibi saginandum. sed ne deficiamus in isto deserto, aspergit suum rorem Verbi sui, & nos non dimittet prorsus arescere: sed sic sitiamus, vt bibamus; vt autem bibamus, aliqua gratia eius aspergimur, tamen sitimus: sunt qui sitiant, sed non Deum: omnis, qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderij: ipsum desiderium sitis animæ est.* alius aurum desiderat; alius honores &c. *ardent homines desiderijs, vix inuenitur qui sitiat Deum.* iusta querela. pulchrè dictum. *desiderium sitis animæ est.* vide quid refrigeret animā, & sitim tēperet, gratia: sed hæc ros est, fons autē profluēs Deus in patria. ceteræ aquæ quia mundanæ, salsæ sunt, mare sæculum est. huc faciunt quæ sequuntur.

In deserto huius vitæ sitire debemus Deum ardenter.

Desideriū est animæ sitis.

2 *Sitiuit in te anima mea, &c.) Alibi dicit. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c. non satiabitur, nisi post hanc vitā; promisit enim Deus æqualitatem Angelorum; & modò Angeli non sitiunt, vt nos, aut esuriunt, sed habent saginam, veritatem lucis, immortalitatis, sapientiæ; ideò beati sunt, & de tanta beatitate attendunt nos peregrinos, & miserantur, & auxiliantur nobis, vt ad communem illam patriam redeamus, & ibi cum ipsis fōte dominico veritatis, & æternitatis saturemur: modò ergo sitiat anima nostra.* nota, egregiè ait, in huius vitæ deserto sitiendum Deum, vt in patria plenè expleamur, vt nunc Angeli. & vide quāta sint illi erga nos pietate. hoc ipsorum desiderium, ac votum est, vt nos vnà cum ipsis de beatitatis fonte potemus. si qua sitis ipsorum est, sitiunt salutem nostram, vt vnà cum ipsis expleti sitire desinamus.

Sitimus nunc Deū postea explebimur

3 *Quàm multipliciter tibi caro mea!) Quia, & carni nostræ promittitur resurrectio, nunc in multiplicibus defectibus nostris sitimus illam incorruptionem; quàm multiplicibus defectionibus hic laborat caro, tàm multipliciter sitit.* rectè ostendit cur caro nostra dicatur multipliciter sitire; quia nimirum multis vrgetur miseriis, non vno mortis genere, & febris æstuat. Tum eos arguit, qui in corporis necessitatibus aliò, quàm ad Deum recurrunt. *Sunt qui cum famem patiuntur, rogant Mercurium, aut Iouem, aut quem dicunt cœlestem Pana.* nota superstitionem: in fame, puto, Mercurium rogabant, quod eum mercatorem, & lucri Deum crederent; Iouem autem vt potentem iuuare; Pana verò vt Naturæ Deū, cuius effigiem, vt ait Varro, formabant in pane, qui inde dictus est: itaq; panē comedentes, ipsum Naturæ Deū comedere, & intra viscera condere sibi videbantur. Cœlestis autem vocatus est Pan, quàmobrem eius amictus habebat stellas intextas, & planetas; ac proinde exorabant, vt per frugum copiam vitæ consuleret. nos non, *Cœlestem Pana* rogamus, sed eum, qui dat cœlestem panem. *hic est panis, qui de cœlo descendit.* & præter hunc etiam dat terrenum, vtpote verus naturę Deus.

Cur caro dicatur multipliciter sitire

4 *In terra deserta, sine via, & sine aqua.) Vtinam vel viam haberet ipsum desertum, vel nosset homo qua inde exiret. vtinam esset vel aqua, qua reficeretur, qui inde non potest exire.* sed Christus factus est, & via, & aqua, &c. Nota quis esset status Mūdi sine Christo, horridum desertum sine via, sine aqua: contra quàm Mundani putant, sibi inde esse planum iter ad gloriam, & inde explere posse suæ cupiditatis sitim.

Mundus desertum inuium & aridum

5 *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.) hoc est non te laudarent labia mea, nisi me præcederet misericordia tua. dono tuo te laudo.* Vide vt causam præmittat boni operis, & laudandi Deum, hoc est Dei gratiam. illa os aperit nostrum, & suauiter se diffundens in labiis, ad orandum prouocat. quò spectat illud Apostoli: *Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Dei igitur misericordia laudari non posset, nisi misericordia ipsa præueniat, ac disponat. rectè igitur ait. *dono tuo te laudo.*

Deus laudari non potest nisi per gratiam.

6 *In velamento pennarum tuarum exultabo.) Si me non protegis, quia pullus sum, miluus me rapiet quid cum maiores facti fuerimus? & tunc protegat nos, vt sub illo maiores nos pulli simus. tunc in illo magis erimus, si semper sub illo paruuli simus.* egregiè dictū. adeò quantūcumq; proficiamus, semper veluti recens nati pulli esse debemus sub alis Dei: sic crescemus & pennas induemus in eius gratiæ nido. Mox addit. *Si sunt Diabolus, & Angeli eius quasi milui, sub illius gallinæ alis simus, quæ infirmata est propter nos, sed fortis est in se.* huc refer Zachariæ visū de mulieribus habentibus alas milui, quę sunt contrariæ Potestates ad rapinam promptæ, nisi sub Dei alis tegamur.

Diabolus miluus est. Dei alis tegamur quasi pulli recens nati

7 *Agglutinata est anima mea post te.)* sic legit vbi habet vulgata. *adhæsit.* Tum

sic: *Videte desiderantem, videte sitientem, videte quomodo hæret Deo. nascatur in nobis iste affectus, & crescat. perueniat ad tale robur, vt & vos dicatis ex toto corde: Agglutinata est anima mea post te. vbi est gluten? charitas est, charitate agglutinetur anima tua post Deum; non cum Deo, sed post Deum, vt ille præcedat, tu sequaris; qui enim voluerit antecedere, consilio suo vult viuere. propterea Petrus repulsus est, volens dare consilium Christo passuro pro nobis. adhuc ignorabat, quanta vtilitas humano generi esset in Christi sanguine. redi, inquit, post me; vt sequens se diceret: Agglutinata est anima mea post te.* acutè interpretatur, cur Petrum non antecedere, sed se subsequi voluerit? huc autẽ refero illud Ionathæ, cuius anima dicitur agglutinata animæ Dauid; in signum autem magni affectus spoliauit se vsque ad balteũ, quo accingitur gladius, hoc est exarmauit se. qui .n. Deo se agglutinat, nihil in se fidit, mitis fit, pacatus, &c. pulchrè igitur interpretatur, gluten esse charitatem, quò spectare ait illud Apostoli: *Quis me separabit à charitate Christi? &c.* Notabile verò est illud pertinens ad eos, qui Christum sequuntur, hoc est ad Religiosos, vt Prælati voluntatem, quem loco Dei habent, non præcedant, sed subsequantur: *Qui enim voluerit antecedere, consilio suo vult viuere.* quod egregiè noster Ignatius monet.

Charitas glutẽ est, quo vnimur Deo.

Prelati voluntatẽ non preire, sed subsequi debemus.

8 *Partes vulpium erunt.) Vulpes dicit Reges sæculi, qui tunc fuerant, quando debellata est Iudæa. Herodem Regem ipse Dominus vulpem appellauit: Ite, inquit, dicite vulpi illi.* Est sane hoc admodum notabile, quod cũ esset Herodes & impudicus ob vxorem fratris; & crudelis, & impius ob necem Ioannis. tamen Christus eum non canem, non tigrim vocat, sed vulpem, quasi nihil tam Regem dedeceat, quàm astutia, & fraus.

Cur Herodes a Christo vulpis dictus?

Ex psalmo LXIII.

1 F*Irmauerunt sibi sermonem nequam.) Cùm scilicet obstinatè clamabant: Crucifige. Vult Pilatus lauare manus, & illi inquinant linguis.* acutè notat, Iudæos effecisse, vt frustra manus lauaret Pilatus, quas ipsi inquinarent suis linguis, quia clamando, vt crucifigeretur, extorserunt importunè ab illo sententiam, quam manu sua scripsit. illã, inquam, ipsam manũ, quam modò lauerat, recens aqua lotam, cum scripsit edictum, sanguine cruentauit.

Iudæorũ impietas in requirenda Christi crucifixione.

2 *Defecerunt scrutantes scrutationes.) Iudæi, non tradatur, inquiunt, per nos, sed per discipulum suum. non occidatur à nobis, sed à Iudice. totum faciamus, & nihil fecisse videamur.* Vide incredibilem astutiam, ac simulationem. ita etiam cùm pecuniam sanguinis noluerunt mittere in gazophylacium, de quo sic pulchrè: *O homo, cor tuum potiùs arca Dei sit, vbi habitent diuitiæ Dei, vbi sit nummus Dei. mens tua habens imaginem Imperatoris tui.* Vide quid sit mens, & cor iusti, arca thesaurorum Dei, & signata sigillo eius imaginis quàm igitur cautè seruanda? Tùm de Christi venditi pretio sic acutè: *Qualis innocentiæ simulatio fuit? pecuniam sanguinis non mittere in arcam, & mittere ipsum sanguinem in conscientiam?* Est hoc contra eos, qui nimis anxij, & scrupulosi sunt in leuibus quibusdam, quæ vix sunt errata. in grauibus verò liberi magna cum licentia.

Cor iusti arca Dei est plena diuitijs, & signata

Scrupulosi in leuibus, liberi in grauibus taxantur.

3 *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum.) Nostis quomodo infantes faciant de cannis sagittas: quid feriunt, aut vnde feriunt? aiũt: Dicite, quia nobis dormientibus venerunt discipuli, &c. O infelix astutia, dormientes testes adhibes, verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. si dormiebant, quid videre poterant?* acutè perstringit testimonium de Christo falsum quasi à discipulis rapto: *Dormientes testes adhibes.* Quid stultius? rectè sagittas arundineas vocat sine cuspide, cuiusmodi paruuli ludunt, non lædunt: illuserunt Christo per arundinem, & illusi sunt ipsi per arundineas quasi sagittas, hoc est leues calumnias, & ad lædendum ineptas.

Iudæorũ calumniæ de Christo nõ resuscitato sagittæ paruulorum.

4 *Annunciauerunt opera Dei.)* Apostoli accepto Spiritu sancto Christum crucifixum prædicarunt: *Cæperunt tuba cælestes personare Iudicem venturum, quem primò viderant iudicatum.* Rectè tubas appellat, nempè spiritu impletas in Pentecoste, vt sonum ederent bellicum: *Factus est repentè de cælo sonus tanquam spiritus vehementis.* & vide quid hæ tubæ resonent, scilicet quod vltima insonabit tuba, hoc est iudicium. huc spectare puto quod apud Ioel de Spiritus sancti illapsu dicitur: *Effundam de spiritu meo, &c.* statimq; meminit iudicij: *Sol conuertetur in tenebras, &c.* post tantum enim donum quid superest, nisi diiudicatio ingrati? hoc ipsum igitur munus est concionatorum, vt extremum iudicium inculcent peccatori, & passionis Christi vacuum fructum: *Personent tubæ cælestes Iudicem venturum, quem aspernati sunt iudicatum.* acutè dictum, & eleganter.

Apostoli tubæ cœlestes.

Concionator iudicium extremũ quasi tuba cœlestis insonet.

5 *Et facta eius intellexerunt.) Hoc erat illud, Domine Iesu, quod tacebas, & non aperiebas coram tondente os tuum. hoccinè erat, quod abscondebas speciem tuam, speciose forma præ filijs hominum? quis fortè sciens potestatem tuam, non exclamauit in corde suo: O si modò descenderet de cruce, & isti omnes, qui insultant, confunderentur? sed non est sic. moriendum erat propter morituros, & resurgendum propter semper victuros. hoc nonnisi*

Cur Christus de cruce non descenderit vel rogatus?

po-

postea intellexerunt. affectu redundat hæc oratio, & pulchrè ait, bonorum votum futurum fuisse, vt de cruce dependens, & se subtraheret pœnis, & Iudæos confunderet. sed Dei consilia altiora sunt nostris, & pietatis pleniora, quàm credimus.

Detorquere Dei vel prælati voluntatem ad suam non est recti, sed distorti cordis.

6 *Laudabunt eum omnes, qui recto sunt corde.) Qui recti sunt corde? qui omnia, quæ in vita patiuntur, tribuunt consilio Dei ad medicinam suam, nec præsumunt de iustitia sua, quasi iniustè puniantur*. egregiè ostendit, in quo posita sit rectitudo voti, si non distortè, & peruersè de Deo conqueramur in aduersis. Tùm addit: *Quid vis detorquere cor Dei, quod rectum est, ad prauitatem cordis tui? se ipsum in se figurabat, cùm ait: Non quod ego volo, sed sicut tu*. Est hoc contra eos Religiosos, qui voluntatem Prælati detorquere conantur ad suam varijs rationibus: distorti cordis est id, non recti.

Ex Psalmo LXIIII.

1 *Titulus est: Canticum Hieremiæ, & Ezechielis ex populo transmigrationis, cũ inciperent exire.) Debemus & nos nosse prius captiuitatem nostram, deindè liberationem nostram. debemus nosse Babyloniam, in qua sumus captiui, & Hierusalem, ad cuius dictum suspiramus; Babylon, confusio, interpretatur, Hierusalem, visio pacis. duas ciuitates faciunt duo amores; Hierusalem facit amor Dei, Babyloniam amor sæculi; interroget se quisq; quid amet, & inueniet vnde sit ciuis*. Egregium est hoc monitum, vt consideremus quàm dura, & fœda fuerit seruitus diaboli, quam per peccatum incurrimus, vt sic maior appareat Dei erga nos benignitas in liberando. rectè autem duplicem ciuitatem distinguit: & ad cœlestem quidẽ pertinet illud Apostoli: *Vos estis ciues Sanctorum, & conuersatio, seù municipatus noster est in cœlis*. Tùm pergit exponere titulum: *Is incipit exire, qui incipit amare, & exeuntium pedes sunt cordis affectus*. Eleganter dictum. potest autem hoc Canticum, seù Psalmum, cuius titulus: *Canticum transmigrationis, cùm inciperent exire*, pulchrè referri ad nouitios, qui tunc primùm exeũt è sæculo, vbi quasi captiui tenebantur, in Religionem pacis, & quietis locum: *Hierusalem facit amor Dei, Babyloniam amor sæculi*.

Exeuntes de sæculo ad Religionem vt de captiuitate Babylonica.

2 *Te decet hymnus, Deus, in Sion.) Hoc illud est Apostoli: Conuersatio nostra in cœlis est. iam desiderio ibi sumus, iam spem in illam terram quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari naufragemus*. iam hunc hymnũ canendum dicit non tam ore, quàm corde: *Vndè idem Apostolus exhortans ipsos ciues ad heroica, seù amatoria quædam Cantica, & desideria redeundi ad illam pulcherrimam ciuitatem; cantantes, inquit, & psallentes in cordibus vestris Domino*. pulchrè amatoria cantica vocat preces, quibus suspiramus ad cœlestem patriam. Nam & Ioãnes Hierusalem illam, sponsam vocat: *Venerunt nuptiæ agni, &c.*

Canticũ amatoriũ de cœlesti Hierusalem.

3 *Tibi reddetur votum in Hierusalem.) Quod votum? quasi holocaustum, id est totum incensum: arripiat ergo nos ignis, ignis diuinus in Hierusalem, incipiamus ardere charitate, donec totum mortale consumatur*. præclarum votum: hoc melius, quàm quod de Hercule finxerunt, se in ignem immisisse, vt quod erat mortale, absumeretur. Idem Calanus Indorum Philosophus stultè egit. diuini amoris ignis hoc proprium est, non terreni.

charitatis igne consumitur in nobis, quod mortale est.

4 *Replebimur in bonis domus tuæ, &c.) Quæ sunt bona domus Domini? constituamus nobis aliquam domum diuitem; quantis bonis referta sit. amputentur ista desideria, aliud est bonum domus illius. erexeras fortè cor ad aurum, &c. non hæc bona domus illius, sed sanctum templum tuum mirabile in æquitate: non ait, templum mirabile in columnis, in marmoribus, in picturis auratis, sed mirabile in iustitia. intus est oculus, vbi videtur pulchritudo iustitiæ: hanc videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus. quam multùm dilexerunt homines in ipsis Martyribus, cùm eorum membra bestiæ dilaniarent? nonne cùm sanguis fœdaret omnia, cùm morsibus belluinis viscera funderentur, non habebant oculi, nisi quod horrerent? quid erat ibi, quod amaretur, nisi quod erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo iustitiæ? ista sunt bona domus Dei. his te para satiari, sed nunc oportet hæc te sitire*. pulchrè dictum, Dei domum non esse mirabilem ob columnas, picturas, &c. sed ob sanctitatem, præ qua vilescit illa Neronis domus, quam auream appellauit. immò illa ipsa Solis Regia, quam Poetæ describunt. Deindè vide quid agat memoria Martyrum: *Amamus, & exardescimus*. hoc est accendimur ad imitationem. Nota item pulchritudinem in laniatis membris Martyrum: *Erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo iustitiæ*. quid cùm illa vulnera dote beatitatis afficientur? aut quàm pulcher Christus in vulneribus suis?

Domus Dei omni ædificio elegantior.

Martyres tunc formosiores, cum magis deformati plagis.

5 *Spes omnium finium terræ, & in mari longè.) Mare in figura dicitur hoc sæculum, falsitate amarum, procellis turbulentum, vbi homines cupiditatibus prauis, vt pisces inuicem se deuorant. quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? quis, &c. O piscis, male prædari vis, de paruo præda efficieris maiori*. Est hoc contra mundanos, qui cùm in amarissimis sint, se in dulcibus potius aquis putant esse. Item vide quid agatur in Mundo, alter alterius opibus inhiat, alter

Mundani quasi pisces se inuicem deuorantes.

al-

alterum deuorat instar piscium. hinc illud: *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniustitiam? Et facies homines quasi pisces maris*. permittendo scilicet, vt alter fiat alterius præda per rapinas.

6 *Spes omnium finium terræ, & in mari longe.*) Nō igitur solius Iudeę, solius Aphricæ, vt Donatistæ putant: *Si non esset spes, & in mari longè, non diceret discipulis: Faciam vos fieri piscatores hominum. Iam in mari capti per retia fidei, gaudeamus nos ibi natare adhuc infra retia; quia adhuc mare hoc sęuit procellis, sed retia, quæ nos capiunt, perducuntur ad littus, hoc est ad finem sæculi; interim inter ipsa retia viuamus, nec foras exeamus, ea rumpentes*. Schismaticos taxat. pulchrè vocat retia fidei. Nero, vt scribit Suetonius, piscabatur reti serico, & hamo aureo; sed multò nobilius Apostolicæ piscationis genus. Iam quod ait: *Spes, & in mari longè*, transferri etiam potest ad expeditionem Indicam vltra Oceanum. & illud per Ieremiam dictum *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur multos*. & per Ezechielem: *Et erunt pisces multi satis, postquàm venerint illuc aquæ istæ*. quis sacri baptismatis aquas in hac prophetia non agnoscit?

Piscatio Euangelica in vltimo Orbe prædicta.

7 *Exitus mane, & vespere delectabis*.) *Mane significat prosperitatem, Vespere tribulationem: in vtroq; tentatur anima; in prosperitate, ne corruat; in aduersitate, ne frangatur. quomodo contempsisti mane sæculi, ita contemne & vesperam*. Nota quod ait, prosperitatem esse tentationis genus. rectè autem ait, non modò aduersa non ægrè ferenda, sed iucundè: *Vespere delectabis*. Addit pulchrè de prosperitate: *Noli attendere quod Mundus promittit, sed quod promittit Conditor Mundi: si habes exitum, non capieris: sic enim est promissio lucri, quasi esca in muscipula*. Notent hoc diuites; nisi ex opibus exitum habeant, inde cor, & affectum subducentes, capi necesse est vt in muscipula clausa. Egregiè autem dictum, non fidendum Mundi promissis, sed eius, qui condidit Mundum; hic enim quia omnipotens, & immutabilis est, stat promissis, & potest reddere quod promisit.

Prosperitas tentationis genus est.

Afflictio non modo ferenda, sed hilariter.

Mundus non stat promissis, sed Deus

8 *Sulcos eius inebria*.) *Duritia pectoris nostri aperiatur vomere sermonum Dei*. Vide quid sit verbum Dei, instar vomeris incultum solum pectoris exarantis, pœnitentiæ sulco, & lacrymis irrigans, iuxta illud; *Inebriabo te lacryma mea Hesebon*. concionator igitur colonus quidam est sedulus, arationis tempora obseruans, & sementis faciendæ. cor auditoris ager est. euellendi antea vepres malarum consuetudinum, &c.

Verbum Dei vomer est, colonus prædicator.

9 *Multiplica generationes eius.*) *Ex credentibus alij credunt, & ex illis alij credunt, nec sufficit vni homini, vt factus sit ipse fidelis, si non & alium hominem lucretur*. Notabilis sententia de proximi salute procuranda. huc spectare puto legem illam Spartanorum, vt vir bonus obligaretur honestè amare alium, quo & alium sibi virtute similem gigneret in Republica. hæc porrò multiplicatio generationis Ecclesiæ, siuè geniminum fit quotidie ab Apostolicis viris; & vt fiat, orandus est Deus, cuius ope fit.

Alter alterum iuuare debet ad salutem.

10 *In stillicidijs eius lætabitur, cū exorietur.*) *Antequam Ecclesia sit idonea capacitati fluminis, instillantur quædam de sacramentis. audi quomodo stillet Paulus paruulis, dum exoriuntur, minus capacibus: non potui vobis loqui quasi spiritalibus, &c*. huc refert illud, *lac vobis potum dedi*. est hoc contra concionatores, qui ad scientiæ iactationem aliena à vulgi capacitate loquuntur; obruunt auditorem flumine doctrinæ abstrusioris, & eloquentiæ torrente, non instillant pro capacitate.

Concionator attemperare se debet capacitati auditorū.

11 *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.*) Intelligit de iudicij die: *Ille & finis anni est, & mensis sæculi. coronam cum audis, gloria victoriæ significatur: vince diabolum, & habebis coronam, benignitatem Dei commendat, ne quisquam de suis meritis glorietur*. acutę ostendit, cur dicatur, *corona anni benignitatis Dei*. ne scilicet nostris viribus parta videatur. de hac Paulus: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex*. hoc est iudicij die. huc refero & illud Matth. *leuate capita vestra, quoniam appropinquat redēptio vestra*. sed cur tunc capitis leuandi meminit, cum tantæ afflictionis pondus incumbit? puto quia corona capiti reponenda est iusto. solus hic magnus annus ex tot millibus propriè coronam habet, quia triumphalis, ceteri anni militares sunt. hęc nunc per tot secula corona conflatur in igne, tunditur pressuris, ornatur virtutum gemmis, exculpitur. & quæ erit huius coronæ benedictio? nempe illa: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*. habes vtrumque & benedictionem, & regni coronam.

Iudicij dies corona anni magni est.

12 *Exultatione colles accingentur. induti sunt arietes, &c.*) *Apostoli colles sunt eminentiore gratia; arietes, quia duces gregis; induti sunt exultatione de fructibus suæ prædicationis*. Vide quantæ letitiæ sit conuersio animarum. hinc fit exultatio, hinc tripudium, non ex vano plausu. vide etiam quā sublimes perfectione esse debeant qui hoc munus exercent, vt collium instar assurgant, hoc est, *eminentiore gratia*.

Apostoli collibus comparati ob eminentem gratiam.

Ex psalmo LXV.

1 *IVbilate Deo omnis terra.) Quicunque ergo à toto præcisus est, vlulare vult, non iubilare.* Talis est Iudæa, quæ omni terra credente, non credit. *Præcisi sunt Iudæi, insertæ sunt gentes. de ipsa insertione præcisi sunt heretici, sed neque contra illos extollere nos debemus, ne forte præcidi mereamur, quos delectat insultare præcisis; nolite insultare eis, quia non sunt intus, sed orate potius, vt & ipsi intus sint; potens est enim Deus iterum inserere illos: resurrexit Dominus, & multi crediderunt. fusus domini sanguis donatus est homicidis, non vt dicam deicidis; qui si cognouissent dominum gloriæ, non crucifixissent.* notabilis locus, ne aliorum defectibus insultemus, si neque hæreticis ipsis insultari vult, sed potius pro eorum resipiscentia orari; quando ex ipsis crucifixoribus quidem saluati sunt. itaque sic pulchrè idem ostendit: *ipsis homicidis donatus est sanguis innocentis. & ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. dicite ergo Deo: Quàm timenda sunt opera tua? vnde timenda: quia cæcitas ex parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium subintraret: ò gentiũ plenitudo, sic gaude, vt contremiscas.* attendens scilicet occulta Dei iudicia: præclarum monitum iusto de bona conscientia, *sic gaude, vt contremiscas.* nam & lapsus timendus, & Dei iudicia verenda sunt.

Nulli peccatori insultandu sed potius orandum.

Sanguis Christi ipsis profuit qui fuderunt.

2 *Psallite nomini eius.) Psallite ergo, non nomini vestro, sed Dei. Vos psallite, ille laudetur; vos bene viuite, ille glorificetur; vnde habes vt bene viuas.* Addit dictum notabile. Ideò Matthæum potius publicanum, quàm Natahanaelem iustum electum, quia doctor erat: *Non quia doctos non erat electurus, sed si ipsos primò elegisset, doctrinæ suæ meritò se electos putarent, & illorum scientia laudaretur. elegit postea & oratores, sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores. elegit item postea Imperatores, sed melius est, cum Romam venerit Imperator, deposito diademate, ploret ad memoriam piscatoris.* pulchrè, & eleganter dictum. & nota excellentiam Apostolatus, & pietatem veterum Imperatorum ad Petri sepulcrum, apud quod diadema gemmatum abiicerent quasi pro fascia sepulcrali; idque lacrymis irrigarent, tanquam Petri lacrymis piè iungentes suas.

Cur Nathanael non electus ad apostolatum.

3 *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Cum scilicet falsi testes acciti contra Christum dicebant. *Hic dixit soluam templum hoc, &c. at Christus non dixerat, soluam, sed soluite: vnum verbum mutauerunt, & paucas literas, vt falsum testimonium molirentur. sed cui immutas verbum, ò humana vanitas? Verbo incommutabili verbum mutas: mutas tu tuum verbum, nunquid mutas Dei Verbum? cur dixerunt, soluam, non soluite? vt quasi ipsi se à crimine soluti defenderent, sine causa. Christus enim, quia voluit, mortuus est; sed vos occidistis. ecce conceditur vobis, ò mendaces: ipse soluit templum. sed Christus tradendo seipsum pro nobis benefecit, Iudas tradendo magistro pro auaritia malefecit. habet ille mercedem malitiæ, Christus laudem gratiæ.* acutè carpit dictum mendax Iudæorum. vbi nota quàm parua variatione ingens mendacium clauserint. & illud argutè & eleganter dictum: *Verbo incommutabili verbum mutas. mutas tu verbum tuum, nunquid Verbum Dei?* lepor est in ipsa Verbi significatione. his addit: *Potentius est Christum resurrexisse mortuum, quàm non fuisse mortuum.* de alijs miraculis potuissent dicere, facta quoque ab alijs, at verò se ipsum vitæ reddere, cum libitum est, diuinæ potestatis est.

Iudæorũ mendaciũ de Christo vnius voculæ variatione soluã, soluite.

4 *Qui conuertit mare in aridam.) Mare erat Mundus, amarus salsugine, turbulentus tempestate; nunc in aridam conuersus sitit aquam dulcem.* Vide quid dicat per Christi aduentum, qui ignem venit mittere in terram, exsiccatæ sunt iam aquæ amaræ, ac salsę; igitur Mundus, ac tellus nonnisi è cœlo dulcem aquam, & imbrem expectare, ac sitire debet. hæc sitis est cordis. nempè *Impij quasi mare feruens.* sed diuino igne charitatis per Spiritum sanctum iam exsiccatum cor, Deus sitit dulcissimum fontem.

Mundus cõuersus ex maris amaritudine sitit Deum dulcem.

5 *In flumine pertransibimus pede, ibi iocundabimur in ipso.) Flumen est mortalitas sæculi: alia veniunt, alia transeunt. quid est pede transire? facile transire, & non quærat equum, vt transeat. humilis transeat, & tutius transeat, non erigatur superbia; ibi iocundabimur in ipso, non in nobis, cùm hoc flumen transierimus pede; vita æterna promittitur. flumen modò est. videte si stat aliqua ætas: non adduntur anni, sed subtrahuntur crescentibus; & volunt crescere pueri, vt careant dominatu maiorum: qui exuunt pueritiam, teneant, si possunt, iuuentutem. transit, & ipsa senectus succedit. hæc flumina facilè transit, qui pede, hoc est humiliter transit duce illo, qui de torrente in via bibit.* Eleganter huius vitæ labilem transitum ostendit, & quasi flumen pede transeundum dicit, vt securius traijciatur, non equo, idest superbè, & elatè, ne cadat.

Præsens sæculum quasi flumen pede trãseundũ est, humiliter, non superbè.

Ætas hominis rapido flumini cõparata.

6 *Posuisti tribulationes in dorso nostro.) Erecti enim malè superbi eramus; curuati sumus, vt benè erigeremur.* Nota tribulationis bonum, & mirum effectum. deprimit, vt erigat. sequitur: *Imposuisti homines super capita nostra. Cùm scilicet aliquando patimur superiores, quos nouimus peiores.* Vide vt æquo animo ferendum sit, cùm is, qui præest, huma-

Tribulatio dum deprimit, erigit.

Sufferendus est prælatus etiã malus

mano more agit, aliqua passione mouetur ad iram, & similia. tu ne hominem attende, sed quam iubendo præfert Dei personam.

Ante aquã baptismi ignis ritè adhiberi solitus.

7 *Transiuimus per ignem, & aquam.)* Per ignem tribulationem intelligit, per aquam prosperitatem. vas igne formatum aqua dissolui non timet. addit rem, & ritum planè notabilem: *Propterea in Sacramentis, in cathechismo, & exorcismis adhibetur prius ignis; nam vndè plerumq; immundi Spiritus clamant: Ardeo; si ille ignis non est? post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum, vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.* Notabile, inquam, est, immundos Spiritus clamare solitos: Ardeo, & adhibitum ignem ante baptismum, vt significaretur, nonnisi per res aduersas, & per pœnitentiam peruenire ad refrigerium æternæ vitæ: pœnitentiam autem, & patientiam diabolus mirum in modum perhorrescit. & qui horribili illo inferni igni cruciatur, non tamen tam anxiè vociferãdo dolorem exprimebat, quàm cùm solum pœnitẽtiæ typum in illo igne videbat.

Dæmones baptismi tempore soliti clamare, ardeo.

Pœnitentia diabolum magis vrit, quã ipsa inferni flãma.

8 *Introibo in domum tuam in holocaustis.) Holocaustum est totum incensum. totum meum consumat ignis tuus; nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi. hoc autem in resurrectione erit, cùm mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet quod scriptum est: Absorpta est mors in victoria: victoria quasi ignis diuinus est, cùm absorbet mortem nostram, holocaustum est.* pulchrè dictum, quicquid est in nobis mortale, absorbendum diuini amoris igne per victoriam resurrectionis, & sic fore nos perfectum holocaustum. interim pulchræ illæ preces crebrius iterandæ: *Totum meum consumat ignis tuus. nihil in me remaneat mihi. totum sit tibi.*

Holocaustum est, cum nihil remanet nostrum, totum fit Dei.

9 *Reddam vota mea quæ distinxerunt labia mea.) Quæ est distinctio in votis? vt te intelligas tenebras, illum illuminationem. redde vota distincta, confitere te mutabilem, illum incorruptibilem. confitere te sine illo nihil posse, ipsum autem sine te esse perfectum. nam quod te in holocaustum assumit, non ille augetur; tibi est melius quicquid de te pro te facit, non ei, qui facit.* acutè adnotat, cur Dauid in precando, distinctione sit vsus. nempè vota, precesq; distinguendæ sunt in sui, & Dei cognitionem, vt omne genus orationis, cùm sui abiectionem, tum Dei gloriã, magnitudinemq; contineat.

Oratio & Dei, & nostri cognitionem contineat oportet.

10 *Holocausta medullata offeram tibi.) Intus teneam charitatem, non in superficie, in medullis meis erit quod diligo te.* pulchrè interiorem animi affectum per medullas exponit. hinc dicimus, medullitùs amare aliquem, hoc est penitus ex interno affectu.

Deus medullitùs amandus.

11 *Audite, & narrabo quanta fecit animæ meæ.) Sed quid narratur? an fortè quantum pateat terra? quantum distendatur cœlum, & quot sint sidera, & quot vices Solis, & Lunæ? sed hanc creaturam qui multùm curiosè quæsierunt, creatorem ignorauerunt. illud audite: Quanta fecit animæ meæ.* Vide, in quo exercenda sit mens nostra; in beneficiorum memoria diuinorum. præponenda est hæc scientia Philosophicæ, & cæteris disciplinis.

Vera intelligẽtia est in Dei beneficiorum cognitione, non in curiosa creaturarum.

12 *Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea.) Quid est, clamaui ore meo, & exaltaui sub lingua mea? parum est Deum exaltare lingua, publicè prædicare ore, sed & sub lingua, vt quod certus loqueris, hoc tacitus cogites.* acutè ostendit, quàm attentè, & meditatè sit orandum, non tantum lingua, sed sub lingua; vt in verbis, quę profers, insit etiam tacita contemplatio rei, quæ per illa significatur.

Oratio vocalis non sine mentali esse debet vnita.

13 *Iniquitatem si aspexi in corde meo.) Quàm facilè nunc homines accusant in alijs iniquitatem. vide si non in corde tuo aspicis iniquitatem. redi ad te, intus esto tibi Iudex; in cubiculo tuo abscondere, in ipsa vena intima cordis tui vbi tu solus es, & ille qui videt: illic tibi displiceat iniquitas tua, noli illam respicere, sed despice potiùs, & auertere ab ea.* pulchrè de intima cordis vena dixit. hæc tangenda, hæc incidenda, vt sanguis iniquitatis corruptus emittatur, nefas est ægrum de ægro iudicium ferre.

Nõ aliena, sed propria inspicienda delicta tacita vena cordis

Ex psalmo LXVI.

1 D*Eus benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos.) Alius benedici vult, vt habeat diuitias; alius vt obtineat salutem corporis: quis autem dicturus est, non esse illam benedictionem? non pro magno appetas, quod & mali accipiunt. quid ergo præcipuè bonum? Illuminet, inquit, vultum suum. Solis huius vultum illuminat super bonos, & malos; vultum suum illuminat super bonos, hoc est, ostende nobis vultum tuum. vel in præsenti ostendisti nobis vultum tuum, fecisti nos ad imaginem, & similitudinem tuam; fecisti nos nummum tuum, non debet imago tua in tenebris remanere; mitte radium sapientiæ tuæ, cognoscamus imaginem tuam. audiamus illud Canticorum: Nisi cognites te ipsam, ò pulcherrima inter mulieres, &c. O anima pretioso redempta sanguine, attende quanti valeas, quid pro te datum sit, cogita.* Rectè monet, eam verè dici Dei benedictionem, quæ non in temporalium bonorum largitione, sed æternorum est. pulchrè autem ait, animam esse nummum Dei, ob imaginem Imperatoris Dei in ea impressam. ideò dicitur, lucratus es fratrem tuum. & rectè ait: imago Dei, qui est lux, latere non debet in tenebris. nempè hoc genus nummi imaginem habet splendoris plenam. olim apud Locrenses fuit in nummis

Dei benedictio cõsistit in spiritalibus potius donis, quàm terrenis.

Anima nummus Dei est impressus eius imagine.

Lu-

Lucifer sculptus, sed eius sideris erat tantùm figura, non splendor. Deniq; sic concludit Augustinus: *Gestamus vultum eius, quemadmodum dicuntur vultus Imperatorũ. verè quidem sacer vultus Dei est in imagine ipsius, quam iniusti non cognoscunt*. Vides nos more militum, summi Imperatoris Dei præferre veluti in vexillo imaginem. quàm generosè, strenuèq; pugnandum? sed quia nostro vitio deformata est, sic piè Deum precatur: *A te reformetur, quod à te formatum est.*

Viatores sumus in nocte, cãticum nostrum de patria sit, ad quam tendimus.

2 *Cantate Domino canticum nouum.) Hoc est cantate amatoria patriæ vestræ, nemo vetera; via noua, viator nouus, canticum nouum. hinc illud Apostoli: In Christo estis noua creatura. viatores plerumq; in nocte cantant, & quantò magis silentia loca sunt, & formidolosa, cantant tamen qui latrones timent. quantò securius cantas in Christo? non habet hæc via latronem, nisi tu deserendo viã, incidas in latrones*. Vide quid cantandum sit, de patria, ad quam tendimus: de gloria cœlesti: hoc nostrum gaudium, & solatium viæ. viatores quippè sumus in nocte, nec sine metu latronum, si aberremus.

Confessio quasi saniẽ peccati extrahit vt apostematis.

3 *Confiteantur tibi populi Deus, &c, Lætentur, & exultent gentes.) Tristis es, antequàm confitearis, confessus exulta, ita sanaberis. non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies*. Vide quid sit peccatum. fœda sanies apostematis. confessor quasi peritus chirurgus. exit per confessionem sanies. lætitia consequitur ex sanitate.

Vt fructificemus, opus est imbribus, & tonitruis pœnitentiæ.

4 *Terra dedit fructum suum.) Compluta terra dedit fructum. audi compluentem Dominum: Agite, inquit pœnitentiam. ecce pluuia, & ipsa pluuia tonitrus est; terret, time tonantem, & excipe pluentem*. Eleganter dictum, vt fructificet terra, præcedant oportet tonitrua, & imbres; ita orandus Deus, vt sui timoris tonitruis, & dono lacrymarum nos præueniat, vt cordis terra fructum reddat. huc facit quod addit pulchrè: *Mulier illa peccatrix non erat inuitata ab hospite, sed ab inuitato vocata, non lingua, sed gratia; fit ad pedes, irrigat lacrymis: hoc factum est ibi pluente Domino*. Vides vocationem gratiæ. illa pro lingua aurea est, quæ nos inuitat ad Deum per lacrymas pœnitentiæ. & acutè ait, quomodo Magdalena in Pharisæi domum venerit; inuitata quidem venit, non tamen à Pharisæo, sed à Domino per internam vocationem.

Deus per gratiam quasi linguam nos ad se vocat.

Magdalena inuitata venit nõ à Pharisæo, sed à Christo.

Christi sanguis pfuit etiã ijs, qui fuderunt.

5 *Terra dedit fructum suum.) Id apparuit maximè initio Ecclesiæ; tunc erat illis cor vnum, & anima vna: donatus enim erat illis sanguis Domini, quem fuderunt, vt ita quem fuderant, etiam bibere discerent*. Videtur hoc indicare, ex Eucharistiæ Sacramento tantum fructum extitisse, præsertim concordiæ, & vnitatis. certè Catilina dicitur propinasse sanguinem coniuratis, tametsi ille impiè. porrò non modo Iudæi, sed omnes, qui peccauimus, vt ait Apostolus, Christum crucifiximus, eius sanguinem fudimus, imò conculcauimus. & tamen, ò pietas Saluatoris! cum ipsum sanguinem bibimus, & saluamur.

Dei pietas erga nos per adoptionem.

Christus diligẽdus humilis, ne timeatur excelsus.

6 *Metuant eum omnes fines terræ) Vnicũ pater genuit, & vnum remanere noluit. fecit ei fratres, si non gignendo, tamen adoptando. sed timeamus venturum: qui venit humilis; veniet excelsus; agnoscamus humilem, vt non extimescamus excelsum; amplectamur humilem, vt desideremus excelsum*. Eleganter sanè dictum. referri hoc potest ad Christum etiam recens natum in præsepi abiectum. illud autem quantæ pietatis est, vt vnicum filium sibi æqualem habens pater, dignatus sit nos in filios aggregare! certè per adoptionem.

Aquilæ renouatio imitanda.

7 *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.) Vetustatem nostram ad petram Christum conteramus; siuè verum sit quod de serpente, & aquila dicitur, siuè sit fama potius hominum, quàm veritas. in scripturis tamen est veritas. nos, quicquid illud significat, faciamus, & quàm sit illud verum, non laboremus*. Idem puto dicendum de Phœnice, & similibus, vt illud Iob: *Iustus vt Phœnix florebit*: nam & ita ex Græco verti potest, cùm ea vox vtramq; significationem habeat. licet non in his esset locus certitudini, at est vtilitati. & aquilæ quidem renouationem Hieronymus ait fieri per aspersionem in aquis pennarum veterum, oculos autem primũ renouari; quod ad pœnitentiũ lacrymas rectè refertur.

Ex psalmo LXVII.

Vltio de inimicis à Deo petenda est eorũ conuersio.

1 *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.) Quanquam fortasse eos hoc loco significauerit, quorum duritia in pœnitentiæ lacrymis soluitur, tamen etiam illud intelligi potest, vt venturum iudicium comminetur, cùm in sua claritate fuerit presentatus, velut ignis ad pœnam impiorum, lucemq; iustorum*. Nota, ignem iudicij ardorem impijs, lucem iustis pariturum, quò spectat illud: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. ita ignis ille, quo Mundus conflagrabit, quoad æstum totus confluet in damnatos, quoad splendorem totus in iustos. Item iuxta primam interpretationem, vide quam vltionem de hostibus iustus expectet, ac petat à Deo, vt cor eorum mollescat per pœnitentiæ ardorem.

Ignis iudicij ardorem impijs, splẽdorẽ iustis parietur.

2 *Iter facite ei.) Idest per speciosos pedes euangelizantium peruia fiat et corda creden-*

Christi ascensio mortificatis prodest.

dentium; qui ascendit super occasum, quia non excipit cum noua vita se ad eum conuertentis, nisi vetus occiderit huic sæculo renunciantis. est hoc religiosis maximè notandum. ascendit in eis Christus, si sub se videat veterem hominem depressum, & per mortificationem velut in occasu positum.

Gratia imber voluntarius Dei quia non ex merito.

3 *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; &c.) Ipsa gratia, pluuia voluntaria, quæ nullis præcedentibus meritis operum gratis datur; voluntariè enim genuit nos verbo veritatis; indè alibi dicitur: scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. istam pluuiam, cum Deus transiret in desertum, idest prædicaretur in gentibus, cœli distillauerunt, non à se ipsis, sed à facie Dei, à gratia Dei, quia ipsi gratia Dei sunt, vt ait Paulus: Plus omnibus laboraui, non ipse autem, sed gratia Dei in illo, vt abundantius distillaret in gentibus.* Addit. *hanc pluuiam voluntariam nullis præcedentibus meritis operum bonorum Deus segregauit hæreditati suæ, & infirmata est: agnouit enim non esse se aliquid per se ipsam; non viribus suis, sed gratiæ Dei tribuendum esse quod est. tu verò perfecisti eam, quia virtus in infirmitate est in se, vt perficeretur abs te.* pulchrè gratiam imbri comparat terram fœcundanti; sed voluntariam dicit, quia non ex nostro merito, sed beneplacito Dei. huc spectat quod sequitur: *Parasti in suauitate egenti Deus.) In tua suauitate, non in illius facultate. agnouit se indigentem, vt repleretur. hæc est illa suauitas, de qua dicitur: Dominus dabit suauitatem, & terra dabit fructum suũ: vt bonum opus fiat amore, non timore.* egregiè ostendit Dei gratiam, non violenter, sed suauiter nobiscum agere, nec seruilem timorem à nobis exposcere, sed amorem nempe tanquam à Dei filijs adoptatis.

Xauerius Indiarum Apostolus miraculis illustris.

4 *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.) fortasse virtutem hic dicit illam, qua euangelizantes mirabilia signa fecerunt.* pertinet hoc in primis ad Indiarum Apostolum illum Xauerium, quem rectè dixeris thaumaturgum: quippe præter cetera miracula, viginti & amplius mortui ab eo vitæ redditi dicuntur: ad quem etiam, & ad ipsius socios, hoc est ad Societatem Iesu referri potest quod sequitur de spolijs Orientis, ac ceterarum gentium.

Ecclesia speciosa Christi domus spolijs ornata.

5 *Et speciei domus diuidere spolia.) Speciosam domum Ecclesiam Christi fecit, diuidendo spolia illi; spolia verò dicunt, quæ victis hostibus detrahuntur, & dominus ait: Nemo intrat in domum fortis, vt vasa eius diripiat, nisi prius alligauerit fortem. alligauit ergo diabolum Christus sacramento incarnationis suæ, ac sic alligato abstulit tanquam spolia, vasa eius. diuisit ea speciei domus suæ, alios constituens apostolos, alios prophetas, &c. quæ omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult, ait Paulus. hæc est species domus, cui spolia diuiduntur, vt amator eius hac pulchritudine accensus exclamet: Domine dilexi decorem domus tuæ.* Itaque incarnatio fuit vinculum humanæ naturæ cum diuina, & idem vinculum fuit, quo captiuus diabolus in triumpho ductus est. porro hãc laudem de manubijs ornatissimis ex conuersione gentium, ac de viris varietate virtutũ insignibus quisque ad suam religionem pulchrè accomodare potest, cuius institutum sit apostolica vita. liceat & ad nostram, quæ militarem quasi disciplinam ipso præfert nomine. eius certè domus species, & decus est ingens, tot erepta Erebo spolia, quot peccatores conuersi; tot erecta trophæa, quot cruces; tot excitati tituli, quot apud barbaros nomina regionũ, atque regnorũ. hęc mulier illa fortis, cuius pretium procul, & de vltimis finibus, *& spolijs non intelligebit.*

6 *Si dormiatis inter medio cleros, pennæ columbæ deargentatæ & inter scapulas eius in viriditate auri.) Columbam dicit Ecclesiã, de qua in canticis; vna est columba mea; quia diuinis eloquijs erudita. deargentata dicitur; eloquia enim domini argentum igne examinatum.* per medios cleros intelligit vtrumque testamentum, cuius testimonijs acquiescere prædicator debeat, *vt ipsi sint pennæ deargentatæ, quorum prædicatione in cœlum fertur Ecclesia.* egregiè Ecclesiam dicit columbam, pennas eius argenteas prædicatores: hi enim ad hoc instituti sunt, vt quasi pulcherrimæ pennæ eleuent in altum Ecclesiam: argenteæ ob candorem animi, & cœlestẽ modum viuendi. ad hunc verò finem vti debent non prophanis, aut vanis sermonibus, sed sacræ scripturæ testimonijs. ad eosdem pertinent sequentia.

Colũba Ecclesia pennæ de argentatę prædicatores.

7 *Inter scapulas eius in viriditate auri.) Scapula pars est corporis iuxta regionem cordis, à dorso tamen, quam partem columbæ illius deargentatæ in viriditate auri esse dicit, hoc est in virore sapientiæ, quem virorem non puto melius intelligi posse, quàm charitatem.* rectè ait, prædicatorem ex corde loqui debere. quod autem per viriditatem auri charitatem intelligit, consonat, & vulgata, *in pallore auri*; nam pallor amantium est, & viriditas pertinet ad charitatem, quia semper manet, *Siuè prophetiæ euacuabuntur, siue, &c. charitas nunquam excidit.* Addit. *in græco est μετάφρενον, quod significat quod est à tergo inter scapulas; vtrùm propterea ibi est auri viriditas, idest sapientia & charitas, quia ibi sunt quodammodo radices alarum? an quia ibi portatur sarcina leuis? quid enim sunt ipsę alæ, nisi duo præcepta charitatis? quid sarcina leuis, nisi ipsa charitas, quę in his duobus pręceptis impletur? quidquid enim difficile est in præcepto, leue est amanti.* præclarè dictum. Iam prima interpretatio pertinet ad prædicatores, qui non charitate

Auri viriditas in dorso columbæ charitas est leuia faciens onera pręceptorũ.

ritate tantùm, sed diuina sapientia ordinati esse debent, ne quid fidei parum consonum loquantur. altera interpretatio pertinet ad omnes, sed Religiosos maximè. duæ, inquit, alæ deargentatæ columbæ huius, duo præcepta sunt charitatis; nam & columba sine felle esse dicitur. de scapulis verò, siuè dorso aureo meminit, vnde alæ illæ prodeunt, vt facilè ferre discamus, si quid circa hoc, vel circa religiosam disciplinam onerosum occurrat.

Primus clericus ab Apostolis ordinatus Matthias

8 *Inter medios cleros.) Testamento datur hæreditas, quæ græcè κληρονομία dicitur, & κλῆρος sors; vndè Tribus Leui dicitur non habere sortem inter fratres; nam & Clericos hic appellatos puto, qui sunt Ecclesiastici viri gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primùm per Apostolos legimus ordinatum.* Nota, primum veluti Clericum ritè ordinatum ab Apostolis dici Matthiam: vtinam ad eius normam viuant reliqui. tantæ is erat sanctitatis, vt præpositus fuerit Barsabæ, qui cognominabatur Iustus. iuxta hanc expositionem pulchrè referri possunt hæc vel ad sanctum Philippum Nerium, vel ad sanctum Carolum Borromæum; vterque enim Clero maximè piè, sanctèque informando nauauit operam. de ambobus dicas: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & inter scapulas eius in viriditate auri.* si pro somno, vel contemplationem, vel mortem ipsam intelligamus, vt mox dicet. certè hi veluti columbæ ob innocentiam, & candorem vitæ fuerunt, & instructi duabus alis argenteis, charitatis Dei, ac proximi; cum scapulis aureis, ob cœleste quoddam veræ sapientiæ decus, atque fulgorem. refert Basilius solitos columbæ vnius alas fraganti vnguento oblinere, quæ alias post se odore captas attraheret. idem de his dicendum videtur, vnguento diuinæ gratiæ perfusis. simile studium Cleri reformandi & in B. Caietano Thianeo fuit.

SS. Carolus Borrom. & Philippus Nerius cleri reformatores.

Iustorum quies, & mundanorum inquietudo

9 *Inter medios cleros.) Multò probabilius cleros ipsas hæreditates intelligimus; vt quoniam hæreditas veteris Testamenti est, quamuis in vmbra significatiua futuri, terrena felicitas; hæreditas verò noui Testamenti æterna immortalitas; dormire inter medios cleros sit, nec illam iam quærere ardenter, & hanc expectare patienter; nam qui quærunt in hac vita terrenam felicitatem, his ablatus est somnus, & inflammati cupiditatibus quasi non requiescunt.* Vide inquietum mundanorum statum inter ipsas opes. acutè autem iustum in medio hæreditatis requiescere ait, per desiderium scilicet, & tolerantiã.

10 *Si dormiatis, &c.) Potest & sic intelligi: Si vos pennæ columbæ deargentatæ dormiatis inter medios cleros, niue dealbabuntur in Selmon, vt subintelligantur homines, qui per gratiam recipiunt remissionem peccatorum; vndè etiam de ipsa Ecclesia dicitur in Canticis: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? promissio quippe Dei est; Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, sicut niuem dealbabo.* huc facit quod alij vertunt, inter ollas, siuè lebetes, aut tripodes, idest licet fuligine peccatorum, & ardentis concupiscentiæ fœdus sis, potes ita per gratiam euadere, vt quasi columba, non modò candida, sed ornata argenteis alis, & aureis scapulis, inde euoles. huiusmodi columba Magdalena fuit, solita post Christi ascensum in deserto in aerem ferri, & euolare quàm altissima contemplatione.

Anima peccatrix pôt per pœnitentiam columba speciosissima euadere.

11 *Si dormiatis, &c.) Hoc est si moriamini inter medias hæreditates, vt mortem carnis dormitionem vocet suo more Scriptura; hæc est mors optima, vt in cupidarum columbarum morem à terrenis in spe cœlestis hæreditatis homo vsque in finem perseueret, diem vitæ huius vltimum claudat; sic dormientibus, erunt pennæ deargentatæ, vt tempore, quo resurgent, rapiantur in nubibus obuiam Christo in aera. aut certe quia per eos, qui sic moriuntur, quantò securius, tantò sublimius Ecclesia diffamatur. ipsi Apostoli, ac beati Martyres, cæterique iusti vsque ad hoc tempus dormierunt inter medios cleros, regni terreni felicitatem contemnentes, & regni cœlestis æternitatem spectantes; & quia tam beatè dormierunt, eis veluti pennis nunc volitat, & laudibus exaltatur Ecclesia. columba igitur deargentata est in hac eorum fama, ad imitandum posteris inuitatis, dum sic etiam dormiunt cæteri, addantur pennæ, quibus vsque in finem sæculi sublimiter prædicetur.* Elegans locus de morte Sanctorum, & gloria resurgentium, qui enim in spe cœlestis hæreditatis requieuerunt, obieruntq; eos ait in die iudicij quasi columbas pennis argenteis, & scapulis aureis ornatas è tumulis euolaturas obuiam Christo in aera. quò spectat mos ille Longobardorum, qui in tumulis sculpebant columbas, quasi aliquando inde euolaturas. quod igitur habet vulgata: *In pallore auri*, ad mortem sanè spectat, nam pallida mors dicitur. quod autem ipse legit: *In viriditate auri*, ad spem futuri sæculi, & ideò *posteriora dorsi*. vtrumque continetur illis Sapientiæ verbis: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt*, habes auri pallorem. *Spes illorum immortalitate plena est*, habes auri viriditatem. Item nota, per Sanctos, quasi per pẽnas quasdam Ecclesiam quasi columbam per totum Orbem volitare, & famæ celebritate extolli, ac nos eorum exemplo ad

Mors Sanctorum quasi dormitio, & volatus columbæ deargentatæ, &c.

Ecclesia volitans per Orbẽ quasi columba pennis argenteis, aureisq.

idem faciendum accendi.

Iusti Reges dicuntur.

12 *Dum discernit supercœlestis Reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon.) Dicuntur iusti Reges à regendis terrenis cupiditatibus, ne regnet peccatum in mortali corpore; & quia hæc operatur Spiritus, vt ait idem Paulus, ideò niue dealbabuntur in Selmon; Selmon interpretatur, vmbra, & Maria dicitur; Spiritus sanctus obumbrabit tibi, idest tibi vmbram faciet. dealbabuntur in Selmon, idest in gratia Spiritus Christi, quo eis propria dona discreta sunt. vmbra ista defensaculum est ab æstu concupiscentiæ, vndè illa Virgo non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo concepit. constat autem vmbra lumine, & corpore: periudè illud quod in principio erat Verbum, lumen illud verum, vt vmbraculum meridianum fieret nobis, Verbum caro factum est; Deo scilicet homo tanquam lumini corpus accessit, & in eum credentes vmbra protectionis operuit; dum igitur supercœlestis ille discernit Reges, non sua merita extollunt; niue quippè dealbabuntur in Selmon, hoc est Gratia candificabuntur in protectione corporis Christi.* pulchrè, & acutè interpretatur illud: *Spiritus sanctus obumbrabit tibi*. cur vmbræ nomine vsus? quia vmbra constat ex lumine, & corpore: Verbo autem diuino natura hominis accessit, vt hinc & existeret protectionis vmbraculum, & sine vllo æstu concupiscentiæ Deipara concipere intelligeretur. pulchrè item Gratiam niui comparat, ob candorem, & extinctionem libidinis; quamobrem rectè Franciscus Assisias de hac tentatus in niuem se coniecit: *Niue dealbabuntur, hoc est Gratia candificabuntur.*

Cur Deipara dictum; Spiritus sanctus obumbrabit tibi?

Gratia niui comparata.

13 *Mons Dei, mons vber, incaseatus.)* sic legit, vbi est in vulgata, mons coagulatus: *Christus ipse mons est incaseatus, propter paruulos Gratia tanquam lacte nutriendos; nam ipsum lac miro modo significat Gratiam; manat quippè ex abundantia viscerum maternorum, & misericordia delectabili paruulis gratis infunditur.* Eleganter de Gratia dictum. gratis matrem infantibus dare lac puto dici, quia nihil retribuerunt matri, dolores tantùm attulerunt; quare ait Plutarcus, nisi natura matribus tantum amoris ingenerasset, memores dolorum partus, statim natos abalienaturas à se fuisse. quod autem ait, lac miro modo significare Gratiam, habes pulchrè apud Sap. *Omnia deseruiebant nutrici Gratiæ tuæ.* quàm decet his inhiare vberibus Gratiæ, ac respuere illud detestabile Lamiarum! *Nam & Lamiæ nudauerunt mammas suas*, vt ait Hieremias. Lamiam dico voluptatem blando vultu lethalem. Mosen, ait Iosephus, respuisse vbera nutricis Aegyptiæ, donec accessit mater.

Gratia nutrici cōparata vbera porrigenti.

14 *Mons Dei, mons vber est, &c.) Christus mons montium est. Vt quid suspicamini montes caseatos? sicut cum alij eum putabant Eliam, alij Ioannem Baptistam, &c.* Rectè Christum & montem vocat ob sublimitatem Deitatis, & lactis abundantem ob suauitatem humanitatis. Addit: *Sancti etiam montes dicuntur. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis; quia vita eis æterna est donata, & per eos sanctarum Scripturarum eminentissima authoritas constituta est, sed illuminante Deo.* huc refert locum Psalmi: *Leuaui oculos meos in montes, idest in Sanctos, vnde veniet auxilium mihi.* & tamen subiungit: *Auxilium meum à Domino: ideò vnus horum montium multùm excelsus, cùm dixisset: Plus his omnibus laboraui; non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum.* acutè ostendit, Sanctos quantumuis magnos, à Deo habere vt possint alios iuuare. vbi nota de auxilio poscendo Sanctorum. pulchrè autem Paulum vocat montem excelsum, etiam si statura exiguus esset, & se minimi faceret, quamobrem Pauli nomen sibi imposuisse putatur.

Christus mons vbertatis lactis abundans.

Sanctorū auxilium deposcendum.

Paulus mons excelsus.

15 *Currus Dei decem millia multiplex millia lætantium; Dominus in eis.) Ingentem multitudinem Sanctorum, atque fidelium, qui portando eum, fiunt quodammodo currus Dei, significauit hoc nomine: hanc inhabitando, & regendo tanquam currum suum deducit in finem, tanquam in destinatum locum. millia lætantium dicit: Ipsi enim sunt gaudentes, donec perducantur in finem,* ac mirificè subiecit lætitiæ causam: *Dominus in eis.* Egregiè dicit, innumerabilem illam laureatam beatorum multitudinem tanquam triumphalem pompam equorum, & currum, non habituram lætitiam, ac voluptatem, nisi *Dominus in eis.* huc facit quod sequitur.

Deus in Sanctis tanquam curru triumphali inuehitur.

16 *Ascendens in altum captiuasti captiuitatem.) Quid est captiuasti captiuitatem? vtrùm quia vicit mortem, quæ captiuos tenebat, in quibus regnabat? an ipsos homines apprehendit captiuos, qui sub diabolo captiui tenebantur? cuius rei mysterium continet titulus Psalmi; Quando domus ædificabatur post captiuitatem, idest Ecclesia post gentilitatem.* Nota de titulo Psalmi, quo Ecclesiæ ædificium tanquam Capitolium extrui significatur post mortem, & diabolum triumphatum. Addit mox pulchre: *Felix captiuitas; ideò in ista captiuitate, in isto curru, sub isto iugo non sunt millia plorantium, sed lætantium: Dominus quippè in eis.* Est hoc cōtra Religiosos nimis querulos, dum disciplinæ iugum subire detrectant. Tùm contemplari libet, in hoc

Ecclesiæ ædificatio quasi capitolii post triūphum de morte.

Sanctorū tanquam in triumpho lætitia.

Chri-

Christi ascendentis in cœlum triumpho ferri, & trahi mortem catenatam, iuxta illud Habacuc: *Ante faciem eius ibit mors.* vt sic eam videntes, qui Imperatorem sequuntur, læti se immortales deinceps futuros gratulentur. rectè igitur omnes lætantes dicuntur tanquam, iò triumphe, canentes.

17 *Domini, Domini exitus mortis.*) *Tanquam diceret: Quid indignaris humana conditio, habere te exitum mortis? etiam Domini tui exitus non alius, quàm mortis fuit: potiùs ergo consolare, quàm indignare; nam & Domini exitus mortis.* immò & vltrò mortuus. aduerte phrasim hebraicam in repetendo: Domini, Domini, quod emphasim habet. huc refero illud adagium: nam & Codrus mortuus est. fuit Codrus Rex iustissimus, ac miræ pietatis, qui se vltrò morti deuouit pro patria. cùm igitur aliquid sinistri accidebat, ita se veteres consolabantur: & Codrus mortuus est. quantò magis Christi mors nostram solari debet? Simile quoque est illud de Phocione duce fortissimo, qui obbibiturus venenum, cùm plebeium quendam mœstum videret eodem genere mortis afficiendum: Quid dubitas, inquit, vnà cum Phocione mori? Addit: *Etiam suum esse voluit exitum mortis, ne mortem istam timeremus, sed illam potius, vnde nos liberauit per istam.* mortem scilicet sempiternam sustulit temporali sua.

Magnum in morte solatium, quod & Christus Dominus oppetierit mortē.

18 *Conquassabit capita inimicorum suorum.*) *Illa capita, quæ mouebant ante crucem illudentes Christum.* Acutè notatum, ac vide vt pœna culpæ respondeat.

Iudæorū, irrisio mouentium capita apud crucem punita.

19 *Conuertam in profundum maris.*) *Non enim peccatores se conuertunt, sed ipse conuertit eos, qui in profundo huius sæculi iacent demersi pondere peccatorum, vbi conuersus ille dicit: De profundis clamaui ad te Domine. ita alij codices habent: Conuertam in profundis maris, hoc est ad eos liberandos, qui sunt desperatissimi peccatores.* Vide quò se extendat Dei misericordia, vsque ad abyssum protendit manum, vt extrahat, & liberet peccatorem non modò naufragum, sed planè, penitusque demersum, obrutumque fluctibus peccatorum. huc facit quod sequitur.

Dei pietas vel ex abysso peccatorem extrahit.

20 *Vt intingatur pes tuus in sanguine.*) *Hoc ad ipsum Dominum Propheta dicit, vt ipsi, qui ad te conuertuntur, licèt in profundo maris onere iniquitatis depressi fuerint, in tantum tua gratia proficiant, vt fiat pes tuus in enunciando Euangelio; & pro nomine tuo duces Martyrum vsque ad sanguinem certent.* hoc olim in sancto Cypriano, & alijs ostensum est; nunc in ipsis barbaris in Iaponia. ex ijs tres è Societate Iesu adeò post conuersionem profecerunt, vt insigne martyrium in cruce subierint, cæteris per ipsos conuersis duces facti. Eleganter igitur dictum: efficiam ex vi gratiæ meæ, vt pes tuus, qui intingebatur salsis, ac turbidis fluctibus huius sæculi, siuè gentilitatis, intingatur potiùs in proprio sanguine pro me fuso; & idem pes, qui hærebat fixus in profundo, expeditus iam præeat alijs ad martyrium, relinquens cruoris fusi vestigia. & Xauerius quidem noster non defuit ipse martyrio, sed martyrium ipsi, quanquam exercito laboribus, & periculis plurimis. cruentis certè pedibus sæpè huc, illuc cursitabat per vepres, & saxa: *Vt intingatur pes tuus in sanguine.* relicturus videlicet præclara vestigia virtutis. huc spectant quæ subiungit.

Conuersi de gentilitate Martyres facti, & duces Martyrū.

21 *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*) *Eos ipsos, qui vsq; ad sanguinem fuerant pro fide euangelica certaturi, canes vocat, tanquam pro suo Deo latrantes; canes laudabiles, fidem seruantes Domino suo, ideò canum suorum dixit; nec enim dentes, sed lingua laudata est, nec sine magno sacramento. Gedeon solos eos iussus est ducere, qui fluminis aquam sicut canes lamberent, talesq; non amplius, quàm trecenti in tanta multitudine inuenti sunt, in quo numero crucis signum est: nam T. litera in græcis numerorum notis trecentos significat. laudabiles igitur canes sunt, qui vigilant, & pro domino meo latrant. sicut laudatur istorum lingua canum, qui ex inimicis fore dicitur, per conuersionem scilicet ab ipso, ipsius vtiq; dilectione, ipsius misericordia; nam quando id possent à se ipsis? ad hoc et domini exitus mortis. hoc est ideò mortuus, vt qui inimici erant conuersi, postea euadant canes fideles domino.* hoc ad Prædicatores Euangelij pertinet, puta ad S. in primis Dominicum, Prædicatorum Ordinis institutorem, qui in vtero matris visus canis specie. quanquā hic nūquā ex inimicis, immò potiùs ex amātissimis semper Dei fuit, ac propterea multò magis laudandus. latrauit huius lingua cū socijs aduersus hæreticos maximè. acutè autem notauit, in huiusmodi canibus *non dentes, sed linguam esse laudatam.* quod ad prędicationem pertinet, vt animarum salutem spectent, non vt dicacitatem, & mordacitatem habeant.

Canes Dei zelatores fidei.

Dominicus catuli specie visus in vtero matris oblatraturus in hæreticos.

Dei canū non laudantur dentes, sed lingua cur?

22 *Visi sunt gressus tui, Deus.*) *Gressus, quibus venisti, tanquam in illo cursu peregrinaturus Orbem terrarum.* reuelato scilicet Dei filio; nam hi gressus latebant antea in veteri testamento. vbi vides quasi peregrinum, & ignotum venisse; quamobrem etiam eo habitu apparuit redeuntibus ijs, qui ipsum per scripturas ignorabant. hoc eodem peregrini habitu

Incarnatio quasi peregrinatio Dei filij fuit,

quasi rediuiuus apparuit Xauerius animam agenti Marcello Mastrillo Sacerdoti ex nostris, eum ad vitam reuocans, & peregrini habitu, quo vti solebat, in Indiam inuitans, nobis testibus, *Tanquam peregrinaturus Orbem terrarum*, iterum si liceret.

23 *Praeuenerunt Principes coniuncti psallentibus.) Principes sunt Apostoli; ipsi praeuenerunt, vt caeteri sequerentur, coniuncti psallentibus, de quorum bonis operibus tanquam organis laudis glorificaretur Deus.* Nota praedicationis Apostolicae finem, Dei gloriam. hanc Ignatius in Apostolico suo Ordine maximè spectauit; immò maiorem Dei gloriam. ac vide quàm suauem bonorum operum harmoniam, atque concentum habere debeamus: *Vt bonis operibus tanquam organis laudis glorificetur Deus.* extremo loco Societas Iesu fundata est: sed vt in extremo vestis sacerdotalis erant aurea tintinnabula resonantia, ita & ipsam resonare concentu virtutum par est.

Finis Apostolicae praedicationis Dei gloria.

24 *In medio adolescentularum tympanistriarum.) Ecclesiae sunt adolescentulae. noua gratia decoratae, eaedemque tympanistriae, castigata carne spiritaliter sonorae, eo quòd tympana fiunt corio siccato, & extento.* Rectè tympanistrias, idest animas mortificatas in carne coniungi dicit psallentibus, hoc est orantibus. coniungi quippè debet oratio mortificationi: ita renouatur anima, vt vetus homo locum non habeat, sed semper velut in flore adolescentiae sit. haec coniunctio apparet in illis verbis Cant. *Vadam ad montem myrrhae, & ad collem thuris.* illud ad mortificationem, hoc ad orationem pertinet.

Animae tympanistriae ob carnis mortificationem dictae.

Mortificatio cũ oratione iungenda

25 *Ibi Beniamin adolescentulus in ecstasi.) Idest ibi Paulus nouissimus Apostolorum; sed planè in ecstasi, expauescentibus omnibus tam magnum eius vocationis miraculum. est autem ecstasis mentis excessus, quod aliquando pauorem significat, nonnunquam autem per aliquam reuelationem, & alienationem à sensibus corporis, vt spiritui aliquid demonstretur.* ideò de Paulo intelligit, quia erat de Tribu Beniamin. siuè cùm in conuersione attonitus cecidit; siuè cùm raptus ad tertium coelum. pulcher hic locus est de sancto Paulo, cuius conuersionem tam magnum miraculum vocat, vt considerantem possit in stuporem, & ecstasim rapere; sin autem ecstasim ad contemplationem referimus, pulchrè aptari possunt haec verba beatis Aloysio, & Stanislao adolescentibus è Societate Iesu, *Ibi Beniamin adolescentulus in ecstasi.* adeò orationi dediti, addictiq; fuerunt.

Pauli mira conuersio, & raptus.

26 *Principes Iuda duces eorum, &c.) Significantur omnes in Ecclesia excellentes, atque imitatione dignissimi Martyres, namque in Ecclesia locum summum tenent, atque apicem sanctae dignitatis extollunt.* praeclara laus, & ideò acutè adnotat, in martyrio nominari Principes Iuda, Zabulon, & Nepthali: *Iudas interpretatur, confessio, Zabulon habitaculum fortitudinis, Nepthali dilatatio mea: primò confessio est; tùm in tolerando fortitudo, denique latitudo sequitur in praemio.* Addit aliam interpretationem: *Vel haec tria nomina, Iudas, Zabulon, Nepthali significant fidem, spem, charitatem; Vt confessio sit in fide, fortitudo in spe, latitudo in charitate. spes fortis est, quia quod non videmus, per patientiam expectamus. latitudinem habet charitas, quia foras mittit timorem.* Nota quae maximae virtutes in Martyribus enituerint: inter ipsas tetri carceris angustias erat latitudo charitatis, &c.

Martyres praecipui Principũ nomine significati

Tres virtutes potissimùm in Martyribus reluxerunt.

27 *Increpa feras calami.) Heretici ferae calami sunt, quoniam Scripturarum sensum pro suo errore peruertunt.* per calamum scripta significata dicit. vide igitur quid agant Doctores impugnando haereticos; Dei voce increpant feras calami, tanquam venatores, aut venatici canes, praesertim cùm opponunt calamo calamum, idest scriptis suis eorum scripta exagitant, vt ipse Augustinus, & nostra aetate Bellarminus fecit.

Haeretici cur ferae calami appellentur?

Doctores venantur haereticos tanquam feras inter calamos latẽtes.

28 *Congregatio taurorum in vaccis populorum.) Tauros vocat propter superbiam durae, indomitaquè ceruicis; significant enim haereticos; vaccas autem populorum seductiles animas, quae has sequuntur.* puto, quia lasciui in primis seducuntur ab haereticis ob libertatem conscientiae: quanta igitur vis, & robur sapientiae requiritur, vt velut in amphitheatro cum istiusmodi tauris congrediaris? magnum suae virtutis spectaculum in hoc exhibet in primis Dominici ordo, & Ignatij.

Haeretici tauris cõparati, & seducti vaccis.

29 *Vt excludantur ij, qui probati sunt argento.) Idest, vt appareant ij, qui probati sunt eloquijs diuinis. excludantur, dictum est, appareant, emineant, manifesti fiant; vnde & in arte argentaria exclusores vocantur, qui de confusione massae nouerunt formam vasis exprimere.* Multi quippè Scripturarum sensus manifesti fiunt, cùm cogimur respondere haereticis, vt de homine Christo contra Manichaeos; de Trinitate contra Sabellium; de vnitate naturae contra Arrianos, &c. *Quorum sensuum probati assertores, aut prorsus laterent, aut non ita eminerent, vt*

eos

eos eminere fecerunt superborum contradictiones. ita Paulus, *oportet*, inquit, *hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis*. Eleganter eos, qui confutant hæreticos, exclusores, & vasorum argenteorum cœlatores vocat, in quibus apparent, & eminent affabrè expressæ, & eminentes formæ variarum rerum: ita illi varios sensus pulchros sacræ Scripturæ efformant: huiusmodi peritissimus vasorum artifex, & cœlator Hieronymus est; quem Ecclesia meritò in interpretandis Scripturis Doctorem appellat maximum.

Interpretes sacræ Scripturę tãquã exclusores, & cœlatores uasorum argenteorum.

30 *Venient legati ex Aegypto, Athiopia præueniet manus eius Deo.*) *Athiopia nomine, gentium fidem significauit. legatos appellat, reconciliationis Prædicatores*. Egregiè referri potest hoc ad S. Franciscum Xauerium, qui vidit per somnum insistere suis humeris Aethiopem, quo gentium conuersio est indicata, Addit, legi posse: *Præueniet manus suas Deo, idest credendo in Deum, præueniet opera sua, nec præponit fidei merita sua; neque enim sunt vlla bona opera, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem*. nempè manus pro operibus sumuntur. acuta interpretatio, & theologica, nempè fides præit tanquam Aurora, vel Lucifer, vel vt in castris Ignifer.

Xauerio Aethiops per somnum oblatus in typo gentilitatis.

Fides antecedit bona opera.

Ex psalmo LXVIII.

1 *Titulus est pro ijs, qui commutabuntur.*) *Vt mutaremur in peius, nostra iniquitas fecit; vt mutaremur in melius, non nostra iustitia, sed gratia Dei præstat. Vnde autem hæc commutatio facta est, nisi ex passione Christi?* Alludit ad verba illa: *Filijs Core*, hoc est Caluariæ, quæ verba in aliquot titulis Psalmorum solent coniungi cum his: *Pro ijs, qui commutabuntur*. quid enim ad commutandum animum, & ex duro molliendum cor efficacius passione Christi?

Passionis Christi consideratio plurimum cõfert ad commutandum animum.

2 *Saluum me fac, &c.*) Quanquam Christo inhærere cupiamus, tamen ob agglutinationem corporis ad animam, *nolumus expoliari, sed superuestiri*. vt ait Apostolus. dicit autem: *Saluum me fac*, quia habet iste transitus ex hac vita aliquid amarum: *Sed quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians ad dulcedinem vitæ æternæ?* præclara vox, quæ possit omnem mortis amaritiem tollere. neq; enim fas est ex ore Christiani morientis proferri vocem illam Gentilis Regis Agag. *Sicciné separat amara mors?* nempè de eodem ait: *Oblatus est ei Agag pinguissimus tremens*. ideò tremens, quia pinguis. adeò crassi hominis est, & qui spiritalia non percipiat, mortem timere, cùm inhiandum sit æternitati.

Mortis amaritiem tollit dulcedo spei æternitatis.

3 *Infixus sum in limo profundi.*) *De hoc limo factus est homo, sed homines cadentes à iustitia, limus profundi sunt facti: quibus ad iniquitatem trahere cupientibus, qui non consenserit, de limo suo aurum facit: merebitur enim limus ipsius conuerti in habitudinem cœlestem, & esse ex ijs, qui commutantur*, acutè, & pulchrè dictum, non limum, sed limum profundi damnari. huc refero illud Mosis Barcefa, qui ait limum illum, de quo factus est Adam, quasi aurum euasisse in manu Dei artificis; nec longè abit Chrysostomus; ita qui non consentiunt persuasionibus malorum trahentium ad imum, & profundum lutum voluptatum, licet de limo sint facti, *de limo suo aurum faciunt*. quid hac arte chimica mirabilius? & certè non fallit.

Non consentiens peccato, de limo suo aurũ facit.

4 *Et non est substantia.*) Intelligit de paupertate Christi: *Sed implebuntur diuitiæ nostræ de paupertate ipsius. qualem nos facturus est de diuitijs suis, quos sic diuites facit de paupertate sua?* pulchrè dictum per antithesin. nam si ipsa paupertas Christi, quam hic Religiosi maximè imitantur in terris, diuites facit, dum nihil appetimus; quantò magis ille in cœlo ditabit, vbi omnes bonorum thesauros aperiet?

Ipsa Christi paupertas nos diuites facit.

5 *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.*) *Quia iniquitas non est à Deo facta. in hymno trium puerorum laudant omnia Deum, sed quæ fecit Deus: nunquid auaritia ibi laudat Deum? laudat ibi Deum & serpens, auaritia non laudat: nempè vitia non sunt substantia, in his infixus est Dominus, quando passus est.* Vide quid sit peccatum, defectus, non substantia; nihil enim ex natura sua malum est. defectio est à bono. quid miserius, aut vilius? peccator non inuenit in hac rerum vniuersitate locum, nec inter bestias, & reptilia.

Peccatori nullus in rerum vniuersitate locus

6 *Veni in altitudinem maris, &c.*) *Gratias ipsius misericordiæ, qui venit in altitudinem maris, & glutiri à marino ceto dignatus est, sed euomitus est tertio die. venit in altitudinem maris, in qua nos naufragium passi eramus; passus est fluctus, ac tempestates, hoc est voces clamantium: Crucifige. passus est inter manus Iudæorum, quod non est passus cum super aquas ambularet; sed nec Petrum pati permiserat*. acutè dictum. fluctus maris eum sicut Deum venerati sunt, fluctus autem Iudaicæ tempestatis, idest seditionis eum obruere conati sunt. quod autem Christum Ionæ comparet, in altitudinē maris proiecto, & à ceto excepto, figuram ipsemet declarauit.

Christus vt Ionas in altitudinē maris proiectus in passione.

7 *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.)* At dicit Euangelista, non respondisse Dominum, cùm accusaretur, & Propheta: *Tanquam agnus coram tondente se obmutuit. An ideò tùm tacebat, quia raucus erat? sine causa tantum clamauerat; diù clamauit: Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi. væ Mundo à scandalis: & ideò re vera quasi raucus clamabat, quia non intelligebatur, quando dicebant: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* acutè dictum, cur Christus in passione nihil responderit? nempè tamdiù prædicando clamauerat, sed frustra: tanquam raucus igitur iam esset clamando, tacebat. id ignorans Pilatus, *Miratus est vehementer.*

Cur Christus in passione non responderit pilato?

8 *Defecerunt oculi mei, dum spero, &c.) Hæc vox membrorum eius est. defecerunt oculi eius in corpore eius, idest in membris eius, quando passus est, discipuli desperauerunt. à latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt. Vide membra eius desperantia: attende duos colloquentes in via, quorum oculi detinebantur, ne eum agnoscerent.* Nota; oculos vocat Apostolos, qui tamē in eius passione defecerunt. perspicacior tunc latro fuit, & oculatior; & hoc vel inter tenebras eo tempore Mundo offusas. cæterùm Apostolos rectè oculos Christi interpretari, ipsemet declarauit, cùm dixit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

In passione perspicacior latro, quàm Apostoli.

Apostoli oculi Xpi dicuntur.

9 *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me.) Capillis capitis sui comparat inimicos. meritò rasi sunt, quando in loco Caluariæ crucifixus est.* potest alludi ad morem seruorum, qui radi solent. & notandum est, quod qui in eius passione ad ludibrium *Mouentes capita sua*, insultabant, eis mancipiorum more rasa sunt capita, in seruos venundati; & qui in Caluariæ loco eum clauis crucifixerunt, calui sunt facti per ferrum.

Iudæi, qui in loco Caluariæ Christum crucifixerunt, calui facti sunt in seruos cōuersi.

10 *Oderunt me gratis.)* idest nulli nocentem: *Ipsa est vox Martyrum. non in pœna, sed in causa laus est; in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate.* Christum autem oderunt gratis, idest iniustè, vt latro ait, reprehendens alterum: *Et nos quidem rectè, nam digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit? ecce non gratis, sed ex confessione effudit ex se sanguinem, & factus est aptus cibo Domini. accusauit iniquitatem suam, & caruit ea.* pulcher locus de confessione, vbi per doloris vulnus, quasi cordis sanguis effunditur. quod si latro effudit per confessionem ex se sanguinem, ergo Martyr. item quasi pomum dulce fuit collectum ex arbore crucis à Christo, vt amaro felli à Iudæis accepto, ipsum opponeret, *Factus est aptus cibo Domini.*

Martyres non facit pœna, sed causa.

Latro effudit sanguinem confessionis.

Latro ceu dulce pomum ex arbore Christo fuit.

11 *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.) Non solùm nihil rapuit, sed etiam quod non de rapina habebat, hoc se euacuauit ad nos veniens: Semetipsum exinaniuit, &c. sed quis rapuit? Adam. quis rapuit primò? is, qui seduxit Adam, diabolus: Similis, inquit, ero Altissimo; & dum rapere vult, quod non acceperat, perdidit quod acceperat; & de ipso calice superbiæ suæ ei, quem diripere volebat, propinauit: Eritis, inquit, sicut Dij.* Nota quod ait, diabolum calicem superbiæ suæ propinasse Adamo, quo ebrium fecit, & veneno infecit. de hoc calice, & cratere superbiæ, quo haustum est peccatum originale, non ausim dicere etiam bibisse B. Virginē, quę ita superbiam odit, vt se, quanquam Dei Mater facta, vocaret ancillam. dicitur in Canticis: *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* cur igitur biberet calicem dæmoniorum? vt loquitur Paulus. Nota item, à diabolo non modò cibum oblatum Adamo vetitum, sed simul poculum, seu calicem superbiæ, ne quid deesset ferali conuiuio, & venenato symposio. Tùm pergit eadem verba explicare: *Quæ non rapui, &c.* dices, at Christus à diabolo nos rapuit, & extorsit; ita ipse ait: *Nemo in domum fortis intrat, & vasa eius diripit, &c.* sed respondet: *Vasa ista de domo mea magna perierant, non furtum feci, sed furtim accepi.* lepidè, & venustè dictum furtum fit de alienis. at Christus quod suum est, furtim accepit, raptore delusо.

Diabolus poculum venenatū superbiæ Adamo propinauit.

Christus rapuit nos à diabolo non furto, sed furtim.

Matth. 12

12 *Tu scis imprudentiam meam.)* Vulgata habet, insipientiam. stultum videri posset agriculturæ imperito proijcere sementem in terram, tantum laborare in agro colendo, &c. denique: *Post tanta pericula cœli, & tempestates, & labores rusticorum, curamq; dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum.* qui autem nescit artem agriculturæ, stultum putaret, sic purgatum ex horreo accipere, ac terræ mandare, sed *Nisi cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert. tu scis imprudentiam meam, scilicet cur tot ignominias passus sim, nam alij nesciunt, ac me imprudentem putant.* Est hoc contra mundanos, qui stulti, & imprudentis esse putant, sæculi fastum calcare, Christi opprobria perferre, &c. sed re vera ipsorum est imprudentia, cùm præsentia tantùm, & labentia sectantur, non futura, & æterna.

Mundani imprudētiam putant, quod est sapientiæ, vt pati, humiliari.

13 *Irreuerentia operuit faciem meam.)* vbi nos legimus: *Operuit confusio faciem meam.* Tùm sic: irreuerens dicitur, qui non erubescit: *Oportet vt Christianus habeat irreuerentiam istam: Qui me erubescet, inquit, coram hominibus, & ego erubescam eum coram Patre meo. frontosus esto quando audis opprobrium de Christo, cum diceris cultor crucifixi, venerator occisi. prorsus esto frontosus. quid times fronti tuæ, quam signo crucis armā-*

In opprobriis pro Christo frontosi esse debemus.

masti? hoc illud est, propter te sustinui opprobrium. Nota quid agimus cùm frontem cruce signamus, armamus scilicet illam contra mundanorum insultus, cùm improperant nobis, quod non deceat nobilem virum humiliari, hoc est imitatorem esse Christi crucifixi. sed habemus armaturam contra opprobria. ita Petrus Apostolus ait: *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* & Propheta Ieremias: *Dedisti eis scutum cordis, laborem tuum.* his igitur armis muniri debemus contra mundanos, qui opprobria ferentes putant stolidos, & stultos. quid hi differunt à gentilibus? nam de his ait Paulus: *Prædicamus Christum crucifixum, gentibus stultitiam.* sed re vera sapiētia æterna est. rectè igitur monet, nos in his non erubescere, sed potiùs frontosos esse debere; ac propterea crucem nos fronti insculpere.

14 *Operui in ieiunio animam meam.*) *Ieiunium Christi erat, quando defecerunt omnes, qui in eum credebant; quia esuries ipsius erat, vt in ipsum crederetur.* Egregiè interpretatur: ita supra dixit, latronem ei fuisse pro cibo. Tùm addit: *Quando dicebat mulieri: Sitio, da mihi bibere, fidem ipsius sitiebat. & de cruce cùm diceret: Sitio, fidem illorum quærebat, quibus ignoscebat; sed illi quid propinarunt sitienti? acetum. meritò de veteri homine propinarunt, quia noui esse noluerunt.* acutè dictum, cur acetum obtulerint, quia fit de vino veteri; sicut ipsi secundùm veterem hominem coacuerant. & addit spectans ad titulum: *Nempè nō erant ex ijs, qui commutabuntur, vt habet titulus.* sed nota Christi pietatem: quid maximè sitiebat Christus in cruce? illorum ipsorum salutem, qui ei sitienti offerebant acetum, fel, myrrham; ac ne putarent ipsum aquam sitisse, aquam emisit è corde per ictum lanceæ. Addit: *Respuit etiam fel, quod illi obtulerant: ieiunare elegit magis, quàm amaritudinem accipere; non enim intrant in corpus eius amaricantes, de quibus dicit: Qui amaricant, non exaltabuntur.* Nota, cur fel respuerit? nempè vt est in Canticis: *Guttur illius suauissimum.* Iniqui autem licèt in suauitate vitæ se putent esse, amarissimi sunt. amaram habent conscientiam: abhorret ab ijs suauissimum Christi guttur.

Christi esuries, & sitis salus nostra.

Cur Christus felleū succum noluit bibere?

15 *Posui vestimentum meum saccum.*) *Idest opposui illis, in quam sæuirent, carnem meam: occultaui diuinitatem meam.* Notabile est, carnem Christi appellari cilicium, vt habet vulgata, ob mortificationis scilicet magnitudinem, antonomasticè sic dictam. par est igitur, vt qui eam in Eucharistia sumit, mortificatus accedat. ac piè quidem, & aptè non sine asperitate cilicij accedere solent multi.

Caro Xpi saccus, & cilicium.

16 *Saluum me fac de luto, vt non inhæream.*) Sed obijcies, supra in hoc Psalmo dixerat: *Infixus sum in limo profundi.* ergo potiùs dicendum erat: Eripe me de luto, in quo hæseram, non autem, vt non inhæream, si iam hærebat. respondet acutè: *Hæserat carne, sed non hæserat spiritu. quando fortè caperis ab eo, qui te premit ad iniquitatem, tenetur quidem corpus, & secundùm corpus infixus es in limo; sed quandiù non consentis, non hæsisti.* limus sunt persecutiones impiorū. ita etiam intelligit quod sequitur: *Non me demergat tempestas aquæ.* cùm supra dixerit: *Tempestas demersit me.* Vides affectum internum, & voluntatem esse in merito, vel in culpa. immò aiebat Lucia virgo cùm in lupanar mitteretur: virginitas mihi duplicabitur ad coronam.

Demeritum non facit coactio, sed voluntas.

17 *Neq; vrgeat super me puteus os suum.*) *Magnus est puteus profunditas cordis humani; qui confitetur peccata sua, non super eum claudit puteus os suum; si autem cùm peccator venerit in profundum malorum, contemnet, vt dicit Sapiens: Clausit super eum puteus os suum. quia clausit os illius; perdidit enim confessionem, ac verè mortuus est, vt dicit Ecclesiast. A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. metuenda res ista vehementer est. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. si dixerit, verè peccaui, fateor; puteus non super eum clausit. cùm dicis: Quid mali feci? clausit puteus os suum, factus es peccati defensor, quomodo erit Deus liberator?* Vide quid sit cor hominis, profundus puteus. si os eius claudas non aperiendo conscientiā confessario, vel Prælato, non poterit intrò cœlestis imber influere. itaq; pergit in explicatione: *Non coarctet super me puteus os suum. omni animi intentione caueamus, ne hoc maledictum superueniat nobis: tunc enim coarctat puteus os, cùm homo non solùm in peccato mersus iacet, sed etiam impedit aditum confessionis. quando autem dicit: peccator sum: radiatur aliquo lumine etiam profunditas putei.* huc refero illud, quod narrant in Aegypto certo anni die in profundo puteo Solem altissimum irradiare. pertinet hoc etiam ad Religiosos, qui aperire conscientiam debent Prælato; ac sic irradiatio diuini luminis fit in corde.

Prou. 15.

Eccl. 17.

Cor puteus profūdus est, clausus cum non confitetur peccata.

Confitēs in cordis puteum apertū irradiatione suscipit

18 *Exaudi me Domine, quoniam suauis est misericordia tua.*) *Causam asserit, quare debeat exaudiri: quia, inquit, suauis est misericordia Dei; nonnè consequens potiùs erat, vt diceret: Exaudi me, vt suauem experiar misericordiam tuam? sed homine in tribulatione posito necesse est, vt suauis ei sit misericordia Dei. ita alibi dicitur: Sicut pluuia in siccitate, ita speciosa est misericordia Dei in tribulatione: quod ibi ait, speciosa, hic ait suauis: nec panis dulcis esset, nisi præcederet fames; ergo cùm Dominus permittit, aut facit, vt in tribulatione simus, tunc etiam misericors est, nō n. alimentū subtrahit, sed desiderium mouet.* acutè notat cur in tribulatione positus pro causa

Afflictio ex Dei misericordia est.

vt exaudiatur, ponat, quod suauis sit Dei misericordia: cum potius ideò exaudiri oporteret, vt experiretur eius suauitatē; sed nimirū, inquit, ipsa tribulatio ex suauitate Dei manat quia ex amore est, vt nostræ saluti cōsultat. subiungit apertius sensum: *exaudi me, &c. hoc est noli differre auditionem tuā. in tāta tribulatione sum, vt suauis mihi sit misericordia tua; sed ad hoc subuenire differebas, vt mihi dulce esset, quod subueniebas.* hinc collige, affligi esse idem ac exerceri, & quasi obsonare famem, vt auidius appetamus Deum.

Cur Deus liberarit à tormentis tres pueros nō item Machabæos.

19 *Propter inimicos meos eripe me.*) Idest resurgam, vt inimici mei conuertantur. Nota quem finem habuerit Christi resurrectio. ideò terræmotu sepulchri milites exterruit. ideò incredulo Thomæ cicatrices ostendit, &c. Tum quærit, cur Machabæi mortui sint in ipsis supplicijs ab Anthiocho damnati, non item tres pueri à Nabucdonosor: *Cur horum corona dilata est? quia ipse Nabucdonosor conuersus est ad Deum ipsorum, quia eruit seruos suos.* his addit. *illi sunt à Deo in occulto coronati, isti in aperto liberati.* tam his, quàm illis beneficium impensum, sed vario modo pro eius recto iudicio. Vide igitur qd Deus in miraculis spectet, conuersionem, & salutem animarum. ideò apud infideles maximè ea operatur; ac propterea tres pueri nō combusti, vt Nabucdonosor eo spectaculo conuerteretur.

Dolet Christus quod nō doleamus de offensis Dei.

20 *Quæsiui qui simul contristaretur, & non inueni.*) Atqui discipuli contristati sunt in passione, sed non contristati simul cum Christo, hoc est de eadem re, quā Christus: *De illis esse debuit tristitia, qui cæci medicum occiderunt. ille volebat curare, isti sauciare. hinc tristitia medico. ideò non ait: non inueni, qui contristaretur, sed qui simul, idest ex ea re cōtristaretur, ex qua ego. hoc ipsum, quòd hos non inueni, qui simul contristarentur, hoc fuit fel meum, hoc mihi amarum, & acetum.* acutè adnotat Christi tristitiam non de se, sed de nobis fuisse: habuit certè mulieres, quæ contristarētur, sed de ipsius breui morte, non de æterna inimicorum: de hoc contristatur Christus, quod nos non contristemur, vt decet, de peccatis, & offensis in Deum. nihil ipsi amarius fuit in passione quàm non inuenire socios, qui dolerent de his offensis. & mirum est quod ait, non minus hos fel obtulisse, quàm milites; adeò ipsi patris gloria cordi est, vt eos, qui de ea zelum nō habent, pro sibi infensis habeat. contra igitur Apostolici viri rem ipsi gratissimam, & iucundissimam faciunt.

21 *Dederunt in escum meam fel.*) Cur fel escam, & cibum vocat, si dederunt potius sitienti in potum? respōdet acutè: *Iam dominus escam acceperat, & in ipsam iniectum est fel. acceperat escam suauem, cum pascha manducauit, vbi sacramentum sui corporis demonstrauit. in hanc escam tam suauem, tam dulcem vnitatis Christi, de qua Apostolus; vnus, inquit, panis, vnū corpus multi sumus; quis est qui dat fel, nisi contradictores Euangelij? minus enim peccauerunt Iudæi Christum crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cœlo sedentem. quid ergo fecerunt Iudæi? vt in escam, quam acceperat, darent libandum amarum potum. hoc faciunt qui male viuendo scandalum referūt Ecclesiæ. hoc faciunt hæretici, amaricantes dant fel super tam iucundum cibum; sed dominus non admittit ad corpus suum: ideo fel gustauit, & noluit bibere.* nota, cur fel datum nō in potum dicatur, sed in escam: quasi Iudæi opposuerint escam contrariam ei, quam Christus dederat, hoc est amarissimo felle compensarunt suauissimā escā eius corporis, de qua dicitur, *escā dedit timentibus se;* & aceto sanguinem quid magis impium? nota etiam, Christianos malè viuentes post hanc escam acceptam amariores esse Christo ipsis Iudęis. Magnam profectò vim habent illa verba *minus est crucifigere Christum in terra ambulantem, quàm contemnere in cœlo sedentem.* rectè etiā hæreticos carpit, præsertim qui de hac esca male sentiunt; & cum illa ad vnitatem, & communionem vnius fidei data sit, ipsi diuisionem faciunt. quod etiam ad eos refer, qui post sumptam Eucharistiam, suauissimum cibum, reddunt ei fel amaritudinis, per odium in proximum & cetera peccata.

Cur poculum fel leum Christo datum dicatur esca.

Peiores Iudæis sunt mali Christiani, & hæretici.

Acetum Christo datum vetus homo est, & religiosus malus.

22 *In siti mea potauerunt me aceto.*) *Sitiebam, inquit, & acetum accepi, idest fidem illorum desideraui, & vetustatem accepi.* pulchrè dictum: nempe acetum fit ex veterascente vino. hinc discimus quantum Deo displiceat vetus homo, & religiosus quondam vini instar feruens in spiritu, postea coacescens.

Peccatum incuruat consuetudo alligat

23 *Dorsum eorum semper incurua.*) *erecta statura est, quæ expectat spem sibi repositam in me, præmittens thesaurum suum, quò sequitur cor eius. at qui futuræ vitæ spem non intelligunt, curuum habent dorsum, quo morbo dominus liberauit eam, quam Satanas alligarat annos decem, & otto, & curuatam erexit; quod quia sabbato factū, scandalizabantur Iudæi de illa erecta, ipsi curui.* acutè Iudæos carpit, qui cū essent ipsi minus recti, & in terram curuati arguebant mulieris curuæ sanitatem; & vide quid egerit in ea diabolus: nempè eius os, ac dorsum in terram inclinans fecit ne respiceret cœlum. hinc de impuris illis senibus Susannæ procis non modò, ætate, sed improbitate curuis dicitur: *Declinauerunt oculos vt non viderent cœlum.*

præ-

præterea hoc facit consuetudo peccandi vt alliget, non modò vt curuet: sicut hæc mulier & curua, & alligata dicitur, vtpote diuturno morbo annis decem & octo vexata, atque depressa.

24 *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum.) Quis non expauescat? nunquid iniquitas est apud Deum, quam apponat? meriti erant sic excæcari. fecit hoc Deus non vulnerando, sed non sanando; quia tales fuerunt, vt curari non mererentur. in ipsa malitia quodammodo profecerunt, & apposita est iniquitas iniquitati.* Vide quãtum mali sit peccare; nam ob ingratitudinem, & resistentiam meretur homo ne Deus det efficacem gratiam, qua planè operetur, licet sufficiente non careat, qua possit vti, sed nolit.

Per vnum peccatum permittimur incidere in aliud.

25 *Deleantur de libro viuentium & cum iustis non scribantur.) si homo dixit: Quod scripsi, scripsi: Deus quicquam scribit, & delet? præscius est, prædestinauit omnes ante Mundi constitutionem regnaturos cum filio suo in æterna felicitate. hos, quos præscribit, ipsos continet liber vitæ. in apocalypsi de Antichristo dicitur: Consentient illi omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ: proinde sine dubitatione non erunt cõsensuri, qui scripti sunt: quomodo ergo isti inde delentur, vbi scripti non sunt? sed hoc dictum est secundùm spem ipsorum, qui ibi se scriptos putabant; & est sensus, constet ipsis non esse ibi.* acutè obijcit, & rectè respondet, quomodo dicantur improbi deleri de libro vitæ, cum scripti non sint. & rectè redarguit falsam æstimationem multorum, qui ità securè viuunt, quasi prædestinati, & scripti in libro vitæ, cum minimè sint. egregiè item infallibilitatem diuini decreti ostendit per librum vitæ, sine tamen liberi arbitrij iactura.

Decretum Dei de prædestinatis infallibile.

Quomodo impij dicantur deleri de libro vitæ cum scripti non sint.

26 *Pauper, & dolens ego sum.)* De Ecclesiæ membris hoc dicitur. *Etiam si diuites sint Christiani, prorsus si Christiani sunt, pauperes sunt in comparatione diuitiarum cœlestium, quas sperant. omne aurum suum arenam deputant.* præclara vox; sit aliquis quantumuis opulentissimus, eo ipso quod Christianus est, si verè Christianus est, pauperẽ se existimat; omnes enim illas terrenas opes nullius momenti existimat, præ cœlestibus. ac propterea in baptismo renunciauit pompis Satanæ, quẽ pauperrimum scit esse; *faciem eius præcedet egestas.* inhiat autem veris opibus, & æternis, quas sperat in patria, ac tum se diuitẽ futurũ censet. quod maximè religiosis conuenit, ad quos etiam spectant quæ secuntur.

Quantumuis diues pauperem se putet oportet præ opibus cœlestibus.

27 *Laudabo nomen Dei cum cantico; magnificabo eum in laude.) Pauper iste laudat nomen Dei cum cantico. magnæ diuitiæ: quas gemmas laudis Dei de thesauro interiore protulit?* Dixerat, quantumuis diuitem Christianum quoad affectum pauperem esse, contemnendo præsentia, & imitando Christi paupertatem: nunc addit pulchrè, eũ diuitem fieri, quia sic fit aptus ad laudandum Deum, quæ Dei laudes superant omnes diuitias, modò ex corde depromantur tanquam è thesauro. gemmeum igitur habet os qui de diuinis loquitur; & oratio ipsa varijs virtutum actibus contexta, charitatis, humilitatis, &c. quid nisi monile gemmatum est?

Pauper aptior ad Deũ laudandum.

Os Deum laudans gemmeũ est.

28 *Placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas.) hoc est gratius erit illi sacrificium laudis, quàm sacrificium vituli: Immola, inquit, Deo sacrificium laudis &c. qui laude Dei opulentus est, & cornua debet habere, quibus aduersarium ventilet; & vngues, quibus terram excitet. hoc faciunt vituli pubescentes, & in taurinam audaciam grandescentes: nam ideò nouellus est propter vitam nouam. hæreticus fortè contradicit, cornibus ventiletur; alius terrenum abiectè sapit, vngulis excitetur.* elegans comparatio pro primarijs præsertim viris, qui instituentes vitam nouam in religione animum adijciunt, & iam tum acuunt ad hæreticos, & peccatores ceteros strenuè conuertendos. subiungit. *In æterna verò societate Angelorum nec in certamine erit aduersarius ventilandus, nec piger de terra excitandus.* pulchrè autem hoc referri potest ad S. Thomam Aquinatem, qui taurus, seu mutus bos est dictus; qui adhuc vitulus, idest in iuuentute doctor, statim hæreticos exagitare cœpit, & prædicatione peccatores conuertere. ad tyrones quoque, ac iuuenes Dominicani, aliorumque nonnullorum ordinum spectat, vt hoc generosum propositũ iã tum à iuuentute concipiant; & ad nostram peculiariter Societatẽ refero, quæ renouatione votorũ, quam bis in anno ritè celebrãdo, ad id præstandum iuuenes idoneos facere curat. Annibalẽ ferunt adhuc adolescentem apud aram voto se obstrinxisse, simul ac corroborari cœpisset ætas, in Romanam vrbem se arma moturum: vt contra nos pro Romana religione tuenda in eius aduersarios facimus.

S. Thomas Aqui. recte bos mutus.

A iuuentute acuẽdus animus ad res præclaras.

Plutarch.

Ex psalmo LXIX.

1 DEus in adiutorium meum intende &c.) *Nunc iam Christo in Cœlo sedente, iam glorificato, iam subiectis ceruicibus Regum iugo eius; iam nullo remanente, qui palam Christianis insultare audeat, adhuc tamen inter organa, & symphoniacos gemimus; nam quia vocibus, & ferro non possunt, sua luxuria persequuntur. atque vtinam Paganos tantùm toleraremus,*

Ecclesiæ gaudiũ de destructa idololatria inter turbant hæretici, & mali Christiani.

remus, effet aliquod folatium, expectare eos, dum Chrifti cruce fignentur; at videmus in fronte portantes fignum eius, fimul in ipfa fronte portare impudentiam luxuriarum. & inter hæc gemimus, & hæc perfecutio noftra eft. eleganter oftendit, adhuc Ecclefiam gemere, *inter organa, & fymphoniacos,* id eft in tanta lętitiæ caufa, debellata licèt iam idololatria, & tyrannis extinctis. nempè fupereft malorum Chriftianorum perfecutio, quæ fit non ferro, fed moribus. Addit item eleganter contra hæreticos: *Quomodo Diabolus biformis eft? leo eft in impetu, Draco in infidijs. infrænatus eft, & illigatus in cordibus impiorum, ne fæuiat in Ecclefia, & faciat quantum vult. fremunt dentes impiorũ aduerfus dignitatem Ecclefiæ, & pacem Chriftianorum; & quia non habent quid agant fæuiendo, agunt luxuriando, non impellunt Chriftianorum corpora, fed lacerant animas.* ideo clamandum ait. *Deus in adiutorium meum intende.) opus enim habemus fempiterno adiutorio in hoc fæculo.* Vide quãtò grauior fit perfecutio hæreticorum, ipfis blandimentis vitiorum, *lacerant animas.* quod etiam ad mundanos pertinet. adeò vera vox: *biformis eft diabolus. Leo in impetu, draco in infidijs.* exitiabile fanè monftrum ex duplici quafi beftia compactum.

Diabolus biformis bellua. Leo in impetu draco in infidijs.

2 *Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam.) At vbi illud eft, Diligite inimicos veftros, &c? quomodo imitaris paffiones domini de cruce pendentis? refponderet Martyr: quid dixi de inimicis meis? confundantur, & reuereantur. iam facta eft talis vindicta; Saulus, qui Stephanum perfecutus eft, confufus eft, & reuerfus. hæc optant Martyres inimicis fuis: optemus & nos; tundant confufi pectora fua.* pulchrè dictum: hanc & Petrus martyr vindictam fecit de ficario fuo, vt refipifcens etiam Dominicanus fieret ex eadem familia; & multi Martyres fuos cārnifices magnitudine animi, & exemplo conftantiæ conuerterunt.

Martyrũ vltio conuerfio carnificum.

3 *Auertantur retrorfum, & erubefcant, qui volunt mihi mala.) primò fuit impetus perfequentium, nunc remanfit maleuolentia cogitantium. cœpit effe in culmine dignitatis Ecclefia, fed non deeft fremitus perfecutorum; impetus fuos ad cogitationes verterunt; in illis cogitationibus tanquam in abyffo, vifco ligatus eft diabolus; fremit, & non erumpit. his tanquam irafcitur Martyr; & tamen pro his orat Martyr: Auertantur, inquit, retrorfum, & erubefcant.* nempè extinctus eft furor contra Ecclefiam in tyrannis, remanfit maleuolentia in hæreticis. ira, & vindicta bonorum hæc eft, vt refipifcant perfecutores & erubefcant de impietate. quàm præclata vltio? vbi pro gladio votum, pro cæde vitá. Tum nota quod ait, diabolum in cogitationibus hæreticorum effe tanquam vifco illigatum, quia vellet, vt fecerunt tyranni, in verę religionis cultores per internecionem infurgere, fed non poteft propter Catholicos Imperatores.

Diabolus in hæreticorum cognitionibus tanquam vifco illigatus.

4 *Qui dicunt mihi: euge, euge.) Quot funt genera perfecutorum, vituperantium, & adulantium? plus perfequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris; nam & ipfum caminum appellat fcriptura: de perfecutione enim dicitur: Tanquam aurum in fornace probauit eos; de lingua etiam adulantium: Probatio, inquit auri, & argenti ignis; vir autem per os probatur laudantium eum.* tum addit. *fregit te reprehenfor, factus es in fornace tanquã vas fictile. fi annueris adulanti, erit caminus fracturæ tuæ os David.* Vide quid mirum dicat. quafi maior virtus, & robur requiratur in te, vt non cedas adulatori, quàm in Martyre, vt non cedat tyranno; nam ab abnegando Deo, horror quidam auocat, qui non eft in adulatione: *plus perfequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* nimirùm tyrannus in corpus, adulator in animam fæuit, hòc crudelius, quòd fraudulentius; vtraque fornax eft, vbi probamur. tum perfecutio, tum adulatio.

Plus nocet adulator, quàm perfecutor.

5 *Adiutor, & erutor meus es tu, domine, ne tardaueris.) Circumftant nos nexus diuerfarũ curarum; hinc atque hinc dilaniamur quafi fpinis, & fepibus; ambulamus anguftam viam, hæfimus in fepibus; dicamus Deo: Tu es erutor meus: hæc vox perfeueret in nobis. quantumcumque profecerit quifquam, vbi dixerit: fufficit, ibi hæfit. at Apoftolus: ego, inquit, me non arbitror comprehendiffe; in ea, quæ ante me funt, extendens fequor ad palmam fupernæ vocationis. & dominus ait: Mementote vxoris Loth: retro refpexit; vbi refpexit, ibi remanfit. facta eft ftatua falis vt condiat te. attende remanentem, & tranfi, attende refpicientem retro: & tu exemplo Pauli in anteriora extentus efto.* fpectat hoc documentum ad religiofos maximè, quorum eft ad perfectionem femper vlterius tendere. & vide qua prece vtendum crebrò fit in via, dum fe impedimenta obijciunt. *Tu es erutor meus.* illa verò vox quàm præclara, quàm vera: *quantumcumque profecerit quifquam, vbi dixerit: fufficit, ibi hæfit.* folet fenior retro refpicere quantum in religione laborarit. *Vxor Loth vbi refpexit, ibi remanfit.*

In virtute femper progrediendum vlterius.

Ex pfalmo LXX.

1 T*Itulus eft: ipfi David, filiorum Ionadab, & eorum, qui primi captiui ducti funt.) Ionabab commendatur ex propheta Hieremia, qui filijs fuis præcepit, ne biberent vinum, neque in domibus refiderent, fed in tabernaculis habitarent; quod præceptum filij feruarunt, & à domino benedici meruerunt propter obedientiam, eofque obiecit inobedienti po-*

Ieiunia & abftinentia in religiofis maximè commendãtur.

ti populo. Ionadab hebraicè esse dicit idem ac Domini spontaneum, iuxta illud, *Voluntariè sacrificabo tibi. & in me sunt, Deus, vota tua.* Nota vt obedientia vltronea esse debeat, non coacta metu. facit autem hic locus pro religiosis quibusdam, qui iuxta suum institutum addixere se ieiunio, ac ceteris corporis afflictationibus, vt qui sunt sub Francisci Paulani disciplina, &c. facit etiam pro nostra Societate, quam Ignatius in obedientia peculiariter fundauit. & vide in filijs Ionadab, quàm grata sit hæc virtus Deo: *A domino benedici meruerunt propter obedientiam.*

Primus homo captiuos nos fecit per inobedientiam.

2 *Est in titulo: Qui primi captiui ducti sunt.*) pertinere dicit hoc ad peccatum Adæ. *qui primus homo captiuos nos fecit per inobedientiam, vnde ait Apostolus: sentio aliam legem in membris meis captiuum me ducentem in lege peccati.* hinc collige quàm turpe futurum fuisset, si Dei mater aliquãdo in diaboli triumpho captiua per peccatum originale ducta fuisset: quod tantum erat opprobrium, vt Cleopatra, & alij potius id morte præuenerint voluntaria. *primus homo captiuos nos fecit.* addit. *per inobedientiam.* hinc intelliges, cur Deus indignatus Sauli propter inobedientiam, quod seruasset de anathemate dicat, *porrò triumphator in Israel non parcet.* quid sibi vult hic titulus? nempe zelator est Deus noluit diabolum triumphare per inobedientiam. sic quoque dicitur: *Vir obediẽs loquitur victorias.*

Per Dei iustitiam iusti sumus.

3 *In tua iustitia libera me domine.*) *Non in mea, quia in me præcessit iniquitas, & cum ero iustus, in tua iustitia ero, quia abs te data. male Pharisæus: Non sum, inquit, sicut cæteri, &c. quare inde te delectat quia bonus es, quod alter malus sit? hoc non est erubescere, sed insultare.* acutè Pharisæum carpit, qui sua prædicabat, quasi ex se haberet; & ideò de sua bonitate gaudebat, quia alter esset improbus: cum duplicata deberet esse lætitia, si alter quoque bonus, & vterque à Deo.

Mira Dei pietas inclinando se homini vulnerato iacenti.

4 *Inclina ad me aurem tuam.*) *Qui dicit, Inclina, confitetur quod iaceat tanquam æger prostratus medico stanti,* acutè ostendit ex ui verbi recognitionem propriæ infirmitatis. nota igitur quomodo sit orãdum; offer te quasi iacentem, ostende vulnera Deo, qui ob incredibilem pietatem, quodammodo de throno suo descendat, manum porrigat ad curam iacentis, & humi abiecti; immò proprio diademate vtatur pro fascia. ad quid enim, *in capite eius diademata multa.* Legimus Lysimacho vulnerato Alexandrum regem proprium diadema obtulisse pro fascia: clementior profectò Deus quàm quiuis homo.

5 *Esto mihi in Deum protectorem.*) *Ne scilicet ad me iacula inimici perueniant.* huc spectat quod in hebræo protector, scutum est, ità cum dicitur Abrahæ: *ego ero protector tuus,* hebraicè, *Maghen,* scutum significat, cuius est proprium, à iaculis tueri. quis timeat ita clypeatus? & Christus quidem omnia tela diuinæ iustitiæ in se recepit, vt nos liberi essemus. itaque in persona Iob ait: *sagitta domini in me sunt.* & per Ieremiã, *posuisti me quasi signum ad sagittas.*

6 *Esto mihi in locum munitum, & in domum refugij.*) *Quò fugiebas Adam, inter ligna te abscondens? cur eius faciem formidabas, ad quam gaudere consueueras? abijsti? ecce dimittuntur nonaginta nouem in montibus; ecce ipse Deus est factus locus refugij tui, qui primò erat metus fugæ tuæ. quid hoc loco munitius? quis insidiabitur, & perueniet ad te? nescio quis dicitur de montis vertice clamasse, cum Imperator transiret: Non de te loquor; respexisse ille dicitur, & dixisse: Nec ego de te. contempserat Imperatorem cum insignibus armis, & exercitu, & potestate, vnde? de loco munito. si securus ille in alta terra, quando tu non in eo, à quo factum est cælum & terra?* nota factũ. tantum confidentię dat esse in loco superiore, & tuto, vt licèt inermis, & pauper sit aliquis, summam ipsam potentiam Cęsarum non timeat. si ergo neminem times constitutus in altiore terræ loco, quantò magis si protectus ab eo, qui terra cœloq; superior est, immò omnium rerum conditor? hinc illud, *Qui habitat in adiutorio Altissimi, &c.* rectè hoc apposito, & aptè vtitur. iure autem arguit Adam, qui ad lignũ confugit vt se tueretur: satius erat ad Dei vmbram, idest protectionem, quàm ad vmbram arboris se recipere vt tutus esset: itaque pulchrè subiungit. *Non est quò fugiatur ab illo, nisi ad illum. si vis euadere iratum, fuge ad placatum.* vbi nota quod de Adamo dicit: solitum ante peccatum, *gaudere ad Dei faciem.* quod confirmat item alibi, solitum inter Angelorum choros versari. certè ex illa ecstasi, cum Eua formata est, prophetauit. post peccatum tamen facies Dei, vnde gaudium sumebat, ipsi horrori fuit.

Adam post peccatũ horrebat Dei faciem, de qua antea gaudebat.

Adam stultè cõfugit ad arboris vmbram potius quàm ad Deum.

7 *Firmamentum meum.*) *Quamlibet firmus sit ex gratia Dei, quandiu adhuc portas terrenum vas, in quo est thesaurus Dei, aliquid etiam de ipso vase fictili formidandum est.* rectè monet, quàm cautus, ac trepidus quisque esse debeat in re tanti momenti, etiam si sibi constans videatur, ac firmus. sequitur, *& refugium meum. confitebor infirmitatem meam, vt sim timidus tanquam lepus; & quia spinis plenus sum, tanquam erinaceus; sic ut dicitur alibi: petra est refugium erinaceis, & leporibus. petra Christus est.* nota tanti viri humilitatem, qui quasi leo aduersus hæreticos rugiit, tamen se timidum vocat leporem ob salutis periculum; & spinosum erinaceum ob peccata.

Etiam iustus leporem se putat ob metũ & erinaceũ ob aculeos peccatorum.

Domi-

Prima ipsa ætas armanda contra diabolum

8 *Domine, spes mea à iuuentute mea.) hoc est à iuuentute mea cœpi in te sperare, ex quo me aduersus diabolum armasti, vt in procinctu exercitus tui, armatus fide tua, spe, charitate, ceterisque donis tuis confligerem. ergo iuuenis est qui pugnat, sed quamvis iuuenis sit, cadet, nisi spes eius sis.* egregiè facit hoc pro ijs, qui à primis annis restiterunt diabolo, nec vnquam lethale vulnus acceperunt; non tamen securi esse debent, sed Dei opem impensiùs implorare. S. Thomas etiam matris aspectum verebatur. porrò discant hinc parentes satagere, vt per bonā educationē adhuc à pueritia filij sese obarment contra diabolū, ac prima militiæ spiritalis fundamenta iaciant, præclaros postea triumphos reportaturi.

Oppositū agunt iusti quam quod mūdani, licet irrideant.

9 *Tanquam prodigium factus sum.) Vnde me prodigium putant? quia credo quod non video: quippe mundani bonos irridentes, præsentibus delectantur. ipsi dicunt: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* nota quæ sit vox veri Christiani opposita voci falsi. breuis vitæ cursus monitor est virtutis, non incitamentum malitiæ. irrideat qui velit.

Dei perpetua beneficia ad perpetuo laudādum inducunt.

10 *Repleatur os meum laude, vt cantem tota die magnificentiam tuam.) Quid est tota die? sine intermissione; in prosperis quia consolaris; in aduersis, quia corrigeris. antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia salutem dedisti. cum peccassem, quia ignouisti; cum conuersus essem, quia adiuuisti. cum perseuerassem, quia coronasti. ita planè repleatur os meum laude, &c.* rectè seriem beneficiorum inculcat ob quam à Dei laude nunquam cessare debeamus, qui nunquam de nobis cessat benemereri.

Quàm iniquum sit cōqueri de Deo quod se affligat, peccatores prosperet.

11 *Confundantur, & deficiant committentes animam meam.)* idest prouocantes, vt Deo resistamus; vt cum aiunt: pateris iniustè, vel est alius peior te, qui nihil patitur, & tu de Deo non conquereris. *Quid est quod dicis? quid enim feci? iam ergo tu nihil mali fecisti, & tu iustus es, ille iniustus? peccator sum, inquis, fateor, sed nunquàm tantum, quantum ille, cui bene est? hoc est dicere Deo; iniustus ego sum, sed tu iniustior. ecce iam commissa est anima tua, ecce iam bellum gerit, sed potentior est multum cui bellum non indixisti. quantò grandiores lapides in cœlum miseris, tantò te fortior ruina pressura est.* nota committendi verbū militare; & vide quo supplicio dignus sit q audet, temere cōqueri de Deo, quod ipse affligatur, alter prosperetur: est hoc impiè contendere cum Deo velut iniusto, & lapides in cœlum iacere, qui in caput ipsius recident.

12 *Induantur confusione, & verecundia, &c.) Confusione de mala conscientia, verecundia propter modestiam. non tibi videatur sæuire. vtinam exaudiatur pro illis; nam & Stephanus quando ore flammanti iaculabatur verba illa: Dura ceruice, vos sēper restitistis Spiritui sancto, quàm accensa iracundia? quàm vehemens aduersus inimicos commissa videtur anima illius? absit: salutem ipsorum requirebat; freneticos male sæuientes verbis ligabat, quibus ait; Ne statuas illis hoc peccatum.* pulchrè de S. Stephano, *ore flammanti verba iaculabatur.* Vide quomodo arguenda sint peccata, quàm ardenter, quàm efficaciter. & rectè ait, verba, quæ inimico parcunt, esse veluti arctissima vincula, quibus obligentur. denique vide quæ vindicta expetenda sit de inimico, confusio de peccato, & verecundia.

Stephanus ignita iacula iniiesore, dum Iudæi iacerent lapides manus.

13 *Ego autem semper in te sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam.) Quid adiecturus es super omnem laudem, si illa iam omnis laus est? laudatus est Deus in omni creatura, & in omni constitutione rerum, in gubernatione, & regimine seculorum, in ordine temporum, in eminentia cæli, in fœcunditate terræ, in circumfusione maris, in ipsis filijs hominum, in danda lege, in liberandis suis à captiuitate Aegypti, ac ceteris omnibus mirabilibus. at nondum in eo laudatus, quod suscitauit carnem in vitam æternam; sit ergo laus ista adiecta per resurrectionem Christi super omnem laudem præteritam.* præclarè ait, resurrectionem velut appēdicem esse laudum Dei; & acutè notat cum dixerit, *omnem laudem tuam*, cur dicat, *adijciam.* omnis dicitur, quia infinitam materiam laudum Dei habemus ob tot beneficia, sed adijcienda restat nobis resurrectio etiam carnis. Addit & aliam interpretationem. *Adijciam super omnem laudem tuam.* idest si damnares impium, esset iustitiæ laus; sed adijcitur, vt per misericordiam iustificetur potius impius, quam damnetur: rectè ait, misericordiam additamentum ex abundantia esse, cum minimè debeatur.

Laus Dei de resurrectione futura additamentum est alias laudes.

14 *Tota die laudabunt te.) Quid est tota die? Iob saluis filijs, ac bonis suis, laudabat dominum tanquam tempore diurno; damna venerunt, orbitas irruit, &c. hoc est quasi nocturno tempore: nunquid in prosperitatis occasu defecit à laudibus? nonnè dies erat in corde, vnde fulgebat? Dominus dedit, dominus abstulit, &c. venit & nox crassior, corporis dolor, putredo: nunquid defecit? immò vxori male suadenti blasphemiam tanquam vmbræ nocturnæ: locuta es, inquit, tanquam vna de insipientibus mulieribus: verè filia noctis: si bona suscepimus, mala autem quare non sustineamus? laudauimus in die, deficiemus in nocte?* pulchrè dictum, inter tot tenebras tribulationis, tamen radiato corde fuisse, *Dies erat in corde Iob, vnde fulgebat*, vox illa Deum bene-

Deus laudandus & in aduersitate & in prosperitate seu diu noctuque

Iobi cor radiatum inter tenebras afflictionis.

Vxor Iob vmbra nocturna, & filia noctis.

benedicens: alibi ait Iob de lumine cordis sui locutum, ideò meruit vt è filiabus postea vnam appellarit, *Diem*; contra verò, *Vmbram nocturnam & filiam noctis* rectè vocat vxorem, à Deo benedicendo dissuadentem. Eumenides siue furias filias noctis dixerunt. an non vna ex furijs. & Alecto altera vxor Iob? cum eum quasi ardenti tæda ad blasphemiam stimulabat.

15 *Quoniam non cognoui literaturam, &c.) est quædam literatura Iudæorum. lex sine gratia, littera est; Iudæi in se præsumentes gloriabantur in lege de litera, non de gratia. in quinque libris Mosis, in quinque porticibus piscinam cingentibus languidi iacebant, sed curari non poterant; quid sanabat ægrotum? motus aquæ: venit dominus, turbata est aqua, crucifixus est: descendat vt sanetur æger, humiliet se.* sed Iudæi quia non descendunt, idest se humiliare nolunt, manent sub illis porticibus, nec curantur. Addo: non possunt dicere, *hominem non habeo*. quia Pilatus ipsis dixit: *Ecce homo*. quod autem ait: *turbata est aqua, crucifixus est*: quasi typus fuerit piscina illa Christi in cruce. ferunt aquam illam ad victimarum cruorem abluendum deseruisse: à Christi autem latere *exiuit sanguis & aqua*: & per prophetam dicitur, *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris*. turbatio verò illa passionis agitatio fuit. porrò in eandem sententiam ait legẽ veteris testamẽti fuisse vt baculum Helisęi, qui vitam reddere non potuit: *Venit Helisæus ipse, breuiauit quidem suam magnitudinem, paruulus factus est, vt paruulo mortuo congrueret.* ita vitæ restitutus typo Christi, qui adeò magnitudinẽ abbreuiauit suã, vt dicatur: *exinaniuit semetipsum*. & alibi. *Verbũ abbreuiatũ fecit dominus.* vitę autẽ restitutio typus Christi. Tũ in negotiatores inuehitur fraudulẽtos, quia alij codices habẽt, pro literatura, *negotiationem*: itaque, *Audiant negotiatores, & mutent vitam, quando pro pretijs rerum, quas vendis, non solùm mentiris, sed etiam falsum iuras. quomodo in ore tuo tota die laus Dei?* Vide, vt negotiatio nõ so ùm ob curas impediat continuam laudem Dei, sed etiam opposita sit ob periuria.

Piscina probatica typus passionis Christi.

Dei laus in ore negotiatoris non est, sed periurium.

16 *Deus, docuisti me à iuuentute mea.*) *Ex ipso initio fidei, qua me innouasti, docuisti me. nihil in me præcessit, vnde mihi dicerem, deberi quod dedisti; quis enim conuertitur, nisi ab iniquitate? quis redimitur nisi à captiuitate? quis autem dicere potest iniustam captiuitatem suam, quando deseruit Imperatorem, & diuertit ad desertorem? Imperator Deus, desertor diabolus. præceptum dedit Imperator, fraudem suggessit desertor: vbi aures tuæ? inter vtrunque. melior ne qui te infecit, quàm qui te fecit? credidisti quod promisit diabolus, & inuenisti quod minatus est Deus.* rectè renouationem vitæ per fidem iuuentutem vocat, quam non nisi à Deo quisque debet agnoscere, non ex proprijs meritis. egregiè antem monet, cum hominis aures hinc sint accipientes diaboli blandimenta, inde Dei minas, vtri assensum dare fas est? ille fallit in promissis, at non hic in minis. huc spectat præclarum illud mentis asceterium nostri Ignatij de duobus vexillis. *Imperator Deus, desertor diabolus. melior ne qui te fecit? &c.* eleganter dictum.

Renouatio per fidem non ex meritis sed ex Dei gratia.

17 *Pronunciabo mirabilia tua.*) *Quæ nam sunt Dei mirabilia? num mortuos suscitare? sed Deus quando exuscitat corpus, Mundo reddit; quando exuscitat animam, sibi reddit.* præclarè dictum. hinc collige quàm admirabile opus sit conuersio peccatoris, cuius anima, quod præcipuum est in homine, mortua, Deo reuiuiscit. nàm *si mortuus non esses, non diceretur tibi: surge qui dormis & illuminabit te Christus.*

Conuersio peccatoris maior quàm resuscitatio.

21 *Doce me à iuuentute, & vsque in senectam ne derelinquas me.*) *Quando cœpere gentes conuerti, facti sunt Martyres fortes in Christo: fusus est sanguis fidelis, surrexit seges Ecclesiæ; hæc iuuentus. quid est vsque in senectam? vsque in finem sæculi, quia futuri erant inimici fidei, qui dicerent, ad certum tempus sunt Christiani; postea peribunt, & redibunt idola.* Vide profectum Ecclesiæ semper in augmento. pulchrè iuuentutem vocat tempus illud, quo tot Martyres fortitudinem, et robur præferebant. putabant illam non diù duraturã quasi vsq; ad senectam: nam constituebant gentiles mathematici certum numerũ annorum, quo absoluto desineret esse Christiana religio; at nunc vt cum maximè viget, & vigebit. itaque acutè subiungit eos arguens, *Tu cum expectas miser, vt transeant Christiani, transis tu sine Christianis, qui vsque in finem sæculi permanebunt.*

Ecclesiæ iuuentus in martyribus fuit.

18 *Vsque in altissima quæ fecisti magnalia.) In altis Angeli sunt, Throni, Dominationes, Potestates, Principatus: tibi debent quod sunt, quod viuunt, quod iustè viuunt, quod beatè viuunt. ne putes homines solùm pertinere ad gratiam Dei; quid erant Angeli antequam fierent? quid est Angelus, si deserat qui creauit? & homo se extollit?* Vide quàm latum, & vniuersale sit imperium Gratiæ, vsque ad altissimum ordinem Angelorum se extendit, quà in Gratiam per Christum habuerunt, vt ex Paulo colligi potest.

Angeli saluationem suam Christi gratiæ debent.

19 *Deus quis similis tibi?) Cur Adam cecidit? quia quæsiuit esse similis Deo; eritis sicut Dij, quid? nonnè Deus ad suam similitudinem nos vocat? Vt sitis, inquit, filij patris vestri, &c. & nos ad imaginem, & similitudinem suam fecit, sed vtinam per superbiam non amittamus. qui vult similis Deo esse, non ab illo recedat, ei co-*

Anima tanquam ex annulo cera signatur per imaginem Dei impressam,

et cohærendo. signetur tanquam ex annulo cera: illi affixus habeat imaginem eius, vt dicat: Mihi adhærere Deo bonum est. ita custodiet imaginem Dei, ad quam factus est. huc refer illud Cant. *pone me vt signaculum super cor tuum, &c.* sed cereum cor requirit, nō lapideum, vt *signentur tanquam ex annulo cera*. rectè annulum nominat, qui amoris est typus in animæ sponsalibus. his addit pulchrè, & eleganter. *Homo recedendo à Deo frigescit, accedēdo feruescit, recedendo tenebrescit, accedendo clarescit; à quo enim habet vt sit, apud illum habet, vt ei bene sit. quod si peruersè voluerit imitari Deum, vt non habeat, à quo regatur, sicut nec Deus; quid restat, nisi, vt recedens ab eo, quod summè est, in deterius mutatus deficiat? audiuit à Deo sub præcepto positus: noli tangere: quid? hanc arborem. quid est enim illa arbor? si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? prorsus ideò in paradiso, quia bona est, sed nolo tangas; cur? quia dominus sum, & tu seruus es: hæc tota causa est: si parua est, dedignaris esse seruus: quomodo eris sub domino, nisi fueris sub præcepto?* egregiè ostendit quàm promptè, & simpliciter sit Deo parendum. huc facit quod monet noster Ignatius de cæca obedientia, sine inquisitione, ac discursu. & acutè ostendit, cur Deus non vetuerit de mala arbore. addit: *Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientia, nisi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. sola ibi obedientia tenet palmam; sola ibi inobedientia inuenit pœnam. bonum est, sed nolo tangas. quid tibi deest in paradiso? hoc tantùm nolo tangas. bonum est, sed obedientia melior.* nota illud eleganter: *obedientia tenet palmam*. iuxta illud: *vir obediens loquitur victorias*. igitur inobedientia subiecit morti, non ipsum pomum: *Ideò arbor illa appellata est scientia dignoscendi boni, & mali, quia homo nollet discernere bonum à malo per præceptum, discreturus per experimentum, vt tangendo vetitum, inueniret supplicium. quare autem tetigit? quid illi deerat in media opulentia, medijsque delicijs? cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei; cuius faciem, vt inimici timuit post peccatum nullo dominante voluit fieri sicut Deus, & factus est similis pecori; & nunc captiuus clamat: Domine quis similis tibi?* pulchrè dictum: *cui magnæ deliciæ erant, ipsa visio Dei*. adeò inter tot delicias paradisi, & oblectamenta, hoc erat præcipuum, Dei visio, quod de corporea specie adumbrata Dei cum ipso familiariter colloquentis intelligere; quæ igitur deliciæ sunt beatorum in expressa Dei visione? *satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Totum hominis bonum Deus, &c.

Cur Deus non vetuerit malam arborem sed indifferentem,

In paradiso magnæ deliciæ Adæ Dei visio

20 *Multiplicasti iustitiam tuam, &c.) Adsit ipse, & tanquam claue crucis suæ clausum sacramentum aperiat; neque enim frustra illo crucifixo medium templi est velum scissum, quia per ipsius passionem secreta mysteriorum patuerunt.* Vides in difficilibus locis, & clausis sacræ scripturæ ad Christum crucifixum recurrendum, vt Bonauentura faciebat; nempe crux Christi clauis est, & rectè notat, cur velū scissū sit.

In difficultate locorū scripturæ ad crucifixū recurrendum.

Ex psalmo LXXI.

1 *ET permanebit cum Sole.* græcè συμπαραμενεῖ, *compermanebit Soli. quid magnum est hoc ei, per quem facta sunt omnia? sed hoc dicitur in eos, qui putant religionem nominis Christiani vsque ad certum tempus futuram. sequitur, & ante Lunam. per Lunam intelligit incrementa, defectusque mortalium: vt sensus sit, omnia mortalia immortalitate præcedet.* rectè vim ros græci vocabuli expendit: *compermanebit Soli.* scilicet quandiu Sol durabit. *& ante Lunam.* idest perfectius. non enim Ecclesia defectui obnoxia. Addo Christianam religionem comparari Soli, ac Lunæ, non solū quia omni tempore durabit, sed quia cum splendore gloriæ durabit; & vbique terrarum se prodet, ab Oriente ad Occidētem: siue in prosperis, hoc est die; siue in aduersis, hoc est nocte.

Ecclesia cur dicatur cum Sole duratura cōtra mathematicos.

2 *Descendet sicut pluuia in vellus.*) alludit ad factum Gedeonis: primò solùm vellus compluturn in area: vellus ouis Iudæi sunt, nam dicitur: *Non sum missus nisi ad oues domus Israel.* deinde solùm vellus siccatum, at area tota compluta. ita, *Vidimus in gratia Christi siccam remansisse gentem Iudæorum, totumque Orbem terrarum in omnibus gentibus Christiana gratiæ plenis nubibus complui.* pulchrè plenas gratiæ nubes dicit Apostolicos viros per Orbem discurrētes, baptismi aquis barbaras quasq; nationes perfundentes, iuxta illud: *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* quod quasi per admirationem dictum, ob altitudinem perfectionis & celerrimum cursū, & baptizatorum multitudinem. simile est illud Iob: *ab Aquilone venit aurum,* hebraicè, *nubes coloris aurei.* Addit: *Ideo illam gentem velleris nomine significatam puto, vel quia expolianda erat diuina auctoritate, sicut oues expoliantur vellere, vel quia in abdito eādem pluuiam detinebat, quam nolebat in circumcisis gentibus prædicari.* acutè interpretatur guttas pluuiæ solo vellere comprehēsas, de angustis finibus Iudææ, quibus veri Dei cognitio coarctabatur, q̄ postea latè quasi in area Orbis terræ diffusa.

Incarnatio sicut pluuia in Gedeonis vellus.

3 *Donec auferatur Luna.) alij legunt, extollatur: vtrumque significat græca vox. ανταναιρεθῆ. si legatur: auferatur: fortasse.*

tasse intelligi voluit, ne vlterius sit mortalitas, quando nouissima inimica destruetur mors; ne quid resistat felicitati beatorum in altero seculo. sin per Lunam Ecclesia intelligatur, erit sensus: Orietur in diebus eius iustitia, quæ rebellionem carnis vincat; donec eleuetur Ecclesia per gloriam resurrectionis, regnatura cum eo, qui cum Sole permanet ante Lunam, quò postea exstolletur & Luna. huc facit illud: *sicut Luna perfecta in æternum.* puto autem & ad Deiparæ assumtionem posse transferri: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec extollatur Luna.* donec enim aliquando perseueranter dicitur, vt de Ioseph: *non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum:* quam scilicet nec post partum agnouit. certè assumptæ Deiparæ commendanda est pax Ecclesiæ, & in virtute profectus, qui ibi maior est, vbi maior viget in eam pietas.

Post iudicium mutabilitas quasi Lunæ auferetur.

Deiparæ assumptio quasi perfectæ Lunæ exaltatio.

4 *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.) Vsuræ dicuntur peccata, quia plus mali inuenitur in supplicijs, quàm commissum est in peccatis: vt homicida tantum corpus perimit occisi, sed ipsius, & anima, & corpus perditur in gehenna.* acu è ostendit cur peccatum dicatur vsura, quia damnum supplicij, hoc enim est peccatoris lucrum, plus est quàm quod habetur in commissione peccati, nam per breue tempus hoc committitur, & vnam deformitatem iuxta qualitatem continet; at consequitur æternum supplicium, & illud duplex, in anima, & corpore: ideo apud Matth. dicitur, *ego veniens cū vsuris exigā,* idē refer ad detractionem, & cetera vitia.

Peccatum cur dicatur vsura.

5 *Honorabile nomen eorum coram ipso.) Quia etsi videantur contemptibiles huic sæculo Christiani, at cum Christo Christiani nomen honorabitur.* facit hoc egregiè in primis pro Societate Iesu, quæ, si quid honoris, & æstimationis habet, huic nomini acceptum referre debet. Addit legi posse: *Honorabile nomen eius coram ipsis. dant enim honorem nomini eius pro tantis beneficijs.* hoc ad eiusdem Societatis religiosos pertinet, vt tam præclarum Iesu nomen honorent dignis factis, cum tam insignibus ab eo affecti beneficijs sint.

Societati redundās honos ex Iesu nomine.

6 *Superextolletur supra Libanum fructus eius.) Libanus ob excelsas arbores, huius sæculi dignitatem significat. quid mirum, si Christi fructus superextolletur super omne præclarum huius sæculi fastigium? cuius fructus dilectores omnia sæcularia culmina contempserunt, vel quia charitas, qui primus fructus nominatur ab Apostolo, supereminet alias virtutes; fructus autem spiritus charitas est. & alibi; Adhuc supereminentem viam vobis demonstro:* idest charitatem. potest primum illud pulchrè referri ad multos nobilissimi generis, qui gustato hoc fructu sæcularia culmina contempserunt, vt Thomas Aquinas, Ludouicus regis Neapolitani filius, & apud nos Borgia, & Gonsaga. adeò Christus quasi fructus est altior omni humano fastigio, vt qui eum colligere voluerint, sub pedibus omne culmen honorum quasi inferius posuerint. Tum vide quàm difficilè colligatur charitatis suauissimus fructus, cum velut in arboris summitate sit: gigantea statua opus est, heroica scilicet magnitudine animi.

Nobiles viri humana omnia contemnētes Christum præferentes laudātur.

Ex Psalmo LXXII.

1 *Titulus est: Defecerunt hymni Dauid filij Iesse &c.) Esaias ait; Egredietur virga de radice Iesse; & Paulus, ne se erigerent gentes, ait: Si enim tu ex naturali excisus oleastro, insertus es in illis, noli gloriari aduersus ramos. ergo de radice patriarcharum dicit fractos quosdam ramos ob infidelitatem, & insertum ibi oleastrum, idest Ecclesiam ex gentibus: at quis inserit oleastrum in oliuam? nam qui hoc fecerit, non inueniat baccas nisi oleastri; quod enim inseritur, hoc crescit, & eius rei fructus inuenitur; ideoque oliua potius solet esse in oleastro. ostendit igitur Apostolus, omnipotentia sua hoc Deum fecisse, ut oleaster in radicem oliuæ insereretur, nec tamen baccas siluestres, sed oliuam daret. sed addit: noli altum sapere, sed time: ne scilicet, & tu frangaris, sicut illi rami fracti sunt.* acutè de insitione oleastri in oliuā cū cōtra fieri soleat, vt fruct⁹ boni inserātur agrestibus: sed in hoc Dei quasi coloni mira vis ostēditur.

Deus mirus colonus oleastrum in oliuam inserit. gentiles in veri Dei notitiam

2 *Defecerunt hymni Dauid filij Iesse.) Nusquam nisi in hoc psalmo additum: Filij Iesse. laudabatur tunc Deus à carnalibus, qui hoc solùm pro magno habèbant; defecerunt igitur hymni Dauid, non vt filij Dei, sed vt filij Iesse.* solùm seruiebant Deo ob regnum temporale; eo amisso, & ipsi defecerunt à laudibus. & acutè adnotat quod ad rem facit; *psalmus Asaph: In hebræo Asaph sinagoga interpretatur.* est hoc contra eos, qui non nisi in prosperis Deum laudant; deficiunt in aduersis: signum est non esse ex filijs Dei, nec hunc vt parentem ingenuè amare.

Deus non amādus ob sola temporalia bona.

3 *Quàm bonus Deus Israel rectis corde!) Vt Sol tranquillus apparet oculos puros habenti, in oculos autem lippos quasi tela aspera iaculatur: illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatū.* sic cū cœperis esse peruersus, et tibi Deus peruersus esse videtur: tu mutatus es, non ille: *erit tibi malo pœna, quod bonis est gaudium.* pulchra similitudo à Sole accepta, quomodo immutabilis Deus bonis sit mitis, malis asper. *Sol in oculos lippos quasi tela aspera iaculatur,* sic tela diei dixit Lucretius, & tamen quid radijs iucundius sanis oculis?

Dei immutabilitas per Solē expressa.

Idem flagellū, & peccatores & dæmones cædit.

4 *Cum hominibus non flagellabuntur.) Nunquid ipse diabolus cum hominibus non flagellatur? cui tamen æternum supplicium præparatur:* acutè obijcit, sed respondet citans verba sequentia. *Ideò tenuit eos superbia. Attende taurum deuotum victima, permissum errare liberè, & vastare quæ potest vsque in diem occisionis. de hoc in prouerbijs dicitur; Ducit eos tanquam ad victimā præparatos.* nota interpretationē: nō flagellantur sēper mali hìc cū hominibus, at in æternum cum diabolo, et Angelis eius: quid non modò atrocius, sed ignominiosius, quàm eodem fustuario vapulare quo diabolus? & vide, vt libertas desinat in perniciem. præsciti quasi tauri indomiti sunt; errant liberè, vastant Ecclesiæ agrum: sed quasi mactandę victimæ destinantur igni.

Afflictio instar criticæ accessionis sanitatis effectrix.

5 *Et dixi: ergo sine causa iustificaui cor meum, &c.) Agitatur anima transitura ad contemnenda terrena, & concupiscenda cœlestia. accessionem Criticam vocant medici, per quam transitur ad sanitatem. maior ibi æstus, sed ducens ad salutem; sic ergo & hic æstuat: Quomodo, inquit, scit Deus, & si est scientia in excelso, & sine causa iustificaui cor meum? non confirmat, sed ipsa dubitatio periculosa est; per pericula transit ad sanitatem.* egregiè ostendit afflictionis bonum similitudine accessionis Criticæ in morbis, quæ quidem licet molesta ad modum sit, sed bonā tamē valetudinem consequentem indicat: Quod autem in persona peccatoris de Dei scientia dubitatum est, corrigit statim: *Si dicebam narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui) alij legunt, cui concinui, idest dissonui ab omnibus, si sic doceo.* pulchrè adnotat. vide igitur vt in aduersis, siqua cogitatio subrepat contra diuinam prouidentiam, statim corrigendus sit animus: ita consonamus scripturis, ac ceteris viris bonis, Martyribus præsertim, in summa suppliciorum acerbitate laudantibus Deum. hæc harmonia est, atque concentus; illa dissonantia absurdæ querelæ. huc spectant sequentia.

6 *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.) Verè magnus labor, cognoscere quomodo Deus curet res humanas, & tamen bene sit malis, & laborent boni. magna vis quæstionis, ideò labor ante me, quasi stat in facie mihi murus quidam, sed in Deo meo transgrediar murum. labor est ante me, sed non ante Deum. ideò dicit Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam, &c. præsentia transgredior. omnis ista nostra mortalitas ventura est ad examen, ad libram appendentur ibi opera hominum. cuncta modò nubes inuoluit.* elegans similitudo: nempè quasi murus nunc oppositus est, vt occulta Dei iudicia non videamus, cur bonis aduersa, malis prospera contingāt; quem tamen murum licet ad expugnandum difficilem virtus diruit, aut transcendit quasi murali corona digna. eadem quasi vehemens aquilo nubes difflat, docet enim in iudicio aperiendum illud grande spectaculum, vbi omnia appendentur ad libram. notabilis locus, quo defenditur Dei prouidentia.

Obiecta contra Dei prouidentiā fides vt murum diruit, & vt ventus nubes diffians

Mundi fastus ad nihilum tandem redigitur per mortem.

7 *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.) Ne diceretur: num parua tibi videtur pompa eorum? parui tituli? imagines, statuæ, laudes, cunei clientium? addit: Imaginem eorum in nihilum rediges. exhorrescant diuites in hoc verbo: nōnè digni sunt hæc pati, quia & ipsi in ciuitate tua imaginem Dei ad nihilum redegerunt?* acutè perstringit diuites improbos: ipsi in se ad nihilum redegerunt imaginem Dei per rapinas, & alia scelera; pœna culpæ respondeat. pompaticam illam imaginem, quàm sibi fecerunt mundani fastus, mors delebit.

8 *Quid enim mihi est in cœlo, &c.) Vidit præmium cœleste, quod sibi seruaretur, & æstuans in cognitione rei ineffabilis, non dixit: illud, & illud mihi est in cœlo, sed quid mihi est? quantum est? quale est? quid est? seruas tu mihi in cælo diuitias immortales, te ipsum; & ego volui in terra quod habent & impij, aurum, &c?* nullo modo, sed, *pars mea Deus in æternum*. non bona terrena, quæ finem habent. itaque pulchrè subiungit: *gratis amatur Deus: non ab illo petatur aliud præmiū. qui aliud à Deo petit præmium; carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere: quid ergo? nullum præmium Dei? nullum præter ipsum.* hoc planè præmium laborum suorum quæsiuit Thomas Aquinas interrogatus à Christo. illud verò præclarè dictum. Qui aliud præmium petit à Deo præter ipsum Deum, indicat se pluris facere illud præmium, quàm Deum; quia illud præmium pro fine habetur: quo quid indignius?

Nulla alia merces à Deo petenda præter ipsum.

9 *Mihi autem adhærere Deo bonum est, &c. Vt annunciem omnes laudes eius.) Quod erit negotium tuum? nisi vt laudes, quem diligis, & facies te cum coamatoribus tuis. ecce si amares aurigam, nonne raperes ceteros, vt eum amarent tecum? amator auriga quacumque transit, loquitur de illo, vt cum ipso eum ament & ceteri. gratis amantur flagitiosi homines, & à Deo pretium quæritur, vt ametur? ama Deum gratis, nulli inuideas Deum. rapite eum quotquot potestis, totum omnes habebitis.* alludit eleganter ad factionem variam aurigarum, qui quatuor coloribus, quatuor anni tempora repræsentabant, & erant diuersi amatores singularum factionum; & quisq; alios ad suā trahebat. Huc refero illud Esaiæ: *Væ mihi quia tacui, & regem dominum exercituum*

vidi

vidi oculis meis. vbi nota, hinc cognosci Dei amatorem, si de Deo semper loquatur, & ab alijs amari velit: hoc ad Apostolicos maximè viros facit.

Ex psalmo LXXIII.

1 R*Edemisti virgam hereditatis tuæ.*) idest populum tuum. mors per serpentem est illata, ergò *Virga in serpente, Christus in morte, expauit mors; mortuus est Christus, & expauerunt discipuli. sed apprehende caudam eius: primò occisus, deinde resurrexit.* nempè vt virga illa deuorauit serpentes Magorum, ita Christus in morte consumpsit inferos. Addit aliam expositionem. Virga Mosis rediens in serpentem mortalitas est humana; nam per mortem illatam à serpente alij moriuntur, alii succedunt. sed *in fine saculi tanquam cauda redimus ad manum Dei, & efficimur stabilitum regnum Dei.* acutè dictum: sicut serpens senescit, & renouatur; ità mortalitas seu genus humanum iuuenescit. per subsequentem generationem, sed tandem in firmam virgam, & sceptrum, in Dei manu positũ conuertetur; hinc collige antea nostrum genus fuisse per iustitiam originalem tanquam sceptrum in Dei manu, ac regium insigne, quo se declarauit vniuersitatis huius possessorem, & dominum deinde hic quasi serpens est factus, serpenti credens, ob venena scilicet passionum, & tortuositatem vitiorum. rectè Adam ipse post peccatum appellauit Euam ob similitudinem, & cognationem in nomine: nã serpens in prima lingua Heua dicitur, vt notauit Clemens Alexandrinus; ceterùm cur dicamus, Deiparã, quæ omnium creaturarum futura erat regina, & paritura regem sæculorum, fuisse virgam illam aliquando serpentis specie? immò potius semper fuisse dicam tanquam sceptrum in manu Dei, & nunquam ab eo proiectam. nos quidem aliquando excussi de eius manu per originale peccatum, redibimus in sceptrum ad ipsius manum: vnde illud *eris in manu domini tanquam diadema speciei.* ac tunc perfectissimè dicetur. *Israel sceptrum hareditatis eius.*

Homo sceptrũ Dei per peccatũ in serpentem versus.

2 *Posuerunt signa sua, & non cognouerunt.) hoc est in templo posuerunt Aquilas suas, Dracones suos, vexilla Romana, aut etiam statuas; & non cognouerunt, quia non ipsis honor delatus est, vt euerterent ciuitatem; sed impietas eorum tanquã securis Dei facta est; facti sunt instrumentũ irati, non regnum placati. facit hoc plerumque Deus, vt iratus pater apprehendat virgam iacentem, aut qualecunque sarmẽtum, cadit inde filium suum, ac proinde projicit sarmentum in ignem, & filio seruat hareditatem.* Nota quod ait, peccatum conuerti in securim, & instrumentum interitus. quis credat mollem illam illecebram peccandi verti in durum ferrum, ac bipẽnem, qua reus damneris, & pereas? Item nota, cum Deus permittit aliquem propria culpa ab alijs affligi, hos non impunè abituros, ac suæ sæuitiæ pœnas, aliorumq; vitiorum postea daturos. huc spectat, quod subiungit: *Posuerunt signa sua, &c. & non cognouerunt sicut in egressu desuper: nẽpe quæ audierant à vatibus dæmonum suorũ, quia fortè à diuinis suis audierant, quia debuerunt ire ad Hierusalem, & capere eam, & cum euertissent eam, dixerunt quod à dæmonibus suis id factum esset; & non cognouerunt sicut in egressu desuper, idest quia nisi desuper egrederetur iussio, nunquam sequentibus gentibus talia in Iudæos licerent.* putat probabile, vt Romani solebant, ex auspicijs & aruspicinis hostes motos, vt debellarent Iudæos, ac post victoriam Deos suos auctores agnouisse, quod potius à Deo vero permissum fuerat. nam idem tẽtum paschatis cruentum Iudæis fuit, quo dixerant: *sanguis eius super nos, & super filios nostros:* idẽ in templo hostium signa, hoc est Aquilas Romanas collocari viderunt, ipsorum prædatrices, & vbi alati Cherubim protegebant arcam; ibidem Dracones in vexillis, quò pontifex accedebat præcinctus zona simili serpentis exuuio. Idem porrò mysticè diabolus facit in homine, de quo Apostolus: *Vos estis templum Dei.* ablatis enim virtutum ornamentis, per quæ Angelicæ vitæ similitudinem habemus, Aquilas superbiæ typum, & Dracones venenatæ iracundiæ, aut concupiscentię, quasi tropbęa erigit. ita peccatores à Deo Imperatore transfugæ ad signa, & castra diaboli, fiunt eius quasi Aquiliferi, ac milites Draconarij.

Peccatũ fit securis ad peccatoris interitum.

Romani sua vexilla in templo locarunt Diis victoriam tribuẽtes.

3 *Vt quid auertis manum tuam de medio sinu tuo?*) Alludit ad manũ Mosis, quæ educta è sinu, facta est leprosa, *Ita populus Dei foras ab eo missus, immundus factus est. quousque ait Asaph, dexteram tuam alienas à sinu tuo, vt foris immunda remaneat? reuoca eam, redeat ad colorem, agnoscat Saluatorem.* Ostendit, populum hebræorum fuisse vnitum Deo tanquam manum corpori, quod de quolibet iusto dici potest, cui magnopere cauendum, ne Dei sinum deserat, hoc est ab eius amore distrahatur, atque ita incidat in peccati leprã. Ac si literam spectemus, mirũ est quàm obnoxius esset hebraicus populus lepre, vt apparet ex Leuitico, quod in pœnam ei datum putant aliqui, quia sæpè de sinu Dei abstrahi solebat.

Quã miserũ fit abstrahi e sinu Dei.

4 *Contriuisti capita draconum in aquis.*) *Scilicet eas gentes, quas dæmones possidebant, tu per baptismum liberasti.* Vide quid agant

Idola per baptizatos fracta

Apostolici viri, cum barbaras nationes baptizant, stragem dæmonum faciunt, idola conterunt. quod quidem etiam pueri nostra ætate faciunt apud Indos post baptismum; tantum roboris affert gratia: sequitur. *Tu confregisti caput Draconis.*) *Dracones sunt omnia dæmonia sub diabolo militantia; quem ergo nunc singularem Draconem, cuius caput confractum est, nisi ipsum diabolum confringere debemus? nam illud est initium peccati, caput quod Euæ semen obseruet: initium autem omnis peccati superbia.* acute notat, cur peculiariter vnius Draconis meminerit post multos numeratos, quia post baptismum statim cum diaboli superbia confligendum est. vicisti multa vitia, adhuc superest conterenda superbia, quæ etiam post benefacta obrepit.

Superbia caput Draconis conterendum

5 *Dedisti eum escam populis Aethiopũ.*) idest gentilibus, ita dictis ob nigredinem peccati; quò spectat Xauerii somnium de Aethiope insistente eius humeris, qui gentilitatem expressit. Tum sic: *Quomodo gentiles Conuersi accipiunt in escam Draconẽ? puto quòd potius Christũ accipiũt in escam; sed Christum, quo se consũmarent; Diabolum, quẽ consumerẽt.* lepidè dictum. vis est in verbis: Christus datur nobis mẽbris suis in escã, vt consummet, idest perficiat nos; at diabolus datur in escam, vt consumatur, & comminuatur à nobis: ita Moses vitulum in ignem missum, & comminutum in potum dedit; de quo sic eleganter. *O ira prophetica, & animus non turbatus, sed illuminatus: mitte in ignem, vt forma ipsa prius confundatur; minutatim comminue, vt paulatim consumatur; mitte aquam, da populo bibere: quia adoratores diaboli corpus ipsius facti erant, quomodo agnoscentes Deũ Christum fiunt corpus Christi. corpus igitur diaboli consumendum erat, & Petro de gentibus dictum est: Macta & manduca; idest occide quod sunt. & fac quod es.* pulchrè dictum, peccatorem per mortificationem in Christi corpus transire. & nota, vitia *minutatim comminuenda*, quod fit non solùm per generale conscientiæ examen, sed etiam particulare, vt noster Ignatius monet. Tum redit ad vitulũ comminutum: Diabolus, inquit, deuoratur à gentibus, quæ credunt, & consumitur, vt virga Mosis omnes incãtatorum Aegypti vipereas virgas absorbuit: *Diabolũ nũc omnes mordẽt quomodo? reprehendẽdo, culpãdo, accusando.* Vide quid agant apostolici viri nationes, ac populos conuertendo ad fidem; faciunt vt transeant in corpus Christi, destructo diabolo. comminuitur etiam diabolus cum laceratur, atque proscinditur maledictis omniũ; quod multò acrius fecerunt sancti, vt cum noster Ignatius ei sibi monstrosa specie apparenti senilem baculum intentabat.

Vitia domare per mortificationẽ est diabolum in frusta conscindere.

6 *Tu dirupisti fontes, & torrentes.*) *Vt manarent liquorem sapientiæ & diuitias fidei; vt irrigarent salsitatem gentium, vt infideles fidei dulcedinem sua irrigatione conuerterent.* pulchrè de Apostolicis viris, qui quasi Dei fontes, & torrentes deferunt diuitias pretiosiores, quàm Pactolus, aut Ganges Indorum, & alij fluuij gemmiferi, & auriferi: tales sunt qui nunc irrigant Indiarum campos, talis fons aurifluus Xauerius, *profundens liquorem sapientiæ, & diuitias fidei, vt irrigaret salsitatem gentium:* & quod ait de fidei dulcedine, salsitate erroris ablata, vel eo miraculo indicauit, cum marinas aquas dulces fecit. Addit. *Torrentes dicuntur propriè qui non sunt perennes: æstas probat fontem, aut torrentem; tamen ex vtroque rigatur terra, ab eo qui operatur salutem in medio terræ. exundent fontes, currant torrentes.* egregiè distinguit prædicatores Euangelicos, qui irrigant campum Ecclesiæ: alii sunt vt fontes perennes, hoc est indefessi; alii vt torrentes, qui subinde lassescunt. tamen ambo necessarij. sequitur: *Tu siccasti fluuios Ethan.*) *idest arescat doctrina gentiũ, haruspicũ, Mathematicorum, Magorum. inundentur mentes Euangelio veritatis.* Ethan robustus interpretatur, quia illi de se præsumunt inflati vana doctrina. quantò maius hoc, & admirabilius, quàm quod de Xerxe narrat Herodotus, eum innumerabili illa exercitus multitudine fluuios exiccasse, & parmeabiles reddidisse?

Apostolici uiri fõtes auriflui.

7 *Intenderunt arcum, vt sagittent in obscura Luna rectos corde,*) *obscurata est enim caro Christi, & in sepulchro posita, & qui occiderunt, insultauerunt; & sagittati sunt discipuli, sed in obscura Luna.* sagittas vocat mendacia Iudęorum, & calumnias, quod Apostoli furati essent Christi corpus, sed *sagittę paruulorũ factæ sũt plagæ eorũ:* quia sibi potius nocuerunt, cõuictis veritate de terręmotu circa sepulchrũ, &c. ego dixerim, & ad Deiparã posse referri; obseruãt. n. dæmones, vt tunc iacula tentationum mittant, cum eius deuotio in nobis deficit.

Caro Christi in passione Luna obscura.

8 *Æstatem, & ver tu plasmasti ea.*) *Feruentes in spiritu, æstas est. tu fecisti & nouellos in fide, ver est. vtrumque tu fecisti; non glorientur quasi non acceperint.* potest ver ad nouitios referri, quorum status quasi florens, & pulcherrimus est; æstas vero ad prouectos in religione, ob feruorem. sed nemo de se præsumat. huc facit quod sequitur: *In voluntate tua, non in iustitia mea; dono tuo, non in opere meo.* rectè adnotat, & cursum ipsum, iterque virtutis ad Dei auctorem referendum, & gloriæ præmium consequens.

Feruor in spiritu æstas est. ver initiũ fidei

8 *Exurge domine, iudica causam meam.*) *Adhuc insultatur Christo: Vana prędicant Christiani, inanis resurrectio mortuorum: adhuc dicitur: vbi est Deus tuus?*

quid

quid faciam talibus? ostendam quod non videnti? non possum; non enim propter illos Deus visibilis fieri debet. id agant, si placet, ita eveniat: quia ipsi noluerunt converti in melius, Deum convertunt in peius. Deus intellectu, & corde videtur; certè nec anima tua videtur. *cum ergo corpus solum videatur, quare non sepeliris?* Dices quia vivo: & hoc unde scis? ex operibus, inquis, cur ergo non ex operibus cognoscis Creatorem? acutè arguit. si enim nil credis, nisi visibile, cum animam tuam, unde vivitur, non videas, vivus non esses. Tum pergit insultationes referre. *Dicit fortè aliquis; Cum mortuus fuero, nihil ero. didicit ab Epicuro nescio quo, à deliro philosopho, vel potius amatore vanitatis, non sapientiæ, quem ipsi philosophi porcum nominant, volutatum in cœno carnali.* alludit ad illud Poetæ, qui quendam vocat Epicuri de grege porcum. Negantes porrò resurrectionem, & iudicium, sic arguit. *An exhibuit Deus omnia, quæ promisit & de solo iudicij die nos fefellit? nondum erat Christus in terra, promisit, exhibuit, &c. serpens auditus est olim, & contemptus Deus, & impletum est, quod Deus de morte prædixit: non cessat adhuc serpens insusurrare: nunquid verè Deus damnaturus est tantas turbas? liberaturus est paucos? veniet iudicij dies, invenies verũ quod minatus est Deus, falsũ quod pollicitus Diabolus.* Vide quibus armis expugnanda sint diaboli tentamenta circa fidem maximè: sed initio quod dixit Deus de morte, evenit; quod autem serpens de non moriendo, evanuit. præcipuè suadet, ut liberius, & licentius vivamus, Dei minas elevando. sed cum cetera, quæ Deus prædixit, eventum habuisse videamus, etiam & hoc de iudicio eventurum credendum est.

Non id solum credendum est quod oculis cernimus sed quicquid fides adseruit.

Ex psalmo LXXIV.

1 P*Rope est dominus his, qui obtriverũt cor.) Tritura cordis pietas est, & humilitas; qui se conterit, sibi irascitur, se habet iratum, ut habeat propitium Deum.* apertè ostendit quid agat, *qui se conterit*, nempè in se irascatur per pœnitentiam, & dolorem peccatorũ, humiliter accusando, & piè à Deo ueniam poscendo Addit: *Quid times confiteri? time confiteri homini iudici, qui confessum punit, Deo noli: fac confitendo propitium, quem negãdo non facis nescium; vis non timere peccatorum punitorem? ama donatorem, noli extolli.* Vide qua ratione reconciliemur Deo: si ei fateamur quæ ipse nõ nescit, & cui fateri, non est dãnari, sed saluari. vide quantũ discrimen inter utrumque tribunal, terrenum, & diuinum

Fateri Deo iudici peccatum absolui est nõ damnari.

2 *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.) Accipit tempora, ut filius hominis; gubernat tempora, ut filius Dei. secundùm quod filius Dei est, nunquam accepit tempus iudicandi, quia nunquam caruit potestate; secundùm quod filius hominis, accepit, sicut & nascendi, & moriendi.* elegãter distinguit utramque in Christo naturam.

Christi cũ diuinitas, tum humanitas probatur.

3 *Defluit terra, &c:) Delinquere est tanquam defluere à stabilimento virtutis: cupiditate namque inferiorum quisque peccat, sicut roboratur charitate superiorum defluxit terra, subtracta sunt fundamenta, & aliquid hiatu quodam in ea demersum est.* Vide quid sit peccare: per cupiditatem rerum inferiorũ, seu terrenarum hiatũ facere terram, hoc est absorberi animum ipsa cupiditate terrena. inter horrenda prodigia terræ hiatus numerari solet. cogita quàm horribile fuerit quod Dathan & Abiron sunt passi. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos.* id spiritaliter fit in anima, quæ terrena cupiditate velut absorbetur.

Peccator terrena cupiditate, quasi terræ hiatu absorbetur.

4 *Ego confirmaui columnas eius.) Apostolos scilicet. & quid essent illa columnæ, nisi ab illo firmarentur? quia terræmotu quodam ipsæ columnæ nutauerunt in passione domini, sed resurrectione firmatæ sũt; ostendit mortem non esse metuendam. terruerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices. habebat potestatem, ut suum corpus sine cicatrice sanaret, sed habere voluit, unde nutantes columnas firmaret.* quod Apostoli columnæ essent, probat ex illo Apostoli, ubi de coapostolis suis loquens ait, *Qui videbantur columnæ esse.* & ipse Paulus columna erat Ecclesiæ. Nota illud de terræmotu duplici, qui accidit in passione: altero, quò tellus nutauit; altero mystico, quo Apostoli quasi columnæ de basi commotæ sunt. sed mirum est quod per alium terræmotũ, qui apud sepulchrũ accidit in resurrectione firmatæ sunt. Tum, vide cur cicatrices sibi Christus retinuerit: ne scilicet Apostoli vulnera timerent, quorum vestigia tanta cum gloria in rediuiui cicatricibus cernerent; atque ad eo stabilirentur in fide: quod in Thoma ostensum est, cum per cicatrices ipsas fassus est Deum dicens: *Dominus meus, & Deus meus.*

Apostoli seu colũnæ commotæ in passione, stabilitæ in resurrectione,

5 *Quò à facie tua fugiam? &c.) Quo fugiet à Deo irato, nisi ad Deum placatum? vis fugere ab ipso? fuge ad ipsum.* paucis, sed pulchrè ostendit quid peccatori sit agendum. mira res. cõfuge ad eum, quem offendisti; hoc diuinæ pietatis prodigium est, ut idem, sit effugium quod perfugium.

Effugere a Deo est confugere ad Deum.

6 *Calix in manu domini vini meri &c.)* Interpretaturus hunc difficilem locũ sic ingenuè ait: *Quantum donat dominus ut intelligam, potest enim alius melius. quia sic se habet obscuritas scripturarum*

dissi-

difficile est, vt vnum pariant intellectum, quicumque tamen intellectus exierit, opus est vt regulæ fidei congruat. nec maioribus inuidemus, nec de paruulis desperamus. quod nobis videtur, dico, non vt obteram aures vestras aduersus alios melius fortasse dicturos. Nota humilitatem tanti Doctoris; & simul quid obseruandum sit in interpretatione sacræ Scripturæ, *vt regulæ fidei congruat.* tùm sic exponit: *Calix in manu Domini plenus misto, &c. Iudæi bibendo fæcem, euanuerunt; gentiles bibendo vinum, iustificati sunt; audeo dicere inebriatos; calix tuus inebrians quàm præclarus est! quid enim putatis? omnes illi, qui confitendo ipsum, etiam mori voluerunt, sobrios fuisse? vsque adeò ebrij erant, vt suos non agnoscerent, omnes propinqui, qui eos blandimentis auertere conabantur, non sunt agniti ab ebrijs. nonne ebrij erant, quibus succensum erat cor? quorum mens alienata erat ab hoc sæculo?* pulchrè ait, Martyres ebrios fuisse præclaro Dei calice, hoc est diuini amoris poculo; quamobrem velut extra se positi, præsentia non agnoscebant. Adde, solitos ante martyrium Eucharistiam sumere, vt habetur in actis sancti Laurentij: *In illa lenta morte quia benè manducauerat, & benè biberat, tanquam illa esca saginatus, & illo calice ebrius tormenta non sensit.* Verba sunt eiusdem Augustini in Ioannem, quæ his congruunt. hoc idem refer ad nobiles in primis adolescentes, qui relicto sæculo, reluctantibus licet parentibus, & cognatis, Religionem intrant: *Omnes propinqui, qui eos blandimentis auertere conabantur, non sunt agniti ab ebrijs.* agnoscis Thomam Aquinatem, & similes, *Quorum mens aliena erat ab hoc sæculo.*

Martyres spiritu ebrij præsentia nō curabant.

Spiritus ebrietas est alienā habere mentem ab hoc sæculo.

Ex psalmo LXXV.

1 ET *factus est in pace locus eius.) Quomodo incipis pacem habere cum Deo? incipis illi in confessione Psalmi. vox est dicentis: Incipite illi in confessione: vt hoc vobis displiceat quod illi displicet. quandiù non confiteris peccata, quodammodo rixaris cum Deo, quod illi displicet, probans.* Nota, vt confessio pacis, ac fœderis tessera quædā sit. Addit: *Quare permittitur, vt contra te litiges? vt intelligas in te pœnam tuam; in te ex te ipso est flagellum tui; rixa tua tecum sit; vindicatur in rebellem contra Deum, vt ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo.* Egregiè ostendit, cur tantus in nobis tumultus belli sit per varias passiones mētis? quia pacem cum Deo habere noluimus, in pœnam correspondentem datur, vt neque nobiscum pacem habeamus per passionum seditionem. Tùm modum tradit vincendi: *Surrexit ira, tene tu manum coniunctus Deo. potuit surgere, sed non inuenit arma. apud iram tuam impetus est, apud te arma sunt: sit impetus inermis, & discet iam non surgere, qui frustra surrexit. non possunt modò non esse desideria carnalia, sed non est illis consentiendum, ideò non ait Apostolus: Non sit, sed nō regnet peccatum in vestro mortali corpore. quid est, non regnet? ipse exposuit: ad obediendum desiderijs carnis: est peccatum, sed non sit regnum. postea inimica destruetur mors; resurget, et cùm mutabitur mortalis caro in spiritale corpus, iam nullis concupiscentijs, ac terrenis delectationibus titillabit animam, nec auertet à contemplatione Dei.* diceres, hoc quasi spiritale corpus penè fuisse adhuc viuenti Aloysio Gonsagæ, qui nunquam titillationem carnis passus dicitur, & expresse visus est degustare pacem, quæ in futuro erit. huc spectant sequentia: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, &c. vbi confregit? in illa pace æterna, in illa pace perfecta.*

Confessio tessera pacis cum Deo est.

Bellum intestinū in nobis ob ruptū fœdus cū Deo.

Motus sē. sus nullos sentire futuræ felicitatis est.

Aloysij Gonsagæ minimum castitatis donum.

2 *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.) Tanquam orientis luminis primordia exceperunt Apostoli, sed à luce, quam susciptunt montes, vestitur terra. de his dicitur: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. sed statim subiungitur: Auxilium meum à Domino. æternos illos fecisti, quia per illos vitam æternam & cęteris promisisti.* Vide altitudinem Apostolici status. licet infimæ conditionis essent, primi instar altissimorum montium excepere radios Solis orientis, idest Christi. & rectè montes æternos dici ait, quia Apostolica prædicatio æterna promittit; hæc temporalia obliuisci iubet.

Apostoli montes ęterni ob perfectionem, & prædicationem.

3 *Conturbati sunt omnes insipientes corde.) Ita Athenienses Paulum de resurrectione loquentem mirati sunt, & putarunt eum fabulas dicere, quia dicebat esse aliam vitam, quam nec oculus vidit, &c.* Nota, quid sapientius Atheniensibus? inde orta tot genera disciplinarum: & tamen insipientes dicuntur, & eorum dogmata stulta. de ijs quoque interpretatur quod sequitur.

4 *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt, &c.) Somnium diuitem fecit, euigilatio pauperem. tenuit illum somnus dormientem fortasse in duro solo, & in somnis vidit se iacere in lecto eburneo, vel aureo, & in plumis aureis altius extructis; euigilans inuenit se in duro iacere: venerat in hanc vitam, & per cupiditates temporales quasi obdormiit. excipiunt eos diuitiæ, & pompæ volaticæ, & transierunt, nec intellexit quantum inde boni posset fieri. Zacchæus suscepit Dominum, & ait: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. non erat in vanitate somniantium, sed in fide euigilantium.* pulchrè, *pompas volaticas* appellat. falsum est quod de Romæ felicitate dixerunt, fortunam ibi consedisse alis exutam, ne aliò

Diuitum eo usque vana somnia sunt.

Mundi fastus pompa volatica est.

Luc. 19.

auolaret. his addit: *Vis inuenire aliquid in manibus tuis postea? ne contemnas nunc manum pauperis. aspice manus inanes, si vis habere manus plenas.* Elegans antithesis est. porrò huc refero illud, quod coniectores somniorum interpretes veteres putabant: eum, qui sibi videbatur in somnis colligere, ac tractare margaritas, euigilantem lacrymis non cariturum.

5 *Ab increpatione tua, Domine, dormitauerunt qui ascenderunt equos) Increpat Deus, & dormis? attendite rem tremendam; increpatio strepitum habet, strepitu expergisci solent homines. tantum pondus est increpantis Dei, vt diceret: Ab increpatione tua, Deus, dormitauerunt, qui ascenderunt equos. ecce quo somno dormitauit ille Pharao, qui ascendit equos, non euigilauit in corde, quia de increpatione durum cor habebat. videte quomodo dormiunt Iudæi, qui sonante Euangelio per totum Orbem terrarum, in nouam vitam euigilare nolunt. crucem suam Christus, in qua irrisus est, iam fixit in frontibus Regum, & adhuc dormitur? magna ira Dei. melius nos eum audiuimus, qui dicit: Surge qui dormis, & illuminabit te Christus; sed qui illum audiunt? qui non ascendunt equos, qui non se iactant, & extollunt.* Magnum pondus continent illa verba: *Increpat Deus, & dormis?* meritò autem inuehitur acriter contra infideles, quod contra Mahometicam gentem in primis dici potest. in tam arguto, & vocali Euangelij sono, ac veluti tubæ clangore non expergisci, magna ira Dei est, & magna eorum insensibilitas: *sed illi audiunt, qui non ascendunt equos.* at hæc gens equorum instar effrenis est, & adhinniens ad illecebras carnis. quod etiam de malis Christianis, & mundanis dicendum. quanquam ipse equos refert ad superbiam, & nimiam confidentiam ethnicæ doctrinæ. Tùm damnatos infideles ex ipsorũ dictis arguit: *Dicent intra se, præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c. qui multùm dormistis; certè iam euigilatis, & in vestris manibus nihil inuenistis. videtis quomodo plenas habent manus gloria Dei, quos tanquam pauperes irrisistis? ergo errauimus, & Sol iustitiæ non illuxit nobis. quomodo Sol iustitiæ orietur dormientibus? quid nobis profuit superbia? vigilasti aliquando, melius equum non ascenderes.* acutè carpit. quid mirum si Solem iustitiæ non viderint, cùm in infidelitatis nocte profundè dormirent? pulchrè autem dictum: *Plenas habent manus gloria Dei, quos tanquam pauperes irrisistis.* Ad Religiosos maximè pertinet, quos mundani irrident. sed rectè illi manus referunt plenas gloria Dei, non nummis, qui operati sunt propter gloriam Dei gratis, immò ad maiorem, vt Ignatius noster.

Infideles tam sono ra Euangelij tuba non expergisci, magna Dei ira est.

Confidentia nimia de ppria doctrina equis cõparata.

Ephes. 5.

Religiosi manus referunt plenas gloria Dei.

6 *De cælo iaculatus est iudicium.*) sic legit, vbi vulgata habet: *De cælo auditũ fecisti iudicium.* horribile dictum: *De cælo iaculatus est iudicium.* quanto cum impetu, quo fragore fulmen hoc resonabit? huc refero illud de iudicio: *Ibunt directè emissiones fulgurum tanquam à benè intento arcu nubium, &c.* directè, licet natura sua obliqui dicatur via fulminis. ideòq; puto venturum *in nubibus cæli,* vt velut è nube illa in exitu ab Aegypto, iaciantur in impios fulmina.

Deus iaculatur iudicium quasi fulmen.

Sap. 5.

Seneca.

7 *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum sollemnia celebrabunt tibi.) Intelligitur prima cogitatio, posteriores reliquæ cogitationes. confessio est prima cogitatio, quæ damnat vitam præteritam. sed sic debes recedere à peccatis, vt non tibi recedat de memoria, quia peccator fuisti; nam si oblitus fueris, à quibus peccatis liberatus fueris, non agis gratias liberatori, & non celebras sollemnia Deo tuo.* affert exemplum: *Paulus circumfusus lumine, facta sibi cæcitate in oculis, vt intus videret; emisit primam cogitationem obedientiæ, dicens: Quid me vis facere? repetit deinde quod sibi donatum est: Qui primus fui blasphemus, & persecutor.* huc refero illud: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* longè sit peccatum per detestationẽ, propè per memoriam cum dolore. Addit: *Cùm credimus, tunc nobis fit cogitatio; nunc autem reliquiæ cogitationis, qua rememoramus, quid nobis donauerit, & ex ipsis reliquijs cogitationis, idest ex ipsa memoria quotidie nobis Christus sic immolatur, quasi quotidie nos innouet, q prima gratia sua nos innouauit.* reliquias cogitationis videtur intelligere species intelligibiles, quæ post actũ remanent, quibus memoria excitatur. tùm rem ostendit exemplo: *Peccaui, ait Dauid ad Nathan. hæc prima cogitatio confitentis. quæ erant reliquiæ cogitationis? peccatum meum contra me est semper.*

Confessio peccatorũ est cogitatio, rememoratio autem illa detestans sunt reliquiæ cogitationis

8 *Vouete, & reddite.) Multa sunt genera votorum. alij vouent virginitatem ab ineunte ætate, & isti vouerunt plurimum. alius vouet religionem, omnia sua distribuens pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sãctorum: magnum votum vouit.* Vide quàm excellenti in loco constituat eos, qui à pueritia castitatem vouent, ijs in hoc genere principatum meritò tribuit. Tùm nota de Religiosis: attentè videant quid agant: *Magnum votum vouent,* magno Domino vouent: igitur in profectu paruo esse non licet. item nota, quid est Religio? præclarè definit, *Societas Sanctorum.* quid enim hoc statu sanctius? hinc illa horribilis vox Prophetæ de malis Religiosis: *In terra Sanctorum iniqua gessit, propterea non videbit gloriam Domini.* deindè monet, ne ex castitatis voto se extollant: *Mementote, ait Dominus, vxoris Loth. in sal est versa, vt condirentur alij. quid iuuat esse virginem, si superbit? nubere licet, antequam voueas; super-*

Quàm præclarũ sit castitatem vouere à pueritia.

Religio est societas Sanctorum.

Superbire de castitate q̃ stultũ sit.

perhire nunquam licet. nubere noluisti, quod licet; extollis te, quod non licet. meritò rem exaggerat. sed ne deterreat à virginitatis statu, pulchrè subiungit: *Non sitis pigri, quibus aspirat Deus, apprehendere gradus meliores; quia hæc non loquimur, vt non voueatis, sed vt voueatis, & reddatis. vnum fit ex professione tua, alterum perficietur ex adiutorio Dei.* Nota, religiosum, & virginalem statum ex Dei inspiratione esse: *Quibus aspirat Deus,* tanquam Zephyrus scilicet implens vela, vt ad salutis portum appellent prosperè, & feliciter.

Regnum verum est dominiū in passiones.

9 *Terribili apud Reges terræ.) Rege terram, & eris Rex terræ. noli tibi ponere ante oculos prouincias latissimas, quà tua regna diffundas; terram, quā portas, rege. audi Apostolum regentem terram: Castigo corpus meū, & in seruitutem redigo.* Vide quid agat mortificatio. per eam non vilescimus, sed præcellimus; dum animus imperat corpori, & suis passionibus, tenens eum, qui dominator omnium est, euadit in Regem.

Ex psalmo LXXVI.

Religiosi terrena transiiientes euolant ad superna.

1 Titulus est: *In finem, pro Idithum ipsi Asaph.) Idithum est, transiliens eos; Asaph, congregatio: transilire debemus quicquid nos impedit, & irretit, & onere aggrauat volatum nostrum, vt perueniamus ad finem, qui est Christus.* tacit hoc ad laudem Philippi Nerij, qui instituit illustrem Clericorum cœtum, quæ Congregatio dicitur Oratorij. hi ad tanti parentis exemplum transilientes terrena omnia, volatum extendunt ad Deum. ad quemuis etiam Religiosorum cœtum id spectat, de quibus rectè dixeris: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.*

Oratio esse debet ad Dominum, & propter Dominū.

2 *Voce mea ad Dominum clamaui.) Multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum.* multi enim pro rebus temporalibus, & terrenis orant: *Quasi verò suauius illud esse possit quod dat, quam ipse qui dat.* rectè arguit: oratio enim non solùm ad Dominum, sed propter Dominum esse debet, ideò ait, titulum Psalmi esse: *In finē pro Idithum,* qui interpretatur, transiliens scilicet humana omnia, vt ad Dominum clamans, nonnisi ipsum Dominum petas.

Orationis circūstantiæ pulchrè notatæ.

3 *In die tribulationis Deum exquisiui, cum manibus meis noctu coram eo, & non sum deceptus.) Intelligamus, & imitemur hæc: quid exquisiuisti? Deum. quomodo? manibus meis. quando? nocte. vbi? coram eo, & quo fructu? & nō sum deceptus, inquit.* acutè omnes circunstantias orationis expendit. tùm hæc ita clarius explicat: *In die tribulationis meæ, &c. Tribulatio non illa, vel illa cogitanda est. nam ille transiliens totam vitam suam putat tribulationem.* sequitur: *Manibus meis. Quid est manibus? idest operibus.* pulchrè deindè hoc ad Thomam Apostolum accommodat, qui manibus suis quæsiuit cicatrices Christi: *Infer digitum tuum in latus meum.* ac tùm clamauit; *Dominus meus, & Deus meus.* nempè hoc est, quod hìc dicitur: *Deum exquisiui manibus meis.* deindè sic pergit: *Quid est nocte? in hoc seculo: nox in comparatione Angelorū est hoc seculum; habent enim diem Angeli, quem nos nondum habemus.* quanquam & vita iustorum dies est in comparatione impiorum, de qua ait Paulus: *Induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* sequitur: *Coram eo, idest non per hypocrisim oremus.* Notabilis locus de oratione; primò, vt per eam Deum quæramus, vt summum, & verum bonum. secundò, vt eum per bona opera quæramus. tertiò, vt semper, quia continua eius ope opus est. quartò, vt sincerè, & non fictè, nempè intimè præsentem; ita fructus ex oratione percipietur per bonas actiones, nè solùm in speculatione sistamus.

Thomas Apostolus Deū manibus suis exquirens.

Vita iustorum dies est, sed clarior beatorum.

4 *Negaui consolari animam meam.) Vnde tale tædium? nunquid quia vinea grandinata? &c. sed audi: tædium, inquit, detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam. tanto ergo tædio de huiusmodi malo affectum se dicit, vt neget consolari animam suam. propè absorbuerat eum tædium; tristitia eum omninò incomparabiliter merserat. percussus scādalis abundantibus, quasi multis vulneribus, clausit contra se humanam consolationem.* Vide quantum dolorem, ac mœrorem ob offensas Dei, non modò à nobis, sed ab alijs etiam illatas concipere debeamus, vt inconsolabiliter ea defleamus. Heli audiens captam arcam, pauore, ac dolore cadens obijt, & eius vxor doloris vi immaturum partum edidit; & cùm eam solarentur, quod filium edidisset. *Non respondit eis, neque animaduertit, & vocauit puerum Iebabod, dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca.* moriensq; præ dolore voluit in filij nomine eum esse testatum. quid nos, cùm Deum contemni videmus? quàm inconsolabiliter ingemiscere oportet?

Psal. 118.

Inconsolabilis dolor iusti de offensis Dei.

5 *Anticipauerunt vigilias inimici mei.)* sic legit, vbi in vulgata: *Oculi mei. Inimici sunt Principes, & Potestates tenebrarum harum, aduersus quos est perpetuum bellum. visibiles inimicos, vbi satisfactum est, conciliare potes. cum diabolo autem, & socijs eius nulla concordia est, mitescere omnino non possunt, plus illi vigilant ad decipiendum, quàm ego ad custodiendum. quando non anticipauerunt vigilias qui vbique muscipulam posuerunt?* huc refero illud Iob de Leuiathan: *Oculi eius vt palpebra diluculi,* vel vt est in Hebræo, *Auroræ,* quo satis hæc vigilantia ad no-

Oculi inimici nostri sunt acerrimi.

Diabolus hostis irreconciliabilis perpetuus est.

noscendum exprimitur. Vide igitur quantum sit hoc odium, cuius mitigandi nulla spes est. Sed illud maximè notes velim; pro *oculis*, legi, *inimicos*; ita ne oculi, quibus nihil charius, inimici nostri sunt? adeò inimici, vt cum Iob eos inexpugnabiles videret, constituerit, vt sit, fœdus inire, ne mouerent in se bellum: *Fœdus pepigi cum oculis meis.*

6 *Non sum locutus; cogitaui dies antiquos, & annos antiquos in mente habui.) Iste, qui vapulauerat foris, tulit se intrò, in secretiora mentis agit. annorum æternorum memor fui. magna cogitatio. quid sibi vult ista cogitatio? nisi magnum silentium ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum terrenarum tumultu.* præclarè ait, cogitationem de æternitate tanti momenti esse, vt collectum in se totum hominem requirat, & absorbeat quodammodo attonitum, & silentium indicat ab omni strepitu mundano remoto. tùm æternitatem temporis sic præfert: *Anni isti nostri mutabiles sunt. de hora quid tenes? momenta quædam iam transierunt. hoc momento dicis: quo momento? si duas syllabas dicam, alteram non tenes, nisi cùm illa transierit; immò si duas literas dicam, &c. hos igitur annos iste transiliens, non in garriendo forinsecus, sed intus cogitauit dies antiquos, & annos æternos.* Vide, vt ab omni corporali re abstrahendus sit animus, vt æternitati figatur. & cùm de oratione egerit, ostendit in quo maximè oratio versari debeat, vt scilicet exerceatur circa æternitatis contemplationem, ibi quærendo inueniet Deum, despiciendo temporalia. recte autem ait, non esse hoc garriendi tempus, & otiandi, cùm consecutura sit æternitas, cui seriò prouidendum: hinc subiungit: *Et exercebar, &c.* Vide quæ sequuntur.

Memoria æternitatis totum hominem attonitũ absorbet.

Æternitati malè cõsulitur garriẽdo, & otiãdo

7 *Et perscrutabar spiritum meum.) Si scrutaretur iste terram, vt venas auri inueniret, nemo eum desipere diceret, qui vellet ad aurum peruenire: quanta homo habet intus, & non fodit?* pulchrè ostendit, per examẽ quasi virtutes effodi; rememorando enim Dei dona, & gratiam nobis datam, videmus, quanta possemus bona opera exercere, quæ per desidiam negligimus: ita noxas agnoscentes, ijs cõtrarias virtutes opponemus. huc refero illud Pauli: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* & quod ænigmaticè habetur in Sapient. *Antequàm rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, siuè fons auri.* quod de vita hominis, & sanguine interpretantur: vt propterea rectè pretiosa mors Sanctorum dicatur, qui fontem hunc auro manantem profuderunt; adeò vt Cyprianus sibi mortem emerit dato pretio carnifici. nec mirum, quando sanguis apud Hebræos, pretium quoque, & æstimationem significat, vt alibi diximus.

Magna lucri materies apud nos ipsos est.

8 *Exercebar, & perscrutabar spiritum meum.) Se ipsum interrogabat, se ipsum examinabat, in se iudex erat.* Nota de examine sui tanquam apud mentis tribunal faciendo districtè: *Perscrutabor*, inquit. æternitatis autẽ, de qua loquitur, recordatio magnã habet vim, vt exactè fiat; agitur .n. de æterno, vel præmio, vel supplicio, hoc est, *Nunquid in æternum proijciet Deus?* hoc itẽ transferri potest ad exercitia à sancto Ignatio nostro instituta, inter quæ examẽ est, & de vitæ ratione ineunda consilium, quod vulgata indicat: *Scopebam spiritum meum*, hoc est ad scopum aliquem dirigebam, nempè ad maiorem Dei gloriam. huc facit quod addit circa titulum huius Psalmi, qui est: *In fine pro Idithum. finis legis est Christus; Idithum interpretatur, transiliens se ipsum, ideò ait: Dixi. nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Vides mirum fructum examinis, & exercitiorum spiritalium, quæ ita immutant hominem, vt cuncta terrena transiliat, ac temporalia, & solis æternis inhiet.

Examen conscientiæ ad æternitatis trutinam faciendũ.

9 *Turbatus sum, & non sum locutus, & annos æternos in mente habui.) Tacere illi malum erat, ne sileret à bonis; loqui molestum erat, ne inimici calumnias inquirerent in verbis eius.. angustiatus in hac vita vehementer multa de alia vita cogitabat, vbi nulla est tentatio.* Vide inter aduersa quod consilium ad solatium inierit, æterna cogitare. præclarè, ac sapienter. periculum in lingua, si taceas; periculum, si loquaris. quid igitur agendum? à temporalibus hisce ad æternitatem animum transfer.

Aeternitas sola molestijs vacat ad quam suspirandum.

20 *Meditabar in omnibus operibus tuis, & in affectionibus tuis garriam.*) sic legit, vbi vulgata habet: *Adinuẽtionibus tuis exercebar. Non ait, in affectionibus meis: quis viuit sine affectionibus? putatis quia qui Deum diligunt, nullas habent affectiones? an affectiones habet tabula, theatrum, venatio, &c. & non habeant opera Dei, & meditantes Dominum interiores affectiones suas? cùm inspicitur Mundus, & ponitur ante oculos spectaculum naturæ rerum, & in his quæritur artifex, & inuenitur super omnia placens.* rectè ait, iusto non deesse sua oblectamenta, eaq; longè maiora, quàm quæ iactant mundani. hinc noster Ignatius totus colliquescebat ex aspectu cœli stellantis. porrò garrire interpretatur, cùm aliquis lætitiam nequit continere silentio, vel vultu. vides igitur quæ sint nostra spectacula, qui ludi, quæ venatio, quæ picturæ voluptas: ipsa Mundi pulcherrima species ad opificem Deum relata.

Nullum spectaculum iucũdius, quã Mundus ad Deum opificem relatus.

11 *Qui facit mirabilia solus.) In corpore, vt audirent surdi, viderent cæci, &c. in anima, res suas donant pauperibus, antea rapiebant, &c. fecit & Moses miracula, & Helias, & alij, sed nemo eorum erat solus; illi cùm facerent,*

Conuersio peccatoris inter miracula reponenda.

Intellectum subijcere fidei miraculi loco est.

rent, tu cum eis. tu quando fecisti, illi non erāt, quando & ipsos tu fecisti solus; non enim tres dij. nam vt etiam transiliret, & ad ista perueniret, miraculum Dei fuit. Nota: inter miracula ponit ex scelesto fieri probatum, item intellectum subijcere in rebus difficilibus fidei.

Apostolici viri tonant prædicatione coruscant miraculis.

11 *Vocem dederunt nubes.) Idest Prædicatores veritatis.* sequitur: *Etenim sagittæ tuæ pertranseunt, vox tonitrui tui in rota. Sagittæ pertransierunt, idest non in auribus remanserunt, sed corda transfixerunt. Orbis terrarum est rota, ideò & Orbis dicitur. hunc nubes illæ conuerterunt, tonando præceptis, miraculis coruscando.* acutè adnotat illud, *Pertranseunt.* Agnosce ambo hæc in Xauerio; & vim prædicationis atterendo idola fulminis more, & miraculorum coruscationem præclaram. subiungit: pueri putant, tonitrua fieri quasi vehiculo. addo, à Poetis dictum, Iouem curru, & & rotis agi tonando per aerem. Quod autem ait, Prædicatores esse nubes, quæ tanquam fulmen verbi iaciant in peccatores: id adeò à sancto Vincentio est mirè factū, vt quendam doloris æstu in cinerē ex auditoribus vertisse dicatur. ac mihi quidem de vltima illa horribili sententia in damnatos ignis æterni rectè dici posse videtur: *Vox tonitrui tui in rota*: circulus enim æternitatis est typus. similiter dicitur eleganter de impijs: *Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.* & alibi item eleganter de impijs: *Ventilator impiorum est Rex sapiens, & immittet illis rotam malorum,* idest conglobatum in tota æternitate supplicium. Denique Orbis terræ rotam refert etiam ob res humanas, quæ attolluntur, & deprimuntur: quamobrē Aegyptijs in more positum diximus, dum sacra fierent, vt in tēplo rotam circumuoluerent, atq; iactarēt.

1. Reg. 25 Prou. 20.

Ex psalmo LXXVII.

1 *INtentos facit ipse titulus, qui est: Intellectus Asaph. Attendite populi, inquit, &c. & mox: Tendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.)* hoc idem est, ac promittere, sed deserere in tentatione: *Armis proludere, & in hora certaminis nolle pugnare.* Vide quàm detestabile sit Deo vouere, ac promittere; & promissa fallere. quod perinde est, ac transfugam esse, & ab Imperatore Deo desciscere: vt propterea quadam quasi tuba conuocet populos, & Orbem terræ, periurij, & militaris sacramenti violati testes. arcum autem mittere, pro sagittis intelligi ait. Tùm quærit, cur sigillatim Ephraim nominat? *Filij Ephraim tendentes, &c. Quia de his potissimùm boni aliquid expectandum fuit, quippe ex illo nati, quem Iacob manu dextera benedixit, quamuis à patre ad sinistrum constitutum.* Notabilis locus contra ingratitudinem erga Deum, præsertim in Religiosis, qui ad seculum remeant post tot beneficia Dei. hinc illa exclamatio in re tam indigna: *Attendite populi, &c.* item contra eos Religiosos hoc est, qui rectam intentionē non habent; per arcum enim prauū intelligi vult, cùm non dirigitur ad gloriæ Dei scopum: *Arcus ergo prauus, siuè peruersus est, cùm non pro nomine Domini.* pulchrè igitur bonus arcus dicetur, & sagitta collimans ad scopum recta intentio.

Vouere, & non reddere tanquam è prælio fuga est.

Ingratitudo in Deum taxatur.

Recta intentio sagitta ad scopum collimās.

2 *Generatio, quæ non direxit cor suum.) Vt cor cum illo sit rectum, acceditur ad eum non pede, sed fide. voluntas, quæ in corde recto est, paratur à Deo, fide præcedente, qua acceditur ad Deum, vt cor fiat rectum; quæ fides præueniente, & vocante misericordia Dei, per obedientiam suscitatur, & applicare incipit cor ad Deum, vt dirigatur.* pulchrè ait, vt corpus incedit pedibus, ita animum fide; nec tamen incederet, ac progrederetur, nisi Deo misericorditer vocante; hac voce quasi experrectus animus, dum obediēdo currit ad Deum, cor, quod per obliquas vias errando distortum erat, rectā ad eum tendendo fit rectum. sic solui fortasse potest quod vnus Euangelista Centurionem ad Christum accessisse dicit, alter misisse nuncios: *Accessit ad eum non pede, sed fide.*

Ad Deū acceditur non pede, sed fide.

Cor quādo fiat rectum?

3 *Exacerbauerunt Altissimum in siccitate.) Vtrùm in eremi siccitate, an potiùs in sua? quia licèt bibissent de petra, non ventres, sed mentes aridas habebant, nulla virentes fœcunditate iustitiæ.* acutè Hebræos carpit: in deserto biberunt de aqua: ventre maduerunt, sed mente aridi remanserunt, ingrati beneficio. ac vide quàm displiceat Deo ingratitudo. exacerbat eum, de quo dicit: *Spiritus meus super mel dulcis.*

Ingratitudo in Deū siccitas, & sterilitas est mētis.

4 *Ianuas cœli aperuit, &c.) Ipse panis per nubes euangelicas vniuerso Orbi pluitur, & apertis Prædicatorum cordibus tanquam cœlestibus ianuis, non murmuranti Synagogæ, sed credenti Ecclesiæ prædicatur.* Vides Prædicatorem debere loqui ex corde; ac pulchrè ait, cor esse tanquam cœlestem ianuam. atqui in Apocalypsi cœlestes portæ ex margaritis dicuntur: an fortè quia lacrymarum symbolum sunt margaritæ, vt ait Chrysostomus? eas autem excitare debent Prædicatores, non plausus. an pretium verbi Dei indicatur? iuxta illud: *Nolite proijcere margaritas ante porcos.* Ad eosdem refert quod sequitur: *Induxit in virtute sua Africum. Hoc est per ventos meridionales, & lucentes prædicantium spiritus; & hoc in virtute sua, ne sibi tribuat Africus, quod habet ex Deo. veniunt autem vltrò isti venti ad homines, & apportant eis verba diui-*

Corda Prædicatorū cœlestes ianuæ sunt verbi Dei.

Prædicatores nubes roscidæ māna.

Prædicatoris dotes vt velox, humilis, feruēs sit.

ni-

uinitùs missa. Nota tres præcipuas Prædicatorum dotes. vide quàm veloces, quàm humiles, quàm feruentes spiritu esse debeant. quod autem ait de Dei verbo, quasi manna per Apostolicos viros vbiq; diffuso: *Panis hic per nubes euangelicas vniuerso Orbi pluetur.* nostra certè ætate id potissimũ cernimus fieri etiã in nouo Orbe terrarum, in primis per nostros. vide autem quantæ perfectionis hoc opus sit: *Apertis Prædicatorum cordibus tanquam cælestibus ianuis*. nempè manna illud verbi Dei typus, Angelorũ panis dicitur, ab ipsis procuratus, & efformatus.

Molestia bonorum ex consortio malorum.

5 *Et electos Israel impediuit.) Erant illic etiam electi, quos fortè simul cum malis compeditos intelligit; vt qui mente, & vita discernebantur, ad exemplum non iustitiæ tantùm, sed patientiæ, cum illis molestias sustinerent. nam græcè est, συνεπόδισεν, idest captiuos duxit.* Nota malorum societatem etiam bonis obesse. sed hoc Deus permittit, vt ex eorum tolerantia mali resipiscant.

Sanguis ex aqua ebulliens plaga Aegyptiorũ ob necatos infantes.

6 *Conuertit in sanguinem flumina eorum, &c.) Græcè χημανήματα, hoc est scaturigines, seù aquas ab imo ebullientes: foderunt eaim Aegyptij, & sanguinem pro aquis inuenerunt.* Nota, vt non modò sanguis fluxisse dicatur, sed ebullire cum æstu quodam veluti irati fluctus. quæ pœna fuit ob necatos ibi à Pharaone infantes. ex quo patet quanta fuerit Herodis quoq; impietas in cæde Innocentium.

Decem plagæ Aegypti ad totidem vitia præcipua pertinent.

Superbia rubigo, & ærugo virtutum est

Loquacitas ranarum coaxationi cõparata.

Detractio locustæ more germina depascẽs nascentia.

7 *Cynomyia, etc.) Cynomyia canini mores sunt, quia canes nec parentes quando nascuntur, vident. rana est loquacissima vanitas. rubigo, siuè ærugo aura est noxia, quę occultè nocet; sicut in moribus occulta superbia, cum se quis putat esse aliquid, cùm nihil sit. locusta est malitia ore lædens. grando est iniquitas res alienas auferens. pruina vitium, quo charitas proximi velut nocturno frigore congelauit. ignis immanitatem iracundiæ significat. morte pecorum figuratum est damnum pudicitiæ; concupiscentia enim commutat cum pecoribus. mors primorum est amissio iustitiæ.* deniq; ait, decem plagas respondere decẽ pręceptis spretis. vbi singula notãda sũt, in primis quod superbia ærugo virtutũ sit latenter nocens. & quia Aegyptij brutorum more in Venerem effusi, pecudum plaga puniti sunt. loquacitas item vide quàm fœda sit, quæ ranis palustribus coaxantibus comparatur. & detractio quàm noxia, quæ locustæ viridia germina ore arrodẽti.

Angeli boni non leguntur ad bonos puniẽdos adhibiti.

8 *Immissiones per Angelos malos.)* mali puniuntur per Angelos bonos, & malos: *Iustos pœnis corporalibus per bonos Angelos puniri, non mihi occurrit.* facit hoc ad clementiam bonorum Angelorum, qui quoniam ad custodiam deputati sunt, fortasse à Deo impetrarũt, ne in pœnis, saltẽ bonorũ ministri essent. Tũ vniuersè de Angelorũ potestate sic: *Innumera, quæ appellãtur ευβερήματα, in elementis arte tractatis modificantur; sed in hæc Angelis longè amplior est potestas & bonis, & malis; quamuis vtique maior bonis, sed quantum Dei nutu finitur.* Nota quanta sit in Angelis vis ingenij, quæ omnium Mathematicorum admirabiles machinas, & inuenta longè superet. vide hìc fusius. sed illud ad mores notabilius: *Diabolus in malis tãquam in suis mancipijs operatur, quemadmodum homines cum pecoribus suis, sed quantum Dei iudicio finitur.* Vide infelicem peccatorum statum; tanquam armentarius pecorum est ijs diabolus: ad quàm amara ducet pascua? ad quàm turbidos fontes? item cum cum ijs tanquam cum mancipijs agit, curis vexat, ac potius flagris verberat. Ad hæc ingens eius odiũ indicat; & potestatẽ, nonnisi à Deo dari docet: *In libro fidelissimo legimus, diabolum potuisse etiam de cælo ignem immittere ad sancti viri Iob tantum pecorum numerum mirabili, & horrendo impetu consumendũ; sed ille fortis, ac piè peritus, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit, sed Dñs abstulit:* sciẽs nonnisi à Deo permitti.

Vis ingenij, & potestas in Angelis miranda.

Diabolus cũ malis tanquam cum mãcipijs atrociter agit.

Diabolus malorum tanquam pecorum armentarius.

Robur, & decus imperij in religione positũ est.

9 *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.) Ipsam arcam virtutem eorum, & pulchritudinem dicit, vnde sibi videbantur inuicti, & sibi plaudebant.* Vide in quo consistat omne robur imperij, & omnis pulchritudo; non in turribus, & propugnaculis, non in ædificiorum venustate, & pompa aulica, sed in Ecclesiæ libertate, & religionis integritate.

Vnicornis iustus dicitur, cuius vni cum votũ Dei fruitio.

10 *Et ædificauit sicut vnicornium sanctificationem suam.) Vnicornij intelliguntur ij, quorum firma spes in vnum illud erigitur, de quo dicitur: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in in domo Domini, &c. & videam voluntatem Domini, &c.* psal. 26. Vide in quo posita sit fortitudo iusti; in firma spe, & desiderio æternorum sublimi. Vnicorni igitur rectè iustus comparatur, cuius hoc vnicum votum est, Dei fruitio.

Ex psalmo LXXVIII.

Martyres tanquam de horto dominico poma suauia.

1 *POsuerunt Hierusalem in pomorũ custodiã) Desertionẽ intelligit, quã fecit vastitas persecutionis, quia deseruntur pomorum custodia, cũ poma transierunt. certè quando gẽtilibus persequẽtibus Ecclesia deserta visa est, in cælestiã mensam spiritus Martyrum, tanquã de horto Dominico multa, & suauissima poma transierunt.* pulchrè, & eleganter dicuntur Martyres quasi de Ecclesiæ horto poma ferro decerpta suauissima, atq; eorum quidẽ multi de cruce tanquã de arbore pependerunt. huc spectant malogranata, quæ in Scripturis significant Martyres,

tum

tum ob coronam, quam præferunt, tum ob suauissimum succum sanguini concolorē; quomodo in fimbrijs summi sacerdotis, & in columnis ad templi porticū positis memorantur, vt Martyres, & Ecclesiæ ornamentum esse constaret, & eorum fortitudo denotaretur. hoc itē illud est vinū malorum granatorum in Cāticis, ipsorum scilicet sanguis. venustè igitur Ecclesiam hortum dicit pulcherrimis his pomis abundantem, in cœlestem mensam summi Regis transferendis. etiam nunc apud Indos, *Ex horto Dominico multa, & suauissima poma in cœlestem mensam transeunt*, quæ ipse persecutionis æstus matura fecit.

Sanguis Martyrū vt aqua effusus dicitur ob abundantiam.

2 *Effuderunt sanguinem tanquam aquam, in circuitu Hierusalem.*) *Tanquam aquam*, hoc est *abundanter, & vtiliter. in circuitu verò Hierusalem, quoniam in omni parte Ecclesiæ persecutio sæuiebat; & Martyrum stragem, quorum sanguis, vt aqua effundebatur, cum magnis lucris thesaurorum cœlestium faciebat*. pulcher locus de Martyribus, quorum fortitudo vbiq; gentium spectaculo fuit. quibus illud Lyrici Poetæ accommodes licet: Quod mare Dauniæ nō decolorauere cędes? quæ caret ora cruore nostro? neque enim in terra solùm, sed in mari sæuitum. præclarè autem dicit, sanguinem illum è venis tanquam thesaurum cœlestem foras eductum. hinc dicitur: *Pretiosa mors Sanctorum eius*: certè in hebræo sanguis ab honore, ac pretio nomen habet, vt alibi diximus. porrò ad Ianuarium viuidi sanguinis prodigio nobilissimum egregiè locus hic facit, cuius olim sanguis effusus est *Cum magno lucro thesaurorum cœlestium*: ob ingens scilicet lucrum animarum, quod factum est visa eius mira constantia; nam quinque millia ad fidem conuersæ dicuntur. & rectè tanquam aqua effusus dicitur, vel quia aquæ more liquidus fit, vel quia Vesuuij montis incendium non semel extinxit. acutè Augustinus tanquam aquam dicit, quia sanguis abundanter effusus, sicut cum è vase aqua effunditur, nihil prorsus remanet; neque enim tenax est, vt oleū, & alij liquores.

Sanguis Martyrū effusus est cum magno lucro cœlestiū thesaurorum.

Ianuarij sanguis lucratus est quinque millia gentiliū.

3 *Vsquequo irasceris?*) *Satis indicat tribulationem fieri ob peccata, quamuis hinc florescat Martyrum gloria merito patientiæ, & piè sustentato in flagello Domini moderamine disciplinæ.* Vides persecutionē primò mitti ob peccata, & tamen inde Deum elicere tantum bonum, quantum est martyrium. rursum cum persecutores effuderunt Martyrum sanguinem tanquam aquam, fecerunt, licet ignari, vt hoc humore irrigata terra *Efflorescerct Martyrum gloria*, quam infringere frustra conabantur. dicas verius de Martyribus, quàm quod ille de Romanis militibus, de quorum vulneribus plus manarit gloriæ, quàm sanguinis.

Ex persecutione effloruit Martyrū gloria.

4 *Comederunt Iacob.*) *Quia multi in suum malignum corpus, hoc est in suam societatem terrendo transire coegerunt.* huc refero vaccas illas fœdas, atq; aridas; itēq; spicas totidē alias comedētes, & in suam maciē traducētes in Pharaonis somnio. vbi vides quā perniciosum sit improbis adhærere.

Malorum societas quantum nocea[t].

5 *Citò anticipent nos misericordię tuę.*) *Anticipet vtiq; misericordia iudicium tuum, ne ad illud damnandi veniamus; superexaltat enim misericordia in iudicio.* Vides quàm velox sit Dei misericordia, præcurrens vt præoccupet locum, antequā iustitia tribunal constituat, apud quod reus peccator sententiam damnationis accipiat.

Misericordia Dei anticipat iudicium velocior.

6 *Secundùm magnitudinem brachij tui, posside filios morte punitorum.*) *Eos dicit, qui non solùm non sunt territi præcedentium passionibus, sed in eum, pro cuius nomine passos eos nouerant, exhortante illorum gloria, copiosissimis agminibus crediderunt; ideò dicit: Secundùm magnitudinem brachij tui posside eos; res enim tam magna secuta est in populis Christianis, vt eam persecutores nullo modo crederent secuturam.* Vide inopinatum persecutionum finem. putabant ita extinctum iri Christianorum genus. ignorabant magnitudinē brachij Dei; suum tyranni brachiū ponderabant, & lictorum; at non solùm Christiani non sunt territi cæde Martyrū, sed visa eorum gloria, & virtute, quæ fuit quasi hortatoria tuba, *Copiosissimis agminibus crediderunt*. magnum certè veritatis argumentum, tam ingens innumerabilium Martyrum multitudo spontè deuota neci. quod nostra etiā ætate in Iaponia, & alijs Indiæ populis factum est. deindè pulchrè locum interpretatur: *Posside filios morte punitorum. vox hæc Martyrum est: orabant illi pro Ecclesia, ne infructuosus esset posteris sanguis ipsorum, vt dominica seges, vnde inimici putabant eam perituram, inde veracius pullularet.* sanè notabilis locus. quæq; ferè Religio habet Martyres suos; nos posteri quasi eorum filij sumus. cauendū, ne simus degeneres. illi pro nobis orant, *Ne infructuosus sit posteris sanguis ipsorum*. hinc ille ardor in posteris etiam moriendi pro Christo, qui nunc vt cum maximè viget in multis, transmarinas quoq; regiones, & vltimas barbarorum oras alacriter peruadentibus. hoc & Ianuarium impensè, & ardēter orare dixerim, dū charitatis æstu liquescit, vt nobis fructuosus ille sit sanguis.

Nos filij Martyrū sumus.

Martyres orant, vt ipsorum sanguis nobis fructuosus sit.

Ex Psalmo LXXIX.

1 Q*Vi sedes super Cherubim.*) *Cherubim sedes est glorię Dei; interpretatur, plenitudo scientiæ Dei. tamen, si vis, eris Cherubim; nam & anima iusti sedes est sapientiæ. quomodo, inquis, ero plenitudo scientiæ? habes vnde impleas; plenitudo legis cha-*

Possumus aspirare ad gradum etiam Cherubi. cum per charitatē

ri-

ritas. terret te ramorum diffusio? radicem tene, & de magnitudine arboris noli cogitare. Vide quàm altè ad perfectionem tendere debeamus: possumus aspirare ad statum etiam hierarchiæ superioris Angelicæ: *Si vis, eris Cherubim.* quantæ hoc excellentiæ? sed quænam vera scientia? charitas. certè duo illi Cherubim arcæ se inuicem intuebantur in sanctuario apud arcam; & alis se se tangebant mutuò, respicientes tamen in arcam: recta scilicet intentione ad Dei gloriam omnia referendo.

2 *Appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.) Hoc est coram fructificatione, coram filio dexteræ, coram oblito.* referri hæc ad tria Religionis vota posse puto: vt per Ephraim, hoc est frugiferum obedientia indicetur, quæ principalis est virtus. per Beniamin adolescentulum, & amantissimum Domini, & filium dexteræ castitas. per Manassen, idest oblitum, paupertas, quæ mundanarum opum obliuiscitur. in his Deus apparet, peculiari protectione sibi addictos prosequens; & faciei suæ lumen ostendens per inspirationes internas.

Tria vota per Ephraim, Beniamin, & Manasse significata.

3 *Excita potentiam tuam.) Nam infirmus eras in passione, nihil valere videbaris; præualuit super te persecutor. demonstrasti hoc antea, quia & Iacob præualuit Angelo in luctando: quando, nisi vellet Angelus? & præualuit homo, & victus est Angelus, & victor homo tenet Angelum, & dicit: non dimittam te, donec benedixeris mihi. magnum sacramentum, & stat victus, & benedicit victorem; victus, quia voluit; carne infirmus, maiestate fortis: eundem facit & benedictum, & claudum.* & pauló post: *Claudicauit populus Iudæorum, benedictum genus Apostolorum.* Eleganter mysterium infirmitatis, & simul potentiæ Christi describit: *Stat victus, & benedicit victorem.* agnoscis eundem & hominem, & Deum.

Christi humanitas, & diuinitas in lucta Iacob expressa.

4 *Illumina faciem tuam super seruum tuum.) Non habet obscuram faciem, sed opposuit ei nubem carnis, & tanquam velum infirmitatis; & non est agnitus cùm penderet in ligno, agnoscendus cùm sederet in cælo.* Vide quid fuerit humanitas Christi, velũ oppassum diuinitati, cùm nostra acies esset hebetior, quàm vt tantum lumen intueri posset. & caro Christi quasi nubes fudit sanguinem pro imbri, sed eadē nubes in iudicio mittet fulmina.

Christi caro nubes, ac uelum diuinitatis.

5 *Incensa igni, & effossa: ab increpatione vultus tui peribunt.) Quid increpat Christus? peccata: omnia peccata duæ res faciunt, cupiditas, & timor. quid facit amor malus? tanquam ignem succendit. quid timor malus? tanquam effodit: amor quippè inflammat, timor humiliat; humiliat & bonus timor; accendit & bonus amor, de quo ait Dominus: Ignem veni mittere in terram, quo igne inardescant spiritu feruentes, Dei, ac proximi charitate flagrantes.* rectè ostendit, omnia vitia, vel virtutes ex duplici capite fluere. facem fert amor, etiam bonus, vt inardescat anima de Deo. ligonem fert timor, effodiens humiliter terram. sed vel vt excolatur ager ad fructum, vel vt thesaurus eruatur ad lucrum.

Amor accendit, timor humiliat; ille exurit, hic effodit.

Ex Psalmo LXXX.

1 *Titulus est: In finem pro torcularibus, quinta sabbati, Psalmus ipsi Asaph.) In vnum titulum multa sunt congesta mysteria. In olei torculari optimum reseruatur, amurca proijcitur. vultis nosse vim torcularium istorum? improbi insultant dicentes, quantæ nunc rapinæ temporibus nostris, quæ non olim! nempè in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ; in oleum non attenditis, quia pauperibus donantur & propria. quàm multi hodie faciunt, quod ex ore Domini cùm audisset vnus diues, tristis abscessit! Vende omnia, quæ habes, &c.* Est hoc in eos, qui semper præterita tempora laudant, præsentia reprehendunt. solùm improbos attendunt, oculos à probis auertunt. quanta nunc sanctimonialium, & Religiosorum multitudo? qui rectè oleo comparantur ob lumen, & feruorem spiritus, & lenitatem, sub torculari mortificationis. quanquam amurcæ, quæ proijcitur, comparauerim eos, quos quasi fecem è nostra Societate dimittimus.

2 *Sumite Psalmum, & date tympanum.) Tympanum, quod de corio fit, ad carnem pertinet. Psalmus ergo spiritalis est, tympanum carnale. hoc est accipite spiritalia, & date carnalia. accipite vocem nostram, reddite manus vestras.* pulchrè ad eleemosinam hortatur. sed quantò nobilius est quod accipitur, quàm quod datur?

Dans eleemosinā plus lucratur, q̃ quod dat.

3 *Psalterium iucundum cum cithara.) Psalterium lignum illud concauum, vnde canoræ chordæ redduntur, in superiore parte habet. deorsum feriuntur chordæ, vt desuper sonent. in cythara verò ligni concauitas partem inferiorem tenet, tanquam illud sit de cælo, hoc de terra. si ergo expectamus cælestia, non simus pigri ad operanda terrena, quia psalmus iucundus, sed cum cithara.* acute, ac pulchrè ostendit, vt perfecta sit, & iucunda harmonia vitæ nostræ, hæc quasi instrumenta ambo resonare debere. hic in terra benè operãdum, vt in cœlo beatè viuamus. spes æternorum tunc habet voluptatem, quando cum virtute coniungitur hic in tempore exercenda. porrò in alio quoque psalmo egit de hac psalterij, ac citharæ cognatione. & psalterium quidem decem chordarum supernè resonans interpretatus est cœlestem doctrinã in decalogo contentã:

Psalteriũ iucundũ cum cithara est spes æternorũ cũ bona operatione.

 Tan-

Tange psalterium, imple legem. citharam verò infernè resonantem interpretatus est Dei laudem, siuè in prosperis, siuè in aduersis: *Confitere Domino in cithara, siuè tibi abundet terrenum aliquod, gratias age illi, qui dedit. siuè tibi desit, aut auferatur, cithariza securus. tange chordas in corde tuo, et dic tanquam in cithara in inferiore parte benè sonante: Dominus dedit, Dominus abstulit: Sit nomen Domini benedictum.* pulchrè in corde tāquam in odēo suauissimam quādam animæ harmoniam constituit. quid iucundius? *Tange chordas in corde tuo.* immò ipsum cor in instrumentum musicum vertitur. hinc Esaias ait: *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea, &c.* & Hieremias clarius: *Cor meum ad Moab quasi tibia resonabit.*

4 *Buccinate in Neomenia tuba.) Initio mensis vsque nunc Iudæi tuba canunt, sed spiritualiter non intelligunt. noua Luna noua vita est: In Christo noua creatura, ait Apostolus.* Nota, nam videtur huc spectare titulus: *Pro ijs, qui immutabuntur.* hoc est renouabuntur. Asaph autem interpretatur, cōgregatio, vt videatur ad Religiosos hoc maximè pertinere. noua Luna crescit à Sole in maius lumen, fitq; mysticè *Noua Luna perfecta in æternum,* vt ait Dauid; est autem perfectio propria Religiosorum. *Buccinate igitur in Neomenia tuba, in insigni die sollemnitatis vestræ.* Elegans thema pro renouatione votorum. Item ad Religiosos pertinent quæ sequuntur: *Dum exirent de terra Aegypti, &c.* idest de seculo: vndè sequitur: *Manus eius in cophino seruierunt. per cophinum significantur opera seruilia. omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati.* Vide quàm vili opere Mundus exerceat eos, quos apud se habet.

Renouatio spiritus Neomeniæ insignis festiuitas est,

Mundanorum seruilia opera.

5 *Probaui te in aqua contradictionis.) Re vera, cum quis vias Dei carpere cœperit, habebit multos dehortatores. volebant amici nonnullos rapere ad Circum, fortè ipsi illos adduxerunt ad Ecclesiam.* nempè non modò debemus non acquiescere ijs, qui nos auertunt à bono, sed illos ad bonum inducere: ita sanctus Bernardus fratres dissuasores ad Religionem induxit, & Thomas Aquinas sorores. Tùm transit ad persecutiones antiquas Ecclesiæ: *Quanta est ipsa aqua contradictionis? non penè siccata est; senserunt illam maiores nostri, quando fremuerunt gentes, &c. tunc leo ille Samsoni venienti ad ducendam de alienigenis vxorem, Christo scilicet descendenti ad habendam Ecclesiam de gentibus, fremens ibat obuiam; sed quid egit? necauit, fregit leonem, factus est in manibus eius velut hœdus caprarum: domita illa feritate iam non fremit populus gentium; non & contra Christum, immò verò in ipso regno gentium inuenimus leges pro Ecclesia, tanquam fauum in ore leonis.* præclarè ait, non solùm Christus Imperatores Ecclesiam persequentes edomuit, sed etiā efficit dulces, & amicos. leges pro Ecclesia latas ab Imperatoribus pulchrè fauum mellis dicit in ore leonis. multò magis nunc sub tam pio Imperatore Ferdinando, & alijs Regibus, ac Dynastis catholicis id dicendum. in quibus tanta pietatis dulcedo quasi mellis existit.

Impediētes bonū, non solū non audiēdi, sed ad bonū adducēdi

Imperatores ante Ecclesiæ sæui, nunc dulces leoni à Sansone domito comparati.

6 *Non erit in te Deus recens.) Deus recens est ad tempus factus; Deus autem noster ab æternitate ad æternitatem. & Christus recens fortè homo, sed sempiternus Deus. quid recentius Deo ex officina? licet illos iam vetustos aranearum casses contexerint.* acutè ait, homines fecisse sibi Deos recentes, ac nouos, idest idola; licet nunc facti sint veteres, & derelicti. sicut araneæ parietes veteres, & derelictos inhabitant. idem de hæreticis intelligit: *Alius fecit Christum creaturam, alius Deum pugnantem contra gentem tenebrarum; timentem, ne inuadatur; satagentem, ne corrumpatur, ex parte tamen corruptum, vt posset esse totus saluus. Manichæi ista dicunt, & ponunt sibi in corde recentem Deum. alij hæretici alios sibi Deos fecerunt, & eos si non in templis, tamen quod peius est, in suo corde posuerunt, & falsorum simulacrorum ipsi facti sunt templa: magnum opus est intus hæc idola frangere.* Vide quàm difficilis sit hæreticorum conuersio, ac proindè quanta sit gloria hos verè doctrinæ claua quasi monstra conterere. Aegyptiorum templa intus fœda monstra cōtinebant, sed horum corda multò magis monstrosa figmenta. Ipsorum quoq; dissidia in sectarum varietate exagitat: *Hæretici in peius consentiunt, quamuis dissentire à se inuicem videantur, ideò Samson caudas vulpium colligauit. vulpes autem hæreticos maximè significat, dolosos, cauernosis anfractibus latentes, odore etiam tetro putentes; contra quem odorem dicit Apostolus: Christi bonus odor sumus. istæ vulpes significantur in Cant. Capite nobis vulpes paruulas, &c. capis enim quem de falsitate conuincis. vulpes præsetulerunt illi, qui dicebant Christo: In qua potestate hæc facis? quibus respondit: Baptismus Ioānis est è cœlo, an ex hominibus? vulpes enim solent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, ex alia exeant. ad vtrumq. foramen Dominus captor vulpium retia posuit. sentiunt hoc illi, & aiunt apud se: Si dixerimus de cœlo; dicturus est nobis, quare ergo non credis? si de terra, lapidabit nos populus, quia vt Prophetam Ioannem habebant.* sentientes igitur se vtrinq; capi, aiunt: Nescimus, in tenebris relicti: *Dicamus & nos Manichæis, videamus si possimus capere vulpes: Substantia Dei corrupta est,*

Deus recens est uel idolū vel figmētum hæreticorum.

Magnum opus est hæreticorum figmenta destruere.

Hæretici vt Samsonis vulpes inuicē colligati ad Ecclesiam vastandam

Hæretici per dilēma conuicti.

est, an incorrupta? exi quà vis, sed non effugies. si dixeris corrupta, non à populo, sed à te ipso lapidaberis. sin incorrupta, quomodo timuit gentem tenebrarum? quid factura erat incorruptibili gens corruptionis? acutè arguit per dilemma. vide quo maximè genere argumentationis conuincendi hæretici sint, & quo quasi venabulo configendæ huiusmodi vulpes. Tùm sic concludit eleganter: *Credant igitur Manichæi soli Deo, non recenti Soli, ab eo, quod est solus, non ab eo, quod est Sol. ne nos ipsi vulpi fugienti aliam cauernam aperuisse videamur; quanquam & ipse Sol iustitiæ est, qui solos illuminat bonos.* lepor est in verbis. mox addit: *Samson interpretatur, Sol eorum, scilicet quibus lucet, non omnium, sicut hic super bonos, & malos.* nempè Manichæi Solem hunc visibilem adorabant, qui omnibus patet. sed acutè adnotat, Samsonem typum iustitiæ Solis, idem esse hebraicè, ac *Sol eorum, iustorum scilicet, & rectè sentientium.* Addo, Samsonem quasi Solem per Dalidæ coniunctionem veluti Lunæ vim omnem amisisse, ac defecisse luce; & vt Sol in radijs vim habet, ita Samsonem in capillis habuisse. hinc enim & Poetæ benè comatum effingunt Phœbum.

Samson, idest Sol erat typus iustitiæ Solis, qui solũ illuminat iustos.

7 *Non erit in te Deus recens.*) pergit in hæreticorum figmentis. Faciunt & ipsi sibi Deos recentes, quos volunt. *Quid enim impedit officina decepti cordis fabricare phãtasma, quale voluerit?* pulchrè vocat cor impij officinam sculptoriam idolorum, atque monstrorum. quò refero illud Psalmi pertinens etiam ad mundanorum chimeras: *Transierunt in affectum cordis.* alij legunt, *In sculpturas cordis.* & quod ait, hæreticos *Decepti cordis fabricare phantasma.* sic item Sapiens vrget: *Cor tuum phantasias patitur: ne dederis illis cor tuum.* acutè autẽ pendit illud, *Non erit in te Deus recens. Monet me quod dixit: In te, non enim dixit, à te, quasi simulacrum forinsecus exhibitum, sed in te, & in corde tuo: in imagine phantasmatis tui portas Deum tuum recentem, sed remanes vetustus.* acutè ait, dum noua hæresum monstra confingunt, vetustatem ostẽdunt, hoc est debilitatem animi. porrò huc pertinent in primis Valentiniani, commentitij illi Dij, siuè Aeones apud Irenæum. de hoc etiam intelligit ipse Augustinus quod sequitur: *Ibunt in affectionibus suis.* vbi nos legimus, *in adinuentionibus.* dum alij defendunt Cainum, alij Platonis ideas, &c. huc refert quod sequitur.

Hæretici in officina cordis phantasmata fabricant.

8 *Dilata os tuum, & implebo illud.*) *Angustias pateris propter Deum recentem constitutum in corde? frange vanum simulacrum, deijce de conscientia tua fictum idolum; dilata os tuum confitendo, amando, & adimplebo illud: Quia apud me est fons vitæ.* Nota actum detestationis in confitendo, & actum charitatis oppositum peccato: *Dilata os tuum confitendo, amando,* quo etiam indicat, apertè, & sincerè omnia confitenda, ore non angusto, pressoq; & cordis etiam sinum ex magno æstu amoris laxandum.

Confessio aperta esse debet, & cũ charitate coniuncta.

9 *Inimici Domini mentiti sunt ei.*) *Dixerunt: Renuncio in baptismo, & facti sunt vt sus in volutabro cœni; en quanta patientia Domini. quare non terra dehiscente sorbentur? quare non cœlo flagrante intendun tur? dicit Apostolus: Ignoras quod Dei patientia ad pœnitentiam te adducit? tu autem thesaurizas tibi iram, &c.* rectè rẽ exaggerat. vide quid peccator mercatur ob offensam Creatoris; vt scilicet coniuratæ creaturæ eum opprimerent, terra dehisceret, cœlum fulminaret, &c. & tamen mira Dei clementia peccatorem sustinet.

Peccatori tellus dehiscere, & cœlum fulmen intendere deberet.

10 *Et erit tempus eorum in secula.*) *Fratres, nimis timidus esse volo; melius est enim non dare securitatem vobis malam: non dabo quod non accipio, timens terreo, securos vos facerem, si fierem securus in secula.* nota timorem tanti viri de damnatione æterna. rectè monet: quisquis in concione terret alios de iudicio, ac de inferis: *Timens terreat.* Tùm subiungit: *Sed de impijs dictum, dicet aliquis: Ego Christianus sum, per ignem purgor, & propter fundamentum non pereo. dic mihi iterum, quis es? Christianus sum, inquies; quid aliud? raptor, adulter, &c. at de his dicit Apostolus: Quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. & Dominus dicet impijs: Ite in ignem æternum. non tacuit sententiam definitiuam; non misit foras reos, & duxit velum, ante voluit pronunciare quod disposuit facere: Separabit, inquit, oues à dextris, & hædos à sinistris. nunquid medius locus seruatus est? quid à dextris dicturus? Venite benedicti, &c. quid à sinistris? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. si non times mitti quò, vide cum quo.* Egregiè dictum, & acutè, infernum timendum, etiam si cætera supplicia deessent, ex societate diaboli. Nota item morem in iudicijs velum ducendi, ne quo affectu moueretur Iudex. & illud seriò attende, nihil medium fore inter ignem æternum, & præmium æternum; inter perpetuò damnatos, & perpetuò beatos. Tum soluit obiectum malè interpretantium Apostoli locum: *Vnusquisq; super fundamentum videat quid superædificet; alius enim superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos; alius ligna, fœnum, stipulam, &c. si autem hæc, tamen propter fundamentum ipse saluabitur, sic tamen quasi per ignem.* peruersè scilicet intelligebant, sufficere, vt sit fundamentum fidei, vt Christianus esset, & tantum ignem purgatorium passuros Christianos malos. sed ipse sic interpretatur: *Qui ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos, sunt quidam contemptores huius seculi, sancti, casti, continentes fortasse, & omnia sua vendentes, &* pau-

Augustini timor de æterna damnatione.

Galat. 1.

Nihil intermediũ inter perpetuam saluationem, & damnationem.

Non sufficit fides sine operibus bonis.

Religiosi ædificant aurum, argentũ, & lapides pretiosos, mũdani stipulam.

pauperibus distribuentes; aut possident tanquam non possidentes. qui autem fænum, lignum, & stipulam super fundamentum ædificant, sunt qui rebus concessis inhærent aliquantulum dilectione. non rapit hic vllam rem alienam, sed sic amat suam, vt si perdiderit, conturbetur, &c. possides fundamentum, hære cœlo, calca terram. si talis es, non ædificas nisi aurum, argentum, & lapides pretiosos. cum autem dicis: amo possessionem, imminet damnum, contristaris, licet non præponas eam Christo, quem posuisti in fundamentum: saluus eris tanquam per ignem. nemo autem super fundamentum hoc ædificans adulteria, &c. putet se saluum futurum per ignem, quasi ista sint lignum, fænum, stipula; sed qui ædificat amorem terrenorum super fundamentū regni cœlestis, idest Christum, ardebit amor terrenorum, & ipse saluus erit per fundamentum. pulcherrimus sanè locus pro Religiosis, qui dum pauperes fiunt bonis relictis, tunc potiùs quasi diuites superædificant aurum, &c. item nota, Religiosos in primis, qui hæc agunt, si terrenis non inhæreant, nec igni purgatorio egere. addo: possunt per aurum, argentum, & lapides pretiosos, tria vota intelligi; per aurum ex metallis primum, paupertatem, cui primum in Euangelio regnum cœlorum promittitur; per argenti candorem, castitatē; per lapides pretiosos, actus obedientiæ, quibus quasi gemmæ sculpimur. lignum, stipula, terrena sunt, & caro ipsa fœnum, quarum rerum cura, & studio vacant Religiosi. præclarè igitur monet: *Calca terrā, inhære cœlo.* Nota & hoc, quod præclarè subiungit: *Denique si veniat tentatio vincendi martyrij, ij, qui habent in fundamento Christum, & ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos, alacres currunt.* Vide quanta perfectio requiratur in Martyre, & quanta virtutis nobilitas, quippè in primis Martyres ait, hoc pulchrum ædificium cōstruere, & non egere igne purgatorij. quāquam & religiosus status martyriū quoddam est. ac vide quantum discrimen inter Religiosos, & seculares etiam non malos sit; quantùm inter aurum, & lignum, &c.

Martyres ædificant aurū, &c.

11 *Cibauit eos ex adipe frumenti.)* Intelligit de Eucharistia. vbi nota, titulum huius Psalmi esse: *Pro torcularibus.* hic, n. sanguis in passione profusus prælo crucis ebibitur. item Psalmus est ipsi Asaph, qui interpretatur, congregatio. ita vulgò appellamus conuentus primò institutos ad hunc finem, hoc est ad frequentationem huius Sacramenti.

Eucharistiæ dulcedo.

12 *De petra melle saturauit eos.) In eremo de petra aquam produxit, non mel, sed mel sapientia est primatum dulcoris tenens in escis cordis.* Videtur alludere ad illa verba: *Breuis in volatilibus est apis, sed initium dulcoris habet fructus eius.* hoc est principatū inter suauia habet mel; sicut hoc Sacramentum, pulchrè autem vocat, *cordis escā,* sicut dicitur, *panis cor hominis confirmet.* nā quod ait, hanc cordis escam esse sapientiam, certè in Eucharistia est ipsa Patris sapientia. demùm inuitat Augustinus, vt postridie accedant audituri: *Cras, vt audio, habent illi mare in theatro, nos habemus portum in Christo.* alludit ad Naumachiæ ludos; ac pulchrè ait, ibi fore naufragij periculum, apud se autem in templo portum salutis. quid enim sunt mundana spectacula, nisi naufragia uirtutum?

Eucharistiæ mellea suauitas.

Templū portus salutis, theatra naufragium.

Ex Psalmo LXXXI.

1 *EGo dixi: Dij estis, &c. vos autem sicut vnus de principalibus cadetis.) Hoc est ego vobis promisi felicitatem cœlestem, vos nunc per infirmitatem carnis sicut homines moriemini, & per eleuationem animi sicut vnus ex principalibus, idest diabolus, cadetis. quasi diceret, cum tam pauci sint dies vitæ vestræ, vt citò sicut homines moriamini, non vobis prodest ad correctionem; sed tanquam diabolus, qui carne non moritur, extollimini, vt cadatis.* Nota, cur mortem peccatori indixerit Deus? ne scilicet diabolum per superbiam imitaretur; est enim aliquod incitamentum superbiæ immortalitas; sed quid superbis terra, & cinis? aliena res est ab homine mortali superbia. ideò vbi dicitur: *Ab alienis parce seruo tuo.* legunt alij: *A superbis.*

Mors data homini, ne cū diabolo immortaliter superbiret.

Ex Psalmo LXXXII.

1 *POne illos vt rotam.) Non sint stabiles in eo, quod cogitant. vel quia rota ex his, quæ retrò sunt, extollitur; ex ijs, quæ ante sunt, deijcitur: sic inimici populi Dei. & non hæc optatio, sed prophetatio est.* Nota iuxta primum sensum, vt non perseuerare in bono proposito, inter magna infortunia numeretur; iustus enim quadratus dicitur. quoad secundum verò, hanc ex prosperis ad aduersa reuolutionem indicabāt Aegyptij, cùm in templo rotam ritè versabant. simile autem est illud: *Anima impiorum rotabitur sicut in circulo fundæ.* quod etiam ad æternitatem supplicij referri pōt.

Instabilitatis damnum in bono proposito.

Mundani vt rota versantur ex prosperis in aduersa.

Ex psalmo LXXXIII.

1 *TItulus est: Pro torcularibus filijs Core.) Vua pendet in vitibus, & oliua in arboribus. & quandiù pendent in fructetis suis, tanquam libero aere perfruuntur; & nec oliua oleum est, nec vinum vua ante pressuram; sic ijs, quos prædestinauit Deus conformes.*

mes fieri imagini filij sui, qui præcipuè in passione magnus botrus expressus est, antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo tanquam deliciosa libertate; sed accedentes ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscunt. conterentur, cōprimentur, nō vt pereant, sed vt in apothecas Dei defluant. exuuntur carnalium desideriorū integumentis quasi vinaceis, propter quæ ait Apostolus: exuite veterem hominem: hoc totū nō fit nisi de pressura. Insignis locus de religiosis, vt intelligāt se ad mortificationis statū accessisse, quāquam ob magnā suauitatē refert religio torcularia, habet quidē pressurā, sed vt oleum, & vinum in apothecis cœlestibus reseruandū, carnalibus desiderijs depositis. & vt nihil ipsa vindemia lętius; ita mira quoq; suauitas in exercitijs religionis: ibi enim inebriatur anima quasi extra corpus posita. Pergit in eodem. *In pressuris autem constituti, ad hoc conterimur, vt amorem nostrum, quo ferebamur in ista mundana, passi in eis tormina, & abundantiam tentationum, retrahentes, incipiamus quærere illam quietem, quæ non est de hac vita. videmus ex diuitiis plus impleri timoribus quàm fructibus. quid tam incertum quàm res volubilis? nec immerito ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat.* acutè notat de figura nummorum rotunda, ac proinde versatili, instabili; certè diuitiæ, nunc ad istum, nunc ad illum hæredem transferuntur. Tum ita concludit: Veris pauperibus nihil habentibus in terra, quo delectentur, *restat desiderādus Deus; non amant terram; sed eum qui fecit cœlum, & terram: amant, & nondum cum eo sunt: desiderium eorum differtur, vt crescat: crescit vt capiat; non enim paruum aliquid daturus est Deus desideranti; nec parum exercendum est ad capacitatem tanti boni. non aliquid quod fecit, daturus est Deus, sed se ipsum qui fecit omnia: ad capiendum Deum exercere, & quod semper habiturus es, diù desidera.* præclarè monet, cum visionem Dei æternitas consecutura sit, non perfunctoriè Deum desiderandū, sed diù, & impensè. ita ad capiendum Deum exercebatur Xauerius, & cum capere non posset, laxabat pectus. rectè etiam ait, cum religiosus omnia iam pessum dederit, nihil aliud superesse quàm vt Deum amet. hoc vnum restat studium, & cura ipsum diligendi, eique seruiendi.

Religionem intrare est ad torcularia venire ad pressuras sed cum dulcedine

Pecūnia ideo rotūda quia non stabilis in vno

Religioso relictis omnibus nō nisi Deus restat.

2 *Filijs Core.) Core interpretatur Caluaria, vbi Christus est crucifixus, nos filij eius. nā ipse sponsum se vocat: Nunquid possunt, inquit, filij sponsi ieiunare, quandiù cum illis est sponsus?* puto religiosos qui aiunt, *Christo confixus sum cruci*, in primis esse filios Core meminerint quod ob filium circumcisum ait Sephora ad Mosen: *Sponsus sanguinum tu mihi es*. ideoque læti veniunt ad torcularia seu pressuras religionis, nam & hic sponsus, *botrus cypri* appellatur à sponsa in canticis, pressura crucis expressus; ideò statim, eo nato, vineæ Engaddi floruisse dicuntur. huc spectat quod sequitur.

Filij Core idest Caluariæ religiosi sunt.

3 *Deficit anima mea in atria tua.) Deficit vua pressa, sed quò deficit? in atria domini, in lacum, in apotheca requie seruanda. nemo hæc auersetur quasi dura: id metuendum est, ne vua, dum torcularia timet, ab auibus, vel à feris comedatur.* alludit ad titulum: *pro torcularibus*, & acutè notat, eum, qui torcularia idest pressuras fugit, fore diaboli prædam. habes igitur cum securitate dulcedinem, quod religiosi status est proprium.

In pressuris quasi torcularibus securitas est, & suauitas.

4 *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuū: etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum.) Quid est hoc? duo dixerat, & duo reddidit. in similitudinem auium dixerat exultasse cor suum, & carnem suam, & his duobus reddidit passerem, & turturem: cor tanquam passer, caro tanquam turtur. inuenit vterque sibi domum, caro, & cor meum: exercet pennas in virtutibus, in fide, spe, & charitate, quibus euolet in domum suam. qui hic querulus passer est singularis in tecto, volat ad domum; sic sit in tecto, vt calcet domum carnalem, habebit cœlestem locum: inuenit. inquit, turtur nidum suum, vbi ponat pullos suos: domus ad sempiternum eligitur, nidus ad tempus congeritur. videtis per carnem Sanctorum quanta bona fiant? per hanc operantur iusti suas operationes; sed non vbicumque turtur inuenit sibi nidum, nisi in fide vera, & societate vnitatis Ecclesiæ; ipsa fides nidus est pullorum suorum. propter infirmitatem pullorum turturis sua dignatus est dominus præbere tibi vnde nidum faceres; indutus est enim fœno carnis.* pulchrè ait Christum esse nidum operationum nostrarū, quas quasi pullos excludimus calore spiritus; & fœnū esse factū ad nidū per incarnationē, quia omnis caro fœnū; indē vero ipsā de hoc mysterio nidum esse. & illud venustè admodū dictū, cor nostrū passeri nunc solitario assimilari in tecto, postea pēnis virtutū altius euolaturo ad ęternā Dei domū; carnem autem per turturem intelligit, siuè quia est pudicitiæ symbolum, siuè ob fidem, quam præstat alteri turturi, cui coniungitur. Tum sic eleganter: *In fide pone pullos: in isto nido operare opera tua: qui enim sunt nidi? altaria tua, inquit*. opera vocat pullos, nidum fidem appellat, & ipsa altaria; & rectè quia in altari maximè exercetur fides nostra ob recondita mysteria, præsertim Eucharistiæ. huc spectat quod subiungit.

Cordis pennæ fides spes Charitas

Carnis quasi casti Turturis nidus fides.

5 *Altaria tua, domine rex meus, & Deus meus. Beati, qui habitant in domo tua.) hic nidus est, hic suspirium, hic pressura, & torcularia. positus in torcularibus suspirat in superna promissa. Beati, inquit, qui habi-*

Altare nidus est vbi plumescimus.

habitant in domo tua. Vide quid sit altare, nidus quidam, vbi plumescimus, & enatis alis in altū euehimur per contemplationē. hoc ad sacerdotes maximè spectat. hinc Aegyptij mystæ pennas in capite gestabāt.

6 *In sæcula sæculorum laudabunt te.) omnium humanarum actionum mater necessitas est.* nempe medicus est ob vulnera, eleemosina ob egestatem, &c. ideò nunc concordas litigiosos, sepelis mortuos, ob lites, & mortem, quæ hìc accidunt. sed illic *in sæcula sæculorum laudabunt te. hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu alleluia. quod si tanta alacritate hìc in ipsa pressura laudamus quod credimus, quomodo laudabimus quod videbimus? nemo dicet, diù ieiunaui, diù vigilaui: stabilitas magna ibi, & ipsa immortalitas iam corporis nostri suspenditur in contemplatione Dei. insatiabilis illa pulchritudo erit. noli timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare. huic vitæ suspiremus: beati qui habitant in domo tua, &c.* egregiè ait, nos in hac vita ob varias necessitates in multa esse distractos; sed in altera, *hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu alleluia*, hoc est laudare Deum: quid felicius? Tum notat quod in psalmo subiungitur: *sed addidit: Beatus vir, cuius est susceptio à te. intellexit vbi esset, quia per fragilitatem carnis ad illam beatitudinem euolare non posset, quia corpus aggrauat animam; inter duos conatus suspensionis, & ponderis colluctatio quædam est, & ipsa colluctatio ad pressurā pertinet torcularis. audi ipsam luctam de torculari expressam ab Apostolo: Condelector legi Dei secūdùm interiorem hominem. sentio autem aliam legem, &c. quomodo volabo? quomodo perueniam? gratia, inquit, Dei per Iesum Christum.* pulchrè ostendit, Gratiam alas quodammodo accommodare animæ, vt ad Deum euolet deposito pondere carnis. eleganter item deplorat *luctam illam quasi de torculari expressam suspensionis, & ponderis*, dum hinc anima se vult ad supera attollere, hinc carnis necessitas grauat.

In cœlo totum negotium nostrum Deum laudare.

Lucta animæ attollere se volentis cū carne.

7 *Ascensiones in corde suo disposuit in conualle lacrymarum.) Vbi illi gradus in corde? quantò ergo plus amaueris, tantò plus ascendes amando. ascende in conualle plorationis: ecce habes torcularia, ipsæ lacrymæ pia mustum sunt amantium.* pulchrè dictum de lacrymis. cor enim quasi botrus exprimitur prælo doloris, vt in lacrymas Deo suauissimas defluat. pulchrè item per actus amoris quasi per gradus ait ad Deū. ostēdi; quò referri potest ferculū Salomonis, de quo dicitur, *ascensus eius purpureus*, per feruorem scilicet dilectionis: vnde subiungit, *media charitate constrauit.* rectè igitur ait, *ascensiones in corde disposuit*, cor enim amoris est sedes.

Ascensus ad Deum in corde fit per actus charitatis

8 *In locum, quem disposuit.) dixit vbi dispositus, hoc est in valle plorationis. quid disposuit? ascensiones. vbi? intus in corde. quæris quò dicturus est? quod nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit. noli ergo quærere quò disposuit, locum ipse nouit, quò disposuit, amando ascende: inde cantatur canticum graduum.* Ostendit ineffabilem esse beatorum locum. non dicit quem, quia est collis, mons, pratum, & omnia per similitudinem. nihil est verè delectabile, quod ibi non sit, ideò non ponitur peculiare aliquid.

Felicitas beatorum verbis exprimi nō potest.

9 *Elegi abiectus esse in domo Dei mei.) Inuenit humilitatem, vnde ascendat.* Mirum est quod ait: ascenditur ad supera per humilitatem, quæ potius ad ima descendit: ad sublimissimum felicitatis montem perventurus, *ascensiones posuit in conualle.* vides humilitatem gradum esse ad gloriā; hinc dicitur de iusto: *ponet in puluere os suum, & leuabit se supra se.* quid tam oppositum prima specie?

Humilitas gradus ad gloriam.

10 *Non priuabit bonis ambulantes in innocentia.) Habes lucrum auri, sed passus es damnum innocentiæ. est nè aliquid pretiosius innocentia? sed si innocentiam, inquis, retinebo, pauper ero. parua nè diuitiæ sunt ipsa innocentia? si arcam plenam auri habueris, diues eris; si cor plenum innocentiæ, pauper?* Vide quàm errent qui à virtute deterrentur timore dispendij. iniuria fit virtuti tanquam egenæ, cum potius thesauraria cordis sit. huc spectat quod addit. *Bona, quæ nunc desideras pro magno, propter quæ vis esse nocens, vides & apud impios. tanta Deus dat & malis, & nihil tibi seruat? qui misertus est tui, cum esses impius, deseret te cum factus es pius? qui peccatori donauit mortem filij sui? tene ergo debitorē, quia credidisti in promissorem.* eleganter de fiducia in Deum, præsertim illud pro religiosis, qui sæculum reliquerunt. *Qui misertus est tui, cum esses impius, deseret te, cū factus es pius?* concludit. *ergo quid nobis restat vt illuc perueniamus? Domine Deus virtutum, beatus homo qui sperat in te.*

Cor plenum innocentiæ arca thesauri est.

Religiosi fiducia in Deū quāta sit.

Ex psalmo LXXXIV.

1 TItulus est: Filijs Core.) *scilicet calui* Christum intelligit in Caluaria crucifixum, cuius figura, vt alibi quoque dixit, Helisæus, qui vt caluus irrisus est; *Nobis cantatur psalmus iste filijs Core; sumus enim filij sponsi; ille quippe sponsus dans arrhas sponsæ suæ sanguinem suum, & spiritum suum; quo locupletauit eos in terra, adhuc autem seruat occultas diuitias suas.* Vide quàm pretiosum genus arrhæ, quo nos locupletauit. *sanguinem, & spiritum suum* dicit, quàm nobiles nuptiæ! nec mirum quod

Christus animæ sponsæ pro arrha dat sanguinem & spiritū

quod hæ cum passione cohæreant: nam & Sephora dixit Mosi: *sponsus sanguinum tu mihi es.* & veteri more cuspis cruenta, quæ in corpore aduersarij stetisset, sponsæ donabatur ad capillos concinnandos: vt & nos cogitationes nostras Christi sponsi sanguine imbuamus.

Captiuitas peccati originalis.

2 *Auertisti captiuitatem Iacob.) De hac loquitur Paulus: Sentio aliam legem in membris meis captiuantem me in lege peccati. exclamauit sub illa captiuitate: Quis me liberabit? &c. & statim illi occurrit: Gratia Dei per Iesum Christum.* pulchrè indicat, Gratiam statim occurrerem homini captiuo ob originale peccatum, quod est fons aliorum, p baptismum; ob actuale autem per pœnitentiam. At verò in Deipara non occurrit, sed præcurrit Gratia, antequam captiua duceretur in triumpho Diaboli. sequitur: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: hoc est auertisti captiuitatem nostram, non liberando à barbaris, sed à peccatis, per quæ nobis Satanas dominabatur.* vides nullam barbariem esse tam truculentā, quæ possit cum peccato conferri.

In Deo materia gaudij in nobis fletus,

3 *Plebs tua lætabitur in te.) Malo suo lætabitur in se; bono suo lætabitur in te. quando voluit habere gaudia de se, inuenit planctum in se: nunc verò quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securè gaudere, in illo gaudeat.* eleganter ostendit materiā lætitiæ non inueniri nisi in Deo, nā in nobis non nisi materia fletus est; præsertim cū illa lætitia ppetua sit, quia amitti nō potest: *ne timeas ne à te pereat, qui facit ne tu pereas.* Ostendit autem hāc materiā gaudij in Deo: *Quis non exultet, si subitò nescio cui peregrinanti, & ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem, & ærumnam, in labore instituto diceretur; filius senatoris es; pater tuus amplo patrimonio gaudet in re vestra; reuoco te ad patrem tuum. quali gaudio exultaret. si hoc non fallax promissor diceret? audi Ioannem: Dilectissimi, filij Deo sumus, &c. & psalmistam; ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* apta similitudine ostendit, quo gaudio excitari debeat animus ad spem hæreditatis æternæ promissæ, etiam inter medias afflictiones.

Interfeculi tumultus Dei vox audiri non potest.

4 *Audiam quid loquatur dominus.) Audiat eius vocem interius, quasi obturans aurem contra tumultuantem vitæ huius inquietudinem.* Nota, cur mundani Dei voces, hoc est inspirationes non audiant: inter medios seculi tumultus sunt, inter lites, & negotiosas curas. Sequitur. *Quoniam loquetur pacem: non dum pax, vbi pugna est. date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne sua, & possit mihi dicere, quia iam pax est. nihil quidem tentationis fortè patitur in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur.* Hoc igitur admirabilior noster Aloysius Gonsaga, quem legimus carnis titillationes haud sensisse, iuxta illud Iob: *Bestiæ pacificæ erunt tibi*: passiones videlicet, præsertim concupiscentiæ: ita prægustauit beatorum statum in terris: pergit deinde in eodem. perfecta, inquit, pax in eo non est, tunc erit, *Cum absorpta mors in victoria. quis non desideret illam pacem, vnde animus non exit, quò inimicus non intrat? erit purgata pax in filiis Dei, omnibus amantibus, & se videntibus plenos Deo: nam erit Deus omnia in omnibus. communem pacem, commune spectaculum habebimus Deum, communem possessionem Deum, cōmunē pacem Deū. quicquid enim est, quod modò nobis dat, ipse erit nobis pro omnibus quæ dat.* Graphicè beatorum statum ante oculos proponit. tota fœlicitas in Deo, Deus erit theatrale spectaculū, Deus ampla possessio, &c. & quanta illa sanitas, *videre se plenos Deo*! quod scilicet tantùm prægustans in hac vita Xauerius clamabat: sat est domine, sat est.

Aloysij Gonsagæ mira pax sine suggestione.

Ingens beatorum felicitas videre se plenos Deo

5 *Vt inhabitet gloria in terra nostra.) Quia inde cœpit prædicare Christus, inde Apostoli, inde prophetæ: ibi primum templū, inde Virgo Maria, quæ peperit Christum, ibi ambulauit pedibus suis, ibi mirabilia operatus est, ac postremò tantum honorem illi genti detulit, vt Chananeæ dixerit; non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel.* meritò ait, gloriam inhabitasse olim, & posuisse quasi regiam in terra Israel, ac solum ipsum, quia calcatum pedibus Christi, illi ad gloriam profecisse; item Mariæ ortum, & partum, & inhabitationē: hinc collige quanta sit gloria Italiæ, cum Deiparæ, & Christi domum ad nos Angeli transtulerint. dicerem id synagogæ accidisse, quod vxori Heli, quę translata arca obiit dicens: *translata est gloria domini*: domo scilicet Lauretana.

Gloria terræ Israel ex Christi & Deiparæ habitatione.

6 *Iustitia, & Pax osculatæ sunt.) Iustitia, & Pax amicæ sunt. tu fortè vnam vis, non alteram. nemo est qui nolit Pacem, sed non omnes volunt operari Iustitiam. dicit Pax, quid me quæris? si inimicus es amicæ meæ.* venustè ostendit, non nisi bene operādo animi requiem acquiri posse. arctissimo amicitiæ fœdere ambæ coniunctæ sunt. Pacem ad te introducere vis in domicilium cordis? Iustitiam hoc est virtutem item introducas necesse est.

Pax haberi non potest sine operatione virtutis.

7 *Veritas de terra orta est, & Iustitia de cælo prospexit.) Vt iustificarentur homines diuina gratia, Veritas nata est ex Maria Virgine, vt possit pro illis iustificandis offerri sacrificium passionis, & crucis.* præclarè indicat, Deiparam Virginem pariendo, immolandum Christum concessisse quodammodo ad nostram iustificationem & obtulisse passioni. Addit aliam interpretationem: *Oriatur de te, qui terra es, Veritas. confitere peccata tua, & Iustitiam de cælo*

Deipara filium obtulit passioni.

cœlo prospicies. ita publicanus descendit iustificatus.egregiè ostenditur,vt Iustitia statim adsit è cœli prospectu, grato spectaculo confitentis,tanquā in vitæ catastrophe;& sicut è machina Superi apparent, cum tragœdi magnum aliquid ad spectādum exhibent.

Confessio magnam post se suauitatē affert.

8 *Dominus dabit suauitatem.*) Suauitatem legit. vbi nos benignitatem. *Cum peccata confessus fueris, mereberis ab illo dilectionem, & suauitatem iustitiæ faciendæ,vt incipiat delectare iustitia,quem prius delectabat iniquitas, quem prius delectabat in theatro spectare,nunc delectat orare,&c. vndenam hæc suauitas? nisi quia dominus dabit suauitatem.* Vide quanta suauitas redundet post confessionem, quæ videbatur amara;& quanta felicitas deinceps ad bona opera contraria prioribus. tū nota quæ sit vera confessio,quam scilicet magna mutatio consequitur morum.

Concionator humani pectoris colonus est.

9 *Et terra nostra dabit fructū suū*) *Ecce Dei verbum sparsimus deuotis auribus;tanquam sulcata inuenientur pectora vestra aratro confessionis.cogitate de verbo, quod audistis, tanquam frangentes glebas, ne rapiant volatilia; sed nisi Deus plueriт, quid proderit quod seminatum est? hoc est; Dominus dabit suauitatem, & terra fructū.* Vide quid agere debeat Concionator, vt semen verbi Dei crescat.spectus auditoris quasi ferro glebam proscindat, Dei minas intentando, & per sulcos riuos lacrymarū irrigando deducat,ad confessionem maximè disponendo: *sulcato pectore confessionis aratro*.hic verus fructificandi modus.

Confessio sternit viam venienti Deo

10 *Iustitia ante eum præibit.*) *Iustitia est, quæ in confessione peccati est, vt punias te. nobis ipsa fit via de se, vt veniat ad te Deus. ideò dicebat Ioannes: Pœnitentiam agite,parate viam domini. antequam confitearis, intercluseras viam Dei ad te,confitendo aperis; ità & veniet Christus, & ponet in via gressus suos,vt te informet vestigijs suis.* Vide quid agat aperta confessio; aperit viam ad Christum, cuius cernens vestigia,ad sequendom accenderis. fructus igitur veræ confessionis est imitatio Christi,& eius obseruatio præceptorum.

Ex psalmo LXXXV.

Ingens beneficiū membrū esse sub Christi capite.

1 INclina domine aurem tuā,&c.) *Nullum maius donum præstare Deus posset hominibus, quàm, vt Verbum suum faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret,vt esset filius hominis;& vnus Deus cum patre, vnus homo cū hominibus, orat pro nobis,vt sacerdos noster,orat in nobis vt caput nostrum,oratur à nobis vt Deus noster.orat in forma serui, oratur in forma Dei.* rectè ait,nullum potuisse nobis maius conferri donum, quàm in Christi membra connumerari, veluti sub capite per eius incarnationem. egregiè item ostendit in Christo duplicem naturam: ad humanam refert illud,*Pernoctabat Iesus. & globi sanguinis decurrebant in terram*. vbi nota, globos vocat sanguinis, nimirum singulæ guttæ totū Mundi globū redimere poterāt aut quia dixit supra, pecuniam rotundam figurari,quia hic sanguis erat pretium Mundi, eadem figura perfecta redemptionis perfectionem indicari dixerim: pergit ad hoc pulchrè. *Quid ostendebat, quando per corpus orantis globi sanguinis distillabant, nisi quia corpus eius,quod est Ecclesia. Martyrum iam sanguine defluebat?* præclarè ait, sudorem Christi sanguineum Martyres futuros repræsentasse. ex his verbis collige sudāti sanguinē Christo oblatos fuisse futuros Martyres per speciē,qui sanguinem è vulneribus pro eius amore fusuri erāt.ac fortassehoc illud est, quod Angelus apparens dicitur, *confortans eum*. vel,vt alij vertunt,*glorificans eum*, tot scilicet Martyrum palmis oblatis ad triumphum Ecclesiæ.& sanguis ille,qui decurrēs dicitur,quid nisi promptitudinem ipsorum Martyrum designabat?

Cur Christi sudor sāguineus in globi speciem.

Sudor Christi sanguineus Martyres repræsentabat.

2 *Inclina ad me domine aurem tuam, quoniam inops & pauper sum ego.*) *Ergo nō inclinat aurem suam ad diuitem? nè intelligas,qui habent aurum, & argentum, &c. non diuitiæ,sed superbia in illo diuite Euangelij cruciabatur.* rectè adnotat,nam pauper ab Angelis sublatus est in sinum Abrahæ, q certè diues fuerat auri copia,& argēti,vt ait scriptura.*sed erat in diuitijs pauper Abraham, & vsque adeo pro nihilo illas habebat, vt iussus à domino,filium suum immolaret, cui seruabat diuitias.* Vides Abraham pauperem in ipso auro fuisse, quia nullo affectu erat in diuitias, nam parentes has pro filijs accumulant;sed ille filij ipsius abiecit affectum,offerens ad immolandum.accommodatus igitur pauperi locus erat pectus, & sinus Abrahæ,vtpote omni diuitiarum affectu vacui.

Cur Lazaruspauper in sinu Abrahæ qui diues fuit.

3 *Quoniam sanctus sum.*) *Si sanctus tanquam sanctificans, & nullo indigens, superbus es,& mendax;si autem sanctus, & sanctificatus cum capite tuo, & sub capite tuo,dicas: sanctus sum.* rectè sanctitatem agnoscit à gratia per merita Christi.itaque subiungit: *Dic Deo tuo: sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habeo; quia tu dedisti,non quia ego merui.* præclara vox, & testificatio grati animi. Denique sic concludit:*Qui dicunt,Sanctos non esse, capiti suo iniuriam faciunt. vide vbi sis,& de capite tuo dignitatem cape. ita dicitur: Sancti estote,quia ego sanctus sum. peccatorum ille non commissor,sed dimissor est.*venustè dictum,& nota discrimen. Christus

Christus sanctus est sanctificans,iustus sanctus sanctificatus.

ctus est sanctificans; at quiuis alius iustus, sanctus est sanctificatus.

Cor per affectum quasi per machinā in alto locandum ne putrescat.

4 *Ad te domine animam meam leuaui.) frumentum, ne putrescat, leuas ad superiora; frumento tuo quaris mutare locum, & cor sinis in terra putrescere? leua cor in cœlum. dices qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? gradus affectus sunt: amando ascendis. corpus, vt eleuetur, locum mutat. cor vt eleuetur, voluntatem mutat.* pulchrè ostendit per cordis affectum, hoc est per actus charitatis quasi per machinam quandam ingeniosè extructam siue per quosdam quasi scalarum gradus attolli animam, & cor ipsum ab imis ad superna; alioquin in terra positum corrumpi, ac putrescere necesse est. & rectè frumenti similitudo adhibita est, atque frugum, vt homo frugi esse condiscat. hinc autem collige, mundanos, qui terræ adhærent, licet vnguentis, & odoribus perfusi incedant, putri esse corde, atque corrupto.

5 *Quoniam tu domine suauis, & mitis.) Tædio affectus ex amaritudine terrenorum, quæsiuit fontem dulcedinis, & in terra non inuenit.* nempe salsæ, & amaræ sunt Mundi aquæ. *Impii quasi mare feruens.* Sequitur, *& mitis, idest portas me, donec perficias; intueatur se quisque sine palpitatione; videat quanta aguntur in corde humano; quemadmodum ipse plerumque oratione impeditur varijs cogitationibus, vt vix stet cor ad Deum, & vult se tenere vt stet, & quomodo fugit à se, nec inuenit caucellos, quibus se concludat, aut obices, quibus retineat auolationes suas, & vagos actus. ipse Dauid ait; Inueni domine cor meum vt oraret ad te. inuenire se dixit cor suum, quasi soleret à se fugere, & ipse sequi illud quasi fugitiuum, & non posse apprehendere, & clamare ad dominum; cor meum, inquit, dereliquit me. ad hoc ergo dixit mitem Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen à nobis orationem, & accipit gratè, nec meminit tātas, quas inconditè fundimus, & accipit vnam quam vix attendimus.* egregiè describit imperfectionem nostram, præsertim distractiones cordis dum oramus, quas eleganter vocat, *auolationes, & vagos actus.* sic dicitur, *Ephraim quasi auis auolauit.* adeò volaticæ sunt hominis cogitationes, nec in Deo stabiles, Tum addit. *Si Iudicem alloquēs dimitteres, confabulareris cum alio, quomodo te toleraret? & tolerat nos Deus.* notabilis locus de Dei patientia, qua nostram tepiditatem, immo irreuerentiam notat, & suffert, quod homo non sufferret: tam oscitantes, & distracti in orando vagamur. habes apud Gellium de quodam reo, qui quod coram Iudice oscitasset, penè damnatus est capite.

Distractiones in orādo auolationes cordis sunt.

Dei patientia in sufferendis distractionibus nostris in orando.

Verus Dei amator quis sit.

6 *Multum misericors omnibus inuocantibus te.) Quidam non exaudiuntur, quia inuocant, sed non Deum.* Non temporalia petenda *quæ sæpè nocent sed quod petebat propheta: Vnam petii à domino, hanc requiram. quid? vt inhabitem in domo domini, vt contempler dilectionem domini; si ergo amator Dei esse vis, syncerissimis medullis, castisque suspirijs dilige: illi flagra, illi inhia, quo nec iucundius quicquam inuenis, nec diuturnius.* pulchrè ostendit quid petendum, & quàm ardenter, & cur: & vide an sis verus Dei amator. syncerus sit amor oportet, ac purus; nec metu, nec mercede conductus; internus, medullitus insitus, non verbo tenùs expressus, suspiriosus affectu, ardens, auidus de fruitione. *syncerissimis medullis, castisque suspiriis dilige. illi flagra, illi inhia.* his addit item pulchrè. *Nolumus omnia quæ dedit, si non dat se ipsum qui omnia dedit: & quicquid dat præter Deum, non est dulce.* Tum de impetratione sic. *Exauditur Diabolus, & non exauditur Apostolus; petunt dæmones ire ad porcos, & concessum est eis; petijt Iob ad tentandum diabolus, & accepit. ter rogat Apostolus, vt auferatur Angelus Satanæ, & respondetur: sufficit tibi gratia mea. Sanaberis, dicit medicus, si secuero. homo dicit homini, nec qui dicit certus est, nec qui audit; & tamen ad verba hominis credit homo; subdit membra, ligari se patitur, & plerumque etiam, non ligatus secatur, & vritur.* rectè monet vt in orando cōformari debeamus voluntati Dei, qui scit qd nobis prosit. & nota illud de quibusdā ægris, qui vt generosi habeantur, dum secantur, & vruntur, ligari nolunt. magna in hoc generositas ostensa est Ignatij nostri ante conuersionem in sectione ossis ex vulnere cruris accepto, sed præludium erat illud maiorū rerum, & spectata indoles circa spiritalia.

In orando diuinę voluntati conformari debemus.

7 *Auribus infige, domine, orationem meam.)* sic legit. *Magnus orantis affectus. non exeat de auribus tuis oratio mea; fige illam in auribus tuis. respondeat Deus; vis figere orationem tuam in auribus meis? fige tu in corde tuo legē meam.* rectè & argutè dicit, alioquin si lex Dei labitur è corde tuo, etiam ex auribus Dei labetur oratio tua. Concludit demum hoc de oratione sic: alia ratio in cœlis est, atque hic. *Ibi non oratio, sed laudatio; ibi vox consona cum Angelis, ibi visio sine defectu, & amor sine fastidio.* proh quanta felicitas. vel ex amantium consortio, vel ex amoris perfectione.

Oratio figenda auribus Dei ne effluat.

8 *Quis similis tuis in dijs, domine?) Quantum sit dissimilis Deus, non dixit, quia dici non potest. facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit. terram signas, non est hoc Deus. quicquid lucet in cœlo. Sol, & Luna, stellæ, non est hoc Deus. Angelos signas, Virtutes, &c. neque hoc dico. solùm potui dicere quod non sit. quid quęris, vt ascendat in linguam, quod nec ascendit in cor?* præclarè ostendit, ineffabilem esse Dei naturam, & cuncta transcendere: *facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit.*

Dei natura est ineffabilis.

9 *Omnes gentes quotquot fecisti, venient,*

& ado-

& adorabunt nomen tuum, domine.) Arguit dicentes Donatistas: *Non adoratur Deus in omnibus partibus. perierunt omnes gentes; sola Aphrica remansit. dicis ergo, Christum perdidisse hæreditatem suam redemptam sanguine suo, magna iniuria; ait enim scriptura: in lata gente gloria Regis; in diminutione populi contritio Principis. ideò natus es, vt inuideas gloriæ Christi? at dictum est: Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt nomen tuum. Christi gens ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone, & mari distenditur per quatuor partes totius Orbis. hoc dicit Deus. Ab Oriente, ab Occidente, ab Aquilone, & mari, date gloriam Deo. hoc prædixit, hoc impleuit.* egregiè dictũ de mira propagatione Ecclesiæ amplissimè dilatatæ. quid dicerent hoc tempore, si etiam apud nouũ Orbem terrarũ in Indijs Christi fidem propagat tam viderent, cum tanto feruore credentium vsq; ad sanguinem?

Ecclesiæ amplitudo mira

10 *Iucundetur cor meum, vt timeat nomen tuum.) Quomodo iucunditas, si timor? hic, si nulla iucunditas, deficimus; si plena securitas, malè exultamus.* Vide cur Deus in hac vita nos spemque, metumque inter velit esse: ne per superbiam labamur. timor igitur frænat gaudium, hoc laxat timorem.

Timor & iucũditas in iusto.

11 *Eruisti me ex inferno inferiori.)* Difficilem explicationem esse dicit: & ideò, *hoc si non vobis certus exposuero, ne succenseatis. homo sum, & quantum conceditur de scripturis sacris, tantum audeo dicere, nihil ex me.* nota quàm cautè tantus Doctor sacras scripturas interpretetur, nec suo fidat ingenio quantumuis acuto. Deinde sic. *Eruisti me ex inferno inferiori.) habitatio illa cælestis Angelorum, vbi vita ineffabilium gaudiorum, vbi immortalitas, & incorruptio. illa pars superna est, hæc terrena, vbi mutabilitas; illa superna, hæc inferna. nec mireris si infernum hoc dicitur, quia mortuis abundat; corpus enim mortuum est, vt ait Apostolus, propter peccatum, comparatum corpori illi, quod futurum est, qualia sunt Angelorum corpora. rursus, & aliud infernum inferius. quò eunt mortui, vnde voluit Deus eruere animas nostras, illuc mittendo filium suum; propter ista duo inferna missus est, vndique liberans: ad vnum missus est nascendo; ad alterum moriendo.* notabile est hoc de duplici inferno. vides nostrum corpus hic quasi cadauer esse quamobrem græcè corpus dicitur σῶμα quasi σῆμα idest sepulchrum. rectè igitur Ignatius noster nos cadaueris instar esse iussit, quocumque vertatur, obediendo facile. quod autem de Angelorum corporibus dicit, locutus videtur ex opinione, in qua nonnulli tunc erant.

Ingenuitas Augustini ingenio non fidentis.

Infernus superior noster, inferior dãnatorum.

12 *Ex inferno inferiori.) fortassis apud ipsos inferos est aliqua pars inferior, quò traduntur impij, qui plurimum peccauerũt.* est hoc notabilis interpretatio. Borgias certè noster ibi se statuebat ob humilitatẽ, infra Iudam. infernum quoque superius Abrahæ locum ante Christi aduentum exponit, inferius verò illud pœnale, vnde diues Lazarum suspexit. ergo liberare ab inferno inferiore, est à peccatis q̃ eò ducũt.

Infernus inferior locus imaginis peccatoribus destinatus

13 *Ex inferno inferiori)* Quæritur, cur hoc ait, se inde erutus, si eò nondum iuerat? respondet? *Nescio quis habet causam molestam, mittendus erat in carcerem. venit alius, defendit eum. gratias agens quid dicit? eruisti animam meam de carcere; suspendendus erat debitor. solutum est pro eo; liberatus dicitur de suspendio; in his non erat, sed quia talibus meritis agebatur, vt nisi sub ventum esset, ibi esset; inde rectè dicit liberari, quò per liberatorem suum non est permissus perduci.* Notabilis hic locus est, & admodum insignis pro concepta Virgine sine peccato originali: vbi soluitur obiectum illud: nisi in hoc incidisset, non posset dici saluata, & redempta à Christo: at posset dici solùm ob debitum incurrendi, etiam si re ipsa non incurrerit. sic aliquando in scriptura dicitur quispiã saluasse populum, qui in periculo fuit, nec tamen quicquam re, & factis passus.

Deipara redempta dicitur a Christo etiam nõ incurrens in peccatũ originale

14 *Synagoga potentium quæsierũt animam meam.) Cum clamabant: crucifige eum.* quò spectat illud psalmi. *Dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorũ gladius acutus.* quamobrem rectè subiungit. *clamando ferierunt, clamando crucifixerũt.* adeò mollis lingua præuenit duritia ferrũ clauorũ. sic igitur intelligi potest, cur vnus Euangelista dicat, crucifixum hora tertia; alter verò sexta. vide quantũ valeat lingua non minus ac manus, verba quàm actio ipsa. & certè iuxta scripturæ locutionem videtur hoc indicari, cum ait: *mors, & vita in manibus linguæ.*

Christus linguacrucifixus ante quã clauis.

15 *Et tu domine miserator, & misericors, &c.)* Pertinet hoc ad proximè superiora verba de passione. *Synagoga potentiũ quæsierũt animã meã.* tum sic. *Quare miserator, & misericors, & multũ misericors? quia in cruce dixit: pater ignosce illis. quem petit? pro quibus petit? quis petit? vbi petit? patrẽ filius, pro impijs crucifixus, inter ipsas iniurias, non verborum, sed mortis illatæ, pẽdẽs in cruce, tãquã ad hoc extẽtas manus habuerit, vt sic pro illis oraret.* egregiè notat circũstãtias circa Christi cõdonationẽ. in singulis admirare pietatẽ: *quis petit? quẽ petit? pro quibus petit? vbi petit?* quis hinc ad condonandum inimico non excitetur? cum multum absit ab iniuria illata Christo.

Quatuor considerãda in Christi verbis pater ignosce illis.

16 *Saluũ fac filium ancillæ tuæ.) Eius, quæ cũ annũciaretur, dixit: Ecce ancilla domini. filius Dei in forma Dei, filius ancillæ in forma serui. saluatus est à morte, resuscitata carne.* suscitauit se ipsũ. nã de tẽplo sui corporis loquens ait: *in triduo resuscitabo illud*

Christi resurrectio solatium matris.

illud. Nota desiderium Christi de resurrectione: videtur enim in primis fuisse ob solatium Matris suæ, cuius meminit; ac ne diutius mœreret, puto tres illos dies cōpendio contraxisse: resuscita, inquit, me quamprimum, ait ad Patrem, vel ex hoc capite, quia filius ancillæ tuæ sum, vt eius lacrymas abstergeam, & mœrentem soler.

16 *Fac mecum signum in bono.*) Idest resurrectionis. ita appellauit, cùm dixit: *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ, &c. dicat & vnusquisque nostrum: Fac mecum signum in bono; quia in nouissima tuba mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* breuis, sed egregia petitio in retanti momenti, vt scilicet resurrectio nobis in felicitatem cedat æternam. sequitur: *Vt videant me, & confundantur qui oderunt me. tunc enim dicent: Quid nobis profuit superbia? &c. confessio sera, et inutilis: transierunt omnia tanquam vmbra. quid enim? quando hic viuebas, non videbas, quia hæc transierunt tanquam vmbra? tunc relinqueres vmbram, vt esses in luce. non postea diceres, transierunt omnia velut vmbra, quando ab vmbra in tenebras iturus es.* acutè arguit, & eleganter, nempè mundani cùm essent in hac vita, & viderent hæc omnia esse vmbram, non curarunt vmbram relinquere, & venire ad lucem, cùm possent. in iudicio curabunt, cùm iam non licet, sed ex vmbra in æternam ituri sunt noctem.

Resurrectio iusti signum in bonum vocatur.

17 *Tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te.*) *Perijt labor, transeunt orationes, succedunt laudationes. hoc vno beati otiosi negotio in secula seculorum laudabunt te. Non transeunt nunc interpellationes Martyrum, nisi cùm transierit gemitus noster. in vna patria consolabimur cum choris cœlestium Potestatum. quis ibi gemit? quis ibi suspirat? non dicetur mihi; Visita ægrotum; sanitas, & immortalitas permanet; sepeli mortuum, omnes in vita æterna erunt. quod ergo erit negotium nostrum? quæ actio? nulla actio, quia quies est; sedebimus ergo, & torpebimus? si refrigescit amor, refrigescit actio. amor ergo quietus in vultu Dei quomodo nos accendet? si quem nondum visum sic suspiramus, quomodo nos illuminabit? quomodo mutabit? quid de nobis faciet? Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. hæc erit actio nostra, laus Dei: amas, & laudas. non desines amare, quia talis est, qui satiet. Qui me, inquit, edunt, adhuc esurient; & qui me bibunt, adhuc sitient. quid est bibendo sitire? nunquam fastidire.* pulchrè ostendit, quo amore inardescant beati: *Quomodo nos accendet? si quem nondum visum sic suspiramus.* & vide quod sit futurum negotiū perpetuum nostrum, vna laus Dei. hoc autem in quantum fieri potest, & Religiosorum est, qui alias omnes abiecere curas.

Vnum negotium beatorum laus Dei.

Psal. 83.

Ex psalmo LXXXVI.

1 FVndamenta eius in montibus sanctis, &c. Rex noster istius ciuitatis se fecit viam: ambulantes sic cantemus, vt desideremus; nam qui desiderat, etiam si lingua taceat, corde cantat; qui autem non desiderat, quolibet amore, quolibet clamore hymnum aures feriat, mutus est Deo. Vides in affectu consistere orationis perfectionem, alioquin quantumuis sis clamosus, & loquax, mutus es, et elinguis Deo. & pulchrè ait, iusti cor tanquam odēum quoddam musicum esse laudibus Dei resonans: *Etiam si lingua taceat, corde cantat.* quod & Apostolus suadet: *Cantantes in cordibus vestris.*

Cor iusti musicum odeum.

2 *Fundamenta eius, &c.) Ecclesiæ fundamentum Christus est. hoc agit artificiosa manus Dei, vt ad illius ædificij fabricam conquadremini; non enim frustra de lignis quadratis ædificata est arca Noe, idest Ecclesia. in tentatione Christianus & si impellitur, & si quà vertitur, non cadit; nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat.* nempè etiam in adagijs quadratus homo pro constanti ponitur. tales fuisse Martyres in primis dicit. quod autem vocat *Artificiosam Dei manum, vt ad illius artificij fabricam conquadremur*, huc spectat illa Amos visio ex 70. *Vidi Dominum super murum adamantinum, & in manu eius adamas.* tali cœmento Deum conuenit fabricare, & forti, & pretioso. vt quales nos esse oporteat, perdiscamus.

Artificiosa Dei manus ad fabricam adhibet iusto qua si quadratos lapides.

3 *Diligit Dominus portas Sion, &c.) Pulsate cum affectu ad has portas, & clamet in vobis Christus: Aperite mihi portas iustitiæ; præcessit enim in capite, sequitur in corpore. hinc ait Apostolus: Vt adimpleam quæ desunt passionis Christi in carne mea. Dixerat Christus in cruce: Perfectum est, & inclinato capite, emisit spiritum. impletæ erant omnes passiones, sed in capite; restabant adhuc Christi passiones in corpore: Vos autem, inquit Paulus, estis corpus Christi, & membra de membro. hinc ei dictum: Quid me persequeris? sicut solet lingua dicere calcato pede: calcas me: linguam nullus contingit; compassione clamat, non attritione.* Eleganter dictum de membrorum sibi cohærentium conspiratione ad tutelam. idem referri potest ad Religiosos, qui vnū corpus faciunt; vt alter alteri compatiatur. acutè autem interpretatur illud, cur cùm Christus passionē adimplerit, Paulus dicat se implere quod deest? vt s. se indicet cohærere Christo vt capitis mēbrū, eiq; cōpati.

Passio Christi licet in se perfecta, adimpletur pro nos per compassionē, ceu membra ad caput.

4 *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.) Meritò gloriosa dicta sunt, ubi nō solū populus Iudæorū, sed omnes gētes. Memor ero Rahab, &*

Funiculus coccineus & fenestra crucis signum in fronte denotat.

est ista meretrix? illa in Hierico, quæ suscepit nuncios, quæ timuit Deum, cui dictum est, vt per fenestram mitteret coccum, idest vt in fronte haberet signum sanguinis Christi: saluata est, & Ecclesiam gentium significauit. Vide in quo cõsistat gloria Ecclesiæ, quod alienigenas, idest peccatores sibi aggreget pœnitentes. præclarè autem ait, Christianos ferre frontem cruentam Christi sanguine, cùm se crucis signo notant, per funiculum illum coccineum indicato; nullũ enim vinculũ, & arctior animi nodus, quã Christi passio. frons autem instar fenestræ est, per quã se animus visendum præbet, in pudore .n. erubescit, in ira cõtrahitur, &c.

5 *In Scripturis populorum, & Principum.) Quorum Principum? horum, inquit, qui facti sunt in ea; nam antequam fierent in ea Principes, abiecta Mundi elegit Deus. quales isti Principes venerunt de Babylone? Principes credentes de seculo venerunt ad vrbem Romam quasi caput Babylonis; non ierunt ad templum Imperatoris, sed ad memoriam Piscatoris, magna res, magnum gaudium, sed vbi hæc, nisi in illa ciuitate Dei, de qua gloriosa dicta sunt?* Nota de excellentia Apostolorum. ab vltimis terræ finibus Romam veniebant, non vt aulam Cæsaris viderent, & alia ædificia sumptuosa, sed vt sepulchrum ipsorum. ita nostra ætate ex altero Orbe, Oceani vastitate traiecta, hoc est è Iaponia Regij Dynastę Romam venerunt eodem fine.

Dynastarum peregrinatio ad sepulchra Apostol.

6 *Tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te.) Peribit labor, & gemitus, sola iucunditas erit. transeunt orationes, succedunt laudationes. beati qui habitant, &c. laudabunt te. vnde beati? in secula seculorum laudabunt te; hoc vno beati otiosa negotio. non erit ibi ægrotus, quem visites; non pauper, &c. Sed quid est tanquam iucundatorum? quia talis erit ibi iucunditas, qualẽ hic non nouimus.* Vides, vt virtutum exercẽdarum nunc tẽpus sit. pulchrè dictum, beatorum perpetuò Deum laudantium, *Otiosum negotiũ*, quia cum summa requie. acutè autem interpretatur, *Tanquam iucundatorum*, siuè lætantium. additum est, *Tanquam*, quia aliud genus lætitiæ illud est longè præcellens, & ineffabile: definiri non potest, vt in se est, proprijs verbis.

Beatorũ otiosum negotiũ perpetua Dei laudatio.

Voluptas beatorum definiri, & explicari nequit.

Ex Psalmo LXXXVII.

1 *Titulus est: Pro Melech.) idest choro ad respondendum: idest vt canenti per chorum respondeatur. non sine mysterio dictũ. quippè Domini hic passio prophetatur; dicit .n. Apostolus Petrus: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. & Ioannes: Sicut Christus passus pro nobis animã posuit, ita & vos debetis pro fratribus ponere; hoc est respõdere. chorus autẽ concordiã significat; sicut igitur in arte musica, & præcentor est, & succentor; præcentor qui vocẽ præmittit in cantu, succentor qui subsequitur canendo respondens; ita in hoc cantico passionis. præcedentẽ Christũ subsequitur chorus Martyrũ; hoc .n. canitur filijs Core, idest imitatoribus Christi passionis, qui in Caluariæ loco crucifixus est.* nẽpè Core interpretatur Caluaria: pulchrè ait, Martyres quasi succentores esse, Christũ autẽ, qui præiit exẽplo, præcentorẽ: musices meminit ob lætitiã videlicet, qua patiebãtur. Clemẽs Alexandricum Orpheo comparat aliquomodo Christum; & Imperator Antoninus habuit in lalario imagines Christi. & Orphei simul. hinc Christus in cruce cithara dicitur, neruis quasi chordis extẽsis in ligno. vide igitur qd sit in hoc odeo musicè, & harmonicè respõdere: pati hilariter vnà cũ Christo.

Cap. 2.

Cap. 15.

Christus præcentor Martyres succentores.

2 *Aut Medici suscitabunt?)* In hebræo est, gigantes: penè eadem vox est. 70. interpretati sunt sensum. *Nam si gigantum nomine superbos insinuatos intelligamus, non fuit incongruum eosdem medicos nuncupare, veluti per artem sapientiæ suæ promittentes animarum salutem. non igitur ignorantia, sed mysterio locuti sunt 70. interpretes. quorum auctoritas tanta est, vt non immeritò propter admirabilem consonantiam diuino Spiritu interpretati esse credãtur.* Vides veteres illos philosophos morales, vt Socratem, Platonem, &c. licet gigantes ob altitudinem sapientiæ habiti sint, nesciuisse mederi animi morbis. ad hos refer illud prophetę: *Ibi fuerunt gigantes nominati illi. non hos elegit dominus* elegit humiles, elegit Paulum à paruitate vt aiunt, dictum, & similes.

Veteres philosophi medici, & gigantes.

Ex Psalmo LXXXVIII.

1 *IN æternũ misericordia ædificabitur.) Idest sic ędifico, vt non destruã.* non .n. erit ædificatio tẽporalis. huc ptinet illud Amos, cũ visus Deus est *super murũ adamantinum.* vt 70. interpætes vertunt; *& in manu eius adamas.* sed ibi deposita trulla cœmentaria intercipit ædificium, quia Iudæos derelicturus erat, atque ædificiũ sẽpiternum constructurus in Ecclesia super petram principis Apostolorũ. Illud tamen admonuerim: ædificat quidem misericordiam Deus, sed ita vt gladium etiam manu teneat iustitiæ aduersus impios, sicut legitur de Israelitico populo apud Esdrã; *Vna manu faciebat opus & altera tenebat gladium, & ædificabant buccina.* pulchrè ẽt ad hoc misericordiæ ædificium facit quod subiungit Esdras, *& dixi ad optimates &c. Opus grande est, & latum.* quid autem hoc ædificio magnificentius? & quò non se extendit Dei misericordia?

Misericordiæ ingens ædificium.

2 *Thabor, & Hermõ in nomine tuo exultabunt*

bunt.) Thabor interpretatur, veniens lumen, hoc autem Christus est. Notabile est, Thabor interpretari veniens lumen. aptè igitur ibi transfiguratus est Christus, & *Facies eius refulsit sicut Sol.* aptè item hìc additur: *In lumine vultus tui ambulabunt.* Hermon ait interpretari, anathema eius, idest diaboli. puto, quia qui diaboli consilia anathematizant, idest execrantur, hi illustratione diuina digni fiunt, & spiritali gaudio. certè si in fuga ex Aegypto ad occultam Dei præsentiam, *Montes exultauerunt vt arietes*, quantò magis *Thabor exultauit* ad aspectum clarissimè radiatis?

Thaboris exultatio in transfiguratione

3 *Et thronum eius sicut dies cœli.) Alij sunt dies terræ, alij dies cœli. vnus est dies cœli; nemo ibi expectat futurum, nemo ibi perdit præteritum.* pulchrè dictum de æternitate, qui dies cæli vocatur, ac rectè distinguit hunc vnum à nostris. sequitur: *Sicut Sol in conspectu meo. non vt visibilis iste in conspectu mortalium, sed in conspectu meo; quia iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris mei, & thronus Dei sunt omnes, in quibus regnat Deus.* Vide quantum decus, hominem in Dei thronum solari lumine circumfusum verti. Addo etiam, in hac vita Sanctis quibusdam effulsisse vultum nondum in regno, nimirum quia in terris cœlestem vitam agebant. talis fuit noster Ignatius viuens, cui etiam mortuo, tanquam extincto Soli, patentarunt sidera, quæ in eius tumulo visa dicuntur.

Alij sunt dies terræ, alij dies cœli

Iustus thronus Dei est radiatus.

4 *Sicut Luna in æternum, & testis in cœlo fidelis.) Si in solo animo nos perficeremur, tantummodò Soli compararet; & si in solo corpore, tantummodò Lunæ; sed quia perficiet nos in vtroque, secundùm animum dictum est: Sicut Sol in conspectu meo, quia animum non videt, nisi Deus; & sicut Luna iam caro perfecta in æternum in resurrectione mortuorum; & testis in cœlo fidelis, quia verè dicebantur omnia de resurrectione; in nulla enim re sic contradicitur fidei Christianæ, quàm in resurrectione. ideò Christus cicatrices seruauit in corpore, vt vulnus dubitationis sanaret.* Præclarus hic locus est de resurrectione. præcipua Mundi luminaria sunt Sol, & Luna. illius pulchritudo in animum cõsluet, huius in carnem. Addit, Philosophos multos de immortalitate animi assensisse, neminem de resurrectione carnis. pone igitur tibi ante oculum spectaculum illud omnium iucundissimum, cùm in iudicio Christus sedebit in throno; Sancti verò vel in tam horribili causa conuertentur in thronũ Dei; ac Sole tum obscurato, ac Luna, iustus secundùm animum succedet Soli, secundùm corpus Lunæ perfectæ. tanquam enim à Sole Luna, sic corpora lumẽ ab animo recipiẽt, vt fit in plenilunio. Nota itẽ, cur vulnera Christus reseruauerit, vt .s. vulnus dubitationis sanaret, vt accidit Thomæ. mirũ genus curationis: visa vulnera curarunt vulnus.

In resurrectione animus Solis pulchritudinem referet, caro Lunæ.

5 *Exprobrauerunt commutationem Christi tui.) Quid obijcitis insani? quia mortuus est Christus? non perimebatur, sed commutabatur. ecce quid exprobrabant, non amissionem, non perditionem, sed planè commutationem Christi, mutatus vtique est ille à temporali vita ad æternam. mutatus est à Iudæis ad gentes. mutatus est à terra ad cœlum. vtinam & ipsi mutarentur, sed displicet Christi mutatio, quia ipsi mutari nolunt; etenim non est illis cõmutatio, & non timuerunt Deum, vt dicitur in psalmo.* acutè arguit Christi passionem exprobrantes; non illa deformatio, sed commutatio fuit in gloriam. referri potest ad eos, qui irrident, cùm aliquis in bonum mutatur. rectè ait: *Vtinam & ipsi mutarentur.*

Christi passio nõ deperditio, sed commutatio in decus fuit

Vitæ mutationem in bonũ deridentes taxantur.

6 *Benedictus Dominus in æternum.) Exprobrarent alij, tu autem quid? gratias misericordiæ ipsius. quid dicam aliud, quàm gratias gratiæ ipsius? non damus, nec reddimus, nec referimus, nec rependimus gratiam: si tãtùm verbis agimus, retribuimus.* Vide magnitudinem beneficiorum. egregiè ait: Dei Gratię referri, reddi, repẽdi nequeunt gratiæ; tantùm ab agendis ne desistamus. est autem præclara vox illa, & semper in ore habenda: *Gratias misericordiæ ipsius.*

Gratiæ par referri non potest.

7 *Fiat, fiat.) Ista subscriptio est cautionis Domini. securi ergo de promissionibus præterita credamus, præsentia cognoscamus, futura speremus. foueat ille nos sub alis suis, ne accipiter aereus rapiat implumes adhuc pullos. timeamus à volaticis spiritibus immundis, quærentibus quotidiè quod rapiant. intremus sub alas gallinæ huius, diuinæ Sapientiæ, quoniam propter pullos suos infirmata est vsq. ad mortem. amemus Deum nostrum vt patrem, Ecclesiam vt matrem.* rectè monet de rapacitate diaboli, vt sub alas Dei recurramus; *Ne accipiter aereus rapiat implumes adhuc pullos.* quod ad nouitios in primis pertinet. vniuersè autem ꝙ ait de volaticis spiritibus, huc refer Iniquitatẽ apud Zachariã, quã mulieres euehũt cũ alis milui. Abrahã item abigentem aues à sacrificio rapaces.

Diabolus accipitris instar rapacis in nos inuolat.

Ex psalmo LXXXIX.

1 A *sæculo tu es Deus.) Non ait, à sæculo, idest ab æterno tu fuisti, aut eris, sed præsentis significationis verbũ posuit, Es, insinuãs Dei substantiã omnimodo incõmutabilẽ. vbi nõ est, fuit, & erit, sed tantũmodò, Est. vndè dictũ est: Ego sum, qui sum: Et qui est, misit me ad vos. & in psalmis: Tu autẽ idem ipse es, etc.* acutè notat ex modo loquendi Dei incõmutabilitatẽ. apud nos ista tẽpora proferuntur, fuit, erit. nã præsens non permanet. apud Deum nulla successio. esse permanẽs ac sempiternum est.

Dei incõmutabilitas.

2 *Mille anni tanquam dies hesterna, & vigilia in nocte.)* *Non tantùm tanquam dies externa, sed addit minus, & vigilia in nocte, quæ tantùm tres horas continet; & tamen ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, &c. definierunt hoc seculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posset finiri, nec attenderunt quando dictum est, tanquam dies vnus, qui præterijt.* immò nec vigilia noctis adaptari potest, vt quia sex diebus creatus est Mundus, ideò putetur sex millibus annis duraturus; nam sex vigiliæ tantùm constituerent decem, & octo horas. Vide igitur mirã respectu æternitatis breuitatem temporis: mille anni ante Deum tres horas nostrates constituunt. igitur cùm vniuscuiusq; vita rarò sit septuaginta, rarissimè verò, & ad summum octoginta annorum, minor reputanda est, ac multò minor dimidio quadrantis; propterea momentum appellat Apostolus, quod patimur. sequitur pulchrè: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. antequam veniant, adhuc non sunt, cùm venerint, iam non erunt; non enim vt adsint, veniunt, sed vt non sint.*

Vitæ nostræ breuitas.

Figmẽtũ dicẽtium Mundum duraturũ sex mille annos.

Mille anni ante Deũ tres horas cõstituunt.

3 *Manè vt herba floreat, & pertranseat, vespere decidat, indurescat, & arescat.)* *Decidat vtique in mortem, durescat in cadauere, arescat in puluere, caro videlicet, de qua dicitur: Omnis caro fœnum, & claritas hominis, vt flos fœni; fœnum aruit, flos decidit.* sic legit: rectè claritas hominis fœno comparatur, quod admota face, statim lumen arripit, & statim perdit. Et vide quis hominis vel præstantissimi terminus sit. *Decidit in mortem, durescit, siuè rigescit in cadauere, arescit in puluere.* hæc cogitatio Franciscum Borgiam nostrum ex viso, nec agnito Augustæ cadauere, ad Mundi contemptum impulit.

Mundanus fastus mox euanescens.

4 *Defecimus in ira tua, & in indignatione tua conturbati sumus.)* *Mortis scilicet timore, nam & Petro dictum: Alter cinget te, & ducet quò tu non vis, quamuis martyrio non puniendo, sed coronando. & ipse Dominus nos in se transfigurans, ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem: quoniam & Domini exitus nonnisi mortis.* Nota de mortis metu, ob iram diuinam scilicet, cùm reddenda sit ratio criminum, & subeundum horrendum illud tribunal. metus est vsque ad defectum animæ. aptè igitur dixerat: *Posuisti iniquitates in conspectu tuo, seculum nostrum.* quod alii vertunt, adolescentiam nostram. *In illuminatione vultus tui.* nempè tacita adolescentiæ præsertim peccata sat clarè nouit. si igitur Petro coronando ob martyriũ, non puniendo, timẽda mors fuit, quid de nobis dicendum puniendis?

Mors quã horribilis sit.

5 *Quis nouit potestatem iræ tuæ?)* *Quàm difficilè inuenitur, qui nouerit, quod nonnullis, quibus plus irasceris, parcere videaris, vt prosperetur peccator in via sua, & maiora recipiat in nouissimo.* Vide in quo consistat acumen veræ sapientiæ, quam pauci habent, vt .s. hoc capiãt, prosperitatẽ malis euenire ex ira Dei, & afflictionẽ iustis ex pietate Dei, ꝙ paradoxũ mundanis videtur.

Prosperitas sæpè irati Dei signũ est.

6 *Dexteram tuam sicut notam fac, & compeditos corde in sapientia.)* Vox græca vnius syllabæ differentia, & eruditos, & compeditos significat. In Ecclesiast. de sapientia dicitur: *Iniice pedem in compedes eius. Non vtique pedem corporis, sed pedem cordis, & eius veluti aureis vinculis alligati à via Dei non exorbitant, nec fiunt ab illo fugitiui. hos eruditos, seu compeditos corde in sapientia notos fecit Deus in nouo testamento, vt omnia contemnerent, & se priuari paterentur ijs, quæ magna putantur carnalibus promissa in veteri testamento.* Addit, ideò græcè Martyres dici, quasi testes noti eius rei effecti, *Vt scilicet illa contemnerent, & desiderandis æternis per suas passiones perhiberent testimonium.* pulchrè, & eleganter dictum de cordis compedibus aureis, hoc est de cordis affectu, cuius quasi pes illigatus, & Deo duce directus sit, ne à via recta exorbitet. facit hoc inprimis pro Religiosis per vota deuinctis, ne per mundanorum præcipitem viam abeant. simile illud est de Mercurij sapientiæ præsidis, siuè Gallici Herculis aureis vinculis, quæ è lingua ad auditorum aures prætensa promptè, & hilariter ad se trahebant. hinc ait sponsa: *Trahe me, post te curremus.* nempè vt hic dicitur: *Aureis vinculis alligati.* Vide quanta cognatio inter Religiosos, & Martyres: nam Martyres dicit quasi testes fuisse, hanc vitam, & omnia humana contemnendo, *Vt desiderandis ęternis perhiberẽt testimoniũ.*

Ecclesi. 6.

Cor aureis sapiẽtiæ vinculis compeditũ per affectum.

Cognatio inter Martyres, & Religiosos.

7 *Repleti sumus manè misericordia tua.)* *Alij legunt, satiati sumus. sicut et alibi dicitur: Satiabor, dũ manifestabitur gloria tua. manè, inquit, ergo in his veluti nocturnis doloribus, & laboribus, prophetia nobis accensa est, sicut lucerna in caliginoso loco, donec lucis dies, & Lucifer oriatur; quod donec fiat, nihil boni nobis sufficit, nec sufficere debeat.* egregiè ostendit, beatos tanquam ambrosia satiandos Dei misericordia; interim esurire illã oportet, nec alia re nos expleri posse credamus. Tũ addit: *Dies ille sine fine est. simul sunt illi omnes dies: satiant, non .n. succedẽtibus cedũt, &c.* pręclara descriptio ęternitatis, de qua deniq; sic pulchrè, ac piè cõcludit: *Exæstuet nũc interim anima illorũ dierũ desiderio, sitiat ardenter, ac vehementer, vt ibi repleamur, ac satiemur.* Vide quã auidè ad beatitatem sit aspirandum. quanto cum sitis æstu ad illum perennitatis fontem anhelandum.

Ardens desideriũ æternitatis.

Ope-

Opera omnia in vnum opus tē-dūt, quia vna recta intentio in Deum.

8 *Opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige, &c.) Vltimo versu, opus, non opera dixit, tanquam volens ostendere ipsa opera vnum opus esse, idest ad vnum opus dirigi; tunc enim recta sunt opera, cùm ad vnum finem diriguntur; finis autem præcepti charitas est.* acutè notat, cur, cùm opera pluraliter antea dixisset, conluserit singulariter vno opere. nimirũ, inquit, quia cùm intentio dirigenda sit ad vnum Deum, tanquam ad scopum, tunc in vnum rectum opus confluunt omnia.

Ex psalmo XC.

1 QVI *habitat in adiutorio Altissimi, &c.)* ex hoc psalmo ait diabolum sumpsisse verba ad tentandum Christum: *Tentatio Christi nostra doctrina est. in quo erimus imitatores Christi? nunquid in magnificentia, in miraculis, &c.? nunquid ad hoc vocat hominem faciens imitatorem suum, vt cum illo gubernet cœlum, & terram? non ad hæc te inuitat, neque hoc tibi dicit: Non eris discipulus meus, nisi ambules supra mare, nisi suscitaueris mortuos, sed, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. quod factum est propter te, hoc in eo debes attendere, vt imiteris. miracula enim, etiam antequam nasceretur, fecit. in virtute Christi Helias mortuum suscitâuit, &c.* rectè de Christi imitatione: satius est quod ad suam humilitatē sectandam inuitet, quàm si ad Mundi gubernationē; in eo enim homo eũ imitari debet, propter quod factus est homo. Addit contra superbiam: *Primi parentes manducauerunt, vt essent quasi Dij, & perdiderunt quod erant facti homines immortales.* adeò superbia non modò non assequitur quod affectat, sed & eorum, quæ insunt, iacturam facit.

Imitatio Christi in humilitate potior est, quã si in Mundi regimine esset.

Matt. 18.

2 *Et à verbo aspero.)* multi per verbũ asperum incidunt in laqueum. *Timens auis inanem sonum, cadit in retia; sic & homines timētes insultatorũ verba, incidũt in diaboli laqueũ. sunt multi malè viuētes Christiani, inter quos q voluerit benè viuere, & inter fornicarios castus esse, et inter cōsultores Mathematicorum Deum sincerè colere, & inter spectatores theatrorum noluerit ire, patitur insultatores ipsos Christianos, & patitur verba aspera dicentium: Tu iustus, tu Helias, tu de cœlo venisti. quod verbum asperum qui timet, cadit in laqueum venantium. dic potiùs, audio, sed seruus, ac peccator. at Dominus meus audyt, dæmonium habes.* Vide quantum mali sit irrisio boni. rectè vocat rete diaboli, quod per mundanos tibi tenditur, cum bonum feceris, quod non alij faciant, quasi tu solus pius sis. quò refero illud Prophetæ: *Facti estis velut rete expansum subter Thabor.* per hos enim laqueos diabolus capit ad culmen perfectionis ascendere volentes. quod per Thabor significatur. auceps igitur diaboli est, alium per irrisionem auertens à bono.

Insultans per irrisionem alteri bonum facienti auceps diaboli est.

3 *Sub pennis eius sperabis.)* gallinæ scilicet instar pullos tegentis. *Quia aeriæ Potestates tanquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant.* tùm monet, vt si Hierusalem noluit cogi sub alis huius gallinæ, velimus nos. & addit de suscepta similitudine: *Non est iniuriosum gallinæ nomen. attendite cæteras aues; videmus enim nidos suos, nec cognoscimus vtrùm fœtus habeant; at gallina cognoscitur in infirmitate vocis, in relaxatione plumarum; tota mutatur affectu pullorum; sic & infirmam pro nobis se facit Dei sapientiã.* quod ait, non esse gallinæ nomē iniuriosum Christo, certè Astrologi inter ipsa sidera gallinæ signũ agnoscunt, vt refert Abulensis. cum autem diabolum accipitrem dicit, rapinam intellige. non aquam bibit accipiter, sed sanguinis succo sitim sedat. erat & militaris ordo ferens in signis accipitrem, hi sagittarij venatores dicti: tales improbi sunt, vel ipsi dæmones duce diabolo. supra dixit: *Liberauit me de laqueo venantium:* quod Augustinus ipse de dæmonibus intelligit.

Christus gallina, diabolus accipiter.

4 *Non timebis à timore nocturno, &c.) Tentationem, quæ fit in ignorantibus leuis, timorem nocturnum appellat; & quæ fit item leuis, sed in scientibus, sagittam volantem per diem; quæ sunt tentationes leues? quæ non sic instant, vt cogant; sed fac, persecutor instet, ac terreat; si ignorantes, negotium est perambulans in tenebris; si scientes, dæmonium meridianum. maiorem æstum persecutionis vocat meridiem.* affert illud de semine, quod exorto Sole aruit: *Quare arescunt? quia non habent firmam radicem. quæ est radix? charitas. hoc enim dicit Apostolus: In charitate radicati.* notabile est, quod etiam si leuis sit tentatio peccati, si tamen à sciente fiat, dici sagittam volantem in die, quia habet lumen cognoscēdi malitiam. habet igitur vulnus, etsi nõn esset lethale, attamē vulnus: mortale verò dici ruinam, & dæmonium ipsum meridianum, quia fit cum magno æstu tentationis per diabolum, cui se subiecit. adeò scienter, & data opera malum agere perniciosum est. huc pertinent sequentia.

Leuis tentatio, sed voluntaria sagitta est volans per diem.

Tentatio de mortali meridianum dæmoniũ est.

Tentatio grauis per ignorãtiã negotium est tenebricosum.

5 *A dæmonio meridiano.) Dæmonium meridianum maximam persecutionem denotat; cùm enim vidissent persecutores, quod multi festinarent ad martyrium, dixerunt apud se: Nos occisuri sumus genus humanum, tot millia credunt in hoc nomine: ità cùm antea dixerent, feriatur, postea dixerunt, torqueatur, donec neget, &c.* Illud, sagitta volans, erat ob celeritatem mortis, hoc dæmoniũ meridianum, quia apertior persecutio, vbi per tormenta extorquebatur negatio.

Dæmoniũ meridianũ aperta persecutio, sagitta volans celeritas mortis.

quoad hoc ferè idem accidit nuper in Iaponia; tot enim se offerebant martyrio, vt à nece tyrannus abstinuerit, ne extinguerentur vrbes. deindè cœperunt lento igne eos cõburere, vt in mora abiurarẽt. Tùm addit de martyrio: *Defecerunt nonnulli, qui non sub vmbra alarum Dei sperauerunt, sed viribus suis multùm dederunt*. Vides superbiam ipsi martyrio impedimento esse, quo nihil illustrius. hinc ille Pacomij discipulus, contra eius monitum audacter ad martyrium profectus, cùm admoneretur ceruicibus ferrum, pernegauit impiè, licet postea resipuerit.

Superbia impedimento est martyrio

6 *Inter scapulas suas obumbrabit tibi.*) *Idest ante pectus suum te ponet, vt alis suis te protegat; milui enim sunt aeriæ Potestates: fugiamus sub alas matris Sapientiæ, quæ infirmata est propter nos, sicut infirmatur gallina cum pullis suis*. Vide quo loco nos foueat Deus sub alis, *Ante pectus suum*, ibi collocauit Ioannem in cœna, dum de proditione esset sermo. quod autem ait: *Milui sunt aeriæ Potestates*, legis apud Zachariam Iniquitatis amphoram delatam a mulieribus, quæ habebant alas milui, adeo dæmones dediti sunt rapinæ.

Dæmones milui sunt rapaces.

7 *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*) *Tabernaculum Dei caro est, in qua Verbum inhabitat, in hoc tabernaculo Imperator militauit, ab hoste tentatus, ne miles deficeret.* Nota, cur tentatus sit Christus, congressus est cum hoste, vt victum redderet imbellem. pulchrè autem ait, Christi carnem tanquam militare tabernaculum fuisse, quò refero illud initij Euãgelij Ioannis de Verbo: *Et habitauit in nobis*. græcè est, tabernaculum fixit. huc facit Ignatij nostri sacra exercitatio de vexillis.

Caro Xpi militare tabernaculum.

8 *Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, &c.*) Hæc verba diabolus citauit Christo in deserto, cùm esuriret: nam *Si ille non vinceret tentatorem, quomodo tu disceres cum tentatore pugnare? quid magnum Domino de lapidibus panes facere, qui de quinque panibus tot millia satiauit? de nihilo fecit panem. tanta copia escæ vnde processit? fontes panes erant in manibus Domini. non est mirum: ipse facit de paucis granis quotidie messes ingentes; ipsa enim sunt miracula Dñi, sed assiduitate viluerunt*. pulchrè ait, panes in manu Christi fõtes quodammodo fuisse, vnde scaturirent cæteri. Basilius Seleuciæ Episcopus elegãter ait, eos panes effloruisse in manu Christi. pergit: *An impossibile erat Domino de lapidibus panes facere? qui homines fecit de lapidibus; potens est, inquit, Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. huc refero illud miraculum ab Euagrio, & Nicephoro narratum, cùm Eucharisticus panis per Chrysostomũ inscijũ indigno datus esset, sẽsit ille inter dẽtes lapillum. iuxta illud: *Os eius implebitur calculo*. qui igitur pro pane cœlesti, suffecit terrenum lapidem, certè potuit & lapidẽ in panem vertere. subiungit Augustinus: quare ergo non fecit miraculum? ne suggerente tibi similia in tentatione diabolo, tu deficias, sed strenuè resistendo lucteris, ac vincas.

Cur Christus non conuerterit lapides in panes, q eos potuit multiplicare?

Panes in manu Christi tanquam fontes aliorum scaturientium per multiplicationem

9 *In manibus tollent te.*) *Sublatus est Christus manibus Angelorum, quando assumptus est in cælum, non quia, si non portarent Angeli, ruiturus erat, sed quia obsequebantur vt Regi*. Rectè adnotat, obsequium illud Angelorum fuisse in ascensione certantiũ eum honorare, non quod egeret quasi fulcimento, aut vehiculo.

Angelorum obsequium in ascensione Xpi

10 *Conculcabis leonem, & draconem.*) *Leo sæuit apertè, draco occultè insidiatur: vtramq; vim habet diabolus; quando Martyres occidebantur, leo erat sæuiens; quando hæretici insidiantur, draco est subrepens*. Vide vt omni ex parte diabolus noceat: & occultus, & apertus est hostis. apud gentiles in Christianos sæuit, vt leo; apud regiones hæreticorum per dolosa dogmata insidiatur vt draco. talis ille Apocalypseos draco Ecclesiam vorare nitebatur. sed & leonem, & draconem conculcare per suos aggressus est inter cæteros noster Ignatius. hoc enim sibi volunt & libri controuersiarum aduersus hæreticos, & Indicæ expeditiones.

Diabolus sæuit vt leo, insidiatur vt draco.

11 *Ostendam illi salutare meum.*) *Quasi diceretur: quid dabis ei, qui diligit te? ait, Ostendam illi salutare meum. quicquid laboras, ad hoc laboras, vt videas: nescio quid magnum est quod visuri sumus, quando tota merces nostra visio est, & ipsum magnum visum, hoc est Dominus*. præclarè dictum. nota, vbi consistat beatitudo, scilicet in videndo Deo. & vide quanta res sit visio Dei: *Et ipsum magnum visum, hoc est Dominus*. nam si Moses de rubi spectaculo dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnã*. quid de clara Dei visione dicẽdum? deniq; sic pulchrè concludit: *Desideremus ergo, & amemus, flagremus; si sponsa sumus, sponsus absens est; sustineamus, veniet, tantum pignus dedit; ne timeat sponsa ne deseratur à sponso. non dimittit pignus suum. quod pignus? sanguinem suum fudit, Spiritum sanctum misit: talia pignora dimittet ille sponsus? si non amaret, talia pignora non daret. amemus, & imitemur. curramus post vnguenta eius. vnde odor? de cælo. sequere ergo ad cælum: sursum amorem, sursum cor, sponsum spera. quæris locum tritico, ne putrescat, & non quæris locum cordi tuo?* præclara paranesis est incitans ad amorem Dei: *Desideremus, amemus, flagremus*. & rectè subiungit: *Imitemur, curramus*. hoc enim ardentis amoris est signum. illud porrò magnam fiduciam conciliat: *Si Christus sponsus non amaret, talia* pi-

Dei visio quàm expetenda.

Deus quã ardenter amandus.

pignora non daret. sanguinem scilicet suum, & Spiritum sanctum suum. & illud egregiè dictum de apto loco in corde quærendo, tanquam capaci area frumenti.

Ex psalmo XCI.

1 Bonum est confiteri Domino, &c.) *Nullum aliud Canticum nos docet Deus, nisi fidei, spei, & charitatis; charitas, quæ maior est, non nouit nisi crescere magis, magisq; si enim amamus quem non videmus, quomodo amaturi sumus cùm viderimus? crescat ergo desiderium nostrum. Christiani non sumus, nisi propter futurum sæculum. nemo ergo sibi promittat felicitatem Mundi, quia Christianus est.* Notabilis sententia, & magni ponderis, nos non esse natos, nisi propter futurum sæculum, non præsens; æternitati videlicet, non tempori destinatos. Tùm nota, in quo consistat profectus in spiritu, si scilicet charitate magis, magisq; flagremus.

Profectus in spiritu charitas maximè facit.

Christianus non est, nisi propter futurum seculum.

2 *Titulus psalmi habet: Psalmus Cantici in die sabbati.) Hunc Iudæi otio quodam corporaliter languido celebrant; vacant ad nugas. vacatio nostra à malis operibus est. in corde est sabbatum nostrum. multi vacant membris, & tumultuantur conscientia, nec conquiescunt.* Rectè vocat otium voluptuarium mundanorum, tumultuosum negotium; quies foris videtur, sed intus inquieta conscientia strepit perturbationibus sæculi. Tùm soluit obiecta circa hoc.

Otium mundanorum tumultuosū negotium est.

3 *Bonum est confiteri Domino.)* Excusant se multi de peccato. Satanas, inquiūt, in culpa est: *Si Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes vnde te excusares. aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem serpentem.* Nulla igitur ex parte est coactio. rectè arguit, ac pulchrè hominem constituit medium inter Dei monita, & sibila serpentis. vtri aures dare conuenit? Addit: *Multi non incusant Satanam, sed fatum. cùm dicitur: cur peccasti? fato meo malo, inquiunt. quæris, quid sit fatum? & dicit: stellæ malæ. quæris quis fecit stellas? quis ordinauit? non habent quid respondeant, nisi Deus. restat ergo, vt siuè per cannam longam, siuè per proximum, Deum accuset; at non potest fieri, vt puniat quod fecit. quid ergo nos docet hic psalmus? in vtraq; re, & in peccato tuo, quia tu fecisti, & in benefacto, confiteri Domino, quia ipse fecit.* Notandum planè hoc contra Astrologos libertati officientes, qui saltem indirectè Deum auctorem peccati faciunt, dum constellationibus tribuunt actiones. & vide vt gradatio fiat à fato ad stellas, à stellis ad Deum, quod longè cannæ similitudine egregiè exprimit.

Nulla excusatio de peccato ex Satanā, vel ex fato.

4 *Et psallere nomini tuo altissimè.) Quærendo scilicet gloriam Dei, non tuam. si enim tu quæris nomen Dei, & ipse quæret nomen tuum: Gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cælo; ecce vbi tu habes nomen, si nomen Dei non negligas.* mirificè hoc egit noster Ignatius, qui non solùm Dei gloriam, sed maiorem quæsiuit, & à nobis quæri iussit; nec suum Religioni nomen indidit, sed Iesu.

Dei nominis gloria quærenda, nō nostri.

5 *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.) Ad præsens habenas laxat, sed postea constringet. noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat. nondum traxit hamum piscator, iam ille habet hamum in faucibus.* graphicè describit mundanum in voluptate stultè bacchantem. hinc illud Ecclesiast. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Tùm eleganter auocat animum à temporalibus ad æterna: *Quod tibi videtur longum, breue est, quæ est longa vita hominis ad æternitatem Dei? diebus tuis paucis vis impleri omnia, vt damnentur omnes impij, & coronentur omnes boni? quid tædium pateris? æternus est Deus. dices, ego sum temporalis; at iunge cor tuum æternitati Dei, & cum illo æternus eris, cum illo expecta. interim profundas cogitationes Dei verere: nam boni laborant, quia flagellantur vt filij; mali exultant, quia damnantur vt alieni.* præclarè ait, nos licet temporales simus, spectare æterna debere, coniuncto corde æternitati Dei, nec affici tædio, expectātes eius promissa. quàm beatus nexus æternitatis, & cordis? *Iunge cor tuum æternitati Dei, & eris æternus.*

Cor nostrum æternitati iungēdū.

6 *Iustus sicut palma florebit.) Fortasse quia in nouissimis suis palma pulchra est; initium à terra ducit, finem in cacumine, vbi habet totam pulchritudinem. aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub cælo est. erit ergo & tota tua pulchritudo in fine.* pulchrè hoc ad perseuerantiam pertinet. ideò in Canticis dicitur: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* nota huius arboris proprietates. Babylonij quidem tot numerant eius vtilitates, quot dies sunt anni. cùm ergo Iob ait: *Sicut palma multiplicabo dies*, ostendit se vitæ dies non otiosè, sed quàm vtilissimè traducturum. Addit: *Cedrus, & palma nec in tempestate curuantur. nunquid cùm Sol exurit, arescit palma, vel cedrus? arescit fænum. veniet ergo iudicium, arescant peccatores, vt virescant fideles.* mirum est planè, quod in illa Mundi tempestate, ac totius Mundi incendio viror accipi ex cineribus possit. vndè illud: *Ossa vestra germinabunt.*

Iustus cur palmæ, cedroq; cōparetur?

Palmæ pulchritudo tota in cacumine in radice aspera.

In Mundi incendio virescūt iusti, arescunt mali.

7 *Quoniam iustus Dominus, &c.) Ne igitur dicas, cur punior? minora, & pauciora, quàm ille, qui non punitur, peccata commisi: Quid si propterea te flagellat modò, quia non tibi seruat ignem æternum? quid si illum propterea dimittit modò, quia auditurus est: Ite in ignem æternum?* magnum certè

Afflictio sæpè prædestinationis est signum.

tè solatium hoc in aduersis, vbi non nostra iudicia, sed diuina locum habere debent.

Ex psalmo XCII.

1 TItulus est: *Laus cantici in die ante sabbatum, quando fundata est terra.) Sicut sexto die fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, sic sexto seculo venit Christus, vt reformaretur homo ad imaginem Dei*, nempè primum tempus tãquam primus dies fuit ab Adam vsq; ad Mosen; secundus ab hoc vsque ad Abraham; tertius vsque ad Dauid; quartus vsque ad transmigrationem Babylonis; quintus vsque ad prædicationem Ioannis; sextus vsque ad finem Mundi, quem subsequetur requies: nunc in sexto sæculo sumus. sed cur dicitur terra fundata sexto die? intelligendum mysticè, *Cùm credentes immobiles sunt in fide, Christo posito vt fundamẽto*. Addo ego, fortassè quia homini dictum est, terra es. est autem homo quasi fundamentum cæterarum creaturarum visibilium. vbi nota hoc quasi sextum sæculum à Ioanne, & Christi aduentu in reformanda Dei imagine esse positum: item primum sæculum complectens Adam, Abraham, & cæteros Patriarchas, respondere diei primo, cùm lux facta est; acceperũt enim illuminationem per varias visiones. quartum sæculum complectens Dauid, Salomonem, & alios Reges correspondere, cùm factus est Sol. quamobrem dicitur: *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna, &c.* ac sic de cæteris diebus, & sæculis ratiocinare.

Sex creationis dies respondent sex Mundi seculis.

2 *Induit Dominus fortitudinem.) Non est fortitudo, si conuicio affectus percutias, quia ab ira victus es, cùm dicat Scriptura: Melior est, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatẽ.* Vide quàm fallantur mundani putantes, animositatis esse vlcisci iniurias, & deridentes qui toleranter ferunt. atqui non est dicenda pusillanimitas, sed magnanimitas, ferre conuicium.

Vlcisci iniuriam non est magnanimitatis.

3 *Eleuauerunt flumina vocem suam.) Ipsa flumina accepto Spiritu sancto, eleuauerunt vocem suam, neminem timebant Apostoli, stetit Petrus, & eleuata voce dixit, &c.* Vide quàm diuersus euaserit ab eo, qui nec submissa voce Christum confiteri ausus, sed contentiosè negauit.

Clara prædicatio Apostolorum sine timore. Act. 4.

4 *Mirabiles suspensuræ maris.) Suspensuræ exaltationes sunt; quia quando irascitur mare, suspenduntur fluctus. mirabiles igitur persecutiones; sed quid sequitur? mirabilis in excelsis Dominus. compescat se mare, & aliquando tranquilletur: detur pax Christianis: ambulauit Dominus super hoc mare, super capita istorum fluctuum, magnorum, spumantium, potestates, & Reges crediderunt, & subiecti sunt Christo.* nempè sunt quidem in India, & hoc tempore fluctuum suspensiones, hoc est persecutiones, quæ sæuiunt mira barbarie; sed mirabilis in altis Dominus; mira enim ibi operatur per suos in conuersione populorum, quando & Dynastæ, & Reges amplexi sunt fidem; & alacritas baptizatorum tanta est, vel ad martyrium properantium, vel aspirantium, vsq; ad stuporem gentilium.

Deus in Ecclesiæ præsertim persecutionibus mirabilis apparet.

Ex Psalmo XCIII.

1 TItulus est: *In quarta sabbati.) Mercurij dies dicitur à Paganis, & à multis Christianis: atque vtinam corrigantur, vt non dicant*, subiungit: sed si ex consuetudine dicunt, intelligant, sidera ante Mercurium fuisse, eumq; per beneficia opinione hominum ita appellatum, ob adulationẽ eorum, quos amabant. ostendebant enim alijs, hoc sidus ille est, vel ille. hinc postea decepti alij. Nota, quàm cautum vel in verbis vulgo obuijs velit esse Christianũ. rectè igitur Ecclesia ferias vocat. vide etiam quantum sit adulationis malum, quod vsque ad impietatem, & veri Dei opprobrium progreditur.

Adulationis ingẽs malum.

2 *Tempus vltionum Domine, &c.) In hoc psalmo docetur patientia aduersus felicitates malorum, & labores bonorum. ita Apostolus: Omnia, inquit, facite sine murmuratione, & disceptatione, vt sitis irreprẽhensibiles, & sinceri, & immaculati filij Dei in medio nationis prauæ, in quibus apparetis sicut luminaria in Mundo. ita Sancti de conuersione, quam habent in cœlo, terrena despiciunt, & quomodo luminaria in cœlo per diem, noctemq; procedunt, peragunt itinera sua, cursus certos habent; & committuntur tanta mala, nec deuiant desuper stellæ fixæ in cœlo, agentes per tractus cœlestes, quę illis præstituit, & constituit Creator ipsorum: sic debent Sancti. sed si in cœlo figantur corda eorum, & conuersatio in cœlis sit, de ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt, & quicquid in terra dimittitur, sic non curant, dum peragunt itinera sua, quemadmodum non curant luminaria cœli, nisi quomodo exerceant dies, ac noctes, quamuis tanta mala videant fieri super terram.* Vide in quo consistat sanctitas, vt scilicet in cœlo fixa habeamus corda, veluti sidera, nec tamen ex tanto splendore, & altitudine perfectionis dedignari debemus curam inferiorum, sicut nec illa benignè influere cessant in terras. prædictis addit pulchrè: facilè est fortasse ferre iniquitates malorũ, quæ non contra nos ipsos fiunt, sed difficile si contra nos ipsos; tamen si luminaria cœli sumus, & hinc discamus: *Quanta & de*

Phil. 2.

Stellę imitandæ lucentes etiã malis.

Iusti quasi stellæ conuiciis fabularũ non commouentur

& de ipsis cœli luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt? hoc ipsum, quia illa stella Mercurij, & illa stella Saturni, & illa stella Iouis est, conuicia sunt stellarum. quid illæ cum audiunt tanta conuicia? nunquid non mouentur, aut non exercent cursus suos? sic & homo iustus in natione peruersa, sicut luminare est fulgens in hoc sæculo. affert exemplum ex Manichæis. quanta qui Solē se putant honotare, de eo mentiuntur? dicentes, Christum esse Solem, &c. indignaretur Sol, si posset, quia seruo bono iniuria est contumelia domini. *quàm falsa de ipsis luminaribus quidam dicunt, & ferunt? quare? quia in cœlo sunt. quadam de Luna mentiuntur homines, quando vidēt obscurari, & aiunt; malefici eam deponunt: non curat tamen ista verba hominum illa, quæ in cœlo est.* egregius hic locus est de conuitijs, & calumnijs perferendis: notat, cur cœli luminaria non curent quæ fabulosè, & iniuriosè de ipsis dicuntur, vt cum hydræ, & scorpiones, & serpentarij vocātur, præter infames, & turpes historias, quas de ijs fingunt: ideò, inquit, non curant hæc opprobria, quia in cœlis, hoc est loco superiore sunt: ità nec nos similia moueant, quippe nostra conuersatio in cœlis est. certè de iustis dicitur, fore, *sicut stellas in perpetuas æternitates*. habuit hoc, vt non curaret opprobria, & maledicta, falsaque crimina, in primis noster Ignatius, ideoque meruisse puto, vt in ipso eius sepulchro tāquam in cœlo quodam stellæ fulgere sint visæ. Tum pergit in eadem cœlestium luminarium similitudine, *Qui sursum habet cor, ipsum cor ipsius luminare est, in cœlo fulget, nec vincitur tenebris: si ibi est cor, inde lucet, & non mouebitur iniquitatibus super positis, qui in cœlo per conuersationem est.* pulchrè cor iusti ad superna excitatum vocat, *cœli luminare.* fane astronomi Solem in medio planetarum tanquam cor esse dicunt. ostendit igitur cor ipsum non perturbari debere rebus humanis, tanquam supernè in cœlo locatum. vbi nota huic psalmo inesse titulum, *Quarta sabbathi*. quarto autem die hebdomodæ, creata sunt luminaria. Denique concludit eleganter hoc de luminaribus siue, stellis: *Mitesce ergo quisquis es fidelis, vt sit cor tuum in firmamento cœli; quia fecit dominus luminaria quarto die. quomodo vides luminaria cum tota patientia dirigere cursus suos, & non curare quæ in se dicant homines, sic & tu non cures quicquid tibi fecerit caro.* fortasse alludit etiam ad illa, quæ Astrologi imputant stellis falsò, vt homicidia Marti, libidines Veneri, &c.

Cor iusti superna cogitans luminare cœli est.

3 *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.* Idest qui non restiterunt, sed crediderunt, *Nam de his, qui crucifixerunt, facta sunt postea miracula, quando de ipso numero Iudæorum crediderunt, & donatus est illis sanguis Christi: impias manus, & cruentas de sanguine Christi portabāt. lauit eos ipse, cuius sanguinē fuderūt. fuderūt pretium suū, vt biberent pretium suum; & tam in propinquo inuenti sunt, vt omnia, quæ habebant, venderent, & pretium rerum suarum ad pedes Apostolorum ponerent: & erat illis anima vna, & cor vnum de ipsis crucifixoribus domini.* Vide incredibilem Christi pietatem: conuersi sunt de ijs ipsis, qui cruentas manus eius sanguine portabant; ac nonnulli de crucifixoribus ipsis in tantam perfectionē venerunt, vt religiosorum more bona sua pauperibus darent. & qui Christum exspoliantes vestimenta sibi diuiserunt, Christum induerunt.

De ipsis Christi crucifixoribus conuersi more religiosorum vixerunt.

4 *Donec fodiatur peccatori fouea.) Ne cogitetis, quod in aliquo loco stent Angeli cum tridentibus, & fodiant istam foueam. ipsa fœlicitas impiorum fouea ipsorum est. magna res est, vt felicitas fouea dicatur. parcit Deus impio occulta iustitia sua, & hoc ipsum quod ei parcit, per impunitatem facit eum elatum, & ille se elatum putat, et cadit; in eo ipso cadit, quo se altum putat.* Notabile dictum contra mundanos, quibus felicitas fastigium celsum videtur, cum sit profunda fouea ad lapsum.

Mundi felicitas nō apex, sed fouea est.

4 *Benefac domine bonis, & rectis corde.) Qui sunt recti corde? atqui nunc parum est, quod homines voluntatem suam tortuosam habent, etiam volunt voluntatem Dei tortuosam facere secundùm cor suum, vt hoc faciat Deus, quod isti volunt; cum Christus dixerit Patri; non quod ego volo, sed sicut tu.* Notent hoc in primis religiosi, non esse veram obedieutiam cum subditus detorquet prælati voluntatē ad suā: quod Ignatius noster in aurea illa de obedientia Epistola aduertit. Subiungit: voluntatem tamen suā expressit, nostram præferens infirmitatem: nam si Paulus dixit, moriturus tam alacriter: *reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* quantò ille alacrius potuisset? *Ille gaudet coronandus; & tristis est ille coronatus.* immò qui coronaturus alios. Addit pulchrè *Ideo toto corpore dominus sanguinem sudauit, quia in corpore suo, idest in Ecclesia, eius Martyrum sanguinem ostendit. toto corpore sanguis exibat: ità Ecclesia eius habet Martyres: per totum corpus eius fusus est sanguis.* nota sudorem Christi sanguineum repræsentasse Martyrum sanguinem. & sicut ille dicitur, *decurrens in terram.* ita alacriter, ac promptè horum effusus. ac fortasse hoc fuit, quo eum Angelus solabatur seu glorificabat: quæ enim gloria maior, quàm tot millia habere tam ardenter amantium, vt acerbissima quæque, ac mortem ipsam pro ipso vltro ferrent? quod autem supra legit, *globos sanguinis*, in hoc

Christus in horto orans nostram infirmitatē repræsentauit.

Sudor Christi sanguineus Martyres repræsentauit.

Chri-

Christi sudore sanguineo, vt decurrisse, qui dicitur rotunda figura, vel triumphantium Martyrũ expressas puto rotas, vel cursũ ad fundẽdũ sãguinẽ. vel q̃ plures Mũdi quos globi figurabãt, potuerint eo sanguine redimi, si plures essent; cum tamen nostra culpa fiat vt non omnes pretium curent. sunt autem hæc verba maximè notanda: *toto corpore dominus sanguinem sudauit*. non igitur sola facie, sed & pectore, vbi cordis vicinia, & oculis maximè, hoc est quod in alijs per hyperbolẽ dicitur, at in ipso verè oculi sanguineis exsudarunt, & manarunt lacrymis.

Iob in sterquilinio præfertur Adamo in paradiso.

6 *Quousque iustitia conuertatur in iudicium, & qui habent eam omnes recto sunt corde.) Qui sunt recti corde? qui sic inueniuntur, sicut inuentus est Iob, qui ait; Dominus dedit, dominus abstulit, &c Vxorem reliquerat diabolus, & eam non occiderat, vt ipse haberet adiutricem, non vt maritus consolatricem: necessariam sibi putabat hanc Euam. accessit, vt Eua, sed Iob melior fuit in stercore victor, quàm Adam in paradiso victus*. rectè adnotat, Deum fecisse Euam in adiutorium Adamo, at Diabolus vxorem Iob conuertit in adiutricem sibi. cõfer itẽ paradisũ illius, & sterquiliniũ Iob, & pugnam: addit pulchrè, ac lepidè: *Omnes Christiani persecutionem patiuntur; & si non saeuiunt homines, saeuit diabolus. & si Christiani facti sunt Imperatores, nunquid & diabolus est Christianus? accessit prauo corde vxor; & ait: Dic aliquid contra Deum, & morere; & Iob illã cognoscens Euam, redire volens vnde lapsum est, fixo corde in Deo tanquam luminare in firmamento; locuta es, inquit, tanquam vna ex insipientibus*. rectè luminare appellat Iob, & corde radiato facit, licet de se dixerit, *in tenebris straui lectulum meum*, at postea vnam ex filiabus vocauit, *Diem*: quis autem est pater diei nisi Sol? est porrò illud valde notandum: nunquam deesse tentationes. nam si cessant homines, non otiosus est diabolus.

Iob luminari cœlesti comparatus & rutilo corde.

7 *Qui fingis laborem in præcepto.) fingis idest formas, vt figulus: æternam vitam tibi daturus est Deus, cogita quanto labore emenda sit. venale illud est. dicis: quãtum valet? pretium ipsius labor est; non dicis quantum laboris exigatur, tu iudica quãto labore emenda sit illa requies, quæ non habet finem. æterna ergo, inquis, æterno labore rectè emitur. verum est hoc, sed misericors Deus, est: si enim haberes æternum laborem, nunquam haberes æternam requiē. decies centena millia annorum in labore quid valent? habent enim hæc finem; momētaneum & leue ait Apostolus, tribulationis nostræ iuxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis. qualis Dei misericordia? non hoc dicit, sed momentaneum, &c. iuxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur, &c.* egregiè sentit de venali regno Dei, cui vtpote æterno respondere deberet & labor æternus; sed ideò non respondet, quia nũq̃ quiete frueremur. porrò græcè est, *Iuxta hyperbolen æternæ gloriæ pondus, &c.* tantum enim est præmium vt hyperbolicè dictum videatur, & vix credibile, sed exaggeratum verbis. concludit: *Ecce quantum pretium damus; quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos* - magnam vim habent hæc verba, quibus ostenditur ingens discrimen laboris, & præmij: quid sunt quæ egimus vel præclarè? vilis siliqua.

Ad æternum præmiũ æterno labore opus esset; sed breuè fecit Deus.

8 *Si dicebam, motus est, pes meus, misericordia tua adiuuabat me.) Titubauit Petrus in mari, & exclamauit; pereo. hoc est motus est pes meus. & quod hic positum est, misericordia tua adiuuabat me, hoc ibi positum est: porrexit ei manum Iesus, dicens, modicæ fidei quare dubitasti? mirũ est quomodo probat Deus homines: ipsa pericula nostra dulciorem nobis faciunt liberatorem nostrum*. pulchrè dictum, hoc agere acerbitates rerum aduersarum, vt magis nobis dulcescat Deus, quia misericordia commotus maiora dat beneficia. ita de Theodosio dicebant, expedire vt aliquando fuisset iratus. acutè etiam ad Petrum in mari pedibus ambulantem, & dubitantem, sed adiutum refert has verba, *Motus est pes meus, &c.* Petri in mari ambulantis titubatio.

9 *Quis consurget aduersus malignantes, &c.) Eum vndique mali perstrepunt, & dicunt: Quare sic viuis? tu solus Christianus es? & quare non facis, quod faciunt alij? quare non remedia, & ligaturas adhibes? quare non Mathematicos consulis? & tu signas te, & dicis, Christianus sum: quid mihi prodest quod hæc modò mihi facio remedia, & lucror paucos dies? exeo de isto sæculo, & vado ad dominum meum iudicandus, &c.* Vide quibus verbis respondendum sit ijs, qui malum dant consilium; & nota pium morem signandi se crucis signo, cum huiusmodi verba audiebant. Addit. *Si mulier dicit hæc marito, Eua est illi; si vir vxori, diabolus est illi: aut ipsa tibi Eua est, aut tu illi serpens es.* notent hoc coniuges. & horrescant, ne alter alteri bonum opus exprobet. tum pergit arguere mundanos, qui sic irrident bonos ironicè loquẽtes, *magnus es, in cœlum volasti, quomodo Helias*. sed acutè monet: *Iste psalmus titulum de quarta sabbati accepit, quando facta sunt luminaria: sicut enim stellas in cœlo non extinguit nox, ita mentes fidelium inhærentes firmamento sacræ Scripturæ non vincit iniquitas*. Vide vt mundani malè diiudicent, quippe in tenebris sunt. non ironicè, sed vere dicitur de religionem intrantibus: *magnus es; in cœlum volasti, quomodo Helias*.

Iustus mundanorum irrisiones, & dicta non curat.

Ex

Ex psalmo XCIV.

Confessio maximè pertinet ad laudem Dei.

1 Titulus est: *Laus cantici ipsi Dauid.*) *Laus cantici, & bilaritatem significat, quia cantus est; & deuotionem, quia laus est. quid autem laudaturi simus, ipse psalmus indicat: Venite, inquit, exultemus domino. quid est bene exultare? domino exultare: ergo exultatio mala, exultare seculo. Subiũgit; praeocupemus faciẽ eius in cõfessione. nũqd & hoc pertinet ad laudẽ Dei, quãdo confiteris peccata tua? immò verò maximè pertinet. quia tantò amplius laudatur medicus, quantò magis desperatus ægrotus.* rectè adnotat, confessionem, qua vituperamus peccata nostra, maximè pertinere ad laudem Dei, ex medicinę similitudine. sed hæc amara est, canticum autem hilaritatem habet: immò nunquam magis hilaris homo, quàm cum deponit graue peccati onus; Addit pulchrè: *Confitentur homines, & laudant Deum. confitentur, cum se accusant, & nihil dignius facit lingua. Venite, inquit, vt recedamus à peccatis & non nobiscum deducat rationem de præteritis, sed tanquam tabula noua fiant, incensis omnibus chirographis debitorum nostrorum.* Vide quid agatur per confessionem, quasi omni ære alieno iam liber euadis. elegans similitudo de nouis tabulis, incẽsis antiquis solutis debitis præclara verò illa vox: *Cum se homo accusat, nihil dignius facit lingua.* ergo nihil indignius, quàm cum ille se laudat.

Per confessionem soluto debito nonæ tabulæ fiũt.

2 *Quoniam Deus magnus dominus,*) *Templum Dei vos estis, ait Apostolus; si ergo nos sumus templum Dei, anima nostra est ara Dei: imponimus in ara sacrificium, quando Deum laudamus: iuxta illud: sacrificium laudis honorificabit me.* pulchrè ait, hominem esse Dei templum, animam esse aram. quanquam S. Lucianus martyr etiam corpus effecit aram; nam cum in carcere deesset ara, sacrificium super pectus suum confecit.

Anima Dei ara est.

Iusti Dij appellantur.

3 *Rex magnus super omnes Deos.*) *Alibi dicitur: Deus stetit in synagoga Deorũ; Deos dixit non natura, sed gratia: quantus Deus est, qui facit Deos? at quales Dij, quos facit homo?* eleganter, & iusti excellentiam paucis verbis complexus est, & stultitiam idololatriæ, mira vis gratiæ, & Dei omnipotentia: *Quantus Deus est, qui facit Deos.* iuxta illud? *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.*

Christi sanguinẽ ex iis ipsis qui fuderant bibe runt.

4 *Non repellet dominus plebem suam.*) Quia scilicet multi ex Iudæis resipuerunt, *Vnde enim ad vocem Petri, quando Spiritu sancto repleti Apostoli sunt, tenta auiditate conuersi sunt, vt qui primi sanguinem domini fuderunt sæuientes, bibere discerent iam credentes? sic autem illa conuersa sunt millia, vt res suas venderent, & pretia ad Apostolorum pedes obijcerent: quod diues vnus nõ fecit, quãdo ex ore domini audiuit, & à domino tristis abscessit; hoc fecerunt tot hominum millia eorum, in quorum manibus Christus fuerat crucifixus.* proh pietas. cui fel propinarunt, eius sanguinẽ biberũt: & rectè notat vim mirã sanguinis Christi recens fusi: fecit, vt tot hominum millia & nonnulli ex ipsis crucifixoribus, opes & humana contemnerent omnia, quod ne vnus quidem ipso viuente præstitit: nudi secuti sunt eum, quem nudauerant. & qui Christi pedes confixerant clauis, ante pedes eius discipulorum bona omnia proiecerũt. facit hoc pro religiosis, qui alacritatẽ illam Mundũ relinquendi Christi sanguini debent, vt huic largiter fuso responderent profusis opibus.

5 *Aridam terram manus eius fundauerunt.*) *esto & arida terra siti gratiam Dei, & veniet super te imber dulcis, & inuenient in te fructum.* Vide quàm auidè, & ardenter sitire debeas gratiam Dei; vt hiulca tellus imbrem: alioquin puluis infrugifer remanes.

Dei gratia auidè sitienda est.

6 *Venite, exultemus*) *Vnde venient, cũ vbique sit Deus? accedimus similitudine, recedimus dissimilitudine. Duo iusti; alter sit in Oriente, alter in Occidente: secum sunt, quia in Deo sunt. contra vnus iustus, alter iniquus, etiam si vna catena ligentur, multum à se separati sunt: Dei igitur similitudo nobis renouetur in mente, & tanquam resculpatur in nummo: redeamus ad thesauros eius: hoc est quod dixit: Reddite quæ sunt Cesaris Cęsari, & quæ sunt Dei Deo.* pulchrè hoc ad religiosos eiusdem Ordinis facit, quorũ alij Occidentẽ, alii Orientẽ, & alias plagas inhabitant: simul tamen *secum sunt quia in Deo sunt.* hinc illa in vniuersa Societate Iesu communicatio. Tum vide quid sit renouare spiritum, in anima. s. tanquam in nummo resculpere imaginem Dei vetustate penè derasam.

Iusti etiã loco diuisi vnum sunt, quia in Deo sunt

7 *Ploremus coram domino.*) *Ardes forte conscientia delicti: lacrymis extingue peccati flammã. securus plora ad Deum, qui te fecit. noli putare, quia potes à te refici; à te deficere potes, non tu te reficere; sed ille te reficit, qui te fecit. Si reficeris, in manibus artificis es: aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquod complanat, agit quibusdam ferramentis suis. hoc permittit ad vtilitatem tuam, vt proficias: tu tantùm de manu artificis noli cadere.* elegans sanè similitudo-nota primò lacrymis extingui peccatum, quod quasi flamma depascitur animum ante ignem inferni. deinde quàm bonum sit, in Dei manus nos tradere, scilicet qui sponte fecit, amanter reficiet; sed vt creta in manu figuli sit & vt verset nos quò vult;

Dei tanquam figuli manibus nos tradere oportet ad eius nutum

eius

eius voluntati nos committamus.

Cur nos dicamur oues manuũ Dei.

8 *Nos autem populus pascuæ eius, & oues manuum eius.) Vide quàm eleganter verborum ordinem commutarit. Non dixit: oues pascuæ, & populus manuum eius, quod magis videbatur congruere. sed quia nos habemus oues, quas emimus, non quas fecimus, ideo oues manuum eius, quas sibi ipse facere dignatus est gratia sua.* nempè hæ oues laudantur in canticis, *Dentes, inquit, tui sicut grex detõsarum, quæ gemellos pariunt. dentes sunt, per quos loquitur Ecclesia; detonsarum, quia sarcinas sæculi deposuerunt. vnde illud. Vende omnia, quæ habes, &c.* Vide quàm deceat religiosos in primis mansuetudo, qui ouinm gregi comparantur. porrò per lauacrum intelligit baptismum, & per gemellos præcepta charitatis. acutè autem notat, cur inuerso ordine dicat: *populum pascuæ, & oues manuũ.* nam potius dicendũ, opus manuũesse populos, quosquasi figulus fecit; at oues propriè non sunt manuum, sed pretij, quò emuntur, non fiunt; sed nimirum huiusmodi ouium genus factum est per gratiam. homines habent oues, quas emerunt, Deus quas fecit.

9 *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt, &c.) Magnus terror; loqui dominum magnum est, quantò magis iurare Deum? per se ipsum iurat, quia non habet maiorem, per quem iuret. tam certus debes esse de fælicitate, de æternitate, si feceris præcepta ipsius, quàm certus de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabolo, si eius præcepta contempseris.*

Cur Deus iuret per se ipsum.

acutè adnotat, cur per semetipsum iuret Deus, cum nos iuremus per alia. & vide vt æquè vera sint, quæ de præmijs promisit, ac ea quæ de supplicijs minatus est, ne tibi leno cineris quasi de inanibus minis: quanquã etiam sine eius iuramento illa certissima essent.

Ex Psalmo XCV.

Cãticum nouum q̃ Christi charitas quasi Pęana acinit quale sit.

1 T*Itulus est: Quando domus ædificata post captiuitatem.) hoc titulo expectabatur fortassè, qui lapides præciderentur, quæ moles attraherentur, quæ fundamenta iacerentur, quæ columnæ erigerentur; sed nihil horum canit, sed spiritualiter cantate, inquit, canticum nouum. ipsum cantare, ædificare est, sed non vetus canticũ. canticũ vetus cantat cupiditas carnis, nouum charitas* Christi. rectè mirum dicit, quod cum de ædificio sermo sit, non fiat mentio lapidum, columnarum &c. nẽpe de spiritali ædificio Ecclesię, vbi Deus laudatur. eleganter autem inducitur Charitas quasi pæana canticum hoc nouũ concinere. & vide quæ fundamenta describat, quasi; religiosus quisque post sęculi captiuitatem huiusmodi in se domum spiritalem extruere debeat, & lætus nouum hoc concinere carmen, p nouitatem vitę, voluptario illo vetere reiecto licentiæ secularis. huc spectant sequentia.

2 *Titulus est: Cum domus ædificaretur post captiuitatem.) Tenebantur enim homines captiui sub diabolo, & dæmonibus seruiebant. venundare se potuerunt, non redimere: fudit sanguinem suum Redemptor, & emit Orbem terrarum: sanguis Christi pretium est. tanti quid valet? quid nisi totus Orbis? valde ingrati sunt pretio suo multi superbi, qui dicunt, aut illud tam paruum esse, vt solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum,* Intelligit Donatistas, qui Ecclesiam in sola Africa constituebant. rectè arguit, cum solam eam regionem emptam Christi sanguine dicerent, cuius ingenti pretio paruus est Mũdus totus. nouus, vt ita dicam, Orbis terrarum nostra ætate inuentus est, ad quem redimendum se pretium illud extendit. atque hoc significatum puto quod vt est in græco, *globi sanguinis decurrentis in terram* dicantur. & Mundus enim globi figuram habet, & nummus rotundus cuditur ad vsum emptionis, & pretij.

Ingens pretium sanguinis Christi.

3 *Cantate Domino omnis terra.) Dicunt aduersarii de Ecclesia; Iam decreuit. Immò adhuc crescit, adhuc credituræ sunt omnes gentes. quid sibi vult, quod Spiritus sanctus apparuit linguis igneis? nisi quia nullius linguæ duritia est, quæ non ab illo igne soluatur? neque enim non habemus multas gentes barbaras credidisse Christo. quò nondum est porrectum Romanum imperium, iam Christus possidet: quod adhuc clausum est eis, qui ferro pugnant, non est clausum illi, qui ligno pugnat: Dominus enim regnauit à ligno. de cruce sua victi Reges, & eis ipsam crucem in fronte fixit, et gloriantur de illa.* Vide cur Spiritus sãctus linguis igneis apparuit, scilicet vt omnes quantũuis barbarorũ linguas æneas, ac duras eo igni solueret in sui laudẽ. illud autẽ egregiè dictũ, q nunc maximè cernimus, crucis ligno deuictas à Christo vltimas gentes, quas nondum Romanum imperiũ deuicerat ferro. testes Sinæ, testis Iaponia, & quasi alter terrarum Orbis Apostolicis viris peruius factus. adeò verum est illud, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Fides latius fusa quàm Romanum Imperiũ.

4 *Annunciate inter gentes gloriam eius.) Non vestram gloriam, sed Dei: si vestram annunciaueritis, cadetis; si Dei, ædificatis.* est hoc contra concionatores, qui se ipsos vendicant, nec Dei, sed suam gloriam prædicant. rectè ait, ædificium nostræ gloriæ non posse consistere, quia nullum est in nobis fundamentum vnde glorie-mur.

Dei gloria spectãda non nostra.

5 *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis.) Dicendo, nimis, dedit cogitatio-*

Dei gloria spectanda nō nostra.

tionem, quod sapiat, quasi non poßet parua lingua magnum explicare. acutè, & rectè adnotat: Vide quàm deficiat omnis vis dicendi, cum diuina tractamus. hinc illud Mosis ex consortio Dei: *non sum eloquens vt heri, & nudius tertius.* nimis igitur laudabilis dicitur, quia satis laudari non potest.

Confessio sacramentalis cum pulchritudine iuncta.

6 *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius.) Pulchritudinem amas? vis esse pulcher? confitere; non dicit, pulchritudo, & confessio, sed confessio, & pulchritudo. turpis eras, confitere, vt sis pulcher. fœdare te potuisti, formosum facere non potes. qualis est autem sponsus noster, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret? amamus pulchritudinem. prius eligamus confessionem.* Mirus nexus confessionis, per quam peccatorum fœditas aperitur, & pulchritudinis. sed nimirum tanta vis est huius sacramenti, vt inquinamenta vertat in decora. fœda narras, & pulcher euadis. acutè autem adnotat cur non prius dixerit, pulchritudo, & deinde confessio.

Angelorum mira potestas.

Sanctitas magnificentiam secū fert mirabilia operando vt Angeli.

7 *Sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius.) Magnificentia quidem est in Angelis, & tanta potentia, vt si facerent quidquid possunt, sustinere non possimus; & omnis homo desiderat potentiam Angelorum. quæris magnificentiam? prius dilige sanctitatem. si prius volueris esse magnificus, ante cadis, quàm surgis.* egregiè dictum ideò magnificentia est in Angelis, & vis tanta, quia sanctitas. hinc quidam sancti thamaturgi dicti, ob magnitudinem mirabilium, quæ operati sunt in natura.

Confessio hostia est immolationis.

8 *Tollite hostias, &c.) Taurosnè allaturi, an hircos? videte ne illud sit hostia, de quo dixit: confessio, & pulchritudo. confessio hostia est Deo, nam dicitur: sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Vide quid sit confessio, sacrificium. immolamur Deo; sed in sacrificio pellis detrahitur, nec datur caro operta: sit talis confessio. ait Apostolus: *omnia nuda sunt in conspectu eius.* græcè, excoriata: vt scilicet sit in victima.

9 *Terribilis super omnes Deos.) Non est magnum esse super dæmonia; poteris hoc & tu, si volueris. ità ne ipsa est illa magnitudo laudis: Magnus dominus, & laudabilis? voluit enim explicare, vt poterat humana lingua; & quamuis magnus sit tactor organi Spiritus sanctus, tamen per angustas spiritus humani syllabas sonat.* pulchrè dicitur Spiritus sanctus, *magnus tactor organi.* quasi magnus lyristes, ac citharœdus, plectrum linguæ tangens; sed contemperat se creaturæ. cum de diuinis loquimur, ipse organū tangit. quàm suaue auribus melos?

Spiritus sāctus tactor organi.

10 *Iudicabit Orbem terrarum.) Totum iudicare habet Orbem terrarum, quia pro toto pretium dedit.* nempe ipsum Orbem totum terrarū nomē Adā, vt alibi dixit, indicabat, secundùm græcam linguam; *enimverò quatuor Orbis partes has in capite literas habent: ἀνατολὴν dicunt Orientem; Δυσμὴν Occidentem; ἄρκτον Aquilonem, μεσημβρίαν meridiem. ipse ergo Adam toto terrarū Orbe sparsus est. in vno loco fuit, & cecidit, & quodammodo cōminutus impleuit Orbē terrarum; sed misericordia domini vndiq; fracturas eius collegit, & conflauit igne charitatis, & fecit vnum quod fractum erat; ille refecit, qui fecit.* acutè, ac pulchrè aduertit, primas literas partium Orbis terræ ex græco continere quatuor literas nominis Adam, qui est omniū parens, & cui dictū est tanquā Regi, vt præsit piscibus maris, volucribus, & ceteris animalibus; Addo ꝙ Rabbini dicunt, Adā conflatū ex terra, humoq; accepta à singulis quatuor Orbis terrarum partibus. Vbi nota simile quiddam factum in condenda Roma regina Orbis terrarū; nam accepta est terra, & humus ex singulis terrarum Orbis partibus, vt refert Plutarchus: est autē elegans illa similitudo Adami per peccatum corruentis accepta ex simulacro metallico, quod alio loco comminutū & huc, illuc per particulas diuisū, artifex igni conflat iterū, & reficit: ità & nos per Orbē terrarū sparsi quasi particulę huius simulacri comminuti eodē casu ipsius Adami per peccatū, per ignem charitatis conflati, reficimur: quod ad Spiritus sancti aduentum in ignis forma referri potest.

Adam toto orbe terrarum sparsus est in nobis.

Ex Psalmo XCVI.

Mel Dei non nisi palato fidei sapit.

1 D*Ominus regnauit, &c.) Delectati sumus, cum psalmus iste cantaretur. magna spectacula Deus præbet cordi nostro, quibus verè nihil possit iucundius inueniri; si tamen adsit palatum fidei, cui sapiat mel Dei.* pulchrè transferri posse puto hæc verba ad Eucharistiā. certè anatomici, & latini scriptores superiorē partē oris, palatū, cœlū vocant, locū autem dentiū præsepiolum: cum ergo mel illud Dei nobis in cibum datur, verè cœlum sit palatum nostrum; & qui pro nobis in præsepio olim natus, quotidie in præsepiolo nostri oris ponitur. *verè nihil potest esse iucundius, si tamen adsit palatum fidei, cui sapiat mel Dei.* nā hoc mysteriū fidei rectè vocatur: at mundanorū palato, vt in morbis accidit, coruptum est, spiritalia sapere non possunt.

Crucifixores Christi nonnulli mox cōuersi.

2 *Titulus psalmi est; ipsi Dauid, cum terra eius restituta est.) post ascensionē accepto Spiritu sancto commota multitudo eorum, qui ipsum crucifixerant, quæsiuit consilium salutis. donatus est reatus sanguinis Christi. impertitus est potus sanguinis Christi facti sunt fideles; & ante quem insultantes caput agitauerant, eum ipsum caput habere voluerunt; ità restituta est terra.* Vide immen-

ſam Chriſti pietatem in ſuos crucifixores. ac pulchrè, & acutè dictum: illi ipſi, qui ante crucem caput agitauerant ad ludibriũ, poſtea reſipiſcentes pro capite ipſum acceperunt Chriſtum. tanta vis eſt gratiæ.

Indorum inſulæ ad fidem cõuerſę.

3 *Lætentur inſulæ multę.*) *Quia verbũ Dei non ſolùm continenti terra prædicatũ eſt, ſed etiam inſulis conſtitutis in medio mari; & ipſæ plenæ Chriſtianis, plenæ etiã ſeruis Dei; non enim ſuperat mare eum, qui fecit mare.* Id in inſula Iaponia in primis oſtenſum eſt noſtra ætate, plena non modò Chriſtianis, ſed Religioſis, immò Martyribus ipſius regionis incolis. Addit. *vel inſulæ multæ intelliguntur Eccleſiæ, quæ circum latrantur fluctibus tẽtationũ; ſed vt inſula tundi poteſt, frangi nõ poteſt; ac potius ipſa frangit fluctus venientes; ſic Eccleſia, &c.* eleganter Eccleſiam non modò firmo ſcopulo, ſed Inſulæ vndiq; longè fluctus repellenti cõparat: talis Eccleſia Iaponica eſt.

Qui ignoſcit lignũ virens eſt qui odit aridum.

4 *Ignis ante ipſum præibit, & inflammabit inimicos eius.*) *Vt ſi viride lignum fueris, id eſt ſucco ſpiritali vigens, & virens flammis inimicitiarum reſtiteris orando; ille, vt lignum aridum ardet, tu manes integer.* huc refero illud, quod de ſe dixit Chriſtus ad mortem ductus. *ſi in viridi ligno hoc faciunt.* viride lignum Chriſtus fuit, reſtitit enim flammis inimicitiarum orando: *Pater ignoſce illis.* contra Hieroſolyma à Tito obſeſſa, vt lignum aridum ob inuidiam, & odium, facilè incenſa arſit. Tum exponit illud. Si in vno loco ait: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*: cur in alio dicit: *Ignem veni mittere in terram: ſi ignem, quomodo gladium?* reſpondet: in pœnam inimicorum, & ſalutem redemptorum: nã hoc gladio ſeparat ab ijs, qui obſtant virtuti. quod autem ait: *Ignem veni mittere in terram; hoc exarſerunt credentes in eum; acceperunt flammam charitatis: propterea & ipſe Spiritus ſanctus Apoſtolis ſic apparuit. iſto igne inflammati cœperunt ire per Mundum & inflammare, & incendere: incendebantur, ſi mali erant, ad conſumptionem; ſi boni, ad reparationem. arſit fœnum, purgatum eſt aurum; fœnum concupiſcentia carnalis eſt, aurum fides.* Vide quid intelligat pro igne, ad quem mittendum venit in terras. cum ſcilicet, quem & nunc Apoſtolici viri per vniuerſũ Orbẽ ſpargũt: ad quod aptè & Ignatium noſtrum delegit, qui ſocios ad ꝑdicandum mittens dicere ijs, ſolitus: Ite incendite. hoc eſt quod hic ait: *Iſto igne inflammati cœperunt ire per Mundum, & inflammare, & incendere*: igne ſcilicet charitatis.

Apoſtolici viri diſcurrunt per orbẽ igne charitatis accenſi.

Ingens odium & inuidia diaboli in nos.

5 *Qui gloriantur in ſimulachris ſuis.*) *Eſt inſita maleuolentia quædam, & pernicies nocendi malis Spiritibus. gaudent de malo hominum, & de fallacia noſtra paſcuntur. & quid quærunt? cum quibus in æternum damnentur, vt ſolet latro maleuolus nominare innocentem. nunquid ſi fuerit viuus incenſus, minus ardet, ſi duo ardent? ſed quia diabolus non poteſt fallere iudicem Deum, non nominat apud illum innocentem; ſed vt vera crimina obijciat, peccata perſuadet.* Vide quanto diabolus ardeat in nos vel odio, vel inuidia: ſocios nos vult ſupplicij, licet per hoc non leuetur eius pœna Addit: ſi aliud non habet, intẽtionem ſaltẽ accuſare conatur, de qua poſſit eſſe ſuſpitio: vt cũ Iob Deũ colere dixit propter proſperitatem. quanquam non nullis etiam iuſtis in morte falſa auſus, & conatus eſt obijcere ob inſitam maleuolentiam, licet ſciat Deum non latere, cum quis eſt innocens.

6 *Adorate eum omnes Angeli eius.*) Homines ſancti ſimiles ſunt Angelis Dei, cum non ſibi arrogant honorem debitum Deo: Barnabas Iouis, Paulus Mercurij diuinos honores videntes ſibi tribui, ſciderunt ſibi veſtes: *Milites ſunt, non norunt quærere gloriam, niſi Imperatoris ſui.* Vide quid faciat homines ſimiles bonis Angelis, offerre Deo gloriã. rectè igitur Thomas Aquinas Angelicus dictus. Satanicum eſt propriã gloriam quærere. Tum reſpondet Ethnicis dicentibus, ſe in ſimulachris non falſos Deos, ſed Dei Angelos colere: at, ſi illi eſſent Angeli Dei, ſuum non ferrẽt cultũ; ſicut Angelus ille, qui non tulit adorari à Ioanne. *Angelos volunt adorare, Angelos imitentur.* egregiè dictum, nempe hi aiunt: *Deum adora.* Dices: timeo iram diaboli, ſi ſpernatur. *Nonnè quotidie tanta dicuntur in diabolum ore Chriſtianorum, & creſcit ſeges Chriſtianorum?* cum iraſceris in ſeruum, vocas eum Satanam: erras ex ira immoderata, & tamen hoc ei dicis, quod valde deteſtaris. ſi poſſet ille, nonne ſe vindicaret? rectè arguit. vide igitur quàm illi nihil poſſint, cum ab alijs illuſi, ſe vlciſci nequeant.

Dei gloriam quærere eſt Angelos bonos imitari.

Act. 14.

Apoc. 19.

7 *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde iocunditas.*) hanc lucem *Martyres in fide viderunt. nolite putare quod in miſeria fuerunt. latus fuit ijs carcer, leues catenæ, habebant gaudia in cataſta.* facit hoc maximè pro ijs Martyribus, quorum in carcere ſepe lux orta. tum de tolerantia ſic: *Quare amas habere ꝗ Chriſtus, ſi times pati ꝗ Chriſtus?*

Ex pſalmo XCVII.

1 IN *tubis ductilibus.*) *Ductiles tubæ æneæ ſunt, tundendo producuntur. ſi tundendo, ergo vapulando. eritis tubæ ad Deum laudandum productæ: tribulatio tunſio, profectus productio eſt. tuba ductilis erat Iob tot damnis percuſſus; tunſione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis ſonuit: Dominus dedit, &c.*

Iob à diabolo quaſi malleo in tubam ductilem contuſus euaſit.

ſit

sit nomen domini benedictum: quomodo nuit? quàm suauem sonum dedit ista ductilis tuba? & ad vxorem, si bona, inquit, accepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? ò sonum fortem, ò sonum dulcem; quem non dormientem suscitet sonus iste? quem non excitet vt aduersus diabolum securus procedat in prælium? pulchrè admodum illudit diabolum, qui in se ipsum tubam bellicam formarit tundendo, cum Iob tribulauit, quod huic fuit omen victoriæ. pulchrè etiam dicit, sonum eius tubæ, & fortem simul, & dulcem: fortem resistendo, dulcem Deo grates agendo: cuiusmodi sono nos vel dorminentes excitari debeamus ad imitandum. vbi notabile admodum est, nomen ipsum Iob à nonnullis deduci ex vocabulo hebræo iaau, quod est vlulatus, clangorque tubæ. nempe ipse Iob ait de suis afflictionibus: *pœna militat aduersum me.* sed in has bene armatus victor fuit. porrò huc refert illud Hieremiæ: *Contritus est malleus vniuersæ terræ. diabolum intelligi voluit. de hoc malleo in manu Dei posito, aut in potestate Dei tunduntur ductiles tubæ, vt resonent laudes Dei. audeo dicere de isto malleo etiam Apostoli tundebatur: Ne magnitudo, inquit, reuelationum extolleret me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. ecce tunditur: videamus quemadmodum sonet Ter, inquit, dominum rogaui, &c. & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. ego tubam, ait artifex, perficere volo; non perficietur, nisi tundatur. & ipse Apostolus quosdam tradidit Satanæ, vt discant non blasphemare, tradidit malleo tundendos; malè antea sonabant antequam producerentur: fortè producti, & facti tubæ ductiles, laudes Dei sonuerunt.* Notabilis locus de bono tribulationis. Paulus tradebat blasphemos Satanæ, vt ab eo vexati quasi malleo tunderentur, ac formarentur in tubam, vt Dei laudes sonarent, & aduersus ipsum diabolum prælium indicerent. tuba quoque ductilis fuit ipse Paulus, &c.

Paulum tubam ductilem diabolus contra se fecit vexando.

2 *Et voce tubæ corneæ.) cornu & carni hæret & carnem excedat necesse est, vt carnem superando sit firmum ad perdurandum, & capax vocis: qui vult ergo esse tuba cornea, superet carnem. audi tubam corneam: Quæ sursum, inquit, sunt quærens etc. & alibi; In carne ambulantes, non secundùm carnem ambulamus.* Vide quid agat mortificatio carnis, corneam tubam format, cuius clangore exhorrescat hostis diabolus. hinc aiebat Antonius, nihil eum formidare magis, quàm piorum vigilias, & ieiunia. Addit pulchrè *Tuba cornea te erigat aduersus diabolum non tuba carnea.* hoc est diabolo insulta, non proximo.

Carnis mortificatione euadimus in corneam tubam.

Ex Psalmo XCVIII.

1 D*ominus regnauit, irascantur populi.) Sic irascebantur pro idolo suo, vt irasci non timerent domino suo.* rectè, quàm peruersæ tyranni irascerentur, ostendit. Tum de persecutoribus sic. *Inter manus irascentium caro Martyrum affligebatur; & in manibus Christi spiritus coronabatur.* huc refer coronas illas triginta nouem Martyrum dum essent in gelido stagno, visas ianitori carceris; huc & illud Esaiæ: *Eris corona gloriæ in manu domini, &c.* immò verò, vt alibi dicit. *In illa die erit dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis.* Addit pulchrè: *Quid facient irascentes populi ei, qui factus est sedes Dei: cœlum factus es, & terram times?* Vide vnde tanta in Martyribus altitudo animi, & despicientia tyrannorum. cœlum lædere certè terra non potest, elatis illud vaporibus per nubes obscurare conatur, sed mox vento difflantur.

Martyres inter ipsas pœnas coronati.

2 *Qui sedes super Cherubim) nempè sedes sapientiæ anima iusti. Sit in te plenitudo scientiæ, eris & tu sedes Dei.* Vide in quàm excellentem perfectionis gradum quisque possit assurgere per Dei gratiam. præclarè autem hoc videtur accomodari posse in primis ad S. Thomam Aquinatem, in quo aduerte, inter Cherubim illos Ezechielis visam faciem bouis, quo nomine ille ob taciturnitatem appellatus. huc pertinet quod addit. *Fortè tibi figurabas animo quandam cathedram cœlestem ingentem, gemmatam, & ipsam dicebas Cherubim; at Cherubim plenitudo scientiæ est, & plenitudo legis est charitas.* addò ab Astronomis fingi inter stellas signum in Cassiopèa, quam vocant cathedram è stellis fulgentibus quasi gemmis compactam. huic ipsum Thomam conferre potes, nam & stellata in veste pingi solet. de eodem tamen ob humilitatem dicas illud: *sedens in cathedra quasi tenerrimus ligni vermiculus*: sed hac tinea consumptæ trabes, quibus se hæresis fulciebat, argumenta, inquam, hæreticorum corruerunt. potest hoc & ad B. Franciscum Borgiam referri, humilitate, & veræ sapientiæ plenitudine, hoc est charitate in Deum insignis, præsertim cum eo anno, quo natus est, illustre sidus nouum in Cassiopèa cum omnium admiratione conspectum sit. tanquã enim ex cathedra docuit, quid vera nobilitas sectari debeat.

Quomodo possit quisque Cherubin euadere.

Fran. Borgia nato apparuit nouum sidus in Cassiopea

3 *Adorate scabellum pedum eius.) scabellum eius terra est: suscepit de terra terrã, quia caro de terra est. nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. At Iudæi audientes illud: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. putarunt quod dominus præcisurus esset de corpore suo, &*

Iudæis quia duri erant du rus visus est sermo de Eucharistia.

daturus eis; & dixerunt: *Durus est hic sermo. ipsi erant duri, non sermo*; si enim duri nō fuissent, remāsissent intellecturi mysterium cum discipulis; at ob duritiem recesserunt peruicaciter. acutè igitur arguit: *ipsi erant duri, non sermo.* durum appellant sermonem de Eucharistia, quæ tamen à Clemente Alexandrino, & alijs tenero lacti comparatur; in qua item tanquam pretiosissimum margaritū liquefactum Christus se propinat, longè pretiosius, quàm illud Cleopatræ. Similiter mundanis, quia duri sunt, & peruicaces, dura videntur Dei præcepta.

Deus vel in iustis inuenit aliquid purgandū

4 *Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, &c.* Sed cur, cum tam iusti essent, subiicit: *& vlciscens in omnes offensiones eorum? vtique eas, quas dominus nouerat. de Mose dices vltum, quia fugit percusso Aegyptio; de Aarone, quòd fecerat vitulum, at Samuel quid fecit? infans ad templum datus omnes ætates suas inter sacramenta peregit, ab ineūte ætate famulus domini. nihil vnquam dictum de Samuele, neque ab hominibus. nouerat ibi fortè Deus aliquid quod purgaret, quia & quod perfectum videtur hominibus illius perfectioni adhuc imperfectum est.* Vide quā humiliter quisque de se sentire debeat. meminerit dictum illud: *Astra non sunt munda in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauitatem:* hoc est in quantumuis iustis. nuper per crystallinum tubulum animaduersæ sunt quasi maculæ etiam in Sole. affert exemplum artificum, vt pictoris, qui exponit picturas, quas vt perfectas mirentur alij, sed ipsi⁹ oculus alio modo iudicat: *Vindicabat sed propitius, vt perficeret cœptum, non vt damnaret eiectum.* nota quot virtutes in Mose, Aarone, & Samuele: *custodiebāt testimonia eius, & præceptū, &c.* tum ait, *exaudiebas eos*, & tamen subiungit: *vlciscens seu vindicans in omnes affectiones eorum*, omnes, inquit, nihil enim impunitum relinquit Deus, vel in iustis. Samuel ipse senex interrogauit subditos, an quicquam haberent quod sibi obiicerent circa administrationem suam, nihil inuenerunt; sed acriores sunt oculi Dei; itaq; subiungit: Mosi vindicta iam seni datur; non intrabis terram promissionis. quid magni erat non intrare terram illam, in quam multi perfidi intrarunt, & ibi Deum offendebant etiam idola colentes? rursus Aaron, & Samuel mortui, nec quicquam legitur de vindicta, & vltione eorum: sed, *fortè vindictas quotidie patiebantur, populis contradicentes iniquè viuentibus; & inter illos viuere cogebantur, quos quotidie reprehendebant. hæc erat vindicta; nondum profecit cui parua est. tantum enim te torquet iniustitia aliena, quantum recesseris à tua. vide quantas plagas in corde patiaris, qui inter malos versaris. vide. Paulus quid patiebatur: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? quantò maior charitas, tanto maiores plagæ de peccatis alienis.* egregiè dictum. nota primò de Dei iusti Iudicis vindicta, qua punit culpas licet leues, & quæ non apparent ipsis maleuolis, quorum oculi tam lyncei sunt; sed oculatior Deus est, qui eas vindicat in ipsis sanctis. nota deinde, quod sit signum auersionis nostræ à peccato; tantum enim nos absumus à peccato, quantum volumus alios etiam abesse. hinc oritur ardens zelus animarum, si ardeas Deo.

De Dei offensis quā acriter zelandum.

5 *Vindicans in omnes affectiones eorum.*) hinc ait Apostolus, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus, &c. tam perfectus erat, vt tamen timendū esset, ne extolleretur; nā nō poneret Deus medicinam, vbi vulnus nō esset. æger rogauit, vt auferret medicamenta, stimulum carnis, aliquem fortè dolorem corporis; & dicit medicus; sufficit tibi gratia mea. ego noui quem curo: non mihi det qui ægrotat, consilium: emplastrum mordax vrit te, sed sanat te.* Notabile certè est, Paulum licèt tot miracula operaretur, salutem sui corporis non impetrasse, & morbum vocare stimulum, quo currat ad medicum Deum, ac sic se fragilem hominē agnoscat. vulnus appellat in Paulo periculum ipsum de excellentia sui, quod tantum est, vt mordaci medicamento opus sit, sed salubri.

Stimulus carnis Pauli morbus aliquis corporis ad humilitatem.

6 *Adorate in monte sancto eius.*) *Lapis ille præcisus de monte sine manibus iam vidimus quantum creuerit, & quantas regiones terræ occupauerit, & vsque ad quas gentes peruaserit. vidimus confracta ab illo lapide omnia regna terrarum regna idolorum; regna dæmonum fracta sunt; regnabat Saturnus, regnabat Mercurius: vbi est regnum eorum? fractum est, redacti sunt in regnum Christi. regnum Veneris quale erat? Carthaginis, vbi nunc est, regnum cæleste lapis ille fregit, natus sine opere hominum, hoc est sine manibus.* pulchrè de Ecclesiæ dilatatione, & idololatriæ destructione, quod & nunc agunt Apostolici viri apud barbaros cum ingenti dæmonum strage, verè ipsi illudunt idolis, & solo allidunt. est autem omnino stupore dignum, quod Dij toto Orbe culti, & quorum causam tam acriter Imperatores, ac tyranni susceperūt tuendam, ne vestigium quidem sui reliquerint.

Idololatria tam impense culta mire destructa.

Ex psalmo XCIX.

7 IVbilate Deo.) *In male exultātibus aduertamus iubilationē improbādā, & offeramus Deo iubilationē coronandā. quādo iubilamus? quādo laudamus quod dici nō potest: attendamus enim omnē creaturam, mare, & cœlum, & quæ in eis sunt; attendamus singula habere origines, & causas suas, nascendi ordi-*

Iubilatio coronanda est laus creatoris ex creaturis.

ordinem, permanendi modum, intereundi discessum; currere volumina seculorum, &c. in hac consideratione creaturæ potes aliquid cogitare, & fortè non potes dicere. eleganter ostendit quæ sit iubilationis materia corona digna: cum scilicet in Dei summi opificis laudem exultantes erumpimus ex contemplatione creaturarum, quæ inexplicabilis est. sed hoc mirum non esse ait, nam nec nos ipsos perfectè cognoscimus: *& quando comprehendo me in me? vnde ergo possum quod supra me?* tandem sic pulchrè concludit, *Para vnde videas, quod amas, antequàm videas.* beatitudo autem corde quæritur: nunc acuenda per charitatem vis mentis est visuræ Deum.

Dei seruitus libertas est & vincula decora

8 *Seruite domino in iucunditate.) Magna felicitas est esse in domo ista Dei magna serum, & si cum compedibus, noli timere, serue compedite, confitere domino in compedibus tuis. meritis tuis attribue compedes tuos; si vis, vt in ornamenta vertantur: libera seruitus est, vbi charitas seruit, ne quæras manumitti.* pulchrè hoc ad religiosos pertinet & ad vincula votorum aurea, in quæ versæ sunt ferreæ sæculi compedes.

In hac vita ferenda est imperfectio aliqua sociorum,

9 *Cum iucunditate)* perfecta iucunditas non nisi in patria: nunc dicitur: *sicut lilium inter spinas, ita proxima mea in medio filiarum. quò igitur separaturus est se Christianus, vt non gemat inter falsos fratres? quò iturus es? in solitudinem? segregate, vt nemo te videat; cui proderis? si quis, quia proficit, nullum hominem vult pati, eo ipso conuincitur quòd non profecerit. Sustinentes, inquit, Apostolus, in dilectione. Dices: separabo me cum paucis bonis, cum illis mihi bene erit, tanquam in portu.* at sæpè vento in ipso portu naues franguntur, licet securiores in portu quàm in pelago sint. *Verum est, si naues in portu bene sibi applicentur, vt nō sibi collidantur: seruetur parilitas æquitatis, constantia charitatis: & quando fortè ventus ex illa parte, qua patet, irruerit, sit tibi cauta gubernatio.* Vide quàm cautè simul versari debeamus, ne charitas frangatur. tum nota illud de vita solitaria, cui præponi videtur actuosa: *segrega te, vt nemo te videat. cui proderis? tu ad hoc peruenisses, si nemo tibi profuisset?* quo acutè ostendit; non esse malum inter alios viuere, vt alijs prosis, alioquin nemo tibi profuisset, hortãdo vt tam piè, ac religiosè viueres. Trãsit deinde ad statũ eorũ religiosorum, qui simul in communitate versantur. Neque ibi, inquit, omni ex parte securitas est in hac vita; intrant & mali qui non cognoscuntur, nisi cum intus sunt, *Multi sibi promiserunt, quod impleturi essent illam vitam Sanctorum in communi habentem omnia; vbi nemo dicit aliquid suum, quibus est vna anima, & vnum cor in Deum, missi sunt in fornacem, & crepuerunt.* Notabilis locus de religiosis, qui sãctè cœperũt, & tãdẽ defecerũt. Tũ ostẽdit fieri non posse, vt in communitate prorsus nemo sit imperfectus. excludes fortasse omnes malos à conuentu bonorum: *Exclude si potes de corde tuo omnes cogitationes malas; non intret in cor tuum vel mala suggestio; pugnamus quotidie in vno corde nostro. vnus homo in corde suo cum turba luctatur: suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit lætitia vana: ab omnibus se continet, omnibus respondet, ab omnibus auersatur; difficile est, vt non ab aliqua feriatur. vbi ergo securitas? in hac vita nusquam; ibi vera iubilatio tunc, cum claudentur portæ, & confirmabuntur vectes portarum Hierusalem.* pulchrè & acutè ostendit, frustra nos optare, & quærere, vt in communitate & multitudine nulla sit perturbatio, & imperfectio, cum quisque nec in se ipso, qui vnus est, hoc consequi possit; cum tantum passionum tumultum intra se vnum experiatur.

Ferenda est in alijs morum variatio cum in nobis ipsis eam experiamur.

Tum nota quid religiosus spectare debeat: *Vitam Sanctorum.* vbi omnia communia, vbi nihil proprium, vbi cor vnum erga Deum. nec tamen adhuc est perfecta securitas. ac pulchrè ostendit, nũc cœli portas esse apertas ad bellum, nec nisi cum claudentur, esse securitatem, tanquã illas Iani portas apud Romanos. Deinde pergit probare in hac vita nihil esse perfectum, & ideò alterum alteri compati debere, quia nullus hic status, in quo non sint, & mali & boni. *Sic laudamus hoc tempore Ecclesiam, quomodo laudat scriptura: sicut lilium in medio spinarum, sic, &c. accedit homo, considerat, placet illi lilium; adhæret lilio, tolerat spinas, merebitur esse in laude, & oculis sponsi.* similiter loquitur de Clericis: sunt & boni & mali. quidam laudantur vt fideles, &c. *alij reprehendunt eorum auaritiam, lites, voraces iactantes:* nota quid Clericis obijciebant: duo in primis, quibus vtinam careant. nam quid opes congregant, quorum pars & portio Deus est? quid delicias ciborum quærunt, quibus panis Eucharisticus sapit? Tum de religiosis. *Sũt in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterijs, magni viri sancti: quando in oratione in laudibus Dei viuunt, cum lectione illis res est; nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat; omnes se diligunt, &c.* Vide excellentiam religiosi status, in quo, *Magni viri sancti sunt, &c.* hæc audiens intrat quis, & inuenit etiam malos, *qui nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati.* & ita fit ille desertor sancti propositi; & cum exierit, vituperat eum statum, & absterret intraturos. *O Male, quare taces bonos? eos, quos tu tolerare non potuisti, iactas; eos autem, qui te malum tolerauerunt, taces?* insignis hic locus est aduersus eos, qui è nostra præsertim Societa-

Religio est vita sanctorũ

Clerici in quo reprehendi soleant.

Qui communitatis mala tantum non bona promulgant inqui sũt.

cietate in seculum redeunt, detrectantes religionis iugum, & vt suam eleuent culpā, sanctissimo Ordini detrahūt. etiam si vera essent, *tamen vera mala malorū toleranda sunt propter societatem bonorum.* Pergit deinde hunc locum fusius tractare de immixtis bonis, & malis. *Duo, inquit, erūt in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur, &c. duo in agro Clerici sunt. Dei, inquit, agricultura estis, in agro laborarunt. in molendino duæ, ad plebes retulit. quare in molendino? quia deuinctæ in sæculo, circuitu rerum temporalium tanquā mola detinentur; inde vna assumetur, altera relinquetur. sequitur: duo in lecto; alii enim dicunt: quietem volumus; remoueamus nos à turbis. quietem tanquam lectum quæris, vt sine sollicitudine requiescas; & inde vnus assumetur, & alter relinquetur. nemo vos fallat, fratres; scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos.* In Christianis sunt plures mali, quia palea; sed excute, sunt & grana: non ideò propter malos relinquendi boni. vbi nota tres status: Clerici in agro Ecclesiæ laborant inter sacramenta, quæ administrant, fructificantes. sæculares in pistrino versantes circa temporalia. Religiosi in lecto ob quietem contemplationis. nullibi securitas, immisti vbique mali; & quod horrendum est, etiam ad quietis amatores hoc dictum pertinet: nempè non desunt & ficti ex his, non igitur quasi certi de salute desides simus. nec enim sine causa quies ista lecti inermis non est. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, &c.*

Clerici in agro sunt religiosi in lecto, seculares in molendino.

Cant. 3.

Ex psalmo C.

Misericordia Dei præuenit tribunal iudicij.

1 MIsericordiam & iudicium cantabo.) *Nemo in melius commutatus exhorrescat iudicia Dei, quia præcedit misericordia Dei.* magnæ fiduciæ vox ista est. ante occupat tribunalis locum misericordia; *sed si in melius commuteris.* Tum nota differentiam tribunalis diuini, & humani: nam in hoc si cum reo conuicto vtaris misericordia, facis contra iustitiam. non item fit in illo.

Christi passio quasi præsēs habenda in nobis.

2 *Cantabo tibi, Domine.) Esto in membris Christi, adhære illi per fidem, &c. in illo canta, in illo exulta, quia ipse in te laborat, in te sitit ille, in te adhuc moritur, & tu in illo iā resurrexisti; nam si in te non moreretur, non diceret: Saule, cur me persequeris?* Notabile hoc dictum est: *Christus adhuc in te laborat, in te sitit, in te adhuc moritur.* adeò nobis applicare debemus quasi præsentem Christi passionem, & hoc sit canticum nostrum: sic occurrens Petro mortem fugienti cum cruce ait: vado iterum crucifigi.

3 *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.) Idest cordis. quisquis in corde premitur mala conscientia, sicut qui à stillicidijs, vel à fumo exit de domo sua; sic qui non habet quietum cor, foras exit; temporalibus, & his, quæ foris sunt, circa corpus delectatur; quietem in nugis, in spectaculis, &c. quærit.* est hoc aduersus religiosos in primis extra claustrum vagantes: signum est, cordis domum male materiatam habere, & quia ibi quiescere nequit pacatè, & cōmodè, sed passionum fumo vexatur, foras exit.

Foris vagans indicat cordis domum male affectam.

4 *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc nō edebam.) Habet epulas suas cor pium, habet & cor superbi; malis enim alienis pascitur. Si mordetis, inquit, et comeditis inuicem, videte ne consumamini. Iudæi pascebantur de pœna domini, nos de cruce domini pascimur, q corpus eius manducamus; pascebantur illi cibo crudelitatis suæ; pascebatur iste cibo misericordiæ suæ: pater, inquit, ignosce illis.* pulchrè ait, Christum cibo misericordiæ suę pastum in cruce ignoscendo. contra quàm mundani faciunt, qui vlciscendo satiari se putant. non mirum quod cum cibū hunc & potum optaret, sitio, inquit, idest animarum salutem, etiam inimicorum. quàm igitur dulcis est Christus in Eucharistia, qui in misericordiæ pascuis altus est? pulchè dictum, *Nos de cruce domini pascimur.* memoria videlicet eius passionis, quæ ibi memoratur.

Christi cibus in cruce misericordia dum ignoscit

5 *Facta est nox, &c. catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant escam.) In nocte quætunt escam. qui sunt catuli leonum? Pricipes, & Potestates aeris demones; sed non accederent, nisi Deus daret potestatem. petijt diabolus Iob tentandum; qualem escam? opulentam, pinguem; accepit non opprimendum, sed purgandum; aut fortè nec purgandum, sed probandum. nox est hoc seculum, ideò dicit dominus Petro: hac nocte postulauit te Satanas, vt cribraret sicut triticum: neminem enim manducat diabolus, nisi primò per tribulationem conterat.* Vide incredibilem diaboli auiditatem: *flamma de ore eius egreditur:* sed eo igne purgatur iustus. & nota Iob, etiam adeo macie confectum, vt diceret: *pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum:* appellari, *escam opulentam, & pinguem.* nimirum quia gratijs Deo semper agendis, interna pinguedine afficiebatur. ipsum autem auidius appetebat diabolus, quia *cibus eius electus.*

Dæmones quasi leonis catuli auide appetunt iustum.

Ex Psalmo CI.

1 TItulus est: *Oratio inopis, cùm angeretur, & in conspectu Domini effunderet precem suā.) Nempè Christus pauper factus, cùm diues esset, vt illius paupertate ditaremini, ait Apostolus.* Vnde homines iā diuites? quia auro abundant, &c. at hęc in Deo sūt, itē illæ diuitiæ ab ipso sūt, ingenium, memoria, &c. immò fides, cæteræq; virtutes:

Ecce

Ecce quàm diues: quis enim magis diues, qui habet quod vult alio faciẽte, an qui facit quod vult, & alio habente? puto quia ditior ille, qui facit quod habes; & tamen ait: Cinerem sicut panem manducabam. bucciné tantæ illæ diuitiæ peruenerant? quemadmodum ima summis contemperabimus! mirum si interrogas, & non expauescis diuitias: In principio erat Verbum, &c. Omnia per ipsum facta sunt, &c. quære adhuc ne ipse sit pauper? quoniam Verbum caro factum est: semetipsum exinaniuit, ne diuitias eius expauesceres, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Nota, cur Deus pauper apparuerit in terris? diuinitatis thesauros ingredi quis posset abysso contentos? cæterum puto, titulum pertinere ad Christum orantem cum agonia in horto, vt verba ipsa indicant: *Oratio inopis, cùm angeretur, & in conspectu Domini effunderet precem suam.* hinc illud in hoc psalmo: *Similis factus sum pellicano*, qui dicitur suo sanguine pullos suscitare, quod ad sanguineum Christi sudorem facit.

Cur Christus pauper apparuerit in terris?

Oratio Christi in horto cũ agonia.

2 *Defecerunt sicut fumus dies mei.) Dies, si dies; nam vbi dies dicitur, lux intelligitur, sed defecerunt, ait, sicut fumus. vnde sicut fumus, nisi ob elationem superbiæ? tales dies accipere dignus fuit Adam superbus. videte fumum superbiæ simul ascendentem, ac cessantem, vanescentem, ac meritò deficientem.* Rectè ait, superbum non habere veros dies, quia obtenebrantur fumo elationis, & hos dies ab Adamo nobis relictos, qui superbiendo peccauit. ac vide quàm hoc verum sit, cum & nobilitas ipsa fumosis imaginibus notetur.

Mundani fumo superbiæ diei lucẽ obnubilãt

3 *Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.)* Ossa fortitudinem significant, ait Apostolus: *Quis scandalizatur, & ego non vror? hoc est ossa in frixorio frixa. fortes planè sunt Prædicatores verbis, vt ossa; verùm cùm quisquam in animo periclitatur, tantum os frigitur, quantum amat; desit amor, non frigitur; adsit charitas, quomodo friguntur ossa, quæ portant vniuersa membra, si membrum compatitur patiente altero membro?* idest multò magis ossa compatientur, quorum munus est sustinere, ac portare ipsa membra. Vide quàm ardens zelus ob offensas Dei in Prędicatore messe oporteat: nihil in eo per vanam eloquentiam molle, sed ossis fortitudinem referat arguendo, medullam deuotionis habeat, affectum mouendo.

Prædicatoris zelus ardens ex offensis Dei.

4 *A voce gemitus mei adhæsit, &c.) Multi gemunt, & ego hoc gemo, quia malè gemunt. amisit aurum, gemit; amisit fidem, non gemit. ego appendo aurum, & fidem; fecit fraudem, & gaudet: quo lucro? quo damno? acquisiuit pecuniam, perdidit iustitiam: gemit hinc qui gemere nouit.* Vide mundanorum stultitiã, qui cordis affectum benè impendere nesciunt. hinc abominatio illa apud Ezechielem: *In templo plangentes Adonidem.* Adonis Veneris amasius, voluptatis typus. hanc qui gemit amissam, lacrymas quasi margaritas proijcit ante porcos.

Dolor nõ de animi, sed de temporalium rerũ iactura taxatur.

5 *Similis factus sum pellicano, &c. sicut nycticorax in parietinis, & sicut passer singularis in tecto.) Tres aues, & tria loca commemorat. pellicanus nascitur in solitudine maximè Nili; nycticorax amans noctem habitat in ruinis parietum, seù parietinis sine tecto. passer solitarius degit: triplicem statum hominum significant; aut cum prædicatur in solitudine, idest ad gentiles, vbi Christiani non sunt. aut in ruinis, apud eos scilicet, qui ceciderunt. aut ad eos, qui sub tecto, idest carne sunt, caueq; ne carnales fiant. ideò Dominus iussit prædicari super tecta.* acutè distinguit, & accommodat. igitur Prædicator tantus esse debet, vt se extendat & ad gentiles instruendos, & ad peccatores conuertendos, & ad bonos confirmandos, ne cadant. refert & has tres aues ad Christum Dominum: *Pellicani dicuntur tanquam colaphis rostrorum occidere paruulos suos filios, eosq; occisos à se lugere per triduum. postremò dicunt, matrem seipsam granuiter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reuiuiscunt.* fortasse id verum, & fortasse falsum, hoc certum; Christus materno amore nos fouet, etiam mortuos sanguine suo resuscitat. *Nam & Paulus se patrem dixit: Sed non multos, inquit, patres in Christo, & alibi matrem: Filioli, quos iterum parturio.* ad illud verò de pellicano refert locum Deuter. *Ego occidam, et ego viuere faciam.* hic Saulus, inquit, de cœlo percutitur, & Christi sanguine viuificatur. vbi nota, Paulum à Christo tanquam à pellicano pullum percussum, & sanguine viuificatũ. itaque & Paulus pellicanus quidam fuit. pergit in eodem: Christus quoque tanquã passer solitarius, quia solus natus ex Virgine, & ideo nycticorax in parietinis, quia occisus ab ijs, qui stare non potuerunt in ædificio. idem Christus ascendens in cœlum factus est sicut passer volando, idest ascendendo, singularis in tecto ob resurrectionem: *Ergo pellicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgendo.* pulchra, & elegans accommodatio ad Christi mysteria. sed cur pellicanus nascendo? an quia statim per circumcisionem fudit sãguinem tanquam pignus, quo reciperemus vitam?

Christus more pellecani nos suo sanguine viuificans.

Christus pelecanus, nycticorax, & passer solitarius.

6 *Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi.) Ecce, Ecclesia Dei, nidum de ligno crucis ipsius, vbi ponat pullos suos paruulos suos.* pulchrè nidum cõfectum ait ex ligno crucis, sed turturis ait, vel castimoniã eius auis imitando, vel gemitum ob eius passionem. huc refero illud Iob: *In nidulo meo moriar, & sicut palma, seu Phœnix multiplicabo dies.* Paulus ibi nidificans ait: *Christo con-*

Crux nidus turturis est quo velut pulli excudimur.

confixus sum cruci, in hoc nido excludebat pullos, cùm aiebat, se non prædicare, Nisi Christum, & hunc crucifixum.

7 *Cinerem tanquam panem manducabam.)* Errant qui pœnitentiæ locum dare nolunt, quasi impunitas daretur. discute te ipsum: *Ascende tribunal mentis tuæ, examina te; loquatur tibi medulla cordis tui.* rectè arguit nimium zelum. omnem veniam tollant, quasi ipsi nullum reatum incurrerint. hoc autem oritur, quia conscientiam non examinant propriam. habet apud se quisque tribunal suum, quasi per gradus quosdam constitutum, ascendendo per cogitationes, actiones, & locutiones. & eleganter ait: *Loquatur tibi medulla cordis tui.* neque enim superficie tenus hoc examen faciendum est, sed intrinsecùs, ac penitissimè discutiendo, & inquirendo. Tùm sic nimium illum zelum exagitat: *Quid agis miser? si sola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum indulgentia, quò ibis? nonne attendis quàm licentiosa crudelitate viuant gladiatores? vnde hoc? nisi iam tanquam ad ferrum, & victimam destinati explere volunt libidinem, antequam fundant sanguinem. nonne & hoc tu diceres? iam peccator sum, iam damnandus; nulla venia opus est; cur non faciam quicquid libet, etsi non licet? ita peior fieres. potiùs ergo corrigit qui indulgẽtiam promittit.* acutè, & pulchrè arguit exemplo gladiatorum, qui cùm mortem sciant se euadere non posse, nimis licenter, & liberè viuunt *itaque ne desperatione homines peius uiuerent, promisit indulgentiæ portum; rursus ne de spe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum. prouidentissimè vtrumque constitutum est.* Vide Dei sapientiam, quàm bene partitur, ac disponit salutis nostræ negotium. eleganter autem veniam, & indulgentiam vocat portum, tanquam è naufragio simus huius seculi cò delati; sed indulgentiam, inquit, promisit, non crastinam diem.

Nimius zelus in neganda venia delicti taxatur.

Examen conscientiæ quàm exactè agendum.

Negans veniam irritat desperatione ad magis peccandum.

8 *Eleuans allisisti me.)* Quia videlicet me ad imaginem tuam fecisti, &c. ideò malè viuens punior: *Per arbitrium liberum eleuasti me.* Nota, in quo eleuatio hominis consistat, in imagine Dei, & libertate. qui igitur tanto beneficio acceptę diuinæ imaginis, & liberi arbitrij abutitur, meritò allidi debet, idest puniri. quò altius eleuaris, grauius allideris, si pondus peccati deprimet.

Dei imaginē qui non seruās, acerbè puniēdus.

9 *Vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum.)* Martyres in catenas potiùs missos scimus, quàm in compedes: *Sed nisi compedibus timoris Dei ligati essent Martyres, quando illa molesta, & dura sustinerent? cùm liberum esset euadere, sed meminerant: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. sed potiùs timete eum, qui potest, &c.* acutè aduotat, cur sermo fiat de compedibus Martyrum potiùs, quàm de catenis, cùm soliti non sint vinciri sparteis funiculis, sed ferreis vinclis, nimirum non sinissent se his vinciri, nisi vincti antea essent aureis compedibus Dei timoris. facit in primis hoc præclarè pro ijs, qui in causa fidei à Iaponiæ tyrannis igni consumendi alligati sunt tam laxè, vt si vellent, *Liberum esset euadere, nisi compedibus timoris Dei essent alligati.* præterea dicitur in Ecclesiast. *Confer pedem tuum in compedes Sapientiæ, & in torquem eius collum tuum, subijce humerum tuum, & porta illam, & erunt tibi compedes eius in potentiam fortitudinis, & torques eius in stolam gloriæ: decus enim aureum est in illa, & vincula illius fila hyacinthina. stolam gloriæ indues eam; & coronam exultationis superpones tibi.* egregiè hoc ad sanctum Thomam Aquinatem pertinet de Sapientiæ compedibus, & aurea torque. quid autem eo fortius, vel statim in matris lacrymis, in fratrum vi, in meretriculæ illecebris expugnandis, vel postea in hęreticorum fallacijs? pergit tùm sic: *Clament hoc compediti in vinculis disciplinæ Dei. eadem ipsa vincula in ornamentum postea conuertentur. factum est hoc in Martyribus; quid enim persecutores occidendo fecerunt, nisi vt compedes soluerent, & in coronas verterentur?* eleganter catenas Martyrum in ornamentum, in torquem, & coronam ijs conuersas fuisse dicit. similia habet Chrysostomus de catenis Pauli. videtur etiam hoc thema pulcherrimè referri posse ad tria vota, quibus Religiosi obstricti sunt, quæ illis in ornamentum cedunt. primò *In potentiam fortitudinis* propter obedientiam, quia *Vir obediens loquetur victorias.* sed dices: quid habent vincula commune cũ fortitudine? quia vincit se ipsum: sic Abraham fortis fuisse dicitur in filio immolando. secundò *In stolam gloriæ*, quæ bis nominatur, ob votum scilicet castitatis tùm corporis, tùm animæ: quid enim gloriosius Angelico statu? tertiò cedunt vincula paupertatis *In coronam exultationis:* corona Regum est propria, & primò regnum in beatitudinibus promittitur pauperi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Denique decus aureum dicitur esse in his vinculis, quia status religionis, vt aurum reliqua metalla, sic alios superat. fila verò hyacinthina quid aliud, nisi cœlestem conuersationem indicant? porrò compedes cessisse illis in ornamenta, indicat etiam illud de Ioseph iniustè in vincula coniecto: *Dissoluta sunt vincula manuum eius.* quod alii vertunt, *Deaurata sunt manus eius.* hoc est pro vinculis anuli, & armillæ ornandis manibus successerunt. idest pro ferreis vinculis, quibus in seculo capti vi detinebamur, aurea votorum vincula. est etiam notabile quod dicitur: *Confer in torquem eius collum tuum,* su-

Martyres deuincti compedibus timoris Dei antequàm catenis.

Eccl. 6.

Vincula votorum in decus cedunt.

subijce humerum tuum: vt ostendat onera religionis per humerum significata cum affectu sustinenda; nam torques pectoris ornamentum est.

10 *Gemitus compeditorum.*) Ad pœnitentiam hoc refert, quia per remissionem, & veniam soluitur quisque à nodis peccatorum. quid profuisset Lazaro prodire de sepulchro, nisi solueretur? *Soluite, inquit, eum, &c. ipse Dominus de sepulchro suscitauit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulchro impositam vicit; & processit ille vinctus: non ergo pedibus proprijs, sed virtute producentis. fit hoc in corde pœnitentis. cùm audis hominem pœnitere peccatorum, iam reuixit. cùm audis confitendo proferre conscientiam, iam de sepulchro eductus est per Ecclesiam. datur solutio peccatorum: Quæ solueritis super terram, erunt soluta, &c. suscitari autem mortuus nonnisi intus clamante Domino potest.* egregius hic locus est, vbi ostendit reuiuiscere animam per actum contritionis, per confessionem verò quasi aperto sepulchro exitum fieri ad vitalem lucem, & auram spiritus. & nota ad hoc vt reuiuiscat anima mortua per peccatum, non quamlibet vocem Domini, sed clamorem requiri, vt in Lazaro, hoc est vehemens, & magnum Dei vocantis auxilium.

Per contritionem anima reuiuiscit, p confessionem educitur de sepulchro

11 *In generatione, & generatione anni tui.*) *Qui anni tui? nisi qui non veniunt, vt transeant, ac non sint, vt in hoc tempore. anni Dei, æternitas Dei est. æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. ibi nihil est præteritum quasi iam non sit, nihil futurum quasi nondum sit, sed non est ibi, nisi Est: Ego sum, inquit, qui sum; qui est misit me. magnum ecce est, magnum Est. ad hoc homo quid est? ad illud tam magnum Est, homo quid est quicquid est? quis apprehendet illud Esse? quis eius particeps fiat? quis anhelet? quis suspiret? quis ibi se esse posse præsumat? noli desperare, humana fragilitas; Ego Deus Abraham, &c. audisti quid sim apud me, audi & quid sim propter te. hæc igitur æternitas vocauit nos, & erupit ex æternitate Verbum: iam æternitas, iam Verbum, & nondum tempus. Verbum ante tempora, per quod facta sunt tempora. natum est in tempore, cùm sit vita æterna; vocans temporales, faciens æternos.* pulcherrimus hic locus est de æternitate, eiusq; fruitionis ardenti desiderio, ad quam *anhelare*, ac *suspirare* debeamus. nec minus pulchrè de instabilitate rerum temporalium, quæ præ illa nihil sunt, hæc subiungit: *Generationes hominum sunt in terra, tanquam in arbore oliuæ, vel lauri folia, quæ toto tempore fronde vestita est. tanquam folia genus humanum terra portat; alij moriuntur, alij nascendo succedunt. semper arbor ista fronde viridi ornata est, sed subter attende quàm multa calces folia. transit generatio sub Adam, nati sunt inde quidam futuri participes æternitatis Dei; Abel, Sem, Enoch. successit generatio Noe. in tota ista octonaria domo vnus peccator inuentus est; de tribus filijs Noe, tanquam de tribus mensuris farinæ impletus est Orbis.* egregiè comparat hominis vitam *Arbori oliuæ, vel lauri folijs*: oliuæ, vt misericorditer, & piè, pacificèq; viuendum denotet; lauri, vt strenuè pugnantes, tandem laureati cœli Capitolium subeamus, iuxta illud: *Bonum certamen certaui, reposita est mihi corona iustitiæ.* si autẽ referas ad caducitatem, rectè dictum: *Attende subter quàm multa calces folia.* quot strenui duces in bello ceciderunt? vbi tot Imperatorũ laureæ, triumphi, &c.? itaque sic concludit auocans nos à temporalibus ad æterna: *Anni tui, inquit, non deficient; hi anni amandi, hi desiderandi, his suspirandum. propter hos perditis respondendum, propter hos lucrandi qui errauerunt, & reuocandi qui perierunt.* Vide quid agat desiderium æternitatis, scilicet zelum inflammat charitatis, ne alij in æternum pereant, opem ferendo.

Aeternitas pulchrè descripta.

Instabilitas rerum temporalium ad æternitatis desiderium mouet.

Vita hominis oliuæ, vel lauri folijs cõparata.

Caducitas humanæ vitæ.

12 *Ipsi peribunt.*) *In diluuio cœlos perijsse nouimus secundùm quantitatem, & spatia aeris huius; sunt autem & cœli cœlorum superiores in firmamento, sed vtrùm & ipsi perituri sint, disceptatio est aliquantò scrupulosior inter doctos. nouerimus tamen perire ista, Deum manere; & si manent quædam cum Deo, quæ facta sunt à Deo, non manent in se, sed in Deo, nam erunt cum illo Angeli etiam Mundo igne flagrante, & erit incendium Mundi non incendens Sanctos Dei; quod fuit caminus Regis tribus pueris, hoc erit ardens Mundus iustis in Trinitate signatis.* notabile hoc est. nam ibi factum esse legimus *Ventum quasi roris flantem*. & hic rorem Dei misericordiæ futurum ait super Sanctos inter ipsas Mundi totius flagrantis flammas. quid admirabilius? nempè iuxta illud: *Ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* canebant illi inter flãmas, vbi inter cæteras creaturas inuitabant ipsum ignem, quo aduersarij consumpti. huc refero illud psalmi: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Sanctos enim luce decorabit flamma, malos æstu vorabit. tùm nota quod ait: in iudicio ignis vexebitur *Trinitate signatos.* fortasse & hunc ipsum numerum in tribus pueris olim veritus est.

An cœli in Mundi incendio comburẽdi sint.

Ignis iudicij Sanctos non lædet, vt nec tres pueros in camino.

13 *Sicut vestimentum veterascunt.*) Intelligi per cœlos Sancti possunt; nam & ipsi secundùm corpus moriuntur: *Vestimentum est animæ corpus; Dominus enim vestimẽtũ nominauit, vbi ait: Nonne corpus est plusquã vestimentũ? mutabis eos, nã vt ait Apostolus, immutabimur per resurrectionem.* Vide quã dedeceat hoc indumentum inquinare cœno luxuriæ. quamobrem Sapiens rectè monet:

Corpus vt animæ vestimentum sine inquinamento seruandum

net:

net: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*: ob corporis scilicet castimoniam toto vitæ tempore seruandam vsque à pueritia. sed quàm paucorum ista laus est? atq. hoc fortasse illud est quòd Saluator de vestimento loquens, similitudinem adhibuit liliorum: *Et de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri, quæ non laborant neque nent, &c. nec Salomon in omni gloria sua coopertum est sicut vnum ex istis*. nempè qui corpus animę indumentum libidinibus inquinauit.

14 *Filij seruorum tuorum habitabunt.*) Cur non ait, serui tui habitabunt? *Intrauerunt in terram promissionis de tot millibus duo. laboratum est cum eis tantum: quanta pertulit Moses pro non intraturis in terram promissionis?* sed nimirum significat, non intraturos veteres homines, sed nouos in Christo per reformationem; hæc autem ad Religiosos maximè pertinet. Vide autem vt impensè sit laborandum pro vtilitate aliorum, etiam si illi non correspondeant nostris laboribus, cùm Moses tot labores exantlarit, ac tanta egerit pro populo, qui ob peruicaciam promissionis terram ingredi non meruit.

Non desistendum à prædicatione, licet emendationem non videas.

Ex psalmo CII.

1 QVid retribuam Domino pro omnibus, &c. Non ait: quid tribuam, sed quid retribuam? *Retribuisti enim tu mala pro bonis, & retribuit ipse bona pro malis. retribuisti tu mala, pro quibus bonis? qui es, cùm non esses; sed & lapis est. deinde quia viuis; sed viuit & pecus: sed fecit te ad imaginem, & similitudinem suam. similitudinem ipsius retribue illi. non plus quærit; nummum suum exigit.* pulchrè Dei similitudinem velut impressam in nummo Imperatoris imaginem dicit. sine hoc beatitudo enim non potest. acutè autem adnotat, cur non tribuendi, sed retribuendi verbo sit vsus, vt & ingratitudo nostra indicetur, qua pro beneficijs reddimus peccata; & Dei pietas, quæ pro his reddit resipiscenti gloriam.

Deo reddimus mala pro bonis, cōtra ipse bona pro malis.

2 *Quid retribuam, &c.?*) *Quid illi offeres xeniorum? quod munus? Immola, inquit, Deo sacrificium laudis, &c. laudari se vult Deus, vt tu proficias, non vt ipse sublimetur. exigit, non sibi, sed tibi exigit, tibi proderit.* præclarè ait, quicquid Deo damus, in nostrum, non in ipsius recidere bonum. ideò statim additur: *Redde Altissimo vota tua.* vocat Altissimum natura, ne putes per te fieri sublimem, dum laudas.

Quod Deo damus, nobis, non ipsi prodest.

3 *Calicem salutaris accipiam.*) *Deficiebant Martyres quærentes, & non inuenientes quæ retribuerent: Calicem, inquiunt, salutaris accipiam. quid? calicem salutaris. nonne ipse Dominus dedit? de tuo retribue si potes; sed si de tuo retribuis, peccatum retribuis. tuum hoc solùm habes. si segetem attuleris, de agricolæ illius fructu retribuisti; si spinas, de tuo obtulisti.* acutè adnotat, cùm dixisset, se velle retribuere dando, potiùs se accepturum subiungit: nempè quia nihil habet de se proprium, aut dignum Deo, de nostro nonnisi peccatum est.

Quicquid Deo damus, ipsius est, præter peccatum.

4 *Calicem salutaris accipiam.*) *Quid hoc est, nisi passionem Domini imitari? Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum? caue, ne deficias, & ideò nomen Domini inuoca. hoc Martyres fecerunt.* acutè adnotat, cur post tantam auiditatem, ac sitim bibendi calicis, hoc est dominicę passionis imitādę addiderit, *Nomen Domini inuocabo*; ne id per se posse videatur. Vide igitur quātam alacritatem conferat ad martyrium nomen Domini, & vt roboret ad fundendum sanguinem; nimirum & nomen Iesu non sine sanguine fuit impositum in circumcisione: magnum igitur habet incitamentum, & præsidium ad martyrium Societas Iesu: hinc tanta illa auiditas fundendi pro fide sanguinis. porrò ad hunc calicem refero scyphum illum pro insigni amoris positū in sacco Beniamin, in quo se augurari, ac diuinare dicebat Ioseph. nulla enim re magis diuinare possumus, & certificari de sanctitate alicuius, quàm si calicem passionis accipiat, si libenter inde bibat.

Iesu nomen Martyri vires addit.

5 *Qui sanat omnes infirmitates tuas.*) *Omnes, inquit; nam omnipotenti Deo nullus languor insanabilis. tantùm curari te sine; manus eius ne repellas, nouit quid agat.* addit: quid non agunt ægri, vt curetur morbus? licèt multi inter manus medicorum, dum curantur, expirent: *& tamen Ligari se volunt homines, & secari, daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te fecit, & certus curat, & gratis: sustine manus eius.* omninò spem magnam ista verba afferunt ad omnium peccatorum, & si quamplurima sint, veniam; modò adhibeamus in remedijs pro salute animi accipiendis promptitudinem. pergit similiter in eodem: *Qui sanat omnes infirmitates tuas. Omnes, inquit; etenim ab ipso Deo cogitato quanta reuocant? quanta à sublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantasmatum? qui populi suggestionum? totum hoc in corde humano tanquam de vermibus huius corruptionis scatet.* adeò magnus morbus est, & fœdus. vide quanta sit nostra imperfectio in hac vita, cuius radix est originale peccatum. quid tam alienum à Deiparæ conceptæ dignitate, quàm hæc verminosa corruptio? vnde in nos tam fœda criminum scaturigo. elegāter autem multitudinem distractionum à bono appellat *Populos suggestionum*.

Distractiones populi suggestionum sunt.

Fœditas peccati originalis vnde cætera.

6 *Qui sanat contritos corde.*) *An non te sanabit qui talem te fecerat, ut nunquam egrota-*

tares, si eius præcepta seruasses? opus est, vt sanari velis: quid hoc beatius? si velles esse in aliquo sublimi honore in terra, proconsulatum, præfecturã si concupisceres, nunquid cõtinuò posses quod velles? Vide quanta sit vis voluntatis, quod & Venusinus Poeta venustè indicans dixit: Velis tantummodò, quæ tua virtus, expugnabis. Deo tamen iuuante. de humanæ verò gloriæ inanitate addit, etiam si ad eum honorem volendo tantùm peruenires: *Quid prodest honor ægrotis? quis non ægrotat in hac vita? nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est; quotidiana medicamenta sunt refectiones. temperamus ipsis fomenta ærumnam ægritudinis nostræ.* fames, sitis veluti morbi sunt, qui te occiderent, nisi medicamenta adhiberes refectionis. rectè ait, cibos non ad delicias datos, sed ad leuamentum ægritudinis. quid igitur splendidè de ijs gloriaris? rectè item dicit, ortum nostrum esse initium occasus. frustra igitur honorem, & gloriã affectari ab ægroto mox morituro. nasci est incipere mori.

Voluntatis eximia vis in assequendo q̃ vult.

Nasci est incipere mori.

Cibus nõ ad delicias, sed ad ægritudinis sustentaculũ datus.

7 *Qui redimit de corruptione viam tuam.) Initus est bonæ fidei contractus. nemo fallit Redemptorem tuum. egit commercium pretium salutis, sanguinem fudit; ò anima erige te, tanti vales.* pulchra metaphora de contractu hortatur, vt à terrenis ad cœlestia transferamur, cùm tanti valeamus, diuino sanguine venales.

Ingens animę pretium.

8 *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.) Iam fortè arrogans esse cœperas, cùm audires: Coronat te; ergo magnus sum, ergo luctatus sum, sed cuius viribus? tuis? sed ab illo subministratis; sed vide quis prior vicerit, quis fecerit te secundò victorem: ego, inquit, vici seculum; gaudete ergo; coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua: Plus omnibus laboraui, ait Apostolus. sed adiungit: Non ego autem, sed gratia Dei mecum; de cætero reposita est mihi corona iustitiæ, &c. ergo & quòd coronaris, illius misericordia coronaris.* rectè adnotat, coronam iusti à Dei misericordia contexi. beatitudo gratiæ debetur, & illius viribus luctæ victoria. nec iactet se Religiosus de posthabito seculo. hanc sibi laudem Christus, qui te vocauit, tribuit sibi: *Ego vici seculum.* rectè igitur dictum: *Coronat dona sua, non merita tua.*

Deus coronat in nobis dona sua, nõ merita nostra.

9 *Quæ retribuit mihi.) Retributio est, cùm peccator vocatus es, vt iustificeris. retributio est, cùm tibi vires subministrauit, vt vsque in finem perseuerares, &c.* Vide cumulum beneficiorum, & gradus retributionis, quibus attollimur ad cœlum. reductio à peccato, præseruatio à peccato, conseruatio in gratia:

Cumulus ingens beneficiorũ Dei.

10 *Qui satiat in bonis desiderium tuum.) Nunc audis bonum, & anhelas, & suspiras. hoc ipsum quod peccas, eligendi boni auiditate falleris. omnes creaturæ habent bonum integritatis, & perfectionis suæ. bonum tuum quære, ò anima: nemo bonus, nisi vnus Deus; summum bonum hoc est tuum bonum. quale bonum, quis dicat? defecimus in voce, sed non in affectu. iubilemus Deo. quid est iubilare? deferre vocem ineffabilium gaudiorum, & ructare in eum lætitias vestras; & quæ erit illa ructatio post saginam, si nunc post modicas istas refectiones tantùm afficitur anima nostra?* affectu plena sunt ista, & animo recolenda. omnes quærimus bonum, sed in electione fallimur, quia nostrum bonum nonnisi summum est. Illud autem de ineffabili iucunditate iusti egregiè ad Xauerium in primis pertinet, qui non valebat eam cordis vase cõcludere, ideòq; clamabat: Sat est Domine, sat est. quid igitur in patria? *Quæ erit illa ructatio post saginam, si nunc post modicas istas refectiones tantum afficitur anima?* nempè scriptum est: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Ineffabilis est iusti voluptas in corde.

11 *Renouabitur vt aquila iuuentus tua.) Quando erit hæc repletio in bonis? quando renouabitur vt aquila iuuentus tua? idest post resurrectionem. Aquila crescente rostro, & nimis aduncato, non potest cibum sumere, hoc ei facit senectus. ideò dicitur collidere, & percutere ad petram ipsum quasi labium superius, atque ita conterendo accedit deinde ad cibum. redit vigor membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum. volat excelsa sicut antea; fit in ea quædam resurrectio.* & paulò post ait: *Non præsumas viribus tuis. firmitas petræ tibi excutit vetustatem, de qua Psalmista ait: Inueteraui in omnibus inimicis meis. inueteraui carne mortali; oblitus sum comedere panem meum. creuit vetustas, os clausit, atteratur in petra.* pulchrè admodum renouationem aquilæ describit, ac transferri potest ad renouationem spiritus, quæ in nostra Societate ritè fieri solet. id verò per mortificationem maximè fit. pulchrè ipse refert renouatam hanc aquilam ad resurrectionis gloriam: *Cùm præmisisset: Qui satiat in bonis desiderium tuum; quasi respondeat anima: non satiabor de mortalibus, de temporalibus; aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat. desidero saturari quodam excelso, & inenarrabili bono, de quo iubiletur potius, quàm aliquid explicetur, respondet tibi: Renouabitur, vt aquila, iuuentus tua: non est nunc idonea anima tua ad magnum illum cibum; rostro es clauso, vetustas tibi os clausit; propterea tibi petra data est, vbi vetustate contrita, renouetur iuuentus tua, vt aquila, vt possis manducare panem viuum.* Vide qualis esse debeat fames nostra: *Saturari excelso, & inenarrabili bono.* hic igitur vt aquilæ renouemur, acuamus rostrum, vt cœlestem illum cibum euolãtes in cœlum gustemus. quanquam & nunc ad Eucharistiam puto id referri posse. porrò hac oc-

Aquilę renouatio quomodo fiat.

Aquilæ renouatio typus resurrectionis.

Quã auidè sit appetenda visio Trinitatis.

casione exponit illud Euangelij de tribus panibus: *Mendicus ante ianuam eius sto. non dormit quem inuoco. det mihi tres panes. dixerat Philippus: ostende nobis patrem. solum patrem quasi desiderabat; ostendit Dominus tres panes desiderandos: Qui videt me, videt et patrem meum. promisit & Spiritum, quem ego mittam vobis à Patre.* Nota quanta fame, & auiditate sit expetenda fruitio sempiternæ Trinitatis, & quàm promptus, & paratus sit Deus.

Ioan. 14.

12 *Faciens misericordias Dominus.)* Non potest aliquis in se habere misericordem Deum, nisi & ipse sit misericors: *Satiari vis bonis Dei? satiata sit in te misericordia Dei.* pulchrè ostendit quasi famelicam Dei misericordiam, quæ de nobis satiari vellet; quod agimus proximis benefaciendo. Tùm addit: *Audi quæ sit mensura misericordiæ. Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui vos oderunt.* Nota magnam cibi mensuram. adeò famelica, & auida misericordia Dei est. ad hanc misericordiam refert illud de adultera. Affers, inquit, adulteram ad Christum, interrogas de pœna: *Si peccator es, in peccatricem desine sæuire; si ex lege sæuis, melius id nouit legislator: at Dominus inclinato capite scribebat in terra. tunc scripsit in terra, cùm se inclinauit in terram. antequam se inclinaret in terram, non in terra scripserat, sed in lapide. iam fructuosum aliquid erat terra de Domini literis paritura. in lapide legem scripserat, significans duritiam Iudæorum. in terra scripsit significans fructum Christianorum. venerunt ergo illi adducentes adulteram tanquam sæuientes fluctus in petram, sed eius responsione confracti sunt: Qui ex vobis est sine peccato, primus lapidem mittat; & rursum inclinatus scribebat in terra. repulit eos non infirma mulier adultera, sed adultera conscientia; iudicare volebant, venerunt ad petram, sed absorpti sunt iuxta petram Iudices eorum.* acutè adnotat, primò Deum scripsisse in lapide, cùm legem dedit, nimirum quia Iudæi duri erant, & infructuosi. deinde vbi se inclinauit per incarnationem, scripsit in terra, quasi pietatis fructum ex ea delaturus, per crucis aratrum eam excolendo, sanguine irrigando, &c. vt esset frugifera, &c. huc refero illud Esaiæ: *Inclinauit cælos, et descendit,* .i. inclinati sunt vidétes Deum in ipsis sedentē inclinari in terram. acutè autem dicit, adulteræ accusatores ab adultera conscientia propria reos esse factos; tùm accusationis fluctus à Christo tanquam à petra, scopuloq; repulsos. tulerant lapides ad lapidandam adulteram; sed à conscientia coacti sunt apud Christum, qui petra est, eos relinquere. Illud prçterea aduerto, Christum etiam in morte inclinasse caput, tanquam inscribere vellet in terra: sed quid, & quomodo? sanguine suo nostram à reatu liberationē.

Quàm famelica sit Dei misericordia de nostra salute.

Cur Dñs primò scripserit in lapide, cũ legem dedit, & postea in terra, cum adulterā absoluit.

13 *Faciens misericordias Dominus,) Tu quibus facies? omnibus. scriptum est enim: Omni petenti te da.* & tamen alibi dicitur: *Desudet eleemosina in manu tua, donec inuenias iustum, cui eam tradas.* non hæc sibi aduersantur: *Da omnibus etiam peccatori, non tamen vt peccator est, quia tibi placet, vt venator, vt histrio, vt auriga Circensis; nam si hoc titulo ipsi iusto dares, nullam acciperes mercedem; sed da peccatori quoque, vt opus Dei est, vt iustus & ipse fiat.* acutè vtrumque locum conciliat. vbi vides quid spectandum sit in eleemosina, & quàm stultè agāt qui pecuniam impendunt in comœdos, &c. Tùm ad eam faciendam sic hortatur: non deest, vnde Deus det; nam antèquam vidua pasceret Heliam per coruum, eum pascebat; sed vult te subuenire pauperi, quia hoc tibi prodest. exercenda igitur in egenos misericordia est: *Non est aliud vehiculum ad cælum.* certè quæ Christus in iudicio se obiecturum dicit, ad hanc misericordiam pertinent. rectè, ac pulchrè vehiculum vocat misericordiam in egenis, quasi sine labore nos ferat, facillimè, & celeriter, iuxta illud Apostoli: *Rapiemur in nubibus.* magni autem ponderis hæc verba sunt de eleemosinæ necessitate: *Non est aliud vehiculum ad cælum:* vnum dicit. Neq; illud omittendum, quod in misericordia exercenda Deum imitandum dicit, & affert egregium locum Ecclesiast. *Desudet eleemosina in manu tua, donec inuenias iustum, &c.* quasi dicat, non ex rapto, sed ex tuo sudore, & labore sit comparata pecunia, quam das; deindè ne lentus sis, sed curras, recurras quærens cui des. potes & ad Christi sudorem in horto referre: *Factus est sudor eius tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram.* en celeritas in eleemosina, idest in pretio sui sanguinis, quem nobis mendicis dedit.

Eccl. 12.

Pecunia non in vanos vsus sed in pauperes impendenda.

Eleemosina vnicū vehiculū ad cœlū est.

Eleemosina curoe sudare in manu dicatur?

14 *Qui sanat omnes languores tuos.) Hinc illud Apostoli: Infelix ego homo, &c. & sentio aliam legem, &c. cognouit se esse in contentione, ipsemet sibi non concordans, à se dissonans, à se resiliens.* pulchrè explicatur corruptæ naturæ sensus per discordantiam, & dissonantiam vocum; item durities voluntatis, vt è saxo resilit, quod eò conieceris. contra in Adamo ante peccatum harmonia rationis erat, & sensus, tanquā lyra benè consona, ad Dei laudes aptè temperata. quid iucundius? erat etiam in eo facilitas sine peruicacia, & duritia. quid felicius?

Harmonica consonantia in Adamo ante peccatum.

15 *Longanimis, & multum misericors.) Sed audi Apostolum: An diuitias, inquit, benignitatis, & longanimitatis eius contemnis, ignorans quod ad pœnitentiam te expectat? quod tibi parcat, putas quia places ei? ne tardes conuerti. vox coruina est, cras, cras. coruus de arca emissus, non est reuersus. non quærit*

Deus non amat vocem coruinā, sed gemitū columbinū.

Deus

Deus dilationem in voce coruina, sed confessionem in gemitu columbino, missa columba reuersa est. ignoras vltimum cras. sufficit quod tandiù vixisti peccator. longanimis est Deus, & multum misericors, sed addidit: & verax. gaudes ad verba superiora, ad vltimum treme; experieris iustum, quem contempsisti benignum. Egregiè dictum contra eos, qui differunt conuerti, quos rectè coruis comparat cadauerum pastu assuetis. pulchrè autem ait, columbæ gemitum requiri, quia candidè, & simpliciter exponenda peccata.

16 *Aut in finem irascetur, &c.) Non solùm cogitare debemus, vt futuras minas euadamus, sed & præsentem iram: auctori nostro dictū: Terra spinas, et tribulos pariet tibi. haud est aliud vita nostra; si poteris, conuertere ad aliquam voluptatem, in qua spinas non senties. in honorum cupiditate quantæ spinæ? in luxuria libidinum quantæ spinæ? omitto gehennam: vide ne iam ipse tibi gehenna sis.* perpende vim verborum, & vide quàm mundani fallantur dum putant delicias, & solatia in terra se reperturos: sed frustra, immemores scilicet sunt maledictionis terræ datæ. cruciantur certè ob conscientiæ punctiones, & quod maximè horrendum est, ipsi sibi Inferi sunt, & gehennam iam nunc secum circumferūt:

In terra per maledictionē nō delitię sed spinæ sunt.

Peccatores ipsi sibi gehenna sunt.

17 *Secundùm altitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam suam.) Si aliquando potest cælum abscedere à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere suos. peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo, & tamen proteguntur cælo. tolle auxilium cæli à terra, statim deficiet, talis est & protectio Dei.* pulchrè dictum. cælum testis est scelerum, & tamen cælo tegimur, & protegimur, inde defluuia, lux, &c. ita etsi peccatis nostris offendatur, semper beneficus Deus est. huc refero illud filij prodigi: *Pater, peccaui in cælum, & coram te.* cur hæc iungit, cælum, & patrem? nempè ob similitudinem in benefaciendo etiam malis.

Cælum licet testis scelerum, tamen protegit terram, sic Deus.

18 *Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.) Quando peccata remittuntur, peccata tua tanquam in occasu sunt; Gratia, quæ liberat, in ortu est; sed pars cæli, quæ surgit, rursus in occasum it. non vndique possunt similitudines duci.* pulchrè dicit, in Sacramento confessionis tanquam in Ortu Solem, sic Gratiam illucescere, nec tamen hanc, quantū in se est, vnquā occasū pati Solis more. Addit: *Nata est Gratia tua; occidunt peccata tua: ad ortum conuerti debes, ab occasu auerti.* eleganter ostendit Gratiam vel Auroræ, vel orienti Soli similem, depulsis tenebris explendescere.

Gratia Auroræ, ac Soli orienti cōparata.

19 *Sicut miseretur pater filiorum, &c.) Sæuiat quantum vult pater, sub patre plora. noli cum indignatione, noli attendere quàm pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento.* egregiè dictum, nempè castigat te pater, sed hæreditatem tibi reseruat. est hoc magnum solatium, si filius dum flagellatur, conuertat se ad cogitandum mox fore se paternæ opulentiæ, ac tituli successorem; & inter virgas, quibus nunc cæditur, sibi proponat sceptrū, regias secures, ac fasces, quas mox prælaturus est honorificè. paterna est Dei punitio, corrigit, non exhæredat.

Paterna Dei punitio non exhęredat

20 *Homo sicut fænum dies eius; sicut flos agri, sic efflorescet.) Totus splendor generis humani, honores, diuitiæ, minæ, tumores, flos fœni est.* breuis, sed præclara vox; & diuitum auribus inculcanda. Tùm pulchrè addit: *Bonum est, vt misericordia eius super nos sit, & de fœno aurum faciat. noli mirari, quia particeps eris æternitatis eius. factus est ipse prior particeps fœni tui.* cùm scilicet Verbum caro factum est, omnis autem caro fœnum. Nota vim eximiam misericordiæ Dei. fœnum corruptibilis carnis nostræ commutare potest in aurum incorruptæ immortalitatis; ac propterea & in fœno natum reor, sed fœnum illud auro pretiosius fecit, quia aurum apud se regium proiectum habuit.

Dei misericordia fœnum nostrum in aurum vertit per immortalitatem.

21 *Benedicite Dominum, &c. facientes voluntatem eius.) Omnes enim malè viuentes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. malè viuendo multas linguas misisti in blasphemiam. lingua tua vacat hymno, & cætera te intuentes vacant blasphemijs. si ergo vis benedicere Domino, fac voluntatem eius.* acutè notat, improborum lingua, licet concinēte hymnos, non benedici Dominum, sed maledici, quia malè viuunt. tùm vide quantum damni redundet in alios ex malæ vitæ exemplo.

Male viuendo Domino maledicitur, etiam si lingua benedicat.

Ex psalmo CIII.

1 *Magnificatus es vehementer.) Nonne semper magnificus? ex me magnus fit? simile est quod quotidie dicimus: Sanctificetur nomen tuum. sanctum est semper nomen tuum; sed quibusdam immundis nondum sanctum est. rogamus igitur pro genere humano, rogamus pro Orbe terrarum, pro omnibus gentibus disputantibus, quia non est Deus. rectus, vt aliquando ipsi se corrigant, & rectum cor ad illius rectitudinem ducant.* Vide quomodo magnificus dicatur Deus, & quid maximè in oratione petendum sit, conuersio totius generis humani, & diuini cultus amplificatio.

Magnificatur Deus ex Orbis conuersione.

2 *Confessionem, & decorem induisti.)* Confessionem prius posuit, quàm decorem: *Quæris anima, vt amet te sponsus? speciosus ille est præ filijs hominum. osculari vis fœda pulchrum; diffusa est gratia in labijs tuis. prius attende quæ sis, ne audeas ire fœda in pulchri oscula. posuit tibi in speculum Scripturam sacram. legitur ibi: Beati mundo corde. vide in speculo, si hoc es, quod ait. si nondum es, geme vt sis. renunciauit tibi speculum faciem tuam. sicut spe-*

Confessio delicto rū cedit in decus.

Præparatio ad Eucharistiā qualis sit

Eucharistiā sumere est in osculum Christi currere.

culum non sentiens adulatorē; sic nec te palpes; hoc tibi ostendit nitor ille, quod es. vide quę es. si tibi displicet, quare vt non sis. pulchrè vocat speculum sacram Scripturam, in quo componere debeamus animam placituram spōso Deo. hoc maximè ad Eucharistiæ præparationem refero, tanquam in speculo: *Attēde quæ sis, ne audeas ire fœda in pulchri oscula.* huc pertinet illud psalmi: *Apprehēdite disciplinā, ne quādo irascatur Dominus.* legunt alij: Adorate panem; alij: Osculamini filium.

Psalm. 44.

Displicēs sibi placet Deo.

Confessio præcedat oportet Eucharistiæ sumptionem.

3 *Confessionem, & decorem induisti.) Si cùm fœda sis, tibi ipsi displices, pulchro iā places. hoc illud est psalmi: Incipite Domino in confessione. prius accusa fœditatem tuam, sic incipis à cōfessione decorari, decorante speciosò præ filijs hominum, qui, vt te decoraret, audeo dicere, amauit & fœdam; nam pro impijs mortuus est. quā ergo vitam seruat tibi iustificato, qui suam mortem donauit & impio? immò & pro te factus est fœdus, non habens speciem, neque decorem: speciosus forma in forma Dei; sine decore in forma serui.* Vides, ex confessione non dedecus, sed decorem accipi, & aptè legit: *Incipite in confessione.* hæc enim præcedit, cum ad Eucharistiam accedimus; ibi labes in speculo cognitas eluimus. Tandem concludit: *Ergo anima decora esse non potest, nisi confessa fuerit fœditatem.* huc refert locum Cantic. *O decora inter mulieres. & quæ est ista, quæ ascendit dealbata? idest non fucata, vt cæteræ mulieres, quæ videri volunt quod non sunt; nec sicut paries dealbatus, qui destruetur: foris tectorium, intus lutum; sed dealbata, idest illuminata, quia non per se alba, sed accedit gratia illuminans, & dealbans: Fuistis, inquit Paulus, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. quantæ felicitatis est ista dealbata, vt cum esset nigra, pulchrum ad se deponeret, qui pro impijs moreretur?* dixerat: *Nigra sum.* nota duplex munus Gratiæ, illuminādi, ac dealbādi, & vt sinceritatis amica sit, ideòq; nihil simulationis, ac fuci ponit, vt animam faciat pulchrā. & rectè adnotat, dealbatam dici animā, nō albam, quòd candorem non habeat ex se.

Gratia illuminat, & dealbat.

Gratia sinceritatem amat, hypocrisim odit.

Cur anima iusti dealbata dicatur, non alba?

4 *Decorem induisti)* Non esse contrarium ait illud Esaiæ: *Non est ei species, neq; decor.* Tùm Iudæos exagitat, ei quasi deformi illudentes: *O agitantes caput ante crucem, & non potius figentes caput in capite, quod pendebat è cruce; meritò nutat insultantium caput, donec sit eorum caput ille ipse, cui insultabatur.* acutè arguit, & ostendit, cur Iudæi mouerent caput instabile ante crucem, quia nimirum non habebant Christum pro capite, cui firmiter defixi crederent.

Christus & in cruce pulcher.

Cur Iudæi illudētes mouerent capita ante crucem?

5 *Circumamictus lumine sicut vestimento,) Hoc est Ecclesia, quæ non habet maculam, neque rugam.* ad hoc lucidum, & splendidum vestimentum spectat illud: *Nunc autem lux in Domino.* Addo, cur Deus dicitur lumen habere pro veste, cum potius vestis ad tegendum sit facta, lumen autem ad detegendum valeat? puto, quia vestis in Adamo est inuenta ad fœditatem tegendam, contra in Deo, qui est ipsa pulchritudo, lumen potiùs pro veste est, quod eius decorem detegat potius, & ostendat. hoc ad Christi trāsfigurationē refer, cùm *Resplenduit facies eius ut Sol; vestimenta autē facta sunt alba sicut nix.*

Ecclesia splendidū Dei indumentum.

6 *Extendens cælos sicut pellem.) Quia in Sapientia Dei non poterat cognoscere Mundus per sapientiam Deum; ideò elegit Deus mortales, adhibita lingua mortali, & tibi factum est cælum, vt cognosceres Verbum immortale.* mox addit: *Nos sub cælo tanquam sub pelle diuinarum Scripturarum, legimus nunc cùm tenditur; etenim postea cælum plicabitur, vt liber. multò magis tenditur, cùm mortui sunt. nam post mortem plus innotuerunt Prophetæ, & Apostoli, quàm cùm viuerent: tunc nondum erat contenta pellis, vt tegeret Orbem terrarum.* rectè vocat sacræ Scripturę cœlum, volumen in membrana scriptum, & vbique lectum; & prædicationem ipsam Euangelicā quasi pellem ait extentam iam per totum Orbem terrarum; quæ morte, atque martyrio magis extenditur. idq; in primis refero ad equuleum martyrij genus, quo extenditur Martyr; & ad Bartholomęum Apostolum, cui pellis extracta est; cuius prædicatio vsq; ad vltimos terræ fines peruenit. & rectè ait, vt Dei sapientia se nobis attemperaret, dispensatam per mortales homines, quia pellis ex mortuo animali fit.

Sacræ scripturæ liber quasi i mēbrana cœlesti toto Orbe legitur.

Per martyrium doctrina Euangelica per Orbem quasi pellis extēditur.

7 *Qui tegis aquis superiora eius.)* ait Paulus: *Supereminentem viam vobis ostendo, scilicet charitatem. si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum. Nihil inuenies eminentius charitate in diuinis libris. ei militant omnes linguæ Sanctorum.* Eleganter ostendit, charitatem tanquam præcipuum locum habere in spiritalibus cæteris, hoc est Imperatoris munere fungi, ad cuius nutum instruitur virtutum acies. quamobrem ait Sponsa: *Vexillum erexit in me charitas*, vt vertunt 70. in vexillo autem imago erat Imperatoris. linguæ igitur Sanctorum sub hoc Imperatore merent stipendia quasi milites, contra peccatum pugnant, quod hostili odio opponitur charitati, & prædicatione acri illud exagitant. pulchrè ergo ait: *Charitati militant omnes linguæ Sanctorum.*

Cor. 2.

Charitati militant omnes linguę Sanctorum.

8 *Qui facis nubes ascensum tuum.) Ascendunt alij in cælum per prædicationem nostram; omnes Prædicatores verbi veritatis nubes accipi possunt. vtinā me Dominus inter illas qualescumq. nubes numerare dignetur. viderit quā nebulosa nubes sim.* præclarum Augustini votū. sed nota quā se indignū Prædicatoris munere tantus Doctor dicat; cū tā lucida nubes esset, nebulosam tamē, & crassā se reputat. tùm vide quid agere debeat Prædicator, attollere alios ad cœlum, vt nubes illa in ascensu Christum sustulit. ad viros igitur

Augustini humilitas nubē se crassā dicentis.

Apostolici viri vt nubes illa quę in cœlum sustulit Christū

tur Apostolicos refero illud Iob. ex 70. *Ab Aquilone veniunt nubes coloris aurei*: ob splendorē .s. virtutis; & mirū q̄ ab Aquilone, q potiùs dissipat nubes. sed hoc gratiæ prodigiū est, vt quidā ex aduersarijs in tantā perfectionem peruenerint, cuiusmodi Cyprianus fuit, & ipse Augustinus.

9 *Qui ambulas super pennas ventorū.*) Allegoria aliud in verbis, aliud in intellectu significat: *Pennæ vētorū virtutes sunt animarū, à quib⁹ sursū attolluntur.* duæ alę sūt duo p̄cepta charitatis: *Quisquis dilexerit Deū, & proximū, animā habet pennatā, liberis alis sācto amore volantem ad Deū. q autē implicatur amore carnali, viscū habet in pennis.* elegāter dicit, pennatā animam p virtutes attolli, p̄sertim p charitatē; p terrenas autē voluptates quasi visco implicatā teneri. quid q̄ in Sanctis nonnullis adeò pennata erat anima, vt & corpus p ecstasim sursū attolleret? q̄ videlicet īdiciū erat, geminas istas charitatis alas habuisse. huc facit q̄ addit: *Anima habet alas, & pēnas, ideò in psal. dicitur: Quis dabit mihi pēnas, sicut colūbę, & volabo? & in alio: Si accepero pennas, vt colūbæ, & volabo in extrema maris.* sic legit, vbi vulgata habet *Si accepero pennas diluculi.* vel vt alij, Auroræ: *Et habitauero in extremis maris. in extrema maris volare, est spē iā prætendere ī finē seculi. sed quomodo eò venit, etiā acceptis pennis? etenim, inquit, illuc manus tua deducet me; nā & cū pēnis meis casurus sū, nisi tu deducas.* mirū q̄ etiā pennas habenti sit timēdū tandē de lapsu, ne volatū intēdere queat. huc refero illud Ezechielis de Cherubim in typo insti, q licet haberēt alas, tñ erat *Manus hominis sub pennis eorū.* adeò omnes naturæ dotes, etiā sapiētiæ, sine Christi adiutorio nihil p se possunt. p̄terea hoc seculū mare procellosū est; volādū dicit ad huius extrema, hoc est debemus finē seculi præstolari, initiū communis beatitudinis. Huc itē spectāt q̄ pulchrè subiūgit: *Ergo alas habent bonas, & liberas, et nullo visco obligatas animæ habentes charitatē; sed quid ad illā dilectionē Dñi, qua sunt dilectę, etiā cū uisco essēt implicatæ? maior ergo in nos dilectio Dei, quā nostra in illū. nostra dilectio pennæ nostræ sunt; sed ille ambulat super pennas ventorū.* acutè adnotat, cur nos pennis feramur, Deus super pennas, qa superat dilectionē nostrā. huc refero illud Bernardi, q ait: *Etiā cū anima tota se effuderit, quid est ad eius amoris perenne profluuiū?* Addo: amor ardens omniū Sāctorū tantū scintillæ dicuntur, immò *scintillæ in arundineto*, qa is amor vacuus est, nihil Deo confert. deinde has alas charitatis demonstrari à Paulo dicit: *In charitate radicati, & fundati. Iā dat illis alas, & pennas: Vt possitis, inquit, cōprehendere q̄ sit latitudo, &c.* de cruce id posse intelligi ait. Tum sic mysticè: *Habentes latitudinē, qua benè operamur; lōgitudinē, qua p̄seueramus; altitudinē, vt nihil agamus, nisi spe cælestiū premiorū; profundū autē, vbi fixa erat pars crucis, & nō videbatur: inde resurgebāt, q̄ nō videbantur. quid est, q̄ occultū, & nō publicū in Ecclesia? Sacramentū baptismi, Sacramētū Eucharistiæ. opera nostra vident & Pagani; Sacramenta occultātur illis, sed ab ijs, q̄ vidēt, surgunt ad illa, q̄ nō vidēt; sicut à profundo crucis, q. in terra figitur, surgit tota crux, q̄ apparet, & cernitur.* Vides in cruce sitā perfectionē nostram, & ex Sacramentis tanquā è profundo crucis existere bonā operationē, p̄seuerantiā, & cordis eleuationē ad spem cœlestiū. Tandem sic infert: *Cùm dixisset Apostolus, in charitate radicati, & fundati. addit: Scire etiā supereminentē scientiā charitatis Christi; hoc est amatis quidē vos quantū potestis, & volatis quantum potestis; sed ille ambulat sup pennas ventorū. amatis Christū, & ideò in cruce operamini: sed nūquid amatis quantū ille vos amauit? hoc est vt sciatis supereminētiā charitatis Christi.* pulchrè ostēdit quantū excedat amor Christi erga nos amorē nostrū in ipsū. nos.n. pēnis amoris attollimur, at ipse supeminet pennis nostris, altius volitās vel cōfixus cruci.

10 *Qui facis Angelos tuos spiritus.) Abscondita est ab oculis nostris apparitio Angelorū, et in quadā Republica magna Imperatoris Dei.* egregiè dictū. quis illius Reipublicæ splendorē, & gloriam verbis æquet? quando ille Pyrrhi legatus de Romana Republica retulit, tot se Reges vidisse, quot ciues? est autem magna felicitas, Reipublicæ Angelorum hominem quoque conscribi.

11 *Et ministros tuos ignē flagrantē.) Ignis ardens est omnis minister Dei. nonne ardebat Stephanus? quo igne ardebat? et quis ille ignis erat, quando lapidabatur, & p ijs, q lapidabant, rogabat? quomodo ardebat Paulus cū diceret: Os nostrū patet ad vos, ò Corinthij, cor nostrū dilatatū est? ardebat, & flagrabat charitate, & ibat in eos vt incenderet.* rectè, nā propriū est ignis dilatare. ideò cor Pauli dilatatum; & Xauerius noster sinū laxabat, quasi cor dilataret, quo amplectebatur Orbē vniuersū. Ibat in Indiā incendens, vel ipsos charitate, vel idolorū tēpla excidio. ardebat itē Stephanus orās p inimicis, & illo igne cōflabat aureā coronā suam. illud quoq. pulchrè dictū: *Ignis ardens est omnis minister Dei.* q̄ religiosi maximè de spiritus feruore adnotent. noster Ignatius mittēs socios ī varias Orbis regiones ad cōuersionē animarū, his verbis vtebatur: Ite, incēdite. huc facit q̄ subiungit: *Incendat minister Dei fænū, hoc est carnalia desideria; currat minister Dei prædicans verbū.* nota duplex officiū prædicatoris, vt incēdat, & absumat in alijs carnalia desideria, & currat velox ad salutem animarū. tā combustio, quā velocitas propria ignis est. concludit præclaro dicto: *Nisi ardeat minister prædicans, non accendit eum, cui prædicat.* huc refero illud summi

[Marginal notes, left column:]
Charitas pennatam facit animam.

Ecstasis Sanctorum per pennas indicata.

Sine Dei adiutorio anima licet pennata ad salutis terminum peruolare nō potest.

Dei dilectio maior quàm nostra, ideò sup pēnas volare dicitur.

[Marginal notes, right column:]
Quæ sit crucis longitudo, latitudo, profunditas altitudo.

Ephes. 4

Angelorum quasi magna Respublica Imperatoris Dei.

Ignis ardens est omnis minister De

oratoris: ardeat orator, vt persuadeat.

12 *Fulicæ domus quomodo est dux passerum?) Fulicæ sunt aues maris, vel stagnorum: quare quædam in rebus visibilibus quasi absurda miscet Spiritus sanctus, nisi vt ex eo, quod non possumus accipere ad literam, cogat ista nos sic spiritualiter quærere?* Nota Scripturæ regulam ad nostram capacitatem se attemperantis, quę & concionatori magisterium exhibet. Tùm ad charitatem horratur: si non potes eleemosinam dare, saltem affabilem te præsta: *Coronat Deus intus voluntatem, vbi non inuenit facultatem.* egregiè dictū. charitas nō tàm de saccello erogat, quàm de corde. deest facultas, at non desit voluntas, nam & hæc coronatur.

Voluntas adsit, cum deest facultas.

13 *Circumamictus lumine sicut vestimento.) Audio Deum luce vestitum, & lux ipsa, si volumus, nos sumus, si iam non tenebræ sumus.* Vide quanta dignitas, vt Deus nobis quasi splendido vestimento, ac trabea, & augustali paludamento indui gaudeat. Alludit ad illud Pauli: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* iusti igitur adhærent Deo, vt vestis corpori, iuxta illud: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* neque enim ille ornamentum, & decus sumit à nobis, sed nos ab ipso. ꝙ autē ait: *Lux ipsa, si volumus, nos sumus.* certe homo gręcè φῶς appellatus est, vt ait Gregorius Naz.

Iusti splēdidū Dei vestimentum sunt.

14 *Foderunt manus meas, &c.) Præteritum tempus pro futuro poni solet in Scriptura: ita præuidente Spiritu, quæ ventura sunt, quasi iam facta sint. solemus hinc legere illud psalmi, vbi tanquam Euangelium legitur: Foderunt manus meas, &c. in figura autem futuri dicere præterita, non facilè occurrit legenti. non audeo dicere, non est, sed certè studiosis earum literarum indixerim, quod quærant. si inuenerint, & ad nos attulerint, gratulabimur adolescentium studijs ociosorum occupati senes; nec dedignabimur, quando Christus de omnibus docet.* Vide ingenuitatem tanti Doctoris, etiam adolescentium studijs nonnihil deferentis, & inde discere satagentis.

Psalm. 21.

Ab omnibus etiam iunioribus discere satagit Augustinus.

15 *Super montes stabunt aquæ, qui emittis fontes in conuallibus.) Montes sunt magni Prædicatores verbi, sublimes Angeli Dei, quāuis adhuc in carne mortali, excelsi non sua virtute, sed illius gratia. Audi mōtem, dicit Apostolus: Plus omnibus laboraui. magnitudo quędam commendatur. statim autem, vt profluant aquæ, conuallem se fecit: Non ego autē, inquit, sed gratia Dei mecum. Non repugnat, vt qui sunt montes, sint & conualles: sicut .n. montes dicuntur propter spiritualē magnitudinē, ita et conualles propter humilitatē: ergo cōuallis est, & Gratia Dei fons est; fiet, inquit, ei fons aquæ viuæ salientis in vitā æternā.* Nota magnitudinē, & excellentiam virtutis, & vitæ Apostolicæ, quæ tñ coniungi cum humilitate debet, vt possit irrigari abundè fonte Gratiæ, qui fons in conualles quidē defluit, sed

Viri Apostolici, & montes sunt ob perfectionē, & valles ob humilitatem

fit in eo fōs aquæ saliētis, &c. & vide quasi biforme miraculū. Mōtes & sublimes Angeli Dei dicūtur iusti adhuc in carne positi. quid altius? conualles sunt, quid humilius?

16 *Potabunt omnes bestiæ siluæ.)* Idest gētiles: ita Petrus vidit in linteo omnis generis bestias: *Discus, qui in linteo continebatur, Orbis terrarū erat in quatuor partibus, & ideò etiā quatuor Euangelia. ter submissum vas de cœlo, quia gentes baptizandæ in nomine Trinitatis; et ideò etiā duodecim Apostoli, quia quatuor ter ducta duodecim fiunt.* Vide miram Dei pietatē. fabulantur Astrologi, dum & dracones, & reptilia inter stellas in cœlo ponunt. at id verè efficit gratia per cōuersionē peccatorum. sed modum subiungit: *Quod autē dictū est Petro: Macta, & māduca, est occidere in eis ꝙ crassū est, et in sua viscera assumere.* vide quomodo gratus fiat cibus peccator, ꝑ pœnitētiā .s. & mortificationē: *Macta, et māduca.* cæterū mihi Petrus videt̄ quasi ceruus inuitatus ad reptiliū, & serpētiū illoꝝ esū. fuit certè timidus cū negauit, sed vox Dñi obstetricātis ceruos, cū recordatus vocis Dñi vitalē fœtū salutis ꝑtulit.

Linteum Petro per uisum oblatum typus gentium conuersionis.

17 *Suscipiāt onagri in sitim suā.)* Onager ferū animal, & agreste, & iugo indocili erant indomitę ātea gētes, & velut in deserto vagātes, sed ab Euāgelij aqua nō repellūtur: *Sic tēperatè fluit hęc aqua, vt Onagrū satiet, nec leporem terreat. sonat strepitus vocis Tullianæ; legitur Platonis dialogus, seù cuiuscūq; taliū, audiūt imperiti, quis audet illuc aspirare? strepitus ibi aquæ, & fortè turbatæ, certè tñ tā rapaciter fluētis, vt animal timidū nō audeat accedere, & bibere; sed cuinā sonuit: In principio erat Verbū, etc. et nō est ausus bibere? cuinā sonat psalmus, & dicat: multū est ad me, occulta sūt mysteria? tñ ita sonat, vt et pueros audire delectet, & imperiti accedāt ad bibēdū, et satiati ructāt in psallēdo. bibūt ergo maiores bestiæ, & minores, sed capacius maiores, qa suscipiūt Onagri in sitim suā.* elegāter, ac pulchrè, doctrinā euāgelicā, vt limpidā aquā benè fluētē, & omnibus ꝑpositā ꝑponit philosophicæ, siuè Platonicæ turbidæ, & rudioribus inaccessæ. quò referri pōt illud: *Quid tibi est in via Aegypti, vt bibas aquā turbidā?* quid ꝑphanæ addictus es doctrinę, cū suppetat sacra? hinc etiā illæ minæ: *Pro eo ꝙ abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadūt cū silētio, & assumpsit magis Rasin, &c.* dogmata .n. mundanorum, pręsertim hæreticorum cōtentiosa sunt, & strepitu plena.

Sacrę scripturæ doctrina fōs limpidissimus, & facile fluens secus prophana.

Esai. 8.

18 *Super illos volatilia cæli habitabūt.)* idest super mōtes: mōtes sūt Prophetę, Apostoli, Prædicatores; volucres autē spirituales animæ: *Volatilia spiritualia corda sunt, q̄ aerę libero perfruuntur; gaudēt serenitate cæli aues istæ.* pulchrè vocat corda pennata, q̄ liberè per cœlum serenum spatientur, eorum, qui cōtemplationi sunt dediti. hinc illæ ecstases Sanctorum. subiungit in hanc sententiam

Contemplatiui corde pennato sunt.

Genes. 15.

tiam Abrahæ factum, qui aues non diuisit in sacrificio, sed arietem, vaccam, capram trimam; & ait per arietem, qui gregem præcedit, præpositos significatos; per vaccam, subditum iugo legis Iudæum; per capram, gentilem. & rationem affert: *Quia quasi liberis saltibus assultabat, & amaro pascebatur oleastro*. subiungit: sed aues non diuisit, & earum ætas tacetur: *Vnde hoc? nisi quia significantur in auibus quidam spirituales, quorum ætas temporalis propterea tacetur, quia æterna meditantur, & transgrediuntur desiderio, & intellectu omnia temporalia. hi non diuiduntur in hæreses, & schismata, pax est in eis.* acutè adnotat, cur ætas taceatur in anib' sacrificij, p quas cœlestium cõtemplatores designãtur: quia nimirum ætas ad tẽpus pertinet; hi autem temporalia transcendunt & æternitati itudẽt: quod ad Religiosos maximè facit, qui relictis temporalibus, æterna meditantur, & in pace cum socijs quietèq; viuunt, atque ita gratum sacrificium sunt Deo. itẽ rectè ætas in his tacetur; puto etiam ob hoc, quia non debet Religiosus computare annos Religionis, vt quasi veteranus subducat se oneribus; videat potiùs quàm benè vixerit. Tùm pergit in eiusdem sacrificij mysterijs aperiendis. Vespere Abraham sacrificauit, & per visum caminus ei oblatus: *Vespera illa finis est seculi, & caminus ille veniens dies iudicij. diuisit inter media illa, quæ iam diuisa erant, etiam caminus. qui ergo caminum pati non vult, pergat in turturem, & columbam; sin autem non sic erit, ædificauit super fundamentum, vt ait Apostolus, ligna, fænum, stipulas, idest, amores seculares; tamen si in fundamento sit Christus, vt primum locum ipse habeat in corde, & ei nihil omninò anteponatur, veniet caminus, incendet ligna, fænum, stipulam; ipse autem sic saluus erit quasi per ignem.* egregiè facit hoc in primis pro Religiosis, ad quos non tempus, sed æternitas pertinet, & qui in quiete concordes viuunt; nam sicut ibi columbæ, ac turtures indiuisi immunes fuerunt ignis; lampas illa, & caminus per eas aues pertransijt, non permansit, ita ipsi in iudicij die videntur communis incendij immunes fore, vel in morte purgatorij ignis: si harum auium præseferunt innocentiam, & castitatem. quò spectare videtur illud: *Si dormiatis inter medios cleros*. legunt alij: *Inter medias sortes*. aut saluatio enim tunc imminet, aut damnatio. alij: *Inter medios tripodes, aut lebetes*. hoc est in medio ignium non modò non consumemini, sed potiùs eritis sicut *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora eius in pallore auri*. siuè in viriditate, vt est in Hebræo. adeò non modò immunitas erit ab igne, sed decor eximius apparebit. hinc in quibusdam Sanctis, vt in Scholastica i[illegible]

Aues non diuisæ in sacrificio Abrahæ, q̃a discordia vacãt iusti.

Aetas auium cur taceatur i sacrificio Abrahæ?

Sanctl immunes ab igne iudicii vt columba. & turtur in Abrahæ sacrificio.

columbæ species in morte oblata. pulchrè igitur dictum: *Qui caminum pati non vult, pergat in turturem, & columbam*. similiter ait, nihil ab igne passuros, qui nihil secum habeant ligni, fœni, stipulæ, idest amoris secularis, nam hic ardeat necesse est; licèt p veniale peccatũ, cũ nõ omninò postpositus sit creaturæ Deus, non excludatur a salute. secus si ferat secum aurum, argentũ, & lapides pretiosos, vt adamantem, &c. quæ ab igne nil patiuntur.

19 *De medio petrarum dabunt voces.*) Aues istæ non debent sequi altitudinem cordis sui, sed de medio petrarum dabunt vocem suam: *Si dixero vobis, credite; hoc enim dixit Plato, dixit Pythagoras; quis vestrum non irridebit?* nempè petræ sunt firmamenta præceptorum, quæ inueniuntur in montibus, idest in Prophetis, & Apostolis: *Hinc audiantur, nihil suauius tali voce alitum. illæ sonant, & petræ resonant, sonant illi, disputant spirituales, resonant petræ, testimonia respondent scripturæ*. pulchrè, & eleganter Prædicatores comparat volucribus, quæ suauiter canunt ex Scripturis. non ergo superbia euolantes prophana sectantur scita Pythagoræ, Platonis, &c. sed cùm dant vocem, relictis excelsarum, & superbarum arborum comis, de medio petrarum, idest de solidis præceptis concinunt sacrarum scripturarum; vnde ad aures omnium concentus accidere possit, & suauis echo resonare: *Nihil suauius tali voce alitum*. adeò Prædicator concionem fundans in Scripturis quolibet cygno, & luscinia suauior est. vide igitur in quo vera suauitas consistat, non in eloquentiæ garrulitate, sed in spiritali sermone.

Concionator in scriptura fundatus omni aliте vocalior, & suauior est.

20 *Irrigans montes de superioribus suis.*) *Quando Petrus orabat, & illum visum videbat, de superioribus irrigabatur. accipe & illum montem rigari de superioribus, & effluere de inferioribus: Siuè, inquit Paulus, mente excedimus Deo, siuè temperantes sumus vobis.* excedebat Deo, audiens in illo raptu quæ non licet homini loqui; temperans erat, cùm se ad aliorum capacitatem accommodabat. sequitur: *De fructu operum tuorum satiabitur terra: Tuorum, inquit, nemo enim gloriari debet in operibus suis, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* rectè ait, Prædicatorem verbi Dei debere supernè illuminari à Deo, tamen demittere se ad auditorum capacitatem. porrò locus hic psalmi referri potest ad sanctum Thomam Aquinatem: qui aggressurus Theologiam docere, cùm anceps esset quid præfari deberet, ab Angelo monitus est, vt hoc thema acciperet: *Rigans montes, &c.* & sanè mons ipse altissimus fuit, biceps, hoc est sanctitate, atq. doctrina.

Prædicator supernè illuminatus infernè docẽs ad capacitatem auditorũ.

Thomę Aquinatis thema pręfantis.

21 *Producens fænum iumentis.*) Prædicatores quasi armenta sunt Dei. de his di-

Eleemosina Religiosis tributa fœnum est, sed spiritualia, quę hi reddūt aurum.

citur: *Non infrenabis os boui trituranti; & comedite quæ apponuntur vobis, dignus est enim operarius mercede sua. non est illa donatio eorum, sed merces vestra. quid dant? quid accipiunt? dant spiritualia, accipiunt carnalia, dant aurum, accipiunt fœnum.* egregia interpretatio; vides eleemosinas datas Religiosis, præsertim prædicantibus, non esse tam dona, quàm debitam mercedem, & potiùs eos, qui dant, beneficium accipere, & remanere cum obligatione. nam temporalia, quæ Religiosi accipiunt, quasi fœnum sunt, etiam si detur aurum; at potiùs quod ijs datur à Religiosis, verè aurum est, quia spirituale est, vt monita de salute, &c. *Hi dant aurum, & accipiunt fœnum.* ingens discrimen. tùm pergit in eodem: Ait Apostolus; *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus.* Ad hæc addit: *Ego nullius horum vsus sum. hoc ait annunciator tam laboriosus, tam impiger; ostendit sibi deberi, & non accepit, nec condemnauit eos, qui acceperunt quod debebatur; sed si nolunt iumenta fœnū tuum, non te tamen sterilē inueniant. debita sunt militi. prouincialis Christi es. qs militat suis stipendijs unquā? quis plantat vineam, & de fructu eius nō comedit? quis pascit gregem, & de lacte eius non percipit? non ideò dico, vt ista fiant in me. fuit quidam miles, qui etiam prouinciali donaret annonam; sed tamen reddat prouincialis annonam. noli dicere, si petierit, dabo. si sic inter vos indigent milites Christi, vt etiā petant, videte ne vos iudicent antequam petāt. esto curiosus, esto prouidus. attende vnde quisque viuat, intellige super egenum, & pauperem. alius ad te venit, vt petat; alium tu præuenis, ne petat. de illo, quem iuberis quærere, dictum est: Desudet eleemosina in manu tua, donec inuenias iustum, cui eam tradas. ille quantò minus petit, tantò magis tibi vigilandum est, vt præoccupes petiturum, & aliquando donaturum, vel damnaturum. itaque curiosi estote, & inuenietis multorum Dei seruorum indigentiam.* Notabilis locus pro Religiosis; neque enim expectandum ab his, vt ipsi petant, sed seculares curiosi esse debent in exploranda eorum indigentia. quod autem ait: *Desudet eleemosina in manu tua.* sudor à calore est, & a cursu: indicat affectum, & curiosum illum cursum in indaganda indigentia, & quandam sollicitudinem, & anxietatem in succurrendo, & subueniendo. nota etiā eosdem Religiosos vel donaturos, vel dānaturos; donaturos, hoc est remuneraturos reddēdo spiritualia, q̄ sunt verè dona ijs, qui subueniunt; vel damnaturos, nisi egentibus ipsis illi subuenerint. lepor est in annominatione. Ad hęc addit: *Ipse Dominus loculos habebat, & dictum est de quibusdam fœminis, quę ministrabant ei de substantia sua, vbi etiam quædam erat vxor procuratoris Herodis. vide quæ ficbant. futurus erat Paulus nihil tale aliquid quærens, & omnia prouincialibus donans, sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. sublimius Paulus: nunquid & Christo sublimior? sublimius Christus, quia misericordius; cùm enim præuideret Paulum ista non quæsiturum, præuidit, ne damnaret quæsiturum, & præbuit exemplum infirmo: ita cùm præuideret multos ituros ad martyrium gaudentes, & pronos, suscepit ipse personam infirmorum, dicens: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Vide quid Christus sanguinem sudans in illa agonia spectarit, Martyres scilicet ad vitam pro ipso dandam, & fundendum sanguinem *Gaudentes, & pronos.* hinc illa promptitudo Teresiæ adhuc septennis ad martyriū properātis. hoc metuit Christus pro tristitia, & sanguinis sudore, quē in se suscepit: quamobrem in eo sudore *Apparuit Angelus confortans eum.* alij legunt, glorificans. per illa autem verba: *Sanguinis decurrentis*, indicari puto alacritatem Martyrum, quorum typus fuit ille sanguis. pergit porrò ostendere, pauperes permitti, non quod Deus ipse non possit ipse per se succurrere, sed vt alij benefaciendo per exercitium virtutis præmia consequantur: ita potiùs bonum in hos redundat: *Suscepit Zacchæus, cui bonum nisi ipsi? an ipsi Mundi fabro deerat locus? nonnè coruus afferebat panem, & carnes Heliæ seruiente creatura? missus est tamen ad viduam, non vt militi, sed vt prouinciali aliquid præstaretur.* nempè quia id viduæ bonum. rectè ait, potius eum, qui dat eleemosinam, accipere beneficium, quàm cui datur; nam non deesset Deo alius modus prouidendi seruis suis. obserua etiam illud. Helias, vt ait Chrysostomus, Græcis Sol est ἥλιος dictus. hunc pascebat coruus. atque hinc puto à gentilibus Soli, siuè Apollini dicatum coruum. præterea obserua, cum Deus prouideat delicate Heliæ non solùm pane, sed carnibus, & vt volunt Hebræi, acceptis ex regia domo Achaz, id fecisse per coruū; cū autem per Angelum pauit, hunc non attulisse, nisi subcineritium panem, pauperum proprium. tantò enim magis acceditur ad Angelicum statum, quantò magis à carnis delicijs absumus. pergit de eleemosina dicere. cùm dixit Christus Iudæ: *Quod facis, fac citiùs.* arbitrati sunt discipuli id dictum, vt aliquid præpararet, quod daretur pauperibus; nam de ijs, quæ ipsi dabantur, vt pauperi, impertiebat alijs pauperibus. vbi nota illud, *Fac citius*, interpretatos discipulos de eroganda eleemosina pauperibus; sciebāt Christum ad id pronū. Tum ostendit, ijs maximè eleemosinam deberi, qui in Ecclesia laborant: *Si pauperem non contemnis, quantò magis bouem, per quem trituratur area?* alludit ad illud: *Non infrænabis*

Eccl. 24.

Seculares curiosi esse debent in subueniendo Religiosis, etiam nō petētibus

Martyrū alacritatis tristitia Christi in horto causa fuit

Cur Deus velit alios succurrere egenis, non ipse per se succurrat?

Beneficiū magis pro deīt dāti, quàm accipienti.

Cur Helias à coruo pastus carnibus, ab Angelo solum pane?

bis os boui trituranti. Sanè apud ethnicos celebritas erat, qua post collectas fruges boues coronabantur floribus, & fructibus in eo ipso agro, quem cum labore arauerāt, aut vbi trituratum erat. Dices: *Non indiget ille cibo, fortè nec veste. sed fortè Ecclesiam fabricauit. fortè aliquid vtile in domo Dei molitur. expectat vt attendas, expectat vt intelligas super egenum: tu contra terra dura, ac lapidea, aut frustra irrigata. non noueram, inquis, nemo mihi dixit. at Propheta dicit: Beatus qui intelligit super egenum. nonnè vides arcam inanem præpositi tui? vide certè vel surgentem fabricam, quò intraturus es, & oraturus. inueniretis, si velletis, si circumspiceretis, si ad hoc vigilaretis.* Nota quanta diligentia, & vigilantia, & curiositate dicit indagandas necessitates iustorum, etiā si nihil petant, non modò ad cibum, sed ad impensam fabricæ templorum; his enim maximè subueniendum est, qui pecuniam suam insumpserunt in vsum sacrorum. Denique sic hortatur ad beneficentiam: *Præstet hoc Deus, vt terra irrigata sitis, non lapidea, sicut Iudæi, vnde tabulas lapideas accipere meruerunt; sed terra fructifera, quæ reddat agricolę fructum. & tamen illi ipsi corde lapideo, quod significatum est lapideis tabulis, decimas dabant. etiam gemitis, & nihil adhuc exit; si gemitis, parturite; si parturitis, parite, quare gemitus sterilis?* Nota Augustinum dicendo de pauperum miserijs, excitasse gemitum in auditoribus; hunc enim magis spectabat, quàm plausum. sed vult fructum gemitus, opus ipsum.

Religiosis maximè benefaciendū.

Pecunia in vsum sacrum impendēda.

Lapideæ tabulæ, vbi lex scripta, duritiam Iudæorū indicabāt

22 *Vt educas panem de terra.) Quem panem? Christum, qui est panis de cœlo descendens.* subiungit: *Et vinum lætificet cor hominis; omnis homo ad hanc se ebrietatem paret. calix tuus inebrians quàm præclarus est? videbitur ista ebrietas in sancto amore iustitię, videbitur in alienatione mentis à terrenis in cœlum.* Vide quanto cum affectu excipi Eucharistia debeat, vt scilicet eius vsus excitet in nobis ecstasin quandam, & eleuationem à terrenis ad cœlestia, & quasi sobriam ebrietatem, iuxta illud: *Venite, & inebriamini charissimi.* pulchrè igitur ait: *Ista ebrietas videbitur in sancto amore.*

Ebrietas Eucharistici calicis in sancto amore cernitur.

23 *Vt exhilaretur facies eius in oleo) Quid est exhilaratio in oleo faciei? Gratia Dei ad conciliandum sanctum amorem. oleum dicitur nitor quidam de manifestatione, vt ait Apostolus: Vnicuique datur spiritus ad manifestationem: gratia quædam, quæ est hominum ad homines, perspicua in nitore diuino; & quoniam excellentissima in Christo apparuit, totus Orbis eum diligit. tanta enim est eius gratia, vt multi, qui in eo credunt, laudent; & propterea dicant nolle se in eum credere, quia nemo possit implere quod iubet. laudando impediuntur; amatur tamen ab omnibus, quia excellenter vnctus.* Vide quanta sit Euangelicæ legis perfectio, quæ à gentilibus, & improbis ipsis laudetur, licet assequi se posse diffidant, videlicet vim gratiæ ignorantes. pulchrè autem gratiam oleo comparat, tùm ob nitorem, tùm quia fomes est ignis, idest sancti amoris. Vide etiam quàm non modò laudabilis sit Christus, sed amabilis: *Gratia quædam in nitore diuino in Christo excellentissima apparuit.*

Gratia oleo comparata.

Christus maximè amabilis.

24 *Panis cor hominis confirmet.) Ille panis, qui de cœlo descendit. panis est, qui cor confirmat, quia panis est cordis, sicut dixerat de spiritali vino, quia lætificat cor hominis.* pulchrè Eucharistiam tùm in vna, tum in altera specie, ob magnum affectum, quo excipi debet, ait ad cor pertinere, vbi amoris est sedes. cibus est cordis, potus est cordis.

Eucharistia cibus est cordis.

25 *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit.)* hoc est de gratia Christi plebs, & potentes in seculo saturabuntur: *Peruenit enim panis, & vinum, & oleum, Christus ad Senatores, ad Reges, ad nobiles: sed prius humiles satiati dicuntur, deinde etiam cedri Libani, sed quas plantauit ipse. nam & impij sunt cedri Libani, sed de his dicitur: Omnis arbor, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* his addit: *Libanus interpretatur, candidatio; videtur autem candidatio esse seculi huius nitentis, & fulgentis in pompis suis.* Vide quàm non sit apud Deum acceptio personarū in suo epulo: prius admisit piscatores conuiuas, postea Imperatores. prius nominat siluestria, & vilia ligna cāpi, quā Libani cedros. acutè notatū.

Pluris Deus facit humiles, quàm Cæsares.

26 *Illic passeres nidificabunt.) Vbi? in cedris Libani. cedri Libani sunt nobiles seculi, excelsi genere, opibus, honoribus. passeres volatilia cœli, sed minuta, sunt serui Dei. diuites, qui attendunt omnes superfluas copias suas, & præbent illas seruis Dei, dant agros, dant hortos, ædificia, Ecclesias, Monasteria; colligunt passeres, vt in cedris Libani nidificent: hoc est beatus qui intelligit super egenum, &c. interrogate latissimas terras, & videte in quàm multis cedris Libani passeres isti nidificent.* Notabilis locus pro Religiosis, quibus subuenire soliti Principes, & Imperatores, vt de Pulcheria, & Theodosio in primis narrat Cedrenus, donatis agris, erectis Monasterijs, &c. quæ pietas etiam num in nobilissimis præsertim matronis spectatur. Tum addit: *Sed isti passeres, si spirituales sunt, quāuis nidificent in cedris Libani, non pro magno habere debent cedros Libani, & putare illos esse superiores, à quibus eorum necessaria complentur: fulicæ, inquit, domus dux est passerum. non igitur cedri Libani duces sunt passerum.* Vide quantò dignior sit Religiosi status omni Principatu terreno. & rectè adnotat: non quia Religiosi accipiunt temporalia à secularibus, debent amittere libertatem eorū vitia reprehendendi, sed ita vt su-

Religiosis benefacere Cæsares, ac Dynastæ debent.

Religiosi status dignior omni principatu terreno.

superiores illis semper remaneant. huc pertinet quod addit: *Cedri Libani, &c. præbebant ramos facultatum suarum colligendis minutis spiritualibus; faciunt hoc cedri Libani, quas plantauit dominus; faciunt, & libenter faciunt, & nouerunt quid faciant, nouerunt quod accipiant.* hoc est dant pecuniam & temporalia, quasi fœnũ; sed accipiũt spiritalia quasi aurũ, vt dixit. Vbi nota signum esse prædestinationis in diuitibus, & principibus, qui benefactores sunt religiosorum; signum, inquit, est esse de ijs cedris Libani, *quas plantauit dominus.*

27 *Fulica domus dux est eorum.*) Sic legit, vbi vulgata habet, Herodij. *Fulica marina auis est, nusquam firmius, & fortius habitat, quàm in petra; quæ & si tunditur fluctibus, magis tamen fluctus, non frangitur ipsa petra. quasi fluctus contuderunt petram nostram Christum: elisi sunt in illo Iudæi, & fracti, ipse integer permansit; & vnusquisque imitans Christum, ita sit in ipso mari sæculi inter procellas, & tempestates, vt nulli vento cedat, aut fluctui.* Tũ sic concludit, *Petram illam habeant ducem, quæ fluctibus tunditur, & non frangitur: imitantur enim Christi passionem.* Vides Christum esse ducem in primis religiosorum, qui cum imitantur in constantia passionis, iuxtà illud, *Christo confixus sum Cruci.* & in hac petra nidificant, quasi fulicæ: huic aui comparari puto ob humilitatem: dictam aiunt fulicam à furuo colore seu nigro. rectè autem stabilimentum animæ dicit, compati, & commori Christo.

Christi passio stabilimẽtũ animæ.

28 *Montes altissimi ceruis, petra refugium herinaceis, & leporibus.*) *Cerui sũt spiritales transcendentes in cursu omnia spinosa veprium, atque siluarum. qui perfecit, inquit, pedes meos, vt ceruorum, & super excelsa statuens me. tenent hi montes altos sublimia cogitant. quid de lepore? quid de herinaceo? illud animal timidum, & infirmum, hoc spinis coopertum. qui peccat quotidie, etiam si non magna peccata, minutissimis spinis coopertus est; in eo quod timet, lepus est; in eo quod minutis peccatis operitur, herinaceus est; & tamen non potest tenere illa excelsa præcepta: illi enim montes altissimi ceruis.* rectè eos, qui peccata venialia committunt, herinaceis, & leporibus comparat. spinæ illa certè sunt, molestiam afferunt, & impediũt cursum ad perfectionem; timidos etiam faciunt, non magnanimos, aspirantes ad præclara molimina. contra ceruis spiritales comparantur. non timent serpentes, sed eos occidũt, ac deuorant, & semper ad alta contendũt, venenis inimicum animal, &c. Tum sic, *Quid ergo? lepus, & herinacius pereunt? nõ, petra enim refugium herinaceis, & leporibus; quia factus est dominus refugium pauperi. non deest petra, quæ illos doceat fateri se peccatores.* hinc collige, religiosos ceruis similes, seculares & mundanos herinaceis, & leporibus; nec tamen hos excludi à salute, licet imperfectus, si ad Christũ recurrãt.

Lepores pusillanimes in spiritu; cerui perfecti.

29 *Fecit Lunam in tempora.*) *Crescentem de minimo Ecclesiam intelligimus. de qua dictum est: Vt sagittent in obscura Luna rectos corde. quando obscura erat, non dum eminebat. nunc quàm cæcus est, qui plena Luna errat?* pulchrè ait, non dari iam locum ignorantiæ, vt impugnent; cum Ecclesiæ veritas tot sit illustrata miraculis, tot testimonijs confirmata. cum igitur hæreticos vides, dic: *quàm cæcus est qui plena Luna errat.*

Tanto fidei lumine caecus est qui errat.

30 *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum, &c.*) *Catuli leonum sunt spiritalia nequitiæ, quæ pascuntur erroribus hominum; sunt enim principes dæmoniorum, & sunt dæmonia quædam contemptibilia: ista dæmonia seducere homines quærunt, sed vbi non ortus est Sol.* ideò additur: *ortus est, & Sol, & in cubilibus suis collocabuntur.* argutè paruulos catulos leonum interpretatur de quibusdam dæmonijs contemptibilibus, quos vi orationis facile est expugnare; huiusmodi esse puto ẽt passiones animi viliores: vt sunt gula, & acedia; quæ tamen, si alantur, in damnum crescũt, vbi autem Sol iustitiæ illucescit, etiam hæc euitantur, euanescunt. referri hoc item potest ad Christi ortum, qui an in nobis ortus sit, ex hoc cognosci potest, si passiones omnes, & cupiditates etiam paruæ se prodere non audeant: *ortus est Sol & in cubilibus suis collocabuntur.*

Ad Christi ortum fuga dæmonum.

31 *Vt quærant à Deo escam sibi.*) *Quia dæmones nullam potestatem habent in hominem, nisi desuper detur. Iob sanctus coram diabolo erat, & tamen longè ab illo erat; aspectu coram illo erat, potestate remotus ab illo.* alludit ad id, quod dicitur, enim adstitisse coram Deo. Tum de accepta à Deo facultate sic: *sed proficientibus non nocent. malis ita sunt, tanquam ignis fœno; bonis ita sunt, tanquam ignis auro: manducatus est Iudas, vt fœnum, probatus est Iob, vt aurum.* Nota Iudam post buccellam, escam factum diabolo, vt igni fœnum; & quia ignis in se transmutat quod consumit, ideò puta dictum à Christo: *vnus ex vobis diabolus est.* Iob amisit aurum, sed ipse relictus vt verum aurum in igne probatum.

Tentatio malis est vt ignis fœno bonis vt ignis auro

32 *Omnes bestiæ siluæ.*) *Dæmones sunt. facta est nox, in ipsa, pertransibunt.* hinc est quod ait Christus Petro: *hac nocte postulauit Satanas, vt cribraret vos sicut triticum; & ego rogaui pro te Petre, &c. Nonnè Petrus cum ter negaret, iam inter dentes leonis erat?* egregiè dictum. huc refero illud Dauidis, qui è leonis dentibus prædam eripuisse se gloriabatur: multò magis Christus. ideo idem Petrus, opinor, recordatus sui status aiebat. *Vigilate quia aduersarius vester diabolus*

Petrus negans inter leonis dentes erat. inde erutus à Christo.

bolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. cui resistite fortes in fide. nimirum ideò ipse inter dentes eius leonis fuerat, quia à fide Christi desciuit negando. ac nota cur Christus ad galli cantum fecerit vt resipisceret, nimirum. *cum ter negaret, inter dentes leonis erat*: leo autem ad galli cantum perhorrescere dicitur, & fugam inire: itâ prædam reliquit diabolus leo vel intra dentes positam. Idem dixeris de peccatore quolibet, sed conuerso, *nonne dum peccaret inter dentes leonis erat?* quàm heroicę igitur virtutis est inde extrahere? hoc agunt prædicatores verbi Dei.

33 *Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.) Magis, magisque oritur Sol iste, vt clarificetur Christus in toto Mundo, dæmonia recedunt à persecutione Ecclesiæ: cubilia eorum corda infidelium. non inde erumpunt, non impetum faciunt; quia iam ortus est Sol, & splendor est in toto Orbe terrarum.* Vide igitur quid agant Apostolici viri apud infideles; corda eorum, quæ lustra, & cauernæ dæmonum sunt, Dei habitaculum efficiunt, oboriente Euangelij luce. huc refert illud. *Singularis sum ego, donec transeam. singularis eras, donec transires, sed ab occasu in ortum transisti.* hoc est à morte ad resurrectionis gloriam. Tum affert illud de inuenta dracma, & mulieris congratulatione ad vicinos, *Inuenta est dracma Angelis lætantibus, inuenta est anima hominis. accendit Christus lucernam carnis suæ, dum penderet in cruce, & quæsiuit perditam dracmam*, Angeli vicini vocantur; puto dici vicinitatem inter hominem, & Angelum ob intellectum; & quia, *nostra conuersatio in cœlis est*. item pulchrè indicat Christum in cruce, obscuratis Sole & Luna, inter tenebras vniuersæ terræ tanquam lucernam ardentem super candelabrum crucis fulsisse, nimirum præbente abundè alimentum oleo misericordiæ; *accendit lucernam carnis suæ*. quia tum maximè amoris ardorem ostendit. dracma est anima ob imaginem imperatoris Dei, vt alibi attigit.

Cor impij latibulum belluarum.

Christus in cruce quasi lampas in cādelabro

34 *Quàm magnificata sunt opera tua, domine; omnia in sapientia fecisti.) Circumspiciunt mente vniuersum Mundum, mare, terrā cœlum, & videntes omnia pulchrè disposita ordinata currere, digeri generibus, fulciri seminibus, currere temporibus, mutari successionibus, placet eis in his artifex, & exclamāt præ gaudio: Quàm magnificata sunt opera tua domine, &c.* eleganter ostendit ex creatura visibili recurri ad creatorem. quod faciebat Ignatius, qui cœlum stellatum noctu contemplans exclamabat: Quàm sordet terra, dum cœlum aspicio: ideò vel in sepulchro meruit stellas. at Astrologi his abvtuntur ad animi seruitutem, fata fingentes.

Ex cognitione creaturæ in Creatoris assurgimus.

35 *Illic naues pertransibunt.) hoc seculum adhuc tentationum fluctibus quatitur; ad huc tempestatibus turbatur. minetur licet mare, tumeat, procellasquè parturiat. hàc tamen itur, datum est nobis lignum quo nauigamus.* eleganter ait, crucis ligno quasi compactam nauim vehi Ecclesiam gubernatore Christo. Aegyptij nauim pingebant Sole nauclero, Mundum intelligentes: Ecclesiæ potius id competit.

Crux nauis qua huius seculi naufragia vitantur

36 *Draco iste, quem finxisti ad illudendum.) Diabolus persuasione astuta in cor fœmineum more serpentis irrepsit.* Tum de primo peccato sic: *factum est quod nouimus, quod ibi & nos fecimus, quod dolemus: in illis enim duobus totum genus humanum, inde propago mortis.* Notabile est quod dicit, in illa tentatione diabolum, ceu serpentem irrepsisse in cor Euæ, ac proinde etiam in nostrum per originale peccatum; nam addit: *quod ibi, & nos fecimus*. Non igitur ausim dicere, incidisse in peccatum originale Deiparam, ne etiam in eius cor serpentem cum veneno irrepsisse dicere cogar. certè cor infectum veneno, vt aiunt, ardere non potest; at cor Virginis semper amore diuino arsit. nempe ideò dictum: prius concepit Christum corde, quàm vtero. Tū draconis huius nos morsus cautè ac sedulò vitare hortatur: *Caput serpentis calca, & euades ceteros motus. caput serpentis est prima peccati suggestio. ille obseruat calcaneū tuum, hoc est quando labaris à via Dei.* Nota cur calcaneo insidietur. ne scilicet progrediamur in spiritu: quod religiosi maximè caueant necesse est, qui ad profectum ex debito tendunt.

Diabolus serpens in cor Euæ irrepsit.

Cur diabolus serpens calcaneo insidietur.

37 *Quem finxisti ad illudendum.) Iam tu illude Draconi, ad hoc enim hic factus est draco; cadens de sublimi habitatione cœlorum, accepit in mari locum. regnum eius quod putas, carcer eius est; multi enim dicunt: quare tantam potestatem Diabolus accepit? at nisi permissus nihil potest.* pulchrè hoc sæculum non quasi stabile regnū, sed quasi iactabile mare, immo carcerem permissum ait Diabolo exuli è cœlo, vbi amplissimè dominabatur. ac vide quam vilis sit factus, vt illudi possit à nobis.

Tellus diabolo nō regnū est sed carcer.

38 *Draco iste, quem formasti, &c.)* Obseruauit quorundam calcaneum hic serpens: *Iob ille sanctus sedebat in stercore, & currebat in via. quid illo pauperius, si domū spectes? qd illo ditius, si cor eius spectes? vide paupertatē domus, ablata sunt omnia: vide diuitias cordis, Dominus, inquit dedit, dominus abstulit, &c.* Non ait: diabolus abstulit: quia sciebat nullam habere potestatē nisi per Deū. eleganter autē ante oculos proponit Iobum iacentem in luto, & tamen currētem ad Deum, velociorem Satanæ cursu, qui gloriabatur se perambula-

Iob nihil ditius etiā ablatus diuitijs.

bulasse terram, & circumiisse: cursus ille victoris fuit in stadio. hic currebat, ille deambulabat: velocitatem vtriusque compara. illud autem pulchrè dictum: *vide diuitias cordis*. cor Iobi facit cœlestibus diuitijs plenum, tanquam arcam, vnde diabolus nil furari potuit, Deo clauim tenente. at de diabolo dicitur, *faciem eius præcedit egestas*. Iob contra, cor habens diuitijs plenum, vnam ex filiabus postea appellauit meritò, *cornu Amalthææ*. quo nomine veteres indicabant abundantiam omnium bonorum: sic enim vertunt 70. interpretes. pergit porrò in laude Iob, *Muratam ciuitatem diabolus forinsecus oppugnauit, sed non expugnauit*. acutè ait: diabolus ventorum impetu muros palatij, vbi erant filij, peruertere potuit, non tamen muratã ciuitatem, hoc est ipsum animum Iobi, qui vnus instar ciuitatis erat septus exercitu virtutum. murum intelligo oppositũ, illa verba, *Dominus dedit, &c.* ter repetitum nomen domini quasi triplicem murũ opposuit. quo refero illud ex Ieremia: *Ego ero murus ignis in circuitu*. nisi dicas, paupertatem ipsam, qua eum diabolus conabatur expugnare, fuisse quasi murum Iob; sic enim eam appellat noster Ignatius. hũc quoque dixerim murum illum, quem Amos vidit iuxta 70. *Vidi dominum super murũ adamãtinũ, & in manu eius adamas*. rectè dominus dicitur architectus, & faber ob exemplũ ab ipso exhibitum de paupertate. Ad hæc addit: *Primò suggessit Diabolus in paradiso, vt contemneretur Deus, modò vt blasphemaretur Deus. in paradiso deiecit, in stercore superatus est.* Nota, diabolum semper in peius gradum facere tentando. nam primo homini inobedientiam tantùm suasit, postea Iobo blasphemiam: *benedic Deo*, pro, maledic. ex quo videtur acrior fuisse Iobi tentatio quàm Adami, præsertim cum antecessisset in Iobo iactura omnium bonorum. Illud autem quàm mirum? diabolum in paradiso victorem, in stercore, qui locus ad humilitatem erat compositus, superatum. adeò inter delicias etiam honestas facilis casus.

Iobi cor arca thesauri diabolo imperuia.

Diabolus tentando semper in peius pergit.

39 *Draco iste, quem finxisti ad illudendum ei.) Apud Iob dicitur: Non est quicquam simile ei factum super terram ad illudendum ei ab Angelis meis.* cui testimonio congruit hic locus psalmi: *vis igitur illudere Draconi? esto Angelus Dei, sed non dum es Angelus Dei; donec sis, si eum cursũ tenes, vt sis; sunt Angeli, qui illudũt Draconi, ne tibi noceat.* egregiè ait, eis maxime ludibrio esse diabolũ, qui Angelicè viuunt, hoc est castè, pudicè: hi non modò eius illusionibus non sunt obnoxij, sed ei illudunt. Tum ostendit modum, quo Angeli nos contra diabolum tuentur: *præpositi sunt Angeli cœlorum super Potestates varias, & inde procedit quod fit hic; intuentur enim legem fixam æternam iubentem sine scriptura, sine strepitu, semper stantem; intuentur illam Angeli, & ex illa faciunt quicquid hic fit; & Potestates ex illa ordinantur à summis vsq; ad ima*. præclarus hic locus est de Angelorũ natura. & tutela nostrũ. vides vt æternæ legi Dei obediant: inde habent, vt illudant diabolo, qui per inobedientiam cecidit; illudi autem meruit in contemptum superbiæ, nam quę abiecta sunt, illudimus. nota item pulchrè proprietatem legis æternæ, fixæ, sine scriptis iubentis, semper stantis, &c.

Angelicè viuentes illudunt diabolo

40 *Ad illudendum ei. Vident solùm homines quantum Diabolus acceperit potestatis; quid perdiderit maiestatis non vident, quid times? in aquis fit Draco, in mari fit Draco; illac transiturus es, sed sic est factus, vt illudatur. Si magnum aliquid putas illi esse has sedes mortuorum, vbi deiectus est: quæ tibi videtur gloriatio, damnatio est.* Affert deinde eleganter similitudinem de domo diuitis magna, vbi inter seruos alij thesaurarij sunt, alij infimis ministerijs occupantur: quod si quis ex magno procuratore domus in pœnam fiat ostiarius, illi hoc magnum putant, qui nesciunt maius munus, à quo decessit; ita Diabolus ex illa status altitudine tanquam ostiarius est factus: quanquam ostiarius potest aliquid perturbare inscio domino, at diabolus non item. *Est quædam ianua, qua intratur in hoc sæculum, ianua quædam mortalitatis vita ista infima carnis huius detrimento, & supplemento. ad istam ianuã diabolus quasi ostiarius est; habet potestatem in isto mari, sed non vt aliquid faciat nesciente, aut nolente domino; nec ad illam ianuam positus est, qua intramus ad Deum, & ad vitam æternam. Christus enim est illa ianua, ego sum ostium, etc.* Nota officium diaboli, qui in hoc Mundo tanquam in Regia domo supremum antea munus obtinebat, nunc ostiarius factus non cuiuslibet ianuæ, sed infimæ sortis, hoc est mortalis nostræ carnis claues habet, nec aperit, aut claudit nisi iubente domino. sed tamen cautus sis; nã hic improbus carnis ostiarius magnum Petrum cœli ostiarium per vilem ostiariam adduxit, vt negaret Christum.

Diabolus ex Deipri mato vilis ostiarij munus accepit in mundo.

41 *Qui aspicis terram, & facis eam tremere.) O terra, exultabas de bonitate tua tibi tribuebas vires opulentiæ tuæ: ecce respicit te dominus, & facit te tremere: Cum timore, inquit Apostolus, & tremore vestrã salutem operamini; Deus enim est, qui operatur in vobis: ideò operamini cum tremore, quia non ex te quod habes. si eum non timueris, auferet quod dedit*, Elegans similitudo de terra frugifera, & homine frugi, hoc est anima fœcunda virtutibus, quæ videlicet à Deo agnoscere debet, quicquid habet

Timor iustorum & gratitudo erga Deum.

habet boni, & cum minore ne perdat. Addit illud Esaiæ. *super quem respiciam, nisi super trementē verba mea?* adeò, sicut præsumptio de se indignum facit gratia Dei, ita humilitas benignum Dei oculum ad se attrahit.

42 *Suauis sit ei disputatio mea.)* sic legit vbi habet vulgata: *Iucundem sit ei eloquium meum. Quæ est disputatio hominis ad Deum, nisi confessio peccatorum? confitere domino quod est, & disputasti cū illo; auferte, inquit Esaias, nequitias ab animis vestris; discite benefacere; & venite, disputemus, dicit dominus. quid est disputare cum Deo? te illi indica scienti, vt indicet se tibi nescienti. hoc domino suaue, suauis est ei confessio tua, suauis est tibi gratia ipsius. ego autem, inquit, iucundabor in domino.* notabile est quod ait, confessionē quæ videtur amara, esse mel Dei, & ipsi pœnitenti cedere in suauitatem: nempe lacrymæ ipsæ vinum sunt suauissimum, gratia verò quid, nisi nectar diuinum est? quod experiuntur ritè confessi. Præterea confessio, disputatio quædam est, in qua discitur vera philosophia, quæ est cognitio sui. impij, qui in hac vita disputatione huiusmodi non vsi sunt, ad extremum contra se argumentandi formula vsi sic concludent, *ergo errauimus à via veritatis & Sol iustitiæ non illuxit nobis.* porrò sicut in disputando fallaciæ vitandę, ita in confessione, &c.

Pœnitentia quo amarior eo suauior Deo.

Confessio disputatio quædam cum Deo.

Ex Psalmo CIV.

1 **Q***Uærite faciem eius semper.) Quid est facies domini, nisi præsentia Dei? illum inuenit fides, sed adhuc eum quærit spes; charitas autem & inuenit per fidem, & eum quærit habere per speciē; an fortè cum facie ad faciem eum viderimus, adhuc perquirendus erit? est sanè sine fine quærendus, quia sine fine amandus.* præclarè dictum de inexplebili desiderio beatificæ visionis, quæ etiam cum habetur quodāmodo quæritur. huc refero illud psalmi. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* quod alij vertūt. *peregrinabitur,* quod sic intelligo: quemadmodum peregrinus nunquam satiatur videndo, semper curiosus, ità beatus licet sit in patria, in hoc videtur peregrinari, quia sempiterna illa erit videndi, & nūquā tœdio afficiens delectatio, & veluti rerū nouarū satietas inexplebilis. Vel quærite faciem eius semper, idest diligite. nam, *quem quisque diligit, semper vult habere præsentem.*

Inexplebile desiderium de Dei fruitione ac visione.

2 *Mementote mirabilium eius.) Temperat se laudator iste ardens, infirmum amorem, atque lactentem temporalibus Dei mirabilibus nutriens. sic cum dixisset Mosi: Ego sum, qui sum; deinceps erga homines gratias temperauit dicens: Ego sum Deus Abraham, &c. vbi intelligi voluit & illos, quorum se Deum dixit, viuere secum in æternum; & hoc dixit quod capi etiam à paruulis posset, vt, Ego sum, qui sum, illi pro captu intelligerent, qui grandibus viribus charitatis eum essent quæsituri.* elegāter indicat amorem quasi lactentem adhuc, & paruum nutriri temporalibus Dei mirabilibus, vt astrorum pulchritudine, terræ, aquarumque miris qualitatibus, &c. quasi nutrix amoris sit Dei Prouidentia, vt crescat. Deinde rectè immortalitatem animæ colligit ex eo, quod Deus dicat se Deum Abrahæ, &c. nam si non essent immortales, frustra diceretur eorum Deus. atque hanc esse causam ait Gregorius, cur Deus non duplicarit filios Iob, vt cetera omnia: quia adhuc extabant animę scilicet immortales eorum, qui interierant in ruina domus, secus quàm in brutis.

Lactens amor nutritur visibilibus Dei creaturis.

Immortalitas animæ probatur.

3 *Vocauit famem super terram.) Quid est vocauit? an fortè ista mala, quæ patiuntur homines, habent quosdam præpositos Angelos malos, vt alibi dicitur: immissiones per Angelos malos? qua opinione Romani veteres quosdam Deos malos consecrarunt, sicut Deā Febrem, Deumque Pallorem. an, quod est credibilius, vocare, est iubere? qui vocat, inquit, ea, quæ non sunt, vt sint, tanquam quæ sint: apud Deum namque iam factum est quod eius dispositione futurum est, vt hic vocata dicitur fames, vt adesset, quæ iam fuerat in occulta eius gubernatione disposita.* Vides, vel quasi Dei lictores immitti, famem, bellum, luē, &c. vel quasi ad Imperatoris nutum omnia præsto esse, & quæ non sunt, ad esse, vt subsint. illud autem satis theologicè dictū, cur in præterito futura dicantur quæ disponuntur à Deo.

Cur futura dicantur quasi de præterito in Deo.

4 *Ferrum pertransiit animam eius.) Tribulationem duram accipimus; non enim corpus, sed animam dicit talis locutio; vt in Euangelio, vbi Simeon dixit ad Mariam: & tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes: In passione quippe domini multorum cordium occulta patuerunt, quoniam expressum est quid de Domino sentiebant; & ipsam eius matrem carnali grauiter orbitate percussam contristauit.* Nota interpretationem in passione domini declaratum, quis eum verè amaret, non deserendo; ad quod puto pertinere illum calicem Ioseph positum in sacco Beniamin, qui *amantissimus domini*, dicitur; in quo scypho seù calice augurari se dicebat Ioseph, & occulta cordium diuinare: nam & calicem appellat dominus passionem suam.

Gladius Deiparæ animam transiens qui fuerit

5 *Eloquium Domini inflammauit eum.) græcè, igniuit eum.* meritò quando Spiritus sanctus est missus, *visæ sunt linguæ diuisæ. velut ignis. & Apostolus dicit; Spiritu feruentes.* nempè ne diuinatio somnij ipsi Ioseph tribue-

Prophetieus spiritus ignitio mentis est.

bueretur, ideò hoc additum. Vbi nota, propheticum spiritum, qui fuit in multis Sanctis, non sine magno ardore sancti Spiritus fuisse.

6 *Vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.*) grecè est πρεσβυτέρους, non γέροντας, quod est propriè senes. Nō est, inqt, probabile, *vt vir tātus vnius veri Dei cultor in Ægypto alendis solùm corporibus, & rebus corporalibus gubernandis esset intentus; & quò eos meliores redderet, curam non gereret animarum.* egregius hic locus est pertinens ad primates, & dynastas: videant Iosephum licet dominum secularem, curam animorum gessisse, ptæcipuè aulicorum, magistratuum, ac principum, à quorum integritate pendet regni bonum; non solùm exemplo, sed verbis instruebat subditos. tū nota illud, *Sicut semetipsum.* planè quod aiebat Apostolus, *Volo autem vos omnes esse sicut me ipsum.* libet hic exclamare. ò spiritum Apostolicum in Iosepho principe licet temporali, & ante Christum; sicut semetipsum, idest in primis castum, quod in aula rarò reperitur. certè non parum fuerat, quod adolescens venditus in Ægypto, quæ maximè omnium regionum superstitionibus scatebat, non derelinqueret cultum veri Dei. Addit illud, *Senes eius prudentiam doceret*, in græco esse, σοφίσαι idest, *doceret esse sapientes*. hæc certè laus referri potest ad sanctos Reges, & Imperatores, vt Ludouicum, Henricum &c. apud quos non solùm dominium, sed magisteriū etiam veræ sapientiæ fuit, hoc est virtutis. hinc de Dauid rectè, ac pulchre dicitur: *Dauid in cathedra sedens sapientissimus princeps.* & ne putes per hoc imbellem, subiungit: *Octingentos interfecit impetu vno.*

Iosephi zelus instruendo aulicos ad virtutem.

7 *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.*) *antequam odissent populum eius, mali erant, qui facilè inuiderent. in eo ergo quòd populum suum multiplicauit, beneficio suo multos ad inuidiam conuertit. non itaque cor illorum malum faciendo conuertit ad odium; quo tamen odio ad exercitationem populi sui, ad gloriam nominis sui, quę nobis est vtilis, vsus. nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene vtitur etiam malis.* Nota quomodo dicatur Deus conuertere malos ad inuidiam, hoc est potius benefaciendo bonis, sed illud ipsum malorum vitium, quo bonos probat, Deus in bonum vertit. rectè igitur admiratur Dei bonitatem.

Deus nō auctor mali, sed mali traductor ad bonum.

8 *Lætata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor, &c.* Quomodo lætata, si nolebant dimittere, & ideò aurum commodarunt quasi redituris, & reddituris? *Sed intelligendum est: post illam vltimam Aegyptiorum mortem, & tantam stragem in mari rubro, residuos Aegyptios timuisse, ne redirent Hebræi, & eorum reliquias magna felicitate, ac facilitate contererent.* Nota, vbi adest Dei præsidium, quanta sit iusti securitas, & quā debilis sit omnis contraria potestas, quā pusillanimis fiat, & pavida.

Improborum pauor & iusti securitas.

9 *Labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes, &c.*) *Intelligendum est, Dei seruos, & electos filios propterea ista bona terrena sumere à Deo, non vt luxu diffluāt, sed vt ideò hæc habeant à diuina misericordia præparata, in quibus quærendis possint negotiosissimis laboribus occupari, vt ad hæc vacent, vnde bonum æternum possit acquiri.* rectè ait temporalia ad hoc concedi, vt acquiramus æterna. facit autem hoc pro collegiis religiosorum, quæ reditus habere possunt, nimirum vt in studijs proficiant ad maiorem Dei gloriam, *vt custodiant iustificationes eius.* Deniq; hæc de Iosepho ità concludit: *Si tentationes duræ sunt in hoc seculo, Ioseph in carcere, Iesum in cruce cogitate.* Nota qui nobis versari ante oculos debeant in aduersis, Iosephi carcer, & Christi crux. ille innocens, hic auctor innocentiæ. magnum vtrinque solatium.

Temporalia vsui dantur ut quærantur æterna.

Ex Psalmo CV.

1 Titulus est, *Alleluia. psalmus: Confitemini domino, &c.* Confessio aliquando est peccatorum, aliquando laus Dei: quanquā nec illa confert sine Dei laude. subiungit: *Quoniam bonus, græcè* χρηστὸς *bonus, vel suauis, vt illud; Dominus dabit suauitatem, seu bonitatem; & infra; Ad videndum in bonitate, &c. vbi alij legunt, in suauitate ad hoc nos visita, vt illic nos esse facias, & illic nos videas, vt tu dicaris lætari, cum illi lætantur, &c.* vide quanta sit cognatio inter bonitatem, & suauitatem, vt vnum pro altero accipiatur. tum nota, vt beatorum gaudium sit & ipsius Dei.

In Dei gaudiū ce dit gaudiū beatorū.

2 *Increpuit mare rubrum, & exiccatum est.*) non legitur vocem emisisse Deus. *Valde abstrusa, & occulta vis est, qua Deus agit, vt etiam ea, quæ sensu carent, eius obtemperēt voluntati.* Agnoscis occultam, & abstrusam potentiam, quam vocant obedientialem. nota item; vt eundem se ostenderet Deum, qui increpuit mare rubrum, postea indutus carne idem egit in fluctibus: *At ille surgens increpauit ventos, & tempestatem aquæ, & cessauit, & facta est tranquillitas.* similiter dicitur. *& exurgens comminatus est vento, & dixit mari: tace, obmutesce &c.* præ hoc irridēdus Xerxes, qui ob classis naufragium, infligi verbera iussit mari, & colaphos incuti cū ignominiosis verbis.

Potentia obedientialis in creaturis.

3 *Redemit nos de manu inimici.*) *Redimimur de manu diaboli magno pretio, quod sanguis est Christi; vnde non quocūq; mari, sed mari rubro id conuenientius figuratum est; sanguis enim rubrum calorē habet.* notādum est hic

Mare rubrum typus Christi sanguinis.

hic quod in mari Rubro, vt ait Plinius, oliuæ sunt, misericordiæ symbolũ, & lauri, victoriæ, vtrũq; sanguini Christi, conuenit.

Pœna respondens culpæ.

4 *Deglutiuit Dathan.) Vna erat amborum causa superbissimi, & sacrilegi schismatis.)* Nota pęnam respondentem culpæ, schisma significat diuisionem; diuisa igitur terra se aperuit eos deglutiens, & altæ superbiæ profunda, & ima patuerunt. Tum vide quàm acri verbo appelletur quod à summo Pontifice fit dissidium, *superbissimum, & sacrilegum schisma.*

Peccator diaboli cibus.

5 *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli.) Deus erat gloria eorũ, cui dicitur: Gloria mea, & exaltans caput meum.* subiungit, *comedentis fœnum: scilicet, vt ab eo comederentur, à quo comeduntur qui sapiunt secundùm carnem: omnis enim caro fœnum.* acutè adnotat, carnales esse diaboli cibum, præsertim quia diabolus in illa vituli forma, vt hebræi dicunt, apparuit forma comedentis fœnum. caro autem ab Esaia fœnum dicitur.

Vis intercessionis sanctorũ.

6 *Nisi stetisset in confractione.) idest in plaga, qua erant illi feriendi, nisi obiecisset se ipsum pro eis: Aut dele, inquit, me de libro vitæ, &c. vbi monstratum est, intercessio Sanctorum quantũ valeat apud Deũ.* Addo adhuc viuorũ, & ante Christi aduentũ: quid nunc, cum Deo fruuntur? quanta eorum vis precum?

Temporalia promissa in veteri lege ad æterna dirigebantur.

7 *Pro nihilo habuerunt terrã desiderabilem.) Nisi terra illa fluens lacte, & melle, significaret aliquid magnũ, per quod visibile Sacramentũ ad inuisibilẽ gratiã, regnũque cœlorũ eos duceret, nullo modo isti culparentur, qui pro nihilo habuerunt illã terram, cuius temporale regnum etiam nos pro nihilo habere debemus, vt Hierusalem illam matrem nostram, quæ in cœlis est, verè desiderabilem diligamus; sed infidelitas eorum meritò arguitur, quia non crediderunt verbis Dei per quadam parua ducentis ad magna.* Notabile est hoc quod promissiones illæ rerum temporalium gradus essent ad æterna; in lege autem Euangelica non nisi ęternis inhiam⁹, nec opus est vt tẽporalibus ad illa incitemur quasi rudes, & imperfecti

Moses morte punitus ob dubitationem de aquæ miraculo.

8 *Distinxit in labijs suis.) Dubitanter virga petram percussit, & ideò hoc miraculum distinxit à ceteris miraculis, in quibus non dubitauit; perturbatus enim murmure populi infidelis, non retinuit fiduciam, qualem debuit.* punitus est temporali morte, ne terram intraret. vbi nota quàm seuerè puniantur superiores vel in leui culpa, & ex occasione peruicaciæ alienæ: adeò inobedientes subditi non tantùm sibi malum pariunt, sed prælato, quem perturbãt.

Homicida se interficit cũ alium necat.

9 *Interfecta est terra in sanguinibus.) ita græci codices habent, pro, infecta: interficiebant enim animas suas, immolando filios suos.* terra, idest ipsi terreni homines. itaque magis seipsum interimit homicida, quam eum, quem ferit corpore. quia fieri potest, vt huius occisi anima viuat, si egressa in statu gratiæ: ipse verò animam interimit suam peccando.

10 *Pœnituit eum secundùm multitudinem misericordiæ suæ.) Pœnituit, dictum est, quia mutauit qui eos perditurus videbatur. & apud Deum quidem disposita, & fixa sunt omnia, nec aliud facit quasi consilio repentino, quod non ex æternitate se facturum esse præsciuit, sed in creatura temporalibus motibus, quam gubernat, mirabiliter ipse non temporaliter motus quasi repentina voluntate facere dicitur, quod ordinatis rerum causis consilij sui secretissimi immobilitate disposuit, quæ suis quæque temporibus agnita agit; ità & præsentia facit, futura iam fecit; & ad hæc quis idoneus? audiamus igitur scripturam diuinam humiliter excelsa dicentem, cum & paruulis nutriendis sumenda porrigit, & maioribus exercendis scrutanda proponit.* pulchrè de immutabilitate Dei, *qui res creatas temporalibus motibus, hoc est vicissitudinibus ipse non temporaliter motus gubernat*: sunt enim eius æterna decreta.

Deus mutat consilium non mutatus.

11 *Dedit eos in misericordias.) Vt essent non vasa iræ, sed misericordiæ. ideò autem pluraliter misericordias dicit, quia vnusquisque habet proprium suum donum à Deo, alius sic, alius autem sic.* Vide immensam Dei misericordiam, quæ se vnicuique variè diffundit, singulariter consulens. similiter dicitur. *qui finxit singillatim corda eorum.*

Deus non solum vniuersè sed singillatim.

Ex psalmo CVI.

Gaudium iusti de propagatione Ecclesiæ.

1 T*Itulus est: Alleluia, Alleluia.) Certis quibusdam diebus cantamus alleluia, sed in omni die cogitamus. si non in ore carnis, certè in ore cordis, cantatur autem hic psalmus de vniuersa Ecclesia Dei diffusa toto Orbe terrarum. fortè non immeritò bis habet, alleluia.* Vide quantum gaudij afferre debeat nostro cordi propagatio Ecclesiæ. ac puto etiam bis poni alleluia, quia non modò in hoc, sed in altero quoque. Orbe terrarum diffusa iam est apud incognitos antea barbaros. Sed quanto maius gaudium, & tripudium eorum, qui ad hoc operam omnem impendunt suam? hinc illa vox Apostoli Indiarum continere intra se tantum gaudium non valentis: Sat est, domine, sat est.

2 *Confiteãtur domino miserationes eius.) isti versus quater repetuntur propter quatuor tentationes, quibus misericorditer a Deo liberamur. prima tentatio est erroris, & famis verbi veritatis, vbi exclamãs ad Deũ reducitur ad viam fidei. secunda est difficultatis in bene operando, dum inuenit se ligatum*

tum compedibus cupiditatum, tertia tadij atque faſtidij. quarta tempeſtatis, & periculorum in gubernandis Eccleſijs: liberatus enim ab errore, liberatus à difficultate bene operandi, liberatus à tædio, faſtidioque verbi Dei, fortaſſis dignus eris, cui populus cõmittatur. ibi quarta tentatio, tempeſtates maris quatientes Eccleſiam perturbant gubernatorem. Vide quot, & quanta impetret oportet à Dei miſericordia is, qui regit Eccleſiam; vt magna fide ſit, vt ſolutus omni vinculo paſſionum, vt impiger, & alacer in Dei obſequio, vt magnanimus in aduerſis.

Quatuor prælato neceſſaria.

3 *Ipſi viderunt mirabilia eius in profundo.) Quid profundius cordibus humanis? inde plerumque venti erumpunt; tempeſtates ſeditionum, & diſſentionum nauẽ perturbant, & quid agitur? aſcendunt fluctus vſque ad cœlos audendo, deſcendunt vſque in abyſſos timendo: foris pugnæ, intus timores turbati ſunt, & omnis ſapientia eorum abſorpta eſt. aliquando deficiunt omnia humana conſilia. qui ſedent ad gubernaculum ſciunt quod dico. quacunque ſe quiſque conuerterit, fluctus fremunt, tempeſtas ſæuit, brachia deficiunt. quò prora impingatur, quò nauis impulſa dimittatur, à quibus ſaxis, ne pereat, refrænetur, omninò à rectoribus non videtur, & quid reſtat niſi quod ſequitur? & clamauerunt ad dominum, &c. audi vocem cuiuſdam gubernatoris periclitantis, & liberati. nolumus, inquit, vos ignorare de preſſuris, &c. ità vt tæderet nos viuere, teſtimonium mortis accepimus, &c.* eleganter oſtendit ſollicitudinem, & anxietatem, quam affert ſecum prælatio. item cor humanum inſtar maris fluctuantis modò attolli, modò deprimi, pulchrè dicit. nunc enim audet, nunc timet.

Difficultas prælationis quanta ſit.

Ex pſalmo CVII.

1 DE hoc pſalmo ſic ait: *Pſalmum hunc exponendum non putaui, quoniam iam expoſui eum in quinquageſimo ſexto, et nono, ex quarũ poſtremis partib⁹ eſſe cõſtat.* igitur & põderationes noſtras ibidẽ leges.

Ex Pſalmo CVIII.

Iniuriæ vindicta pia oratio eſt.

1 L*Ocuti ſũt aduerſũ me lingua doloſa.) Cũ clamarũt: Crucifige, ego autẽ orabã, cũ dicebã in cruce: Pater ignoſce illis.* Vide qd retr buendũ ꝓ vindicta ſit; ꝓ cõtumelijs oratio ꝓ lingua doloſa, lingua ſyncera.

2 *Fiant filij eius in interitum.)* Quomodo hoc ad Iudam pertinet? quæſtio eſt, an mortui ſciant res poſterorum, ſed diues ille in inferno ait, *habeo quinque fratres, &c.* potuit tamen ſcire eos viuere, quia nec ſecum videbat, nec cum Abraham: non tamen cetera. *Si hæc ſentiunt mortui, cumulus malorum eſt; ſi hæc non ſentiunt, formido viuorum eſt.* pulchrè dictum. vbi nota: videtur putare Iudam habuiſſe filios, qui etiam miſerè perierint, nempè mali corui malum ouum. Deinde ſic. *hoc dico, paucos eſſe eius animi homines. qui poſt mortem ſuã quid ſuis boni, maliue contingat ſaltem dũ viuunt, negligant; permanſionem autem poſteritatis ſuæ per ſucceſſiones generationũ ſoli laudabiliter ſpernunt, qui ſe ipſos abſcindunt propter regnum cœlorum, & filios ſuos hoc facere cupiunt, vel martyrio coronari, ità vt nullus eorum in terra remaneat.* Nota laudabile ſtudium parentum. vt & ipſi cœlibes, & filij caſtè, ac religioſè viuant, immò martyres habere optent. nec tã de propaganda familia curẽt, ſed de pietate. quid igitur parentes obſtrepunt, cũ qs religionẽ intrat, vel Indias petit? cũ ipſorũ votum eſſe debeat, *filios martyrio coronari.*

Veri parentis votum, filios martyrio coronari.

3 *Scrutetur fœnerator omnẽ ſubſtãtiam eius.)* Dices, Iudas eam dimiſerat, cum ſecutus eſt Chriſtum. reſpondet, *ità hæc Iudã dimiſiſſe filijs, & vxori, vt non inde ſinceriter, & perſeueranter vinculũ cupiditatis abruperit; qui etiã ſi ea velut vendere videretur diſtribuendo pauperibus, faceret vt Ananias,* qui reſeruauit ſibi partẽ bonorũ, & à Deo ſubita morte punitus eſt. notabile autẽ hoc eſt quod putat, Iudã ſecuturũ dominũ, vel ſua bona reliquiſſe ſuis filijs, & vxori, cũ dominus dicat, *da pauperibus*; vel ſi pauperibus diſtribuit, partem ſibi reſeruaſſe. vtrumque religioſi horreſcant.

Iudas ſecut⁹ Chriſtum bona ſua filijs reliquit.

4 *Induit maledictionẽ ſicut veſtimẽtũ, & ſicut aqua in interiora eius.)* ideſt foris, & intus puniatur. & corpus, & animã habeat gehenna. ſed hìc illud mihi occurrit ad notandũ, ſi maledictio intrat in interiora dãnati, ſicut aqua, cur diues ille à Lazaro guttã aquæ petebat? puto quia de impijs dicitur: *bibũt iniquitatẽ quaſi aquam.* ideſt putãt ſe in ea refrigeriũ habituros, ſed tanta eſt illa Inferorũ flãma, vt aqua potius irritetur; quod ſalſæ maris aquæ ꝓpriũ eſt, qualis eſt iniquitas. Sequitur, *Sicut oleũ in oſſibus eius. tãquã in oſſibus oleũ eſt maledictio. cũ homines inde fortes ſe putãt; quia licèt eis mala tãquã impune cõmittere.* puto alludere ad morẽ athletarũ, q. vt neruos ꝓſertim cor roborarent, oleo vngebãtur. ità impunitas robuſtos facit in peccato. ad hęc, vt oſſa ſuſtẽtãt artus corporis, ita &c. Addo, peccatũ vt oleũ in oſſibus dãnati fieri, quò fortiter, & pſeuerãter ardeat in gehenna: ipſum peccatũ fomes eſt gehẽnæ, vt in oſſibus, & medullis penitus flãma perſiſtat. Deinde ait, *Fiat ei ſicut veſtimẽtum, quo operitur:* Quia mali de iniquitate gloriantur, vt de ſpecioſa veſte. *& ſicut zona, qua ſemper præcingitur.* ſ. vt ſit expeditior ad opus. *maledictione ſe præcingit, qui malum non repentinum, ſed diſpoſitum aggreditur; & ità dixit malum*

Peccatum comparatum veſti oleo zonæ.

lum facere, vt semper paratus sit. Igitur maledictio primò comparatur exteriori indumento; secundò aquæ, quæ intus hauritur; tertiò oleo, quod magis penetrat, quartò zonæ constringenti, cum consuetudine quasi arctissimo vinculo alligatur peccator, *qua semper præcingitur.* vbi nota gradus peccati semper in peius. nam zona quasi coarctat hominem, ità consuetudo peccandi, &c.

Ex Psalmo CIX.

1 TEcum principium, &c.) *hoc est illud lac paruulorum, quod temperauit panem traijciens per carnem; nam panis ille Angelorum: In principio erat Verbum. vt tamen panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus est homo.* pulchrè humanitatem Christi lacti cōparat, quo nos vt paruulos enutrit. panis solidus est Angelis, sed sicut panem nutrix mansum & digestum, & per suam carnem traiectum, atque in lac versum exprimit ex vberibus infanti, ita Deus, &c. similia habet Clemens Alexandrinus. facit hoc maximè pro Eucharistia, vbi nonnunquam Sanctis pulchri infantis specie, & veluti lacteus est visus; lac autem hauritur, nec videtur: ità hoc sacramentum oculos latet, fide percipitur.

Christus Angelis panis nobis lac est

2 *Ex vtero ante Luciferum genui te, &c.) Ex vtero scilicet Virginis noctu natus est dominus; hoc est ante Luciferum; ex vtero quia solus ex solo vtero.* acutè notat, tempus indicari noctis intempestę, quo natus est Christus, antequam Lucifer manè oriretur. acutè autē docet, cur dicatur ex vtero genitus, non ex connubio, quia nullā vir in hoc partem habuit, nisi maternus vterus.

Christi natiuitas noctu ex virgine.

3 *De torrente in via bibet.) Torrens est profluxio mortalitatis huius: alij moriuntur, alij subnascuntur, succedunt, decedunt. quid non quasi de pluuia collectum fit in abyssum, et profluit in mortem?* Vide quàm rapidè omnes feramur, ac deuoluamur in mortem. torrens, & saxa, & arbores, et quidquid obuium est deuoluit in præceps, quod vis alia non posset; ita mors et dynastas, et Cæsares, etc.

Mors rapido torrenti comparata.

Ex Psalmo CX.

1 COnfitebor tibi domine.) hic cōfessio laudē significat, aliàs peccatorum cōfessionē. *Illa confessio luget, hæc gaudet: illa medico vulnus ostendit, hæc de sanitate gratias agit.* eleganter, ac breuiter duo genera distinguit confessionis, et per antithesim comparat: sed altera succedit primæ.

Confessio aut laudis est, aut pœnitentiæ.

2 *Confessio, & magnificētia opus eius.) Quid magnificentius quàm iustificare impiū? hæc est magnificentia domini, iustificatio peccatoris, vt vbi abundauit peccatū, superabundet gratia.* Vide vbi magnificentia Dei posita sit; non in huius Mundi magnificētissima substructione, sed in hominis reparatione; non in tot diuitijs eius gloriæ, ac tot Angelorum imperio, sed in cōmuni canda gratia peccatori. an nō magnificentiæ est, dimittere tot, tāq; enormia scelera, ac pro ijs substituere tot opes, et præclara dona virtutū? quod in Magdalena inprimis visum est; ac rectè interpretatur, magnifica, tantā Christi magnificentiā expta.

Dei magnificentia conuersio peccatoris.

Ex Psalmo CXI.

1 TItulus est: *Conuersio Aggæi & Zachariæ.)* At nondum erant isti prophetæ: nam inter Dauid, & transmigrationem Babylonis intercesserunt quatuordecim generationes. sed nimirum ait Paulus, *In Christo omnis ædificatio crescit in templum inuisibili Deo.* de hoc item mysticè; *Templū Dei estis vos. Quisquis igitur se ad opus huius coædificationis à Mundi ruinosa labe conuertit, cantet hunc psalmū non tam lingua voce, quam vitæ.* rectè appellat, *ruinosam huius seculi labem*, in quo nihil stabile, ac tutum. vide igitur quàm sapienter agant religiosi inde fugientes. subiungit. *Aedificij autem huius initium est à timore domini; ideò incipit, Beatus vir, qui timet dominum.* egregiè dicit, fundamentum huius templi mystici esse timorem domini; nam & religiosis dicitur: *fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore;* at quomodo stabile erit ædificium, si fundatur in timore, qui motum, & instabilitatem continet? sed ita res habet: nihil tā firmū quā hic timor, quo amisso instabiles reddimur. nimirū timor Dei clauus quidā est stabiliter, ac fortiter figens, quamobrem dicit alibi: *confige clauis à timore tuo carnes meas.* sic alij legunt.

1. Cor. 3. Mundi ruinosa labes.

2 *Suauis vir qui miseretur)* ità legit. *Suauis hic vir; non enim eum euomet dominus ex ore suo tanquam insuauem.* pulchrè dictum, misericordem virum esse Deo suauissimum cibū, ac proinde in aliti substantiā cōuersū quasi Deū effici, eius imitatione, donando, nō vlciscēdo, &c. Tū affert locū prouerbiorū, vbi dicitur: *Melior est qui vincit irā, quàm qui capit ciuitatē. nō ergo eris inglorius in ignoscendo, quia de ira victa laudabilius triūphatur.* Notabile hoc, quod ait, contra eos, qui putāt inglorios se esse, nisi vindictā capiāt. pulchrè autē dicit, referri triūphum ex ira victa; in quo spolia tot cogitationū, ac perturbationū in cœleste Capitoliū deferuntur; ideò cōparat hunc victorē, non quasi vnū hostē capiēti, sed integrā ciuitatē. cōtēplare tot munitiones, tot præsidia, quæ amor sui in homine statuit, sed pietas labefactet, ac diruat.

Vir misericors suauis est Dei.

3 *Disponet sermones suos in iudicio.) facta*

Sola beneficentia nos tuebitur in iudicio.

facta ipsa sermones sunt, quibus in iudicio defendetur, quod ei nō erit sine misericordia, qa et ipse fecit misericordiā. Vide misericordiæ patrociniū. hæc virtus, nemine tūc patrocinari audēte, patrona erit nos defēdēs ante Iudicē, cū circa hæc à nobis rō erit reddēda.

Ex psalmo CXII.

Senectus puerilis & pueritia virilis laudantur

1 L*Audate pueri dominū.) pueri facile intrant per angustā portā: nisi, inquit, efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cœlorū. sit senectus vestra puerilis, & pueritia senilis.* breuis, sed præclara parenesis. quid enim admirabilius, quā has inter se distantes ętates virtute cōiūgi, ac sibi respōdere?

Ex Psalmo CXIII.

Sacerdotum pedes infrenamere Iordanē.

1 I*Ordanis conuersus est retrorsum.) Legimus Iordanē quoq; fluuium tactum pedibus sacerdotū arcā portantiū stetisse desuper infrænato lapsu.* Nota dignitatem sacerdotum. naturæ frœnū non manibus tractant, sed pedibus: ipsis, inquam, sacerdotum pedibus natura prona se subijcit. est autē notandum, in transitu maris rubri duodecim factas maris diuisiones, singulas singulis tribubus, hoc enim Hæbræi significari aiunt per illa verba psalmi: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones*: at in Iordane vnā tantùm fuisse viā, per q̄ omnes transirent, nec tam diuisas aquas, quàm stetisse. puto, quia in Iordane arcam, Christi typum, ferebant; nec enim alia via est, per quam saluamur, nisi Christus, qui imitandus, cuius vestigijs insistendum. Nota etiam eandem vim, quæ tributa est virgę illi mirabili Mosis, tributam pedibus sacerdotum in aquis diuidendis: non mirum igitur si Petrus sūmus Sacerdos pedibus ipsum mare calcauit incedens per vndas, quos etiam pedes ostentauit cœlo moriens ad dignitatem, præsertim ablutos Christi manibus.

2 *Iordanis conuersus est retrorsum. montes exultauerunt, &c.) Non reuersum esse retrorsum, sed stetisse legimus ab ea parte, qua aquæ desuper influebant; deinde gestientes montes, collesque non legimus.* acutè obijcit, sed respondet hæc in figuram futurorum dicta: *Ne verè putaretur potius transacta recolere, quàm ventura prædicere.* Aegyptus igitur interpretatur, affligens, imago huius sæculi; demersa sunt in profundo omnia peccata nostra. *E diaboli seruitute ad Christi vocem: Venite ad me omnes, &c. venientis recerdetur vnusquisque, quemadmodum omnia sæcularia impedimenta recesserunt, omnes dissuadentium voces, aut erumpere non ausæ sunt, aut considerato Christi nomine tremefactæ siluerunt.* facit hoc pro religiosis: quid enim tam mirum, quàm tot sæculi impedimenta, tot parentum obijces, & naturæ repagula superasse? quanta hinc exultatio, & conscientiæ rectæ tripudium?

[...] impedimēta vicisse magnum est.

2 *Qui conuertit petram in stagna aquarum, &c. Non nobis domine, nos nobis, sed nomini tuo da gloriam.) gratia quippe istæ erūpentis aquæ de petra, idest Christo non quasi ex operibus præcedentibus data est, sed miserante illo, qui iustificat impium.* acutè aduertit, cur, cum de donis sub aquarum nomine meminisset, subiungat, Deo gloriā tribuendam, non nobis.

Gratia datur ex meritis Christi non nostris.

4 *Simulacra gentium argentum, & & aurum.)* Cur nō lapidea, & lignea commemorat? *preciosum eorum voluit commemorare; quia cum in eo quisque, quod est illi charius, erubuerit, multò facilius auertetur à veneratione viliorum.* hoc maluit dicere, ne sapientior videretur, qui Deos coleret ex auro, & argento, quàm qui ex lapide vel ligno. transferri potest ad ea, quæ mundanis præclarissima videntur, cum apud Deū vilia sint. certè auaritia, *idolorum seruitus.* vocatur à Paulo.

Auri argentique vilitas apud Deū.

5 *Os habent, & non loquentur.)* Melior igitur est artifex, quia loquitur, quàm ipsū idolū, quia mutū. at obijciunt, se non illa colere, sed signum, vt pro Neptuni simulacro mare intelligant, pro Iunone aerē, pro Venere Luciferum, &c. & cum dicimus hæc esse corporea ad vsum facta, respondent. *Non se ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident numina; sed Apostoli vna sententia pœnam istorum, damnationemque testatur. Qui transmutastis, inquit, veritatem Dei in mendacium, & colitis, & seruitis creaturæ potius quàm creatori.* nā *priore parte huius sententiæ simulacra dānauit, posteriore autem interpretationes simulacrorum.* nempe effigies à fabro factas appellando nominibus earum rerum, quas fabricatus est Deus, transmittūt veritatem in mendacium; res autem ipsas colendo, seruiunt creaturę. His addit. *Talibus superstitionibus obligati plerumque ad ipsum Solem dorsum ponentes preces fundunt statuæ, quam Solem vocant; & cū sonitu maris à tergo feriantur, Neptuni statuam, quā pro ipso mari colunt, quasi sentientem gemitibus feriunt: hoc enim facit, & extorquet illa figura membrorum, vt animus viuens in sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus, quod suo corpori simillimum videt, quàm rotundum Solem, vndasque diffusas.* Quia non ita hæc similia sunt ipsi, vt statua quæ est instar corporis humani. vbi nota stultitiā gentiliū: à tergo habebāt Solē ipsū sed statuā Solis sibi similem instar corporis adorabāt. ita Neptunū &c fortasse ideò humanā formā Deus accepit, q̄ homines videret pronos ad sibi simile in figura adorandum. tandem concludit: sunt, inquit, apud nos ex his metallis ad sacramenta pertinentia, sed non adoramus.

Statuarū cultus frustra defensus.

Rom. 1.

Cur Solem humana effigie efformarint.

Ex

Ex Psalmo CXIV.

A lacrymis nunquam cessandum.

1 ERuit oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.) *Tunc eruet oculos à lacrymis, cum & pedes à lapsu; quia nec erit vllus lapsus ambulantium pedum, cum infirmæ carnis nullũ erit lubricũ.* pulchrè ait, non ante oculos cessare debere à lacrymis, quàm pedes à periculo lapsus, quod in hac vita non fit: itaque tota vita lacrymandum est. hinc de altera vita dicitur: *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis*. quasi ex hac vita non discedendum sit, nisi madentibus oculis.

2 *Placebo domino in regione viuorũ.*) *Nempe ista regio mortuorum est. hic falsi felices, veri infelices.* breuis, sed egregia sententia. hinc illud, *præterit figura huius mundi.* græca vox significat etiam, *decipit.* falsa igitur felicitas hìc est, & vera miseria. quod autem hanc regionem mortuorum dicit, adnotauimus, ideò corpus dictum σῶμα quasi σῆμα idest sepulchrum.

Ex psalmo CXV.

1 CRedidi &c. ego dixi in ecstasi mea, omnis homo mendax.) *ecstasim pauorem dicit, quam carnis humana infirmitas patitur; nam hæc vox Martyrum apparet. vidit non de se præsumendum.* exemplo est Petrus. igitur in pauore sint, *ne persequentibus cedendo mentiantur.* sed in tantum non mentientur, in quantum de illis dicitur: *ego dixi, dij estis, &c.* non vt homines suis viribus fisi: *ò homo peccato tuo mendax; dono Dei verax, & ideò non iam homo.* pulchrè, & egregiè dictum de Dei gratia, per quã supra homines euadimus: Deinde nota, Martyres adituros mortem, licet cũ magna animi alacritate irent, non tamen fuisse sine pauore: hæc ecstasis propria Sanctorum est, nihil de se præsumere: quis enim non extra se rapiatur in ecstasim cum lapsus cõsiderat Dauidis, Salomonis, vt omittam Tertulliani &c? vide etiam quid faciat Deo similem, veritas.

Per Dei gratiam supra hominẽ euadimus.

Martyres non sine timore ne caderent.

2 *Dirupisti vincula mea.*) *vt à fuga rediens religarer tibi.* egregiè facit hoc pro religiosis qui soluti Mũdi vinculis obligãt se per vota Deo: rupta sunt ferrea vincula, vltrò se induerũt aureis: de his dictũ, *Trahã eos in vinculis charitatis. & vincula illius alligatura salutis.* quid autẽ p̃clarius, quàm nõ modò adhærere, sed constringi cũ Deo?

Osee 3. Eccl. 6. Religiosi ruptis seculi vinculis religantur Deo.

Ex psalmo CXVI.

1 COnfirmata est misericordia tua, domine super nos.) *cum scilicet eius nomini, per quod liberati sumus, inimicarum gentium ora cesserunt.* spectat hoc ad Ecclesiæ quietem, qua nunc fruitur sub pijssimis Regibus, extinctis tyrannis. hæreticorum quoque ori frænum iniectum ab Augusto Cæsare Ferdinando.

Quies Ecclesiæ hostibus domitis

Ex Psalmo CXVII.

1 CIrcundederunt me sicut apes fauũ.) sic legit. Quid ab ignorantibus gestum sit, Spiritus sanctus mysticè ostendit. *Nescientes persecutores domini, fecerunt eũ in passione dulciorẽ: vt gustemus, & videamus, quia suauis est dominus.* pulchrè notatum, cur interfectores Christi dicãtur apes, quia licet inuidiæ aculeis armati, tamen quasi fauum cũposuerunt; nec modò Christus non est exasperatus, sed pro ipsis orauit, & de se ait: *factum est cor meum tanquã cera liquescens.* & post resurrectionem fauo mellis cibari visus est. ceterùm sicut apis feriens relinquit aculeum cum visceribus & moritur. ita Iudę post proditionem effusa sunt viscera; & ipsa mors amisit aculeũ suum: *vbi est ò mors aculeus tuus?* ita mors mortua. Spectat autem hoc ad Euchaństiã maximè: *fecerunt eum in passione dulciorẽ, vt gustemus, & videamus, quia suauis est dominus.* nempè ibi eius passionis recolitur memoria. huc refer illud: *memoria Iosiæ in omni ore quasi mel indulcabitur.* is Christi typus fuit, & necatus occubuit.

Iudæi vt apes Christum in fauum dulcem nobis aptarunt.

2 *Tanquam cumulus arenæ impulsus sũ vt caderẽ, & dominus suscepit me.*) sic legit: *Quamuis enim esset magna iam multitudo credentium, quasi arenæ innumerabili comparanda, & in vnam societatem tanquam in cumulũ ducta; tamen eã persecutio gentiũ quò impelleret, vt deijceret, non habebat, cũ Deus inuocãtibus non deesset.* Mirũ planè de innumerabili multitudine & incredibili constantia credẽtiũ, cũ maximè persecutio feruebat, q̃ & nostra ætate in insula præsertim Iaponica factũ. sic arena franguntur fluctus.

Ingens multitudo & mira constantia credẽtium in persecutione.

3 *Vox lætitiæ, & salutis in tabernaculis iustorũ.*) *Vbi vocẽ mæroris putabant esse, qui in eorum corpora sæuiebant, vnde ait Apostolus: Non solùm autẽ, sed, & gloriamur in tribulationibus.* est & hic p̃clarus locus de Martyrũ gaudio inter pœnas. Quidã nuper in Iaponia, dũ ad mortẽ ducebantur, adeò læti ibant, vt carmina in itinere sacra componerent alligata metro, soluti metu.

Lætitia Martyrũ inter tormenta.

4 *Dextera domini fecit virtutẽ.*) *Magna virtus deificare mortalẽ; præbere de iustificatione gloriã, de passione victoriã.* Vide quãta sit vis gratiæ: non modò inde glorificatio, & trũphi, sed veluti deificatio q̃dã, & apotheosis

Gratia mortalem quasi Deificat.

5 *Non moriar, sed viuã, & narrabo opera domini.*) *At illi stragẽ funerũ vbiq; facientes, Ecclesiã Christi mori arbitrabantur; ecce nunc enarrat opera domini. vbique Christus beatorum Martyrum gloria est. vicit vapulando ferientes, diligendo sæuientes.* pulchrè dictum; vbique, toto scilicet Orbe terrarum

Martyres vicere nõ plagis alienis sed suis.

florere Martyrum gloriam, in Christo non vicere reluctando, sed cedendo; non vulnerando, sed vulnera recipiendo; non vlciscendo, sed diligendo; nouum victoriæ genus, & quouis alio admirabilius, atque præstantius.

6 *Constituite diem festum in confrequentationibus vsq; ad summum.)* sic legit. *Quicumque Deum Verbum intelligere volunt, non eis sufficiat caro, quod propter eos Verbum factum est, vt lacte nutrirentur; nec in terra sufficiat. iste dies festus, qui agitur, occasus est; sed constituitur in confrequentatione, quòadusque perueniant, exaltatis in domino mentibus nostris vsque ad eius diuinitatem interiorem, qui nobis exteriorem humanitem lacte nutriendis præbere dignatus est.* pulchrè dictum, Verbum quasi lactescens carnem factum, vt lacte nutriremur, sed hinc progrediendum ad fruendum eius diuinitate, quasi grandium cibo. & quoniam hoc ad Eucharistiã refert, egregiè dictum puto: *constituite diem festum in confrequentationibus*. quis enim non admiretur incredibilem huius sacramenti frequentiam, nostrorum in primis opera? videas singulis præsertim mensibus statuto die templũ, quod in hac Vrbe capacissimũ est, innumerabili multitudine oppletũ piè ad hanc mensam accedentiũ. ad solemnem item diem corporis Christi præclarè pertinet.

Christi humanitas nobis lactescens

Ex psalmo CXVIII.

1 B*Eati immaculati in via.)* Hortatur, vt quærant beatitudinẽ; quia nemo est, qui non eam expetat: quis enim nolit esse beatus? sed quomodo ad eam perueniatur, plures nesciunt: *Beatum esse tam magnum bonum est, vt hoc & boni velint, & mali: nec mirum est quod boni propterea sint boni; sed illud est mirum, quòd etiam mali propterea sint mali, vt sint beati:* nempè quæritur beatitudo in voluptate, &c. ideo dixit: *beati immaculati in via; tanquã dicat: Quò itis? peritis, & nescitis. non illac itur, quà pergitis, quò peruenire desideratis. beati esse cupitis, & ad miseriam ducunt itinera, quæ curritis. tam magnum bonum quærere per mala nolite. frustra tendendo fatigamini, quò perueniendo inquinamini.* elegans parænesis, qua cursus vitæ dirigitur ad beatitudinem. acutè dictum, stultum esse, *quærere beatitudinem, idest summum bonum per mala.* hoc est per vitia.

Mundani stulte quærũt summum bonus idest beatitudinem per mala idest vitia.

2 *In quò corrigit iunior viam suam?) An non & senes correctione habent opus? an fortè admonitio est, qua ętate id potissimum fieri debeat? an iunior est nouus homo iunior est apud Deum percepta gratiæ nouitate conuersus*. facit hoc vltimum pro renouatione spiritus in religiosis maximè Societatis: cuius fructus est correctio defectuum, qui cursum impediunt ad perfectionem. item nota iuuentutem potissimũ opus habere correctione, ac fræno.

Iuuentus maxime indiget correctione.

3 *In mandatis tuis garriam, & considerabo vias tuas.)* græcè est ἀδολεσχήσω. *alij exercebor interpretantur; si exercitatio intelligitur ingenij cum quadam delectatione disputationis, vtrumque coniungitur; si autem Ecclesia in mandatis Dei se exercet, aduersus inimicos fidei copiosis doctorum disputationibus garrit, quæ tunc fructuosæ sunt disputantibus, si non ibi considerantur nisi via domini*. Agnoscis profectò hic S. Thomam in primis aduersus hæreticos disputantem. & nota quã ratione disputandum sit, cum fructu scilicet, vt per scientiã gradiamur ad virtutem, vt remotis obstaculis veritatis facilis via sternatur ad Deum.

Fructus disputationis pro fructus virtutis.

4 *Retribue seruo tuo, viuam, &c.) Quatuor sunt retributiones; aut enim mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem æternum retributurus est impijs; aut bona pro bonis, sicut regnum æternum iustis; aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam iustificat impium; aut mala pro bonis, sicut Iudas, & Iudæi per malitiam persecuti sunt Christum. duæ priores retributiones pertinent ad iustitiam; tertia ad misericordiam; quartam Deus nescit, nulli enim malum pro bono retribuit*. acutè quatuor distinguit retributionis genera: vltimum fugiendum.

Quatuor genera retributionis quæ sint.

5 *Inquilinus sum in terra.* grecè) πάροικος. alijs aduena, siue propter animam, quę non est de terra, siuè secundùm totum hominem, qui paradisi aliquando ciuis fuit, siuè quod non omnis homo possit hoc dicere, sed cui patria promissa est æterna in cœlis. hinc alibi ait: *Inquilinus sum ego apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei: non ait, sicut omnes homines, sed iustos vult intelligi, qui eum tempore præcesserũt, & in hac peregrinatione gemitu pio sempiternæ patriæ suspirarunt, de quibus scriptũ est: Secundùm fidem mortui sunt, cum non accepissent promissiones, sed eas longè videntes, & salutantes. infideles autem non sunt alienigenæ, sed terrigenæ; quia ibi sunt vbi secundùm carnem nati sunt; vnde ait alia scriptura de quodam: Posuit apud mortem domum suam, & apud Inferos cum terrigenis axes suos. nec frustra ille filius iunior, qui profectus est in regionem longinquam, cum diceret: Pergam, & ibo: prius reuersus est in semetipsum, nisi quia tam longè peregrinatus est, vt relinqueret etiam semetipsum*. rectè terrenis deditos terrigenas dicit, quorum scilicet cum cœlo nulla est conuersatio, nulla cognatio, quàm habẽt iusti, & ideò suspirãt ad patriã, pulchrè autem

Iustus quasi peregrinus suspirat ad patriã

Filius prodigus nõ solum patrem sed se ipsũ reliquerat

autem notat, prodigum filium, non solùm recessisse à patre, sed à se ipso; ideò dicitur: reuersus in se ipsum. quò spectat illud resipiscētis Dauid: *Inuenit cor suum seruus tuus.* Tùm expende illud sanè horribile de impuro iuuene: *Posuit apud mortem domum suam, & apud Inferos axes suos.* propè Inferos habitat, vicinam habet flammam, nec videt; vicinos damnatos, nec audit vlulatus; adeò & cæcus, & surdus est.

6 *Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia martyria tua exquisiui.) Testimonium græcè martyrium nuncupatur; vndè illi, qui propter testimonium Christi vsq; ad mortē pro veritate certarunt, non testes, q. latinè vtique possemus, sed græcè vtique Martyres appellantur; quoniam hoc ergo familiarius auditis, & dulcius, sic accipimus hæc verba, &c.* nota, quàm dulciter ad aures resonet martyrij nomen, vt reiecto latino nomine, græcum retineatur. adeò martyrium non solùm re suaue fuit ipsis Martyribus, sed in nos quoque suauitatem, iucunditatemque transfundit.

Martyrii nomen quàm suaue.

7 *Aufer à me opprobrium.) Cur tanquā graue, & intolerabile à se petit auferri id, quò potiùs peruenit ad coronam? nisi quia Ecclesia vt Christi corpus, orat pro inimicis? idest opprobrium, quo contemnor, quia martyria tua exquisiui, aufer me: inimici enim mei, quos à me præcipis diligi, qui magis magisq; pereunt, cùm martyria tua contemnunt, in me profectò reuiuiscent, si martyria tua venerentur in me; hoc videmus. ecce martyrium Christi, & apud homines, & in hoc Mundo non solùm non est opprobrium, sed magnum ornamentum; ecce non solùm in conspectu Dei, sed etiam in conspectu Domini pretiosa est mors Sanctorum eius; ecce non solùm non contemnitur, sed etiā magnis honoribus præferuntur Martyres eius.* acutè notat primùm de gloria Martyrum, quibus opprobria cesserunt in decora; deindè Martyres hoc orare, vt per resipiscētiam vi gratiæ reuiuiscant illi, qui vita ipsos priuarunt, quod tunc fiet, si incipiant non persequi, sed admirari Martyres. hoc ita clarius explicare pergit: *Testimonia, seu martyria tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ. consilium contra consilium. consilium sedentium Principum fuit, inuentos Martyres perdere; consilium patientium Martyrum fuit inimicos perditos inuenire; reddebant mala pro bonis, isti bona pro malis. quid igitur mirum, si Martyres sæuientibus gentilibus temporalem mortem patientissimè pertulerunt, & gentes Martyribus orantibus ad æternam vitam peruenire potuerunt? dum corpus Christi sic exercetecur, vt & martyria hæreditarentur, & malis Martyrum persecutoribus bona præstarentur.* Vide quam vindictam sancti Martyres retribuere conentur hostibus. certè Stephani mors Saulo persecutori veram attulit vitam; & Petrus Martyr sicarium, & carnificem suum resipiscentem Dominicano Ordini addictum habuit.

Martyriū magnum ornamentum est.

Martyrū vindicta conuersio persecutorum.

8 *Adhæsit pauimento anima mea.) Si tanquam vnam domum magnam vniuersum Mundum accipiamus, videmus velut eius cameram cælum; terra igitur pauimentum; sed quomodo potest intelligi terrenis adhæsisse, qui dicit: Seruus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus? an hoc intelligere debemus, quantumlibet quisque proficiat in Dei præceptis, habere tamen eum mortalis carnis affectum circa ista terrena? sed ab hac morte, si perseueranter proficit, quotidie reuiuiscere, viuificante illo, cuius gratia homo noster interior renouatur de die in diem.* pulchrè Mundum hunc quasi amplissimam domum facit, cuius ingentes fornices cœlum, vt Ennius quoque dixit, &c. porrò notent ipsimet Religiosi, quantumuis profecerint, semper inesse aliquid terreni, vt renouatione opus sit. tam facile est de terreno quasi pauimenti puluere aliquid contrahere sordium, quantumuis diligēs sis. Addit: *Corpus ipsum, quod ex terra est, intelligitur pauimentum, quod quia adhuc corruptibile est, rectè in illo ingemiscitur, sed postea cùm incorruptibile erit; non corporibus nos, sed ipsa potius in nobis adhærebunt, nos autem Deo; vndè alibi dicitur: Mihi autem adhærere Deo bonum est: vt viuant corpora ex nobis adhærendo nobis, nos autem viuamus ex Deo.* pulchrè dictum de adhæsione vitali post resurrectionem: tunc enim non iam anima corpori quasi subiecta, vt nunc est, inhærebit, sed illud potiùs animæ, & anima Deo. ita & corpus quasi vertetur in spiritum, & spiritus in Deum.

Mundus magna domus, cuius camera cœlum est.

Etiam iustus aliqd pulueris contrahit.

Perfecta adhæsio in Deum solum in altera vita.

9 *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti mihi.) Non ergo per propriū, & quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum.* Subiūgit: *Cordis dilatatio, iustitię est dilectio, hoc munus est Dei, vt in præceptis eius non timore pœnæ angustemur, sed delectatione iustitiæ dilatemur; hanc enim promittit latitudinem dicens: Habitabo in eis, & deambulabo; quàm enim latum est, vbi deambulat Deus? in hac latitudine diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* nēpè Deus ignis est, idemq; charitas est; non igitur mirum, si, quod ignis proprium est, laxando dilatet. rursum vide quàm latum sit oportet cor iusti, vt Deus non modò ibi inhabitet, sed deambulet. pulchrè, & egregiè dictum: *Quàm latum est, vbi deambulat Deus?* non mirum si sanctus Franciscus Xauerius dilatato cordi pectus angustum putaret, & si eodem corde nouum Orbem terrarum, ac tot nationes capere, & complecti posset, cùm in eius corde tanquam in Paradiso inambularet Deus, idq; ad meridiem, non vt primò factū est ad pœnā infligēdā, sed ad gratiam infundendam cum feruore charitatis.

Cursum ad bonū gratia incitat.

Cor iusti ambulacrum Dei.

Am-

10 *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua suauia.) Idest vera hominum iudicia de occultis hominum non sunt suauia, quia temeraria.* Vide discrimen quantum sit inter humana, & diuina iudicia. illa temerè quę nesciuntur asserentia, ideò acerba; hæc quia certitudinem habent, & ad salutem diriguntur, suauia.

Iudicia temeraria amara sũt

11 *Funes peccatorum circumplexi sunt me.) Hoc est impedimenta, siuè diaboli, & Angelorum eius, siuè carnalium, in quibus diabolus operatur, cùm minatur mala, vt terreat iustum; trahunt enim peccata sua quasi restem longam, & hinc Sanctos implicare conantur.* Vide quot sint qui funes intexant, vt nos ad Inferos detrahant; hinc diabolus, & Angeli eius, hinc mundani eius sequaces.

Dæmones & improbi homines textores funium sũt, & laqueorum.

12 *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.) Quia non eum sic affligebat, vt deijceret; sed exercebat, vt surgeret: idest vt ipsa tribulatione ad fortius confitendum proficeret.* rectè adnotat, per tribulationem hoc agere Deum, vt homo surgat potiùs ad ipsum Deum per animositatem, quàm deijciatur per pusillanimitatẽ. huc refero illud Hieremiæ: *Ponet in puluere os suum, & leuabit se supra se.* adeò humilitate attollimur, immò supra nos ipsos euehimur.

Afflictio proficit ad fortitudinem.

13 *Suauitatem fecisti cum seruo tuo.)* χρηστότητα bonitatem verterunt, ne carnalem suauitatem putarent: *Hoc est fecisti, vt me delectaret bonum; quando enim delectat & bonum, magnum Dei donum est.* quia sic non seruiliter, & cum timore fit opus. Vide quantum Dei donum sit benè operari non modò sine tœdio, sed cum voluptate. rursus vide quanta cognatio sit inter bonitatem, & suauitatem, vt vnum accipiatur pro altero.

Bonitas & suauitas idem.

14 *Suauitatem, & eruditionem, & scientiam doce me.)* Cur, si dixit, suauitatem iam fecisti, eam exoptat, & poscit? *Augeri sibi ista poscit, & perfici, vt ei gratia Dei magis, magisq; abundet; vel innotescat dulcedine bonitatis. quandiù versantur in hoc seculo, hæc proficientium est cantatio. sic Apostoli dicunt Christo: Adauge nobis fidem.* acutè adnotat, cur, si dixerat factam sibi à Deo suauitatem, nunc eam deposcat? quia semper ad maiorem perfectionem tendendum est.

Virtutis incrementum semp poscendu

15 *Suauitatem, & eruditionem, & scientiam doce me.) Eruditionem alij disciplinam vertunt; græcè παιδείαν. vbi intelligenda est per molestias eruditio; omnis enim disciplina ad præsens non gaudij videtur esse, sed tristitiæ; cum quo ergo Deus facit suauitatem? hoc est cui propitius inspirat boni delectationem; hic est, cui donatur à Deo charitas; instanter orare debet, quò tantum sibi augeatur hoc donum, vt non solùm pro illo contemnat delectationes cæteras, sed etiam quaslibet perferat passiones, vt suauitati mirabiliter addatur disciplina; non enim quantulacumque suauitas, & charitas poscenda est, sed tam magna, vt sub pressura non possit extingui, sed quasi ingens flamma sub impetu venti quantòmagis reprimitur, tantò ardentius excitatur. tertiò ponitur scientia, quia si magnitudine sua præcedit scientia, magnitudinem charitatis non ædificat, sed inflat. cùm ergo tanta fuerit charitas in bonitate suaui, vt tribulationibus non possit extingui, quas adhibet disciplina, tunc vtilis erit & scientia.* Nota scientiam vltimo loco positãm, ita vt præcedat charitas, ne illa infletur. vide igitur quàm præponderet pietas. nota etiam, nunquam nos desistere debere à profectu, poscendo maiorẽ, & maiorem charitatem, adeò eius auidi simus oportet, vt rei pretiosissimæ.

Charitas præire debet scientiam.

16 *Coagulatum est sicut lac cor eorum.) Idest superborum: obduruisse cor eorum vult intelligi his verbis.* Nota interpretationem miram: obduratum est, inquit, cor eorum, sicut lac; sed quæ duritia esse potest tanta in lacte? notabile est quod ait Aristoteles; mare agitatum fluctibus ad scopulos, primò spumam efficere, quæ aliquando concreta fit instar lactis, denique euadit in scopulum, cautemq; durissimam: ita accidit cordi agitato perturbationibus: *Impij enim sicut mare feruens.* hinc deinde illud: *Cor eius indurabitur quasi lapis.* nimirum illi diabolum imitantur obstinatione; & cùm spumeum cor voluptate quasi lactescere cœpit, tunc propè est vt durescat in saxum.

Cor impii lacteũ mox saxeum fit.

17 *Da mihi intellectum.) Si potest id Angelus facere, nam dicit Danieli: Veni tibi intellectum dare; cur hic à Deo hoc sibi poscit, vt faciat? An quia Deus, seu Christus Angelo iusserat, vt faceret? nam dicit: Audiui vocẽ viri, & dixit: Veni, fac intelligere illam visionem: Deus itaque per se ipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, sed si ad hoc ministro vtitur Angelo, potest quidem Angelus agere aliquid in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat; sed ita dicitur dare intellectum homini, & quasi ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur dare lumen domui, cui fenestram facit, cùm eam non sua luce penetret, & illustret, sed tantummodò aditum, quo illustretur, aperiat; sed nec Sol, qui per fenestram illustrat domum, ipse creauit eandem domum, aut hominem, qui fenestram fecit; Deus autem, & hominis animam intellectualem fecit, quæ possit capere lucem, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquando, &c.* egregiè de ministerio Angelorum, præsertim in illuminando intellectum hominis. ijs igitur in arduis quæstionibus commendare nos expedit, quod Thomas Aquinas & ipse Angelicus faciebat.

Angeli ministerium in nostris mentibus illuminandis quale.

18 *Factus sum sicut vter in pruina.) Ardentibus enim spiritualibus desiderijs, carnalia sine dubio frigescunt. per vtrem, carnem* mor-

Ardente spiritu, friget caro.

mortis huius, per pruinam verò, cœleste desiderium vult intelligi, quo carnis concupiscentiæ torpescunt; feruor enim cupiditatis obtorpuit, vt ferueret memoria charitatis. referri potest hoc ad sanctum Franciscum Assiliatem Seraphicum, charitate ardentem. hinc factum, vt omnia carnis desideria illi frigescerent; quod vt aptius faceret, in carnis tentatione; niue se inuoluit, & pruina.

19 *Narrauerunt mihi iniqui delectationes.*) Græcè ἀδολεσχίας. alij legunt, fabulationes: *Exercitationes quædam intelliguntur, sed in sermone cum quadam delectatione: has verò habent in diuersis sectis, ac professionibus, & literæ seculares, & Iudæorum, quæ deuterosis nuncupantur, continentes, præter diuinarum Canonem Scripturarum, millia fabularum. habet eas & hæreticorum vana, & errabunda loquacitas; sed non, inquit, vt lex tua. quia me in ea veritas, non verba delectant.* rectè arguit Rabinorum fabulas, & figmēta, quibus non absimiles sunt ineptiæ hæreticorum, vt Valentini æones, &c. vide autem quid sint cognata hæreticorum, qui de ingenio, & doctrina se iactant: *Vana, & errabunda loquacitas.*

Vana, & errabunda loquacitas hæreticorū.

20 *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel, & fauum.*) *Melli est similis aperta doctrina Sapientiæ; fauo verò occulta doctrina Sapientiæ, quæ de abstrusioribus Sacramentis, tanquam de cellis cereis ore disserentis, velut mandentis exprimitur: verùm ori cordis, non carnis est dulcis.* pulchra metaphora, qua duplex genus suauitatis ostenditur in sacra Scriptura, iuxta historialem sensum, & mysticum.

21 *Anima mea in manibus tuis semper.*) *Alij legunt, meis; plures, tuis; quia iustorum animæ in manu Dei sunt. an fortè ità dictum, in manibus meis, tanquam eam viuificandam offerret Deo?* acutè interpretatum. vir iustus animam suam semper in manibus suis portat, quasi munus offerendum Deo, ita, vt perpetuum sit hoc munus: *Semper*, inquit, aut quasi hostiam victimarius ad aram, vt incendatur, ducit.

Iustus animā quasi munus Deo offerendum semper portat.

22 *Confige clauis tuis carnem meam.*) *Græcè καθήλωσον. sine clauis intelligi non potest, vndè illud Apostoli: Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo; & iterum: Christo confixus sum cruci. item: Qui sunt Iesu Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs; vbi cùm dictum sit, quod ipsi crucifixerunt carnem suam, tamen hic Deus rogatur, vt id faciat; vt intelligamus, etiā id, quod rectè facimus, Gratiæ Dei esse attribuendum, qui in nobis operatur, & velle, & operari pro bona voluntate.* egregiè, & acutè notatum, cur à Deo petatur quod habere dicitur? nempè vides gratiæ cooperationem. pertinet autem hoc præsertim ad Religiosos: configunt hi se cruci, sed gratia clauos dulces facit, & ex ferreis aureos.

Gratiæ est quod boni sit.

23 *A iudicijs tuis timui.*) *Si iam timuerat, vel timebat, cur adhuc orabat, vt à timore Deus crucifigeret carnes suas? an addi sibi volebat timorem, vt tantum timeret, quantum sufficeret crucifixis suis omnibus, idest concupiscentijs, affectibusque carnalibus?* rectè adnotat, nō quemlibet gradum timoris Dei sufficere ad omnes passiones crucifigendas; plures claui esse debent. Addit & aliā interpretationem, cùm ait: *A iudicijs tuis timui.* timebat quidem, sed timore seruili pœnæ; cùm autem ait: *Confige clauis à timore tuo carnes meas.* de timore iustitię loquitur, non pœnæ, quæ non crucifigit carnes, quia cùm speratur impunitas, apparet voluntas peccandi in opere; non sic in timore casto: *Timore enim casto, ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiam si sequatur impunitas. confige, &c. inquit, hoc est da mihi castum timorem, ad quem peccandum me tanquam pędagogus timor legis ille perduxit, quo timore à iudicijs tuis timui.* pulchrè dictum. timor legis seruilis metu pœnæ est tanquam pędagogus incipientium. at castus liberè, & spontè auersatur malum, etiam si id agere posset impunè. & nota: ipsa charitas, quæ timere vetat seruiliter, timet amanter.

Timor Dei semper petēdus, ne labamur.

Timor legis quasi pędagogus.

Peccare timet charitas, etiā si sit impunitas.

24 *Tempus faciendi Domino*) *Ita plures codices habent, non, Domine. quid est autem, nisi gratia, quæ in Christo suo tempore reuelata est? sed cur subiungit: Dissipauerunt legem tuam? oportebat vt superbis, & de libertate arbitrij præsumentibus lex daretur, qua dissipata tempus fuit, vt per vnigenitum filium Dei lex mitteretur.* nota, *Tempus faciendi*, dicit. quid autem facturus sit, tacet; adeò opus incarnationis ineffabile est. vel antonomasticè dictum puto: *Verbum caro factum est.* quasi alia, quæ facta sint, nihil sint in huius comparatione.

Incarnatio cur tēpus faciēdi dicatur?

25 *Os meum aperui, & attraxi spiritum.*) *Aperuit os petendo, quærendo, confitens, quod per se ipse non faceret; & sitiens hausit spiritum bonum, vnde faceret, quod per se ipse non poterat; sed adhuc quærit. bibit, sed quantò suauius sensit, tantò ardentius adhuc sitit. audi verba sitientis: Respice in me, & miserere mei.* Vide quàm anhelantem Spiritus sanctus faciat animam, & rebus diuinis inhiantem: nec mirum quod & linguæ formam induerit, & igneæ, cùm tantam accendat sitim æternorum.

Spiritus sanctus sitienti animæ datur

26 *Exitus aquarum descenderunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*) sic legit: *Humilitate scilicet pœnitendi ascenderunt, quando per superbiam erecti fuerant. Alij codices legunt, transierunt, tanquam exaggeranter diceret, transisse se flendo fontes aquarum; plus fleuisse, quàm manant aquæ de suis exitibus.* rectè in lacrymis humilitatē requiri ostendit. hinc dicitur: *Ascensiones in*

Pœnitentiam humilitas decet.

Magna vis lacrymarū, pro pria pœnitentis.

in corde suo disposuit in valle lacrymarum. deindè vide pro peccatis quàm vbertim flendum sit, omni scilicet fonte vel plenius, vel perennius.

27 *Tabefecit me zelus meus, &c.)* alij legunt, tuus: *Ait Apostolus: Aemulor enim vos Dei æmulatione; aptaui enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo. hæc æmulatio, quam suis fidelibus inspirat Deus, amoris est, non liuoris: Aptaui, inquit, vos vni viro, &c. vt amicus sponsi, sponsam non sibi zelabat, sed sponso Christo. zelabat inimicos Deo tam vehementer, & ardenter, vt eo zelo tabefactum se diceret, etiam si illi ob hoc in ipsum inimicitias exercerent; non ingratus enim gratiæ Dei, per quam fuerat ex inimico reconciliatus Deo, etiam ipsos suos diligebat inimicos. addit autem: Ignitum eloquium tuum vehementer; quia ad hoc flagrabat eos adducere, quod ipse flagrantissimè diligebat.* pulchrè ait, sponsam aptari sponso Christo, sicut vestes aptari dicuntur, cùm proportionē habent sine defectu, vt de Ecclesia dixit: *Non habente neque maculam, neque rugam.* sed in primis nota, quæ sit vera zelotypia ex Deo, ea scilicet, *Quæ amoris est, non liuoris.* Deinde vide in quo grati simus gratiæ Dei, si, cùm per eam saluati simus, etiā aliorum saluti studeamus.

Zelotypia laudatur, quæ amoris est, non liuoris.

Zelus alienæ salutis ex magno feruore dilectionis est.

28 *Praueni nocte intempesta, & clamaui.) Nox intempesta dicitur media, quia importuna est actionibus vigilantium; sed sæpè contingit, vt tali noctis tempore vigilet amor Dei, & magno vrgente orationis affectu non expectetur, sed præueniatur. post galli cantum consueuit esse tempus orandi.* meritò laudat vigilantiam amoris erga Deum, quod facit pulchrè pro Religiosis, qui pro instituto habent, vt media nocte surgant ad orandum. amor est, qui magna voce excitat: *Noctis tempore vigilat amor Dei.* Addit: *Plures codices habent: Immaturitate. græcè est ἐν ἀωρίας in immaturitate. nox hoc seculum est; præuenimus nunc maturitatem temporis, in quo redditurus est nobis quod promisit.* referri hoc potest ad expectationem natalis Domini, quem vigilijs, ac precibus præuenimus. item ad orationem quadraginta horarum, Bacchanalibus, à nostris institutam triduo ante ceneralia, nec sine flagellatione: *Magno enim vrgente orationis affectu non expectatur, sed præuenitur,* tempus scilicet pœnitentiæ: quasi dæmones iterū conquerantur cum Iesu: *Venisti ante tempus perdere nos.*

Noctu vigilat amor Dei per orationis affectum.

Præueniēdam est benè operando.

29 *Multi persequuntur me, &c. à testimonijs, seu martyrijs tuis non declinaui.) Factum est, nouimus, recolimus, agnoscimus; purpurata est vniuersa terra sanguine Martyrum; floret cœlum coronis Martyrum; clarescunt sanitates meritis Martyrum; ornatæ sunt Ecclesiæ memorijs Martyrum.* pulcherrimus locus de Martyribus, siuè terrā vniuersam purpuratam, & nobilitatam dicat eorum sanguine, vt possis illud Poetæ dicere: Quæ caret ora cruore nostro? siuè cœlum florens coronis Martyrum; quod etiam de ijs Religionibus dicam, quæ suos Martyres habent; quibus potius quàm stellata Ariadnæ corona exornentur. Non semel autem in martyrijs hæ coronæ visæ, vt illæ triginta nouem, qui gelidum stagnum pertulerunt.

Tota terra purpuratur cruore Martyrum.

Cœlum coronis Martyrū floret.

30 *A verbis tuis formidauit cor meum.) Habuerunt quidem & persecutores verba minacia: Expello, proscribo, occido, vngulis torqueo, igni torreo, bestijs subigo, membra dilanio; sed tua me potius verba terruerunt, qui & corpus, & animam potes mittere in gehennam.* & hoc pulchrè, & notabiliter dictum de Martyribus, eos opposuisse minacibus tyrannorum verbis verba Christi gehennam minitantis, ita vanas illas putasse minas præ his: adeò iudicium vltimum, & tribunal horrendum Iudicis Christi, etiam Martyres permouit, atque concussit. deinde notanda sunt crudelia verba in edictis tyrannorum: *Expello, proscribo, occido, &c.*

Martyres ipsos gehennæ metus permouit.

Verba sua in edictis contra Martyres.

31 *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.) Victis spolia detrahuntur: nemo, inquit, intrat in domum fortis, nisi prius alliget fortem, &c. sed spolia multa inuenta sunt, quando patientiam mirati Martyrum etiam ipsi persecutores crediderunt; & cùm Regem nostrum detrimentis militum eius sunt damnificare moliti, ab illo sūt insuper acquisiti.* elegans locus de victoria Martyrum, & triumphali præda. sæpè ipsi Iudices, & lictores admirati constantiam, eandem securim, quam intendebant illorum ceruicibus, credentes ipsi exceperunt suis. papè quàm opima spolia!

Triūphalis præda Martyrū conuersio persecutorum.

32 *Iniustitiam odio habui, &c.) Formido non fecit odium eorundem verborum, sed integram tenuit charitatem. paterna iudicia laudantur etiam in flagello, si promissa diliguntur in præmium.* præclara vox de afflictione libenter recipienda: alibi ait, resonantibus foris flagellis verberantis, intus resonare Dei vocem amantis. Ad hæc pulchrè aduertit quod sequitur: *Septies in die laudem dixi tibi; idest semper; per septem enim dies currentes, & recurrentes voluuntur vniuersa tempora; meritò igitur septies in die laudauit Ecclesia Deum, quia in omnibus tribulationibus, non infirmata, sed coronis Martyrum glorificata est.* Nota quàm indesinenter sit Deus laudandus ob gloriam Martyrum. & rectè dicit semper, quia nullo nō tempore his coronis glorificatur Ecclesia. audimus in dies præclaras victorias credentium etiam apud barbaros.

Afflictio paternum Dei flagellū est.

Ecclesia semp glorificatur coronis Martyrū.

33 *Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexi ea valdè.) Custodiuntur, dum non negantur. hoc est Martyrum officium, quia testimonia græcè martyria nuncupantur, sed quia*

pro

pro testimonijs Dei etiam flammis concremari sine charitate nihil prodest, ideò addidit: Et dilexi ea valdè. Vide quanta sit vis charitatis, sine qua nullum est pretium neque sanguinis Martyrum; sed inde valorem sumit.

Sine charitate nec martyriũ prodest.

34 *Concupiui salutare tuum.) Ipsum se concupisse iusti antiqui veracissimè confitentur. ipsum concupiuit Ecclesia venturum de visceribus matris. ipsum concupiuit venturum ad dexteram patris.* Vide quàm optabilis sit Christus, vel de matre veniens, vel de patre, sed hoc nonnisi iustis. facit hoc ad expectationem virginei partus ante natale, de quo egregiè nouendial institutum: *Ipsum tunc concupiuit Ecclesia venturum de visceribus matris.*

Expectatio Virginei partus quo affectu celebranda.

35 *Erraui sicut ouis, &c.) Propter hanc vnam pastor eius nonaginta dimisit in montibus, & eam quærens Iudaicis laceratus est vepribus.* pulchrè de corona spinea. quia enim homo, maledicta terra, quasi ouis inter spinas ibat seculi errabunda, ideò ingressus Christus est quasi per sepes in spinas, vt inde eam reduceret ad beata cœli pascua. Tùm nota sæuissimam lanienam capitis Christi: *Iudaicis laceratus est vepribus*, non ait solùm compunctum.

Cur Christus spinis sit laceratus?

Ex Psalmo CXIX.

1 *CAnticum graduum, &c.) Significat ascensiones, quas in corde suo disposuit iustus in loco ploratus, in locum, quem disposuit, vt alibi dicitur: dixit ascensiones, vbi? in corde. vnde? in conualle ploratus; & iam quò ascendatur, tanquam deficit sermo humanus, nec explicari potest. fortè nec cogitari. vnde illud: Nec oculus vidit, &c. in locum, quem disposuit. si dixero in locum talem, quicquid dixero, terrenum cogitas. cui loquar? quis capiet?* acutè adnotat; cùm dixisset, vbi hi gradus erigendi, & vnde ascensus foret, de loco nihil peculiare dicit, nimirum ineffabilis est, idest æterna beatitudo. Vide autẽ quomodo fiat animæ ascensus ad Deum. in corde scalarum erigendi sunt gradus p varios affectus, & desideria semper maiora, & subliniora; nec sine suspirijs, & lacrymis, ex humilitate simul, & charitate ortis.

Ascensus ad Deum quomodo fiat?

Aeterna beatitudo ineffabilis est.

2 *In conualle ploratus.) Quid est vallis plorationis? præbuit percutienti se maxillam, saturatus est opprobrijs, sputis illitus, spinis coronatus, crucifixus. sed quò ascendẽdum est? In principio erat Verbum, &c. sic descendit ad te, vt maneret in se; descendit ad te, vt fieret tibi vallis plorationis; mansit in se, vt esset tibi mons ascensionis in vertice montium.* Elegãter dictum de Christi passione, quam dum flemus in humiliationis conualle, ascendere debemus ad contemplandam eius diuinitatem, & gloriam, vt magis magnitudo beneficij appareat.

Christi simul & humilitas passionis, & maiestas diuinitatis cõsideranda.

3 *Ascensiones in corde suo disposuit, &c. in conualle.)* Exponit de Apostolicis viris, qui licèt altissimæ contemplationi dediti sint, tamen ad alios iuuandos descendunt: id significatum ait, per scalam Iacob, in qua licèt intelligi possint proficientes, & deficientes; potiùs tamen intelliguntur omnes boni in illis verbis, ascendere, & descendere: *Multum enim interest inter descendere, & cadere. In quadam altitudine cordis habitabat Apostolus, cùm diceret: Siuè mente excedimus Deo. excedens enim mente omnem seculi temporalitatem, omnia quæcũq; nascendo, & occidendo euanescunt, habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione; qui si semper manere vellet in eo, quod videbat, & loqui non poterat, non te leuaret vbi & tu posses videre. descendit igitur: Siuè, inquit, temperantes sumus vobis: idest sic loquimur, vt vos capere possitis. dicit Ioannes: In principio erat Verbum. cape si potes, arripe, cibus est; sed dicturus es: Ille quidem cibus est, ego autem infans sum. lactandus sum antea; ideò igitur ipse cibus per carnem tibi iniectus est ad fauces. nam sicut cibum mater comedit, vt per carnem traijciat ad infantem lactentem lac factum: sic cibus Angelorum Dominus Verbum caro factum est, & factũ est lac. vnde ait Apostolus: Lac vobis potum dedi, non escam; nondũ enim poteratis. ergo dando lac, descendit ad paruulos, & quia descendit, descendentẽ dedit; ait enim: nunquid dixi, me aliquid inter vos scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum? quia si diceret tantùm Iesum Christum; est Iesus Christus etiam secundùm diuinitatem Verbum apud Deum; sed si hunc, idest hoc modo dictum, paruuli non caperent. quomodo ergo capiunt, qui lac capiunt? Iesum Christum, inquit, & hunc crucifixum. Suge quod pro te factus est, & cresces ad id, quod est.* pulchrè Christum crucifixum lacti cõparat, quod sugitur. certè eius plagę tanquam vbera sunt. hoc lacte nutriti adolescimus, non dico in viros, sed quodammodo in ipsum Deum: *Suge quod pro te factus est, & cresces ad id, quod est.* præclara sanè vox. postremò de ijsdem gradibus ascensus, atque descẽsus sic: *In scala Iacob erant Angeli ascendentes, & descendentes. Esaias etiam de descendẽtibus fuit: Requiescet, inquit, super eum Spiritus Sapientiæ, &c. & Spiritus timoris Domini à Sapientia cœpit, & vsque ad timorem descẽdit; sed tu, qui proficis, à timore ascende ad sapientiam; initium enim sapientiæ est timor Domini.* Nota septem gradus eius scalæ in donis Spiritus sancti. Esaias à sapientiæ gradu incœpit, descendens asq; ad timoris gradum; nos à timoris gradu incipimus vsque ad celsum sapientiæ gradum, quia imperfectiores, & per profectum in maius erigimur.

Contemplatiuã vitam cum actiua iungere præclarũ.

Christus lactescit in nobis per passionem.

Cap. 11.

Timor Dei primus scalę gradus desinens in sapientiæ altiorem.

Sa-

4 *Sagittæ potentis acutæ.) Nouit Dominus sagittare ad amorem; at nemo præclarius sagittat ad amorem, quàm qui verè verbo sagittat cor amantis, vt adiuuet amantem, vt faciat amantem.* Eleganter Deum sagittarium, ac venatorem facit cordis, sed ita vt iaculum vitale sit; & cor ad ferientis amorem conuertat. pulchrè hoc ad Teresiam virginem referri potest, quæ huius amoris iaculo mirè traiecta est. prætereà idem & Prædicatori agendum dicit, venatori cordium, non aucupi plausuum: *Qui verbo sagittat cor amantis, vt adiuuet amantem, vt faciat amantem.*

Deus sagittarius cordis ad amorem, non ad interitum.

Prædicatoris est verbo sagittare corda.

5 *Cum carbonibus vastatorijs.) Parum est verbis agere contra labia iniqua, agendum est & exemplis. exempla multorum iniquorum, qui conuersi sunt ad Dominum, carbones sunt. est ille amator circi, amphitheatri, &c. nunc quomodo Deo seruit? quàm innocens factus est? noli mirari, carbo est. viuum gaudes, qui extinctum plangebas. adhibe igitur illum iam viuum carboni mortuo, vt accendatur; admone illum, qui adhuc friget, & sequetur Deum.* rectè peccatores carbones dicit extinctos, sed si nos Deo accensi ijs admoneamur, reaccendi possunt: præsertim conuersio peccatoris hoc agit, vt non modò ipsi prosit, sed alijs ob exemplum. Vide igitur quàm vtile sit versari cum bonis; & quàm expediat feruorem habere Spiritus, cùm & in alios redundet vtilitas. hæc Ignatius supponens in suis esse, cùm per Orbem mittebat, aiebat: Ite, incendite.

Feruor Spiritus ad alios accendendos prodest.

6 *Sagittæ potentis acutæ.) Lingua subdola tibi dicit: Non potes implere præcepta Dei, difficile factu est. habes tu sagittam verbi Euangelici; adhibet & Deus carbones desolatorios; incipit tibi dicere Deus, Tu non potes? quare ille potest? nunquid tu delicatior es illo Senatore? nunquid tu infirmior fœminis? fœminæ potuerunt, viri non possunt? delicati diuites potuerunt, pauperes non possunt?* pulchra prosopopeia ad illustrandam mentem hominis, & muniendam contra tentationes, cùm initio conuersionis se obijciunt difficultates mutandæ in melius vitæ: quod pertinet potissimum ad eos, qui seculum relinquere constituunt, Dei illustratione quasi sagitta acuta transfixi. tu nè religiosum statum quasi difficilem exhorrescis? quem nonnulli Reges, multi Dynastæ complexi sunt, vt Ludouicus Franciscanus, & noster Borgias, &c.

Mundanis impedientibus viam salutis obsistendum sagitta verbi Dei.

7 *Cum carbonibus desolatorijs, seu vastatorijs.)* Dices: magnus peccator sum. esto, sed conuersus est quandoque maior: *Desolatur in illo cogitatio terrena; erant in illo multa, quæ malè fronduerant, seculares multi amores, ipsi vruntur carbonibus vastatorijs, vt fiat purus locus desolatus; vt ibi faciat Deus ædificium suum, quia facta est ibi ruina diaboli.* nota vbi ædificet Deus, scilicet vbi mundana desideria sublata sunt, vbi diaboli domus euersa, & incensa est per feruentia aliorum exempla, qui sunt à peccato conuersi: ibi tanquam expurgato loco per carbones istos ignitos, etiam desolato Deus ædificat. sicut cum locus siluosus, durus, ac sentibus horridus incenditur, igne vastatur, ac desolatur, vt excultus fiat, & frugifer. aut cum ruinosa domus euertitur, vt ædificetur noua basilica. cæterum Dianę ædificio, ac templo, vt esset firmissimum, & immune à terremotu, substratos fuisse carbones, refert Plinius: quod idem de spirituali ædificio videtur dicendum, iuxtà prædicta, vt eius quasi fundamentum sit spiritus feruor.

Deus nõ nisi in loco spiritus igne purgato ædificat.

8 *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, &c.) Hæc vox est infelicis, sed tamen in spe, quia iam vel gemere didicit; multi enim & miseri sunt, & non gemunt.)* Rectè ait, tunc incipis ex infelici fieri felix, cum te infelicem incipis gemere.

Mundani miseri sũt nec tamẽ gemunt.

9 *Habitaui cum habitantibus Cedar.) Cedar, idest tenebræ. Cedar ad Israel pertinet; de Abraham, Isaac, & Israel geniti; sed Ismael ad terrenum, Isaac ad cœleste regnum pertinet; Ismael in tenebris, Isaac in luce. qui pertinent ad Isaac, inter illos viuunt; qui pertinent ad Israel, isti sursum volunt ascendere, illi deorsum volunt premere. isti volare volunt ad Deum, illi conantur pennas euellere; dicit enim Apostolus: Qui secundùm carnem persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nunc.* Vide quid agant ij, qui bonum aliquod opus impedire conantur, vt ingressum Religionis, &c. & hoc amicè se agere dicunt; de Ismaelis genere videntur; persequuntur potiùs, & quasi euulsis alis, aut reti posito impediunt volatum ad supera: *Isti volare volunt ad Deum, illi conantur pennas euellere.* quid iniquius? quò spectat illa Prophetæ querimonia: *Facti estis velut rete expansum subter Tabor.* dum scilicet ad eum statum tendentes tanquã ad sanctissimum perfectionis montem, impiè auocant.

Impediẽs bonum propositũ alterius ꝗ iniquus sit.

Ex psalmo CXX.

1 *NON des ad mouendum pedes meos.) Vnde motus est pes illius, qui erat in Paradiso? sed prius attende, vnde motus est illi pes, qui erat inter Angelos, & cecidit factus diabolus. mouit pedem superbia ad ruinam; ad proficiendum verò, & ascendendum mouet pedem charitas: ò lepidi, ac limpidissimi pedes charitatis, qui humiles ad celsitudinem prouehunt.* contra in alio psalmo dicitur: *Non veniat mihi pes superbiæ.* & subiungitur: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.* vides claudam esse superbiam, vno pede, vt prope-

Superbia mouet pedem ad ruinam, charitas ad salutẽ.

Charitatis pedes lepidi, & limpidissimi.

Psalm. 25

pterea superbi non possint stare. Vulcanus eiectus ob deformitatem fingitur è cœlo, & claudicasse. verius superbia: *Mouet pedē superbia ad ruinā.* at verò elegāter, & acutè pedes charitatis, quibus ad Deum curritur, lepidos dicit, ob venustatem, & leporem; cum superbiæ pes turpis sit. item illius limpidissimi, huius lutulentus; quia illius pedes in Deo, ac Verbo, qui *Candor est lucis æternæ;* huius pes in homine, qui ex luto est, fundatur. denique hic ad Inferos præcipitem ducit, illi ad superna. exclama igitur meritò: *O lepidi, ac limpidissimi pedes charitatis, qui humiles ad celsitudinem prouehunt.*

2 *Dominus custodit te super manum dexteram tuam.) Quid? an & sinistram non custodit? nonnè ipse nos totos fecit? sed sinistra nostra dicitur quicquid temporaliter habemus; dextera quicquid nobis æternum, & incommutabile Dominus pollicetur. hoc illud est in Canticis: Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: sursum erat dextera, & deorsum sinistra; & sic castè complectitur sponsus sponsam, supponens sinistram ad consolationem, imponens dexteram ad protectionem. idcò sinistra eius, quia omnia temporalia dat Deus. quàm impij sunt qui à dæmonibus ista petunt? sit sinistra, sed sub capite; supra illam sit caput tuum, idest fides tua. noli temporalia præponere fidei tuæ, sed præpone illis fidem, & erit sinistra sub capite; & rectè dextera eius complectetur te; nam vt est in psalmo: Longitudo dierum, & anni vitæ in dextera eius; in sinistra autem eius diuitiæ, & gloria. longitudo illa dierum æternitas est.* acutè, ac pulchrè obijcit, & respondet: cur de custodia dexteræ tantùm meminerit Dauid; nimirum hoc maximè optandum est, vt æternitas in tuto sit. huc refert sensum verborum Christi: *Si quis vult percutere dexteram, idest tollere fidem meam, tu præbe sinistram, vt tollat potiùs temporalia. nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; idest quando facis bonum, propter æternam vitam fac, non propter temporalia, & terrena.* huc item refert quod sequitur.

Per sinistram tēporalia, per dexteram æterna denotantur.

3 *Custodiat animam tuam Dominus.)* Animam dicit, quia in corpore tantùm passi sunt Martyres. exemplum affert sanctæ Christinæ: *Clarissima hæc fuit, nobilis genere, abundans diuitijs; sed hæc omnia sinistra erant, sub capite erant. venit inimicus, qui ferret corpus, & sinistra illi obiecta est, quæ erat sub capite; caput supra erat, dextera desuper complectebatur. quid poterat facere persecutor quamuis delicatę fœminæ? quid ad tanta munimenta? quid ad illam sponsum mittentem sinistram sub caput, & dextera sua complectentem? quanquam sic munitam percuteret inimicus? percussit, sed corpus. custodiat animam tuam Dominus; non cedat anima, non frangatur.* nempè corpus ad temporalia pertinet, & Christus obtulit percussori corpus, sed resuscitandum. pulchrè autem dicit, frustra persecutorem in cam sæuire, quam Christi dextera complectebatur. æterna non potuit auferre; temporalem vitam abstulit, sed ad tempus. quod de Christina dicit, ad alias quoque sanctas Martyres, præsertim nobiles virgines referri potest, vt Catharina, &c.

Christinę nobilis Martyris constātia laudatur.

4 *Custodiat introitum, & exitum tuum.) Quando tentamur, intramus? quando vincimus, eximus. sic sunt homines iusti, vt vasa figuli; necessè est vt fornacem intrent; vasa figuli probat fornax, & hominem iustum tentatio. figulus non securus est, cum vasa intrant fornacem, sed cum exeunt; sed dominus securus est, quia nouit quid in fornace non crepet. illi autem non crepant, qui non habent ventum superbiæ. humilitas ergo in tentatione custodit.* huc refert illud Apostoli: *Non finet tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione exitum.* ita legit, vbi vulgata prouentum. vide igitur, vt peculiari quadam custodia indigeamus in tentationis introitu. cogita quam facile fuit in introitu huius vitæ, hoc est in ortu perire, vel in vtero materno, vel statim extra? multò periculosius in tentationis ingressu. Egregiè autem ostendit, per humilitatem nos fieri à tentatione securos, similitudine vasis in fornace, quod minimè crepet: *Illi autem non crepant, qui non habent ventum superbię.*

Humilitas à tentatione custodit.

Ex Psalmo CXXI.

1 CAnticum *graduum: Iucundatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.) Sicut amor immundus inflammat animam, & ad peritura sectanda vocat perituram, & in profunda demergit; sic amor sanctus & supra eleuat, & inflammat ad æterna. habet amor intus vim suam, nec potest vacare amor. animam amantis necesse est vt ducat; sed vide quò ducat; non enim monemus, vt nihil ametis, sed ne Mundum ametis, vt eum, qui fecit Mundum, liberè ametis: obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis; mundata verò ab affectibus sordidis seculi tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, idest duobus præceptis charitatis Dei, & proximi volat: quò? nisi ad Deum? ascendens volando, quia ascendit amando; quod antequam possit, gemit in terra: Quis dabit mihi pennas? &c.* pulchrè dictum: *Non potest vacare amor:* aut cœlestia

Amor vacare non potest nihil diligendo.

Terrena desideria viscum sunt pennæ animæ.

diligat oportet, aut terrena; sed hæc viscum habent, alatam animam implicant, ne reuolet ad Deum sursum. certè Plato ipse alas animæ tribuit. His addit: *Canticum graduum: non sunt hi gradus descendentium, sed ascendentium; quò? nisi in cœlum? vtrùm ideò vult ascendere, vt sit cum Luna, & stellis? absit; sed est in cœlo æterna Hierusalem, vbi sunt ciues nostri Angeli; inuitant nos, vt curramus ad illam. ad hoc gaudes, dicens: iucundatus sum, &c. in domum Domini ibimus.* præclarè innuit, etiam si nobis promitteretur cum Sole, cum Luna, & stellis degere, non ideò beati essemus ex hoc. hinc illud: *Quid mihi est in cœlo?*

2 *Iucundatus sum, &c. in domum Domini ibimus.) In mentem veniat, si quæ fortè festiuitas Martyrum, & locus aliquis sanctus nominatur, quò certo die confluunt turbę ad celebrem sollemnitatem; quomodo illæ turbæ se exuscitant, & hortantur? Eamus, eamus, inuicem sibi loquuntur, & tanquam incensi singillatim faciunt vnam flammam, & ipsa vna flamma facta est ex collocutione super illos. si ergo ad locum illum temporalem sic rapit amor sanctus, qualis amor debet esse, qui concordes rapit ad cœlum? dicentes sibi: In domum Domini ibimus. curramus igitur, & non defatigemur, quia eò perueniemus, vbi non amplius lassabimur. curramus in domum Domini; iucundetur anima nostra in his, quæ dicuntur; qui enim ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam patriam de longinquo, clamantes ad posteros: ambulate, & currite.* Vide vt ex collocutione cœlestium, præsertim æternæ beatitatis: *Curramus, & non defatigemur*: excitetur communis vna flamma in multis desiderij cœlestis. Et addit: *Non eò pedibus itur, sed affectibus.* Tùm nota quanta olim esset Christianorum pietas erga memorias Martyrum, quantus ardor affectus interni: *Eamus, eamus, inquiunt, & tanquam incensi singillatim efficiunt vnam flammam, &c.* idem referri potest ad Martyres ipsos, cùm se inuicem accendebant ad martyrium, etiam ad subeundam flammam. item ad nostros, cùm se ad Indorum conuersionem mutuò incitant.

Mutua hortatio ad memorias Martyrum recolendas.

Spiritalis collocutio præsertim cœlestis gloriæ quantam vim habeat.

3 *Stantes erant pedes nostri.) Qui currunt in illam domum, quid debent cogitare? quasi ibi iam sint, & ibi stent; magnum enim est ibi stare inter Angelos, & non deficere. ille stat, qui Deo fruitur; qui superbi fuerunt, non potuerunt stare: humiliter igitur tu ascende; cogita qualis ibi futurus sis; & quamuis adhuc in uita sis, hoc tibi pone ante oculos, quasi ibi stes, quasi iam inter Angelos indeficiens gaudeas.* elegans, & pulcher locus, quo excitamur ad consortium Angelorum, quorum hìc vitam imitamur. vbi acutè nota, id agi maximè superbiam vitando; cum enim ibi standum sit, de pede superbiæ dicitur cecidisse, qui eo nisi sunt; nec mirum; quis enim diù possit stare vno pede? *Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ.* itaque rectè subiungit: *Ibi ceciderunt, &c.* vndè colligis, claudam esse superbiam, & quasi Vulcanum illum deformem, è cœlo proiectam, claudamque factam, vt diximus.

Angelorum consortium quam exoptandum.

Superbia deformis, & clauda

4 *In atrijs tuis Hierusalem.) Si de terrena Hierusalem loqueretur, quid magnum iste concupiscebat? stare inter illos, qui interficiebant Prophetas, &c. quando ista ipsa Hierusalem stare non poterat, quæ in ruinam conuersa est: hoc ergo pro magno Spiritus sanctus ex inflammato corde amantis huius dicit: Stantes erant pedes nostri, &c. de illa Hierusalem loquitur, quæ est mater nostra; ideò ait: Quæ ædificatur vt ciuitas. nam illa terrena iam ædificata erat, licèt vmbra esset illius. ad illam ædificandam currunt in fide lapides viui, vt Petrus ait: Et vos tanquam lapides viui coædificamini in domum spiritalem, idest templum Dei sanctum.* Vide quanto affectu ardere, & anhelare debeamus ad supernam patriam, huius psalmi verba canentes: *Hoc pro magno Spiritus sanctus ex inflammato corde amantis dicit.* non tantùm ore tenùs hæc verba de cœlesti Hierusalem proferenda, sed ex corde, eoque accenso.

Ad cœlestem Hierusalem inflamma to corde aspirandū

5 *Cuius participatio eius in idipsum.) Quid est in idipsum? quod semper eodem modo est; quod non modò aliud, & modò aliud est. quid ergo est in idipsum, nisi quod est? quid est quod est? quod æternum; nam quod aliter, atq; aliter est, quia non manet, non omninò non est, sed non summè est; & quid est, quod est? nisi ille, qui ait: Ego sum qui sum, qui est, misit me ad vos. non potes capere, retine qdod pro te factus est.* pulchrè immutabilitatem Dei, & æternitatem ostendit, in quo est verum esse. huc refert illud: *Tu idē ipse es, & anni tui non deficient. Nonnè anni nostri, quia deficiunt, non stant omninò? qui venerunt, iam non sunt, qui futuri nondum sunt; illi defecerunt, & hi defecturi; qui sunt anni, qui non defecerunt, nisi qui stant? & ipsi anni, qui stant, vnus annus est, & ipse vnus annus, qui stat, vnus dies est. quia nec ortum habet, nec occasum; nec incheatur ab hesterno, nec excluditur crastino, sed stat semper ille dies. meritò igitur dicit: Stantes erant pedes nostri. omnia ibi stant, vbi nihil transit. vis & tu ibi stare, & non transire? illuc curre. idipsum nemo habet ex se, corpus habet, sed non in idipsum, quia non in se stat;*

Æternitas pulchrè descripta.

mu-

mutatur per ætates, per morbos, & defectus. corpora ipsa cœlestia non in se stant; habent quasdam mutationes suas, etsi occultas: certè de locis in loca mutantur, ascendunt de ortu in occasum, & rursus circumeunt in Orientem; non ergo stant, non sunt idipsum. anima humana nec ipsa stat; quantis enim mutationibus, & cogitationibus variatur? quantis voluptatibus immutatur? quantis cupiditatibus diuerberatur, atque discinditur? mens ipsa rationalis non est idipsum; modò vult, modò non vult, modò scit, nescit; modò meminit, modò obliuiscitur; ergo idipsum nemo habet ex se. qui voluit ex se habere idipsum, cecidit Angelus, & factus est diabolus, propinauit homini superbiam; deiecit secum inuidia eum, qui stabat; noluerunt habere Dominum eum, qui verè est idipsum. Eleganter mutabilitatem in creaturis ostendit in vario genere, quæ vtique in Deo nulla est. porrò ad illum æternum, & immutabilem diem nostrum acuit cursum per humilitatem, hoc est per cognitionem nostræ mutabilitatis, contra quam suasit diabolus homini. *Superbiam propinatam* dicit, tanquam scilicet Circæum poculum, quo non modò non est mutatus in Deum, sed ex homine in insipiens iumentum; siuè quod propinauit, venenatum poculum fuit, quippè ex serpente, ac proindè lethale. siuè quo proprij amoris ebrios fecit, ac de mente deiecit; de quo poculo superbiæ adhuc nobis propinare non cessat. hinc dicitur: *Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim*. nam olim coronati compotabant.

Mutabilitas in creaturis.

Diabolus propinauit homini superbiam.

Esai. 28.

6 *Ibi sederunt sedes in iudicio.) Mirum ænigma, vt ipsæ sedes sedeant, quomodo possumus intelligere? tanquam si dicas, sedeant cathedræ, sedeant sellæ, in quibus sedetur potiùs. at dicitur apud Esaiam: Cœlum mihi sedes est, græcè thronus. qui sunt isti, nisi iusti? cœli, qui enarrant gloriam Dei. sedes igitur, & thronus. magna res, magna dictu est anima iusti, thronus Sapientiæ; idest ita in anima iusti sedet Sapientia, tanquam in throno suo, & inde iudicat.* hinc Apostoli in iudicio sedebunt iudicantes. acutè dicit, ænigmaticam videri locutionem, sedes sedere, sed de iustis intelligi, qui throni Dei sunt. ac peculiariter ad Thomam Aquinatem hoc refer, in quo tanquam in stellata Cassiopeæ cathedra, vel regio throno Sapientia sedit.

Iusti throni Dei sunt.

7 *Fiat pax in virtute tua.) O Hierusalem, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua dilectio tua: valida, inquit, sicut mors dilectio. Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis; quis enim resistit morti? resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, Regibus. venit vna mors, quis ei resistit? nihil est illa fortius. charitas occidit qui fuimus, vt simus quod non eramus; ita facit in nobis quandam mortem: Mortui enim, inquit, estis, & vita vestra abscondita est in Christo. & alibi: Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. valida ergo est vt mors dilectio. si valida est, magnæ virtutis est, & ipsa est virtus, & per ipsam reguntur infirmi à firmis, terra à cœlo.* egregiè insuperabile charitatis robur ostendit, quæ morti comparatur, tum quia occidit quod eramus, idest veterem hominem, passiones mortificat, &c. tum quia mors omni vi superior est.

Cur charitas fortis vt mors dicatur?

Col. 3.

Gal. 6.

Ex Psalmo CXXII.

1 *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, &c.) Magnam dignitatem anima inuenit apud Deum; vxor facta est; sed donec veniat ad amplexus illos spiritales eius, quem dilexit, cui suspirauit: interim sponsa est, & accepit arrham magnam, sanguinem sponsi, cui secura suspirat. cæteris sponsis dicitur: noli amare; cum facta fueris vxor, tunc ama; quia præposterum desiderium est, & non castum, amare eum, cui nescis an nubas; potest enim fieri, vt alius sponset, & alius ducat vxorem. quia verò nemo est, cui præponatur Christus, secura amat ista, & antequàm illi iungatur, amet, & de longinquo suspiret. solus ducet; quia solus talem arrham dedit; quis enim potest sic ducere, vt moriatur pro ea, quam vult ducere? si enim moriatur, non ducet: securus autem ille pro sponsa mortuus est, quam resurgens erat ducturus.* acutè dicit, amorem Christi sponsi cum nullo æquari posse, quia si alij sponsi moriantur pro sponsa, non poterunt illam ducere. at Christus pro Ecclesia vel anima ita mortuus est, vt resurrexerit. concludit pulchrè: *Sanguis ille pro seruis pretium est, pro sponsa pignus est.* nos enim filij sumus, vt adoptati per gratiam; serui, vt creatura eius: *Accepit arrham magnam sanguinem sponsi.* præclara vox. ac proinde affectu respondens: *Et secura suspirat.*

Arrha magna sponsæ animæ sanguis Christi.

Christus immortalis sponsus, cui nō alter succedit.

2 *Filius ancillæ tuæ.)* Sed addit: *Quousque misereatur nostri. Qui sunt serui? qui sic oculos habent in manus Domini, donec misereatur, nisi qui iubentur cædi? vapulat seruus, sentit plagæ dolorem. attendit ad manus dominæ, quoadusque dicat, parce: iussit nos cædi Dominus noster, & domina nostra Sapientia Dei in hac vita vapulare: tota ista vita mortalis plaga nostra est, cum de Paradiso anima expulsa est: nunc iussus est seruus cædi:*

Afflictionem Dei sapientia disponit in bonum nostrum.

Tota ista vita mortalis plaga est.

dii videte ex quo vapulemus: in omnibus, qui nati sunt, & qui nascentur, Adam vapulat, idest genus humanum. multi sic obdormierunt, vt nec plagas suas sentiant. videte quosdam in hoc seculo ridentes, iactantes se, non vapulant? immò peius vapulant; hoc ipso sæuius cæduntur, quo sensum iam perdiderunt. magnus sensus est videre quod vapulet, etiam cum illi benè est; & omnis vita tua super terram plagæ tuæ sunt; plange quandiù viuis in terra, siuè feliciter viuas, siuè in tribulatione, leua oculos tuos ad manus Domini, qui te iussit cædi; miserere nostri Domine, miserere nostri. nonnè istæ voces sunt vapulantis? Vide quid peccatum originale fecerit, vt scilicet & Adam, & nos tanquam mastigia mancipia vapulemus sub huius vitæ miserijs. nempe ideò in ventre matris conglobati iacemus eadem forma, quâ serui olim velut in globum conuoluti, vapulabant. ac Ioannes solutus peccato originali, exultauit, eam formam exuens. cogita igitur quàm inconueniens sit beatam Virginem incidisse in peccatum originale. nam iuxta hæc verba, ab eo ipso, qui filius erat futurus, tanquam serua cæsa cum ignominia fuisset, ac vapulasset vnà cum Adam, quod audire aures respuunt. rectè autem mundanos increpat inani lætitia debacchantes: *Nec plagas suas sentiunt, cum tota ista vita mortalis plaga sit.* huc refert locũ alterius psalmi: *Tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Ne solùm carnis infirmitatem, & mortalitatis putes habere, & animam dixit tabidam. attendite quàm tabida sit aranea, vt leui tactu conquassetur, & moriatur. nihil infirmius anima nostra. posita est in medijs gemitibus, & parturitionibus molestiarum. nihil ea infirmius, donec hæreat soliditati cælesti.* Vide vt anima viliter se euisceret, vt aranea in operando, rebus inanissimis occupata. Addit notabiliter: *Euigilent, & vapulent; sentiant, quia vapulant; & doleant, quia vapulant.* rectè monet. mira planè stupiditas, in tanto crepitu, ac dolore plagarum non excitari à somno. vides igitur mundanos vilia esse mancipia, & stigmatica ferunt cum fastu ante se lictores cum fascibus, sed ipsi vapulant flagris suis.

Per originale peccatum omnes in Adam vapulamus.

Stupidi mundani suas plagas non sentiunt.

Stupiditas mundanorum inter plagas ridentium.

10 *Repleti sumus despectione.)* Irridentur videlicet boni à malis: *Ecce, inquiunt, quod amo; video, & fruor; despiceris, quia speras quod non vides; & despicit ille, qui quasi tenet quod videt. Noli turbari; attende si ipse tenet; labitur hoc ab illo, quod tenet, vel ipse ab eo, quod tenet.* domum tuam cerne, tenuit eam pater tuus, auus, & proauus; cæterorum nomina nescis: *Nonnè indè terreris, cùm attendis multos transisse per illam domum, & neminem ipsorum eam tulisse ad æternam domum?* magnam sanè vim habet hæc consideratio. præclarè mundanorum dicta eludit, qui iactant se habere, & frui voluptatibus præsentibus, cum nos tantùm spe pascamur. atqui negat eos verè tenere felicitatem, quia felicitas res lubrica est. aut ipsi labuntur ab ea, aut ea labitur ab ipsis. Addit: *Sed insultat ille, qui tenet. ferto insultantem, & ridebis gementem: Nos, inquit, insensati, &c.* Dices: feci malum, sed multos video peiora fecisse, & nihil patiuntur; ita videtur illi Deus malefacere, & videris ipse iniusta pati: *Si dares illi nauem gubernandam, in naufragium iret cum illo. vult autem Deum excutere de gubernaculo huius Mundi, & ipse tenere gubernacula creaturæ, & distribuere omnibus dolores, & beatitudines, & pœnas, & præmia.* Eleganter ait, eos qui de tribulatione conqueruntur, huius nauis, idest Mundi gubernacula sibi audacter vsurpare velle, Deo excluso à regimine. In quo simile quid accideret, quod de Phaetonte dicitur, qui Solis currum regendum suscepit, ac se, Mundumque in incendium compulit. Quod autem ad distributionem bonorum, & malorum pertinet: simile quiddam Homerus narrat de Ioue habente apud se duo dolia hinc inde, vnum bonis plenum, alterum malis.

Mundani bonos irridentes taxantur.

Mundanorum lubrica felicitas.

In afflictione Deo conqueri impium, & stultum.

11 *Ego sum pauper, & dolens.) Quæ abundantia iustitiæ nostræ? quantacumque iustitia in nobis fuerit, ros est nescio quis ab illo fonte; ad saginam illam tantam, stillicidia quædam sunt, quæ vitam nostram molliant, & duram iniquitatem soluant. modò desideremus de pleno fonte iustitiæ saginari, & vbertate illa satiari, de qua dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c.* Vide, omnis iustitia nostra, quàm tenuis sit, ros exiguus est; quamobrem alibi dicitur: *Misericordia tua sicut nubes matutina, & sicut ros manè pertransiens.* mane dum oramus, ros quidam apparet, mox æstus accedit Solis, hoc est quippiam aduersi, statim arescit. Deinde pergit ostendere paupertatem, & miseriam huius vitæ: *Non est ista salus corporis, sed infirmitas. paragorizamur quotidie medicamentis Dei. manducamus, & bibimus. hæc medicamenta sunt.* sine refectione viui non potest; quod calor consumit, refici oportet. nota quàm peruersum sit, cibum, qui prò medicamento ægræ naturæ est, ad voluptatem vertere. & pulchrè addit: *Refecturus est: si plus refecerit, indè deficit.* porrò παραγοράζω est obsonia coemere.

Virtus nostra vix stillicidiũ est præ Deo fonte.

Cibus ad medicamentum datus, non ad delicias.

EX

Ex Psalmo CXXIII.

1 *Canticum graduum, &c.) Hæc ascensio non corporis pedibus fit, sed cordis affectibus. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi, &c. hoc cantarunt Martyres sancti; iam enim euaserunt, & in exultatione cum Christo sunt, recepturi corpora incorrupta, in quibus passi sunt pœnas; inde illis fient ornamenta iustitiæ.* Nota, illas maximè corporis partes, in quibus Martyres passi sunt, decorandas, & vulnera pro trophæis fore. sequitur: *Respexerunt in tribulationes, quas passi sunt, & considerauerunt in beatitudine constituti, quà transierint, quò venerint, et sic cantare cœperunt: Nisi Dominus, &c. non dixerunt vnde euaserunt; tanta est exultatio; nunc dicant, cùm iam euaserunt. constituamus illos & nos in corde iam triumphantes, & tanquam ibi & nos simus, vt dictum est, stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Nondum ibi erant, sed in via erant: tanta autem erat lætitia festinantium, tanta perueniendi spes, vt adhuc in via positi, & laborantes, iam sibi illic constituti viderentur. sic & nunc ponamus nos in illo triumpho, qui erit in futuro seculo, quando insultabimus morti iam consumptæ, dicentes: Vbi est mors contentio tua? vbi aculeus tuus? coniuncti Angelis, & exultantes cum Rege nostro etiam ibi spe, & corde constituti cogitemus, quid euasimus, quas tribulationes Mundi, quas suggestiones diaboli, quas cupiditatum conflictationes: omnia ista quis euaderet, nisi quia Dominus erat in nobis?* præclarè indicat, quo in loco ceu Capitolio velit constitui triumphũ Martyrum, in corde nostro, inquit: *Constituamus illos & nos in corde iam triumphantes, &c.* hìc laureæ ponuntur, hìc insignia victoriæ, palmæ, coronæ, &c. Tum nota quantum sit futurum in cœlo gaudium nostrum, cũ viderimus vnde euaserimus, & quò peruenerimus per Christi gratiam. Elegans sanè locus de contemplatione regni cœlestis, & spe beatitatis in societate Sanctorum.

Martyrũ, & beatorum canticũ quale sit.

In corde velut in Capitolio triumphus Martyrum locandus.

2 *Fortè viuos deglutissent nos.) O immanes, ò crudeles: hi sunt, qui viui sorbentur, qui sciunt malum esse, & consentiunt; sed ideò viui absorbentur, quia non est in eis Dominus.* huc refero illud, quod alibi ait idem Augustinus, principes, & duces aperta terra *Descendisse in infernum viuentes.* quia non ignorantes; plebem autem desuper igni consumptam. Tum pergit in hoc: *Non sic Ecclesia absorbet; Petro dictum est: Macta, & manduca: non viuos absorbe. non potest manducari ab Ecclesia, nisi primò mactatus: renunciet seculo. nunc mactatus credat in Deum, tunc manducetur.* Catechismum, puto, intelligit & prioris vitæ retractationem cum sui mortificatione. multò magis Religio renunciantes seculo non excipiet, nisi mortuos Mundo; sicut hostia nonnisi mactata cedebat in cibum: *Primò mactatus renunciet seculo, tunc manducetur.*

Scienter peccare quàm exosum Deo.

Seculo renunciãti mortificatio necessaria.

3 *Non irasceretur furor eorum in nos, &c.) Nostis in ipso initio canticorum graduum petijsse auxilium: Erue, inquit, animam meam à labijs iniquis, & à lingua subdola. primò cũ cœperit homo ascendere, & proficere, linguas dolosas patitur blandas ad perniciem: Quid facis? & quare hoc facis? seruire aliter Deo non potes? tu solus vis hoc esse, quod alij non sunt? si aggrederis, deficies, & melius erat non incipere, quàm cœpisse, & defecisse; si perseuerаueris in proposito, lingua blandiens incipit esse apertè sæuiens; minatur vt terreat; sed si Dominus est in te, sicut per sagittas acutas, & carbones desolatorios vicisti linguas dolosas, idest per verba Dei, quibus transfixum erat cor tuum, & per exempla iustorum, qui de mortuis viuificati sunt, & de peccatoribus facti sunt iusti, sicut carbones de morte reuiuiscunt.* pulchrè mundanos introducit reuocantes a Dei seruitute, & à religioso statu, vel blandiendo, vel minando, vt accidit Thomæ Aquinati, & alijs; sed contra hos iaculemur sagittas verborum sacræ Scripturæ, quæ nos admonent de Mundi fuga. Item vtamur ad corrigendam vitam nostram exemplis eorum, qui vitam suam correxerunt, quibus ceu carbonibus accẽsis, & viuificatis nos quoque coniunctim accendamur. Augustinum ipsum recogita, Camillum Cruciferorum parentẽ, &c.

A religioso statu auocantes taxantur.

Exempla conuersorum alios accendũt.

4 *Nisi quia Dominus erat in nobis, &c.) Manifestum est, quia non vicisti tu, sed vicit ille, qui est in te. Imperatorem talem portas, & vinceris? nam tu illum portas, qui dixit: Ego vici seculum.* Egregiè arguit: cum imago Imperatoris Christi Dei sit in nobis, hæc sola nos ad victoriam accendere deberet. ferebant olim in annulis, &c. imagines Alexandri Magni, vt inuicti, atque id ad felicitatem auspicatum putabant, vt refert Chrysostomus.

A diabolo vinci sub Imperatore Deo indignum.

5 *Torrentem pertransiuit anima nostra.) Adhuc fluit torrens, sed iam transijt anima Martyrum. hinc bibit caput nostrum, transiens bibit, non hæsit.* nempè sicut torrens fluit cũ impetu, & transit, ita & persecutio: sequitur: *Fortassè pertransisset anima nostra aquã sine substantia. sicut dicimus: euasi hoc. puta hæsitatè dicitur. latinè non ita dicitur, & potui illud dicere, cùm tracto vobis; sæpè enim & verba non latina dico, vt vos intelligatis.* quis non miretur tantum Doctorem, conformantem se capacitati aliorum, etiam minus latinè loquendo, qui Rhetoricam docuerat? Deindè ait: *Et quare dicunt: putas pertransiuit? &c. quia magnitudo periculi vix facit credibile quod euasit.* Vide quantis in periculis vita nostra versetur, vt Sã-

Persecutio torrẽs est pertransiens.

Augustinus de latinitate nõ curat ad aliorũ capacitatem.

Sancti vix sibi persuadebãt, tot pericula euasisse.

cti, qui euaserunt, vix sibi persuadere possint, se euasisse ex tot laqueis, tot venatoribus, tot piratis, &c.

6 *Forsitan pertransisset anima nostra aquam sine substantia.) Peccata sunt, quæ non habent substantiam, sed egestatem. in ista aqua sine substantia perdidit ille minor filius totam substantiam suam. ecce peccasti, & lucrum fecisti: quod lucrum? fides diminuta est, & lucrum crescit: compara fidem auro. si fides venalis esset, in nundinis haberet pretium. de arca gaudes, de corde non plangis. vis videre quid perdideris? nec naufragio posset auferri. multi naufragauerunt cum Paulo, amatores seculi passi sunt naufragium, nudi exierunt. sed Paulus in corde ferebat patrocinium fidei suæ, quod nullis fluctibus potuit auferri; nudus exijt, & diues exijt: tales diuitias quære. sed non vides fidem; quare vides in alio? frangat tibi aliquis fidem, clamas; vis eam tibi exhiberi. quod ergo clamas, alium non habere erga te, hoc plange, te non habere erga alium.* recole illa argutè dicta in primis de auaro: *De arca gaudes, de corde non plangis.* Item quod in eo naufragio ait, solum Paulum nihil perdidisse, quia *In corde ferebat patrimoniũ fidei.* Tum vrget auarum sic: *Ille habet aurum, qui vti nouit auro; qui vti non nouit, habetur, non habet: esto dominus auri, & non seruus auri, quia & aurum Deus fecit, & te super aurum fecit; aurum fecit ad subsidium tuum, & te ad imaginem suam. vide quod supra te est, & calca quod infra te est.* Eleganter, & egregiè dictũ. huc refero illud: *Anima saturata calcabit fauum.* qui enim cœlestia degustauit, ei terrena desipiunt. Quod autem seruitus sit auari, ostendunt illa verba: *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* non ait, diuitiæ virorum, quia auarus est earum seruus: *Habetur, non habet.* pergit aduersus eundem: *Propter nihil Deum offendisti. aqua sine substantia te demersit. scriptum est: Propter quid irritauit Deum peccator? quod acquisisti, tolle tecum ad Inferos, si potes. cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum ad coronam exiret.* pulchrè de corde, cui aut coronæ texuntur ob fidem, aut supplicia parantur ob eius defectum. mox addit: *Auditur illud inane prouerbium: Malo quod teneo, quàm quod spero; ò infelix, quod tenes, tene sic, vt non amittas. si non tenes, quare non illud tenes, quod non potes amittere?* Denique ostendit, firmas non esse diuitias, quia raptor in raptorem incidit: *Quærit potentior infirmiorem, non ob aliud, nisi quia habet quod auferri potest. ideò te quærit maior aquila, quia prior cepisti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris maiori.* Vides vt pœna eiusdem generis culpæ respondeat? apta similitudo de venatione.

Auari lucrum ingens potius iactura est.

Fidei patrimoniũ quolibet ditius est.

Auarus seruus est auri.

Cor fidei plenum ad coronam pergit.

Timor Dei aucupio diaboli nos subtrahit

7 *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.*) Passer huc, illuc volatu fertur: *O passer insatiabilis; fige pedes in petra, noli ire ad laqueum. quomodo si videas auem iam cadere in laqueum, facis maiorem strepitum, & volat de laqueo. sic & Martyrum cùm fortè aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ huius, Dominus, qui erat in illis, strepitum fecit gehennarum, & erutus est passer de laqueo venantium.* pulchrè ostendit, nonnullos timore Inferni, vitæ præposuisse martyrium: tanta vis est in timore Dei iudicis. quantò magis abstrahet ab illecebra timor hic Dei, si vel sanguinẽ fundere coegit? elegãs similitudo de aucupio.

8 *Benedictus Dominus, qui non dedit nos venationem dentibus eorum.*) Sic legit, vbi vulgata, captionem: *Venantes erant persecutores, & posuerunt escam in muscipula. quam escam? dulcedinem vitæ huius. sed illi, qui dicunt: Quia Dominus erat in nobis, non capti sunt à muscipula.* Vide quid sit dulcedo huius vitæ, esca à venatoribus præparata. non decipitur qui Deum secũ habet.

Mundana dulcedo esca venantium.

Ex Psalmo CXXIIII.

1 *MEi autem penè moti sunt pedes, pacem peccatorum videns.*) Sunt qui dicant: *Vt quid ille factus pauper? vt quid vouit? reprehendit Deum pauperum. quantò melior esset ipse pauper Dei, & diues esset de Deo? hoc est loqueretur voluntatem Dei, & videret paupertatem suam esse temporalem, diuitias autem venturas æternas, & haberet in diuitijs cordis fidem, quæ auferri non potest, si ipse illam non expulerit.* rectè arguit religiosæ paupertatis irrisores; & pulchrè ait, viso paupere, ne Deum argue, sed potiùs & tu *Fias pauper Dei, & eris diues de Deo.* tum respõdet ijs, qui dicunt: cur pauperes sunt in Mundo? *Fecit Deus paupertatem, vt probet hominem; & fecit Deus diuitem, vt probet illum de paupere.* Tandem concludit: *Si non possumus videre consilium Dei, quare illud sic fecit, & illud sic, bonum est nobis, vt subdamus nos sapientiæ ipsius; vt credamus quia omnia bona fecit, & si nondum nouimus quare sic fecit.* Notabilis locus de diuina prouidentia in eos, qui eam negant, aut Dei iudicium ad libram expendere volunt. Igitur *Hoc canticum graduum docet nos, ascendentes, & eleuantes animas nostras ad Deum, non intẽdere in homines, qui prosperantur in hoc seculo felicitate ventosa, & seductoria, vbi cor eorum congelauit aduersus Deum, & fit durum aduersus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat.* Vide quid agat terrena prosperitas, tantum abest vt splendorem habeat, vt potius Solem tollat, caloremq; fidei, vnde gelascit terra cordis, & obdurescit, ne germen virtutis existat. eleganter vocat Mundi fastũ *Felicitatẽ ventosã, & seductoriã.* iuxta illud: *Ephraim pascit ventũ.*

Mundani paupertatem religiosam irridentes taxantur.

Cur Deus pauperes esse permisit?

Dei prouidentiæ, & sapiẽtiæ nos committere debemus.

Mundi felicitas ventosa & seductoria.

2 *Montes in circuitu eius.*) Montes amabi-

Angeli montes amabiles, & excelsi nos tuentes.

biles, montes excelsi Prædicatores veritatis, Angeli, Apostoli, Prophetæ: isti sunt montes, qui primitùs illuminantur à Deo, vt ab ipsis lumen descendat ad valles. de his alibi dicitur: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. tu illuminans, non montes. sic etiam alibi: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniat auxilium mihi. & statim subiungitur: Auxilium meum à Domino. ita hìc cùm dictum esset: Montes in circuitu eius; additur: Et Dominus in circuitu populi sui. Ambiunt Hierusalem hi montes, & quasi murum illi faciunt.* Eleganter vocat Angelos, *Montes amabiles, montes excelsos*, qui nos muniunt: amabiles ob amœnitatem castimoniæ, ac pietatis; excelsos ob excellentiam naturæ. sed addit: *Et Dominus in circuitu.* nam ait per Hieremiam: *Ego ero murus ignis in circuitu.* nempè ad Deum omnia referenda, vt primum bonorum fontem, etiam quæ per Sanctos nobis proueniunt. his addit: *Sunt & hæretici magni montes; montes significant magnas quasdam animas, sed malas; non enim putetis fieri hæreses per aliquas paruas animas: non fecerunt hæreses nisi magni homines; sed quantum magni, tantum mali montes. non erant montes, qui, vt scriptum est, susciperent pacem, sed dissentionem. ad tales montes, caueo, ne fugias; dicturi tibi sunt: magnus ille homo est; qualis fuit ille Donatus, qualis & Maximianus: nescis Plotinus qualis fuit, & Arius qualis. omnes istos montes nominauimus, sed naufragosos. lucet de illis aliqua flamma sermonis, & ignis accenditur. ne dirigatis illuc nauim. ibi sunt saxa, ibi naufragia magna fiunt. ad illos montes leua oculos, vnde tibi auxilium à Domino sit; montes tales ama, qui montes Dei dicuntur.* pulchrè videtur comparare hæreticos montibus ardentibus, vt Nazianzenus antistes comparat Iulianum, & ipsum doctrina magnum. sunt igitur hæretici vt incendiarij montes, vel altissimæ rupes præeminentes in mare, quas Lyricus Poeta vocat, Infames scopulos, Acroceraunia; & vt quæ solent habere speculam cum facula; inuitant naues, sed vt allidant ad saxa. Tum redit ad prima: *Si vis amari à bonis montibus, noli spem ponere nec in bonis montibus: nam qualis mons Paulus? quando inuenitur talis? de magnitudine hominum loquor, tanta gratiæ quisquam potest ne facilè inueniri? & tamen timebat, ne in ipso ponerent spem: Nunquid, inquit, Paulus pro vobis crucifixus est? ideò alibi dicitur in psalmo: Suscipiant montes pacem, & colles iustitiam, quæ ex lege est.* Nota, si nec in sanctis viris tota spes auxilij ponenda est, qui vt fortissimi montes nos muniunt, quantò minus in terrenis hominibus. est autem illa magna laus Pauli: *Qualis mons Paulus? quando inuenitur talis?* nempè Olympo altior est, Atlante maior. non cœlum sustinet, sed vsq; ad tertium cœlum sublimior eminet.

Hæretici dicti montes sunt, sed incendiarij, vel naufragi.

Fiducia nostra principalis in Deo

Paulus mons sublimis.

3 *Non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, &c.) Aliquando iniusti dominantes iustis perueniunt ad honores seculi, fiunt iudices, &c. honor ijs habendus etiam à melioribus: Obedite, inquit Apostolus, dominis carnalibus cum timore, tanquam domino. & vt corroboraret seruum, ait, exemplo meo serui, quia prior ego seruiui. nequam Iulianus extitit, infidelis Imperator, Apostata, Idololatra; milites tamen Christiani seruierunt Imperatori infideli: sed vbi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat; cùm volebat, vt thurificarent idolis, præponebant illi Deum; cùm autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant; distinguebant dominum æternum à temporali, & omnes huic subditi erant propter dominum æternum, sed ad tempus. sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem iustorum, sed non ibi relinquitur in æternum.* Insignis hic locus est de obedientia, & obseruantia subditorum in Prælatos, etiā malos, modò nihil iubeat contra Dei legem. quod Ignatius noster in aurea illa de obedientia epistola præclarè monet. porrò videant Principum ministri, quando, & quomodo ijs obsequi debeant.

Obediēdū Prælato etiā discolo, si nihil sit contra Dei legē.

Ex Psalmo CXXV.

1 *CVm conuerterit Dominus captiuitatem nostram, &c.) Est hic psalmus inter eos, quorum est titulus: Canticum graduū. vox est ascendentium. quò? nisi ad illam supernam Hierusalem matrem nostram? ad illam peregrinamur, ad eius reditum suspiramus, miseri, laborantes; nec ciues nostri Angeli dimiserunt nos in peregrinatione, sed annunciauerunt nobis ipsum Regem venturum.* affectu plena sunt ista de beatitudinis sempiternæ desiderio, & de Angelorum erga nos pietate. Addit: *Patriam attendimus, & si quando tribulationem patimur, tamen tenemus viam, & ligno portamur; asper quidem ventus, sed ventus noster est; cum labore, sed citò perducit.*

Suspirandum ad cœlestem Hierusalem.

Angelorū erga nos pietas.

Tribulatio quasi ventus nauem prouehens.

2 *Tunc repletum est gaudio os nostrum, &c.) Habemus intus os, id est in corde; huius munditiam quærit Dominus. insultabat mulieri Pharisæus; si Propheta esset, sciret qualis est mulier, quæ tangit eum. O immunde Pharisæe, caro Domini posset pollui contactu mulieris, an mulier mundari contactu Domini? irrumpit in domum, & quæ solebat in fornicatione fortassè esse frontosa, frontosior fit ad salutē. vulnera habebat, & illuc venerat vbi medicus recumbebat. Pharisæus sanus sibi videbatur, & ideò non curabatur.* rectè arguit Pharisæum. maiorem enim vim habet ad mundandum Dei virtus, quàm ad inquinandum vitiositas. Addit: *Est igitur,*

Pharisæus Magdalenæ insultans taxatur.

Sẽſus cor poris om nes iuſtitię,ſeu uirtuti militant.

tur, & lingua cordis, & os cordis ſilentium eſt; & clamat pectus, non auribus hominum, ſed Dei cuſtodis cordis; & innocens erit os corporis, innocentes manus, pedes, oculi, aures, omnia membra tua iuſtitiæ militabunt, quia Imperator iuſtus tenuit cor. pulcher, & elegans locus de cuſtodia cordis, vt in cuſtodia, & vigilia militari fit. ſcimus quàm exactè ſeruetur diſciplina belli, vt vnuſquiſq; in ſua ſtatione ſit, vt expeditus ad nutum Imperatoris, &c. ita ſenſus omnes ad virtutis nutum militant.

Peccatis congelaſcimus, ſed Spiritus ſancti calore ſoluimur.

3 *Conuerte captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro.) Eccleſiaſtes ait: Sicut glacies in ſereno, ita ſoluentur peccata tua. ergo peccata ligabant nos, quomodo frigus ligat aquam, ne currat; ita nos ligati frigore peccatorum gelauimus. conſtringunt nos peccata noſtra; flauit Spiritus ſanctus, et ſoluta ſunt.* Nota, cur ſolutionem captiuitatis torrẽti comparet, Auſtro flante: quia peccato congelaſcimus, extincto videlicet charitatis feruore: ſed vt in hyeme torrens Auſtri, ita Spiritus ſancti calore ſoluimur, & currimus ad Deum. huc refer illud: *Deus ab Auſtro veniet.* ex magno enim feruore charitatis incarnatus.

Chriſtus quaſi latus fundus vbi ſeminandum ad meſsẽ.

4 *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.) Quare deſideratis latos fundos? latior vobis non eſt vbi ſeminetis, quàm Chriſtus. ſed qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Non solùm diues, ſed ipſe pauper alteri faciat eleemoſinam; ambulans pedes ſuos accommodet claudo, &c. pulchrè ait, Chriſtum latum eſſe fundum, & agrum, vnde magna meſſis exiſtere poſſit, ſi multum ſeminemus; nam ait: *Mecum eſt pulchritudo agri.* & vide quàm charæ Chriſto ſint lacrymæ, vt fundus, ſiuè ager æſtate hiulcus, imbrem auidè imbibit, & mox viret herbeſcens, & frugifer fit. Tum addit, & monet: *Agricola attendit cœlum, videt diem triſtem, tremit frigore, & tamen procedit, & metit, ne tempus tranſeat, ita &c.* Nulla igitur aduerſa à virtute deterreant, & à benè operando impediant.

Ex Pſalmo CXXVI.

Profectus ſpiritus commendatur.

1 N*Iſi Dominus ędificauerit, &c. Titulus eſt: Canticum graduum Salomonis.) Facit nos intentos quod additum ſit, Salomonis; ſunt iſta cantica amantium, & quædam deſideria Sanctorum flagrantium. ardent qui iſta cantant; quorum etiam cor ardens inuenitur in contemptu temporalium, in charitate æternorum. aſcendit omnis qui proficit, cadit omnis qui deficit. amando Deum aſcendis, amando ſeculum cadis. Salomon mulierum amator fuit; ſed ſi illo cadente, quæ per illum dicta ſunt, delerentur, iudicaretur, quia ipſe dixerat, nõ quia per illũ dicta erant.* Nota, cur ſacros libros Deus permiſerit p improbũ ſcribi, vt. ſ. nõ homo, ſed Deus ipſe auctor appareret. deinde vide quanto cum ardore pietatis hi pſalmi canendi ſint: *Ardent qui iſta cantant, &c.* Tum audiant mundani, qui ad honores aſpirant: *Amando ſeculum cadis.* contra de profectu in ſpiritu.

Cur Salomonis minus probi cantica Deus admiſerit?

Mundi aſcenſus caſus eſt.

2 *Niſi Dominus ædificauerit domum.) Quæ domus Dei, ipſa & ciuitas. domus enim Dei populus Dei; omnis ergo numerus fidelium ſanctorum ex hominibus commutandorum, vt fiant æquales Angelis, adiuncti etiam ipſis Angelis, qui modò expectant nos, omnes ſimul vnam domum Dei faciunt, & vnam ciuitatem Hieruſalem.* Nota dignitatem, vt homines vnam rempublicam ſimul cum Angelis faciant, & vnum populum. quanti fecerunt, etiam exteri Reges, inter Romanos adſcribi? quæ vrbs à Pyrrhi legato nõ tam ciuium eſt dicta, quàm Regum, ob ſplendorem, & decus.

Epiſcopi nomen quid ſignificet?

3 *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatẽ, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam.) Epiſcopi hoc faciunt, nam ideò locus altior poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & cuſtodiant populum. nam & græcè quod dicitur Epiſcopus, hoc latinè ſuperintentor appellatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt: quomodo enim vinitori altior fit locus ad cuſtodiendam vineam, ſic & Epiſcopo altior locus factus eſt eſt, & de iſto alto loco periculoſa redditur ratio, niſi eo corde ſtemus hic, vt humilitate ſub pedibus veſtris ſimus.* Nota de throno Epiſcopi, cui tanquam vinitori, & cuſtodi vineæ, datus eſt altus locus ad inſpectandos fures, vel beſtias, quæ lædere poſſint. non igitur ibi eminet ad faſtum. ac uide quantum humilitatis requirat ab Epiſcopo, ut cum caput ſit, putet ſe eſſe ſub pedibus ſubditorum. his addit: *Oremus, vt mentes veſtras ipſe, qui nouit, cuſtodiat; nam nos vſqueadeò non videmus quid cogitetis in corde, vt neq; videamus quæ agatis in domo. cuſtodimus tamen quantum poſſumus, vt homines.* rectè monet, ut Prælatus intentus eſſe debeat orationi, unde illuminetur ad regimen; cum corda ſubditorum ſoli Deo pateant. uide igitur quàm difficile ſit Epiſcopi munus.

Epiſcopo humilitas commendatur.

Quàm difficile ſit munus Epiſcopi.

Lacrymæ panis sũt deſiderij flamma percoctus

Lacrymæ iucundiores, quàm gaudia theatrorũ

4 *Qui manducatis panem doloris.) Cum quanta ſuauitate plorat in gemitu qui òrat? dulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. audi flammam deſiderij, qua manducatur iſte panis. factæ ſunt, inquit, lacrymæ meæ panes, dum dicitur mihi, vbi eſt Deus tuus? inſultant enim Pagani nobis, oſtendunt quem colunt. ecce ego oſtendo illis Deum meum. ſuſpiras igitur Deo antequàm videas. dulces ſunt ipſæ lacrymæ, ac pro cibo ſunt; ſed veniet, & abſterget lacrymas, & pro pane lacrymarum ipſe ſuccedet, quo paſcuntur Angeli, & vos ſaginabit.* Elegans hic locus eſt de dulcedine lacrymarum in orando,

do,

do, & præmio ijs proposito. ac pulchrè panem vocari ait, quia coquitur, *desiderij flamma*. ex ardore enim charitatis erumpunt lacrymæ. pulchrè item contemplationem comparat, ac præponit spectaculis theatralibus.

In Ecclesia boni, & mali vt in Rebeccæ vtero Iacob & Esau.

5 *Ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.) Quomodo fructus ventris? parturiti sunt isti filij: Filioli mei, inquit, Apostolus, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis: gemit nunc Ecclesia, parturit iustos: quæ est merces? fructus ventris? resurgere à mortuis, surgere postquam sedisti. tunc transiet dolor, & gemitus in Ecclesiæ ventre, cuius typum Rebecca gestabat, duo illi gemini populi luctabantur. vna mater in visceribus suis dissentientes fratres non dum natos continebat. pulsabant materna viscera discordijs internis; gemebat illa, vim patiebatur: sic & modò Ecclesia, quandiù gemitus est datus, quãdiu parturit, intus sunt boni, & mali; fructus autem ventris in Iacob erit, quia ipsum dilexit mater: in dilectis ergo fructus erit.* Aptè Rebeccæ parturienti inter luctamina filiorũ comparat Ecclesiam, quæ quasi in vtero bonos gestat dissentientes, & obluctantes malis, vt Iacob Esau. eadem in mentis vtero lucta fit inter sensum, & spiritum, non sine dolore, ac gemitu. sed fructus in spiritu est.

6 *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.) Vnde facta est tam multa hæreditas domini? excussi sunt quidam de manu domini tanquam sagittæ, & ierunt longè, & totam terram impleuerunt. quantò fortius excusseris, tantò longius it sagitta: quid autem fortius excutiente domino? non potuit esse residuum, quò non perueniret sagitta, à tam forti excussa. peruenit vsque ad fines terræ, ideò non vltra, quia nihil est vltra generis humani.* egregius planè locus hic est de Apostolicis viris. dixerat, *ecce hæreditas domini, filij &c.* subiungit Augustinus, vnde tam magna sit facta hæreditas populi Christiani tã multiplicati? in causa est Deus victor Orbis terræ, quibus armis? sagittis potenter eius manu excussis, hi sunt prædicatores Euangelij. iuxta hebraicam phrasim, idem ferè est excussi, & filij excussorum, vt filia populi mei, est ipse populus Hierusalem. huiusmodi sagitta potentis Dei manu excussa vsque ad vltimos fines Orbis terrarũ fuit in primis S. Franciscus Xauerius, ad quem Augustini Verba accomodatissima sunt. *Quantò fortius excusseris, tantò longius it sagitta. non potuit esse residuum, quò non perueniret hæc sagitta, &c.* Idem ferè de ceteris variarum religionum Apostolicis viris eò missis dicas licet. vide igitur quàm nobilis missio, vel potius emissio ex arcu: Deus ipse arcitenens est, & sagittarius; quàm certò ad scopum diriget sagittam? scopus est maior ipsius gloria. His ad-

Apostolici viri sagittæ ex arcu Dei excussæ vsque ad vltimum terræ.

dit: *filios excussorum quidam ideo Apostolos intelligunt; quia ijs dictum est: nisi vos receperint, excutite puluerem è calceis, &c.* sed ità potius excutientes essent quàm excussi. *Vel dicimus excuti aliquid, est, exeat quod fortè absconditum est: prophetæ autem clausa sacramenta, & operta continebant; excussi sunt, vt inde manifestata procederent.* acutè interpretatum; nam Apostoli filij prophetarum sunt, qui ab illis excussi sunt, dum in prophetijs sacramenta, & oracula abscondita manifestarunt.

Ex psalmo CXXVII.

1 L*Abores fructuum manuum tuarum manducabis.)* Cur non ait, vestrarum? nam in proximo pluribus loquebatur: *Beati omnes qui timent dominum, &c.* sed plures erimus, & vnum sumus in Christo, cui vt capiti inhæremus. igitur tantùm timete dominum, & nolite zelare eos, qui non ambulant in vijs eius. *Seculi homines infeliciter felices sunt, Martyres feliciter infelices erant, spe gaudentes, in tribulatione patientes. ecce quare omnia Martyres pertulerunt; qui occidebant, quæ videbant, amabant; qui occidebantur, ad ea, quæ non videbant, suspirabant; et quò tardius occidebantur; moras sibi fieri arbitrabantur. ergo Felix martyr, & verè felix, et nomine, & corona contempsit præsentia, vt acciperet futura: passus, non vt alij Martyres, confessus est, dilatus est ad tormenta. alio die inuentum corpus exanime; clauserant enim illi carcerem, sed corpori, non spiritui. quem illic parabant torquere carnifices, absentem inuenerunt: perdiderunt sæuitiam suam, iacebat sine sensu illis, ne torqueretur, cum sensu apud Deum, vt coronaretur.* eleganter alludit ad nomen Felicis martyris; eiusque felicitatem inter media tormenta describit, & elusam sæuitiam persecutorum. venustè autem dictum illud: *Mundani infeliciter felices sunt, Martyres feliciter infelices.* nempe illorum prosperitas desinit in miseriam sempiternã, horũ verò contra.

Mundani felices infeliciter Martyres infelices feliciter.

Felicis martyris felix constantia.

2 *Beati omnes, qui timent dominum.) Timent quidam, sed non amant iustitiam. cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & incipit homo castè viuere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* Pulchrè ait amanti, nec seruiliter timenti dulcescit Deus, dulcedo enim tantùm est in amore. pergit eleganter hoc similitudine ostendere, *Casta mulier timet, ne discedat vir; adultera contra, ne veniat: quòd si ambo absentes sunt, ista ne veniat, illa ne tardet. absens quodammodo est, cui desponsati sumus, qui nobis arrham dedit Spiritum sanctum: spon-*

Amanti potiusquã timenti dulcescit Deus.

sponsus ille, quo nihil pulchrius amauit nos, vt redamaremus illum; videat quisque qualem timorem habet. vis vt veniat, an adhuc vis vt tardet? hinc collige, eum, qui mori detrectat, non amare verè sponsum. Subiungit, *Castus timor venit de amore; ille autem timor nondum castus non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed tantùm ne mittatur in gehennam. bonus & iste est timor, & vtilis, sed nondum castus permanens in sæculum sæculi: in quo est castus timor? si Deus loqueretur: peccare vis? pecca. fac quicquid te delectat; nemo dicat quale fecisti; faciem tantùm meam nunquã videbis. fratres mei. vnde ingemuistis? nisi quia natus est timor castus. quare percussum est cor vestrum, si diceret Deus: faciem meam nunquam videbis? ecce in omni ista terrena fœlicitate, & omnibus rebus abundabis; circumfluent te bona temporalia, quid vis amplius? fleret quidem, gemeret quidem timor castus, & diceret; immò tollantur omnia, & faciem tuam videam; timor castus exclamaret de psalmis: ostende faciem tuam. vnã petii, hanc requiram. vide quomodo ardeat timor castus; hanc, inquit, requiram, quid? vt contempler delectationem domini.* elegãs admodũ, & pulcher locus de desiderio visionis Dei beatificæ. vbi nota, ad hęc dicta auditores Augustini gemitum sustulisse, & percussum eis quasi vulnere cor fuisse, ad illa .s. verba, *faciẽ Dei non videbis.* quò spectat illud Absalonis, cui cum Ioab conciliasset Dauidem patrem, sed hac tantùm conditione, ne eius faciem videret; non potuit solatium accipere, sed ab eo contendit, *obsecro, vt videam faciem Patris.* id etiam Moses precibus contendit, sed posteriora tantùm vidit. Accepi, Romæ, cum sanctus Christi vultus palàm detegeretur, dæmoniacum altè ingemuisse, quod sibi in æternum non liceret Dei faciem cernere: sed gemitus non fuit ex amore, sed pœna.

Qui verè amat Deũ mori non detrectat.

Iustus etiam sine gehenna non peccaret.

3 *Labores manuum tuarum quia manducabis.*) Labor est prior, fructus posterior, quomodo ergo labores manducantur? *Sed quia ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, ideò & ipsi labores nũc lætos faciebãt. si igitur labor ipse potest nunc manducari, & potuit iucundare manducantes, fructus ipsius laboris qualis erit?* testis est S. Xauerius, quem ipsi labores adeò satiabant, vt diceret, Sat est; & cum dixerit Dauid, *satiabor, cum apparuerint gloria tua*: hic, qui semper eius gloriam quęsiuit, iam in hac vita vsque ad satietatem fruebatur, in quantum nunc fas est.

Labor ipse iusti fit suauis cibus.

4 *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.*) *Latera domus sunt lapides sancti, hoc est qui inhærent Christo. dicere solemus: Ille mala latera habet, aut bona, hoc est boni illi adhærent, vel malis cõsiliarijs regitur: ergo latera domus sunt, qui inhærent Christo; nec sine causa & ipsa cõiux de latere facta est viro dormiente: Ecclesia facta est Christo moriente de latere quando lancea percussum est. Ecclesia igitur vinea fertilis est ijs, qui adhęrent Christo.* egregiè ostendit quid sit adhærere consiliarijs; sicut ædificium adhærens bonis, vel malis lateribus; nam aut facile corruet, aut firmiter stabit regnum.

Consiliarij quales esse debeant.

5 *Ecce sic benedicetur homo, &c.*) *Quomodo benedicetur? nempè vt sit tanquam vinea fertilis coniux, &c. ergo perdiderunt mercedem suam qui propter Deum vxores ducere noluerunt? si talia dixerimus, animales sumus. incipiamus & nos excutere, vt filij simus excussorum; & tunc erimus tanquã sagitta, & iaculabitur nos dominus in corda hominum nondum amantium, vt percussi sagittis verborum Dei ament.* Vide quid sit officium concionatoris, & Apostolici viri; vt per rectam sacræ scripturæ interpretationem acuatur instar sagittæ, vt penetret corda auditorum. hæc habeãt pro scopo, inserentes amorem Dei. intelligi autem spiritaliter ait illam filiorum fœcunditatem de propagatione Ecclesiæ, & cognationem quidem carnis spiritali cedere. hinc dominus: *Quæ est, inquit, mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos, &c.* cum matrem, & Ioseph adesse dicerent. Tum sic. *Ne irascatur pater, cum Deus illi præponitur; immò gaudeat sibi tantum deferri, vt ille inuentus esset, qui ei deberet præponi.* Audiant hoc parentes, qui filios impediunt ne Deo se addicant. cum de hoc gaudere potius debeant, & honori sibi ducere, quod eos habeant filios, qui Deum super omnia diligant. rectè autem aliter sentientes, *animales*, vocat.

Concionator instar sagittę penetrare debet auditium corda.

Casti posũt effecõ cũdi spiritali prole.

6 *Filij tui sicut nouellæ oliuarum, &c.*) *Scriptum est: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. In oliua fructus est pacis; quare columba folia oliuæ cum fructibus portauit ad arcam, vt significaret, quia & illi qui foris baptizati sunt, non sola folia habebant, idest verba sola, sed, & fructum, quod est charitas: tales ergo filij esse debent in circuitu mensæ domini, velut nouellatio oliuarum.* rectè ait, filios Ecclesiæ hoc est baptizatos fructui comparari oleæ charitatis typo, ob oleum quod inde exprimitur ignis nutrimentum, ne folia tantùm in laude esse putemus. præterea oliuæ insigne pacis est, & dominus ait, *Beati Pacifici, quia filij Dei vocabuntur.* possunt autem transferri hæc verba ad S. Frãciscam Romanam, matrem quodammodo eorum Religiosorum, qui à monte Oliueti dicuntur, quos ipsa pietatis vberibus pauit in Christo. Ceterùm Ecclesiæ filij rectè in circuitu mensæ, Eucharisticæ videlicet, oliuæ

Ecclesiæ filij oliuæ comparantur ob charitatis fructum.

oliuæ instar adesse iubentur, tum quia charitate ardere debent, tum quia pace, & vnitate gaudere.

7 *Et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.) Illa verè bona sunt, quæ æterna sunt. quare sunt? quia ibi Rex: Ego sum qui sum. ista verò bona sunt, & non sunt. non enim stant, labuntur, & fluunt. filij sunt paruuli, optas, vt accedat ætas; quæ cum accedit, altera moritur: quot optas gradus ætatum, tot simul optas mortes ætatum. nati sunt filij in terra, tecum victuri, an te potius exclusuri? nati enim pueri quasi hoc dicunt parentibus: cogitate & vos ire hinc. agamus & nos Mimum nostrum; Mimus est enim generis humani tota vita tentationis, quia dictum est in psalmo: Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* rectè ait, illa verè dicenda bona, quæ æterna sunt, & sursum manent. eleganter autem & graphicè ostendit, hanc vitam esse veluti scænam histrionicam. filij ipsi, quos tam blandè enutriunt parentes, & adultos videre optant, videntur parentibus insusurrare; satis iam egistis partes vestras, abite iam, nos peragemus fabulam: certè Octauianus Augustus moriens dixit amicis: satis nè pulchrè mimum egi? cum annuissent, plaudite, inquit, & lecti aulæo quasi sipario se obduxit. illud quoque argutè dictum, dum parentes filios grandescere cupiunt. *quot optas gradus ætatum, tot optas mortes.* quia quæuis ætas perit.

Bona non nisi æterna dicenda sunt in patria.

Filij parentibus succedunt vt histriones in scena.

8 *Et videas bona Hierusalem, &c.) Quæ sunt illa bona? dici ne possunt bona ista? aurum, argentum, fundus amœnus, marmorati parietes, tecta laqueata sunt? ista abundantius habent pauperes in hac vita; plus est enim pauperi videre cœlum stellatum, quàm diuitis tectum inauratum. quod est illud bonum, quo accendimur, cui suspiramus, quo inflammamur, propter quod bonum adipiscendum tantos labores sustinemus, propter quod damnati sunt ad bestias Martyres? quod est illud bonũ? vnde, aut quæ lingua dicat, aut quæ aures audient? & illud quidem, ne in cor hominis quidem ascendit.* eleganter, ac piè ad diuina, & inuisibilia animum transfert: nam hæc visibilia quò magis præcipua sunt, eò magis communia sunt omnibus, etiam egenis, & malis, vt aspectus cœli, amœnitas telluris, &c. Ceterùm pro illo summo, & vero bono, nihil non sustinendum ait: *Nam non ideò quia diabolus nunc per tyrannos non sæuit, Christiani non patiuntur persecutiones. si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones; si autem viuit, vnde nõ tentationes suggerit? vnde non sæuit?* Notabile documentum, quo vides immensum diaboli odium in bonos: mortui sunt tyranni, at viuit is, qui tyrannos stimulabat; nunquam igitur desinit persecutio.

Martyres ostenderuntquod esset verũ bonum.

Diaboli persecutio nunq̃ cessat.

Ex Psalmo CXXVIII.

1 S*Æpè expugnauerunt me, &c.)* Inducit sic nobiscum conquerẽtem Deum: *Iubet auaritia vt mare transeas, & obtemperas. iubet vt te ventis, procellisque committas. iubeo ego, vt ante ostium tuum ex eo, quod habes, des pauperi. piger es ad faciendum bonum ante te; & strenuus es ad transeundum mare. quia auaritia iubet, seruis; quia Deus iubet, odisti.* Magnam habet vim hæc iusta Dei querimonia, quod cum iubeat rem facilem, quæ coram te est, non agas; quod autem arduum, ac difficile, & longè à te, auaritia iubet, statim peragas, vt est traiectio Oceani ad mercimonias.

Mundus iubet & parent, Deo non item.

2 *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.) Quis non contremiscat? omnibus, qui audiunt, intrat timor in cor, si credunt scripturæ Dei. si enim omnes peccatores sumus, omnibus timendus est gladius in ceruices. sed cõcidet ceruices, inquit: superbi omnes ceruicosi sunt, qui non solùm faciunt mala, sed nec agnoscere volunt; & cum obiurgantur, dicunt: ego nihil mali feci, quia Saturnus fecit, quia Mors fecit, quia Venus fecit. iustificas te, accusas Deum, qui fecit stellas, ornauit cælum. in tantum erexisti ceruicẽ tuam, & cucurristi contra Deũ. sicut scriptũ est in Iob. currens, inquit, aduersus Deum in crassa ceruice scuti sui. ceruicem nominauit, ibi te erigis, & non elidis oculos ad terram: sed concidet Deus ceruices peccatorum.* acutè adnotat, vindictam Dei in superbos maximè sæuire; præsertim cum excusant peccata; ceruix enim erecta superbiæ typus est; & ceruix in scutum cedit, cum peccata defendunt, quasi necessitate fatali cogantur. stellæ ad ornatum sunt, non ad inquinamentum peccandi. *Spiritus eius ornauit cælos.*

Excusantes se à peccato fati necessitate taxantur.

3 *Fiant sicut fœnum tectorum, &c. de quo non implebit manum suam qui metet, & non dixerunt qui præteribant; benedictio domini super vos.) Nostis, quando transitur per operantes, est consuetudo, vt dicatur illis: Benedictio domini super eos. Messores Angeli sunt; transeuntes, qui tendunt ad patriam, vt prophetæ, & Apostoli, qui benedixerunt illos, in quibus radices charitatis viderunt; quos autem viderunt in tectis eminere, & superbire, in illos bona non dixerunt.* immò ijs vindictam Dei minati sunt. Nota pium morem Christianorum benedicendi in transitu ijs, quos operantes viderent in agro, vnde fructus, & fruges sperantur. quæ igitur benedictio debetur operarijs Christi vineę, idest Apostolicis viris? Nota etiam: cum fœnum quod nascitur altè in tecto, & mox arescit, symbolum superborum sit, benedictione caret.

Messores Angeli sunt.

Mos bene dicendi operarijs.

Superbiã benedictio tum cadit.

tur, & lingua cordis, & os cordis silentium est; & clamat pectus, non auribus hominum, sed Dei custodis cordis; & innocens erit os corporis, innocentes manus, pedes, oculi, aures, omnia membra tua iustitiæ militabunt, quia Imperator iustus tenuit cor. pulcher, & elegans locus de custodia cordis, vt in custodia, & vigilia militari fit. scimus quàm exactè seruetur disciplina belli, vt vnusquisq; in sua statione sit, vt expeditus ad nutum Imperatoris, &c. ita sensus omnes ad virtutis nutum militant.

Sẽsus corporis omnes iustitię, seu uirtuti militant.

3 *Conuerte captiuitatem nostram sicut torrens in Austro.) Ecclesiastes ait: Sicut glacies in sereno, ita soluentur peccata tua. ergo peccata ligabant nos, quomodo frigus ligat aquam, ne currat; ita nos ligati frigore peccatorum gelauimus. constringunt nos peccata nostra; flauit Spiriritus sanctus, et soluta sunt.* Nota, cur solutionem captiuitatis torrẽti comparet, Austro flante: quia peccato congelascimus, extincto videlicet charitatis feruore: sed vt in hyeme torrens Austri, ita Spiritus sancti calore soluimur, & currimus ad Deum. huc refer illud: *Deus ab Austro veniet.* ex magno enim feruore charitatis incarnatus.

Peccatis congelascimus, sed Spiritus sancti calore soluimur.

4 *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.) Quare desideratis latos fundos? latior vobis non est vbi seminetis, quàm Christus. sed qui parcè seminat, parcè & metet.* Non solùm diues, sed ipse pauper alteri faciat eleemosinam; ambulans pedes suos accommodet claudo, &c. pulchrè ait, Christum latum esse fundum, & agrum, vnde magna messis existere possit, si multum seminemus; nam ait: *Mecum est pulchritudo agri.* & vide quàm charæ Christo sint lacrymæ, vt fundus, siuè ager æstate hiulcus, imbrem auidè imbibit, & mox viret herbescens, & frugifer fit. Tum addit, & monet: *Agricola attendit cœlum, videt diem tristem, tremit frigore, & tamen procedit, & metit, ne tempus transeat, ita &c.* Nulla igitur aduersa à virtute deterreant, & à benè operando impediant.

Christus quasi latus fundus vbi seminandum ad messẽ.

Ex Psalmo CXXVI.

1 NIsi *Dominus ędificauerit, &c. Titulus est: Canticum graduum Salomonis.) Facit nos intentos quod additum sit, Salomonis; sunt ista cantica amantium, & quædam desideria Sanctorum flagrantium. ardent qui ista cantant; quorum etiam cor ardens inuenitur in contemptu temporalium, in charitate æternorum. ascendit omnis qui proficit, cadit omnis qui deficit. amando Deum ascendis, amando seculum cadis. Salomon mulierum amator fuit; sed si illo cadente, quæ per illum dicta sunt, delerentur, iudicaretur, quia ipse dixerat, nõ quia per illũ dicta erant.* Nota, cur sacros libros Deus permiserit ꝑ improbũ scribi, vt s. nõ homo, sed Deus ipse auctor appareret. deinde vide quanto cum ardore pietatis hi psalmi canendi sint: *Ardent qui ista cantant, &c.* Tum audiant mundani, qui ad honores aspirant: *Amando seculum cadis.* contra de profectu in spiritu.

Profectus spiritus commendatur.

Cur Salomonis minus probi cantica Deus admiserit?

Mundi ascensus casus est.

2 *Nisi Dominus ædificauerit domum.) Quæ domus Dei, ipsa & ciuitas. domus enim Dei populus Dei; omnis ergo numerus fidelium sanctorum ex hominibus commutandorum, vt fiant æquales Angelis, adiuncti etiam ipsis Angelis, qui modò expectant nos, omnes simul vnam domum Dei faciunt, & vnam ciuitatem Hierusalem.* Nota dignitatem, vt homines vnam rempublicam simul cum Angelis faciant, & vnum populum. quanti fecerunt, etiam exteri Reges, inter Romanos adscribi? quæ vrbs à Pyrrhi legato nõ tam ciuium est dicta, quàm Regum, ob splendorem, & decus.

3 *Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilant qui custodiunt eam.) Episcopi hoc faciunt, nam ideò locus altior positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, & custodiant populum. nam & græcè quod dicitur Episcopus, hoc latinè superintentor appellatur, quia superintendit, quia desuper videt: quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopo altior locus factus est est, & de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, vt humilitate sub pedibus vestris simus.* Nota de throno Episcopi, cui tanquam vinitori, & custodi vineæ, datus est altus locus ad inspectandos fures, vel bestias, quæ lædere possint. non igitur ibi eminet ad fastum. ac uide quantum humilitatis requirat ab Episcopo, ut cum caput sit, putet se esse sub pedibus subditorum. his addit: *Oremus, vt mentes vestras ipse, qui nouit, custodiat; nam nos vsqueadeò non videmus quid cogitetis in corde, vt neq; videamus quæ agatis in domo. custodimus tamen quantum possumus, vt homines.* rectè monet, ut Prælatus intentus esse debeat orationi, unde illuminetur ad regimen; cum corda subditorum soli Deo pateant. uide igitur quàm difficile sit Episcopi munus.

Episcopi nomen quid significet?

Episcopo humilitas commendatur.

Quàm difficile sit munus Episcopi.

4 *Qui manducatis panem doloris.) Cum quanta suauitate plorat in gemitu qui òrat? dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. audi flammam desiderij, qua manducatur iste panis. factæ sunt, inquit, lacrymæ meæ panes, dum dicitur mihi, vbi est Deus tuus? insultant enim Pagani nobis, ostendunt quem colunt. ecce ego ostendo illis Deum meum. suspiras igitur Deo antequàm videas. dulces sunt ipsæ lacrymæ, ac pro cibo sunt; sed veniet, & absterget lacrymas, & pro pane lacrymarum ipse succedet, quo pascuntur Angeli, & vos saginabit.* Elegans hic locus est de dulcedine lacrymarum in orando.

Lacrymæ panis sũt desiderij flamma percoctus

Lacrymæ iucundiores, quàm gaudia theatrorũ

do, & præmio ijs proposito. ac pulchrè panem vocari ait, quia coquitur, *desiderij flamma*. ex ardore enim charitatis erumpunt lacrymæ. pulchrè item contemplationem comparat, ac præponit spectaculis theatralibus.

In Ecclesia boni, & mali vt in Rebec ex vtero Iacob & Esau.

5 *Ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.) Quomodo fructus ventris? parturiti sunt isti filij: Filioli mei, inquit, Apostolus, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis: gemit nunc Ecclesia, parturit iustos: quæ est merces? fructus ventris? resurgere à mortuis, surgere postquam sedisti. tunc transiet dolor, & gemitus in Ecclesiæ ventre, cuius typum Rebecca gestabat, duo illi gemini populi luctabantur. vna mater in visceribus suis dissentientes fratres non dum natos continebat. pulsabant materna viscera discordijs internis; gemebat illa, vim patiebatur: sic & modò Ecclesia, quandiù gemitus est datus, quandiu parturit, intus sunt boni, & mali; fructus autem ventris in Iacob erit, quia ipsum dilexit mater: in dilectis ergo fructus erit*. Aptè Rebeccæ parturienti inter luctamina filiorũ comparat Ecclesiam, quæ quasi in vtero bonos gestat dissentientes, & obluctantes malis, vt Iacob Esau. eadem in mentis vtero lucta fit inter sensum, & spiritum, non sine dolore, ac gemitu. sed fructus in spiritu est.

6 *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.) Vnde facta est tam multa hæreditas domini? excussi sunt quidam de manu domini tanquam sagittæ, & ierunt longè, & totam terram impleuerunt. quantò fortius excusseris, tantò longius it sagitta: quid autem fortius excutiente domino? non potuit esse residuum, quò non perueniret sagitta, à tam forti excussa. peruenit vsque ad fines terræ, ideò non vltra, quia nihil est vltra generis humani*. egregius planè locus hic est de Apostolicis viris. dixerat, *ecce hæreditas domini, filij &c.* subiungit Augustinus, vnde tam magna sit facta hæreditas populi Christiani tã multiplicati? in causa est Deus victor Orbis terræ. quibus armis? sagittis potenter eius manu excussis, hi sunt prædicatores Euangelij. iuxta hebraicam phrasim, idem ferè est excussi, & filij excussorum, vt filia populi mei, est ipse populus Hierusalem. huiusmodi sagitta potentis Dei manu excussa vsque ad vltimos fines Orbis terrarũ fuit in primis S. Franciscus Xauerius, ad quem Augustini Verba accomodatissima sunt. *Quantò fortius excusseris, tantò longius it sagitta. non potuit esse residuum, quò non perueniret hæc sagitta, &c.* Idem ferè de ceteris variarum religionum Apostolicis viris eò missis dicas licet. vide igitur quàm nobilis missio, vel potius emissio ex arcu: Deus ipse arcitenens est, & sagittarius; quàm certò ad scopum diriget sagittam? scopus est maior ipsius gloria. His ad-

Apostolici viri sagittæ ex arcu Dei excussæ vsque ad vltimum terræ.

dit: *filios excussorum quidam ideo Apostolos intelligunt; quia ijs dictum est: nisi vos receperint, excutite puluerem è calceis, &c.* sed ità potius excutientes essent quàm excussi. *Vel dicimus excuti aliquid, est, exeat quod fortè absconditum est: prophetæ autem clausa sacramenta, & operta continebant; excussi sunt, vt inde manifestata procederent.* acutè interpretatum; nam Apostoli filij prophetarum sunt, qui ab illis excussi sunt, dum in prophetijs sacramenta, & oracula abscondita manifestarunt.

Ex psalmo CXXVII.

1 *LAbores fructuum manuum tuarum manducabis.)* Cũr non ait, vestrarum? nam in proximo pluribus loquebatur: *Beati omnes qui timent dominum, &c.* sed plures erimus, & vnum sumus in Christo, cui vt capiti inhæremus. igitur tantùm timete dominum, & nolite zelare eos, qui non ambulant in vijs eius. *Seculi homines infeliciter felices sunt, Martyres feliciter infelices erant, spe gaudentes, in tribulatione patientes. ecce quare omnia Martyres pertulerunt; qui occidebant, quæ videbant, amabant; qui occidebantur, ad ea, quæ non videbant, suspirabant; et quò tardius occidebantur; moras sibi fieri arbitrabantur. ergo Felix martyr, & verè felix, et nomine, & corona contempsit præsentia, vt acciperet futura: passus, non vt alij Martyres, confessus est, dilatus est ad tormenta. alio die inuentum corpus exanime; clauserant enim illi carcerem, sed corpori, non spiritui. quem illic parabant torquere carnifices, absentem inuenerunt: perdiderunt sæuitiam suam, iacebat sine sensu illis, ne torqueretur, cum sensu apud Deum, vt coronaretur.* eleganter alludit ad nomen Felicis martyris; eiusque felicitatem inter media tormenta describit, & elusam sæuitiam persecutorum. venustè autem dictum illud: *Mundani infeliciter felices sunt, Martyres feliciter infelices.* nempe illorum prosperitas desinit in miseriam sempiternã, horũ verò contra.

Mundani felices infeliciter Martyres infelices feliciter.

Felicis martyris felix constantia.

2 *Beati omnes, qui timent dominum.) Timent quidam, sed non amant iustitiam. cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & incipit homo castè viuere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* Pulchrè ait amanti, nec seruiliter timenti dulcescit Deus, dulcedo enim tantùm est in amore. pergit eleganter hoc similitudine ostendere, *Casta mulier timet, ne discedat vir; adultera contra, ne veniat: quòd si ambo absentes sunt, ista ne veniat, illa ne tardet. absens quodammodo est, cui desponsati sumus, qui nobis arrham dedit Spiritum sanctum: spon-*

Amanti potiusquã timenti dulcescit Deus.

oliuæ instar adesse iubentur, tum quia charitate ardere debent, tum quia pace, & vnitate gaudere.

Bona non nisi æterna dicenda sunt in patria.

7 *Et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.) Illa verè bona sunt, quæ æterna sunt. quare sunt? quia ibi Rex: Ego sum qui sum. ista verò bona sunt, & non sunt. non enim stant, labuntur, & fluunt. filij sunt paruuli, optas, vt accedat ætas; quæ cum accedit, altera moritur: quot optas gradus ætatum, tot simul optas mortes ætatum. nati sunt filij in terra, tecum victuri, an te potius exclusuri? nati enim pueri quasi hoc dicunt parentibus: cogitate & vos ire hinc. agamus & nos Mimum nostrum; Mimus est enim generis humani tota vita tentationis, quia dictum est in psalmo: Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* rectè ait, illa verè dicenda bona, quæ æterna sunt, & sursum manent. eleganter autem & graphicè ostendit, hanc vitam esse veluti scænam histrionicam. filij ipsi, quos tam blandè enutriunt parentes, & adultos videre optant, videntur parentibus insusurrare; satis iam egistis partes vestras, abite iam, nos peragemus fabulam: certè Octauianus Augustus moriens dixit amicis: satis nè pulchrè mimum egi? cum annuissent, plaudite, inquit, & lecti aulæo quasi sipario se obduxit. illud quoque argutè dictum, dum parentes filios grandescere cupiunt. *quot optas gradus ætatum, tot optas mortes.* quia quæuis ætas perit.

Filij parentibus succedunt vt histriones in scena.

Martyres ostenderuntquod esset verũ bonum.

8 *Et videas bona Hierusalem, &c.) Quæ sunt illa bona? dici ne possunt bona ista? aurum, argentum, fundus amœnus, marmorati parietes, tecta laqueata sunt? ista abundantius habent pauperes in hac vita; plus est enim pauperi videre cœlum stellatum, quàm diuitis tectum inauratum. quod est illud bonum, quo accendimur, cui suspiramus, quo inflammamur, propter quod bonum adipiscendum tantos labores sustinemus, propter quod damanati sunt ad bestias Martyres? quod est illud bonũ? vnde, aut quæ lingua dicat, aut quæ aures audient? & illud quidem, ne in cor hominis quidem descendit.* eleganter, ac piè ad diuina, & inuisibilia animum transfert: nam hæc visibilia quò magis præcipua sunt, eò magis communia sunt omnibus, etiam egenis, & malis, vt aspectus cœli, amœnitas telluris, &c. Ceterùm pro illo summo, & vero bono, nihil non sustinendum ait: *Nam non ideò quia diabolus nunc per tyrannos non sæuit, Christiani non patiuntur persecutiones. si mor tuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones; si autem viuit, vnde nõ tentationes suggerit? vnde non sæuit?* Notabile documentum, quo vides immensum diaboli odium in bonos: mortui sunt tyranni, at viuit is, qui tyrannos stimulabat; nunquam igitur desinit persecutio.

Diaboli persecutio nunquã cessat.

Ex Psalmo CXXVIII.

Mundus iubet & parent, Deo non item.

1 S*Æpè expugnauerunt me, &c.)* Inducit sic nobiscum conquerẽtem Deum: *Iubet auaritia vt mare transeas, & obtemperas. iubet vt te ventis, procellisque committas. iubeo ego, vt ante ostium tuum ex eo, quod habes, des pauperi. piger es ad faciendum bonum ante te; & strenuus es ad transeundum mare. quia auaritia iubet, seruis; quia Deus iubet, odisti.* Magnam habet vim hæc iusta Dei querimonia, quod cum iubeat rem facilem, quæ coram te est, non agas; quod autem arduum, ac difficile, & longè à te, auaritia iubet, statim peragas, vt est traiectio Oceani ad mercimonias.

Excusantes se à peccato fati necessitate taxantur.

2 *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.) Quis non contremiscat? omnibus, qui audiunt, intrat timor in cor, si credunt scriptura Dei. si enim omnes peccatores sumus, omnibus timendus est gladius in ceruices. sed cõcidet ceruices, inquit: superbi omnes ceruicosi sunt, qui non solùm faciunt mala, sed nec agnoscere volunt; & cum obiurgantur, dicunt: ego nihil mali feci, quia Saturnus fecit, quia Mors fecit, quia Venus fecit. iustificas te, accusas Deum, qui fecit stellas, ornauit cœlum. in tantum erexisti ceruicẽ tuam, & cucurristi contra Deũ. sicut scriptũ est in Iob. currens, inquit, aduersus Deum in crassa ceruice scuti sui. ceruicem nominauit, ibi te erigis, & non elidis oculos ad terram: sed concidet Deus ceruices peccatorum.* acutè adnotat, vindictam Dei in superbos maximè sæuire; præsertim cum excusant peccata; ceruix enim erecta superbiæ typus est; & ceruix in scutum cedit, cum peccata defendunt, quasi necessitate fatali cogantur. stellæ ad ornatum sunt, non ad inquinamentum peccandi. *Spiritus eius ornauit cælos.*

Messores Angeli sunt.

Mos bene dicendi operarijs.

3 *Fiant sicut fenum tectorum, &c. de quo non implebit manum suam qui metet, & non dixerunt qui præteribant; benedictio domini super vos.) Nostis, quando transitur per operantes, est consuetudo, vt dicatur illis: Benedictio domini super eos. Messores Angeli sunt; transeuntes, qui tendunt ad patriam, vt prophetæ, & Apostoli, qui benedixerunt illos, in quibus radices charitatis viderunt; quos autem viderunt in tectis eminere, & superbire, in illos bona non dixerunt.* immò ijs vindictam Dei minati sunt. Nota pium morem Christianorum benedicendi in transitu ijs, quos operantes viderent in agro, vnde fructus, & fruges sperantur. quæ igitur benedictio debetur operarijs Christi vineę, idest Apostolicis viris? Nota etiam: cum fœnum quod nascitur altè in tecto, & mox arescit, symbolum superborum sit, benedictione caret.

Superbiã benedictio tum cadit.

Ex

Ex Pſalmo CXXIX.

Peccata vel leuia exitium trahunt poſt ſe.

1 SI iniquitates obſeruaueris, domine, domine quis ſuſtinebit?) *Dices: non eſt inuenturus in me homicidia, &c. nihil eſt ego inuenturus? à peccatis linguæ quis abſtinet? minuta, inquis, ſunt: congere minuta, & faciunt ingentem aceruum; & guttæ minimæ ſunt, ſed flumina implent, & moles trahunt. ſi ergo, domine, nobiſcum ſeuerus iudex agere volueris, non miſericors pater, quis ſtabit ante oculos tuos? ſed eſt apud te propitiatio, &c.* Vide, vt omnes indigeamus Dei miſericordia. ſi nihil aliud, certè ipſa noſtra lingua nos accuſaret apud Deum: & rectè ait, non eſſe contemnenda peccata vel leuia, cum trahere poſſint in exitium.

2 *Domine quis ſuſtinebit?) Clamat ſub molibus, & fluctibus iniquitatum ſuarum. circumſpexit vitam ſuam; vidit illam vndique flagitijs coopertam; & tanquam expaueſcens exclamauit: ſi iniquitates obſeruaueris, &c. nō dixit: ego non ſuſtinebo, ſed quis ſuſtinebit? vidit enim prope totam vitam humanam circūlatrari peccatis ſuis, &c.* eleganter admodū oſtendit peccata tanquam canes eſſe, quos contra nos alimus. ipſi lacerant dominum ſuum, cum in beſtiam, ac feram ſilueſtrem vident mutatum poſt offenſum Deum, vt de Actæone poetæ finxerunt. recole Nabucdonoſor hiſtoriam: circumlatrant igitur ipſum peccatorem hi canes, mordent. horrendis his latratibus conſcientia perſonat. quot peccata, tot Cerberi.

Peccata circumlatrant peccatorem Cerberi more.

3 *A Vigilia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in domino.) Subiecti ſunt ad beſtias Martyres, igne concremati, percuſſi gladio, ungulis exarati; ſed conſiderabant illam vigiliam matutinam, qua reſurrexit dominus eorum; & videbant, quia eadem, antequam reſurgeret, etiam ille paſſus; & non deſperabant, ſe quoque poſt tales paſſiones reſurrecturos in vitam æternam.* Vide quid ſibi Martyres ante oculos propoſuerunt in pœnis: reſurrectionem Chriſti, & ſuam. Huc facit quod ſequitur. *& ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ſuis. Spera te reſurrecturum, vt viuas ſine peccato, quia ille reſurrexit, qui primus fuit ſine peccato. ille te potuit redimere, qui ſe non potuit vendere.* acutè & pulchrè dictum; nam enim venundati ſimus per peccatum, vt ſcriptura loquitur, ille tantùm erat idoneus ad redimendum, qui vt impeccabilis, vendi non potuit.

Martyres in pœnis Chriſti reſurrectionem & ſuam conſiderabant.

4 *Propter legem tuam ſuſtinui te.) Hanc legem ſtatuiſti mihi, vt quomodo dimitto, dimittatur mihi: legem ſcilicet charitatis. Inuicē, inquit Apoſtolus, onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. narrant hoc de ceruis: cum tranſeunt freta paſcuæ gratia, caput ſuper ſe inuicem ponunt; ſuccedunt ſibi, &c. & non patiuntur naufragium, quia quaſi nauis eſt illis charitas.* pulchrè charitatem quaſi tutiſſimam nauim dicit; nam & eſt fides gubernaculū, & anchora ſpes: ſic flāte Spiritu ſancto plenis velis in patriam tendit. Tum illud nota: ſicut cerui mergerentur ob laſſitudinem, niſi ſe inuicem adiuuarent, ità nos in hoc ſeculo veluti mari, vel flumine ſine mutua charitate.

Charitas nauis eſt à naufragio liberans.

Ex Pſalmo CXXX.

Peccator ſibi reſtē facit ad vincula.

1 DOmine non eſt exaltatum cor meum, &c.) *Chriſti imago erat templum illud, vnde excluduntur flagello reſticulę. reſtis peccatum eſt: væ, inquit, qui trahitis peccatum velut reſtem longam: illi autem trahunt, qui cum faciunt vnum peccatum, vt cooperiant illud, faciunt alterum. quomodo enim, vt reſtis fiat, additur ſparto ſpartum, non autem in rectum it, ſed torquetur: ſic peccata ad peccata adduntur, quoniam ſemitæ prauę, & flexuoſi greſſus eorum. quò autem valet illa reſtis, niſi vt inde ligentur eorum manus, & pedes, & proijciantur in tenebras exteriores? &c. non eſſet vnde ligarentur pedes, & manus, niſi peccator ſibi reſtem faceret; ſicut apertè dicitur, Criniculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. ergo quia de peccatis ſuis homines vapulant, ideò dominus flagellum de reſticula facit.* Nota illud: *Non eſt, vnde ligarentur pedes, & manus, niſi ipſe peccator reſtem faceret.* quaſi ex ipſius officina depromptiſint funes ad eius ſupplicium, quos ipſe ſibi nexuerat. ferunt Heliogabalum Imperatorem conſcium ſcelerum ſuorum, & quaſi præſcium exitij, reſtes, & laqueos ſibi feciſſe ſericos, ne vilior eſſet mors, ſed ſparteis viliſſimè tractus eſt. pulchrè autē illud dictum: *De peccatis ſuis homines vapulant.* nempè peccato venundati ſunt, vt facerent malum, ſerui effecti, & vilia mancipia. criniculis legit pro funiculis; nam & leuia peccata conſtringunt, præſertim ſi occulta, vt crines; aut ſi eis ſe iactat aliquis, & gloriatur, vt criniculis manibus concinnant mulieres. ità dicitur alibi, *Iniquitates manus veſtræ concinnant.* certè Ezechielis capillis in aerem ſparſis dicitur: *& gladiū nudabo poſt eos.* hoc eſt cogitationes vanæ, & vagantes, etiam ſi leues, acriter inſequendæ, & hoſtiliter.

Cur peccata criniculis comparētur.

2 *In mirabilibus ſuper me.) Ait Apoſtolus: Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c. quid eſt hoc? intendite, rem tremendam dico: ne extollatur tanquam iuuenis, colaphizabatur tanquam puer, & à quo? ab Angelo Satanæ; dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer; dolores autem corporis plerumque ab Angelis Satanæ, ſed hoc non poſſunt niſi permiſſi, vt accidit Iob. ſed*

Colaphus ſatanæ im pactus Paulo morbus fuit.

nescit Diabolus quanta bona de illo fient, etiã cum sæuit. sæuiens intrauit in cor Iudæ, sæuiens Christum crucifixit, & crucifixo redemptus est Orbis terrarum. Ecce sæuitia diaboli ipsimet obfuit, nobis profuit. sæuiendo enim, quos tenebat, amisit, redemptos sanguine domini, quẽ, cum sæuiret, effudit. Vides superbiæ ignominiam à Deo opponi: quia enim homo se magnum putat, colaphizatur à Satana, vt puer; vt per colaphum de superbia erubescat. deinde nota, morbos plerumque à demonibus immitti, Deo permittente, ita de illá muliere fluxum sanguinis patiente, ait dominus, *quam alligauit Satanas*. morbi enim quasi vincula sunt, lectulo affixos tenentia, quæ vincula per ipsa peccata texuimus: *funiculis, seu criniculis peccatorum suorũ quisque constringitur.* vt dictum est. Denique nota, diabolum iustos affligendo, his prodesse, sibi nocere. Pergit de Paulo: *Quomodo cum medicus apponit visceribus aliquod forte epithema, molestum, & ardens; inde tamen curãdus est æger. rogat hic medicum, vt auferat medicamentum; medicus autem consolatur, quia nouit quàm vtile sit quod apposuit: ita & Apostolus, &c.* Tum concludit: *si ergo Paulus potuit Apostolus extolli, nisi Angelus Satanæ eũ colaphizaret, quis de se possit esse securus?* Vide quàm acri medicamento egeat superbia, Satanæ colapho. Vide etiam quàm cauti de hac esse debeant etiam iusti.

Morbi ferè a dæmonibus immittuntur Deo permittẽte.

3 *Si non humiliter sentiebam, &c. sicut ablactatus à lacte, &c.) Sunt infirmi, non idonei valido cibo, & volunt tendere ad id, quod capere non possunt; & si quid sibi visi fuerint capere, extolluntur inde, & superbiunt inde, & videntur sibi capientes: hoc contigit omnibus hæreticis. cum dicitur: In principio erat Verbũ &c. panis est; inde viuunt Angeli; sed interim cresce de lacte, vt ad panem peruenias. quod tibi Christus factus est ad infirmitatem, hoc primò crede, &c. Panis de mensa traijcitur per matris mammillam, vt sic perueniat alimentum ad paruum infantem; sic dominus Iesus cum Verbũ esset apud Patrem in forma Dei, qualem caperẽt pro modulo suo Angeli; & vnde in cœlo Potestates, & Virtutes spiritus intellectuales pascerentur; vt homo infirmus, & carne inuolutus manducare posset panem Angelorum, Verbum caro factum est.* Nota illud, Angelos ipsos quantumuis ex ordine supremo non comprehendere omninò Deũ, immò tantùm, *pro modulo suo capere.* quantum igitur, & quàm immensum est illud, quod non pro suo modo, sed modulo à tam capacibus mentibus capitur? illud autem de lacte incarnationis sic explicat. *Dominus Iesus panis se fecit nobis lac incarnatus. hinc vescamur; ipso lacte nutriamur. antequam validi simus ad capiendum Verbum, non recedamus à fide lactis nostri.* fidem lactis dicit, quia fides est rerum quæ non videntur; quemadmodum & lac dum sugitur è mammillis, non videtur. Mox audaciam carpit hæreticorum ab Ecclesia matre deficientium. *fecerunt in Trinitate tres gradus, & miserunt in Ecclesia tres Deos.* huc refero illud in Leuitico, *Non ascendetis per gradus ad altare.* hoc est gradus in personis vnum altiorem altero non ponetis. Tum, ne fallamur, hæc monet. Quædam per similitudinem posita sunt in scriptura, vt cum dicit, Deum pœnitere, &c. *Vt nobis lactentibus commendaretur Deus, non vt propriè de illo intelligantur: nisi ergo homo transierit & modum animæ suæ, non videbit, quia Deus est quod est; ideò ait propheta: effudi super me animam meam: vt inueniret Deum, effudit super se animam suam; non tibi dicitur: humilis esto, vt non sapias; sed humilis propter cauendam superbiam, altus propter capiendam sapientiã. lactare, vt nutriaris; sit nutrire, vt crescas; sic cresce, vt panem manduces.* pulchrè ostendit profectum in diuinis capiendis. Sequitur. *Qui portatus est in vtero, vt nasceretur; portatur manibus, vt crescat.* nota, vt aliorũ consilio standum sit. Denique sic ad hæreticos: *Si fortè erras in aliquo, quare non redis ad lac matris? foris à visceribus matris, fame morieris.* Vides hæreticos quasi auulsos ad vberibus, ac gremio matris Ecclesiæ, infeliciter abiectos humi perire.

Christus Angelis panis, nobis lac est

Fides lacti comparatur.

In Trinitate nulla gradatio sed æqualitas.

Hæretici auulsi a lacte matris Ecclesiæ pereunt.

Ex Psalmo CXXXI.

1 *Donec inueniam domum domino, tabernaculum Deo.)* Ecclesia tabernaculum est; Hierusalem cœlestis domus Dei *Tabernaculum enim tanquam militantium, & pugnãtium: tabernaculũ militum de procinctu in expeditione, vnde contubernales dicuntur milites, quasi tabernacula eadem habentes. quandiu ergo habemus hostem, cum quò pugnemus, tabernaculum Deo facimus: cum transierit tempus pugnæ, tunc domus erit.* Ibi sola laus erit, non pugna. pulchrè nos instar tabernaculi militaris esse debere ait, in quo Imperator Deus habitet. auxiliares, vel prætoriæ cohortes, & copiæ circumsistentes, Angeli sunt, &c. Darij tabernaculum Solem in summo habebat, vide igitur quàm splendens virtutibus sit oporteat tabernaculum Dei. scitum est illud. *In Sole posuit tabernaculum suum.*

Militare tabernaculum in nobis est sub Deo Imperatore.

2 *Ecce audiuimus eam in Ephrata.) Ephrata latinè interpretatur speculum, sicut tradiderunt qui verba hebræa in latinam linguam transtulerunt: Speculum imaginem habet; omnis prophetia imago futurorum est.* Eleganter prophetiæ speculum dicuntur, in quo intueri fidei mysteria possimus. prætereà velim notes, Ephrata esse locum apud Bethlem vbi natus est Christus: certe ibi speculum habemus, quò diuinam bonitatem intueamur. vel ipsa Deipara speculum est purissimum.

Prophetiæ quasi speculum repræsentant Christum.

Votum nostrum sit vt simus Dei templum.

3 *Votum vouit Deo Iacob.) Quid voui mus, nisi vt simus Dei templum? nihil ei gratius possumus offerre, quàm vt dicamus illud Esaiæ: Posside nos. In possessionibus quidem terrenis præstatur patri familias, at Ecclesiæ ipsi possessioni præstatur, vt à tali possideatur.* Vide quò aspirare debeāt optata nostra, vt Deus nos possideat; nos possessio Dei simus, ipse possessor. Tum illud aduertere nos iubet: *Attendè quo ardore vouerit, quo amore, quò desiderio; & tamen ad hoc implendum, dominum deprecatus est: Memento inquit, domine Dauid, &c.* rectè ostendit, gratiam semper à Deo petendam ad desideria bona complenda quantumuis feruida videantur. pertinent hæc ad religiosos maximè, qui dum se vouent Deo, hoc voueant, vt auro, & lapidibus pretiosis virtutum templum se Deo extruant, & Deo se possidendos magno cū ardore, & amore tradant.

Feruor spiritus sine gratia pmanere non potest.

Felicitas seculi vanum somnium est.

4 *Si dedero somnum oculis meis) Multi cum dormiunt, non faciunt locum Deo. nox iniquitas est; tales excitat Apostolus: Surge qui dormis, &c. omnes istæ felicitates seculi, somnia sunt. Dormierunt, inquit, somnū suum; & alibi; Somnium surgentium domine, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* Sequitur, *& palpebris meis dormitationem. Sunt qui non dormiunt, sed dormitant: aliquantulum retrahunt se ab amore temporalium, & rursum reuoluuntur in eum. euigila, dormitando casurus es* addit: *requiem temporibus meis. grauari tempora incipiunt, imminet somnus; cum cœperit te aliquid temporale delectare, iam grauantur tibi tempora: vis euigilare? noli te tradere delectationi; confricans frontem excutis somnum, & paras locum domino.* Vide quid sit mundana felicitas: somnium quod statim euanescit, & decipit imagine falsa. hinc ait Ecclesiast. *Cor tuum phantasias patitur, & multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* pulchre autem dictum, quid impediat ædificium Dei, somnus, domitatio, grauedo: nota tres gradus, adeò non nisi excitatos esse oportet, & vigiles, qui magna moliuntur, quales in primis religiosi sunt. & rectè ait dormitantes. i. tepidi faciles sunt ad casū.

Somnus & dormitatio seu tepiditas quam noxia.

5 *Adorabimus locum, vbi steterunt pedes eius.) Tunc stabunt pedes, si perseueraueris in Christo. Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ ibi ceciderunt, nec potuerunt stare. vnde Ioannes ille gaudens aiebat: Amicus autem sponsi stat, & audit, & gaudet gaudio propter vocem sponsi. meritò stat quia propter vocem sponsi gaudet: nam si propter vocem suam gauderet, caderet.* egregiè ostēdit superbiæ præcipitium, & humilitatis stabilimentum. & acutè adnotat, cur de se Ioannes dicat, *Amicus sponsi stat*, ob humilitatem scilicet: quippe qui cum de se dixerit, *ego vox clamantis, &c.* tamen dicitur non gauisus propter suam vocem, sed, *propter vocem sponsi*, idest propter Christum, qui est Verbum Patris.

Superbia præcipitat: humilitas stabilit.

6 *Tu, & arca sanctificationis eius.) Corpus domini nostri Iesu Christi, quod ex Maria natum est, intellectum est à quibusdam arca sanctificationis* Notabilis interpretatio. vide igitur vbi sit collocanda hæc arca sanctificationis, in sanctuario inter alas Cherubim. cogita cum dominicū corpus in eucharistia accipis, an ita colloces. reputa quod Dauid ipse non est ausus in domum suam inferre: visa enim Ozæ indignè tangentis vindicta, *extimuit dicens; quomodo ingredietur ad me arca domini?*

Corpus Christi arca sanctificationis.

7 *Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ.) Dictum est alibi de pauperibus prorsus eodem modo: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt, &c. quare, quando diuites dicti sunt adorasse, satiati nō sunt; quando autem pauperes dicti sunt, saturati sunt? & vnde saturitas? hæc saturitas, qualis est Deus, ipse est panis. panis, vt lac nobis fieret, descendit in terras; ego sū, inquit, panis vitæ, &c. estote ergo pauperes; non sit auxilium vestrum nisi in Christo.* acutè ad notat, cur, cum iisdem ferè verbis in duobus locis fiat mentio de vescentibus dominico cibo, solū in vno loco dicantur saturati? qa nimirū ibi pauperes vesci dicuntur. quis sit autē verè pauper, sic docet: *Pauper Dei est in animo, non in sacculo: procedit aliquando homo habens plenā domū, vberes terras, multa prædia, multū auri, et argēti; nouit quia in his nō est præsumendū; humiliat se Deo, fecit inde bene; nouit quia diuitiæ impediūt pedes eius, nisi Deus regat; hūc numera inter pauperes, qui saturātur panibus inueni alliū mē dicū quærentē vnde impleatur; non attendit Deus facultatē, sed cupiditatē: ideò dicit Apostolus; præcipe diuitibus non superbè sapere.* Vides non diuitias dānari, sed luxu superbiam. potest esse diues in seculo qui sit pauper, si opes despicit, si nullo affectu in ista feratur: hic aptus ad epulū domini, quia pauper cum fame accedit ad cibum.

Ad Eucharistiā sine vllo affectu terrenorum accedē dū

Diuitiarū non possessio, sed affectio dānatur.

Ex Psalmo CXXXII.

1 *Ecce q̄ bonū, et q̄ iucūdū habitare fratres in vnū, &c.) Ita sonus iste dulcis est, vt et q psalteriū nesciūt, ipsū versū cātēt: tā dulcis est charitas.* Nota vt hic versus de charitate soleret ab omnibus cōcini, ēt vulgo, qa incitamentum charitatis erat; & licet ignari ceterorum psalterij versuū essēt, hūc tamē optimè callebāt, & in ore habebāt, ob suauitatē quādā in eo cōtentam. Addit itē pulchre de huius versus harmonia. *Ista verba psalterij, iste dulcis sonus; ista suauis melodia tā in cātatis q̄ in intellectu, ēt monasteria peperit. ad hunc sonū excitati sūt fratres,*

Versus ecce quàm bonū, &c. frequens in ore omnium.

Charitatis mira dulcedo & harmonia.

qui

qui habitare in vnum concupiere. iste versus fuit tuba ipsorum; sonuit per Orbem terrarum; & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum: clamor Dei, clamor Spiritus sancti non audiebatur in Iudaa; & auditus est in Orbe terrarum. aduersus hunc sonum surduerant illi, inter quos cantabatur; & apertis auribus inuenti sunt, quibus non est nunciatus. elegantius dici non potest. huic versui tribuit, & acceptum refert quod in Orbe terrarum præclarissimum est, tot religionum fundationes, societates, conuentus. ad huius carminis tubam tot cohortes, & legiones velut ad signa conuolarunt, &c. Vide ergo quāti faciēda sit charitas à religiosis maximè. huc refert quæ sequuntur.

Monachi nomen, à charitate ortum.

2 *Habitare fratres in vnum.) Iuxta illud: Erat cor vnum, & anima vna. ex huius psalmi voce appellati sunt Monachi: μόνος enim græcè vnus dicitur.* subiungit, *dicere ludificando consueuerant hæretici: quid sibi vult nomen Monachorum? quantò melius, dicimus nos; quid sibi vult nomē Circellionum? aut potius Circumcellionum? quia circum cellas vagantur: solent enim ire hàc, atque illàc, nusquam habentes sedes, & facere quæ nostis.* Egregiè adnotat Monachi nomen in charitatis vnitate fundatū. & vide vt hæretici religiosos maximè semper oderint. porrò vt eorum calumniam frangat, sic distinguit. *Tam sunt monachi falsi, quàm & clerici falsi, & fideles falsi: de tribus istis generibus dictum est; Duo in agro, vnus assumetur, alter relinquetur: duo in lecto, &c. duo in molendino, &c. In agro sunt, qui gubernant Ecclesiam. vnde dicit Apostolus: ego plantaui, Apollo rigauit. In lecto eos intelligimus, qui amauerunt quietem, non se miscent turbis, non tumultui generis humani, in otio seruientes Deo; & inde tamen vnus assumetur, alter relinquetur; ne expauescatis, quando, & ibi inueniuntur & reprobi; duæ item in molendino: ex nomine generis fœminini appellātur; plebes enim intelligi voluit. quare in molendino? quia in isto Mundo versantur, vbi molendinum intelligitur: quia sic versatur Mundus iste, quomodo mola: uæ .n. ijs, quos conterit. ex ijs vnus aßumetur, alter relinquetur; quasdam enim actiones Mundi faciunt dilectores Mundi; alij ita vtuntur hoc Mundo quasi non vtantur.* possunt namq; & diuites saluari; nā cū discipuli audissent, difficile esse diuiti intrare in regnū cœlorū, vt camelo in acū, contristatis ait, nō esse id impossibile apud Deū. habes de omni statu, & dānari, & saluari posse. est autē locus hic notabilis pro Religiosis præsertim, qui Monachi appellantur à conuersatione seiūcti. Tū pergit in eodem. Apud Ezechielē itē tres personę nominantur, quæ tres hos status significāt. *Cū miserit dominus gladiū in terrā, & si fuerint medio eorū Noe, Daniel, & Iob, non liberabo filios suos, sed ipsi salui erunt. Noe significat rectores Ecclesiæ, quia ipse arcam in diluuio gubernauit. Daniel autē vitā quietā elegit in cœlibatu seruiens Deo, idest vxorem non quærens. erat vir sanctus in desiderijs cœlestibus vitā gerens, tētatus in multis, & inuentus aurū obrizū. quā quietus erat, qui & inter leones generosus erat? ergo in nomine Danielis, qui vir desideriorū est appellatus, vtiq; castorū, atq; sanctorū, significantur serui Dei; in nomine Iob significatur vna illa de molendino, quæ assumetur. habebat .n. vxorē, filios, diuitias multas; cū diabolus hoc ei obijceret, quòd propterea coleret dominū, amissis omnibus ait, dominus dedit, &c.* Pulchrè per Danielē religiosos intelligit, qui generosiores ipsis leonibus esse debent, & viri desideriorū cœlestiū, & ceteris eius virtutibus, in primis castimonia insignes. sed illud horrendè dictū, non omnes, qui sunt de hoc statu, saluādos: si quod vouerint, minimè præstent.

Hæreticis religiosi maximè infensi.

Prælati in agro religiosi in cubili seculares in molendino significati.

Seculares per Iob significari.

Religiosi per Danielē significati.

3 *Habitare fratres in vnū.* Pergit hæreticos perstringere, qui Monachi nomē impugnabant. *Quid dicunt illi, qui de nomine Monachorū insultant? fortassè dicturi sūt: Nostri nō vocantur Circūcelliones, vos illos cōtumelioso nomine appellatis; nā eos ita nō vocamus: dicant, quid eos vocent? & audietis: Agonisticos eos vocant. fatemur & nos honesto nomine, si res conueniret. dicunt nobis; Ostendite vbi scriptū sit. nomen Monachorū? ostendāt ipsi, vbi scriptū sit nomē Agonisticorū? sic eos appellamus, inquiunt, propter Agonē; certant enim illi, & Apostolus ait: Bonū certamen certaui; quasi milites Christi essent, & nō milites diaboli, à quibus plus timentur Dei laudes quā fremitus leonis; hi .n. insultare nobis student, quia fratres cū homines inuicē vident, dicunt: Deo gratias; an nō esset locus gratulationis, quādo se inuicē vident, qui habitant in Christo? & tamē vos Deo gratias nostrū ridetis. Deo laudes vestrū plorant homines.* Vide fraudē hæreticorū, qui se Agonisticos vocabant, quasi exercitos in agone virtutis ꝙ nomen potius Dei seruis cōpetit; & sicut hi milites Christi sūt, ita heretici diaboli. Monachi autē nomen deridebant, & salutationi religiosorū, *Deo gratias*, opponebant, Deo laudes; sed simulatio illa erat. Vide autē quātū bonū sit religio, vt quoties Dei serui inuicē se vident, Deo sint agendę gratię. Tū sic aduersarios arguit. *Meritò illis displicet nomen Monachorum, qui nolunt habitare in vnum cum fratribus, sequentes Donatum, &c.* acutè arguit: quid mirum quod odorint nomen Monachi, ꝙ ab vnitate ductū est, cum ipsi ab Ecclesiæ vnitate discedant.

Hereticis Monachi nomen infensum.

Heretici salutationem, Deo gratias, oderāt.

4 *Sicut vnguētū in capite.) A capite venit vnguentū. caput nostrū Christus est: ascēdit in cœlū, & venit Spiritus sāctus: à capite primò in barbā significat strenuos, impigros ala-*

In Apostolis maxime fragrantia spiritus.

& acutè miratur quomodo dicatur ros Hermon descendere in Sion, si hi montes longè inter se distant: sed spiritaliter intelligendum ait ex interpretatione nominū, ex Christi passione, & ascensione manare quicquid in nobis est boni, præcipuè fraternam vnionem, licet loco distantiū. religionē igitur quasi conchā margaritis plenā dicemus, hoc cœlesti rore accepto, vbi tāta cōcordia; & vbi per sāctas inspirationes, & illustrationes clarius affulget illud siue in cruce, siue in cœlo, *lumen exaltatū.*

Religiosi inquieti taxantur.

9 *Quid descendit in barbam Aarō.)* *Barba non intelligitur nisi in perfectis; non ergo habitatur vt in vnum, nisi in quibus perfecta fuerit charitas; nam in quibus non est, hi odiosi sunt, molesti, turbant ceteros; & sicut in iunctura iumentum inquietum non solùm non trahit, sed pungit calcibus quod iunctum est.* Notabilis locus contra inquietos Religiosos; & quasi calcitrones. nec mirum est hoc in iuuenibus maximè vitium inesse, quibus barba, hoc est senilis grauitas abest. ad hoc pulcherrimè facit locus Ecclesiastici, quem explicat: *Murmurantes aptè scripti sunt; præcordia fatui sicut rota carri; fœnum portat, & murmurat; non enim potest rota carri quiescere à murmure: sic sunt multi fratres.* Vide quàm vile genus religiosorū sit, quod murmurat de religiosè disciplinę austeritate, de prælati seueritate; &c. est vt rota carri, onusti fœno, ob leuitatem scilicet animi, & facilem iræ accensionem, aiunt tamen, leonem ab eo stridore, ac murmure carri fœno onusti adeò abhorrere, vt fugiat: eodem modo moneo, fugias murmuratores, generosus vt leo.

Religiosi murmuratores vt rota carri onusti fœno.

Eccl. 33.

Ex Psalmo CXXXIII.

Charitas dilatatio cordis est

1 QVi *statis in atrijs domus domini.)* *Atria spatia domus ampliora sūt; qui stat in atrio, non angustatur. Ita in charitate, & stas in atrijs. in charitate latitudo est, in odio angustia. ideò dicitur charitas diffusa in cordibus nostris.* est hoc contra eos, qui potius putant se angustari, nisi odium profundant: immò charitas cor dilatat, & laxat, ideoque diffundi dicitur. & qui eam habent, in atrijs versari dicuntur, qui locus in domo laxior est, et amplior.

Ioannes Bapt. Lucifero oppositus.

2 *Qui statis in domo domini.) id est perseueratis; quia dictum est de quodam, qui Archangelus fuit: in veritate non stetit; contra de amico sponsi.* Videtur opponere Ioannem Lucifero, de quo dicitur: *Quomodo cecidisti Lucifer? &c.* at de Ioanne contra, *amicus sponsi stat.* nempe Lucifer quasi sponsalia, et coniunctionem naturæ diuinæ cum humana non approbauit, inimicus incarnationi Verbi; at Ioānes amicus, ac pronubus. rectè autem perseuerantiam in bono intelligit per illud verbum, *statis.* quod ad religiosos maximè pertinet: subiungit enim *in domo domini.* Luciferi igitur casum imitatur apostata.

3 *In noctibus extollite manus vestras & benedicite dominum.)* hoc est etiam in aduersis. *Ægrotabat filius fortè, quæsisti Mathematicum, sortilegum; si non de lingua, certè de moribus exijt maledictio. noli gloriari, quia lingua benedicis, si vita maledicis. quomodo, inquis, vita maledico? quia attenditur vita tua, & dicitur: ecce quales sunt Christiani; blasphematur pro te Christus. quando benedixit Iob? quando tristis nox erat, ablatis filijs, & bonis omnibus: quàm tristis nox? sed videamus, si non benedixit in noctibus: dominus, inquit, dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictum. quàm nox atrox? percussus vlcere, totus putrefactus liquescebat in se; si bona, inquit, suscepimus, &c.* Notabilis locus, quàm perniciosum sit alijs scandalum dare. pulchrè autem Iobo applicat illud, quod benedixit in nocte Deum: addo; ideò meruit, vt ex restitutis filiabus vnam vocarit Diem. Tum sic eleganter cum Adam eum comparat. *Adam putris repulit Euam, quasi dicens; sufficit quod per te mortalis effectus sū. valueras in paradiso, sed vinceris in stercore: magna gratia Dei, sed vnde hoc? nisi quia ros Hermon compluerat illam animā.* pulchrè de Iobo. rore gratiæ perfūdebatur eius anima, cum de corpore aiebat: *cutis mea aruit,* ob morbi scilicet æstum, sed eo rore perfusus euasit in margaritum candidissimum & pulcherrimum; sic enim Iobū vocat Origenes. est autem elegans antithesis: Adam in paradiso victus, Iob in sterquilinio victor: neque enim locus securum facit, sed gratia.

Frustra lingua bene dicit Deum, si vita maledicit.

Iob in sterquilinio Adamo in paradiso p̄latus.

4 *Laudate dominum, quoniam bonus.)* *Accipite me, & laudantem, & non sufficiētem. approbet me ipse voluisse, & ignoscat non impleuisse. ineffabili dulcedine teneor, cum audio: bonus dominus; consideratisque omnibus, quæ foris sunt, video ab illo esse omnia; etiam cum placent, ad illum redeo, à quo sunt, vt intelligam, quoniam bonus dominus.* affectu plena sunt ista; quod autem addit, eximiam habet doctrinā. Cū, inquit, ait Christus. *Nemo bonus nisi solus Deus, ostendit distinguendum, quid sit bonū; et alio bono bonum & bonum se ipso bonum. quis corde concipiat, & complectatur, quàm bonus? sed certè in operibus artificem laudamus; omnia bona ipse fecit; ipse est bonum, quod nemo fecit; à seipso bonus est, non adhærendo alteri bono; Mihi autem adhærere Deo bonū est. nō eguit ipse, à quo fieret bonus, sed eguerunt illo cetera, vt fierēt bona.* Nota distinctionē boni, bonū se ipso, & bonū ab ipso. nos vt boni simus, adhęrere sūmo bono, & ex se bono, & nulli inhærenti debemus.

Dei bonitas ineffabilis & plena dulcedine.

Beneficiũ vocationis ad religionem quam eximium sit.

5 *Benedicite Dominum qui statis in domo domini.) Paruum nè hoc beneficiũ quod stemus in domo domini? nonnè cogitandum quid hìc stamus? quid hìc facti fuerimus? vbi iacebamus? quò collecti simus? nonnè cogitãdũ est, quia ipse non quærentes quæsiuit, inuentos excitauit, excitatos vocauit, vocatos introduxit, in domo sua stare fecit? hæc qui cogitat; & ingratus non est, omninò despicit se præ amore domini sui, à quo sibi tanta sũt præstita, & quia non habet quid pro tantis beneficijs retribuat, calicem domini accipit, et nomen eius inuocat.* Notabilis, & egregius locus ad religiosos maximè pertinens de beneficio vocationis, quo ad amorem Dei, & humilitatem accendimur. præsertim ad nostram Societatem facit, quæ vocatur eius nomine. certè responderi nõ potest aliter, quàm bibendo passionis calicẽ, & offerendo se promptum ad moriendum pro ipsius nomine: nam in hebræo est, calicem Iesu accipiam, & nomen domini inuocabo. pende igitur singula. *Paruum ne hoc beneficium, quod stemus in domo domini? nonnè cogitandum vbi iacebamus? &c.*

Ex psalmo CXXXIV.

Eucharistiæ beneficiũ quã præstans sit.

1 Q*Voniam bonus dominus; psallite nomini eius, quoniam suauis est.) fortè esset bonus, & suauis non esset, si tibi non daret posse gustare. talem autem se præbuit hominibus, vt etiam panem de cœlo miserit, & filium suum æqualem, hominem faciendum, & occidendum dederit, vt per hoc quod tu es, gustes quod non es. quid suauius pane Angelorum? panem Angelorum manducauit homo: non enim aliunde viuit homo, & aliunde viuit Angelus. ipsa est verax sapientia, virtus Dei; sed quomodo ea perfruitur Angelus, tu nondum potes. quomodo illi perfruuntur? sicut est. In principio erat Verbum, &c. tu autem quomodo contingis? quia Verbum caro factum. vt autem panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus est homo.* mira dignatio: magnam vim habent illa verba, *Non aliũde viuit Angelus, quàm homo.* conuiuæ sumus eiusdem mensæ, vtinam palato simili. Tum pergit ad declarandum hoc bonum,

Deus contemperãs se nostræ capacitati.

Tendebatis vos fortasse videre bonum omnium bonorum, bonum quod sine ceteris bonum est; & fortè in extendenda acie mentis vestra deficiebatis; sed gratias illi, qui temperauit lucem suam; nam cum Mosi dixisset: ego sum qui sum; quia ipsum propriè esse menti hominis difficile erat capere; & hoc de se dixit, quod capi dulciter posset: Deus Abraham, Deus Iacob, &c. si deficis in eo, quod mihi sum, cape quod tibi sum. In primis extremum hoc pulchrè dictum: nõ capimus quod Deus in se est, at capiamus quod nobis est. nempe si minus vt immensum, certè vt beneficum. huc pertinet quod subiungit. *Cum dixit: ego sum qui sum, non addidit: hoc mihi nomen in æternum, quia intelligebatur in æternum. est enim verè est, & eo ipso quod verè est, & sine initio & sine termino est. quod verò propter hominem est: Ego sum Deus Abraham, Deus Iacob, &c. ne sollicitus esses, quasi hoc temporale esset, non autem sempiternum: securos nos fecit, quia de temporali ad æternam vitam perducit: ego sum Deus Abraham, &c. & hoc nomen mihi in sempiternum.* acutè ostendit, cur Deus æternum se addiderit solùm post patriarchas nominatos, ne quia mortui erant, spes immortalitatis eriperetur.

2 *Iacob elegit sibi.) Ceteras gentes sub Angelis posuit. gentem suam fecit agrum, quem ipse coleret, merito illius, an gratia suæ de nondum natis ait: Maior seruiet minori.* Cum nullum scilicet adhuc haberent meritum. Nota peculiarem Dei protectionem erga suos. tum cogita innumeras penè nationes Diabolo sponte subiectas, tamen non omninò destitutas à Deo, cum & Angelos ijs præfecerit. non igitur desinamus operam nostram præbere peccantibus, licet paruus, aut nullus videatur percipi fructus.

Quam molesta sit pugna spiritus, & carnis.

3 *Omnia quæcumque voluit fecit.)* Tù non potes quicquid vis in agro tuo, in domo tua; multa obstant; immò nec in te ipso. *Putas in te ipso facis quod vis? frænas omnes cupiditates tuas? fortassè frænas. nunquid facis, vt ipsæ cupiditates non surgant? certè enim hoc vis, non titillari molestia cupiditatum; Deus autem quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra: ipse dat tibi gratiam, vt facias in te quid vis.* hinc illud. *caro concupiscit aduersus spiritum. & quis me liberabit? &c. gratia Dei per Iesum Christum.* egregiè autem ostenditur singulare beneficium B. Aloysio nostro collatum, vt titillationes carnis non sentiret; adeò eam domitam, & frænatam habebat. quanta hic quiete, & tranquillitate fruebatur? cui concessum, *non titillari molestia cupiditatum.*

B. Aloysii castitas miranda.

Prædicatores nubes sunt, & venti.

4 *Suscitans nubes ab extremo terræ.)* Apostolos in omnem terrã missos ab Hierusalem intelligit. possumus & ad alios Apostolicos viros referre. Sequitur. *Fulgura in pluuiam fecit; Cum pænitendo corrigeris, & agnoscis coruscationem, quæ te territat, fieri misericordia Dei, tunc in pluuiam vertitur fulguris terror.* Vide quid agere debeant prædicatores; non blandiri orando, sed terrere minando, non tamen sine spe veniæ. subiungit: *Qui producit ventos de thesauris suis. eosdem prædicatores nubes appellat propter carnem, ventos propter spiritum, qui non videtur.* Ad hos igitur

igitur pertinet illud: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* diuersas scilicet vrbes, ac regiones percurrendo, è terra sublimes,& eleuati. ijdem venti sunt, vt rectè adnotat, propter spiritum, spiritalem scilicet in concionando modum.

5 *Iudicabit Dominus plebem suam.)* *Hoc est quod ait Esaias: Dimisit Dominus plebem suam Israel; & nunc iam certè occidisti Christum domus Iacob; de cruce pendentem irrisisti; iam rogauit medicus pro phreneticis: Pater ignosce illis. crede nunc in eum, quem occidisti; bibe sanguinem, quem fudisti.* Nota vim verborum vltimorum in primis. sanguis igitur Christi pharmacum est contra phreneticos: sic appellat Iudæos insanientes, quanquam & omnis peccator insanit. est autem elegans paranesis.

Sanguis Christi pharmacum est contra phreneticos.

6 *Et in seruis suis aduocabitur.) A quibus? à gentibus: quantæ enim gentes credendo venerunt? quanta loca deserta modò veniunt, credere volunt? dicimus eis, quid vultis? nosse gloriam Dei. impletur Scriptura Prophetæ: Et erunt omnes docibiles Dei.* pulcher locus de conuersione gentium, quæ fit per varios Ordines, in quibus noster est certè satis idoneus, vtpote institutus ab Ignatio, qui maiorem Dei gloriam quærebat; quam gloriam gentiles se nosse velle aiunt. *Dicimus eis: Quid vultis? Nosse gloriam Dei.* Tùm de victa idololatria pulchrè interpretatur Sophoniæ locum: *Præualuit Dominus aduersus eos, ait Sophonias. in Ecclesia scilicet sua præualuit. volebant persecutores paucos Christianos extinguere, sanguinem fuderunt, de sanguine occisorum tanti exsurrexerunt, à quibus illi interfectores Martyrum superarentur; tamen & nunc quærunt vbi abscondant idola sua, qui prius Christianos propter idola trucidabant. præualuit, exterminauit omnes Deos gentium terræ, & adorabunt omnes insulæ gentium: quotidiè credunt per miracula Christi, &c. quibus omnibus iam dicatur: Domus Israel benedicite Domino.* Vides hoc maximè tempore prophetiam completam in extremis finibus Mundi, vbi Martyrum sanguine religio creuit,& nunc etiam *Abscondunt idola sua.* metuentes scilicet pueros ipsos recens baptizatos, ne ea frangant, ideòq; in abditissimis locis, ac rupibus occultant; sed ea loca nos quasi spiculis scrutati inuenimus, & eripimus prædam. lege Iaponicam historiam in primis,& Peruanam.

Conuersio infidelium ad Dei gloriam spectat.

Gentiles abscondunt idola, ne confringātur à Christianis.

Ex Psalmo CXXXV.

1 *QVI fecit cælos in intellectu.)* *Spiritales scilicet, Sanctos suos, quibus non tantùm credere, sed etiam intelligere diuina donauit.* refer hoc etiam ad cæteros Doctores sanctos, præsertim ad sanctum Thomam Aquinatem, cuius quasi cœli tot stellæ, quot virtutes, quot articuli.

Ecclesiæ Doctores cœli in intellectu sunt.

2 *Percussit Reges magnos, & occidit Reges fortes.) Prostrauit in nobis diabolicas Potestates.* Vide cum quibus nobis certandum. Alexander quidem stimulatus, vt ad Olympicum certamen descenderet: facerem, inquit, si mihi cum Regibus certandum esset. quantos igitur spiritus concipere nos debemus? quàm generosè pugnādum? audi cum quibus: *Reges magnos, Reges fortes* appellat, quos Paulus *Principes, & Potestates, & Mundi rectores.*

Quā graue sit bellum contra dæmones.

3 *Seon Regem Amorrhæorum.) Seon significat germen inutile, vel tentationem calentem: Amorrhæorum, idest amaricantium.)* rectè indicat luxuriam, quæ per tentationē calentem intelligi potest, imperare amaricantibus: nam quæ putatur dulcedo, amarities est; quare veteres Adonidem voluptatis typum à Myrrha genitum dixere; & meretrix illa inuitans procos ait: *Aspersi aloe, & myrrha cubile meum.* ipsamet fatetur quantum amari in voluptate insit;& tamen tanta est hominum insania, vt tot amatores habeat.

Voluptas quam sit amara.

Prou. 7.

4 *Og Regem Basan.) Og significat coaceruantem, Basan confusionem. quid coaceruat diabolus, nisi confusionem?* addo proprium diaboli, non vno peccato esse contentum, sed coaceruare peccata peccatis in nobis; ideò dictum puto Leuiathan, idest additamentum; quod item significāt squamæ illæ inter se nexæ, quibus corpus eius compactum dicitur. peccatum porrò quid est, nisi confusio? ita dicit Propheta: *Erubescetis super hortos, quos elegeratis.* & Paulus: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*

Aceruus peccatorū in regno diaboli.

Quanta sit peccatoru confusio.

Rom. 6.

Ex psalmo CXXXVI.

1 *SVper flumina Babylonis, illic sedimus.) Sedimus, ob humilitatem. Attende quia fluuius iste Babylonis fluit, & labitur. caue, quia trahit deorsum lucra tua. quando stabunt? quantò eris ditior, tantò timidior: vno naufragio nudus exibis. O sancta Sion! vbi totum stat, & nihil fluit, quis nos in ista præcipitauit? quare dimisimus societatē tuā? ecce inter flumina labentia constituti, vix quisque raptus à flumine, si tenere lignum potuerit, euadet. humiliati ergo in captiuitate nostra non audeamus nos in illis fluminibus præcipitare, sed sedeamus, & fleamus. sedeamus super flumina, non sub flumine: talis sit humilitas nostra, vt nos non mergat. In Hierusalem ibi stabis, vt Psalmistes ait: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem; ibi erigeris.* elegans affectus suspirantis animi ad cœlestem patriam, vbi stabilis æternitas nos fouebit: *O sancta Sion, vbi totum stat,*

Temporalia labuntur, solà stat æternitas.

Humilitas cum erectione animi.

uissimum melos esse loqui de fuga seculi, & Christo sequendo, sed mundanis absurdum videri.

7 *Adhæreat lingua mea, &c.) Vt quid enim loquitur? vt quid sonat qui cantica Sion non sonat? ipsa est lingua nostra canticum Sion; canticum verò delectationis huius seculi lingua aliena, lingua barbara est, quam in captiuitate didicimus. ergo mutus erit Deo, qui oblitus fuerit Hierusalem. parum est meminisse, si non præposuero, inquit.* egregiè dictum de sermone rerum spiritualium, propter hoc est lingua nostra nobis data: de alijs rebus loqui, barbarè loqui est, linguam plectri loco natura dedit, vt idem ait Augustinus: *Vt quid sonat, qui cantica Sion non sonat?* absurdum, & absonum est aliud, quā cœlestia loqui. sermo de terrenis rebus, exilij, & captiuitatis est idioma, non patriæ.

Barbara lingua est quæ de terrenis potius loquitur, quā de diuinis.

8 *Euacuate, euacuate vsque ad fundamentum in ea.) Quantas persecutiones passa est Ecclesia? quomodo dicebant filij Edom, idest carnales homines: Extinguite Christianos, nec vnus remaneat; euertite vsq. ad fundamentum. nonnè dicta sunt ista? sed interim persequentes improbati sunt, Martyres coronati sunt.* Vides Ecclesiæ ædificium inexpugnabile supra fundamentum, idest Christum. rectè autem adnotat, per persecutiones non imminui Christianos, sed augeri coronas, & multiplicari trophæa.

Edicta de delendo Christianismo inania.

9 *Beatus, qui tenebit, & elidet infantes suos ad petram.) Paruuli Babylonis sunt nascentes cupiditates.* antequam igitur adolescant, & robur accipiant, extinguēdæ; alioquin cum creuerint, captiuam faciunt animam. simile est illud: *Antequam producant spinæ vestræ rhamnum, &c.* Tùm pulchrè sic addit: *Adhuc paruulos inuenit nos confusio seculi huius. nascitur infans futurus ciuitatis Hierusalem, & in prædestinatione Dei iam ciuis, sed interim captiuatus ad tempus discit amare quod insusurrant parentes; instruunt, & docent illum auaritiam, mendacia, &c. quid facturus est infans, adhuc anima tenera? attendant ad maiores? quid agant, nisi vt quod viderint eos agere, hoc sequantur?* Est hoc aduersus parentes, qui malè instituunt etiā suo exemplo filios, hoc est futuros ciues cœli, moribus Babylonicis. ad Sanctorum in primis natalem eleganter hoc pertinet: *Nascitur infans futurus ciuitatis Hierusalem, & in prædestinatione Dei iam ciuis.*

Suggestio mala statim extinguenda.

Malum parentum exemplū quàm noxium.

Ab infantia liberi instituendi ad pietatem.

Ex Psalmo CXXXVII.

1 C*Onfitebor tibi Domine in toto corde meo.) Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat; nihil in me relinquatur mihi, sed totus in te æstuem, totus in te ardeam, totus diligam te tanquam inflammatus abs te. totum cor meum in aram tuæ confessionis impono.* hoc enim est græcè holocaustū, totum ardens. pulcherrima ad Deum dilectione oratio, sæpius ab amante iteranda. cor offeratur in victimam concremandam charitatis igni. ara est ipsa diuinæ bonitatis confessio affectu plena, & desiderium feruens.

Pulchrū votum de Dei dilectione.

Cordis oblatio velut holocausti concremandæ.

2 *In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo ad templum sanctum tuum.) Congregatio Angelorum, templum Dei Ecclesia. Ecclesia deorsum in fidelibus, Ecclesia sursum in Angelis; sed descendit in Ecclesiam deorsum Dominus Angelorum, & Angeli ministrauerunt ministranti nobis. quid nobis ministrauit? nisi quod hodieq; manducamus, & bibimus. cum ergo nobis Dominus Angelorum ministrarit, speremus & nos futuros æquales Angelis Dei.* præclarè de spe, quam concipimus ex Eucharistia de æqualitate nostra cum Angelis: cæterùm quantò hoc maius? quod Dominus Angelorum cibum se ipsum nobis ministret, quàm quod Angeli cibum illi ministrauerint in deserto.

Per Eucharistiā spem concipimus fore æquales Angelis.

3 *Adorabo ad templum sanctum tuum.) Currimus, vt adoremus; gaudium cor nostrum parturit, & vbi pariat, quærit. quis est locus, vbi adorandus est? quæ sedes? in cælo, & inter stellas? Volauit, inquit psalmus, super pennas ventorum, idest super virtutes animarum. non est cur quæramus pennas visibiles, vt cum auibus volemus ad templum Dei, sed super nos ipsos inuenimus Deum sedere: Templum Dei sanctum estis vos, ait Apostolus.* Quod ait nos esse templum Dei in quo ipse adorandus; certè pater Origenis, cum hic adhuc adolescens ad martyrium anhelaret, ad eius dormientis pectus tanquam ad sacrarium quoddam orabat. Nota etiam pulchrè dictum: *Cor, dum gaudium parturit, vbi pariat, quærere.* nempe nec in cælo nec inter stellas locum, seu nidum, sed in nobis ipsis est inuenire: hic inter spiritualia cordis gaudia adorari vult Deus.

Deus in nobis ipsis velut in tēplo adorādus.

4 *Super iram inimicorum extendes manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.) Est quædam salus in dextera tua, & est altera salus in sinistra, ibi æterna, hic temporalis. Machabæi quanta tormenta passi sunt? tres autem pueri in medijs ignibus illæsi fuerunt. illorum salus in dextera, istorum in sinistra. aliquando Deus non saluat in sinistra Sanctos suos, sed supersaluat eos in dextera; dextera Dei est æterna felicitas.* Notabile est quod innuit. videtur quodammodo maius fuisse priuilegium Machabæorum, qui mortui sunt inter tormenta, quàm trium puerorum, qui miraculosè ignem euaserunt. nam illis Deus dexteram admouit æternæ vitæ, his sinistram temporalis; quippè citius illos coronauit: adeò excellit mori pro Domino, adeòq. temporali felicitati præcellit æterna.

Machabæi in tormentis mortui felicius, quā tres pueri saluati.

Su-

5 *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et saluum me fecit dextera tua.*) *Quanta ira inimicorum sæuiebat, quando sanguis Martyrum fundebatur? ecce illi ipsi, qui Martyres persequebantur, memorias Martyrum inquirunt, aut vbi adorent, aut vbi se inebrient, quærunt tamen.* Nota hostes ipsos Christianorum in veneratione habuisse sepulchra Martyrum, quod scilicet cernerent apud ipsa dæmones rugire cum gemitu, & alia mira fieri. Tùm eos arguit, qui tantùm felicitatem terrenam ad memoriam Martyrum petunt, quam illi potiùs contempserunt; cum æterna potiùs ab ijs vita poscenda, & spiritalia bona sint.

Persecutores ipsi Martyrũ sepulchra venerabãtur.

A Sãctis æterna bona petenda.

6 *Domine retribues pro me.*) *Vide illum retribuentem pro nobis. venerunt qui tributum exigerent; ait Dominus Petro: Mitte hamum, & inuenies Stateram, idest duas dracmas inuenies ibi, da illis pro me, & pro te: Domine retribues pro me.* meritò habemus primum piscem hamo captum, *primum surgentem de mari, primogenitum à mortuis; in ore eius inuenimus quatuor dracmas, quatuor Euangelia; his ab exactore huius seculi liberamur; sic peccata nostra soluuntur: retribuit ergo pro nobis: gratias misericordiæ eius.* pulchrè interpretatur. præcepit Christus primum piscem, qui occurreret, accipi; scilicet ipsum Christum primogenitum referebat. est autem nomen, Iesus, si primas literas iungas, idem ac piscis græcè, vt alibi adnotauit; hic piscis accurrit spontè subijciens se hamo passionis, vt exactori fieret satis. dracma Euangelium est, vt argentum resonans, & imaginem continens Imperatoris.

Christus piscis in ore pretium ferens, quo tributum soluimus.

7 *Multiplicabis me in anima mea virtute.*) *Si diceret: Multiplicabis me, terrena nescio q̃ cogitares. addidit: In anima mea, non in carne mea: sed etiam curis, & furijs homines in anima multiplicantur; nam quidam simul & auari, & superbi, & luxuriosi sunt: igitur addidit, virtute.* Nota. sic legit: *Multiplicabis me in anima mea virtute.* acutè adnotat dictũ: *In anima mea.* non in carne, quasi de rebus externis, vt robore, opibus, &c. sed vt de spiritalibus donis intelligendum sit. & addit, *Virtute;* non ingenio, doctrina, ac similibus animi dotibus. rursus cum ait: *Multiplicabis me*, ostendit, quod qui multis virtutibus pollet, pro multis iustis est, & agit vnus quod vix plures agerent. vide Paulum quasi multiplicatum in omnium Ecclesiarum cura. vide Xauerium etiam in nouo Orbe Indico virtute multiplicatum; quæ enim virtutes in alijs ferè singillatim sunt, in vno ipso inuenies. quippè vt ait Apostolus: *Alij gratia sanitatum, alij prophetia, alij genere linguarum, &c.*

Multiplicari virtute quàm præclarũ sit.

Ex Psalmo CXXXVIII.

1 *Mirificata est scientia tua ex me, inualuit, non potero ad illam.*) *Ait Deus Moysi: Transibo, & ponam super te manum meam: scilicet vt non videas faciem; cum autem transiero, tunc posteriora mea videbis.* acutè interpretatur: figuram ait fuisse Iudæorum: grauata est manus Domini, vt non crederent, & agnoscerent Christum, dum per passionem transiret ex hoc Mundo ad Patrem; sed post ascensionem, hoc est *Cum transiero*, misso Spiritu sancto conuersi multi sunt videndo miracula, & illustrata mentis acie. vbi vides fructum ascẽsionis Christi in cœlum.

Fructus ascensionis Christi multiplicatio fidelium.

2 *Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c.*) *Tandem cognouisti, male fugitiue, nullo pacto te fieri posse longè à Deo. si me extulero, te inuenero repressorem; si me abscondero, te inuenio inquisitorem. in Inferis ades, vt vindices, &c.* Vides peccatorem reum effugere non posse Deum, vel testem, vel iudicem. rectè *Malè fugitiuum* appellat. fugiebat Ionas remis, velisq. sed expertus est verum illud: *Si habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua, &c.*

Deus effugi non potest vt vbiq; præsens.

3 *Si recipiam pennas meas in directum.*) Sic legit pro, diluculo: *Recipiendæ sunt pennæ meæ non in prauum, sed in directum, vt nec in superbiam erigar præsumens, nec in perditam mergar desperationem. quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis?* rectè adnotat, non simpliciter dictũ: *Recipiam pennas, sed in directum.* habet. n. & superbia pennas, sed vt Icarus, vt mergatur. at verò geminæ charitatis alæ, Dei, & proximi attollunt in cœlum rectà. alij legunt, pennas Auroræ. Aurora igitur charitas est, tota purpurea, tota pulchra, & roscida rore gratiarum. Addo: *Pennas assumere in directum*, referri posse ad rectam intentionem, quod item pertinet ad charitatem, vt ad Dei amorem tendat: accipitris proprium esse aiunt recto volatu ferri, ideò puto apud Iob laudari; *Nunquid per Sapientiam tuam plumescet accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* de feruore Spiritus sancti. huc spectat quod sequitur.

Geminæ alæ charitatis Dei, & proximi in directum tendunt.

4 *Et habitauero in extremis maris.*) *Quid est extremum maris, nisi finis seculi? illuc iam volemus spe, & desiderio, habentes alas geminæ charitatis. non sit nobis requies, nisi in extremis maris, alioquin in mare præcipitabimur. volemus quousq. finiatur mare; suspendamus nos pennis geminæ dilectionis. quis autem nos perducet? ille ipse, cuius irati faciem volumus fugere, etenim illuc, inquit, manus tua deducet me.* Vide quid dicat: etiam si alas habeamus, si in medio maris huius seculi esse velimus, cademus, ac præcipitabi-

bimur: ideò vltra mare ad littus confugiendum. huc facit quod subiungit item eleganter, ac pulchrè: *Si recipiam pennas, etc. Recipiamus pennas per charitatem, quas amisimus per cupiditatem; cupiditas enim viscum factum est pennarum nostrarum; elisit nos de libertate aeris nostri, idest aurarum illarum liberarum Spiritus Dei, inde elisi perdidimus pennas; fuimus aliquando captiuati in aucupis potestate; nutrit nobis pennas de præceptis suis, & erigimus iam eas sine visco. non amemus mare, sed volemus in extrema maris: sed nemo de pennis suis præsumat, quia & pennatos nisi ipse erigat, nisi ipse deducat, lassati, & fatigati præcipitabimur in profunda maris.* huc refero illud Ezechielis, qui vidit alatos Cherubim, & tamen ***Erat manus sub pennis eorum.*** & erat ibi ***Visio maris.*** ita hìc dicitur: *Si sumpsero pennas, & habitauero in extremis maris.* & additur: *Etenim manus tua deducet me.* alioquin fabulosus ille, vt aiebam, Icari casus in mare verè timendus. rectè autem dicit, cupiditates terrenas esse viscum pennarum nostrarum ex aucupio diaboli; impediunt enim volatũ ad Deum. Tùm illud nota, Dei præcepta pennas esse, non onus. non aggrauant, sed attollunt. nefas igitur est ea grauate ferre.

Volandũ vltra mare huius seculi, ne mergamur.

Præcepta Dei non onus, sed pennæ sunt.

Præsumẽs de pennis suis sine Dei dextera cadit.

Diabolus auceps visco nos capiens cupiditatum.

5 *Nox illuminatio mea in delicijs meis.) Desperaueram posse transire tantum mare, & tantam viam superare in nocte, & venire in extremum maris perseuerando vsq. in finem: gratias illi, qui fecit mihi illuminatam noctem; accepit Christus carnem, & illuminauit noctem.* Vide quàm egeamus Dei adiutorio. volamus per medium mare huius seculi, & noctu volamus; facile est cum pennis ipsis defatigari errando in tam vasto transitu, ruere, & mergi in fluctibus. per aduentum Christi oborto lumine, scimus quò tendimus quò volatus sit dirigendus.

Christi aduentus quantum attulerit boni.

6 *Nox illuminatio mea.) Perdiderat mulier illa, idest Sapientia Dei dracmam; quid est dracma? nummus est, in quo nummo erat imago ipsius Imperatoris nostri; factus est enim homo ad imaginem Dei, & perierat; accendit lucernam: lucerna de luto est, sed habet lucem, qua inuenitatur dracma. lucerna ergo Sapientiæ caro Christi de luto facta est, sed Verbo suo lucet, & inuenit perditam.* Vide quanta cum sollicitudine quærenda sit animarum salus. dracma paruus est nummus, sed habet imaginem Imperatoris.

Dracma deperdita humanũ genus.

7 *In delicijs meis.) Facta est mihi nox in delicias. delitiæ nostræ Christus; videte nunc quomodo de eo gaudeamus? gaudia ista vestra vnde sunt, nisi in delicijs?* pulchrè hoc referri potest ad natiuitatem Christi, nam de incarnatione intelligit. illuminata nox est, & Sole triplici, & stella Magorum, & Mundi tenebræ discussæ. Christus infans deliciæ nostræ; quos ille infans amores à nobis non extorqueat? vt ait Chrysologus.

Nox in deliciis ob Christum natum delicias nostras.

8 *Nox in delicijs.) Miscet Deus amaritudinem dulcedini vitæ temporalis, ne huius delectatione excæcati non velimus finire mare, & habitare in extremis eius. sæuiant ergo fluctus maris; quantò plus sæuiunt, tantò magis se illa cum pennis columba suspendit.* pulchrè ostendit, ipsas seculi tribulationes concitare nostrum volatum, vt ad tutum littus curramus. Tùm rectè, & eleganter admonet: *Tota ista miseria generis humani, in qua gemit Mundus, dolor medicinalis est, non sententia pœnalis: dulcia ergo nobis sint flagella patris, ne sit amara sententia iudicis.* nota afflictionis bonum. affert exemplum Iob, qui nec prosperitate elatus, nec aduersitate depressus est: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. non me conculcant tenebræ eius, quia non me extollit lumen eius.* aptè igitur postea Iob vnam ex filiabus vocauit Diem, qui antea dixerat: *In tenebris straui lectulum meum.*

Afflictio dolor medicinalis est, non sententia pœnalis.

9 *Nox in delicijs.) Magna planè sacramenta. quomodo nobiscum loquitur Spiritus sanctus? quomodo facit nobis in nocte delicias? quid hoc? inde dulciora, quò obscuriora: conficit nobis potionem ad amorẽ suum quibusdam modis suis miris.* Vides vt Spiritus sanctus alliciat nos ad amorem suum quasi philtro quodam, quo amara in delicias vertit. longè suauior hæc potio, quàm homerica illa Nepentes dicta, quæ obliuionem inducebat omnium malorum.

Spiritus sanctus amara vertit in delicia.

10 *Suscepisti me de vtero matris meæ.) Hoc est Babylonis, quæ nos progenuit in captiuitate. qui est in vtero Babylonis, gaudet prosperitatibus seculi, franguntur aduersitatibus seculi. iam exi de vtero Babylonis, egredere, & nascere; suscipit te Dominus de vtero matris tuæ. ita Apostolus: Qui me segregauit, inquit, de vtero matris meæ, idest Synagogæ.* Referri pulchrè potest ad Religiosos, qui egrediuntur è seculo, cognatione, &c. quasi noua natiuitas ea est: *Egredere & nascere, suscipit te Dominus, &c.* quid gratius, quàm blandientis Dei sinu, & gremio suscipi quasi recens natum infantem?

Egredi à seculo, quasi noua natiuitas est.

11 *Anima mea cognoscet nimis.) Vnde hoc? nisi quia nox illuminatio mea in delicijs meis? quia venit mihi Gratia tua, & illuminauit tenebras mentis.* Vide vt Gratia quasi Sol, vel Aurora noctis tenebras pellat, & planè delicias secum afferat ob suauitatem consolationis spiritalis. hoc quoque ad tyrones Religiosos egredientes de seculo pertinet.

Gratia Sol est animæ.

Consolatio spiritalis egredientium e seculo.

12 *Non est occultatum os meum à te.) Vulgò dicitur ossum, sic enim potiùs loquimur. melius est, vt reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi.* Nota hoc in eo, qui Rhetoricam certe docuerat; nam os ambiguum est, vtrum pro osse, an pro ore sumatur. & quia capacitati auditorum ac-

Non elegantia latinitatis sed vtilitas auditorũ spectanda.

accommodare se vult, non curat tantus Doctor de linguæ latinæ proprietate, sed de vtilitate proximi. Tùm sic locum exponit: *Firmitas in osse intelligitur, & quædam animæ interior vis, qua non frangimur. Non solùm autem, inquit Apostolus, sed & gloriamur in tribulationibus. quid magnum est, si fortis est Angelus? magnum est, si fortis est caro; & vnde fortis est caro vas fictile, nisi quia tu ossum fecisti in abscondito, &c.?* quia foris videtur miser, sed intus fortis est iustus. certè quem adamantem conferes cũ Martyris carne, tot, ac tam immania ferēte supplicia? admirabilior igitur in homine fortitudo animi, cum sic fragilis, quã in Angelo, qui carne non constat.

Admirabilior fortitudo animi in homine, quã in Angelo.

13 *Perfecto odio oderam illos.) Vt hoc in eis oderit, quod iniqui sint; hoc diligat, quod homines sunt.* Vides vt circa eundem cadat & amor, & odium, non tamen circa idem.

Perfectũ odium est in vitium, nõ in personam.

Ex Psalmo CXXXIX.

1 A*Cuerunt linguas sicut serpentis.) Serpens non habet pedes, vt eius vestigia, cum venit, audiantur. in eius itinere velut lenis est tractus, sed non est rectus. habet occultum venenum sub leni contactu.* Nota, cur serpenti comparetur detractor. item cur diabolus primos parentes tentarit serpētis specie: quò lenior tractus, eò sæuities maior, quia cum dolo. non strepit pede, ventre premit terram, ne aduertas; obliquè fertur, vt nescias vbi ferire velit.

Detractor cur serpēti comparetur?

2 *Restes extenderunt.) Quas restes? Christus flagellum de resticulis fecit, vt expelleret de templo, qui ibi malè versabantur, & significauit, quia criniculis peccatorum suorũ quisq. constringitur. & Esaias ait: Væ qui trahitis peccatum sicut restem longam. quare dicitur restis? quia peccator perseuerat addens peccata peccatis, & quod deberet accusando corrigere, defendendo duplicat. fecit adulterium; & ne occidatur, parat homicidium. quærit fortè & maleficium: tria ecce habet; vt torqueatur, restis additur; & non adduntur recta fila, sed torta. prauitas sibi connexa ducitur in longum, vt habeat in finem, vnde illi ligentur manus, & pedes, & mittatur foras, &c.* eleganter ostendit, tortuosè peccatum peccato addi, & peccatorem funium sibi esse quasi textorem, vel vt captiuus vinciatur, vel vt stranguletur. addo, quasi sibi ipse funalia aptat ad rogum.

Peccator contra se restim texit, cũ vnũ peccatum trahit aliud.

3 *Domine, Domine, virtus salutis meæ.) Idest verissime Domine; non quales alij domini, qui emunt sacello, sed qualis Dominus, qui emit sanguine.* Vide quantam vim habeat illa duplicatio frequens in scriptura. Christum verissimum Dominum dicit ob solutum sanguinis pretium. sanguis autem *Fons auri* dicitur in Ecclesiast. sic enim vertitur illud: *Donec recurrat vitta aurea.* quod interpretantur de sanguinis fonte instar auri, quia sanguis res preciosissima. vnde eadem vox hebræa sanguinem, & æstimationem, & pretium significat.

Pretium inæstimabile Christi sãguinis.

4 *Obumbrasti super caput meum in die belli.) Pugno foris contra fictos bonos; pugno intus contra concupiscentias. miles igitur laborans in hoc bello respexit ad gratiam Dei; & qui iam cœperat æstuare, & arescere, tanquam vmbram inuenit, sub qua viueret. hinc Apostolus: Miser, inquit, ego: quis me liberabit? &c. Gratia Dei per Iesum Christum.* pulchrè Gratiam Dei comparari vides, siuè clypeo obumbranti in bello, ne iaculis hostium feriamur; siuè amœnissimæ arbori, quæ dēsitate frondium ab æstu tegat, ac suo defendat vmbraculo: quamobrem de beata Virgine ab æstu concupiscentiæ immuni dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* idest auctor ipse Gratiæ sanctus Spiritus.

In belli æstu gratia nos obumbrat.

5 *Ne tradas me à desiderio meo peccatori.) Tu desiderio tuo locum facis diabolo. proposuit lucrum cum fraude: lucrum esca est, fraus laqueus; frena desiderium, & non cades in laqueum; si autem vicerit te desiderium escæ, capiet te auceps animarum.* Nota quo vocabulo diabolum appellet. heù quã infelix aucupium: & tamen miseri mundani se in laqueos induunt, licet admoneantur. hinc diabolus Nembroto comparatur, qui dicitur *Robustus venator.* sed de iustis rectè dicitur: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.*

Diabolus auceps animarum.

6 *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum capiet eos.) Caput circuitus, idest superbia, vt in gyrum eant erroris, vbi iter est sine fine. talis est labor impiorum: In circuitu, inquit, impij ambulant.* huc igitur refero illud: *Dabo illis spiritum vertiginis.* vide quàm noxia sit superbia. hæreticos hoc dictum carpit.

Superbia vertigo mentis.

7 *Decidant super eos carbones ignis in terra, & deijcies eos.) Isti carbones ignis ad pœnam valent, alij sunt ad salutem, de quibus dicitur: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatorijs. ibi sagittæ sunt verba Dei, quæ cor transfigunt, amoremq; gignunt, &c. carbones vastatorij sunt exempla hominum, qui extincti erant, & reuixerunt; nigri erant, & fulgentes effecti sunt, cùm accessit flamma charitatis; ipsi sunt carbones, quos intuemur, quando volumus mutare vitam transfixi sagitta Dei; & impediunt nos malæ linguæ hominum dicentes, quia si professi fuerimus, non implebimus. attendamus carbones illos; qui erat heri adulter, hodie castus est &c. igni vastatur fœnum, purgatur aurum; et mutat homo ex morte vitam, & incipit esse etiam ipse iam carbo flagrans. qualis erat carbo Apostolus, qui prius fuit persecutor? piger, & extinctus accensus est de cœlo: vox Christi accendit illum. perijt in eo tota nigredo, cœpit feruens spiritu,*

quo

quo accendebatur, accendere alios. egregiùs hic locus est de quorundam conuersione mirabili, statim spiritus feruore concepto, vt apparet in ipso Augustino, in Ignatio nostro, in Camillo cruciferorũ parente, &c. Tum nota sensum verborum psalmi. *quid apponetur tibi ad linguam dolosam?* hoc est qua ratione obsistendum sit linguæ dolosæ, à Dei seruitio nos absterrentis; vtendum ait scripturæ sacræ sententijs, & Dei verbis, quæ instar acutæ sagittæ sunt, & exemplis aliorum, qui cum mali antea essent, boni facti sunt; illi iam ardentes, nos extinctos exemplo suo accedent. pulchè item Paulum quasi extinctum carbonem dicit, sed accensum voce Christi: nempe, *circumfulsit eum lux de cœlo, seu circumfulgurauit*. Addit ad hæc, *Iusti carbones in alios veniunt, vt accendantur, in alios vt deijciantur; ipse enim carbo dicebat quibusdam: Sumus odor mortis in mortem, quibusdam vita in vitam: vident enim iustos flammantes spiritu, candentes luce, & eis inuidendo, cadunt, hoc est deijcies*. adeò ex aliorum feruore alij proficiunt imitando, alij deficiunt inuidendo, quibus peruersa mens est.

Ex conuersione peccatoris alij ad pietatem alij ad inuidiam accenduntur.

8 *Virum iniustum mala venabuntur in interitum.*) quando mali persecuti sunt Martyres nostros, venati sunt, sed non ad interitum. *pressa est caro, coronata est anima. at verò illi, qui non dirigentur, & linguosi sunt, eos venabuntur, sed in interitum*. pulchrè hoc pro sancto Sebastiano facit sagittis transfixo, sed ijsdem coronato, vt solebant Aethiopes sibi coronas ex sagittis componere. sed cur linguosi maximè ad interitum sagittis transfixi dicuntur? puto quia linguas, vt sagittas exacuerunt detrahendo. præterea mala venantur detractores linguæ venabulo quasi feras agrestes, sed in damnum proprium.

Persecutores quasi venatores martyrum.

Ex Psalmo CXL.

Sudor sanguinis Christi cur globosa figura, & ex toto corpore

1 D*Omine clamaui ad te.*) *Cum oraret dominus, globi sanguinis de toto corpore eius distillabant. quid est de toto corpore sanguis effluxit, nisi de tota Ecclesia Martyrum passio?* Notabile est quod ait, globos sanguinis sudasse Christũ, vt patet ex græco, puto vel quia Christi sanguis pretium erat, ideò nummi figura rotunda; vel quia Mundum ille sanguis redempturus, & plures posset redimere si esset: Mundi autem globosa figura est; vel quia velox ad redimẽdum, ideò globi decurrẽtes in terram dicuntur: est autem globosa figura ad cursum prona; Item nota globos illos sanguis, *de toto corpore eius distillasse*. igitur ex oculis, auribus, pectore, latere, &c. vt totũ corpus nostrũ, ac sensus sãctificaret: dicimus de magno fletu, lacrymę sanguinis fluunt: hic non hyperbolicè, sed verè proh pietas ineffabilis, tã pdiga sãguinis.

2 *Domine clamaui, &c.*) *Quidquid de diuina pagina exculpetur, non habet finem nisi charitatem, sed non qualemcumque; nã & male viuentes irretiuntur sibi societate perditæ conscientiæ, desiderant se absentes, gaudent ad præsentiam; sed amor iste tartareus est. viscum habet, quo deijciat in profundum, non pennas, quibus leuet in cœlum.* Nota de societate malorum, *amor tartareus est*. excusare se solent: amor Platonicus est. immò potius Plutonicus. carnalis amicitia viscum habet: euolare non potes ad Deum.

Amor malorum inter se tartareus est & viscum habet

3 *Dirigatur oratio mea sicut incensum.*) *Oratio ergo pura directa de corde fideli, tanquam de ara sancta surgit incensum. nihil ergo delectabilius odore domini. sic oleant omnes qui credunt.* eleganter aram, & quasi acerrã thuris dicit, cor ipsum. ardeat cor oportet; oratio vt thuris vapor fragrantissimus sese efferat sursum.

Oratio ex ara cordis thuris instar euaporat.

4 *Ad excusandas excusationes in peccatis.*) *At nunc quam facilis defensio peccatorum? quàm cita? quàm præceps? quàm sacrilega? si Deus hoc nollet, non facerem. fortuna hoc voluit, hoc voluit fatum; & ista defensio non solùm est indoctorum, sed doctorum: sedent, & computant sidera, interualla, cursus, volubilitates, status, motus intendunt, describunt, coniiciunt. Eris adulter, quia tu habes Venerem; eris homicida, quia tu habes Martem: Mars ergo homicida, non tu; & Venus adultera, non tu. vide ne pro Marte, & Venere tu damneris.* meritò carpit Astrologos, libertatem suis ineptijs tollentes; & impunitatem dantes, dũ stellis, ac fato nos peccare dicunt, accusationem sui, ac pœnitentiam omnem tollunt. item eos sic vrget. *Ipse Mathematicus sibi fabulas laqueorum suorum etiam vendit; vt non vel gratuitam compares mortem, emis à mathematico mortem pretio, qui contempsit vitam à Christo gratis*. acriter & meritò perstringit eos, qui pecuniam dant Mathematico diuinanti; pecunia emunt mortem animę, spreta vita, qui Christus est. His addit. *Nonnè Mathematicus ipse, si vxorem suam viderit petulantius conuersari, arripit verbera? respondet: fatum aliud est quod competit rectori domus, aliud quod profertur emptori*. acutè, ac lepidè arguit. Denique de his concludit. *Mathematici ipsum accusant dominum, quòd vel sic creauit hominem. vel stellas composuit, vel negligit humana*. nota in excusando vel vno peccato crimen triplex.

Mathematici excusantes peccata necessitate fati carpuntur.

4 *Non combinabo cum electis eorum*) *Qui sunt electi? quibus si dixeris, peccas, statim illam defensionem impiam, & pestorem ...*

 tele-

ceteris, magisque sacrilegam proferunt. Non ego peccaui, sed gens tenebrarum. quæ est gens tenebrarum? quæ bellum gessit cum Deo; ipsa peccat; quia commistus sum illi. aiunt enim, quod illa gens tenebrarum rebellauit aduersus Deum, antequam Mundus fieret; & ille timens, & cauens, ne regna eius illo adueniente hostili impetu vastarentur, misit huc membra sua, substantiam suam, hoc quod ipse est, si aurum, aurum; si lux, lucem; quicquid illud est huc misit, & miscuit visceribus gentis tenebrarum; & fabricauit inde Mundum; & nos animæ tanquam de ipsis membris Dei sumus; sed premimur hic visceribus gětis tenebrarum; & quicquid peccasse dicimur, illa gens peccat; ita se videntur excusare à peccato, sed non excusant Deum suum à crimine timoris; nec ipsam substantiam Dei à crimine corruptibilitatis. Vide insaniam sacrilegā Manichæorum. ita potius refundebant peccatum in Deum, quàm in gentem tenebrarum. Præterea aiebant melius esse fœnerari, quàm agricolam esse, *nam agricultura lædit crucem luminis*. Membra Dei, quæ capta sunt in illo prælio, mista sunt, inquiunt, in vniuerso Mundo in arboribus, in herbis, in fructibus; Dei ergo membra vexat, qui terram subigit, ac discindit. hæc ne faciat in agro homicidia falsa, facit in fœnore vera. panem mendicanti nō porrigunt, ne vitam, quæ est in pane, quā dicunt membrum Dei, substantiam diuinam mendicus ille accipiat, & liget eā in carne. At si obijcias, cur inde ipsi māducāt? respondet, *Quia Manichæi fide illuminati sumus, orationibus & psalmis purgamus inde vitam, quæ est in illo pane, & mittimus in thesauros cœli: illi sunt eorum electi, vt non sint saluandi à Deo, sed saluatores Dei*: his addunt: *Ipse est Christus crucifixus in toto Mundo*. Vide quò sacrilega se proriperet audacia: illuminatos se dicebant, cum de gente tenebrarum stultè loquebantur; & orationibus, & psalmis purgare se panem, qm falsitate dogmatū inquinabant; & mittere in thesaurū cœli, cū ipsi mentis inopes essent. nos potius è thesauro cœli depromimus Eucharisticum panem, quo purgamur inter sacras preces; & inde ditescimus. ceterū Christus olim in Iudæa crucifixus nunc glorificatur, quicquid hæretici garriant, in toto Mundo.

Manichæi peccatum refundebāt in gentem tenebrarum.

Manichæi dicebant panem à se sanctificatum mitti in thesauros cœli.

6 *Emendabit me iustus in misericordia; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*) *Oleum peccatoris falsa laus est adulatoris. Vulgò cum falsa laude aliquem irriserunt, dicere solēt: Vnxi illi caput. oleū gloria est; fulget, nitet in superficie: sed vera debet esse gloria, vt sit intus in vasis suis. Probet, inquit, se ipsum homo. & tunc in se ipso habebit gloriam, & non in altero; nā gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sapientes illæ Virgines sumpserunt secum oleum in vasis suis, idest conscientia illis testimonium perhibebat.* pulchrè conscientiam instar ornatæ, hoc est floribus coronatæ lampadis esse dicit, quæ ardeat Deo syncerè, ac purè oleo deuotionis, & charitatis: adularoris autem oleum fomes est ignis æterni.

Adulatio oleo comparata.

7 *Emendabit me iustus, &c.) Humilia cor tuum, crucia, contere cor tuum; non enim odisti te, cum sæuis in te; eris in parte emendata iustus, quamuis sis adhuc in emendanda peccator. iustus, quia condelector legi Dei; peccator, quia sentio aliam legem, &c.* egregiè ait, misericors est in se, qui per pœnitentiam sæuit in se. & vide vbi hæc posita sit: *humilia cor, crucia, contere*. Addit eleganter, ac pulchrè. *Adhuc aduersus me bellum gero; nondum sum totus restauratus ad imaginem factoris; cœpi resculpi, & ex ea parte, qua reformor, displicet mihi, quod deforme est. Infelix ego homo quis me liberabit, &c. gratia Dei, per Iesū Christū. Gratia Dei est quæ cœpit iam me resculpere*. egregia Gratiæ laus, quæ sculpturam illam volut artifex in nobis refingit, imaginem Dei deformatā reformans. ferro igitur vtendū; patiendū nobis est. Tum exponit Apostoli verba: *Caro concupiscit aduersum spiritum &c. caro tanquam coniux tua: ama, & castiga, donec fiat in vna reformatione vna concordia*. cum scilicet corruptibile hoc induerit incorruptionem. nempe sicut coniugij finis est proles, ita finis carnis vnitæ cum spiritu est partus bonorum operum.

Amat se qui sæuit in se.

Gratiæ sculptura imago Dei reformata.

Carnis & spiritus mysticum coniugiū.

8 *Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum.) hoc est veniet tempus, cum placebit illis oratio mea: Dimitte nobis debita nostra, &c. videbunt se iniqui, qui superbè se erexerunt: Dimitte nobis debita nostra: certè hoc populi dicunt, & populorum pectora tundentium tonitrus non quiescit: rectè nubes tonant, in quibus habitat Deus, quæ est nunc illa iactatio? iustus sum: quantumcumque profeceris, inuenies te peccatorem. profecisti, non fornicaris à Deo, ad Mathematicos, ad Augures, ad Maleficos. non occidis, non adulteras, &c. nihil nē peccas in lingua? nō prolaberis in verbum durum? sed quid magnum dicis? quid magnum? Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. contremiscit iam tota illa superbia, nos irascitur in aliquem lædendum. quid de lingua? quis illam domat? sed ecce iam ipsā frænasti; quanquam quis tantus vt hoc omninò perficiat? quid facis de cogitationibus tuis? quid facis de tumultu, & caterua rebellantium desideriorum? cogitationes auferunt te, & plerumque in oratione genibus fixis, corpus prosternis, collum curuas: video corpus vbi iaceat, quæro vbi volitet animus. Sic plerumque cogitationes tanquam æstu maris abripiunt, & tempestate collidi-*

tur

mur in aliud, atque aliud. Vide quanta sit nobis materia humiliationis, quantus tumultus intra nos rebellantium cupiditatum; acutè ait, mentem volitare & huc, illacq; discurrere per distractiones varias in oratione, licet fixa sint genua, &c. *Corporis genibus fixis, quaro vbi volitet animus?* Tũ quasi ęstũ maris nos resorbentẽ dicit, adeò in nobis nihil perfectum. Item nota miram pietatem veterum Christianorum, cum dicerent illa verba, *Dimitte nobis debita nostra*. tam acriter tundebant simul pectora cum gemitibus, vt tonitrua referrent. vbi vides pœnitentiam, & planctus pectoris quasi tonitrus esse horrendos contra diabolum: *Cum hoc populi dicunt, pectora tundentium tonitrus non quiescit. rectè nubes tonant, &c.* Scilicet gemamus in oratione dominica, fateamur nos peccatores, & quasi nubes tonemus non sine imbre lacrymarum. non deest flendi materia, præsertim linguæ delicta obuia sunt. non paruum est hoc malum, cui gehennæ respondet ignis. illud quoque notandum, habitus in orando. *genibus fixis, corpus prosternis, collum curuas.* & tamẽ à distractione liber non es, quid si delicatè ores?

Mira pietas olim in recitanda oratione dominica.

9 *Absorpti sunt iuncti petrę Iudices eorum.) Idest comparati Iudices, magni, potentes, docti; ipsi dicuntur Iudices eorum, tanquã iudicantes de moribus, & sententiam proferẽtes: Dixit hoc Aristoteles; adiunge illum petræ idest Christo & absorptus est; quis est Aristoteles? audiat: dixit Christus, & apud inferos contremiscit. dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato. adiunge illos petræ, compara auctoritatem illorum auctoritati euangelicę, compara inflatos Crucifixo; dicimus eis: vos literas vestras scripsistis in cordibus superborum; ille crucem suam fixit in cordibus Regum. postremò mortuus est, & resurrexit: mortui vos estis, & nolo quęrere quemadmodum resurgatis. tandiù videntur aliquid dicere, donec comparentur petrę. propterea si inuentus fuerit aliquis eorum hoc dixisse, quod dixit & Christus, gratulamur illi, non sequimur illum:* non enim illi ante Christum, quid enim prius quàm veritas? posterior tamen venit, quia prius cecidit ęgrotus. Nota de doctrina Christi. apud Origenem dicebat Celsus, Christum sumpsisse doctrinam à Platone. quid falsius? quod autem dicit Aristotelem absorberi à Christo comparatione facta doctrinæ, quid mirum? cum scriptura sic: *ponens in thesauris abyssos*. hoc est immensam sapientiæ profunditatem. Vide item excellentiam crucis Christi, quæ non modò in frõtibus, sed in cordibus regũ imprimitur fixa; quod certè in Christianis Regibus hoc tempore gratulamur. huc spectant sequentia.

Plato, & Aristoteles Christo comparati absorbentur

Crux Christi figitur & in frontibus & in cordibus regum.

10 *Audient verba mea, quia praualuerunt.) Dicta sunt à philosophis quędam diserte, sed à me verè.* ideò præualuerunt verba mea. Addit: *subiecit Christus spem, inflammauit charitatem; mortẽ, inquit, timetis? prior resurgo.* huc refero vetus illud prouerbium, nam & Codrus mortuus est; quo solabantur mortem, cum Codrus ipse vir tantus etiam morti fuisset obnoxius. subiungit: *Vnde præualuerunt verba mea? cum scilicet prædicantur à non timentibus; cadebant Martyres, & stabant; et quid est factum de tot mortibus Martyrum, nisi vt tanquam irrigata terra sanguine testium Christi pullularet vbique seges Ecclesię? hoc est quod ait: Sicut crassitudo terrę erupta est super terrã: sicut enim accipit terra quandã pinguedinẽ ex rebus contẽptibilibus, & abiectis; ità Ecclesia, &c. Petrus, & Paulus, cũ occidebantur, contẽnebantur: modò saginata inde terra exurgente segete Ecclesiæ. ecce quod est nobile, & pręcipuum in Mundo, Imperator venit Romam: quo festinat? ad templum nè Imperatoris, an ad memoriam Piscatoris?* Vide honorem exhibitum Petro Apostolo, & Martyribus. quid est maximè nobile, & præcipuum in Mundo? Imperatores. hi procumbunt proni ad piscatoris tumulũ. quò refero illud Chrysostomi, quiait, Imperatores ipsos quasi ianitores Apostolorum sponte fieri, dum sepeliri volunt ad ipsorũ tẽpli fores. mira dignitas, tũ hæc, tũ quod peregrinatione suscepta populi Romam adirent, non vt magnificas ædes Cæsarum, & Augustale viserent, sed his spretis, vt sepulchra piscatorum. videlicet tantam vrbem ingressi aliud præter ipsam vrbem quęrebant.

Martyrũ sanguine seges Ecclesiæ pullulat.

Sepulchra piscatorũ honorificentiora quã ędes Cæsarum.

11 *Cadent in retia eius peccatores.) Sed quid de discipulis tuis, ò Christe? ecce ille, qui tibi promiserat, quia tecum esset vsque ad mortẽ audiuit quidem à medico, quid in se ageretur ægroto; febriens enim sanum se dixerat; cordis venam ille tangebat. ventum est ad tentationẽ, ab infimo mancipio, & hoc fœmina interrogatus, succubuit. prædixit quidem dominus Petrum negaturum; non præcepit, nec coegit; aut si propterea putant, Petrum rectè fecisse, quia hoc ille prædixerat, si nihil Petrus peccauit, quare fleuit amare? non interrogemus de Petro, nisi lacrymas Petri. fideliores testes de illo non inueniuntur.* pulchrè Petri lacrymas testes fideles appellat erroris ipsius; habent enim, & lacrymæ vocem suam. *auribus percipe lacrymas meas*. vnde colligitur non Dei præscientiæ, sed propriæ voluntati culpam tribuendam. illud item pulchrè dictum, Petrum infirmitatis suæ nescium obtulisse se martyrio, sed Christum, vt medicum peritissimum, *cordis tetigisse venam*. & admonuisse morbi, & quasi futuræ accessionis, vt vocant.

Petri lacrymæ velut in tribunali testantur errorem ipsius.

12 *Singulariter sum ego, donec transeam.) Idest donec moriar; cum venisset, inquit, hora, vt Iesus transiret de hoc Mundo ad Patrem; donec transeam, singularis sum ego;*

cum transiero, multiplicabor, multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo: quò spectat & illud; *Nisi granum frumenti mortuũ fuerit, ipsum solum manet, &c.* subiungit rem notabilem: *Ante passionem pro Christi confessione nemo mortuus; ipse Ioannes, qui recens interfectus erat, non propter hoc interfectus est quia confessus est Christum, sed propter aliud occisus est ab vno, quantò potius potuit occidi ab his, qui occiderunt Christum? at si impetus fieret propter Christum in Ioannem, non negaret; erant quippe in illo vires magnæ, magna gratia, magna excellentia. ergo in Petrum impetus factus est, qui tunc non habebat tales vires.* Nota, cur Ioannes Baptista non probatus sit de fide in Christum? quia non egebat ea probatione vt Petrus: *erant in illo vires magnæ*, hoc est gratiæ efficacis abundantia quadam, &c. quid mirũ cum denondum nato dicat Ambrosius: *vngebatur, & quasi bonus athleta exercebatur in vtero matris propheta.* Addit ad superiora Augustinus. *Non patitur persecutionem propter Christum Ioannes, ne pro nomine Christi antecederet Christum: occiditur ab Herode pro lege veritatis, ideò sanctus, & ideò Martyr, ante Christum multi moriebantur, nõ quia prænunciabant Christum, sed quia iniquitatibus liberius resistebant, & habentur inter Martyres.* Notabile & hoc est, habitos inter Martyres qui occisi, quod iniquitatibus resisterent, vt Esaias serra sectus, & Zacharias, & Machabæi. sed priuilegium illud Stephani fuit, vt pro Christi nomine primus moreretur, vnde & protomartyr dictus: Tum nota Christi pietatem cum zelotypia quadam: noluit quemquam directè mori pro se, nisi prior ipse subiret mortem pro nobis: mortui quidem innocentes pueri sunt in Christi causa, sed non pro Christi doctrina propugnanda, quod post eius mortem fieri cœpit.

Ioannis Baptistæ mors cur non pro Christo sed pro veritate.

Pro veritate mori martyris est.

Ex Psalmo CXLI.

1 **V**Oce mea ad dominum clamaui.) Monet vt verba, quæ auidè audiunt ruminent meditando: *Qui thesaurus, idem & panis est: Thesaurus, inquit, desiderabilis requiescit in ore sapientis: vir autem stultus glutit illum. Sapiens ruminat, stultus non ruminat, ideò in lege immunda animalia, quæ non ruminant.* Referri potest ad eucharisticum panem, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, *Qui thesaurus, idem & panis est.* rumina, hoc est iterum recole, quàm eximius ille cibus sit; acutè autem notat, eundem esse, & thesaurum simul & panem; nam non dicit: thesaurum illum recondit, sed, *glutit illum*: quod ad cibum pertinet.

Eucharisticus panis simul & thesaurus est.

Prou. 14.

2 *Effundo ante eum precem meam.) Quid est ante eum? Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, &c. & qui videt in abscondito reddet tibi. hinc ait Apostolus: Nolite locum dare diabolo. ostium cordis tanquam duas habet valuas, cupiditatis, & timoris; aut cupit aliquid terrenum, & hàc intrat diabolus; aut timet aliquid terrenum, & hàc intrat: timoris igitur, & cupiditatis ianuam claude Diabolo; aperi Christo, cupiendo regnum cœleste, timendo ignem gehennæ. ita Martyres fecerunt: promisit illis multa Mundus iste, sed clauserunt valuam cupiditatis aduersus diabolum. minatus est Mũdus bestias, ignes, cruces; non timuerunt; clauserunt timoris valuam contra diabolum. videamus si aperuerunt illas Christo; Qui me confessus fuerit, inquit, coram hominibus, &c. effunde igitur ante eum precem tuam: ecce intus apud te est, ibi sunt aures eius: si iudex est, qualem causam geras in corde tuo, vide.* magnam vim habent hæc vltima verba de cordis tribunali, vbi iudex Deus, tu reus. pulchrè autẽ dictum illud de ostio cordis cum duabus valuis, timoris & cupiditatis, cuius claues apud te sunt: vide cui aperias.

Cupiditas & timor duæ valuæ cordis.

3 *Tu cognouisti semitas meas, &c.) Quis nouit vias hominis, nisi ille? quàm multi impij metientes semetipsos, dicunt, me propterea loqui vobis in Ecclesia, vt acclametis, & & laudetis me. restat vt ego dicam: Tu cognouisti semitas meas, quomodo illi sciunt quod vix ego scio?* rectè arguit mala iudicia de internis, cum vix auctor ipse noscat, syncerè agat, nec nè; adeò difficile est laude non tangi; & vide quàm alienus esset Augustinus à plausu, cuius captandi suspicionem, à se remouere conatur, causam remittens Deo, qui penetralia cordis nouit.

Augustinus à plausus suspicione se liberans

4 *In via hac, qua ingrediebar, absconderunt muscipulam mihi.) Via Christus est, in hac via ponit scandalum Paganus, cum mihi dicit: Colis Deum crucifixum; insultet ille crucifixo, videam ego crucem in frontibus Regũ; vsque adeò non erubesco, vt in fronte portem. alia sacramenta vel ore accipimus, vel per totum corpus; quia verò in fronte erubescimus, ipsam ignominiam, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Qui me erubescit, inquit, & ego erubescam eum, &c. audis hominem insultantem impudenti, & dicere, frontem non habet: non habeam nudam frontem, tergat eam crux domini.* pulcher locus de signaculo crucis, cur fiat in fronte: nempe ibi pudoris sedes, ne erubescamus de opprobrijs Christi, immò ea præferre gloriosum est. Addit: *Crux illa signum est humilitatis; ille autem superbiam non agnoscit, vnde sanetur tumor animæ. nihil superbius ægro, qui deridet medicamentum.* pulchrè innuit, tumori superbiæ quasi emplastrum crucem opponi, & apponi in fronte, vt eius humilitate sanetur.

Christi opprobrijũ præferre honorificũ est.

Educ

5 *Educ de carcere animam meam.* Non ait: Educ corpus meum, sed animam; idest de corruptela carnis; non vt alij dixerunt de carne, putantes corpus esse carcerem: quid enim hoc magnum est? nam & scelestorum animæ exeunt de corpore. & licet Apostolus dicat, *cupio dissolui, tamen ait, manere in carne necessarium est propter vos:* duo in corpore considerans, *figmentũ Dei, & pœnam meriti; illud habes de beneficio, hoc de supplicio.* Vide quid sit concupiscentia, non libertas, vt mundani putant, sed carcer animæ tenebrosus inter vincula. Deinde acutè aduertit in psalmi titulo vocari speluncam: *Intellectus ipsi Dauid, cum esset in spelunca. Quibusdam videtur, quod spelunca Mundus iste sit.* Nota quàm fallantur ij, quibus Mundus tã amplus, & splendidus videtur, cum pro obscura spelunca sit.

Concupiscentia carcer est animæ tenebricosus.

Ex Psalmo CXLII.

1 **T***Itulus est: Ipsi Dauid, quando eũ filius suus persequebatur.*) Christum verum Dauid dicit, & eius corpus Ecclesiam, cui accommodat mulierem illam, vt est in Apocalypsi, ductam in solitudinem, vt pareret; *Per solitudinem arbitror, quia solus de Virgine natus est. amicta erat Sole mulier, eius luce protegebatur, cuius carne grauidabatur.* pertinet hoc ad Deiparam ferentem in vtero Christum tãquam Solem. lux non solùm ad splendorẽ, sed ad protectionem erat, vt Draco sæuiret frustra. Alcmenam, cum Herculem ferret in vtero, grauidam refert Galenus timorẽ incussisse accedẽtibus. eiusdẽ autẽ Assumptioni competit quod addit: *meritò, & Lunam sub pedibus habebat, quia mortalitatem crescentis, et decrescentis carnis virtute calcabat.*

Mulier amicta Sole Deipara.

2 *Non intres in iudicium cum seruo tuo.*) *Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & prauus inuenior.* nempè diuersa est norma seu regula hominum, & Dei: sæpe recti putantur qui praui sunt, quid quod, vt est apud Iob, *In Angelis suis reperit prauitatem?* hoc est qui Angelicè viuere putantur. aurea regula Dei est, si quidem de thesauro Dei productam dicit.

Ad Dei trutinam nemo perfectus inuenitur.

3 *Extendi manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi.) Complue, inquit, me ad faciendum fructum bonum, ne sim puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, &c. sitire tibi possum, me irrigare non possum. quæ mora, quãdo sic sitio? ad inflammandam sitim meam pluuiam differebas, vt bauriens imbiberem; non vt respuerem, quod influeres. si ergo ideò differebas, tam cito, exaudi me domine, inquit.* Nota cur Deus aliquando suspendat consolationem; vt magis ipsum sitiamus, & noscamus nihil in nobis inesse, quod mulceat. terra sine aqua, inutilis puluis est.

Consolatio differtur vt magis Deum sitiamus.

4 *Domine ad te confugi.*) *Qui scilicet aliquando à te fugi; fugit Adam à facie Domini, abscondit se inter ligna paradisi, vt de illo diceretur: Tanquam seruus fugiens dominum suum, & consectatus est vmbram. ad vmbram fugit; væ si permanserit, ne postea dicatur: Transierunt omnia tanquam vmbra.* venustè dicit, ad Deum solùm confugiendum, à quo fugeramus, non ad vmbram rerum temporalium: quod per Adam indicatum, qui ad vmbram arboris confugit, & in vmbram incidit, ex æternis ad temporalia delapsus per affectum, quæ pertranseunt velut vmbra.

Adam ad vmbram fugit, debuit ad Deũ confugere.

5 *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.) O confessio, ò præscriptio: quia tu es, inquit, Deus meus. ad altum curram refici, si ab alio factus sum? patrem quæram propter hæreditatem? tu es non solùm dator hæreditatis, sed ipsa hæreditas. dominum quæram propter redemptionem? tu es. patronum quæram propter liberationem? tu es. postremò a te creatus recreari cupio.* Vide quot ex capitibus ad Deum solùm recurrendum sit: vt qui fecit, ipse reficiat, in quo, & à quo hæreditas, &c.

Non nisi ad Deum recurrendum.

6 *Propter nomen tuum viuificabis me.*) *Attende gratiæ commendationem; non quia ego merui, sed quia tu misereris. non mereor nisi supplicium, auulsisti merita mea, inseram dona tua.* Sumpta est metaphora ab agro. merita nostra, vt stirpes siluestres sunt. iis auulsis inseruntur Dei dona, vt suaues enascantur fructus.

Gratiæ insitio vt fructificet anima.

Ex psalmo CXLIII.

1 **T***Itulus est: Ipsi Dauid ad Goliam,* Quinque lapides, quos tulit Dauid, sunt quinque libri Mosis; fluuius vnde eos accepit, mortale seculum: *Labitur enim, & præterfluit quicquid venit in Mundũ: erãt in flumine tãquã in illo populo lapides; illic erãt inutiles, quid fecit Dauid? vt lex ipsa vtilis esset, accepit gratiam, sine qua lex impleri non potest; significatur autem gratia lacte; hoc enim est in carne gratuitum, vbi mater non quærit accipere, sed satagit dare; hoc mater gratis dat, & contristatur si desit qui accipiat.* pulcher, & elegans locus de gratia altrice nostra. huc refero illud Apostoli. *Videte ne quis desit gratiæ Dei,* nã vber gratiæ semper est plenũ nõ illa deest nobis, nos nõ desimus illi. hoc lacte gratiæ suauissimo adolescimus, & corroboramur. simul. lac gratis datur infanti, q̃a mater nõ nisi dolores accepit, & lõga fastidia: ità Deus à nobis, &c. pelatus in hac

Gratia, ceu lacte nutrimur.

ſententiā eſt locus ſapientiæ, vbi apertè de gratia : *Omnia deſeruiunt nutrici gratiæ tuæ.* Tum alludens ad titulum, digreditur ad factum Dauid. *Oſtendit Dauid, legem ſine gratia operari non poſſe, cum illos quinque lapides, quibus ſignificatur lex in libris quinque, coniungere volens gratiæ, poſuit in vaſe paſtorali, in quo lac mulgere conſueuerat: his ornatus, gratia vtique armatus, & ideò præſumens non de ſe, ſed de domino ſuo, proceſſit aduerſus Goliam ſuperbum, de ſe præſumentem; percuſſit inimicum in fronte; cecidit ex eo loco corporis, vbi ſignum Chriſti non habuit.* Notabile ſanè eſt, lapides illos in vaſe lactis poſitos, ac proinde lacte imbutos, & madentes eliciuiſſe ſanguinem. gratiam lacti comparauit, & amaturam eandem dicit: nempè nihil gratia animæ ſuauius, nihil diabolo terribilius. eſt autem lacti cum lapide aliqua affinitas. nam ait Ariſtoteles, maris ſpumā concreſcere, ac lactis figuram ſumere, tum in lapidem durum verti. Notat item acutè, cur in fronte Golias percuſſus? quia non, vt Dauid, venit in nomine domini confiſus, ſed in gladio, & armis ſuis: nomen autem domini, & ſignum Chriſti crux in fronte ſignatur. Deinde pergit de Golia: *Gladium Goliæ abſtulit, & inde caput abſcidit, & hoc fecit noſter Dauid; deiecit diabolum de ſuis; quando autem credunt magni illi: quos ipſe in manu habebat, & de quibus ceteras animas trucidabat, conuertunt linguas ſuas contra diabolum, & ſic Goliæ de gladio ſuo caput inciditur.* Egregiè hoc ad Cyprianū, antea Magum, poſtea illuſtrē martyrem, & ad Bonifacium poſt vitę licētiam item martyrem, & ſimiles referri poteſt. rectè poteſt etiam pertinere ad ipſum Auguſtinum conuerſum, qui inſtar gladij tot ſtrages de hæreticis edidit.

Conuerſione quorundam Deus vtitur cōtra ipſum diabolum vt eſt gladio Goliath.

2 *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.) In digitis agnoſcimus diuiſionem operationis, & tamen radicem vnitatis; Alij, inquit, quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij, &c. hæc autem operatur vnus Spiritus, diuidens ſingulis pro vt vult. his ergo digitis pugnat corpus Chriſti procedens in prælium.* acutè interpretatur, ac docet, cur & digitos inſtitui velit ad pugnam? quia ſcilicet donis à Spiritu ſancto diuiſis Eccleſia bellatrix dimicat, Sapientes exercēs cōtra hæreticos, Subiungit, *Bellorum genera commemorare longum eſt, habemus vnū bellum non aduerſus homines viſibiles, ſed aduerſus Principes, & poteſtates. Sed quomodo Golię proſtrato tollitur gladius, vt ipſi Goliæ de gladio ſuo caput amputetur; ita cum credunt ipſi infideles, &c. hoc vnum prælium. Alterum autem vnicuiq; in ſe ipſum, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; & hoc graue bellum; & quod moleſtius, internum; in quo bello ſi ſit quiſquam victor, & illos, quos non videt inimicos, facilè ſuperabit; non enim tentat diabolus niſi quod in te carnaliter dominatur.* Nota, vt victa concupiſcentia, facile aliæ tentationes vincantur. ſed vide quantus ſit hoſtis, cum Goliæ giganti comparetur: atqui hunc multi à pueritia proſtrauerunt, vt S. Thomas Aquinas, & Aloyſius noſter, alijque non pauci. Tum hoc bellum graphicè deſcribit. *Proponit diabolus forinſecùs auaritiæ tuæ, quam intus non vicisti, tanquam athletæ ſuo agonotheta malus fraudem, & lucrum. fac, & tolle. ſi tibi interius non dominatur auaritia, ſed eam calcas, iam diabolum inſidiantem non ſentis. attendis alterum proponentem ipſum & præmium. quid ille pro poſuit? fraudem, & lucrum? quid iſte proponit? innocentiam, & coronam: fac, & tolle.* egregiè oſtendit, vt deuictis internis paſſionibus, ferè nihil exterius timendum ſit. item attende pulchrè dictum: duos ſcilicet Agonothetas, ideſt certaminis præſides, diabolū, & Chriſtū nobis velut athletis in ſtadio huius vitæ currentibus adeſſe: alter fraudem, & lucrum; alter innocentiam, & coronā proponit: quò referri præeſt præclara illa exercitatio ſpiritalis Ignatij de duobus vexillis. Tum pergit eleganter in hoc bello *Ex peccato diuiſus es. aduerſum te trahis concupiſcentiæ propaginem, & traducem mortis: habes contra te, quod pugnet in te; habes quod expugnes in te: ſed habes quem inuoces, qui pugnantem adiuuet te, & vincentem coronet te. attende ad gratiam vaſis paſtoralis; lapidem de fluuio in exceptorio lactis pone, ne de te præſumas.* pulchrè & inteſtinum bellum, hoc eſt fomitem, in nobis deſcribit, & modum vincendi. acutè adnotat, lapides illos, quibus proſtratus eſt Golias, fuiſſe in vaſe, vbi lac ferebatur, quod eſt gratiæ typus. quid tam oppoſitum quàm gigas, & lac infantis, ac paruuli recens nati? nempè ſimplicitate & humilitate vincimus, cuius paſtoritia ipſa vita Dauid typus eſt. Denique eleganter, & pulchrè concludit de hac pugna: *In hac pugna victum doleo, pugnanti metuo, victori congaudeo; ſed etiam ille qui vincit, nunquid omnino egit in ſe, vt prorſus eum pecunia non attentet? nihil in eo excitet delectationis quamuis ſuperabilis, quāuis contemptibilis, quamuis non ſolùm cui non conſentiat, ſed cum qua nec pugnare dignetur? ineſt tamen aliqua delectatio titillans. iſta titillatio, & ille hoſtis iam nec pugnat, nec regnat; ineſt tamen, & quaſi moratur in carne mortali, quod non erit poſtea, cum ducetur totum in victoria.* Vide vim fomitis ex amiſſa iuſtitia originali. hunc tamen ſtatum recuperandum ait in victoria poſt hoc ſæculum. Sed quantum fieri poteſt, viuens adhuc beatus noſter Aloyſius, de quo dicebam, videtur aſſecutus, cui carnis titillatio fertur nulla fuiſſe. pendenda ſunt illa verba magni ponderis. *In hac pugna victum doleo, pugnanti metuo, victori congaudeo.* Sed etiam

Duo agonothetæ Chriſtus, & diabolus, nos athletæ.

Pugna carnis, & ſpiritus eleganter deſcripta.

In hac vita non eſt omninò perfecta victoria carnis.

hic

hic qui vicit, nondum egit triumphum, nondum lauream in cœlesti capitolio collocauit. Illud autem in hac pugna præclarè docet: *Non contraria natura contra alterã pugnat; sed tanquam in domo maritus, & vxor, si aduersus se dissentiant. caro tua coniux tua: agnosce ordinẽ: tu Deo subijcere, tibi caro: quid iustius? quid pulchrius? tu maiori, tibi minor. tu serui ei, qui fecit te; tibi seruiat quod factum est propter te: non enim hunc ordinem commendamus, tibi caro, & tu Deo; sed tu Deo & tibi caro. si enim tu comtempseris seruire Deo, nunquam efficies, vt seruiat tibi caro.* rectè carnem coniugi comparauit; quia vt coniux nunquam expletur sumptibus in se ornanda, ac semper noua quæritat, & contentiosa est, ita caro, &c. item nota nõ ante carnem subijci spiritui, nisi spiritus subijciatur Deo.

In periculis peccãdi qua oratione vtendum.

3 *Qui docet manus meas ad prælium, &c.) Præliari vis indoctus? damnaberis victus. periclitaris? dic quæ sequuntur in periculo constitutus: Misericordia mea: quid hoc? tunc præbes misericordiam mihi, an donasti mihi, vt essem & ipse misericors? de nulla enim re sic vincitur inimicus quàm cum misericordes sumus. omnia delentur, cum ex vero corde, & plena fiducia dicimus: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; supcrexaltat, inquit Iacobus, misericordia iudicium, idest superponitur misericordia iudicio: in quo enim inuentum fuerit opus misericordiæ, & si habuerit fortè in iudicio aliquid, quod puniatur, tanquam vnda misericordiæ peccati ignis extinguetur.* mira vis huius virtutis, & efficacia. huc refero illud Ecclasiastici, *iguem ardentem extinguit aqua, & eleemosina resistit peccatis.* Vide vim paucorum verborum in oratione dominica, si ex corde dicantur, *omnia delentur*. item rectè monet, in periculis peccandi hac prece, ac voce vtendum: *Misericordia mea*, qua & Deum misericordem inuocas, & te misericordem fore promittis.

4 *Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis quia æstimas eum?) Quanti æstimauit hominem, pro quo sanguinem fudit? quoniam tanti eum pendis, pretiosum quoddam esse ostendis. Qui filio, inquit, suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo & cum illo non omnia nobis donauit? qui hanc annonam dedit pugnanti, quid seruat vincenti? ego sum, inquit, panis viuus, qui de cœlo descendi: hæc est annona præliantium de horreis inuecta dominicis, vnde pascuntur Angeli. post præliũ verò, & hanc annonam, quid seruat? quid dabit victoribus? nempè illud psalmi: vt inhabitẽ in domo domini, vt contempler delectationem domini.* pulcher locus de Eucharistia, quàm appellat *annonam præliantium*. hinc dicitur *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me*. & apud Esaiam. *Pone mensam, surgite principes; arripite clypeum, &c.* cibus enim præliantium est,

Eucharistia annona præliantiũ est

quod tandem postea vertetur nobis in epulum triumphale. annona præliaris seu militum olim fuit ador frumenti genus, vnde & adorea pro gloria militari dicta, at quantò hæc Ecclesiæ militantis annona præstantior? vbi frumentum electorum cedit in cibum, & in gloriam.

In vmbra huius vitę lucis opera facienda.

5 *Dies eius sicut vmbra prætereunt.) Attendat sibi homo in diebus vmbræ suæ, vt faciat aliquot dignum desideratæ lucis suę. & si in noctis vmbra est, quærat diem.* eleganter dictum, vt licet in vmbra huius vitæ constituti simus, non vmbratili otio langueamus, sed opera lucis agamus. Addit item pulchrè: *Quicquid nobis nunc exhibet Deus, cum prosperè exhibet, non est gaudium beatorum, sed solatium miserorum; itaque agat aliquid homo dignum desiderata luce in diebus vmbræ suæ.* addo, si hoc fiat vt opera nostra lucis sint, ad nos spectare illud Iob, qui vnam ex filiabus suis vocauit Diem: opera certè quasi ptoles nostra sunt. nota etiam quid sit tota prosperitas terrena, *solatium miserorum, non gaudium beatorum.*

Apostoli cœli sunt vnde Deus coruscat & intonat per miracula & prædicationem

6 *Domine inclina cœlos tuos, & descende.) Apostoli cœli sunt, qui enarrant gloriam Dei. cum isti cœli emitterent voces suas per omnes terras, & fierent mirabilia, coruscante de illis, & intonante domino miraculis, & præceptis, putati sunt Dij descendiße de cœlo ad homines; nam quidam ex gentibus hoc putantes, eis etiam sacrificare voluerunt; quod illi expauescentes, & detestantes, consciderunt vestem, humiliantes se, vt commendaretur Deus, quia inclinati erant cœli, & descendit Deus.* alludit ad illud, quod narratur in Actis, cum ab miraculum factum, Paulum putarunt Mercurium, Barnabam Iouem. Vide quanta in ęstimationę essent, vtpote qui non humano more viuerent, sed cœlestem conuersationẽ præseferrent. hoc quoque tempore apud Barbaros ij, qui vitam Apostolicam sequuntur, quasi è cœlo delapsi putantur, & Solis filij appellantur. Xauerius noster in primis Indiarum Apostolus huiusmodi cœlum fuit: *Cum emitteret vocem suam per omnes terras & fierent mirabilia, coruscante de illo, ac intonante domino, & miraculis, & præceptis.* Nempe quid est aliud *Vox tonitrui tui in rota*, nisi prædicatio in toto terrarum orbe? ceterùm hoc, quod tonantes, & coruscantes cœlos dicit Apostolos, ad Ioannem, & Iacobum maximè pertinet, qui Boanerges dicti sũt, quasi filij tonitrui. ac nuper in India dum in nouo templo initium Euangelij Ioannis, *In principio, &c.* legeretur, vetus idolorum templum repente corruisse narratur.

Montes fumigantes lacrymosa pœnitentia.

7 *Tange montes, & fumigabunt.)* Montes sunt superbi, & grandes in sæculo. fumigant, cum non sine fletu conuertuntur: *Fumus confitentium peccatorum extorquebit lacrymas humiliatorum superborum.* Vide quid

quid agat Dei manus, cum tangit cor; oculos soluit in lacrymas, & ex superbis reddit humiles.

Miraculorum vis in conuersione gentium.

8 *Corusca coruscationes, & dissipabis eos.) Id est crebesce miraculis: his territi non audebunt aliquid contra te.* Sequitur. *Emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. vulnerentur male sani, vt sanentur bene vulnerati; & dicant cum Ecclesia: Vulnerata charitate ego sum.* Elegãter dictum de vulnere ad salutem. & vide quanta sit vis in miraculis ad conuersionem gentium, & destruendum diaboli regnum, vt propterea Ecclesiæ initio tam crebra essent.

Mortificatio gladius est sed benignus.

9 *De gladio maligno erue me.) Proculdubio est & gladius benignus, de quo dominus dicit; Non veni pacem mittere, sed gladium, separaturus enim erat filios à parentibus, &c. gladio putredinem abscindente.* acutè ait cur additum, *maligno*, quia inuenitur gladius & benignus: gladius religiosæ mortificationis benignus est, quia vitalis est: putredinem abscindit à carne; sic enim terrenum amorem rectè vocat.

Mundani inique in dextera ponũt téporalia in sinistra æterna.

10 *Dextera eorum, dextera iniquitatis, oues eorum fœtosæ, &c.) hoc in dextera posuerunt, quod in sinistra habere debuerunt. in dextera ponere debuerunt Deum, æternitatem, annos Dei non deficientes; ibi dextera, ibi esse debet desiderium nostrum; sinistra vtamur ad tempus, dexterã desideremus in æternum. videte cantica nuptiarum cœlestium Christi, & Ecclesiæ; sinistra eius sub capite, dextera super caput; vide sinistrã eius sub capite: accipit in hoc seculo septies tantum; vide dexteram amplectentem, & in futuro seculo vitam æternam. ac verè quid deest homini Dei? fideli homini totus Mundus plenus diuitiarum est; sed in sinistra desiderate dexteram, vt ponamini ad dexterã.* huc refert quod sequitur. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Hi posuerunt ad dexteram, quæ ad sinistram sunt; sed contra, inquit; Beatus populus, cuius dominus Deus eius.* facit hic locus pro religiosis potissimùm, nam his dicitur. *centuplum accipietis, in hoc sæculo, & vitam æternam possidebitis.* ita & sinistra Dei, & dextera teguntur, sed sinistra inferius sub capite, at amplexus capitis ad dexteram spectat, quę est fruitio æterna. rectè igitur mundanos increpat, *quorum dextera iniquitatis.* quia scilicet iniquum est, in dextera, loco nobiliore, ponere res viliores, vt sunt temporalia, & in sinistra æterna.

Ex psalmo CXLIV.

Dei laus in nostrã redundat gloriam.

1 *Laudate dominum, &c.) Audeo dicere, vt bene ab homine laudetur Deus, laudat se ipse Deus: vt se homo laudet, arrogantia est; vt se Deus laudet, misericordia est.* pulchrè dictum, quia laus Dei in bonum nostrum redundat, non in suum, qui nullius indigens est.

Iusto nullus dies ater & infaustus.

2 *Per singulos dies benedicam tè.) Quid si fortè alluxerit aliquis tristis dies, desines laudare? si tibi videtur in die tristi male, fit tibi in Deo tuo bene; & quid tam bonum quàm Deus? Iob nunquid quia dies tristis illuxit, quo totum perierat, ideò lux interior in corde defecit? fletit quippe in illa luce, & ait: dominus dedit, &c.* Ideò puto Iob vt ostenderet, tristem illum diem illuxisse in lætum, & clarum, postea vnam ex filiabus vocasse Diẽ. huc spectat illud Luculli, qui cum ab alijs deterreretur à pugna quod is dies ater esset, respondit, reddam ex atro candidum per victoriam, gentiles habebat dies atros, quos & Ægyptiacos vocabant. at iusto nullus dies non auspicatus, & faustus. Addit pulchrè, *Breue magisterium est, vt noueris eum misericorditer dare, cum dat, & misericorditer auferrè, cum tollit; nam aut blanditur dando, ne deficias; aut corripit exultantem, ne pereas. siuè ergo in eius donis, siuè in eius flagellis lauda eum. laus flagellantis, medicina est vulneris.* nota nouum vulneris sanandi cataplasma, Dei laudem: quid facilius? quid suauius? nihil hìc habes austerum.

In creaturis pulchritudo vt gradus ad Dei cognitionẽ substernitur.

3 *Generatio, & generatio laudabit opera tua, & virtutem tuam annunciabunt.) Proponitur homini laus Solis, laus cœli, & vt ad minora veniat, laus rosæ, &c. quasi verò nisi ille tantus esset, inuenires quid in his laudares. si pulchritudo laudatur, quid pulchrius faciente? si vtilitas, quid vtilius? &c.* rectè adnotat in creaturis nihil esse laudabile, quod non ad Deum referendum sit. tũ cõcludit: *Ab his, quæ facta sunt, gradũ tibi fac ad eum, non ab illo ad ista casum.* huc refero illud: *Omnia subiecisti sub pedibus eius:* certè, nec boues, & multò minus volucres subijciuntur sub pedibus nostris; sed sensus est, creaturas tanquam scalarum gradus nobis subijci, vt ad Deum conscendamus, non vt per carũ prauũ affectũ cadamus. His addit. *Immensa Dei bonitas & interminabilis magnitudo quanta alia fecit, quæ non nouimus? quandoquidem aciem oculorum vsque ad cœlos extendimus, & à Sole, Luna & Stellis rursus reuocamus ad terram, & hoc totum spatium, vbi vagatur acies nostra; vltra cœlos autem quis extendat vel aciem mentis, non dicam carnis?* egregiè Dei excellentiam, & bonitatem ineffabilem ostendit: nam cum defessus fueris laudare Deum, ex rebus quas vides, adhuc latent plurimæ quas non vides.

4 *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.) O epulas felices. quid manducabunt, qui sic eructabunt? memoriã abundantiæ, quia nos oblitus non es, cum nos obliti tui fueramus.* hanc memoriam man-

Amor famelicus de Deo est.

manducas, cum discis; eructas cum doces. ille auidissimus epularum Ioannes Apostolus, cui non sufficiebat ipsa mensa domini, nisi discumberet super pectus domini, & de arcano eius biberet diuina secreta, quid eructauit? In principio erat Verbum, &c. pulchrè spiritalem auiditatem Ioannis ostendit, cui pectus domini velut altera mensa fuit discumbenti; perinde ac cœna ipsa dominica non eum expleſſet, adeò famelicus est amor. Addit: Non sufficit eructare memoriam tuam, nec memoriam abundantiæ tuæ, sed suauitatis tuæ abundantiam: nam quid prodest si abundet, & insuaue est? aut si suaue, & parum est? Nota duo diuinæ mensæ maximè propria; vt & abundans sit, & plena, nectare scilicet. Hanc abundantiam suauitatis diuinę eructauit, opinor, Franciscus Xauerius, cum affectu plenus aiebat, sat est domine, sat est.

Abundantia diuinę suauitatis in iusto.

5 *Memoriam abundantiæ, &c. & in iustitia tua exultabunt.)* *Intelligentes non potuisse conuerti à te, nisi commemorentur à tè; nec se reduci posse in memoriam tui, si tu oblisceretis illorum. hæc considerantes in tua gratia, & iustitia tua, inquit, exultabunt, non sua. vultis eructare gratiam? bibite gratiam. attendamus gratiam Dei, non solùm qua fecit nos, sed etiam qua refecit: cui ergo debemus quia sumus; illi debemus quia & iusti sumus. nemo tribuat Deo quia est, & sibi quia iustus est: melius est enim quod tibi tribuis quàm quod illi: totum da illi.* acutè notat, cur cum de diuinis delicijs meminiſſet, non in se exultet, sed in Deo: nempe qui viribus proprijs se iustum putat, præponit se Deo. ideò inter alias causas noluit ab Angelo aliquo nos iustificari, quia plus Angelo deberemus quàm Deo, quia præstantius est bene esse, quàm esse. pulchrè autem dicit, vultis eructare gratiam? bibite illam. poculum diceres illud, quod malorum omnium obliuionem inducebat, Nepētes apud Homerum appellatum. quàm auide id sitire debemus? audeo etiam dicere; gratiam amatorium quoddam poculum, & quasi philtrum esse, nam per eam amamus Deū, conciliamur Deo.

Gratia suauissimum poculum ad bibendū.

6 *Confiteantur tibi omnia opera tua.) Ista contextio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo ab imis ad summa conscendens; à summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. vox quædam est mutæ terræ, species terræ: attendis eius speciem, vides eius fæcunditatem, &c. cum autem inquirendo admiraris, & magnam vim, & pulchritudinem, præclarumque virtutem inueneris: quoniam hanc à se, & apud se habere non posset, continuò tibi venit in mentem, quia non potuit esse, nisi ab illo. non ne igitur considerata pulchritudine Mundi huius, tanquam vna voce tibi species ipsa respondet: Non ego me feci, sed Deus? ergo confiteantur tibi omnia opera tua.* eleganti prosopopeia totam hanc vniuersitatem proponit tanquam vna voce agnoſcentem, atque testantem conditorem suum Deum. nimis surdaster est, qui totius naturæ clamorem non audit, nimis impius, qui audiendo non mouetur, nec cōcinenti Mūdo respōdet in laude.

Totius Mūdi vna vox factorem suū prædicantis.

7 *Et gloriam magnitudinis decoris regni.) Videte, & si potestis, quantum potestis, cogitate decorem regni illius, quod secuturum est. Mundus iste decorem habet: terra, mare, aer, cœlum, sydera: omnia hæc nonnè omnem consideratorem terrent? viuis in isto decore; sed hìc tecum viuunt etiam terræ reptilia. quale decus est illius regni, vbi tecum non viuent nisi Angeli? ideò parum fuit dicere gloriam decoris, sed mox addidit; Vt notam faciant gloriam magnitudinis decoris tui. commendat aliquid nondùm visum, propter cuius desiderium omnia sustinemus. ametur hæc magnitudo decoris, antequam videatur, vt cum visa fuerit, teneatur.* nempè Mundus hic visibilis græcè κόσμος dicitur ab ornatu, & decore; & quod erit decus superioris Mundi? hic igitur gradus ad illum fit.

Ornatus inferioris mundi ad superiore excitat.

8 *Fidelis dominus in verbis suis.) Possumus illi credere solùm dicenti, sed voluit teneri scripturam sacram, vt si promittens alicui lucrum diceres; Non mihi credis? ecce ego scribo tibi. etenim in transcurrentibus seculis scriptura Dei manere debuit, & quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis eius tenerent. dubitant homines credere de resurrectione? dicit Deus: chirographum mecum tenes. iudicium promisi de redditione bonorum, & malorum? deduc mecum rationem; certè vel computando quæ reddidi, potes credere me redditurum esse quod debeo.* est scriptum in ipso chirographo promissio filij mittendi? iam reddidi. *Promisi tibi sanguinem, & coronas Martyrum gloriosissimorum? computa redditum. iam admonet te massa debiti mei. ipsorum regum fidem nonnè promisi in chirographo meo, & reddidi in effectu? Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes seruient ei. ecce fecisti rationem; tanta reddidi; nunquid propter pauca residua infidelis sum factus?* pulchrè scripturam sacram dicit apud nos relictam tanquam chirographum debitoris Dei. soluta sūt, ac tā plurima impleta quæ promisi; vnum restat implendum de retributione communi in iudicio, quis de hac eiusdem dubitare audeat?

Sacra scriptura chirographū Dei promissionū.

Veritas Dei promissionū in omnibus impleta, superest resurrectionis communis.

9 *Et tu das illis escam in opportunitate.) Prorsus tanquam reficiens*

ægro-

Deus quaſi medicus id concedit ægroto quod prodeſt et quando prodeſt.

ægrotum in opportunitate; quando debet accipere, tūc das; & quod debet accipere, hoc das. attendite magnum myſterium tenendum animo, nunquam obliuiſcendum: petijt Iob tentandum diabolus, & accepit, petit aliquid non iniuſtum Apoſtolus, vt auferretur ſtimulus carnis, & non accipit; ſed non accipit hic propter perfectionem ſuam, accepit ille ad dānationem ſuam. Non igitur Deo obmurmurandum, & obloquendum eſt: vides Deum circa nos agere tanquam peritiſſimum medicum circa ægrotum, tali tempore, & non alio, talem cibum, & non alium concedendo: non eſt ſæuitia in negando, ſed pietas.

10 *Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.) Multi eum inuocant, ſed non in veritate, quia aliud ab ipſo quærunt. dedit mihi Deus, inquis, filios, dedit familiam, dedit omnia bona: nihil ne amplius quæris? eſto eſuriens; adhuc pulſa ante ianuam patris familias: in mendicitate adhuc es cum omnibus ijs quæ accepiſti. neſcis? pannoſam carnem mortalitatis adhuc portas; ſtolam illam gloriæ immortalis nondum accepiſti. quaſi ſatiatus non rogas? ſi bonus eſt Deus, qui illa tibi dedit, quantò beatior eris, cum ſeipſum tibi dederit? deſideraſti tanta ab illo, deſidera ergo & ipſum: qui enim Deum, à quo accepit, præponit omnibus, ipſe inuocat Deum in veritate.* nota, quæ ſit vera oratio, & in veritate facta, quæ ſcilicet non ficta, ſed vera bona petit, hoc eſt ipſum Deum. tum vide quàm egeamus Dei bonis, quàm egeni ſimus, *Pannoſam carnem mortalitatis portantes*. etiam ſi byſſo, & purpura induaris. eſt autem illud piè admodum, & præclarè dictum, *deſideraſti tanta à Deo, deſidera ergo & ipſum Deum.*

In hac vita pannoſi, & egeni ſumus & mendici Dei.

Ex Pſalmo CXLV.

Deliciæ ſpiritus Dei laudatio.

1 *LAuda anima mea dominum, &c.) Deliciæ ſpiritus noſtri diuina cantica ſunt, vbi & fletus ſine gaudio non eſt. fideli homini, & peregrino in hoc ſeculo nulla iucundior recordatio, quàm ciuitatis illius, vnde peregrinatur. vnuſquiſque veſtrùm totus hic ſit, & hìc non ſit: ideſt totus ſit in verbo Dei, quod ſonat in terra, vt ab eo exaltetur, ne ſit in terra.* pulchrè ait. totus hìc ſis: attende ſcilicet audiendo verbū Dei, & tamē hìc non ſis, referens animū, dū audis, ad cœleſtia. Vide autem vbi ſit vera voluptas: *Deliciæ ſpiritus noſtri diuina cantica ſunt.*

2 *Lauda anima mea dominum.) Quis dicit? caro nè dicit, lauda anima mea dominum? & poteſt caro bonum conſilium animæ ſuggerere? etiam cum corpus fuerit ſpirituale in ſocietate Angelorum, ne ſic quidem dabit conſilium animæ; ſemper enim, quà corpus eſt, infra animam eſt; etiam ſi ſit anima vitijs inquinata, tamen melius eſt ſordidum aurum, quàm purgatiſſimum plumbum; anima enim ſpiritalis eſt, vicina ſubſtantiæ Dei, inuiſibile quiddam eſt; regit corpus, dirigit ſenſus, præparat cogitationes, exerit actiones, ſapit rerum infinitarum imaginem. ecquis eſt, qui ſufficiat laudibus animæ? & ſi in animæ laudibus deficitur, quæ laus eſt eius, qui animam condidit? & tamen tanta eſt eius gratia, vt dicat hic: lauda anima mea dominum. quis poteſt laudare Deum? ſi diceret, te ipſam lauda, fortaſſe deficeret, conare tamen pietatis affectu. expedit tibi deficere laudando Deum, quàm proficere laudando te.* Eleganter dictum præſertim hoc vltimum. pulchrum item eſt quod ait de ineffabili animæ præſtantia: tantum ponit diſcrimen inter corpus, & animam, quantū inter plūbū, & aurum. & rectè plumbo illud cōparat; nā *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animā.* Tum reſpōdet ad quæſitum: *Quis ergo eſt, qui dicit: lauda anima mea dominum? an fortè anima ipſa ſibi dicit? ſibi quodam modo imperat, & ſe hortatur, & excitat? quibusdam enim perturbationibus ex quadam ſui parte fluctabat; ex quadam verò parte, quam vocant mentem rationalem, quà cogitat ſapientiam, reuocat ſe ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad ſuperiora, & dicit: collige re ad te ipſam; quicquid tibi foris placet, quære quem habeat auctorem. quid melius in cœlo ſole, luna, ſideribus? miraris fabricam? ama fabricatorem. iam diù occupata vixiſti, & deſideriorum diuerſitate verberata, portas plagas ſaucia, diuiſa per amores mundanos, vbique inquieta, nunquam ſecura; colligere, &c.* pulchrè inducitur anima reſipiſcens, colligens ſe intra ſe, loquens ſibi. rectè vocat plagas, & vulnera, quæ falsò videbantur iucunda. initium eſt ſanitatis, ſauciam ſe agnoſcere.

Anima præſtat corpore vt aurum plumbo.

Anima colligens ſe intra ſe corrigit ſe.

3 *Laudabo dominum.) Quando imples laudator excellentiam laudati? ecce ſæpè labia prolixius mouentur ad cantum; cogitatio autem neſcio per quæ deſideria volabat.* Ideò addit, laudabo dominum in vita mea, quia modò in morte mea ſum. ideò alibi ait, ſe viſurum bona domini in terra viuentium. nempè, hæc verè vita non eſt, mors potius. Græci appellarunt corpus σῶμα quaſi σῆμα ideſt ſepulchrum. acutè autem notat, cur in futuro dicat, *Laudabo*, ob innumeras diſtractiones volaticæ mentis in orando, dum ſumus in terris. huc facit quod addit.

Mens volatica ob multas diſtractiones.

4 *Laudabo dominum in vita mea.) Ideſt ſpes mea es tu hic, portio autem non hic, ſed in terra viuentium: hæc morientium*

Deus perfecte laudatur in patria.

tium est; & bonus & malus ambo transcũt, sed non ambo ad vnum transeunt: pauper in Abrahæ sinum, diues in tormenta Inferorum; vicini corpore in terra, hic in domo, ille ante ianuam; at post mortem tantum separati, vt diceret Abraham: Inter vos, & nos Chaos magnum firmatum est. Nota interpretationem: cum varijs modis laudasset Deum, videns se imperfectè laudasse, ait: *laudabo in vita mea*, idest vbi verè viuemus, in patria; nunc viuimus tantùm in spe. & nota de Lazaro, & diuite, quanta vicinitas, & quanta distantia; quanquam, & antea etiam erat procul corde diues à paupere. sed mirum, quod qui quasi cęcus erat claudens oculos ad pauperem, & nauseans videre eius vlcera, postea tam lynceus esset, vt cum videret fœlicem, etiam cum chaos intermedium longissimè esset. fuit hoc ad pœnam oculorum, quos clauserat pauperi, vt tam acutè postea aperiret ad pœnam.

Æternitatis encomium.

5 *Psallam Deo meo quandiù sum.) Videte quale erit illud esse, vbi sempiternum esse erit. in æternum erit illud Diù, & illud verè Diù erit*. breue, sed elegans æternitatis elogium. præ illa nunc verè, & propriè non sum, vix sum, & hoc ipsum in Deum laudandum impendere totum nequeo, ob corporis necessitates.

Creaturę aspectus ad creatorem deducit.

6 *Qui fecit cœlum, & terram, &c.) Miraris Mundum, quare non Artificem Mundi? suspicis cœlum, & horrescis; cogitas vniuersam terram, & contremiscis. maris magnitudinem respice, innumerabilitatem stellarum respice, tot genera seminum, tantas animalium diuersitates, quicquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aere, circuit in cœlo: omnia ista quàm magna, quàm pretiosa, quam pulchra? ecce qui fecit hæc omnia Deus tuus est: pone ibi spem, vt sis beatus*. recte ex aspectu creaturæ ad conditorem animum referendum monet. habuit hoc inter cetera noster Ignatius, vt ex cœli pulchritudine ad Dei laudem raperetur.

Hæretici puniri soliti à catholicis principibus.

7 *Facientem iudicium, iniuriam patientibus.) Ne igitur se extollant hæretici, quando fortè patiuntur ex iussionibus Principum terrenorum. si ius fecisti, iniuria est, quam pateris. an ius est Ecclesiam Christi conscindere?* Nota hæreticos solitos à principibus Catholicis ex zelo puniri. Tum de eorũ perfidia conqueritur. *Inter tot scandala hæreticorum gemit Ecclesia, & videt per malas suasiones, & fraudes eripi de gremio suo infirmos paruulos, pertrahi per nescio quæ secreta malarum speluncarum, rebaptizari, exsufflari in eis Christum; occidi in eis non mortale illud suum, quod homines sunt, sed illud quod in æternum victuri sunt*. scilicet & nostra ætate gemenda tanta clades animorum facta per Lutherum, & Caluinum in primis.

8 *Qui dat escam esurientibus.) Omnibus Ipse dat escam, & nullam seruat escam dilectis suis? si habent aliam famem, habent, & aliam escam: Beati, inquit, qui esuriunt iustitiā. famelici Dei esse debemus, ante ianuam conspectus illius in oratione mendicemus*. Vide peculiarem escam, & proprias epulas amicorum Dei, virtutes scilicet: harum fames nos acuat, & ideò exercitatione bonorum operum vtendum. pulchrè dictum, *famelici Dei esse debemus*. præsertim ad Eucharistiam hoc pertinet.

Famelici Dei esse debemus.

9 *Qui soluit compeditos, erigit elisos.) Vnde sumus cõpediti? vnde elisi? corpus nostrum ornamentum nobis fuit; peccauimus, & compedes inde accepimus. quæ sunt compedes nostræ? mortalitas ipsa. audi Apostolum; Cupio dissolui, &c. & tamen misericorditer volebat adhuc esse in corpore propter alios compeditos Manere, inquit, in carne necessariũ propter vos. dominus ergo soluit cõpeditos, idest ex mortalibus immortales facit*. Nota quod ait, Adamo corpus in ornamentum, & quasi pretiosā clamydem datam, per peccatum in compedes mancipij cessisse, quod ostendit Paulus dicens, *cupio dissolui*. nec tamen has cõpedes obstare ait iusto ad progrediendum in via virtutis, *Apostolus Paulus in ipsa peregrinatione compeditus erat; quanta peragrauit compeditus iste? non illi fuerunt graues compedes; cum ipsis compedibus toto Orbi Euangelium prædicauit. Spiritus charitatis rapuit compedes, & comminuit quantum potuit*. pulchè dictum, mortalitatis vincula non impedire apostolici viri cursum per totũ Orbem, sed ea frangi spiritu charitatis in lucrando proximo, ex zelo Dei. potest hoc egregiè referri aliquo modo ad S. Xauerium, qui voluntario cruciatu cruribus suis compedes iniecit, sed miraculosè dominus soluit compedes, vt expeditus percurreret Orbem terrarũ. immò mortalitatis ipsius cõpedes ei charitas soluit, in quātũ licuit, adeò fuit totus cœlestis, & corpore ipso diu post mortem integro. *quanta peragrauit compeditus iste? &c.* quot regiones, quot regna? vltra Oceanum penetrans terminos Mundi.

Corpus Adamo ante peccatum ornamento erat; postea cessit in compedes.

Xauerij mira per Orbem peragratio.

10 *Erigit elisos.) Quare elisi? quia erecti erant. cecidit atque elisus est Adam. descendit Christus, qui non cecidit, vt leuaretur, qui cecidit*. Vide superbi stultitiam. elisus in terram, & fractus est per peccatum, tamen erigere se conatur per arrogantiam. sed erectio tantùm per Christi dexteram fit.

Adam per peccatum recidit, elisus à Christo arectus.

11 *Pupillum, & viduam suscipies.) Quia absens nũc pater noster, ideò & Ecclesia vidua quasi absente sponso magno desiderio rapitur, & amore eius, quē non videmus desideramus. inhærebimus amplexibus visis, sed non dũ visis fide detinemur*. Vide quo affectu suspirandũ sit ad Deum. est hoc contra confidentiam humanam, quid enim pupillo, & vidua desertius? itaque ait, si præsumas de auro,

In hac vita pupilli Deifiamus indigi.

auro, de amico, non es pupillus. destituta anima omni auxilio dicitur pupillus, & vidua; habes aurum, amicos, &c. *Non inde præsumas; pupillus Dei es, & vidua Dei.*

Deus nobis regnat, & in nobis.

12 *Regnabit dominus in æternum.) Gaude, quia tibi regnabit, gaude, quia tu es regnum eius: es certè ciuis de Sion, non de Babylone.* Vide vt Christi gloria ad nos redundet: nobis regnat, & in nobis. rectè igitur Paulus monet, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

Ex Psalmo CXLVI.

Bono Dei cantico obstrepunt mali mores.

1 D*Eo nostro iucunda sit laudatio.) Vis vt Deo tuo iucunda sit laus? noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis, plus ille attendit quid viuas, quàm quid sones. Dei aures, non ad os, sed ad cor; non ad linguam, sed ad vitam laudatoris patent.* huc refero illud Lacedæmoniorum, qui bonam licèt sententiam à malis infecto moribus oratore audire noluerunt, sed eam in ore viri probi posuerunt: pulchrè dictum malos mores quasi tumultu quodam, & absono strepitu, orationis melos impedire. Addit. *Cum voce cantaueris, silebis aliquando; vita sic canta, vt nunquam sileas.* Vide discrimen: cantus, qui voce fit, interrumpitur; vitæ concentus perpetuus est, nec vnquam desinit permulcere aures Dei. *si ergo bene agis, etiam cum reficis corpus, gratias agens Deo, qui tibi mortali præbuit ista supplementorum solatia: cibus, & potus tuus laudat Deum.* Multò magis puto dicendum de religiosis, qui ex obedientia omnia agunt. non modò vigiliæ, sed somnus ipse, & cessatio ab opere, opus est Deo gratum.

Christi corpus quasi marsupium sanguinis pretium ad redimendum. habet.

2 *Laudate dominum, quoniam bonus.) Misit pater ad captiuitatem nostram filium redemptorem: porta, inquit, sacculum tecum, ferto ibi pretium captiuorum. tulit mortalitatem carnis, ibi erat sanguis, quo fuso redimeremur. illo sanguine collegit dispersiones Israel.* pulchrè dicit, Christi corpus tanquam sacculum aurea moneta, seu pretio, ad captiuos redimendos plenum fuisse, hoc est sanguine pretioso; & vt nihil remaneret in sacculo, excussa tellure, etiam si quæ guttæ manebant in corpore, delapsæ sunt.

Sacramenta fasciæ sunt nostrorum vulnerum

3 *Alliga contritiones eius.) Quæ sunt alligamenta? temporalia sacramenta, alligamenta sunt medicinalia contritionis nostræ. quemadmodum autem perfecta iam sanitate medicus detrahit ligaturas; sic in illa ciuitate Hierusalem cum æquales Angelis facti fuerimus, &c.* pulchrè ostendit, in hac vita adhuc præferre nos vestigia infirmitatis nostræ. sacramentis quasi fascijs obligamus vulnus; in patria prorsus sani, his non egebimus. quantò hæc nobiliora alligamenta vulnerum, quàm quod Alexander adhibuit Lysimacho, cum eius vulnus proprio diademate alligauit?

4 *Qui numerat multitudinem stellarum.) Quid magnum Deo numerare multitudinem stellarum? hoc & homines conati sunt; viderint vtrùm implere potuerint: sed sunt stellæ quædam lumina in Ecclesia, consolantia noctem nostram, de quibus Apostolus: in quibus, inquit, apparetis tanquam luminaria in hoc Mundo: illas stellas numerat Deus, omnes secum regnaturas. multi quidem crediderunt, nouit tamen ille quid numeret; nam tanta est celsitudo Euangelij, vt fieret illud psalmi: Annumerabis, multiplicati sunt super numerum: sunt ergo in populis, & supernumerarij quodammodo, idest plusquam ibi futuri sint; intra parietes istos plures sunt quàm futuri sunt in regno Dei, ipsi super numerum sunt. animaduertat quisque vtrùm luceat in tenebris; si seductus non fuerit in iniquitate seculi tenebrosa, tanquam stella erit, quam iam numerat Deus.* acutè ad mysterium refert, quid enim magnum Deo est, numerare stellas hasce, quas Astrologi numerant? Tum nota, de ipsis auditoribus suis Augustinus non omnes saluandos dicit, nisi qui vt stellæ fulgeant. proh quanta perfectio requiritur ad salutem. eleganter ait, prædestinatos esse in numero, præscitos verò quasi supernumerarios.

Prædestinati quasi stellæ in numero sunt apud Deum.

5 *Et omnium nomina vocat.) Ibi est totũ præmium, vt nouerit Deus nomina nostra. hoc sperare, hoc agere, hoc satagere debemus, non de alijs rebus gaudere, non de donis ipsis spiritualibus: alij quidem datur sermo scientiæ, &c. sed multi male vsi tot donis, audient in fine: Non noui vos. quid est ergo esse iam lumen cæli consolans noctem, & quod non vincatur à nocte? Adhuc, inquit Apostolus, supereminentem viam vobis ostendo; si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, &c. quale donum est loqui linguis Angelorum? quale donum est illud Martyris? tamen, si charitatem non habeam, nihil mihi prodest. propterea, vt haberent discipuli charitatem, quos volebat facere in cælo stellas, ait illis: Nolite in hoc gaudere, quia Spiritus subiecti sunt vobis, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo: sciens videlicet in fine Mundi multos dicturos: nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? quibus tamen dicturus est, non noui vos.* Vide quid nos inter stellas numerare faciat, & nomine dignos, charitas, hæc stellis inserit, hæc vana nomina, quæ Astrologia dat, vera facit, vt alius Orion dicatur armatus gladio verbi Dei, alius Arcturus custos Ecclesiæ, &c.

Charitas nos inserit astris.

5 *Magnus dominus, &c. & intelligentiæ eius non est numerus.) Impletus est gaudio, eructauit ineffabiliter, nescio quid, dicere non valebat. ille ipse, qui numerat multitudinem stellarum, numerari non potest. quis hoc exponat? quis dignè vel cogitet hoc? & intelligentiæ eius*

non

non est numerus; nunquid est arenæ numerus? nobis non est, Deo est. quicquid finitum Mundus iste complectitur, parum dico de Angelis, numeratum est; intelligentiæ eius non est numerus, excedis omnes numerarios, intelligentia eius à nobis numerari non potest; ipsum numerum quis numeret? si quicquid numeratur, numero numeratur, numeri non potest esse numerus. Deo dicitur: Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti; sed quis ipsam mensuram, & ipsum numerum, & ipsum pondus, vbi Deus omnia disposuit, potest aut metiri, aut numerare, aut appendere? conticescant humanæ voces, quiescant humanæ cogitationes; ad incomprehensibilem non se extendant quasi comprehensuri, sed tanquam participaturi. pulcher, & elegans locus de incomprehensibilitate Dei; & nota, quo gaudio cor afficiatur in eius contemplatione. illud argutè dictum, *Ille ipse, qui numerat multitudinem stellarum, numerari non potest*: nimirum quia incõprehensibilis est; infinitæ sunt eius perfectiones. dixerat: *omnium nomina vocat. & subiungit, intelligentia eius non est numerus*. Et pulchrè dictum, *ipsum numerum, quis numeret?*

Duus ipse numerus est nu merari tū potest ob infinitas perfectiones.

7 *Humilians peccatores vsque ad terram) Caro ista terra est, & ex terra facta, quicquid per sensus capis, ad hanc terram pertinet. Manichæi humiliati sunt vsque ad terram, vt quicquid de Deo cogitarent, non nisi corporaliter cogitarent. quicquid audis in fabulis Manichæorum, non nisi quædam figura corporalium imaginum sunt. volentes intelligere Deum, vsque ad lucis istius visibilis cognitionem venerunt, vltra ire non potuerunt; & tales campos lucis fecerunt in Regno Dei, qualem viderunt hunc Solem, quasi fructum lucis illius*. Putabant Manichæi Christum ascẽdẽtem, corpus in Sole reliquisse, & hunc esse Christum: huc videtur alludere. tùm monet, in diuinis abstrahendum animum a visibilibus. *Quid ergo debemus facere nos, si nolumus humiliari vsque ad terram? quia magnum est proficere vsque ad intelligibilia, & spiritalia; qualis est enim species sapientiæ? quis illam cogitet? longa est? quadrata est? rotunda est? modò hic, modò ibi est? cogitat sapientiam nescio quis in Oriente, cogitat illā alius in Occidente; in tanta locorum diuersitate ambobus præsto est. quid hoc est? quis illud capit? vnam substantiam istam quandā diuinam, incommutabilemq; naturam*. pulcher locus de Dei incommutabilitate, & præsentia.

In Dei cognitione abstrahendus animus à corporeis & visibilibus.

8 *Incipite domino in cõfessione) Si vis à via fidei perduci ad possessionem speciei, incipe in confessione, sæpiùs accusa*. sic legit. *Incipite* vbi nota, eum, qui se excusat, nè principiū quidem spiritus habere.

9 *Qui exoriri facit in montibus fœnum)* Diuites intelligit, qui eleemosinam dant. *Ecce mons es, accipe pluuiam, & da fœnum; da pauperibus, & habebis thesaurum indeficientem in cælis. quid daturus es nisi fœnum? etenim ista omnia, quæ ad necessitates seruientium Deo dantur à diuitibus, quid sunt nisi fœnum? carnalia sunt, ad tempus apparentia, sed non inde aliquid carnale conquiritur: Si nos, inquit, spiritalia seminauimus, quid magnum est, si carnalia vestra metamus? licèt non accipiant, non petant, tacitis dandum est: Beatus, inquit, qui intelligit super egenum, & pauperem. alius te quærit, sed alium tù debes quærere indigentem. vtrumque dictum est: Omni petenti da, & alibi: Sudet eleemosina in manù tua, quoadusque inuenias iustum, cui eam tradas*. rectè monet, nec diuitem debere sè iactare de eleemosina, quasi magnum aliquid egerit. nec pauperem, in primis religiosum, ea accepta, libertatem arguendi de peccato, & aculeum dimittere. fœnum, ac vile quiddam est, etiam si des aurum, quicquid terrenum datur, sed retributio, cœlestis. Nota item peculiariter de Dei seruis, idest religiosis: *licet non accipiant, non petant, tacitis dandum est.* immò verò cum diligẽtia quærendi, vt detur. Vnde pulchrè dicitur: *Sudet eleemosina, in manu tua*. vel quod nõ de alieno, sed de tuo labore, ac sudore dandum; vel quod anxietatem, & sollicitudinem in quærendo iusto, ac religioso, cui des, indicet. Deinde modum ostendit benefaciendi. *Nunquam hoc facietis, nisi aliquid de rebus vestris sepositum habueritis, tanquam debitū, quasi fisco reddendum. si non habet rempublicam suam Christus, non habet fiscum suum: fiscus saccus est publicus, ipsum habebat dominus in terra, quando loculos habebat; non quod indigeret qui de quinque panibus tot millia hominum pascit, & cui Angeli seruiebant; sed vt daret exemplum montibus, vt parerēt fœnum, ne aduersus pluuiam sterilitatem redderent. præcidite ergo aliquid, & deputate fiscum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæstibus vestris*. pulchrè ait, Ecclesiam esse quasi Christi rempublicam, & proindè habere quasi fiscum principis, in cuius ærarium quisque subditorum partem inferat de suis bonis.

Fœnum est quicquid largiris egeno.

Religiosis etiam non petētibus benefaciendum.

10 *Non in potentatu equi, &c.) Potentatus equi superbia est; videtur enim equus velut ad suggestum hominis accommodatus, vt altior incedat; & est in equo ceruix indicans quandam superbiam. non se extollant homines in suis dignitatibus, nec sè sublimes putent honoribus; caueant ne in equo indomito præcipitentur; scriptum enim est: Hi in curribus, & hi in equis, &c. & mox: Illis obligati sunt pedes. & ceciderunt*. Regi hebræorum iubet Deus: *Non multiplicabit sibi equos*. de equi superbia, ac ferocitate pulchrè habes apud Iob. & eleganter hìc dicitur equus velut ad suggestū homini accommodatus, vt altior incedat, quod & in bonum acci-

Equus superbiæ typus est.

pi potest,iuxta illud. *Qui ascendis equos tuos,&c.* si ad generositatem referas.

Ex psalmo CXLVII.

1 *Aggai,& Zacharia psalmus).Si alia vita nulla est,feliciores nobis sunt, qui hodie ad amphitheatrum vigilarunt. quid enim ait Apostolus? Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus hominibus sumus. est ergo alia vita: quod si fidem excitaueris, si illam vitam cogitaueris,, & illius vita negotium otiosum, non fluctuabit negotium nostrum; otiosum negotium, plenum solius dulcedinis, nulla fatigatione sauciatum, nulla mole perturbatum. negotium nostrum quod erit? laudare in amore, amare in laudibus Deum: Beati, inquit, qui habitant in domo domini, in sacula saculorum laudabunt te. quare laudabunt te? nisi quia amabunt te,nisi quia videbunt te:vident homines venatorem, & delectantur; sed videbunt Saluatorem, & contristabuntur? quid ijs miserius? non mirum,quia quibus est voluptati homo pugnans, non erit saluti Deus liberans.* eleganter eos arguit, qui amphitheatri spectaculo delectantur, & pugna bestiarum,cum studium suum potius conuertere deberent ad laudandum Deum. pulchrè item appellat. *otiosum negotium:* beatorum laudantium Deum sine intermissione,sed cũ voluptate,& requie. Tum excitat animum ad cœlestia. *Rogo vos in illa Ciuitate esse,de qua loqui tantum gaudiũ est. huic futura vita corda parare debemus. quisquis ei cor praparat,vitam istam contemnit.* rectè monet,hanc vitam esse quandam præparationem, & dispositionem cordis ad alteram; vt euacuatum omni affectu terreno,& charitate dilatatum,capax fiat suauitatis æternæ.

Otiosum negotium beatorum Dei laudatio perpetua.

2 *Collauda Hierusalem Dominum.) In captiuitate constituti premittunt gaudium spei, & anhelant in illam Ciuitatem, quasi coniungentes corda sua Angelis Dei, & futuro illi populo,secum in gaudio permansuris.* Vide quàm ingenti desiderio cœlestis gloriæ affici debeamus. anhelandum, & corda iam nùnc coniungenda cum Angelis dicit:cõiungimus autem,si cor ipsum Angelica puritate sit mundum, si eodem dilectionis in Deum affectu ardeat. Addit, ideò beatos solùm in Deo laudando fore detentos,quia non erit ibi hospes, quem recipias;non æger,quem visites, &c. *Ecce hoc solum negotium tuum est; sicut solet in titulis scribi: bene felix.* pulchrè dictum de sola,& perpetua Dei laude in patria,cum nulla ibi nec nostra,nec aliorũ necessitas sit, qua distrahamur. Tũ nota, quàm pulchrum elogium scribendum sit pro titulo in triphęis beatorũ.*Verè felix.*Deindè eos increpitat,qui ob munus,idest ludos theatricos, qui dabantur eo die, templum adire neglexerant. *Propterea non venerunt, quia munus est: cui munus est? cui damnum? non enim illi tantùm, qui spectacula edunt, damno feriuntur, sed maiori damno percutientur, qui talia intuentur. illorum arca auro exinanitur, istorum pectus iustitia diuitijs expoliatur.plangunt plerique editores, vendẽtes villas suas,quomodo plangere debent spectatores perdentes animas suas?* argutè ostẽdit, & eos,qui ludos dant,damnum accipere,& eos qui spectant. itàque ait. *Obsecro vos, ò ciues Hierusalem, vt oretis dominum, vt intenti in illa spectacula theatralia, aliquando & se spectent: aliquando nos quoque illic sedimus, & insaniuimus. quàm multos putamus illic nunc sedere, non solùm Christianos,sed etiam Episcopos futuros?* Vides insaniam vocari spectaculum theatri. egregiè autem dictum de nullius vita esse desperandum in melius, si se ipsum pro spectaculo habeat: fortasse aliquid præclarum de illo molitur Deus.

Cœlo anhelandum coniuncto corde cum Angelis.

Spectacula theatri cũ & præbentibus & spectãtibus.

3 *Collauda Hierusalem dominum,lauda Deum tuum Sion). Collauda, quia ex multis constas; lauda, quia vnum facta es: Sion est speculatio, Hierusalem visio pacis. videte si aliud sonant ista nomina nisi spectacula: nè putent gentes se habere spectacula,& nos non habere. aliquando dimisso theatro, cum caperit in illa cauea euomi turba perditorum, vident transire seruos Dei, cognoscunt ipso habitu,vel vestis,vel capitis, vel fronte notos habent, & dicunt apud semetipsos: ò miseros istos, quid perdunt? rogemus dominum pro beneuolentia ipsorum,quia bene nobis volunt, tamen ipsa dicenda beneuolentia non est; dolent nos perdere quod amant, oramus ne perdant quos amamus.* Nota quàm abhorrerent olim religiosi à publicis spectaculis, etiam si à mundanis putarentur stulti, quod his oblectamentis carerent. Tum vide quanta esset modestia religiosorum, quos non modò habitu vestis,sed *vel frõte notos* haberent.

Mundani stulte putant religiosos miseros quia voluptatibus carẽt

4 *Quoniam confortauit vectes portarum tuarum.) Attendite; vectium confirmatio portarum non apertarum, sed clausarum est. conclusam Hierusalem dicit laudare Dominũ; laudamus modò, sed inter scandala; multos intrantes dijudicare non possumus; multos exeuntes tenere non possumus.confirmauit, inquit,vectes ferreos. nemo exeat, gaudemus; nemo intret, timemus. nè hoc timeas cum intraueris, esto tantùm in numero Virginum sapientum.* rectè de securitate beatorum. Tum ex occasione digreditur ad misericordiæ commendationem; vbi notanda est illa sententia. *Superflua diuitis necessaria sunt pauperum; res aliena possi-*

possidentur, cum superflua possideantur. Indicat diuitias superfluas non videri proprias diuitis, nec verum dominum de ijs ipsum dicendum, quia debentur pauperi; ac proinde ijs non reddere, quasi furtum est. tandem pulchrè concludit: *Deus egere à te voluit, & tu manus retrahis? de illius das qui iubet, vt des.*

Charitas quasi mater parturiens iustos.

5 *Benedixit filijs tuis in te.) Non peregrinantur foris; intus gaudent isti filij sancti, parturiti, & parti matre charitate.* audi charitatem parturientem illos, qua præditus Paulus, non solùm paternum, sed etiam maternum amorem congerens in filios: *Filioli, inquit, quos iterum parturio. colligat quos parturierit, & peperit: modò iam intus filij securi sunt. volarunt iam de nido timoris, volarunt in cœlestia, volarunt in æterna, nihil metuunt temporale.* pulchrè dicit, charitatem quasi matrem parturiisse Sanctos, & lætari de securitate prolis. pulchrè item, iustos de hoc seculo quasi de nido timoris ceu columbas euolasse sursum in ampla spatia æternitatis, quò non accedit accipiter.

Pretium possessi Orbis terræ sanguis Christi.

6 *Qui posuit fines tuos pacem.) Vide commercium redemptionis: vnde? quanti emit? & tunc videbis quod emit: sanguine suo emit, vnici filij Dei emit. quid emit? adhuc vide quanti: Foderunt, inquit, manus meas, & pedes meos; & mox: Reminiscentur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ. in vno, eodemque psalmo emptorem video, & pretium, & possessionem. emptor Christus est, pretium sanguis, possessio Orbis terrarum.* hæreticos arguit, Ecclesiam Christi possessionem perturbantes; vbi meritò notat quanti hæc possessio constiterit, ac tria in paucis verbis aduertit. hinc autem collige aptè supra ab ipso legi: *factus est sudor eius sicut globi sanguinis, &c.* globosa & orbicularis illa figura hoc indicabat: *pretium sanguinis possessio Orbis terrarum.*

Heretici canes latrantes.

7 *Qui posuit fines tuos pacem.) Tu contra ista latras, hæretice. meritò dicitur in illa ciuitate, quod scriptum est in Apocalypsi: Canes foras.* Vide quid sint hæretici, tot Cerberi, latratu infesti: sed his opposuit Deus cœlestem canem sub S. Dominici persona. Tum Manichæos, qui se solos Ecclesiam in Aphrica facere dicebant, eleganter exagitat: *Hæc hæresis damnat totum Mundum: perijt, inquam, totus Mundus, Aphrica remansit. de quo tribunali dicis tu sententiam in Orbem terrarum? in quo foro ante te Mundus stetit? quo tribunali, inquam, iudicas? præsumptione videlicet cordis tui. altum tribunal, sed ruinosum; Vide alterum tribunal; cum diues ille, qui torquebatur in flamma, oraret Abraham, vt mitteret ad fratres Lazarum, respondit: Habent Moisen, & prophetas. sententia Abraha est. vbi? & vnde? de quodam excelso loco, & pleno quietis, & felicitatis. vidè de quo tribunali.* pulchrè Lazarū in sinu alto, sed tuto Abrahæ, & tā quā de tribunali Abrahā ipsū iudicē inde loquentem inducit, ac diuitem reum condemnantem. pulchrè item hæreticos, qui se solos non errare dicunt, & alios condemnant, tanquam de alto quodam superbiæ tribunali, sed quod facile corruat, ferre sententiam, ait. Tum sic vrget Donatistas: Quare nec vos creditis Mosi, & prophetis? an & vos vultis aliquem resurgere à mortuis? *Quid dixit Moses? in semine tuo benedicentur omnes gentes. quid dixerunt Prophetæ? Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: vultis & aliquem resurgere à mortuis? ecce & ipsa veritas resurrexit ab inferis. ecce Christus resurgens ex mortuis ostendit se discipulis. nuptiæ ipsius, ipse sponsus, Ecclesia sponsa: ecce sponsus, qui dicebatur absumptus, probatur contrectantibus manibus; ecce tetigerunt cicatrices, qui desperauerunt vulnera; hortatur, confirmat in fide.* egregiè Christum resurgentem vocat sponsū; loco autē Ecclesiæ sponsæ, anima Thomæ est credentis in contrectando. huc igitur refero illud Oseæ: *sponsabo te mihi in fide. Infer, inquit, digitum tuum in manus meas.* atqui, *manus eius tornatiles, aureæ*, dicuntur, vel vt alij vertunt, anuli aurei, siue ob figuram circularem, siue potius quia plenæ anulis aureis: tunc igitur animam Thomæ sibi sponsauit in fide. *Noli, inquit, esse incredulus, sed fidelis.* Denique in hac vita fide nos exerceri ait. *Ad ipsum gaudium condiendum, noluit dominus statim agnosci; tenuit visus duorum discipulorum, quos inuenit in via colloquentes.* Nota, cur Christus in Eucharistia videri nolit: ad condimentum scilicet beatitudinis: nempe, *satiabor cum apparuerit gloria tua.* præsertim cum duobus illis discipulis dominus Eucharisticum panem porrexisse putetur. condimētum incitat famē, ità illa occulta Christi præsentia in nobis excitat desiderium videndi illum in æterna felicitate: *ad gaudium condiendum noluit dominus statim agnosci*: fides igitur est gaudij condimentum.

Hereticorum tribunal propria superbia.

Abrahæ Iudicis tribunal.

Thomas credens resurgenti loco Ecclesiæ sponsæ.

Fides cōdimētum est gaudij

8 *Usque in velocitatem currit verbum eius.)* sic legit, vbi vulgata, *Velociter currit sermo eius. Non ait: velox est, sed vsque ad velocitatem currit: quid autem ipsa velocitate velocius? vbique est, non in parte. hoc pertinet ad Verbum Dei, non esse in parte, vbique esse per se ipsum Verbum; si cogitemus Verbum æquale Patri, ipsa est sapientia Dei, de qua dictum est. Attingit à fine vsque ad finem fortiter. & cum multa dicerentur de sa-*

pientiæ spiritu: acutus, inquit, mobilis, certus, incoinquinatus. cum mobilis dicitur, non tamen hoc tangit, illud deserit, &c. vt fit in re mobili. *hoc facit velocitas, vt & vbique sit semper, & nusquam inclusa teneatur, velocitas feruens est, & omnia feruentiora velociora sunt: nos tardi & frigidi corporis tarditate; non tamen deseruit nos. pigri in hac terra quasi congelauimus; & sicut niues sursum gelant, & in ima decidunt, sic frigescente charitate decidit humana natura in has terras, & pigro corpore inuoluta veluti nix facta est.* Vide quàm distemus a diuina sapientia ob huius mortalitatis torporem, & gelidā stupiditatē, cū illa tota sit amoris æstus, & velocitas. acutè autem lapsum nostrum ad ima, tribuit amisso feruori, & frigiditati, quod religiosi in primis adnotent. huc spectat quod sequitur.

Feruor in spiritu cōmendatur torpor arguitur.

9 *Qui dat niuem sicut lanam.) idest de istis pigris spiritu, & frigidis adhuc facturus est aliquid; lana materies, & veluti præparatio est ad vestem: ergo quia prædestinauit hos, qui ad tempus repunt frigidi in terra, qui non dum feruent spiritu charitatis; de prædestinatione enim loquitur; veluti lanam Deus hos dedit, facturus inde vestem; & meritò in monte vestis Christi fulsit sicut nix: fecit sibi vestem de Ecclesia, de illa lana, quam prædestinauit, in niue adhuc in hominibus pigris faciat vestem, vt abluatur à maculis, mundetur fide; vt rugam non habeat, extendatur in cruce. vt exhiberet, inquit, sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam.* Vides de nullo esse desperandum; quandoquidem etiam frigidos instar niuis in calidam lanam Deus mutat, vt intaxat Ecclesię vestimētū; q in transfiguratione significauit, cū *facta sūt alba sicut nix*

Deus pigros mutat inferuidos.

10 *Nebulam sicut cinerem spargit.) Cum enim vocatur quisque ad intelligendum Deum, incipit velle capere veritatem, sed non sufficit. videt se quandam caliginem pati; ad hoc est illa nebula, vt noueris nescire te, & noueris quid scire oporteat, & videas te inualidum ad illud sciendum. non erres in nebula, fide sequere. sed quia conaris videre, & non potes, pœniteat te peccatorum, & erit tibi salubris nebula, quæ sicut cinis sparsa est. quomodo fuit ista humilitas semper in magnis, & sanctis viris? Abraham, ego, inquit, terra, & cinis sum. & Iob; despexi me ipsum, distabui, & æstimaui me terram, & cinerem.* præclarè interpretatur. Deus nebulam spargit, cum accedentes ad ipsius intelligentiam, nec valentes capere immensitatem, se verè peccatores agnoscunt, & obtenebratos. *ita fit salubris nebula, quæ sicut cinis spargitur.* hinc sanct. doctores in difficultatibus præsertim circa rerum diuinarum cognitionem, recurrebant ad orationē, & pœnitētiā. rectè etiā notat. *Ne erres in nebula, fide sequere.*

Pœnitentia intelligentiam iuuat.

11 *Emittet crystallum suam sicut frustra panis) sic legit, vbi vulgata, buccellam: crystallus multum congelauit, neque, vt nix, facile dissoluitur: Nix multorum annorum tempore durata crystallum fit. fuerunt nimis duri, & ipsi prædestinati sunt, & vocati, vt pascerent alios. & essent vtiles alijs. quid imus per multos? Paulum Apostolum intuere, nihil nobis isto viro notius, nihil suauius, nihil in scripturis familiarius est. ecce crystallus hic erat, durus erat, obnitens veritati, aduersus Euangelium tanquam indurans aduersus Solem; certè gentes, quæ non audierant prophetas, vt ille, frigidæ erant, sed crystallus non erant. Paulus quia crystallus erat, nitidus videbatur, & candidus, hebræus ex hebræis, secundùm legem Pharisæus; vide nitorem crystalli, audi duritiam: persequens ecclesiam Dei. inter lapidatores Stephani erat ipse durus, & fortè ceteris durior; omnium vestimenta seruabat, vt omnium in manibus lapidaret. durus est, vt crystallus; sed spirabit spiritus, & fluent aquæ. Paulus iam in aqua viua gentes vocat ad fontem.* pulchrè Paulum quasi crystallum fuisse nitidam dicit, quia specie zeli Dei legis persecutor erat, & ideò durus, sed à Spiritu sancto liquatus in aquam, vocauit ad aquas baptismi alios. & nota illud elogium. *Nihil nobis isto viro notius, nihil suauius, nihil in scripturis familiarius.* ad eundem refer quod sequitur.

Conuersio nonnullorum alijs proficit.

Paulus ante conuersionē crystallus sed soluta æstu sancti spiritus.

12 *In faciem frigoris eius quis sustinebit?) Vide congelascentem Paulum. Miser, inquit, ego, quis me liberabit & c. ecce frigesco, ecce congelasco, quo calore soluar, vt curram? Gratia Dei per Iesum Christum.* pulchrè ostendit gratiæ calore nos solui gelu, vt curramus ad Deum. pulchrè itē addit. *Nō ergo desperet nix, nō crystallus; sed licet sint inter prædestinatos durissimi, & multo tempore cōgelauerint. nō erūt duri misericordiæ Dei: emittet verbū suū & tabefaciet, hoc est liquefaciet ea. duri sunt p superbiā, meritò et superbia stupor dicitur; quicquid enim stupidum est, frigidū est. quomodo ergo quasi mōtē niuis erigit stupor, sic stultos erigit superbia: sed mittet verbū suū & liquefaciet ea.* rectè superbos alto cumulo niuis comparat ob stuporē, ac torporē, rigoreq; sed calore sācti Spiritus soluti humiliter detument. Tum sic pulchrè. *Ecce Saulus velut crystallus erat; lapidabat Stephanum duritia quadam stupidus, in Christianos anhelans cædes, durus, & gelidus contra ignem Dei; sed emisit verbum suum, & liquefecit, clamat de cœlo feruidus, Saule, Saule cur me persequeris? vna voce tanta*

illa

illa durities resoluta est; non desperetur de crystallo, quantò minus de niue, vel nebula? clamat enim Deus ad gentes; solui crystallum, venite niues. acutè innuit, Saulum quoque ipsum lapides quodammodo iecisse in Stephanum, idest duritiam suam. item nota quàm bene sperandum sit de conuersione gentium, quas niui computat. facilè per Austrum soluendæ.

13 *Spirauit spiritus eius, & profluent aquæ.) Spiritus feruens, vnde alibi ait: conuerte domine, captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro. captiua enim Hierusalem tanquam congelauerat in Babylonia. flat, soluitur rigor captiuitatis currit in Deum feruor charitatis. spirauit spiritus eius, & fluent aquæ: fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* referri hoc egregiè potest ad eos, qui in seculo in Dei amorem frigidi erant, deinde per inspirationem sancti Spiritus quasi Austri calentis afflatum, soluto gelu, conceptoque feruore ad religionem concito cursu feruntur.

14 *Annuntians verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel) Tunc scilicet, cum fecit Deus ipsum Iacob luctari cum Angelo, in cuius persona luctabatur. tenuit, vim fecit; vt teneret, inualuit; vt teneret, fecit se teneri: misericordia, non infirmitate, luctatus Iacob præualuit; tenuit, & quem videbatur vicisse, rogat, vt benedicatur ab eo. quare violenter est luctatus, & tenuit? quia regnum cœlorum vim patitur, &c. quia cum labore quare vix tenemus quod facile amisimus? ne facile recipiendo quod amisimus, discamus perdere quod tenemus. laboret homo, vt teneat, tenebit ad firmitatem, qui tenuerat cum labore. hæc igitur iudicia sua manifestauit Deus Iacob.* Nota cur Deus tantum laborare nos sinat propter regnum cœlorum quia si sine labore nostro promitteret, per socordiam illud consequi negligeremus. eleganter autem exprimit luctam illam Iacob cum Angelo, Dei loco; *vt teneret, fecit se teneri, &c.* Vides quo strategemate Deus vtatur, vt vincat: astus iste pietatis est, non imbecillitatis.

Cur Iacob Angelũ vincit & tñ rogat.

CurDeus velit per labores cœlum acquiri.

Ex Psalmo CXLVIII.

1 L*Audate dominum, &c.) Meditatio præsentis vitæ nostræ in laude Dei esse debet, quia eructatio sempiterna futuræ nostræ vitæ laus Dei est; & nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui se ad illam modò non exercuerit.* Magni ponderis hoc dictum est. præsens vita exercitatio quædam est ad futuram: sicut in palæstra exercentur athletæ antequam ad locum ipsum luctæ veniant, vbi propositum est brauium: oratio exercitatio est. Sed rectè monet: *Laudate totis votis de totis vobis, vt Deũ. laudet non solùm lingua, sed vita: qui nõ cessat bene viuere, semp laudat Dñ tunc cessas laudare, quãdo deficis à iustitia. nam si à vita bona nunquam declinas, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum.* Vide quid sit verè laudare Deum, viuere secundùm Deum. itaque concludit, *Non tantùm ad sonum attendite cum laudatis, sed toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta.* pulchrè ostendit, tunc nos verè orare, cum oratio totum hominem velut absorbet, nulla ex parte distractum. vt suauis sit Dei auribus harmonia, omnia consonent oportet.

Perfectè tunc canitur Deo cum canitur vita.

2 *Laudate dominum, &c.)* Dei aures ad cogitationes nostras intendere ait. *Non potest fieri, vt habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes; facta enim de cogitatione procedunt; nec potest quisquam ad aliquod agendum moueri, nisi prius præcesserit iussio cogitationis. quomodo de interiori palatio quicquid iusserit Imperator per imperium Romanum emanat, quicquid videris agi per prouincias. quantus motus fit ad vnam iussionem Imperatoris intus sedentis? mouet solùm ille labia, cum loquitur: sic & in vnoquoque nostrum. intus est Imperator, intus in corde sedet: si bonus, bona iubet, vt fiant; sin malus, mala cum ibi sedet Christus, quid iubere potest nisi bona? cum Diabolus, quid nisi mala? in tuo arbitrio est vtri pares locum: cum paraueris, quis possidebit, ipse imperabit.* elegans, ac pulcher admodum locus de cogitatione; cor est tanquam regia Imperatoris, vnde imperat potentijs animæ, aut Deus, aut diabolus: inde edicta proferuntur, vt hoc, aut illud fiat. huc pertinet contemplatio illa præclara Ignatij in asceticis de duobus vexillis.

Cor est regia Christi vel diaboli.

3 *Laudate dominum de Cœlis.) Quasi inueniret tacentes in Cœlis laudem Dei, sic exhortatur, vt surgant, & laudent. nunquam cœlestia laudes conditoris sui tacuerunt. quare igitur cum laudent, dicit, laudate? quia delectatus est in eo quod laudant, & placuit ei, quasi adiungeret hortationem suam. sicut si venias ad operantes bonum aliquod siue in vinea siue in messe: places tibi quod faciunt, & dicis: facite, agite; non vt incipiant facere, sed adiungis gratulationem vt faciant, & voto quasi facis cum illis.* elegans similitudo. acutè quærit, cur Cælites ad Deum laudandum incitet, cum id agant; nam de Seraphim Esaias ait: *& requiem non habebant dicentes: Sanctus, &c.* sed nimirum gratulatur de hoc, & votum suum adiungit. Tum quærit, cur irrationabilia, & insensibilia etiam inuitet ad

laudem: *Quia & ipsa bona sunt, ad pulchritudinem vniuersi referuntur, quam condidit Deus; ipsa quidem voce sua, & corde suo, non laudant Deum, sed cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus quodammodo, & ipsa laudant Deum.* Vide vt defectum intelligentiæ, & amoris in talibus creaturis supplere debeamus nostra cognitione & affectu.

4 *Titulus est: Aggæi, & Zachariæ.*) Hi prophetarunt in captiuitate, & Hierusalē restaurarunt, ac significant nobis vitam futuram. *Ibi dicitur: Absorpta est mors in victoria, vbi ò mors contentio tua. contendunt nobiscum quotidie tentationes; & si nō consentimus, tamen molestiam patimur, & magnum periculum est, ne qui contendunt, vincantur. non cessat, & non moritur hostis, nisi in resurrectione mortuorum; tunc triumphabimus de diabolo, tunc mors nouissima destruetur.* Vide triumphum iustorum in resurrectione. inter opima spolia corpus ipsum erit; Capitolium cœlum. quanquam nonnulli penè in hac vita potiri triumpho visi sunt, vt raro exemplo Aloysius noster, qui vt alias diximus, hanc hostilē vim ita domuit, vt non sentiret. Addit; *Erigunt nos Aggæus, & Zacharias, cātant futuram liberationem nostram; & si corpus nostrum adhuc Babylone tenetur, cor nostrum ad Hierusalem præmittatur. non sine causa audiuimus: sursum corda; leuemus cor sursum ne putrescat in terra. placet nobis quod ibi agunt Angeli, modò nos spe, postea re.* pulchre dictum; præmittendum cor in cœlum quasi prodromum, aut cursorem, vel quasi pignus; & vide quàm indignè agant mundani, dum cor in terra defodiunt, vbi fit putre. hoc enim fit, cum terrenis inhiamus effectu.

Perfectus de tentatione triumphus non nisi in resurrectione.

5 *Præceptum posuit, & non præteribit.*) *Quale præceptum putatis habere cœlestia, & Angelos sanctos? quale, nisi vt laudent Deum? beati, quorum hoc est negotium laudare Deum. non frangunt ibi panem egeno, non vestiunt nudum, &c. opera sunt ista misericordiæ; ibi autem nulla miseria. ò beati; putamus erimus, & nos sic? eia suspiremus, de suspirio gemamus, & quid sumus, vt ibi simus? mortales, abiecti, terra, & cinis; sed qui promisit, omnipotens, an non facturus est Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? an pro minimo Deus habet hominem, propter quem mori voluit vnicum suum? attendite ad magnam dilectionem: & promissum; tales arrhas accepimus; tenemus sanguinem Christi; venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam; venit accipere quod hic abundat, supplicium, crucem, mortem, ad talia commercia venit. hæc scilicet abundant in regione nostra; attulit nobis de illa regione bona, accepit hic mala; promisit, quia ibi futuri simus, vnde venit.* pulcherrimus hic locus est, quo monemur vt suspiremus ad cœlestem patriam, vbi procul ab omni necessitate tuendi corporis, soli Deo vacabimus, Angelica quadam vita. Addit in hanc sententiam: *Victurus es in æternum. non credis? plus est quod fecit, quàm quod promisit? quid fecit? mortuus est pro te. quid promisit? vt viuas cum illo. incredibilius est, quod mortuus est æternus, quàm vt in æternum viuat mortalis. an non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui viuit in æternum? & potest mori Deus? accepit ex te, vnde moreretur pro te. vbi se induit morte? in virginitate matris. vbi te induit vita? in æqualitate Patris. elegit sibi hic thalamum castum, ibi coniungetur sponsus sponsæ.* est certè illud præclarè dictum Quid ni mortalis fiat æternus, propter quem æternus se fecit mortalem?

Suspirandum assidue ad futuram vitam.

Plus est quod Deus dedit quā quod promisit.

6 *Dracones.*) *Quid putamus, quia choros faciunt Dracones, & laudant Deum? absit? sed vt eum miramini dracones, attendentes artificem, dicatis: magnus Deus, qui hæc fecit: tum dracones laudant Deum de vocibus vestris.* nota: quid horribilius dracone? quid tetrius? tamen in ore laudantis Deum dulcescit, ac mitescit. quod si vel ex Draconis aspectu Deus fit laudabilis, quid dicemus de aspectu cœli, vel siderum?

Etiam ex draconis aspectu Deus fit laudabilis

7 *Et omnes abyssi.*) *Abyssi profundiores aquarum sunt maria, & nubilosus iste aer ad abyssum pertinet, vbi nubes, venti, tempestates, tonitrua fiunt: propterea ad istum locum caliginosum, idest ad hunc aerem tanquam ad carcerem damnatus est Diabolus, de apparatu superiorum Angelorum lapsus; nam Apostolus Paulus hoc de illo dicit: secundùm Principem potestatis aeris huius, &c. & Petrus ait: carceribus caliginis inferorum retrusit. infernum hoc appellamus, quod inferior pars Mundi sit. noli cogitare quid accepit Diabolus, sed quid perdidit. omnia ista mutabilia, turbata, terribilia sunt; sed quia implent & ipsa vniuersi pulchritudinem pro modo suo, & habent ordinem suum, ideo laudant Deum.* acutè adnotat, cur dæmones dicantur, *potestates aereæ.* & cur aeris regionem sortiti sint: nempe in aerem istum turbulentum tanquam in carcerem damnati sunt, & meritò quidem, nam & ipsi turbulenti sunt, nobis infesti, & ab initio seditione facta Deo rebelles. carcer est aer iste respectu apparatus cœlestis, quem Ezechiel describit, vbi non caliginosus, sed Lucifer dicitur diabolus. Item nota, hunc ipsum aerem nubilosum, & carcerem diaboli, quia exequitur iussa Dei, pluendo, coruscando, &c. inter creaturas

Cur aeris regio addicta dæmonibus.

Eph. 2.

2. Petr. 2.

tutas laudantes Deum numerari; adeò nihil est in natura, quod non ad pulchritudinem vniuersi pertineat, & ad Dei laudem, dum illi summo Imperatori paret. quãquam Bernardus aliam assignat causã cur aërẽ hunc incolere iussi sint dæmones: videlicet, vt crucientur ex iustorum in cęlos ascensu: & dum vident, inuideant.

Dei prouidentia omnia fiunt.

8 *Ignis, grando, &c. quæ faciunt verbũ eius)* Cur hęc addidit? *quia multis stultis visũ est, quod superiora tãtùm Deus gubernet, inferiora despiciat, nec curet ista, sed casibus regãtur. qualis, inquiunt, prouidentia? Getulia sitit, & mare compluitur. acutè sibi videntur tractare; quibus dicendum est: Getulia sitit; vt tu non sitires. bonum enim erat, vt diceres Deo; Anima mea sicut terra sine aqua tibi. vel illud: Sitiuit in tè anima mea, &c. qui talia disputat, sibi doctus videtur, nec vult discere, idcò non sitit; nam si sitiret, vellet discere, & inueniret, quia totum Dei prouidentia fit in terris, & miraretur disposita etiam membra pulicis. quis disposuit membra pulicis, & culicis, vt habeant ordinem suum, & vitam, & motum suum? si consideres vnius bestiolę ordinem, & animationem vitæ, qua mouetur, vt pro se fugiat mortẽ: amat vitam, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi. quis dedit aculeum culici, vt sanguinem sugat? quàm tenuis fistula est, qua sorbet? quis disposuit ista, quis fecit? expauescis in minimis, lauda magnũ.* eleganter de prouidẽtia Dei, q vel in minimis apparet magnus. illud autẽ acutè dictũ in eos, qui negabant ꝓuidẽtiã, ꝙ Getulia regio arida non haberet imbrem, & mare, quod non eget, haberet: respondet *Getulia sitit, vt tù non sitires,* quod mox explicat: *Iste, qui talia disputat, sibi doctus videtur, nec vult discere, ideò non sitit; nam si sitiret, vellet discere, & videret, quia totum Dei prouidentia fit in terra, &c. & quare in mare pluit? quasi non sint ibi, quæ alantur pluuia. attendite, quomodo currant pisces ad aquam dulcem; & quare, inquis, pisci pluit, & mihi non pluit aliquando? vt cognoscas te esse in regione deserta, vt amarescat tibi vita præsens, vt futura desideres; aut vt flagelleris, & corrigaris. cur non in Getulia? quia distribuit propriam regionem; eccè pluit hìc omni prope anno, & omni anno dat frumentum. seruari hìc frumentum non potest, citò corrũpitur, quia omni anno datur; ibi quia rarò, & multum datur, & diù seruatur: an non & ibi secundùm iucunditatem suam laudant Deum? apprehende inde Getulum, pone inter arbores amœnas; fugere tamen hinc vult, & redire ad nuda Getuliæ. omnibus ergo locis, ac temporibus sua quæque distribuit, & ordinauit.* egregiè adnotat, cur Deus aliquando neget pluuiam, vt cognoscamus nos esse in hac vita tanquam in arenti solitudine, ac deserto; & vt amarescant nobis terrena, dulcem subtrahit pluuiã, rectè itẽ agnoscit ꝓuidẽtiã, & sapiẽtiã in distribuendo; nã vbi quotannis metitur nouum frumentum, ibi quia nõ opus est conseruatione, corrumpitur vetus; cõtra vbi rarò nascitur, & multum datur, & durat diù; ideo illi non egent semper imbri, vt nos. denique testes prouidentiæ sũt ipsæ nationes, quæ versantur in arido solo, & aspera regione, nã si in amœna ponãtur, tanquam in suo centro non sint, molestè ferunt.

Cur Deus aliqua regiones siticulosas fecerit, aut sterilis.

Dei opera non curiosè disquirenda sed piè admiranda.

Cur fulmina mõtes potius feriãt quàm latrones.

9 *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.) Quare fulmina sæpè percutiunt mõtes, & non percutiunt latronem? quia fortè adhuc latronis conuersionem quærit Deus; & ideò percutitur mons, qui non timet; vt mutetur homo, qui timet aliquando: & tu cum das disciplinam, terram feris, vt infans expauescat: & aliquando ferit hominem, & quem vult: sed dicis, ecce ferit innocentiorem, & dimittit sceleratiorem: noli mirari, vndecumque mors pio bona est; vnde scis illi sceleratiori quid pœnarum in occulto seruetur? nonnè mallent fulmine incendij interire, quibus in fine dicitur: ite in ignem æternum? an malum est, mori naufragio, & bonum est mori febri? siuè hinc, siuè inde moriatur, quære qualis sit qui moritur, quò post mortem iturus, non vndè de vita exiturus. quibus exitibus Martyres exire meruerunt? nunquid febribus? alij ictu gladij; alij ignibus, alij bestijs, sed vndique Dominus reducet corpora nostra; sicut tres pueros ab igne liberauit; sed nunquid Machabæos in igne deseruit? illos apertè liberauit, hos occultè coronauit; nouit Deus quid agat. tù, vndecunque voluerit, vt exeas, esto paratus: inquilinus, non possessor domus es. domus ista tibi locata est, nõ donata. quid dixit Dominus? cum dixero, migra, paratus esto. expello tè de hospitio, sed dabo domum; inquilinus es in terra, eris possessor in cœlo.* egregiè dicit, non attẽdendum, quo genere mortis quis moriatur, sed an benè moriatur. S. Simon stilites percussus est fulmine; id reuelatum fratri cœnobitæ longè distanti, qui thuribulum accepit Deum glorificaturus. item B. Iordanus Generalis Ordinis Prædicatorum naufragio obijt, & postea cum gloria alteri apparuit. narrat Helcoth, quendam cęnobitam subitò mortuũ in bibliotheca inuentũ: cũq; nonnulli suspicarẽtur, ne ob occultũ delictũ ità repente obijsset, animaduerterunt digito notantem illa verba scripturæ: *Iustus si morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit.* Addit his Augustinus item pulchrè: *Si introisses in officinam fortè fabri ferrarij, nõ auderes reprehendere folles, incudes, malleos. da imperitũ hominem nescientem quid, quare sit, & omnia reprehendet; sed si non habeat peritiam artificis, & habeat certè conditionem hominis, dicet: non noui causam; hoc loco folles parati sunt, artifex nouit. quare, & si ego non noui,*

In morte spectandũ non vnde abeas sed quò.

In Dei operibus nihil reprehendi potest.

in

in officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc Mundo Deum? pulchra similitudo, cur Deum laudent ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbū eius. cōstat igitur, quicquid est in vniuerso, prouidētia, & cōsilio factum esse, etiam si quid nobis videatur incongruum.

Naturæ vox attestantis sui conditorē rerum.

10 *Confessio eius in cælo, & in terra.) Omnia clamant Deum; omnium pulchritudo, quasi vox eorum est. clamat cælum Deo: tū me fecisti, non ego te: clamat terra, &c. quomodo clamant? ex tua consideratione clamant, ex voce tua. attende cælum, pulchrum est. attende terram, pulchra est, ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu cuncta gubernantur, ipse traijcit tēpora, momenta instaurat, per se ipsum instaurat; cum vides hæc, & gaudes, & attolleris in artificem, & quicquid in illis tibi placet, minus est quàm ipse.* pulchrè ait; Mundi pulchritudo naturæ vox est, & clamor attestantis Deum, quàm surdaster est qui tāto clamore non percellitur? & quàm impius si & ipse laudando non clamat?

Resurrectio per arborem indicata hieme arentē vere regerminātem.

11 *Exaltabit cornu populi sui.) Quando hoc? quando venerit Sol noster, de quo dicitur; Orietur vobis timentibus nomen meū Sol iustitiæ; ipse erit æstas nostra. attendis nunc quasi aridas arbores per hiemem; qui non nouit, aridam putat vitem; & fortè iuxta est altera, quæ verè aruit: similes sunt ambæ per hiemem; succedit æstas, vita illius clarificatur; mors istius manifestatur: præcedit honor foliorum, fecunditas fructuum, vitis vestitur in facie ex eo, quod habet in radice.* ita nunc nos similes alijs sumus in doloribus corporis, ac tribulationibus; insultantq; nobis: quid habet Christianus plus alijs? audi Paulum; *vita vestra abscondita est in Christo, ecce vbi habes radicem.* huc refero illud de vniuersali iudicio, ductum à similitudine fici virentis: *Scitote, quia propè est æstas:* tūc enim apparebit, quæ arbor verè aruerit, quæ cōtra in radice habuerit vitam absconditam. præclarè ista significantur illis verbis; *Ossa vestra quasi herba germinabunt, &c.*

Ex psalmo CXLIX.

1 C*Antate Domino canticum nouum.)* hoc est nouum testamentum. in veteri testamento promissio solùm temporalium, in nouo æternorum; *Qui desiderant illam patriam, currant dilectione, non pedibus; non quærant naues, sed pennas, hoc est duas alas charitatis; peregrinamur, suspiramus, gemimus. venerunt ad nos literæ de patria nostra, ipsas vobis recitamus; lætetur Israel in eo, qui fecit eum, & filij Sion exultent in Rege suo. qui fecit nos, factus est inter nos, & Rex noster dictus ab vnctione Christus; vnctus est rex, & sacerdos, Rex pugnauit pro nobis, sacerdos obtulit se pro nobis: pugnauit, & de cruce sua diabolum occidit.* pulchrè monet, vt iam nunc adaptatis duabus alis charitatis in Deum, & proximum, euolare affectu, ac desiderio debeamus ad coelestem patriam. pulcherrimè autem ait, paginas sacræ scripturæ, quæ eò nos inuitant, esse tanquam literas ad nos missas, è coelo. tradunt hebræi, ab Helia post raptū missas literas ad regem, quibus eum argueret scelerum, vt diximus in synchronologia.

Aptare nunc nobis charitatis alas debemus euolaturi ad cœlū.

Mundus totus chorus est Christum resonans.

2 *Laudate nomen eius in choro.) Chorus Christi iam totus Mundus est, chorus Christi ab Oriente in Occidentem consonat. vide si tantum extenditur chorus Christi. A Solis ortu, inquit, vsque ad occasum laudabile nomen domini. disturbat hæresis dissonans hunc chorum cantantiū.* eleganter admodū Mundū totū quasi amplum odeum facit resonans Christi laudibus. ac certè in nouo Orbe terrarum quasi phonascus, seu choragus Xauerius noster fuit. Seuero paulò ante quàm Orbis terræ imperium acciperet, oblatum per visum ferunt quendam, qui ei lyram temperandam traderet: pulchrè igitur omnino dictum: *iam totus Mundus chorus est Christi.* item rectè ait, hæreses disturbare hunc chorum; quid mirum? cum inter se ipsas vt plurimùm non cōcordent. puto, & malos Christianos absonis, & absurdis moribus huic harmoniæ obstrepere, vt alibi idem Augustinus arguit.

Laudare tympano, et salterio est voce & opere.

3 *In tympano, & psalterio laudate eum) Quare assumit tympanum, & psalterium? vt non solùm uox laudet, sed & opera. quando assumuntur tympanum, & psalteriū, manus concinunt voci. cum alleluia cantas, porrige & panem esurienti, &c. ita non sola vox sonat, sed & manus consonant. assumpsisti organum, consentiant digiti linguæ. nec est tacendum mysterium: in tympano corium extenditur, in psalterio chordæ extenduntur: in utroq. organo caro crucifigitur. quàm bene psallebat in tympano, & psalterio qui dicebat: Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo? & dominus ait, Tollat crucem suam, & sequatur me. extendatur in ligno, & siccetur à concupiscentia carnis; nerui quantò plus fuerint extenti, tantò acutius sonant: vt ergo acutè sonaret Pauli psalterium; quid ait? In ea, quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis. extendit se ipse, tetigit Christus, & sonuit dulcedo veritatis.* Vide quomodo aptari debeamus in musicū instrumentum suaue? si scilicet cum Christo extendamur in cruce, quod nobis suaue esse debet. Paulus ità crucifixus, vt extenta pellis in ligno, optimè resonauit. Christus ipse quasi præcentor fuit; nec mirū quod Clemēs Alexandrinus eum cū Orpheo aliquomodo cōparat, quāquā & Imperator Antoninus licet ethnicus habuit in larario coniunctas imagines

Chri-

Christi, & Orphei:

4 *Quia benefecit dominus populo suo.) Quid tam beneficũ quàm dicere: Nihil ad me pertinet quod fuistis, estote quod non fuistis.. benefacere est auersum conuertere, pugnantem adiuuare, vincentem coronare.* Vide Christi beneficientiam. non curat quid egeris, si aliter deinceps egeris. & rectè adnotat, eã in tribus positam, conuertendo, adiuuando, coronando:

Christi pietas in tribus cõsistit in conuertẽdo adiuuando, coronando.

5 *Exultabunt sancti in gloria.) Audite attẽtius dè gloria Sanctorum; nemo enim est qui non amet gloriam, sed gloria stultorum popularis illa quæ dicitur, prædicari uult ab hominibus, quibuscunq; quomodocunq; hinc insani effecti etiam res suas perdere volunt, donando scænicis histrionibus, venatoribus, aurigis, quãta donãt, quãta impendũt? vbi eis nõ clamatur, nolunt erogare. vbi clametur ab insanis, insaniũt omnes; & omnes sũt insani, & q spectatur & q spectat, & qui donat. insana est ista gloria, et tamen Christus sic improperat: Nondũ à vobis accepi quantum venatores, & illis vt donaretis, de meo donastis: ego autem nudus erã, & non vestistis mè. vestire vis venatorem, quo victo fortè erubescis: Christus non vincitur, & diabolum vicit, & tibi vicit: talem victorem vestire non vis. quare? quia non aclamatur, non insanitur.* Notent hoc qui plausus quærunt; & ijs tãtumodo, à quibus laudantur, beneficos se præstant. est autem pulchra illa Christi exprobratio aduersus eos, qui impẽsas inutiles faciunt in scenicos ludos, in vestitum aurigarum, &c. interim nudo paupere.

Gloriæ popularis studium stultitia est.

6 *Lætabuntur in cubilibus suis,) Sancti non in theatro, non in circo, sed in cordibus suis letantur. audi Paulum exultantem in cubili suo: Gloria nostra, inquit, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: debet tamen quisque cum tremore exultare, quia donum Dei est, vnde exaltat, non meritum suum; scriptum est; Quis gloriabitur se castum habere cor? propterea adiunxit statim; exaltationes Dei in faucibus eorum: ita lætantur, vt non sibi tribuant quod boni sunt, sed illi, à quo acceperunt.* vide vbi sit vera lætitia: non quę foris in theatri plausu, &c. sed quæ intus in bona cõscientia. quo spectat illud: *spectaculum, siue theatrum, facti sumus Deo & Angelis, & hominibus.* quàm incũdum, & prę̨clarũ cor est, vbi soli virtuti plauditur.

Verum gradium non in plausu sed in bona conscientia.

7 *Et framea bis acutæ in manibus eorum) frameã, spatham vulgus vocat, idest machærã seu rhomphæam: sermo Dei gladius bis acutus. dicit dè temporalibus, dicit de aeternis; & eum quem ferit, separat à Mundo: hunc venit mittere in terram: filius vult seruire Deo, pater non vult; venit hic gladius, diuidit filium à patre, affert promissiones vitę præsentis, et futurę; consolationem temporalium, & ę̨ternorum perfruitionẽ.* est hoc cõtra parẽtes, qui filios à religione abstrahunt, quos & prę̨senti gaudio priuant, & futuro: ita dũ filijs amanter prodesse videntur, hostiliter obsũt. pulchrè autẽ bis acutum gladium dicit Dei sermonem, à Mundo diuidentem, ob duplex prę̨mium: temporale quidem in veteri testamento, æternum promisit in nouo.

Veteris testamenti temporale præmium, noui æternũ

8 *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.) Possumus has manus aliter intelligere; nam qui locuti sunt, in lingua habuere sermonem Dei; qui verò scripserũt, in manibus; & frameæ bis acutæ in manibus eorũ; iã videtis Sãctos armatos. attenditè strages, & gloriosa prælia; videte si nõ vindicta facta in gẽtibus. attendite quomodo cæsæ sunt gentes, Babyloniæ, Pagani, cum Christiani fiunt; nam Petro dictum: Macta, & manduca.* acuta, ac pulchra interpetratio de ancipitibus gladiis: scriptores ecclesiastici calamo quasi gladio armati strages faciũt de hę̨reticis; & viri Apostolici linguę gladio, id est prædicationis, de gẽtibus idololatris: amborum post gloriosa prælia triumphus est. pulchre appellat *strages, & gloriosa prælia*, quę illi strenuè cõfecerũt, destructa hæresi, idololatria, & vitiis huius sæculi, tot crucis trophæis erectis, deiecto de throno diabolo, &c. addit item pulchrè *Quod ait, vt alligent reges, & nobiles, nouimus Reges factos Christianos; nouimus nobiles gentium factos Christianos. sunt hodieq; & fuerũt, & erũt & nõ cessant frameæ bis acutæ in manibus Sãctorũ?* Notabilis locus dè cõuersione gentium, etiam Regum, & nobilium, quam nostra ætate factam, & adhuc fieri videmus per Apostolicos viros, in Iaponia maxime, vnde tres illi dynastæ Romam vsque profecti ad Gregorium XIII. Orientis legati.

Strages, & gloriosa prælia confecte ab Apostolicis viris contra diabolum.

9 *Vt alligent Reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.) cur addidit ferreis? quia ignobilia & cõtemptibilia & stulta Mundi elegit Deus vt compendat fortia; & elegit prodesse Imperatori de piscatore, non piscatori de Imperatore. elegit quæ nullius momenti erant in Mundo; ipsos impleuit Spiritu sancto. dedit eis frameas bisacutas: pdicare prę̨cepit euangelium per Orbem terrarum. fremuit Mundus, erexit se leo aduersus agnum, sed fortior inuentus est agnus; leo victus est sæuiendo, agnus vicit patiendo. conuersa sũt corda hominum, cœperunt Reges, cœperunt nobiles miraculis commoueri; multi elegerunt ignobilitatem, & substantias suas distribuerunt pauperibus; cucurrerunt ad perfectionem multi ex nobilibus, fecerunt hoc, elegerunt paupertatem in sæculo, nobilitatem in Christo: multi autem tenent nobilitatem, tenent regias potestates, & sic sunt Christiani: ipsi sunt tanquã in compedibus, & vinculis ferreis; ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, cõpedes sapientiæ verbi Dei. quare ergo vincula ferrea, & non aurea? ferrea sunt quãdiù iment; timent*

Nobiles viri se ulo reiecto religione ingressi laudantur

&

& erunt aurea, nam perfecta charitas foras mittit timorem; quia timor tormentũ habet, ideò vincula ferrea; & tamen nisi timore incipiat homo Deum colere, non perueniet ad amorem; Initium enim Sapientiæ timor domini: incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream; dictum est enim de sapientia: & torquem auream circa tuam ceruicem. non sibi imponeret torquem auream, nisi prius in compedibus ferreis se illigasset. Vide Ecclesiæ excellentiam; nobiles ipsi regij generis vltro elegerunt paupertatem, cuiusmodi Thomas Aquinas, Ludouicus regis filius, & Borgias noster vnus ex Hispaniæ purpuratis. pulchrè autem distinguit, ac docet, à vinculis ferreis gradum fieri ad torquem auream. ferreum vinculum timor domini, charitas torquis aurea: ita reges Insubriæ coronam prius ferream, deinde auream accipere soliti; & anuli initio ferrei fuerunt, postea deuentum est ad aureos. reges ipsi, ac nobiles non dedignari debent vincula ferrea timoris Dei, sed indecorum est non ornari & torque aurea charitatis. igitur pulchrè quoque addit. *Cœpisti à timore, consummaris à sapientia, quàm multi sunt, qui propterea non male faciunt, quia gehennam timent? si illis daretur impunitas, emitterent progressus libidinum suarum in qualcunque nequitias, & maximè reges, ac nobiles, quibus non facile dicitur, quid fecisti? nam pauper quia nullarum est virium, & facultatum, cessat timore hominis, & si non Dei; potentes autem Mundi Reges, ac nobiles nisi Deum timeant, quid timebunt? sed percutiuntur hi framea bis acuta, cum ijs prædicatur, quia ponet alios ad dexteram, alios ad sinistram, & dicet his. Ite in ignem æternum; nondum diligunt iustitiam, sed timent pœnas, & sic in vinculis ferreis erudiuntur.* rectè monet potentes in seculo maximè in timore Dei fundatos esse debere, quia cum neminem alium timeant, impune peccabunt. & vide qua fiducia sit ijs prædicandum, & quid; nempe de extremo iudicio, vt sciant se habere iudicem superiorem.

Timor gradus ad amorem.

Timoris vincula ferrea, amoris aurea.

Apud dynastas præsertim de iudicio prædicandum.

10 *In compedibus ferreis,)* Ad coniugatorum refert continentiam, non nisi volente, & consentiente coniuge à viro seruandam. *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. audi quia vinculis ferreis constrictus es, dura sunt vincula: quis nesciat illam duritiam? doluerunt Apostoli, & dixerunt; si talis est causa cum vxore, non expedit nubere. si vincula ferrea sunt, non opus est, vt illic pedem mittamus. & dominus; non omnes, inquit, capiunt verbum istud; alligatus es vxori, ne quæras solutionem, quia alligatus es vinculis ferreis; solutus es ab vxore, ne quæras vxorem ne obliges te vinculis ferreis. adolescentes audiant; vincula ferrea sunt, nolite pedes mittere, ne cum miseritis, arctius adstringamini compedibus.* Notabilis locus, quo adolescentes ad castum religionis statum inuitantur: vincula matrimonij ferrea sunt; igitur vincula votorum, præsertim castitatis, aurea sunt: expedit adolescenti his se obstringere. ac fortasse ideò tres illi adolescentes inter flammas non modò illæsi, sed soluti compedibus ambulabant, quia virgines.

Vincula matrimonij ferrea sunt.

Ex Psalmo CL.

1 *Laudate dominum in sanctis eius.)* Mysterium agnoscit in numero psalmorum. *Non frustra mihi videtur quinquagesimus Psalmus esse de pœnitentia; centesimus de misericordia, & iudicio: centesimus hic quinquagesimus de laude Dei in sanctis eius; quia quos prædestinauit Deus, hos & vocauit, & quos vocauit, ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. prædestinatio quidem nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud Deum, apud ipsum in eius potentia; tria vero reliqua, in nobis fiunt, vocatio, iustificatio, & glorificatio. vocati renuntiamus diabolo per pœnitentiam, iustificati sanamur per misericordiam, ne iudicium timeamus. glorificati transimus in vitam æternam, vbi Deum sine fine laudabimus.* Quinquagesimus psalmus incipit: Miserere mei Deus; centesimus: Misericordiam, & iudicium cantabo; centesimus quinquagesimus: *laudate dominum in sanctis eius.* Nota in hac enumeratione arcanam prædestinationis seriem, quæ cum animi sensu quodam horroris pleno, ob occultum Dei iudicium, formidanda, & veneranda est.

Vocatio, iustificatio, & glorificatio in tribus psalmis denotata.

2 *Laudate dominum in Sanctis eius.)* vti *que in eis quos glorificauit, subiungit. Laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius. alij interpretati sunt, in potentatibus eius: nempe in Christi resurrectione virtus maximè commendatur, dicente Apostolo. Etsi crucifixus est in infirmitate nostra, sed viuit ex virtute Dei. & alibi: ad cognoscendum, inquit, eum, & virtutem resurrectionis eius. optimè autem dicit: in firmamento virtutis eius, quia videlicet iam non morietur, & mors ei vltra non dominabitur.* rectè ostendit in primis Christi resurrectionem laude, & celebratione dignam, in qua eius firmamentum virtutis est positum, & potentia aduersus mortem spectata: vnde captiua triumphantem præcedere describitur à propheta. *Ante faciem eius ibit mors &c.* Addit aliam interpretationem. *Cur nõ & potentatus Dei dicantur, quos in sanctis fecit? immò ipsi sunt potentatus eius, quomodo scriptũ est: Nos sumus iustitia Dei in ipso: quid enim potentius quàm regnare in æternum, sub pedibus positis omnibus inimicis? cur non ipsi*

sunt

sunt etiam multitudo magnitudinis eius? non quia ipse magnus est; sed quia eos magnos fecit tam multos, hoc est millia millium. sicut aliter intelligitur iustitia, qua ipse est iustus, aliter quam in nobis fecit, vt nos simus iustitia eius. pulchrè Sanctos potẽtatus Dei dicit, cum eis & cœleste regnum dederit, & potentiam, qua inuisibiles potestates conculcarint; iuxta illud. *Dominus conterat Satanam sub pedibus uestris velociter.* Saporem Persarum regem legimus, vt potentiam suam etiam Romana maiorem ostẽtaret, Valeriano Imperatore in bello capto pro scabello vsum, eius terga pedibus premendo, cum equum conscendebat.

Cur Deus laudãdus in sono tubæ.

3 *Laudate eum in sono tubæ.) propter laudis excellentissimam claritatem.* nempe tubæ sonus maximè clarus est. addo quia cũ aliquis de Dei laudibus loquitur, tũc acerrimo clangore tubæ terreri diabolum censendum est, quasi audito classico belli.

Chorus laudans Deum est pacata societas.

4 *Et choro) Chorus laudat Deum, quando laudat eum pacata Societas.* hoc ad nostram Societatem Iesu in primis referre liceat, quæ Dei gratia pacatè, & quietè ideò se habet, quia ad maiorem Dei gloriam, & laudem vnitim velut in symphonia conspirat. vides igitur chorum dici non tantùm materiale odeum; est enim & chorus laudans Deum, *pacata Societas*. ibi verè laudari potest Deus, vbi pax, & concordia.

Sancti licet diuersis meritis vnam harmoniam faciũt

5 *Laudate eum in chordis, & organo.) Addidit organum, non vt singula sonent, sed vt diuersitate concordissima consonent, sicut ordinantur in organo. habebunt enim etiam tunc Sancti Dei differentias suas consonantes, idest consentientes; sicut fit suauissimus cantus, ex diuersis quidem, sed non inter se auersis sonis: stella enim differt à stella in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* venustè dictum de diuersis sonis, sed non inter se auersis, qui in vnum concentum cõspirãt. tale erit cœleste illud odeum ex Sanctis, licet meritis differentibus, at in vnam Dei laudationẽ cõcinẽtibus, quasi musicis instrumẽtis varijs cõmissis, & coniunctis, de quibus apte illud Iob dici potest: *concentum cælorum quis silere faciet?* nempe perpetuus erit ille, ac perennis.

Labia laudantium deum cymbala animæ.

6 *In cymbalis.) Cymbala inuicem se tangunt, vt bene sonent, ideò à quibusdam, labijs nostris comparata sunt.* pulchrè labia cymbalis dicuntur similia, dum laudãt Deum, quæ alij plectra dixerunt. labia igitur murmurantium quàm absonę & absurdè obstrepunt? ità & quæ de terrenis loquuntur. *Additur, iubilationis, vt animata cymbala significet: iubilatio nanque, idest ineffabilis laus non nisi ab anima proficiscitur.* Iam quæ de tympano, & psalterio, & cithara addit, quia apud ipsum alibi expendimus, hic omitto. Denique sic concludit: *Aiunt musici, tria esse genera sonorum, vocem, flatum, pulsum; voce vt per fauces, & arterias sine aliquo organo cantantis; flatu sicut per tibiam, vel quid huiusmodi. pulsu sicut per citharam, vel quid huiusmodi. nullum itaque genus hic prætermissum est; vox in choro. flatus in tibia, pulsus in cithara: tanquam mens, spiritus, & corpus; sed per similitudinem, non per proprietatem. Quid ergo proposuit? laudate dominum in Sanctis eius: quibus hoc dixit, nisi eis ipsis? & in quibus vt Deum laudent, nisi in se ipsis? vos estis tuba, psalterium, cithara, tympanum, chorus, chordæ, & organum, & cymbala iubilationis bene sonantia, quia consonantia. vos estis hæc omnia.* eleganter, ac pulchre ostendit vt homo tanquam musicum instrumentum Dei sit, & quod magnæ admirationis est, vnus cum sit, tot illas varietates harmonicas continet, quia vnus variarum concentu virtutum mulcere potest aures Dei. totus igitur homo in Dei laudes occupatus sit, cum ad hoc compactus sit. & sanè si Mundus hic tàm affabrè compositus, & sibi consentiens lyræ similis est habitus, quamobrem Seuero imperatori oblatã per speciem lyrã, Mundi imperium, quod mox consecutus est, portendisse diximus, quid ni & paruus hic Mundus, homo videlicet eidem comparetur? & rectè Augustinus vocat mystica ista musica instrumenta, *ideo benesonantia, quia consonantia*. quod fit cum nihil discordat in moribus absurdè, & absonè. apud Aristophanem quoque leges per optimum citharœdum significari sapientem hominem, & gratijs omnibus ornatum. quemadmodum enim modulatio, & varia soni suauitas tunc habetur, cum is qui citharam, aut lyram tenet, scitè neruis increpuerit, singulosque aptè percurrerit; ita cum sensus hominis fuerint velut harmonicè compositi, si docta diuinitus mẽs illis imperauerit, discernet animus quid absonum, quid concinnum sit, & quale sit vnicuique rei temperamentum adhibendum; vt nihil agere, aut meditari aggrediatur, nisi quod quasi sonis quibusdam, ac modulis respondeat, vnde concors vitæ concentus Deo gratissimus existat. Denique acutè adnotat huius vltimi psalmi clausulam, ac pulchrè interpretatur: *Quia secundùm carnem sapere, mors est, concludit: Omnis spiritus laudet dominum.* quasi ineptus sit is, qui in statu peccati est, vt pote sine spiritu, & vita gratiæ, ad hanc suauissimam diuinarum laudũ modulationẽ.

Sãcti omnem musicæ suauitatem singuli in se continent.

Dion.

Peccator ineptus ad laudãdũ Deũ.

Finis Libri Octaui.

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM

LIBER NONVS.

Continens Tomi Noni præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

Ex Præfatione in Euangelium Ioannis.

Ioannes aquilæ cõparatus.

PRæfatio continet Ioannis laudes, ac præcipuè has. *Ioannes eminet in diuinorum mysteriorum profunditate, vnde meritò in figura quatuor animalium aquilæ comparatur, quæ volat altius ceteris quibus, & Solis radios irreuerberatis aspicit luminibus, quia diuinitatis potẽtiã sublimius cõtẽplans cũ Domino ad cœlũ volat.* rectè, nã aquilæ est cum dracone pugnare. Ioannes autem euangelium scripsit aduersus hæreticos, coæternam patri diuinitatem Christi negantes. habet & hæc aquila fulmen suum, nam iccircò, *filius tonitrui*, dictus. hinc contra ingratos Samaritanos ait ad Iesum: *Vis dicamus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat eos?*

Luc. 9.

Ioannes cœlestem sapientiã hausit de Christi pectore.

2 De eodem sic. *Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.) Cœlestis haustum sapientiæ ceteris excellentius de ipso dominici pectoris fonte potauit.* eleganter Christi pectus auriflui, ac gemmiferi fluuii instar facit, ac multò pretiosius manantis, quàm Phison ille, seu Ganges, de quo dicitur: *Ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum: ibique inuenitur bdelliũ, & lapis onychinus.* at in Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.*

Nuptiarũ fluctiuaga tempestas.

3 Putat sponsum in nuptijs Chanæ Galileæ fuisse Ioannem. *Iste est Ioannes, quem Dominus de fluctiuaga tempestate nuptiarũ vocauit, & cui matrẽ virginẽ virgini cõmendauit.* Vide quo nomine appellet nuptias, *fluctiuagã tẽpestatẽ*. consurgunt sæpè rixarũ venti, occurrunt scopuli, &c. qui castus est, in portu quiescit. opportunè aderat ibi Deipara stella maris, hac duce Ioannes enatauit ad portum.

Ex tractatu I. in Euang. Ioannis

1 EXplicat illud psalmi. *Suscipiãt montes pacem populo tuo, & colles iustitiam.) Montes excelsæ animæ sunt, colles paruulæ. non acciperent minores animæ fidem, nisi maiores ab ipsa sapiẽtia illustrarentur. sunt & alij montes, sed naufragosi, & saxa sublatent, & cum quisque conatur ad montem, incidit in saxa, & ibi non inuenit portum, sed planctum. sic fuerunt quidã montes, & magni apparuerunt inter homines, & fecerunt hæreses, & schismata, & diuiserunt Ecclesiam Dei. isti non erant mõtes, de quibus dicitur: Suscipiant montes pacem.* rectè ait; vt montes primi illuminantur à Sole, deinceps colles inferiores, ita doctores in Ecclesia, qui alios erudiunt. inter hos montes ipsum repone Augustinum: *Montes excelsæ animæ sunt* in Ecclesia. hæretici autem, licet ingenio eminere videantur, montes scopulosi sunt, quò qui nauim appellat, frangat, cum naufragio fidei. hos rectè appelles licet cum Lyrico poeta, infames scopulos Acroceraunia, montes ita dictos ob altitudinem, & crebros ictus fulminum, sicut & hæretici anathematis fulmini sunt obnoxij.

Doctores Ecclesiæ mõtes excelsi sed hæretici naufragosi.

Ioannes, supra conditionem hominis.

2 De Ioannis altissimis mysterijs diuinæ sapientiæ sic pulchrè. *Si dictum est à Paulo: Nec in cor hominis ascendit, quomodo ascendit in cor Ioannis? an non erat homo Ioannes? an cor potius Ioannis ad eam ascendit? si ipsa ascendit in cor Ioannis, in tantum ascendit, in quantum Ioannes non erat homo. quid est non erat homo? in quantum cœperat esse Angelus. cur dicitis, ego sum Pauli, ego Apollo? nonnè homines estis? Quid eos volebat facere, quibus exprobabat, quia homines erant? vultis nosse quid? audite in psalmis: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. ad hoc ergo vocat nos Deus, ne simus homines. sed tunc in melius non erimus homines, si prius nos esse homines agnoscamus, idest vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus.* præclarè omnino dictum. vide primò ut Ioannis cor quasi pennatum ad tam sublimem sapientiam euchi potuerit, quia nimirum in imis, ac

Paulus exprobat nobis quod homines simus cum dii esse possimus.

terrenis non hærebat, Angelicis præditus moribus, præsertim cum castitate emineret. nota item à Paulo exprobrari nobis, esse homines, cum supra humanam conditionem attolli iam possimus per gratiam. nota tertiò, vt supra homines simus, effici cognoscendo nos esse homines, idest abiectos, ac viles. omnia hæc certè mira.

3 Ad exaggerandam Ioannis excellentiam eleganter redit. *Cum contemplabatur diuinitatem Verbi, qualis iste mons erat? quàm excelsus? transcenderat omnia cacumina montium terrarum, transcenderat omnes campos aeris, transcenderat omnes altitudines siderum, transcenderat omnes choros, & legiones Angelorum, vt perueniret ad eum, per quem facta sunt omnia. leuate oculos vestros ad montem istum, erigite vos ad eius sensum; sed quale cor quisque leuet, videat, ne sarcina voluptatis carnalis prægrauatum ante cadat, quàm fuerit subleuatum.* Vide quò piscator euaserit. altissimus omnium montium mons dicitur, etiam maior Atlante; nam hic astra sustinere dictus est, at Ioannes sidera transcendit. maior Olympo, quia hic cœlum dictum est, at Ioannes supra cœlum, & cœlestia se extulit, conditorem attingens. Tùm nota non posse ad montana conscendi, idest ad tam sublimia mysteria, nisi terreni affectus pondera deponantur.

Ioannes transcendés etiam cœlos.

4 De eodem Ioanne sic. *Ioannes de pectore Domini bibebat, quod propinaret nobis. oculos ad eum leuate, cor autem implendum ad Dominum.* pulchrè ostendit, pectus Christi limpidissimi instar fontis, siuè crateris aurei fuisse, vnde Ioannes bibendo hauserit diuini Verbi margaritam amorè liquatam, ac nobis eam propinarit; quod & illis verbis indicat. *leua oculos tuos ad montes, vt inde tanquam calicem Verbum propinatum accipias.* quàm felix cor hoc pretioso poculo implendum. simile est illud. *vinum lætificet cor hominis.* hoc maximè fit per Eucharistiæ sumptionem.

Cor nostrum quasi vas aureum Deo implendū

5 De Dei natura sic pulchrè. *Quid factum est in corde meo, cum dicerem, Deus? magna & summa quadam substantia cogitata est, quæ trāscendit omnem mutabilem creaturam. anima quamuis parua, quamuis fortè adhuc carnalis, non mihi potuit respondere, nisi incommutabilem Deum. quomodo ergo potuisti scintillare in illud, quod est super omnem creaturam? quid est illud in corde tuo? quando cogitas quandam substantiam viuam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, vbique præsentem, vbique totam, nusquam inclusam, &c.* præclarè ait, animam Deum cogitando scintillas quodammodo à se emittere. neque enim potest non amare, hoc est, *scintillare in illud, quod est super omnem creaturam.* hinc de beatis dicitur: *tanquam scintillæ in arundineto.*

Iusti Anima amore scintillans in creatorem

6 Explicat productionem Verbi Dei. *Si tu potes habere verbum in corde tuo tanquam consilium natum in mente tua, vt consilium sit quasi proles mentis tuæ, quasi filius cordis tui. vis videre quale consilium Dei est? Dominus Iesus Christus idest Verbum Dei.* Tum diuini Verbi excellentiam ostendit *Attende fabricam istam Mundi, attende cælum, & terram, quæ facta sunt per Verbum, quis explicet verbis ornatum cœli? quis fœcunditatem terræ? quis dignè collaudet temporum vices? &c. sed hæc pertinent ad sensum corporis. per illud Verbum & Angeli facti sunt, Archāgeli, Potestates, Throni, Dominationes, Principatus. per illud Verbum facta sunt omnia. hinc cogitate quale Verbum est.* Vide vt res creatæ gradus sint ad diuini Verbi sublimissimum decus, quas omnes infinitè perfectius transcendat vt increatum. hinc in Arium inuenitur, filij æqualitatem negantem.

Diuini Verbi excellentia supra omnia creata

7 Etiam minima per Verbum facta dicit. *Quid extremius vermiculo? per ipsum hic factus est, per quem & Angelus. sed & Angelus dignus est cælo, vermiculus terra; si poneret vermiculum in cælo, reprehenderes; si vellet Angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes, & tamen prope hoc facit Deus & tamen non est reprehendendus, nam omnes homines de carne nascentes quid sunt nisi vermes? & tamen de his vermibus Angelos facit.* Nota miram Dei pietatem in homine vermiculo æquando Angelis; quam etiam pietatem agnoscit, dum Deus assumere carnem voluit, iuxta illud. *ego sum vermis & non homo. ecce quid fieri voluit propter te illud, quod in principio erat Verbum, &c.*

Etiam res minimæ per Verbū creatæ.

8 Pergit ostendere vel minima per Verbum facta, *Nemo vos fallat, cum tædium patimini à muscis; etenim aliqui à diabolo derisi, & decepti sunt, & à musca capti. solent enim accupes ponere in muscipula muscas, vt esurientes aues decipiant.* affert exemplum catholici cuiusdam à Manichæo seducti; nam cum ille impatienter ferret muscas, adduxit primò vt negaret muscas à Deo factas, deinde apes, nam proximè accedunt, tum perrexit ad aues, & gradatim ab animantibus vsque ad hominem. *ita ille miser cum tædium passus esset à muscis, factus est quem Diabolus possideret; Beelzebub enim interpretatur princeps muscarum, de quibus scriptum est: Muscæ morientes exterminant oleum suauitatis,* Vide vt Diabolus gradatim à minimis ducat ad magna scelera, & quò ferat impatientia. affert autem causam, cur quędam molesta sint nobis: *Quare patimur multa mala à creatura, nisi quia offendimus creatorē? de pœna tua peccatū tuū accusa, nō iudicē.* itē ad superbiam domandam hæc valent. *Pharaonem potuit domare de vrsis, de leonibus, de serpentibus, sed mu-*

Diabolus gradatim à paruis ad magnū tentando deducit.

muscas;& ranas immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur.

In Deo vita est etiam dũ creat res sine vita.

9 Manichæos arguit, qui etiam lapides animatos dicebant, nixi his verbis, *Quod factum est in ipso vita erat.* ait sub distinguendum, *Quod factum est, subdistingue; & deinde infer: In ipso vita erat. est in ipsa sapientia spiritaliter ratio quædam, qua terra facta est, hæc vita est. faber facit arcam: arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia viuit anima artificis, vbi sunt ista omnia antequam proferantur. potest arca putrescere, & iterum ex illa, quæ in arte est, alia fabricari.* acutè, ac doctè ostendit, quo sensu vita intelligatur in effectis etiam inanimis, architecti similitudine.

Christi humanitas nutrix est cordis

10 A Christi humanitate progrediendum ad diuinitatem sic. *Qui capere non potest, nutriat cor vt possit. vnde nutriat? de lacte nutriat, vt ad cibum perueniat. à Christo per carnem nato non recedat, donec perueniat ad Christum ab vno patre natum, Verbum Deum apud Deum.* pulchè dictum. huc facit illud Clementis Alex. qui vocat Christum mammillam patris. qui etiam infans, lac maternum sugens, suo lacte nos alit: cor est quod sugit, *nutriat cor:*

Peccatoris cæcitas.

11 De peccati cæcitate sic. *Cæco præsens est Sol, sed ipse Soli absens est: sic omnis stultus est iniquus. præsens est illi sapientia, sed absens, quia ipse ab illa absens est. purga de oculo tuo quicquid mali est, vt videre possis lucem. puluis, pituita, fumus, peccata sunt.* Vide quot infesta concurrãt ad cæcitatem nostram; & quàm non modò vile, sed noxium sit peccatum, cæcitatem afferens. dicebat Tobias: *Quale gaudium mihi esse potest qui lumen cæli non video?* quid de cæcitate mentis dicendum?

Ex tractatu II. in Ioannem.

Dei immutabilitas propria.

1 EXponit initium Euangelij Ioannis: *In principio erat Verbum.) hoc est idipsum eodem modo sicut est, semper sic est, mutari non potest, cetera mutantur; & ipsas animas per affectum diuersarum voluntatum distendi, atque discindi videmus.* præclarè de Dei immutabilitate. ac vide quàm deformiter nos quasi varias mutemur in formas.

Crux nauigium quo seculi mare tuto traijcitur.

2 Per crucem huius sæculi mare traijciendum dicit, *Ad illam stabilitatem nostram, vbi quod est, est, dum volumus peruenire, interiacet mare huius sæculi; vt ergo esset & quò iremus, venit inde ad quem ire volebamus: & quid fecit? instituit lignum, quo mare transeamus; transire autem nemo potest, nisi Cruce Christi portatus.* ideò ait, philosophos veteres licet Deum agnouerint, ad eum non peruenisse, quia superbi, & crucis humilitate priuati. *Noluerunt tenere humilitatem Christi, in qua naui securi peruenirent ad id, quod longè videbant: sorduit illis crux Christi: mare transeundum est, & lignum contemnis?* egregiè ostendit, philosophos eguisse ligno, hoc est nauigio crucis. transierunt quidem multa maria, & varias regiones obierunt, vt sapientiam requirerent: sed non rectà, nec proprio nauigio, quo sapientia quæritur.

Cur Ioannes dictus sit Magnus.

3 *Fuit homo missus à Deo.) Quia Christus sic erat homo, vt lateret in illo Deus, missus est ante illum magnus homo, per cuius testimonium inueniretur plusquam homo.* eleganter ostendit, cur dictum sit de Ioanne ab Angelo: *Hic erit magnus coram Domino.* magnus homo requirebatur, vt indicaret eum, qui erat plusquam homo.

Ioannes cur lucerna dicatur.

4 *Hic venit in testimonium, &c.) Ab homine quærit testimonium Deus, sed propter hominem. tam infirmi sumus vt per lucernam quæramus diem, quia de Ioanne dictum est: Ille erat lucerna ardens, & vos voluistis exultare ad horam in lumine eius.* rectè adnotat de ægro visu hominis, vt in die lucerna opus habeat ad spiritalia. & vide quanta sit exultatio & gaudium ex eius lucis aspectu. porrò lucerna obducitur septo, Ioannes eremi specu se occultauit, nam & laterna dicta a latendo. ad aureos Ioannis mores spectat versus ille Martialis. Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis. Ceterùm huc referri aliquo modo potest illud Diogenis, qui per diem lucerna quærebat, sicubi verum inueniret hominem.

Deus vbique præsens.

5 De diuina præsentia, sic pulchrè. *In Mundo erat.) Non sic in Mundo erat, vt Sol stella, arbores, homines in Mundo sunt. sed quomodo erat? quomodo artifex: forinsecus est arca, quam facit artifex; Deus autẽ Mundo infusus fabricat, vbique positus, nec extrinsecus quasi verset molem, quam fabricat: præsentia maiestatis facit quod facit, præsentia sua gubernat quod facit.* Vide discrimen inter hominem fabrum, & Deũ, quãtò sit excellẽtior huius operatio.

Mundani Deum nõ cognoscũt

6 *Mundus eum non cognouit.) Num cæli non cognouerunt Creatorem suum? aut Angeli, aut sidera, quem confitentur dæmones? sed qui amando Mundum dicti sunt Mundus.* acutè obijcit, & soluit. Vides iustos quasi supermundanos esse, & extra hunc visibilem Mundum.

Cur Dei filius nos cohæredes esse patiatur.

7 *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.) Si quis habet filium vnicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est: non sic Deus: vnicum, ipsum, quem genuerat misit in Mundum, vt non esset vnicus. sed fratres haberet adoptatos & cohæredes, vt ait Apostolus.* rectè admiratur

& Dei parentis pietatem, & filij beneuolentiam. eius rei affert causam: *Non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint.* secus est in humanis.

Deus homo factus vt homo fieret Deus

8 *Ex Deo nati sunt.) Vt homines nascerentur ex Deo, primò ex ipsis natus est Deus. in cœlo natus ex Deo, per quem efficeremur. in terris natus ex fœmina, per quem reficeremur.* eleganter dictum, cur Deus homo sit factus. porrò pertinet hoc ad Deiparæ decus. vt essemus, factũ est p Dei filiũ, vt à patre natũ; vt beati essemus, vt à matre natũ. illinc creatio, hinc restauratio.

Christus carnem sumpsit vt vitia carnis aboleret.

9 *Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius.) Irruerat in oculum hominis puluis, irruerat terra, videre non poterat. terra sauciatus erat, & terra mittitur vt sanetur. ipsa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi nostri. venit de carne, vt vitia carnis extingueret.* Videtur alludere ad cæcum illum, cuius oculos Christus terræ collyrio sanauit. Addit: *Vide quò producta sit acies hominis curata per carnem: Vidimus, inquit, gloriam eius quasi vnigeniti à patre, &c.* rectè admiratur quod ex hebetudine mentis in tantum acumen sit facta mutatio per incarnationem. notanda verò sunt uerba illa, quibus indicat Christum carnem sumpsisse, ut carnem castimonia consecraret, ideoque natũ ex Virgine: *Venit de carne, vt vitia carnis extingueret.*

Ex tractatu III. in Ioannem.

Frontem cur signamus cruce non stella Magorum

1 PVlchrè illud de cruce dictum. *Per stellam eum Magi cognouerunt, & erat hoc signum de Domino cœleste, atque præclarum; noluit tamen stellam esse in frõte fidelium signum suum, sed crucem suam. vnde humiliatus; inde glorificatus est.* Nota ut crux præclarior stellis sit; & si astronomi inter stellas signum Cruciferi ponant. egregiè adnotat: noluit in fronte, dum signamur, figuram stellæ imprimi, quę ipsum repræsentaret à Regibus adoratum, sed crucis, quæ à Iudæis spretum.

Christus in cruce medicus noster.

2 De bono crucis sic. *Ipse est totus medicus vulnerũ nostrorũ crucifixus. cũ diceret: Si filius Dei es, descende de cruce, noluit: quare noluit? nunquid quia nõ potuit? quid est amplius de cruce descendere, an de sepulchro surgere? sed pertulit insultãtes: nã crux non ad potentiæ documentũ sed ad exemplũ patientiæ suscepta est. ibi vulnera curauit tua, vbi pertulit sua.* & hoc pulchrè dictũ. sed mirum illud, Christum medicum dici in ipsa cruce, unde saucius pendebat, & uulnera sanasse uulneribus.

3 *Mundus eum non cognouit.) At testimonium dedit cœlum stella; testimoniũ dedit mare portans ambulantem Dominum suum; testimonium dederant venti, qui ad eius quieuerunt imperium; testimonium dedit terra, quando illo crucifixo cõtremuit. sed Mundi dilectores intelligit, corde ipsum inhabitantes.* acutè obijcit, & respondet. idem supra attingit. uides inter creaturas nihil mundano stultius, qui stolidior sit rebus etiam sensu carentibus in auctoris sui notitia.

Cur dicatur Mundus non esse Christum cui parebat.

4 Gratiæ tribuit, quod habetur boni. *Quid est quod ait Apostolus: Gratiam pro gratia? in qua ex fide viuimus. recepturi sumus aliam; quid tamen nisi gratiam? nam si dixero, quia & hoc debetur, aliquid mihi assigno, quasi cui debebatur. coronat autem in nobis Deus dona misericordiæ suæ; sed si in ea gratia, quam primam accepimus, perseueranter ambulemus.* egregiè interpretatur quid sit gratia, cur non potius dicat gloriã pro gratia. quia nimirum gloria ipsa ex gratia est, non tam hominem coronat Deus, quàm dona sua in homine perseuerante. idem sic explicat: *Vnde vocatur gratia? quia gratis datur; non enim præcedentibus meritis emisti, quæ accepisti. audi Paulum primò confitentem gratiam, et postea debitum expetentem: Qui prius fui blasphemus, &c sed misericordiam consecutus sũ. alibi verò; Fidem, inquit, seruaui. de reliquo mihi reposita est corona iustitiæ. vt susciperet gratiam, misericordem patrem opus habebat. vt præmium gratiæ, iudicem iustum. qui non damnauit impium, donauit fidelem: quod ergo præmium tribuit, dona sua coronat, non merita tua* rectè concludit. coronat Deus fidẽ, sed fides ipsa ex gratia est, & donum ipsius, ergo coronat dona sua.

Gratiæ tribuendũ quicquid est præmij.

5 Mortem libenter sufferendam dicit. *Non habebat Dominus vnde moreretur, & mortuus est; tu habes quare, & mori dedignaris? dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, vt te à sempiterna morte liberaret.* huc refer illud de Phocione celeberrimo duce, qui bibiturus è calice venenum, cum alterum ui deret uilem è plebe reum, & meritò damnatum, mœstum eadem morte afficiendũ; an tu, inquit, Phocione libenter moriente, ægrè feras mortem? quò spectat quod addit: *prior passus est, vt te consolaretur, quasi dicens: Quid times pati pro me? prior patior pro te.*

Mors libẽtius ferenda post Christi mortem

3 De ineffabilibus Christi mysterijs sic. *Maiestatem, ac diuinitatem Christi quis loquatur? si vt quoquomodo humilitatem Christi loquamur, non sufficimus, immò deficimus.* tum ait melius interna inspiratione quàm verbis hæc intelligi. *Ille intus dicat melius illud: Verbum caro factum est. conturbat nos, In principio erat Verbum, quis explicabis?* rectè ait Verbum esse omni verbo superius.

Christi generatio vtraque ineffabilis

Deum

Scintilla charitatis satis vt inardescamus ad supera.

7 Deum gratis amandum dicit; *Quidam suspirans amator in psalmis ait: Vnam petij à Domino, hanc requiram. quaris quid petat? nùm subiectionem hominũ, aut mortem inimicorum, aut imperia? &c. ardet enim amore, & multum suspirat, & æstuat, & anhelat; videamus quid petat: Vt inhabitem, inquit, in domo Domini. & vnde ibi erit gaudium tuuum? Vt cõtempler, inquit, delectationem Domini. fratres mei vnde clamatis? vnde exultatis? vnde amatis? nisi quia inest scintilla huius charitatis.* Vide quantam vim habeat charitatis etiam scintilla, vt penitùs cor accensum erga Deum, *suspiret, astuet, anhelet, exclamet.* Tum ostendit amabilitatem non nisi ex virtute nasci; nam furem, etiam si eleganti specie sit, oderis, contra verò: *Nonnè Martyres amati sunt vehementer, & quando eos commemoramus, inardescimus in amore? quid in illis amamus? membra laniata feris. quid fœdius, si oculos carnis interroges? quid pulchrius, si oculos mentis?* præclarè dictum de amore eximio in Martyres, quò inardescimus ex eorum vulnerum pulchritudine. cernimus ebullientem in ampulla Ianuarij sanguinem: quantus tunc & in corde nostro amor æstuat erga ipsum? & vide in quantum decus cesserit laniena illa membrorum. Denique eos increpitat, qui conqueruntur, post tot opera bona se affligi: *Si gratiam tibi dedit Deus; quia gratis dedit, gratis ama; noli ob præmium diligere Deum. ipse tibi sit præmium tuum; dicat anima tua; Vnam petij, &c. noli timere ne fastidio deficias: talis erit illa delectatio pulchritudinis, vt semper satieris, nunquam satieris. nec fastidium erit, nec fames: quid dicam nescio.* Nota de ineffabili beatitate Sanctorum, & satietate inexplebili. huc refero illud de mysticis animalibus mirè dictum: *& requiem nom habebant die, ac nocte dicentia. Sanctus, etc.* ibi nè nulla requies, vbi quietis est portus? sed nimirum indicatur auiditas illa beatorum in Dei laudatione, & ipsa fruitione.

Laniena Martyrũ in decus cessit.

Ex tractatu IV. in Ioannem.

Cæcitas hæreticorum.

1 Incredulos ita carpit. *Qui negant Ecclesiam toto orbe diffusam, non in humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt. quanta cæcitas est non videre montem?* acutè cæcitatis arguit; nam exaltata iam Ecclesia, eius celsitudinem, & magnitudinem non videre, non modò hebetis, ac luscios, sed cæci est: tales sunt hæretici, qui tamen se lynceos putant.

2 De necessitate baptismi sic. *Suscepit Christus baptismum serui, idest Ioannis, vt tu non dedigneris suscipere baptismum Domini.* Ne scilicet aliquis cathecumenus, vbi se castimoniæ, ceterisque virtutibus magis ornatum viderit, quàm aliquem ex iam baptizatis, putet non esse necesse baptizari. *Videtur sibi melior, & tamen omnia peccata super ipsum sunt; & nisi venerit ad baptismum, cum omni excellentia sua non poterit cœlum ingredi.* præclarè ostendit, omnem excellentiam naturæ, ac virtutum moralium vilescere sine gratia, nec proficere ad salutem. reuoca in mentem eximia tot ætatum ingenia. quid Aristoteles? quid Plato? &c. *cum omni excellentia sua nõ potuerunt cœlũ ingredi.* percurre Græciam totam, dices: *Ibi fuerunt gigantes nominati illi: non hos elegit dominus.*

Sine baptismo omnis naturæ excellentia inutilis.

3 *Et confessus est, quia non sum ego Christus.*) *Nihil humilius ipso præcone. nullum tantum meritum Ioannes habuit, quã de ista humilitate; quod cum posset fallere homines, & putari Christus, & haberi pro Christo, tanta enim gratia tantaque excellentia fuit, confessus est tamen apertè; Non sum ego Christus.* rectè adnotat virtutis præstantiam in Ioanne, vt eum supra hominem putarent, & humilitatem, nam ob asperitatem vitæ maiore fortasse cum plausu, quàm Christus, excipi poterat.

Ioannis præclara humilitas negando se Christum.

4 *Ecce qui tollit peccata Mundi.*) *nondum erant nati hæretici, & iam ostendebãtur. contra illos iam tunc clamabat Ioannes à fluuio, qui dicunt: Nos tollimus peccata hominibus, quia sancti sumus.* pulchrè Ioannem plusquam prophetam facit, vaticinantem etiam aduersus hæreticos, præsertim eos, qui Cathari vocabantur, idest mundi: tantum creuit audacia.

Audacia hæreticorum carpitur.

Ex tractatu V. in Ioannem.

1 *ET ego non noueram eum.*) *Aliquid Ioannes nouerat, nam ait: Ego debeo à te baptizari. & aliquid non nouerat quod didicit per columbam; Hic est qui baptizat. quia Dominus erat, iã nouerat, sed eũ baptizandi sibi potestatẽ retenturũ, & nulli seruo eam daturum, hoc non nouerat.* acutè interpretatur: nempe aliud est ministerio vti, aliud potestate. non igitur ministri sanctitas plus tribuit baptismo.

Baptismus cur æque idẽ à bono vel malo ministro collatus.

2 De fidei simplicitate sic. *Per columbam dicitur, quia hic est. si aliter putas, non es in corpore columbæ, qui simplicitatem non habes; simplicitas enim maximè per columbam demonstratur; qui Ecclesiam dissipauerunt accipitres erant, milui erant; non laniat columba, illi verò persequuntur Ecclesiam dolis. illi grauius cor feriunt, qui lingua gladio feriunt. illi acerbius Christi sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt.* Nota cur co-

Ecclesia columba hæretici accipitres.

columbæ specie se obtulerit cum voce paterna. ne scilicet vlla posset esse suspicio fraudis ac doli, cum simplicitatis, & innocentiæ typus columba sit. & rectè opponit accipitrem acri laniantem rostro, quo hæretici significantur obloquentes Christi diuinitati impiè. id vero et ad detractores referri potest, & ad autores scãdali, quò refer & sequentia. *Quid persecutus est Imperator? carnem, tu in Christiano spiritum. quid habet Christianus? quod homo est, commune cum multis; quod Christianus est, secernitur à multis, & plus ad illum pertinet quod Christianus, quàm quod homo. hoc tu persequeris in Christiano, quod melius habet: hoc enim illi aufers, quo viuit ad æternitatem.* præclarè dictum de animæ damno omniũ maximo. tum pulchrè rem exaggerat. *latrones quos volunt spoliare, sic volunt, vt ipsi plus habeant, & illi nihil habeant: at illi tollunt animam, & ipsi duas animas non habẽt.* acutè adnotat: si quis habens vnum nummum aureum, eripiat tantundem alteri, habebit aureos duos. at si per malam suasionem, aut exemplum eripiat animam alteri, nec suam, nec illius habebit, sed vtramque amittet, diabolo iam possessore. His addit. *Quid doces eum, quem uis rebaptizari? nisi vt primò dicat: non sum Christianus: ad quod igitur persecutor proferebat flammam, ad hoc tu producis linguam. seducendo facis, quod ille occidendo non fecit.* Vide vt hæretici perniciosiores sint quàm tyranni. denique concludit. *per columbam mibi dicitur: Hic est qui baptizat. cui credam, miluo, an columbæ?* Similiter cum Mundus per suos asseclas hortatur ad vltionem, ad aucupium gloriæ, ad opes accumulandas; contra vero Ecclesia per Sãctos ad humilitatem, paupertatem, &c. dicito intra te. *cui credam, miluo, an columbæ?* ille prædator, hæc innocens.

Ingens damnum quod infert turper scandalũ.

3 Pergit ostendere, nõ irritum esse baptismũ per malũ ministrũ collatum: *Superbus minister cum diabolo computatur, sed non contaminat donum Christi: quod per illum fluit, purum est. per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimũ fructum affert: spiritalis enim virtus Sacramenti ita est vt lux, & ab illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur.* idẽ ad prædicatores refert, de quibus statim.

Malus minister non minuit vim baptismi.

4 Malos ministros non officere Sacramentis, vel hoc ostendit. *Apostolus de falsis fratribus prædicantibus verbum Dei quid dicit? In hoc gaudeo, sed & gaudebo; Christum enim annunciant. per inuidiam quidem, sed tamen Christum. non per quod, sed quem vide. noli imitari malum prædicatorem, sed bonum quod prædicatur.* hinc collige, quàm indignæ sint rixæ, inter religiosos maximè, cum quis ægrè patitur ab alijs quasi per æmulationem ministerium suum vsurpari. nefas autem est hęc ad inuidiam referre. Tum de inuidia sic. *Quid est inuidere? horrendum malum, quo & diabolus deiectus est, & deijcit multos. maligna pestis est.* rectè appellat. *horrendũ malum*: quod tam nobili creaturæ tantum exitium attulit. rectè & *malignam pestem* vt inuidum ab aliorũ consortio segreget.

Inuidia horrendũ malum.

Ex tractatu VI. in Ioannem

1 EXplicat. *Quare per columbę speciem Deus ostendere voluit spiritum? Gemitus columbæ est; gemunt columbæ in amore, & ait Apostolus: Ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. non Spiritus sanctus in semetipso apud semetipsum in illa beatitudine, in illa æternitate substantiæ gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit: nec parua res est, quod nos docet gemere; insinuat enim nobis, quod peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare.* Vide quò tendere debeant nostri gemitus. Et hoc indicium est sancti Spiritus inhabitãtis in nobis. contrà de mundanis sic. *Qui lætitia rerum carnalium, & temporalium exultat, habet vocem corui, quæ clamosa est, non gemebunda. multi gemunt quidem, sed in felicitate terrena, quassati damnis, vel ægritudine corporis, &c. sed non columbę gemitu gemũt, non amore Dei gemunt, non spiritu gemunt.* rectè distinguit, quo fine sit gemendum. Addit: in arca Noë idest Ecclesia & corui sunt, & columbæ. *corui sunt, qui sua quærunt; columbæ, qui ea quæ Christi. coruus emissus non est reuersus.* nempe coruus auidus cadauerosæ prædæ; columba, & munda, & innoxia.

Gemitus columbæ in bonis vox corui in malis.

2 De Spiritu sancto sic. *Duobus modis Spiritus sanctus ostensus est: visibiliter, per columbam super Dominum baptizatum, per ignem super discipulos congregatos. ibi simplicitas, hic feruor ostenditur. sunt qui vocantur simplices, & pigri sunt. non talis erat Stephanus plenus Spiritu sancto: simplex erat, quia nemini nocebat; feruens, quia impios arguebat; cuius sunt illa ad Iudæos verba flammantia: Dura ceruice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto. magnus impetus, sed columba sine felle sæuit, nam lapidatus genu flexo ait: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* pulchrè facit Stephanum sine felle, columbæ similem. cui meritò accommodes illud psalmi. *Si dormiatis inter medios cleros, pennę columbæ deargentatę, & posteriora eius in pallore auri.* certè scriptura somnum vocat eius mortem. *obdormiuit in Domino.* fortes alij legunt hæreditates; nam & in terris hęreditauit gratiam sancti Spiritus, quo plenus dicitur, & supernè gloriam, cuius

Stephanus columbæ comparatus.

Cur Spiritus sãctus & in igne & in columba apparuit.

cuius pignus erat dominica visio. vide etiam vt cũ columbæ mãsuetudine cohæreant, *verba flãmantia*, prædicatoris propria. Addit de descensu Spiritus sãcti. *Nõ moueat, quia linguæ diuisę sunt; Apparuerũt, inquit, dispertitæ linguę. linguarum distantię non sunt schismata, vnitatem cognosce in columba.* acutè adnotat, ne putes quia diuisis apparuit linguis. hoc ad discordiã pertinere: nam ideo & in columbæ apparuit specie, vt lenitatis, & concordiæ auctorem agnosceres. diuisio igitur illa linguarum ad prædicationem variarum regionum, ac gentium pertinebat.

Signum accepti Spiritus sancti mores columbini.

3 Eadem de re sic. *Intelligat quisque, si habeat Spiritum sanctum, simplicem se esse debere sicut columbã, habere cum fratribus pacem, quam significant oscula columbarum: habent & corui oscula, sed laniant; à laniatu innocens natura columbæ de frugibus terrę uiuit, innocens eius uictus est. quod verè mirandum est in columba; sunt passeres breuissimi, qui vel muscas occidunt; columba de morte non pascitur.* Nota signum, an Spiritũ sanctum excepermus, si pacifice, innocẽter, & simpliciter viuimus more columbę. Quod autem ait. *habent & corui oscula, sed laniant*: ad Iudæ proditoris osculum referri potest, qui cum audisset: *estote simplices sicut colũbæ*, maluit per dolũ effici coruus.

Simplicitas sit in corde feruor in lingua.

4 Cur & columbæ, & ignis specie Spiritus sanctus aduenerit, rursus docet. *Sic estote simplices, vt sitis & feruentes, & feruor vester in linguis sit. nolite tacere, ardentibus linguis loquentes, accendite frigidos.* Vide vt accepti sancti Spiritus signum sit, si de rebus diuinis ardenter loquamur, & alios accẽdamus nã & de Apostolis dicitur. *loquebãtur magnalia Dei.* hęc ipsa Ignatij videtur hortatio illa ad suos, cum in varias regiones ad prædicandum mitteret: Ite, incendite. quod hic dicitur. *ardentibus linguis accendite frigidos.* illud autem præclarum sanè monitum. simplicitas sit in corde, feruor in lingua.

5 Agnoscit in mysterio Trinitatem. *Vidit Spiritum descendentem sicut columbam; & vox consecuta est, Hic est filius meus dilectus) Apparuit manifestissimè Trinitas: pater in voce, filius in homine, Spiritus sanctus in columba: in Trinitate ista missi sunt Apostoli: Ite baptizate omnes gentes, &c. quò ibimus? ad id quod emi sanguine meo, ad gentes inquit; non ait: ite, baptizate Afros.* contra Donatistas loquitur, qui in Africa tãtùm apud sè veram Ecclesiam constituebant, quod arguens ait. *Linguæ gentium concordarunt, & vna lingua Africæ discordauit? linguæ per superbiam post diluuium discordarunt, cum erexerunt turrim.* efficax autem illa vox est ad Apostolicos viros. *Quò ibimus? ad id quod emi sanguine meo, ad gentes.* nempe & vos ad vestrum fundendum pa-

Conuersio gentiũ quanti æstimãda.

rati estote pro re tanti pretij.

6 De Ecclesia sic: *Pacatę Ecclesię dicitur: Vna est columba mea. vnde debuit humilitatẽ indicare, nisi per auem simplicem, & gementem? non per auem superbam, & exultantem? sicut coruus. columba est simplex, sine felle, pacata in osculis, non sæua in vnguibus. milui rapiunt, accipitres rapiunt.* Vide quid sit Ecclesia: columbæ nidus, nos eius pulli. quàm igitur mansuetè, innocẽter, & sine felle viuendum? rectè autem miluo, & accipitri hæreticos comparat, prædas animarum facientes, & catholicorum laniénas. Tum sic Donatistas exagitat. *Sic dehonestatis columbam vestram, vt ei membra vulturina faciatis?* nempe cum de Ecclesia dicatur: *vna est columba mea*: cum eam apud se tantùm esse dicerent, qui quasi vulturij erãt in catholicos sæui, &c. Ecclesiæ quasi *membra vulturina faciebant*, non columbina. Vide igitur quid sint hęretici; milui, accipitres, vulturij.

Catholici columbę sunt hæretici milui accipitres vultures.

7 De baptismo sic. *Puta te esse militem: si characterem Imperatoris tui intus habeas, securus militas: si extra habeas, tùnc non solùm tibi ad militiam non prodest character ille, sed pro desertore punieris.* egregiè ostendit per baptismũ, militiam nos inire, nomine Imperatoris inscripto. idem ad religiosos transferri potest. quò spectat exercitatio illa præclara Ignatij de duobus vexillis.

Per baptismum nomen Christo Imperatori damus

8 Qua ratione conuertendi sint hæretici, docet. *Veni: columba te vocat, gemendo te vocat: fratres mei, vobis dico: gemendo vocate, non rixando vocate, orando, ieiunando. in charitate intelligant quod doletis illos. non dubito quin si videant dolorem vestrum, confundentur & reuiuiscent.* Præclarum sanè monitum de conuertendis hęreticis. potest & ad alios peccatores, hoc referri. Franciscus Xauerius obstinatum hominum flagellis se cædendo permouit, & Ignatius impurum iuuenem algore gelidi lacus. non enim politicè, sed spiritaliter agendum in hac causa; nec loquaci linguæ, sed gemebundæ deprecationi fidendũ; negotium hoc est lacrymarum, & suspiriorum. idem mox inculcat. *Si columbę sumus, gemamus, toleremus, speremus, adest misericordia Dei, vt efferueat Spiritus sanctus in simplicitate vestra, & veniẽt: non est desperãdum, orate, prædicate, diligite: potens est Dominus: iam cęperunt cognoscere frontem suam, multi erubuerunt.* Vide in conuersione animarum quid agendum. tria hæc. ora cum gemitu; tolera, ac sustine; confide, & spera.

Conuersio peccatorũ prędicatoris gemitum magisquã loquacitatem requirit.

9 Baptismati opera iũgẽda monet. *Petrus ait Simoni: Pecunia tua tecum sit in perditionem. cui dicit? vtique baptizato. iam baptisma habebat, sed columbæ visceribus nõ hærebat: non est, inquit, tibi pars, neque sors in*

in hac fide. in felle enim amaritudinis video te esse. columba fel non habet. noli ergo de baptismate gloriari, quasi ex ipso salus tibi sufficiat. noli irasci, depone fel. Vide vt ira maximè & discordia baptismo repugnet. & nota: Petrus, hoc est Simon Bariona, idest filius columbæ impugnat alterum Simonem, quasi non de progenie columbæ, cum fel habeat. nec mirum quod alteri, vt vero columbæ pullo sine felle, dicatur, vt remittat non septies tantùm, sed septuagies septies.

Heretici rebaptizati similes coruo

10 Contra rebaptizatos sic pulchrè. *Missa est columba, plena erant aquis omnia, & maluit redire, quàm rebaptizari. coruus autem emissus antequam siccaretur aqua, rebaptizatus redire noluit; mortuus est in his aquis.* acutè. hæretici rebaptizati similes coruo dicuntur, qui aquas iterũ amauit, & ijs obrutus perijt.

11 Baptismum operibus probari sic ostendit. *Quid fecit columba? quia erant ligna foris aquis baptizata, reportauit ad arcã ramum oliuæ: ramus ille & folia, & fructus habebat. non sint in te sola verba, non sint sola folia: sit fructus. oliuæ fructus charitatem significat: sicut enim oleum à nullo humore premitur, sed diruptis omnibus exilit, & supereminet; sic & charitas non potest premi in ima; necesse est, vt ad superna emineat. vnde ait Apostolus: Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro; si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autẽ non habuero, &c. nunc clama: disertus sum, doctus sum. quantum disertus? quantum doctus? nunquid linguis Angelorum locuturus es? & tamen charitatem nõ habens, æs sonans es, &c.* Notabile est quod ait, ramum illum oliuæ non frõdes tantùm seruasse, sed fructus in communi Mundi naufragio. folia sunt verba, quibus fidem testamur: sed fructus operum iungendi sunt: hinc autẽ apparet, quàm frustra scientiã sine charitate iactamus, etiam si ad Angelicã ascenderemus, cum tamen multum ab ea absimus. *disertus sum, doctus sum: quantum disertus? quantum doctus?* nunquid quantum Angelus? & tamen tolle ab Angelo charitatem, vana est omnis illa vis intellectus, ac scientiæ.

Scientia sine charitate vanitas est.

Martyres columbis assimilati

12 De Donatistis sic acutè, qui se de martyrio iactabãt. *Charitate fecerũt Martyres, isti de tumore, & superbia. nam cum persecutor desit, se ipsos præcipitant. non sunt columbæ, ideo volare conati sunt, & de petra ceciderunt.* hinc infer Martyres columbas illas fuisse pennis argenteis, & aureo dorso, quia ex charitate mortui; sed mors illa volatus est. *in pallore auri:* pallor mortis est. alij legunt *in viriditate.* quæ typus est spei felicitatis æternæ.

13 De Imperatoris iure sic. *Iura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus describit generi humano. & Apostolus ait, Reges reueremini.* Tum affert ex legibus vnam. *Præceperunt Imperatores, qui præter Ecclesiæ communionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere.* rectè Ecclesiasticos redditus hęreticis interdixerunt, quippe qui hostes Ecclesiæ sint. Vide autem quantus exhibendus sit honos Imperatorum, ac Regum potestati: & quantus eorum zelus esse debeat Ecclesiasticæ immunitatis.

Hęreticis interdicti redditus Ecclesiastici.

14 Hæreticos sic vrget. *Dicitur in Cant: Una est columba mea, vna est matris suæ. quare laniastis columbam? immò laniastis viscera vestra, columba integra perseuerat.* En quid agũt hæretici, & schismatici: sibi nocent, non Ecclesiæ, quæ columbæ instar pennis industris in altum euadit ex eorum manibus elapsa.

Hæreticorum irritus conatus in Ecclesiam.

Ex tractatu VII. in Ioannem

1 De Christianis veris sic. *Iste populus non nouit gaudere de sæculo, & dolor eius intus est, & gaudium eius intus est, vbi non videt nisi ille, qui exaudit gementem, & coronat sperantem; lætitia sæculi cum magna expectatione speratur, vt veniat; & non potest teneri cum venerit.* ad religiosos hoc maximè pertinet, interna spectantes, externa spernentes, contra quàm mundani faciunt. quamobrem subiũgit. *Gaudiũ istorũ, qui abũdare sibi vidẽtur, quasi phreneticorum est. gaudet phreneticus in insania, & ridet, & nos pro ijs gemimus ad Deum. plus valet dolor noster quàm gaudium illorum. spectari volunt, & spectare se non nouerunt.* Vide quid Mundus sit, nosocomium phreneticorum: nempe signum insaniæ est risus sine causa, vt aiunt physici.

Iusti gaudium intus est.

2 De Christi imagine sic pulchrè. *Fratres mei, si agnoscimus pretium nostrum, quia sanguis est agni; qui sunt illi, qui hodie celebrant festiuitatem sanguinis nescio cuius mulieris? & quàm ingrati sunt? raptum est aurum, dicunt, de aure mulieris, & currit sanguis, & positum est aurum in statera, & præponderauit multum de sanguine; si pondus ad inclinandum aurum habuit sanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum Mundum sanguis agni, per quem factus est Mundus? & quidem ille spiritus nescio quis, vt premeret pondus, placatus est sanguine.* Notabilis superstitio de festo sanguinis, quod diabolus opposuit Christi sanguini: aurum aspersum sanguine illo mirè prægraue fiebat, & põdus ingens accipiebat in statera. quò referri potest illud Iob in persona Christi optantis

vt

vt calamitas, id est passio, & sanguis ipse poneretur in statera, quò eius ponderis grauitas appareret. & Christus idem de se ait. *aures autem perforasti mihi*. vt vertunt 70: scilicet ob passionis obedientiā. aurea porrò fit anima, vt hoc persūdatur. tunc, vt de libra Critolai dicitur, lanx illa non dico virtutis, sed Christi sanguinis ita præponderabit, vt terram & maria deprimat, hoc est infra se habeat, immò cęlum ipsum, iuxta illud. *quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram, Deus cordis mei?* idem etiam sāguis ex aure mulieris quod superstitiosè pretium, & pondus dabat auro, referri rectius potest ad Ecclesiam Iaponiæ, ex qua tres nostri Martyres extiterunt, quibus primò desectę, & cruentatæ sunt aures: ac certè *fides ex auditu* est.

Christi sāguis diabolū cruētans magnum spectaculum.

3 De Christi sanguine & illud pulchrè dictum. *Venit agnus. qualis agnus? quem lupi timent, qui leonem occisus occidit. sanguine agni victus est leo. ecce spectacula Christianorum. ne putetis, fratres, quod sine spectaculis nos dimisit Dominus. ecce vidistis & exclamastis. magnum est hoc spectare, per totum Orbem terrarum uictum leonem sanguine agni, educta de dentibus leonum membra Christi, & ipsi iuncta*. Veteres Imperatores dabant spectacula, centum leones pugnantes cum tigribus, pātheris, &c. sed longè maius, & admirabilius spectaculum est, diabolum leonem victum ab agno, & ab agno occiso, & cruentato. *sanguine agni victus est leo. ecce spectacula Christianorum*. & sanè loquens Euangelista de Christo in cruce fundente sanguinem, sic appellat. *Omnes, qui aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua reuertebantur*.

Superstitio redimendi sanguine simulacri opposita Christi sāguini.

5 Inuidiam diaboli in Christi sanguinem ostendit. *Nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, vt sanguine simulacrum suum emi vellet, quia nouerat pretioso sāguine quandoque redimendum esse genus humanū. fingunt enim spiritus mali umbras quasdam honoris sibimet ipsis, vt sic decipiāt eos, qui sequuntur Christum, usque adeo, vt illi ipsi, qui seducunt per ligaturas, per precantationes, per machinamenta, misceant nomen Christi. vt dent venenum, addunt mellis aliquid, vt sic bibatur ad perniciem*. Nota vt diabolus affectarit honorem sanguinis Christi, quod in pretium datum est, inducta superstitione, vt simulacrum, & idolum affabrè factum non emeretur auro, sed sanguine. Christi enim sanguine homo ad imaginem Dei factus est emptus. Vide etiam dignitatem nominis Christi, quod etiam melli comparat, vt non aliter malefici ipsi pretiū facere possint rebus suis, nisi illud ficte interponant, & venenum condiant melle.

5 De tolerandis aduersis sic. *Murus est Christus aduersus omnes impetus inimici. constat illum nihil facere, nisi permissus fuerit, aut missus. non fit hoc, nisi vt probentur iusti, puniantur iniusti. quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis*. pulchrè hoc dictum de afflictione ad solatium: & affert exemplum patris corrigentis filium, quem heredem vult relinquere. *Ad hæreditatem semp. ternam erudimur, & flagellari dedignamur? filium erudit pater successorem, ne perdat temporalia: quomodo vultis erudiat pater noster, cui non successuri, sed ad quem accessuri sumus, & qui cum in æternum in hæreditate mansuri?* Vides afflictionem esse prædestinationis signum.

Afflictio prædestinationis est signū.

6 Superstitiones ad morbum tollendum taxat. *Sufferamus eruditionem patris, non curramus ad præcantores, ad sacrilegia, & remedia vanitatis. qua fronte exijt anima ad Deum? perdidit signum Christi, accepit signum diaboli*. Vide quid sit recurrere ad maleficia: notari charactere diaboli vt vile mancipium. illud autem ad quemlibet peccatorem serium monitum pertinet. *qua fronte exibit anima ad Deum?*

Superstitio character est diaboli.

7 Eos vrget, qui licet sortilegijs vtantur, tamen fidem Christianam non denegant. *An fortè dicet: Non perdidi signum Christi? at non vult Christus communionem, solus vult possidere quod emit. tanti emit, vt solus possideat. tu facis ei consortem diabolum, cui per peccatum te vendidisti. væ qui in corde suo partem faciunt Deo, partem diabolo. iratus Deus discedit, & totum diabolus possidet*. Nempe verum est dictum illud, non posse & Deo seruire, & mammonæ. certè iustè ille totum sibi deposcit. *solus vult possidere quod emit, & tanti emit*. denique concludit pulchrè. *cognoscamus ergo agnum, fratres, cognoscamus pretium*.

Christus solus vult possidere quod emit

8 De vocatione Apostolorum sic. *Hora erat quasi decima.)* Numerus este legem significat in decem præceptis datam: *meritò ergo decima hora eum secuti sunt isti: & decima hora dicitur Rabbi, id est magister. nemo dicat, quia alius dedit legem, & alius docet legem*. acutè notatum in hęreticos, eadem hora & Apostolos vocatos ad præcepta seruanda, & præceptorem à Nathanaele dictum, & horarum dierum numerū respōdere numero præceptorum. Vides etiam eos, qui Christum sequūtur, in plena legis obseruatione constitutos, quod ad religiosos in primis pertinet.

Cur Apostoli vocati decima hora.

9 De oratione dominica sic pulchrè. *Vtere precibus, quas tibi constituit, & composuit iuris peritus cœlestis: qui enim habent causam, & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholasticum iurisperitum, à quo sibi preces componantur, ne fortè si aliter petierint quàm oportet, non solùm non impetrent quod petunt, sed pœnam pro beneficio consequantur. ita Apostoli adituri Imperatorem*

Oratio dominica quasi formula iuris

torem Deum aiunt: Doce nos orare, hoc est Iurisperite noster compone nobis preces. & docuit Dominus de libro iuris cælestis. egregiè ostendit, dominicam orationem datam nobis quasi formulã iuris, tanquã in causa, & lite animæ diiudicandæ: vide igitur quanti momenti res agatur. Addit: *Posuit quandam conditionem. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. contremiscis Imperatorem factus reus? dic in precibus: Dimitte mihi, quia & ego dimitto, sed si dicis, fac: quò iturus es, si mentitus fueris in precibus? non quomodo in foro: carebis beneficio rescripti, sed nec rescriptum impetrabis.* hoc tamen discrimine, inquit, quia Imperator vt homo falli potest, & ideo ille vt sciat an verum dicas, dimittit te aduersario conuincendum: at Deus omnia nouit.

Mos euangelij ad caput ponendi in eius dolore.

10 De cura animæ, quę postponitur corpori, cõqueritur. *Cũ caput tibi dolet, laudamus si Euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus, quando viderimus hominem ægrotantem, non alibi spem posuisse, nisi vt sibi Euãgelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Euangelium ligaturis. si ergo ad caput ponitur, vt quiescat dolor capitis, ad cor non ponitur vt sanetur à peccatis?* Nota morem in ægris: & rectè ait multò maiorem curam habendam animæ sanitatis quàm corporis. Tum ostẽdit indifferentiam, vt vocant, in morbo. *Bonum est vt de salute corporis non satagas, nisi vt à Deo illam petas. si scit tibi prodesse, dabit illam; si non dederit, non tibi prodesset habere illam. quàm multi ægrotant in lecto innocentes, & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda? quàm multis obest sanitas? nouit Deus quid nobis expediat. id agamus tantum, vt cor nostrum sanum sit à peccatis: Paulus hoc inuenit in voce medici: sufficit tibi gratia mea. clamat qui secatur, sed medicus secat misericors, quia vulnus persequitur, vt sanet ægrotum.* magnum est hoc in morbo solatium, medicum habere Deũ, quem scis non nisi vtilitatem nostram in omnibus spectare. itaque eius voluntati nos committere debemus.

Christus de piscatore non de oratore lucratus est Imperatorem.

11 *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.) Magnum testimonium hoc nec Andreæ dictum, nec Petro quod de Natanaele. quid ergo? deberet iste primus esse in Apostolis, & non solùm primus non inuenitur, sed nec medius, nec vltimus; sed intelligere debemus Nathanaelem eruditum, peritum legis fuisse, propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere, quia idiotas elegit, vt confunderet Mundum; si doctus eligeretur, fortasse ideò se diceret electum, quia doctrina eius meruit eligi; sed Dominus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator. nullus nobilis primò electus est, nullus doctus, &c.* Vide vt humana sapientia infimo loco sit apud Deum; ne tumeamus, ne politicè in principum aulis versemur, *de piscatore lucratus est Imperatorem.* præclara laus Petri. quantò dignior hæc piscatio, quã fictitia illa Theotimi Ducis, in cuius dormientis scapham Fortuna imperia & regna verriculo capta conijceret.

12 *In quo dolus non est.) Dolus fraus est. simulatio est, quando aliud in corde tegit, & aliud loquitur & tanquam duo corda habet; vnum quasi sinum cordis, vbi videt veritatem; & alterum sinum, vbi concipit mendacium. vnde illud psalmi: In corde, & corde locuti sunt mala.* pulchrè hoc interpretatur de cordis duplicitate. nec tamen Nathanaelem sine peccato indicat; nam si se non diceret peccatorẽ, dolus in ipso esset. — Duplicitas cordis taxatur.

13 *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel.) Talem vocem Nathanael protulit, qualem tantò post Petrus, cum ei dixit; Beatus es Simon, &c.* Notabile omnino est quod ait: & tamen qui doctrina pollebat, inter Apostolos nec primus, nec medius, nec vltimus est electus, ad tumorem nostrum tollendum in literis: adeoq; maior vis prędicationis euangelicæ apparuit; quę per indoctos facta, & rudes, totum Orbem subiecit fidei. — Cur Nathanael non electus Apostolus.

14 *Prius quàm esses sub ficu, noui te.) Inuenimus arborem fici maledictam, quia sola folia habuit, & non fructũ. Adam & Eua cum peccassent, de folijs ficulneis succinctoria sibi fecerunt. folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. erat autem Nathanael sub arbore fici tanquam sub vmbra mortis. misericordia sua ante te vidit, quàm tu eum agnosceres, cum sub peccato iaceres. numquid enim nos prius quæsiuimus Christum, & non ille nos quæsiuit?* rectè de Dei immensa pietate interpretatur, merita præueniẽtis, qui sub ficulnea, idest sub vmbra mortis degentibus luucidissimos intendit oculos. affert exemplum mulieris dracmam quærentis, & pastoris ouem. & illud. *paraui lucernam Christo meo,* refert ad mulierem, *quæ accendit lucernam.* — Dei pietas præuenientis ad salutem.

15 *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes.) Angeli Dei sunt boni prædicatores prædicantes Christum, hoc est super filium hominis ascendunt, & descendunt. vide Paulum ascendentem: Scio hominem raptum vsque ad tertium cælum, &c. Vide descendentem: Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; quasi paruulis lac vobis potũ dedi. quære quò ascenderit? vsque ad tertium cælum; quò descenderit? vsque ad lac paruulis dandum. videmus nutrices, &* — Prædicatores Angelis comparati.

ma-

matres, quæ licet norint latina verba, tamen ea decurtant, & quassant quodam modo linguam suam, vt possint de lingua diserta fieri blandimenta puerilia; & disertus pater, & si sit tantus orator, vt lingua illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur, tamen si habeat paruulum filium, cum domum redierit, reponit forensem eloquentiam quò ascẽderat, & lingua puerili descendit ad paruulum. Audi Apostolum: Siue mente excedimus Deo; siue temperantes sumus vobis. elegans similitudo maternæ indulgentiæ. nota vt prædicatores quantumuis eloquentes, & docti, accommodare se debeãt auditoribus. & vide quam vitam instituere debeant, Angelicam scilicet; & Christum prędicare, non se ipsos.

Ex tractatu VIII. in Ioannem.

Miracula ad torporẽ excitãdum fiunt

1 *NVptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, &c.) Miraculum, quod de aqua vinum fecit, non est mirandum eis, qui nouerint quia Deus fecit: ipse enim vinum fecit in hydrijs, qui omni anno hoc facit in uitibus, cum quod nubes fundunt, conuenit in vinum: illud autem non miramur, quia assiduitate amisit admirationem. quis est qui consideret opera Dei, quibus regitur & administratur totus hic Mundus, & non obstupescit, obruiturq; miraculis? sed quia homines perdiderunt horum considerationem, seruauit sibi Deus inusitata quædam, vt tanquam dormientes ad se colẽdum mirabilibus excitaret. maioris miraculi est, esse quod non erat, cum nascimur, quàm reuiuiscere qui erat, &c.* rectè arguit, quod in Dei operibus segnes, & sopiti simus, vt nõ nisi miraculorum quasi stimulis, & clamore excitemur è somno. Tum pulchrè concludit. *Non miremur, quia Deus fecit; sed amemus, quia inter nos fecit, & propter reparationem nostram fecit.* Vide quem ex miraculis fructum colligere oporteat.

Creaturæ nos non auertere à creatore sed ad eum conuertere debent.

2 Ostendit idem Verbum Diuinum opificem rerum omnium. *Per Deum Iesum facta sunt omnia quæ oculis adiacent, vt artifex laudetur, non vt ad opera conuersi ab artifice auertamur; & faciem quodammodo ponentes ad ea, quæ fecit; dorsum ponamus ad eum, qui fecit.* Vide quid in rebus creatis spectandũ sit. seniores illi apud Ezechielem faciem vertunt Solem versus, dorsũ sanctuario obuertunt.

Mira animæ excellentia.

3 De animę in corpore vi sic pulchrè. *Cum subtrahitur anima corpori, cadauer iacet. defluit caro in putredines, nisi quodam cõdimento animæ teneatur. sed illa magis mirãda, quę ad mentem & intellectũm pertinẽt. quid erit hæc vis animæ, cum & corpus hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem? si tanta potest per corruptibilem carnem, quid nõ poterit per spiritale corpus? attẽdite vniuersum Orbem terrarum, ordinatum in ipsa humana republica, quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatum, cõditionibus ciuitatum, legibus, moribus, artibus: hoc totum per animam geritur, &c.* Eleganter ostendit animam esse quasi cõdimentum corporis ne putrescat: & vide quantæ sit excellentiæ. quod si tanta vis sapientiæ per corporis corruptibilis organa ex ea manat, quid erit post resurrectionem?

Ebrietas diuini feruoris.

4 Miraculũ hoc sic mysticè interpretatur. *Ipse de vino inuisibili inebriet nos. quia & nos aqua eramus, & vinum nos fecit: sapientes enim nos fecit. sapimus quippe fidem ipsius, qui prius insipientes eramus.* pulchrè inebriari se eodẽ mirabili vino petit. mysticè vinum ad feruorem spiritus pertinet, aqua eramus in seculo: ad religiosos facit hic locus.

Spiritales nuptiæ quam eximiæ.

5 Nuptias sic elegãter exponit. *Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc Mundum ad nuptias venit? habet hic sponsam, de qua Apostolus: Aptaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo: hanc redemit sanguine suo. quis offerat tantũ sponsæ suæ? offerant alij aurum, argentum, gemmas, fundos: nunquid offeret sanguinem suum? si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat vxorem; Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro ea, quam resurgens haberet.* pulchrè ostendit, à nullo sponso posse dari tam nobilem dotem sponsę, idest proprium sanguinem; nam si hunc daret; mortem obiret, ac proinde sponsus esse desineret. at potuit Christus, quia arbiter vitæ suæ ad resurgẽdum. porrò hæ nuptiæ vbi factæ sint, ostẽdit. *Ille vterus Virginis Mariæ thalamus fuit, vnde sponsus processit.* Nempè & Solis instar inde processit.

Cur Christus matrem vocarit mulierem.

6 *Quid mihi & tibi est mulier?) Quid hoc? ideò nè venit ad nuptias, vt doceret matres contemni? cum & propter filios habendos, quibus honorem reddere parentibus imperat Deus, nuptię celebrentur: hinc argumẽtum sumunt hęretici, quòd non sit natus de Maria; sed si falsa mater, falsa & caro, falsa vulnera passionis, falsę cicatrices resurrectionis; at idem Euangelista ait: erat ibi mater Iesu: sed quia miraculum facturus erat secũdùm, quod Deus erat, & matrem non habebat; mater erat carnis. tunc te cognoscam, cũ ipsa infirmitas pendebit in cruce, hoc est enim non dum venit hora mea. hinc ait Euangelista: erat illic circa crucem Mater Iesu, & ait Iesus matri suæ, &c.* acutè maternitatem agnoscit ex humanitate suscepta, qua poterat pati. & nota, horam suam quasi peculiariter dilectam vocat passionis tẽpus, licèt diù per plures horas sit passus.

Fatalis horoscopus taxatur.

7 *Non dum venit hora mea.) Mirum quod mathematici conantur conuincere Christianos, quod sua hora fatali vixerit Christus, cum ipse dicat: potestatem habeo ponendi animam*

Scandalū publicū publica venatio est.

mam meam, &c. non igitur ideò sub fato ponant conditorem cæli, ordinatorem siderum: adde quod nō solùm Christus non habuit quod appellas fatum, sed nec hominum quisquam. seducunt, & proponunt fallacias, & hoc in plateis; nam qui tendunt ad capiendas feras, vel in siluis, vel in solitudine id agunt; sed hi quàm infeliciter vani sunt, quibus capiendis, in foro tenditur? dant nummos, vt se vanitatibus vendant. intrant ad mathematicum, vt emant sibi dominos, quales mathematico dare placuerit, vel Saturnum, vel Iouem, vel Mercurium, vel si quid aliud sacrilegi nominis. intrauit liber, vt nummis datis seruus exiret, immò non intrasset, si liber esset; sed intrauit quò eum dominatrix cupiditas traxit. acutè, & elegāter astrologos carpit, & qui ab ijs reguntur. planetas sibi dominari malunt, quàm ipsi sibi. & rectè exaggerat quod hoc publicè faciant: *& hoc in plateis.* scilicet animas venantur intra vrbem, cum venatio fiat occultè in siluis. tum sic locum explicando concludit. *Venit hora mea, non necessitatis, sed voluntatis; non conditionis, sed potestatis.*

Ex tractatu IX. in Ioannem

Nuptiæ à Christo diuortiū à Diabolo.

1 ITerum de miraculo in nuptijs. *Deus per vniuersam creaturam, quotidiana miracula facit, quæ hominibus non facilitate, sed assiduitate viluerunt.* rectè ostendit nūquam deesse materiam admirādi Dei potentiam etiam in ijs, quę vsitata sunt: vt est ex minimo grano tāta multiplicatio, &c. *Tum ostēdit, cur nuptijs adesse voluerit Christus?* Futuri enim erant, qui dicerent diabolum eas fecisse: immò sicut coniunctio à *Deo* est, ita diuortium à diabolo est. addit pulchrè. *Nec illi, qui virginitatem Deo vouent, quamquam ampliorem gradum honoris, & sanctitatis in Ecclesia habent, sine nuptijs sunt. nam & ipsi pertinent ad nuptias Ecclesiæ, cuius sponsus est Christus.* concludit. *Venit igitur ad nuptias, vt coniugalis castitas firmaretur, & ostenderetur Sacramētum nuptiarum.* in figura, scilicet. Nota illud præclarè dictum pro religiosis. *Qui virginitatem Deo vouent, ampliorem gradum honoris, & sanctitatis in Ecclesia habent.* quàm decet tam præclaro gradui respondere?

Religiosi ampliorē gradum honoris in Ecclesia habēt

Collocutio de rebus spiritualibus ebrietas quædam animi est.

2 *Bonum vinum seruasti vsque adhuc.) Prophetia aqua erat; in aqua enim vinum quodammodo latet. illi duo discipuli dicti sūt insensati, quia adhuc illis aqua sapiebat, non vinum. quomodo fecit de aqua vinum? cum exposuit eis scripturas, vnde iam inebriati dicebant; Nonnè ardens erat cor nostrum, cum aperiret nobis scripturas?* Vide vt collocutio de rebus spiritalibus sobria quædam ebrietas sit. porro in aqua vinum quodāmodo latere ait, dum ex imbri humor à vite concipitur. affert & exemplum panū multiplicationis. *Omnipotentia Dei quasi fons panis erat.* eleganter dictum de omnipotentia Dei, quasi de fontis inexhausta perennitate: ad hunc igitur quasi cerui inhiemus.

Ecclesia è latere Christi vt Eua ex Adam.

3 Sex hydrias ad sex ætates refert. primā ad Adam & Euam, de cuius formatione sic. *Dormienti Adæ fit Eua de latere: mortuo Christo lancea percutitur latus, vt formetur Ecclesia. nunquid non poterat vigilanti costam educere? an profectò ne doleret latus, dormiebat? quis est qui sic dormiat, vt ei ossa non euigilanti euellantur?* igitur ad figuram refert. ecstasis potius fuit illa Adami, quàm somnus: quid ergo aliud Ecclesia recogitet oportet, quam ortum suum & natalem? perpetua scilicet memoria Christi passionis, præsertim verò vulneris ampli accepti in latere.

Adam nomen quatuor terræ partes cōtinet.

4 In Adam nomine mysterium vniuersitatis agnoscit. *Quis nesciat, quod de illo exortæ sunt omnes gentes, & in eius vocabulo quatuor literis Orbis terrarum partes per græcas appellationes demonstrantur? si enim græcè dicantur, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies: in capitibus verborum inuenis Adā. dicuntur enim græcè quatuor Mundi partes ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία.* egregiè potest referri hoc ad Apostolicos viros generosi spiritus, quorū quisq; vniuersum Orbē terræ in se per zelum, & affectum continere debet. hoc sibi proposuit noster Ignatius, cum Societatem fundauit. Est autem valdè notandum, quod cum Roma caput Orbis fundata est, ex varijs terræ partibus accepta humus est, quasi dominationis auspicio, ac propterea fundamentum ipsum Romulus appellauit Mūdū: ita Adā nomē partes cōplexū est quatuor terręnē pe cui dictū. *præsit piscibus maris, & bestijs terræ.*

Ex Tractatu X. in Ioannem.

Diabolus leo est aperte sæuiens, draco occultè.

1 DE tentationibus sic. *Non cessat inimicus persequi; & si non apertè sæuit, insidijs agit. sed quid dicitur Christo? Conculcabis leonem, & draconem. leo est per apertam iram, draco per occultas insidias. draco eiecit Adam de paradiso, idem vt leo persecutus est Ecclesiam. non tibi sæuitiam suā videatur amisisse diabolus. cum blanditur, tunc magis est.* pulchrè quasi draconem euomuisse initio virus dicit forma serpētis; postea in tyrannis quasi leo fuit: certè Leones nomine, & factis Armenius, & Isauricus Ecclesiam persecuti sunt. & sæpe Martyres leonibus obiecti.

2 De orando Deo hæc habet. *Qui exaudit, intus manet. non faciem in stellas, aut Solem, aut Lunam leuetis. non tunc exaudiri*

arbi-

arbitramini, cum super mare oratis; immò detestamini tales orationes. qui te exaudit, nō est præter te: & oratio mea, inquit, in sinu meo conuertetur. egregiè de secreto cordis. innuere autem videtur, superstiosè in orando solitas manus tendi ad stellas, & planetas, & mare versus; qui fastus quidam orantis est, & exterior quasi pompa, non cordis affectus, ac pietas syncera. sed cur super mare orabant? an quia hæc vita nauigatio est, scopulis, & procellis, & piratis infesta? at circa hoc Deus piè, non superstitiosè orandus in corde.

Oratio ex interno cordis affectu non superstitiosè fūdenda.

3 *Cum fecisset quasi flagellum de resticulis.) Si hoc vendebant quod emebatur, vt offerretur in templo, & tamen eiecit eos: quid si ibi ebriosos inuenisset?* Tum explicat illud psalmi. *Congregata sunt super me flagella, &c. flagellatus est Christus flagellis Iudæorum, flagellatur blasphemijs falsorū Christianorum, sed prior ipse illos flagellauit; etenim quisque peccatis suis restem sibi texit. væ, inquit Propheta, qui trahunt peccata sua sicut restim longam. & quis facit restim longā? qui peccato addit peccatum. furtum quis fecit, ne inueniatur, quærit mathematicum; quia ad mathematicū prohiberis accedere, blasphemas Episcopum. ecce tria peccata, &c.* Nota cur prius Christus Iudæos flagellarit ipse, quàm sit flagellatus ab ipsis. quia præcesserāt eorum peccata, quibus in se texuerāt flagellum. sed mira pietas, quod quasi grandi, & enormi illo flagello in Pharaonem posposito, fecerit de funiculis, vt puniret leuius. pro qua pietate ipsi immani flagello Christum lacerarunt: hoc porrò refert & illud prou. *criniculis peccatorum suorum quisque constringitur.* sic enim legit. quod ad Magdalenam refer, quæ idcircò crines adhibuit ad pedes Christi, vt peccatorum criniculis, siuè restibus eos opponeret.

Peccatum vnum trahit alterū

4 *Vendentes oues, & boues.) Qui vendit, laudat.* nempe eos arguit, qui non Dei gloriam, sed suam quærunt in prædicando. contra dicitur in psalmo: *Dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacē serui tui. audistis hoc, & mouebamini, cum audiretis. cantabatur ab vno, & de omnibus cordibus resonabat. felices qui se illis vocibus tanquam in speculo cognoscebant.* Vide quàm attentè, & quantò cum animi motu psalmi audirentur in Ecclesia, & quantam vim habeat hęc vox de quærenda Dei gloria. pergit. *Qui volunt pacem serui tui: hoc est animæ, quam vult erui de ore, & de manu canis vnicam.* Vide quò tendere debeat predicatio: quod item egit Dauid eruens prædam ex ipso ore leonis, vel vrsi. Addit exemplum, *Videte bouem magnificantem* Dominum *suum, bouem timentem, ne deseratur possessor bouis, & in boue præsumatur, quomodo expauescit eos, qui*

Psalmi attētè & cū affectu recitandi & audiendi.

Dei gloria in omnibusquę renda.

volunt in illo spem ponere. Nunquid, inquit, Paulus pro vobis crucifixus est? &c. quod dedi, non ego dedi, gratis accepistis. referri egregiè hoc potest ad S. Thomam Aquinatem, qui bos dictus est, qui fassus est, non aliud se velle nisi ipsum Christum. Ignatius quoque, qui bouis instar in Ecclesiæ agro cum suis laborauit, non nisi maiorem Dei gloriam semper exoptauit, quasi hoc carmen inculcans: *Magnificate dominum meeum.*) cui certè competit hoc præconium. *felix qui se in istis vocibus tanquam in speculo agnoscebat.*

5 *Zelus domus tuæ comedit me) Quis comeditur zelo domus Dei? qui quæ videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. si emendare non potest, gemit; si in domo Dei, cur pateris? vides fratrem currere ad theatrum, probibe, mone, contristare. tene quos potes, terre quos potes; si autem dicas, quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea: non tibi venit in mentem seruus ille, qui abscondit talentum?* præclarus hic locus est de zelo animarum quem si à quocumque requirit, quantò impensius à religioso viro Apostolico id profitente? denique pulchrè concludit. *Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis à Christo.* rectè indefessam sollicitudinem esse vult lucrandi animas, cum & nos lucratus sit Christus tanto cum labore, & pretio sanguinis.

Zelus animarum ardens commendatur.

6 *Quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc.* Agnoscit hoc quoq; in Adæ nomine. *Ad literas numeros computant Graci. & vnum, duo, tria, quatuor, &c. μ quadraginta significat. habet Adam α, quod est vnum; habet δ quod sunt quatuor. habet iterum α, quod est vnum, habet & μ quod est quadraginta. habes igitur quadraginta sex. Dominus autem de Adam accepit, non peccatum traxit: templum corporeum inde sumpsit.* acutè adnotatum, quod à maioribus accepisse se dicit. & vide vt primus parens quasi Dei templum sit factus, quod Paulus de nobis quoque posteris ait.

Adam nomen refert Dei templum.

7 Satis piè concludit, *Totum gaudiū nostrum, fratres, de spe futura sit; totum desiderium de vita æterna sit. nemo gaudeat in re præsenti, ne hæreat in via. Omnia suspiria in Christo anhelent; ille vnus pulcherrimus, qui & fœdos dilexit, vt pulchros faceret, desideretur; ad illum vnum curratur: illi ingemiscatur, & dicant semper: Magnificetur Dominus.* Vide vt omne studiū, & affectus conferendus in Christum sit, ac diuinam gloriam. elegans parænesis est, qua cor accenditur ad eius amorem: *Omnia suspiria in Christo anhelent: ille vnus pulcherrimus, &c.* quod alibi dixit: *pulcher in præsepi, pulcher in flagellis, pulcher in cruce, &c.*

Christus impense amandus.

Ex tractatu XI. in Ioannem

Eucharistiæ post baptismũ typus mãna post transitum maris rubri.

1 DE Eucharistia non nisi post baptismum suscipienda sic. *Quando mãna populus Israel manducauit? cum transisset mare rubrum. mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum: Omnes mare transierunt, omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari. quod est manna? ego, inquit, sum panis viuus, qui de cælo descendi. mare rubrum baptismum significat, vnde rubet nisi Christi sanguine?* rectè ostendit, non ante manna in typum Eucharistiæ datum, quàm per rubrum mare transissent, in typum baptismi; quod potest etiam referri ad pœnitentiæ sacramentum, quod in baptizatis Eucharistiæ sumptionem præcedit. est item & pœnitentia, seu confessio lauacrum quoddam animę. Tum acutè perstringit eos discipulos, qui audito eo mysterio abierunt, quasi ipsum vt agnum cocturi verè, & comesturi essent. *carnem suam sapit, quia Christi carnem non sapit.* similiter dixerim de carnalibus hominibus, quibus caro Christi non sapit.

Mundanorum lusio illusio est.

2 De abijcienda hæresi sic. *Vidit Sara ludentes Ismael & Isaac, & ait Abraham: Eijce ancillam, & filium eius. quid mali fecerat Ismail puero Isaac, quia ludebat cum eo? sed illa lusio illusio erat; persecutionem vocat illam Apostolus lusionem. Sicut, inquit, ille, qui natus est secundùm carnem, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita nunc, &c. plus ergo vos persequuntur, qui illudendo seducunt.* idem transfer ad ludicra Mundi oblectamenta, quæ machinamenta sunt potius hostilia, *illa lusio illusio est.* eleganter dictum.

Correctio in bonum non est persecutio dicenda.

3 Respondet Donatistis, qui dolebant se à Catholicis Imperatoribus affligi. *De ancilla dicitur: Afflixit eam grauiter Sara. afflictio ista non vocatur persecutio, & lusio illa Ismaelis cum Isaac vocatur persecutio ab Apostolo. conquesta Agar ancilla, quid audit ab Angelo? reuertere ad Dominam tuam. ad hoc igitur affligitur, vt reuertatur.* acutè adnotat; nam potius persecutio videtur dicenda illa, quam patiebatur Agar à Sara, quã ludus ille Ismaelis cum Isaac: sed nimirum Sara affligebat ancillam ad corectionem, nõ ad explendã iracundiam. quod referri etiã potest ad Dei consilium, cum carnem affligit. Tum pulchrè Imperatorum zelum ostendit. *Mirantur, quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. si non ergo mouerentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? nempè pertinet hoc ad reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiã habere.* affert exemplum Nabucdonosor regis, qui visa Dei maiestate in igne, licèt gentilis, decretum edidit de perdendis religionis persecutoribus: *Quicumque dixerit blasphemiam aduersus Deum Sidrac, &c. in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. ecce quomodo sæuit rex alienigena, nè blasphemetur Deus Israel; & nolunt vt sæuiant reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo non tam tres pueri, quàm Orbis terrarum cum ipsis regibus à gebenna igne liberatur.* Sunt certè in hoc laudandi precipuè Hispaniæ, & Galliæ reges. ab illo & Mauri eiecti, & Inquisitores in hæreticos constituti; hic totus est in hæreticis debellandis, de quibus crebræ victoriæ. nam de Ferdinando Imperatore quid dicam? cum quasi adamantinus murus ijs oppositus sit. & rectè monet rationem reddendam Deo de hoc zelo, nisi eo ardeant reges, & Cæsares. Tum irridet, quod Donatistæ Martyres suos dicerent, qui præcipitati, vel in puteum deiecti essent. aiebãt ipsi per nostros, sed potius per se ipsos putat id factum, vt famam aucuparentur.

Zelus de religione in rege.

Ex tractatu XII. in Ioannem.

Ecclesiæ matris vbera sugenda.

1 DE Cathecumenis sic. *Proferat Ecclesia quos parturit; concepti sunt, edantur in lucem. habent vbera, quibus nutriantur. non timeant, ne nati suffocentur; ab vberibus maternis non recedant.* pulchrè de materno affectu Ecclesiæ, alludit autẽ ad Mosis factũ, & pueris Hæbreorum ad flumen proiectis. certè Moses, vt refert Iosephus, alienigenæ mulieris Ægyptiæ lac auersatus est, donec mater accita proprium præbuit.

Superbię tumor abs sit à sapiente.

2 Exponit illud de Nicomede: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?) Putamus ne Dominum huic magistro Iudæorum insultare voluisse? volebat eum nasci ex spiritu: nemo nascitur ex spiritu, nisi humilis fuerit. ille magisterio inflatus erat, & alicuius momenti sibi esse videbatur, quod esset doctor Iudæorum: deponit ei superbiam. non quod velit superior eo videri, qui est maior omni creatura, & magister non hominum tantùm, sed Angelorum. si natus es ex Spiritu, Christi humilitatem sequere, qui exinaniuit semetipsum, &c.* Vide quàm alienus esse debeat tumor superbię à sapiente. audiant qui tam contentiosè cathedras affectant.

3 *Sicut Moses exaltauit serpentem, etc.) Prosternebatur in eremo populus Israel morsibus serpentum. qui sunt serpentes mordentes? peccata de mortalitate carnis. quis est serpens exaltatus? mors Domini in cruce. quia enim à serpente mors, per serpen-*

tis

tis effigiem figurata est mors. morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. vita mortua occidit mortem. iam triumphantes cantamus: Vbi est mors contentio tua? &c. Eleganter ostendit, vt post Christi victoriam nos veluti laureati milites illudamus morti in triumpho Ducis. indignum igitur est mortem timere. Tum vide quid sit peccatum quod blandiri videtur: *Misit in eos ignitos serpentes:* quàm tetrum genus serpentis? siue ardens ira, siue concupiscentia consumens animam.

Pœnitentia coniungit cũ Deo.

4 De peccati confessione sic. *Accusat Deus peccata tua; si tu accuses, coniungeris Deo. quasi duæ res sunt, homo, & peccator. quod audis, homo, Deus fecit; quod audis, peccator, ipse homo facit. dele quod fecisti, vt saluet Deus quod fecit.* egregiè dictum. sed quid tam mirum, quam quod ait, *si accusas te, coniungeris Deo?* quasi gluten quoddam sint illæ lacrymæ pœnitentiæ. ita Deus ex Iudice fit misericors pater.

Ex tractatu XIII. in Ioannem.

Pater dux viæ iustitiæ filio sit.

1 DE interno visu hæc habet. *Est & interior oculus; non enim nullos habebat oculos Tobias, qui cæcus oculis corporeis filio dabat præcepta vitæ. ille patris manum tenebat, vt pedibus ambularet; hic filio consilium dabat, vt viam iustitiæ teneret. meliores oculi dantis vitæ consilium, quàm oculi tenentis manum.* nempe vterque dux viæ; sed pater viæ iustitiæ, quod est maioris momenti ad salutem. vide igitur quod sit proprium parentis officium; indicet rectum iter filijs ad salutem per documenta; præeat per exemplum.

Lux interna iusti pabulum mentis.

2 Internæ lucis pabulum ostendit. *Multi cum fuerint diutius in imis tenebris, infirmatur acies ipsorum, quasi ieiunio lucis fraudati oculi cibo suo: luce quippe pascuntur, debilitantur. quid ergo? quia tot oculi quotidie ista luce pascuntur, minor non fit, sed ipsa integra perseuerat; si hoc potuit Deus de luce corporeis oculis exhibere; cur non exhibebit mundis cordibus lucem illam infatigabilem, integram, perseuerantem? Quoniam, inquit, apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. in terra aliud est fons, aliud lumen. sitiens quæris fontem, & vt peruenias ad fontem, quæris lucem. at fons ille ipse lux est, sitienti fons est, cæco lux est.* pulchrè ostendit lucem esse velut pabulum oculi; & Verbum Dei mentis pabulum, idemque lucem: Tum item pulchrè ostendit, Deum miro modò esse omnia quæ cupis, licèt nihil propriè eorum sit. *Deus horum, quæ diligis, totum tibi est. si esurieris, panis tibi est; si in tenebris, lumen est, &c. omnia possunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo. nihil latius hac inopia. quæris congruum nomen, non inuenis. quid simile agnus, & leo? de Christo vtrumque dictum est.* eleganter ait, cum tot, ac tanta dici possint de Dei excellentia, tamen in tanta abundantia deesse verba, quæ aptè eam possint exprimere. sed planè, *nihil latius hac inopia.*

Peccatum originale sarcina est

3 Ostendit, cur Christus non indigens baptismo ablui voluerit? *Quia multi contempturi erant baptismum, eò quod maiore gratia præditi viderentur, quàm viderent alios fideles. quantumcumque autem cathecumeno proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat ante baptismum.* Notabile est quod originale peccatum ante baptismum vocat, *sarcinam iniquitatis.* quid vilius quàm esse veluti Satanæ baiulum?

4 Interpretatur Christi dictum. *Qui habet sponsam, sponsus est, &c.) Doctor meus exprimi satis non potest. multos adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam possidere volunt. amicum sponsi audiamus, non adulteros. audiamus zelãtem, sed non sibi. hæreticus ait: non eas ad idola non ad sortilegos. videamus cui zelat. ego quem baptizo, baptizatus est. quem non baptizo, baptizatus non est. Apostolus amicus sponsi zelat non sibi, sed sponso. zelo, inquit, vos zelo Dei, non meo, non mibi. vide cui zelat; Desponsaui enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* interpretatur hoc de mentis virginitate, fide scilicet spe, charitate, quã & coniugati debent habere. Addit: *Si dici virginitas in viris potest, paucorũ viror ũ sanctitas, integritas est corporis.* Vide quàm sit difficile seruare corporis illibatum florẽ, quò maior laus si quis seruet. ceterùm nota quid zelus spectare debeat; Dei solius gloriam.

Integritas corporis in viris rara est.

Ingens Augustini dolor de Ecclesiæ calamitate per hæreticos

5 Ostendit dolorem, quo afficitur ex peruersitate præsertim hæreticorum, qui Ecclesiam sponsam viuo sponso sibi vendicant. *Si contempserunt eum Iudæi in ligno pendentem, tu contemnis in cœlo sedentem? nouerit charitas vestra magnum dolorem me pati de hac re. non dico, si loquar tota die, si plangam tota die, non sufficio. non dico, si habeam, vt ait propheta, fontem lacrymarum, sed si conuertar in lacrymas, & lacrymæ fiam; in linguas, & linguæ fiam, parum est.* Vide Augustini zelum, & ingẽtem affectum: quo tamen æquare se posse negat offensam Dei, & Ecclesiæ damna. est & nunc causa doloris eadem in tanta Mundi labe, & hæreticorum peruersitate.

Ioannis Baptistæ gaudium de Christi gloria.

6 Redit ad Ioannis dictum. *Amicus sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.) Non, inquit Ioannes, gaudeo propter vocem meam, sed propter vocem sponsi; ego sum in aure, ille in verbo. quare stat? quia non cadit: quare non cadit? quia humilis est.* Nota, licet Ioãnes de

se dicat; *Ego vox clamantis*, & vocem dederit muto parenti natus: tamen ad vocem non suam, sed sponsi gaudet; & dum se indignum dicit, vt cadens soluat corrigiã eius calceamenti, stat liber à casu. humilitas igitur dum abijcit, erectum facit. & studium diuinæ gloriæ omnibus præferendũ. de hac sit gaudium nostrum, si Dei verè amici sumus.

Hęretici scindentes Ecclesiam vestẽ Christi peiores Iudæis.

7 Schismaticorum perfidiam exagitat. *Vestem Christi contextam per totum persecutores ipsi non consciderunt: Christiani Ecclesiã diuidunt.* huc spectat, quod Petro Episcopo Alexandrino Christus veste discissa apparuit dicens: Arius vestẽ meã, quę Ecclesia est, sic dilacerauit. rectè autem hæreticos Iudæis peiores esse ostendit. Tum Donatistas exagitat, qui in Africa solùm apud se Ecclesiam esse dicebant. *Dicitur in psalmo. Foderunt manus meas, etc. recitẽtur tabulæ cõmerciales; quid ibi emit? Commemorabuntur, inquit, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, &c.* eleganter tanquam in emptione, sic tabulis psalmi statutum esse dicit, Christi sanguine totum Orbem redimendum.

Amicus Dei est qui eius gloriam quærit.

8 *Amicus spõsi gaudet pp̃ter vocẽ spõsi.) Si dixerimus quod aliquid sumus, & non illi gloriã dederimus, adulteri sumus. nos amari volumus, non sponsũ.* Vide vt ad Dei gloriã omnia sint referenda, & quàm indignum sit referre ad suam. amicus igitur sponsi noster Ignatius, qui tam impensè maiorem Dei gloriam nobis commendauit.

Ex tractatu XIV. in Ioannem.

Solum gaudium de Deo beare nos potest.

1 PErgit in illo. *Amicus sponsi gaudet propter vocem sponsi.) Non sibi gaudium fecit de se; qui enim vult gaudere de se, tristis erit; qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est.* pulchra ratio, cur nos non nisi in Dei gloria beari possimus: nam nostra nobiscum deficit, illa cum Deo perennat.

Dei gloriæ augmentum non nostræ curãdum.

2 *Illum oportet crescere, me autem minui.) Ioannes capite minuitur, Christus in cruce exaltatus est. natus est Christus cum iam inciperent crescere dies; natus est Ioannes, cum diminui. crescat ergo in nobis gloriã Dei, & minuatur gloria nostra, vt in Deo crescat & nostra. in te vis gloriari & crescere? sed malo tuo crescis; qui enim malè crescit, iustè minuitur. contra interior homo minuitur, vt gloria sua decidat, & in gloria Dei surgat.* rectè ostendit, vt sui abiectio redundet in gloriam; Deus enim glorificantes se glorificat. contra superbia in ignominiam cedit, *malo tuo crescis.* malum quippe incrementum diminutio potius est, ac proinde rectè concludit. *Crescat ergo in nobis gloria Dei.* hæc est illa Ignatij tessera: Ad maiorem Dei gloriam.

3 De diuini Verbi generatione sic: *Dicam, si potuero, quod in nobis attendamus, non vnde illud comprehendamus. quomodo tu verbum, quod loqueris, in corde habes, & apud te est, & ipsa conceptio talis est; nondum enim accepit sonum, vt per syllabas diuidatur, sed manet in cõceptione cordis, & in speculo mentis: sic Deus edidit Verbum, hoc est genuit filium:* non tamen in tempore. nota de mentis speculo; & de ineffabilitate rei.

Ex tractatu XV. in Ioannem.

1 IOannem sic egregiè laudat. *Nostis Ioannẽ velut aquilam volare altius, caliginemque terræ transcendere, & lucem veritatis firmioribus oculis intueri.* rectè, nã aquilæ tribuebant veteres fulmen, Ioãnes autem tonitrui filius dictus, fulmen euocare de cœlo voluit in Christi contemptores fretus nomine, quod acceperat; licet exercere id tunc Christi pietas passa non sit. hanc autem fulminatricẽ aquilam Imperator Christus in Ecclesiæ castris tanquã in militari vexillo præferri voluit. — Ioannes in Ecclesiæ castris aquila prę lata.

2 Accedit ad historiam Samaritanæ. *Fatigatus ex itinere.) Inuenimus Iesũ fortem & infirmũ; fortẽ, quia in principio erat Verbum, etc. infirmũ, quia Verbũ caro factũ est. condidit nos fortitudine sua, quæsiuit nos infirmitate sua. non frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur, quo deserente fatigamur.* rectè Christi in nos pietatẽ commendat. eius infirmitas nos firmat, nimirum quia idem Deus est, & fons fortitudinis. hinc illud: *sitiuit anima mea ad fortem, viuum.* — Christi infirmitas fortitudo nostra.

3 *Da mihi bibere.) Qui bibere quærebat, fidem mulieris sitiebat. eget quasi accepturus, & affluit tanquã satiaturus;* nẽpe ipse ei offert aquã viuã, nõ in puteo stagnantẽ. huc spectat præclarũ illud Gregorij. Nysseni dictum: *Deus sitit sitiri.* — Christus Samaritanæ sitiebat fidem.

4 Explicat illud Matthæi. *Quoties volui te congregare, sicut gallina congregat pullos suos sub alis.) Nulla alia auis, quod sit mater, agnoscitur, nisi quando in nidis sunt; gallina verò sic infirmatur in pullis suis, vt etiã si ipsi pulli nõ sequantur, matrẽ tamen intelligas; ita fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibus membris abiecta.* Sic se Samaritanæ exhibet fatigatus. certè in cœlo ipso inter stellas quasi ad pietatis exemplum gallinam, quam vocant, ponunt Astrologi. — Cur Christus gallinæ potius quàm alii aui se cõparat.

5 Fatigatus ex itinere.) *Infirmitas Christi nos facit fortes. poterat Deus carnẽ detrahere Adæ, vnde faceret Euã; & magis videtur quasi congruere, posuisse de carne quàm de osse, quia fiebat sexus infirmior. cũ in locũ ossis caro adimpleta est, poterat pro osse* — Cur Eua cum sit infirmioris sexus de osse formata

os

os reddere. quid igitur significauit? facta est mulier in costa, tanquā fortis; factus est Adā in carne tanquā infirmus, Christus, & Ecclesia. illius infirmitas nostra est fortitudo. acutè ad notat, cum sexus muliebris infirmior sit, potius ex carne quàm ex osse videri debuisse formari. sed mysterium inerat.

Intellectus in anima vri instar regimen.

6 *Quinque viros habuisti.) Quinque sensus hi sunt. Infirma est anima ab istis viris; at vbi venerit ad annos exerendæ rationis, si eam susceperit optima disciplina, illis non succedit ad regendum nisi vir verus, & legitimus, & illis melior, qui ad æternitatem excolat, & instruat; nam isti quinque ad temporalia regunt: vbi verò intellectus sapientia imbutus regere cœperit animam, discernit iusta, & iniusta, &c. error autem non est legitimus vir, sed adulter; ideo Dominus ait: & hic vir non est tuus vir. quinque carnis sensus te primò rexerunt, nec tandem ad sapientiam peruenisti.* acutè, dictū; pulchrè facit intellectū quasi animæ virum, regimen tenere; errorem verò velut adulterum, & illegitimū dicit.

Quo magis deprimimur magis exaudimur à Deo.

7 *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.) O si inuenirem, dicebas, montem aliquē altum; quia enim in alto est Deus, magis me exaudiret ex alto. noli montem quærere: Ascēsiones, inquit, posuit in corde suo in conualle plorationis. conuallis humilitatem habet: intus age totum. in excelsis habitat, sed humilia respicit. mira res. in altis habitat, & humilibus propinquat: & si quæris locum aliquem sanctum, templum Dei, inquit, sanctum est, quod estis vos.* rectè admiratur vim humilitatis: cū enim altissimus Deus dicatur, videretur consentaneum vt nos erigeremur, ad hoc vt melius nos exaudiret; & tamen melius exaudit, quò nos inferius per humilitatem deprimimur. in nobis insit cordis humilitas ad montis ascensum, & item sanctuarium. pende illud: *intus age totum.* præclara vox, qua indicatur in interna humilitate & charitate perfectionem consistere.

Vir Apostolicus vacuus à terrenis.

8 *Reliquit mulier hydriam suam.) Proiecit cupiditatem, & properauit annunciare veritatem onere abiecto. discant, qui volunt euāgelizare, & proijciant hydriam.* Vides prædicatorem sine vllo onere terreni desiderij esse debere, vt expeditus currat ad euangelizandum: mirus in hoc Xauerius noster, qui aditurus alterum Orbem, nihil secum, præter libellum horariarum precum, tulit; domesticos verò secundùm carnem ne obiter quidem inuisere voluit, reuisurus nunquam.

Iustus Christi patria est sed accepti.

Ex tractatu XVI. in Ioannem.

1 Exponit Christi dictum: *Nemo Propheta acceptus in patria sua.) Habeat ergo honorem apud nos, qui non habuit in patria sua. non habuit honorem in patria, in qua cōditus est; habeat honorem in patria, quam condidit; in illa enim conditus est conditor omnium: ipsam ciuitatem, in qua conditus est, ipsam Sion ipse condidit. dicitur in psalmo; Mater Siō, dicet homo. quare mater Sion? quia inde accepit carnē ex Maria. quid dicit mater Sion? homo factus est in ea, & ipse fundauit eā altissimus, nō humillimus. homo factus est in ea humillimus, quia Verbū caro factū.* egregium est illud monitum, vt quoniam Christus acceptus non fuit in patria illa materiali, sit acceptus in spiritali, qui nos sumus; quod iterat sic pulchrè concludens: *Repulit eum patria, in qua natus est, suscipiat eum patria, quam regenerauit. Synagoga eum repulit, Ecclesia recipiat.*

Ex tractatu XVII. in Ioannem.

1 De paralytico ad piscinam sanato sic. *Si humano captu consideremus facientem, non magnum aliquid profecit, & quod ad benignitatem parum fecit. tot iacebant, & vnus curatus, cum posset vno verbo omnes erigere.* ad mysterium igitur vnitatis refert. *Quia potestas illa, & benignitas magis agebat quod animæ in factis eius pro salute sempiterna intelligerent, quàm quod pro temporali salute corpora mererentur.* Nota, vt in in miraculis, & corporis sanitate, animæ inprimis ratio habeatur. Tum sic mysticè interpretatur, *Descendere in aquam turbatam, est humilia credere erga Domini passionem.* nempe turbatio illa fuit cum, *cœpit pauere, & tædere. & mœstus esse.* sed id ad sanitatem nostram pertinuit.

Aqua piscinę passio Christi.

2 Explicat illum locum Esaię. *Frange esurienti panem tuum, &c. tunc erumpet velut matutina lux tua.) Lux tua Deus est. erit tibi matutinus redeunti, qui tibi occasum fecerat pereunti.* eleganti antithesi explicat bonum ex eleemosina redundans. Occasus in Orientem cedit; & Vesper in Auroræ fulgorem.

Eleemosinæ lux pro mercede.

3 De secreto cordis sic: *Qui sanus fuerat nesciebat, quis esset Iesus, nam declinauerat à turba.) Difficile est in turba videre Christum; solitudo quædam necessaria est menti nostræ: quadam solitudine interiori videtur Deus. turba strepitum habet: in turba eum non cognouit, postea cognouit in templo.* facit hoc pro religiosis procul à strepitu Mundi, & Dei cultui tantum dicatis, & addictis. huc spectant præclara illa asceteria Ignatij nostri, idest spiritalia exercitia, cum reiectis aliquantisper omnibus aliis curis, etiam literarijs, interdictoque ad collocutionem aditu, intra cordis cubile collecti soli Deo vacamus.

Cordis secretum procul à mundi tumultu commendatur.

Dei filius æqualis patri.

Ex tractatu XVIII. in Ioannem.

In hac vita per desideriũ Angelicam inchoamus vitã.

1 AD profectum in spiritu illa pertinent. *Vita hominum media est inter Angelorum, & pecorum. si viuit homo secundùm carnem, pecoribus comparatur; si secundùm spiritum, Angelis sociatur. quoniam secundùm spiritum viuis, quære etiam in ipsa Angelica vita, vtrùm paruus, an grandis sis? si enim adhuc paruus es, dicunt tibi Angeli; cresce. nos panem manducamus, tu lacte nutrire, lacte fidei; vt peruenias ad cibum spei. desideras aliquando, & non capis: incohasti ipso desiderio vitam Angelorum: crescat in te, & perficiatur in te, & capias ab illo, qui fecit te.* Verè præclarum est quod indicat: quomodo in hac vita possimus inchoare cœlestem, per desiderium scilicet. & nota de profectu ad perfectionem, quem Angeli ipsi à nobis exposcũt: *Si adhuc paruus es, dicunt tibi Angeli: cresce.* hæc vox religiosorum in primis auribus semper insonare debet.

Æqualitas filii Dei cum patre ostẽditur.

2 Eadem esse opera patris, & filij sic ostendit: *Conscribimus literas; facit eas primùm cor nostrum, & deinde manus nostræ, sed non similiter; cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, inuisibiliter, manus autem visibiliter. at filius ait: Quæcumque pater fecerit hæc & filius similiter facit. in nobis manus seruit imperanti cordi.* sic Arium conuincit æqualem esse patri filium. elegans similitudo quasi literati cordis, & manus. vide tamen quantò maiore cum excellentia præponderent humanis diuina.

Cor Imperatoris instar in corpore dominatur sensibus.

3 De abstractione à corpore hæc habet. *In corpore tuo inueniebas alibi oculos, alibi aures, &c. in corde tuo nunquid hoc inuenis? an in corde tuo non habes aures, oculos, &c? vide quemadmodum omnes corporis sensus cordi intrò nuncient id, quod senserint foris; vide quàm multos ministros habeat vnus interior Imperator, & quid apud se etiam sine his ministris agat, & quò non aspirant corporis sensus, iusta & iniusta, mala & bona discernit.* elegantissimus hic locus est, quo dicitur, cor instar Imperatoris esse, vt sensibus non seruiat, sed imperet; & aures suas habere: quanquam & physici aures appellant cordis; & mentem supra sensus intelligendo esse. itaque egregiè concludit. *Dimitte corpus tuum, redi ad cor tuum; exul a te vagaris, te ipsum non nosti.*

Mortificatio salubri collyrio oculorum comparata.

4 De mentis acie curanda sic. *Cum probare vult medicus quantum lippienti salutis accesserit, tentat ei ostendere, quod videre desiderat; & redeunte vtcumque acie oculorũ producit eum ad lumen; qui cum viderit fulgorem, & in ipso reuerberatur quodammodo, respondet medico demostranti: iã, iam vidi, sed videre nõ possum. tunc medicus addit collyriũ, vt ad illud quod visum est, & videri non potest, desiderium nutriat, & ex ipso desiderio curetur plenius; & si qua mordacia sint adhibenda, fortiter ferat. vrget medicum, & rogat vt curet. & vos si vtcumque erexistis cor vestrum ad videndum Verbum, & ipsius luce reuerberati recidistis, rogate medicum, vt adhibeat collyria mordacia, præcepta iustitiæ.* rectè ostendit, si diuinarum rerum cognitionem vt rem pulcherrimam assequi volumus, quam vt cũque degustauimus; mortificatione opus esse, quam mordaci collyrio, sed salubri cõparat, ęgris mentis oculis adhibendam.

Ex tractatu XIX. in Ioannem.

Dei filiũ æqualem patri negare iniuria est patris.

1 ARianos arguit: *Tollis honorem patri, vbi minorem das filio. nam pater æqualem sibi filium gignere aut noluit, aut non potuit: si noluit, inuidit; si non potuit, defecit. non ergo vides ita sentiendo, quia vbi maiorem honorem vis dare patri, ibi es contumeliosus in patrem?* acutè per dilemma cõuincit. huc spectat illud Theodosij iunioris, qui fauebat Arianis; cum enim in throno sederet vnà cum ipso filius, Anphilochius transiens Imperatori honorem exhibuit, non filio. quod cum ille ægrè tulisset, ait Anphilochius: & tu cur Dei filium æquè non honoras cum patre?

Spiritus sanctus inspirando illucescẽs magister & illabẽs cordi Sol

2 Exponit illud. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audient, viuent.) Audite dilucescentem magistrum, & illabentem cordibus nostris Solem nostrum. si rectè credimus, resurreximus, & alteram in fine resurrectionem expectamus. sed quare addidit: Qui audierint, viuent? possent enim audire nisi viuerent? non, inquit, quia viuunt, audiunt, sed audiendo reuiuiscunt. audiunt, idest obaudiunt, obediunt. qui ergo credendo obedierint, viuent.* rectè adnotat de duplici resurrectione, & de vita per auditum acceptα. refert locum Pauli. vbi Hymenæus, & Philetus resurrectionem iam factam dicebant, idest mentis; carnis autem negabant futuram. pulchrè autem de inspiratione cordis loquens vocat Deum. *dilucescentẽ magistrum, & illabentẽ cordi Solẽ.*

Ex tractatu XX. in Ioannem.

Quies nõ nisi post bonum opus.

1 EXplicat illud: *Fecit Deus omnia bona valde, & requieuit die septimo.) Iudæi carnaliter sapientes putabant Deum post laborem fabricati Mundi vsq; ad hunc diem quasi dormire: sed quietem appellauit scriptura. vt nos admoneret, post bona opera quieturos. non tibi speres requiẽ, nisi cum bona fueris operatus.* Vide quàm

ineptè

ineptè Iudæi scripturas interpretentur. sed quid somno, & quiete opus erat, vbi nullus fuerat labor? dixit tantùm & facta sunt. rectè autem exponit, ita dictum, vt ostendatur, post opus bonum sequi quietem.

2 Interpretatur illud psalmi. *Dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? & effudi super me animã meã.) Vt attingerẽ Deum meũ, nõ effudi animã meã super carnẽ meã, sed super me. transcendi me, vt illum attingerem; ille enim est super me, qui fecit me; nemo eum attingit, qui non transierit se, immò & cœlestia. attende cœlestia corpora, splendida sunt, velut fulgura voluuntur ab Oriente in Occidentem: transi & ipsa. sed hac corpora sunt; transi & animum. compara illum fulgori Solis, Lunæ, stellarum: maior fulgor est animi. primò celeritatem animi ipsius vide; vide si non vehementior scintilla est animi cogitantis, quàm splendor Solis lucentis: motus ipsius quàm tardus est ad animum tuum? citius tu potuisti cogitare quod facturus est Sol, quàm ille facturus est, &c. sed, vt dixi, transi & animum, quia & hic mutabilis est, & si non corporeus effunde super te animam tuam, vt contingas Deum.* pulchrè admodum animi præstantiam describit: *Cõpara illum fulgori Solis, Lunæ, stellarum: maior fulgor est animi.* quã igitur dedecet, eum inquinare peccatis? præclarè item dicit cogitationem, Solis cursu celeriorem. *Vehementior est scintilla animi cogitantis, quàm splendor Solis lucentis, &c.* Tum de Ioannis mente, creata omnia trascendente sic elegãter. *Trascendit Ioannes terram, quam calcabat; trascendit maria, quæ videbat; transcendit aerem, vbi alites volitant; transcendit Solem, & Lunam, & stellas; transcendit omnes spiritus, qui non videntur; transcendit mentem suam, rationem animi sui. quò peruenit? quid vidit? In principio erat Verbum, &c.* Vide Ioannis sublimissimam ecstasim; & mentis raptum supra creaturas omnes: adeo qui diuina mysteria contemplari vult, ab omni alia re se attollat oportet. Tum sic præclarè monet: *Inhære Verbo dicenti; quia ipse dicens, non syllabis dicit, sed splendore sapientiæ fulget, & ardor est lucis æternæ.* ad hæc inseparabilitatem filij à patre ostendit, similitudine lucis solaris ex Sole, & flammæ à luce. *Coæua est flamma luci, quam generat.* huc refert quod addit. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Opera patris, & filij inseparabilia sunt. & sicut pater operatur sine labore, sic & filius sine labore. Dixit Deus, & facta sunt. dicit Christus languenti: Tolle grabatum tuum, & ambula.*

Animus præstantior Sole Luna stellis.

Cogitationis scintilla velocior Solis cursu.

Ioannis sublimis raptus ad diuina.

Ex tract. XXI. & XXII. in Ioan.

1 DE Christi magisterio sic. *Hunc habemus magistrum. loquitur ista. Deus occultus, homo manifestus, vt manifestos homines faceret Deos. qua hoc arte sapientiæ suæ faciat, in verbis eius agnoscimus. loquitur enim paruulis paruus; sed ipse ita paruus est, vt & magnus; nos autem parui, sed in illo magni; loquitur enim tanquam nutriens lactentes, & amandò crescentes.* eleganter dictum per antithesin. vide artem diuinæ sapientiæ admirandam, qua salutem nostram disponit. simul agnosce pietatem, iuxta illud: *Ad vbera portabimini, & ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis.*

Ars mira Dei sapiẽtiæ per incarnationem.

2 In resurrectione Lazari vim Christi vocis admiratur. *Clamauit Dominus ad sepulchrum Lazari, & quatriduanus mortuus resurrexit: qui putebat, in auras processit. lapis superpositus erat; vox Saluatoris irrupit duritiam lapidis: & cor tuum ita durum est, vt nondum illud diuina vox rumpat. surge, in corde tuo tanquam in sepulchro iaces, & tanquam saxo malæ consuetudinis grauaris.* proh quanta peccati fœditas, cor fontem vitæ in sepulcrum vertit: in corde cadauer animæ tumulatur, quod ob malã consuetudinem in lapidem cessit, & adeò durum, vt nec Dei voce frangatur, de qua dicitur: *Vox domini cõfringẽtis cedros.* & ad cuius potẽtiã in ipsa cruce, *petræ scissæ sũt.*

Cor peccatoris durius lapide sepulchri Lazari.

Ex tractatu XXIII. in Ioannem.

1 DE Ioanne Baptista sic. *De eo dictũ est à Patre. Paraui lucernam Christo meo: miratus es lucernam, & exultasti ad lumen lucernæ: sed illa dicit, esse Solem, in quo exultare debeas; & quamuis ardeat in nocte, diem te iubet expectare. paraui lucernã, non ad satiandos amicos, sed ad confundendos inimicos. nam sequitur: Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea:* eleganter Ioannem quasi ardentem lucernam ita lucere dicit in nocte, vt ad diei lucem, idest Christum desiderium excitet. cõfundit autem inimicos testimonio, quod de Christo perhibuit. Tum pulchrè de gratia: *Etiam alij serui Dei lucernæ sunt bonæ, ex oleo misericordiæ ipsius, non ex viribus suis: gratia quippe Dei gratuita oleum lucernarum est. Plus omnibus laboraui, ait quædam lucerna; & ne viribus suis ardere videretur, adiunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* rectè, gratiã olei instar esse dicit, quod misericordiæ typus est, nam vt ardeamus, & vt luceamus, efficit: quò refert illud Pauli. *Spiritum nolite extinguere*, & candelabrum aureum cum olei infusorijs erat.

Gratia Dei oleo cõparata.

Ex tractatu XXIV. in Ioannem.

1 DE Christi miraculis sic pulchrè. *Non sufficit hæc intueri in miraculis Christi; interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim, si intelligantur, linguam suam. audiuimus miraculum, quàm magnum est; quæramus etiā, quàm profundum sit. quemadmodum si literas pulchras alicubi inspiceremus, nō nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quomodo eas pariles, æquales, decorasq; fecit, nisi etiam legerimus, quid nobis per illas indicauerit: aliter videtur pictura, aliter literæ; literas cum videris, non est hoc totum, quia commoneris, & legere, vt intelligas: sic &c.* Vides miracula externa non tam corpori, quàm animo profuisse: hinc paralytico prius dicitur. *Remittuntur tibi peccata tua:* elegans autem est illa similitudo scripturę; vbi nō satis est characteres nosse, sed oportet etiam sensum.

Miracula ad animi salutē directa sūt.

2 Quinque panes hordeaceos sic interpretatur. *Intelliguntur per hos, quinque libri Mosis, meritò non triticei, sed hordeacei: quia ad vetus testamentum pertinent. nostis hordeum ita creatum, vt ad medullam eius vix perueniatur. vestitur enim eadē medulla tegmine paleæ, & ipsa palea tenax, & inhærens, vt cum labore exuatur: talis est litera veteris testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum. ferebat autē puer hos quinque panes, & eius pisces, populus scilicet Israel portabat puerili sensu, nec manducabat. duo pisces videntur significare duas illas sublimes personas, quæ vngebantur, sacerdotes, & reges. quinque millia erant, quia sub lege erant, quæ quinque libris Mosis explicatur. super fœnum discumbunt, quia carnaliter sapiebant; omnis enim caro fœnum.* pulchè illud de hordeo, vbi multum paleę, parum medullę. pisces autem sacerdotes, & reges dum dicit, vides quàm congruāt dignitate, iuxta illud: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Nero pisces capere solitus hamo aureo, & reti pretioso: at Christus, & sacerdotes, & reges per prædicationem nobilius cepit.

Panes hordeacei multiplicati quid significarint.

Cognatio inter Sacerdotes, & reges.

Ex tractatu XXV. in Ioannem.

1 DE humilitate sic. *Quid superbis homo? filius Dei propter te humilis factus est. puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.* præclara vox de imitatione Christi. Tum ostendit, in quo sita sit humilitas: *Humilitatem docens ait; Non veni facere voluntatē meā, sed eius qui misit me. ideò, inquit, qui ad me venerit, non eijciam foras. humilis veni.*

2 Explicat illud: *Mei autem penè moti sunt pedes, pacem peccatorum videns:) Dixerat: Quàm bonus Deus rectis corde? ideò penè moti sunt pedes, quia non fui rectus corde, id est sequens voluntatem Dei: felix est ille, laborat iste. ille malè viuit, & felix est. iste iustè viuit, & laborat. at felix ille habet aurum in arca, iste Deum in conscientia. compara nunc aurum, & Deum; arcam, & conscientiam: ille habet quod perit, & vnde perit; iste Deum habet, qui perire non potest, & vnde auferri non potest.* egregiè differentiam ostēdit, conferendo aurum cum Deo, & arcam nummariam cum recta conscientia. duplex ibi damnum, duplex hic bonum.

Conscientia Deum habēs potior est arca aurum habente.

3 Humilitatem sic commendat. *Eum, inquit, qui venit ad me, non eijciam foras) scriptum est: Non veniat mihi pes superbiæ: ergo ille exijt, cui venit pes superbiæ. & addit: expulsi sunt, nec potuerunt stare. si ergò superbia expellit, humilitas intromittit. ideò autem intrare debemus, non quasi de nostro velimus satiari vt arescamus, sed os ad ipsum fontem ponere, vbi aqua non deficit; quia apud te, inquit, est fons vitæ. Adam voluit suo cōsilio viuere, & lapsus est per eum, qui ante ceciderat per superbiam, qui ei calicem ipsius superbiæ propinauit.* Vide qui in paradiso consistere non possint, ijs scilicet, quibus est pes superbiæ. & quid mirum, quod stare non possint, & cadant, si vnum dicitur pedem habere superbia? est enim clauda, quia de cœlo præcipitata, ob fœditatem scilicet, vt de Vulcano claudo cecinerunt poetæ. hinc est quod rarò, vel nunquam superbia peruenire potest ad id, quod vult & affectat, cum vno pede nitatur. horrendum autem est quod ait de peccato originali. Adam de eodem superbiæ calice ebrium factum, de quo diabolus, qui eum ipsi propinauit: per superbiam enim diabolus cecidit de cœlo, & per eam curauit Adam de paradiso eijciendum.

Diabolus claudicās vno pede superbiæ nō potuit in Cœlo stare.

Diabolus Adamo de calice superbię propinauit.

Ex tractatu XXVI. in Ioannem.

1 EXpendit Christi dictum. *Nemo venit ad me, nisi pater traxerit illum.) Magna gratiæ commendatio, nemo venit nisi tractus. quem trahat, & quem non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. non traheris? ora, vt traharis.* egregiè adnotat de gratia, & prædestinatione: negotium hoc orationis est, non quæstionis. pergit: *Nolite cogitare inuitum trahi, trahitur animus & amore. si poetæ dicere licuit. Trahit sua quemque voluptas: quantò fortius dicere debemus, trahi hominem ad Christum? &c. da amantem, & sentit quod dico. sed quid est: Nisi pater traxerit eum? ipse Christus trahat. si trahendi sumus, ab illo trahamur, cui dicit quædā, quæ diligit: Trahe me, post te curremus in odorem*

Gratia trahit nec tamē vim facit.

vnguen-

vnguentorum tuorum. sed nimirum trahit pater ad filium eos, qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deũ. Insignis hic locus est de gratię non impulsu violento, sed amabili blandimento, persuadendo scilicet: ita quasi aurea illa Gallici Herculis catena volentes trahit.

Deus caro factus supra carnis capacitatẽ est.

2 Ad Eucharistiam illud pertinet. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.) Vocatur caro quod non capit caro; & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro.* venustè dictũ per anthithesin de incarnatione, cuius cognitio carnem excedit, hoc est hominis intellectum superat, quod Deus homo sit factus. Tum sic exclamat: *Pro Mundi, inquit, vita. O Sacramentum pietatis. ò vinculum charitatis, qui vult viuere, accedat, incorporetur, vt viuificetur. Litigabant, inquit, Iudæi, dicentes, quomodo potest? &c. Litigabant vtique, quoniam patrem concordiæ non intelligebant. nam per hunc facit Deus vnius moris habitare in domo.* Pulchrè hoc mysterium vocat *vinculum charitatis*; & acutè adnotat verbũ illud, *litigabant Iudæi*; lis enim ex discordia est. concordare cum filio nõ poterant, qui discordabant à patre. deinde nota, Eucharistiæ frequentationem religiosis præsertim conuenire, *qui habitãt vnius moris in domo.* de qua sic: *Huius rei Sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in dominica mensa præparatur.* Apud nos in Sacerdotibus quotidianũ est, in cæteris die dominico, præter cæteras pręcipuas Sanctorũ celebritates.

Eucharistia vinculum charitatis.

Eucharistię frequentatio quotidiana vel certis diebus.

Ex tractatu XXVII. in Ioannem.

1 EXponit illud. *Caro non prodest quicquam) si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit, caro vas fuit. sic dictum est: scientia inflat: iam ergo debemus odisse scientiam? absit, sed scientia sola sine charitate; ideo adiunxit: charitas verò ædificat.* Vide vt caro vsui debeat esse spiritui. item vt scientia charitati coniuncta esse debeat, vt caro spiritui, sine quo nullum opus est carnis.

Caro vsui est spiritui & sine spiritu nõ operatur.

2 Multi discipuli abierunt retro) *post Satanam scilicet, non post Christum; nam & Petrum appellauit Satanam Christus, magis quia volebat præcedere Dominum suum, & consilium dare, ne moreretur ille, qui nouerat vt moreretur, ne nos in æternum moreremur. Redi, inquit, post me Satanas. non repulit retrò ire post Satanam, sed fecit post se ire, vt non esset Satanas, ambulando post Dominum. isti autem sic redierunt retro, sicut de quibusdam fæminis dicit Apostolus. Quædam conuersæ sunt retro post Satanam.* acutè adnotat discrimen in verbis. deinde ait, hoc factum esse ad consolationem eorum, qui benè, pieq; dictis nõ proficiunt apud alios: *ecce Domino contigit. dixit, & perdidit multos, remansit ad paucos.*

Quid sit Petro dictum redi post me Satana.

Paucorũ salus est.

3 *Nonne duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?) Electi in laude dici solent; an electus est Iudas, de quo nolente, & nesciẽte fieret aliquid boni? sicut enim iniqui malè vtuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus benè vtitur malis operibus iniquorum. ecce malum Iudæ in bonum conuersum est; tradi ab eo se Dominus pertulit, vt redimeret nos. Satanas quot Martyres persecutus est? si Satanas persequendo cessaret, hodie tam gloriosam coronam S. Laurentij non celebraremus.* Vide vt Deus etiã mala dirigat in nostrũ bonum, & quantum commodi eliciat ex incommodis. pulchrè vocat, *gloriosam coronam S. Laurentij*, quasi vnius ex præcipuis Martyribus, qui iuxtà nomẽ, laureã retulerit, ab ipso persecutore contextam.

Gloriosa corona Laurentij

4 Ad S. Laurentij laudes digreditur. *Non occisus est citò, sed cruciatus est in igne. diù viuere permissus est; immò non diù viuere permissus est, sed tardè mori compulsus est. in illa longa morte, in illis tormentis, quia benè manducauerat, & biberat, tanquam illa esca saginatus, illo calice inebriatus, tormenta non sensit. caro ardebat, sed Spiritus animam vegetabat. non cessit, & in regnum successit. accepit à Sixto oraculum; triduum intercessit, vicit diabolum. peruenit ad triumphum.* Nota, Martyres Eucharistia munitos accessisse ad martyrium. ac rectè triumphũ Laurentij vocat, quem laureatus reportauit, ferens omen in nomine. quod autem ait de ignis cruciatu, *tardè mori compulsus est*, hoc etiã barbari tyranni nunc in Indijs cum Christianis faciunt, vt lento igni cõburendos tradant, vt acerbius vexent.

Ignis lentus cruciatus vt magis vexet.

Ex tractatu XXVIII. in Ioannem.

1 EXponit Christi dictum. *Tempus vestrum semper est paratum, tempus meũ non dum aduenit) Dicamus & nos, quoniam & corpus Domini sumus: Tempus gloriæ nostræ non dum venit. quando veniet tempus nostrum? cum Christus, inquit, apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* amatorum quidem huius sæculi vana felicitas nunc tempus habet; nostra verò expectatur æterna. præclara igitur vox ista vsurpanda est, cum à mundanis illudimur ob humilem statum: *Tempus gloriæ nostræ nondum venit.*

Tempus gloriæ nostræ non dũ venit.

2 De Scenophegię festo sic. *Scenophegia celebratio erat tabernaculorum, quia populus de Aegypto liberatus tẽdens per desertum ad terram promissionis, in tabernaculis habitauit. ille est in tabernaculis, qui se esse in Mundo intelligit peregrinum; ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriæ suspirantem*

Ille verus peregrin' qui suspirat ad patriam.

tem. pulchrè, ac piè admodum dictum. huc refer Paulum scænofactoria arte se exercentem, & tanquam ad patriam, seu Christum ipsum suspirã tem. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Addit: quandiu in hoc Mũdo sumus, in arida solitudine, seu eremo sumus. *Quare in eremo? quia in isto Mundo sititur in via inaquosa, & sitis nostra de petra impletur. bis petra percussa est virga, quia duo ligna sunt crucis.* Audiant mundani, quibus Mũdus affluere delitijs videtur. arida eremus est, nec nisi de Christo extingui sitis potest.

Mundus arida solitudo est

Ex tract. XXIX. & XXX. in Ioan.

1 M*Ea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.) Non ait: Ista doctrina non est mea, sed mea doctrina non est mea: si non tua, quomodo tua? si tua, quomodo non tua? sed nimirum ipse Christus doctrina patris, quia Verbum patris; verbum autem non potest esse nullius, sed alicuius; ideò, & suam doctrinam dixit se ipsum, & non suam, quia Verbum est patris.* acutè contra Sabellianos, qui putabant filium, & patrem duo esse nomina tantùm, sed vnam rem, nec trinitatem personarum agnoscebant.

Cur Christus doctrinam suam non dixerit suam.

2 De spirituali circumcisione sic. *Quid est circumcisio, nisi carnis expoliatio? significat ergo ista circumcisio expoliationẽ à sorde cupiditatum carnalium. cultello petrino circumcidebant, & petra Christus est.* elegãs definitio, *circumcisio est carnis expoliatio à sorde carnalium cupiditatum.* sic igitur arguit Iudæos: etiam si vacare ex lege soleatis sabbato, tamen si octauus dies infantis inciderit in sabbatum, eum circumciditis; quia videlicet ea circumcisio ad salutem spectat: cur ergo indignamini si ego sanem in sabbato? vbi nota, hinc ostendi, salutem illam corporis ad animi salutem spectasse, sicut & circumcisio eò tendebat.

Circumcisio est expoliatio à carnalib. sordibus.

3 In nouo testamento nouum hominem requiri ait. *Quid est homo nouus? à vetustate innouatus; ad quam rẽ innouatus? ad desideria cœlestia, ad cõcupiscenda sẽpiterna, &c.* Habes hinc quid spectandum sit à nostris in renouatione votorũ iuxta morem Societatis, quàm præclarus finis, ac scopus.

Renouatio spirit. in quo cõsistat.

Ex tractatu XXXI. in Ioannem.

1 N*Ondum venerat hora eius.) Nõ horam dixit, qua fato cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. quia non aliquid paruum venturum fuit, diu fuerat prædicendus. quantò maior Iudex veniebat, tantò preconum longior series præcedebat. vbi venit plenitudo temporis, venit ille qui nos liberaret à tempore, & veniremus ad æternitatem.* Nota cur diu expectatus sit aduẽtus Christi, vt dignitas indicaretur. longo tempore dilatus est, vt à tempore ad æternitatis desideriũ gradum faceremus. Tũ ad hanc pulchrè digreditur. *Non dicitur ibi, quia venit hora, vbi dies est sempiternus. in hoc sæculo voluuntur dies; & momenta, quibus loquimur, inuicem se expellunt. nihil stat, nihil fixũ manet in tempore. amare debemus, per quem facta sunt tempora; sed vt liberemur à tempore, & in æternitate figamur.* pertinet hoc ad Christi natale. temporum conditor nascitur in tempore, vt nos abstrahat à tempore, ad æterna sustollens.

Cur tãdiu dilatus adnet. Christi.

2 Redit ad tollendum fatum. *Nonnulli cum audierint: Nondum venit hora eius, inducuntur ad credenda eius fata, & fiunt corda eorum fatua. at in cruce cum dixisset: Perfectum est, inclinato capite tradidit spiritum. videte potestatem morientis, quia hoc expectabat volens, donec omnia complerentur quæ prædicta fuerant; ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quàm potentiam miracula facientis. cum corpora deponenda essent de ligno, inuenti sunt latrones viuentes: supplicium quippe crucis ideo durius erat, quia diutius cruciabat, & crucifixi lõga morte necabatur. Dominum autem mortuum omnes admirati sunt; & qui eum viuum contempserunt, mortuo sic mirati sunt, vt dicerent quidam: Verè filius Dei erat hic.* non adeo mirati eum, cum tenentes ceciderũt retrorsum. Vide excellentiam crucis, & fructum subitũ ex Christi morte. rectè autem ostendit, eum non subiectum necessitati fati, qui expectauit mori, donec cõpleretur prophetiæ. & elegãter ait: *Qui inducuntur ad credenda fata, fiunt corda eorum fatua.* alliteratio est lepida.

Fatui est fato credere.

Ex tractatu XXXII. in Ioannem.

1 O*Stendit in amore, affectum potius tendere ad animum, quàm ad corpus. Illi ipsi lasciui amatores, qui pulchritudine corporis delectantur, si sentiant quod odio habentur ab ijs, quos amant, magis irascuntur, quàm diligunt, quia non ijs redditur quod impẽditur; quantò magis amatores animorum? & si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulchros animos facit? decus enim corporis animus, & decus animi Deus.* Vides, vt virtus propriè sit quæ ametur, quæ ad animum spectat. aufer animã à pulchro corpore, iã non amatur.

In amore anim. potius quàm corp. reputatur.

2 *Insufflauit in faciem eorum.) Quo flatu primum hominem, quem fecit, viuificauit, & de limo erexit. quo flatu animam membris dedit, significans eum se esse, qui insufflauit in faciem eorum, vt à luto exurgerent, & luteis*

Cur Christus insufflauerit in apostolos

teis operibus renunciarent. acutè adnotat cur insufflarit. nimirum hoc eum ipsum se ostendit, qui, cum iaceret abiectum in terra luteum primi hominis simulacrum, insufflatione sua erectum, & viuificatum esse fecit, vt à terrenis operibus disceret se erigere. & nota vim eius flatus, quo non depressus, sed potius erectus est homo.

3 *Accipite Spiritum sanctum.) Quare Dominus Spiritum sanctum post resurrectionẽ suam dare voluit? quid significauit? vt resurrectione nostra charitas flagret, & ab amore seculi separetur, vt tota currat in Deum. hinc vbi nascimur, & morimur, charitate migremus. nihil aliud in hac peregrinatione meditemur, nisi quod hic non semper erimus, &c.* pulchrè, ideò è terra surrexisse Christum ait, ne terræ inhæreamus. hoc igitur in paschate, & ascensione præsertim curandum. *vt charitas nostra flagret, ac tota currat ad Deum*. nota quàm feruidè, & quàm alacriter id agendũ, præsertim in fine vitæ. *vt charitate migremus*.

Christi resurrectio charitatis cursũ ad Deum vrget.

Ex tractatu XXXIII. in Ioann.

1 P*Errexit in montem Oliueti.) hoc est in montem fructuosum, in montem vnguenti; vbi enim doceret Christus, qui ab vngendo dictus est, nisi in monte Olíueti? ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit.* Vide vt Christus tanquam noster aliptes sit, athletas suos vngens. ibi docuit, ibi orauit moriturus, inde quoque ascendit in cœlum. idem igitur, & concionatoris munus est, auditores vngere quasi luctatores contra vitia, contra dæmones, oleo athletico, non pigmentis rhetoricis.

Christus aliptes noster, nos athletæ.

2 *Hæc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare.) Animaduerterunt eum nimium mitem esse, de quo dictum: Procede, & regna propter veritatem vt doctor, mansuetudinem vt liberator, iustitiam vt cognitor. propter hæc eum esse regnaturum propheta prædixerat. cum de veritate, & mansuetudine inuidia torquerentur, in tertio idest iustitia scandalum posuerunt; quia lex adulteros iusserat lapidari, lex autem non nisi iustè iubere poterat.* nota tria, quæ in rege requiruntur. Christus, & iustitiam seruauit, & mansuetudinem, & veritatem: non enim dixit: nõ lapidetur, sed: *Qui sine peccato est, &c. ò responsio sapientiæ, quomodo eos intromisit in semetipsos? foris enim calumniabantur, se ipsos intrinsecus non calumniabantur*. itaque sedulò, & pulchrè addit. *Consideret & vnusquisque vestrum; ascendat tribunal mentis suæ; consistat se ante conscientiam suam.* Egregiè hoc dictum de tribunali mentis, ad quod quisq; se reum sistere debet, quod ad examen conscientiæ pertinet. bis in die ad hoc tribunal suos se sistere iussit Ignatius. quanto cum pauore, quàm non remissè agendum? non oscitanter: cogita quid acciderit reo cuidã, qui, vt narrat Gellius, cum ad tribunal oscitasset, ob hoc tantùm damnatione dignus est visus.

Tres virtutes propriæ regis

Christus in adulteræ iudicio se regem ostendit.

Tribunal mẽtis quisque apud se habeat quasi reus

3 *Digito scribebat in terra.) Digito Dei lex scripta est, sed propter duros in lapide scripta. nunc iam Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat.* acutè dictum: e terra, quam tot beneficijs excoluerat, legis fructum quærebat, & diligenter, vt fit, digito scrutabatur.

Cur Christus scriberet in terra.

4 *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat.) Hæc vox omninò iustitiæ est, qua illi tanquam trabali telo percussi, se se inspicientes, & reos inueniẽtes, vnus post vnum omnes recesserunt. relicti sunt duo, miseria, & misericordia. Dominus autem cũ eos telo illo iustitiæ percussisset, nec dignatus est eos cadentes attendere, sed auerso ab eis obtutu, digito scribebat in terra. leuauit oculos ad mulierem. plus credo territa est illa, cum audisset: Qui sine peccato est, lapidem mittat. ab illo se sperabat puniendam, in quo peccatum inueniri non poterat. ille autem: Nec ego, inquit, te condemnabo. quid Domine? faues ergo peccatis? non planè: attende quod sequitur: Vade, deinceps noli peccare. damnauit peccatũ. non ait: Vade, viue, vt vis, de me esto secura: intendant ergo, qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem. dulcis dicitur, & rectus Dominus. amas quod dulcis est, time quod rectus est. misericors, & miserator Dominus, adde, longanimis; adhuc adde, & misericors; sed time quod est in nouissimo: & verax.* egregiè ostendit ita nos debere Dei misericordiæ confidere, vt simul timeamus iustitiam. tot clementię tituli uno, sed admodum metuendo clauduntur. eleganter vocat: *trabale iustitiæ telum*. sic Maro trabale telum dixit, ingens, & trabis instar: hoc percussi sunt adulteræ accusatores, qui lapidibus percuti uolebant aduteram. Tum eos qui differunt pœnitentiam, sic arguit. *legis, quod misit Deus correcto indulgentiam, non legis, quod longam vitam*. rectè adnotat: acutè autem dicit, adulteram plus timuisse, cum relicta est sola cum Christo, quàm cũ aderant accusatores; quia ille sine peccato, & ideo seuerior vindex. hunc igitur magis timere debemus dum peccamus, quàm humanum iudicium.

Adultera magis timuit Christum quã accusatores.

Ex trac. XXXIV. & XXXV. in Io.

1 E*Go sum lux mundi:) Manichæi Solem istum oculis carnis visibilem, etiam pecoribus, Christum Deum esse putauerunt; nos non hunc arbitramur, cuius cursui nox succedit, cuius radij nube obumbrantur. non est*

Christus fons lucis sitiendus.

est Christus hic Sol factus, sed per quem Sol factus est, lux quæ fecit hanc lucem. hanc amemus, ipsam sitiamus. Nota: hæretici ipsi Solem Christum putabant; quamquã potiùs huius creator; disce vel ab hoste quã puro, & ardenti pectore excipiendus in Eucharistia sit. Addit eleganter. *Factum est pro nobis sub Sole lumen, quod fecit Solem. noli contemnere nubem carnis. nube tegitur, non vt obscuretur, sed vt temperetur.* hoc item ad Eucharistiam candẽ refer ob species quasi nubẽ, quibus occultatur. quod autem ait. *Ipsam lucem sitiamus.* nempe fons lucis est. sic mane dicitur à manando, & fons ille in typo Esther; *in lucem, Solemq; conuersus est.*

Manichæi solẽ Christum putabant.

2 De charitate in Deum sic. *A quo petis Deum, nisi à Deo? ipse petitur à se ipso, qui promittit se ipsum. extendat anima cupiditatem suam, & sinu capaciore quærat, quod in cor hominis non ascendit. desiderari potest. suspirari potest in illud; dignè cogitari, & explicari non potest.* plæclarè admodum, & piè dictũ, nota quàm amplo sinu, & laxo, quàm auidè excipiendus sit Deus: hoc agebat Xauerius laxans pectus.

Deus sinu laxè, & auidè quærendus.

3 De superna beatitate sic. *Obsecro vos, amate mecum; currite, credendo mecum: supernæ patriæ suspiremus. quid tunc videbimus? In principio erat, &c. vnde tibi ros aspersus est? ad fontem venies; vnde radius tibi ad tenebrosum cor per obliqua, & anfractuosa missus est: nudus ipsã lucẽ videbis, cui videndæ, ferendæq; mundaris. quid ait Ioãnes? Scimus quia cũ apparuerit, similes ei erimus, sentio vestros affectus attolli mecum in superna; sed corpus quod corrumpit, aggrauat animam.* elegans hic locus est, & plenus affectu: vide vt cogitatio de Dei visione animum excitet. desiderij nunc rore aspergimur, vt sitiamus fontem; radius per obliqua nos tangit, vt fontem ipsum lucis teneamus.

Ad Dei visionem quãto cũ affectu anhelãdũ sit

1. Ioan. 3.

Ex tractatu XXXVI. in Ioannem.

1 PRæclarum est illud de Ioanne elogium. *Non immeritò aquilæ comparatur, qui altiùs, multòq; sublimius alijs tribus euangelistis erexit prædicationem suam nam illi tanquam cum homine Domino in terra ambulant; de diuinitate eius pauca dixerunt; istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solùm super terram, & super omnem ambitum aeris, & cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemq; constitutionem inuisibilium Potestatum, & peruenit ad eum, per quem facta sunt omnia: dicendo: In principio erat Verbum, &c.* Vide quàm non modò à terrenis, sed à creaturis omnibus erectam requirat mentem contemplatio S. Trinitatis. addit. *hoc ructabat, quod biberat, dum in conuiuio, super pectus Domini discumbebat: de illo ergo pectore in secreto bibit.* pulchrè admodum indicat pectus Christi instar crateris diuino pleni mero fuisse, vnde Ioãnes hauserit.

Ioannis sublimitas mentis mira.

Ioannes de pectore Christi quasi de cratere bibit.

2 De Dei potentia sic. *Scriptum est: Cœlum, & terram ego impleo. Noli ab illo auerti, & tecum est. si vis ad eum peruenire, noli esse piger amando: non enim pedibus, sed affectibus curris. vno loco manens venis.* pulchrè dictum de affectibus: quibus impigrè incitatis currendum est ad Deum. cõtra de mundanis dicitur: *sordes eius in pedibus eius.*

Ad Deum affectibus quasi pedibus curritur.

3 Ego & pater vnum sumus.) *Vtrũq; audi; & vnum, & sumus; & à Charybdi, & Scylla liberaberis. in duobus istis verbis, quod dixit, sumus, liberat te à Sabellio: si vnum, non ergo diuersum. si sumus, ergo pater, & filius. si alterum quidem credideris esse Christum, sed in aliquo distantem à patre, à Charybdi quidem euasisti, sed in Scyllæis scopulis naufragasti. noli dicere; pater aurum est, filius argentum est: vna substantia est, vna diuinitas.* Vide vt hæretici naufragi sint. Sabellius non distinguebat personas. Arius distinguebat, sed minorem faciebat filiũ. vterque in scopulos fregit incautum ingenij nauigium: vide igitur quàm periculosum sit in hæreticorum doctrina versari: aut in Scyllam incides, aut in Charybdim. Scyllam mõstrum dicebant, virginea quidẽ facie, qua alliceret, cetero corpore belluino, & latratu canis. alij sex capitum finxerũt, ac terno ordine dentium, & oculis ignitis: Charybdim item infame monstrum, mulierem flagitiosam à Ioue fulminatam dixerunt. habes hæresum insignẽ typum. sit anathema pro fulmine.

Hæretici, vel in Scyllã vel in Charybdim incidunt.

4 *Testimonium perhibet de me qui misit me pater.) Eligamus nobis, fratres, contra linguas hominum, contra infirmas suspiciones Deum iudicem, Deum testem. testis est, qui nõ quærit alium, vnde cognoscat; iudex, qui potestatem habet damnandi, & absoluendi. Susanna casta fœmina duobus falsis testibus vrgebatur; Trinitas de occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit.* Vide quò recurrendum sit in calumnijs hominum, vt causa in tuto sit. acutè notat accusatam à duobus falsis testibus, protectam autem à Trinitate per vnum Danielem, nempe ea, quæ summa, & prima veritas est.

Susanna Trinitati confidens testes falsos vicit.

Ex tractatu XXXVII. in Ioan.

1 VErbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.) *Manebat, non sonando transibat. apud te ipsum, ò homo, cum est in corde tuo verbũ, aliud est quàm sonus. sed*

Verbum quomodo à patre procedat.

sed verbum, quod est apud te, vt transeat ad me, sonum quasi vehiculum quæris. assumit enim sonum, imponit se quodammodo in vehiculum, transcurrit aerem, venit ad me, non recedit à te. pulchrè de verbo, quod soni quasi vehiculo fertur, nec recedit à corde dicentis.

Fidei plãtarium per Apostolos factum.

2 De vera fide sic. *Catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sana ad posteros transmittenda.* eleganter quasi plantarium fidei dicit per Apostolos colonos factum. quo annosæ arbori fidem comparare videtur, non insertæ alijs agrestibus; hinc est vt nunquam à fructibus degeneret suis.

3 *Quia nondum venerat hora eius.) Hoc nonnulli cum audiunt, sub fato fuisse Christum Dominum & credunt, & dicunt: ecce Christus habet fatum. O si cor tuum non esset fatuum: dictum est scilicet à loquendo. Verbum Dei quomodo habet fatum, quando in ipso Verbo omnia sunt, quæ condita sunt? vbi sunt fata? in cælo, inquis, in ordine, & conuersionibus siderum; quomodo ergo fatum habet, per quem factum est cælum, & sidera? horam igitur expectabat, non fatalem, sed opportunam, & voluntariam, vt prius omnia complerentur, &c.* ideò vt alibi adnotauit, tunc expirauit, cum dixit. *consūmatum, seù perfectum est.* Dices, cur igitur nõ descendit de cruce, vt illi petebant? *Quia patientiam docebat, ideò potentiam differebat. si descenderet, victus conuiciorum dolore putaretur. quid autem ei magnum erat de cruce descendere, qui potuit de sepulchro resurgere?* Nota, cur nõ descenderit, ne dolori & opprobrijs cedere uideretur. rectè cõuincit: si fatum vocant siderum constitutionem, cur siderum conditor, & dominus dicatur sideribus subiectus? simul illud lepide dictum, dum fatui esse dicit fatum credere.

Christus fato minime subiectus.

Ideæ diuinæ quo modo intelligantur.

4 In Verbo esse quæ fiunt, sic ostendit. *Mundus & factus est, & in Verbo erat, quomodo hoc? quia domus, quam ædificat structor, prius in arte erat, & ibi melius erat sine vetustate, sine ruina; tamen vt ostendat artem, fabricat domum, & processit quodammodo domus ex domo: etsi domus ruat, ars manet: ita apud Dei Verbum erant omnia, &c.* elegans similitudo de architecto, & fabro. nota de ideis diuinis, quomodo sint intelligendæ.

Ex tract. XXXVIII. in Ioannem.

Mundani instar anguium repunt.

1 V*Os de deorsum estis.) Ideò terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis. quid est terram manducatis? terrenis pascimini, terrenis delectamini.* Vide quàm serpant, & repant humi mundani, qui tamen se ob terrenas opes quasi eminentes extollunt.

Christus propriè de supernis non astra, &c.

2 *Ego de supernis sum.) De quibus supernis? de aere? absit; ibi & aues volitant. de cælo quod videmus? & hoc absit; ibi stellæ, & planetæ: de Angelis? at per illum & Angeli facti sunt. de quibus ergo supernis Christus? ab ipso patre. nihil illo superius; qui Verbum genuit æquale sibi.* Vide excellentiam Verbi supra omnes creaturas; & totam vniuersitatem à distributione partium attende, inferiora sunt, etiam quæ supernè apparent, vt astra, & cœlum.

Memoria Christi sanguinis valet ad parcendũ inimicis.

3 De Christi pietate sic. *Pater ignosce illis.) Quid conuerso non ignoscitur, si fusus Christi sanguis agnoscitur? quis homicida desperet, si in spem redditus est, à quo & Christus occisus est? crediderunt inde multi. donatus eis sanguis Christi, vt magis eum biberent, quo liberarentur, quàm rei de illo effuso tenerentur.* lepor est in verbis; non potest quis non ignoscere inimicis, qui Christi sanguinem agnoscit, qui profuit etiam inimicis. id alibi quoque exaggerat: redempti, inquit, sunt illo ipso sanguine, quem fuderunt, multi enim postea cõuersi sunt. & rectè adnotat, in poculum potius salutis illis cessisse, quam in poculum damnationis.

Deus propriè est.

4 De Dei essentia sic: *O Domine. quid est quod ais: Nisi credideritis quia ego sum? nunquid & cælum non est, & terra, & quæ in ijs sunt? si omnia sunt hæc, quæ per te facta sunt, quid est quod tibi proprium retinuisti? ipsum esse, quod alijs non dedisti, vt tu solus esses? audio; ego sum qui sum; quasi alia non sint. nisi, inquis, credideritis, quia ego sum. illi non erant, qui audiebant? quid sit ipsum esse, dicat cordi, intus dicat, homo interior audiat. verè esse, est semper eodem modo esse. res autem quælibet prorsus qualicumq; excellentia, si mutabilis est, nõ verè est: nõ enim est sibi verũ esse, vbi est & nõ esse, quicquid enim mutari potest, mutatum, non est quod erat. video vitam in eo quod est, & mortem in eo quod fuit. de Deo dicitur: tu autem idem ipse es.* acutè ex mutatione colligit in creaturis quantumuis præstantibus non esse verum esse. cum ergo ait, *nisi credideritis quia ego sum.* ostendit se Deum, qui proprie est.

Ex trac. XXXIX. & XL. in Ioan.

Fides clauis est cordis.

1 T*Rinitatem in personis, vnitatem in natura ostendit. Negant hoc infideles. Turbantur, quia non illuminantur. cor clausum habent, quia clauem fidei non habent.* Vides vt fides aurea quasi clauis sit, & gratia ianitrix cordis.

2 Fides quò perducat, ostendit. *Fides humilitatem habet; cognitio, & immmortalitas,*

tas, & æternitas celsitudinem. solet ędificatio ab imperitis contemni. fossa fit grandis; lapides quomodo immittuntur? nulla ibi expolitio, nulla pulchritudo apparet. quomodo nec in arboris radice. totum tamen quicquid te delectat in arbore, de radice surrexit: parum aliquid videtur fides credentium, non habes stateram, vnde appendas. audi quò perueniat, & vide quanta sit. Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis. quid humilius? sed quid vehementius? quid minutius? sed quid feruentius? nota vtramque comparationem. in fundamento humili culmen attende, in radice item humili supernè in ramis fructum. humilis videtur fides. sed quid promittit? quàm sublimia? æternitatem, immortalitatem, Dei visionem.

Mundo vti debemus non frui.

3 Ad mundana posthabenda sic hortatur. *Sit tibi nummus instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis, quo vtaris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem. vtere Mundo, non te capiat Mundus. iter agis; stabulum est hæc vita. vtere nummo, vt viator in stabulo vtitur mensa, calice, tecto, lectulo, dimissurus, non permansurus.* Vide quàm vilis sit Mundi habitatio, quem stabulo comparat; & quàm absit ab habitu peregrini fastus. egregium est illud monitum. *vtere Mundo, non te capiat Mundus,* nēpè Mundus ad vsū necessarium vitæ, non ad fruitionem delectationis est datus.

Ex tractatu XLI. in Ioann.

1 *REddite quæ sunt Cæsaris, &c.) sicut quærit Cæsar in nummo imaginem suam; sic Deus quærit in homine suam.* pulchrè animam argenteo, vel aureo nummo cœlato ob Dei imaginē cōparat, vt & animæ pretium sciamus, & Imperatoris signum vereamur, & agnoscamus. vide igitur quàm diuites sint Apostolici viri lucro animarum.

Anima nūmus est impressus imagine Dei.

2 Exponit illud Pauli: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore: neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.) Non ait, non sit, sed non regnet. saltem peccato regnum auferatur, non fiat quod iubet; non habeat arma, vnde contra te pugnet, alioquin captiui eritis. teneat arcem Imperator interior, quia sub maiore Imperatore iuuandus assistit. surgit ira, noli dare iræ linguam ad maledicendum, &c.* eleganter peccati tyrannidem ostendit, cui tamen se sponte subijcit peccator, membra offerens velut arma, vt contra se pugnet: quo quid stultius? pulchrè etiam animum velut Imperatorem in arce cordis constituit sub summi Imperatoris nutu, à quo iuuatur, in arcis custodia excubantem. *teneat arcem Imperator interior, &c.* surgunt motus, sed frænandi; *Non potes facere, vt non concupiscentiæ membra ad satellitium non præbeas.* Vides, vt sensus corporis satellites quidam sint, quibus peccatum à nobis regem factum stipamus in exitium nostrum. Addit. *hoc debet conari omnis, qui tendit ad perfectionem, vt & ipsa concupiscentia quotidie in proficiente minuatur.* non solùm peccato non arma subministranda, sed eius insultus, ac motus quantum fieri potest, opprimendi. fuit hæc victoriæ fœlicitas B. Aloysio nostro in primis: *Omnino non concupiscere perfectio boni est, quia consummatio, & finis mali est.*

Animus Imperator sed summo Imperatori Deo subiectus in arce cordis.

Sēsus vt satellites regem stipātes animū

Peccati regno nō militādū.

Ex tractatu XLII. in Ioannem.

1 *VOs ex patre diabolo estis.) Cauenda est hæresis Manichæorum, quæ dicit esse quandam naturam mali, & quādam gentem tenebrarum, ausam pugnare contra Deum: illum verò Deum, ne debellaret gens aduersus regnum eius, misisse contra eam tanquam viscera sua, principes de luce sua, eamque gentem fuisse debellatam, vnde diabolus originem ducit, hinc dicunt originem ducere carnem. At bona est omnis natura, sed vitiatur per voluntatem malam. quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi malus.* Nota quàm stultè & impiè carnem humanam de gente tenebrarum oriri dicerent, cum potius Sanctis suis Deus etiam in hac vita sæpè splendorem vultus dederit, ut olim Mosi, & postea etiā Ignatio nostro, & alijs. Tum concludit nullam esse excusationem peccandi ex natura mala. Dices: *cur ergo filij diaboli Iudæi appellantur? nempè imitando, non nascendo. sic eis dicitur, Pater tuus Amorrhæus, mater tua Cethæa.* licet hæc gens extranea esset. sed apertius ostendit quod sequitur. *& desideria patris vestri vultis facere. ecce vnde filij diaboli, quia talia desiderant, non quia de illo nati. quæ sunt illius desideria? ille homicida fuit ab initio: cum inuideret homini, serpente indutus locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virum. noli ergo putare te non esse homicidam, cum fratri tuo mala persuades.* eleganter ostendit, de muliere tanquam de cratere propinatum Adæ uenenum: & uide, ad peccatum inducere quemquam, quantum sit malum. perinde est, ac si uenenatum poculum alteri propines.

Manichei carnem à gēte tenebrarū esse dicebant

Peccatū suadere est venenum propinare.

Ex tractatu XLIII. in Ioan.

1 *EGo dæmonium non habeo.) Non dixit: Samaritanus nō sum. duo ei fue-*

fuerant obiecta.non frustra,quia Samaritanus interpretatur custos; non enim dormit, neque dormitat qui custodit Israel. non tamen conuicium conuicio reputauit. vide vt interpretanda sint in bonum etiam quæ non bono fine obiecta sunt.

Abrahã exultatio ex Christi generatione præuisa.

3 *Abraham exultauit, vt videret diẽ meum.) Non ait,exultauit quia vidit,sed vt videret. credens exultauit, sperando, vt videret intelligendo,& vidit. quis explicet hoc gaudium?si gauisi sunt illi,quibus Deus oculos carnis aperuit, quale gaudium fuit illis,qui viderunt cordis oculis lucem ineffabilem, Verbum manens, splendorem pijs mentibus refulgentem, sapientiam indeficientem,apud Patrem manentem Deum, & aliquando in carne venturum,nec de patris gremio recessurum? totum hoc vidit Abraham. nam quod ait, diem meum. incertum potest esse vnde dixerit,vtrùm diem Domini temporalem, quo erat venturus in carne,an diem Domini, qui nescit ortum, nescit occasum:sed ego non dubito totum scisse.* Natiuitatẽ carnis tũc præuidisse ait, cum iussit seruum petiturum vxorem filio manũ ponere sub femur.ceterùm hinc collige quantò maior exultatio fuerit *Mariæ* cum promissum non modò vidit, sed genuit.hinc ait: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* & si Abrahamo non modò natiuitas carnis, sed generatio æterna cordis oculis obiecta est,quantò magis ipsi Dei matri? & quod eius cum veneratione gaudium, & simul Iosephi fuit,subditum quoque videntium?iam verò quanta exultatio beatorum Deum videntium in die æternitatis,qui uerus est, & perpetuus dies?

Christus se tacitè Deum fatetur.

4 *Antequam Abraham fieret,ego sum) Appende verba,cognosce mysterium.non ait, ego factus sum,sed antequam Abraham fieret,qui nisi per me non fieret,ego sum,agnosce creatorem, distingue creaturam*. acutè notatum;nam, fieret, ad humanam naturã;sum,uerò ad diuinã substantiã pertinet.

Miser est à cuius corde lapideo Deus fugit.

5 *Tulerunt lapides Iudæi.)Tanta duritia quò currerent nisi ad similes?* & hoc acutè dictũ;omne enim simile appetit sibi simile ita cum de diabolo dicatur apud Iob. *Cor eius indurabitur tanquã lapis* cucurrit ad lapides,offerens Christo in deserto. porrò *abscondit se ab eis; quia magis erat commendanda patientia,quã exercenda potẽtia.tãquàm homo à lapidibus fugit,sed væ illis,à quorũ lapideis cordibus Deus fugit.* egregiè dictũ de infelici peccatoris statu;lapideo.n. corde quasi impiè appetit Deũ,dũ miserabili iactura,tot ei⁹ dona dilapidat,ac pdit.

Ex tract. XLIV.& XLV.in Ioan.

1 DIxerunt cæco- *Da gloriam Deo.) Quid est da gloriam Deo,nisi nega quod accepisti? at hoc non est gloriam Deo dare;sed potius blasphemare.* Vide in verbis fraudem;gloriam in ore habent, in corde opprobrium. volebant cæcum negare se à Christo sanatum, at hoc erat priuare eum gloria,non ornare.quid peruersius?

Cæci sanata, Christi gloria.

2 *In peccatis natus es totus.)Quid est totus?cum clausis oculis, sed qui aperuit oculos, saluat & totum.Sequitur:& tu doces nos.ipsi illum magistrum fecerunt,ipsi vt discerent, toties eum interrogauerunt, & ingrati docentem proiecerunt.* totum dixerunt vitiatum & animo ob peccata, & corpore ob cęcitatem:at Christus vtrumque sanauit. acutè carpit Pharisęorum inuidiam: Vide autem vt Christus in miraculis spectarit animæ in primis sanitatem.

Cæcus & corpore & mente sanatur.

3 *Qui non intrat per ostium, ille fur est, &c.) Fuerunt quidam philosophi de virtutibus,& vitijs subtilia multa tractantes, suas sententias buccis concrepantibus ventilantes, qui auderent dicere:nos sequimini,si beatè vultis viuere; sed non intrabant per ostium.* Vide arrogantiam veterum sapientum. at sine fide sapientia illa non modò dux salutis non fuit, sed exitij,& erroris causa. id & ad hæreticos refert. tum concludit. *Humilis est ianua Christi; qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse.qui ascendit aliunde,væ misero quia casurus est.* at & philosophi, & hæretici superbia extolluntur; hinc casus. egregiè dictum. *humilis est ianua Christi.* incurues te oportet, vt subeas.

Arrogantia veterum philosophorum beatitatem promittentium

4 *Et pascua inueniet.) Qualia pascua inuenit,cui dictum est, hodie mecum eris in paradiso?* Nota,latronem tanquam errantem ouem à Christo pastore in paradisi pascua ductam ijs humeris,quibus crucem tulit.

Ex tractatu XLVI. in Ioannem.

1 EGo sum ostium.) *Si personam aliquam quæris ostiarij,Spiritus sanctus occurrat, nam de eo dicitur: Ipse vos docebit omnem veritatem.ostium quod est? Christus.quid est Christus? veritas.* Nota pulchrè de sancto Spiritu,qui dum docet, quasi ianitor est.clauem habet scientiæ, idemq; cordis.ad hunc recurrendum est, vt introducat nos ad scientiæ thesauros.

Spiritus sãctus ostiarius cordis & sciẽtiæ.

2 *Super cathedram Moysi, &c.) Botrum carpe, spinam caue;cum Dominus super dicat; Nunquid colligunt de spinis vuam? botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe,crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum. cathedra Moysi vitis erat, Pharisæorum mores spinæ; doctrina per malos, palmes in sepe. botrum inter spinas cautè lege,ne, dum quæris fructum, laceres manum. hoc est dum audis bona docentem,imiteris mala facientem.* pulchrè ostendit dicta excipienda docentium, non facta imitanda. tanquam vites in sepibus

 sunt

ſunt. quanquam illud de ſpinis in capite Chriſti verũ eſt, inde colligi vuã, hoc eſt dulcedinẽ ſalutis, & vinũ ſanguinis ſuauiſſimi.

Ex tractatu XLVII. in Ioannem.

Chriſti ſanguis etiã martyrum ſanguinẽ pretioſum facit.

1 DE Chriſti, & Martyrum ſanguine ſic. *Oues Chriſti eſtis, ſanguine Chriſti comparati eſtis; agnoſcite pretium veſtrum. pretioſus eſt ſanguis illius ſine peccato; fecit tamen ipſe etiam ſuorum ſanguinem pretioſum: vnde dicitur. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* præclarè oſtendit vim Chriſti ſanguinis; nõ.n. in ſe ſolũ habet pretiũ, ſed facit vt ſanguis Martyrum pro ipſo fuſus pretioſus euadat

2 Explicat illud Ioannis. *Sicut pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere.) Debemus, inquit; debitores nos fecit qui primus exhibuit. ideò quodam loco ſcriptum eſt. Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapienter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuam, ſciens, quia talia oportet te præparare. menſa potentis, quæ ſit, noſtis; vbi eſt corpus, & ſanguis Chriſti. qui accedit ad talem menſam, præparet talia; vt quomodo ipſe pro nobis animam poſuit, ſic nos ad aſſerendam fidem debeamus animas ponere. hoc eſt animã meam pono pro ouibus meis.* Egregius ſanè hic locus eſt, quo debito obſtricti teneamur dilectionis erga Chriſtum etiam ſubeundi Martyrij. hinc illud pſalmi. *Quid retribuam Domino? &c.* ſubiungit, *calicem ſalutaris accipiam.* cum igitur in Euchariſtia memoria eius profuſi ſanguinis recolatur non niſi cum ardenti amore vſque ad effuſionem parati accedamus. hinc Martyres ſoliti per Euchariſtiæ ſumptionem diſponere ſe alacriter ad martyrium, vt de S. Laurentio dicit.

Ad martyrium quiſque paratus ſit oportet.

3 Exponit illud. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.) Quia ſcilicet ibi fuit ibi matrem elegit, &c. fortaſſe aliqui arbitrantur, quia non ipſe ad nos venit, non audiſſe nos vocem ipſius, ſed vocẽ eorum, quos miſit. at ipſum Paulũ audi, quẽ miſit. An vultis excipere experimentũ eius, qui in me loquitur Chriſtus?* rectè oſtendit quàm firmiter credenda, quæ ab Apoſtolis ad nos tranſmiſſa.

Traditiones apoſtolicæ quaſi Chriſti dicta ſeruanda.

4 Peccatum animæ mortem dicit. *Mori carni tuæ, eſt amittere vitã tuã. vita carnis tuæ eſt anima tua, vita animæ tuæ De⁹ tuus. hinc de vidua delitioſa ait Apoſtolus. viuens mortua eſt.* Nota vitæ gradus: anima viuificat corpus, animam viuificat Deus. quid igitur peccator niſi cadauer putidum?

Ex tractatu XLVII. in Ioannem.

1 H*Iems erat, & ambulabat Ieſus in templo.) Frigidi erant, & ad illũ diuinum ignem accedere pigri erant. qui credit, accedit. non mouetur anima pedibus, ſed affectibus. friguerunt diligendi charitate; longè aberant, & ibi erant.* nota, egregiè ait, per affectum cordis acceſſum fieri ad Deum, qui quò excitatior, eò & incitatior curſus, venuſtè autem ait, cum Chriſtus de ſe dixerit. *Ignẽ veni mittere in terram.* apud ignem erãt, & frigebant. quod de ijs dicendum eſt, qui ſine deuotione accedunt ad Euchariſtiam. *longè abſunt, & ibi ſunt.*

Iudæi Chriſti præſente aberant.

2 *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vita æternam do eis.) Ecce paſcua. ſuperius dixerat. Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. ingreſſi ſumus credendo; egredimur moriendo; vt ſicut per oſtium fidei ingreſſi ſumus; ſic fideles de corpore exeamus; ſic enim paſcua inueniemus. bona paſcua vita æterna dicitur; ibi nulla herba areſcit, totum viret, totum viget.* Nota, in exitu vitæ actus fidei inprimis faciendos, vt eam profiteamur, quam accepimus in baptiſmo. item ouium more per manſuetudinem, & mortis tolerantiam exire debere, vt ad æternæ vitæ paſcua feramur. vitæ autem æternæ illud accommodat. *ſolet quædam herba dici Semperuiua. ibi ſolùm viuere inuenitur.* vide vt Natura ipſa quodammodo excitare nos voluerit ad æternitatem. herbæ ipſæ nos commonefaciunt,

Vitæ finis fidei profeſſione claudendus.

3 Filium patri ſic æquat. *Non creſcendo, ſed naſcendo æqualis eſt, qui ſemper natus eſt de patre filius, de Deo Deus.* egregiè oſtẽdit differentiam à nobis, qui per ętatis incremẽta patribus æquamur. De attributis autẽ hæc habet. *Quod habet, hoc eſt. tu alius es, aliud habes. ſapiẽtiã, habes nũquid es ipſa ſapientia? aliquando reſumis, aliquãdo amittis. non eſt ſic Deus Dei filius, nõ ſic eſt Verbũ quod ſanando tranſit, ſed naſcendo manat. ſic habet ſapientiam, vt ipſe ſit ſapientia faciatque ſapientes, ſic &c.*

Dei filii natiuitas ex patre quàm differt à noſtra.

4 *Si illos dixit Deus, ad quos ſermo Dei factus eſt, &c.) Si ſermo Dei factus eſt ad homines, vt dicerentur Dij, ipſum Verbũ Dei, quod eſt apud Deum quomodo non eſt Deus? ſi participando fiunt Dij, vnde participãt nõ eſt Deus? ſi calefacti quodammodo igne ſalutari Dei efficiuntur, vnde caleſiunt, non eſt Deus? ſi lumina illuminata Dij ſunt, lumen quod illuminat non eſt Deus?* acutè affert varias ſimilitudines à minori ad maius ad æqualitatem filij Dei cum patre probandam. & nota, non niſi per ardentem charitatem nos aſſimilari Deo, & filios eius oſtendi: nempè, *Deus ignis conſumens eſt.*

Ardens charitas nos aſſimulata Deo

5 *Quærebant eum apprehendere.) Vtinã apprehenderent, ſed credendo, & intelligendo, non ſæuiendo, & occidendo. tu apprehendiſti, vt habeas; illi apprehendere volebant,*

vt

vt non haberent,& ideò exijt,inquit,de manibus eorum.non eum apprehenderunt,quia manus fidei nō habuerunt. acutè notatum'; ac pulchrè ostendit,vt Christus fidei quasi complexibus apprehendatur à iustis, elebatur autem è manibus impiorum.

Ex tractatu XLIX. in Ioannem.

Lazari resurrectio typus nostræ in sęculi fine.

1 DE Lazaro resuscitato sic. *Inter omnia miracula, quæ Christus fecit, Lazari resurrectio prædicatur; sed si attendamus quis fecerit, delectari debemus potius,quàm mirari.plus est homines creare, quàm resuscitare, &c.* Addit:resuscitauit putentem, sed tamen adhuc erat forma membrorum. in nouissimo die ad vnam vocem cineres est restituturus in carnem, sed hoc egit vt ad illam resurrectionem præparemur. Vide igitur quàm excedat omnem admirationem illa in fine Mundō resurrectio.

Peccatoris conuersio maior quam Lazari resuscitatio.

2 Peccatorum conuersionem confert, ac præfert Lazari resuscitationi. *Admirati sumus tanquam magni miraculi spectaculo ante oculos constituto, quemadmodum reuixerit Lazarus; attendamus mirabiliora opera Christi.omnis,qui credit,resurgit. intelligamus detestabiliores mortes. omnis qui peccat, moritur. tamen laboratur ne moriatur homo moriturus, & non laborratur,ne peccet homo in æternum victurus.* O *si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis,quales sunt homines amatores vitæ fugientis.* damnati nō produnt occulta vt viuant, & tamen feriuntur,&c.pulchrum,ac pręclarum votum. *ò si possemus excitare homines mortuos,etc.* certè Francisco Xauerio concessum est,vt in vtriusque generis mortuis suscitandis esset insignis. à morte corporis vigintiquinque,ex quibus vnus penè quatriduanus;ab animi,innumerabiles excitauit.illud autem magnam erubescentiam excitat,quod cum nihil non fiat,vt hāc vitam, quæ omnino terminum habet,producamus,de vita æterna nulla fit cura. egregiè item ostendit, nos tam piè sanctèque viuere debere,ut qui ex altera vita ad hanc resurgendo reditum facerent.

Tres mortui à Christo resuscitati ad mysteriū relati.

3 Tres mortuos à Christo excitatos ad mysterium refert. *Resuscitauit filium Archisynagogi adhuc in domo iacentem. resuscitauit filium viduę extra portam ciuitatis elatum.resuscitauit Lazarum mortuum quatriduanum.* primum est cum delectationi consentitur, mors domi,intus est.secundum cum exit foras in actum peccatum tanquam extra portam. *tertius mortuus Lazarus est: genus mortis immane, mala cōsuetudo appellatur;& bene dicitur: iam fœtet, ob pessimam famam tanquam odorem teterrimum.* huc etiam refert,quod vinculis sine institis esset implicatus.vide tamen quanta cum celeritate se hic statim Christo viuum obtulerit vnà cum uinculis. tum sic pulchrè: *Videmus quotidiè homines pessima consuetudine permutata,viuere melius quàm viuant ij, qui ipsos reprehendebant. ecce ipsa soror Lazari, si tamen ipsa est,quæ pedes Domini vnxit, & tersit capillis suis, quos lauerat lacrymis, melius suscitata est,quàm frater eius, &c.* nota, si Magdalena peccatrix fuit soror Lazari,nam alij diuersam faciunt,non minus ipsa, immò mirabilius quàm Lazarus resuscitata est à consuetudinis malæ sepulcro:pende,illud: *genus immane mortis mala consuetudo est.*

Christi diuinitas ostensa in miraculo Lazari resuscitati.

4 Acutè ostendit contra hæreticos Christi diuinitatem. *Videte quomodo ex obliquo Dominus Deum se dixit.Infirmitas hæc,inquit, non est ad mortem,sed pro gloria Dei. qua gloria? cuius Dei? audi quod sequitur: vt glorificetur filius Dei per eam* rectè notatum de potentia diuinitatis in Christo.dū enim ad gloriam Dei pertinere ait hoc miraculum, quod sit ipse facturus, tacitè se Deum denotauit.

Peccator de suo Satanas est.

5 A Deo manare quod in nobis est boni,sic ostendit. *Audit Petrus. Redi post me Satanas, paulò ante laudem meruerat: Beatus es Simon Bariona:sed vnde? quia caro,& sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus.ecce vnde beatus.non de tuo,sed de meo.non quia pater ego, sed quia omnia, quæ habet pater, mea sunt: nemo ergo se palpet:de suo Satanas est, de Deo beatus est. quid est de tuo, nisi de peccato tuo?* nempè huc spectat & illud apud prophetā. *Perditio tua ex te Israel.tantummodò in me auxilium tuum.* pende illud acriter dictum. *de tuo Satanas es.* quis non exhorrescat, cum quid per peccatum euaserit, audit? contra de iustis dicitur: *ego dixi,Dij estis.*

Christus Sol Apostoli 12. horæ.

6 Acutè illud interpretatur: *Nonne duodecim sunt horæ diei?) Quia vt diem se esse ostenderet,duodecim discipulos elegit. Si ego sum,inquit,dies, & vos horæ. sed si illi horæ,quid ibi Iudas? & ipse inter duodecim horas? qui si hora erat, lucebat; sed Dominus in hoc verbo non ipsum Iudam, sed successorem ipsius præuidebat Matthiam.non ergo frustra duodecim discipulos elegit Dominus,quia ipse spiritualis est dies. sequantur ergo horæ diem; horæ illustrentur à die, & per horarum prædicationem credat Mundus in diem.* pulchrè omninò dictum, Christum tanquam Solem, ac diem fuisse, collegium apostolicum tanquam horologiū, ad cuius normam actiones dirigendæ essent:quò spectat illa uersio 70. *Sicut hora super montes,&c.* ubi uulgata habet: *Quā pulchri super mōtes pedes euangelizantium.*

Horas in Cœlo finxerunt veteres, eæque aureæ sunt. & nota Matthiam suffectum in horam duodecimam, Iuda in tenebras verso. rectè igitur monet, *diem sequantur horæ.* nisi enim hora correspondeat parti diei propriæ, potius errandi dat locum. hoc autem ad religiosos maximè pertinet, qui ad sequendum Christum uocati sunt.

7 *Lazarus noster dormit.) Dominus tanta cum facilitate excitabat de sepulcro, quanta cum te excitas dormientem de lecto. etiam alij mortui dicuntur in scriptura dormientes; De dormientibus, inquit Apostolus, nolo vos ignorare, fratres, vt non contristemini. dormit & bonus, & malus; sed quomodo interest in ijs, qui quotidie dormiunt, & resurgunt, quid quisque videat in somnis: alij sentiunt læta somnia, alij torquentia, ita vt euigilans dormire timeat, ne ad ipsa iterum redeat; sic vnusquisque cum causa sua dormit, cum causa sua surgit ad iudicem postea producendus. habent omnes animæ, cum de seculo exierint, diuersas receptiones suas; habent gaudium boni, & mali tormenta; sed in resurrectione recepto corpore amplius erit aut gaudium, aut tormentum. requiem certè quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur.* Vide ut felicitas æterna possit, si ab omni labe purgatio sit, accipi statim à morte: & nota illud de lite animæ ardua diudicanda apud Dei tribunal. *vnusquisque cum causa sua dormit, & cum causa sua surgit ad iudicem*. quantum hoc sollicitudinis requirit? ubi de toto, ut dicitur, asse agitur.

Vnusquisque cum causa sua surget ad iudicium.

8 *Lazarus mortuus est.) Aeger, non mortuus fuerat nunciatus: sed quid lateret eum, qui creauerat, & ad cuius manus anima morientis exierat?* Vide quò abeant, & aduolent animæ iustorum? ad Christi manus. ideò apud Ioannem dicitur habere stellas in manu, hoc est animas ipsas, uel ut stellas, & cœlū eis donet. & quid aut tutius, aut felicius? de ijsdem manibus dicitur. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* & rectè tornatiles, globosa figura, quia præmium quod dant, æternum est.

Animæ iustorum aduolant in morte ad Christi manus

9 *Quatuor dies in monumento habentem.) Homo cum nascitur, iam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit. ecce habes vnum diem mortis; deinde accedit ad rationales animas, vt legem sapiat naturalem, vt quod tibi non vis, alteri ne feceris, &c. & hanc legem transgrediuntur homines; ecce alter dies mortis. data est & lex diuinitus per Mosen: non concupisces &c. scripta quoque lex contemnitur, ecce tertius dies mortis. quid restat? venit & euangelium; & hoc transgrediuntur. vita promittitur æterna, & ipsa contemnitur. ecce quartus dies mortis: meritò iam fætet. sed nunquid & talibus negatur misericordia? absit: etiam ad tales excitandos Dominus dignatur accedere.* Vide ut mundani omnes quadriduani sint, & inter ipsa unguenta fœteant. tum nota, conuersio eorum quàm mira sit ex Déi pietate. acutè autem quatuor dies distinguit in morte peccati: refer animum ad singulos, & horresce.

Quatuor dies mortis considerantur in peccatore ut in Lazaro.

10 *Scio quia quæcumque poposceris, &c.) Non ait, rogo te vt resuscites fratrem meum; vnde enim sciebant, si fratri eius vtile fuerit resurgere? hoc tantum dixit. Scio quia potes. si vis, facis. vtrùm facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.* nota, & admirare indifferentiam Marthæ; etiam si Lazarus adeò Christi amicus esset, & putaret eum non discessurum ab amicitia Christi, si reuiuisceret; tamen non audet de eius vita rogare, nesciens an ei profuturum esset. quantò cautius cum Deo agendum circa salutem corporis in ceteris?

Corporis salus quā cautè petenda à Deo.

11 *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, etc.) Si igitur non credis, etiā cū viuis, mortuus es. cuidam differenti ipsum sequi, ait* Dominus: *Sine mortuos sepelire mortuos suos. erat ibi mortuus sepeliendus, erant mortui mortuum sepulturi: ille mortuus in carne, hi in anima. animæ tuæ anima fides est. Qui crediderit, inquit, viuet.* Nota vim fidei in anima viuificanda. cogita Orbem terræ plenum tot putidis cadaueribus, quot infideles, apud barbaras præsertim Indiæ nationes sunt, & ingemisce apud tam ferale bustum.

Fides anīmę anima est.

12 *Turbauit semetipsum.) Turbaris tu nolēs. turbatus est Christus, quia voluit. in illius potestate erat sic, vel sic affici, vel non affici.* hinc in nobis passiones, in Christo propassiones vocantur à Theologis. sed quò pietas adduxit Christum? vt turbaret se, qui scilicet vultu cœlum, tempestatesque serenat; & qui sanctorum animas ab omni mœrore tranquillas reddit.

Christi turbatio in morte Lazari voluntaria.

13 *Fremuit spiritu, & turbauit semetipsum.) Quid hoc, nisi vt significet tibi quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati grauaris, & premeris? attendisti enim te, vidisti te reum, computasti tibi; illud feci, & pepercit mihi Deus: illud commisi, & distulit me, & iterum ad eadem reuolutus sum. quò eo? vnde euado? cum ista dicis, iam fremit Christus, quia fides fremit; in voce frementis apparet spes resurgentis.* eleganter resipiscentiæ quasi fremitum in corde describit. huc refert & cum Christus in naui dormiens excitatur. *Intrāt venti cor tuū, mouent fluctus, turbant nauim. audisti conuicium, irasceris, disponis maledictum maledicto reddere: iam nauis propinquat naufragio; excita Christum dormientem in corde tuo: somnus Christi obliuio fidei.* Vide

vt naufragus sit qui passionibus satisfacit. sequitur. *Iesus autem rursus fremens in semetipso, &c. fremat in te, si disponis reuiuiscere.* nota vt in resipiscente cordis fremitus iterari debeat; nec semel ingemiscere contentus sis: hoc suo fremitu iterato nos docuit.

Dolendũ sæpius de peccato.

14 *Erat spelunca, & lapis superpositus.) Mortuus sub lapide, reus est sub lege, nam lex Iudæis lata in lapide scripta est. quid est lapidem remouere? gratiam prædicare. litera quasi lapis est premens: remouete legis pondus.* acutè interpretatur de lege in lapideis tabulis data. & nota vt obscurè tanquã in spelunca degerent Iudæi, & sub præceptorum pondere, vt circumcisionis, quæ lapideo cultro fiebat, &c

Cur Christus fleuerit ad Lazari sepulcrum.

15 *Vbi posuistis eum?) Talis est vox Dei in paradiso, postquam homo peccauit, Adam vbi es?* nota cur Christus infremuit, turbauit se ipsum, lacrymatus est? imago fuit illa primi peccati, quo genus humanum quasi computruit; ideò eadem fere voce vtitur.

Mala cõsuetudo difficile curatur.

16 *Magna voce clamauit, Lazare veni foras.) Fremuit, lacrymatus est, magna voce clamauit. quàm difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit? sed tamen surgis post vocem magnam, vt confitearis. hoc est enim procedere foras; Deus facit magna voce clamando, idest magna gratia vocando.* Vide quanta gratia sit opus in male assuetis. nempe uociferandum est contra peccatores, nec sine lacrymis, ut resipiscant.

17 *Quid faciemus, quia hic multa signa facit?) Plus perditi homines cogitabant quomodo nocerent vt perderent, quàm quomodo sibi consulerent ne perirent. temporalia perdere metuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, & sic vtrumque amiserunt.* potest hoc ad mundanos omnes referri, qui & terrena sæpè bona amittunt, & æternis omnino priuantur.

Ambitio quã damnosa.

18 *Cum esset pontifex anni illius.) Cur anni illius dicitur, cum Deus vnum constituerit summum sacerdotem, cui mortuo vnus succederet? sed intelligendum est per ambitiones postea, & contentiones inter Iudæos constitutum, vt plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent, vt de Zacharia dicitur; & fortè etiam vnum annum plures administrabant.* Vide ambitionis malum: quanquam ad Zachariam iustum id minimè pertinere crediderim. sed fortasse cum multi contenderent, ipse electus est non ambiens.

Ex tractatu L. in Ioannem.

1 P*Roximum erat pascha.) illum diem festum cruentum Domini sanguine habere voluerunt. illo die festo occisus est agnus, qui nobis eundem diem festum suo sanguine consecrauit. sanguine occisi pecoris Iudæorum portæ signatæ fuerunt; sanguine Christi frontes nostræ signantur, vt repellat exterminatorem* Vide quàm piè celebrandus sit is dies, qui *Christi sanguine cruentatus, & consecratus est.* Tum nota, cum crucis signum facimus, quasi Christi sanguine frontem aspergimus: qua fronte igitur audemus eum peccando offendere, cuius cruore signatam habemus? sed monet rectè. *signum crucis expellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Saluatorem. agitatores facile habent in fronte signum Christi, & corde non recipiunt verbum Christi.* aurigas intelligit Circentium ludorum, mundanis rebus intentos.

Dies parasceue cruentus Christi sanguine.

Christus quomodo quærendus.

2 *Quærebant ergo Iesum) sed male quærebant. beati enim qui quærunt Iesum, sed bene. Iudæi quærebant Iesum, vt nec ipsi haberent Iesum, nec nos; sed ab ipsis abscedentem nos suscipimus. quæramus Christum vt habeamus, non vt occidamus.* Vide quò animò quærendus sit Christus. acutè autem carpit Iudæorum & sæuitiam, & inuidiam: *quærebant, vt nec ipsi haberent, nec nos.*

Sacerdos quasi de cœlo detrahit in terram Deum.

3 *Vbi est ille.) Nos indicemus modò Iudæis, vbi sit Christus; vtinam velint audire, & apprehendere. dices, quomodo tenebo nunc absentem? quomodo in cœlum manum mittam? fidem mitte, & tenuisti, tene corde. Christus absens, & iam præsens est. ecce, inquit, vobiscum sum.* Vide vt in primis sacerdos quodammodo in cœlum manum mittat, deuocet in terram non relinquentem cœlum: quid admirabilius?

Inuidus ex bono odore interit.

4 *Domus impleta est odore vnguenti) Mundus impletus est fama bona. oleum, inquit, effusum nomen tuum. & Apostolus; Christi bonus odor sumus; alijs sumus odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. non ait: alijs malus odor in mortem. quid infelicius illis, qui bono odore moriuntur? amasti bene agentem? vixisti bono odore. inuidisti bene agenti? mortuus es bono odore.* ità accidisse ait Iudæ ex vnguento Magdalenæ effuso. *væ tibi miser, bonus odor occidit te.* huc refer, quod de scarabeo sordido animalculo ferunt, interire ad rosæ odorem. & vide quid sit inuidere alienæ virtuti. ex odoris boni fragrantia non modò non refici, sed perire.

Iudas vmbratilis Apostolus, Matthias verus.

5 *Fur erat, & loculos habens; & ea quæ mittebantur, portabat.) Portabat, an exportabat? sed ministerio portabat, furto exportabat. non tunc peruersus factus est Iudas, cum Dominum tradidit; iam fuerat; Dominum non corde, sed corpore sequebatur: ad imaginem fuerat duodecimus, Matthia succedente suppleta est Apostolica veritas*

ritas, egregiè ostendit vmbratilem tantũ imaginem apostolatus Iudam habuisse, sed Matthiam veritatem ipsam, quia munus apostolatus impleuit. ita quidem vmbratiles tantùm religiosi sunt, qui perfectionis statui non respondent.

In dignè Eucharistiam sumere quã detestabile.

6 *Me autem non semper habebitis.) Habes in præsenti per fidem, per altaris cibum, & potum. accedis ad altare, in præsenti habes Christum. sed male viuendo non semper habebis*. de futura iusti beatitate intelligit. quid infelicius quàm perpetuò priuari eo, qui tam amanter se in cibum obtulit. vel quia carnis oculis non semper se exhibiturus erat.

Resurrectio Lazari arguit Iudæorũ stultitiam

7 *Cogitauerunt vt Lazarum interficerent.) O stulta cogitatio, & cæca sæuitia. qui suscitare potuit mortuum, non posset occisũ? si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus; ecce Dominus vtrumque fecit: & Lazarum mortuum, & se suscitauit occisum*. acutè stultitiam arguit Iudæorum per dilemma; quorum conatus vtrinque elusus est.

Ex tractatu LI. in Ioannem.

Christus retulit insignia victoriæ ante pugnã.

1 A*Cceperunt ramos palmarum.) Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus*. præclarè ostendit, Christum triumphi insignia habuisse ante pugnam, vt certum de victoria. hinc illud Apocal. *exiuit vincens, vt vinceret*. huc refer Deboram sub palma sedentem ante pugnam, & victorias accinentem; idest Ecclesiam.

Christi lætitia ex conuersione gentilium.

2 *Venit hora, vt glorificetur filius hominis.) Non se dicit glorificatum, quia gentiles eum volebant videre, sed videbat ipsos gẽtiles post passionem, & resurrectionem suam vbique credituros. annunciat igitur futuram plenitudinem gentium, iuxta illud: Exaltare super cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua*. Nota, si tantum gloriæ, & lætitiæ redundauit in Christum ex præuisione gentilitatis crediturae, quàm illi grata est, quæ nunc fit per nostros in primis cõuersio gentilium? cum nobis proposita pro fine sit maior Dei gloria.

Male amare est odisse.

3 *Qui amat animam suam, perdet eam, &c.) Magna, & mira sententia, quemadmodum fit hominis amor vt pereat, odium ne pereat. si malè amaueris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando*. pulchrè per antithesin, odij, amorisq; vices ostendit. Vide igitur quàm mundani fallantur: & proprius amor quàm deceptorius sit.

Tota merces est ipse Deus.

4 *Si quis mihi ministrauerit, me sequatur.) At quo fructu? qua mercede? quo præmio? gratis ametur, vt ministerij pretium sit esse cum illo; vbi enim bene erit sine illo? sequitur. Honorificabit eum pater meus. nam quẽ maiorem honorẽ accipere poterit adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus?* præclarè ostendit, totam mercedem, & honorem, quo nihil maius, hunc fore, vt simus vnà cum Christo; vt filij adoptati Dei cum æquali filio Dei versemur in gloria.

5 *Nunc anima mea turbata est.) Quid est hoc? quomodo sequi iubes animam meam, si turbari video animam tuam? quale fundamentum quæram, si petra succumbit? sed videor mihi audire respondentem: Transferro in me quod trepidas, & substerno quò transeas: ò domine, agnosco misericordiam tuam. successit hora terribilis, proponitur optio, aut faciendæ iniquitatis, aut subeundæ passionis, turbatur anima infirma, propter quam sponte turbata est anima inuicta. præpone tuæ voluntati voluntatem Dei. attende enim quid subiungat: Pater, saluifica me ex hac hora: pater, clarifica nomen tuum: docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem inuoces. tentatus est sponte à Diabolo, & ea respondit, quæ tu in tentationibus debeas respondere. tentatus est, sed non periclitatus, vt doceret te, in tentatione periclitantem tẽtanti respondere*. pulchrè vocat terribilem illam horam, ac tempus, quo tentamur, & periclitamur, cùm ex infirmitate turbamur. sed tamen salutem petamus, Dei voluntatem nostræ præponamus, & eius gloriam, & honorem quæramus, dicamusq; *pater, saluifica me, clarifica nomen tuum.*

In tentatione quæ vox vsurpanda.

6 *Clarifica nomen tuum.) Quid hoc est, nisi in sua passione, & resurrectione? vt clarificat in similibus seruorum suorum. sic dicitur Petro: Alius cinget te, & ducet quò tu non vis: quia significare voluit, qua morte glorificaturus esset Deum*. nempe potuisset alicui fortè videri maior Dei gloria, si Petrum eripuisset à Nerone miris prodigijs, sed ad Dei gloriã fecit gloriosa mors Martyrum. sequitur. *Venit vox de cælo; & clarificaui, & iterum clarificabo. Clarificaui cũ de Virgine natus est, &c.* egregiè ostendit in maximam Dei gloriã cessisse incarnationem ex Virgine. quantus inde splendor manauit in Virginem? & quod sequitur *alij dicebant tonitruum factum esse, alij, Angelus ei locutus est*: sanè Dei gloria prædicationis quasi tonitruo, & coruscatione Orbem impleuit; & Angeli, hoc est missi prędicatores sunt. *Iterum clarificabo, cum exaltabitur super cælos Deus, & super omnem terram gloria eius*. est certè mirum, quod supra dixit, Christum claritatem accepturum ex ipsa passione, scilicet cum tenebræ factæ sunt. *Clarifica nomen tuum. quid hoc est nisi in sua passione, & resurrectione?*

Mori pro Christo glorificatio Christi est.

Clarificatio Christi incarnatio ex Virgine.

Clarificatio Christi mundi conuersio

Ex tractatu LII. in Ioannem.

1 NVnc iudicium est Mundi: nunc princeps huius Mundi eijcietur foras.) Non illud iudicium intelligit, quod in fine venturum est; sed quia diabolus possidebat genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum, dominabatur in cordibus infidelium, per eius sanguinem multa millia credentium liberata sunt. Vide vim Christi sanguinis in eijciendo de possessione cordis humani diabolo. tum pulchrè sibi obijcit. Quid est; diabolus de credentium cordibus eijcitur foras; si adhuc tentare non cessat? sed alius est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. elegãter ostendit quàm debilitata vis hostis sit. extra mœnia nos oppugnat, qui arcem cordis tenebat. Addit. Quid aliud petimus, cum dicimus; Ne nos inferas in tẽtationem; nisi vt ille qui certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude superet, quantumlibet aduersus nos erigat machinas, quomodo non tenet locum cordis, vbi fides habitat, eiectus est foras. pulchrè indicat fidei quasi stationem militarem cor esse. ibi maximè sint excubię oportet.

Diaboli vires post Christum debilitatę

Cordis excubię agẽdę.

2 Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.) Non dixit, omnes, sed omnia; non enim omnium est fides, sed retulit ad creaturæ integritatem, idest spiritum, animam, & corpus. vel intelligamus omnia prædestinata ad salutem, vel certè omnia hominum genera. quia ex omni ætate, natione, ac professione. à rege vsque ad mendicum traham post me, vt sim caput eorum, & illi membra mea. Vide vt Christus in cruce magnetis instar fuerit, ad se, vel ferrea trahens corda; & quàm latè se eius pietas extendat ad omnes, æquando regibus seruos ad gloriam.

Christus à rege vsq; ad mẽdicos trahẽs ad se.

Ex tractatu LIII. in Ioannem.

1 EXplicat illud Esaiæ. Et brachium eius cui reuelatum est?) Sicut tuum brachium est, quo operaris; sic Dei brachium est Verbum, quia per eius Verbum Mundum operatus est. si tanta potestate praualeret homo, vt sine vllo motu corporis fieret quod diceret, brachium eius verbum eius esset. cauet tamen, ne putemus, sicut brachium non est altera persona ab eo, qui habet, ita filium eandem personam esse, ac patrem; nam & homo alterum hominem, per quem agere quicquam solet, brachium suum appellat. Vide igitur quam præstent diuina, vt humanis exprimi perfectè nullo modo queant.

Verbum Dei patris brachium

2 Ostendit quàm difficilis sit quæstio de præscientia Dei. De hac quæstione, vt competenter aliquid disputetur, & omnes eius latebrosissimi sinus excutiantur, vt dignum est, mearum virium esse non arbitror. quidam turbulente disceptatione contendunt, quæ culpa Iudæorum fuit, si necesse fuit vt sermo Esaiæ compleretur: Quis credidit auditui nostro, &c. quibus respondemus, Deum præsciũ futurorum prædixisse infidelitatem eorum, non fecisse. non enim propterea Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit, sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alij, sed ipsi peccant, quos peccaturos præsciuit. fecerunt ergo Iudæi peccatum, quod eos non compulit facere, sed facturos esse prædixit, quia nihil eum latet. & ideò si nõ malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberẽtur, & hoc facturi præuiderentur. Satis apertè, ac doctè ostendit, per præscientiam Dei libertatem hominis nõ tolli: tum declarat illud. Propterea non poterant credere, quia dicit Esaias, Excæcaui oculos eorum, &c. non poterant, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prænidit Deus; quod autem ait, excæcaui, &c. etiam hoc eorum voluntatem meruisse respõdet; sic enim excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. siuè ergo quando adiuuat, misericorditer facit. siue quando non adiuuat, iustè facit, quia omnia non temeritate, sed iudicio facit. ideò cum quæstiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, non nobis iudicium de iudicio tanti Iudicis vsurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo. O altitudo, &c. vnde dicitur in psalmo; Iudicia tua abyssus multa. non ergo me, fratres, ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam expectatio vestra charitatis impingat. altius est hoc incrementis meis, & fortius viribus meis, puto quia, & vestris. Vide quàm cautè, ac timidè tantus doctor de prædestinatione agat. quod & supra ingenuè fassus est. Non est mearum virium, vt competenter de hac quæstione disputetur. quod autem de Deo non adiuuante ait; non excludit sufficientem gratiam, sed peculiaria auxilia efficacia.

Prædestinatio inscrutabilis.

3 Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.) Eos improbat, qui in hoc ingressu fidei si proficerẽt, amorem quoq; humanæ gloriæ proficiendo superarent, quam superauerat Apostolus dicens. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri, &c. ad hoc enim, & ipse Dominus crucem suam, vbi eum dementia superbæ impietatis irrisit, in credentium frontibus fixit, vbi est quodammodo sedes verecundiæ, vt de nomine eius fidei non erubescat, & magis Dei gloriam, quàm hominum diligat. egregiè ostendit, cur crucis signo frontem maximè notemus, ne de cruce, hoc est de opprobrijs erubescamus

Cur frontem cruce signemus.

mus, sed ea quasi in gloriam cedant, vltrò præferamus palam.

Ex tractatu LIV. & LV. in Ioan.

Pater dicitur vt uerax, Cnritus vt veritas

1 *Sicut dixit mihi pater, sic loquor.) hoc est verum loquor. ille dixit, vt verax, istè loquitur vt veritas: verax genuit veritatem. porrò ipsa veritas sic loquitur, vt ei dictū est, sed intelligentibus, quos docet vt nata est. vt autem crederent homines, quod intelligere non dum valent, ex ore carnis verba sonuerunt. sed intelligentibus mentibus veritas intus loquitur, sine sono instruit, &c.* eleganter dictum, ac scitè de spiritali intelligentia, quæ intus in corde fit, licet foris accepta. præclarè quoq; dictum. *pater dicitur verax, filius loquitur vt veritas. verax genuit veritatem.*

Pascha idest trāsitus ad quem trāsitum spectet.

2 *Ante diem festum Pascha.) Hebraicè pascha transitus dicitur. nos Christi agni sanguine illitis postibus nostris; idest signo crucis signatis frontibus, tanquam ab interemptione Aegyptorum liberati ad Deum permanentem transimus, ne cum Mundo transeunte transeamus.* pulchrè dictum, nos transitum celebrare, ne inaniter transeamus, sed Deum permanentem requiramus.

3 *In finem dilexit eos.) Non sic debet accipi, tanquam vsq; ad mortem dilexerit suos, qui semper, & sine fine nos diligit, vt dilectionem morte finierit, qui non est in morte finitus; etiam post mortem quinque fratres suos dilexit diues ille superbus, & impius: nisi forte sit intelligendum, in finem dilexit eos, idest vsq; ad mortem; qui tantum dilexit eos, vt pro eis moreretur: vsq; ad mortem illum dilectio perduxit.* Notabile est quod indicat, eum, qui uiuens fratres odit, peiorem esse damnatis post mortem: ac fortasse ob eius dilectionis fraternæ licet inutilis, titulum, Abraham etsi damnatum tam piè compellauit, *fili*.

Christus voluntarie se Iudæ tradidit.

4 *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.) ergo & ipsum traditorem. proinde traditor iam traditus erat ei, quem tradere cupiebat.* acutè hoc notatum, nam proditores post scelus traduntur ei, quem prodiderunt; at Christo traditus est à patre proditor ante quàm traderet, ut de illo ageret quod liberet: poterat non modò impedire, sed ulcisci, piè tamen tolerauit.

Cur Iudæ pedes Christus lauerit.

5 *Cœpit lauare pedes.) Cum illi omnia pater dedisset in manus, discipulorum non manus sed pedes lauit. & cum sciret à Deo exisse, & ad Deum pergere, non Domini Dei, sed hominis serui impleuit officium; & hoc quoque ad maximum humilitatis cumulum accessit, quod etiam illi non est dedignatus pedes lauare, cuius manus præuidebat in scelere.* pulchrè per antithesim rem exaggerat. manibus illis præpotentibus, & dominatricibus non manus, sed pedes discipulorum lauit; immò eius pedes, cuius manus proditrices, & cruentas, præsciebat in se.

Christi humilitas in lotione pedum.

6 *Misit aquam in peluim.) Quid mirum si misit aquam in peluim, vt lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum.* pulchrè hoc dictum. aquam in peluim & concham, sed sanguinem fudit in terram, quantò hoc maius? lauit sordidiorem animum. Addit: *Quid mirum si præcinxit se linteo, qui formam serui accipiens, habitu est inuentus, vt homo? qui crucifigendus suis expoliatus est vestibus, & mortuus inuolutus est linteis.* Tum ita concludit. *planè homo superbus in æternum periret, nisi illum Deus humilis inueniret.* præclara vox de modo nostræ salutis arcano.

Ex tractatu LVI. in Ioannem.

Petrus inter amorē & metum anxius in pedum lotione.

1 *Tu mihi lauas pedes?) Tu mihi; quid est, tu? quid est, mihi? cogitanda sunt potius quàm dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.* Nempe ostendit magnam vim, & inexplicabilem inesse in duabus his uocibus. Sequitur; *Non habebis partem mecum.* ægrum reluctantem de ipsius periculo salutis exterret, *at ille & amore, & timore perturbatus, plus expauescens Christum sibi negari, quàm vsque ad pedes suos humiliari, non tantùm, inquit, pedes sed & caput.* pulchrè ægrum, & inter timoris, atque amoris æstum iactatum Petrum facit.

Nemo vsquequaque mundus est.

2 *Qui lotus est, non habet opus, nisi pedes lauare, sed est mundus totus.) Sed si mundus totus, quid opus pedes lauare? quid hoc putatis, nisi quia homo in sancto quidem baptismo totus abluitur, veruntamen cum in rebus humanis postea viuitur, vtique terra calcatur; ipsi igitur humani affectus quasi pedes sunt; quotidie igitur opus habemus, vt pedes lauemus. hinc illud in Cans. laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? dicit hoc sponsa, cum cogitur ad Christum venire, & terram calcare conuenit.* Nota vt in ipsis rebus spiritualibus tractandis aliquid pulueris contrahamus nostra fragilitate, & quotidie examine sit opus. Xauerius quidē noster, licet totus penè cælestis, quotidie tamen confiteri solitus. certè sponsa vocata properabat ad sponsum, tamen terram calcando puluerem timebat. quod si in diuinis ipsis rebus tractandis vitium irrepens locum inuenit, quid in Mundi negotijs? uerè igitur dictum. *Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ.*

Ex

Ex tractatu LVII. in Ioannem.

1 Difficile esse ostendit, prædicatorē, etiam si munus illud pium sit, nō contrahere humanæ iactantiæ sordes. *Spōsus pulsat ad ianuam, & dicit: Aperi mihi, &c. & respondet illa: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? ergo timet inquinare pedes veniendo ad illum, qui lauit pedes discipulorum? timet sanè, quia per terram venit ad eum. in eis hoc dicit, qui prædicant Christum, & aperiunt illi ostium. tutiùs veritas auditur quàm prædicatur, quia cum auditur, humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non subrepit cuiuis hominum quantulacumque iactantia, in qua vtique inquinentur pedes.* Vide quàm cauti esse debeamus, ne plausibus aures demus. acutè autem ostendit cur periculum sit in oratore, non in auditore: quia hic pœnitentis obtinet locum, ille eloquentis.

Etiam iusti aliquid contrahūt pulueris.

Periculū cōcionatoris quantum sit.

2 De Christi præsētia in terris sic: *De se ait; ecce ego vobiscum sum vsq; ad consumationem seculi: idem ait; Videbitis cœlos apertos, & Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis. si ascendūt ad eum propterea, quia sursum est; quomodo ad eum descendunt, si etiam non hic est?* huc refer & Angelos illos scalæ Iacob. facit hoc ad Eucharistiam, in qua idem, qui in cœlis est ad dexteram patris. narrat Chrysostomus visos Angelos inter sacra miris obsequijs ministrantes. quantum hoc venerationis exquirit à nobis?

Christi præsentia in Cœlo, & Eucharistia.

3 De vita cōtēplatiua sic. *Qui alios libēter audit, ac piè, non habet locū iactandi se in laboribus alienis. proinde in eis, qui vitam quietam in studijs dulcibus, & salubribus agunt, catholica delitietur Ecclesia, & dicat: ego dormio, & cor meum vigilat; hoc est requiesco à negotiosis actibus, & animus meus diuinis se intendit affectibus.* pulchrè ait, Ecclesiam delitiari in contemplatiuis viris. sed addit, cum opus est, ad actiuam vitam recurrendum. *Dum in his, qui suauiter, & humiliter requiescunt, oblectatur Ecclesia, ecce vox pulsantis ad ianuam. Aperi mihi soror mea, &c. quia caput meum repletum est rore, & crines mei guttis noctiū. hoc est tu vacas, & cōtra me ostium clausum est. tu studes otio paucorum, & abundante iniquitate refrigescit charitas multorum: nox quippe iniquitas est; ros verò, & eius guttæ hi sunt, qui refrigescunt, & cadunt, & faciūt refrigescere caput Christi, hoc est vt non ametur Deus. pulsat ergo vt excutiat quietem sanctis otiosis, & clamat: Aperi mihi, de sanguine meo soror mea de accessu meo proxima mea, de spiritu meo columba mea: de sermone meo perfecta mea; & Aperi mihi: prædica me ad eos, qui clauserunt contra me; quomodo enim audient sine prædicante? quomodo intrabo sine aperiente? sed ecce surgo, & aperio, sed quando prædicamus, terram calcamus. si reprehēdimur, perturbamur, si laudamur, inflamur. laua Domine pedes nostros.* Vide primò, vt vita ipsa contemplatrix in Ecclesię necessitatibus descendat ad actionem. ità Basilius, & Gregorius, & alij hæresum tempore fecerunt, & noster Ignatius hoc spectauit, Luthero Ecclesiā perturbantę. deinde vide quàm cautè agendum prædicatori sit, ne si defectus aliquis in concionando notetur, molestè ferat; aut si plausibus excipiatur, inflertur. lauentur igitur pedes, hoc est mūdentur affectus, vt verè dici possit. *Quam pulchri pedes euangelizantium?*

Cōtēplationi cōiūgēda actio.

Vita actiua quam sit vtilis Ecclesię.

Ex tract. LVIII. & LIX. in Ioan.

1 *Exemplum dedi vobis, &c.) Magna est commendatio humilitatis, & faciunt sibi hoc inuicem fratres, cum se hospitio recipiunt. est enim apud plerosque consuetudo huius humilitatis, vnde & Apostolus: Si hospitio, inquit, recipit, si sanctorum pedes lauit. & apud sanctos vbicumque hæc consuetudo non est: quod manu non faciunt, corde faciunt. multò autem melius est, vt & manibus fiat; cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso excitatur humilitatis affectus.* Vide quàm vtilis sit ad internum affectum excitandum exterior actio. est autem hæc consuetudo etiam apud nostros hospitum fratrum pedes lauandi.

Hospitalitas commendatur

2 *Qui manducat meum panem, leuabit super me calcaneum.) hoc quid est aliud nisi me conculcabit?* Vide impietatem Iudæ, ijs ipsis pedibus, quos Dominus abluere dignatus erat, conculcare eum est ausus. sed de pane mentio; quod iniuriam magnam indicat eorum, qui Eucharisticum panem indignè sumunt. itaque sic addit. *ceteri Apostoli manducabant panem Dominum, Iudas panem Domini contra Dominum; illi vitam, hic pœnam; qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat.* eleganter, & pulchrè dictum. *ceteri Apostoli manducabant panem Dominum: Iudas panem Domini contra Dominum.*

Eucharistiam indignè sumere quantū scelus.

Ex tractatu LX. in Ioannem.

1 *Turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amē dico vobis, quia vnus ex vobis me traditurus est.) Sicut supra dixit: Anima mea turbata est, pater salua me ex hac hora, scilicet passionis. appropinquante tanto scelere proditoris, turbatur ingens potestas, an potius in eo nostra infirmitas?*

tas? qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, ita transfigurauit in se effectum infirmitatis nostræ, cõpatiens nobis affectu animæ suæ. proinde quãdo turbatur fortis, inuictus, non ei timeamus quasi deficiat. non perit, sed nos quærit. qui non turbaretur, nisi volens, eum consolatur, qui turbatur & nolens. pulchrè ostendit quomodo Christus sponte transfuderit in suam carnem infirmitatem nostram, sicut contra in nostram carnẽ transfundet gloriam suã. Tum contra Stoicos inuehitur, qui stuporem, & insensibilitatem in sapiẽte ponebant. *Turbatur planè animus Christianus, non miseria, sed misericordia, timeat, ne pereant homines Christo; contristetur, cum perit aliquis Christo. concupiscat acquirere homines Christo. lætetur, cum acquiruntur homines Christo. timeat, ne sibi pereat, & Christo. contristetur se peregrinari à Christo. concupiscat regnare cum Christo. lætetur dum sperat, se regnaturum esse cum Christo: istæ sunt quatuor, quas perturbationes vocant: timor, tristitia, amor, lætitia. habeant eas iustis de causis animi Christiani; nec Stoicorum consentiãtur errori, qui stuporem deputant sanitatem*. Vide vt affectus animi exercere debeamus in ijs, quæ ad Dei gloriam spectent, præsertim circa salutem animarum. Tum pulchrè cõcludit à minori ad maius. *Quantum igitur bonum de participatione diuinitatis eius expectare, & sperare debemus, cuius nos ipsa perturbatio tranquillat, & infirmitas firmat? siuè ergo propter Iudam pereuntem miserando turbatus est, siuè sua morte propinquante, non est dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatũ. quod euidenter expressum est, cum Lazarum suscitauit; nam ibi scriptum est, quod turbauerit semetipsum*. idest vltrò. notabile est quod ait, turbationem illam ob Iudæ interitũ fuisse: *propter Iudã pereuntẽ miserando turbatus est*. proh pietas ineffabilis, inter tantam suæ mortis acerbissimę materiam turbationis, admittere voluit & hãc de sui proditoris interitu, cum intimo affectu dolendo, vt foras etiam exprimere oportuerit.

Affectiones animi ad vsũ bonũ datæ.

Ex tractatu LXI. & LXII. in Ioan.

1 E*Rat recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu.*) *Non ait, eram recumbens in sinu Iesu; quid enim deperit veritati, quando & res ipsa dicitur, & modo quodam dicendi iactantia deuitatur? hoc quippe narrabat, quod ad eius laudem maximam pertinebat. sic Paulus: scio, inquit, hominem in Christo, &c.* Nota vel vmbram iactantiæ fugiendam; & confer raptum Pauli in paradisum, vbi audiuit arcana verba; & Ioannem admissum ad pectus Christi. *per sinum quippe quid aliud significatur quàm secretum?* quasi Ioannes à secretis Christi esset. nẽpè huic licuit loqui quod inenarrabile est. *In principio erat Verbum, &c.*

Etiam vmbra iactãtię fugienda.

2 De Iuda sic. *Post panem tunc introiuit in illum Satanas. Docemur quàm sit cauendum male accipere bonum. malorum quippe interest nõ quid accipiat, sed quis accipiat; nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. datur Iudæ panis Christi, per quem manciparetur Satanæ; e contrariò datur Paulo Angelus Satanæ, per quem perficeretur in Christo*. Vides discrimen in recipiente attendi. & acutè distinguit inter Iudam, & Paulum. ille defecit, vnde potuit proficere, hic profecit, vnde potuit deficere.

Iudas ex beneficio deficit cõtra quam Paulus.

2 *Tunc intrauit in illum Satanas.*) *Intrauit post hunc panem in Domini traditorem, vt sibi iam traditum plenius possideret, in quẽ prius intrauerat, vt deciperet, cum Lucas apertissimè dicat. Intrauit autem Satanas in Iudam, & abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, &c. prius ergo intrauerat immittendo in cor eius cogitationem tradendi.* notabile est hoc, quia Iudas aditum dedit diabolo semel, ausus hic intrare iterum. panem autem illum intinctum alium fuisse dicit ab Eucharistico, quem vnà cum alijs acceperat. de hoc sic mysticè. *fortasse per panis intinctionem Iudæ significat fictionem, non enim omnia, quæ tinguntur abluũtur, sed vt inficiantur, nonnulla tinguntur.* acutè dictum, nam tingere aliquando est alium colorem accipere à natiuo. Addit. *si autem boni aliquid hic significat tinctio, eidem bono ingratum non immerito est secuta damnatio. homini ingrato intrat panis in ventrem, hostis in mentem. tanti mali in corde concepti plenus restabat effectus, cui iam præcesserat damnandus affectus. Dominus panis viuus panem mortuo tradit, & panem tradendo panis traditorem ostendit*. eleganter per antitheta rem declarat, & ingratitudinem carpit, *homini ingrato intrat panis in ventrem, hostis in mentem.*

Diabolo occludendus aditus est.

Ingratitudo Iudæ carpitur.

4. *Quod facis, fac citius.*) *Non præcipit facinus, sed prædicit. O verbum libentius parati ad passionem, quàm irati ad vindictam. ò verbum non tam pœnam exprimens venditoris, quàm mercem significans Redemptoris. quod facis, fac citius, non tam in perniciem perfidi sæuiendo, quàm ad salutem fidelium festinando*. meritò exaggerat promptitudinem Christi ad mortem. Tum explicat illud Pauli: *Qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me. Nisi se traderet Christus, nemo traderet Christum. Iudas agebat negotium suæ venditionis, Christus nostræ redemptionis.* vide quanta negotiorum dissimilitudo, & admirare Christi pietatem.

Christi ad mortẽ prõptitudo.

5 *Exijt continuò, erat autem nox.*) *Et ipse Iudas, qui exiuit, erat nox. cum ergo*

exis-

Iudas nocti comparatus.

exisset nox, ait Iesus, Nunc clarificatus est filius hominis. dies ergo diei eructauit verbum; id est Christus discipulis fidelibus, vt audirent eum, & amarent sequendo, & nox nocti annunciauit scientiam, id est Iudas Iudaeis infidelibus, vt eum apprehenderent persequendo. acutè illud dictum, cum Iudas exisset quasi nox, vtpote possessus à principe tenebrarum, lux subsecuta est, nã statim additur. *nunc clarificatus est filius hominis.* scilicet exeunte nocte apparet claritas diei. & vide quando se dicat clarificatũ, cũ à nocte traditus est nocti, hoc est à Iuda tenebricosæ genti Iudæorũ. sed quasi nihil aut parum antea clarificatus esset stella Magorum, ac tot signis, cum dat initium passioni, tunc se clarificatum dicit. vide sequentia.

Ex tract. LXIII. & LXIV. in Ioan.

1 N*Vnc clarificatus est filius hominis.) Quid ait redemptor? cum exisset venditor, tunc clarificatus est. cum iam impendet vt alligetur vt condemnetur, vt irrideatur vt crucifigatur. haec ne est clarificatio an humiliatio? nonnè cum miracula faciebat, dicitur; Spiritus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus? tunc ergo nondum erat glorificatus, sed cũ morti appropinquaret?* pulchrè rationem miræ propositionis ostendit ex antithetis; tum in hoc mysterium agnoscit: *Mirum si hoc Deus ille magister significabat. video aliquid, quod praefigurabat, magnum aliquid. Exijt Iudas, & clarificatus est Iesus. exeunte immundo, omnes mundi cum suo mundatore manserunt. tale aliquid erit cum victus à Christo transiet hic Mundus, & nemo in populo Christi remanebit immundus, & iusti fulgebunt sicut Sol. significata est igitur glorificatio eius, quando separatis iniquis, manebit in aeternitate cum Sanctis.* Nota primò; si initiũ ipsum, & accessus ad passionem, dicitur glorificatio, quid ipsa passio? deinde vide, vt Christi passio referatur statim ad gloriam beatorum, quia eius merito danda.

Christi passio & sua & nostra glorificatio est.

2 *Quò ego vado, non potestis venire, & vobis dico modò.) Cum hoc dicebat Iudais, non addidit, modò. nam isti venire postea poterant, sicut Petro ait. Quò ego vado, non potes modò me sequi, sequeris autem postea. moriturum quippe Dominum, quomodo cum erant secuturi nondum martyrio maturi? aut iturum ad immortalitatem carnis morituri? aut iturum ad sinum patris, cum esse nemo possit in illa felicitate nisi perfectus in charitate?* Nota quantum perfectionis exigatur ad sequendum Christum, siue affectes martyrium, siue gloriã cœlestem, cum ad neutrum horum essent adhuc idonei Apostoli ipsi, licet versati cũ Domino ante mortẽ ipsius, & missionẽ Spiritus sancti, per quæ virtutis plenitudinẽ acciperẽt

Quanta perfectio in Martyrio requiratur.

Ex tractatu LXV. in Ioannem.

1 M*Andatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.) Hac dilectio innouat gentes, & ex diuerso genere humano, quod diffunditur toto Orbe terrarum, facit, & colligit populum, nouum corpus nouae nuptae, & vnigeniti Dei sponsa, de qua dicitur in Cant. Quae est ista, quae ascendit dealbata? quia innouata. unde, nisi mandato nouo? nouum, inquit, non sicut se diligunt homines, quando homines sunt, sed sicut se diligunt, quando Dij sunt, & filij altissimi omnes, vt sint filij eius vnici fratres, ea dilectione inuicem diligentes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad beatum fi[n]em, qui non habet finem. hoc nobis conf[e]rt diligendo nos, vt mutua dilectione constringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis simus.* nempè sicut membra nisi inter se nexa, & constricta sint, non faciunt validum corpus, ita nec in Christo capite benè vnimur sine charitate. nota etiam finem diligendi proximum esse eius salutem; & vide quàm sublimi perf[e]ctione hoc agendum: non humano more diligendum ait, sed quodammodo vt inter Deos. & ideò dealbatam puto dici sponsam, ob candorem videlicet puræ dilectionis.

Dilectio proximi quam perfecta esse debeat.

2 Explicat illud Cant. *Fortis est vt mors dilectio.) Ipsa dilectio est mors nostra saeculo, & vita cum Deo: si enim mors est, cum de corpore anima exit, quomodo non est mors, cum de Mundo amor noster exit? valida est ergo sicut mors dilectio, quid enim ea validius, qua vincitur Mundus?* vide in quo sit posita veræ dilectionis fortitudo virilis. hoc autem ad religiosos in primis spectat, vt sicut corpore exiuimus è Mundo, sic *de Mundo amor noster exeat.* Tum sic eleganter. *O sponsa Christi, ò dealbata, ascendens & incumbens super fratruelem tuum, quia cuius lumine illustraris, vt candeas, eius adiutorio fulciris, ne cadas. O quàm benè cantatur in illo epithalamio tuo, quia charitas in delitijs tuis. sicut mors valida est; & in delitijs tuis est. quàm mirandi generis mors est? cui parum fuit non esse in poenis, nisi esset insuper in delicijs?* pulchrè dilectionis natura ostenditu[r] mira; quæ cũ vita sit animæ, morti a[ssim]ilatur; & cũ mors pœnalis sit, ipsa est in deliciis. deliciatur igitur qui diligit, & tamen fortis est, nõ mollis, Mũdi victor. deniq; sãctã & purã esse debere dilectionẽ proximi, colligit ex eo. *sicut dilexi vos. quid n. ipse nisi Deũ dilexit in nobis? vt perduceret nos vbi sit Deus omnia in omnibus.* hinc est, vt cũ di

Amor cur dicatur fortis vt mors.

cit, inuicē diligatis, includat et dilectionē Dei: *Nam qui sanctè, ac spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum?*

Ex tractatu LXVI. in Ioannem.

Petri confidentia visa à Christo repressa.

1 *SEqueris autem postea.) Voluntatem suam iactabat infirmus, sed medicus valetudinem pranoscebat. nondum pro se posita anima Christi, animam suam pollicetur se positurum esse pro Christo. ita nè facies pro me quod non ego nondum feci pro te? animam tuam pro me pones? præire potes, qui sequi non potes? quid tantum præsumis? qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. qui te iam putas mori posse pro me, prius viue pro te: quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* pulcher, & elegans dialogismus ex antithetis constans, quo ostendit nihil de se præsumendum. Addit inanē esse excusationem eorum, qui dicunt Petrum non negasse ipsum Christum. *Quia interrogatus ab ancilla respondit, non noui hominem, quasi verò qui hominem Christū negat, non Christum neget & hoc in ipso neget quod factum est propter nos. certè Christus ipse ait: ter me negabis.* hoc ait, non quod Apostolum accusare libeat, sed nequisquam de se præsumat. ceterùm. *Ipse Petrus suos redarguit defensores, & vnde eos conuincat, producit lacrymas testes.* eleganter dictum: quasi reum se sistit ipse; lacrymas contra se citat, quasi testes negationis; defendi non vult. Addit acutè, Petrū assecutum esse quod optabat, sed aliter ac putabat; nam *ante mortem, & resurrectionem Domini, & mortuus est negando, & reuixit plorando. sed mortuus, quia superbè præsumpsit; reuixit autem quia benignè ille respexit.* vide vim miram, vt lacrymæ ex dolore elicitę viuificent. vidè etiam quàm zelator esset Christus suę mortis pro nobis, vt quia Petrus volebat mori pro ipso antequam ipse moreretur pro illo, permiserit tantum facinus, labi Apostolorum columen; quasi palmam sibi præripere conantem.

Christum zelus de Petro suā mortem præcedere volēte.

Ex tract. LXVII. & LXVIII. in Io.

Varij gloriæ gradus in sāctis.

1 *IN domo patris mei mansiones multæ sunt.) Denarius ille quidem communis est omnibus, hoc est vita æterna, vbi amplius alio nemo viuit; sed multæ mansiones diuersas meritorum significant dignitatēs; alia enim est gloria Solis, alia Lunæ, alia stellarum, & stella differt à stella in claritate. proinde respuendi sunt, qui putant, ideò dictum esse plures mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid, vbi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt: non ait Dominus, in vniuerso Mundo, sed in domo patris mei. absit vt regiæ domus pars aliqua non sit in regno.* acutè dictum, & rectè notat vel infantes sine baptismo à beatitate excludi. Vide autē quàm præclara sit illa domus, cuius incolę aut Solis claritatem, aut aliarum stellarum habent. quàm vilis præ hac illa Neronis domus, quam auream appellauit, & stellis fictitijs insigniuit.

Quæ Deus præparauit prędestinando, præparat.

2 *Vado parare vobis locum.) Quomodo parat locum, si iam multæ mansiones sunt? nempe mansiones præparauit, & præparat; fecit, quæ futura sunt. quas præparauit prædestinando, præparat operando. parat quodammodo mansiones, parando mansiones.* acutè quærit, cur dicat se locum paraturū si iam locus est? nempe opus ipsum prædestinationi respondet. sic inquit, *elegit prædestinando ante Mundi constitutionem, elegit vocando ante Mundi consummationem.*

Fides beatitudinis præparatio.

3 *Si abiero, & præparavero vobis locum.) Quid est, quod, vt præpararet, abijt? cū profectò nos ipsos præpararet, quod non faciet, si reliquerit. nimirum locus paratur, si ex fide viuatur. credatur, desideretur, vt desideratus habeatur.* pulchrè obijcit; cum præparatio sit nostra dispositio, quæ fit vtique eius præsentia, cur abire se dicat? nimirum quia præparatio per fidem fit. itaque concludit. *eat ergo, & lateat, vt credatur.*

Christi assistentia in cœlo & in terra.

4 *Vado parare, &c.) Quid est quod vadis? quid est quod venis? si te bene intelligo, nec vnde vadis, nec vnde venis, recedis. vadis latendo, venis apparendo; sed nisi maneas regendo, vt proficiamus bene viuendo, quomodo parabitur locus, vbi manere possimus perfruendo?* eleganter ostendit, Christum vt Deum vbique assistere, & eius diuina præsentia, & auxilio opus esse.

Ex tractatu LXIX. in Ioannem.

Christi diuinitas ostēditur.

1 *EGo sum via, veritas, & vita.) Ibat ad veritatem, ibat ad vitam. ipse igitur ad se ipsum per se ipsum, nos ad ipsum per ipsum, immo verò ad patrem & ipse, & nos. quis hoc capit, nisi qui spiritaliter sapit?* acutè dictum, quod & sic explicat. *Verbum caro factum per se ipsum, scilicet per carnem. ad veritatem quod est ipse, remeauit. ecce ego ipse si taceo, apud me ipsum sum; si autem loquor, quodammodo ad vos procedo, nec me relinquo, &c.*

Ex tract. LXX. & LXXI. in Ioan.

1 *VIdet et patrē meū.) Nō quod ipse sit pater, et filius, q in Sabellianis, q vocātur Patripassiani, catholica fides dānat, sed*

quod

quod tam similes sint pater, & filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit. nam nisi duo essent pater, & filius, non dictum esset, si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis. acutè conuincit. hi hæretici nomina tantùm putabant, nec distinguebant personas.

Verborũ Christi fructus fides.

2 *Et maiora horum facient.) Quæ sunt tandem ista maiora? an fortè quod ægros ipsis transeuntibus etiam eorum vmbra sanabat? sed cum ista dicebat, verborum suorum opera commendabat dicens; Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipsò non loquor, &c. verborum fructus fides erat; euangelizantibus discipulis non pauci, sed gentes crediderunt,* sed hoc non sine ipso: notabile est quod ait de gentium conuersione, quæ miraculis vel magnis anteponitur; quæ tamen in Xauerio fuere plurima.

Ex tract. LXXII. & LXXIII. in Io

1 *QVi credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.) Non igitur credit, qui non faciet? quid est hoc, nisi quia ipsum credere in Christo, opus est Christi? hoc operatur in nobis non vtique sine nobis. quæ opera faciet, nisi vt ex impio iustus fiat? & maiora horum: quorum obsecro? nunquid omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore & tremore suam ipsius salutem operatur? prorsus hoc maius esse dixerim, quàm est cœlum, & terra, & quæcumque ibi cernuntur; nam in illis tantùm opera Dei, in his autem etiam est imago Dei.* acutè ostendit, Deum cooperari nobiscum. *opera quæ ego facio, & ipse faciet.* Tum vide quanti ponderis sit incumbere ad salutem animarũ, quod omnium maximum opus sit. Addit. *Sed & in cœlis, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli opera sunt Christi. nunquid etiam his operibus maiora facit, qui operante in se Christo cooperatur salutem æternam, ac iustificationem suam? non hic audeo præcipitare sententiam vtrùm maius sit iustos creare, quàm impios iustificare; certè enim si æqualis est vtrumque potentia, hoc maioris est misericordiæ.* pulchrè exaggerat inter omnia opera eminere iustificationem impij. quis hæc legẽs non accendatur ad cooperandum animarum saluti?

Iustificatio impij quàm admirandũ opus sit.

Pietatis Dei est aliquãdo non exaudiri à Deo.

2 *Quodcumque petieritis, &c.) Quid est quodcumque, cum videamus plerumque fideles petere, & non accipere? nimirum male vsurus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. proinde si ab hoc illud petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.* vide vt pietatis Dei sit aliquando non indulgere. *nam si faceret quod contra salutem petitur, non faceret vt Saluator, quod nomen eius est.* nota, acutè ostendit, cum dicit *quicquid petieritis in nomine meo*, hoc est Saluatoris, ostendit ea esse petenda, quæ ad salutem faciunt. Concludit. *Ideò dicimus: Ne nos inducas in tentationem. non enim parua est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio.* egregiè dictum, petere, quæ contra salutem sunt, non ad sanctimoniam, sed ad tentationem potius pertinere.

Ex tract. LXXIV. & LXXV. in Io

1 *ROgabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis.) Quomodo hoc dicit de Spiritu sancto, quem nisi habeamus, diligere non valemus? aut quomodo mandata seruabimus, vt eum accipiamus, quem nisi habeamus, mandata seruare non possumus? sed intelligamus, Spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri, vt plus habeat, & plus habendo plus diligat.* habebant antea Apostoli Spiritum sanctum, sed occultè, & non in ea plenitudine: nam post resurrectionem insufflauit in eos, & iterum post ascensionem misit. sed cur bis facta donatio? *fortassis propter duo præcepta dilectionis, proximi, et Dei, vt commendaretur ad Spiritum sanctum pertinere dilectio* Quod autem ea donatio in alijs præter Christum sit ad mensuram, aut maior, aut minor, patere dicit ex eo, quia Eliseus dicit Eliæ, *Spiritus, qui est in te, duplex fiat in me.* vbi nota auiditatem huius doni in Eliseo. acutè autem adnotat differentiam inter Christum, & ceteros iustos; quia Eliseus non est ausus petere spiritum absolutè, sed duplicem, hoc est ad mensuram.

Spiritus sanctus ceteris ad mẽsuram datus Christo non item

2 *Qui diligit me, diligetur à patre meo & ego diligam eum.) Quid est diligam? tanquam tunc dilecturus sit? aut quomodo filius sine patre diligeret, cum inseparabiliter operentur? sed diligam, inquit, & manifestabo ei me ipsum; ad hoc diligam, vt manifestem, nunc enim ad hoc dilexit, vt credamus; tunc ad hoc diliget, vt videamus, & ipsa visione mercedem fidei capiamus.* acutè notatum de vtraque dilectione Christi erga genus humanum; tum in fide, tum in re. pulchrè autem appellat. *Dei visionem mercedem fidei.*

Fidei merces Dei visio.

Ex tract. LXXVI. & LXXVI in Io

1 *COgnoscetis, quia apud vos manebit.) Ecce facit in Sanctis cum patre, & filio, sanctus quoque Spiritus mansionem intus vtique tanquam Deus in templo suo. veniunt ad nos, dum venimus ad eos. veniunt subueniendo, venimus obediendo, ve-*

Trinitas personarum in vnitate naturę.

niunt illuminando, venimus intuendo, vt in nobis non sit contra transitoria mansio. Habes, vt Spiritus sanctus Deus sit; nã non nisi Deo tẽpla debentur. ita cũ Paulus dicat: *Vos estis templum Dei.* dicit etiam, *Nescitis quia corpora vestra templum sũt Spiritus sancti?* Veniemus, inquit, ob tres personas; mansionem faciemus, vnam scilicet, quia una natura. acutè Trinitatem personarum agnoscit in vnitate naturæ.

Duplex iusti pax quæ sit.

2 *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.) Cur hic addit, meam? an eam voluit intelligi, qualem habet ipse? pax verò ista, quam nobis reliquit in hoc sæculo nostra est potius dicenda, quàm ipsius. est in nobis pax aliqua, quando condelectamur legi Dei secundùm interiorem hominem, sed non est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem. si tenuerimus vsque in finem qualem accepimus, qualem habet, habebimus, vbi nihil repugnet ex nobis.* egregiè adnotat de duplici pace, altera nostra, licet per ipsũ, in hoc sæculo; altera perfecta in patria; cũ similes ei erimus

Ex tract. LXXVIII. & LXXIX. in Ioannem.

Æqualitas filij cum patre Deo.

1 P*Ater maior me est.) Quid igitur, hæretice? cum Christus Deus sit, & homo, loquitur vt homo, & iam calumniaris Deo? ingrate, ideo nè tu minuis eum, qui fecit te, quia dicit ille, quid factus sit pro te?* acutè Arium carpit; nam vnde Christo plus debuit, quod hominis formam susceperit pro nobis, inde materiam sumpsit ei conuiciandi. quò referri illud potest: *Væ qui conuertitis dulce in amarum.*

Princeps mundanorum diabolus.

2 *Venit princeps Mundi huius.) Non quod cœli, & terræ, & eorum, quæ in eis sunt, diabolus gerat principatum; vniuersus enim Mundus creatori est subditus, non desertori; sed ostendit Mundi istius amatores.* hinc collige mentitum diabolum, cum obtulit omnia regna Mundi quasi sua, & in ipsius dispositione posita. mundani quidem ab ipso possidentur, quia vltro hi se subdiderunt.

Fides mortua reuixit vna cum Christo.

3 *Vt cum factum fuerit, credatis.) Et ante credebant. sed fides, quæ cum moreretur, erat penè iam nulla, reuixit, & creuit, cum viderunt post mortem viuentem, & ad patrem ascendentem.* Vides fructũ resurrectionis, & ascẽsionis. reuixit Christus, reuixit & fides

Ex trac. LXXX. & LXXXI. in Io.

1 I*Am mundi estis propter sermonem, etc.) Ecce, & ipse mũdator est palmitũ, quod est agricolæ officium. ego plantaui, ait Paulus, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit. excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam sublimitatem, nec omninò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatẽ. Iam vos mundi estis; neque enim aliter fructum ferre potuissent, & tamen omnem, qui fert fructum, purgat agricola, vt fructum plus afferat. quis enim est in hac vita sic mundus, vt non sit magis mundanus?* eleganter dictum de progressu in bonum, & de Trinitatis agricultura in animo nostro, in quo tres personæ conspirãt ad viriditatem, ad flores & fructus. huc refer illud eiusdem Pauli. *Dei agricultura estis.* quantus honos terræ cordis nostri sub tanto colono? si pro magna re dictum est cultam aliquando terram à Romano Imperatore vomere laureato.

Trinitas agricola cordis nostri.

2 *Sicut palmes arescet, &c.) Vitis ligna, vt est apud Ezechielem, præcisa nullis agricolarum vsibus, nullis fabrilibus operibus deputantur. vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; vt in igne non sit, in vite sit.* nẽpè hominem aut æterna fœlicitas manet, aut æterna damnatio, nihil medium.

Hominem aut æterna felicitas, aut æterna damnatio manet.

Ex tract. LXXXII. & LXXXIII. in Ioannem.

1 I*N hoc glorificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis.) græcè verbum est.* δοξάζειν. δόξα *autẽ gloria dicitur; nihil igitur gloriæ nostræ tribuamus, tanquam aliquid ex nobis ipsis habeamus; est enim hæc gratia, & ideo in hoc non nostra, sed eius est gloria.* vulgata habet; clarificatus est, græcè glorificatus. quod excultus ager fructificet, gloria non nisi coloni est. agnosce hic Ignatij pietatem, qui omnia ad maiorem Dei gloriam referebat.

Dei gloria in omnibus spectanda.

2 De charitate sic. *Dæmon credit, nec diligit. nemo potest desperare qui diligit. vbi dilectio est, ibi necessariò, & fides, & spes est.* Vides, contra Originis sententiã, vt de diabolo desperatum negotium sit, quia charitas in eum cadere non potest.

Dilectio signum prædestinationis.

Ex tract. LXXXIV. in Ioannem.

1 E*Xplicat illud prou. Si sedeas cœnare ad mensam potentis, considerans intellige quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam, sciens quia te talia oportet præparare.) Quæ mensa est potentis, nisi vnde sumitur corpus, & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? & quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? & quid est considerare, & intelligere, nisi dignè tantam gratiam cogitare? & quid est talia præparare, nisi quia sicut pro nobis ille animam posuit suam, sic & nos debemus & nostram ponere? hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus, atque conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet vt quemadmodum ipsi,*

Præparatio ad Eucharistiã qualis.

ipsi, & nos talia præparemus. Nota pulchrè tria, quæ ad Eucharistiam accipiendam requiruntur: primò humilitas, quæ per sessionem indicatur; nam stare superbi est. secundò tanti beneficij ponderatio. tertiò immensa charitas. & promptitudo, etiã ad martyrium, hoc est ad moriendũ pro Christo. huc refero illud psalmi. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam:* hoc est passionis calicem, nam subiungit. *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* soliti autem Martyres munire se Eucharistia, vt de S. Laurentio narrãt. Addit: Cum dicitur, talia nos debere præparare, qualia Christus, hoc est pati, & mori velle pro ipso, & salute proximi: *Non hoc ita dictum est, quasi propterea Domino pares esse possimus, si pro illo vsque ad sanguinem martyrium duxerimus. ille moriens occidit mortem, nos eius morte liberamur à morte. & licet pro fratribus fratres moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullus Martyrum sanguis effunditur. imitari quis potuit morientem, nemo autem potuit redimentem.* rectè differentiã ostendit, & quantum præponderet Christi dilectio. venustè hoc extremum præsertim dictum.

Dilectio Christi neq; per martyriũ potest æquari.

Ex tract. LXXXV. & LXXXVI. in Ioannem.

1 S*I feceritis quæ ego præcipio vobis, iam non dicam vos seruos.) O rem mirabilem: cum seruire non possimus, nisi præcepta Domini fecerimus, quomodo præcepta faciendo serui non erimus? si seruus non ero præcepta faciendo, & nisi præcepta fecero, seruire non potero, ergo seruiendo seruus non ero. ita miro quodam, ineffabili, sed tamen vero modo serui esse possumus, sed serui timore casto, ad quem pertinet seruus intrans in gaudiũ Domini sui.* sed ita erimus, & filij, & amici. acutè admirationis causã indicat, quod seruiẽdo Deo desinis esse seruus. sed rectè adnotat: Dei seruitus, simul & amicitia, & filiatio est; cum ex amore potius quàm ex timore seruiamus. huc refer quod Mosi pro magno titulo dicitur. *Moises seruus meus.* & tamen idem familiarissimus Dei dicitur, & Deus Pharaonis.

Seruiẽdo Deo desinimus esse serui.

2 *Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos.) Hic certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei; & ideò dicunt, nos electos ante Mundi constitutionem, quia præsciuit nos Deus futuros esse bonos; non ipsum nos facturum bonos. at si propterea nos elegisset, quia bonos futuros præsciuit, simul etiam præscisset, quod eũ nos fuissemus prius electuri.* acutè arguit, & pulchrè concludit. *Non electi sunt, quia boni fuerunt, qui boni non essent, nisi electi essent: alioquin gratia non est gratia, si præcesserunt merita. gratia non inuenit, sed efficit merita.* Vide quantum gratiæ debeamus.

Gratia nõ inuenit sed efficit merita.

Ex tractatu LXXXVII. & LXXXVIII. in Ioann.

1 S*I Mundus vos odit, scitote quoniam me priorem odio habuit.) Cur ergo se membrum supra verticem extollit? recusas esse in corpore, si non vis odium Mundi sustinere cum capite.* Adnotat, Mundum quandoque & Ecclesiam dici, vt cum dicitur. *Mundum reconcilians sibi; & venit, vt saluetur Mundus per ipsum. totus ergo Mundus Ecclesia est, & totus Mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit Mundum, inimicus recõciliatum, damnatus saluatum, inquinatus mundatum. sed iste Mundus reconciliatus electus est de Mundo inimico, hinc subiecit: De Mundo non estis, sed elegi vos de Mundo.* eleganter de Mundi nomine distinguit, & alterum opponit alteri. & rectè ait. *Totus Mundus Ecclesia est.* quod hoc maximè tempore cernimus, etiam in nouo, vt ita dicam, Mundo recens reperto.

Vnus Mũdus Ecclesia est, & infensa Mundo.

2 *Mundus quod suum est, diligeret.) Quæri potest, si etiam mali faciunt persecutionem malis, sicut impij reges, & Iudices, cum essent persecutores piorum, vtique homicidas, adulteras, & quosq; maleficos, qui cõtra leges publicas facerent, puniebant: quomodo intelligendum est, si de Mundo essetis, Mundus quod suum erat diligeret? neq; enim diligit quos punit: Mundus igitur, & odit quod suum est, ex ea parte hominum, quia sceleratis nocet; & diligit quod suum est, ex ea parte hominum, qua ijsdem ipsis sceleratis fauet.* acutè distinguit, præsertim cum ipsi mundani Iudices, & reges, qui Christianos persequebantur, scelera, quæ in scelestis puniebant, ipsi committerent, vt adulteria, & similia.

Mundus odit non mũdanos.

Ex trac. LXXXIX. & XC. in Ioã.

1 S*I non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.) Nunquid sine peccato erant Iudæi antequam Christus ad eos in carne venisset? sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum generaliter vult intelligi; hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod vnusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. hoc est autem, quia crediderunt in Christum.* Nota quantum peccatum sit post Christi aduentum non credere, vt per antonomasiam peccatum vocetur: quod refero etiam ad eos, qui prauis operibus parum aut nihil se credere ostendunt.

Peccatum antonomasticè infidelitas post Christũ.

2 *Qui me odit, & patrem meum odit.)* *Supra dixerat: Nesciunt eum, qui misit me, quomodo igitur possunt odisse quem nesciūt?* respondet, etiam nos male opinari de eo, in quo nescimus, an sit in illo tale vitium. qua occasione explicat illud Apostoli. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Quid enim tam humanum quàm non posse inspicere cor humanum & ideirco non eius latebras perscrutari, sed plerumque aliud quàm id, quod ibi agitur, suspicari? quanquam in his tenebris cogitationum alienarum, & si suspiciones vitare non possumus quia homines sumus, iudicia tamen, idest definitas, firmasque sententias continere debemus.* Vide quàm indignum sit suspicari male de altero, cum cordis latebra non nisi Deo pateat. certè omnino uitandus assensus. *Quando ergo nō erratur in rebus vt recta sit improbatio vitiorum, profectò si erratur in homine, venialis est humana tentatio.* quà scilicet uitium odimus, non erramus, sed quà putamus esse in tali homine.

1.Cor.10

Suspicioni dandus nō est assensus.

Cur mali oderint veritatem

3 *Et patrem meum odit.) Cum me veritatē oderunt, & eū, de quo nata est, oderunt. O miseros homines, qui eum esse volunt mali, nollūt esse veritatē, qua damnantur mali.* præclara uox. nota cur improbi ueritatē oderint; quia ueritas Iudicis more sententiam contra ipsos profert. nec minus illa ratio eleganter affertur. *Nolunt enim eam esse quod est, cum ipsi debeant nolle esse quod sunt.*

Ex tract. XCI. & XCII in Ioannē.

Natiuitas ex Virgine &c. maius miraculū quā Solem sistere.

1 *SI non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, &c.) Dices, & alios fecisse quæ ipse non fecit, & quæ nemo alius fecit. quis, nisi Iesus Naue currentem Solem emissa ad Deum oratione frænauit? &c. sed qui tam multa vitia, & malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum; vt enim taceamus quos iubendo, sicut occurrebant, saluos singulos fecit, vt Marcus ait; Deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quot quot tangebant eum, salui fiebant. hoc nemo alius fecit; omnium quidem ceterorum miracula superat, quod natus ex Virgine matris integritatem non violauit. iam verò illud, quod in carne, qua occisus fuerat, de sepulcro se reddidit viuum, & nunquam deinde moriturus, cum illa ascendit in cœlum, superat etiam cuncta quæ fecit.* Egregiè adnotat omnia admiranda ab alijs effecta superari à Christi gestis; & maius fuisse nasci de Virgine, &c. quam Solem sistere. vbi nota id quod ait pulchrè, Iosue orationem quasi frænum fuisse Solis equorum. quò spectat illud Esaiæ: *laude mea infrænabo te.*

2 *Cum venerit paraclitus. &c.) Linguarum miraculo obstupefacti, compuncti corde conuersi sunt, & tanti sanguinis tam impiè, atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine, quem fuderant. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est.* Vide efficaciam purissimi Christi sanguinis, vt non modò ceteros peccatores, sed illos ipsos, qui in eum sanguinem sæuierunt, saluarit, & occidentes viuificarit.

Christi sanguis etiam fusores redemit.

Gratiæ fulgor ingens in Petro.

3 *Et vos testimonium perhibebitis.) Si quem delectat tam suauiter sanctum tale spectaculum intueri, actus Apostolorum legat; ibi beatum Petrum, quem negantem doluerat, stupeat prædicantem. ibi linguam illam videat ad libertatem à seruitute trālatam tot linguas inimicorum conuertere ad Christi confessionem, quarum non valendo vnam ferre, versa fuerat in negationem. quid plura? tantus in illo fulgor gratiæ, tanta de ore prædicantis pretiosissima veritatis pondera procedebant, vt ipsos interfectores Christi faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi.* pulchrè dictum, qui non valuit vnam ancillæ linguam ferre, tot linguarum nationes conuertit; & qui tam leuis fuit negando, tanti ponderis verba fudit in conuertendo, ac verè aurea, quod indicat vox illa, *pretiosissimæ veritatis pondera, de ore eius procedebant.* quod etiā ad Chrysostomū referri potest. illud quoque pulchrè dictum, *tantus in illo fulgor gratiæ,* & tamen vmbra tantùm miracula perpetrabat. Vides Gratiam fulgentissimo sideri comparari.

Ex tractatu XCIII. in Ioannem.

1 *ILle testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.) Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris; ille inspirando, vos sonando.* Nota dignitatem Apostolicæ prædicationis: nempe in eiusdem rei testimonium veniunt, & Spiritus sanctus, & Apostoli. hinc in quodam epistola scribunt. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Vide maiestatem apostolicæ formulæ in decernendo.

Dignitas Apostolicę prædicationis.

2 *Extra synagogas facient vos, sed venit hora, vt omnes qui interficiant vos, etc.) Quid facit hoc verbum, sed venit hora? quasi consolationem eis promitteret post tribulationem. prorsus non mihi videtur aliud significare, nisi vt intelligerent, atque gauderent, tam multos Christo se acquisituros, cum de Iudæorum synagogis pellerent, vt eos quidem non sufficeret pellere, sed non sinerent viuere, ne omnes ad nomen Christi*

sua

sua prædicatione conuerterent. acutè notatum, cum de reiectione à synagoga mentio facta esset, & subijciendum esset aliquid consolatorium, addit tribulationem maiorem mortis. sed hoc ipsum consolatorium est; quia visa ipsorum constantia tam multi conuertendi erant, vt prorsus eos de vita tollere, non exilio tantùm mulctare deliberaturi essent. magnum certè solatium, etiam proposita morte ingens conuersio animarum. Tum illud pulchrè exaggerat. *Arbitrentur se obsequium præstare Deo. O error horrendus: ita ne vt placeas Deo, percutis placentem Deo? & templum Dei viuum te feriente prosternitur, ne templum Dei lapideum deseratur?* eleganter dictum per antitheta.

Ex tract. XCIV. & XCI. in Ioann.

Apostolis expedijt a Christi præsentia veuti à lacte abstrahi.

1 E*Xpedit vobis, vt ego vadam.) hoc est vobis, vt hæc forma serui auferatur à vobis, caro quidem factum Verbum, in vobis sum; sed nolo isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis.* nempè vt solidiori cibo per Spiritu sancti aduentum assuescerent. hoc alibi ait, Verbum carnem factum, vt lactesceret nobis Dei Sapientia & Clemens Alex. appellat mammillam patris. quod si à mundissimo illo lacte abstrahi expedijt, quàm mecessarium erit à venenato Mũdi lacte, hoc est à voluptate? nam, *& lamiæ nudauerunt mammas suas lactauerunt catulos suos.* monstra sunt hæc noxia, Mundi voluptatum typus.

Superbia Angelorum punita terrori est hominibus.

2 *Princeps huius Mundi iudicatus est.) hoc est iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus: ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est Angelorum.* rectè monet, si superbia tam præclaræ creaturæ ruinam traxit, quantò magis hominis, in quo nulla est superbiendi materia?

Ex tractatu XCVI. in Ioannem.

Spiritus sancti vis vel in puellis ostë sa deuotis morti.

1 N*On potestis portare modò.) Quia scilicet nondum venerat Spiritus sanctus, ideo subiungit; cum autem venerit ille, &c. nam postea etiam pueri, & puellæ martyrio coronatæ sunt.* Vide efficaciam sancti Spiritus. versabatur Petrus cum domino, ab eo ceteris præpositus, & tamen nõ dum idoneus ad id, ad quod postea pueri, & puellæ. Teresia verò adhuc septennis e paterna domo clam fugiens ad Mauros se conferebat, teneras ceruices deuouens ferro: coronata voluntas est.

2 *Docebit vos omnem veritatem.) Alij codices habent: Deducet vos in omni veritate; vnde dictum est: Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. sic fiat, vt non à doctoribus anterioribus illa discatis, sed sitis omnes docibiles Dei; vt ea ipsa, quæ per sermones didicistis, & credidistis de natura Dei incorporea, nec loco alique inclusa, nec per finita spatia locorum quasi mole distensa, sed vbique tota, & perfecta, & infinita, sine nitoribus colorum, sine figuris lineamentorum, sine notis literarum, sine serie syllabarum, ipsa mente conspicere, ac percipere valeatis.* eleganter admodum de Dei natura, cuius discendæ magister Spiritus sanctus est.

De Dei natura Spiritus sanctus nos erudijt.

Ex tractatu XCVII. in Ioannem.

1 N*On potestis portare modò.)* hæreticos exagitat, qui magicas quasdam, ac secretas incantationes putabant esse, quas Christus dicebat post eius ascensum tradẽdas. hac occasione explicat illud Prou. *Mulier insipiens, & audax, inops panis effecta, conuocat prætereuntes dicens. Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinem. Ipsa occultatione condiunt quodammodo nefarij doctores sua venena curiosis, vt ideò existiment se aliquid discere magnum, quia merentur habere secretum, & suauius hauriant insipientiam, quàm putant scientiam: hinc & nefarios ritus sacrilega curiositate deceptis magicarum artium doctrina commendat; hinc illa illicita diuinationes, &c. audacias autem figmentorum suorum hac occasione euangelica sententiæ colorare conantur, vbi Dominus dicit: Adhuc habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modò: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere spiritus ipse erubescit immundus.* Nota impudentiam hæreticorum, qui tribuebant Spiritui sancto ea quæ diabolicus ipse Spiritus erubescebat publicè docere. & ideò clam in conuenticulis per magicas artes, & secretò agebantur, ne turpitudo pateret. est sanè quædã incantatio laudabilis, sed illa, de qua dicitur, *incantantis sapienter*, per spiritalia videlicet verba & efficacia, & quæ potius ipsam magiam destruunt.

Christus incãtator putatus ab hæreticis.

2 De monasteriorum initijs sic. *Antiochia primùm post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, & xenodoxia, & monasteria postea sunt appellata. res tamen ipsa, & nomina sua erant.* huc refero, quæ de Essenis dicuntur, quorum admirabilis vitæ secta à Philone laudatur. vide quàm præclara habuerit initia disciplina religiosorum exactior.

Monasteria Antiochiæ initium habuere.

3 Arianos carpit. *Aduersus impietatem quoque Arianorum hæreticorum nouũ nomen patres ὁμοούσιον condiderunt, non*

r m

rem nouam tali nomine signauerunt. hoc enim vocatur ὁμούσιον quod est, ego & pater vnum sumus: vnius videlicet, eiusdemque substantiæ. facit hoc pro Theologis, cum voces significatiuas rerum innouant, vt cum ab ipsis cõuersio panis, ac vini in sanguinem Christi, transubstantiatio vocatur

Ex tractatu XCVIII. in Ioannem

Christus crucifixus statim proponendus incipienti

1 *Non potestis portare modò.) Ipse Christus crucifixus, quo velut lacte paruulos aluisse se dicit Apostolus; ipsa verò caro eius, in quo facta est vera mors eius, & vulnera vera confixi sanguinisque excussi, non eo modo à carnalibus, quo à spiritualibus cogitatur; & illis est lac, istis cibus. quia etsi non audiunt amplius, intelligunt amplius.* egregiè monet: vt incipientibus statim proponendus sit crucifixus Christus, & eius sanguis, quo quasi lacte potentur, & adolescant in viros perfectos. quod item de tyronibus religionum dixerim, vt hæc maximè piè meditari assuescant. explicat idem pulchrè, *Quando suppletur, quod defuit, non improbatur, quod fuit, nam in ipsis alimentis vsque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, vt ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris, vel nutricis peruenit carnem; sicut fecit mater ipsa sapientia, quæ cum sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere paruulis, cum Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. sed ipse homo Christus, qui lac dicitur paruulorum, cum bene à spiritualibus capitur, inuenitur dominus Angelorum. proinde nec sic paruuli sunt lactandi, vt semper non intelligant Deum Christum; nec sic ablactandi vt deserant hominem Christum; vel nec sic lactandi, vt Christum nunquam intelligant creatorem; nec sic ablactandi, vt vnquam deserant mediatorem.* pulchè ait, diuinam sapientiam quasi solidum cibum Angelorũ esse per diuinam visionem; sed vt nos infantes nutriret, lactescere voluisse per humanã formam. verũ addit. *In hoc non conuenit similitudo materni lactis, & solidi cibi, quia puer cum ablactatur, inter solidos cibos non reperit vbera, quæ sugebat; Christus autem crucifixus & lac sugentibus, & cibus est proficientibus.* Vide vt crucifixi vulnera tanquam vbera sint: non igitur mirum quod sponsa tribuat sponso vbera, quorum lac vino præponat.

Christi vulnera papillæ sũt lacte plenæ.

Ex tractatu XCIX. in Ioannem.

1 Qvod in columba, vel igne Spiritus sanctus apparuit, ad ipsius Dei substantiam pertinere negat: *Ista enim ad horã diuinitus facta sunt de creatura seruiente, non de ipsa natura dominante, quæ in se manens, quod vult mouet, & quod vult immutabilis mutat; sicut etiam vox illa de nube aures attigit corporales, nec tamen illo modo credendum est Verbum Dei, quod est vnigenitus Dei filius, syllabis sonisque finiri; quia nec omnes simul sonare possunt, cum sermo fit, sed tanquam nascentes morientibus ordine suo soni quicumque succedunt, vt totum, quod loquimur, nouissima syllaba compleatur.* pulchrè, & eleganter distinctionem ostendit, & diuersitatem diuini verbi, & humani.

Differentia inter diuinum & humanum verbum.

2 Differentiam ostendit diuinæ sciẽtiæ à nostra. *Mutabilis est mens, nostra, quæ percipit discendo quod nesciebat, & verisimilitudine fallitur, & ideò non est ista substantia verissimè simplex, cui non est hoc esse quod nosse; potest enim nec nosse. atqui illa diuina non potest, quia id, quod habet, est; & per hoc non sic habet scientiam, vt aliud illi sit scientia, qua scit; aliud essentia qua est, sed vtrumque vnum est; nec vtrumque dicendum est, quod simpliciter vnum est.* acutè, ac theologicè. Vide autem quàm stultum sit de scientia superbire, cum mens nostra tot defectibus sit obnoxia.

Mens nostra mutabilis & facilis falli.

3 Quàm difficile sit declarare, quid sit processio Spiritus sancti, sic ostendit, *Nulla disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanæ; nam & filius ei, de quo natus est; & Spiritus sanctus ei, de quo procedit, æqualis est. quid autem illic intersit inter procedere, & nasci, & longum est quærendo disserere; & temerarium, cum disserueris, definire; quia hoc & menti vtcumque comprehẽdere, & si quid fortè mens inde comprehenderit, difficillimum est explicare, quantumlibet sit doctor.* Vide quàm reuerenter de diuinis sit disputandum. multis autem locis scripturæ probat, Spiritum sanctum non modò à patre, sed à filio procedere.

Spiritus sancti cognitio quã difficilis.

4 *Quæcumque audiet, loquetur.) Non moueat, quod verbum futuri temporis positum est: illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia. in eo autem quod sempiternum est sine initio & fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis, siue futuri, non mendaciter ponitur: quamuis enim natura illa immutabilis, vt immutabilis non recipiat, fuit, & erit, sed tantùm, est; ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, & ideo ait, ego sum qui sum; tamen propter mutabilitatem temporum; in quibus versamur, non mendaciter dicimus, fuit, & erit, & est: fuit in præteritis seculis, est in præsentibus, erit in futuris. fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est.* pulchrè, & eleganter de incommuta-

Dei immutabilitas probatur.

mutabili Dei essentia. *Illa audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia, &c.*

Ex tractatu C. in Ioannem.

Definitio gloriæ quæ sit.

1 *ILle me clarificabit.) grecè est* δοξάσει *glorificabit. est autem gloria frequens de aliquo fama cum laude. cum autem de aliquo per Deum, & propter Deum iusto, hoc est veraciter iusto, causa ipsius iustitiæ frequens est fama cum laude, vera quidem gloria est, nō tamen credendum est, ea beatificari iustum, sed laudantibus gratulandum est, quia rectè iudicant, & diligunt iustum. quantò magis ergo Christus non sibi sed eis profuit gloria sua, quibus profuit morte sua?* pulchrè hoc dictū de Christi gloria. & nota gloriæ definitionem. ceterùm vides vt gloria nihil in laudato ponat, ne inflemur. quod etiam sic explicat: *Bonum enim laudare, non laudato, sed laudantibus prodest.* hinc etiam attende quantum boni sit iustum laudare. Addit, veram Christi gloriam in Ecclesia solùm catholica esse, non in hæreticis, & paganis: nam *pagani quidem Christianos vituperant, Christum autem velut Magum laudant, & sic produnt quod amant; Christum verò nō amant, quoniam quod non erat Christus, hoc amant. ideò in vtroque falluntur quia & Magum esse malum est, & Magus non fuit Christus, quia bonus est.* acutè adnotat, eos non laudasse Christum, sed ficticium alterū: immò hoc blasphemare, non laudare erat. vbi nota quid obijcerent Christo, quod postea & Athanasio, & Ignatio nostro obiectum, sed incantantibus sapienter, & sanctè.

Ex tractatu CI. & CII. in Ioan.

Deus noster sit finis qui caret fine.

1 *MVlier cum parit, tristitiam habet, &c.) Nunc totius laboris sui fructum Ecclesia parturit gemendo, tunc paritura lætando. nunc parturit desiderando, tunc paritura laudando, & ideò masculum, quia ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis; solus enim est liber, quia per se appetitur, & non refertur ad aliud. huic seruit actio; ad hunc enim refertur quicquid bene agitur, quia propter hunc agitur, ipse autem non propter aliud, sed propter semetipsum tenetur, & habetur, ibi enim finis æternus; neque enim nobis sufficit finis, nisi cuius nullus est finis.* pulchrè de contemplatiua vita actiuæ præposita, & de beatifica visione. lepidè dictum, vt ille nobis sit finis, qui caret fine.

Præsens vita locus precum futura fruitionis.

2 *In illo die me non rogabitis quicquam.) Videbimus eum, vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.* nunc igitur locus est precum. quanta igitur illa felicitas, cui nihil addi potest? vbi omnia omnium expleta sunt vota.

Præter Deum aliud petere est nihil petere.

3 *Si quid petieritis patrem, &c.) Quid ait, si quid? non quidlibet intelligendum, sed aliquid quod in beatæ vitæ comparatione non nihil sit. & quod sequitur; vsque modò non petistis quicquam in nomine meo, dupliciter potest intelligi, vel quia non in nomine meo petistis, vel non petistis quicquam, quia in comparatione rei, quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. vt igitur non petant nihil, sed gaudium plenum petant, hortatur dicens, petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum, idest hoc petite, vt gaudium vestrum sit plenum.* acutè interpretatur, ac rectè adnotat, vt præter æternam beatitudinem, ac Dei visionem, vbi plenum est gaudium, quicquid aliud nihil sit, ac pro nihilo reputari debeat. certè duo discipuli ore matris petierant esse à dextris, & sinistris Christi in regno, & tamen dicitur: *vsque modo non petistis quicquam.* nimirum quia humanum aliquid petierant, honorem scilicet.

4 *Ipse pater amat vos, quia vos me amastis.) Ideo nè amat ille, quia nos amamus, an potius quia ille amat, ideò nos amamus? respondeat Ioannes, qui ait: prior ipse dilexit nos. hinc ergo factum est, vt diligamus, quia dilecti sumus. prorsus donum Dei est diligere Deum, quoniam ipse vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit; displicentes amati sumus, vt esset in nobis vnde placeremus.* pulchrè ostendit nullis nostris meritis primam gratiam infundi.

Ex tractatu CIII. & CIV. in Ioan.

Fuga pro Christo refugium est.

1 *IN Mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici Mundum.) In ea pressura, quam accepto Spiritu sancto pertulerunt, non reliquerunt; & quamuis fugerent de ciuitate in ciuitatem, non ab ipso refugerunt, sed ipsum potius refugium habuerunt.* eleganter vim à Spiritu sancto acceptam ostendit, & fugam distinguit, vt fuga ipsa refugium sit.

2 *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.) Hanc commendauit causam sermonis sui, eius præsertim, quem dixit iam moriturus, vt in illo pacem haberent, per quod totum agitur, quod Christiani sumus: hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis, & actionis finis ipsa erit; propter hanc credimus in eum, & speramus, & eius amore, quantum donat, accendimur. hac pace in pressuris consolamur, vt in hac feliciter regnemus &c.* vide quò Christus omnia sua verba, & documenta direxerit, habens pro scopo pacem.

3 *Pater, venit hora, &c.) Ostendit omne tempus; & quid, vel quando faceret, vel fieri sine-*

Fati necessitas & horoscopi taxatur.

sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est; quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. non ergo credatur hæc hora fato vrgente venisse, sed Deo potius ordinante, nec siderea necessitas Christi contexuit passionem; absit enim vt sidera mori cogerent siderum conditorem. non itaque Christum tempus, vt moreretur impegit, sed tempus Christus, quo moreretur, elegit; qui etiam tempus, quo de Virgine nasceretur, cum patre constituit, de quo sine tempore natus est. eleganter, ac pulchrè ostendit liberè à Christo electum tempus nascendi, moriendi, &c. fingunt astrologi quasi textricem necessitatem, sed talis textura fila sunt aranearum: facili enim argumento dissoluuntur quæ vanè confingunt.

Christi passio eius claritas fuit.

4 *Clarifica filium tuum.) Clarificatum à patre filium nonnulli accipiunt in hoc, quod ei non pepercit, sed pro nobis tradidit eum. sed si passione clarificatus est, quantò magis resurrectione?* Vides iuxta hanc interpretationem tenebras ipsas factas in Christi morte pertinuisse ad eius splendorem, & claritatem. ignominias ad decus. addit græcam vocem gloriam indicare.

Deus quã gloriose à sanctis in cœlo laudetur.

5 *Clarifica filium tuum.) græce est, glorifica. δόξασον. In æterna vita summa Dei erit clarificatio, quia summa gloria. à veteribus gloria ita est definita. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. at si homo laudatur, cum famæ creditur, quomodo Deus ipse laudabitur, quando ipse videbitur? propter quod scriptum est. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorũ laudabunt te.* egregiè ostẽdit quàm gloriosè Deus exaltetur à sanctis in patria, vbi se ijs cernendum præbet, cum in hac vita tam ardenter amatus, & tam impensè glorificatus sit non dum visus. huc refero illud Sabæ Reginæ, quæ audita fama Salomonis, venit ad eum videndum, & viso eo clamauit, minorem esse famam re ipsa.

Deum cognoscere est vere viuere.

6 *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.) Si cognitio Dei est vita æterna, tantò magis viuere tendimus, quantò magis in hac cognitione proficimus.* rectè argumentatur: vide quid sit verè viuere; Dei cognitio vitæ propagatio est.

Ex tractatu CV. & CVI. in Ioan.

Tres gradus cognoscendi Deum an sit, quis sit, & quis eius filius

1 *VT cognoscant te solùm verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.) Quod Deus dicitur vniuersæ creaturæ, & omnibus gentibus, antequam in Christum crederent, non omnimodo esse potuit hoc nomen ignotum; hæc est enim vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti non omninò, ac penitus posset abscondi; exceptis enim paucis, in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum Mundi huius fatetur autorem: in hoc autem, quòd non sit cum Dijs falsis colendus, notus in Iudæa Deus. in hoc verò quod patenest huius Christi, per quem tollit peccata Mundi, hoc nomen eius prius occultum omnibus, nunc manifestauit eis, quos dedit ei pater.* Nota tres gradus cognoscẽdi Deũ. quod sit Deus, & quis sit verus Deus, & quod mysterium Trinitatis, præsertim de filij persona. vnde illa diligens indagatio: *Quod nomen eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* & ibidem: *Quis ascendit in cœlum, atque descendit?* Prou. 30.

Ex tract. CVII. & CVIII. in Ioan.

Dei filij sunt omnia quæ patris sed in vna natura.

1 *MEa omnia tua sunt, & tua mea sunt.) Satis apparet, quomodo vnigeniti filij sint omnia, quæ sunt patris, per hos vtique, quod etiam ipse Deus est, & æqualis patri; non quomodo dictum est vni ex duobus filijs maiori: Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, illud enim dictum est de omnibus creaturis, quæ infra creaturam rationalem sunt; hoc autem ita dictum est, vt hic sit etiam ipsa creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur.* rectè differentiam ostendit in diuinis; ita enim dicuntur omnia esse filij, quæ patris, vt vtriusque sit eadem natura, & æqualitas.

Ex tractatu CIX. & CX. in Ioann.

Latro crudelis in scelere fidelis in cruce.

1 *PRo eis rogo, qui credituri sunt per verbum eorum in me.) At latro ille crudelis in scelere, fidelis in cruce, tunc credidit, quando in ipsis doctoribus fides, quæ fuerat qualiscumque, defecit. non ipse itaque per Apostolorum verbum credidit in Christũ; & tamen sic credidit, vt quem videbat crucifixum, confiteretur non solùm resurrecturum sed etiam regnaturum. sic igitur intelligamus dictum esse verbum eorum, quia ab ipsis primitus, ac præcipuè prædicatum.* acutè notatum de fide latronis confitentis sine magisterio Apostolorum, immò horum ferè omnium fide deficiente. quid præstantius? nactus est immediatè doctorem Christũ è cathedra crucis per occultam inspirationem, & docuit ipse pœnæ consortem alterum. eleganter ait: *Latro ille crudelis in scelere, fidelis in cruce.*

Deus amat aut odit immutabilis

2 *Dilexisti eos, sicut & me dilexisti.) Nos diligit, quia sumus eius membra quæ diligit; & hoc vt essemus, propter hoc nos dilexit antequam essemus.* negat tamen Deum mutationem pati, quasi incipiat diligere quem non diligebat *Ante Mundi constitutionem dilexit nos. porrò miro, & diuino modo, & quando nos oderat, diligebat; oderat enim nos quales ipse non fecerat, nouerat in nobis &*

odisse

odisse quod feceramus, & amare quod fecerat. vnde ei veraciter dicitur; nihil odisti eorum quæ fecisti. egregiè dictũ de immutabilitate Dei. Tum pulchrè addit. *Cum igitur eorum, quæ fecit, nihil oderit, quis dicere dignè possit, quantum diligat membra Vnigeniti sui, & quantò amplius ipsum Vnigenitum? membra quippe Vnigeniti ad Angelorum sanctorum æqualitatem gratia suæ largitate perducit. Vnigenitus autem cum sit Dominus etiam Angelorum, natura, quà Deus est, non Angelis, sed patri potius æqualis; gratia verò, qua homo est, quomodo non excedit excellentiam cuiuslibet Angeli, cum sit vna persona carnis, & verbi?* Vide prorsus admirabilem excellentiam Christi, etiam quà homo est, & nostram quoque per ipsum. Addit. *Quamquam non desint, qui etiam nos Angelis præferant, quia pro nobis, inquiunt, non pro Angelis mortuus est Christus. sed quid est hoc aliud, quàm de impietate gloriari velle? nam quale est, ideò se velle laudari, quia vitio suo tam detestabiliter ægrotauit, vt non posset aliter quàm media morte sanari? non est hæc nostrorum gloria meritorum, sed medicina morborum.* acutè, & eleganter ostendit, nos nõ ex hoc capite præferendos Angelis quasi digniores essemus redemptione, præsertim quia etiam si dicatur per hoc amplius nobis tributũ, *vtrùm ideò fuisset factũ, quia steteramus excellentius, an quia desperatius iacebamus?* sed Angelis non est tributum remedium, *quia tantò minus quàm nos peccare debuerunt; quantò meliores nobis fuerunt; nunc autem tantò execrabilius beneficio eius ingrati extiterunt, quantò beneficentius sunt creati, aut eis satis fuit desertores esse illius.* Nota de peccati Angeli grauitate, quia enim in altiore gradu constitutus ingratus beneficij magnitudini fuit, execrabiliorem se reddidit, & indigniorem remedio.

Excellentia Christi supra Angelos.

Ex tract. CXI. & CXII. in Ioan.

1 *VOlo vt vbi ego sum, illi sint mecum.) Non inquiratur æqualis patri filius vbi sit, quoniam nemo inuenit vbi non sit; sed qui vult quærere, quærat potius vt cum illo sit. latroni ait, hodie mecum eris in paradiso, secundùm id quod homo erat, anima eius ipso die futura fuerat in inferno, caro in sepulcro: secundùm autem id quod Deus erat, vtique & in paradiso erat, & ideo latronis anima etiam ipso die cum illo esse in paradiso poterat, vnde ille, qui vbique semper est non recesserat, propterea non satis illi fuit dicere, volo vt vbi ego sum, illi sint, sed addidit, mecum. nam & miseri esse possunt vbi est ille, sed beati soli sunt cum illo, quia beati esse non potuerunt, nisi ex illo.* acutè, & pulchrè de Dei assistentia in creaturis omnibus, & peculiari modo in iustis. pende verba: *Non inquiratur æqualis patri filius vbi sit, quoniã nemo inuenit vbi non sit; sed qui vult quærere, quærat potius vt cum illo sit.* pulchrè ostendit pietatem præponderare scientiæ curiositati.

Christus vbique præsens vt Deus.

2 *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.) Vbi nunc militum cohors, & ministri principum & Pharisæorum? vbi terror & munimen armorum? nempè vna vox dicentis: Ego sum, tantam turbam odijs ferocem, armisque terribilem sine vllo telo percussit, repulit, strauit.* Tum rationem subiti terroris affert, *Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris.* pulchrè, & acutè ait, latens lumen Deitatis per laternas quæritur, & dies à tenebris. illud autem quod subiungit, certè horrendum. *Quid iudicaturus faciet qui iudicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit qui moriturus hoc potuit?* elegans antithesis cum in re, tum in verbis. vox in forma rei tam potens, quid in forma Iudicis? sed permisit se capi. *quia si illi quærebant sæuiendo, quærebat nos ipse moriendo.*

Vox Christi in passione prostrauit lictores qd in iudicio

3 *Erat autem nomen seruo Malchus.) Malchus interpretatur, regnaturus; quid ergo auris pro Domino amputata, & à Domino sanata significat, nisi auditum amputata vetustate renouatum, vt sit in nouitate spiritus? quod cui præstitum fuerit à Christo, quis dubitet regnaturum esse cum Christo?* quantò magis hoc de tribus nostris martyribus Iaponibus dicam, quibus ob Christi fidem antequam crucifigerentur, aures amputatæ sunt: conuersi enim ex idolorum cultu mutauerant aures in auditum fidei, à domino inuisibiliter, ac spiritaliter sanati, ac regnaturi cum Christo.

Auris Malchi à Christo sanata typus renouationis Spiritus.

4 *Comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.) Comprehenderunt ad quem non accesserunt, quoniam dies ille, hi verò tenebræ permanserunt, nec audierunt, Accedite ad eum & illuminamini; si enim sic accederent, non eum manibus occidendum, sed retinendum corde comprehenderent. nunc cum eo modo comprehendunt, longius recesserunt.* pulchrè dictum, Christum potius corde comprehendendũ. addit item eleganter. *ligauerunt eum, à quo solui potius debuerunt; & erant fortasse in eis, qui tunc imposuerunt Christo vincula sua, atque ab eo postea liberati dixerunt; Dirupisti vincula mea.* innuit, ex his ipsis nonnullos probabile esse, vt Petri prædicatione commoti, ex ministris Christi passionis, fierent fideles credendo.

Christus non fune sed corde ligandus.

Ex tractatu CXIII. in Ioannem.

1 *DE Petri negatione sic. Dicit iste, non sum.) Ecce columna firmissima*

ma ad vnius auræ impulsum tota contremuit. vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? vbi verba illa. Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. hoccinè est sequi magistrum, negare discipulum? rectè miratur, vt columna ipsa Ecclesiæ ad auram, hoc est ad verbū ab ancilla in aere prolatum concussa sit; secus post Christi ascensum, & missum Spiritum sanctum. *Quàm multi postea etiam pueri, & puellæ pro Christi confessione mortem contemnere potuerunt? & innumerabilis societas sanctorum Martyrum in regnum cœlorum fortiter, & violenter intrauit, quod tunc iste non potuit qui claues regni eius accepit.* Teresia certè vix septennis ad martyrium properabat e paterna domo profuga.

Petri negatio, & tot martyrum constantia post missum Spiritum Sanctum.

2 *Frigus erat & calefaciebat se.) non hyems erat, & tamen frigus erat, quale solet æquinoctio verno aliquando contingere.* Nota vt ad Christi pœnas augendas tempus ipsum vernum non solito more sæuierit, ipso permittente auctore temporum, nihil ex vere habuit præter spinas.

Christi passio vere frigus pertulit.

3 *Dedit alapam Iesu.) si cogitemus quis acceperit alapam, non nè vellemus eum, qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi? quid enim horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est Mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, per quam vincitur Mundus?* pulchrè ostendit, tempus illud patientiæ magis exercendæ, quàm potestatis fuisse. Addit. *Dicet aliquis, cur non fecit quod ipse præcepit, vt maxillam alteram præberet? at non solùm maxillam iterum percussuro, sed totum corpus configendum præparauit in ligno; & hinc potiùs demonstrauit magna illa præcepta, patientiam nō ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda.* vide vt omnis ostentatio sit in mortificatione vitanda.

Alapa Christi ingens scelus.

4 *Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.) Intelligendi sunt alternos agere solere annos pontifices, & erat tunc annus Caiphæ. ductus est autem prius ad Annam, non quia collega, sed quia socer illius erat; & fortasse domus eorum ita erāt positæ, vt non deberet Annas à prætereuntibus præteriri.* nota vt non solùm pontifex præsens, sed alter vacans munere conspirarit ad illudendum Christum.

Cur Christus ductus ad Annam si Caiphas pontifex.

Extract. CXIV. & XCV. in Ioan.

1 S*I non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.) Interrogētur, atq; respōdeāt ab immūdis spiritibus liberati, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat, stulti sapientes, vtrùm sit malefactor Iesus.* Nota quot essēt & quàm insignes benefactorum testes, & tamen calumniæ de malefactis quærunt locum. disce ferre mala pro bonis.

Christus pro beneficijs calumnias passus.

2 *Nobis non licet interficere quemquam.) At clamastis: Crucifige. audite quid contra vos propheta clamet: Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta: ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machæra iustum interfecistis.* huc facit quod alter euangelista crucifixum dicit, hora tertia, cum scilicet clamarunt crucifigendum. ante appetitus est sagittis, & gladio linguæ, quàm clauis, & lancea.

Christus crucifixus ante lingua quam clauis.

3 *Regnum meum non est de hoc Mundo.) Audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram. nolite timere metu vanissimo, quo Herodes expauit, & tot infantes occidit, timendo magis quàm irascendo crudelior. venite ad regnum, quod non est de hoc Mundo.* acutè perstringit Herodem, ac detestatur, quem timor de amissione regni contra naturæ morem crudeliorem, quàm ira fecit: nam timor potius vires eneruat, contrahit animum, non effundit. Tum item acutè aduertit. *Non ait, regnum meum non est in hoc Mundo, sed non est de hoc Mundo. & alibi de Angelis ait: Colligent de regno eius omnia scandala; quod vtique non fieret, si regnum eius non esset hic, sed tamen non est hinc, quia peregrinamur in Mundo.* cum autem Pilato interroganti de regno respondit. *Tu dicis, hoc est carnalis carnaliter dicis.*

Herodem timor crudelem fecit.

Ex tractatu CXVI. in Ioannem.

1 A*Ve rex Iudæorum; & dabant ei alapas.) sic paulisper occultata tremenda potentia commendabatur prius imitanda patientia. sic Martyres infirmabantur. sic superbum Mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria.* huc refero illud de flagellis. *supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* quod alij vertunt arauerunt, sulcis scilicet vulnerum, vt sementem gloriæ faceret. sic & genæ ipsæ impactis alapis sulcabantur, vt rubicundas velut efflorescerent in rosas.

Alapa Christi in decus cessit.

2 *Ecce homo.) Ideo illa iussit Pilatus, siue permisit, vt hæc eius inimici ludibria biberent, vt vlterius sanguinem non sitirent. egreditur Iesus spineam portans coronam, & purpureum vestimentum, non tam clarus imperio, quàm plenus opprobrio. si regi inuidetis, iam parcite, iam illusus est; feruet ignominia, frigescat inuidia. sed non frigescit; inardescit potius, & increbescit, clamant,*

mant, crucifige, &c. pulchrè ait; Pilatus vt exsatiaret Iudæos, obtulit poculum ignominiæ, ne sitirent poculum sanguinis; sed illi auidiores facti, & in hunc inhiant. affectu plena est apostrophe illa ad Iudæos, vt tandem à sæuitia desistant.

Inuidia quàm detestanda.

3 *Qui tradidit tibi, maius peccatum habet.) Ille quippe me tuæ potestati tradidit inuidendo, tu verò eamdem potestatem exerciturus in me es metuendo.* vide quàm enorme peccatum sit inuidia. Pilatus metu adductus est ad tantum facinus, Iudæi ex mera inuidia. in lance positum hoc præponderat, vt grauius.

Iudæorū astutia vana in Pilati senten. tia de Christo.

4 *Tunc tradidit eis Iesum, vt crucifigeretur.) sed ante dixerat. Accipite eum vos, & crucifigite. an aliquid interest? planè interest, vt eos crimine implicatos, à quo alieni esse conabantur, ostenderet.* acutè notatum; cum se innoxios putabant, tunc maximè noxij fuerunt, quia minando extorsere sententiam.

Ex tractatu CXVII. in Ioan.

Christus crucifixus ante linguā quàm clauis.

1 H*Ora erat quasi sexta.) Quid ergo est quod Marcus Euangelista dicit, erat autem hora tertia, crucifixerunt eum? nisi quia hora tertia crucifixus est linguis Iudæorum, hora sexta manibus militum.* huc refer illud psalmi, *lingua eorum gladius acutus.* cum tamen à natura data sit lingua potius quasi plectrum, vt ait Philo.

Præparatio paschę addictio mortis fuit.

2 *Erat autem parasceue paschæ.) parasceue latinè præparatio est; pascha verò nostrum, sicut dicit Apostolus, immolatus est Christus; cuius paschæ præparationem si ab hora noctis nona computemus, tunc enim videntur principes sacerdotum pronunciasse immolationem Domini, dicentes, reus est mortis, congruenter accipitur inde cœpisse præparationem veri paschæ, cuius vmbra erat pascha Iudęorum, idest immolationis Christi, ex quo à sacerdotibus pronunciatus est immolandus, &c.* notabilis explicatio. vide vt victimæ instar per sententiam addictus sit morti.

Christi morientis spectaculum aliter cernit pietas aliter impietas.

3 *Baiulans sibi crucem exijt, &c.) Grande spectaculum; sed si spectat impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium. si spectet impietas, ridet regem pro virga regni lignum sui portare supplicij; si pietas, videt regem baiulantem lignum, quod fixurus fuerat in frontibus regum.* pulchrè spectaculum describit pro vario spectatorū ingenio, & de cruce variè æstimantium. alios oculos habet pietas, alios impietas. *Ipsam crucem suam gestans suo cōmendabat humero; & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.* Vide nobilitatem crucis, quam cum imposuit humero, quasi commendare illi visus est rem pretiosam, & onus nobile, vt summus Pontifex sardonyches in humero ferebat. Itē nota Christum tanquam lucido candelabro ardentē lucernam impositam, nō sub modio certę mensuræ charitatis, sed typo immēsæ pietatis & gloriæ: confer aureum illud tabernaculi candelabrum, & eius ornatum crucis typum: ibi lilia, hic lilium conuallium, inclinato capite languens. ibi scyphi forma, seu poculi, hic Christi sanguis salutis poculum, &c.

Titulus crucis cur immutatus mansit.

4 *Quod scripsi; scripsi.) O ineffabilem vim diuinæ operationis etiam in cordibus ignorantium. nonnè occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante psalmorum literis prophetarum est; Ne corrumpas tituli inscriptionem? sed & Pontifices, qui hoc corrumpi volebant, qui dicebant, Noli scribere, rex Iudeorum, sed quia ipse dixit, rex sum Iudæorū. Quid loquimini insani? si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit?* acutè carpit Pontificum dictum. nam titulus hòc maximè immutabilis, & incorruptibilis erat, quod à veritate prolatus. *Addit:* cum & aliarum gētium rex sit Christus, pro Iudæis intelligi omnes fideles, vt corde, & spiritu circumcisos. concludit pulchrè: *ideò Pilatus quod scripsit, scripsit, quia Dominus quod dixit, dixit.* nam dictum erat. *dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.*

Ex tractatu CXVIII. in Ioannem.

Crucifixores Christi quatuor fuerūt.

1 F*Ecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem.) Hinc apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. in alijs igitur vestibus æquales habuerunt partes præter tunicam inconsutilem.* notabile est hoc, & acutè animaduersū. de numero quaternario crucifixorum Christi, & vestium item Christi numero, & diuisione; quod ad quatuor Mundi partes refero redimendas Christi morte; idq; ipse, sic indicat. *Quadripartita vestis Domini quadripartitam eius figurauit Ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarū orbe diffusa, & omnibus eiusdem partibus æqualiter, idest concorditer distributam.* puto, mysticè vt cruenta Domini veste omnes indui possent. Tum de tunica inconsutili. *hæc vnitatem significat, quæ charitatis vinculo continetur. & meritò desuper contexta dicitur, nam sic loquitur Apostolus: Cognoscere supereminentem charitatem scientiæ Christi. & alibi; Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculū perfectionis.* acutè interpretatū illud, *desuper contexta,* de excellentia, & eminentia charitatis in Christo.

2 Explicat de cruce illud Apostoli. *Quæ*

 sit

sit latitudo, longitudo, & altitudo, & profundum.) Lata quippe est in transuerso ligno, quo extenduntur pendentis manus, & significat opera bona in latitudine charitatis, longa est à transuerso ligno vsque ad terram, vbi dorsum, pedesque figuntur, & significat perseuerantiam in longitudine temporis vsque ad finem. alta est in cacumine, quod per trāsuersum lignum sursum versus excedit; & significat supernum finem, quò cuncta opera referuntur. profunda est in ea parte, qua in terra figitur, & occulta est, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi non potest, vniuersa procedunt. acutè, & pulchrè mensus est crucem; & partes mensuræ ad mysticum retulit sensum: charitatē amplam in operando, perseuerantiam, rectā intentionem, & in his auxilium gratiæ. discimus igitur in cruce veram mathesin, quò pertinet quod sequitur.

Ex tract. CXIX. in Ioannem.

Cur Christus in vini miraculo nō appellauerit matrem.

1 DE cruce sic eleganter, *Ecce mater tua, &c.) A quam conuersurus in vnum, & diuina signa facturus, non diuinitatis, sed infirmitatis matrem repellebat velut incognitam; nunc autem humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano: tunc qui Mariam creauerat, innotescebat in virtute; nunc quem Maria pepererat, pendebat in cruce: exemplo igitur suo suos instruxit, vt à filijs impendatur cura parentibus. tanquam lignum illud, vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis.* pulchrè hoc dictum de Christi magisterio in cathedra crucis. certè claui pro calamo fuerunt; immò calamus ipse siue arundo manibus data, & sanguis pro atramento. huc facit quod Christus quasi liber apertus ibi fuerit, iuxta illud Pauli: *Ante quorum oculos Christus Iesus præscriptus est.*

Crux cathedra Christi docentis.

2 *Accepit eam discipulus in sua.)* sic legit, sua scilicet bona, non suam. Tum pulchrè notat. *In quæ sua Ioānes matrē Domini accepit? ecce nos reliquimus omnia, &c. sed ibi quoq; audierant: Quicūq; dimiserit pro me, accipiet pro me centies tantum. habebat igitur Ioannes centupliciter plura quàm dimiserat, in quę susciperet Christi matrē, qui hæc illi dona uerat: sed in ea societate receperat centuplum, vbi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia cōmunia. suscepit ergo eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.* acutè notatū. cū Ioānes nihil ex suo exhibere posset, nisi studium, & curā. neq; .n. cū ad pedes Apostolorū proijciebant alii bona sua, inde ad Mariæ portionē aliquid pertinuisse dicēdū est, q̄ sūmæ paupertatis erat amantissima. vide autē quàm ditatus sit Ioānes hæreditate Christi, cētupliciter.

Ioannes ob Mariæ curā centupliciter ditatus.

3 *Dicit, sitio.) sitio, inquit, tanquam diceret hoc minus fecistis, date quod estis; Iudæi quippe ipsi erant acetū, degenerantes à vino patriarcharum, & tanquā de pleno vase, de iniquitate Mundi huius impleti, cor habentes velut spongiā, cauernosis, quodāmodo, atque tortuosis latibulis fraudulentum.* nempè, & religiosi cum degenerant à maioribus, quasi temporis vetustate coacescens vinum obtruditur crucifixo. Tum nota, cor humanum instar spongiæ esse ob multas latebras, & cauernulas, quod cum lacrymis potius, & vino sanctæ compūctionis impleri debeat, aceto, hoc est peruersis desiderijs scatet. cor igitur pro spongia Christo ad tormentum datur, si acidum sit.

degenerare à maioribus est coacescere.

4 *Consummatum est.) Peractis omnibus, quæ vt peragerentur, expectabat, inclinato capite tradidit spiritum: quis ita, cum voluerit, abit, quomodo Christus cū voluit, abijt? Quāta speranda est potestas iudicantis, si apparuit tanta morientis?* eleganter indicat in eius potestate fuisse mortem, & hinc apparere miram potentiam iudicantis.

Christi iudicaturi metuēda potestas.

5 *Circū ponentes hyssopo.) Hyssopus herba est humilis, & pectus purgat, per quam ipsius Christi humilitatē congruenter accipimus, vnde illud: Asperges me hyssopo, & mundabor: quia nisi se humiliasset, sanguis eius in nostrā mundationē non fuisset effusus.* nota, supra dixerat, spongia cor significari: hoc igitur cor hyssopo Christi humilitatis circūponendū est cū vino cōpunctionis, nihil autē aptius ad purgandum amorē nostrū, cuius sedes est pectus, q̄ memoria passionis Christi. de arūdine autē, qua hyssopū obtulerūt, sic. *In arundine scriptura significatur; sicut .n. latina lingua dicitur, vel græca sonum significās qui lingua promitur, sic arundo dici potest litera quæ arundine scribitur.* nempe hostes ipsi bis arundinem seu calamum obtulerunt Christo, vt inscriberet trophęū sanguine.

Hyssopus humilitas Christi in cruce.

Ex tractatu CCXX. in Ioan.

1 L*Ancea latus eius aperuit, &c.) Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt nō diceret, latus eius percussit, sed aperuit: vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta manarunt. ille sanguis in remissionē fusus est peccatorum. illa aqua salutare tēperat poculū. hæc & lauacrū præstat, & potū. hoc prænunciabat quod Noe in latere arcæ ostiū facere iussus est, quà intrarent animalia, quæ nō erant diluuio peritura.* acutè notat, & pulchrè, latus Christi ostiū esse, quo excipimur, ne pereamus; & ideò dictū esse, *aperuit*, ita lancea quasi clauis fuit sacramētorū.

Lancea clauis sacramentorum.

2 *Inclinato capite tradidit spiritū.) In habitu iacētis, & dormiētis secūdus Adā inclinato capite in cruce dormiuit, & vnde ei formaretur cōiux, q̄ de latere moriētis effluxit. O mors, ūde mortui reuiuiscūt. qd isto sāguine mūdius?*

Cur Christus inclinet caput moriens.

quid

quid isto vulnere salubrius? elegans apostrophe ad mortem per antitheta. inclinatio capitis imago dormituri est. hinc ait: *ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi.* tam amara passio in dulcem illi cessit soporem.

Sepulchrum Christi cũ Deiparæ vtero collatum.

3 *In horto monumentum nouum, in quo non dum quisquã positus fuerat.) Sicut in Maria Virginis vtero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus.* rectè, nam & sepulchrum vteri instar fuit, vnde scilicet renatus per resurrectionem, & vtrinque clauso ostio exiuit. vtrobique hortus fuit, lilia castitatis, ceterarumque virtutum germina continens; immo ipsa virgo, *Hortus conclusus.* de hac est in psalmo: *gloriosa dicta sunt de te.* de sepulchro ait Esaias. *erit sepulchrum eius gloriosum.*

Ex tractatu CXXI. in Ioannem.

Magdalenę dolor maior de amisso Christo quam de mortuo.

1 *MAria stabat ad monumentum plorans.) Viris recedentibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus; & oculi, qui Dominum non inuenerant, lacrymis iam vacabant, amplius dolentes, quod fuisset de monumento sublatus, quàm quod in ligno occisus; quia tanti magistri nec memoria remanebat.* nempe Magdalenam ab affectu quasi clauis defixam dicit, ne recederet à monumento, & magis doluisse de amisso Christo, quam de mortuo, quem si haberet, putabat sibi viuere.

Magdalenæ mirus affectus in Christi sepulchro.

2 *Inclinauit se, & prospexit in monumentum.) Cur hoc fecerit, nescio, nam sciebat ibi non esse, & hoc discipulis ipsa nunciauerat, sed vtrùm quod nimium dolebat, nec suis oculis facile putabat esse credendũ? an potius diuino instinctu? nam vidit duos Angelos, &c.* Vide affectus magnitudinem, vt nec oculis crederet suis, quasi lacrymis oppletis, & ideò non bene cernentibus.

Magdalena agnoscit Christum conuerso corde non capite.

3 *Conuersa dicit; Rabboni, idest, magister.) Quem putauerat hortulanum, magistrum vocat. tunc conuersa corpore quod non erat, putauit; nunc conuersa corde, quod erat, agnouit.* pulchrè discrimen ostendit per antithesin. vide vt cordis negotium hoc sit circa Christi agnitionem. quod non est assecuta conuersione capitis, assecuta est conuersione cordis per internum affectum.

Christus hortulanus Magdalenæ cordis.

4 *Noli me tangere, &c.) Hortulanus ille in eius corde tanquam in horto suo granum sinapis seminabat. quid hoc est? si stans in terra non tangitur, sedens in cœlo quomodo ab hominibus tangetur? qui certè antequàm ascenderet, discipulis se tangendũ obtulit, dicens: palpate, & videte. leguntur etiam, & feminæ post resurrectionem tetigisse Iesum, in quibus erat etiam ipsa Magdalena. sed aut figurabatur Ecclesia, quæ in Christum non credidit, nisi cum ascendit ad patrem; aut sic in se credi voluit, hoc est sic spiritualiter tangi, quod ipse, & pater vnum sint. carnaliter in eum credebat, quẽ sicut hominem flebat.* pulchrè cor Magdalenæ vocat Christi hortum, in quo scilicet fidem sereret quasi sinapi ob feruorem deuotionis: ideo vt hortulanum se exhibuit. quàm fœcundus, & virens erat hic hortus, quem gemini fontes oculorum irrigabant: cuius colonus ipse Christus?

Ex tractatu CXXII. in Ioannem.

1 *TRaxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.) Ait Dominus: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. iste ergo poterit pertinere ad numerum piscium magnorum. minimus autem ille, qui soluit factis, quod docet verbis. in tali Ecclesia potest esse, qualem significat piscium prima illa captura habentem bonos, & malos. vt autem ostendat istos minimos reprobos esse, qui docet bona loquendo, quæ soluunt male viuendo, nec quasi minimos in vita æterna futuros, cum dixisset: minimus vocabitur continuò subiecit: nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarũ, & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cælorum. isti enim sunt qui dicunt, & non faciunt.* Nota interpretationem. in sagena Christi non quilibet pisciculus comprehenditur: in vita æterna non nisi magni sunt, quorum dictis præclara facta respondent. nullus in cœlo hypocrisi locus. De numero verò centum quinquaginta trium piscium magnorum sic acutè: *Cum legis denario Spiritus sanctus per septenarium numerum accepit, fiunt decem & septem, qui numerus ab vno vsque ad se ipsum computatis omnibus crescens ad centum quinquaginta tres peruenit, &c.* ternarium autem ad Trinitatem refert. igitur ad Christi sagenam pertinet & obseruatio præceptorum, & dona Spiritus sancti, & fides Trinitatis

Magni pisces qui iungunt dicta cum factis.

Ex tractatu CXXIII. in Ioannem.

1 *VIderunt prunas positas, & piscẽ superpositũ. viderunt & panẽ.) piscis assus Christus est passus: ipse est panis viuus, qui de cœlo descendit.* pulchrè de Eucharistia cum passionis memoria sumenda, ibi assatus charitatis igne piscis ille, &

Piscis assus & panis Eucharistiæ typus.

nos ardenti corde sumamus, nutrimentū est immortalitatis;quamobrem addit.*hinc incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam.*

2 *Petre amas me? &c. cum autem senueris, extendes manus tuas, &c.) Hunc exitū inuenit ille negator, & amator, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat.nunc est, Petre, vt mortem non timeas. ausus es præuenire doctorem,formidasti eius persecutorem.ita pretio pro te fuso nūc est vt sequaris redemptorem, & sequeris vsque ad mortem crucis.*Nota vnde tāta in Petro mutatio,& robur,quia fusus iam erat Christi sanguis,nondum cū negauit.Tum nota zelum ipsius Christi circa crucem, qui noluit præueniri à Petro, vt prius Petrus pro Christo, quàm Christus pro Petro crucem subiret.Addit.*Redditur negationi trinæ trina confessio;ne minus amori lingua seruiat, quàm timori.*ac pulchrè quoque amorem proprium carpit. *Nescio quo inexplicabili modo, quisquis se ipsum, nō Deum amat,non se amat; & quisquis Deum,non se ipsum amat,ipse se amat. qui enim non potest viuere de se moritur vtique amando se.*egregiè dictum. tum explicat illud Apostoli.*erunt homines se ipsos amantes,*& subiungit:*amatores pecuniæ,elati,superbi,blasphemi,&c.hæc enim vitia ex illa radice quodammodo pullulāt. erunt se ipsos amantes.* Vide quot exitia gignat proprius amor,& exhorresce.

Petrus negationem cōpensauit cruce.

3 *Extendes manus tuas, &c. Alius cinget te,& ducet te quò tu non vis.) Non crucifixus,sed vtique crucifigendus, quò nollet,est ductus;nam crucifixus non quò nolebat, scilicet ad Christum; sed si fieri posset præter mortis molestiam, vitam concupiscebat,æternam,ad quam molestiam nolens venit,sed volens eam vicit,* acutè interpretatur:quo vt crucifigendus,non vt iam crucifixus Petrus attēditur.natura refugiebat crucē,sed vicit metū charitas,de cruce autem alacer venit ad Christum.

Petrus vincens naturam immens mortis.

Ex tract. CXXIV. in Ioannem.

1 S*Ic eum volo manere donec veniam.) Asserat aliquis Ioannem adhuc viuere in sepulcro,quod est apud Ephesum,& dormire potius quàm mortuū iacere contēdat.assumet in argumētum quod illic terra scatere, & quasi ebullire perhibetur, atque hoc eius anhelitu fieri.* notabile est hoc de terra ebulliente, quod ad eius quoque dilectionis ardorem referri posse puto.idem prodigium sic narrat. *Tradunt etiam,quod in quibusdam scripturis apocryphis reperitur,quando fieri sibi iussit sepulcrum,incolumem fuisse præsentem, eoque effosso,& diligentissime præparato, ibi se tanquam in lectulo collocasse, & defuncto similem cubasse,& sepultum fuisse dormientem,& donec Christus veniat,sic manere, suamque vitam scaturigine pulueris indicare, qui puluis creditur,vt ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli. quod re vera non à leuibus hominibus audiuimus.interim cedamus opinioni,quam certis documentis refellere non valemus,ne rursus exurgat quæstio,cur super humatum mortuum ipsa humus quodammodo viuere, ac spirare videatur.* pulchrè dictum de terra mobili, & quasi vitam à mortuo recipiente. Addit, si mortuum dicamus. *restat vt si verè ibi sit,quod sparsit fama de terra, quæ subinde ablata succrescit, aut ideo fiat, vt sic commendaretur pretiosa mors eius, quem nequaquam commendat martyrium,aut propter aliquid aliud quod nos latet.*hinc colligitur,solitos fideles de terra eius tumuli accipere, sed illam succreuisse,ne pietati aliorum deesset.

Mirum de Ioannis sepulchro terra ebulliente.

2 Quærit, vtrùm maius sit diligere plus ceteris Christum,quod fuit in Petro; nam Christus interrogauit Petrum quod sciebat,*Simon diligis me plus his?* an diligi plus ceteris à Christo, quod fuit in Ioanne? *Quod enim maius dare potuit Christus maioris erga eum suæ dilectionis indicium, quàm vt solus discubuerit super pectus ipsius?*respōdet pulchrè *Quantum ipse sapio,meliorem qui plus diligit Christū, feliciorem verò quem plus diligit Christus, facile responderem, si iustitiam liberatoris nostri minus eum diligentis, à quo plus diligitur,& eum plus,à quo minus diligitur, quemadmodum defenderem, præuiderem.* Vt igitur iustitię in Christo rationem habeat,cōfugit ad mysterium;& ait,in Petro significatam vitam actiuam, in Ioanne contemplatiuam. siue in illo Ecclesiam præsentem,cuius curæ demandata erat,in hoc futuram.*vna vita est in fide, altera in specie, vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis, &c.* elegāter,& fusè vtramque describit.Tum ait, minus nos in hac vita diligi à Christo,plus in altera. Sed dices; si per contemplatiuā diligimur plus à Christo, cur illa non plus diligit Christum?respondet,quia nunc inchoata tantùm est, nec ad perfectum reducta.nimirum hoc est:*Volo eum manere, id est expectare donec veniam, quia & ipsum amorem, qui tunc multò amplior erit, nondum habemus, sed futurum expectamus,vt cum ipse venerit, habeamus.* Concludit acutè: *Amet ergo eum Petrus, vt ab ista mortalitate liberemur; ametur ab eo Ioannes, vt in illa immortalitate seruemur.*

Vtrum maius diligere Christum vt Petrus an dilig: vt Ioannes.

Ex

Ex Epistola Ioannis.
Tractatu I.

Martyres in ore habendi per laudem et in corde per imitationem.

1 *VIdimus, & testes sumus.) græcè est. μάρτυρες quis autem non audiuit Martyres? aut in cuius ore Christiani non quotidie habitat nomen Martyrum? atque vtinam sic habitet & in corde, vt passiones Martyrum imitemur. ergo hoc dixit, testes sumus; Martyres sumus; testimonium enim dicendo, cum displiceret ipsum testimonium, passi sunt omnia, quæ passi sunt Martyres. Deus testes habere voluit homines, vt & homines habeant testē Deū.* præclarum est quod ait, quotidie in ore omnium haberi solitum nomen Martyrum, & de eorum tolerantia fieri sermonē; quod rectè item in corde exprimi vult. notabile etiam illud: Dei testes sumus, eius fidem prædicando more Martyrum parati ad necem, vt ipse testis sit nostræ virtutis, idemque remunerator.

Vterus Virginis thalamus sponsalis Verbi incarnati.

2 *Vidimus.) hoc illud est, in Sole posuit tabernaculum suum, &c. idest in manifestatione in hac luce. ille ante Solem, qui fecit Solem, vt videretur oculis carneis, qui vident Solem. ipsum tabernaculum suum posuit in Sole, idest carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit; & illius sponsi thalamus fuit vterus Virginis; quia in illo vtero virginali coniuncti sunt duo, sponsus Verbum, & sponsa caro; quia sic scriptum est: Et erant duo in carne vna. & Esaias optimè meminit vnum esse ipsos duos; loquitur enim ex persona Christi, & dicit: Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento: vbi vnus videtur loqui.* pulchrè coniunctionem explicat diuinæ, humanæque naturæ in vna persona Christi. mitram habet, & coronam diuinitatis vt Verbum est; ornamenta cetera, vt caro factum est. & vide quo splendore fulgeret vterus virginalis, si ex eo veluti thalamo processit vt Sol.

Tabernaculum in sole Christi incarnatio manifesta.

Leuia peccata si multiplicentur pauenda sūt.

3 *Quod si confessi fuerimus delicta nostra, &c.) etiam ista leuia, quæ dicimus peccata, noli contemnere. si contemnis, quando appendis? expauesce quando numeras. leuia multa faciunt vnum grande. multæ guttæ implent flumen, & quæ spes est? ante omnia confessio.* nota vt etiam leuia peccata velut in libra ponderanda sint, ne multitudine grauemur. & vt remedium vitandi leuia ipsa peccata sit confessio. pende illud: *Expauesce quando numeras.*

Ioannes e Christi pectore velut ex aureo cratere hausit.

4 *Aduocatum habemus apud patrem,) Videte ipsum Ioannem seruantem humilitatem. certè vir erat iustus, & magnus, qui bibendo de pectore Domini, mysteriorum secreta bibebat: ille qui bibendo de pectore Domini diuinitatem ructauit, non dixit: Aduocatum habetis, sed habemus.* pulchrè indicat Christi pectus fuisse tanquam craterem aureum, vnde Ioannes diuinitatis cognitionem quasi nectar hauserit. & tamen hic adeò dilectus patrocinio ipsius Christi egere se dicit.

Christi & pietas & potentia parcendo inimicis.

5 *In hoc cognouimus, quia in ipso sumus, si in illo perfecti fuerimus.) idest in dilectione; & quæ est perfectio dilectionis? inimicos diligere, & ad hoc diligere, vt sint fratres. non enim dilectio nostra carnalis esse debet, optare alicui salutem temporalium. si optas amico tuo vitam, benefacis; si mortem inimico, malefacis. sed incertum est vtrū alicui vita ista sit vtilis, an inutilis; vita verò, quæ est apud Deum, sine dubio vtilis est. Christus in cruce non dixit: Viuant isti multo tempore. me quidem occidunt, sed ipsi viuant. sed quid ait? Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. mortem sempiternam ab ipsis expellebat prece misericordissima, & potentia præstantissima. ità multi ex ijs crediderunt, & dimissus est eis fusus sanguis Christi. primò fuderunt, cum sæuirent; tunc biberunt, cum crediderunt.* nota de spiritali gratia, quam alijs precari debemus; quippe hæc humanis omnibus potior est. tum vide & pietatem, & potestatem, vimque verborum Christi. pietatem, dum veniam inimicis precatur; potentiam, dum facit, vt ij primò eius sanguinis beneficium sentirent, qui ipsum fuderant.

Cor sine charitate excors et & cæcū.

6 *Qui dicit se in lumine, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.) Nescio quis ex Pagano factus est Christianus. ecce tenebræ erat, nunc autem lux in Domino. omnes gratulantur, sed adhuc Ioannes sollicitus est. amplectantur igitur maternam sollicitudinem. non sine causa mater sollicita est de nobis, cum alii gaudent; matrem dico charitatem, ipsa enim habitabat in corde Ioannis, cum ista diceret.* nempe tenebricosum est cor sine charitate. item eius virtutis quasi maternam curam & sollicitudinem considera. duplex igitur maternus affectus erat in corde Ioannis, tum erga Virginem, quam loco matris acceperat, tum erga charitatem, quæ bonorum mater est. Quod autem ait. *in tenebris est. quid tam cæcum quàm isti, qui oderunt fratres?* nota, & tamen cæci audent eorum defectus inspicere.

Christus de Eucharistia loquens solis instar perstrinxit multorum oculos.

7 *Scandalum non est in eo) Dicit psalmus, per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. per vstionem scandalum vult intelligi; nam qui vritur, dicit; non tolero, non fero, & subducit se: sic qui non ferunt quædam in Ecclesia. videte quomodo passi sunt scandalum tanquam à Sole carnales illi, quibus prædicabat carnem suam Christus: Qui non manducauerit carnem, &c. septuaginta ferè homines dixerunt: Durus est hic sermo; & recesserunt ab eo, & reman-*

runt ab eo, & remanserunt duodecim. omnes illos vssit Sol non ferentes vim verbi. Quos autem vrit Ecclesia tanquam Luna per noctem? qui schismata fecerunt, &c. præclarè indicat, vocem illam Christi de Eucharistia tāquā vehementissimos Solis radios fuisse, qui perstrinxerint aciem oculorum, & vsserint eos, qui recesserunt, tantum amoris æstum ferre non ualentes. ac nota magnum numerum eorum, qui aderant, & scandalizati sunt, quos septuaginta dicit: Tum contra eos, qui facile scandalizantur, ait. *Offendit te nescio quis, siuè malus siuè, vt putas, malus, siue vt tu fingis, malus, & deseris tot bonos. qualis est hæc dilectio fraterna?* notandum hoc religiosis maximè.

8 *Tenebræ excæcauerunt oculos eius.) Vt noueritis qui cæci sunt, in montem offenderunt. Christus lapis est, qui creuit, & factus est mons magnus, & impleuit vniuersum orbem terrarum. cum volunt homines videre Lunam nouam, dicūt: Ecce Luna, ecce vbi est, et si sunt ibi qui volunt intendere aciem, & dicatur, vbi est? intenditur illis digitus vt videant, & aliquando dum erubescunt, ne cæci putentur, dicunt se vidisse quod non viderunt; nunquid sic ostendimus Ecclesiam? nonnè aperta est? cum eis dicitur: ascendite, non est mons, dicunt, & facilius illuc faciem impingunt, quàm illic habitaculum quærunt. Esaias ait: Erit in nouissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium; sunt & montes ignoti, quia in vna parte terrarum positi sunt. Quis vestrum nouit Olympum montem? ille autem mons non sic, quia impleuit vniuersam faciem terræ, & de illo dicitur: paratur in cacumine montium, quis errat in hoc monte? qui frangit faciem offendendo in illum. sed nimirum tenebræ excæcarunt oculos eorum. montem non vident*, rectè Ecclesiam quasi sublimissimum montem etiam Olympo præfert. & tam amplum montem non vident hæretici, sed impingunt in illum, quia læsos habent oculos; at etiam si non viderent, ne cæci haberentur, dicere deberent se videre, vt in exemplo de Luna, licet hæc cum noua est, non mirum quòd pro exilitate vix cerni possit.

Ecclesia Olympo monte sublimior omnibus patet.

Ex tract. II. in Epist. Ioannis.

Heretici Hierosolimam oderant ob necem Christi et Ecclesiam ibi natam

1 DE Donatistis sic ait. *Aiunt: Non communicamus illi ciuitati, vbi occisus est Dominus at occiderunt Iudæi, quem inuenerunt in terra; exufflant isti, qui sedet in cœlo: pij homines, & misericordes multum dolent occisum esse Christum, & occidunt in hominibus Christum*, nempè oderant hi Ecclesiam, quia Hierosolymæ initium habuit, vbi Christus occisus, at inde prædicatio cœpit in remissionem peccatorum. Addit. *aiunt Christum remansisse solùm ad duas linguas, Latinam, & Punicam, siue Afram.* sed confutat hoc, quia in aduentu Spiritus sancti cum apparuerunt dispertitæ linguæ: *mirabantur Iudæi de diuersis gentibus, idiotas, & imperitos subitò didicisse non vnam, aut duas linguas, sed omnium omnino gentium.* certè nunc etiam noui Orbis linguis Ecclesia resonat, ignotis antea prorsus, ac barbaris.

2 Pulchrè ostendit schismata vitanda, & vnitatem quærendam. *Diuidentibus sibi Ecclesiam parturiens paruulos mater charitas in Apostolis exponit viscera sua; conscindit quodammodo verbis vbera sua; repellit ab amore suo, vt Christus ametur, & dicit: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? nolo vt mei sitis, sed vt mecum sitis. omnes illius sumus, qui pro nobis crucifixus est.* eleganter, & piè dictum. vides vt charitas materno quodam amore doleat de Ecclesiæ incommodis; id cuique cordi esse debet. Tum nota vt amori proprio, & honori renunciandum sit; & vt in omnibus solùm Christi gloria quærenda.

Dolor de Ecclesiæ incommodis.

Amori proprio præponēda Christi gloria.

3 *Nolite diligere Mundum.) Si Mundi amor habitat, non est quà intret amor Dei, melior accipiat locum. cum exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem diuinum. quasi agrum inuenit corda dominus. si siluam inuenit, extirpat. si agrum purgatum inuenit, plātat; plantare ibi vult arborem charitatem. & quam syluam vult extirpare? amorem Mundi.* Vide vt Deus instar coloni plantare curet charitatem in agro cordis, arborem suauissimis fructibus fœcundā; quis credat Mundi delicias vepres esse, & siluescentes labruscas continere? hunc facit pulchrè illud. *radicati in charitate.* itaque addit: *Quomodo radicabitur ibi charitas inter tanta syluosa huius Mundi? extirpate syluas, magnū semen posituri estis, non sit in agro quod suffocet semen.* præclara parænesis.

Amor Mundi excludit amorem Dei.

Vt charitas radicetur in corde extirpandi vepres.

4 Eleganter Christum tanquam arborem facit, iuxta huius Mundi præter labentem fluuium plantatam, cui adnitendum sit, ne impetu rapiamur. *Rerum temporalium fluuius trahit, sed tanquam circa fluuium arbor enata est Dominus Iesus Christus; assumpsit carnem, voluit se quodammodo circa fluuium temporalem plantare, raperis in præceps? tene lignum. voluit te amor Mundi? tene Christum.* Nota de Mundi periculis, & quàm prudenter agant religiosi potissimū, qui per vota arctius apprehendunt Christum.

Mundus præceps torrēs adnitendum Christo ne rapiamur.

5 Eos carpit, qui creata postponunt Creatori. *Si sponsus faceret sponsæ annulum, & illa acceptum annulum plus dilige-*

Mundus quasi annulus est sposi Dei vt ipsum amemus non illu.

ligeret quàm sponsum, & diceret: sufficit mihi annulus iste, iam illius faciem nolo videre; nonnè in ipso dono adultera deprenderetur? quamuis hoc amaret, quod dedit sponsus; ad hoc vtique arrhā dat sponsus, vt in arrha sua ipse ametur. ergo dedit Deus omnia tibi ista, ama illū, qui fecit ista. si amaueris Mundum, amittes eum, qui fecit Mundum. Nota vt orbis hic, & circulus Mundi velut annulus sit Dei sponsi, paruus respectu immensitatis Dei, sed arrha, & pignus est superioris illius Mundi, non tempore sed æternitate contenti. huius porrò annuli, hoc est orbis gemmam dixerim Romanam vrbem religionis magistram. *sposabo*, inquit, *te mihi in fide.*

6 Explicat illud. *Omne quod est in Mundo, aut est, &c.) Per ista tria tentatus est Dominus. desiderio carnis, cum dictum est: Dic vt lapides isti panes fiant, quando esuriuit post ieiunium. sed quomodo docuit pugnare militem? Non in solo pane, &c. Tentatus est & desiderio oculorum de miraculo, cum ei dixit; Mitte te deorsum, quia scriptum est, Angelis suis Deus mandauit de te, vt suscipiant te, &c. sed restitit tētatori; si enim faceret miraculum, non videretur, nisi aut cessisse, aut curiositate fecisse. De ambitione seculi tentatus est, cum eleuauit eum in montem excelsum, & dixit ei; hæc omnia tibi dabo, &c. de elatione regni terreni voluit tentare regem seculorum; sed Dominus, qui fecit cœlum, & terram, diabolum calcabat.* rectè ad curiositatem oculorum refert, si cadens reciperetur vlnis Angelorum; quale enim spectaculum id fuisset? & nota diaboli astutiam, omnia præcipua genera tentationum Domino vno quasi impetu pugnæ inculcantis.

Christus in deserto omnia genera tentationum appetitus.

7 De Dei dilectione sic pulchrè, *Talis est quisque, qualis dilectio eius est; terram diligis? terra es. Deum diligis, quid dicam? Deus eris? non audeo dicere ex me, scripturas audiamus. ego dixi Dij estis, &c.* huc facit quod ait Aristoteles; anima intelligendo fit omnia. addo etiam diligendo.

Talis fit anima quale id quod diligit.

Ex tract. III. in Epist. Ioannis.

1 P*Ueri, nouissima hora est.) Pueros alloquitur, vt festinent crescere. quid est crescere? proficere. quisquis natum nouit esse se, audiat quia puer est. & infans, auidè inhiet vberibus matris, & citò crescet; est autem mater Ecclesia, & vbera eius duo testamenta; hinc sugatur lac omnium Sacramentorum temporaliter gestorum, vt nutritus, & roboratus perueniat ad manducandum cibum, In principio erat Verbū, &c. lac nostrum Christus: humilis est cibus noster? idem Christus est æqualis patri.* Vide vt maternis vberibus Ecclesiæ inhiandum sit; vt Christum in Sacramento lacti initar instillet, memoria natiuitatis inprimis, ac passionis, qui etiam robustiore cibo diuinitatis nos pascat. quamobrem acutè quærit. *Cur Magdalena vetuit ipsū tangere? Discipulis se palpandum præbuit, & Maria contactum vitauit? an à mulieribus contingi timuit? at contactus illius omnem carnem mundat. nonnè eius resurrectio per fœminas nunciata est, vt contraria arte serpens vinceretur? sicut .n. mortē primo homini p fœminā nunciata est, ita & vita. sed cōtactum spiritalem intelligi voluit: ille contingit de corde mundo, qui eum intelligit patri coæqualem, & coæternum.* at Magdalena non dum hoc intelligebat, ideoque tangere manu non valuit, quem nondum attigerat mente.

Lac nostrum quo alimur & grandescimus Christus est.

2 *Nouissima hora est) Dices, quomodo nouissima, si prius veniet Antichristus, & postea dies iudicij? Quisquis factis negat Christum, Antichristus est. non audio quid sonet, sed video quid viuat. clamat ille artifex de cœlo; ego hominem feci, non auaritiam, &c. ex ore trium puerorum ipse hymnus erat, qui ab ignibus defendebat; laudant cœli, terra, mare, quicquid volat, quicquid repit, &c. quid audistis? quia laudat dominum auaritia, nugacitas, &c? quod ibi non audis laudem dare Domino, non fecit Dominus. corrige quod tu fecisti, vt saluet quod in te Deus fecit.* pulchrè adnotat, cum ad Deum laudandum etiam dracones, & bestiæ aduocentur, non acciri auri cupiditatem, &c. quia hæc nostra sunt, non ipsius opera. elegans est illa Dei creatoris conquestio cum homine malè operante. Illud verò quàm formidolosum quod ait: *Quisquis factis negat Christum, Antichristus est.* exhorresce qui peccas.

Christum factis negans Antichristus est.

3 *Vos in filio, & patre manebitis.) Memoria promissa mercedis perseuerantem facit in opere. quæ merces ista? vita æterna? audistis, & gauisi exclamastis. amate igitur quod audistis. ecce quid promittit Deus, vitam æternam. ecce quid minatur, ignem æternum. illud nondum amas? vel hoc time. & qua fronte ad illum, qui manet in æternum exiturus es? exhorresce quod minatur omnipotens, ama quod pollicetur omnipotens, & vilescet omnis Mundus, siue promittens, siue terrens.* magnam vim habet hæc sententia, præsertim illa de exitu ex hac vita ad tribunal Dei sine meritis, immò cum demeritis multis: *Qua fronte ad illum, qui manet in æternum, exiturus es?* agitur de æternitate, vel pœnæ, vel supplicij apud ęternum Iudicem. Nota etiam quàm efficaciter Augustinus loqueretur apud auditores circa hoc, quanto cum motu animorum, proposita enim ante oculos æterna mercede, *audistis, & gauisi exclamastis.*

Æternitas vel pœnæ vel præmii magnam vim habet ad motum.

Unctio

4 *Vnctio ipsa docebit vos de omnibus.) Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine, admonere possumus per strepitum vocis nostræ. si non sit intus, qui doceat, inanis est strepitus noster. magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt, & admonitiones. cathedram in cœlo habet, qui corda docet.* pulchrè de interno magisterio Spiritus sancti, qui etiam tanquam palæstritas nos docet vngendo. & vide vbi cathedram habet, in cœlo, clariorem certè quàm quæ cathedra Cassiopeæ dicitur inter stellas. quàm stulta præ hac veterum lyceum, Zenonis porticus, Platonis Academia? de cœlo magister hic docet, ac proinde cœlestia. & rectè ait, inanem esse laborem nostrum in alijs erudiendis, nisi sanctus Spiritus intrinsecus doceat, inspirando.

Sācti Spiritus cathedra in cœlo est.

Ex tractatu IV. in Epist. Ioann.

1 *VNctio vos docebit.) Habitare vult diabolus corda hominū, & loqui ibi omnia, quæ valent ad seductionem. sed quid ait Dominus? Princeps huius Mundi eycietur foras. nunquid extra fabricam Mundi? non ità, sed extra corda credentium. forinsecus oppugnat. sed ille non consentit, cui Deus intus loquitur.* Vide quàm dispar magisterium. nempè in cordis quasi lycæo docent, aut Deus, aut diabolus: aut bonus Spiritus, aut malus. rectè Ambrosius: *primus discendi ardor nobilitas est magistri.* alteruter itèm principatum cordis possideat oportet. quid ni diabolus excludendus?

In corde magisteriū est aut Dei aut diaboli.

2 Explicat illud psalmi, quod ita legit: *Incipite Domino in confessione.) Incipite, inquit; initium iustitiæ nostræ confessio peccatorum. cœpisti non defendere peccatum tuum? iam inchoasti iustitiam; perficietur autem, quando non erit lucta cum carne, sed corona victoriæ & triumphus de hoste: modò adhuc in stadio sumus. ferimus, & ferimur; sed qui vincat, expectatur. ille autem vincit, qui & quod ferit, de viribus suis non præsumit, sed de protectore suo. si solus pugnaueris, vinceris. exercitatus est hostis, quot palmarum?* Nota vt à Deo sit petenda, & expectanda victoria, & vide quod sit præsens sæculum: *in stadio sumus. ferimus, & ferimur.* nec iustus immunis à vulnere.

Initium iustitiæ confessio peccati.

3 De Iobo sic pulchrè. *In Iob Adam ipse, quia de genere ipsius Iob. ergo Adam victus in paradiso, vincit in stercore: in paradiso cum esset, audiuit persuasionem mulieris: in stercore cum esset, ait: Ecce tanquam vna ex insipientibus locuta es.* elegans collatio. Vide vt non locus, sed voluntas in virtute vel vitio sit.

Iob Adæ prælatus.

4 *Similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti, est.) Tota vita Christiani boni sanctum desiderium est. sicut si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum. nosti quantum est, & videns quàm angustus est sinus, extendendo facis capaciorem. Desideremus, fratres, quia implendi sumus. videte Paulum extendentem sinum. In ea, inquit. quæ ante sunt, extensus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. bono implendus es, funde malum. puta quia melle te vult implere Deus. si aceto plenus es, vbi mel pones? mel dicamus, aurum, vinum, quicquid dicamus quod dici non potest, Deus vocatur, & quid diximus Deus? duæ istæ syllabæ sunt totum quod expectamus. extendamus nos in eum, vt cum venerit, impleat.* affectu plenus hic locus est. pende illud, *Tota vita Christiani boni sanctum desiderium est.* quid vita religiosi? & pulchrè ostendit, cum tam amplus sit Deus, immò immensus, dilatandum cordis sinum, & euacuandum omni alia re. huc refer affectum Xauerij dilatantis sinum: nempe ad eum dicamus. *nosti quàm magnum est quod dabitur, & ideo extendis sinum, &c.*

Tota vita Christiani sanctū desideriū est.

5 *Sicut ille iustus est.) Sicut, non semper ad æqualitatem dici solet.* vt si via minor fiat proportione alterius amplæ. lata simplum, & longa duplum; sed illa habeat cubitos triginta, hæc centum. ita imago in speculo dicitur sicut hominis facies. *habemus & nos imaginem Dei, sed non illā, quam habet filius æqualis patri. tamen & nos pro modulo nostro; si non sicut ille essemus, ex nulla parte similes diceremur: ipse iustus incommutabili perpetuitate, nos iusti credendo, &c.* rectè distinguit, ac discrimen ostendit imaginis in Dei filio, & in nobis. ille natura iustus, nos participatione, & adoptione, &c.

Dei filius imago nos ad imaginem.

6 De Adamo, & Christo sic. *Duas natiuitates attendite. Adam, & Christum, duo sunt homines. sed vnus ipsorum homo, homo; alter homo Deus: per hominē hominē peccatores sumus, per hominem Deum iustificamur.* Non fuit omittendum, quod vult nos attendere, ut constet quantum beneficium sit Incarnatio Verbi.

Adami & Christi natiuitas quā dispar.

Extract. V. in Epist. Ioan.

1 QVo fine intretur in Ecclesiam, ostendit. *Puto, fratres, quod omnis homo sollicitus est pro anima sua, qui non sine causa intrat Ecclesiam, qui non temporalia quærit in Ecclesia, qui non propterea intrat, vt transigat negotia sæcularia, sed vt aliquid sibi æternum potissimum teneat, quò perueniat.* rectè monet, ut æternitati

In Ecclesia nō nisi de æternitate & salute cogitandum

nitati

nitati studendum sit in Ecclesia, non sine sollicitudine de anima sua. nihil ibi temporale obuersetur animo. totum quod cogitatur, æternum sit. quàm absunt ab hoc confabulationes, curiosique aspectus?

Charitatis poculo satiari est pro fratre mori paratum esse.

2 *Non diligamus verbo tantum, &c.) Qui dicebat in psalmo: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? attendebat quanta sibi essent præstita à Domino, & non inueniebat; quicquid enim retribuere volueris, ab ipso accepisti quod reddas; & quid inuenit quod retribuat? Calicem, inquit, salutaris accipiam; sed quis illi dederat calicem salutaris, nisi ille, cui volebat, retribuere? accipere autem calicem salutarem est satiari charitate, & ita satiari, vt non solùm non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre. sic Stephanus amabat, à quibus occidebatur; & Paulus ait: Impendar pro animabus vestris. & Petro non ait, amas me, obsequere mihi, sed pasce oues meas, idest fac pro fratribus quod pro te feci.* pulchrè de calice, & poculo martyrij subeundi pro salute animarum, quod Petrus, & Paulus inprimis acceperunt. hæc sitis nostra sit; & vide quanta sit auiditas oporteat. rectè enim monet. *satiari charitate, & ita satiari, vt non solùm non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre.* meritò dicitur de hoc cratere, *quàm præclarus est?*

Beneficentia in Dei seruos laudatur.

3 Ad benefactores religiosorum hoc pertinet. *Elias Dei seruus nō habebat hoc necessarium, cui panem & carnem per coruum mittebat, & tamen vt vidua religiosa benediceretur, mittitur seruus Dei: pascitur à vidua is, quem Deus in secreto pascebat.* Vide vt benedictionem consequantur viduę maximè, quæ seruis Dei subueniunt. est certè hæc laus piarum quarundam matronarū hoc tempore circa religiosos maximè spectabili beneficentia insignium.

Charitas pretiosa margarita est.

4 De charitate sit pulchrè. *Signent se omnes signo crucis, intrent Ecclesias, fariant parietes basilicarum; non discernuntur filij Dei à filijs Diaboli, nisi charitate. puto istā margaritam esse illam, quàm qui inuenit negotiator, vendidit omnia, & emit eam. hæc est margarita pretiosa, charitas.* Vide quo quasi sigillo, ac tessera discernantur filij Dei, et filij Diaboli. ac pulchrè charitatem pretiosam margaritam vocat. est ergo insti mens tanquam concha vbi concipitur hęc margarita. ideoque puto cœlestes ianuas ex margaritis constare, vt dicitur in apocalypsi, ob vnionem charitatis in beatis.

Abelis sacrificium acceptum non quia ex ouibus sed quia ex charitate.

5 Charitatem sic opponit inuidiæ. *Non fuit charitas in Cain; & nisi esset charitas in Abel, non acciperet Deus sacrificium eius. quid putatis, quia Deus fructus terræ neglexit, & fœtus ouium dilexit? non intendit Deus ad munus, sed in corde vidit in charitate offerre, ipsius sacrificium respexit; quem vidit cum inuidia offerre, ab illius sacrificio oculos auertit.* rectè adnotat, huc refer illud Theodotionis, qui vertit. *Inflammauit Deus super Abel, & super munera eius.* prius super Abel, in quo ardebat charitas; deinde super munera eius; ne videretur acceptasse, quia oues erant, & non terræ fructus.

Petro simul & pastoris munus & mors demandata.

6 *Ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus, &c.) Ecce vnde veniebat: Petre amas me, pasce oues meas. nam vt noueritis, quia sic ab eo volebat pasci oues suas, vt & ipse animam suam pro illis poneret, hoc illi statim adiunxit: cum fueris senior, alius præcinget te, &c. hoc autem dixit significans, qua morte esset clarificaturus Deum.* acutè notatum; simul cum cura pastorali ei demandatum studium martyrij subeundi. adeò qui præest, paratus esse debet ad mortem. hoc sibi proponat qui Ecclesiæ munus accipit: crucem, non commodum. charitas appareat, non honor ac fastus. hinc hebraicè affines voces sunt, pastor, & amator, vt alibi diximus.

Ex tractatu VI. in Epist. Ioan.

Pura conscientia dextera est non attēdens sinistram temporalium.

1 *Coram ipso persuademus cordi nostro, &c.) Opus suum probet quisque, vtrùm de vena charitatis emanet; quid est coram ipso? ipse videt. & quid est, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? nisi quia dextera tua pura conscientia est, sinistra, Mundi cupiditas. dextera debet operari nesciente sinistra, vt non misceat se cupiditas seculi, cum aliquid boni de dilectione operamur. ante Deum es, interroga cor tuum; vide quid ibi appetisti, salutem tuam, an laudem humanam ventosam? intus vide.* pulchrè conscientiam puram, & æterna spectantē vocat dexteram, quæ sinistram non attendat hoc est temporalium curam. & egregiè monet, intentionem rectam esse debere ex Dei præsentia, quem non latet cor. rectè appellat humanam laudem, *ventosam*, sic dicitur, *Ephraim pascit ventum.* non nisi vanus tumor est: contra solida res est cura salutis.

Non exaudiri à Deo in rebus contra salutem exaudiri est.

2 *Quicquid postulauerimus, accipiemus.) Inueniemus quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem; & contra. diabolus petit Iob tentandum, & accepit; Paulus vt auferretur stimulus carnis, & non accepit. sed Apostolus magis exauditus est, quā diabolus, quia ille ad salutem, hìc ad cruciatum.* Addit. *Dimisit dęmones ire in porcos, vt ostenderet diabolum eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.* affert & medici exemplū. *secare te vult medicus, vrere vult; clamas, & nō exaudiris in sectione, in vstione: nō exaudit ad voluntatem, sed ad salutem.* acutè notat diabolum exauditum in petitione, Paulum non item. & tamen ait Paulum potius exauditum, quia non est auditus in ea re, quæ ipsi non expediebat.

De

Dist vetos locorum intervallis charitas vnit.

3 De charitate in omnes, etiam ignotos sic pulchre, oculorum exemplo: *Multos non videmus fratres nostros, & in vnitate Spiritus illis copulamur. Oculi nostri non se vident, quasi non se norunt, an in charitate compaginis corporalis non norunt se? dirige radium dexterum sine altero, si potes: simul coeunt, simul dirigunt, intentio vna est, loca diuersa sunt.* facit hoc pro religionibus, quarum alumni se diligunt, & licet in locis diuersis seiuncti sint corpore, tamen in vnitatem eiusdem instituti, ac voluntatis consentiunt. habet hoc in primis nostra Societas toto terrarũ orbe dispersa, sed animis coniunctissima: nota illud de duobus oculis in vnam visionem conspirantibus.

Ex tract. VII. in Epist. Ioan.

Mundus desertum aridum est charitas fons.

1 CHaritatem fonti in deserto edito comparat. *Mundus iste nobis quærentibus patriam sic est, quomodo fuit eremus populo Israel. tradebantur, quia exercebantur, non quia deserebantur. si non vultis in ista eremo siti mori, bibite charitatem. fons est, quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via, & abundantius eum bibemus cum ad patriam peruenerimus.* Vide quid sit hic Mundus, non hortus deliciarum, vt vulgo putant, sed arida eremus, nisi charitatis fons affluxerit. huc refero illud: *Eduxit mel de petra, oleũq; de saxo durissimo.* quid .n. charitate, aut dulcius, aut lenius? huc item pertinet quod addit. *Charitas Dei, inquit Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. ipse est ille fons, de quo dicit scriptura: Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi. qui non diligunt Deum, alieni sunt; hoc est proprium donum charitas, quæ est singularis fons.* nota vt proprium nobis facere debeamus hunc fontem.

Prou. 5.

Charitas omni thesauro potior.

2 Pergit pulchrè de charitate. *Quare cum laudatur charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? quid vobis ostendi? num aliquos colores protuli? num aurum & argentum proposui? aut gemmas de thesauris effudi? si vobis ostenderetur aliquod vas anaglyphum inauratum, operosè factum, nonnè quisque vestrum diceret, ò si haberem vasculum illud? sed frustra diceretis, quia in potestate vestra non est habere. laudatur charitas, si placet, habete. non opus est emere, gratis constat.* Vide quàm piè & efficaciter loqueretur Augustinus, vt ad charitatis nomen quisque acclamarit, & plauserit. egregiè autem adnotat, vt illa & vt omne pretium superet, & à quouis possideri possit.

Correctio quomodo facienda.

3 De charitatis feruore, ac zelo sic, *Ne putetis charitatem abiectam, & desidiosam; posse te amare proximum, cum eum non corripis; non est charitas ista, sed languor. ferueat charitas ad emendandum. propterea in specie columbæ venit Spiritus sanctus; fel columba non habet; tamen rostro, & pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sæuit.* Vide vt correctio sit facienda. scilicet charitas vt hominem amat, ita in errorem sæuit; quia illud opus Dei, non item hoc. elegans ratio cur Spiritus sanctus columbæ assimiletur: eadem & mitis est, & pugnax; ita qui Dei spiritum habet, & proximum diligit, & contra eius vitia per correctionem depugnat.

Ex tract. VIII. in Epist. Ioan.

Charitas dulce verbum sed dulcius factum.

1 CHaritatem item commendat. *Dilectio dulce verbum est, sed dulcius factum: de ea semper loqui non licet, quanquam nihil melius ageret lingua nostra; sed custodire semper licet. sic neque semper alleluia cantamus, idest laudate Dominum. qui Deum laudat, lingua non semper potest; qui moribus Deum laudat, semper potest.* pulchrè dictum. ita tota uita iusti oratio perpetua est. Vide quàm suaue sit de charitate loqui, & quàm frequens in ore esse debeat. egregiè autem ait: *Dilectio dulce verbum, sed dulcius factum.*

2 Eleganter de uirtutum exercitio. *Quis sufficit virtutes omnes nominare? affectum charitatis, incorruptionem castitatis, &c. quasi exercitus est Imperatoris, qui sedet intus in mente tua. quomodo enim Imperator per exercitum suum agit quod ei placet, sic Dominus Iesus habitans in interiore homine nostro, idest in mente per fidem, vtitur istis virtutibus quasi ministris suis. per has inuisibiles virtutes mouentur membra visibiliter; pedes ad ambulandum: sed quò? quò mouerit bona voluntas, quæ militat bono Imperatori; manus ad operandum: sed quid? quod iusserit charitas.* pulchrè ostendit, ut in homine iusto intrinsecus tanquam in regio tabernaculo mentis inhabitet Imperator Christus, ducens strenuum uirtutum agmen ad Infernum expugnandum; & ut bona uoluntas militet stipendijs æternitatis ei Imperatori, mouens exterius corporis membra ad sanctè operandum. quò spectat illud. *Exhibite membra vestra tanquam arma seruire iustitiæ, &c.*

Virtutum quasi castrense agmen sub Imperatore Christo.

3 Deum dicit auctorem boni agnoscendum. *Peruersi homines videte quàm præposteri sint: quod faciunt bene, volunt sibi tribuere; si malè faciant, Deum volunt accusare: deorsum vis facere Deum, & te sursum. præcipitaris, non eleuaris; ille enim semper sursum est.* rectè detestatur hominum peruersitatem. cum quis bonum agit, sibi id tribuit, quòd Dei est; cum malum, quod à se est, id tribuit Deo, vt quod carnem dederit

Deus auctor boni non mali.

derit tam fragilem,&c.

Cur Ioannes de dilectione fratrum frequentius loquitur.

4 De charitatis gradibus sic. *Fortasse moueat aliquem vestrum, cur Ioannes non cõmendarit maximè nisi fraternam charitatem? nempe necesse est, ut ignis prius occupet proxima,& sic se in longinquiora distendat.* quippe proprium ignis est serpere,& extendi crescendo; ita charitas vsque ad inimicos fertur. Tum acutè addit. *Si non sit quod præstemus, beneuolentia sufficit amanti. non enim debemus optare esse miseros, vt possimus exercere opera misericordiæ; germanius amabis felicem hominem, cui non habes quod præstes. purior ille amor erit, multoque sincerior, nam si præstiteris misero fortasse extollere te vis aduersus eum, & tibi habere subiectum, quia maior sic videris. opta æqualem, vt ambo sub vno sitis, cui nihil præstari potest.* acutè ostendit, cur fratres maximè diligendos Ioannes præcipiat. tum quia proximè accēsa charitatis flamma facile in exteros se extendet: tum quia vacat suspicione superbiæ; neque enim speras fratrem sic fore tibi subiectum per illud beneficium, quemadmodum exterum pauperem.

Adæ peccatum ad auaritiā relatum.

5 De æqualitate inter nos optanda sic. *Quærimus quomodo sibi concordant istæ duæ sententiæ: Radix omnium malorum auaritia; & initium omnis peccati superbia? quid est auarum esse? progredi vltra quàm sufficit. Adam superbia cecidit, & quid auarius illo, cui Deus sufficere non potuit? quid de illo dixit Deus? Habeat potestatem piscium maris, et volatilium cœli, & omnium pecorum, quæ repunt super terram. nunquid dixit: habeat potestatem hominum? quare est potestas hominis in ista? quia factus ad imaginem Dei in intellectu, in mente; ideò multi cum per cupiditates malas desererent in se imaginem Dei, & ipsam quodammodo flammam intelligentiæ peruersitate morum extinguerent, clamat illis scriptura:* Nolite fieri sicut equus, *& mulus, quibus non est intellectus: hoc est præposui te equo,&c. quia non habent feræ rationalem mentem: subdere ei, qui supra te est, infra erūt illa, quibus præpositus es. ideò cum Daniel agnouisset supra se Deum, agnouerunt illum supra se leones. si autem non agnoscis eum, qui supra te est, subderis inferiori. propterea superbia Ægyptiorum vnde domata est? de ranis & muscis, poterat Deus leones mittere; sed aliquis magnus leone terrendus est.* acutè primùm ipsum peccatum Adæ refert ad auaritiam, non solùm ad superbiam, concilians duo illa loca scripturæ. Tum nota cur Ægyptij à vilissimis animalculis potius quam à leonibus territi? quia per superbiam minimi facti erant, tantum abest vt superbia faciat magnos. quid ijs abiectius, quos vel ranæ terrerent? & nota pulchrè illud. *sed aliquis magnus leone terrendus est.* magnus igitur Ignatius martyr, immo plusquam magnus, quia non territus. Tum respondet obiecto; cur Martyres quidam ferarum morsibus laniati, si erant sub Deo? *Putatis quia ferrum transuerberaret viscera Domini, nisi ipse permitteret ad exemplum patientiæ? Deus quosdam liberauit visibiliter, quosdam non visibiliter, omnes tamen spiritaliter. ideò quosdā eripuit, ne putes illum non potuisse eripere, testimonium dedit, quia potest; & vbi non facit, secretiorem intelligas voluntatem, ne suspiceris difficultatem.* affert exemplum de tribus pueris liberatis, & Machabæis occisis, omnibus vtique iustis.

Cur Ægyptij non à leonibus sed ranis territi.

Cur Martyrũ quidam aferis libera ti alij non item.

Charitas & superbia vt operationes distinguant.

6 Charitatis,& superbiæ opera distingui ait ex intentione. *Ponite in corde quàm similia, & quasi paria faciat superbia charitati. pascit esurientem charitas, pascit & superbia: omnia opera bona, quæ vult facere charitas, facit & superbia, & quasi ducit equos suos. sed interior charitas tollit locum male agitatæ superbiæ, non male agitanti, sed malè agitatæ. væ homini, cuius auriga superbia est; necesse est enim vt praeceps eat. redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga. noli attendere quod floret foris, sed quæ radix est interna. si cor non accusat, quia nō iactantiæ causa facis, bene securus es.* eleganter de superbiæ, & charitatis quasi Circēsiũ aurigarũ factione diuersa loquitur; nā vt hæ distinguebantur colore, ita hæ intentione. ego rosei, ac purpurei coloris factionem, quæ æstatem referebat, charitati tribuerim. prasini verò seu viridis superbiæ, vtpote semper in spe honorum positæ: hanc adamarunt illa mōstra, Nero,& Caligula.

Ioannes inculcans dilectionem fratris etiã inimicum includebat.

7 Acutè ostendit, cum Ioannes præcepit diligere fratres, etiam inimicos fuisse complexum: Quia, *cum inimicum amas, fratrem amas; non enim amas in illo quod est; sed quod vis vt sit, vt habeat tecum vitam æternam. sic faber videns lignum nō dolatum, amat quod inde facturus est, nō illud quod est: sic dicitur quia Deus amat peccatorem.* acutè inquam dictum. Ioannes semper inculcans amorem in fratres, etiam inimicum subintelligebat respiciendo ad futurum. cum enim ad spiremus omnes ad vitam ęternā, ita hæc ad amicum pertinet, sicut ad inimicum.

Correctio adulatione potior.

7 Correctionem præferendam adulationi dicit. *Blanditur superbia, sæuit amor. illa vestit, ista cædit. accipitur magis plaga charitatis, quàm eleemosina superbiæ.* elegās antithesis. sænitia correctionis vtilior quàm blanditia adulationis. sæuit, sed amor est qui sæuit. vulnus est, sed salubre,&c.

Per vltionem inimici ex vno peccatore fit geminus.

8 Odium sic acutè perstringit. *Vnum ægrotum flebam, qui te oderat, iam duos plango, si & tu odisti.* acutè dictum. cum contumeliam vlcisceris, augetur peccantium numerus. addit pulchrè: *Angustias ille tibi facit in terra, migra in cælum, sursum cor habe*

be

be, vbi latitudo est in spe vitæ æternæ, hoc est inimicus te in angustias compellit; at tu transfer te mente ad latitudinem, & amplitudinem cœli, quò per tolerantiam tenditur. ostendit hoc à simili. *Quodammodo ferramentum Dei est inimicus tuus; si nouit Deus vtile tibi esse, vt expoliat te, permitte illum de illo te curari. opta, vt &c.* egregiè ostendit afflictionem ad decus, & ornamentum pertinere: sic quasi ferramento expolitur animus, detersa rubigine: sic splendor acuitur vasis argentei.

Ex tractatu IX. in Epist. Ioan.

Vir Apostolicus quam libenter laborem suscipere debeat pro salute proximi.

1 DE charitate sic pulchè. *Charitas nos facit fidelissimos debitores, & vos dulcissimos exactores. vbi charitas est, & qui exigit, dulcis est, & à quo exigitur; & si aliquem laborem suscipit, facit eumdem laborem prope nullum, & leuem. sæpè videmus vbera vaccarum etiam à grandiusculis vitulis capite percuti, & prope ipso impetu leuari matrum corpora, nec ea tamen calce repellere, sed si desit filius, qui sugat, mugitu prouocari ad vbera. si ergo est in nobis illa charitas spiritalis, de qua Apostolus dicit, Factus sum tanquam nutrix fouens filios, tunc vos diligimus, cum exigitis.* rectè monet, vt viri apostolici optent ab alijs exigi operam suam, nec modò non molestè ferant laborem in salute animarum, sed prouocent quærendo. elegans illa similitudo de matribus vitulorum, à quibus lactentibus licet impetu percussæ, miro affectu protendunt vbera, immo eos mugitu inuitant, & quasi voce accersunt.

Charitatis mira excellentia cum Deus sic dicatur

2 Charitatis excellentiam demonstrat. *Nescio an magnificentius charitas commendari possit, quàm vt diceretur, Deus charitas est. breuis laus, magna laus: breuis in sermone, magna in intellectu. quàm cito dicitur; Dilectio est. & hoc breue est. si numeres vnum est, si appendas quantum est, Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. sit tibi domus Deus, & esto domus Dei.* egregiè dignitatem charitatis exaggerat, cū Deus ipse antonomastice charitas appelletur. rectè in lance appendi iubet hoc dictum, quod licet paruum sit, infiniti ponderis est.

Imperfectus patienter moritur, perfectus patienter viuit & iucūdè moritur.

2 *Vt fiduciam habeamus in die iudicij.) Sunt homines, qui cum patientia moriuntur, sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia viuunt: nam qui adhuc desiderat istam vitam, cum venerit dies mortis, patienter tolerat mortem, luctatur aduersum se, vt sequatur voluntatem Dei, & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam. iste patienter moritur. qui autem desiderat sicut Apostolus, dissolui & esse cum Christo, nō patienter moritur, sed patienter viuit, delectabiliter moritur. ergo date operam intus agerē vt desideretis diem iudicij, aliter non probatur perfecta charitas. ille autem desiderat, qui fiduciam habet, & ille fiduciam habet, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta.* pulchrè, & acutè hos gradus distinguit. itaque improbus libenter viuit, & impatienter moritur; probus, sed minus perfectus libenter viuit, & patienter moritur; magis perfectus patienter viuit; quia differtur desiderium; ideoque libenter moritur quasi vinculis expeditus: Vide igitur quis habeat perfectam charitatem. qui scilicet nō modò non timet diem mortis, ac diem iudicij sed eum auidè præstolatur. proh quātum ab hac perfectione absumus: nimirum conscientiæ tribunal proprium iam nunc nos reos facit. est tamen in minus perfecto illud agendum. *ita luctetur aduersum se vt tamen sequatur voluntatem Dei*, ac propterea toleret mortem.

4 *Quia sicut ille, & nos sumus in Mundo.) sicut ille diligit inimicos suos, qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos; nos quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem Solem, & pluuiam præstemus lacrymas pro illis orando.* pulchrè hoc dictum vt lacrymas saltem impendamus aliorum miserijs, ut hæ respondeant non modò pluuiæ, sed radijs Solis, à Deo exhibitis; ac certè ille fons lucis est, unde & mane à manando dicitur. & Esther suæ genti succurrens lacrymis suis, per uisum repræsentata est Mardochæo specie tū fōtis, tū Solis: *fons paruus creuit in fluuiū, in lucē, Solemque mutatus est.* ita per parua Deum imitamur in magnis.

Lacrymæ impendendæ in aliorum malis pro imbri ac Sole à Deo exhibitis.

5 *Timor non est in charitate, &c.) & alibi dicitur. Timor Domini castus, permanēs in sæculum sæculi. Nolite putare alium esse Spiritum; si vnus flatus implere potest duas tibias, & impletæ consonant, cur non potest vnus Spiritus implere duo corda, agitare duas linguas cum concordia? intende melodiam. non sine causa addidit, castus; illic non addidit, nisi quia est & timor non castus. discernamus igitur istos duos timores, & intelligamus consonantiam tibiarum: sunt homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam. hic timor introducit charitatem; sed sic venit vt exeat; si enim adhuc propter pœnam times Deum, non dum amas. aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam, aliud, ne recedat à te.* acutè loca scripturæ concordat de duplici timore. est autem elegans illa similitudo à tibijs ducta, sancto Spiritu quasi tibicine. porro defferentiam utriusque timoris ostendit exemplo coniugis incestæ, & castæ. *Illa dicit, timeo, ne vir damnet; ista dicit, timeo, ne vir deserat.* addit pulchrè. *Alloquamur illam, quæ habet timorem castū: putasnè est in hoc populo, in hac terra? vbicumque est illa anima, vtinam illam inuenirem*

Duplex timor alter introducens charitatē alter cum charitate.

nem & illa me potius doceret, quàm ego illã. anima quadam sancta, ignea, & desiderans regnum Dei, hanc non ego alloquor, sed Deus patienter viuentem ita solatur. Noui quod vis vt veniam, noui qualis es vt secura expectes aduentum meum. tolera, venio citò. sed amanti tardum est. audi eam cantantem tanquam de medio spinarum lilium; audi suspirantem & dicentem: psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me? pulchrè potest hoc referri inprimis ad Teresiam ex incendio amoris morientem vt sponsum Christũ amplecteretur, *anima quadã sancta, ignea, &c.* itẽ ad expectationẽ natalis Christi ardenti cũ desiderio animæ; cui dicitur. *Noui quod vis vt veniã, &c.*

Pulchra Deũ amãdo efficimur pulchri.

6 *Prior dilexit nos.) Diligendo pulchri efficimur. quid facit mulier deformis, distorta, & nigra, si amet pulchrum? nunquid amando poterit esse pulchra? amat pulchrũ, & quia se in speculo videt, erubescit faciem suam leuare ad illũ formosum, quẽ amat. an expectet vt veniat pulchritudo? immò expectando senectus additur, & turpiorem facit. anima verò nostra fœda est per iniquitatem; amãdo Deum pulchra efficitur. qualis amor est, qui reddit pulchram amantem?* vides vt ex Dei amore in animam redundet pulchritudo: rectè vim admiratur diuini amoris; quæ in humano non reperitur.

Ex tract. X. in Epist. Ioan.

Fidei cõfessio nõ voce tantum sed factis prę standa.

1 OMnis qui credit, &c.) *Hoc est credere, quomodo Christiani, qui non solùm nomine sunt Christiani, sed factis & vita. quid potuerunt dæmones plus credere quàm vt dicerent: Scimus quis sis: tu es filius Dei. quod dixerunt dæmones, hoc dixit & Petrus. eadem verba, non idem animus: quia Petrus cum dilectione dicebat, non itẽ dæmones. nemo hæreticorum dicat: & nos credimus. ne gaudeatis ad verba credentium, sed exploretis facta viuentium.* præclara vox, & veræ fidei index. acutè adnotat eadẽ verba in ore dæmonũ quæ in Petro: sed illorũ coacta, huius volũtaria ex dilectione, ac proinde verbi cõfessionẽ pstabat factis.

Charitatis igne in vnum vas aureũ cõflamur.

2 Delectionem Dei coniunctam cum proximi dilectione dicit. *Omninò sic se tenet ista dilectio; quomodo ipsa compaginata est in vnũ, si omnes qui ex illa pendent, vnũ facit, & quasi cõflat illos ignis. aurum est, conflatur massa, & fit vnum aliquid, sed nisi feruor charitatis accendat, ex multis in vnũ conflari non potest; quia Deũ diligimus, inde cognoscimus quia diligimus filios* Dei. pulchra similitudine vtitur de igne, & auri cõflatione cuiusmodi animorũ in vnum per ardentem charitatem. itaque religiosus inprimis status quasi vas vnum aureum, vel aurea statua sic conficitur.

3 *Deũ diligimus, & præcepta eius facimus.) suspiramus hic ex difficultate faciendi præceptum Dei. in auaritia cum labore amatur quod amatur. sine labore amatur Deus. auaritia iussura est pericula, &c. & obtemperaturus es. securior eras antequam haberes. quæsiturus es aurũ, & fortè non inuenturus; quisquis me quærit, cũ illo sũ; amaturus es honorẽ, & fortè nõ peruẽturus; qs me amauit, & ad me non peruenit?* rectè mundanorũ stultitiã exagitat, terrena tã laboriosè quærentiũ, & ferè nõ assequẽtium, posthabito Deo, q facilè qritur, & dulciter inuenitur.

Quàm stultũ sit terrena cum labore quęrere, non Deum.

4 Charitatem finem esse, quo perficimur, dicit. *Ipsa est cõsummatio omnium operũ nostra dilectio. audistis in psalmo: Omnis consummationis vidi finem. ascenderat fortassè in verticem alicuius altissimi montis, & prospexerat: viderat ambitum terræ, & circulos Orbis vniuersi & ideò dixit: Omnis cõsummationis vidi finem. noli ire longè. ascende in montẽ & vide finem. Christus mons est. quis est iste finis? Paulum interroga; Finis autem præcepti est charitas. & Deus charitas est. noli hærere in via, & non peruenire ad finem: si pecuniam amas, erit tibi auaritia catena pedũ, vltra progredi non potes. salutem corporis quæris? adhuc noli ibi remanere, quęre illam, ne fortè morbus impediat bona opera. ergo nõ est ibi finis, quia propter aliud quæritur: laudaris? laudare in Domino, vt cantes: In Domino laudabitur anima mea. laudatur sermo tuus? non laudetur quasi tuus: si ibi ponis finem, finiris. non finiris quasi perficiaris, sed vt consumaris. sed laudetur, vt dicit psalmus, In Deo laudabo sermonem, in Deo laudabo verbum.* pulchrè hoc dictum, ex Christo monte tanquam ex alto prospectu cerni amplitudinem charitatis, & perfectionem, quæ consistit vt omnia referantur ad Deũ tanquã vltimũ finẽ. & eleganter ostendit, q̃ stultũ sit propriã existimationẽ, & gloriã quęrere: *si ibi ponis finẽ, finiris.* vt igitur immortalitatẽ assequaris, Deum qui infinitus est, specta.

Finis noster Dei dilectio & eius gloria.

4 De correctione fraterna sic. *Fortè corripis: amor hoc facit, nõ sæuitia. amor dilectione non permittit te negligere indisciplinatũ; & fit quodãmodo, vt aliquando odiũ blandiatur, & charitas sæuiat. nescio quis odit inimicũ. videt illũ facere aliquid mali, laudat, vult eum esse participem, adhibet illi vnctionẽ adulationis suæ; alter videt amicũ suũ tale aliquid facere, reuocat; si non audit, obiurgat, litigat. ecce odiũ blanditur, & charitas litigat. noli attendere verba blandientis, & quasi sæuitiã obiurgantis; venam inspice, radicem vnde procedit, quære. ille blãditur vt decipiat, iste litigat vt corrigat.* eleganter dicta per antithesin; quo ostenditur cõtra quàm vulgò putatur; adulationis dãnum, & correctionis vtilitas. paradoxũ hoc est: *odium blanditur, charitas sæuit.*

Adulationis damnum correctionis vtilitas.

6 Concludit pulchrè de charitate. *Disciplina charitatis, robur, flores, fructus, pulchritudo, amœnitas, potus, cibus, amplexus sine satietate est; si sic nos delectat peregrinos in*

Charitatis amœnitas, & pulchritudo

in patria quomodo gaudebimus? curramus ergo, curramus, & diligamus Christum. rectè incitat ad amorē, vtinā currētes. vide quot bona cōtineat, quot incitamēta habeat, vt alliciat: in charitate inest hortensis amœnitas florum, omnigenæ mensæ deliciæ, &c.

Charitatis amplitudo toto orbi diffunditur.

7 Charitatem per totum Orbem prædicatione diffusam ostendit, contra Donatistas, qui veram Ecclesiam solùm in Africa apud se ponebant. *Oportet, inquit, prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem.) ibi diffunditur charitas tua. dicit & psalmus. Latum mandatū tuū valde. & nescio quis ponit in Africa fines charitatis. extende charitatem per totum Orbem, si vis Christum amare.* Xauerium in primis hic considera, qui charitatē amplè diffudit etiam in nouum Indiarum Orbē, habet & socios ex Ignatij instituto idē profitentes, præter ceteros. uide igitur ut in Apostolicis uiris maximè Charitas uigeat.

Ecclesiā persequi et à Christum honorando frustra cōtendunt hæretici.

8 De hæreticis, qui Christum laudant, & catholicos persequūtur, sic. *Si volens tibi aliquis osculari caput, calcaret tibi pedes, ac fortè caligis clauatis contereret, nonnè inter verba honorantis clamares: quid agis? calcas me; non diceres, calcas caput meum, quia caput honorabat, sed plus clamaret & caput pro membris calcatis, quàm pro se quia honorabatur*, at Catholici, quos persequeris, membra sunt Christi. hinc ait. *Saule quid me persequeris?* aptū exemplū, & rectè persecutionē hæreticorum cōparat caligis clauatis, qui pedes cōpūgunt, & cōterūt, ne qs incedere, ac pgredi possit. hoc. n. illorū conatus spectat, ne Ecclesia pgressus faciat.

Conuersio gētiū vltima Christi voce cōmendata.

9 Adnotat vltima verba Christi decedentis à terris in cœlū fuisse hæc. *Eritis mihi testes vsq; ad vltimū terræ.) Si quis animā agens fortè solicitus de re aliqua sibi chara, quā multū diligit, vocet hæredes suos, & dicat: Rogo vos, facite hoc: teneat violenter animā ne ante exeat, quā verba illa firmentur. hæredes eius quomodo meminerūt nouissima uerba morientis? si quis dicat: noli facere, respondent; ego nō faciā, quod mihi pater meus efflans animā nouissimè mandauit, quod vltimū sonuit in aures meas, &c. si hæredibus sunt tā dulcia, tā grata, tā magni ponderis verba patris ituri in sepulchrū, hæredib⁹ Christi qualia debent esse verba nouissima eius ascensuri in cœlū?* præsertim cū mortui nō videant quid hæredes agāt. at Christus videt, & nouit. commendauit illic vltimò Ecclesiā suā diffundēdā vsq; ad vltimū terræ. hæretici igitur, qui eam persequuntur, quā impij sunt? at verò q̄ laudandus zelus amplificādæ religionis per totū Orbē terræ? quod viri Apostolici agunt, & vltima Christi verba exequentes, miro studio perficiunt. in quo quàm illi grati sint, ostenditur; quippe cui conuersio gentiū adeo cordi fuit, vt recessurus, sicut impressa reliquit humi uestigia, sic animis Apostolorum talem impresserit zelum.

10 Hæreticos à persecutione reuocat ad Ecclesiam. Dicunt, non persequimur, gladiū non distringimus. *Maior est machæra linguæ, quàm ferri.* vera vox, q̄ ad quodlibet detractionis genus pertinet. Aiunt; nos potius persecutionē patimur à catholicis. respōdet: *supba fuit ancilla Saræ Agar, & afflicta est à Domina sua pptersuperbiam. sic ergo carnalis anima tāq̄ ancilla; superba si fortè aliquas molestias passa es pter disciplinā, quid insanis? redi ad Dominā tuā; tene dominicam pacē.* vide quantum sit afflictionis bonū, & quàm conferat ad resipiscēdū.

Maior est machęra linguæ quā ferri.

Ex exposit. in Apocalypsin Ioannis Ex homilia I.

1 P*Ræcinctus erat ad mammillas zona aurea.) zona aurea chorus est, siue multitudo Sanctorum.* Nota, nam in zonis pecuniam ferebant: ita opes suas Deus habet in Sāctis suis. Item aduerte zonā hāc, siuè chorum Sanctorum esse ad mammillas Christi, ut intelligas eos quasi suauissimo lacte nutriri. Clemens Alexandrinus Christum ipsum vocat *mammillam patris*.

Zona aurea ad mammillas Christi chorus sanctorū circa ipsum.

2 *Capilli eius sicut nix.) Quia sicut nix de cœlo descēdit, ita & gratia baptismi nullis pcedētibus meritis venit. ipsa Hierusalē, idest Ecclesia de cœlo descēdere dr̄, quia de cœlo est gratia per q̄ liberatur; sicut cōtra bestia de abysso ascēdere dr̄. nā sicut Hierusalē humiliter descēdēdo exaltatur, ita bestia populus superbus arrogāter ascendēdo pręcipitatur.* acutè ostēdit, cur baptismus niui cōparetur. q. a. s. nix de cœlo labitur: sicut & baptismi gratia ex Christi meritis, nō ex nostris. egregiè quoq; adnotat, vt humilitatē exaltatio, superbiam depressio consequatur. nam Hierusalem descēdere dicitur, sed ascēsura; bestia uerò hoc est diabolus ascendere, sed pcipitādus.

Humilitatē exaltatio consequitur superbia præcipitium.

3 *Pedes similes auricalcho, &c.) In pedibus ignitis Ecclesia nouissimi tēporis intelligitur, velut aurū in fornace pbanda. possūt et Apostoli intelligi, p quos prædicatio ambulauit, vnde illud; Quā pulchri pedes euāgelizātiū pacē?* referri hoc pulchrè potest ad Apostolum Indiarum Xauerium, cū ignitis quodāmodo charitate pedibus ibat per aspera dumis, & sentibus loca, cruenta linquens vestigia.

Igniti Christi pedes vltimi sancti, vel Apostoli.

4 *Habebat in dextra sua stellas septē.) Ob spiritū videlicet septiformis virtutis. ad dexterā .n. patris exaltatus acceptū spiritū effudit.* pulchrè de septē donis sācti Spiritus, q̄ stellis rectè assimilātur ob splendorē, & salutares influxus. ac uide Christi pietatē; in dextera .n. q̄ peccādo clauis cōfixim⁹, stellas tenet. stellæ autē quasi claui cœlo affixi ab Astrologis dicūtur. porrò, *Iustorū animę in manu Dei sūt*. eorū igitur hæreditas est cœlū. q si pianetas septē intelligas, referad septē Spirit⁹ sācti dona q̄ sūt *spiritus sapiētia &*

& intellectus;spiritus consilij, & fortitudinis,spiritus scientiæ.& pietatis; & replebit eum spiritus timoris domini. quartum donum fortitudinis planetę Soli respondebit ob efficatiā:nā ideo Solē centimanū Veteres effinxerunt, & Apollini sagittas dederūt.vltimū verò donū timoris Lunę respōdebit: nā sicut hæc luce repletur à Sole,sic dicitur, *replebit eū spiritus timoris domini.*

Ex Homilia II.in Apocalypsin.

Baptismus stella matutina seu Lucifer.

1 *IPse est stella matutina.)Stellam matutinam primam resurrectionem dicit,quæ per gratiam baptismi fit: noctem quippe peccati fugat , & lucem gratiæ tribuit .* pulchrè Lucifer quidam baptismus dicitur. sicut enim ille ad aspectū velut ex aquis maris exoritur ferēsſecū diē,ac Solē ita per baptioni aquas gratia confertur.

Charitatis donum aurum cō flatum.

2 *Consulo tibi à me emere aurum conflatum.)idest contende,vt pro nomine Christi aliquid patiaris.* Vide quàm pretiosa res sit pati pro Christo ; & licèt ille liberalissimus sit,tamen non nisi emi voluit multis precibus,& laboribus,vt agnoscas pretium.sed quàm exiguum est quod das? fœnum das,hoc enim sunt temporalia: ipse dat aurum,& aurum ignitum conflatum , charitatis donum.

3 *Solium positum est,&c.) super sedem iudicantis vidit similitudinem iaspidis,& sardij. iaspis aquæ colorem habet, & sardius ignis.in his duo iudicia intelliguntur, vnū olim per aquam factum,alterum per ignem faciendum .* rectè coniungit, nam dicitur de hoc , *Erant sicut in diebus Noe edentes et bibentes,&c.*subiungit,*potest hoc loco & vita seruorum Dei intelligi , quia interdum habent prospera , interdum patiuntur aduersa.*Vide quàm pretiosa fit apud Deū afflictio ipsa.pulcherrimo sardio cōparatur

Iris recōciliationis per incarnationem Verbi resultans.

4 *Iris erat in circuitu sedis, &c.) Quid per Iridem nisi reconciliatio Mundi designatur? arcus apparet, cum radijs Solis imbrifera fuerit nubes illustrata:cum .s. patris Verbū,qui est Sol iustitiæ,humanā suscipiēdo illustrauit naturā ; quæ susceptio à propheta nubes vocatur: bene autē imbrifera ; qa pdicationū eloquijs plena.* pulchrè ex diuino Verbo ceu Sole, & humana carne ceu nube iridē hanc reconciliationis resultasse ostendit.tū illud acute,ac scite notat. *huic nomini Iris.,si vna in fine addatur litera,& eirene dicatur, vtiq;hoc ipsū interpretabitur, .s.pax.*Vide cognationē vocū inter iridem recōciliationis signū,& irenen,idest pacē. Addit.*Visione itē smaragdini lapidis repropitiatio Mūdi ostenditur;lapis.n. smaragdinus viridissimi coloris est,nec incōuenienter naturæ diuinitatis aptatur.*nēpè Deus noster Deus pacis est;eā nobis modò per iridem,modò per smaragdū insinuat.recōciliari vult,ēt tot iniurijs lacessitus.porrò in Iride duos maximè colores apparere ait,aquæ, & ignis . nimirum hoc est quod ait Lucas : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.*

Mare vitreum baptismi typus.

5 *Mare vitreū.)donū baptismi,&c.* notabile mihi videtur ꝙ baptism⁹ mare vitreū dicatur.q̄.n. caute vitrū tractatur?adeo facilē est incautis baptismi gratiam frangi.

Sacerdos pœnitentia armatus sit.

6 *Angelo Ephesi,&c.)Angelus,& Episcopus,& presbyter dicitur, cū nunciat quomodo ad vitā æternā perueniatur, & tamē dicitur ei,vt pœnitētiā agat.quia qui bene considerat, se agnoscit, quod etiā sacerdotes vna die esse nō debent sine pœnitentia;sicut nullus est dies sine peccato.*hinc collige quā laudabile sit sacerdotē quotidie confiteri. Angelus vocatur,qa nūcius ęternę vitę ob pdicationē:sed qa p pœnitētiā cœlū intratur,ipse pcat oportet exēplo pœnitentiæ.

Manna cœlestis panis cibus victoris.

7 *Vincenti dabo manna absconditū.)idest panē,qui de cœlo descendit,cuius figura fuit manna in eremo.possumus & māna immortalitatē accipere.* nota de immortali vita quā plena dulcedinis.sed cur victoriæ præmiū māna,seu cœlestis ille panis?nēpe hic pro corona est. de mensa panum propositionis dicitur.*Fecit illi labium aureum per gyrum,ipsique labio coronam auream.*

Calculus candidus integritas baptismalis.

8 *Dabo ei calculum candidū.)idest corpus baptismate candidum.* pulchrè hoc facit pro eis,qui seruauerunt cā dorē baptismalē,obdurati in Venerē.ex his fuit Thomas Aquinas & alij multi,& inter nostros Xauerius,& Gonsaga,quibus præsertim,vt de societate Iesu, cōpetit quod sequitur, *& super calculum nomen nouum scriptum.*

Ex Homilia III. in Apocalypsin.

Peccatoris corpus mortuę animę pheretrum est.

1 *NOmen habes quod viuas,et mortuus, es.)Multi in corporibus viuis animas mortuas portare noscuntur .* vide vt corpus peccatoris quasi pheretuum sepulchrale sit animæ mortuæ.

Ecclesia aquilæ cō paratur.

2 *Quartum animal simile aquilæ.) Ecclesiam dixit volantem, & liberam.atq;à terra suspensam duabus alis duorū præceptorū:*dilectionis .s.Dei & proximi.pulchrè autē Ecclesia aquilæ comparatur,tū ob sublimē volatū, tū ob acutā aciem in diuinis mysterijs contemplandis.Addit,*hoc quadriforme mysteriū in Christo cōpletū à Ioanne intellectū, cum audisset hominē nascentem, vitulum patientem,leonem regnantem, & aquilam ad cœlestia remeantem .* Vides vt tota vita Christi, & ipsa passio currū triūphalem illum Exechielis ipsi fabricarit.

Vita Christi triumphalis quadriga fuit.

3 *Mittentes coronas ante thronū.)Hoc ideò,quia quicquid dignitatis habent Sācti, totum Deo tribuunt , sicut & illi in Euāgelio palmas, & flores sternebant sub pedibus eius;idest ipsi tribuentes omne quod vicerant.*rectè gratiæ donum ostendit;dū illi coronas victoriæ ad Imperatoris,per quē

vicerant, pedes abijcerent. & nota ꝙ ait, ēt flores quoque fubftratos in hieme afcendenti Hierofolymā, .f. fpineā coronā accepturo. Demq; huc refer, ꝙ Elifabetha regina ingreffura templū, ante fores deponebat coronā, & cetera ornamenta regia.

Ex Homilia IV. in Apocalypfin.

Noui teftamenti fplendore perftringuntur etiā acies Angelicæ.

1 *NEmo poterat neque in cælo, neq; in terra, neq; fub terra) ideft neq; Angelus, neque homo viuens, neque mortuus aperire librum. neq; videre ilū, ideft contēplari fplendorem noui teftamenti.* Nota gloriam noui teftamēti tam illuftrē, vt habefcat vel Angelicus obtutus. *neq; Angelus videre illum.* Incarnationis præfertim myfterica omnem intellectus vim fuperat.

Chriftus vt cithara extenfus neruis in cruce.

2 *Habentes citharas.) ideft chordas laudum, & phialas aureas, in quibus thymiama offerri confueuit: cantantes canticū nouum. eft filiū Dei hominē fieri, & mori, &c. cithara ideft chorda ligno extenfa fignificat carnē Chrifti cruci cōiunctā; phiala autem confeffionem & noui facerdotij propaginem.* Nota quid ifti canerent, Chrifti natiuitatem, mortem, &c. hoc melos beatorum aures fuauiffimè tenet, hanc oden accinunt. nota ēt quid fit facerdotium nouū, phiala aurea, plena odoramentorum. certè S Francifco ad Affifio dicitur apparuiffe Angelus cum eiufmodi phiala, ac dixiffe talem effe debere facerdotem, quo audito aufus non eft facerdotio initiari. pulchè verò interpretatur citharam, *Chrifti carnem in cruce extenfam* vt illius chordę extenduntur in ligno. hinc ille dulcis vocum concentus, *pater ignofce illis.* & ad latronem, *hodie mecum eris in paradifo.*

Ex Homilia V. in Apocalypfin.

1 *ET ecce equus albus, & qui fedebat fuper eum, habebat arcum, & data eft ei corona, & exijt vincens.) equus ifte cum arcu bellico per Zachariam ante promiffus eft Vifitauit Dominus gregem fuū domum Ifrael, & difpofuit eum ficut equum fpeciofum in bello, & ex eo arcus, & ex eo exijt omnis infequens. equus albus Ecclefia eft, vel Apoftoli feffor Chriftus.* certè de Apoftolo Indiarum Xauerio, ob candorē præfertim caftitatis dici poteft, fuiffe equū hunc album, & fpeciofum; in bello aduerfus idololatriam generofum, quem infederit Chriftus victor cū arcu. ad focios autē qui Xaueriū ad idē bellū fecuti funt, pertinet illud, *& ex eo exijt omnis infequens.* Itē equus albus Aloifius Gonfaga nofter fuit eadē caftitatis dote puriffim⁹, & Angelic⁹ dictus, qui fe equi more calcari folitus pūgere: fpeciofus hic plane equus, & adhuc tener pullus in ftadio victor, illecebris aulę, & impedimentis omnibus in religionis

Xauerius equus candidus.

ingreffu fuperatis.

2 Affert aliā quoq; interpretationē fic pulchrè. *Equitem hunc coronatum, habentē arcū poffumus etiā intelligere Spiritū sāctū cuius verbo prædicatores tanquā fagitta ad cor hominū pertingerent, & vincerent incredulitatē.* Vides vt Spiritus fanctus regio more coronatus, & more victoris pugnā per nos ineat? adeò certa victoria eft, fi Deo auriga & feffore vtamur, nō vt eq refractarij, & calcitrones, fed dociles quò velit verfet, innocentia albos: notent & prædicatores, fi vincere velint, & expugnare vitia, vtendū arcu, vt corda copungāt. ego & illud adnoto, à Zacharia eundē populū Ifrael vocari, & gregem, & equū fpeciofū in bello. neceffe eft. n. vt ouiū manfuetudine, & innocētia infignes fimus: quo nō erimus imbelles, immò in generofos euademus equos belli. Tum Chrifti fefforis quafi cataphracti equitis habitū interpretatur: *Arcū tenebat in manu, quia eius præcepta velut fagittæ acutæ sūt, p totū Mundū ad interficienda peccata directæ, coronæ autē in capite eius, promiffio vitæ æternæ.* Vide q̃d cōcionator euangelicus agere debeat ad exēplum Chrifti: vitia debellare, acribus verbi Dei fagittis, non uerborum lenimentis; & fimul uirtutis præmia proponere.

Spiritus fanctus fagittarius coronatus

3 *Equum rufum.) malum populum dicit, fefforē eius diabolū. quē ideo dixit rufū, eo ꝙ multorū fit fanguine rubicundus.* notabilis interpretatio de cruento hofte diabolo, q ex magna ftrage mortalium rubefcit. equitans fuperbè per Orbē; & tamen funt qui ei fe vltro fubijciāt. Sequitur, *& datus eft ei gladius acutus, et tollere pacē de terra. hoc eft ꝙ diabolo fuadente homines mali iugiter lites, & difcordias excitare non ceffant.* Vide quo habitu cruentus hic eques diabolus per Orbem difcurrat; gladio acuto armatus excitans rixas, & lites.

Diabolus cruentus ftrage hominum equitat per orbē.

4 *Staterā habebat in manu fua.) Quia dū fe fingunt mali iuftitię libram tenere, fic alios decipiunt.* Nota mirā diaboli vafritiā, & dolū. hic eques fuper equū nigrū fedebat, in typū improbitatis, & iuftus apparere volebat. quod hæretici, & hypocritæ faciunt.

Hypocritæ taxatur.

Ex Homil. VI. & VII. in Apocal.

1 *SVb ara Dei animas interfectorum.) licet animæ Sanctorū in paradifo fint, tamē quia fanguis eorum fuper terram funditur, fub ara clamare dicitur.* refer hoc inprimis ad Ianuarij fanguinem, qui quafi uiuidus in ampulla glifcit, ac feruet. fed clamor hic deprecatoris eft, non ultoris.

Sanguis Martyrū quomodo clamet.

2 *Audiui vocem aquilæ volantis in medio cæli, & dicentem: Væ væ habitantibus in terra.) cum facerdos diem iudicij annunciat, aquila in medio cæli volat.* nota, nam aquila miniftra fulminis dicitur. concionator aquila vocatur, non cygnus.

Pa-

3 *Posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram.) idest ad prædicandum trans mare, & in vniuerso Orbe terrarum.* quis non agnoscit in hoc Angelo Franciscum Xaucrium trans mare currentem, & in vniuerso Orbe terrarum, immò in nouo Orbe gradientem? quò spectat illud quod subiugit: *pedes eius sicut columnæ ignis. pedes Apostolos dicit, per quos in vniuerso Mundo doctrina eius discurrit.* at Apostolus & hic dictus est Indiarum. per colūnas autem pedum, quid nisi infatigabile eius studium indicatur? vt verè dicas: *& vidi Angelū fortem.* cetera quoque ad ipsum pertinent, *Clamauit voce magna, sicut cum leo rugit.* omnia enim idola tanquam minores bestiæ obriguerunt: secuta sunt tonitrua, & fulgura, hoc est miracula.

Iudas diaboli clauiger.

4 *Data est ei clauis abyssi.) hoc est dimissus est in potestatem cordis sui, vt aperiat cor suum diabolo, & exerceat omne malum.* Nota, loquitur de stella, quæ de cœlo cecidit. quid nisi Iudam putem? hic aperuit cor suum diabolo, nam dicitur: *introiuit in eum Satanas. & exercuit omne malum,* quia tam impia proditio omne malum complexa est.

Multitudo improborū quasi densa nubes Soli obiecta.

5 *Ascendit fumus de puteo, & obscurauit Solem, & Lunam.) Obscuratum dicit Solem, non occidisse, quia peccata malorum obscurant Ecclesiam; & tantus est malorum numerus, vt vix appareant iusti. item per multas tribulationes faciunt obscuritatem, sed lumen eorum extinguere non possunt, quia ad malum non acquiescūt.* pulchrè Solem dicit Ecclesiam. & vide quàm tetra, ac densa nebula sint improbi, & mundani ob multitudinem. sed Soli nil nocent; idest Ecclesiæ, vel iustis.

Heretici, hypocritæ simulatio taxatur.

6 *Super capita eorum tanquam coronæ similes auro.) Viginti quatuor seniores, in quibus Ecclesia descripta est, coronas habebant aureas, hi autem similes auro, hæreses scilicet, quæ imitantur Ecclesias. quod autem capillos habebant mulierum, effeminatus sexus iudicatur.* acutè adnotat, vt illi coronas aureas dicantur habere, hi autem similes auro; hoc est fictas. vides vt hæreses non nisi simulata & mendax res sit, & fraudulenta? quod ad omnes hypocritas refer. de his rectè dices. *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim.*

Carnis voluptas scorpius est.

7 *Cruciatus eorum sicut cruciatus scorpij, cum percutit hominem.) Hoc tunc fit, cum diabolus luxuriosis hominibus venena propinat.* Nota de luxuria perniciosè blandiente; quasi scorpij cauda est, ferit dū palpat, & uenenatum morsum infigit attactus. vis scire quid sit Mundus? Desertum est. *vbi serpens flatu adurens, & scorpio, & dipsas.* quò scilicet spectant tria illa. *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* quippe caro ipsa conuersationis appulsu quasi afflatu ignitus serpens adurit. oculorum obtutus blandior quid nisi scorpius est? superbia quid nisi dipsas inextinguibilem accendens sitim opum, atque honorum?

Ex Homil. VIII. & IX. in Apocal.

1 *AVdiui vocem magnam de cœlo dicentem: Ascendite huc, & ascenderunt in cœlum in nube.) hoc est quod Apostolus dixit: Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera; initium Christus.* nota vt beati eodem quasi triumphali curru cœlum ascensuri sint, quò Christus. *& nubes suscepit eum ab oculis eorum.* mira dignatio. — Eadem Christi quadriga quæ iustorum.

2 *Mulier amicta Sole.) Ecclesia ob spem resurrectionis propter illud, quod scriptum est: Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum. Luna sub pedibus eius: hoc est homines fictos, & malos sub pedibus habet.* nota de Ecclesiæ splendore. sic etiā dicitur, *in Sole posuit tabernaculum suum.* hebetantur hæreticorum oculi tanta luce perstricti. calcat Mundi stultitiam; nam *Stultus vt Luna mutatur.* nec enim vno vultu est, vt hypocrita. sed apud Ecclesiam in honore non sunt; & dum se conantur extollere, proteruntur. — Ecclesia mulier amicta Sole.

3 *Factum est bellum in cœlo. &c.) idest in Ecclesia. nam absit vt credamus Diabolum, & Angelos eius in cœlo ausos esse pugnare, qui in terra nec vnum Iob ausus est tentare, nisi cum à Domino postulauit.* Vides Ecclesiam esse quasi bellicum campum, ideo militans dicitur. in cœlesti Hierusalem pax summa est, & capitolium triumphalibus ornatum spolijs. sequitur. *Nec est inuentus locus eorum. hoc in hominibus sanctis dixit, qui credentes semel expulsum diabolum, eiusque satellites, amplius non recipiunt.* rectè admonet, non recidendum in peccata. quanquam nonnulli putant, eumdem dæmonem semel victum & expulsum ob erubescentiam non audere tentare hominem, à quo victus est; tentari ab alijs. Illud autem quod sequitur. *Væ tibi terra, & mare, quia descendit ad vos diabolus, etc.* sic intelligit *Descēdit in suos, qui pro amore terreno terra sunt.* Hinc collige peccatorē hospitem esse diaboli. — Ecclesia militaris est campus.

Ex Homilia X. & XI. in Apocal.

1 *DAtæ sunt mulieri alæ duæ, &c.) Alæ duæ aquilæ magnæ sunt, Helias, & qui cum eo venturus est. aqua emissa de ore draconis exercitus persequentiū.* pulchrè Helias, & Enoch aquilis comparantur, qui quasi alis in fine temporum — Alæ Aquilæ duæ Helias et Enoch.

Ecclesiam protecturi venient,& Antichristum quasi anguem elisuri. referri potest ad duos ordines simul institutos, Dominici, & Francisci ad protectionem Ecclesiæ, & vitiorum, atque hæresum destructores.

Catholici ab hereticis quasi falce diuisi.

2 *In manu habens falcem acutam.) Ista falx separat catholicos ab hæreticis, sanctos à peccatoribus, sicut dicit Dominus de messoribus.* huc refero visionem Prophetæ; *volumen volans,* vbi alij legunt, falcem volantem. ipsa enim peccatorũ vltio in volumine scripta falx est; hanc falcem in vitijs amputandis concionator quoque gestare, & adhibere debet, dum ex volumine, ac libro sacræ scripturæ sententias acres, ac minaces peccatoribus intentat.

Ex Homilia XII. in Apocalypsin.

Beati citharædi sunt post victoriã

1 *MAre vitreum mixtum igni.) Fontem baptismi pellucidum mixtũ spiritui, vel tentationi significat; & victores bestiæ supra mare vitreum habentes citharas Dei, idest corda laudantium Deum.* pulchrè vides corda sanctorum in citharas versas, & super igneum mare, multò mirabilius accinentes, quàm quod de Arione citharœdo in mari supra delphinum vecto finxerunt, quantò hæc maiora spectacula apud nos sunt? videas scilicet cithara personare super igneum mare, siue de baptismi aquis intelligas igne Spiritus sancti permixtis, siue de æstu tentationis sine noxa, pæana cantantes, *victores bestiæ.*

Prosperitas malorum fœdum vlcus est animæ.

2 *Fudit phialam in mare. &c.) Mare, Sol, thronus aer, &c. super quæ Angeli fuderunt phialas, homines sunt. plaga, & ira Dei ex gaudere, & placere sibi in peccatis. sic prosperitas malorum vlcera sunt animarum, & aduersitas iustorum præmia gaudiorum.* mira, sed vera sententia; quis crederet prosperitatem mundanam esse plagam vlcerosam? quò spectat quod sequitur. *Quartus Angelus effudit phialam suam super Solem, & vsti sunt homines vstione magna. Hoc futurum est in igne gehennæ nam diabolus in præsenti amatores suos nõ solùm non vrit in corpore, sed quantum permittitur, clarificat, quam claritatem, & lætitiam Spiritus sanctus plagas definit, & dolores.* mirum hoc mundanis videatur, splendorem illum gloriæ ad plagam spectare. adeo hebescunt in ipsa luce, qua gestiunt. de his puto dici. *sub ipso erunt radij Solis.* hoc est de mundanis diabolo subditis, quos calcat, ac proterit.

Ex Homilia XIII. & XIV. in Apocalypsin.

1 *SPiritus immundos in modum ranarum.) Ranæ præter horrorem proprium, etiam loco immundæ sunt, quæ cum aquarum incolæ videantur, non solùm aquarum refugæ sunt, & siccitatis impatientes; sed in ipsis aquis, obscœnè volutantur. ranis similes sunt qui peccatis, quæ alij deponunt, volutari non erubescunt: sed subitò dum ei superuenit vltimus dies, perit confessio, & restat damnatio.* vide quàm vilis res sit peccator, etiam si diues, ac purpuratus. etiam si in auro cubes, in luto es. Mundani ranæ sunt immundę

2 *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ.) In muliere corruptela monstratur. in eremo dicit sedere, hoc est in impijs à Deo desertis.* at in desertis quid nisi serpentes, & siccitas? falsò igitur terrena voluptas delicias iactat. rectè definit: desertum est à Deo deseri.

3 *Congregate homines ad diem magnum.) Potest dies magnus intelligi illa desolatio, cum à Tito, & Vespesiano obsessa est Hierosolyma; vbi exceptis eis, qui in captiuitatem ducti sunt, quindecies centena millia mortua referuntur.* nota vltionem: nempe hic dicitur meritò magnus dies Iudæorum, qui Christo diem dixerunt, cum eum ad Pilati tribunal citarunt, atque traxerunt. magnus profectò dies, quem magna nox secuta, tantæ scilicet multitudinis interitus. Magnus dies dictus innumerabilium Iudęorum nex

4 *Vides aquas, vbi mulier sedet? hæ & populus, & turba sunt, &c.) hi odio habent meretricem, idest mulierem illam. meretrix enim est vita luxuriosa. ideò dicit quod odio habent meretricem, quia luxuriosi nõ solùm sanctos sed etiam semetipsos odio habent, in quibus impletur illud: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* acutè notat. hæc meretrix sedet super aquas, idest populos, & ipsi, qui ea delectantur, eam odere; quia amor incestus hostile odium est. Amor carnalis odium est hostile.

Ex Homilia XV. & XVI. in Apocalypsin.

2 *SEdeo regina, & vidua non sum, et luctum non videbo; propterea vna die venient plagæ eius, luctus, & fames, &c.) At fames quãta potest esse vnius diei? sed diem dixit breue tempus vitæ præsentis. tunc maiore plaga percutiuntur, cum male agere permittuntur.* & hoc acutè notatum, quod famem vnius diei inter magnas plagas numeret, cum facile possit vno die fa- Totum vitę tempus vnus dies est.

mes,

...es,& luctus tolerati. sed nimirum totius vitæ cursus tam breuis est, vt iam pro vno die computetur.

Castorum corpora candidi equi sessore Christo.

2 *Exercitus, qui in cœlo est, sequebatur eum in equis albis.) est Ecclesia in corporibus candidis. in veste autem sanguine sparsa Martyres intelliguntur*. pulchrè casta corpora equo albo comparantur frænum temperantiæ recipienti, & sessorem Christum. ex his vnum diximus Gonsagam nostrum, qui calcari vsus in stadio virtutis. pulchrè etiam ostendit, Martyres suo sanguine quasi murice tingere purpureum paludamentum Christo.

Mundani quasi molari lapide circumacti conteruntur.

3 *Tulit vnus Angelus lapidem, & molam magnam, & misit in mare dicens: Hoc impetu deÿcietur Babylon.) Ideò Babylonem velut molam dicit proiectam, quia omnes amatores Mundi reuolutio temporum sicut mola conteret, & in gyro mittet, de quibus scriptum est. In circuitu impÿ ambulant*. egregie dictum, circuitu temporum quasi mola versatili, ac trusatili mundanos frangi, conteri, & in pulueream redigi. nempe hoc est varijs desiderijs, & curis circumagi, atque versari.

Angelus stans in sole prædicatoris typus.

3 *Et vidi Angelum stantem in Sole.) idest prædicatorem in Ecclesia; & clamauit voce magna omnibus auibus, quæ volant in medio cœli, dicens; congregamini, venite ad cœnam magnam, vt manducetis carnes regum, & pusillorum, & magnorum, &c.) aues volantes Ecclesiam dicit, quam in vnū corpus redigens aquilam volantem dixerat. omnes autem gentes cum in Christo credentes Ecclesiæ incorporantur, spiritaliter comeduntur*. præclare interpretatur Angelum stantem in Sole, prædicatorem in Ecclesia. Angelum ob mores, stantem ob constantiam, in Sole ob splendorem miraculorū, & sapientiæ. peculiariter autē refero ad S. Dominicum auctorem ordinis illustrissimi Prędicatorum, qui suos pietate, & doctrina præstantes, quasi aues, & aquilas congregans ad prædam animarū inuitat. quod & Ignatio nostro competit, aut Xauerio socios inuitanti ad prædam gentium, & conuersionem exterorum regum, & omnis generis hominum. huc pernet præda illa, gentium typus, oblata Petro, vt comederet, in seque verteret, hoc est in Ecclesiæ corpus.

Ex Homilia XVII. & XVIII. in Apocalypsim.

Iusti regibus comparati.

1 R*Egnabunt cum eo mille annos,) Præsens tempus intelligit, in quo sancti, & iusti regnare dicuntur, quia ita se cum Dei adiutorio regunt, vt à peccatis vinci non possint* hnc spectat illud psalmi, *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præterÿt*; in quo ostenditur breuitas temporis quantumuis longi respectu æternitatis.

1 *Ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo) Ecclesia aurea est, quia fides eius velut aurum splendet; vitrum autem ad puritatem fidei retulit, quia quod foris videtur, hoc est & intus, & nihil est simulatum*. pulchrè ostendit fidei tum sinceritatem, tum pretiū: hoc ex auri similitudine, illā ex vitri nitore, contra quā hęreses sunt. Addit. *In arundine aurea homines. Ecclesiæ significat, fragili quidem carne, sed aurea fide fundatos, propter illud Apostoli: Habētes thesaurum istū in vasis fictilibus*. acutè, & pulchrè iustos ostendit per arundinē, sed auream, vt fragilitas ipsa, si fide solidetur, cedat in mensuram meritorum. huc refero & illud. *Iusti fulgebunt sicut Sol, & sicut scintillæ in arundineto discurrent*. Quid pulchrius, & admirabilius, quàm in tanta vilis carnis fragilitate, & soliditas, & fulgor virtutis? in arundine fragilitas est, & vilitas, in auro firmitas, & fulgor. in vitro seu crystallo puritas.

Fides auro. & crystallo cōparatur.

Fragilitas nostra eū fide iuncta fit aurea.

Ex Libro Meditationum.

1 DOlet se tardè resipuisse. *Hei mihi quia serò venio. heu me quia curro post vulnera, neglexi prospicere tela, modò sollicitor de morte vicina: recentes cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia nouis reciprocaui: merui mortem, & peto vitam*. affectu plena palinodia est, & digna gemitu cordis, prima delicta lugentis. Tum petit veniam per Christum. *Quid dulcius, quàm genitorem nomine vnigeniti inuocare? sic solent rei carceribus eripi; sic tristem accipientes sententiam capitis non solùm absolui, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis principibus dilectæ proli intimauerint charitatem. ecce Pōtifex summus, qui non alieno eget ad expiandum sanguine, sed proprio refulget perfusus cruore, &c.* pulchrè ostendit, vt riui sanguinis è vulneribus Christi tanquam radÿ à Sole manarint; & vt inde petenda sit nostra salus.

Palinodia de præteritis delictis vt fiat.

Christi sanguinis splēdor, & reconciliatio.

2. Elegans est, & pia apostrophe ad Deum patrem, vt ex Christi filÿ crucifixi aspectu veniam donet. *Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & sacro fonte me renoua. vide immaculata vestigia diris confixa clauis, & perfice gressus meos, &c. candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, procera rigent brachia, crura pendent marmorea. rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda. specta genitor gratissimæ prolis lacerata membra, &c.* Tum ad ipsum Christum conuersus ait: *Quid commisisti amātissime*

Apostrophe ad Deum vt parcat ob vulnera filÿ.

Apostrophe ad Christũ crucifixũ

tissime iuuenis? quod scelus tuum? ego tui plaga doloris sum, ego tuæ passionis liuor. quò, nate Dei, tua descendit humilitas? quo tua flagrauit charitas? ego fruor delicijs, tu laniaris clauis, mihi ridens congaudet Eua, tibi plorans compatitur Maria. dignæ preces, quæ semper in ore habeantur, tum vt patrem Deum mitigemus, tum vt filij beneficium, & redemptionis gratiam agnoscamus.

Gratiæ patri Deo vt agendæ pro filio

3. Item patri filium propitiatorem proponit. *Credo à te missam deitatem, meam suscepisse humanitatem. hanc olim infantiæ vagitibus demolitam, pueritiæ pannis constrictam, iuuentutis sudoribus vexatam, ieiunijs maceratam, vigilijs afflictam, itineribus fessam, postea affectam flagris, laceratam supplicijs, deputatam cum mortuis, dotatam gloria resurrectionis, cælorum gaudio induxit, & in dextera tuæ celsitudinis collocauit. hæc placatio mea, & propitiatio tua.* eleganter enumerauit totius dispensationis seriem, & scopum ostendit, salutem nostram. pende singula cum affectu, & patri Deo gratias age de proprio filio, tam piè nobis exhibito. Subiungit item pulchrè. *Attende in filio, quò propitieris seruo. quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant, obsecro, scelera mea; quoties rubet pretiosus de latere sanguis, diluantur labes meæ.* ex antithetis eleganter sententiæ conflantur. *patent filij vulnera, lateant mea crimina, &c.*

Spiritus sanctus sagittari' cordis.

4. Sanctum Spiritum inuocat. *Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende. veni naufragantium sidus, naufragij portus, &c.* Vides Spiritum sanctum quasi venatorem ad prædam iaculis armatum. alibi dixit. *Sagittaueras cor meum, &c.*

Dei natura quam perfecta, & admirabilis.

5. Eleganter diuinitatis naturam describit. *Credo te sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tui initio omnibus initia dantem. quem nec spatia dilatant, nec breuitas locorum angustat, &c.*

In Christi sanguine ex spiritis respiramus.

6. De Christo redemptore sic. *Victor est, & victima, & ideo victor, quia victima; sacerdos, & sacrificium, & ideò sacerdos, quia sacrificium. omnis spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso ipsius sanguine, qui effusus est super nos, in ipso respiro.* eleganter ex correspondentibus, ac relatis verbis: quod autem ait, se in Christi sanguine respirare, huc refer illud Ieremiæ. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* in hebræo est. *respiratio oris nostri.* adeò in expirantis Christi sanguine respiramus. siue quia per ipsius mortem viuimus, siue quia à metu æterni supplicij respiramus.

7. Dignitatem hominis ostendit ex Christi exaltatione. *Est in ipso Iesu Christo vniuscuiusque nostrum portio, caro, & sanguis. vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo; vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me cognosco; vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio.* vide quãtus honor, ac decus ex Incarnatione diuini Verbi ad humanam naturam prouenerit; & nota, quantò enim magis hic honor ad Deiparam pertinet, quæ illi carnẽ dedit suam? qantum inde gloriæ, ac principatus super ipsos Angelos redundat?

Ingens humanæ naturæ gloria ex Incarnatione.

Gratia dux peregrinationis nostræ.

Per gratiam inardescimus & sursũ ferimur, & proficimus.

8. Diuinæ gratiæ omnia refert accepta. *Tibi semper hærere necesse habemus, vt per continuum auxilium tuum rectè viuere valeamus. pondere siquidem fragilitatis nostræ deorsum trahimur: dono autem tuo accendimur, & sursum ferimur; inardescimus, & imus; ascendimus, ascensiones in corde facimus, igne tuo bono inardescimus, & imus sursum ad pacem Hierusalem. & quia peregrinamur à te, & municipatus in cælis est; ideo duce Gratia tua ingredior in cubile cordis mei, & cãto tibi amatoria, Deus meus, in loco peregrinationis meæ, donec in pacem Hierusalem matris meæ, vbi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum, &c.* pulchrè inducitur Gratia, & facem præferens cordi, & dux peregrinantum. & nota eius effecta. *accendimur, inardescimus, sursum ferimur.* signum igitur inhabitantis Gratiæ est feruor, & profectus in spiritu.

Dei contemplatio sine grandi amore frigesceret.

9. De beatifica Dei visione in rationali mente sic pulchrè. *Ita illa est abs te Domino Deo, vt aliud sit planè, quàm tu, licèt nec ante illam, nec in illa inueniamus tẽpus; est enim idonea faciem tuam semper videre, nec vspiam deflectitur ab ea, quo fit, vt nulla mutatione varietur: inest tamen ipsi mutabilitas, quia tenebresceret, & frigesceret, nisi amore grandi cohærens tibi tanquam super meridiem luceret, & ferueret ex te. denique tum casto amore cohæret tibi, vt quamuis tibi non sit coæterna, per nullas tamen temporis varietates, & vicissitudines à te resoluatur, & defluat; sed in tui contemplatione requiescat; quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis te, & sufficit ei, vnde non declinat à te, nec à se, &c.* egregiè cælestis beatitudinis excellentiam ostendit, sed præclarum est quod addidit; tantum contemplationis lumen, & splendor mentis *tenebresceret, & frigesceret, nisi amore grandi cohæreret Deo.*

10 Affectum ostendit in cælestẽ patriam. *O domus luminosa, & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini fabricatoris tui. tibi suspiret peregrinatio mea nocte, & die; tibi inhiet cor meũ, &c.* dignum cordis votum, & digna vox cælestia sapiente. Tum de fælicitate status beatorum hymnum canit, cuius initium est: *Ad perennis vitæ fontem mens sitiuit arida.* ac præsertim perpendo illud.

Omni

Omni labe defæcati carnis bella nesciunt, caro facta spiritalis, & mens vnum sentiunt. . tā mira beatorum felicitas, quam vel in terris expertus degustauit Aloysius Gonsaga noster.

11 De Dei quoque cognitione trascendente omnia sic pulchrè. *O res mira, omnique stupore dignissima. De Deo quidem creatore omnium, qui est incomprehensibilis, & ineffabilis, excelsa, & mirabilia nimis omni remota ambiguitate legimus, loquimur, scribimus; de Angelis autem, & animalibus quicquid dicimus, non tam euidenter approbare possumus; sed transeat ab his animus, & transcendat omne, quod creatum est; currat, & ascendat; volitet, & pertranseat, & in eum, qui creauit omnia, quantum potest, oculos fidei dirigat. faciam ergo gradus ascensionis in corde meo, & per ipsos ascendam animam meam, & per ipsam mentem meam ascēdam ad Deum meum. quicquid visibiliter cernitur, quicquid specialiter imaginatur, remoueatur; solus intellectus purus, & simplex incedens, rapido volatu ad ipsum perueniat conditorem: mens illa beata, quæ ima deserit, summa petit, quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur Solem iustitiæ aquilinis obtutibus.* alludit ad locum Iob de aquila. talem dicito, Ioannem, Augustinum ipsum, & Thomam Aquinatem. *Quorum intellectus purus, & simplex incedens, rapido volatu ad ipsum peruenit conditorem.* rectè autem ait, creaturas omnes transcendendas, vt ad creatorem peruenias.

Mens omnes creaturas transcendat oportet, vt Deum inueniat.

12 Redit eleganter ad descriptionē naturæ diuinæ. *O summe, optime, potentissime, inuisibilis omnia videns, illocalis, interminus, nunquā nouus, nūquā vetus, innouans omnia, semper agens, semper quietus; omnia portās sine onere, omnia implens sine inclusione, amas, nec æstuas; irasceris, & tranquillus es. opera mutas, non consilium; recipis quod nunquam amisisti; nunquam inops, & gaudes lucro. reddis debita nulli debens; donas debita nihil perdens, &c.* antithetis pulchrè contexitur oratio: nota singula, in quibus excellit diuina natura. huc pertinent reliqua. *cuius voluntas est opus; cuius velle posse est, &c.* Item illa de Trinitate. *Tua diuina essentia semper caruit, & caret materia, licèt non careat forforma, forma scilicet informata, forma formarum, forma formosissima, quam dum imimprimis quasi sigillum rebus singulis eas sine sui augmēti, aut detrimenti mutabilitate facis à te differre*. & mox in affectū prorumpens addit. *Inuocat te, Trinitas beata, vox clara, & sincerus amor fidei meæ, quam ab ipsis enutriens incunabulis illuminasti semper per illustrationem gratiæ tuæ, & adaugens confirmasti in me per documentum matris Ecclesiæ. Te inuoco viuens vita, vita à viuente, viuentium viuificator vnus à se, vnus ab, vno vnus ab ambobus, & à se, & ab altero, & ab vtroque, &c.* vide quàm sublimiter simul loquatur, & piè.

Diuinæ naturæ excellentia.

13 De beatifica visione sic. *Laudant te, Domine, illi populi Angelorum tuorum immortales, illæ cœlestes virtutes, quæ non habent opus hæc legere, vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua; legūt, eligunt, & diligunt, & non clauditur codex eorum*. pulchrè per tempora quasi syllabatim à nobis haberi cognitionem dicit; secus in æternitate. denique sic erumpit in laudem. *Gloria patri, qui creauit nos, gloria filio, qui redemit nos, gloria Spiritui sancto, qui sanctificauit nos, gloria summæ, & indiuiduæ Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt*.

Beati non legunt per syllabas temporū vt nos.

14 Affectu pijssimo plena sunt illa. *Rogo te per omnes miserationes tuas, mollifica cor meum saxeum, & ferreum, tua sacratissima vnctione, & fac me per ignem compunctionis coram te hostiam viuam fieri. fac me ex tui desiderio huic Mundo funditus extingui. & quia valida est, vt mors, tua dilectio, absorbeat quæso mentem meam ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ignita, & mellifluæ vis amoris tui, vt tibi soli inhæream, ac tui solius memoria pascar. descendat in cor meū odor tuus suauissimus, ingrediatur amor tuus mellifluus. scribe digito tuo in pectore meo dulcē memoriam tui melliflui nominis nulla vnquā obliuione delēdā, &c* pulchrū votum de Iesu nomine Dei digito, hoc est Spiritu sancto in pectore indelebiliter scribendo, quod nostris è Societate Iesu in primis congruit. preclara est illa deprecatio religiosi maximè propria. *Fac me ex tui desiderio, huic Mundo prorsus extingui*.

Iesu nomen spiritus sancti digito inscribitur cordi.

Religiosi Mūdo extincti esse debent.

15 De Magdalenæ affectu hæc habet. *Mira mulieris deuotio, quæ recedentibus discipulis, de sepulchro non recedebat; sedebat tristis, & mærens, & surgens iterum, atque iterum, vigilantibus oculis explorabat, si fortè videri posset, quem feruenti desiderio quærebat, iam certè semel, & iterū viderat, sed nunirum amanti non sat erat: virtus enim boni operis perseuerantia est. quia quærendo perseuerauit, ideò prima omnium inuenire, & alloqui meruit*. multò maius esse debere dicit desiderium nostrum vidēdi eum in gloria patris. rectè adnotat ardens, & inextinguibile Magdalenæ desiderium; viderat vacuum monumentum, & iterum oculos adijcit. Egregiè dictum. *virtus boni operis perseuerantia est*.

Magdalenæ Inexplebile desiderium Christi videndi in sepulchro.

Perseuerātia p preces redditur.

16 Et hic affectus de dono lacrymarum notabilis. *Tu omnium virtutum magister docuisti tuo exemplo nos flere: fleuisti defunctum amicum, & lacrymatus es super perituram ciuitatem: rogo te per illas pretiosissimas lacrymas tuas, da mihi gratiam lacryma-*

crymarum; *da mihi irriguum superius, & inferius. mactet totus in ara cordis mei, & tanquam pinguissimum holocaustum tibi in odorem suauitatis.* huc spectat holocaustum illud Eliæ, quod aquis perfusū ardentiùs accensum est. Item Nehemiæ sacrificium. videtur autem indicare irriguum superius lacrymas ex dulcedine amoris Dei, inferius ex memoria peccatorum. hoc fuit votum filiæ Caleb. Addit pulchrè. *Tribue pietate, & bonitate tua, vt iste calix inebrians, & præclarus satiet sitim meam, vt inhiet tibi spiritus meus oblitus miseriæ, &c.* vide vt lacrymæ merum suauissimum sint: huc refer nepenthes illud homericum poculum, inducens obliuionem miseriæ, & malorum omnium.

Donum lacrymarū a Deo petendū vt irriguū superius, et inferius.

Calix inebrians lacrymæ sunt.

14 Ad Christi ascensionem hoc pertinet. *Ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ tuæ, trahe me sursum ad te, vt curram post te in odorem vnguentorum tuorum, curram, & non deficiam te trahente, te ducente, me currente. trahe os sitientis animæ in superna fluenta æternæ satietatis; immò trahe me ad te fontem viuum, vt inde pro captu meo semper bibam, vnde semper viuam.* pulchrè, & piè dictum. vide quanta cùm siti anhelandum sit ad cœlestem patriam; & nota quid dicat: *te trahente, me currente*, vt gratiæ alacriter respondeamus.

Ad Christum in cœlos ascendentem pulchrum votum.

18 Ad Eucharistiam hoc pertinet. *Porrige misero manum pietatis tuæ, & iube propitiabili dignatione, vt ingrediar ad te, reficiatur de vino, cœlesti que pane, quo satiatus, resumptisque viribus ad superiora conscendat, & penna sancti desiderij raptus ad cœlestia regna volitet. assumat, rogo, spiritus meus pennas, vt aquilæ, & perueniat vsque ad decorem domus tuæ, vt ibi super mensam ciuium supernorum pascatur.* præclarè ostendit, vt Eucharistico cibo pennati euadamus, & supernæ mensæ anhelemus. alludit ad locum Iob. *Assument pennas, vt aquilæ & volabunt: & pulli eius lambunt sā guinem.* sic etiam dictum. *vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* & vbi dicit. *escam dedit timentibus se.* hebraicè est, prædam dedit.

Pēnas sācti desiderij rapimur ad cœlestia.

Ad Eucharisticū cibum sicut Aquilæ ad prędam debemus ferri.

19 Cordis tranquillitatem sic poscit. *Cor mare magnum tumens fluctibus. tu qui imperasti ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna; veni, & gradere super fluctus cordis mei, vt tranquilla fiant omnia.* Sanè quid aliud passiones sunt, nisi venti cor perturbantes? & tunc quidem mirati sunt, dicentes. *Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* at non minor admiratio potentiæ in sedandis passionibus cordis, quasi fluctibus decumanis.

Cor mare tumēs fluctibus passionum.

20 Optat cordis eleuationem ad supera. *Sursum tendo ad pacis gaudia, tene cor meum manu tua: quia sine te ad altiora non rapitur.* Huc refero mirum illud, quod vidit Ezechiel, Cherubim pennas, & subpennis manum. quid opus manu, si erāt pēnæ ad volatum: nisi quod indicatur, sine Dei adiutorio, & gratia omnē ingenij, & aliorum naturaliū donorum pennam ad cœlestia eleuari non posse. Subiungit egregiè. *Sed volitanti ad te animæ multa sunt, quæ obstrepunt, iussu tuo conticescant: ipsa sibi anima mea sileat; omnia pertranseat, & creata trascendat à se, & perueniat ad te.* rectè ostendit quàm egeamus Dei adiutorio ad contemplationem rerum diuinarum inter tot Mundi curas, & tumultus internos passionum. rectè orat. *Ipsa sibi anima sileat.*

Dei adiutorio opus inter tot mundi tumultus ad contēplationis silentium.

21 Charitatis donum sic piè poscit. *Obsecro te per tua vulnera, à quibus emanauit ille pretiosus sanguis, vulnera animam meam igneo, & potentissimo telo tuæ charitatis. tu sagitta electa, & gladius acutissimus, qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales: confige cor meum iaculo amoris tui, vt dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum, ita vt ex isto vulnere amoris vberrimæ fluāt lacrymæ.* Vide quàm durum scutum sit pertinacia, quod opponimus Deo; sed mucro charitatis tam acutus est, vt penetret: huc spectat quod de diabolo dicit Iob. *Corpus eius scuta fusilia.* Peccatores obstinatos intelligit, qui sunt eorum membra. pulchrè autem ostēdit, lacrymas esse sanguinem vulneris ab amore illati.

Obstinatio durum cordis est scutum.

Lacrymæ sanguis sunt saucij cordis.

22 De beneficio vocationis sic præclarè. *Fui in necessarijs natus; postea in spontaneis volutatus. sed tu Domine miserationis tuæ non immemor, tulisti me de domo patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum, & inspirasti mihi, vt sequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, & tecum discumbentium in cœnaculo altissimæ paupertatis.* Egregiè hoc ad religiosos pertinet, è seculo egressos, & ad eorum vota. Quid amœnius quàm inter lilia castitatis versari? Quid suauius paucis contenta paupertate? Quid securiùs, quàm Prælato duce ambulare semitam rectam? vides tria vota in eius verbis expressa. Denique concludit omnia pia inuocatione Sanctorum, & precatione pro Ecclesia.

Religiosorū quā felix status sit.

23 Ad passionis memoriam sic excitat. *Cur, anima mea, te non transfixit gladius doloris. cùm ferre non posses vulnerari lancea latus Saluatoris tui? Cur non es inebriata lacrymarum amaritudine, cum ille potaretur amaritudine fellis? Cur non es cōpassa dignissimæ matri eius? Domina mea quos fontes dicā erupisse de pudicissimis oculis tuis, cùm attenderes vnicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & mactari? &c.* Hinc collige Deiparam in omnibus

Christi Passioni; vt correspondendum sit.

nibus filij cruciatibus adstitisse. Meritò compatitur tanto eius dolori. & rectè per affectū nos correspondere hortatur, hoc est vulneri lanceæ per vulnus cōmisetationis, fellis potui per lacrymas, &c.

Ex tractatu De diligendo Deo.

1 DE charitatis incitamentis hæc habet. *Vt amor Dei in te amplius excitetur, & crescat, considera diligenter, à quo, quare, vel ad quid creatus sit homo, quænè Deus ꝑpter hominē creauit.* Discurrit per singula. Hoc certè Ignatius noster in spiritalibus exercitationib' proponit vt præcipuum, vt finē, propter quē creati sumus, diligenter consideremus. tria hic notantur dilectionis incitamenta. Deus est, qui nos fecit, nusquam indigens ad se diligendum, & fruendum fecit. nostra causa Solem, stellas, & cetera creauit. propter nos homo factus, & mortuus.

Creationis beneficiū quantum sit.

2 Eodem hoc spectat. *Si adhuc scire non potes qualis est ille, qui te diligit, considera saltem arrham, quam dedit. insignis est arrha eius, nobile donum, quia magnum non decuit, vt parua daret, nec pro paruo magna sapiens dedisset: magnum est quod tibi dedit, sed maius quod in te diligit. quid tibi dedit, ò anima, sponsus tuus? Respice vniuersum Mundum istum, considera, si in eo sit aliquid, quod tibi non seruiat, &c. Si ista diligis, vt famulantia dilige, vt arrham sponsi; non ista propter se, sed propter illum; nec ista cū illo, sed ista propter illum, & per illum diligas. hæc puta, & casta dilectio est.* Rectè monet creaturas ad Creatoris, nos dilectionem excitare debere. Sed contra fit, cum ijs abutimur. His addit. *Considera ò anima quæ communia cum hominibus, quæ specialia cum aliquibus, quæ singularia solus acceperis.* Nota hæc tria in beneficijs spectanda: ac de vltimo præsertim sic. *Nunquid tu omnibus alijs dignior, qui hanc specialem gratiam merueris? quot fortes? quot sapientes? quot nobiles? quot diuites ibi fuerunt? & tamen vniuersi relicti, & abiecti perierūt.* Egregiè hoc ad Religiosi status vocationem de seculo pertinent, vt beneficij magnitudo pendatur; eiq; vt par est, respondeatur.

Creaturæ ad Deum transferre animā debent.

Beneficia Dei in triplici genere recolenda.

3 Miram Dei pietatē erga nos exaggerat. *Sic certè mihi videtur, cùm Dei miserationes sic attendo, quod si fas est dicere, nihil aliud agit Deus, nisi vt meæ saluti prouideat: & ita ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit. semper se offert. quocumque me* [illegible]*rto, me non deserit.* Magni ponderis hęc verba sunt, & vel ferreum pectus emolliant; Deus nullius indigens ita intentus est totus in meam salutem, vt aliud non agere videatur. discurre per innumera beneficia.

Deus totus occupatus in consulendo homini.

4 Ostendit interni affectus suauitatem ex dilectione Dei. *Sed quid est illud dulce, quod in Dei recordatione me tangere solet, & tam vehementer, & tam suauiter afficere, vt iam totus quodammodo à me ipso abalienari, & nescio quò abstrahi incipiā? subitò totus innouor, totus immutor, exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desiderio iucundatur: iamque alibi, nescio vbi me esse video, & quasi quibusdam amplexibus amorem intus teneo, & retinere toto nisu laboro. Luctatur quodammodo delectabili animo, ne recedat, &c. nunquid ille est dilectus? verè ille est; venit, vt non totum infundat se, sed vt gustandum præbeat se, & hoc est quod maximè pertinet ad arrham desponsationis eius.* Vide incredibilem sancti Doctoris affectum in Deum. refer hoc ad S. Teresiam, itemq; ad Xaueriū nostrū vix ferentem vim diuini amoris. pertinet etiam ad renouationem spiritus, & votorum. *Subitò totus innouor, totus immutor, &c.*

Mira suauitas sōsolationis cœlestis in sanctis.

Dei amor animū innouat, & immutat.

5 Peccati indignitatem exaggerat. *Cum te omnium creatorem offendi, omnem creaturam in iram commoui, vt pro te pugnaret aduersum me. posset enim dicere terra, non debeo te sustinere, sed potius absorbere; quia a creatore meo peccando recessisti. posset dicere Sol; non debeo tibi ad salutem lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est fons luminis, radios abscondere, &c.* Huc spectat illud. *Armabit creaturam in vltionem inimicorum, & pugnabit pro ipso orbis terrarum contra insensatos;* quod maximè in iudicio fiet; tremente terra, latente Sole, &c.

Creatorē offendeas omnes creaturas irritat in se.

6 Carnis pugnam ostendit. *Primus hostis continentiæ nostra caro est aduersus spiritum. quàm domesticus hostis? quàm periculosa lucta? quàm intestinum bellum? hostem hunc crudelissimum non fugere possumus, non fugare, sed circumferre illum necesse est. quid autem periculosius, & miserabilius est, quàm quòd hostem nostrum cogimur sustentare, perimere non licet?* Rectè hoc exaggerat, vt difficultatem ostendat. quanta igitur strenuitas, & felicitas Thomæ Aquinatis putanda Angelico illo balteo præcincti, & Aloysij nostri, qui in tanti belli tumultu quietem nactus.

Carnis pugna quàm sit difficilis.

7 De promerenda gloria sic. *Gratiam promerendi bona vitæ æternæ in tribus maximè stare arbitror: in odio præteriorum malorum, in contemptu bonorum præsentium, in desiderio futurorum.* Præclarè complexus omnia paucis. Similiter de spe loquitur; & in quibus posita sit, docet. *Tria cōsidero, in quibus spes mea tota consistit: scilicet charitatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis.* Nempè adoptati sumus in filios Dei, & pignus hæreditatis habemus: rursus & Deus ipsa ve-

Æterna vita per tria conquiritur.

Spes nostra in tribus fundatur.

sa veritas est, vt fallere non possit in promissis; & idem omnipotens est, vt possit prestare promissa. spes igitur nostra æternæ vitæ in tuto est.

Quatuor ponderanda in beneficio vocationis ad religionem.

8 Beneficium vocationis ostendit. *Adhuc anima mea diuinæ bonitatis inspice munera; quàm iucunda facie abrenuntianti seculo tibi Christus occurrit? quas esurienti delicias præparauit? quas miserationum suarum diuitias, & absconditos inspirauit affectus, quò te charitatis poculo delectauit? magnum fuit & hoc, quod me fugientem seruum & rebellem, sola miseratione vocatum spiritualium consolationum non reliquit expertem.* Præclara hæc recognitio est vocationis à sæculo in Religionem: in qua expēdit quatuor: Christi occursum, delicias consolationum, diuitias donorum; & quamdam spiritus ebrietatem ex poculo charitatis, quo potat relinquentes sæculum, quod dicas quasi nepentes Homericum illum poculum, obliuionem inducens rerum terrenarum, vt illud malorum omnium.

Passio Christi non modò excitat, sed vrget ad dilectionem.

9 Christi passio quantum ad dilectionem conferat, ostendit. *Vnum est, quod me plus his omnibus accendit, vrget, mouet, promouet ad te diligendum: super omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, ò bone Iesu, ignominiosissima, & amara mors, quam sustinuisti. hoc solùm, vel hoc omninò totam vitam, totum laborem, obsequium, amoremque nostrum facilè sibi vendicat.* Rectè ait: passio Christi ad amorem non excitat modò, sed vrget, & totum absorbet hominem. Tum piè, & pulchrè addit. *Amplectatur anima mea te, Domine Iesu, crucifixum: sumat tui dulcissimi sanguinis haustum; occupet memoriam hæc suauis meditatio. Iudico me nihil scire, præter Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Plena sunt amoris verba, & ad Eucharistiam maximè pertinent. vide autem quæ sit vera & perfecta scientia: vbi & hoc notandū adeò, quòd Lystris Mercurius habitus est Paulus ob sapientiam, tamen nihil se scire ait, nisi quod legit in libro apertò, ide st Chisto in cruce.

Ex libro Soliloquiorum.

Inspiratio ad bonum à Deo petēda.

1 Affectu plena sunt illa, & simul valdè eleganter dicta. *Intona Domine desuper voce grādi, & forti in interiorem aurem cordis mei, & doce me. tribue visum lux inuisibilis. crea nouum olfactum odor vitæ, qui post te curram; ò vita, cui omnia viuunt, vita vitalis, vbi te inueniam, vt in me deficiam, & in te subsistam?* Vide quàm surdaster fiat peccator, vt grādi tonitru egeat, vt audiat eius præcepta. grande certe tonitruum minæ inferni, denunciatio iudicii, &c.

In Christi manibus descripti sumus clauis, & sanguine.

2 Ad Christi passionem hæc spectant, *Manus tuæ fecerunt me, illæ, inquam, manus, quæ affixæ clauis fuere pro me, in manibus tuis Domine Deus descripsisti me; lege illam scripturam, & salua me.* Pulchrè ostendit, vt clauis. & sanguine, velut atramēto nos in manibus descripserit suis; iuxta illud propheticum. *In manibus meis descripsi te.* Vt scilicet semper mei memineris, & quicquid operaris ad meam tendat salutem.

3 Deplorat miserias huius vitæ. *Vita, quæ quantò magis crescit, tantò magis decrescit; vita fallax, & vmbratilis, plena laqueis mortis, &c.* Rectè vmbratilem vitam istam vocat. nam & Ezechieli producta vita per vmbram significata est in horologio.

Per peccatum in nihilu tendimus.

4 De casu animæ in peccatum sic. *Quoties à bono deuias, à Verbo te separas, quia ipsum est bonum, & ideò nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil. cùm igitur fui sine te, non fui, ideò dolorem vulnerum non sentiebam.* Pulchra ratio cur peccator non sentiat Dei minas, non beneficia, &c. quia quasi in nihilum redactus à Deo deficiens, qui verè est, & propriè.

Christus cur clauis Dauid dicatur.

5 De cognitione veri sic. *Aperi mihi ò clauis Dauid, qui aperis, & nemo claudit; illi, cui tu aperis. aperi mihi ostium luminis tui, vt ingrediar, & videatur, & cognoscatur, quia misericordia magna est tua super me. aperi os meum, da mihi vocem laudis, &c.* Referri hoc potest ad illud nouendiale in expectatione partus Virginei; cùm canitur, *O clauis Dauid, &c.* vt ingrediamur, siuè in præsepe, siue in thesaurum beneficiorum Dei, siue vt hac aurea claui os nostrum aperiat ad concinendum dignè mysteria tam præclara.

Mira dignitas humanæ naturæ per Incarnationem Verbi.

6 Incarnationis beneficium exaggerat. *Quid iam prohibebit nos non esse minores paulò minus ab Angelis? quos tu Domine corona spei coronaueris, quos tu nimis quasi amicos tuos honoraueris, immò per omnia pares, & æquales Angelis: nam & hoc veritas tua dicit. æquales enim sunt Angelis, & filij Dei sunt: hoc vtique considerāti mihi fiducia est dicere, non homo minor paulò minus ab Angelis, quia homo Deus, & Deus homo, non Angelus; & dicam propter hoc hominem creaturam dignissimam quia Verbum per quod Deus dixit, fiat lux, Angelica scilicet natura, & per quod Deus creauit omnia, caro factum est & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, ecce gloria, per quam glorior, quando sanè glorior.* Vide quantum dignitatis acceperit humana natura ex Incarnatione Verbi. & rectè ait in hoc esse positam veram gloriam nostram.

De Dei

Deus omni nostra laude maior.

7 De Dei laude sic *Quid ergo, Domine laudabo te? nunquid tenebræ laudabunt lucem, mors vitam, vanitas veritatem? laudet te Deus meus potius incomprehensibilis potentia tua, & ineffabilis bonitas tua; laudet te supereminens clementia tua, sempiterna quoque virtus, & diuinitas tua; ego autem creatura tua sub vmbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua.* egregiè ostendit quantum deficiamus à vera Dei laude, cum transcendat omnem conatum nostrum.

Deus Solus implet animam.

8 Peccantis statum deplorat. *Fac Domine, vt miseriam meam confitear tibi. ex quo ab vnitate bonitatis tuæ, à summo, & vno bono me temporalium rerum multiformitas per carnales sensus dissipauit, & ab vno in multa diuisit, facta est mihi abundantia laboriosa, & egestas copiosa; dum aliud, & aliud sequebar, & à nullo implebar.* acutè ostendit, qui ab vno desciscit ad multa, egentissimum fieri, hoc est si omnia possideas præter Deum. mox addit pulchrè. *Mundus clamat, deficio; tu Domine clamas, reficio; & miseria mea praua magis sequitur deficientem, quàm reficientem.* huc refer illud euãgelicum: *vinum non habent.* & illud Iob sub typo Leuiathan: *faciem eius præcedit egestas.* vide qualem apparatorem conuiuij præmittat Mundus, egestatem ipsam.

Christi sanguine quasi sigillo in corde signati sumus.

9 Christi pietatem exaggerat. *Signasti me sanguine tuo, vt memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce. in manibus tuis descripsisti me, vt semper sit memoria mea apud te, & memoria tua iugiter fuerit apud me* huc spectat dialogismus ille apud Ieremiã inter Christum, & animam: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthij & fellis. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* eleganter, ac piè sanguinis quasi ceræ sigillum dicit in corde, eodemque sanguine pro atramento, & clauis pro calamo descriptos non esse in eius manu, vt ipse nobis signaretur, ac describeretur in corde, iuxta illud. *pone me vt signaculum super cor tuum.* dic igitur. *Signasti me sanguine tuo, vt memoria tui nunquam recederet à corde meo.*

Gloriam sibi attribuens, & non Deo similis est diabolo.

10 De gloria Deo tribuenda sic. *Qui de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi, hic similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam: qui enim laudari vult de dono tuo, & non quærit in illo gloriam tuam, hic vituperatur à te. qui autem ab hominibus laudatur vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te; nec liberabitur condemnante te. tibi igitur sit gloria, cuius est omne bonum; nobis autem confusio faciei, quorum est omne malum.* Vide vt cupiditas propriè gloriæ cedat potius in ignominiam; & prorsus inutilis sit, quæ ab hominibus quæritur: illud autem horribile dictum est: *Qui de bono tuo gloriam sibi quærit & non tibi, hic similis est diabolo, &c.*

Serpens tentans Euã quali specie fuerit.

11 Quantum Dei egeamus auxilio, ostendit. *Tentator defuit, & deesse tu fecisti. locus & tempus defuit, & vt hæc deessent; tu fecisti. affuit tentator, non defuit locus, non tempus, sed vt non consentirem, tu me tenuisti. ipse est draco ille rufus, habens capita septem, qui ortus est in paradiso voluptatis, qui cauda sua traxit tertiam partem stellarum, &c. & quis defendet à morsibus eius? quis eruet ab ore eius, nisi tu Domine?* Notabilis locus, quali specie fuerit serpens tentator in paradiso, qualis describitur à Ioanne, rufus colore ob strages mortalium, & septiceps instar hydræ. ob septem præcipua peccata. rectè autem à Deo agnoscit liberationem à tentationum periculis.

Diabolus Proteo similis vultu multiformi.

12 Diaboli versutiam sic describit, *Hic est latro primus, & vltimus, qui consilium fecit, vt raperet gloriam tuam; qui inflatus, & elatus crepuit. versutus est iste hostis, & tortuosus, nec facile deprehendi possunt circuitus viæ eius, nec cognosci species vultus eius, nisi tu illumines; nam nunc agnum, nunc lupum; nunc tenebras, nunc lucem se ostendit; et nunc vt leo, nunc vt draco manifestè & occultè insidiatur.* Vides vt Proteum illum Maronianum, monstrum multiforme exprimat, de quo dicitur: Tum variæ illudunt species, atque ora ferarum; fiet enim subitò sus horridus, atraque tigris, squamosusque draco, &c.

Ingratitudo exsiccat fontẽ misericordiæ Dei.

13 Ingratitudinem sic perstringit, *Scio quod ingratitudo tibi multum displiceat, quæ est radix totius mali spiritalis, & ventus quidam desiccans, & vrens omne bonum; obstruens fontem misericordiæ tuæ.* Quid vberius vndanti Dei benignitate? certè, *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* idest Ecclesiam. & tamen ingratitudo exsiccat.

Oratio ad impetrandum diuinum amorem.

14 De charitate in Deum sic pulchre. *O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris; o amor, qui semper ferues, & nũquam tepescis, accende me; accendar, inquam, totus à te, vt totus diligam te: minus enim te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* affectu plena est oratio, & in ore semper habenda. vides vt amor Dei sincerus esse debeat, nulli alteri mixtus.

Deus homini tot dona confert ob imaginẽ suam ipsi inditam.

15 Cur animã Deus tot priuilegijs ornarit, docet. *Quid miror hæc, Domine Deus meus? imaginem quippe tuam honorificas, & similitudinem tuam, ad quam creata est.* egregiè ostendit, tantum honoris homini à Deo exhiberi propter imaginem suam illi

illi inditam; nec animæ modò tot contulit dona, sed etiam corpori ipsi ignobili, & corruptibili donauit lucem Solis, &c. Tandem concludit. *Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? si tanta sunt solatia in valle lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?* eleganter indicat quàm excellens sit illa felicitas in patria reseruata.

Mira dulcedo collata à Deo præsertim Martyribus.

16 De diuina suauitate sic. *Tua dulcedo Stephano torrentis lapides dulcorauit; tua dulcedo beato Laurentio craticulam dulcem fecit: pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. hanc vt gustauit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamauit quasi ebrius: Domine bonum est nos hic esse. hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus.* pulchrè facit Petrũ velut ebrium diuino poculo, cum tamen ibi de excessu loquerentur, hoc est de passione, myrrha, felle, aceto. quid erit in monte sancto beatæ patriæ? Stephani, ac Laurentij potissimum meritò meminit: quid enim admirabilius, quàm quod ille hausit mel de petra, hic de igne?

Prædestinatio inter metum & spem posita sollicitum tenet.

17 De diuino iudicio, & prædestinatione hæc habet. *Priusquam me formares in vtero, nouisti me; & quicquid tibi placuit, præordinasti de me. quæ, & qualia in libro tuo sint scripta de me in secreto consistorii tui, ego quidem ignoro; vnde & timeo valde. tu verò nosti, quoniam quod ego per successus dierum, ac temporum expecto, in conspectu æternitatis tuæ iam factum est. ego autem sto in hac nocte tenebricosa. timor, & tremor venerunt super me: tantùm subleuat me consideratio miserationum tuarum, & præcedentia signa misericordiæ tuæ, quæ me præuenerunt, & nunc specialiter effulserunt. dilexisti me vnicè amor meus antequam diligerem te, &c.* nota de prædestinatione, vt inter metum, & spem positi simus pulchrè autem, *secretum consistorij* vocat quod tres diuinæ personæ decernunt.

Angeli tãquam excubiæ & custodes murorum & montes sunt.

18 Angelorum custodiam inter præcipua amoris diuini signa commemorat, *Hi sunt custodes super muros ciuitatis tuæ noua Hierusalem, & montes in circuitu eius; vigilantes sunt, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, ne rapiat leo. confortant nos, & monent, & orationes offerunt in conspectu maiestatis tuæ. diligunt nempè conciues suos, per quos sua ruinæ scissuras instaurari expectant, ideoque magna cura adsunt nobis omnibus horis, ac locis succurrentes, & solliciti discurrentes inter nos, & te Domine. intrant, & exeunt nobiscum attentè considerantes, quàm piè & honestè conuersemur, quantoque studio, ac desiderio quæramus regnum tuum. adiuuant, protegunt, hortantur pugnantes, coronant vincentes. grandis cura, magnus affectus dilectionis erga nos; & hoc totum propter honorem tuę inestimabilis charitatis, qua dilexisti nos; diligunt enim quos tu diligis, custodiunt quos tu custodis, &c.* singula pendenda sunt verba. nota sollicitudinem Angelorum circa nos tuendos, & ministeria, & quo fine id agant. eleganter excubias nocturnas vocat, & quasi custodes murorum, item montes ob sublimitatem Angelicæ naturæ.

Oratio ad animum attollendum à terrenis.

19 De mente ad Dei cognitionem attollenda sic pulchrè. *Doce me, creatrix sapientia; quæ librasti in pondere montes, & colles in statera, & molem terræ tribus digitis appendisti: suspende molem corporalitatis huius, quam gero, tribus inuisis digitis tuis, ad te, vt videam, & cognoscam quã admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* eleganter orat, vt sicut terram libratam tenet, & suspensam; ita & cor terrenum, & pondere suo ruens stabiliat, ac firmet.

Oratio in Eucharistię sumptione.

20 Hoc ad Eucharistiam refer. *O lux mundissima, quæ tibi deliciæ cum homine? quæ conuentio lucis ad tenebras? vbi præparasti in me dignum sanctuarium maiestati tuæ, ad quod introiens delicieris? mundum cœnaculum decet te, ò mundans virtus, quæ non nisi à mundis cordibus videri potes. in homine autem vbi est templum tam mundum, vt te suscipiat, qui regis Mundum?* pulchrè per antitheta præparationẽ ostendit. Tum indignitatem nostram pergit indicare. *Omnes nos quasi pannus menstruatæ, de massa corrupta, & immunda venientes. maculam immunditiæ nostræ, quam cælare saltem tibi, qui omnia vides, nequimus, in frontibus portamus.* Nota quid dicat de peccato originali, quod per corruptionem massæ indicatur, eius maculam tanquam in fronte à nobis gestari. nempe vt mancipia notas ferunt inscriptas, ità nos notam turpissimæ Diaboli seruitutis. quàm abhorret hæc macula à Deiparæ immaculatè conceptę fronte? ea inquam fronte, quæ diademate aureo, vt Angelorum ipsorum regina, ornanda erat.

21 De prædestinatis, ac præscitis hęc habet. *Ego, Domine, hoc considerans, expauesco, & obstupesco de altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo. incomprehensibilia sunt iudicia iustitiæ tuæ, dum ex eodem luto alia quidem vasa facis in honorem, alia verò in contumeliam sempiternam. quos igitur elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipse mundas, qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas, qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nunquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. attamen mors eorum*

Augustini metus de prædestinatione.

pessima, quos secundùm abyssum multam iudiciorum tuorum occultorum, semper autem iustorum, præsciuisti ad mortem æternam. magna sunt hæc iudicia tua Domine, quæ dum considero, contremiscunt omnia ossa mea, vt non glorietur ante te omnis caro; cum ignoret homo vtrùm amore, an odio dignus sit, sed in futurum omnia seruentur incerta. vidimus multos, & audiuimus, quos vtique sine magno timore non recolo, ascendisse primitùs quodammodo vsque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsque ad abyssos. vidimus stellas cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis; eos autem, qui iacebant in puluere à facie subleuantis manus tuæ mirabiliter ascendisse. vidimus viuos morientes, mortuos autem à morte surgentes, &c. magnum habent pondus verba singula. huc refer Originem, Tertullianum, & alios, quasi stellas cauda draconis abreptas. sunt & apud religiosos exempla huiusmodi formidanda.

Deū quęrenti omnes creaturæ transcendendæ.

21 Pulchrè per creaturas omnes discurrit quærens Deum, nec tamen in ijs diuinitatem reperit, donec omnes transcendat. *Misi omnes sensus meos exteriores nuncios, vt quærerem te, & non inueni: oculi dicunt; si coloratus non fuit, per nos non intrauit; aures dicunt, si sonitum non fecit, per nos nos transiuit, &c. interrogaui terram, mare, & quæ in eis sunt, & responderunt, non sumus Deus tuus; quære supra nos. interrogaui flabilem aerem, & inquit, fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogaui cælum, Solem, Lunam, stellas; neque nos sumus, inquiunt; & omnia clamauerunt: ipse fecit nos. & intraui in me, & aio ad me, tu quis es? &c.* elegans dialogismus, & inquisitio per vniuersas creaturas, quarum vna vox, se multò inferiores esse, & Deum supra se infinitè præstantiorem requirēdū.

Præteritę male actæ vitæ detestatio apud Deū.

22 Se ipsum sic deplorat. *Cæcus eram, & per formosa, quæ fecisti, deformis irruebam, & mecum eras, & tecum non eram; & ea me tenebant longè à te, quæ non essent nisi in te. Illuminasti me, & vidi, & amaui te. serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, serò te amaui. væ tempori illi quando non amaui te.* affectu plena vox est, pertinens ad eos, qui post primæuos annos male exactos resipiscunt, aut religiosi fiunt.

Vocatio e sæculo ad religionem instar coruscantis tonitrui.

23 De vocationis beneficio sic. *Non te quærebam, tu me quæsiuisti, vocasti me nomine tuo; intonuisti desuper voce gratia in interiorem aurem cordis mei. fiat lux, & facta est lux; & liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & vidi tenebras & abyssum, in qua iacueram; & contremui, & expaui. gratias tibi ago illuminator meus.* Vide quantum gratiæ debeamus ex fuga seculi. nota quod ait. *intonuisti desuper voce Gratia,* inspirationes vehementes, & efficaces intellige: nam & in Pauli conuersione, vt est in Græco, *circumfulgurauit eum lux de cœlo.* ceterùm ad uocationē præsertim Societatis Iesu pulchrè pertinet hoc, cum dicit. *vocasti me nomine tuo*

24 Cœlestis patriæ felicitatem eleganter describit. *O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium. quando intrabo in te? vt videam Deum meum, qui habitat in te, & regnum beatitudinis sempiternæ, vbi tu Domine es diadema gloriæ Sanctis tuis; vbi amor nunquam tepescit, decor nunquam pallescit, iuuentus nunquam senescit, &c. heu nos miseri, qui per huius magni maris fluctus, procellosasque voragines nauem trahimus, ignorantes an ad portum salutis peruenire valeamus. guberna Domine nauem nostram dextera tua, clauo crucis tuæ, ne nos demergat tempestas; atque trahe nos ad te, quem à longè quasi stellam matutinam, et Solem iustitiæ vix lacrymantibus oculis in litore cœlestis patriæ nos expectantem videmus.* Vide quanto cum affectu suspirandum sit ad celestem beatitudinem. elegans metaphora de gubernaculo crucis necessario, vt nostræ salutis nauis rectâ feratur ad portum, & maris pericula euadat. ac proinde subiungit, *Da nobis inter Scyllam, & Charybdim ita tenere medium, vt salua naue, & mercibus securi perueniamus ad portum.* huc refer Sirenum cantus, quę ad perniciem trahunt: nam & Scylla meritricio nomine infamis est.

Dei visio quàm expetenda.

Præsens vita nauigātio est crucis gubernaculo egens.

Ex Manuali.

Verè viuit qui propter Deum viuit.

1 DE dilectione Dei sic pulchrè. *Perdit quod viuit, qui curat viuere non propter te, Domine. qui tibi viuere recusat, mortuus est; qui tibi non sapit, desipit.* paucis multa complectitur per antithesin. in primis nota frustra viuere, qui aliud præter Deum spectat in vita.

Affectus erga eucharistiā qualis esse debeat.

2 Affectus ille Eucharisticus est. *Dulcis Iesu, panis vitæ, qui nos reficis, & in te non deficis, resplende mihi, accende me, sanctifica vas tuum, de malitia euacua, imple de gratia. O dulcedo amoris, & amor dulcedinis, comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viscera mea. charitas Deus meus, mel dulce, lac niueum, cibus & gaudium, fac me crescere in te.* quod ait, *resplende mihi,* huc refer illud psalmi: *accedite ad eum, & illuminamini.* rectè monet, euacuandū terrenis animū, vt nectare impleatur cœlesti.

3 Spem ex Incarnatione conceptam ostendit. *Est in te Domino meo vniusque-*

Mira dignitas ex Incarnatione in humanũ genus.

nostrum, & portio, & caro, & sanguis; vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo; vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me confido; vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco: si peccata mea prohibent, substantia mea requirit. Vide quantum dignitatis humana natura ex incarnatione desumpserit. hinc illud in Cant. *Quis mihi det te fratrẽ meum sugẽtem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & iam me nemo despiciat?*

Excellentia visionis beatificæ.

4 De cœlesti beatitudine, & Dei visione sic. *Superexcellẽs gloria erit, cum Deum videbimus in se ipso, videbimus, & habebimus in nobis. anima insignis Dei imagine, illustris similitudine habet in se ex Deo, quo admoneatur semper aut stare cum eo, aut redire, si remota fuerit. & non solùm habet, vnde respirare queat in spe veniæ & misericordiæ, sed etiã vnde audeat aspirare ad nuptias Verbi.* Nota vt imago illa Dei in homine monitoris instar sit, excitãs ad coniungendum se Deo, cui similis est per naturam. hoc autem amoris opus rectè dicit.

Amoris triũphus in captiuandis affectibus.

5 Amoris naturam pulchrè describit, *Solus est amor ex omnibus affectibus, in quo possit creatura, & si non ex æquo, respondere. Amor vbi venerit, ceteros in se omnes traducit, & captiuat affectus.* pulchrè ostẽdit amoris triumphum, dum captiuos ducit affectus. pergit: *Amor per se sufficit, per se placet, & propter se: ipse meritum, ipse præmium, ipse fructus. amor facit vnum spiritum de duobus, facit idem velle, & idem nolle. per amorem primum in seculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta seculi despiciuntur.* facit hoc pro religiosis. magnæ enim dilectionis erga Deum indicium est, *etiam honesta seculi relinquere.* talia sunt, splendor generis, cognatio, patrimonium, tituli, &c.

Vera deuotio consistit in præsidis Dei præsentia.

6 *Dei* præsentiam per amorem haberi ait. *Qui diligit, oculos semper habet ad Deum, iste talis sic deuotus, ita in omnibus est prouidus, & circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos eius, sicut reuera adest, ita orat, quasi sit assumptus, & præsentatus ante faciem maiestatis in excelso throno, vbi millia millium assistunt ei.* vide in quo posita sit solida deuotio, in assidua Dei præsentia; & quomodo sit orandum, quasi iam in terra non sis, & vnà cum *Angelis* verseris.

De Deo semper loqui perfecti amoris indicium.

7 Pergit in natura amoris. *Animã, quã visitat amor, expergefacit dormiẽtẽ, monet, & mollit eam, & vulnerat cor eius. anima, quæ amat Deum, nil aliud potest cogitare omnia alia contemnit, & fastidit; quicquid loquitur, amorem sapit, amorem redolet; ita amor Dei eam sibi vendicauit.* S. Teresiæ inprimis hæc conueniunt amore supero vulneratæ; itẽ sequentia. & nota de spirituali locutione: *Ei, qui Deũ amat, quicquid loquitur amorem sapit, amorem redolet.* præclarè dictum.

Spiritalis ecstasis affectus amoris in Deum.

8 Denique sic de amore concludit. *Anima amans cunctis renuntiat affectionibus, & tota soli incumbit amori, vt possit respondere redhibendo amorem. sed cum se tota effuderit in amorem, quantum est ad illud fontis perenne profluuiũ: non pari vbertate concurrunt amor, & amans; anima, et Deus.* rectè ostẽdit, vt omnis conatus amoris nostri sit inferior, etiam si in excessum abeat. tum de spiritali exstasi sic. *Anima fertur votis, trahitur desiderijs; amore anima secedit, & excedit à corporeis sensibus, vt sese non sentiat quæ Deum sentit: hoc fit cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, immò rapitur, atque elabitur à se ipsa vt Deo fruatur.* pulchrè de exstasi & raptu, in quo insignes fuere inprimis Catharina Senẽsis, Teresia, &c.

In tentatione carnis ad Christi vulnera confugiendum.

9 Ad Christi plagas pertinent hi affectus. *Amore Deus factus homo, vulneratus est. securus habito in vulneribus Saluatoris. patent mihi illius viscera per vulnera. quicquid mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei, q̃ misericordia affluũt. nec desunt foramina, per quæ effluant. per hæc patẽt mihi arcana cordis: per has rimas licet mihi gustare quã suauis est Dominus.* pulchrè admodũ, & piè dictũ, per Christi vulnera quasi per rimas effluere ad nos Dei pietatẽ. Addit notabile dictũ: *Cum me pulsat turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. non possũ terreri multitudine peccatorũ, si mors Domini in mentẽ meã venerit: claui, & lancea clamant mihi, quod verè reconciliatus sũ Christo, si eũ amauero. Lõginus aperuit mihi latus, intraui, & ibi requiesco securus. expãdit manus in cruce, paratus ad amplexus peccatorũ. inter brachia Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cupio. ò anima mea dilige illũ, à quo tantũ dilecta es, &c.* egregiè monet, cũ in tentatione præsertim carnis, tum in desperatione de venia, ad Christi vulnera recurrendũ, q̃ claui ipsi, & lãcea quasi clamãdo hortãtur

Amor manu ducit animam per choros cœlitum.

10 De cœlestium desiderio sic. *O anima mea, suspira ardenter, desidera vehementer, vt possis peruenire ad supernã illã ciuitatẽ: amore potes ascendere, amanti nihil est difficile. anima, quæ amat, ascendit frequenter, & currit familiariter per plateas cœlestis Hierusalem, visitando patriarchas, et prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum, choros Virginũ, &c.* Vide quò ferat amantem amor, & quibus spectaculis pascat. elegãter, & pulchrè quasi manu ducit animã p choros sanctorum

11 In Deo solùm quiescere animam posse dicit. *Cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, non cessant mihi dicere, vt amem Dominum meum. cor humanũ* in

in desiderio æternitatis non fixum, nunquã stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius de alio in aliud transit, quærens requiem, vbi non est. nempe cor hominis natura triangulare est, vt in Trinitate sit stabile, sed malitia, pilæ instar, volubile facit in mundana deuoluens. rectè dictum, *Anima impiorum rotabitur sicut in circulo funda.*

Voluntas bona quæ sit.

11 Voluntatem commendat bonam, *Bona voluntas ad Deum nos deducit. per eam Deum diligimus, & eligimus. ad Deum currimus, ad Deum peruenimus. per hanc ad Dei similitudinem reformamur, &c.* Vide quot, & quanta bona de recta voluntate procedant. opus tamen est non progressione modò, sed cursu, hoc est alacritate, & perseuerantia.

Quatuor rationes cur Verbum sit incarnatum.

12 Cur Deus sit incarnatus, ostendit. *Deus in similitudine hominis apparuit, vt de suo redimeretur homo, & vt familiarius diligeretur ab homine Deus, & vt esset redemptor, qui & creator; & vt vterque sensus hominis in ipso beatificaretur, vt scilicet reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate, vt siue ingrediens siue egrediens in ipso pascua inueniret humana natura.* Nota quatuor incarnationis rationes, præsertim vltimam, vt totum hominem vndique & perfecte bearet. proh Dei pietas ineffabilis. & dubitamus totos nos ei tradere?

Ex libro de triplici habitaculo.

Deus quã sapiens Mundi architectus.

13 VNiuersitatem hanc rerum sic partitur. *Tria sunt sub omnipotentis Dei manu facta habitacula: primũ, imum, & medium, quorum summum regnũ cœlorum dicitur, imum vocatur infernus, medium Orbis terrarum; quorum extrema omninò sunt sibi inuicem contraria, & nulla sibi societate coniuncta; medium autem non nullam habet similitudinem ad extrema, vnde lucem, & tenebras habet, lætitiam & mœrorem, &c.* Vide quam sapienter Deus architectatus sic omnia. tum singula loca describit. De Inferno autem hæc habet horribilia. *Ibi seueritas tortoris, ignita lacryma, dolor sine remedio, absentia Christi quoad visionem eius, quæ sola omnia prædicta superat, & omnibus pœnis intolerabilior est. duplex plaga, à Deo separari, & cum diabolo damnari.* Nota quod ait de ignitis damnatorum lacrymis. at nunc lacrymæ potius extinguunt ignem eius pœnæ debitæ peccatis.

Si Deus seuidendum inferis præberet, verterentur in paradisũ.

14 De visione verò beatifica sic. *Nihil comparandum dilectioni, & gaudio quod nascitur ex Dei ipsius facie ad faciem visione, cuius faciem si omnes Inferni carcere inclusi viderent, nullam pœnam, aut mœstitiam sentirent. & continuò infernus ipse in amœnum verteretur paradisum.* præclarè dictum: mira uis diuini aspectus, ad quem non solùm euanesceret Infernus, sed eius loco, existeret paradisus. pergit deinde de eadem Dei uisione sic. *In Dei visione trina scientia nascitur, idest homo qui cernit, & Deus qui cernitur, & ceteri omnes omnia videbunt, & intelligent: sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quia nos ipsos, & ipsum speculum, & quicquid præsens adest, videmus; sic per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum, vt est, videbimus, & nos ipsos, & ceteros vera & certa scientia cognoscemus. Tunc manifestum erit quomodo Deus sit sine initio, & sine fine. quid intersit inter nasci, quod ad filium pertinet, & procedere, quod ad Spiritum sanctũ? &c.* acutè tria illa considerat in Dei uisione, ut in speculo. Addit. *Tunc erit trina visio. scilicet corporalis, qua corpora cernentur quorundam splendentia, vt Sol, quorundam vt Luna, aliorum vt stellæ; & spiritalis, qua similitudines corporum in spiritu non fallaci phantasia inspicient, qua visione etiam hodie fruuntur spiritus iustorum post corporum claustra; & visio intellectualis, qua puro mentis oculo in Spiritu Deum videbunt, & suas animas, & virtutes intimas, & Spiritus Angelicos.* & hoc acutè animaduersum, quod ad Trinitatis mysterium refer, & ad perfectionem eius visionis.

Ex libro de Scalis Paradisi.

Quadruplex gradus ascensus in Deum lectio meditatio oratio cõtemplatio

1 OStendit, quibus gradibus anima ascendat ad Deum. *Cogitanti mihi de spiritalis hominis exercitio quatuor spiritales gradus se subitò obtulerunt, scilicet lectio, meditatio, oratio, & cõtemplatio. hæc est scala claustralium, qua de terra in cœlum sublevantur, cuius extrema pars terræ innixa est, superior verò nubes penetrat, & secreta cœlorum rimatur.* huc pertinent Ignatij nostri spiritalia exercitia, & quasi palæstra virtutis. ac mihi quidẽ videtur hæc quadruplex exercitatio tanquam quadriga illa Cherubica apud Ezechielem, vel currus Eliæ igneus, quo tamen altius eleuemur ad ipsum Deum. Tum singulos gradus describit. *Lectio est sedula scripturarum cum animi intentione inspectio. meditatio est studiosa mentis actio occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inuestigans. oratio est deuota mentis intentio in Deum pro malis amouendis, & bonis adipiscendis. contemplatio est mentis in Deum suspensa quædam eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. lectio inquirit, meditatio inuenit,*

oratio postulat, contemplatio degustat. pulchrè partitur, ac definit singula. in primis vide quid spectare oratio debeat. Addit: *Legere & meditari tàm bonis quàm malis commune est, & ipsi philosophi gentium ductu rationis inuenerunt, in quo summa veri boni consisteret; sed quia de suis viribus præsumebant dicentes: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: nō meruerunt percipere, quod potuerunt videre. videns igitur anima quod quantò magis ad cor altum ascendit, tantò magis exaltatur Deus, humiliat se, & fugit ad orationē.* rectè ostendit vt per orationem acquirenda sit vera intelligentia eorum, quæ legimus, & mente versauimus. ac pulchrè tanquam ad arcem in hostili incursione, sic ad orationem confugiendum innuit, ne arrogantia, & superbia ex scientia insurgat.

Oratio prò impetranda Dei cognitione ac dilectione.

2 Orationis votum, & animæ optatum piè indicat, *Domine, inuestigaui legendo, meditando quæsiui, & in meditatione mea exardescit ignis, & desiderium amplius cognoscendi te. indigna, & peccatrix sum, sed catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum da mi Domine arrham hæreditatis futuræ, saltem guttam cœlestis pluuiæ, qua refrigerem sitim meam, quia amore ardeo. his ignitis eloquijs suum inflammat desiderium: his incantationibus aduocat sponsum.* egregia deprecatio hæc est, vt per scientiam non insolescat anima, sed accendatur ad desiderium cognoscendi amplius Deum, & amandum ardentius. ac pulchrè genus incantationis, sed maximè pium orationem vocat, nempe, *incantantis sapienter*. Tum Deū oranti promptum facit. *Dominus nec ipsas preces expectat, donec finierint, sed medium orationis versum interrumpens, festinus ingerit se, & animæ desideranti velox occurrit cœlestis rore dulcedinis circumfusus, & vnguentis optimis delibutus animam recreat, reficit, impinguat, facit terrenorum obliuisci, & inebriando sobriam reddit*. præclarè ostendit alacritatem Dei, qua currit ad eum, qui ipsum inuocat. & eius aduentus effecta describit. huc refer illud sponsæ, quæ dum quasi absentem petit: *osculetur me, &c.* in medijs verbis statim præsentem alloquitur: *quia meliora sunt vbera tua vino.*

Dei prōptitudo ad eum, qui ipsum inuocat.

Lacrymarum quasi roris suauitas.

3 De lacrymis in oratione sic eleganter, & piè. *O Domine, quomodo appares, quando hæc facies, & quod signum aduentus tui? nunquid huius lætitiæ, & consolationis testes, nuncij sunt suspiria, & lacrymæ? si ita est, noua est antiphrasis ista, & significatio inusitata. quæ enim conuentio consolationis ad suspiria, lætitiæ ad lacrymas? si tamen istæ dicendæ sunt lacrymæ, & non potius roris interioris superinfusi abundantia.* pulchrè lacrymas cœlestem rorem appellat, nempe quæ in concha cordis concrescunt in vniones. certè coniectores olim ita putarunt, si quis margaritas sibi per quietem vidêre visus esset, mox experrectum lacrymaturum.

Lacrymæ Christi sponsi munuscula.

4 Item de lacrymis sic. *Felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgātur, per quas peccatorum incendia restinguuntur. hæ sunt munuscula, & solatia, quæ dat tibi sponsus; gemitus scilicet, & lacrymæ. agnosce anima sponsum tuum. nunc te torrente voluptatis inebria; suge ab vbere consolationis eius lac, & mel. ò Domine si adeò sunt dulces istæ lacrymæ, quæ ex memoria, & desiderio tui excitantur, quàm dulce erit gaudium, quod ex manifesta tui visione capietur? si adeò dulce est flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te?* eleganter extremum præsertim hoc dictum. & vide quanta sit suauitas lacrymarum, perinde atque mel & lac quod sugatur ab vberibus Christi: pulchrè item lacrymas vocat *munuscula sponsi*. nempe quæ margaritæ quædam sunt, vt Chrysostomus appellat.

Cur Deus aliquando consolationem subtrahat.

5 Cur consolatio aliquando subtrahatur, docet. *Ne hoc exilium deputemus pro patria, & arrham pro pretij summa. venit sponsus, & recedit vicissim; & antequam plenè sentiamus, se subtrahit, & ita quasi alis expansis supra nos volitans prouocat nos ad volandum, quasi dicat: Currite post me in odorem vnguentorum meorum, &c.* elegans similitudo de aquila altius à pullis euolante, quæ dum recedit, inuitat. Addit rem notatu dignam. *Sed caue sponsa, et si tu non vides sponsum, ipse tamen videt te plenus oculis ante. & retro. habet etiam circa te nuncios suos Spiritus, quasi sagacissimos exploratores, vt videant quomodo absente sponso conuerseris, & accusent te, si aliqua signa scurrilitatis in te deprehēderint. Zelotypus est sponsus iste, si alijs placere studueris, statim discedet à te. esto verecunda & humilis, vt à sponso tuo merearis frequenter visitari.* Notabilis hic locus est religiosis inprimis. vide quàm hunc statum scurrilitas dedeceat. & quàm hæc orationis delicias impediat, hoc est spiritalem consolationem. ac rectè ad hanc vitandā, & modestiam promerendam Christi sponsi præsentiam inculcat.

Meditatio effossio thesauri est.

6 Concludit de quatuor his gradibus. *Lectio quasi fundamentum prima occurrit, & data materia mittit nos ad meditationem: meditatio inquirit, & quasi effodiens thesaurum inuenit, & ostendit. oratio se totis viribus agit, vbi reperit thesaurum desiderabilem. tum contemplatio adueniens tuum laborem remunerat, cum cœlestis rore dulcedinis animam sitientem inebriat.* eleganter ostendit ingens ex meditatione lucrum. à mundanis thesaurus effoditur, & tanta

tanta cum lætitia possidetur. multò magis in exercitio meditandi ditescimus.

Nefas est post aucharistiæ sumptionem recurrere ad mundana

7 Ostendit quàm peruersè agant, qui ab oratione, vel Eucharistico cibo statim se dissoluunt. *Quàm infelix, & damnosa commutatio! illud secretum cubile Spiritus sancti, illud secretum cordis, quod paulò ante cælestibus gaudijs intendebat, tam subitò immundis cogitationibus, & peccatis tradere conculcandum. adhuc in eodem calent sponsi vestigia, & iam intromittuntur adultera desideria. male conueniens, indecorum; aures, quæ modò audierunt verba, quæ non licet homini loqui, tàm citò inclinari ad fabulas & detractiones audiendas: oculos, qui sacris lacrymis modò baptizati erant, repentè conuerti ad vanitates; linguam, quæ modò dulce epithalamium decantauit, iterum conuerti ad vana eloquia & scurrilitates.* rectè exaggerat quàm indecorum sit, & contra fas post Eucharistiā hæc agere. hinc illud Apostoli vetantis etiam stultiloquia, & subiungit, *sicut decet sanctos.* græcè est πρέπει; idest sicut decorum ipsum requirit, vt qui paulò ante inter Angelos conuiuatus sis. magna vis est in illis præsertim verbis. *adhuc calent sponsi vestigia, &c.* ostendit autem in ea sumptione omnia membra sanctificari, oculos lacrymis, linguam Dei laudibus, aures sacrosancti sacrificij verbis arcanis *quæ nō licet homini loqui*, scilicet sacerdos proferens cōsecrationis verba non vt homo loquitur, sed in persona Christi hominis Dei. & tanquam in paradisum per ecstasim raptus.

Ex libro de duodecim abusibus.

Prædicator adcor loqui debet cum exemplo vitæ.

1 P*Rimus abusionis gradus est, si quis quod sermone docet, actibus complere negligit: nunquam enim fit efficax prædicantis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis.* Nota vt cordi auditoris imprimenda sint quæ dicuntur, quod maximè fit exemplo vitæ. *Secundus abusionis gradus est, si sine religione senex esse inueniatur*, Similitudinem dat arboris, quæ inutilis est nisi post flores det fructus; atqui iuuētus flos ætatis est. quid si tādiu post nō fructificaueris? igni destinaris. *Tertius abusionis gradus est, si adolescens sine obedientia deprehenditur, quo mūdus à recto rationis ordine deprauatur. qualiter enim in senectute sibi ministrari sperabit, qui in adolescentia senioribus obedientiam exhibere contemnit? vnde & in prouerbijs apud veteres habetur, quod dominari nequeat qui prius alicui seruitutem præbere denegat.* huc refero quod hebraicè Sol dicitur à ministrando, licet factus dicatur, *vt præesset diei.* Addit, *in mandatis legis primū exhis, quæ ad homines pertinēt patris, & matris honor imparatur. quatuor autē modis in scripturis patres vocantur: natura, gēte, admonitione, ætate.* Nota quàm præclarum sit paternum nomen. *Quartus abusionis gradus est diues sine eleemosyna: qui dum in terra quæsita diligenti cura custodit, cælestis patriæ thesaurum amittit. date, inquit, pauperibus, & habebitis thesaurum in cælo.* Vide, vt per eleemosynā nō modò nihil deperdatur, sed veræ diuitiæ acquirantur. *Quintus abusionis gradus fœmina sine pudicitia. pudicitia ornamentum nobiliū est, nobilitas ignobilium, augumentum omnis pulchritudinis, &c.* Ait hanc consistere tū in exteriore habitu per modestiam, tum in interna custodia. *Sextus abusionis gradus est, Dominus sine virtute. Tria autem eos, qui dominantur habere oportet: terrorē scilicet, & ordinationem, & amorem. nisi enim quis ametur, & metuatur, ordinatio minimè stare poterit. per beneficia ergo, & affabilitatem procuret, vt diligatur; & per iustas vindictas non propriæ iniuriæ, sed legis Dei, studeat, vt metuatur.* Nota tria, quæ in superiore requirit. Heli autem in filijs punitum dicit, ob relaxatum rigorē. tum præclarè addit. *Præterea dum multi pendent ex eo, ipse Deo adhærere debet: paxillus enim nisi benefixus firmiter alicui fortiori inhæreat, omne, quod in eo pendet, citò labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus in terram decidit; sic & Princeps: nisi suo conditori firmiter adhæserit, & ipse, & omne, quod continet, citò deperit.* Pulchrè hoc dictum; & videtur alludere ad illud Prophetæ. *Figam illum paxillum in loco fideli, & suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, omne vas paruulum, à vasis craterarum, vsque ad omne vas musicorum.* Esaia 22. Ac rectè mihi vidētur à superiore quasi paxillo pendere crateres in primis, & vasa musica, vt in lætitia spiritali plenos subditos teneat, & in consonātia, & harmonia regularum, præsertim concordia; quod fiet, si ipse fixus firmiter adhæreat Deo: nempè magna fortitudine opus est in gubernando, quia multa se in contrarium opponunt. Tū ostendit superioris munus alijs in bonum cessisse, vt Mosi; alijs in malum, vt Sauli.

Inter Christianos contentiones taxantur.

2 Transit ad sex alios abusus. *Septimus abusionis gradus est, Christianus contentiosus, non contenditur de re aliqua, nisi propter dilectionem, qui igitur de Mundo præsenti ex quacumque causa contendit, præcipuè ostendit quòd eum diligit. at Christianus, qui nominis Christi similitudinem tenet, morum quoque eius similitudinem habere debet: de Christo autem per Esaiam dicitur; Ecce puer meus, quem elegi, non contendet, neque clamabit, &c.* Rectè ostendit signum esse, quòd diligat Mundū, non Christum, quia

Senectus sine virtute arbor inutilis.

Adolescens inobediens taxatur.

ros

res, de quibus contenditur, ad Mundum spectant, vt honor. pecunia, &c. *Octauus abusionis status est pauper superbus, cùm & diuitibus sæculi non superbè sapere per Apostolum Paulum imperetur.* Quantò magis dedecet pauperẽ tum pulchrè concludit. *Nobilis ergo inopia est mentis humilitas.* Vide quæ sit vera nobilitas, etiam si mundanis diuitijs careat: humilitas, nempe cognata Dei filio, qui se dixit humilem corde. *Nonus abusionis gradus est, Rex iniquus. cùm Regem potiùs iniquorum correctorem esse oporteat; scriptum est, In iustitia Regis exaltatur solium. iustitia verò Regis est neminem iniustè per potentiam opprimere, iniquos non exaltare, impudicos, & histriones non nutrire, Ecclesias defendere, iustos super Regni negotia constituere, senes, & sapientes, & sobrios consiliarios habere, certis horis orationibus insistere.* Præclarè ostendit, Regem orationi deditum, & Ecclesiæ tutelæ intentum esse debere, quæ certè laus nunc est Christianorum regum; & illud maximè aduertendum. *Iustos super Regni negotia constituendos*, idest ministros, qui iustitiam exerceant. Addit rem notabilem. *Qui verò Regnum secundùm hanc legem non dispensat, multas nimirum aduersitates imperij tolerat; iccircò enim pax populorum sæpe rumpitur, & offendicula de Regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, hostium incursus prouincias vndique vastant, &c.* Vide quantum damni conferat toti Regno Regis vnius iniustitia. adeò stabilimentum Regni Religio, & pietas Principis potissima est. *Decimus abusionis gradus est, Episcopus negligens. Episcopus græcè speculator est; & quid Dominus à speculatore requirit, sub Execbielis persona denunciat: Si videris gladium venientem, &c. qualis verò in se ipso esse debeat, Paulus exponit: Vt sit sobrius, prudens, castus, &c.* Vide quàm generosus esse debeat Episcopus in vitijs tollendis, vt quasi armato hosti impauidus occurrat. *Vndecimus gradus est, plebs sine disciplina. disciplina verò est morum ordinata correctio, & maiorum præcedentium regularum obseruantia.* Hinc collige quantò magis hæc in Religionibus seruanda sit. *Duodecimus denique abusionis gradus est, populus sine lege, & quia Christus est finis legis, qui sine lege est, sine Christo est.* Hinc ait errores oriri multos, dũ liberè, quolibet. ac licenter ferimur. Huc refer, quòd Pindarus Reginas vrbium leges appellauit. & Heraclitus dixit, non minus pro legibus, quàm pro mœnibus decertandum. Rectè autem ergo Christum refert, qui finis est legis.

Pauper superbus taxatur.

Rex orationi deditus esse debet, & Ecclesiæ defensor.

Episcopo diligentia & generositas necessaria.

Disciplinæ relaxatio taxatur.

Legum obseruantia commẽdatur.

Ex libro de Contritione cordis.

1 INcitamenta proponit, quæ ad contritionem faciunt. *Considera, ò homo, quid tibi erat, & quid tibi factum sit; & pensa, qui tibi hæc fecit, quanto amore dignus sit: in tenebris eras, in descensu semper ad horribile chaos inferni. immensum, & quasi plumbi pondus à collo tuo deorsum te trahebat, hostes inuisibiles toto conatu te impellebant.* Magni ponderis hæc verba sunt, quò refer illud talentum plumbi mulieri impositum iniquitatis typo. Ita & de Ægyptijs dicitur. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Addit, *Sic omni auxilio destituto illuxisti mihi Deus, proiecisti pondus trahens & onus grauans, & hostes impellentes reiecisti, erexisti, & eleuasti ad notitiam, & amorem tuum; & mihi, si te requirem, promisisti gloriam.* Præclara sanè vox hæc & Religiosis in primis vsurpanda; quò spectat & illud Dauidicum dictum. *Qui exaltas me de portis mortis.* hoc est de sæculi periculis ad altitudinem perfectionis eleuas.

2 Peccata sic execratur. *O peccata quàm faciles aditus habetis, dum suadetis, & quàm difficiles exitus habetis. dum suadetis, inungitis; sed postquam suaseritis, vsque ad mortem animæ pungitis.* Nempe sic finxerunt, Cerberum blandimento caudæ excipientem eos qui ad Inferos intrabant sed latratu deterrentem eos, qui inde exire conarentur.

3 Fragilitatem humanam deplorat. *Heu tantæ infelicitati, & perditioni; dũ enim ea, quæ retro sunt, obliuiscens, ad ea, quæ ante sunt me extendere volo, subitò nescio qua miseria me relabi ad inania, & noxia conspicio; & tanquam mors subitò interueniens, vel quemadmodum canis rabidus, qui nec percussus à laceratione hominis separatur, carnalis delectatio perforat mentem meam.* Vide quid sit concupiscentia, canis rabidus pertinaci, ac venenato dente insiliens. carnem, ceu canẽ flagris percutis, & adhuc mordet, & latrat. Talem canem in delicijs habent mundani, & delicatè enutriunt in perniciem. Illud quoque peccati horrorem habet. *O quàm tolerabilius canis putridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo.* Huc facit quod sanctis quibusdam datum est, vt peccatores dignoscerent ex horribili fœtore.

4 Peccatum magis vitandum dicit, quàm ipsius peccati pœnam, *Magis vitanda peccati fœditas, quàm qualibet tormẽtorum immanitas; quia homo in peccando fœdissima peruersitate præposuit se creatori suo, quo nihil iniustius. sed in tolerandis peccati tormentis subijcit se creatura factori suo,* que

Ingens peccati pondus.

Beneficiũ vocationis quantum sit.

Peccator facilem habet introitum, difficilem exitum.

Concupiscentia rabidus canis.

Peccator putidus canis.

Peccatum magis detestandũ, quàm eius pœna.

quo nihil iustius. Acuta certè ratio. huc refer præclarum illud dictum Elcazari, iussi contra legem facere. *Malle se in infernum præmitti*.

Triplicem abyssum considerat. *O abyssus abyssum inuocans, ò peccata mea; tormenta, quibus me seruatis, abyssus sunt, quia infinita, & omninò incomprehensibilia. est & tertia abyssus nimis terribilis, iudicia Dei abyssus multa, quid super omnem sensum occulta: Abyssus ergo iudiciorum Dei super me, abyssus inferni subtus me, abyssus peccatorum meorum est intra me*. Vide quàm nobis metuendum sit inter tam horrendas abyssos constitutis.

Abyssο peccatorũ abyssus Dei iudiciorum respõdet.

5 Peccatorem sic ad contritionem hortatur. *Obruere infelix mole interni doloris, qui libens corruisti in cœnum inferni fœtoris. Obuoluere ærumnosè in tenebris inconsolabilis luctus, qui volutus es in voragine tam sordidi fluctus. terror, & mœror irruite, obstruite, torquete reum, vindicate Deum. sit pœnitentia continua, & amara comes ætatis meæ. si dignus non sum oculos ad cœlum leuarẽ precando, certè sum dignus eos cæcare plorando*. Pulchrè, & piè singula dicta, præsertim hoc vltimum; vt oculos velut indignos cęli conspectu vi lacrymarũ obruamus. Elegans item, ac pia est illa apostrophe ad omnia genera tormentorum, & afflictionũ, vt in se peccatorem impetum faciant, vt de Dei inimico pœnas debitas sumant.

Ex Libro de Cognitione veræ vitæ.

1 De incomprehensibilitate Dei sic eleganter. *Nunc patet quã sit admirabilis Deus, cùm omnibus linguis sit indicibilis, omnibus cordibus incogitabilis. Dialectica ipsa differendi potens, potenter quæque dubia definiẽs, cunctas scripturas euibrans, & definiens, cùm diuinitatem intendit, tantæ maiestatis luce repercussa pauidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundanæ sapientiæ fugiens delitescit, dissolutisque syllogismorum nexibus stulta obmutescit. nempe nomine, & verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis concipiuntur; sed quod ex his nullum propriè Deo conueniat, manifestè ratio comprobat: nam si dixerimus, quòd Deus substantia sit, quæ omnibus subsistere tribuat, mox vniuersalia, & indiuidua, de quibus prædicatur, genera, & species, in quibus versatur, simul & nouem accidentia, quæ ei necessariò inhærent, occurrunt, quæ certè in Deum minimè concurrunt*. Per singula prædicata doctè excurrit, extra quæ, & supra quæ eminet Deus. Pulchrè ait, Dialecticam tam acri acumine præditã hebescere ad diuinæ naturæ splendorem immẽsum, ac tremefactam sese abdere.

Dialectica ad diuinæ naturæ splendorem hebescit.

2 Sex modis in scripturis spiritum accipi dicit. De anima sic. *Anima Spiritus est, substantia incorporea corporis sui, vita inuisibilis, sensibilis, mutabilis, illocalis, passibilis, nec quantitatum mensuræ, nec qualitatum formæ, vel coloris susceptibilis, memorialis, rationalis, intellectualis, immortalis*. Tum singula explicat; Vide quot, & quantas naturæ auctor dotes animæ indiderit, quam tamen vt rem vilissimã, peccator paruipendit viuens more brutorum.

Animæ definitio, & excellẽtia.

3 De Angelico ministerio in moderatione Mundi sic. *Sol, Luna, & Sidera, quæ tam certa tempora, tam certa cœli spatia custodiunt, cùm sint corpora visibilia, sed motu carentia, vtpute insensibilia, & tamen moueantur; restat igitur ea per Angelica ministeria moueri. similiter ventos, pluuias, grandines, fulgura, tonitrua, tempestates, auras iussu Dei per illos regi*. Vides & Solis cursum, ceterorũque planetarum, & Cœli motus conuersionesque, immò & fulgura, & auras non sine ministerio Angelorum regi, ac moderari. Quid non ijs debemus? & quàm piè ad eorum auxilia, cum ista in nos propter peccata sæuiunt, est confugiendum?

Angelorũ ministeria circa cœli motus ac totius Mundi regimẽ

4 Deum sic eleganter describit; quãquam enim indefinibilis sit, tamen: *Quia intellectualis mens eum vtcumque agnoscere anhelat, hæc ænigmatica definitio interim sufficiat. Deus spiritus est, essentia inuisibilis, creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens; idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens*. Vide quid sit omnis creatura respectu Dei, quã minima. Probat deinde acutè, Mundum à Deo creatum, quia non per se subsistit, cùm enim ex partibus constet, certè coniunctio, aut resolutio partium ab aliquo fieri debuit; affert & alias rationes.

Dei natura quã excelleat & superemineat creaturis

Mundum à Deo cõditum, vt probetur.

5 Eleganter, ac pulchrè per enumerationem creaturarum gradatim ascendit ad Dei cognitionem. *Mens per quosdam gradus scãdẽs prospicit, quatenus Regẽ gloriæ in decore suo videre præualeat. in primis igitur hunc corporeum Solem intueamur. post hunc millia millium Angelorum Deo ministrantium attendamus, quos singulos septies, immò cẽties Sole splendidiores scimus. deinde decies milles centena millia sublimium Angelorum Deo, adstantium perpendamus, quos singulos centies, immò millies præ Sole clariores pro certo noscamus*. Vide quantũ splendoris in singulis Angelis dicat. quid dicẽdum de vniuerso cœtu? *Post hos innumerabilia millia sanctarum animarum inspiciamus, quas singulas longè Sole clariores, An-*

Per creaturas, quasi scalarũ gradus ad Deum ascenditur.

gelis beatitudine, & claritate coæquandas, non dubitamus. Tot igitur luminibus singulariter consideratis, singulorum etiam magnitudinem contemplemur, quatenus ad id quod inueniri anhelamus, faciliùs subleuemur. cogitemus itaque animam splendidum ignem, cuius minima scintilla ratione instructe, vincat hunc Solem; omne enim, quod ab alio includitur, minus est eo, quod se includit, sed cogitatio animæ, quæ eius scintilla est, non solùm hunc Solem, sed & totum Mundi ambitum breui spatio includit, & totus Orbis eā minimè circumscribit, igitur constat animam toto Mundo esse maiorem. Nota de animę capacitate, & quàm indignum sit paruis Mundi reculis implicari. Transit ad Angelos. *Angeli autem sicut animabus beatitudine, ita etiam differunt magnitudine. hic nemo magnitudinem corporalis quantitatis intelligat, sed potiùs intellectualem. hinc iam mens se in alta erigat, & eleuet cor suum, quātum potest, dilatet; tot luces inæstimabili claritate, incomparabili magnitudine replendentes, sub se prospiciat; super se verò quandam admirabilem lucem, quæ omnium illarum lucium lux sit, intendat, quæ sic super tot, ac tantas luces longè refulgeat, sicut Sol supra omnes stellas; cuius lucis ineffabilem magnitudinem, & admirabilem pulchritudinem illæ tot, ac tantæ luces iugiter admirentur, & in cuius affluentissimam dulcedinem indefessè prospicere delectentur. ergo in oratione taliter mens nostra Deum contempletur, talem lucem, quæ sic supra Solem, vt Sol supra candelam, resplendeat; immò talem, quæ sit super innumera Angelorum, & animalium millia præ Sole centies splendentia, vt Sol super sidera refulgeat, vnde dicitur Pater luminum.* Pulchrè Dei pulchritudinem, & magnitudinem præclarissimam contemplatur; sed monet. *Nullus tamen cogitet luce Deum, quasi tabernaculo hominem circumdatum, &c.* Vide autem quàm pulchram Dei speciem in oratione nobis proponi velit.

Animæ dignitas & excellentia.

Angelicæ naturæ pstantia.

In oratione quomodo Dei præsentia cōstituenda.

6 Explicat, qua ratione, cùm Deus sit vbique, dicatur inhabitare tantùm in iustis. *Quamuis Deus in omnibus creaturis essentialiter maneat, propriè tamen in cœlis, idest iustis habitare dicitur, quia ipsi inhabitationem eius fruendo sentiunt. sicut enim videns, & cæcus in Sole stant; sed videns claritate Solis videndo fruitur, cæcus lumine eius priuatur, ita, &c.* Elegans similitudo, iustus igitur semper in luce est, & gaudet ipsa luce, non ita peccator. Tobias de sua cæcitate ait. *Quale mihi gaudium esse potest, qui lumen cœli non video?* Quid de peccatoris cæcitate dicendum?

Deus, quomodo inhabitare dicatur cùm vbique sit.

7 Laudatus Augustinus ab auditore de præclarè dictis, extenuat se humiliter. *Si quid per me probabile profertur, nolo vt inde mihi, sed Deo, cuius donum est, gratia referatur, qui sæpè per abiectos ad hæreditatem suæ visionis filios suos conuocat, & per hostes de exilio ad patriam iter amici prænotat. ac benè nostis, aliquando deformem formoso speculum, immò cæcum videntibus lumen tenuisse, ac claudum sanis gressu viam ostendisse.* Vide vt omnis in docendo, & monendo iactantia vitanda sit; potest.n. & deformis, & cæcus manu tenere, & proponere speculū ei, qui pulcher sit. doctrina autem, vel monitum quasi speculum est.

Augustini humilitas de sua doctrina.

Monere est speculum alteri proponere.

6 Docet, etiam si nullus foret miser, aut damnandus, Deum posse ostendere misericordiam, aut iustitiam suam. *Sicut si quis occultam pecuniam habeat, non est necesse quemquam pauperem existere, cui eam largiendo manifestet, sed id ipsum diuiti tribuendo facere potest: ita si nullus aliquando miser, aut damnabilis fuisset, Deus misericordiam, & iustitiam in Angelis, & hominibus non minus manifestare potuisset, de sua videlicet abundantia misericorditer largiendo, quod minimè habeant, vt creatura nihil ex se habeat, certè stantibus Angelis vtrūque declarauit; misericordiam videlicet, eos à lapsu conseruando, iustitiam eis præmia dando.* Elegans comparatio de pecunia. videtur autem hoc referri posse ad probandum Deiparam Deum vt saluatorem suū agnoscere potuisse, etiam si non incideret in peccatum originale, sed præseruatam.

Dei misericordia & iustitia

9 De diuinis ideis sic. *Vniuersitas creaturæ ex nihilo creata dicitur, non quòd nihil aliquid sit, sed quòd non aliquid fuit, hoc aliquid creator esse fecit; tamen ante creationem totius creaturæ imago in Verbo idest in arte Dei fuit, ad cuius exemplar vniuersitas in creatione prorupit. sicut enim pictor varietatem picturæ in mente fingit, ad cuius similitudinem postmodum visibilem picturam pingit, ita Deus vniuersitatem creaturæ prius sapientia sua formauerat, secundùm quā formam cuncta per multimodas species creauerat. sed pictor picturam mente conceptam in re non existentem per colores, & per instrumenta extrinseca ad esse producit: Deus autem vniuersitatem creaturę in sapientia sua nullam quidem substantiam existentem, per nulla instrumenta in tot substantias produxit, & ideò ex nihilo omnia fecit, & tamen quasi non ex nihilo, sed ex aliquo visibilis Mundus processit, dum instar archetypi Mūdi formas induit.* Pulchrè picturæ similitudinē, & discrimē ostēdit, & creaturā ab æterno negat aliquid fuisse substantiæ.

Diuinæ ideæ picturæ cōparatę.

10 Auditor eleganter ostendit sibi ab Augustino satisfactum. *Iam egregia turre extra nubes in altum surgente, discreta ratio tenebras erroris vndique eliminet; præclaram structuram serena veritatis luce clarificet, ac nobis inclytæ ædis opus mirantibus aperiat.* Egregiè dictum: quasi de

Theologica disputatio quasi turris erectio.

Deo theologicè disserere, sit turrim altissimam erigere, vnde veritatis vexillum erroribus exclusis emineat. admirabilis huiusmodi turris architectus Thomas Aquinas fuit. Tum docet quomodo creator in creatura existat, &c. *Cur autem Deus vni creaturæ dulcedinem suæ præsentiæ perfruendam exhibeat, alteri subtrahat, ratio nullo acumine penetrare valet, sed terribilem Deum in iudicijs suis stupet.* digna notatu vox, Dei iudicia non ad curiositatem, sed ad stuporem referenda.

11 Acutè disserit de creaturæ mutabilitate. *Quæritur, si Deus in omni creatura, & omnis creatura in Deo est, quomodo aliquid deficiat, & non potius totum in vno statu permaneat, præsertim cum immutabilis Deus cuncta contineat? sed sciendum est, quod in hoc creator à creatura discernitur, dum hic immutabilis, hæc autem multum instabilis cernitur: cuncta autem æternitatem imitantur, dum deficiendo, & iterum recrescendo, & iterum quasi in circulis existentiæ semper rotantur. quia enim de nihilo originem simpliciter sumunt, in nihilum recurrere, & quasi extra Deum exire cupiunt; sed quia exitus non inueniunt, quasi in circulos reuoluta sursum in esse redeunt. cæli quippe, & sidera semper in circulos suos reuoluuntur; aquæ iugiter fluendo quasi peracto circulo in fontes suos reuertuntur. arbores, herbæ, animalia crescendo, senescendo, putrescendo, iterum recrescendo quodammodo circulo circumaguntur. hoc quoque modo cuncta per se in nihilum tendunt; sed per continentiam Dei, semper in datam naturam reuerti contendũt.* Nihil acutius dici potuit. res omnes creatæ ex nihilo factæ sunt, recurrunt sua natura in nihilum; sed quia manus Dei præsto est, reprimit, continet, & quasi ad esse redire coguntur; itaque dum fluere in nihilum per partes contendunt, redire iussæ circulos faciunt. hinc sidera, & aquæ in orbem aguntur, & cetera suo modo denascendo, & renascendo. huc refero, quod manus Dei, quibus creaturæ continentur, *tornatiles* dicuntur, idest circulares. & vide quàm aspirare debeamus ad æternitatem, quandoquidem *cuncta æternitatem imitantur, dũ deficiendo, & recrescendo iterum quasi in circulis existentiæ semper rotantur.*

Cuncta æternitatem imitantur per circulos existentiæ rotata.

Cuncta in suum nihilum tẽdunt, sed Dei manu reprimũtur.

12 Auditor cum de Deo, & Angelis accepisset, sic de homine eleganter interrogat. *Iam diuina natura cum Angelica in hac turri tenente sceptra; ecce humana natura legionem adducit, & ad impugnandam eam machinam erigit. quæritur enim quomodo homo ad imaginem, & similitudinem Dei formatus dicatur, cum nulla conuenientia conspiciatur?* pulchrè dictum, vt Dei natura quasi sceptrigera sit; Angelica quoque suo modo quasi altissimam veritatis turrim teneat, frustra conante ratione humana eam oppugnare.

Veritatis turris inexpugnabilis ab humana ratione.

13 Vbi posita sit imago, & similitudo Dei in homine, docet. *Interior homo, idest anima ad imaginem vnitatis est creata, quia non ex partibus, vt corpus composita, sed est simplex natura, & immortalis essentia, &c. ad similitudinem verò facta est, vt sit iusta, bona, beata. exterior verò homo, idest corpus quodammodo ad exemplar Mundi formatus, dum ex quatuor elementis compaginatur, vnde & microcosmos dicitur: anima igitur sic minorem Mundum gubernat, vt Deus maiorem.* Nota, nam Mundus hic maior in omnibus paret Deo ad nutum, ita debet & corpus animæ. huc pertinet quod Rabbini dicunt, corpus hominis ex terra quatuor mundi partium formatum; similiter in vrbium dominæ Romæ fundatione factum narrat Plutarchus.

Imago, & similitudo Dei in homine quid sit.

Homo paruus Mundus.

14 Ostendit quomodo Deus sit illocalis. *Deus vbique in omnibus, & extra omnia est. totus, sicut lumen lucernæ in oculis omnium astantium totum lucet, & in se ipso totum manet, nec à se ipso recedit, vt ad præsentes perueniat, &c.* magnam hoc reuerentiam conciliat de Dei præsentia. vbique est, nec tamen in loco.

Deus illocalis vbique.

15 De immutabilitate Dei sic. *Angeli ipsi mutabiles sunt, quia de preterito in præsens, de præsenti in futurum mouentur. præteritum habent, futurum nondum habent, præterita memoria recolligunt, futurum præsciendo intelligunt; & sicut potest cogitari, quod aliquando cœperint, ita etiam potest cogitari, quod finiri possunt.* scilicet nisi continuum esse à Deo accipiant. Vide igitur quàm Deus emineat creaturis omnibus etiam præclarissimis.

Dei immutabilitas propria.

16 Auditor interrogat. *Si omnes animæ vnius naturæ sunt, cur quædam habilior, quædam tardior est ad discendum?* respondet Augustinus: *Anima habet formam ceræ, vel candelæ. cera habilis est ad exprimendam imaginem, si ei sigillum imprimatur; & candela ad lucendum, si accendatur; ita anima recipit imaginem scientiæ, si ei imprimatur sigillum doctrinæ, & lumen veritatis recipit, si igne sapientiæ accensa fuerit; sed si neglexerit se habilem præbere per studium, & exercitium; sicut cera sine imagine, & sicut candela accensa sine lumine in tenebris ignorantiæ remanebit.* recte doctrinam sigillo comparat, animam ceræ: vide igitur quæ nota insit, an Dei gloria? hinc illa vox sponsi ad sponsam: *pone me, vt signaculũ super cor tuum, &c.* nota etiam exercitationis quãta vis sit in excolenda anima. Tum de cœlesti intelligentia sic. *Cur autem ignis Spiritus sancti quasdam animas se habiles nõ præbentes, immò negligentes lumine scientiæ magis accendat, quasdam non accendat, immò quibusdam laborantibus scientiam subtrahat, ratio penetrare non valens, mirando clamat,*

Cur animæ si eiusdem naturæ, non, & sapientiæ.

Prædestinationis ratio ad Dei iudicium referẽda.

clamat: o quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. egregiè de prædestinatione, adeò iustificatio non nisi ex mera Dei pietate est.

17 De anima separata sic. *Anima à corpore separata nihil corporeum corporaliter sentit, sed quasque res in proprietate substantiæ abstractis accidentibus colorum conspicit; spiritalia quoque suo more sentit. porrò anima, aut spiritali luce ipsa nimis præ Sole fulgida fruitur, aut horrida peccatorum caligine obscurata, non noctis, sed proprijs tenebris inuoluitur. quod autem carne soluta corporaliter lucem non videat, hoc constat, quod cum aliqua dictare, vel facere disponimus, mox anima exteriores sensus fugit, introrsus se colligit, & Solis lumen potius ei obest. igitur anima extra corpus nihil corporeum videt, vel audit; quod si facit, tunc vtique aereum corpus induit.* Vide vt corporeus visus, & lumen impediat potius animæ visum. pulchrè autem ait, animam iusti post hanc vitam *nimis pro Sole fulgidam spiritali luce frui.* contra verò quid miserius damnati anima? *quæ horrida peccatorum caligine obscurata, non noctis, sed proprijs tenebris inuoluitur.* secū noctis horrorem circumfert æternæ.

Animæ separatæ visio quomodo fit.

Anima separata iusti secū fert diem solari clariorem: damnati noctem.

18 Quærit Auditor: *Si animæ corporeas voces non audiunt, quomodo animas Sanctorum, vt Petri, & Martini, vel alterius iusti preces suas exaudiuisse multi experti sunt?* respondet Augustinus: *Oratio cordis, non oris ascendit in cælum. cum ergo animæ nostræ aliquid secundùm Deum desiderant, & hoc ibi à Deo per Sanctos dari, siuè corde, siue lingua postulant, animæ Sanctorum, quibus est idem audire, quod videre, desiderata eis à Deo impetrant.* nota celebres tūc fuisse inuocationes SS. Petri, & Martini in primis. egregiè autem ait: *Oratio cordis, non oris ascendit in cælum.* non quod oratio habenda & ore non sit, sed quia vim sumit ex corde.

Sācti quomodo nostras audiant preces.

Non nisi cordis oratio ascēdit in cœlum.

19 Quærit item Auditor: *Nonne legitur, quod sæpe animæ ducta de corpore multa loca pœnalia, & item multa amœna, & florida viderint, atque ad corpus reuersæ plurima se audisse retulerint?* quomodo id, si corporaliter non vident? respondet Augustinus: *Sciendum est, quod hæ animæ non penitùs corpus reliquerant, sed sensus tantùm corporeos suis officijs destituerant; vnde ea, quæ audierant, non res corporeæ, sed similes corporearum rerum erant. animæ autem defunctorum cum viuentibus apparent, corpus aereum induunt, in quo corpoream vocem, vel verba audibilia exprimunt. hinc colligitur, quòd infernus sit incorporeus, substantia spiritalis corpori similis, cuius pœna tantò sit intolerabilior, quantò spiritus corpore est subtilior.* notabilis sententia, & probat eam, quia *constat ignem gehennæ non deficere*

Anima in corporea quomodo visiones extaticas habeat corporeas.

Inferni ignis spiritalis ideò magis penetrans.

non enim alitur. hinc igitur illa sæuissima, & intima penetratio eius ignis, quia nihil tenuius spiritali re, iuxta hanc opinionem.

20 De Pauli raptu sic. *Tres cœli leguntur, quia tres sunt visiones: sensualis, cum colores, & formas rerum exterius cernimus, sed interius aliquid cœlari intelligimus; spiritalis, qua non res, sed imagines rebus similes spiritaliter videmus; & intellectualis, cum ipsas substantias, prout veræ sunt, abstractis coloribus intellectu conspicimus. Igitur si Paulus in corpore est raptus, tunc ad corporeum cœlum, idest firmamentum est perductus; si autem extra corpus, quod magis videtur; tunc vtiq; ad intellectuale cœlum raptus creditur, in quo essentiam Deitatis sicut est, intellectu viderit.* Nota, Paulū, si in corpore raptus fuit, in firmamento, hoc est in cœlo stellato collocatum inter sidera, vt disceret quàm verum sit illud: *Qui ad iustitiam erudiūt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates.* probabilius tamē ait, extra corpus raptum vidisse per transitum diuinam essentiam. cœlum autem à cœlando dictum docet. in prima autem visione interius aliquid cœlari, & significari cognoscimus; in secunda res similitudinibus cœlari, interim veritatem stultis cœlari.

Pauli raptus in cœlum qualis fuerit.

21 De dotibus corporum beatorum sic. *Corpus Sanctorum resurget spiritale, quia velocitate, leuitate, perspicuitate spiritibus erit æquale, & omne solidum erit et penetrabile: erunt quippè illa corpora, vt animus, agibilia; vt Sol, perspicua; quàm citò nunc animus ab oriente in occidentem cogitatione peruenit, tàm cito tunc illud corpus illuc peruenire poterit. huius etiam corporis claritas tanta erit, quanta est spiritus, non enim erit corpus animæ oneri, sed decori, & corporis claritas tātum Solem excellet; quantum Sol in claritate nostrum corpus præcellit.* Nota hoc vltimum in primis. vide mirā præstātiam humani corporis: quàm dedecet nunc illud inquinare luxuria? iam nunc spectetur velocitas ad bene operandū, leuitas nullo peccati pondere, splendor in castitate, iuxta illud: *quàm pulchra est casta generatio cum claritate?* Deinde soluit obiectum, cur cum Dominus dicat: *fulgebūt iusti sicut Sol,* Apostolus tamen dicat: *alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum*: respondet. *Sciendum est, quod Dominus gloriam Sanctorum generaliter expressit, Apostolus autem singulorum gloriam pro meritis distinxit. Vltimus ergo in regno cœlorum, vt Sol fulgebit, qui tūc septies quàm nunc erit clarior; & in hac claritate tantum quisque ab alio pro meritis differt, quātum stella à stella. sicut Lucifer Pleiades, Luna Luciferum, Sol Lunam claritate præcellunt; nos autem omnes tantum Christi corpus excedit, quantum creator creaturas transcendit.* proh decus ingens, vltimus in regno

Dotes corporis gloriosi.

Gloriæ in beatis pro meritis discrimen.

regno cœlorum, vt sunt paruuli baptizati, vt Sol splendebit, non vt nunc est Sol, sed septies lucidior: quid ij, qui meritis insignes sunt?

Catena aurea qua sursum ad Deum trahimur.

22 Pulchrè catenam quandam auream contexit, qua ad Deum trahimur. *Ad hoc summum bonum iusti quadam catena trahuntur, quæ de virtutibus hoc modo connectitur. Inprimis fides animam quasi quidam circulus complectitur, fides spe nutritur, spes dilectione tenetur, dilectio operatione expletur, operatio ad summum bonum intentione trahitur, intentio boni perseuerantia clauditur, perseuerantia Deus fons omnium bonorum dabitur. igitur qui hac catena tractus, hanc turrim scandens culmen eius attingit, non solùm se veram vitam cognoscere, sed se in ea beatè viuere perenniter gaudebit.* puta longè pulchriorem catenam hanc, qua nos ad Deum trahimur sursum, quàm illam auream, quã finxit Homerus, qua frustra conarentur Dij Iouem trahere in terras deorsum. ac nota singulos catenæ orbiculos, fidem, spem, charitatem, operationem, intentionem rectam, perseuerantiam.

Ex libro de Speculo.

Dei excellens natura eminẽter continens naturæ perfectiones.

1 DE Dei natura, & immensitate pulchrè per anthiteta, & piè admodum per affectum. *Peto vt venias in me, qui non essem nisi esses in me. cum effunderis super nos, tu non iaces, sed erigis nos; nec tu disperderis, sed colligis nos.* mox addit theologicè suo more. *Deus quærens, cum nihil tibi desit, qui vbique præsens es, & inueniri vix potes, &c.* præterea subiungit. *Nihil secundùm qualitatem, aut quantitatem dignè de te dicitur, & tamen longitudo, latitudo, altitudo, & profunditas tibi quodammodo inesse leguntur. latitudo charitatis, qua nos ab errore colligis, & contines in veritate; longitudo, qua nos longanimiter malos portas; altitudo, quia omnem sensum hominum, & Angelorum immensitate scientiæ superexcellis; profunditas quoque, qua damnandos inferius iuxta æquitatem disponis, ac tuo iudicio iudex iustus præordinas.* præclarè ostendit quàm eminenter in Deo reperiantur quæ in Natura perquirimus.

Augustini professio fidei.

2 Professionem fidei facit, præsertim circa Trinitatem. *Crescat, rogo, fide, & magis fœcundetur actibus mater Ecclesia: huius magisterio, et doctrina cœlitus inspirata à puero doctus, corde credo, ore confiteor. te, ò summa Trinitas, vna virtus, & indiscreta maiestas, &c. Intret in cor meum Gratia tua, quæ sonet sine sono, loquatur ibi tantorum veritatem mysteriorum: luce & dulcedine perfundat animam meam illa magistra virtutum, & iudex omnium veritatum, & sic irradiando & soporando eã in ipso veritatis centro stabiliat.* eleganter ac pulchrè facit Gratiam magistram in lyceo cordis docentem, & irradiantem veræ sapientiæ luce, multò melius quàm Aspasia illa dicitur apud Platonem. præclarum votum cupientis verè philosophari. quod autem appellat eandem Gratiam *Iudicem omnium veritatum*: recogita Deboram illam Iudicis munus apud Hebræos exercentem, sub triumphali palma sedentem.

Dei naturæ præstãtia.

2 Item de Dei natura pulchrè. *Imprimis quasi sigillum rebus singulis, ac sine tui augmenti, aut detrimenti mutabilitate facis à te differre.* elegans similitudo de impressione sigilli. his addit, *Qui te non habet placatum, nequaquã euadet iratum. immensitas quippe diuinæ magnitudinis tuę ista est, vt intelligamus te intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum. et ideò interior es, vt omnia contineas; ideo exterior, vt immensitate omnia circũcludẽdo regas, &c.* lepor est in anthitetis

Trinitati capiendæ nec crystallinum pectus idoneum.

4 Ineffabile mysterium Trinitatis esse dicit. *Quis in hac vita positus vel crystallino pectore sufficiat penetrare tui ipsius Trinitatis interna mysteria? quomodo filius non de se, sed de te est, nec tamen tui posterior. quomodo Spiritus sanctus de te procedit, & filio, nec tamen à vobis præscinditur, &c.* præclarum est quod ait de crystallino pectore purissimo, nec tamen ad hęc comprehendenda sufficiat. plusquam crystallinum dixerim S. Thomæ pectus, tum ob candorem castimoniæ, tum ob doctrinæ sinceritatem; quod pectus, quantum homini licet, capax tantorum mysteriorũ fuit.

Nauigatio periculosa huius vitæ.

5 Ad cœlestem anhelat patriam. *Agitamur procellis, & inter pericula multa variosque casus incerti, nauem laborantes trahimus. da nobis, te rectore, te duce inter Scyllã, et Charybdim ita tenere iter per medium, vt integra naue, & saluis mercibus peruenire possimus ad te portum tutissimũ.* digna precatio, quæ semper in ore habeatur, ne in huius vitæ nauigatione naufragium faciamus. Addit item pulchrè. *Iam iamq; adueniat, Domine, aduolet, obsecro, regnũ illud carens morte, vacans fide. da fidei virtutũq; pẽnas, quibus indutus ad te volitẽ & perosus terrã, cœlũ petã.* & hæc egregia vox, & postulatio anhelantis ad beatitatẽ animæ. sed hæc implumis est, à Deo petat oportet virtutũ pẽnas ad uolatũ, quę si intrinsecus adhæreant, non quasi cera illitę, Icarius non timebitur casus.

Ex libro de vita Christiana.

1 SOrori hunc librum offert, quem extenuãdo rudem dicit, sed addit: *Rusticus.*

Concionatori robustior sermo quam elegantior conuenit. *sticus panis incultior esse videtur, sed fortior est; celerius fessum corroborat quàm qui siligineus, & nitidus.* notent hoc concionatores, qui nitidius, quàm fortius prædicant.

2 A nominis Christiani etymo vim sumit. *Christus vnctus interpretatur, vnctos verò non nisi sanctos viros fuisse constat, nec alios quàm prophetas, aut sacerdotes, aut reges; & tam magnum fuit eius vnctionis mysterium, vt satis pauci id mererentur accipere vsque ad Christi aduentum, quo credentes illi omnes in prophetis, & sacerdotibus vngũtur, & regibus; vt in quibus tam sancta est vnctio, sit non minus sancta conuersatio. frustra hoc nomen sortitur; qui Christum minime imitatur. satis miserum, & fœdum est velle vocari quod non sis.*

Mors iusti euasio est. 3 De pœnis malorum respondet obiectio. *Dicet aliquis, quid est quod videmus, bonos etiam perire cum malis? illi non pereunt, sed euadunt, qui de malorum consortio, & persecutionibus liberantur. iusti de pressuris uocantur ad requiem, mali de delicijs rapiuntur ad pœnam. scriptum est; Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* rectè dicitur mors iustorum non interitus, sed euasio, à periculis scilicet & malis huius vitæ, vbi inter tot laqueos, & retia versamur.

4 Innocentiam maximè commendat. *An illum Christianum putas, qui opprimit miseros, cuius labia non nisi indigna & obscæna loquuntur? &c. & talis ad Ecclesiam audenter accedit, & temerè, & importunè expandit in cœlum impias manus, illicito raptu, & innocentium cruore violatas? & ore illo luteo, atque sacrilego preces ad Deum,* Orantis os pueris & manus à rapina integræ esse debēt *quasi nihil sibi sit mali conscius, fundit? quid agis impudens, & miser? quid Deo præter contemptum, iniurias irrogas? &c.* Vide quàm exaggeret illud inter cetera de impuro sermone oris, quo ore cum Deo colloquendum sit. Tum de eleemosina ex rapina sic. *Non talem eleemosinam Deus quærit, nec vult pietatem vni de alterius crudelitate præstari. quid prodest si te benedicat vnus, vnde plures maledicunt?* acutè perstringit, nam vnus, qui accipit eleemosinam, benedicit danti; sed multi, quibus erepta est ea pecunia, maledicunt.

Ex sermone de Assumptione B. V.

Deiparę incorruptio conueniebat. 1 A Contrario argumentatur. *Si dicimus eam mortis teneri vinculis, & resolutam in communem putredinem, deliberandum est, si hoc conueniat tantæ sanctitati, tantæ aulæ* Dei *prærogatiuæ.* hoc multo magis refer ad Cōceptionē, cū peccatū originale, in quod incurreret, sit veluti putredo animæ, & vinculum mortis spiritalis. vide igitur, *si hoc conueniat tantæ sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogatiuæ.* egregiè dictum.

2 Ostendit quàm præclarum sit Iesu nomen quod Deiparę ab Angelo delatum est. Iesus nomen cur ab Angelo delatū. *Vocabulum Iesu gloriosum, omni ornatu, cultuque dignissimum nomen, quod est super omne nomen, non decuit ab hominibus appellari, neque ab eis efferri in Mundum, sed ab excellentiori quadam, meliorique natura.* facit hoc ad decus Societatis Iesu, cui propositum est Angelicam vitam imitari per omnimodam puritatem, vt monet eius fundator.

3 Et hoc de Assumptione dictum, ad eius Cōceptionem pulchrè puto posse referri. *Non immeritò illa excipitur à quibusdam generalibus vera æstimatione, quàm tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua; quantum enim Christi potestas possit, Mundi ostendit vniuersitas; quantū gratia Mariæ, monstrat integritas, quæ sicut diuersa est à natura, ita diuersa est ab vsu. nunquid non pertinet ad benignitatem Domini matris seruare honorem?* pulchrè hoc dictum: sed quid magis inhonorum, quàm è familia fuisse diaboli? huc spectat quod addit. *putredo opprobrium est humanæ conditionis, à quo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Maria excipitur, quàm Iesus de ea suscepisse probatur: caro enim Iesu caro est Mariæ.* Caro Iesu caro est Mariæ hinc collige, cū peccatū originale non nisi corruptio, & putredo quædam sit animæ, ex qua & putredo corporis consecuta est, licere eodē modo argumentari à fortiori. nā maius opprobriū humanæ naturæ est originale peccatū, quā corporis in puluerem desitio: communicetur ergo & matri priuilegium filij, quia *caro Iesu caro est Maria.*

4 De Assumptæ gloria sic. *Carnē, quā de matre suscepit, super astra transuexit, honorans omnē humanā naturā, sed multò magis maternā. tā pretiosū thesaurū dignius est cœlo seruari quàm terra.* Deipara pretiosus Dei Thesaurus. eleganter appellat Deiparam, *pretiosum thesaurum*, nō humi infodiendum, sed cœlo seruandum. ibi igitur sit & cor nostrum. quàm fidus Ioannes fuit, olim thesaurarius Christi?

5 Ad eaudē gloriā hoc spectat. *Si omnium Sanctorū mors est pretiosa, Mariæ certe pretiosissima, quam tanta comitata est gratia, vt mater Dei dicatur & sit si elegit diuina voluntas sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas non solùm puerorum corpora seruare illæsa, sed vestimenta seruare inusta; cur abnuat in matre propria quod elegit in veste aliena?* affert exemplum etiam de Iona illæso intra Cætum, & de Daniele inter leones. In cinerem rogi non abiere tres

pueri

pueri ob innocentiam. quid de Dei matre dicendum? mors leonis instar talem prędam inter dentes tenere non potuit, sed in typo Dauidis, filius eruit.

Ex Lib. de disciplina Christiana.

1 EXplicat breue præceptum. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* & cur tam breuiter datum? *Thesaurus est magnus diuitiarum scripturarum, habens in se mirabilia præcepta multa, tanquam multas gemmas, & pretiosa monilia: sed quis potest scrutari thesaurum istum, & peruenire ad omnia, quæ ibi sunt? quando Dominus dedit hanc similitudinem: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito; ne quis se minus idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuò dedit aliam similitudinẽ. Simile est, inquiens, regnũ cœlorũ homini negotiatori quærenti bonas margaritas; inuenta autẽ vna pretiosa margarita, &c. vt si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger vnam margaritam sub lingua ferre, & quouis securus ambulare. quid est ergo verbum consummatum, & breuians? Diliges Dominum, &c.* acutè notatum de nexu duarum parabolarum, thesauri, & negotiationis. & cur de vna margarita subiunctum sit. quam scilicet quisque etiam inter latrones transiens ore ferre potest securus ob breuitatem; tale est præceptum dilectionis, etiam si careas scientia inuestigandi arcana cetera sacræ scripturæ; in qua tamen vide quantæ diuitiæ insint: tot monita continet, *tanquam multas gemmas & pretiosa monilia.*

Scriptura multis quasi gẽmis & pretiosis monilibus diues est.

2 De inuidia, & superbia sic. *Quomodo erit socialis felicitas tua, quã torquet felicitas aliena? auertat Deus hanc pestẽ, vitiũ diabolicũ, quo solus diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. non. n. dicimus diabolo, vt damnetur; adulterium, furtum &c. commisisti, sed homini stãti inuidisti.* magni pōderis hæc verba sunt. sufficit sola inuidia, vt Diabolus talis sit, tam Deo infensus, tam dignus damnatione, &c. Addit notabiliter. *Inuidentia diaboli conuiciũ est, sed habet matrẽ suã; superbia vocatur mater inuidiæ, superbia inuidos facit. suffoca matrẽ, & non erit filia.* recte ait; nã ideo quis inuidet alteri, quia superior illo esse ambit. quã detestabilis mater, quæ tã turpe mōstrum progignit? meritò suffocatione digna; apta pœna, quia superbus tumido spiritu plenus est.

Diabolo vt talis sit, sola inuidia sufficit.

2 Auaros acutè perstringit. *Christus petit, & nō accipit; & obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus dicens: & quid seruo filijs meis? ista verò iustitia magna, vt habeat vnde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus. sed numera filios tuos; adde vnũ inter illos, Dominũ tuũ. vnũ habes, sit ille secundus, &c.* rectè non ad pietatẽ, sed ad crudelitatẽ refert dictũ illud parentũ, se pauperi non largiri, quia reseruat filijs. at hoc modo & noces filijs, quia relinquis materiam peccandi, & impius es in Christum, quem neque filijs posteriorem facis nihil prorsus illi reliquum faciens.

Filijs tantum largiri, pauperi nihil non pietas sed crudelitas est.

4 De malis consilijs ex conuersatione cũ malis sic. *Quid illi insusurrabis homo auare? bonum est nobis, vt cum hic viuimus, bene nobis sit. quantum habebis, tantũ eris. frange Lunam, fac fortunam. ista susurrabis proximo tuo, quæ non audisti in domo disciplinæ. ò si possem facere, vt nulli iungereris: corrumpunt enim bonos colloquia mala.* Nota quibus, & quã peruersis, & captiosis prouerbijs mundani vti solerent, & ex parte nunc soleant. quid autem agendum cum male suadentibus, sic ostendit. *Scriptum est sepi aures tuas spinis. sepi, & spinis sepi; vt ille qui importunè intrare ausus fuerat, nō solũ repellatur, sed ẽt cōpungatur. repelle illũ à te; dic, Christianus sũ. Christianus es. nō hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus in illa schola, quã gratis intrauimus. nō hoc didicimus sub illo magistro, cuius cathedra in cœlo est.* pulchrè dictum, & accomodari potest peruersis consilijs ẽt apud religiosos. *dic, religiosus es, religiosus sum. nō hoc* [illegible] *in domo disciplinæ, &c.* [illegible] respōdendũ de superbia, &c. [illegible] à meo patriarcha. religio schola mortificationis est. & similiter in ceteris.

Malorũ societas quam noxia sit.

Mundanis & diabolo tentanti quomodo respondendum.

5 Ad auaros itẽ hæc pertinent. *Beatus esse vis? Deũ tuum ama. pecunia nō facit te beatũ, tu eam facis ornatam, non illa te beatum. pulchrior est Sol. si lumine priueris, vbi sunt diuitiæ tuæ? vidimus & cæcos auaros quia credunt se habere; fides eũ facit diuitẽ, quantò melius cũ fidẽ cōuertit ad Deum? Ecce Dei sapientia hoc tibi dicit ama illam tanquam pecuniã.* rectè ait pecuniã nō afferre nobis decus, sed ipsã potius id à nobis accipere, siue per æstimationẽ, siue dũ igne conflatur, dum ornatur imagine principis, &c. rectè item vrget: sit auarus aliquis cęcus; amat tamen pecuniã licet nō videat. cur non amas & Dei sapientiã, quæ verus est thesaurus, licet inuisibilis.

Pecunia non facit beatum.

Fides [illegible] thesaurus.

6 His addit. *& vbi erunt hæc omnia, cũ mors venerit? quomodo nomen ipsum à me commemoratũ omniũ corda percussit? si timetis, quare non cauetis? mortẽ times? at nō efficies, vt nō sit quod times; illud potius time, quod si nolis, non erit. quid? peccare. quod si amaueris, in aliam mortem irrues, quò posses non venire,* nempè non nisi improbi misera mors est. *Quære mortes Martyrum; si oculos carnis interroges, male mortui sunt; si oculos fidei, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum*

torum eius quasi bona mors diuitis in purpura,& abysso,quasi mala mors iacentis pauperis ante ianuam inter linguam canum, in fame,& siti: ad finem respice; contigit mori inopem,& deferri ab Angelis,&c. an vis aromatibus sepeliri,& apud inferos sitire? Vide quàm diuersè iudicet Mundus,ac spiritus, & nota cur maximè diues ille lingua torqueretur, quod scilicet videns pauperem inter linguas canum lambentium, non esset misertus. Tum vide quantam vim habeat mortis memoria, vt abstrahamur à terrenis: *Mortis nomē tantùm commemoratum omnium corda percussit.* nomen ipsum pro gladio,pro telo,& sagitta est.

Lazari & diuitis in morte discrimen.

Ex libro de decem chordis.

1 DE diuino examine sic. *Ante vltimum iudicium Dei tui compone causam tuam, ipse erit iudex causæ tuæ, qui modò est testis vitæ tuæ. nunquid si totius generis humani vltimus dies longè est, vniuscuiusque dies vltimus longè est? scriptum est, tempus est concordandi cum aduersario tuo dum es in via. aduersarius iste non est diabolus, nam nunquam te hortaretur scriptura,vt cum aduersario concordares; est ergo alius aduersarius, quem sibi homo ipse facit aduersarium; nam si ille aduersarius esset, tecum in via non esset,at est tecum in via,vt concordet tecum. quis est hic aduersarius? sermo Dei, qui sic dicitur, quia contraria iubet ijs, quæ tu facis.* acutè dictum de aduersario; quem pro amico debemus habere. lex Dei est,& præceptum carni repugnans: caro igitur fœdus ineat cum spiritu, non contumeliosa sit, ne ab hoc ad Dei tribunal trahatur iniuriæ rea.

Caro spiritui inimica ne sit ne ad Dei tribunal citetur.

2 Discrimen ponit inter prædicationem,& profanos cantus. *Talibus turpitudinis cantionibus animi humani illecti eneruantur,& debilitantur, & postea sentimus dolores. melius nos amara vobis cantamus ad tēpus, quæ postea dulcescant; nec mercedem aliam exigimus,nisi vt faciatis quæ dicimus. putate me citharœdum esse. quid possum amplius canere? ecce psalterium fero: decem chordas habet, chorus meus vos estis. paullo ante cantastis: Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi. decalogus legis decem præcepta sunt.* Addit,tres primas chordas ad Deum trinum pertinere,septem reliquas ad proximum incipiendo ab honore parentum. vbi nota de iucunditate qua excipienda sunt Dei præcepta,vt in musico instrumento, & simul consonare omnia debere; si enim vna chorda laxior sit, absurda est melodia. nota etiam prædicatorem citharœdi instar manu, idest opere vti debere,& decem Dei præcepta inculcare. huc facit illud prophetæ. *Cor meum ad Moab quasi cithara sonabit.* rursum addit: *Populus Iudæorum portabat psalterium, non cantabat; cantanti enim voluptas, timenti onus est: vt autem cantet quis canticum nouum, sit nouus homo.* rectè ait, veterem hominem, idest mundanum ineptum esse ad nouum Dei canticum concinendum, quod pro religiosis facit in renouatione spiritus.

Concionator citharœdo comparatus.

Nouum canticum non canit nisi nouus homo.

3 De imagine Dei sic. *Aliter imago tua est in speculo, aliter in filio. in filio est secundùm æqualitatem substantiæ, in speculo autem longe est à substantia, & tamen est quædam imago tua. sic in creatura non hoc est imago Dei, quod in filio, qui hoc est, quod pater, idest Verbum Dei.* affert aliam similitudinē. *Sicut imago in nummo,& solido aureo Imperatoris aliter est,& aliter in filio: sic & tu nummus Dei es,& hoc melior, quia cum intellectu,& cum quadam vita, nummus Dei es. vt scias eam, cuius imaginem geras.* Vides in creatura rationalem esse imaginem Dei, licet non substantialiter, tamen repræsentatiuè,vt in speculo. quàm igitur hoc speculum purum vel a puluere esse debet,recepturum imaginem Dei,pulchrè item esse ait, vt nummum aureum cum Imperatoris imagine; reddendum igitur Deo quod est Dei. nec nummus aureus impendi debet pro qualibet re vili,vt terrena sunt:porro vt in thesauro Dei simus, oportet, ne fur approximet. nec verò venale cœlum est nummo, vbi Imperatoris Dei quodammodo derasa imago fit.

Homo speculum,& nūmus Dei eius referens imaginē.

4 Commendat viris castimoniam. *Castæ vxores vestræ ostendunt vobis fieri posse quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse. Dices, ideò vxorem facilius facere posse, quia multa illi custodia est,& terror legum,& verecundiæ monumentum. multæ custodiæ igitur faciūt fœminam castam, virum castum facit ipsa virilitas: illi maior custodia, quia maior infirmitas; tu liberior, quia fortior.* acutè dictum; ideò viro extrinsecam custodiam tantam non dari, quia sibi ipsi custodia debet esse,cum fortior sit natura virilis.

Castimonia tam vxori seruāda quā viro.

5 Pulchrè ostendit, seruantem mandata esse tanquam in theatrico spectaculo, simul & citharistam,& venatorem. *Dicitur in psalmo: Qui docet manus meas ad prælium,& digitos meos ad bellum. In spectaculis non idem est venator quod citharista: in spectaculo Dei vnum est. tange chordas,& feras occidis. tangis primam chordam, qua colitur vnus Deus, cecidit bestia superstitionis. tangis secundam, qua non accipis Dei nomen in vanum, cecidit bestia hæresum,quæ id putarunt. tangis tertiam chordam, vbi pro spe futuræ quietis facis quod facis, interficitur crudelior ceteris bestijs amor huius sæculi, vt labores non propter hunc amorem, sed propter requiem sempiternam. Honora patrem*

tuum,

tuum, & matrem tuam. tangis quartam chordam, cecidit bestia impietatis. Non mœchaberis: tangis quintam chordam, cecidit bestia libidinis. Non occides: tangis sextam chordam, cecidit bestia crudelitatis. Non furtum facies: tangis septimam chordam, cecidit bestia falsitatis. Non concupisces vxorem proximi tui: tangis nonam chordam; cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Non concupisces rem proximi tui: tangis decimam chordam; cecidit bestia cupiditatis. tangens chordas decem, totidem bestias occidis. sed quia multa sunt capita in singulis capitibus, in singulis chordis non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum: ita securus in Dei dilectione & hominum societate versaberis. Est sanè hic locus elegantissimus de spiritali venatione, in qua à iusto tanquam thiriomacho decem hæ præcipuè belluæ configendæ sunt. Superstitio, hæresis, amor terrenus seculi, quem rectè belluam immanissimam dicit, cum tamen blandiri videatur: impietas, libido, rapacitas, falsitas, praua cogitatio, cupiditas. discurre per singulas velut Africanas belluas. & egregiè ait, quia harum singulæ alias secum ferunt quasi catulos. hoc est singula hæc decem vitia, alia secum trahunt. qui ea quasi venatione confecerit, *greges interficit bestiarum.* acutè autem ostendit in decalogo hanc venationem cōtineri. acutè item, ac pulchrè adnotat, cur Dauid cùm manus, ac digitos admoneret ad decem chordarum ictum in psalterio, meminerit de iisdem admotis ad ictum aduersariorum. *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* quid modulationi cum pugna? quid plectro cum venabulo? nimirùm dum singulas chordas tangis, Deum laudando, singulas quoque venaris, & conficis belluas vitiorū. quàm igitur excellens, ac peritus magister est Spiritus sanctus, qui simul nos, & citharœdos facit, & venatores: qui manus, & digitos ita instruit ad pulsandas chordas, vt doceat etiam pugnare cum belluis, hoc est passionibus. Vide simul quàm inter se hæc coniuncta sint: oratio, & mortificatio. huc spectat quod sequitur.

Venatio vitiorum quasi ferarum.

6 Ex decem belluis, quas tanquam in amphitheatri venatione, Deo spectante, configendas dicit, quintam, hoc est libidinem sternendam maximè vrget, quia cetera vitia facilè damnantur, vt homicidium, falsum testimonium &c. *at si quis volutatur cum ancillis suis, blandè accipitur; conuertuntur vulnera in ioca; si quis autem existat, qui dicat se castum, erubescit accedere ad illos non sui similes, ne irrideant, ne dicant non esse virum: ad hoc est delapsa humana peruersitas, vt vir habeatur qui à libidine vincatur, non qui vincat. vter tibi videtur fortior, qui prostratus iacet sub bestia, an qui peremit bestiam?* rectè arguit peruersitatem mundanorum, qui tantum hoc vulnus pro ludo habent, & cum ipsi erubescere deberent, potius qui castus est, erubescit esse talis, ne ab ipsis derideatur. Itaque concludit. *Qui docet, inquit, manus meas ad prælium, &c. Est enim bellum, quod secum agit homo, dimicans contrà concupiscentias malas; frænans auaritiam, elidens superbiam, suffocans ambitionem, trucidans libidinem.* Nota auaritiæ satis est frænum imponere, ne ad rapinas procurrat: superbiam elidere, hoc est humi sternere. ambitionis tumidū spiritum reprimere. at *libidinem trucidare* oportet, hoc est, omnis in ea prorsus extinguenda crudelitas exercenda.

Impudentia in initio carnis.

7 De iniuria, quæ fit Deo per peccatum, sic. *Si quis lapidet tabulam tabulā pictā, in qua imago tua est, licet illa nec sentiat, nec videat, nonnè in te contumeliam factam attendis? & non attendis imaginem Dei, quæ in te est per libidines illicitas violari?* pulchrè tāquam à Spiritu sancto depictā tabulam Dei imagine hominem dicit. & vide quid sit peccare, præsertim turpiter, lapidibus appetere summi Imperatoris imaginem. lapidibus, inquam, fert enim hoc vitium ferè duritiem obstinationis. scimus autem quàm seuerè quidam Imperatores punierint contumeliam in suas statuas, & imagines.

Peccare est summi Imperatoris imaginem lapidare.

8 De leuibus quoque peccatis vitandis hæc habet. *Eleemosinis, ieiuniis, orationibus purgantur quotidiana peccata. noli illa contemnere, quia minora sunt, sed time quia plura sunt. nō est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat; sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. minutissima sunt arenæ grana, sed si arenæ amplius in naui mittatur, mergit illam vt pereat; quàm minutæ sunt pluuiæ, nonnè flumina implent, & domos deiiciunt? quotidiana sunt, sed peccata sunt: timenda est ruina multitudinis, si non magnitudinis.* præclara vox, & notatu digna. & rectè ait, non quia leue peccatum non præsefert truculentum oris aspectum, ideo contemnendum, cum & paruus scorpius possit mortem inferre.

Peccatum etiam leue timendum.

9 Ad eleemosinam sic hortatur. *Palliare se volunt nomine pietatis, & dealbare quasi propter filios suos videantur seruare. contigit vt amittat vnum; si propter filios seruabat, mittat post illum partem suam: redde illi quod suum est. mortuus est, inquis. ò fides mortua. si in te fides est, viuit adhuc filius tuus; non decessit, sed præcessit. cur non mittis partem suam in cœlum? an non potest mitti in cœlum? potest prorsus. audi ipsum Dominum dicentem; Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* pulchrè coniungit. cum enim immortalis sit animus, & iusti verè viuant; debetur filio pars ipsius, & Christo procuratori in pauperibus danda.

Nulla excusatio de eleemosina neganda.

10 Eos arguit, qui pecuniam in res inanes impendunt, non in egenos. *Quanta donatis venatoribus? quanta turpibus personis? quanta donatis eis, qui vos occidunt? per istas enim exhibitiones voluptatum interficiūt animas vestras, & tamen insanitis, quis plus donet.* est sanè hęc & nostrorum temporum labes, vt moriente præ fame paupere, pecunia impendatur in ludicra. & rectè ait, spectacula illa, quæ exhibent, non esse ad voluptatem alijs exhibendam, vt putant, sed ad perniciem.

Pecuniā in ludicra impendētes taxantur.

Ex Cantico nouo.

1 EXplicat quid sit illud psalmi: *Cantate Domino cāticum nouū.*) *Rogo te, dic, quæ facta sunt noua? nunquid aliud cœlum aspicio quàm antea, aut sidera in nouum splendorem micantia? nonnè ijsdem cursibus Sol peragit diem, ijsdemque curriculis Luna peragit noctem? &c. quæ igitur noua? transit Adam homo vetus factus ex limo, venit Christus Deus homo missus è cœlo. transit vita carnalis, succedit spiritalis. an parua hæc est nouitas? terra eratis, cœli iam penè estis* præclarè hoc dictum de renouatione spiritus. huc refert illud Pauli *expoliantes veterem hominem, induite nouū* & meritò ait, hanc renouationem præferendam ipsius cœli in splēdiorē speciē immutationi.

Cāticum nouum in spiritus nouitate consistit:

2 Pulchrè & elegāter vitam nostram nauigationi comparat. *Ascēdamus nauem fidei simul, & crucem; nec desit anchora, spes nostræ salutis: extendamus funes, diuersas virtutes; vela charitatis colligamus; inuocemus ventum prosperum, verbum Dei. exhauriamus sentinam à peccatis. non negligamus nostra peccata: minuta sunt, sed multa sunt. fluctus validus irruens obruit nauim; humor autem per rimas influens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. adsit nostra tutela Christi gratia. celeuma nostrum dulce cantemus, alleluia, vt læti ingrediamur felicissimam patriam.* Nota quod ait de crucis, & fidei naui, & spei anchora. gratiam vocat tutelam nauis, in quo videtur alludere ad veterum morem, qui peculiarem aliquem in naui Deum collocabant, quem tutelam nauis dicebant: rectè item charitatem pro velo ponit, quasi aura sancti spiritus repletam. huc facit quod Alcibiades nauim prætoriam cum velo purpureo habuit. Tum item pulchrè Petrum proponit quasi peritum nauis gubernatorem; *Sed exurget ventus validus, & magna tempestas, hoc est sua cuiusque cupiditas, titubat fides in mari; clamet in te Petrus: Domine pereo. dabit manum mergenti.* nota quæ oratio in tentatione vsurpanda. tum sic de Paulo. *Aspice Paulum hoc nauigium ascendentem, & quamplurimos inuitantem: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. quando dicebat; Induite vos, sicut electi Dei benignitatem, humilitatem, &c. quid aliud quàm funes extendebat? quando dicebat; Gratia salui facti sumus, tutelam exorabat. quādo dicebat: In psalmis, & hymnis cantantes in cordibus vestris Domino, celeuma sanctum dicebat. quando dicebat; Spe salui facti sumus, anchoram figebat, &c. ò optime gubernator, ò pulcherrime magister, & doctor, docuisti, & fecisti, & ideò celeriter peruenisti.* huc referre poteris mysticam illam Tyri nauim apud Ezechielem. egregiè autem benignitatem, quæ se ad multos extendit, funi nautico comparat, & iterum Gratiam quasi nauis tutelarem dicit.

Nauigatio huius vitæ pulchrè descripta.

Petrus, & Paulus periti gubernatores nauis.

Gratia quasi tutela nauis

3 De via in cœlestem patriam sic. *Caro nostra iumentum nostrum; iter agimus in Hierusalem: plerumque gestiendo vult nos præcipitare; doma iumentum tuum; fame doma, quod fræno non potest. vide illum gubernatorem, eundemque viatorem Apostolum Paulum, vide iumentum suum domantem. In fame, inquit, & siti, in ieiunijs multis castigo corpus meus, &c.* elegans similitudo: animus corpori quasi equo insidet, sed refractario calcitroni. domandus est fame, cohibendus fræno, compungendus stimulis: sic euadet vt ille, de quo ait Zacharias: *posuit eum quasi equum gloriæ suæ.* & Dauid. *sicut iumentum factus sum apud te, &c. & cum gloria suscepisti me.* Tum pulchrè de impedimētis in via. *Ambulas, si amas. non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus: via nostra tria genera hominum odit, remanentem, retro redeuntem, aberrantem; excitandi sunt remanentes, retro redeuntes reuocandi, errantes in viam reducendi.* nota illud, *ambulas, si amas. ad Deum affectibus currimus.* iacet igitur humi abiectus qui non amat. aut si aliud quàm quàm Deum amat, retrocedit, aut errat.

Ad patriā tendimus carne quasi equo indomito vecti.

4 De gratia, & libero arbitrio sic. *Quid valeat liberum arbitrium, non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. ad malum sufficit sibi: ad bonum non nisi adiuuetur à Deo; primus enim ille homo accepit arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum, sicut scriptura dicit, ignem, & aquā: ad quod volueris porrige manum tuam. elegit ignem, reliquit aquam. videte nostrum iudicem. quod elegit homo, liber accepit, malum voluit, hoc illum secutum est.* nota interpretationem; ignem elegit, scilicet, quo & in cinerem abijt, secutus suam concupiscentiam, & vxori gratificari studens.

Liberum arbitrium per ignē & aquam expressū.

5 Ad cœlestem beatitudinem piè, & pulchrè inuitat. *Currite velociter rectam viam, quæ ducit ad patriam. viuemus ibi, regnabimus, lætabimur, Si tantum delectat*

Ardens desideriū de Dei visione.

de

de ea loqui, quid erit videre? videre, inquā, Deū, viuere cū Deo, viuere de Deo; vita.n. erit nostra laudare Deum, & sine defectu amare; visio ipsa satietas nostra erit. nota illa tria, in quibus felicitas posita, *videre Deum, viuere cum Deo, viuere de Deo.*

Ex libro de contemptu Mundi.

1 DE Clericorum modesto habitu sic. *Cessent Clerici psalmodia, hymnisque spiritalibus insistentes, capillos, mitras, ceteraque velamina incapitibus portare, ne, dum cum Deo loquimur, famulatus sui signa occultantes, indigni eius iudicemur propitiatione.* his quoque addit. *Clericus ad sortem Domini vocatus, qui comam nutrit, & capillos tondere vel radere erubescit, profectò se non Dei, sed de Mundi sorte esse testatur; quantò enim quisque crines diligit, tantò cor suum non in cœlo, sed in terra fixum ostendit; quantò autem radit, tantò se non terrena, sed æterna diligere comprobat.* Audiant hoc cincinnati, & comati Clerici, est enim hæc nota in nonnullis etiam hoc tempore. capilli superflua corporis pars sunt, ideò, qui eos nutrit, terrenus censetur. denique ait: *his signis Clericalibus à laicis discernimur. extirpetur ergo penitus de Clero talis præsumptio.* quod ait, *extirpetur,* ostendit talem effœminatum habitum in Clericis esse radicem multorum malorum.

Clericorum immodestus habitus & cincinni taxātur.

2 Harmoniam quandam scripturæ in probando innuit. *Ait Apostolus Ioannes: Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. ait psalmista increpans Mundi amatores. Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem? Salomon quoque subsequitur dicens; Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. libet intueri quàm bene consonant organa Spiritus sancti. monet Apostolus, vt non diligamus Mundum, inuehitur psalmographus in eius amatores. clamat Salomon causam subijciens, quia cuncta subiacent vanitati.* mendacia itē vocat, vt ostendat promittere, non conferre. pulchrè dictum: *quàm bene consonāt organa Spiritus sancti?* quasi musicus phonascus est, dictis inter se congruentibus modulans.

Sententiæ sacræ scripturæ inter se quasi musicè consonāt.

3 Explicat illud. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, &c.) Vidit peritus magister suos discipulos luctaturos cum Mundo, qui si haberent vnde tenerentur, leuius deijcerentur: nudus non solet latrones timere: abstulit arma hostibus, dum nos priuauit terrenis possessionibus: qui se mundanis implicat, tela parat quibus fodiatur.* Alludit ad athletarum morem, qui luctaturi se exuebant, quod religiosi maxime agunt per paupertatis votum. Tum vide vt mundanis rebus se implicantes instar Cyclopū ipsi arma fabricentur, sed hosti profutura aduersus ipsos. *tela parant quibus fodiantur.* hoc est suo se gladio iugulantes, immò à se contra se conflato, & in mucronem limato.

Religiosi ut athletæ nudi luctantur.

Ex libro de Vanitate seculi.

1 PEr prosopopeiam inducit mundanos vita functos dehortātes alios à vitijs. *Retrahat vos à malis operibus interitus eorum, quos præmisistis. cōsiderate diuitum sepulchra, ecce ex eis nihil, nisi cineres remanserunt, qui si loqui possent, hæc dicerent. Vt quid infelices tantum pro sæculi vanitate discurritis? considerate ossa nostra, & vel sic vobis horreat cupiditas vestra: quod vos estis, nos fuimus, & vos eritis.* habes vel in muto marmore vocalem cinerem, monitor est in monumentis.

Cinis sepulchrorū monitor mortis.

2 Iudicis diuini examen in morte proponit. *Aduertite diligenter quàm magno metu anima separetur à corpore. veniunt enim Angeli assumere illam ante tribunal Iudicis metuendi; tunc ipsa contremiscit, quærit fugere, sed opera quasi loquentia dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, tecum pergemus ad iudicium.* Quis ad hæc non exhorrescat? siue Angelos ad tribunal Dei trahentes reum consideres, siue opera ipsa nostra aduersus nos vociferantia.

Ingens horror animæ in mortis articulo.

3 Inducit Christum in iudicio exprobrantem beneficia, inter cetera redemptionis. *Peccatores compellans dicet; Agnosce impietas humana quæ pro te pertuli. ecce liuores, quos pro te suscepi: ecce clauorum foramina, quibus affixus in cruce pependi. ostendite quid passi estis pro me? quid boni egistis pro vobis? ecce non potest nunc iustitia mea aliud iudicare nisi quod opera vestra merentur. secuti estis diabolum, ite cū illo, &c.* rectè exprobrat, & quod pro illo qui nos morte redemit, nihil in hac vita passi simus; & quod pro nobis nihil operati simus boni.

Christi exprobratio in iudicio.

Ex Sermone de Obedientia, & humilitate.

1 ARguit religiosos, qui seorsum degebant à fratribus, ob idque superbiebant. *O tu, qui manes in secreto, aut melior es fratribus, qui sunt in cœnobijs, aut peior: si melior es, veni vt eis exemplum vitæ tuæ præbeas; si autem deterior es, veni vt discas quæ nescis.* acutè per dilemma conuincit. vide quàm absurda in religioso sit singularitas, & à communita

Singularitas in conuersando religiosis vitanda.

te

te feiunctio. nam & perfectus focios iuuare debet exemplo, & imperfectus per optimatium conuerfationem proficere.

Ex libro de bono difciplinæ.

Religiofa difciplina neceffaria

1 PVlchrè,& eleganter oftendit hominem fub difciplina effe liberè, quam à natura ipfa repetit. *Nemo difciplinam irrationabilem putet, fub qua videt vniuerfis, quæ in cœlo,& fub cœlo funt, omnipotentis Dei ftare confilium. nam cum affiftente fapientia cœlum fufpenderet, terram pararet, maria concluderet, & fuis locis, fuifque temporibus curfum Solis, Lunæque globum difponeret, omnia fub difciplina conftituit. quid non effet incompofitum, & abfurdum, nifi conftitutis legibus cuncta ftarent elementa? nunquid fine difciplina agitur Solis curfus? &c. nunquid fine difciplina eft, quod tanti maris fluctus humili terrarum littore continentur? omnia profectò infipiens natura confunderet, nifi Mundum difciplinæ ratio commendaret.* hoc, & fequentia maximè ad religiofum ftatum faciunt, cuius propria eft difciplina regularis; damna autem ex iactura difciplinæ fic enumerat, *Nifi conftitutus effet ordo viuendi, nunquam finem poneret natura peccandi. omnia fub metu difciplinæ vitia iacent.* Tum eos arguit, qui difciplinam vt rem onerofam oderunt. *Multi ibi nomen crudelitatis imponunt, vbi pro amore difciplinæ crimen commiffi fceleris fupplicio vindicatur.* at refpublica ipfa, inquit, periret, fi impune abirent delinquentes.

Per difciplinam perdomantur vt equi & feræ belluæ.

2 *A* fimili pulchrè difciplinam commendat. *Doceant nos feruare ordinem difciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuofis greffibus membra componunt,& fub vnius habena retinaculo, ità laxari fe confentiunt, vt & currendi,& ftandi modus fub quadam legum difpofitione feruetur.* elegans fimilitudo de equo, qui fub difciplina domatur. fic de ijs erimus, de quibus dicitur: *Qui afcendis equos tuos.* Tum concludit: *ita quos natura numero diuidit, ftudio difciplina coniungit.* duo fcilicet equi natura diuifi funt, fed fub iugo difciplinæ conueniunt in vnum: ita ad Dei currum aptabimur. *A*ffert & exemplum alterum boum: *Erubefco dicere in confufionem humanæ negligentiæ, vt apud nos non proficiat difciplina, cum videamus paftorale magifterium etiam apud animalia non perire; ita difciplinæ conftitutionibus feruiunt etiam, quæ in feritate nafcuntur.* præclara vox. nam & leones,& elephantos difciplina domari videmus, & ceteras belluas mitigari.

3 Eleemofinæ decus oftendit. *Si vis videre Dominum, fequere mendicum, ne defpicias nudum, ne inuolutum pãnis: in hac enim vefte Dominus, cum à Magis quæreretur, inuentus eft.* mirum in modum hęc cogitatio permouet: nuditas pauperis,& pannorum vilitas infignia funt filij Dei nafcentis. hoc pro indicio datum eft Magis: *Inuenietis infantem pannis inuolutum.*

Nuditas pauperis Chriftũ refert in præfepio.

4 De fcandalo vitando hæc habet. *Laborandum ante omnia eft, vt qui bonitatem fequitur, bonus effe iudicetur: nam quamuis homo purum corpus, immaculatumq; cuftodiat, laceratam vitam ad Deũ portat, cuius actus vultum infamat; licèt fciamus confcientiam folam bonis actibus poffe fufficere:* notabile eft quod dicit. licet fana confcientia fit, fi tamen exterius fcandali anfam das proximo, *laceratam vitam ad Deum portas.* Saucias proximum, fed tuo vulnere. caufam huius rei affert *Infitum eft naturaliter vulgo, vt de bonis male iudicet.* concludit tandem *Vita ergo noftra ità fit lucida, vt fit omnibus nota. magnum eft quidem, & gloriofum, & vfque ad cœlum omnium ore præferendum, nunquam malis actibus locum dediffe: fed multò fortius eft nunquam falfis fufpitionibus laboraffe.* Vide quanti faciat famę bonæ odorem, neque enim fola confcientia nitendnm.

Scandalum etiam cum bona confcientia vitandum.

Nũquam fufpicionem mali dediffe præclarũ eft.

Ex libro I. de Vifitatione Infirmorum.

1 SCribit ad nepotem fuum morti proximnm, eumque pulchrè ad cæleftis beatitudinis defiderium excitat. *Vifurus es parentes tuos patriarchas fanctos, &c. ad tantum igitur itineris, ne deficiat in via fubfidium, grande viaticum tibi eft neceffarium. in muro fupernæ ciuitatis ponendus es lapis viuus. hic adijciendus eft lapidi malleus; hic conterendum eft totum lapidis quadrandi fuperuacuum. ftrepitus fit peccatorum tuorũ recordatio, fuper quibus perftrepet in aure facerdotis humillima tua confeffio, malleus fit pœnitentia,& percuffio cordis.* Vide vt contritionis actnm tum maximè agendum dicat. eleganter dicitur *pœnitentia malleus cordis.* huic additur humilis cõfeffio, vt pofſit verè dici *cor contritum, & humiliatum non defpicies.* Item actum charitatis fiue dilectionis imperat, Dei,& proximi, in extremo præfertim vitæ per diftributionem bonorum in egenos: *Hæ sũt duæ alæ, quibus euoles ad cælum, tranfuehâris ad Sanctos, inferaris inter Angelos.* eleganter dictum; atque hæ, vt reor, funt illæ *pennæ columbæ deargentatæ.* his quoque *rapiemur obuiam Chrifto in aere.*

In agone mortis pofitus quomodo folandus.

Pœnitentia malleus cordis.

Dilectio Dei & proximi duæ alæ in cœlum ferentes.

2 Ad morbum tolerandum fic hortatur. *Flagellum Dei ne contemnas, dilige corripien-*

ripientem; dilige corrigentem, grates age miseranti. Tum de spe in Deo habenda salutis, hæc pulchrè habet. *Index est, nec vult te damnari. flagellat te misericorditer, qui in eum deliquisti pertinaciter. Deus meus audebo dicere, pace tua dicam, quoniam magno repletus gaudio in quodam ecstasis tripudio de te præsumendo dicam; nisi quia Deus es, iniustus esses, quia adhuc grauiter inhæremus peccatis pertinaciter, prouocamus te ad iram, tu autem conducis nos ad misericordiam; sed non aliter Deus esses, nisi flecteoreris, nisi miserereris. quodcumque igitur facis, tuum est.* affectu plena sunt ista. Vide quantam vim habeat in animo hæc consideratio de Dei patientia dissimulantis tot, ac tam graues offensas, vt penè iniustus videri posset, nisi esset Deus. potens est, inquit, hæc consideratio in ecstasim traducere cum magna spe. *In quodam ecstasis tripudio de te præsumendo.*

Mira Dei patientia in offensis sustinẽdis ecstasim parit & spei tripudium.

3 De morte libenter ferenda sic, *O mors omnium præsentium malorum finis. ò mors laboris clausula, quietis principium. benè mori cum Christo viuere est. hæc mors hominem cum Christo cõglutinat, nutrix æternæ, securaque felicitatis. valeas mors dilectissima; libenter te, si possem, amplecterer, degustarem, vltroque subirem.* huc refero illud Balaam; *moriatur anima mea morte iustorum, &c.* quod ait ad mortem; *libenter te, si possem, amplecterer:* scimus quosdam admonitos de morte, amplexatos nuntium mortis miro cum gaudio. eleganter autem mors iustorum dicitur, *nutrix æternæ felicitatis.* quid amarius morte, vnde illud Agag; *siccinè separat amara mors?* & tamen iusto dulcissimũ mel proponat. quid aridius morte? & tamen lacte plena porrigit vbera.

Mors iusti nutrix felicitatis æternæ.

4 Orationem in extremo vitæ pronunciandum, piam, ac scitu dignam ponit. *His expletis oratio tibi est necessaria. ergo ità Deum alloquere, ac securus affare. Deus meus, misericordia mea, refugium meum, te desidero, ad te venire festino; ne despicias me sub tremendo discrimine positum. adesto mihi propitius in meis magnis necessitatibus. non possum me redimere meis operationibus, sed tu redime me, & miserere mei. diffido de meis meritis, sed confido de miserationibus tuis, & plus confido de tuis miserationibus, quàm diffidam de malis actibus meis. tu es spes mea, Deus meus; tibi soli peccaui: mea culpa. qui fui tibì charus ad redimendum; non sim vilis ad perdendum. & nunc ad te venio, qui nulli dees; cupiò dissolui & esse tecum. in manus tuas commendo spiritum meum, Domine: respice in me, Domine Deus veritatis, & præsta mihi Deus meus, vt in pace dormiam & requiescam: qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum; amen.* digna profectò oratio, quæ à quouis agente animam recitetur, continet enim & actum contritionis, & charitatis, siue dilectionis ex desiderio videndi Dei, item actus spei, & fidei.

Oratio in extremo vitæ ad Deum facienda.

Ex libro II. de Visitatione Infirmorum.

1 Fidei actum primo loco commẽdat, credẽdo mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. ex hac autem in spem venire iubet salutis. sic igitur pulchrè. *Quod meum est, & quod ex me mihi quadam agnatione, & cognatione, & quadam secreta affectione conglutino, & quodam proprio iure consanguinitatis mihi vendico; tutius, & iucundius loquor ad meũ Iesum, quàm ad aliquem Sanctorum spirituum Dei. plus debet mihi Christus, quàm alicui cœlestium spirituũ. quod tu es, fieri dignatus est Deus, non factus, quod est Angelus, & si sit magni consilij Angelus, te exaltauit super Angelos, tu enim iudicabis Angelos. nollem habere locum Angeli, si possem habere locum debitum homini. ad curiam Dei sui, Dei tui præcessit Deus tuus, homo tuus, tunica tua, tunica polymita, quam sibi decentissimè coaptauit, indutus illa assiduus interpellat pro nobis. quem igitur habes intercessorem, constitue tibi proprium adiutorem.* egregius locus de fiducia in Christum magis quàm in Angelos, *quodam proprio iure consanguinitatis.* rectè autem Christi carnem tunicam illam polymitam Iosephi dicit cruore respersam, & patri oblatam. denique concludit: *hæc fides tua habeat, & teneat cor tuum; nihil dulcius sapiat.*

Fiducia erga Christum iure quasi cõsanguinitatis.

2 Exteriora quoque signa deuotionis animam agenti commendat, præsertim Crucifixi complexum. *Sũt quædam exteriora signa fidei excitatoria, & quasi quandam compũctionem penetralibus suis figentia, quæ & Christiana religio vult obseruari, & amicorum ad infirmos conuenientiũ deuotio gaudet adimpleri. adijcitur super crucem imago, per quam salutifera Iesu Christi nobis renouatur passio, hanc complectere humiliter, venerare suppliciter.* affert & quædam carmina simplici stylo, sed pia, ad quæ hæc addit: *Bone Iesu, qui pro me pendens ita passus es, misereri mihi digneris, & præsta, vt qui mihi mortuus es, & ad hoc mortuus es, vt Mundo moriens tibi viuam, bone Iesu.* Tum ex Iacobi auctoritate olei sancti vnctionem præcipit, item Eucharistiam. *Cibus ille incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ pretium, & monimentum, & redempti munimentum.*

Actus deuotionis in agone mortis ãplexus crucifixi, &c.

3 De confessione vltimò facienda, sed ante cetera sacramenta hæc addit. *Venire ad te roga sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum*

tiarum

Confessio ante obitum qualis facienda.

tiarum tuarum penitus participem. erit, is cicatricum tuarum arbiter. aperi ei penetralium suorum abditissima latibula, & penitiora reuela repagula. quæ mentem grauius exacerbant facinora, Dei Angelo manifesta, nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circuitionibus quod verum est, operiens. arguit hoc eos, qui minus simpliciter vniuersa peccata recensent, vt inumbrent particularia. tum de circumstantijs sic: *designanda sunt, in quibus peccasti, loca, cum quibus peccasti, &c.* Addit hoc notabile. *In solemnibus præcipuè natalitijs feroci plectuntur exterminio facinora, &c.* Vide quis sit fructus festorum dierum, abominatio peccati, & profectus in spiritu. eleganter vocat, *ferox exterminium peccatorū*, vt generosè prorsus ea delere conemur, & pulchrè à foro iudiciario similitudinem capit. denique notabilis est & hæc gnome triplici distinctione: *Humanum est peccare, Christianum à peccato desistere; diabolicum in peccato perseuerare.*

In solemnioribus festis quid agendum.

4 Præclarè docet, ea maximè, quæ agentibus animam dicuntur, non verborum elegantia, sed sententiarum pondere egere. *Paginulæ nostræ quasi documenta vilia videntur, & despiciabilia, quia non sunt rhetorico flatu, & fastu cothurnata; & superflua, quia eruditioribus ista sunt peruia; sed tibi cor nostrum arctius inuigilat, & dolor tollit colloquendi gratiam.* rectè ait, tempus illud, quo animam ægro agenti præsto sumus, non esse terendum inaniter, sed ex corde condolere oportere in tanto periculo versanti, & magna cum sollicitudine aduigilare: quod in primis Camillus crucíferorum parens in suis egregiè exercet.

Anima quomodo commendanda in exitu vitæ.

5 Animam agēti nō alios aduocādos confessarios, nisi pios, & peritos iubet, cū tunc & optimi eligantur medici corporis: Tum arguit cōfessarios quosdam, qui morientes ligabant potius quàm absoluebant, dicentes *Si superuixeris, ita ieiuna, ita fac eleemosinam, ita ora. hæc bene, illud impiè. Si autem ex hac infirmitate morieris, ne anima tua videatur impœnitens, per obedientiam iniungo tibi, quatenus anima tua vel totam septimanam, vel annum integrum, vel tantum temporis patiendo pœnam, quàm meruisti, in pœnitentia post mortem tuam sit.* potius post mortem oratio pro eo fiat, &c. si facultas est, eleemosina vel ipsius, vel amicorum. nec desperandum interim, si ex corde pœniteat, de Dei misericordia: *Quis enim, o bone Iesu de misericordia tua desperet? audenter pronuncio, quoniam cumulatius delictum est à te desperatio, quàm qualiscumq; humanæ fragilitatis offensio.* igitur si non adsit tempus satisfaciendi per ieiunia, &c. sufficit dolor internus, & lacrymæ; sicut scriptura testatur: *& territi purgabuntur.*

Animam agenti aduocandus peritus cōfessarius.

De Christi pietate nemini desperandū.

Ex Sermone I. de Consolatione mortuorum.

1 Dolorem abstergit, quia commune decretum est de morte. Dices, consuetudo lugendi est, respondet: *Si propter hæc tristitia afficeris, errore duceris, non ratione gubernaris.* Item tempus ipsum dolorem sedat, multò magis bona cogitatio, vtilitas etiam pensanda mortui: *Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* Dices, etiam patriarcharum mors defleta est. *Meritò flebant, quia nondum de cælis venerat Christus, qui fontem illum lacrymarum sua resurrectione siccaret.* pulchrè dictum, nihil tam valere ad exiccandas lacrymas quàm cogitationem de Christi resurrectione, quæ pignus fuit futuræ nostræ. subiungit. *Et ipse Dominus Lazarum fleuit; sed vt per lacrymas se verum corpus aßumpsisse monstraret; vel certè fleuit amore humano Iudæos, qui nec Dei signo monstrato erant credituri.* nam cur fleret, quem dormire dixerat, & surrecturum?

Christi resurrectio valet ad funeris lacrymas abstergendas.

Ex Sermone II. de Consolatione mortuorum.

1 De communi resurrectione sic pulchrè. *Qui Solem quotidie quasi de sepulchro noctiū resuscitat, & Lunā quasi de interitu reparat, nos, ob quos cūctos reparat, nō requiret? & cineres patietur extingui, quos suo flatu accendit? qui vestit arbores folijs, & arua floribus, poterit & tua ossa illo certo veris tempore in resurrectione vestire, meritò clamat Esaias; Exurgent mortui, & resurgent qui in monumentis sunt, & lætabuntur qui sunt in terra; ros enim, qui abs te est, sanitas est illis. vere enim sicut rore madefacta semina germināt, & exurgunt, sic rore sancti Spiritus ossa fidelium visitata cum suo corpore in æternam gloriam germinabunt.* elegans similitudo de rore verni temporis. huc refer quod alibi dicitur: *ossa vestra germinabunt.* eius rei pignus habemus in ossibus S. Nicolai episcopi, cuius ossa rore sancti Spiritus exsudant, suo tempore germinatura.

Resurrectio verno tempori comparata.

2 Respondet obiecto de ijs, quorum non extant vestigia corporum. *Quicquid consumitur, in terræ visceribus continetur, vnde rursus poterit Deo præcipiente produci: nam & tu, cum non appareat semen ignis, adhibes lapillum, & modicum ferri, & excutis de visceribus lapilli ignem.* multò, magis Deus, &c. pulchrè ostendit, vt ex ossibus, ceteraue materia tanquam ex silice, vitæ scintillam excudere Deus possit.

Resurrectio excusæ scintillæ comparata.

3 Ait, Martyres resurgendi spe tot pœnas libenter tulisse. matrem Macha-

beorum

beorum in primis laudat. *Videbat filios vngulis radi, ferro concidi, sartagine assari; non lugebat, sed potius lætabatur. non erat crudelis illa, sed fidelis; amabat filios non delicatè, sed fortiter.* Addit eleganter, ac piè. *Si Martyrum sumus filij, si eorum socij inueniri volumus, non contristemur eorum morte, qui nos præcedunt ad Dominum: alioquin ipsi nobis insultant beati Martyres, & dicunt; O qui charos vestros in lectulis morientes tanto cum mœrore lugetis, si eos à gentilibus pro Domino cruciari, & interfici videretis, quid effetis facturi? & qui plangunt impatienter amissū, quando poterunt ad martyrij peruenire certamen? nam qui in his constans, & magnanimus existit, iam sibi gratiam ad potiora substernit.* egregiè ait, per constantiam in ferenda morte aliorum, disponi hominem ad martyrium, hoc est ad mortē propriam tolerandam. Tum affert exemplū Dauidis, qui ægrum filiolum flebat, morte audita, desijt flere. *ego, inquit, ibo ad illum, non ille reuerteretur ad me:* arguit igitur vlulatus insanos quasi bacchantium in morte iustorum. ac pulchrè introducit Martyres tolerantiæ monitores.

Mors Martyrum non lugenda.

Ex serm. de cultura agri dominici.

1 Agri comparatione animum excolendum, & rigandū dicit. *Spinas malarum cupiditatum eradicemus, diuino igne succendamus. vnaquæque anima, quæ accedis ad Christum, terra es spinosa, & arida. recole illam sententiam, quam in primis parentibus accepisti; spinas, inquit, & tribulos pariet tibi. si spinas non haberet, capiti Creatoris tui coronam spineam non imponeres:* hinc colligo, si Deipara per peccatum originale eiusmodi terra fuisset, ipsius quoque spinis filium compunctum dici oporteret. at ipsa potius vt lilium inter spinas, dicitur, idest respectu aliorum. quod si de ipsa dicitur: *Videte regem Salomonē in diademate, quo coronauit eū mater sua:* quomodo eum coronasse dicatur spinis?

Ex anima quasi terra spinosa Christus coronatus.

2 Tum pulchrè de huius spinosi agri cultura. *Ideò tibi talis cultura impenditur, propterea crucis ligno exararis, quod eius signo in fronte signaris, quando in morte ipsius baptizaris.* Vide quid crucis signo indicetur, ea scilicet velut aratro proscindi cor nostrum, vt fiat frugiferum. tum de pretio Christi sanguinis: *Iudas ille venalis, & venditor fuit: emptus à Iudęis, vt cum eis esset diaboli mancipium, pretium accipiens de illo, qui non habet pretium; vendidit sanguinem Christi, & emit exinde agrum figuli, & vocatus est ager sanguinis. clamat hic terra, quali, vel quo pretio fuerit comparata; immò pretium ipsum clamat, sanguis clamat.* acutè Iudam carpit, qui dum venderet, factus est venalis.

Crucis aratro excolenda terra cordis nostri.

3 Pulchrè hoc ad Eucharistiam refert. *Omnis homo terra quid dicit, quādo accipit sanguinem Christi? Amen, idest verum. quid verum? quia fusus est sanguis Christi. vide terra quomodo accipias hunc sanguinem; quia qui eum bene accipit, benedictionem accipit, qui male, iudicium.* Addit sanè præclarā, & elegantem apostrophen ad terram cordis nostri. *O terra tanto rigata sanguine, responde de tanto sanguine, non sicut Cain, & Iudas, verba excusationis, sed sicut sancti Martyres verba confessionis responde sicut respondit beatus Stephanus, qui in isto agro dominico vt bonus colonus plurimum laborando, de terra petrosa vulneratus, ex ea lapides in suo corpore tanquam in sinu suo collegit, & sudando in opere, terram sancto sanguine rigando, centenum fructum ex martyrio Domino præsentauit. responde item sicut Cyprianus, & Laurentius, ceterique sancti, qui pro Christi sanguine, quem biberant, sanguinem suum fundere non dubitarunt.* pulchrè omnia dicta, Christi sanguini deberi nostrum quoq; per martyrium. & cordis nostri terram post irrigationem eius sanguinis valde frugiferam esse debere. elegans præsertim illud de S. Stephano, qui quasi colonus in terra petrosa, lapides, quibus ictus est, rigauit sanguine, molliuitque ad fructum vberrimum faciēdum: quod in Pauli maxime conuersione ostensum est. Item nota, Martyres ante martyrium solitos Eucharistia, & Christi sanguine muniri ad sanguinem suum fundendum. in Eucharistia item accipienda solitum dici, Amen; hoc est verum, fatendo illum esse verum sanguinem, quo redempti sumus. vbi præclarè ait. *Vide terra, quomodo accipias hunc sanguinem, &c.* Tūm de Iuda hęc addit: *Collū sibi alligauit, & prostratus in faciem diruptus est medius;* quo ostendit, putrescens Iudæ cadauer concidisse eadem facie, fronte, atque ore, quo osculum dolosum dedit, in terram impacto, vt cœli conspectu indigno.

Terra cordis nostri frugifera per Christi sanguinem redditur.

Stephanus lapides sanguine molliens ad fructum.

Martyres ad martyrium parabant se per Eucharistiā.

Iudæ mors infelix.

4 Ad Christi quoque sanguinem hæc pulchrè pertinent. *Iam agnoscis, o anima, quemadmodum & tu ex illo sanguine efficiaris candida, vt omnis, & corpore, & corde pulchra ascendas: dealbauerunt, inquit, stolas suas in sanguine agni. quid enim manauit ex illo latere crucifixi? sanguis, & aqua; ex sanguine rubor, ex aqua splendor: in istis duobus sacramentis decorantur singulæ animæ. hinc audit sponsi sui vocem; Quàm speciosæ sunt genæ tuæ? & iterum; Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? verecundè ipsa respondet: Ego sum, quam fœdam inuenisti, pulchramque fecisti: quid interrogas quod ipse fecisti? vides me*

Animæ decor ex Christi sanguine.

Cant. 2.

me dealbatam, tu fecisti candidam. vides me ascendentem, te cognoui de cœlo descendentem, te amaui in cruce pendentem; humilitas tua facta est exaltatio mea, fœditas tua pulchritudo mea. pulchrè per anthitetaj in primis nota quod ait de latere Christi: *ex sanguine rubor, ex aqua splẽdor.* aqua enim illa, quæ fluxit ex corde, limpidissima fuit, vt pote baptismi typus: quò refer visum illud de Esther. *Fons paruus creuit in fluuium, in lucem, Solemque conuersus est.* item rectè de genis sponsæ, quarum decorẽ è sponsi Christi sanguine agnoscit, vnde aiebat S. Agnes: sanguis eius ornauit genas meas.

5 Pergit ostendere animi decorem ex passione Christi acceptum. *Verè dictum est: Quàm valida est sicut mors dilectio? quousquè se sponsus inclinauit? qui vt amãdo fœdam, faceret pulchram, vsq; ad mortis exitum venit; & Domini, Domini, inquit, exitus mortis. vidimus eum, ait Esaias, & non habebat speciem, neque decorem. quid miraris? amando talis est factus: hanc tamen amissionem decoris timuit Petrus, cum ait: Absit à te, Domine, ne fiat istud; sed ille increpauit. putauit Petrus totam illã diuinitatis pulchritudinem absorberi potuisse in corporis humani specie. sed noli expauescere: cum nudum videbat in ligno, tunicam illam diuinitatis, & immortalitatis Christus non perdidit in cruce, sed sponsæ suæ consignauit in dote. nec dando perdebat illud, quod erogando crescebat. cum negasti illum, Petre, respiciens te dicebat tibi illa diuinitas: Vbi est, Petre, illud: Animam meam pro te ponam, & eò quàm celeriter negasti quasi hominem mortuum, quem confessus fueras filium Dei viui? respexit diuinitas, & fleuit humanitas.* rectè ait, Petro timendum non esse ne per passionem Christus deformetur. & nota quid egerit moriens Christus in cruce spoliatus, induit nos tunica immortalitatis, quam *sponsæ suæ consignauit in dote*.

Petrus nõ rectè Christum auocabat à cruce.

Tunica immortalitatis in dote sponsæ.

6 Pulchrum est illud ad animam de Christo redemptore redamando. *Sequere sponsa vestigia sponsi tui; ama amantem, quia prius ille amauit non amantem. ostensura es ex sacratissimo fonte, rubore, ac decore perfusa. serua decorem tuum, agnosce quid fueris, & quid eris; vide ne deseras mensam sponsi tui; vt pulchra permaneas, carnem eius quotidie mãducabis, sanguinem eius potabis.* Nota de Eucharistia quotidie sumenda, quod proprium sacerdotis est, & vide quantum inde decoris influat in animam, & quantum ibi amoris incitamentum sit. Tum hæreticos carpit. *Audientes, nec intelligentes; Nisi manducaueris carnem filij hominis &c. Ecclesiæ dixerunt: durus est hic sermo, & multi discesserunt. ait Iesus, nunquid & vos vultis abire? tunc Petrus, qui sanctæ figuram portabat Ecclesiæ, respondit; Ad quem ituri sumus? verbum vitæ habes, & dimittemus te?* tales putat hæreticos recedentes ab Ecclesiæ doctrina. vbi nota, cum de carne Christi, & sanguine esset mentio, durus sermo putatus est: at quid delicatius, & mollius eo nectare, & ambrosia? duri potius ipsi erant, vnde eos Stephanus vocat *dura ceruice*.

Mirum animæ decus ex sũptione Eucharistiæ.

7 Trinitatis æqualitatem piè defendit. *Scriptum est: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Da cor tuum patri, animam filio, virtutem Spiritui sancto; ecce tria Trinitati, ex quibus vnum hominem vni Trinitati sacrificium obtulisti, hæresim Arianam vicisti.* diligenter adnota illud, cor patri in sacrificium dandum, quia vt fons & origo est; anima filio, quia ab ipso redempta; vires, ac virtutem Spiritui sancto, quia ab ipso gratiæ robur accipimus.

Dilectio ad tres diuinas personas relata.

8 Eleganter hortatur ad Ecclesiam agnoscendam. *Amor matris huius circa vos non torpescat, quæ vos parturit, quæ spem vestram dirigit, quæ redeuntes materno sinu excipit, quæ vobis spiritales cibos præparat, quæ ad æternitatem perducere desiderat.* refer hanc panæresin etiam ad religiosos, vt religionem suam matrem amantissimam agnoscant, & feruorem cõcipiant, *ne amor torpescat*.

Ecclesiæ maternus amor in suos.

Ex Sermone de Cataclysmo.

1 Baptismi gratiam conseruãdam monet. *Baptizatus est quis, nauis est instaurata, suburrata, velificata, missa in mare; indiget gubernaculo quousquè ad portum desideratum perueniat; mare hoc sæculum, scopulis periculosum, & insidijs, &c. frequenter Christus inuocetur gubernator* eleganter per baptismum quasi bene instructam nauim nos reddi ostendit, quæ primò nauigationem instituat in scopuloso mari. Addit alteram similitudinem. *Baptizatus es, & signatus es regio charactere? cœpisti consequi annonam de mensa regis tui, noli esse desertor; nec vt miles delicatus diffluas per voluptatem, nec te hostis inermem inueniat. postula à rege tuo arma spiritalia.* Vide quid sit baptismus, militare quoddã sacramentum, character regius, & annonæ regiæ participatio. quid præclarius? præterea, inquit, *baptizatus es, vnctus es oleo, restauratum est corpus tuum ad priorẽ statum primi illius hominis ante peccatum, noli deinceps male securus esse. ad agonem produceris, dimicabis in arena huius Mundi. infinita multitudo te expectat luctantem. vis vincere? noli de te præsumere, sed vt in tam magno agone, & tam grandi luctamine possis implere victoriam, mittat tibi Dominus auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.* elegans

Baptismus character regius.

Baptizatus vngitur in athletam.

gans similitudo à theatrali spectaculo, vbi athletæ vncti in arena pugnant cũ expectatione omniũ, cui obueniat victoria. quò facit illud Pauli; *Spectaculum, siue theatrum facti sumus, &c.*

2 Baptismũ eleganter cõparat mari rubro. *Sequuntur Aegyptij, imminent fugientibus. mors in oculis, &c. nunquid, vt mare divideretur, Neptunus est inuocatus, quẽ regem maris esse volunt? virga extensa manu aquas percutit Moses, statim cogitur fluctus in tumulũ, & vnda in semetipsa reflexa curuatur; soliditatẽ recipit liquor, & solum maris arescit in pulueres. ingressi sunt, alij saluãdi, alij dãnandi; vnũ elementũ pios secreuit ab impijs. illos abluit, istos obruit. in virga crucẽ agnoscite, in mari rubro baptismũ Christi sanguine purpuratum.* rectè illudit Neptuni tridenti, cui crux potentior successit, immò ipsa crucis vmbra, & typus virga.

Baptismi cũ rubro mari collatio.

3 De Christi cruce sic. *Crucifixus est cum duobus latronibus, in medio pendebat ipsa sũma iustitia, liberans vnũ confitentẽ, alterũ puniens blasphemantẽ. ita facta sunt tres cruces, tres causæ. vnus latronũ insultabat, alter sua merita cõfessus se misericorditer cõmendabat: crux in medio non fuit suppliciũ, sed tribunal.* pulchrè tribunal dicit in cruce constitutũ, vbi non quasi iudicatus, sed iudex Christus reorũ quasi merita discreuit, & quasi Areopagi more, in tenebris, quæ tũc factæ sunt, iudicia exercuit, ne personarum videretur acceptor.

Christi tribunal crux.

4 Christi crucẽ virgæ Mosis cõparat deuoranti Magorũ serpentes, id est hæreses. *Scatent nunc hæreses in hãc terrã tanquã serpentes Magorũ, quos deuorat ille serpẽs exaltatus in cruce. viperea doctrina Donatistarũ iam consũpta est, mox Maximinianistarũ serpentina fames, &c. cum tot serpentũ capita catholica doctrina contriuerit, ecce nobis vnus anguis Arianus olim mortuus insultat; caput veluti viuũ demonstrare conatur. redi virga, redi Christe sancte, confige caput draconis magni, &c.* idẽ de Lutherana hęresi dicere nũc possumus velut hydra; idẽ præsidiũ implorandũ. ac rectè appellat *Donatistarũ vipereã doctrinã.* nam sicut vipera, dum parit, sibi ipsi exitio est, ita Donatistæ se ipsos interimebant, idque martyrium vocabant, ambitiosi videlicet tantæ gloriæ.

Hęreticorum viperea doctrina.

5 Crucem ipsã scalis in cœlũ deducẽtibus cõparat. *De illa virga mira fecit hic architectus, & arborẽ fecit, & scalas cœli. quale miraculũ, fratres, huius architecti? ascende securus qui desideras cœlum. vide quasi scalarũ gradus numerantẽ, & ascendentẽ, & alios inuitantẽ: Vt possitis, inquit, cõprehendere; quæ sit altitudo, latitudo, longitudo, & profundũ. quatuor gradus posuit crucis. in altitudine crucis caput est positũ crucifixi: sursũ cor habeat Christianus, & ascendit ad vnũ gradũ. in latitudine crucis manus affixa sunt crucifixi: perseuerent manus in operibus bonis, & secundũ gradum ascendit. in longitudine crucis corpus pependit crucifixi: castiget quis corpus suum, suspendat, & seruituti subijciat, & tertium gradum ascendit. in profundo occultum est quod non vides, sed inde exurgit hoc totũ quod vides. adsit fides Christiana; quod non potest comprehendere, credat corde, & quartum gradum ascendit. per hos gradus ascenderunt Sancti omnes.* acutè de quatuor scalarum crucis gradibus, quibus in cœlum ascẽditur; cordis videlicet erectione, perseuerantia boni, mortificatione, fide.

Ephes. 3.

Crux quasi scala quatuor habens gradus.

Ex Serm. de tempore barbarico.

1 EX præsentibus calamitatibus bellorum, &c. mẽtem excitat, *Admonet nos Deus non negligere nos debere nostra peccata, quando talem demonstrat irã suam; quoties intonuerunt, atque intonant tuba diuinæ? Agite pœnitentiam: & clausis auribus operamur mala? & tamen petimus, vt veniant bona. si vnius mortem hominis flere debemus, quibus lacrymis, quo gemitu maximam partem, aut planè totam plangemus ciuitatem? inter tantas angustias, & in ipso fine rerum positi sumus, & tamen quotidie frequentantur spectacula. sanguis hominis quotidie funditur in Mundo, & insanientium voces concrepant in Circo. ò planctus omni tristitia acceptior; ò planctus omni mœstitia affligẽs cor. libet flere, plangamus, dilectissimi, & illos, & nos, quia & nos digni sumus, qui cum talibus meritò flagellemur: nullus excusatur, quia talis est iudex, vt omnis homo ab illo inueniatur reus.* hic questus, & luctus hoc maximè tempore conuenit inter tot tumultus bellicos, & cœdes, & egenos fame pereuntes. nec modò non ingemiscimus, sed ludimus inter tot funera. & simul nota, quemque vel iustum suis peccatis tribuere debere communes ærumnas.

In cõmunibus calamitatibus mundanos ludere quàm impium sit.

2 De examine sui ipsius sic. *Interroget se vnusquisque, & videat si iniustè patitur, proferatur statera iustitiæ; appendatur amor Mundi cum timore Dei, vide quemadmodum præponderet amor Mundi.* huc refer illam Critolai libram, qui licet gentilis philosophus, aiebat, si in vna lance virtus, in alia omnia mundana bona ponerentur, tantum præponderaturam illam lancem virtutis, vt maria, terrasque deprimeret. Tum altera vtitur similitudine. *Proferatur speculum scripturæ diuinæ; speculum hoc neminem palpat; qualis es, talem te tibi demonstrat. intende, & vide. & si est aliquid quod offendat, abi confusus, & redi correctus.* Vide fructum examinis iuxta ea, quæ sacra scriptura, vel monet præceptis, vel docet exemplis.

In examine velut in statera pẽduntur timor Dei. & amor Mundi.

In examine speculum sacræ scripturæ consulendum.

Ephes. 3.

3 De zelo diuini honoris extincto cõque-

ego homo &c. nota, de ascensu sermo est in psalmo. & simul de valle fletus, quia ex humili pœnitētia fit ascensus ad lætitiam gloriæ. contra verò egregiè dictum: *Qui foris tumescit, intus tabescit.* item vide quid sit plorandum in hac valle, lex carnis ex-lex.

2 Quàm sit inanis hæc vita, ostendit. *Iob mysterium lapsi hominis mirabiliter tetigit, dicens: Tanquam seruus fugiens Dominū suum, & consecutus est vmbram. non enim hęc vita dicenda est potius, quàm vmbra vitæ. nec immeritò fugitiuus Adam post offensionem peccati abscondit se à facie Domini tectus folijs arborum, quibus opacantur vmbracula, tanquam fugiens Dominum suum, & consecutus vmbram.* acutè dictū de Adam sub vmbra foliorum se tegente post peccatum, quo eius status ostensus est. huc refero quod Petrus alijs vitam produxit per vmbram, & quod Ezechieli item per horologij vmbram vita producta est.

Hæc vita vmbra tā-tum est.

3 Neminem quantumuis iustum de se præsumere debere ait, & vacare pœnitentia etiam ob leuia delicta. *Nemo de securitate se iactet, donec ista nox transeat, in qua pertranseunt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes. quamuis autem singula non lethali vulnere ferire sentiantur, vt homicidiū, &c. tamen simul omnia congregata velut scabies nostrum decus ita exterminant, vt ab illius sponsi speciosa forma, & castissimis amplexibus separent, nisi medicamento pœnitentiæ quotidianæ siccetur.* Notabilis locus de peccatis venialibus, quæ scabiei comparat morbo fœdissimo, qui amplexus impediat Christi sponsi. itaque vult quotidie medicamentū adhiberi, vt scabiosum humorem exsiccemus. periculum verò salutis sic exaggerat: *Quisquis se diligenter attendat, ac satis intelligat cum quanto periculo mortis sempiternæ, & cum quanta penuria perfectę iustitię peregrinetur à Domino, quamuis iam in Christo, hoc est in via constitutus redire conetur.* Notent hoc religiosi, qui ad perfectionem tenentur, ne meritis egeni reperiantur in morte. denique ait, cum ad omnes pertineat illa precatio: *dimitte nobis debita nostra:* si nulla in re peccaremus, mendacium diceremus.

Delicta vel leuia scabies fœda sūt.

Sollicitudo de salute animæ inculcatur.

4 Eleganter, ac seriò sollicitudinem sui cuique commendat. *Ascendat homo aduersus se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, quod minatur Deus. arguam te, & statuam contra faciem tuam. atque ita cōstituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor; inde quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat: postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis sanguinis Christi.* Notabilis, & pulcher hic locus est de examine faciendo, præsertim ante sumptionem Eucharistiæ. in corde tanquam in curia, vel foro exerceatur iudicium. adsit cōscientia testis, cogitatio accusatrix, peccator reus, lictor sit timor, qui virgas expediat, & securim per mortificationem, & contritionem. lacrymæ verò sanguis ex vulnere sint: sententia à mente ipsa quasi iudiciaria, & prætoria potestate dicatur, in qua sententia nullum edictum timendū magis est, quàm quod peccando indigni reddimur Christi familiaritate, ac mensa. concludit autem sic de examine: *Quo pacto, quæso, Deus dignetur ignoscere, quod in se ipso homo dedignatur agnoscere?* argutè dictum.

Ad examen quasi tribunal sistere nos debemus præsertim ante Eucharistiæ sumptionem.

Lacrymæ sanguis sint perculsi cordis.

5 Non esse malorum exemplum sequendum docet, sed bonorum. *Non quærant sibi comites ad supplicium, nec gaudeāt, quod plures inuenerint; non enim propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. non est hoc sanitatis certum consilium, sed maleuolentiæ malum solatium.* Nec excusatio illa valet, se non habere exempla bonorum. nam etiam si boni deessent, sufficeret exemplum Christi ad imitandum. Tum sic acutè: *Fortasse multi rectè viuunt, sed propterea tibi nullus videtur, quia quid sit rectè viuere, ignoras.* huc facit & illa gnome; ideò malis videri nullum esse bonum, *quia homines non sic quærunt charitate studiosa, quod prædicent ad imitationem, quomodo quærūt iniquitate suspiciosa, quod murmurent ad deceptionem.* Nota, adeò lyncei, & oculati sumus ad aliorum defectus videndos, lusci ad virtutes contemplandas. rectè appellantur, *studiosa charitas, suspiciosa iniquitas.* Martyrum in primis exempla non deesse ait: *Attende animo tot Martyrū millia; cur enim natalitia eorum conuiuijs turpibus celebrare delectat, & eorum vitam sequi honestis moribus non delectat? ibi videbis non solùm viros, sed pueros, & puellas nec periculi timore frangi, nec sæculi amore corrumpi. ibi te innumerabilis exemplorum multitudo circumdabit.* Vides nulli ætati, aut sexui stimulos deesse virtutis, præsertim ex imitatione Martyrum.

Suspicioſi de aliorum defectibus taxantur.

Martyres ad exemplum virtutis propositi.

6 Nemini desperandum dicit. *Niniuitæ clamauerunt, & propitiationem inuenerunt; faciliusque est euacuata comminatio prophetæ, quàm humiliatio pœnitentiæ. Dices; factus sum velut canis horribilis oculis Dei reuersus ad vomitum. quò ibo à spiritu eius, & à facie eius quò fugiam? quò nisi ad misericordiam eius pœnitendo? nemo enim rectè fugit ab illo, nisi ad illum, ab eius seueritate, ad eius bonitatem. recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in extremo huius sæculi.* pulchrè dictum, Deum habendum esse non ad effugium, sed ad refugium: confugiendum autem nobis est quasi pœniten-

Peccator pœnitentiæ pennis elatus ad Deū confugiat.

cũsẽptũ quasi symphoniacis illis in parabola; etiam cum maximè ad flendum venissent, quippe *Angeli pacis amare flebunt*.

7 Illud verò pulcherrimum est de hoc latrone, pertinens ad plagam lateris Christi. *Si Petrus, antequam Christus crucifigeretur, regni cælorum claues accepit, quia illuc introiuit latro, iam non reus, nisi per latus, quod aperuit Iudæus.* acutè dictum: nam Petrus, qui cæli claues tenebat, Christum negauerat, per quam igitur ianuam illum excepit Christus, cum ait; Hodie mecum eris in paradiso? per nouam scilicet ianuã lateris sui aperti ictu lanceæ, quæ clauis instar fuit. igitur pulchrè, & piè concludit. *Veniant nunc quicunq; amant paradisum, locum felicitatis, & securitatis: est quà possitis intrare, patet latus. ostendit ille latro, quò debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare. contendite intrare per angustam portam. quid angustius illo foramine lateris? & tamen per has angustias totus penè Mundus intrauit.* meritò admiratione dignum ostendit, per ianuam lateris paucorum digitorum intrare tam ingentem numerũ, ac penè immensum saluandorum; sed coãgustari in introitu eos oportet per pressuras. itẽ nota, si portæ cœlestis Hierusalẽ vi(?)e sunt à Ioanne ex singulis margaritis: multò igitur pretiosius ostium lateris Christi, vnde ditati sumus.

Latro per ianuã lateris Christi intrauit ad vitam.

Christi latus ostiũ spei.

Ex Serm. de sobriet. & Virginit.

1 SIc hanc virtutem commendat *Sobrietas castitatis, pudicitiæque munimen, tutela membrorum, secretorum custos, ingeniorum pedissequa, &c.* elegans sobrietatis encomium. subiungit: *ebrietas contra, insania voluntaria, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, &c.* huc refer lepidum illud ebriorum factum apud Aelianum, qui putabãt se naufragos, ac per fenestrã domus quasi nauis deijciebant omnẽ suppellectilem, vt nauẽ exonerarent. Addit: *rusticanũ quidem, sed sanũ dictum aduertite: vinum medicamentũ plus iusto sumptum venenũ esse cognoscitur.* certè gigantes, è quorum sanguine vites dixere prognatas, anguinis pedibus effingebantur; & tortuosi vitis palmites dracones meritò vocantur.

Ebrietas naufragiũ castitatis.

2 Præclara multa documẽta dat Virgini, in primis illa: *Dominica Virgo primitùs publicos debet vitare conspectus; verbis scurrilibus, lubricis, & canticis aures claudat. Dominica Virgo nec ornatu capitis, nec oculis erectis, aut lætis, sed pronis ad terram cum vultu proijciat. abstinerẽ vel à risu penitus debet; & cũ silentio, & disciplina omnem vitã suam ornare.* Nota, etiam lætos oculos in virgine reprehendi: adeò seueritas quædã disciplinæ ad tutelam est necessaria. tũ orationis studiũ, & abstinentiæ commendat. de prosapia iactantiam sic arguit. *De generis nobilitate ne se extollat, sed in humilitate, & paupertate spiritus Christi permaneat; in iudicio enim Dei non natales, sed actus proprij pensabuntur.* præclara vox omnem deprimens fastũ; ac ijs religiosis maximè cõuenit, qui in sæculo de claris maioribus orti: non enim apud Deum nobilia habentur stemmata, sed facta.

Modestia in Virgine commẽdatur.

Apud Deũ nobilitas: in actis censetur non in prosapia.

2 Rursus de ebrietate sic. *Ex ebrietate, ac temulentia membrorũ consequitur infirmitas, & ita fit sicuti nauis, quæ validissimis maris fluctibus scopulo illisa cõminuitur. ità corpus, & mens grandi procella illisa mẽbris omnibus dissoluitur.* huc pertinet factum quod paullò ante narraui de imaginario naufragio ebriorũ. tum ebriẽ describit habitum. *lassabunda gressu, contortis oculis, resupina inclinata ceruice, balbutiente lingua, &c.* nota, nam ideo Spartiatæ vilia mãcipia inebriabant, vt incõpositos eorum motus ingenui pueri spectantes, & irridentes, abstinerent à vino. denique ait: *per vinum castitas submersa est.* alludit ad id quod accidit Loth.

Ebrietatis graphica descriptio.

Ex Speculo peccatoris.

1 PReclarum sanè hoc monitũ. *Felix eris, si hanc admonitionem intelligas, & in corde tuo scribas: Viue Deo gratus, toti Mundo tumulatus, crimine mũdatus, semper transire paratus:* pondera singula, & recole: præsertim illud: *toti Mundo tumulatus:* sic enim viuitur Deo: quod religiosi in primis notent. his addit: *Ora cum propheta: Notum fac mihi, Domine, finem meũ, & numerũ dierũ meorũ quis est, vt sciã quid desit mihi. O vtilis oratio, ò felix contẽplatio, ò necessaria postulatio*; non quod prædici sibi velit diem obitus, sed petit, vt intelligat quàm breuis sit hæc vita, & se peregrinum agnoscat, ac sic saluti studiosius consulat.

Religiosus toti Mũdo tumulatus sit oportet.

Cognitio de vitæ breuitate à Deo petenda.

2 Explicat illud: *Memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.) Legitur in poeta, quod centũ luminibus cinctũ caput Argus habebat. q ex omni parte ita potest intelligi, q mẽtis suæ circũspectionẽ, & prudẽtiã possidebat; multò igitur fortius puriorẽ prouidentiæ oculũ debet habere clericus Christianus. esto ergo alter Argus, immò illo cautior, vt sapias, & intelligas, ac nouissima prudẽter prouideas. sũma autẽ totius prouidẽtiæ est vtiq; illa terribilis hora, in qua misera anima ex hoc corpusculo timẽs est egressura.* hinc collige tũc fabula nos vti posse, cũ nihil habet obscœni, & ad moralitatẽ pertinet. rectè autẽ sũmã prouidẽtiæ in hoc ponit, vt bene de hac vita migremus. cẽtoculi simus oportet in re tãti momenti, & rectè Clericos maximè monet, cũ strictior ratio sit ab ijs exigenda.

Argus centoculus sit oportet Ecclesiasticus præsertim.

Summa prouidẽtiæ consistẽt in bona dispositione ad mortẽ.

3 In eandẽ sententiã exponit illud. *Vtinã saperent, ac nouissima prouiderẽt.) Quod est in omni sciẽtia, q hominẽ pronocet facilius ad sui*

sustinet.)ad Christum refert: *Qui singulari patientia pertulit diabolum tentatorem, discipulum traditorem, odiorum flammas,& ministras pessimi cordis linguas, ad crucem ducitur, expalmatur qui est vera palma victoriæ; aceto potatur fons vitæ; disciplina caeditur, salus vulneratur, vita moritur, &c.* lepor est in antithetis, & alliteratione pulchrè dictum, *expalmatur*, idest palmis manuum, & alapis cœditur, *qui est vera palma victoriæ*, idest præmium beatorum. rectè autem appellat *ministras pessimi cordis linguas*: cōtumeliosas videlicet: lictoris enim vice fungitur lingua maledici, ministra crudelitatis, vnde illud: *à flagello linguæ absconderis*.

Lingua ministra cordis.

Christus palma nostræ victoriæ palmis manuum cæsus.

6 Elegans est charitatis elogium. *O charitas, quàm magnas vires habes, quæ de cœlo Deum deposuisti? O sancta charitas, quæ tanta es in terris, quanta eris sanctitas in cælis; quæ tantum potes hic de pugna sollicita, quantum poteris in illa perfecta pace secura?* q ait, charitatem de cœlo in terrā Deū detraxisse: maior hæc vis quàm aureæ illius catenæ, qua Iuppiter apud Homerum negat de cœlo posse se in terram detrahi, etiam omnibus Dijs conantibus.

Vis mira charitatis trahendo Deum in terras.

7 Hortatur ad sustinenda aduersa. *Video, inquis, viam, & cupio ambulare, sed aspera est. Christus transiuit, & adhuc aspera est? tot millia Martyrum transierunt, & adhuc tibi aspera est? transierunt pueri, & puellæ.* huc refero illud ex Philostrato, qui ait, in tranandis fluuijs præcedere prius elephantos paruos, qui si securè transeunt, tunc reliqui alacriter audent sequi grandiores quod referri in primis potest ad sanctos Martyres Innocentes, qui ceteros præierunt: denique sic pulchrè: *Quid mortem temes, qui ad vitam curris? si bonus es, bene curris. mors tibi ianua erit, quæ te præsentet, non quæ te auferat vitæ.* egregium illud de contemnenda morte: *quid mortem times, qui ad vitam curris?*

Mors cōtemnenda post tot millia Martyrū.

Ex Tractatu de charitate.

1 SIc eleganti elogio commendat, ac definit charitatem. *Charitas est recta volūtas, ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita, igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & in quem refertur, incensa, inquinamenti extranea; super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, fructuosa in pœnitentibus, victoriosa in martyribus, operosa in bonis omnibus, &c.* Nota in primis illud, quo excelsam vocat; nam & *superminētem scientiam* vocat Paulus. sequitur. *Hæc in tribus pueris blandos ignes innocenter spectat, in Machabæis sæuos ignes fortiter tolerat; casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum.* eleganter hoc vltimum dictum. porrò blanditum dicit ignem pueris non adurendo; Machabæos autem adussisse pro lege constantes; sed vtrobique vim charitatis adfuisse. Addit illud item elegans. *Inter opprobria secura est charitas, inter odia benefica, inter insidias innocens, inter iniquitates gemeps, in veritate respirans quid illa fortius, non ad retribuendas, sed ad curandas iniurias? quid illa fidelius, non vanitati, sed æternitati? nam ideò tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita.*

Charitatis elogiū elegans, & definitio.

Ex lib. de honestate mulierum.

1 PRæclara hic habet de castitate, in primis illa. *Nemo dicat, fratres, quod his temporibus Martyrum certamina esse non possint; habet enim & pax Martyres suos. nam contemnere iracundiam, mitigare libidinem, fugere cupiditatem, pars est magna martyrij.* Quem non accendat hæc vox? quid enim martyrio præstantius? cupiditatem autem igni comparat. vbi nota, sicut Martyribus ignis, & bestiæ proposita sunt, ita cuique animi passiones. de ira peculiariter ait. *Iracundia mitiganda est, quæ prius nocituris nocet, quàm nocendis*, idest primò pœnam in se sentit iratus, dum æstuat, fremit, &c.

Passiones domare pars magna martyrum est.

2 Libidinem non nisi fuga vincendam dicit, quod sic probat: *Apostolus cum omnibus ceteris vitijs resistendum esse dixisset, ait: fugite fornicationem. igitur contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* ostendit exemplo Ioseph, qui relicto pallio fugit. hoc est pugnare more Parthorum.

Libido perfugam vincitur.

3 Clericos inprimis à mulierū familiaritate deterret, ac sic eos arguit: *Dices: ecce ego, & mulierum extranearū familiaritatem habeo, et tamen castitatis arma custodio. infelix est, & nimium periculosa ista præsumptio. multi enim se putant vincere cum victi sint.* rursus dices. *ego inter mulieres habito, & volo habere quod vincam. quid est volo habere quod vincam, nisi hoc volo habere, quod peream?* acutè satis dictum. Addit. quàm facile sit in hoc decipi. *Vide, ne vnde putabas obtinere triumphum inde æternum incurras opprobrium.* & hęc præclara gnome, quam subiungit. *Inter omnia Christianorum certamina sola dura sūt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria: grauem namque castitas sortita est inimicum, cui quotidiè resistitur & semper timetur.* magni ponderis sunt hæc

Mulieris familiaritas quam plena periculi vel in iustis.

Lazari resuscitatio pœnitentiæ typus.

quasi quadriduanus mortuus putet, sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamauit: Lazare veni foras. cessit voci misericordiæ moles sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. pulchrè per antithesin dictum: Tum respondet obijcientibus, si recipiantur pœnitentes, dari impunitatem. Dicunt nos dare peccati licentiam, quia portum pœnitentiæ pollicemur. at si clauderetur aditus pœnitentiæ, non ne peccator tantò magis sibi desperaret ignosci? vides peccatores tanquã è naufragio tabulæ pœnitentiæ nixos ad portum reduci.

Ex libro de conflictu vitiorum, & virtutum.

1 HVnc conflictũ omni tempore esse dicit, vel in pace. Apostolica vox clamat per Orbem, atque in procinctu fidei positis, ne securitate torpeant; Omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. & ecce quia iam Christianitas in Principibus religiosa, iam que fidelis est; desunt verbera, equulei, carceres, cruces: an fortè pacis tempore nemo vult piè viuere in Christo, & ideo ista desunt? alia ergo intelligenda est immanior & magis noxia persecutio, quam non materialis intorquet seueritas, sed vitiorum gignit aduersitas: dum enim contra humilitatem superbia, contra Domini timorem inanis gloria, contra Mundi contemptum cupiditas, &c. se opponunt, quid aliud quã piè viuentium crudelis persecutio aduersus conglobatas virtutum acies desæuit? ò quàm durus, & amarus est superbiæ congressus, qui Angelos de cœlo deiecit, homines de paradiso. sed videamus quemadmodum castra cœli, & inferni dimicent. Superbia dicit: ceteris melior es, scientia, honoribus, &c. cunctos despice, & te superiorẽ attende. humilitas vera respondet: puluis & putredo es, nunquid tu splendidior in terra, quàm Lucifer in cœlo? &c. quàm densis putamus tenebris in terra superbiæ lutum inuolui, si potuit in cœlo stella, quæ mane oriebatur, lucis suæ globos amittere? eleganti dialogismo ostendit quàm abhorrere debeat mortalis à superbia; & nota acrem virtutum vitiorumque conflictum. addit: Si ille de tanta sublimitate cecidit per superbiam, quomodo tu ad tantam sublimitatem superbiens de imis conscendes, cuius corpus aggrauat animam? quasi dicat: ille natura quasi pennatus ruit; quantò magis tu carne grauatus? Tum pergit pulchrè in dialogismo, per modum conflictus præsertim timoris cum inani gloria, & subiectionis cum arrogantia. Hæc nobis dicit. Te magis quàm illos decuerat imperare, qui tibi non possint ingenio, vel industria coæquari. respondet illa: Scriptum est, qui vos audit, &c. similiter ait de ira, & patientia, & reliquis fusè. sed ille inprimis elegans conflictus, et dialogismus inter amorem sæculi, & cœli. Amor sæculi dicit; Quid pulchrius, aut delectabilius quàm quod in præsenti vita cernitur? ò quàm mirabilis cœli camera in aere iucundo. quàm oblectabilis terra in nemorum floribus, in fructuum suauitatibus, riuulorumque amœnitatibus, in segetum culmis, in vinearum vitibus, in siluarum vmbris, in equorum, & canum cursibus, in ceruorum, & caprarum saltibus, in accipitrum volatibus, in pauonum pennis, in columbarum collis, in domo pictis parietibus, & laquearibus, in organorum, musicorumque instrumentorum cantibus, in mulierum venustis aspectibus, adhibitis etiam auro, gemmis, atque monilibus. cui Amor cœlestis patriæ respondet. Si carcer ita tibi videtur pulcher, patria, & ciuitas, & domus qualis est? Tum concludit. En hostis nostri fortia castra monstraui, quibus modis piè viuentes in Christo non desinit impugnare. sed nondum his contentus diabolus ad alia conuertitur. cum sæpè psallentes atque orantes stridoribus, aut latratibus diuersis & inconditis vocibus, tactis etiam lapidibus, vel stercoribus perturbat, vt à spiritali opere retrahat. Vide quàm impensè diabolo fit inimica oratio, quam non modò tacitè, sed apertè, & visibiliter oppugnat. huc refer quæ Antonio, & alijs sanctis spectra orantibus offerebantur, nostro quoq; Ignatio, cui modò ãguis, modò cerberi specie obiectus. narrat verò auctor quod ipse audierat. Vir quidam religiosus, atque in monastico habitu constitutus, est inaudita tentatione pulsatus, ita, vt malignus spiritus vestimentorum illius particulas immunda colluuione crebrius fœdaret, quæ in tantum erant horrenda, fætida, & noxia, vt pars vestium, quam tetigisset, nulli deinceps esset vsui apta, quanquam fuisset abluta; vt cordis eius immunditia foris ostenderetur; quæ si non erat, nunquid tamen id factum putamus sine causa? est propterea gestum, vt in eo munditiam cordis fœditas illa seruaret, ne hanc callidus hostis inanis gloriæ macula fœdaret, sicut Paulus ne de magnitudine reuelationum tumeret, stimulum carnis accepit. Notabile est sane hoc: nam hinc intellige quid allatura fit in damnatis tot dæmonum fœditas, si vnius tantum potuit: item vide quàm difficilis sit superbia vt sanetur, vel humilitas vt seruetur, cum tã acri remedio sit opus. huc pertinet illud religiosi cuiusdam, qui arreptitius ad tempus esse maluit, quàm superbus.

Persecutio Ecclesiæ non cessat per vitia malorum.

Dialogismus elegans inter virtutem & vitium.

Diabolus fœdis spectris orantes perturbare solitus.

Superbia quantum malum sit

2 Negat non posse quenquam esse perfectum, nisi longè à patria absit. inter ceteros enim, Protasius, & Geruasius in pro-

Virtus à voluntate pendet, nõ à loco

modo vel à malæ vitæ doctoribus bona capi possint, quæ tamen illis extrinseca sunt, non à radice charitatis. caue ne te spinæ compungant, bonum quidem discretè collige.

Sacra scriptura deliciæ cordis.

4 Ad sacræ scripturæ lectionem inuitat, explicans illud prophetæ. *Pascam eas super montes Israel. constituit montes Israel autores scripturarum diuinarum. colligite vos ad montes scripturæ sanctæ. ibi sunt deliciæ cordis vestri. nihil ibi venenatum, vberrima pascua sunt. ab his montibus manauerunt riui prædicationis euangelicæ.* Vide quàm iucunda lectio sit sacræ scripturæ: *ibi sunt deliciæ cordis nostri. ibi vberrima pascua sunt.* sed montes sunt, ascensu opus est ab imis ad supera.

5 Exponit illud prophetæ: *Perdix cõgregauit quæ non peperit; faciens diuitias suas non cum iudicio. perdix illa à quibusdam diabolus intellectus est, congregans quæ non peperit, non enim ille creator; faciens diuitias suas non cum iudicio: non curat isto, ve alio modo errent. sed quid sequitur? in dimidio dierum eius derelinquet eas, & in nouissimis suis erit insipiens. de diabolo dicitur: Serpens erat sapientior omnibus bestijs, idest astutus, & acutus ad decipiendum, postea non ei creditur; & dicitur ei; renunciamus tibi; sufficiat quod incautos primò decepisti. ergo erit in nouissimis suis insipiens, apertæ erunt fraudes eius.* rectè diabolum perdicem interpretatur, nã aiunt oua aliena parere, sed pullos exclusos, aliena perdice relicta, ad matrẽ suã currere: quod nos agere debemus quondã à diabolo abrepti, vt ad Dei vocem idest inspirationem recurramus. Idem perdicem dicit hæreticum: *Existat aliquis hæreticus, diaboli adiutor, & filius, & ipsum dixerim perdicem, contentiosum animal. hoc enim animal, vt aucupes norunt, etiam contendendi studio capitur. contendunt & hæretici contra veritatem.* seducti igitur ab hæreticis audita voce matris Ecclesiæ accurrant.

Diabolus perdici comparatus ob astutiam. item hæreticus.

Ecclesiã Donatistæ solùm apud se in Africa collocabant.

6 Exponit locum illum Cant. *Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Donatistæ pro meridie Africam intelligebant, & ibi esse veram Ecclesiam putabant. primò sic refutat: *Possem obtinere, magis Mundi meridiem esse Aegypti partes, & illas exustas Sole regiones, vbi pluuia non apparet; quia ibi est meridies, vbi feruet medius dies; ibi autem eremus plena millibus seruorum Dei; vnde si ad meridiem locorum velimus aduertere, quare non pascat magis ille, & ibi requiescat, quod ante prædictum est, Vbera erũt deserta eremi.* refer hoc ad Antoniũ, qui Aegypti deserta loca impleuit Monachis, vbi dulcedine contemplationis lac sugebant, iuxta illud Oseæ: *Ducam eam in solitudinem, ibi lactabo eam.* idem locus ob feruorem spiritus meridies dici poterat; itaque mox addit: *Audi quid intelligam per meridiem, intelligo feruorem spiritalium flagrantem igni charitatis, splendentem lumine veritatis.* spectat igitur hoc ad quosuis religiosos; inter hos enim pascit Christus, si sint, vt ait Apostolus, *spiritu feruentes.* Tandem contra ipsos interpretatur iuxta quod aiebant de Africa: *Sed ecce consentio. Africa sit meridies. abũdare, inquit sponsa, audio hæreticos in meridie. esse autem ibi tuos non minus audio. sed qui sint tui, à te volo audire; Annuncia mihi, &c. tu mihi dic quò eam, ne fortè dũ vmbracula in meridie quærunt pastores, velut operta, idest ignota fiam super gregem sodalium tuorum, & incurram in greges hæreticorum. seuerissimè, non blandè respondet sponsus pro magnitudine periculi; Nisi noueris te ipsam, ò pulchra inter mulieres. vbi te agnosces? in toto Orbe terrarum: si enim pulchra, vnitas est in te, vbi diuisio fœditas est:* Vide vbi sit posita pulchritudo Ecclesię, in vnitate scilicet fidei, quæ non in Africa, sed vbique locorum est. & rectè notat, sponsam blandè allocutam sponsum, sed hunc seuerè, vt cautam de periculo faceret; Nisi noueris te, &c. sequitur. *egredere, &c. hoc est aut cognosce te, aut exi. exitura est, quò? in vestigijs gregum, sequendo malos greges. & pasce hædos tuos, iam non oues. contra Petro dicitur: pasce oues meas.* seuera vox, quam & religiosus præsertim è nostra Societate notet: *aut cognosce te, aut exi.* indignus scilicet tam præclaro statu repelleris, nisi virtutis præstantiæ respondeas.

In meridie hoc est in feruore spiritus habitat Christus.

Cognitio sui status quàm necessaria sit.

7 Arguit item Donatistas male interpretantes veram Ecclesiam esse solùm in Africa. *Propheta ait; Deus ab Africo veniet. & iam vbi Africus? vtiq; Africa. ò testimonium. Deus ab Africa veniet. alterum Christum in Africa nasci, & ire per Mundum hæretici annunciant. at nouimus vbi sit natus Christus, vbi passus, &c. dic totum, & fortasse intelliges quid sit: Deus ab Africo veniet; & Sanctus de monte vmbroso. tu mihi expone: si iam ab Africa, quomodo de monte vmbroso? de Numidia nata est pars Donati. sed vnde mons vmbrosus in Numidiæ partibus? inuenis nuda omnia. pingues quidem campos, sed frumentarios, non oliuetis fertiles, non nemoribus amœnos.* acutè arguit, non intelligi de Africa, seu Numidia, quia nullæ ibi vmbrosæ arbores, & montes nemorosi. itaque sic locum interpretatur. ab Hierusalem cœpta est prædicatio. at in libro Iosue dicitur. *Iebus de Africo, quæ est Hierusalem. & Dominus incipientibus ab Hierusalem, hoc est Deus ab Africo veniet. Sed quomodo à monte vmbroso? quia de monte Oliueti Christus ascendit*

Hæreticorum astutia in exponenda scriptura.

dit in cœlum. Sequitur: Cooperiet montem umbra eius, & gloria eius plena est terra. nimirū hoc est quod dicit: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. rectè astutiam carpit hæreticorum, qui non totum textū scripturæ citant, sed quod videtur pro se facere. sic Diabolus citauit illud tantùm: *In manibus portabūt te, &c.* tacuit reliqua: *conculcabis leonem, & draconem.* Tum nota de monte vmbroso, hoc est oliuarum.

8 Arguit Donatistas, qui veram Ecclesiam in Africa apud se statuebant, eò quod Simon, qui tulit crucem Christi dicatur Cyrenensis, Cyrene autem sit in Africa. *Vbi sit Cyrene fortè nescis? Libya pētapolis est, contigua est Africa; ad Orientem magis pertinet. vel in distributione prouinciarum Imperatorem cognosce, nam Imperator Orientalis mittit Iudicem ad Cyrenæos.* igitur primò ad Orientem potius pertinet. secundò in Pentapoli est, vbi non sunt Donatistæ. Deinde sic lepidè irridet. *Sed securi irrideamus flendos, & fleamus irridendos: Afer fuerit Cyrenensis; beatum putas, quod angariatus crucem tulerit? quātò melius fortè diceret, quis in Arimathia remansisse Ecclesiam Christi? quia Ioseph ille diues ab Arimathia non angariatus, non coactus venit ad crucem Domini; & cum ceteri formidarent, petiit à Pilato sepeliendum corpus Domini.* pulchrè arguit. & vide differentiam in cruce Christi portanda, quod ad religiosos in primis pertinet, ne ægrè ferant. Tum acutè perstringit: *At si magis vos delectat angariatus, idest qui cogitur tollere crucem, rectè igitur faciunt Imperatores Catholici, qui vos cogunt ad vnitatem.* Vides zelum veterum Imperatorum aduersus hæreticos, quem zelum & Ferdinandus Augustus hoc tempore magna cum laude præsefert, ac ceteri catholici reges, ac dynastæ.

Ioseph Arimat. Simeni Cyren. prælatus circa crucem.

Ex homilia de ouibus.

1. EOs arguit, qui Dei patientia abutuntur. *Dicit Deus per prophetam: Tacui: nunquid semper tacebo? sed quomodo tacuit, cum hoc ipsum loquendo dixerit? qui dicit, Tacui, non tacet, quia hoc ipsum dicere, Tacui, non tacere est. sed loquitur in præcepto, tacet in iudicio. nondum dicit; Ite maledicti, &c. vltimam sententiā, quam dicturus est Iudex in tabella de scripturis manu sua, vltra quam sententiam nihil iam iudicaturus est, partes non audiunt: illis foras exeuntibus scribitur. attonitæ sunt ambæ partes atque suspensæ, contra quam, vel pro qua sententia illius procedat. magnum secretum Iudicis, vnde & secretarium nominatur. magnus timor eorū qui in causa sunt. quid ille cogitet, & quid scribat, ignoratur, & homo est.* Nota primū acutè animaduersū, cur dicat, Tacui, quia arcanum est, quod iudicaturus est. Tum vide, quàm formidolosum sit nescire quæ in nos pronuncianda sit sententia à Iudice Deo; cum vel hominis tribunal tam formidolosum sit. *Attonitæ sunt ambæ partes, atque suspensæ, &c.* quò sit res euasura.

Dei Iudicis incerta sententia quam suspensos nos tenere debeat

2 Dei pietatem exaggerat in comminando per monita. *Nemo ante dicit, damno, qui vult damnare; nemo ante dicit, ferio, qui vult ferire; magna ergo lenitas, magna misericordia. sed non abutamur eius patientia ad nostram nequitiam. ignoras, inquit, Apostolus, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? hanc patientiam taciturnitatem vocat. tacui, nunquid semper tacebo? loquitur qui tacet, dū monet nos.* ad hanc Dei pietatem refero illud exodi: missurus enim grandinem horribilem, monet per Mosen Pharaonem, vt boues, & armēta in tutò ponat. quo indicabat, nolle ve plagam acciperet. *Nemo ante dicit, ferio, qui vult ferire,* huc spectat illud: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.*

Deus præmonens minis, ostendit se ægre punire.

3 Iudicium malis metuendum; bonis optandum dicit. *Hunc Iudicem nullus aduersarius corrumpit, nullus aduocatus circumuenit, nullus testis illudit; sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali. non talis iudicat, cui aliquid abscondatur. nunquid enim Deus iudicans quæsiturus est testes, per quos discat, quis sis? vnde potest falli, quis sis, qui nouerat quid esses futurus? te interrogat, non alium de te, Dominus, inquid, interrogat iustum, & impium.* acutè dictum. non ignorat Deus quis sis, qui præcognouerat quid futurus esses, nō ergo indiget testibus. Tum ostendit iudicium bonis fore auspicatum. *Sic agamus, vt eius iudicium non timeamus, sed desideremus; nunquid enim frumenta timent ne mittantur in horreum? immò optant vehementer. &c.* huc refero illud Iob de iusti morte: *Ingrederis in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.* Addit. *boni ex animo, & tota sinceritate dicūt cum orant: Adueniat regnum tuum; mali verò hominis in his verbis & cor trepidat, & lingua titubat.* quia ille mercedem expectat, hic pœnam formidat. vide quàm ponderanda sint verba dominicæ orationis; quantumque in se contineant momenti tres voculæ.

Iudicium malis infaustum bonis faustum.

4 Ad inimici dilectionem hoc pertinet. Dicitur in oratione dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Voluit enim Deus sic te esse debitorem, vt habeas debitorem. peccando quippe, inimicum te facis Deo; sed attende, ne & tu habeas inimicum.* Vide cur per-

Cur Deus debitorē se faciat.

permittat Deus nos habere debitores, vt scilicet sit in quo ipsum imitemur condonando.

Scrupuli statim cōfitēdi præsertim ante communionem.

5 Confessionem statim post peccatum faciendam dicit. *Hodie ineſt ſcrupulus, hodie ſit confeſſio, hodie renuncietur ſcrupulo, hodie dimittatur. vtique ſi eſſet in domo tua lapis offendens oculos tuos, iuberes eum auferri de medio, maximè ſi aliquem paulò maiorem hoſpitem recepturus eſſes.* scrupulus dicitur paruus lapis ipse, in quem offendimus. innuit igitur, præsertim ante Eucharistiam, omnem scrupulum tollendum vel leuem per confessionem, vt prorsus mūdum sit hospitium.

Suspicio mali auferenda etiā si consciētia bona sit.

6 Suspicionis causam tollendam dicit, etiam si non tibi sis conscius mali. *Quid prodeſt quia venter conſcientiæ tuæ hauſit aquam puram, & alter de tua negligentia conuerſationem bibit turbatam? nō poteſt homo intrare in conſcientiam tuam, quam nouit Deus.* rectè admonet, inanem esse excusationem de bona conscientia; nam quid intus sit, Deus tantùm videt. homo quod foris est, videt. cū autem ait Paulus: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* hoc dicit, cum nulla ex causa quidem temerè suspicantur.

Ecclesia super omnem terram sicut Christus super omnes cœlos.

7 De Ecclesia, non in Africa tantùm, sed vbique terrarum diffusa sit. *Ait propheta: Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua: de Chriſto resurgente, & aſcendente dictum eſt. ſponſus eſt ſuper omnes cœlos, ſponſa ſuper omnem terram. O hæretice credis quod in cœlo non vides, & negas quod in terra vides?* acutè perstringit; facilius enim credi solet quod videtur. arguit igitur à pari: sicut Christus est super omnes cœlos, ita Ecclesia super omnem terram: cur hoc negant, quod euidenter apparet, si illud creditur quod solum fide constat.

Christus latus orbis possessor.

8 Exponit illud Ezechielis: *Excitabo ſuper eas paſtorem vnum, & paſcet eas. Iam Dauid de vita iſta exierat; igitur loquitur de Chriſto, qui ex ſemine Dauid. Sed cur Deus paulò ante dixerat: Ego paſcam; modò dicit, Ipſe paſcet? reſpondeat filius: Ego, & pater vnum ſumus.* acutè ostēdit æqualitatē personarū: tum pulchrè de huius pastoris pascuis. *Vide quemadmodum latè paſcat: In nomine, inquit, Ieſu genu omne flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. ad quam anguſtam partem latum poſſeſſorem vanitas hæretica impingis?* in Africam tantùm videlicet. pulchrè Christus appellatur, *latus poſſeſſor*, præsertim hoc tempore, quo accessit possessio etiam noui Orbis Indici, vltra Oceani fines abditi, atque abstrusi.

Hæreticis cur vetitū condere testamenta.

9 Meritò ait, à catholicis Imperatoribus hæreticorum testamenta irrita fieri, cum ipsi pacem Ecclesiæ, quæ eius testamentum est, perdant. *Ait per prophetam. Diſponam ad eos teſtamentum pacis. iraſcimini Chriſtianis Imperatoribus, qui teſtamenta veſtra valere noluerunt in domibus veſtris. videte quàm digna ſit pœna: voluit Dominus compati teſtamento pacis ſuæ. condoles tu teſtamento tuo, & certè moriturus es; & quid agatur in illa domo, neſciturus; Chriſtus de cœlo reſpicit, vt ſtet teſtamentum eius, qui dixit: Pacem meam relinquo vobis. euigila ex dolore tuo. ligno malè curuo noſti calorem exhiberi: corrigat te dolor in te, nondum eſt flamma ignis æterni. tanquam calor foci admotus eſt curuo cordi tuo, vt hinc admoneatur, & corrigatur. domus Dei cor tuum eſt. de tecto ruituro quantam curam habes? anhelans verba extrema, vt impleas teſtamentum, quot iuriſperitos conſulis, &c? ait Deus: Vis ſtare teſtamentum tuum, ſtet in te meum.* Acutè adnotat, pœnam correspondere peccato: vbi nota zelum religionis, Imperatoris proprium. tum vide vt pœna temporalis non damnatio sit, sed admonitio; quod eleganti similitudine baculi curui ostēdit, qui lēto igni mollitus fit rectus: ita cor per æstum pœnæ temporalis.

Punitio temporalis ad correctionem facit.

Bestiæ calami hæretici sunt.

10 Explicat illud psalmi: *Increpa feras calami.) Quid eſt feras calami? beſtias aduerſarias ſacræ Scripturæ, quia calamo ſcripta eſt.* egregia adhortatio ad doctores Ecclesiæ, & nostri quoque temporis theologos, vt impugnent hæreticos, contra scripturam irrationabiliter disputantes, & insipienter deprauantes. huc refert illud Ezechielis; *Ponam ad eos teſtamentum pacis, & exterminabo beſtias malas à terra.* præclara laus est in hoc genere Ferdinandi Augusti, & aliorum principum Catholicorum. maius hoc quàm vel Nemeæos leones, vel Erymantios apros confecisse.

Interior eremus est bona conscientia quiete fruēs.

11 Pulchrè exponit illud eiusdem prophetæ. *Et habitabo in eremo in ſpe, in ſolitudine.) hoc eſt intus in conſcientia. magna ſolitudo, quia non ſolùm nullus hominum tranſit. ſed nec videt. ibi habitamus in ſpe, quia nondum in re, etenim totum quod foris eſt noſtrum, fluctuat tempeſtatibus, tentationibus ſæculi; ſed eſt interior eremus, vbi nemo hominum videt, vbi requieſcimus in ſpe quia tranſit hæc omnis tribulatio; & quæ ſpes erat, fiet res: in qua intus eremo ſunt riui quidam memoriæ manantes; liquores diuinos ſcaturientes, ex mente ſcripturam tenentis, & recolentis, etenim quod legiſti, aut audiuiſti, ſi purum & liquidum memoriæ mandaueris, cum cœperis in illa interiore eremo, id eſt in bona conſcientia requieſcere, eliquatur de interioribus*

mentis tuæ, & manat quodammodo recordatio verbi Dei; & dicis: bene mihi est; promisit Deus, non mentitur, & ista securitas somnus est in riuis. & somnum, inquit, habebunt in riuis, & dabo eis in circuitu collis mei benedictionem. collis Christus est, lenis, non arduus. sequitur: & deferam imbrem in tempore suo, imbrem scilicet benedictionis. elegans hic locus est de bona conscientia, quam deserto, sed non inaquoso, immò scatebris amœnissimo, desup cœlesti quoque imbre perfuso, comparat; quod ad religionis statum maximè pertinet; præsertim cum remoti ab omni alia cura S. Ignatij asceteris exercemur intra nos collecti: *est interior eremus, ubi requiescimus, &c.* sed ne alij excludantur, addit: *Et vide quid profecit ille imber: & ligna, inquit, in planicie, qualis est vita multorum fidelium habentium coniuges, filios; domos, velut in campo sunt ligna. arduum nihil ascendere valuerunt, sed accipiant imbrem, dabunt & hæc ligna fructum suum.* Nota discrimen inter vxoratos, & castos, seu religiosos: illi velut in campo fructificant, hi velut in colle altius eleuato.

Seculares boni campo fructifero, religiosi cœlo obeminē̄tiā comparati.

12 Quemque in omni statu saluari posse docet. *Lux ista certè corporea de cœlo fulget, circumit de loco in locum, omnium oculi pariter ea possident. dicat pauper: Deus meus, dicat diues: Deus meus. nolite perturbari diuersitatibus temporalibus vestris. ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei. & vos, inquit, greges mei, homines estis, & ego Deus vester. O beatos nos tali possessione, & tali possessore. nam possidet nos, vt possideamus illum. possidet nos, vt colat nos. possidemus illum, vt colamus illum. sed nos tanquam Deum colimus, ille nos colit tanquam agrum.* pulchrè ludit in verbo colendi duplicis significationis. pietatem solari luci comparat patenti cuique. cetera affectum continent, vbi vera beatitas ostenditur, si possideamus Deum, & possideamur à Deo.

Vera felicitas possidere Deū & possideri à Deo.

Ex libro I. de Symbolo fidei.

Symbolū fidei quando pronū ciandum.

1 Symbolum sic commendat. *Fidei regulam, quod symbolum dicitur, in corde scribite, & quotidie dicite. antequam dormiatis, antequam procedatis, symbolo vos munite.* Rectè indicat, cum cubitum imus, esse pronuntiandum: est enim ipse somnus imago mortis, vt cum eo fidei signo nos occupet. cum domo eximus ad negotia pronunciandum, vt fides fundamentum sit operationum.

2 Baptismi ritum explicat. *Ideo paruuli exsufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis potestas inimica diaboli, qui decepit hominem vt possideret hominem.* pendè verba, nam Deiparam per originale peccatum possessam à diabolo dicere oporteret; at ipsa dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* quid ex ea male exsufflandum, in quam Spiritus sanctus afflauit?

Ex sufflatio in baptismo quid denotet.

3 Christi exemplum sic proponit. *De cruce quid loquar? extremum mortis genus elegit, ne aliquod genus mortis eius Martyres formidarent. ostendit in cruce quid tolerare, ostendit in resurrectione quid sperare debeamus. prorsus tanquam agonotheta summus dixit: fac, & tolle: fac opus, & tolle præmium: certa in agone, & coronaberis.* elegans planè hortatio tanquam in athletico certamine Christi ad nos tanquam agonothetæ, hoc est præmia proponentis. Tum locum Iobi exponit: *Scriptura dicit: Patientiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Iob quanta pertulerit, legitur, & horretur, expauescitur, contremiscitur; & quid recepit? dupla quàm perdiderat. ergonè propter temporalia præmia velit habere patientiam? at iam non esset patientia, sed auaritia. non dixit: potest iterum dare, qui abstulit, potest plura reuocare, quàm tulit. sed dixit: Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Nota primò, cur crucem ad mortem Christus elegerit, intuitu scilicet Martyrum. facit hoc in primis ad crucifixos, cuiusmodi tres illi primi nostri Iaponici. & illud acutè dictum: si præmium à Deo in terra speratur ex labore, non est patientia, sed auaritia. Deinde ostendit, cur in remuneratione Iob non etiam filij duplicati sint: *Dices, Iob tot filios genuit, quot extulerat: non ergo dupla sunt. prorsus dupla sunt, quia & illi viuebant.* acutè notatum pro immortalitate animæ. Denique exponit illud: *& finem Domini nouimus. quem finem Domini? Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? verba sunt Domini pendentis in ligno: quasi reliquit illum ad præsentem felicitatem, sed non ad æternam immortalitatem.* acutè adnotat. non proponit finem Iob, sed Christi, quia Iob feliciter postea vixit, at Christi tota vita perpetua patientia fuit. *in laboribus à iuuentute mea.* vertunt alij. *expirans à pueritia.* anhelans scilicet ad crucem pro nobis sustinendam.

Cur Christus crucis supplicium elegerit.

Cur pro exemplo Christi finis, non Iobi proponatur.

De

Tribus modis peccata delentur Baptismo oratione pœnitentiæ sacramento.

3 De oratione sic. *Propter omnia peccata baptismus inuentus est. propter leuia, sine quibus esse non possumus, oratio. semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione. tribus enim modis dimittuntur peccata in Ecclesia: in baptismate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ.* magna collatio baptismi cum oratione: certè vtrobique abluimur, ibi aqua, hìc lacrymis. Videtur autem ostendere orationē dominicam, *Dimitte nobis, &c.* tollere peccata leuia: *Si leuia peccata ipsorum essent, hæc quotidiana oratio delendo sufficeret.* Vide quanta vis sit in his verbis. sed ille delet qui dolet.

Ex lib. II. de Symbolo fidei.

Cathecumini initiādi nudis pedibus & substrato cilicio

1 AD cathecumenos hæc pulchrè habet. *Nondum quidem per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in vtero sanctæ matris Ecclesiæ iam concepti estis. quid est quod hac nocte circa vos actum est, vt ex locis secretis producereminì in conspectu totius Ecclesiæ, ibique ceruice humiliata, quæ male antea fuerat exaltata, in humilitate pedum, cilicio substrato, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur diabolus superbus, dum super vos inuocatus est humilitate altissimus Christus.* Nota ritū, vt per humilitatem fieret introitus fidei; prona ceruice, nudis pedibus, & cilicio substrato: vt discerent, à fastu, & à delicijs, ad demissionem & pœnitentiā se vocari. his addit. *Purgata itaque familia redemptoris, postquam cantauit canticum salutis, accipit symbolum, vt nouerit insidianti diabolo cum crucis vexillo occurri debere, vt talibus armis indutus vincat is, de cuius oppressione male antea ille triumphauerat.* Notabile est quod ait, per originale peccatum, *de nostra oppressione diabolum triumphasse.* horreo dicere, Deiparam aliquando ante triumphalem diaboli currum ductam fuisse captiuam, & catenatam.

Baptismus quasi militare facramentum.

2 Militaris quasi professio per baptismum facta ostenditur. *Videte quia professionem hanc vestram in curiam profertis Angelicam; nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cœlitus potestate. optimi iam tyrones, fortes milites pugnam aduersus diabolum indicitis, &c.* huc spectat sacramentum illud militare: quod à militibus fiebat Imperatori securi ceruicibus intenta, quod & religiosam vitam profitentibus conuenit, quasi pro Christo morti deuotis.

3 Aduersus tentationes sic munit. *Duo sunt genera armorum diaboli valde fortia, contra quem fortiter stare debet miles Christi, qui triumphare cupit: voluptas, & timor: alios enim voluptate capit, alios timore frangit. confirmetur igitur acies nostra. proferantur arma spiritualia; contra timorem diaboli adsit timor Domini castus; contra voluptatem non desit orationis fides.* Tota spes Satanici triumphi in his duobus armis est posita. rectè admonet, vt ijs opponamus alia. timor Dei contra timorem mundanum est; oratio contra voluptatem: nimirum nihil oratione gratius. huc spectat quid sequitur.

Præcipua arma diaboli voluptas & timor, quibus opponuntur oratio. & timor castus.

4 Eleganter, ac pulchrè auocat animam à theatricis spectaculis ad spectacula diuinorum. *Plures capit aduersarius per voluptatem quàm per timorem, nam quare quotidie muscipulam spectaculorum, insaniam turpium voluptatum proposuit; nisi vt his delectationibus capiat quos amiserat? fugite spectacula, fugite caueas turpissimas diaboli; sed si oblectandus est animus, & spectare delectat, exhibet vobis sancta mater Ecclesia salubria spectacula, quæ mentes oblectent. amator est quispiam Circi? quid delectat in Circo? aurigas videre certantes, populos insana furia anhelantes, Celerem præcedentem, aduersarij sui equum frangentem. ista est omnis delectatio: clamare quia vicit, quem diabolus vicit. exultare, & insultare, quod aduersa pars perdiderit equum carnis, qui tali spectaculo delectatur, perdiderit animum. valdè è contra nostra sancta, sana, suauissima spectacula. intuere in libro Actuum Apostolorum claudum ex vtero matris, quem Petrus fecit currentem, vide subito sanum, & si in te est sanitas mentis, vide vbi debeas spectare, vbi debeas exclamare; illic vbi equi sani franguntur, an hic vbi homines fracti saluantur? sed si te pompa illa, figura ea equorum, compositio curruum, ornatus & aurigæ superstantis, equos regentis, vincere cupientis: si hæc, inquam, te pompa delectat, nec hanc tibi denegauit, qui pompis diaboli renunciare præcepit. habemus & nos spiritalem nostrum aurigam, sanctum prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ super impositus tantum cucurrit, vt metas prenderet cœli. & si aduersarios, quos vera virtus vicit, videre desideras, currus Pharaonis, & omnem exercitum eius proiecit in mare.* elegans collatio, & pulchra de aurigarum cursu ad metam. & illud rectè admirandum, & iucundum spectaculum dicit, de Eliæ igneò curru ad cœlum: Circensium aurigarum factionibus qua nobilius; item de equitatu Pharaonis vi-

Voluptas præsertim theatrica præcipuū telum diaboli.

Eliæ aurigatio præfertur factionibus aurigarū circensibus.

victo. Tum cetera quoque theatralia spectacula impudica perstringit. *Illic intuentur spectatores nescio quem confictum Deum Iouem adulterantem; hic aspiciemus verum Deum Christum, castitatem docentem, immunditiam destruentem. hic prædicamus sanctam Mariam matrem simul, & virginem. illic stupor ingerit visui ex vsu hominem in fune ambulantem, hic magnum miraculum, Petrum mare pedibus transeuntem.* pulchrè Petri spectaculum super aquas præfert funambuli spectaculo: affert & alia pulchriora spectacula quàm in Circo, vt Iosephi à domina fugam, & Susannæ factum, &c.

Impudica specta cula taxã tur.

Deipara mater & virgo magnũ spectaculum

5 Pergit præponere spiritales delectationes terrenis, nam inter cetera theatri spectacula. *Scandalistarum illic quis fortè peritiam admiretur, videre paruulos in aere ludentes, diuersas bifortas exhibentes; sed videte nostrorum lusus infantium. in vtero Rebeccæ duo ludunt infantes, procedente maiore, minoris manu emissa ex vtero, planta maioris apprehensa est. in quorum certamine magni sacramenti figura monstrata est. Iacob vnus paruulus multos in se prædestinatos domonstrabat infantes, qui ex vtero matris suscipiuntur manibus fidelium, nec eos sic excutiunt, vt in aere pendeant; sed vt renati in cœlo viuant. his igitur oblectamentis mens delectetur, &c.* Nota de ludo puerili theatrico, quo paruuli excussi in aerem ludebant; quibus pulchrè opponuntur paruuli, exceptorum manibus in baptismo tanquam in cœlum elati.

Pulchra in baptismo spectacula exhibentur.

6 Rursus theatrales ludos, & cantus carpit. *Chorus illic, & cantio Pantomimi illicit auditum, sed expugnat talem affectum: & quid tale nostro cantico comparandum sit? in quo dicit qui amat, & cantat; Narrauerunt mihi peccatores delectationes suas, sed non vt lex tua. Domine, omnia mandata tua veritas: nempe illic vniuersa fingit vanitas.* rectè opponit carmina profana, in quibus fabulæ fictæ canuntur, sacris carminibus, quæ veritatem continent. aptè vulgata habet *fabulationes.*

Profanis canticis opponuntur nostra

7 Item pulchrè ferarum in amphitheatro certamen postponit spectaculis sacris. *Nec amphitheatri spectacula te deducant, aut pertrahant. quid ibi non cruentum ingeritur aspectibus? vbi, vt ait beatissimus Cyprianus, voluntas noxia ad feras homines nullo crimine damnat. non ergo vos illud spectaculum crudele inuitet, intueri nouem vrsis duos altercantes venatores, sed delectet videre vnum Danielem orando superantem septem leones: discerne spiritalis amator certamina, &c.* Tum per antithesin confert. *In illo spectaculo contristatur editor, si venator euadat illæsus, qui ei plures bestias interemit: in isto nostro sine ferro pugnatum, nec Daniel læditur, nec fera occiditur; & sic vincitur, vt rex miretur, atque mutetur, & inimici dispereant. admirabile planè spectaculum nostrum, in quo innocentia pugnat, sanctitas vincit, &c.* Vide Danielem tanquam in amphitheatri cauea præclarum de se spectaculum dantem inter leones. quod & Martyribus sæpè accidit, vt Agapito adolescenti, &c.

Dauid inter leones iucũdius spectaculum quã theatrale cum bestijs

7 Exponit illud symboli: *Patrem omnipotentem.) Omne quod est, ab illo est, ipse autem à se ipso; fecit facta non factus. creauit creaturam non creatus. potest rex dici potens, at non omnipotens. nam si omnipotens est, non moriatur, non excludatur à morte.* Addit hoc attributum singulis tribus personis conuenire. *Dictus est pater omnipotẽs per prophetam: Hæc dicit Dominus omnipotens; dictus & filius per Ioannem: De Iesu Christo, qui est, & qui venturus est omnipotens; dictus & Spiritus sanctus per Salomonem: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &, is qui continet omnia, scientiam habet.* Vide vt omnipotentia propria Dei sit. ita & Iudicis nomen etiam Spiritui sancto competere ait. *Ille arguet Mundum de iudicio, &c.* vbi nota dictu mirum, Spiritum sanctum Iudicem appellari, etiam si paracletus, hoc est consolator, & aduocatus sit. hinc puto factum, vt propheta cum de aduentu Spiritus sancti sic loquatur: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c.* quid hoc promisso suauius, aut iucundius? sed statim subiungit: *Dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum; sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, Luna in sanguinem.* quid horribilius? nempe apud Spiritum sanctum est & solium misericordiæ, & tribunal iustitiæ. apparuit in columba, sed idem & in igne præterea perstringit Arium, quod diceret filium patre minorem. *Video, hæretice, quò strabis oculis intendas. scriptum est: Pater omne iudicium dedit filio. maior est, inquis, qui dat, quàm qui accipit.* at accepit secundùm quod homo est. meritò hæreticos vocat, *strabis oculis*, hoc est distortis, ac deprauatis, qui tamen se putant lynceos.

Omnipotentia Dei propria.

Spiritus sanctus iudicio præest.

8 Exponit illud. *Natus de Maria Virgine.) Mirabatur ipsa mater in aspectu suæ prolis, quam amplexus non strinxerat maritalis. audi illud impletum: Mater*

Sion,

Deiparę gaudium in amplexu filij ex virginitate illibata.

Sion, dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. quæ est gratia matris huius, quæ virum nesciens, filium portat? quæ est gratia, audire Gabrielem Angelum eam salutantem? sic legit, vbi vulgata. *Nunquid Sion dicet; homo &c.* vbi nota pro Conceptione Virginis, hoc enim fundare est, seu iacere fundamētū, vocari in hoc Deū, *Altissimū*, quo epitheto satis declarat, eā ab omni humilitate, & abiectione peccati originalis liberā creasse; nam quid abiectius, & altitudini cōtrarium quàm diabolo subijci seruam? pulchrè autem indicat, Deiparam in charo amplexu Dei filij peculiariter lætatam, quod ipsam matrem fecisset seruata virginitate.

9 De Christi natiuitate sic pulchrè. *Ecce quem portat, nascitur. non dum loquitur, & totum concutit Mundum. clamat cœlum noui sideris radians fulgore. quærunt Magi, vbi est, qui vbique totus est? quæritur in Mundo fabricator Mundi, & quæritur vt occidatur. O Iudęorum tellus impia, non congruis cœlo. cœlum demonstrat, vt adoretur; tu quæris, vt adhuc infans necetur. expecta paululum. ad hoc quidem venit, vt tuam pessimam impleat voluntatem, sed sustine vt suam ipse colligat hæreditatem. collige, collige Redemptor, non glorietur dispersor. paruuli ipsorum pro te moriantur, quanquam non illi moriuntur, qui à vita suscipiuntur. vobis irrogatur pœna orbitatis, sed illis gloria offertur immortalitatis.* eleganter de Innocentibus, quibus nex veram cessit in vitam. elegans est & illa apostrophe: *tellus impia non congruis cœlo*; nam hoc dominum manifestare conatur, illa perdere. quod autem clamare cœlum dicit, alibi stellam dixit linguam cœlorum.

Impietas Herodis in Christo quęrēdo ad necem.

10 De inuento Christo in templo sic. *Nescitis, inquit, quia oportet me in his, quæ patris mei sunt, operari? quando talia mater à filio puero audiuit, corde expauit. non enim patrem nominabat ille, quem nesciebat in terra, sed illum, qui fecit cœlum, & terram.* Vide quantus hic erat, ad cuius paternum nomen ipsa virgo mater expauit. discant parentes, cum filij in religionis ingressu, Dei, qui verus est parens omnium, aiunt iussa se velle facessere; ad tantum nomen expauescere, ac manus dare.

Christus inuentus in templo.

11 De nuptiali conuiuio sic. *Quid mihi, & tibi mulier? nō dum venit hora mea.) quasi diceret: veniet hora quando id, quod natum est de te, in cruce pendens agnoscat te, & discipulo dilecto commendet te. in hoc autem miraculo quid mihi, & tibi? non hoc processit ex te, sed in eo, qui fecit te. non competit tibi, vt iubeas Deo.* acutè indicat cur in hoc facto nō declarauit matrē, sed in cruce, cum sibi filio substituit Ioannem: quia nimirū in cruce id patiebatur, quod ab ipsa acceperat, caro, vt homo erat, hic autem operabatur vt Deus. Tum Deiparam ipsam hac in re sic eleganter commēdat. *Sed pia mater, quæ non asperè tulit admonitionem filij dicentis; Quid mihi & tibi? videat in ceteris miraculis Deum operantem, quem intuebatur filium adolescentem; videat cæcorum illuminationem, claudorum cursus, surdorum auditus, dæmonum fugas, & quod maius his omnibus, mortuorum resurrectionem.* rectè ostendit, illud Christi responsum ad speciē asperum, redundare in Deiparæ gaudium, quod filiū patre Deo natū haberet, tā mira operantem.

Cur in conuiuio Christus non matrem declararit.

12 Eleganter item eamdem Deiparam de filij nuptijs cum Ecclesia sponsa laudat. *Quid restat iuueni, nisi vt procedat velut sponsus de thalamo suo? accipiat sponsus sponsam, quæratur, inueniatur, cui coniungatur. qualis est, de qua natus est, talis inueniatur, idest quæ matrem reddat fœcundam, & Virginem seruet intactam. ascendat sponsus thalami sui lignum, & lectum. dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & statim manauit sanguis, & aqua: aqua, in qua sponsa est purificata; sanguis, ex quo inuenitur esse dotata.* Vide quam sponsus pro sponsa dotem dederit, sanguinem suum, cum inops esset sponsa, nec de suo dotari posset. Tum pulchrè has nuptias commendat. *O magnum huius coniungij sacramentum. de sponso sponsa nascitur, & vt nascitur, statim illi coniungitur; & tunc sponsa nubit, cum sponsus moritur; & tunc sponsæ iungitur, cum à mortalibus separatur, cœlos ascendens; & tunc illa fœcundatur. quis est iste sponsus absens, & præsens, & latens? quis est iste, qui infans regem terruit, puer Iudæos conuicit, iuuenis præsidem turbauit?* eleganter per antitheta miras inter Ecclesiam, & Christum nuptias amplificat: quid enim admirabilius quàm eas iniri per mortem sponsi, & confirmari per abscessum?

Miræ nuptię inter Christū & Ecclesiā.

13 Redemptionis beneficium sic exaggerat. *Quid tibi minus exhibuit, qui se ipsum pro te tradidit? & dubitas quod tibi donet vitam suam, qui tecum communicauit mortem suam? hoc a te quærit; quod feci pro te, hoc & tu fac pro me.* pulchrè dictū. si te suæ mortis vult esse participē, multò magis suæ vitæ, vt resurgas cū ipso in gloria. hinc illud Apostoli: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

Christus communicans nobis suam mortem multo magis vitam.

14 Christi ascensum in cœlum sic cōmendat. *Ipsa est virtus omnipotentia tuę,*

vt plus possis in ipsis fidelibus, cum absens ab eis in homine illo suscepto sentiris. ceterùm præsentia tuæ maiestatis de eorum cordibus nunquam discedis. rectè admiratur omnipotentiā cum absens secundùm carnem, clarius se manifestet in tot tantisque miraculis, in Ecclesiæ propagatione; intrinsecùs verò agens mirabiliter in corde Sanctorum.

Spiritus sancti aduentus quam efficax.

15 De aduentu sancti Spiritus sic *Expectabatur, vt ascenderet Saluator, & donaret dona. quæ dona? dona quæ acceperunt discipuli, vt morerentur pro absente, quem desperando negauerant præsentem.* Vide quod vocet donum, mori pro Christo. Addit; ante aduentum sancti Spiritus, cum tot miracula fecisset, non modò honore non est affectus, sed occisus.

Christus exprobrabit peccatori sua vulnera in iudicio

16 In iudicio Christum exprobraturum dicit sua vulnera peccatori. *Dictum est per prophetam: Viderunt in quem pupugerunt. sed non vt eis dicat, sicut Thomæ: quia me vidisti, credidisti; sed vt conuincens eos, dicat: Videtis vulnera, quæ infixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? quia & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Vide quid arguat. quod in eius latus non intremus, vt sanguine eius abluamur, vt ibi securi simus. de quodam pisce ferunt, in tempestate sobolē intra viscera recipere. si igitur intra Christi vulnera non inueniemur, in illa Mundi procella, peribimus omnino.

17 Aequalitatem personarum defendit contra Arium. *Cogitatio, & phantasia spiritus mali patrem inducit maiorē, quia visus non est; filium minorem, quia visus est in homine; Spiritum sanctum multò inferiorem, quia in specie apparuit columbæ. hæc cogitans proximus es illi præcipitio erroris. neque enim defuerunt, qui hoc sentirent de humana anima, quod tu vis asserere de substantia diuina; introduxerunt enim quidam pro meritis animas dari corporibus. & esse reuolutiones, & circulos, quod propheta Dauid diuina voce dirumpens; In circuitu, inquit, impij ambulant,* acutè hos hæreticos carpit, quos impios ostendit, & in circuitu ambulare dicit, dū circuitiones animarum ponunt, ex quo circuitu quid nisi vertigo consequatur? tum vide stultitiam *Arij*, putantis Spiritum sāctū minorem filio, quia ille humana hic irrationabili apparuit forma: atqui & filius dictus est agnus: vtriq; innocentiæ typus. sic igitur acutè hæreticum arguit verbis psalmi: *Custodi & tu innocentiam, & vide æquitatem. vides, inquam, æquitatem. si patris, & Spiritus sancti intelligis vnitatem.*

Æqualitas personarū illustrata ab hæreticis negatur.

18 De paralytico sanato sic pulchrè. *Fili, confide, inquit, dimittuntur tibi peccata tua. prius animam censuit esse sanandam; tunc demum corpori dignatus est donare salutem subiungit: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. & statim surrexit, & tulit grabatum suum, & abijt.* ò quàm melius illi esset si post acceptā *remissionem peccatorum, non de lecto ad peccandum iterum surgeret, sed de sepulcro ad veram vitam, securusque surgeret. quid est autem: tolle grabatum tuum, nisi porta rursus sarcinam delictorum tuorum? non erunt scapulæ tuæ liberæ, portabis quod te premat. curuus eris sub onere, caput iā liberum iterum grauabitur seruitute. quia enim viuere adhuc permissus est, & si non peccauit, quod credere difficile est, multum certè periclitatus est, quia tota hæc vita tentatio est.* acutè sanè dictum. cur cum Christus paralyticum tam piè sanarit, iusserit tanto cum onere ferre grabatum suum, curuo collo, &c? nempe hoc significatum est, in hac vita nos non esse sine onere periculi peccandi; si minus pecces grauiter, at potes labi.

Cur paralyticus iussus tollere secum grabatū.

19 Indifferentes nos dicit esse debere vel ad mortem, vel ad vitam. *Præparet quisque voluntatem suam voluntati Dei; si eum post baptismum dignatus fuerit liberum ad se vocare, inunctanter, ac sine mæstitia pergat ad eum, cum quo, & per quem incipiat & ipse regnare; nec vehiculum mortis timeat, in quo prior ascendit qui vocat.* pulchrè ostendit, mortem iusto esse pro vehiculo; siue pro naui, qua ducatur ad portum; siue pro Olympico curru, quo feratur victor ad metam, vbi brauium est repositum.

Mors pro vehiculo ad Deum habenda

19 De æterna felicitate sic. *Non indigebimus ibi vestimento, vbi erimus immortalitate vestiti: frigus ibi non erit, vbi Sol iustitiæ erit suo amore nostra calefaciens corda, & radijs diuinitatis illuminans oculos, vt videant Deum.* alterum pertinet ad voluntatem, alterum ad intellèctum. quantum affectus hoc excitare debet, & patriæ desiderium? vbi Deus *Sol erit suo amore nostra calefaciens corda.* Si vel in hac vita duo illi discipuli dixerunt, licet ipsum ignorarent; *Nonne ardens erat cor nostrum? &c.*

Deus in patria ceu sol calefaciens corda sanctorum.

20 Pulchrè hortatur ad Ecclesiam communem matrem amandam, ac tuendam. *Filij boni, amate tantam matrem. filij boni rependite vicem, amate amantem. nobilis est, regia prole fœcunda est, non eam patiamini malorum iniurijs, atque insidijs macerare: agite causas matris vestræ. extollite eius amplissimam dignitatem. seruus malus non insultet dominæ. Arianus non insultet Ecclesiæ. serpens est, eius capita conquassate.* elegans hic locus est. hoc ipsum videtur Ignatius inculcare socijs suis, quos aduersus hæreticos doctrina, & pietate armauit, vt tueantur Ecclesiam. idem ex parte ad religiosos quosque referri potest, religionis suæ amantes quasi matris, cuius

Zelus de tutela Ecclesiæ inculcatur.

honor

honor cordi sit, nec eam per malum exẽplum finant dedecorari. *filij boni, amate tantam matrem &c.* & quod ait: *nobilis est, regia prole fœcunda,* non modò de perfectis intellige, sed de regiæ stirpis viris, qui nonnullas religiones decorant.

21 Hæreticos sic perstringit. *Peiora, hæretice, facis, quàm quæ Iudæus fecit. ecce Iudæus semel latus eius in cruce pendentis pupugit, sed totum eius corpus integrum reseruauit; tu verò quotidie sedentis in cœlo diuersa laceras membra.* meritò hæreticos præfert immanitate Iudæis; nam hæresis diuisione, schisma scissionem pariter: itá Ecclesia, quod est Christi corpus, dilaceratur in partes, quod ausi Iudæi non sunt, nam *non fregerunt eius crura.*

Hæreticus peior Iudæo.

Ex libro III. de symbolo fidei.

1 PVlchrè inducit rerum naturam infideles arguentem. *Ipsa rerũ Natura, & ipse Mundus operibus famulatus suis, incredulos sua quadam voce conuincit; & animã peruersã increpãs dicit: Quid est, misera, quod erras in me, & degener facta oblita es, à quo quanta creata sis, cui cœlum, & terra tam pulchra domus nullis meritis præuijs constructa est. respondent, & singula elementa clamantia, & artificem demonstrantia. clamat cœlum: non sum Deus; nam si essem Deus, nulla me nubila obumbrare possent: clamat & Sol, quid me colis, vt Deum, quem vides ortu, occasuque concludi? clamat mare, terra &c.* rectè ostendit nullam esse excusationem de vno Deo non cognoscendo. quis tam surdaster est, cui tantæ machinæ vox tam sonora non aures occupet?

Totius naturæ vox vna de Deo vno.

2 De Magorum aduentu, & innocentium cæde hæc eleganter habet. *Nascitur infans paruus, rex magnus. per stellam velut per nouam linguam clamat cœlum. Adducuntur de longinquo Magi, vt adorent adhuc in præsepi iacentem, sed iam in cœlo, terraque regnantem: turbatur Herodes, & ne regnum perdat, vult eum occidere, in quem si crederet, sine fine regnaret. vt perdas vnum, per tot infantium mortes Magus efficeris crudelis. ille fons gratiæ paruus, & magnus, qui in præsepi iacet, thronum tuum terret; agit per te nescientem causas suas, & à captiuitate diaboli animas liberat. suscipit filios inimicorum in numerum adoptatorum. nescientes parentes plangunt Martyres morientes. tu dum contra paruulum sæuis, iam illi obsequium præbes, & nescis. tu illi prior ad regnum cœlorum tot millia candidatorum infantium, innumerabilem præmittis exercitum; de quo Ioannes. Vidi turbam magnam, &c. & palmæ in manibus eorum.* acutè hoc dictum: Herodes ipse dum regem timet, regem facit: dat ei exercitum, eumque laureatum: sic deluditur inuidia. eleganter autem appellat stellam *cœli linguã*, quia nũciat Deũ, & arguit Herodem. pergit. *O magnum donum gratiæ, quibus eorum meritis præstitum est, vt sic vincerent infantes? nondum loquuntur, & Christum confitentur; nec dum motibus membrorum valent suscipere pugnam, & victoriæ iam præferunt palmam. quomodo regnas Herodes, qui sic vinceris? paruus ille non te armatorum virorum fortium manu, sed turba vincit morientium paruulorum. vis nosse quid infantibus, quos trucidasti, præstitisti? ideo accelerasti ad eorum vitam, ne cum suis parentibus occiderent veram vitam.* rectè adnotat gratiæ donum: Martyres effecti sunt, quorum multi, si superuixissent, crucifixores Christi fuissent: præcones Christi dicuntur ad laudem, qui clamassent; crucifige &c. sed illud pulcherrimè dictum de Gratia. *egit, & agit Gratia causas suas, & per inimicos suos, & per se ipsos, & in ipsos: nam quid eis præstitit Gratia, nisi vt erueret eos de potestate tenebrarum? nati sunt ad mortem; sed continuo eos mors reddidit vitæ.* vides Gratiam patronæ munus exercentem in Innocentium causa.

Stella Magorum lingua cœli.

Herodis insania in persequẽdo Christo.

Innocentes exercitus Christi laureatus.

Innocentibus mors pro beneficio data.

Gratia patrona existit in causa Innocentiũ occisorũ.

3 Opponit Euæ Mariam. *Iisdem gradibus, quibus perierat humana natura, reparata est. Eua poculum à serpente propinatum libenter accepit, & tradidit viro, ex quo simul mereretur occidi. hæc Gratia cœlesti desuper infusa vitam protulit.* Nota, de peccato originali sermo est. id venenato, ac vipereo poculo cõparat, quod Eua acceptum à diabolo propinauit nobis ad mortẽ. at Deipara poculum Gratiæ ad vitam. non igitur vnquam per originale peccatum de lethali ipsa poculo bibit, quæ antidotum habuit.

Peccatũ originale poculum vipereũ.

Deipara Euæ opposita.

4 Ad Pauli conuersionem hoc pertinet. *Prostratus ad terram dormiuit phreneticus, surrexit, & factus est medicus. cœlestis archiatri antidotum bibit confectum ex sanguine medici. prior ipse bibit, & bibendum amatoribus propinauit. hoc antidotum ex sanguine crucifixi confectum etiam ipsi reges terræ biberunt, & qui erant Ecclesiæ persecutores, facti sunt defensores.* pulchrè ostendit sanguinis Christi vim in curanda impiorum phrenesi; quo quasi poculo medetur ægris Deus. nec mirum quod insanos curet, cum sit Dei sapientia. & nota Christi pietatem, dum Paulus *spirans minarũ, ac cædis,* sanguini insidiatur Ecclesiæ, suum ille pro pharmaco præbet.

Pauli cõuersio vi sanguinis Christi.

Phrenesis peccati curatur pharmaco sanguinis Christi.

5 Exponit illud symboli. *Tertia die surrexit à mortuis.) Quidam à nocte præcedente sextæ feriæ, & ipsam sextam feriam concluserunt in vnum diem, & noctem sabbati, & sabbatum, & noctem Dominici diei, & ipsum diem resurrectionis. alij autem ab ipsa sexta feria, & nocte, quæ medio die facta est, voluerunt tres dies, & tres noctes vsque in diem dominicum exponere.* ipse ad mysti-

Peccator supplantator est gratiæ.

cum

cum sensum refert. peccata pro tenebris, & nocte interpretatur, & tres dies, ante legem, sub lege, & sub Gratia. *Tertius dies sit sub Gratia, quando iam plus peccat anima, quia scit voluntatem Domini; & supplantat plenitudinem Gratiæ*. magni ponderis sunt hæc verba, magnum nobis terrorem inferunt. & vide quid sit peccare, *supplantare Gratiam*, scilicet, ne currat ad metam gloriæ nobiscum. quid amentius?

Ascensus cordis ad Deum qui sit.

6 De vita æterna sic. *Quis illud bonum, quod promisit Deus, explicet verbis? facilius possumus dicere, quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. non est ibi mors, non luctus, &c. sed quid ibi sit, vultis nosse? quod in cor hominis non ascendit. si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat, si mundetur. manet enim Deus in corde credentis, & se diligentis; & manet homo in Deo, idest in æterna vita, quod est præmium Deum amantis*. argutè dictum, vt quoniam tantum præmiũ, vt ineffabile, in cor hominis non ascendit, ipsum potius cor eò ascendat per affectum.

Ex libro IIII. de symbolo fidei.

Deipara mulier amicta Sole, &c.

1 DRaconem in Apocalypsi insidiantem mulieri parienti interpretatur de Deipara, & Ecclesia. *Mulierem illam, Virginem Mariam significasse nemo vestrum ignorat, quæ & ipsa figuram in se Ecclesiæ demonstrauit. nam vt ipsa filium pariens virgo permansit: ita hæc membra eius parit, & virginitatem non amittit*. vtrique igitur competit, & Solis amictus, & stellarum corona, &c. sed quid sibi vult quod Deipara clamabat, vt pareret? vtique non ob dolorem partus; an fortè clamor ille desiderium erat, vt appareret citò in terris? & Draco ille recens edito partui insidians quis nisi Herodes?

Christi professio non fit solum lingua, sed factis.

2 Christianum non modò nomine, sed re esse debere dicit. *Renunciare diabolo professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo, & Angelis eius conscribentibus dixistis, renuncio. renunciate non solùm vocibus, sed moribus, non solùm sono linguæ, sed actu vitæ. deprehenderis, & detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris*. multò magis id ad religiosum pertinet. fit & huius professio peculiariter, *Angelis conscribentibus*, quia Angelicum præsefert statum.

Quã stultum fit Mundo ruinoso, & labili adhęrere.

3 De Mundi amore relinquendo sic. *Ipse te deserit Mundus; sequere adhuc quantum potes fugitiuum, & si potes, apprehende eum, tene eum; sed video, non potes; ille enim labiles motus suos torrentis instar percurrens, dum te videt inhærentem sibi, & tenentem se, ad hoc rapit, vt perdat te. ecce ruinosus est Mundus, ecce calamitatibus plenus, & sic amatur*. huc refer illud Gregorij: ecce, inquit, Mundus in se ipso defloruit, & tantùm in cordibus nostris floret. Mundani igitur eadem sorte afficiantur oportet qua Mundus. *ruinosus est Mundus*, eadem opprimentur ruina. *labilis instar torrentis*, sibi adhærentes secum trahet in præceps.

Improbi cur viuere permittãtur.

4 Ostendit, cur Deus non malos omnes statim hic puniat. *Non implet Deus voluntates, sed suam perficit rectam, vt te doceat patientiam suam, non tu Deum velis conuertere ad furias tuas. regat te qui fecit te; nam si volueris regi à te, statim cades per te*. pulchra ratio, cur scilicet sẽper hic nõ statim puniat Deus: vt magisterium mansuetudinis præbeat, non vt impunitatis ansam.

Christi natiuitas quã ad imiranda.

5 Primam Dei filij natiuitatem ineffabilem esse dicit, immò & secundam. *Quis enim non expauescat, cum audit Deum natum? audis nascentem? vide in ipso ortu miracula facientem. aluus tumescit Virginis, claustrum pudoris permanet; sed & adhuc mirare. portatur manibus matris Orbis rector, lambit vbera regens sidera; tacet, & Verbum est*. pulchrè dictum per antitheta præsertim hoc vltimum: *tacet, & Verbum est*. & quod ait, *lambit vbera regens sidera*, alludi potest ad galaxiam. scilicet lacte indiget, qui lactei auctor est circuli.

Crux Christi triumphi insigne, & vexillum.

6 Præclarum illud est crucis elogium. *Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus; crux illa vexillum nostrum est aduersus hostem* refer hoc ad tres Iaponicos nostros crucifixos, qui quasi in triumphali pompa curru ducti sunt, ipso hoste quasi designatore triumphi.

Cur Iudæi cum laternis venerint ad capiẽdum Iesu.

7 De Christo passionem inchoante sic. *Vide spectaculum tanti certaminis. armatur Iudas, vt pretio vendat magistrum. veniunt Iudæi cum facibus & laternis, hoc est filij tenebrarum ferentes in manibus lucem, per quam illam veram demonstrarent lucem, quam ipsi cæcati corde non poterant retinere: audientes autem: ego sum, abierunt retrò, & ceciderunt in terram: ecce radius veræ lucis latens adhuc sub nube carnis respexit tenebras, & prostrauit in terram. quomodo Iudæi audebunt tunc illam respicere claritatem, quando istam infirmitatem tolerare non potuerunt? sed vt impleret id, propter quod venerat, exurgunt rursus tenebræ; dat eis potestatem, capiunt tenebræ lucem, non sequendam, sed occidendam. permittit se ab ijs teneri, vt expoliatus nube carnis, fulgorem redderet maiestatis*. acutè ad faces, & laternas Iudæorum alludit, cũ essent filij tenebrarum: & nota quæ vis eos attonitos deiecit in terram, ictus scilicet radiorum, etiam si carnis nube obtegerentur.

8 De crucis tolerantia sic pulchrè. *Qualis vox veluti victoriæ Iudæorum fuit? Si filius Dei est, descendat nunc de cruce. sed*

hoc

Cur diabolus per Iudæis hortaretur Christum, vt de cruce descenderet.

hoc diabolus per eos clamabat; vt excitatus insultationibus Iudæorum, demonstraret potentiam, sed amitteret patientiam. ille autem vtramque aciem reseruabat, & patientiæ, & potentiæ. nam & patientiam seruauit, quia de cruce non descendit, & potentiam demonstrauit, quia de sepulchro surrexit. Vide astutiam diaboli, Christum à morte, à cruce reuocantis, prætextu conuersionis aliorum. non curabat quòd ostenderet potentiam, modò amitteret patientiam. magnum igitur quiddam est patientia.

Christi passio cordi insculpenda.

9 Exponit Ionæ figuram. *Ascendit nauim Ionas, lignum crucis Christus. perturbatio maris, perfidia Iudæorum. data est sors vt propheta mitteretur in mare, sors data est super Christi vestes. proiectus est ille in mare, mors Christi in cordibus gentium collocata est, &c.* rectè; nam sicut dicitur, *in corde maris* Ionas fuisse, ita in corde nostro mors Christi. corde enim excipimus per affectum, & statim à perturbationibus detumescet. De beata Clara à Monte Falco, in cuius corde Christi passio mirè exculpta est, verè dici potest: *Mors Christi in corde eius collocata est.*

Spiritus sancti diuinitas ostendit u.

10 Arianos vrget, æqualitatem personarum negantes. *Ait Apostolus: Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti? quomodo Deus non est qui templum habet? aut quomodo minor est Christo, cuius membra templum habet? vos inquit, estis corpus Christi, & membra.* rectè vrget: templa enim, aræ, cultusque diuinus non nisi Deo competit; Tum in hæreticos nos armat. *Cauete insidias, vel furum, vel luporum. non quiescit pastor clamare, non finit etiam suos canes tacere.* pertinet hoc maximè ad ordinem S. Dominici, quem mater catuli figura præuidit, è cuius familia sunt censores hæreticorum.

S. Dominicus, ceu canis in lupos oblatrans [illegible] est in hæreticos.

Mors vehiculum est ad vitam.

11 De morte non iam formidanda sic. *Noli attendere quid nunc sit, sed quid tunc fiet. seminatus est homo, non perditus. nunc quidem anima discedente habitaculum eius soluitur, non enim præsto est illa domina, quæ curam gerat luteæ domus; quippe vadit, vt regnum comparet sempiternum. quid ergo metuis quæ ad regnum peruenire contendis? vt quid formidas vehiculum mortis? si amatur vita, talis quæratur, quæ nunquam finiatur. venit ad te vita, rependе vicem; veni & tu ad illam; suscepit vehiculum mortis, vt transiens liberaret te: suscipe & tu mortem, vt cum ad illum veneris, nunquam moriaris.* præclarè dictum, mortem esse vehiculum, quo ad Christū tendimus, & ad regnum. & vide quàm contemnenda sit præsens vita, vbi anima quasi domina in luteo tugurio latet; at per mortem transit ad Dei augustalem, ac regiā domum. tum nota Christi pietatem, cum enim esset vita ipsa, vehiculo mortis duci voluit, vt ad nos liberandos veniret, ac doceret nos eodem vehiculo ad ipsum transire possessuros æternam vitam.

In tabulei matrimonialibus scriptum oportet Christum pati.

12 Pulchrè ostendit Ecclesiæ cum Christo nuptias. *Ecclesia sponsa Christi est pretioso sanguine dotata. totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. lege tabulas matrimoniales eius. recitabo. Oportebat, inquit, Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes. omnes gentes totus Mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dotem. quæcumque igitur hæresis in angulis latet, concubina est, non matrona. eijcietis igitur ancillam cum filijs suis.* acutè perstringit hæreticos, qui seorsum occulta conuenticula habent. præclarè autem docet, quid scriptum sit in tabulis quasi matrimonialibus: *Oportet Christum pati, &c.* certe Dauidi hac lege regis filia Michol concessa est, vt anteà inter belli discrimina laboraret, rediretq; victor de cæde hostiū: quod etiam Carmanis, & apud Mæotim degentibus populis, in more positum fuit. Porrò si dos Ecclesiæ est totus Mundus, vbi Christus prædicatur, Apostoli ergo, & Apostolici viri pronubi sunt.

Ex libro de conuenientia decem præceptorum cum decem plagis Aepyptiorum.

1 Acutè ostendit, qua ratione hęc sibi respondeāt; decem Aegypti plagas cum totidem præcipuis Mūdi vitijs comparans, quę opposita sunt decalogo. *Prima plaga Aegyptiorum aqua in sanguinem conuersa. compara primum præceptum primæ plagę. Deum vnum, ex quo sunt omnia, in similitudinem aquæ accipe, ex qua generantur vniuersa. sanguis ad carnem mortalem pertinet: credere illi in Deum noluerūt, & iusto Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo hebræorum paruulos necare consueuerunt.* Vide, vt Deus primò vltus sit necem infantiū: quia enim mares in aquis necabant, in sanguinē versæ sunt. sanguinem sitisti, sanguinem bibe: addo pertinere ad primum præceptū, quia Nilus pro Deo habebatur, ideò cruētatus, quasi gladio rubuit.

Cur prima plaga Aegypti in aqua.

Veteres philosophū, & hęretici ranis [illegible] comparantur.

2 De secunda plaga sit. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* huic præcepto opponuntur ranæ. *habes congruenter signatam philosophorum, vel hæreticorum prauitatem, si consideres ranarum loquacitatem; clamant autem in paludibus limosis.* Nota quid fuerint veterem Lycea, Academiæ, porticus, &c. cœnosæ paludes, quia in nonnullis certè minus honesta doctrina, vt cum Plato

to docuit de cōmunione vxorum. de Dei verò natura quàm multa stultè garrierunt, itemque de anima? hæretici quoque, Luterus in primis quid nisi rana coaxans est in suo luto? huc referes lutulenta mūdatorum dogmata, & poetarum impudica carmina.

3 Pergit ad tertiam plagam. *Tertium præceptum est; Memento diem sabbati sanctificare.) sabbatum requies est cordis, quam facit bona conscientia. huic contrariæ scyniphes natæ de limo, musca minutissima, inquietissimæ, inordinatè volantes, in oculos irruentes, abactæ iterum irruunt, expulsæ redeunt: tales sunt qui orationi insistere nolunt, talia sunt phantasmata in corde contentiosorum.* Notabilis interpretatio, tum de distractionibus in orando, tum de religiosis, qui contentiosi sunt, & inquietant alios. ad viuum expressit molestam horum naturam, & importunam.

Distractiones in orando, & inquieti in religione quasi scynifes sunt.

4 Aggreditur quartam plagam, *Sequitur quartum præceptum. Honora patrem tuum, & matrem tuam;) huic contraria est quarta plaga cynomyia, idest musca canina; qui enim parentes non honorat, musca canina, idest nequitia diaboli spiritaliter cruciat: caninum enim est parentes non agnoscere.* rectè impudentes veluti canes rabiosi dicūtur peruicaces filij. parenti obloqui, oblatrare est; molestiam exhibere, in vilem muscam degenerare.

Inobedientes filij Cynomyiæ cōparati.

5 De quinta plaga sic. *Quintum præceptum est: Non mœchaberis.) quinta plaga mors in pecora. omnis enim qui aut vxore propria intemperatè, excepto desiderio filiorum, vtitur, aut certè, quod est crimen grauissimum, alienæ insidiatur, victus cupiditate bestiali, tanquam amisso nomine hominis, erit pecus. Nolite, inquit, fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. si pecus esse non times, vel saltem mori sicut pecus time.* rectè insinuat pœnitētiam ante mortem, ne sine consideratione, pecuino more peccator moriatur. quid enim tam sine ratione, quàm nec in tanto salutis discrimine commoueri? notabile autem est, quod ait cum brutis comparandum etiam eum, qui legitimam habet vxorem, si intemperanter abutatur: quid de adulteris dicendum?

Pecuinū est etiam propria vxore intemperāter abuti.

6 Confert sextam plagam. *Sextum præceptum est: Non occides;) sexta plaga pusulæ in corpore, & vesicæ bullientes, & incendia vlcerum, velut de fauilla fornacis. tales sunt, qui ardent ira. ò si possemus videre istorum animas, sine dubio plus plangeremus, quàm putrescentia corpora vlceratorum.* Vide quàm fœda sit vindicta, quasi enim saniē turpis putet. quàm igitur mundani falluntur, qui honoratum putāt vlcisci? vlcerosus feruor, & ebullitio tumens ira est, quæ tunc maximè intus exulcerat, cum foras prodit.

Ira vlcerosus tumor.

7 De septima plaga sic. *Præceptum septimum est. Non furaberis) & plaga septima grando in fructibus. scilicet quod per furtum subducis, de cœlo perdis. acquiris vestem, sed perdis fidem. nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno.* egregiè dictum; quantum opum addis in terra de alieno, tantum in cœlo detrahis de tuo. rapina quasi grando est dispoliās agros. addit: *Quid tibi prodest; si vbi homo non videt, furaris; & vbi Deus videt, iusto iudicio grandinaris?* & hoc eleganter.

Rapinæ perniciosę frugibus grandini comparata.

8 De octaua hæc habet. *Octauum præceptum est: Falsum testimonium non dices.) & octaua plaga locusta, animal dente noxium. quid autem vult falsus testis nisi nocere mordendo, & consumere mentiendo?* hinc ait Apostolus: *Si mordetis, & comeditis inuicem, videte ne ab inuicem consumamini.* vide quàm vel perniciosa, vel vilis sit detractio, quæ locustæ omnia sata consumenti comparatur.

Detractio mordaci locustæ comparata.

9 Nonam sic comparat. *Nonum præceptum; Non concupisces vxorem proximi tui) & nona plaga densæ tenebræ. O quàm densas tenebras patiuntur, qui talia concupiscunt: verè excæcantur furore horribili.* Nēpe & ethnici ipsi ideo Cupidinem cæcum effinxerunt. nec modò cæcitas, sed furor est, & horribilis furor hæc passio.

Concupiscentiæ cæcitas, & furor horribilis.

10 Denique de decima plaga sic. *Decimum præceptum est: Non concupisces rem proximi tui.) huic plagæ contraria est mors primogenitorum.* Vide quàm detestabilis sit ipsa cupiditas rei alienæ, vt morte primogenitorum, qui charissimi sunt, compensetur: auarus enim primogenitis studet maximè prouidere.

Aliena appetere quasi grauis plaga fit Aegypti .s. Mundi.

Ex Tractatu de rectitudine Catholicæ conuersationis.

1 Varia genera superstitionum interdicit. *Auguria, vel sternutationes obseruare nolite; nec in itinere positi aliquas aniculas cantantes obseruare attendatis; sed siuè iter, siuè quodcumque opus arripiatis, signate vos in Christi nomine, &c. nullus obseruet, qua die domo exeat, vel qua reuertatur quia omnes creauit Dominus, nullus ad inchoandum opus, diem, vel lunam attendat.* Vide vt crux, & Christi nomen verum amuletum sit ad securitatem, & quàm inanis sit illa superstitio, quæ dies atros, & Aegyptiacos statuebat ad operandum infaustos. rectè Lucullus, etsi gentilis, cum milites pugnam inire detrectarent, quod dies ater esset: atqui, inquit, ego victoria reddam album.

Superstitioni in operando crucis signum opponitur.

2 Pergit ad reliquas superstitiones. *Nullus in Kalendis Ianuarij nefanda, & ridicula*

dicula vetulas, aut ceruulos, aut ioctticos faciat; neque mensas super noctem componat; nec strenes, aut bibitiones exerceat superfluas. nota, vt diabolus initium anni contaminare conatus sit præstigijs varijs, quibus rectè sacrosanctum Iesu nomen opponitur. subiungit. *Nullus in pyras credat, neque in cantum sedeat, quia opera diabolica sunt.* alludit, credo, ad ignispicia, quæ adhuc Augustini tempora durabant, igni æterno digna: diuinabant enim ex igne. His addit. *Nullus in festiuitate beati Ioannis, aut Sanctorum solemnitatibus solstitia, aut vallationes, vel saltationes, aut cantica diabolica exerceat.* Vide, vt saltationi Ioannis in vtero opposuerit diabolus saltationes suas, & cantico Zachariæ profanum. adeo inuidit Ioannis gloriæ.

Superstitio Kal. Ianuar j taxatur.

Superstitio die natiuitatis Io: Bapt. taxatur.

3 Vetat & illa. *Nullus nomina dæmonum, aut Neptunum, aut Dianam, aut Herculem, aut Mineruam, aut Genistum, aut cetera huiusmodi inepta credere, aut inuocare præsumat. nullus diem Iouis absque solemnitatibus sanctis, nec in Maio, nec in vllo tempore obseruet. nullus ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, aut ad ocellos, vel per trina luminaria votum faciat, vel votum reddere præsumat.* nẽpe adhuc durabãt cultus fontium, vbi ad aquæ lene caput sacræ litabant; & ad arborum Hamadriades. & vide, vt Trinitatis mysterium principes tenebrarum per trina luminaria profanare inuidi conati sint.

Superstitiones variæ taxãtur.

4 Interdicit amuleta maximè. *Nullus ad colla hominis, vel alicuius animalis legamina dependere præsumat, & si à Clericis fiat, & dicatur quod res sancta sit, & in diuina lectione contineatur; non est dignus nomine Clericorum, sed hæreticorum; quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli.* rectè ait, in amuletis huiusmodi contineri, non remedium, sed venenum. in quo ecclesiasticos meritò arguit, si hæc prætextu sanctificationis admittant. pendeãt, e collo quasi torques potius Sanctorum reliquiæ, piaculares agni, & similia religioni congrua.

Amuleta vana de collo pendentia arguuntur.

5 Huc pertinent & illa. *Nullus præsumat lustrationes facere, nec herbas incantare, neque pecora per cauam arborem, vel terram transilire foratam, quia per hoc diabolo videtur consecrare.* Nota superstitionis genus; ouem, aut aliquid aliud per arborem perforatam, vel lapidem item perforatum transire faciebãt, boni auspicij causa, quo ea lustrarent. ita diabolus sibi consecrabat, cui opponi potest pietas nostra, si nos mysticè per affectum inseramur perforatæ arbori crucis, & in Christi vulnera perforati clauis, & lancea, iuxta illud: *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie furoris Domini.*

Mos superstitiosus gregẽ lustrandi taxatur.

6 Detestatur & alias superstitiones. *Nulla mulier patiatur succinos dependere; nec in tela, siuè in tinctura, siuè in quolibet opere Mineruam, vel ceteras personas infaustas nominare; sed omni tempore Christi gratiam adesse, & in virtute nominis eius toto corde confidere.* pulchrè innuit, Christi, qui patris sapientia est, gratiam, Mineruæ loco inuocandam, quæ sua quasi ægide, hastaque nos muniat veriùs, & fortiùs. addo & semper Virginis Mariæ nomen, Mineruæ, quæ Virgo putabatur, rectè præferri. succinum autem, quia trahendi vim habet, superstitiose gestatum puto à mulieribus, at sponsa piè per gratiã id in se petit: *Trahe me post te.*

Mineruæ inuocatio ni Christi gratia opponitur.

7 Ad hæc adiungit: *Nullus, quando Luna obscuratur, vociferari præsumat, quia certis temporibus Deo iubente obscuratur; nec per Lunam nouam timeat aliquid operis arripere, quia Deus ad hoc Lunam fecit, vt tempora designet, & noctium tenebras temperet, non vt alicuius corpus custodiat, &c. nullus dominos Solem aut Lunam vocet, quia necessitatibus hominum iussu Dei inseruiunt.* huc refero, quod Sol hebraicè à ministrando nomen sortitus est. stultum igitur est putare eum dominari in actus nostros. quod autem Lunam putabant custodire corpus humanum, potius ad Deiparam pertinet. hinc tot illæ votiuæ tabellæ sanitatis testes. nec illa custos modò corporis, sed quod præcipuum est, animi.

Luna custos corporis putata, potius Deipara.

8 Ad Dei prouidentiam illud pertinet. *Nullus sibi proponat Fortunam, aut Genistum, quod nascentia dicitur: quia Deus vult omnes homines saluos fieri.* rectè inuehitur in horoscopos mathematicorũ, qui fato, & stellis, & sorti nos destinant. loco Fortunæ Dei prouidentiam agnoscimus, & Genij loco custodem Angelum.

Horosco pi inanitas, & fortunæ.

9 Denique non ad hæc superstitiosa, sed ad Deum recurrendum dicit in necessitatibus. *Quoties igitur aliqua infirmitas occurrit alicui, non quærantur præcantatores, non diuini, non sortilegi, non carcarij, neque per fontes, aut arbores, aut biuia phylacteria exerceantur; sed qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide, & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur.* Nota in eos, qui superstitiosa adhibent in morbis. rectè monet tunc *in sola Dei misericordia confidendum, &* p munimẽto vti sacramẽtis vltimis. Addit: *plantas, siue vngulas pedum, quas per biuia ponunt, fieri vetate; & vbi inueneritis, igne cremate. per nullam aliam artem saluari vos credatis, nisi per inuocationem, & crucem Christi.* Nota de vngulis pedum in biuijs poni solitis, nempe vt aberrarent à via veritatis, ac virtutis, ac brutorum more ferrentur, adolescentes maximè, qui quasi in biuio illo Herculis sunt; hinc à volu-

Æger nõ superstitiosè, sed religiosè sacramẽtis vltimis muniendus.

Crucis signum verum amuletum.

voluptate bruta, illinc à virtute, ac ratione allecti. Affert autem contra superstitiones locum leuitici: *Non augurabimini, non obseruabitis somnia, nec ad Magos declinabitis*, Crux igitur Christi in omnibus pro amuleto sit. *Iugiter crucis signum muniat frontem vestram, & quoties in nocte excitati fueritis, mox labijs illud occurrat, ne stupido pectori repente subrepat inimicus.* rectè stupidum pectus vocat, & diabolo peruium, quod non cruce se muniat.

10 Ostendit vndè fit, vt mathematici aliquando diuinent. *Si per sortilegos, aut diuinos aliqua prædicta fuerint, & ità euenerint, nolite mirari, quia Spiritus per aera volantes facilè possunt videre aliqua futura; vnde in Deuteronomio dicitur. Etiam si vera vobis dixerint, nolite credere eis; tentat enim vos Dominus, vtrùm timeatis eum, vel non.* Nota cur permittat Deus aliquando euenere quæ præsagiunt? probatio nostra est, non approbatio rei.

Cur Deus permittat diuinare aliquãdo mathematicos.

11 Ad eleemosinam hoc spectat. *Potuit Deus omnes diuites facere, sed pauperes in hoc Mundo esse voluit, vt diuites peccata sua redimerent.* Vide quàm paruo contentus sit Deus, vt gratiam suam restituat. Addit: *Quod si quis nihil habeat vnde temporalem eleemosinam faciat, remittat iniuriam.* Nota præclarum eleemosinæ genus facilè obuium.

Cur Deus pauperes esse permittat.

12 De non differenda pœnitentia sic. *Nolite expectare mortiferam securitatem, vt vulnera illa putrescant, & alia insuper augeatis; sed continuò per pœnitentiæ confessionem vobis medicinam adhibere festinate.* huc facit illud poetæ, Serò medicina paratur, cum mala per longas conualuere moras. rectè appellat *mortiferam securitatem*.

Dilatio pœnitentiæ mortifera securitas est.

13 Præclara vox illa est de ædificatione proximi: *Stupeant gentes de conuersatione vestra; & si detrahãt vobis, & irrideãt, Christianitatis opera, ex hoc sectari non turbemini.* Vide, vt mundani, qui hæc irrident, irridendi sint. & nota quantum ædificationis requirat à religiosis maximè: *Vt stupeant gentes de conuersatione.*

Aedificatio cum proximo versãtium commendatur.

14 Diabolum in dies fieri atrociorem dicit. *Quantò proximiorem finem Mundi diabolus prospicit, tantò crudelius contra Christianos sæuit, vt qui citò se damnãdum cognoscit, plures sibi in pœna multiplicet, cum quibus sine fine crucietur.* notabilis gnome. quò spectat illud: *sciens quia modicum tempus habet, &c.* vide inexplebilem eius ingluuiem, implacabile odium, & detestandam inuidiam: cautiores igitur esse nos conuenit, qui propius ad Mundi finem accedimus.

Diabolus nunc maxime tentando sæuit.

15 De Angelorum præsentia sic. *Canete attentius, & iugiter cum timore Dei conuersamini, scientes quia vnusquisque vestrum Angelum Dei habet, qui obseruat quæ egerit; & quidem si bene agit, gaudium sancto Angelo gignit; si verò mala opera exercet, Angelum sanctum à se repellit, & malignum sibi dæmonem coniungit. qua propter introrsus ad vos redite, conscientias vestras discutite; & an dignas mẽtes Angelis geratis, prænidete.* Nota quid sit peccare, Angelum à se repellere bonum, adsciscere malum. vide igitur, an dignam Angelo mentem geras per castas cogitationes, vt hilariter ille tecum versetur.

Custodis Angeli ratio habenda integrè viuendo.

16 Eleemosinam sic suadet. *Non est iustum, vt in populo Christiano, qui vno pretio sunt redempti, alij distentis cibo ventribus incedant, alij famis periculo deficiant, aut quare vobiscum non accipiat cibum, qui accepturus est vobiscum immortalitatis stolam?* nota veramque rationem. quasi dicat: par est, pauperem per vos hìc viuere temporaliter, qui vobiscum diues in æternum victurus est.

Pauperi cur subueniendum.

17 Eleganti prosopopeia inducit cinerem diuitum loquentem, & mundanos dehortantem. *Considerate diuitum sepulchra, vel eorum, qui paulò ante vobiscum erant, quid fuerint, & quid sint, & quid eis diuitiæ, vel cupiditates seculi profuerint. eccè nihil ex eis, nisi soli cineres remanserunt; qui si loqui possent, procul dubio hæc vobis dicerent: Vt quid infelices tantum pro seculi cupiditate discurritis? considerate ossa nostra, vt vel sic horreat cupiditas vestra. quod vos estis, nos fuimus; quod nos sumus, vos eritis* præclara, & mira vox cineris, quæ scilicet suadet immortalitatem. cinis, inquam, in sepulchris fit monitor vitæ.

Cinis sepulchralis monitor vitæ.

18 Periculosum statum animam agẽtis exponit. *Cum magno metu, fratres, magnisque doloribus separatur anima à corpore: veniunt enim sancti Angeli eam assumere, vt perducant ante tribunal metuendi Iudicis. tum illa memorans sua mala, quæ gessit, contremiscit, & quærit ea fugere, sed opera simul loquentia dicent. Tu nos egisti, tua opera sumus, non te deseremus, tecum pergemus ad iudicium. illam ergo horã nunc timete, ne tunc timeatis.* huc facit illud Ioannis, *opera illorum sequuntur illos.* cogita, quibus monstris scelerum comitatus abeat peccator, quibus furijs circumseptus agatur ad Tartara

Vitæ exitus quam metuendus.

19 Ad cœli desiderium traducit animam. *Ecce paulatim deficit Mundus, & cuncta, quæ videntur, velociter transeunt, illuc festinate, vt semper viuatis: vbi erunt homines similes Angelis, non substantia, sed beatitate. qualis putas erit splendor animarum, quando Solis claritatem habebit lux corporis? Iusti, inquit, fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum. ibi homines Angelo sociati sine vlla carnis infirmitate vernabunt.* pulchrè dictum, per Angelorum societatem, qui per lilia in scriptura significan-

Felicitas beatorum in patria ostẽditur.

Matth. 27

ficantur, perpetuo nos vere fruituros. addo huc posse referri illud: *Ossa vestra germinabunt, &c.* quasi verna illa resurrectionis futura tempestas perpetuò sit. vnde & dicitur: *Refloruit caro mea.* mox addit: *eò festinemus, vbi nos Christus, & superni ciues expansis charitatis brachijs expectant, &c.* Vide singularem erga nos affectum beatorum in amplexum currentium.

Christus in iudicio exprobabit sua vulnera peccatoribus.

19 In iudicio sua vulnera Christum exprobaturum ait. *Tunc aspicientibus omnibus ostendet liuores, & fixuras clauorum, & compellans peccatores dicet. Agnosce quid per te pertuli; ecce liuores, quos pro te recepi; ecce clauorum foramina, quibus in cruce affixus pependi. suscepi mortem, vt tu sine fine viueres. suscepi pœnas, vt tibi darem gloriam. latui in sepulchro, vt tu regnares in cœlo, &c. contempsistis lucem, possidete tenebras; amastis mortem, ite in perditionem. qui, putas, erit tunc mœror? &c.* Tum sic concludit: *Surgat iam quæso quicumque peccati catena constrictus tenetur, & expergefactus à somno suæ mortis euigilet. ecce omnia, quæ propheta vaticinati sunt, euenerunt, solusque dies iudicij adhuc restat. ecce bellum supra bellum consurgit, &c. quare ergo sumus lapidei, & ferreum pectus possidemus, vt pro remedio animæ nostræ inter tot mala minimè cogitemus? Deus est, qui minatur. quapropter moneo, vt iam Mundo finiente, humana finiatur malitia.* pulchrè hoc maximè dictum, vt iam desinente Mundo desinamus esse mundani. meritò autem peccatores appellat, *lapideos, & ferreum pectus possidentes*: qui scilicet tot ærumnis affecti, & calamitatibus non molliuntur, non flectuntur.

Ex Tract. de vtilitate ieiunij.

1 Explicat illud Apostoli: *Non quod iam acceperim, aut perfectus sim, &c.) Inter illum populum cœli, & populum terræ medius quodammodo pendebat Apostolus. illuc ibat, hinc se attollebat; nec cum illis tamen erat adhuc, nam diceret, iam perfectus sum; nec cum istis erat pigris, ac somnolentis, nam non diceret; sequor ad palmam supernæ vocationis. ieiunium non est officium Angelorum, nec tamen eorum hominum, qui ventri seruiunt: medietatis nostræ res est, qua viuimus secreti ab infidelibus, & coniungi Angelis inhiantes; nondum peruenimus, sed iam imus. non dum ibi lætamur, sed iam hic suspiramus.* rectè ostendit nos in medio hic positos inter cœlestes, & terrenos, & ideo ieiunio vti, vt sic quantum fieri potest quasi incorporei facti sine cura carnis, Angelis assimilemur. quem statum vide quàm auidè affectare debeamus, *coniungi Angelis inhiantes.*

Ieiunium nos Angelis coniungit.

2 Docet quid tentationi respondendum sit in ieiunio. *Nemo suggerentem intrinsecus audiat inimicum: Quid facis? quid ieiunas? tibi ipse ingeris pœnam; tuus ipse tortor, & cruciator existis. respõde; excrucio me planè, vt Deus parcat. do de me pœnas, vt ille subueniat. excruciatur victima, vt in aram imponatur. si iumento fortè insideres, si equo vtereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? caro mea iumentum meum est; iter ago Hierusalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere. exultantem non cohibebo ieiunio?* elegans dialogismus quo discimus suggestioni Satanæ respondere dehortantis à ieiunio. pulchrè autem ait, animam corpore, quasi iumento, & equo vti indomito, sed domãdo, dũ iter in cœlum affectat. hoc Gonsaga noster intellexit, cum se equi instar calcari ad latus admoto vexabat. Negat tamen dicendum, ideò repugnare carnem spiritui, quasi alter sit auctor carnis, alter spiritus, vt hæretici senserunt; nam & pater domat filium, quem alioquin diligit. Ad hæc ostendit refrænandum sensum etiam aliquando à licitis: *Qui enim à nullis se refrænat licitis, vicinus est & illicitis.* breue monitum, sed præclarum de mortificatione.

Mortificatio etiam in licitis laudatur.

3 Ieiunij finem docet: *Quid iuuat, si caro tua obedit tibi, & tu non obedis Deo? finis ieiuniorum nostrorum sit ad iter nostrum; nam & pagani ieiunant, nec tamen regionem, quò tendimus, norunt.* rectè ieiunium quasi ducem facit ad patriam, de qua dicitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua:* rectè etiam ait, par esse, vt sicut per ieiunium caro domita subiecta sit animo; ita & animus Deo.

Ieiunij finis quis sit.

4 Hæreticos, & schismaticos, qui vnitatem Ecclesiæ diuidunt, eruditè arguit. *Ipsi pagani multos Deos falsos non diuisi colunt, immò plerosque sibi contrarios, & inimicos; nam Hercules, & Iuno inimici fuerunt: priuignus ille, nouerca illa: tamen vtrique eorum pagani templa fecerunt. illis sibi iratis ipsi concordes sunt. Vulcanus item, & Mars inimici sunt, odit enim miser vxoris adulterium; tamen eunt à templo Martis ad templum Vulcani. ecce colentes multos falsos, diuersos, aduersos, tenent nihilominus in ijs colendis qualemcumque vnitatem. nos vnum Deum colimus, nec vnquam patrem, & filium vidimus litigantes; & sub vno vero non teneamus vnitatem?* acutè arguit, ac peio-

Hæretici & Schismatici peiores paganis.

peiores hæreticos, & schismaticos facit gentilibus. nam hi conueniunt in adorandis Dijs, etiam ijs, qui sibi inuicem infensi sunt, at ipsi non conueniunt vnitim in vnius Dei vero cultu. tum astutiam diaboli ostendit, cur has diuisiones induxerit: *Cum desereretur diabolus, & multi ad vnum Deum concurrerent, templa euerterent, idola frangerent, sacrificia prohiberent, quid faceret? quomodo insidiaretur? vnum Deum nobis diuidere non potest, falsos Deos nobis supponere non potest; lites igitur immisit inter Christianos ipsos, sectas multiplicauit, hæreses instituit.* acutè fraus Diaboli detecta in Ecclesiæ vnitate scindenda; cum alia consilia deficerent. similiter de religiosorũ discordijs dicito.

Cur diabolus hæreses excitarit.

5 De hæreticis ad Ecclesiæ vnitatem adigendis sic pulchrè. *Illi gelauerunt in iniquitatibus suis, quomodo tu solues glaciem iniquitatis, si non ardes flamma charitatis?* Vide quid in concionatore, & apostolico viro requirat; iuxta illud. ardeat orator, &c. rectè enim admonet, in conuertendis hæreticis non sufficere æstum quendam ingenij, sed requiri studium ardens orationis, & flammam charitatis. talis arsit in ipso Augustino, Athanasio, &c. & nuper in nostro Bellarmino. Subiungit, ac pergit de modo cõuertẽdi hæreticos. *Nec curemus quod eis molesti videamur compellendo, nunquid ad mortem, an potius à morte? omninò quibusque modis possumus, sed modestè vetusta vulnera pertractemus; & cauti simus, ne inter manus medici deficiat, qui curatur.* Notabile monitum de discretione in corripiendo. Tum ostendit, cur nunc liceat etiam pœnis propositis hæreticos ad Ecclesiæ vnitatem compellere? *Piscatores fuerunt Apostoli, tamen per prophetam dicitur, quod Deus primò piscatores erat missurus, postea venatores. quare hoc? de abysso à profundo maris superstitionis, & idololatriæ credentes piscati sunt Apostoli retibus fidei. venatores autem quò missi sunt? cum illi vagarentur per montes, & colles, idest per superbias hominum, per tumores terrarum, mons enim Donatus, mons Arius, &c. per istos montes errabant, venatoribus indigebat error ipsorum. ideò distributa sunt officia piscatorum, & venatorum, ne fortè isti dicant nobis: quare Apostoli neminem coegerunt, neminem impulerunt? quia qui piscator est, retia mittit in mare, quod incurrit, trahit: venator autem siluas cingit, sentes excutit, terroribus vndique multiplicatis cogit in retia; ne hàc eat, ne illac eat, inde occurre, inde cæde, inde terre. non exeat, non effugiat.* acutè ostendit, cur primò piscatoribus, postea & venatoribus in conuersione hominum Christus sit vsus, ac discrimen ponit. quasi venatio quædam ferarum est, quæ fit à principibus hoc tempore catholicis, inprimis à Ferdinando Augusto, itemque ab Inquisitoribus Ecclesiasticis, vt hæretici capiantur, iaculis minarum, latratu canum, hoc est doctorum terreantur, præsertim ordinis S. Dominici, qui sub canis specie in matris vtero præfiguratus. tandem ita concludit. *Ne attendas quàm sit illi molestus, sed quàm tibi dilectus. qualis pietas, si parcis, & moritur?* exemplum dat de filio, qui lethargicum patrem voce excitat, licèt ille ægrè id ferat. *ergo ne video fratrem meum somno noxiæ consuetudinis premi, & non excito, dum timeo molestus esse dormienti, ac pereunti?* hoc ad omne aliud genus correctionis refer ex zelo salutis proximi.

In conuertendis hæreticis &c. charitatis ardor requiritur.

Cur Deus prius piscatorib⁹ vsus sit in conuersione.

6 Pacis bonum, & diuisionis malum ostendit. *In terrenis hæreditatibus diuisio minorem facit. constitue duos fratres sub vno patre; quicquid possidet pater arborum &c. totum illius, totum & illis. interroganti cuius est equus, aut fundus? illi respondent, noster est; si autem diuidant, iam aliud respondetur, meus est; aut fratris mei est. ecce quid tibi fecit diuisio; non vnum acquisiuisti, sed vnum perdidisti.* acutè hoc notatum, quod pro religiosis, qui in commune viuunt egregiè facit. in communitate singuli habeat totum, in diuisione solùm partem, quod putas augmentum, est decrementum. item quod addit. *Interpellatus aliquando Dominus à quodam, qui ei ait, Domine, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, respondit, dic homo quis me constituit diuisorem hæreditatis inter vos? non vtique dedignabatur Dominus compescere cupiditatem, sed nolebat fieri iudex ad diuisionem. nos autem non eum rerum talium iudicem requiramus, quia non est talis hæreditas nostra, sed dicat quisque: Domine, dic patri meo, non vt diuidat, sed vt teneat mecum hæreditatem. quid est quod non potest diuidi? pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis.* notabilis, & pulchra interpretatio. nam cum Christus esset constitutus iudex viuorum, & mortuorum, & cum ageretur de dirimenda lite, noluit id facere; negauit se iudicem, solùm quod diuisionis esset inimicus, & communionis amicus.

Communicatio bonorum potior est quàm diuisio.

Cur Christus negarit se iudicem fratribus litigantibus.

Ex Tract. de Vrbis excidio.

1 Communes calamitates quemque, licet iustum, primò tribuere

Publicas calamitates sancti tribuunt primo peccatis proprijs.

debere dicit peccatis suis. *Cum orarem*, inquit Ezechiel, *& confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo. certè in tribus quibusdam sanctis viris, quæ liberaturus est Deus, quando magna tribulatio superuentura est generi humano, etiã Danielem posuit, & dixit, quod nemo inde liberabitur, nisi Noe, Daniel, & Iob.* Tum hos ad mysterium refert. *Quando dicebat ista Ezechiel, solus fortasse Daniel in corpore fuit; Noe, & Iob iam somno mortis patribus appositi fuerant; quomodo ergo poterunt de imminente tribulatione liberari; si iam carne liberati? sed in Noe significantur boni præpositi, qui regunt, & gubernant Ecclesiam, quomodo Noe in diluuio gubernauit arcam. in Daniele significantur omnes Sancti continentes. in Iob omnes coniugati iustè, & piè viuentes.* Nota quod Noæ similes faciat prælatos: quàm igitur subditi quieti esse debent, cum in arca etiam immanes natura belluæ, & inter se aduersas tam pacificè Noe habuerit? rectè etiam castos, & religiosos Danieli comparat, vtpote orationi dedito, & contemplationi diuinorum.

Cur Deus nunc permittat excidia vrbium vbi multi sunt iusti; si Abrahæ contentus erat decē.

2 Respondet obiecto, cur in vrbe tunc multis iustis plena, Deus ita sæuierit, cum apud Abraham contentus fuerit quinquaginta, aut etiam decem, vt Pentapolim liberaret? Dicunt: *An non erant Romæ quinquaginta iusti in tanto numero fidelium, tanto numero sanctimonialium & continentium, tanto numero seruorum, & ancillarum Dei, nec quinquaginta, nec triginta, nec viginti, nec decem? si autem incredibile est, quare non propter tot iustos pepercit ciuitati? citò respondeo; aut inuenit ibi tot iustos, & pepercit ciuitati, aut si non pepercit, nec iustos inuenit. Dicis, non pepercit: respondeo: mihi non est manifestum, perditio enim ciuitatis facta non est, sicut in Sodomis. de Sodomis dixit; Non perdam ciuitatem. non dixit flagellabo ciuitatem. Sodomam penitùs igne consumpsit. at ab vrbe Roma quàm multi abierunt, & redituri sunt? quàm multi in locis sanctis nec tangi potuerunt? sed capti, inquis, multi sunt. sic & Daniel non ad supplicium suum, sed ad solatium ceterorum.* Vide quanti faciat Deus præsertim communitatis salutem. permisit Danielem familiarem suum innocentem vnà cum illis affligi; sed vt ipsos iuuaret sermone, & exemplo. subiungit: obijcies magnitudinem calamitatis. *Facta sunt incendia, rapina, strages, &c. putamus nè quisquam tantum, quantum Iob passus horrendus nobis? perditis filijs, &c. puto quod minus in carnem humanam ferrum sæuiret, quàm vermes, tolerabilius de vulneribus sanguis, quàm de putredine distillaret. cadauer corrumpi respicis, & horrescis; sed ideò*

Nulla calamitas nostra æquari poterit ei quã passus Iob.

minor pœna. quia absens anima; at verò in Iob præsens anima, quæ sentiret; ligata, ne fugeret. stabat mulier relicta sola nõ ad cõsolationē, sed ad tētationē Eua noua, sed nõ ille vetus Adam. Dic aliquid, inquit, in Deum, & morere. vide quemadmodum illi mors beneficium fuerit, & id nemo dabat. spectaculum magnum, & in illa fœditate putredinis præclara pulchritudo virtutis. pulchrè omnia dicta. ac nota quod ait, acriores fuisse vermium morsus quàm si fuissent ferri; & animam Iob ligatam, ne fugeret, idest non permissum mori, vt diutiùs sustineret. his addit quiddam aliud de Iob sanè præclarum, quo patientiæ decus ostenditur. *Est profectò magna Martyrum gloria, sed nescio vtrùm minor gloria fuit sancto Iob; nec tamen ei dicebatur: thus pone idolis, sed blasphema. nec dicebat vxor insulsa, & fatua: si blasphemaueris, morieris; quasi verò morienti blasphemo non æternus succederet dolor.* hinc colligit in afflictione gehennam ante oculos præponendam, præ cuius pœnis, temporalis omnis leuissima est. Porrò circa numerum iustorum, quo posito dixit Deus Abrahæ, se parsurum, sic acutè disserit. *Fuerunt Romæ quinquaginta iusti, imò si modum humanum consideret, millia iustorum; si regulam perfectionis, nemo extitit.* Vide quàm absimus à perfecta iustitia. iusti titulum assequi difficillimum est. dixerat autem Deus, se parsurum si talis numerus inueniretur bonorum, non quocumque gradu bonitatis, sed iustorum, hoc est perfectorum. prætereà pulchrè ostendit, etiam dici posse, Deum pepercisse ijs ipsis, qui in ea tribulatione mortui sunt, licet iusti. dicunt enim: *Deus gratia tibi, quia nos à carnis molestia liberasti, quia iam nec barbaros, nec diabolum formidamus. sumus in terra mortui, sed apud te non morituri, in regno tuo salui.* Vide vt Deus communes etiam iustis faciat huius sæculi ærumnas: sed his initium fit felicitatis.

Iob ob patientiam vix cedit Martyribus.

Iusti mors in cōmuni calamitate calamitosa nõ est.

3 Exemplo docet, Deum solitum parcere, minis contentum: narrat factum sub Constantino, siue Arcadio Imperatore. *Volens Deus terrendo emendare ciuitatem, fideli cuidam seruo suo reuelauit, ciuitatem venturo igne de cœlo perituram, eumque admonuit, vt Episcopo diceret. conuersa est ciuitas in pœnitentiæ luctum, quemadmodum antiqua Niniue: ne tamen putarent illum, qui prædixerat, fallaciter decepisse, venit dies, quem Deus fuerat comminatus; intentis omnibus, & exitum cum timore magno expectantibus, noctis initio tenebrante iam Mundo, visa est ignea nubes ab Oriente, paulatim vt accedebat ad ciuitatem, ita crescebat, donec toti Vrbi ingens terribiliter immine-*

Dei comminatio non caret pietate.

ret. videbatur horrenda flamma pendere, nec odor sulphuris deerat. omnes ad Ecclesiam confugiunt, per vicos ipsos, & plateas salus sacramenti exigitur. iam vt exhibuit Deus verbis suis fidem, minui nubes incipit, paulatimque consumpta est. tum populus securus factus iterum audit, omnino esse migrandum, quod ciuitas esset proximo sabbato peritura; migrauit cum Imperatore tota ciuitas; nemo domum clausit, longè recedens à mœnibus; ac vno in loco multitudo fundentis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum subitò vidit, & vocem magnam emisit ad Deum, tandemque tranquillitate perspecta cum ingenti gratulatione salutis omnes redierũt. nemo de domo sua quicquã perdidit patente. quid dicemus? vtrũ ista ira Dei, an potius misericordia fuit, qui voluit terrendo corrigere, non perdendo punire? Notabile factum, vbi Dei comminatio plena pietatis ostenditur, iuxta illud: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* huc pertinet quod Deus flagellaturus Aegyptum grandine, monet per Mosen Pharaonem, vt quisque armenta in tuto loco antea ponat. quis vnquam volens ferire, dicit, caue? signum ergo est, Deum non hoc intendere vt perdat, sed vt emendet. ac præclarè ait: *exercitatio est, non damnatio.* Addit, calamitates permitti à Deo, ne huic Mundo hæreamus. experta est hoc Neapolis nobis testibus in immani illo incendio Vesuuij montis, cui horrendum minitabatur excidium, sed opposito Ianuarij sanguine, & fusis precibus placauimus Deum.

Notabilis narratis de Deo minante & parcente.

4 In afflictionibus præcipuè Christi exemplum ante oculos habendum dicit. *Quod passa est vniuersa illa ciuitas, passus est vnus: sed videte quis vnus; rex regum, & Dominus dominantium vinctus, flagellatus, contumelijs omnibus agitatus, ligno suspensus, & fixus, occisus. appende cum Christo Romam, appende cum Christo totam terram; appende cum Christo cœlum & terram. nihil creatum cum creatore pensatur.* pulchrè quasi in libra appendit omnes creaturas in vna lance, creatorem in altera; ostenditque, quicquid illæ vnitim patiantur, non æquari ipsarum conditori patienti. quo refer illud apud Iob: *Vtinam appendatur calamitas mea in statera, tantò grauior hæc appareret, &c.* item libram illam Critolai philosophi, qui aiebat, si in vna lance ponerentur omnes opes, &c. in altera verò verum bonum, seu virtus, fore vt tantum hæc propenderet, vt terras, ac maria deprimeret.

In communi calamitate respondetur passio vnius Christi.

5 Negat quemquam carere peccato. *Nemo dicat: quare ista patior? immò dicat quod dixit Iob licet sanctus; Exquisisti omnia peccata mea, & ea tanquam in sacculo signasti.* arguit autem eos, qui post conuersionem nolunt peccatores dici, nec aliquid pati; quasi iniuria fiat medico, si iam sanatus dicat, cura vulnus.

Nemo tã iustus vt non indigeat pœnitentia.

Ex Tractatu de Creatione primi hominis.

1 Agit de imagine, & similitudine Dei in homine. *Primò sicut Deus est, viuit, & sapit, ità & anima secundùm suum modum viuit, & sapit. item licet sit illa vnius natura, tres tamen in se dignitates habet, idest intellectum, voluntatem, & memoriam; vnde dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. neque enim sufficit solùm intellectus de Deo, nisi fiat voluntas in amore, & addatur memoria: similitudo verò in moribus cernenda est, vt sicut Deus charitas est, bonus, iustus, patiens, mitis, &c. ita homo, &c.* rectè admonet, qua ratione fieri debeamus Deo similes, hoc est eius perfectiones, quà licet, imitando per opera virtutum.

Imago & similitudo Dei in nobis quę sit.

Ex Tractatu de amore scientiæ boni, & mali.

1 De peccato Adam sic. *Vna fuit arbor in medio paradisi explorans hominis voluntatem. in ea vita pendebat, in ea & mors transgressione latebat. Deus dixit; Si gustaueritis, morte moriemini, & diabolus dixit, Non morte moriemini. Stetit homo inter Deum factorem, & diabolum deceptorem. appetita est venenata dulcedo, & contempta est perpetua salubritas vitæ.* Ait tamen, arborem non ex se malam fuisse, nec in pomo mortem positam, sed in voluntate peruersa. sicut ferrum ex se malum non est, licet ad necẽ aliquis vtatur, at potest vti ad colendum agrum. pulchrè autem constituit hominẽ in eo præcepto. *inter Deum autorem, & diabolum deceptorem.* stultus qui huic adhæsit. rectè dicitur voluptas, *venenata dulcedo.*

Adam inter Deum & diabolum positus huic adhæsit.

Voluptas venenata dulcedo.

2 Respondet obiecto, Si Deus sciebat Adam peccaturum, cur non impediuit peccatum? *Quia inuitum non decuit coronare. victus est, qui non pugnauit, sed ad vnam suggestionem præmium immortalitatis amisit: Iob homo fuit similis illi, pugnauit, & vicit. potuit illi vxor dicere: Confitere Deo, vt propitietur tibi, & viuas. sed blasphema, inquit, Deum, vt indignetur tibi*

Cur Deus non impedierit pec catũ Adã vt præsci-us.

&

& moriaris, vlceribus plenus, &c. elegans collatio Iobi cum Adamo: quantò Iob generosior? nec in primo conflictu, nec in alijs cessit. Addit, Adamum monitum ante de pœna, nec tamen profecisse.

Abel sanguine martyriū dedicauit.

4 Ostendit, Adam non fuisse naturā malum, sed volūtate, alioquin & filios omnes genuisset malos: *Quare vnum innocentem, & alium effundentem innocentis sanguinem genuit? vnus dedicauit martyrium, & alius initiauit parricidium?* præclarè dictum, Abelem dedicasse martyrium sanguine; quod & ad protomartyrem Stephanū refer. certe & Abel lapidibus cæsum ferunt, cum nondum conflatum esset ferrum.

Ex Tractatu de pugna animæ.

Acrior est pugna carnis in iuuene quam in sene.

1 IVuentutis periculum ostendit. *Nos, qui seruimus in ista militia, minores quidem hostes habemus, & tamē habemus. acrior est pugna iuuenum: nouimus eam, transiuimus per eam. quid vultis, ò sancti ò boni præliatores, ò fortes milites Christi? quid vultis? vt non sint omnino concupiscentiæ malæ? sed non potestis; sed facite quod potestis, quod ait Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. exercete bellum, sperate triumphum. ardet libido, noli dare membra; ardeat & consumat se.* acutè dictum; si subtrahis nutrimenta ignis, scilicet carnis, sensus, libido non te, sed se consumet. nota etiam quod innuit, in alijs non parum esse si libidini regni fasces, & potestas detrahātur, vt dominium non exerceat. quid igitur dicemus de Thoma Aquinate, de Aloysio Gonsaga, & similibus? in quibus ne commouere quidem illa se potuit, quasi iam in triumpho captiua, & catenis deuincta. meritò vterque Angelici nomen adeptus. pulchra illa apostrophe ad generosè resistendum concupiscentię. *ò boni præliatores, &c. exercete bellum, sperate triumphum.*

Ex Tractatu de Antichristo.

Antichristus quādo putetur venturus.

1 INterpretatur locum illum de Antechristo. *Nisi venerit discessio primum &c.) hoc est nisi discesserint omnia regna à Romano imperio, quæ prius subdita erant. hoc autem tempus nondum aduenit, quia licet videamus Romanum imperium ex maxima parte destructum, tamen quandiù reges Francorum durauerint, qui Romanum imperium tenere debent, Romani imperij dignitas ex toto non peribit, quia in regibus suis stat. quidam verò doctores dicunt, quod vnus ex regibus Francorum Romanum imperium ex integro tenebit: qui in nouissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium regum vltimus; qui postquam regnū suum feliciter gubernauerit, ad vltimum Hierosolymam veniet, & in monte Oliueti sceptrum, & coronam suam deponet. hic erit finis & consummatio Romanorum, Christianorumque imperij. statimque secūdùm prædictam sententiam Apostoli Antichristum dicunt futurum. hic in Babylonia ciuitate natus, Hierosolymam veniens circumcidet se, dicens: ego sum Christus: ante eius exortum mittentur Enoch, & Helias, qui fideles diuinis armis præmuniant, & præparent electos ad bellum. docentes, & prędicantes tribus annis, & dimidium. mox excandescent Antichristi persecutiones; ac postquam eos interfecerit, & ceteros in fide permanentes martyrio coronauerit, interficiet eum Dominus spiritu oris.* Vide quanta multitudo futura sit Martyrum in fine præsertim Mūdi. ad martyrium igitur nūc maximè quisque paratus sit semper, expectans regnum Dei. Quod autem autem ait de rege Francorum, satis apertè dicit, se ex aliorum opinione loqui. quicquid futurum sit, pietas certè ostenditur, qua ille in monte Oliueti diadema regium depositurus dicitur, æternam accepturus coronam. scilicet Elesboan rex idem fecisse legitur in ipsius actis.

Vide Bellarminū de script. Eccl.

2 Pergit de Antichristo. *Habebit Antichristus magnos maleficos, & incantatores; & maligni spiritus erunt duces eius, & comites. faciet multa signa: arbores subitò florescere, & arescere, naturas in diuersas figuras mutari, &c.* Vide quàm vafrè sit acturus hic Proteus, varios in natura vultus inducens, & ludificans populos. negat autem eum ex Virgine nasciturum.

Astutia Antichristi & versutia

Ex Psalterij expositione.

Oratio in tentatione vsurpāda

1 PIa, & pulchra est illa precatio aduersus tentamenta diaboli. *Obsecro te, Domine, ne vnquam irretire valeat inimicus laqueis igneis animam meam; neque sulphur, & spiritus procellarum agglomeret me, &c.* Vide quàm cauendum sit, ne venatoris tā periti, tam vafri præda fiamus. addo tam crudelis, cuius retia vocat, *laqueos ignitos*, quę & Apostolus appellat, *tela ignea nequissimi*. vide etiam quot, & quantas tempestates excitet in anima dū tentat, vt sollicitè ad Deum per preces recurrendū sit, *ne sulphur & spiritus procellarum agglomeret me*. nempè quid aliud peccata redolent præsertim libido, nisi sulphur gehennæ?

Ex cātici, Magnificat, expositione.

1 EXponit illa duo verba: *In Deo salutari meo.) Deus potentiam, saluta-*

vis misericordiam notat. alterum castum timorem gignit, alterum dilectionem. duo quippe sunt, quæ beati in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt. incomprehensibilis scilicet maiestas, & ineffabilis bonitas. pro maiestate venerantur Deum, pro bonitate amant. admirantes diligunt, & diligentes admirantur, vt & inextinguibiliter ferueat admiratio. nam qui eum, quē vident perfectè comprehendere nunquam sufficiunt, quasi per admirationem euigilāt. quantò autem perspicacius intuentur, tantò ardentius amant. ad hanc igitur contemplationis lucem Mariæ mens eleuata fuerat: nam cum se magnificare Dominum *perhibuit, æterni numinis maiestatem interna visione contueri se manifesta visione declarauit; cum verò se exultare in suo salutari asseruit, gustū se internę dulcedinis percepisse ostendit.* Egregiè, & acutè duo hęc agnoscit in duobus illis *Deiparæ* verbis; & in quo beatitudo cōsistat, ostēdit. porrò notabilis hic locus est, nā si uerba huius Doctoris rectè perpendantur, indicare videtur, Deiparam, cum hoc canticum composuit, ad beatificam visionem interim per transitum eleuatam, & ijsdem actibus operatam; quod non mirum *Dei* matri concessum non semel, quod semel Mosi, semel Paulo, hoc est seruis concessum putatur.

Deipara pertranſitur hquit beatifica visione.

2 Transit ad illud: *Respexit humilitatē ancillæ suæ.) Quatuor modis seruitus variatur. primò secundùm conditionem, qua omnia diuinæ seruituti debent esse obnoxia, vt opus factori suo: secundò ex necessitate Deo seruire dicuntur praua voluntates, quæ in eius iussionibus contrariè nituntur; per ineffabilem tamen eius dispositionem arctantur, vt nihil sine eius nutu ad effectum perducere queant; seruiunt nolentes eius dispositioni. tertia seruitus cum timore est, cū diuina præcepta non ex dilectione implemus, sed ex formidine: quarta cum voluntariè obtemperamus eius iussis, nec aliud commodum nostra seruitute extra ipsum, quem diligimus, quærimus.* acutè considerat quatuor modos exercendæ seruitutis erga Deum. quisque examinet se, in quo gradu sit. Tum ostendit perfectam in Deipara seruitutem per humilitatem fuisse, contra quàm in Eua. De humilitate vero eius sic. *Serui Dei aliquando humilitatem habent, humiliationem non habent: nunquam humiliationem sine humilitate. humilitatem sine humiliatione habent; cum licèt coram hominibus foris despicabiles non appareāt. intus tamen humilitatis meritum coram Deo inuiolatum obseruant. ergo Maria, quæ apud Deum humilis erat, & apud homines, in vtroque se respectam esse testatur.* vide in quo consistat perfecta humilitas, & imitare Deiparam.

Quatuor modis seruire Deo creatura intelligi potest, & quis perfectior modis sit

3 Deinde exponit illud. *Dispersit superbos mente cordis sui.) hoc est profundo consilio suo. Mens cordis est viuax, & permanens dispositio æterna, occultaq; prædestinationis; ipsa est liber vitæ. tribus modis aliquis in libro scribitur: secundùm præscientiam, secundùm causam, & secundùm operationem. quantum ad primum prædestinati sunt scripti, non delentur vnquam licèt ad tempus, quasi periturus quis à via videatur, errare permittitur: secundùm causam scripti sunt, qui à via veritatis cœpta ad errores declinando recedunt: tales autem sunt aliqui, qui digni saluatione existerent, si tales vsque in finem permanerent. secundùm operationem, quorum opera secundùm humanum iudicium talia apparent, propter quæ digni videantur scribi in libro vitæ. qui tamen ea, quę uidebātur agere bona, deserunt; ibi secundùm præscientiam nunquam fuerunt in libro vitæ.* acutè, ac theologicè tres modos distinguit, quibus aliquis scribi in libro vitæ intelligitur. & vide quàm vana sint hominum iudicia, qui bus hypocritæ nituntur. est etiam hoc cōtra mundanos, qui superbis sepulchrorum inscriptionibus commendare suum nomē gestiunt. aliud est scribi in libro viuorum, aliud in lapidea tabula mortuorum. vanitas est, quicquid humana iudicia plaudendo sentiant.

Liber vitæ qui sit & quot modis intelligatur

11 De Deipara diuinum Verbum cōcipiente, sic præclarè. *Dubium non est, cælestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis, quàm miram, atque inenarrabilem suauitatem Virgo conceperit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit; & quem non capit Mundus, totum se intra viscera Virginis collocauit. audacter pronuncio, quod nec ipsa planè explicare potuit, sed Spiritu sancto dedicerat sic sua per humilitatem tegere.* Nota eius excellentiam, cum toto maiestatis diuinæ fulgore excepit Verbum. qua charitate putamus impletum vterū? aiunt tunc per transitum *Deum* in ipso splēdore gloriæ vidisse. sed cur dicitur obūbrata Spiritu sancto? an quia docuit illam humiliter tegere sacramentum tantum etiam ipsi viro Ioseph? an quia fulgor diuinitatis carnis nube, quod humana hebescerer acies, obtectus? vide quāta res sit Incarnationis mysterium, quàm ineffabile, quod ipsi matri sit inexplicabile. quid mirum quando & Machabęorum mater de filijs, quorū uirtus eximia spectaculo erat, sic ait: *Nescio quomodo in vtero meo apparuistis.*

Incarnationis mysterium ineffabile ipsi Deiparæ.

FINIS LIBRI IX.

PON-

PONDERATIONVM CONCIONALIVM IN S. AVGVSTINVM

LIBER DECIMVS.

Continens Tomi Decimi præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

Ex Serm. de Verbis Dom. in Matth.

Ex Sermone I.

1 DE huius vitæ periculis sic. *Inter casus ambulamus; si vitrei essemus, minus casus timeremus. quid fragilius vase vitreo? & tamen seruatur, & durat.* at licet nos vitemus ictus, intrinsecus mortales sumus, conditio ipsa nos frangit. Addit de temporis volubilitate. *Valde errant homines, cum dicunt: accedent puero anni, & prudens erit. non anni nobis accedunt, sed magis decedunt. non veniunt vt sient nobiscum, sed abeunt, & ferunt nos.* acutè ait, annorum non tam accessum esse, quàm decessum; & sicut torrentis impetus trahit secũ quicquid habet obuium, ita tẽpus, &c.

Fragilitas huius vitæ.

2 Interpretatur illud: *Si vadis cum aduersario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo: ne fortè tradat te principi, & princeps ministro, & mitteris in carcerem.* Negat hoc loco aduersarium intelligi de diabolo, quia alter Euangelista ait: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dũ es cum illo in via, &c. Nunquid diabolus est, cui consentire debet Christianus? absit. sed si peccas, aduersarius tuus sermo Dei est. delectat te adulterari, nugari, &c. dicit tibi sermo Dei: Noli. ô quàm bonus aduersarius, qui nostram quærit vtilitatem. aduersarius est nobis, quandiu sumus & ipsi nobis. esto tu tibi amicus, & concordas cum illo. porrò via vita ista est. si concordauerimus cum illo, finita via non timebimus Iudicem, ministrum, carcerem.* acutè conciliat dicta vtriusque Euangelistæ, quæ videbantur inter se pugnare. nempe Dei præceptũ esse, quod nos accusabit in iudicio, nisi ipsum in hac vita seruauerimus, & hoc sine mora: *Esto consentiens citò.* agitur enim de damnatione perpetua. acutè itẽ ait, tãdiu Dei præcepta vocari aduersariũ, quandiu nos ipsi nobis aduersamur per carnis rebellionem. porrò similiter dixit Romanus Orator: est tibi grauis aduersaria, & cõstituta incredibilis quædam expectatio, id est bona opinio, quam omnes habent de te, nisi ei respondeas, ipsa te condemnabit.

Præceptũ Dei non seruatum nos accusabit.

Ex Sermone II. & IV.

1 COnciliat illa quoque duo loca: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. &c.* & mox. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* sed aduertendum in primo loco quod subiungit: *vt glorificent patrem vestrum.*) *vt intentionem innotescendi non habeat, nisi in laudibus Dei, propter eorum, quibus innotescit, vtilitatem. qui tales sunt, nec suam iustitiam deputant, sed eius, ex cuius fide viuunt.* rectè adnotat præsertim illud contra hypocritas. alibi dicit: *iustitiã vestram: quam scilicet suam putant. sed iustus agnoscit à Deo: verè lumen eius lucet hominibus, quia lux de illo lumine charitatis radiatur, nõ superbiæ fumus euomitur.* pulchrè dictum, in iusto tanquã in nitido speculo excipi lucem à Sole iustitiæ, iuxta illud: *Omne donũ desursum est, descendens à patre luminũ;* in hypocrita fumũ esse, nõ lucem. Similiter cõciliat illa duo Pauli loca: *Placete omnibus per omnia, sicut, & ego omnibus per omnia placeo:* cũ alibi dicat: *Si hominibus placerẽ, seruus Dei non essem. Sed intentio cordis quò spectet, intuendũ est; statim enim subiungit, cur hominibus placeret: Nõ quærens, inquit, quod mihi vtile est; sed quod multis, vt salui fiant.*

Bonum nomen cum humilitate concordat.

2 Exponit illud Iacobi: *Linguam autẽ suã nemo domare potest.*) *Quid ergo faciemus, fratres mei? cum scriptum sit: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. ibunt ergo omnes in gehennam ignis? absit. sed intelligant; si linguã nullus hominũ domare potest, ad Deum, qui domet, cõfugiẽdũ esse: equus non se domat, leo non se domat: sic*

Deus domitor linguæ vehiti belluæ.

sic & homo non se domat: sed vt dometur bestia, quæritur homo; vt autem dometur homo, quæritur Deus. ergo, Domine, confugimus nos ad te, benè nobis erit de te; malum enim est nobis de nobis. egregiè ostendit, sicut inferioribus animalibus domandis requiritur natura superior, hoc est homo; ita domādis hominibus Deus. domat autem homo bestias, non viribus, sed ratione, & industria: *Inde fortior es leone, vnde factus es ad imaginem Dei. imago Dei domat ferā, & non domat Deus imaginem suam?* præclarè dictum, bestias etiam immanes subijci homini, quatenus in illo est imago Dei, per quam ratione, & arte vtitur in ipsis domādis. multò magis igitur homo ipse domitorem Deum habet, quem & habet auctorem. Addit: sicut domitor ferarum vtitur aliquando flagellis, ita & Deus. sed homo domans iumentum, non dat ei nobiliorem statū, sicut dat Deus homini. quò pulchrè spectat illud psalmistæ: *Sicut iumētū factus sum apud te, & ego semper tecum.* & statim subiungit: *Tenuisti manum dexterā meā, et cum gloria suscepisti me*; & illud Zachariæ *posuit eos quasi equos gloriæ suæ.* concludit igitur, ad Deum confugiendum in omnibus, citans illud: *Domine refugium factus es nobis. Tu refugium, vt nasceremur, cū nō eramus. tu refugiū, vt renasceremur, cum mali eramus, &c.*

Bestiæ domātur ab homine ob imaginem Dei.

Ex Sermone V.

1 EXponit Christi dictum: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester, &c.) Miranda res, fratres, mali sumus & patrē habemus bonum; sed ideo mali bonum patrē habemus, ne semper mali remaneamus.* rectè admiratur Christi pietatem, qui cum malos appellasset, subiunxit: *pater vester.* non dixit, pater meus, vt alibi: adeò inuitauit hoc apposito ad relinquendam propriam malitiam, & petendam ab ipso, sequendā quò bonitatem, ne degeneres essent.

Christi benignitas patrē Deum nobis communicando.

2 Auaros sic increpitat. *Habes, & adhuc cōcupiscis. plenus es, & sitis. morbus hic est, nō opulētia. quomodo te delectat opulentia, qui habes hydropē conscientiā?* Vide q̄ fallātur mundani: felicitas putatur, q̄ morbus est; cui tū sic medetur: *Habes aurū bonū; habes nō vnde sis bonus, sed vnde facias bonum: Dispersit, inquit, dedit pauperibus. iustitia eius manet in seculū seculi. fac bonū de bono, vnde nō es bonus. minuitur pecunia q̄ relicturus es; sed augetur iustitia, quā in æternum possessurus es. consiliū do lucrosum; disce mercari.* lepida est illa de auri bono dissertio. acutè in psalmo largitioni tēporali respōdere ait id quod æternum est.

3 Perseuerantiā in orādo cōmendat. *Ille, qui nolebat dare, petita fecit, quia ille petendo non defecit.* & hic lepor est in verbis. alludit autē ad illud euāgeliū de petente tres panes ab amico, & propter importunitatē tandē inpetrante. Tū sic. *Seruat sibi Deus quod non vult citò dare, vt discas magna desiderare. diū desiderata dulcius obtinentur; citò autē data vilescunt. pete, quære, insta: petendo, & quærendo crescis vt capias.* egregia vtraq; ratio, cur Deus petita differat: tū vt quod datur, charius habeatur, ac seruetur; tum vt abundantius det quod ardentius est petitum.

Deus nō statim petita dat ob bonū nostrum.

4 In oratione quid spectandū sit, docet. *Attendamus à quo petimus, & qui, & quid petimus. à Deo bono petimus homines mali, petimus iustitiam, vt simus boni, & quod in æternum habeamus; mendici .n. Dei sumus.* at verò cū nos pauperibus damus, attēde. *Qui petunt? miseri. à quibus? à miseris. qua fronte petis à Deo qui nō agnoscis parē tuū? Non sum, inquis, talis. nēpe obsericatus loqutur ista de pannoso; sed ego vtrūq; nudū interrogo. Nihil, inquit Apostolus, intulimus in hunc Mundū, sed nec asportare inde aliquid possumus.* rectè vrget; nec. n. vestis discrimen facit, sicut nec cibi diuersitas. *Interrogo qd pretiosus ipse cibus sit, cū intrauerit? nōne si specularia in vētre haberemus, de his ipsis erubesceremus?* rectè ostendit in quantam vilitatem abeat pretium gulæ.

In oratione quid spectādū.

5 Exponit illud Apostoli: *Qui volunt diuites fieri, inseruerunt se doloribus multis &c.) Aliud est esse diuitem, aliud velle dicitē fieri: non diuitiæ, sed cupiditas accusatur.* acutè aduertit modum loquendi Apostoli. Tū huius cupiditatis dānū proponit ex eodē: *præcipe, inquit, diuitibus huius Mūdi nō superbè sapere. præcipe, idest ante omnia. omne pomū habet vermē suū; & alius est vermis mali, alius pyri, &c. vermis diuitiarum superbia.* rectè pomis comparat res huius vitæ corruptioni obnoxias. ita Iob de se rege ait: *Dies mei transierunt sicut naues poma portantes.* honores enim, & voluptates huius seculi pulchra ad aspectum videntur, & quasi suaui odore fragrāt, vt poma, sed aut intus vermis est, aut facile putrescunt: & quis crederet superbiam vili vermi comparari, & si quid est boni, arrodenti, & absumenti? & rectè cum de pomo similitudo fit, mentio fit de insitione: *inseruerunt se doloribus multis.*

Humana poma corruptibili comparata.

6 Ostendit quantum ipse abhorreret à plausu. *Audistis, laudastis: Deo gratias. laudes istæ grauant nos potius, & in periculū mittunt. toleramus illas, & tremimus inter illas. laudes istę vestrę folia sunt arborū, fructus quæritur.* huc refero illud Cant. *Videamus si flores fructus parturiunt.* notabile planè monitum ad concionatores. contremiscere se dicit Augustinus inter plausus, scilicet solida illa columna virtutum.

Non plausus sed fructus in concione requiritur.

Ex

Ex Sermone VI.

Vocationis beneficiũ quãtum ſit.

1 GRatiæ beneficiũ oſtendit. *Quid in dotem ſponſo attuliſti? nonnè pannos peccatorum? abiecit pannos tuos; miſertus eſt, vt ornaret; ornauit, vt amaret.* facit hoc in primis pro ijs, qui ſe Deo dicarunt in religione relicto ſeculo: ſponſalitium illud eſt inter animam, & Deum. quò ſpectant illa apud Ezechielem: *Ornaui te diſcoloribus, &c.* habes ibi mundum muliebrem ex ornatu virtutum. rectè autem totam illam ſæculi pompam vocat pannoſam, vilis enim eſt apud Deum; egregiè item ſubiungit: *Ornauit, vt amaret*, quamobrem ſic ornatæ ſpõſæ dicitur: *ecce tempus tuum tempus amantium.*

Aduerſitas nouaculæ cõparatur.

2 Exponit illud pſalmi, *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.) Quare dolum putatis nouaculæ comparatum? quia non tollit, niſi ſuperflua noſtra.* nempè capilli ſine detrimẽto raduntur, ità aduerſitas terrena tollit bona, ſed non ſine merito: *ſed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* acutè de nouacula, quam tribulationi comparat, expolit enim animam, & terrena deſideria velut abradit.

Aduerſitas non nocet iuſto in ſinu Dei.

3 De fiducia in Deũ ſic: *Quid times hominẽ homo in ſinu Dei poſitus? tu de illius ſinu noli cadere, &c.* præclarè dictum hoc ſolùm timendum: nè Dei ſinu cadamus: non eſt homo perſequens timendus, dum ſumus in loco tam tuto ſimul, & grato. huc faciũt illa: *Portabam eos in ſinu meo; Ego nutricius Ephraim, &c.* Addit in hanc ſententiam. *Iſta tota potentia ſæuientium eſt, id facere quod fungus.* nam & hic cum vilis ſit mortem aliquando poteſt afferre, non igitur potentia ad necandum glorientur tyranni, cum id poſſint, quod fungus vile excrementum terræ.

Diſtractio in orando taxatur.

4 Arguit malè orantes; *Quidam in Eccleſia corpus habent, alibi cor. ſi intus eſt, quod videt homo, quare foris eſt, quod videt Deus?* acutè. nota de diſtractionibus in orando, cum potius ad Deum pertineat videre, quæ intus ſunt, ideſt cor; ſed hoc non in templo, ſed foris eſt, cum diſtrahimur.

Ex Sermone VII. & ſeq.

Vocationi ſtatim parendũ.

1 PVlchrè abſtrahit adoleſcentes à ſæculo, exponens illud: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.) Vocat te Oriens, & tu attendis Occidentem?* eſt contra eos, qui prolongant vocationem ad religionem, ac differunt poſt ſuorum mortem. de Chriſto dictum: *Oriens nomen eius.* vocatio eſt quaſi primus Solis orientis radius poſt noctem ſæculi.

Iuſtus quod non ſit impius à gratia agnoſcat.

2 Contra eos, qui de ſe præſumunt, exponit illud ad Heliam dictum: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerũt genua ante Baal.) ideſt ſolum te, Helia, putas eſſe ſeruum bene laborantem? ſunt & alij. quid eſt, reliqui mihi? ego illos elegi; niſi gratia mea plenus eſſes, nonnè ante Baal etiã tu genuflecteres?* horrendum dictu. nota agitur in tam illuſtri propheta de peccato idololatriæ, ad quam ipſe quoque incidiſſet, niſi fultus eſſet Dei gratia, immò niſi plenus, hoc eſt abundanti quadam gratia, & efficaci fultus. vide quantum quiſque, licèt ſanctitate nunc præſtet, timere debeat, & nihil de ſe præſumere, nec de alijs ſiniſtrè ſentire; eſto ſis religioſus qualis erat Helias, de ſecularibus quoque multi ſunt pij.

Amor amara facilia facit aut nulla.

3 Explicat illud: *Iugum enim meum ſuaue eſt.) Secari, & vri ſe patiuntur homines, vt dolores non æterni, ſed diuturniores acriorum dolorum pretio redimantur, quos æſtus, quæ frigora perferunt venatores, &c? omnia ſæua, & amara prorſus facilia, ac propè nulla efficit amor: quantò certius, ac facilius faciet charitas ad beatitudinem, quod cupiditas facit ad miſeriam?* eſt in hoc certè, quod erubeſcamus. tam deſides, & ignaui in Dei obſequio ſumus, cum mundani tam impigri, tam fortes in ſtudio terrenorum. nempè ex amoris indigentia hoc prouenit.

Ædificiũ ingens fundamẽtum item altũ requirit humilitate.

4 Profundiſſimam ait noſtram eſſe debere humilitatem, quaſi fundamentum altiſſimi ædificij. *Quò peruenturum eſt cacumen ædificij? citò dico, vſque ad conſpectum Dei. videtis quàm excelſum eſt, quanta res eſt conſpectus Dei?* magnum pondus habẽt hæc verba. eſt hoc in eos, qui ſalutem, & beatitudinem paruum negotium putant, ac proinde paruo contenti ſunt: cogita quanti ſumptus fiant in ædificijs: quid agendum in hoc, vbi Apoſtolus pro cœmentis ponit: *aurum, argentum, & lapides pretioſos:* Correſpondere autem debet altitudo fundamenti, hoc eſt humilitatis ſublimitati ædificij.

Dei prouidentia commendatur.

5 Diuinæ prouidentiæ fidendum monet. *Oculum in te non intendit ſuum, qui fecit tuum? qui finxit oculum non conſiderat? non te curat, cum iam ſis, qui vocat & quæ non ſunt, tanquam ſint, creans te?* rectè argumentatur ex antitheſi, & addit in hanc ſententiam eleganter. *Sub arbore, inquit, fici vidi te) videt te Chriſtus in ũbra tua; nõ te videbit in luce ſua?* ideſt in luce Gratiæ?

Ex Sermone XII. & ſeq.

1 EOs arguit, qui nullam de ſua conſcientia rationem habent. *Quid*

Quid prodest plena bonis arca, inanis conscientia? bona vis habere, & bonus esse non vis. non erubescis, si domum plenam bonis, te autem habes malum? nec caligam vis habere malam, & tamen vis habere malam conscientiam; omnia elegantia, & pulchra circa te vis, & tibi ipse vilis, & fœdus es. si tibi possent respondere bona tua, quæ domi sunt, nonnè clamarent: Sicut tu nos bona vis habere, ita & nos volumus bonum habere dominum? &c. acutè arguit: ipsum aurum, pulchræ sculpturæ, ac picturæ, domus ipsa laqueata, & parietes peristromatis ornati clamare videtur, & exprobrare domino suo vitiorum fœditatem. quod etiam dixerim de hac ampla Mundi domo; Solem, Lunam, stellas, elementa, & cetera mixta, ac Mundum ipsum græcè à pulchritudine nomen sortitum, exprobare ministerium suum, quod ipsa præbent homini vitijs fœdo.

Stultum est pulchram habere supellectilē & fœdā animam.

2 Eleganter duo de Petro loca conciliat. *Petrus dicebat Christo; Nolo te mori, sed melius dicebat Christus: Volo pro te mori. denique quem paulò ante beatum dixerat, Satanam appellat: in momento vno infra pauca verba miraris? differentias attende causarum: beatus, quia pater reuelauit; hoc ex meo, illud ex tuo.* elegans de morte certamen inter Christum, & Petrum. tum considera Christi pietatem mori pro nobis optantis, & hominis ex se indignitatem.

Certamē de morte inter Christum, & Petrum.

3 Auertit animum ab amore sæculi. *Vnicuique sua cupiditas tempestas est, amas sæculum? absorbebit te, amatores suos vorare nouit, non portare.* præclara sententia in mundanos. huc ego refero illud Iob. *morietur in tempestate anima eius.* ex hebræo verti potest, *in adolescentia*: idem enim nomen vtrumq; significat. quid mirum? quādo & poetæ ipsi Venerem in mari tempestatibus obnoxio enatam dicunt; Hieronymus quoque Charybdim, & Scyllam in Mundo naufragijs obnoxio agnoscit.

Seculi pericula, & naufragia.

4 Prosperitatis periculum ostendit. *Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat. magnæ felicitatis est à felicitate non vinci.* rectè admonet: dum felix sis, puta te in arenam descendere ad luctam. felicitas ipsa tibi aduersaria est: dum superbum facit, sternit.

Magna felicitas à felicitate non vinci.

Ex Sermone XIV.

1 PVlchrè de interpretandis sacris scripturis. *Cum possemus intellectum mysticæ significationis exculpere; quasi de abstrusis fauorum cellis mella producimus.* Vide quàm artificiosè velut in sculptura quadam fit mysticus sensus in sacris libris efformandus. inde etiam tanquam è cellis mystica interpretatio, mellis suauissimi instar producitur, præsertim quam sancti doctores velut apes è floribus efformarunt. habes igitur & sculpturæ peritiam, & mellificij gustum.

Interpretatio scripturæ cōparata sculpturæ, & mellificio.

2 Ecclesiæ in persecutionibus securitatem demonstrat. *Quātumuis mare sæuiat, ventus incumbat, nauis ista turbetur tantum, non mergatur, & currat. nauim istam æstuantium volumina vndarum, & furentium flabra ventorum, dum eam huc atque illac circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quascunque inuenit, aduexit.* argutè, & pulchrè dictū de Ecclesiæ naui: persecutiones quasi venti vehemētes potius fecerunt, vt velocius curreret, & omnes insulas, & loca terrarū perueaderet, onusta mercibus animarū. nec minus pulchrè addit. *Surgebant fluctus, sed calcabantur; sub domini vestigia fremens pelagus murmurabat, sed eum volens, nolensuè portabat.* Vides quàm irritæ, & vanæ persecutiones fuerint: Tum de Petro ad eum tēdente super vndas sic: *Iube me venire ad te super aquas. quomodo non in mari erit mihi via, si tu iusseris, qui pro nobis factus es via? ego, inquit, sum via, veritas, & vita* acutè ostendit vnde tanta Petro fiducia fuerit, tendenti ad Christū in medio vndarum, quia scilicet audierat ipsum esse viam.

Persecutio ecclesiæ nauim quasi ventus prouexit.

Vnde Petri fiducia super mare ambulandi.

Ex Sermone XV.

1 ACutè item interpretatur illud Petro dictum de remittenda offensa: *Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies;) Ab Adam vsque ad Christum septuaginta septem generationes numerantur: quem ipsum numerum dominus hic in remissione peccatorum numerauit, quoniam à baptismo cœpit Euangelista numerare, in quo omnia peccata soluuntur.* Nota, cur Christi natiuitas sit numerata per generationes septuaginta septem: vt significaretur, eum natum ad remittenda peccata, quippe eundem numerum ipse enunciauit in remittendo fratris peccato.

Cur Christus septuagies septies remittendum dixerit.

2 Nō ideò, quòd pecuniam alter subripuit, cum odio habendum ait, quia ipso odio maiorem facis iacturam, nempè salutis. *Quære quis grauius damnum est perpessus? ille perdidit rem perituram, tu factus es periturus.* lepidè hoc vltimum. Tum exponit illud de reconciliatione. *Relinque ibi munus tuum ante altare, &c.) Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quàm quod tu inuenisti in horreo tuo.* condonatio igitur gratior Deo est, quàm donatio: nēpè præcipuum munus est ipse offerens. ideò ex 70. puto dici, *Inflammauit Deus super*

Odium ex rapina auget iacturam.

Condonatio Deo gratior quam donatio.

per Abel, & super munera eius. prius flamma lucida cecidit super Abel, quasi super victimam, sed innoxia; tum super munera eius, hoc est oues, quas incendit.

Ex Sermone XVI & XVII.

1 CORrectionem primò secretam esse debere ait. *Aliquando homines nos reprehendunt, quod quasi non corripiamus; aut putant nos scire, quod nescimus, aut nos tacere, quod scimus. non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. non prodimus malum, sed secretò arguimus; vbi contingit malum, ibi moriatur malum*. est hoc contra eos, qui indiscreto zelo volunt publicè, ac seuerè argui, & puniri ea, quæ alij delinquũt. egregiè dictum: *Vbi contingit malum, ibi moriatur malum*: simile est illud: *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te*.

Correctio non statim publicè facienda.

Eccl. 19.

2 De non differenda pœnitentia sic. *Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt: cras, cras, & subitò ostium clauditur. remãsit foris cum voce coruina, qui non habuit gemitum columbinum. cras, cras corui vox est. geme vt columbus, geme non inani gemitu*. huc refer coruum inter cadauera manentem, aut diluuio oppressum, & columbam cum viridi olea redeuntem. pulchrè autem opponit inter se vocem coruinam, & gemitum columbinum. concludit egregiè. *Quia dies vltimus est incertus, corrige te hodie propter cras*.

Dilatio pœnitentiæ vox coruina est, non gemitus columbinus.

3 Impatientes homines carpit. *Nonnè audiuimus homines in afflictione dicentes: Domine, mitte mihi mortem; sed in ægritudine statim curritur, medici aduocantur? &c. dicit tibi mors, ecce adsum, quam petebas, quid modò me fugis?* huc pertinet apologus ille lepidus de vetula, quæ sarcinam grauem ferens, inuocatæ morti, & præsenti respõdit, ideò se inuocasse, vt laboris partem ferret.

Impatiẽtia taxatur.

4 A viuendi nimia cupiditate abstrahit animum: *Quid est diù viuere, nisi diù torqueri? & cum crescunt pueri, quasi accedunt illis dies, & nesciunt quia minuuntur, & ipsa est falsa computatio; crescentibus enim decedunt potius dies, quam accedunt. inepti homines gratulantur suis natalitijs. ò virum prudentem, dies perdis, & gaudes?* rectè de temporis fuga, & inepta lætitia celebrandi natalis diei. Ecclesia potius obitum Sanctorum natalem vocat diem. subiungit. *Vita vtique non est, nisi beata; dies ille nescit ortum, nescit occasum*. Vide quis verè dies natalis sit, ille scilicet quo vitam auspicamur æternam, non quo hanc, quæ præterfluit, & malis est obnoxia.

Natalis dies inani lætitia celebratus taxatur.

Ex Sermone XVIII.

1 NOn ideò Ecclesiam nunc deteriorem esse dicit, quia non tot contingunt miracula; nam olim ob infirmitatem tam multa contingebant: *Signa data sunt infidelibus, non fidelibus*, ait Apostolus; propterea Christus cum cicatricibus surrexit. *Cicatrices ostendebant eũ, qui omnia vulnera in alijs sanauerat; ob sananda vulnera dominus cicatrices in se seruauit*. Nota cur cicatrices dominus seruauit in se, vt ostenderet se nostrorum vulnerum curatorem, nam cicatrix sanatum vulnus ostendit. subiungit: *Miracula fecit dominus, vt inuitaret ad fidem: hæc fides feruet nunc in Ecclesia toto Orbe diffusa, & nunc maiores sanitates operatur, quantò melior est sanitas animæ quàm corporis*. Vide quantum præponderet animæ salus. si quis Indicas præsertim regiones spectet, dicet: *Hæc fides feruet nũc in Ecclesia toto Orbe diffusa, scilicet* per religiosos, multos, quorum institutum est incumbere quà scribendo, quà prædicando in animarũ salutem: certè cũ S. Thomæ miracula quærerentur, ait summus Pontifex: Quot articuli, tot miracula.

Non est deterior nunc ecclesia ob pauca miracula.

Cur Christus cicatrices seruauit.

Feruor fidei in cõuersione animarũ pro miraculis est.

2 Ad rectam intentionem hoc pulchrè pertinet. *Tota cura esse debet in cordis oculo sanando, quo videndus est Deus. cum fecit te ad se, daret ne tibi, vnde videres Solem, quem fecit, & non vnde videres eum, qui te fecit?* egregiè monet. vide quanta sit adhibenda cura in sanando cordis oculo, nempè quo videndus est ipse Deus, iuxta illud, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. vide quantò præstantior sit oculus cordis interior quàm hic exterior quàm hic benè munitur à natura palpebris, & supercilijs? quàm ægre fert vel puluerem leuem?

Oculus cordis quam custodiendus.

3 De Adæ peccato sic. Adam abscõdit se post peccatum, ergo ante peccatum gaudebat Dei præsentia. *post cæcitatem vmbras petit, densa siluarum*. rectè cæcitatem vocat, mentis scilicet, vel cum dicuntur aperti oculi eius. vide quanta confusio ex peccato: frondosas vmbras petit, qui inciderat in vmbram mortis; & qui antea sub vmbra, idest protectione Dei erat, euadens quasi folium venti ludibrium, folijs se obtexit.

Adæ cæcitas per peccatũ.

4 Furtum, & rapinam exagitat. *Clamabat Tobias propter hædum, ne de furto esset, nolebat sonum furti audiri in domo sua*. Vide quàm delicata esset eius conscientia, vt non modò rem ipsam raptam domi habere nollet, sed nec ipsum sonum, & vocem hædi, licet non certò rapti. vox illa hædi pro iaculo erat, qui conscientiam feriebat: vox illa licet dispersa per aerem eua-

Conscientia delicata Tobiæ laudatur.

euanesceret, hærebat pauido cordi.

5 Pergit in eiusdem Tobiæ laude. Potius dicenda cæca vxor, quæ reprehendebat iustitiam Tobiæ, quàm ipse Tobias. *Illa erat foris in luce Solis, hic erat intus in luce iustitiæ: quis eorum erat in luce meliore?* pulchrè vtramque lucis vsuram componit, & hanc præponit. Addit ad hanc laudem. Tobias filium docebat dicens, *Fili eleemosinæ non sinunt ire in tenebras. consilium obtinendæ lucis cæcus dabat. si filius responderet miratus: Quid tu, pater, qui eleemosinam fecisti, nonnè in tenebris es cæcus? sed nouerat filius de qua luce diceret filius patri. porrigebat manum, vt ambularet per terram; & pater filio, vt ambularet in cælo.* eleganter dictum per anthitesin. vera cæcitas, aut visio, mentis est; Tobias cæcus consilium perspicax dabat filio de eleemosinis faciendis, nè iret in tenebras, licet ipse, qui has fecerat, incidisset in tenebras. Nota item quantum antecellat bonum consilium datum, ceteris auxilijs externis; nam manus videntis filij motu ducebat cæcum parentem per terrenum iter, cæcus verò parens bono cõsilio quasi manu ducebat filium in cœlum, interim in sinum Abrahæ.

Vxor Tobiæ in sustans potius, cæca quàm ille.

Consiliarius bonus producè viæ est.

6 Transit ad Mosis laudes, conciliare conantis populum cum Deo. *Intercedit Moses pro populo, & habuit occasionem recedendi, nè scilicet immundum tangeret; non fecit tamen; & nè videretur necessitate compulsus potius, quàm charitate id fecisse; obtulit illi Deus alium populum: Faciam te, inquit, in gentem magnam, at ille non accepit. cohæret peccatoribus, petit pro peccatoribus, & quomodo petit? magna dilectio, videte maternam dilectionem. cum Deus minaretur sacrilego populo; pia Mosis viscera contremuerũt, opposuit se iracundiæ Dei: Si non dimittis, dele me de libro vitæ.* meritò commendat insignem Mosis erga populum suum dilectionem, orat etiam cum suo dispendio; recusat, qui offertur, maiorem dominatum in alias nationes magis numerosas, & magis obsequentes. ponderà illud: *materna Mosis viscera tremuerunt*; ad minas videlicet Dei in populum, quasi eum ipse genuisset.

Mosis eximia in populum suum charitas quasi materna.

Ex Sermone XIX.

1 Docet in omni statu posse hominem saluari, exponens illud. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c. Nonnulli qui militiæ cingulum detinent, se excusant hac voce, quòd militant; proinde quasi militia hominum, non voluntas in culpa sit,* nempè multi sancti viri, vt omittam integras legiones, sanctissimè in militia vixerunt, vt S. Martinus, S. Sebastianus, & alij, & S. Ioannes Baptista militibus maximè prædicare solitus, quibus facilè persuadere poterat expugnandum ab ijs regnum Dei. nempè & Christus dixit; *à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Tum refellit aduersarios. *Statim mihi respondet homo sæcularis: Nunquid monachum sum professus, aut Clericum? quasi ceteris licere possit quod non licet.* quàm sæpe nostras aures verberat hoc tempore eadem stulta vox mundanorum, liberè, licenterque viuentium? quasi lex Dei solùm ad religiosos pertineret, ac non potius ad omnes, qui salui esse volunt.

Militaris ars non impedit quo minus probus sit.

2 Exponit illud Pauli: *Nemo militans Deo, obligat se negotijs secularibus) Clerici militant Deo; horum cingulum castitas est. sint, inquit, lumbi vestri præcincti. milites Christi sumus, & stipendium ab ipso, donumque percepimus, sicut dicit Apostolus: Qui dedit nobis pignus spiritus.* præclarum est quod ait: Imperatores militibus præbent stipendia; item ornamenta, vt armillas, torques, coronas; vel tesseras dono dabant, in quibus notatum quid acciperent: nobis pro tessera est gratia sancti Spiritus, pro stipendio eius eximia dona. & balteus ille quàm honorificus, castitas? quis non sub Deo imperatore libenter militet, ac tam larga stipẽdia mereat? & quàm turpe est soluto balteo esse discinctum?

Clerici milites Christi stipendiati à Spiritu sãcto.

Ex sermone XX. & XX.

1 Erret rapaces sic. *Esuriui, inquit, & non dedistis mihi manducare.* *diligenter attendite: in ignem mittetur qui non dedit rem propriam, quò mittendus est, qui inuasit alienam? si cum diabolo ardebit qui nudum non vestiuit, quid qui expoliauit?* rectè arguit; ac vide cur Christus, de his tantùm meminerit, vt hinc constet quantò seuerius alia grauiora crimina iudicanda sint.

Cur Christus in iudicio immisericordes maximè arguet

2 Paucis, sed pulchrè ad cœlestia erigit animum. *Concupisce vitam æternam. certus erit partus tuus; non erit abortus.* rectè indicat, mundanorum animas velut abortire, hoc est fœtus informes, & immaturos edere, quia ante tempus gaudium quærũt. sed hoc mox vt abortiuũ peribit. at iustus maturum partum edit in lucem æternitatis.

Mundanorum gaudium abortiuũ est

3 Quàm absurdum sit hominem superbire, sic docet. *De Diabolo debent erubescere mortales superbi. etiam si diabolus superbit, non est terra, & cinis; vos autem sicut homines moriemini; non attenditis quia mortales estis, & sicut diabolus superbi estis. non audis: Quid superbis terra, & cinis?* Vides maiorem audaciam in homine superbo, quàm in ipso diabolo. huc facit

In homine magis quã in diabolo superbia indecens est.

cit quod addit. *Cetera bona, & mala nostra incerta sunt, sola mors certa. dicimus: fortè ægrotat, fortè &c. non autem, fortè moritur.* quia indubitatum est omnes morituros.

Ex Sermone XXII. & XXIII.

1 EXponit illud de decem Virginibus; *Prudentes verò tulerunt oleum in vasis suis cum lampadibus.) Apostolus dicit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. oleum homines mittere intrò possunt; oliuam creare non possunt, de Dei dono est hæc oliua.* Vide quid sit bona conscientia, lampas coronis ornata, & ardēs Deo; hoc autem oleum ex Dei dono est expressum; Deo igitur luceat. sequitur: *Ite potius ad vendentes &c.) Quia post hanc vitam nemo est qui laudet, non est qui oleum vendat.* Nota, omnis adulatio cessat post mortem, & fatuæ istæ Virgines dicuntur quidem iuisse ad vendentes, sed, vt notat ipse Augustinus, non dictum est emisse, quasi non eos inuenerint. rursum perit omnis diligentia se emendandi post mortem.

Lampides prudentium Virginū bona cōscientia.

5 Pergit in interpretatione. *Date nobis, &c.) Hoc est, quærebant quod consueuerant, de alieno lucere, ad alienas laudes ambulare: sed audiunt: Nè fortè non sufficiat nobis, & vobis; illud, fortè, non desperando dictum, sed sobria, & pia humiliatione; quamuis habeamus bonam conscientiam, trepidamus. vix de nobis iudicamus, quantò minus de vobis possumus?* fatui ergo sunt, qui non nisi ex alieno quodammodo viuunt, idest non operantur bonum, nisi alius laudet. deinde vide quàm parum videatur iustis id quod sibi affluit virtutum. huc facit quod addit. *Hodie lampades nostræ inter ventos huius sæculi, tentationesque fluctuant; sed ardeat in robore flamma nostra, vt ventus tentationis augeat ignem potius quàm extinguat, donec te sponsus in domum introducat, vbi nunquam possit tua lampas extingui.* adeò iustus, non modò vix sufficientem sibi videtur habere virtutem, sed illud ipsum timet, ne pereat, quod habet exiguum. exposita in hac vita est lampas ventis, ac procellis, extingui facilè potest, si parua sit flamma, secus si magna; nam tunc tentatio potius magis accendet charitatem.

Timor iusti de paucitate meriti.

Stultum est non operari bene nisi laudatū.

Flamma charitatis si magna est, tentationis vento augetur potius.

Ex Serm. de Verb. Dom. in Luc.

Ex Sermone XXIV. & XXV.

1 LAzari, ac diuitis factum eleganter exponit. *Mitte Lazarum, vt intingat, &c.) Superbus temporis, mendicus inferni; pauper ille non perueniebat ad micam, hic non perueniebat ad guttam: si oculos interrogaueris, falsa vobis respondent; multa enim splendida sunt, & sæculariter fucata, quæ illi diuiti exhiberi potuerunt: quæ agmina plangentium seruorum? quanta pompa clientium? qui splendor funeris? quod pretium sepulturæ? credo eum aromatibus obrutum. si oculos interrogares, optimè mortuus est; si magistrum vestrum interiorem, pessimè.* Vide quàm peruersè mundani sentiant, & quàm fallaces oculi sint, & inepti ad iudicandū. totus ille diuitum fastus rectè videnti vilis est fumus. pulchrè de diuite dictum. *Superbus temporis, mendicus inferni.* & nota, curparua gutta ei denegata sit, quia paruam denegauerat micam.

Lazari, & diuitis funus, & exitus quàm diuersus.

2 Pergit in eodem item eleganter, & pulchrè. *Elatus est ab Angelis in sinum Abrahæ.) familia diuitis, quæ videbatur, erat plangens; Angeli qui non videbantur, gaudentes; pensantur pro diuitijs pœnæ, pro purpura flamma, refrigerium pro paupertate.* nempè induebatur diues ille purpura ad ostentationem, quæ flammæ colorem habet, huic flamma ipsa gehennæ respondit. arguté satis dictum; quò indicat diuiti illi immiti purpurā male ominosā fuisse: cū enim ardens purpura dicatur ob colorem igneum, ferebat iam secum pignus ignis æterni.

Diuiti in auspicata fuit purpura.

3 Digreditur ad eleemosinam. *Diues, & pauper duo sunt contraria, sed inuicem necessaria: alter propter alterum factus; pauperis est rogare, diuitis erogare; Dei est pro paruis magna pensare. fœcundus est ager pauperis; citò reddit possessori fructum. patrimonij tui compedem solue, vt liberè ad cœlum possis euadere.* singulas pende sententias, quis crederet fœcundum agrum dici pauperis, ac non potius sterilem? sed nimirum lacrymis irrigatur. quis item crederet patrimonium, & opes esse compedes? sed olim & captiuos aureis catenis ductos legimus.

Fœcundus est ager pauperis.

Ex Sermone XXVI. & seq.

1 MAgdalenæ commendat pietatem, domi excipientis dominum. *Sedebat ad pedes Magdalena; quantò humilius sedebat, tantò amplius capiebat; confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis.* nempè contēplationi vacabat: sed hæc quò altior fertur ad Deum, eò magis humilitatem insinuat; vallem igitur prætetulit Magdalena, quasi sciret illum esse *lilium conuallium.*

In humiles copiosius influit gratia.

2 Frequentiam Eucharistiæ commēdat, exponens illud Euangelij de amico quærente tres panes. *Si quotidianus est panis Christi corpus, cur post annum illum*

Ad susceptionem Eucharistiæ quotidie dispositi esse debemus.

lum sumis, *vt Græci facere consueuerunt in Oriente? accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest; sic viue, vt quotidie merearis accipere. qui non meretur quotidie accipere, nec meretur post annum.* egregiè dictum, quia post annum maior fit cumulus delictorum. viget certè hoc tempore huius sacramenti susceptio frequens præsertim festis diebus. affert exemplum Iob, qui quotidie offerebat sacrificium. vbi nota, illud oblatum pro filijs, *ne fortè peccassent*; correspondisse autē sacrificio corporis Christi. *Mittebat*, inquit, *& sanctificabat illos.* idest mittebat monita salutis, &c. sunt enim hæc coniuncta, & vterque cibus est animæ, atque refectio, tum verbum Dei, tum Eucharistia: vt hanc accepturi, prius per prædicationem, aut sacram lectionem monita salutis accipiant.

Ex Sermone XXIX & seq.

Panis charitas est, piscis fides, ouū spes.

1 EXponit illud de nocturna petitione panum. *Petit panem ab amico, idest charitatem; nunquid lapidem dabit illi? ideò lapidi panem opposuit, quia duritia contraria est charitati. piscem fidem intelligit; piscis, viuit inter fluctus, nec frangitur, nec soluitur fluctibus: viuit inter tentationes, tempestatesque huius sæculi pia fides. huic opponitur serpens, qui seducit Euam; spes ouo comparatur; spes enim nondum peruenit ad rem, & ouum est aliquid, sed nondum pullus; crescat, vt viuescat.* Vide quæ sint maximè à Deo petenda, charitas, fides, spes; deinde acutè nota, diabolum hoc ipso se ostendisse inimicum Christo, cum ad famem pro pane obtulit lapidem, cum hic dicatur petijsse ab amico panem. & quia amicus, *nunquid pro pane lapidem dabit illi?*

Cant.

Baptismus desponsatio est in fide.

2 Interpretatur illud Cant. *Veni de libano sponsa mea: pertransies ab initio fidei.*) sic legit vbi vulgata, *de capite Amana. ideò desponsata, quia & desponsatis initio fides est.* huc refer illud per Prophetam dictum. *Desponsabo te mihi in fide.* & nota illud, *pertrāsies*, nam per fidem, in baptismo abrenunciamus Diabolo, & eius operibus; non igitur in temporalibus sistendum, sed pertranseundum, idest ad anteriora nos extendamus, ad æterna.

Vxor Loth cur in salem mutatur.

3 Aliorum supplicia nostra documēta esse dicit. *Vxor Loth in salem conuersa est, vt prudentes condiret exemplo.* acutè ostendit, ac salsè, cur non in lapidem potius commutata, vt de Niobe fingunt. insulsa ne sint opera nostra, timorem Dei malos punientis pro sale adhibeamus.

4 Pergit in superiore Euangelio: *Nunquid pro ouo dabit tibi scorpionem? retro ouo tuo scorpium time, de cauda percutit, quàm retro habet; quanta tibi loquitur Mundus? quanta post dorsum strepit, vt retro respicias, vt in rebus præsentibus, cum nunquā stent, spem tuam ponas? nos ouum nostrum idest spem sub alis illius gallinæ ponamus, quæ clamat: Quoties volui congregare te sicut gallina, &c. videte gallinam hispidam plumis, demissis alis, voce fracta, & languida congruere pullis suis.* pulchrè gallinæ in pullos pietatem describit, quæ refertur ad Christū. gallina visū cōcidit serpētem rostro, ita tu blasphemo aduersare. vide autem quàm reijcienda sint quæ mundani obstrepentes dicunt in iustos præsertim in eos, qui Mundum ipsum contemnunt, & seculum; instar scorpij de cauda percussio fit.

Gallinæ affectus in pullos Christum exprimit.

Mundus scorpius est cauda percutiēs.

5 Gentilium obiecta dissoluit, qui dicebant, ob Christi religionem inductam, & Deos spretos, Romam varijs incommodis puniri. *Dicit Roma: perij, ex quo Deos perdidi; at Constantinopolis ex quo olim Deos perdidit, creuit, & crescit, & manet quandiu vult Deus; Carthago in nomine Christi manet, & olim euersa est Cœlestis, quia non fuit cœlestis, sed terrestris.* nempè Cœlestis dicta Dea, quæ ibi colebatur, fortasse Venus, aut Iuno, cuius nomen venustè eludit; in quo vide diaboli vafritiam, pulchris nominibus perniciem tegentis. idem alio exemplo confirmat. *Euersis omnibus Romæ simulacris, Rodagnisus Gothorum rex venit cum ingenti exercitu, Ioui sacrificabat quotidie; dicebant, ille sacrificat, nos minimè, ergo vincemur; & tamen victus est ille Deo iuuante. postea Gothi venerunt, si minus Catholici, certè Christiani, & non sacrificantes, & vicerunt adhuc sacrificare cupientes, & perdita idola quærentes.* Vide quantam in Dijs fiduciam gentiles haberent, vt putarent eorum cultui deditos fore semper inuictos, quod tamen falsum ostendebat euentus.

Gentiles falsò calamitates attribuebant inducto Christi cultui.

Christiana religio potius rei publ. prodest ad felicem statum.

Ex Sermone XXXI. & seq.

1 IVdicij certitudinem ostēdit. Cetera in scriptura impleta sunt. *An fieri potest, vt qui in tantis verax apparuit, de die iudicij mendax sit? promissorum suorum nobis chirographum fecit. non possumus dicere, Redde quod accepisti, sed redde quod promisisti.* pulchrè sacram scripturam esse quoddam chirographum promissorum Dei dicit; qui verax est, immò ipsa veritas. egregiè autem dictum. Deus debitorem se fecit nemini debens.

Deus debitor non debendo sed promittendo

2 Conciliat duo loca de numero prædestinatorum. *Pauci intrant per angustam portam.* at alibi ait. *Multi*

ab

Cur prædestinati dicuntur modo pauci mo do multi.

ab Oriente, & Occidente venient, &c. ipsi pauci multi sunt: pauci in comparatione multorũ perditorum, multi in societate Angelorũ. Ioannes dicit. Post hæc vidi turbam magnam, quã dinumerare nemo poterat. habet hoc non parum solatij de numero prædestinatorum, qui vnũ cũ Angelis cœtũ constituẽt.

3 Expendit illud quòd ait vnus de discumbentibus Christo præsente. *Beati qui manducabunt in regno Dei panem.) quasi in longinqua ire suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendi. noli parare fauces, sed cor. cum fide accipimus, modicum accipimus, & in corde saginamur.* acutè ostẽdit præsertim in Eucharistici panis sumptione nos non inuidere beatis. rectè autem ait, corde famelico ad hunc cibum inhiari, non faucibus. in quo illud mirandum, quod cũ modicus videatur ad speciem, tamen saginat cor, & implet; nempe cibus est cordis: *panis*, inquit, *cor hominis confirmet.* præclarè igitur adnotat. conuiua ille cœlestem panem quasi longè positum requirebat, & tamẽ ante se habebat. *Quasi in longinqua ire suspirabat, & ipse panis ãte ipsũ discũbebat.* scilicet in Eucharistia eodẽ cibo vescimur quo Angeli, ac beati.

Luc. 14.

Eucharistia sagina cordis

In Eucharistia idẽ cibus noster, & Angelorum.

4 Interpretatur tres illas, quæ afferũtur excusationes ab inuitatis: *Villam emi; in villa empta dominatio notatur. ergo superbia castigatur: Quinque iuga boum emi, nonnè sufficiebat boues emisse? cur quinque iuga? nempe quinque sensus sunt: sed quare dicuntur iuga boum? quia per sensus istos carnis terrena requiruntur; boues enim terram versant. eo probare illa; non ait se illis vsurum, quia sensus curiositatem requirit.* acutè singula; præsertim nota, cur quinque sensus, quinque iugis comparet. sensuales licenter viuere, putant esse libe. è viuere, & solutè; sed verè sub iugo sunt, & de terrenis laborant. item nota, cur iuga probare potius, & videre, quàm ad vsum adhibere velle dicat? quia nostros sensus ad curiositatem adhibemus explendam, non ad profectum; ita Thomas incredulus curiosè voluit tangere; cui Christus quodammodo dicebat. *Occisus sum propter te; per locum, quem vis ta gere, sanguinem fudi, vt redimerem te, & adhuc dubitas de me, nisi tetigeris me? ecce & hoc præsto.* pulchre ad curiositatem refert Thomæ dubitationẽ; & pondera affectum illorum Christi verborum: Itanè, vt satisfacias curiositati tuæ, non vereris ea loca tangere, vnde pro te sanguis effusus? tamen ex pietate mea, & in hoc indulgebo tibi.

Parabola de villa & quinq; iugis ad sensus pertinet.

Mundani sub iugo sunt.

Curiositas taxatur in Thomæ facto.

5 De impedimẽtis ad cœlestia sic habet. *Amor rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum. ecce concupisti, hæsisti. quis dabit tibi pennas columbæ? quomodo volabis qui hic male hæsisti? Nolite diligere Mundum, tuba diuina est. continuò huius tubæ verbis Orbi terrarum in vniuerso dicitur Mundo. Nolite diligere Mũdũ, nec ea quæ sunt in Mundo.* pulchrè Ioãnẽ præconem *diuina tuba* facit. quæ ad religionẽ è Mũdo euocandũ plurimũ valet. Tum vide quàm tenax sit terrenus affectus, quã impediat, ne anima per contemplationem euocet ad Deum. deinde tria illa impedimenta sic acutè interpretatur. *Concupiscentia carnis est, vxorem duxi. concupiscentia oculorum, quinque iuga boum emi, & eo probare illa. ambitio secularis, villam emi.* nec mirum, inquit, est, quod ait: *eo videre*; nam videre dicimus per omnes sensus, vt vide quàm canorus quàm odorus est, &c.

Amor terrenus viscus est animæ pennatæ.

Libido curiositas, & ambitio tria Mundi mala.

6 Pergit in parabolæ interpretatione. *Venerunt de vicis, & plateis gentes; veniunt de sepibus heretici; nam qui construunt sepes, & diuisiones quærunt.* acutè dictum, nam sepes ad diuidendos agros, vel inter se, vel inter viam fiunt; ita hæreses diuisiones faciunt ab Ecclesia. in sepibus spinæ, & serpentes sunt; huiusmodi rebus scatet & hæresis.

Hæretici quasi de sepibus veniunt.

Ex Sermone XXXIV. & seq.

1 Eleganter ostendit exitium humani generis ortum ex disquisitione præcepti. *Quasi dialogus quidam cum Deo, & Adam obijciente præceptum fuit: Quid est illa arbor? si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? prorsus ideò est in paradiso, quia bona est, sed nolo eam tangas. quare? quia obedieñtiã volo, quia dominus ego sum, & tu seruus; hæc tota causa est. si parua est, dedignaris esse seruus. bona est arbor, sed obedientia melior. non potuit Deus perfectius demonstrare quãtũ bonũ sit obedientia, nisi cũ prohibuisset ea, quæ non erant mala.* Notandũ hoc maximè religiosis, ne prælati iussa examinare audeant, neue suo discursu niti velint, quod in aurea illa de obediẽtia epistola noster Ignatius seriò inculcat. Tum ostẽdit ingratitudinẽ ipsius Adæ: *Quid deerat Adæ in media opulentia, medijsq; delicijs, cui magnæ deliciæ erant, visitatio Dei?* rectè notat; etiã si Deus nõ vnã arborẽ, sed penè ceteras omnes prohibuisset, satis esse se in delicijs putare debebat, quod familiariter cum Deo versabatur: hoc superius erat omni oblectamẽto, omni voluptate.

Dialogismus inter Deum, & Adam de arbore vetita.

Obediendum sine disquisitione præcepti.

2 Ostendit, quæ eleemosina probetur. Quidã rapiunt aliena, vt faciant eleemosinã. si corã iudice disceptãs cũ eo, cui rapuisti, dares partẽ iudici ex rapina, ut pro te iudicaret, nonne hoc putares iniustum? quãtò magis si des de rapina Christo? *Noli talẽ tibi pingere Deũ tibi, qualis non debes esse nec tu.* acutè arguit; ostẽditq; iniuriam potius fieri Christo per huiusmodi munera, quàm honorem tribui.

Eleemosina ex rapina a iniuria fit Christo.

3 Exponit illud. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.*) sic vocat diuitias, quia beatum non faciunt. *ò domine, vt veniamus ad te, fac nos beatos de te.* pauca verba, sed pulchra, & affectu plena. affert autem illud psalmi: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt; beatus populus, cuius dominus Deus eius.*

Non nisi de Deo beari possumus.

Ex Sermone XXXVI. & seq.

Ex ser. 36.

1 EVangelici Publicani, & Pharisei factum perpendit: *Non sum sicut ceteri hominum.*) *Diceret saltem: sicut multi. quid est ceteri, nisi omnes præter ipsum?* rectè exaggerat arrogantiam cum contumelia. addit: *ieiuno bis in sabbato; decimas do, &c. quid rogauerit Deum, quære in verbis eius, nihil inuenies. noluit Deum rogare, sed se laudare.* acutè superbiam, non preces agnoscit. subiungit. *Publicanus de longinquo stabat, & Deo tamen appropinquabat. non audebat, nec oculos ad cœlum leuare: vt respiceretur, non aspiciebat. propitius, inquit, esto mihi peccatori. quid miraris si Deus ignoscit, quando & ipse agnouit?* lepor est in verbis ignoscendi. & agnoscendi; item in eo, quod Publicanus non audebat respicere cœlum, ut respiceretur cœlitùs.

Pharisæi arrogãtia & publicam humilitas.

2 Acriter inuehitur contra eos, qui gratiam negare auderent. *O detestabilior Pharisæo. ille certè gratiam agnoscebat, cum gratias agebat; quid est ergo, qui impiè oppugnabit gratiam, si reprehenditur, qui superbè agit Deo gratias?* acutè arguit: Pharisæus gratiam agnouit, sed quia non debito modo, nequam est reputatus: quantò nequior qui omninò non agnoscit?

Inficiator gratiæ nequior Pharisæo.

3 Fructum passionis Christi sic breuiter exprimit, sed concinnè. *Mortuus est pro nobis vnicus, ne remaneret vnus; multos enim filios Dei fecit vnicus filius Dei: emit sibi fratres sanguine.* Vide ineffabilem pietatem. suum decus noluit esse suum tantùm, sed quantum fieri potest, communicauit ceteris, etiã tãto cũ incõmodo.

Christi vnigeniti filij Dei pietas in nos.

4 Mundanos sic monet: *Gaudete, inquit, in domino: idest non in seculo; gaudete in spe æternitatis, non in flore vanitatis.* rectè non dicit florem absolutè, sed florem vanitatis; nam etiam flos ad spem fructus pertinet, sed non flos vanitatis, idest qui statim euanescit, ac spem adimit fructus, huic opponitur æternitatis spes quasi flos veritatis.

In Mundo flos vanitatis non spes æternitatis.

Ex Serm. de Verbis Dom. in Ioan.

Ex Sermone XXXVIII & seq.

1 HAbent leporem hæc verba de Verbo. *In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat, &c.*) *Est forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formarum, forma in commutabilis sine lapsu, &c.* nempè formæ nomen in Deo nõ desumendum est è peripato iuxta philosophicum loquendi modum: ideo ait *forma non formata, &c.* diuina enim ab humanis infinitè differunt perfectione. Tum de Dei incomprehensibilitate sic. *Quicquid aspicis, non totum aspicis: circuis vt totum videas; cum dorsum vides, faciem non vides. quis ergo oculus cordis comprehendet Deum?* quippè oculus corporis rem licet paruam, & limitatam non omninò comprehendit, circuimus oculo nunc hanc partem, nunc illam per partes spatij: quãtò minus Deus totaliter, vt loquuntur, comprehendi potest oculo mentis? Tum ostendit quanta cum humilitate animi de diuinis disputandum. *Sit pia confessio ignorantiæ magis, quàm temeraria professio scientiæ.* alliteratio lepida est inserta sententiæ. subiungit egregiè. *Non potes capere, paruulus es, patienter tolera, donec pennas nutricas, ne cum volare implumis volueris, non sit tibi aura libertatis, sed casus temeritatis.* elegans similitudo, quò referri potest ille audacis Icari casus.

Diuini Verbi præstantia.

Deus omnino comprehendi nõ potest.

2 Non est omittendum breue, sed vtilis monitum. *Si tanta cura inest hominibus, vt tardius moriantur, quanta cura agendum est, vt nunquam moriantur?* nẽpè, vt tardius moriantur, secantur venæ, amara pocula sorbentur, caustica perferuntur, &c. vt immortales simus vix vlla cura: Quid stultius?

Immortalitatis incuria taxatur.

3 Quærit, cur Abram mutatũ est nomen in ipsum Abraham, at Iacob in omnino diuersũ, idest Israel? respõdet, quia *Abrahã nomẽ est huius seculi tantùm, pertinens ad generationem; at Israel ad futurum seculũ.* quippè Israel est videns Deum, & finis propter quẽ facere videtur hoc pro nonnullis religiosis familijs, in quibus nomen mutatur in ingressu; vt scilicet dediscant natiuitatis terrenæ nomen olim inditum, & discant, ac sciant se æternitati regeneratos.

Cur Abraham parum nomen mutatum in Abraam at Iacob totum in Isaac.

4 Mysterium agnoscit in lucta Iacob. *Tantũ potuit Angelus victus, vt femur tangeret, & claudum faceret Iacob. ergo si volens victus est, potestatẽ habuit ponendi virtutem suam, & assumendi; non irascitur victus, qui non irascitur crucifixus.* Notabile certè est: nam qui vincitur, ideò vincitur, quia infirmior est eo, qui uincit: at Angelus in persona Dei uictus dicitur, & tamen uictorem reddit infirmum: ut sciat nouum luctæ genus, & mitẽ uictoriã crucifixi prænoscat.

Cur Iacob claudus effectus victor dicatur.

5 Exponit illud. *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis*) *Si Angeli ad illum ascendunt, ad illum descendunt; ergo & sursum est, & hic est.* sanè præclarum argumentum hoc

hoc est diuinitatis Christi; immò etiam replicatæ humanitatis in terris per Eucharistiam; iuxta quod ascendens in cœlum dixit: *ecce ego vobicum sum omnibus diebus, &c.* ac rectè ait: *maius his videbis*: maius est per hanc replicationem tradere se cibum homini ad vitam, quàm comprehẽdisse Adam reum ob vetitum cibum ad mortem sub ficu; ibi enim se absconderat opertus eius arboris folijs; ad hoc enim ait alludi. de assistentia verò Angelorum in Eucharistia multa, & pulchra habet Chrysostomus.

Eucharistiæ præstantia.

6 De Christi fame in deserto sic eleganter. *Tunc esuriuit panis; tunc vulnerata est sanitas, sicut postea mortua vita est*. antithesin lepidè continent singula.

Ex Sermone XLI. & seq.

1 Miraculum in nuptijs factum expendit. *Hic pauper est, ibi diues; si diues est qui habet vinum; qualis diues est, qui facit vinum?* Tum ad subueniẽdum pauperibus hortatur. *Diues agnoscet se pauperem, si agnoscet iuxta se pauperem. quantumuis habeas diues, Dei mendicus es, habuisti, inquit, me largitorem, facito debitorem, habeam te fœneratorem, &c.* Vide quid cogitare debeat diues viso paupere, se quoque esse pauperem Dei, egere gratia, nudum virtutibus, &c.

Diues Dei mendicus est.

2 Humanam vitam graphicè describit. *Tota vita tribulatio est. sunt duo tortores animæ cruciatus alternantes, timor, & dolor. quando tibi bene est, times; quando male, doles.* Notabile dictum, nos quasi reos duobus tortoribus traditos, timori, ne bona perdamus; dolori cum mala diuexant. hos tortores illi maximè habent, qui se torqueri non putant, sed esse in delicijs huius sæculi.

3 Piscinæ mysterium exponit. *Aqua, quàm Angelus in piscina turbabat ad sanitatem, est domini passio.* nempè Christi passio agitari, ac versari debet in mente, vt salubris sit. valet autem ad hoc imploratio Angelorum, nam de Christi passione dictum: *Angeli pacis amare flebunt*.

Piscina typus passionis Christi.

4 De lucta cum vitijs hæc habet. *Non sic Deus spectat nos pugnatores, quomodo spectat populus venatores; populus venatori fauere potest, periclitantem adiuuare non potest: si autem spiritu Dei pugnat, magnum habet adiutorem; Si spiritu, inquit, facta carnis mortificaueritis, viuetis.* eleganter comparat nos cum ijs, qui in amphitheatro pugnant ad bestias expositi. & rectè præponit; nam illi plausum tantùm habent à spectatore, nos etiam auxilium. Tum sic de fomite pulchrè. *Quid vultis ò sancti, ò boni præliatores ò fortes milites Christi, vt nullæ sint omninò concupiscentiæ malæ? sed non potestis. exercete bellum, sperate triumphum. audi voces triumphantium: Vbi est mors victoria tua? vbi ò mors stimulus tuus?* egregiè facit hoc pro Aloysio nostro, qui Angelicus, vel ex hoc dicitur, quod dum vixit nullos sensisset concupiscentiæ motus hostiliter rebellantes: ita penè cũ Cœlicolis triumphantibus, potuit etiam in terris pæana canere. huc spectat quod addit. *Mitiores quidem hostes habemus nos senes, sed tamen habemus. fatigati sunt quodammodo hostes nostri iam per ætatem; acrior pugna iuuenum est. exercete bellum, sperate triumphum: pugnet peccatum, sed non regnet.* Nota de acri pugna iuuenum, sed cum spe triumphi; nota item fomitis impudentiã, quem peccatum vocat; hoc enim intendit, vt in nobis dominetur, immò vt regnet; nempè post regnum illud quietum, & immortale iustitię originalis, hìc est datus nobis tortor, & carnifex; sed quod acerbius est, tyrannidem vsurpat, vt simul & regnet, & laceret.

Lucta cũ vitijs theatralis.

Iuuenum acrior pugna cum vitijs.

5 De tribus mortuis à Christo resuscitatis sic disserit. Christus suscitauit filiã Archisynagogi, quæ adhuc erat domi nõdum elata, quod de interno peccato cogitationis interpretari possumus; at filium viduæ foris suscitauit, dum efferebatur. quod ad peccatum iam in opere pertinet; at Lazarus quatriduanus ad consuetudinem in peccando: *meritò ibi Christus clamauit.* Nota quàm difficile sit resipiscere à consuetudine peccandi, clamore & vociferatione opus fuit eius, qui est Verbum patris. Addit item acutè de Lazaro quatriduano. *Ad consuetudinem malam sic progreditur: primò est quasi titillatio delectationis in corde; secundò consensio; tertiò factum, quartò consummatio.*

Lazarus quadriduanus cõsuetudo mala.

Ex Sermone XLVI. & seq.

1 Præclarum hoc elogium est de Virginibus, & religiosis. *Mementote qui castitatem vouistis, Angelorum vitam ducere vos in terris. Angeli non nubunt; hoc erimus cum resurgemus, quantò vos meliores, qui id quod erunt homines post resurrectionem, hìc incipitis esse ante mortem?* vide, vt in terris prægustetur à castis quodammodo cœlestis vita.

Angelica vita castorum.

2 Eleganter admodum exponit absolutionem adulteræ: *Qui sine peccato est, primus lapidem mittat;) hæc vox iustitiæ est, qua iustitia tanquam trabali telo percussi accusatores, se inspicientes reos, vnus post alterum discesserunt. relicti sunt duo, misera, & miseratio. plus, credo, territa erat mulier cũ audisset. Qui sine peccato est, lapidem mittat: nempè relicta ei, qui erat sine peccato; ab illo*

Adultera ante Christi tribunal.

ſe puniendam timebat. acutè dictum,& pulchrè: conuictis accuſatoribus, & profectis, relicta in illo tribunali,& miſera mulier,& miſeratio Chriſti: nec mirum;nam, vt ait in perſona Iob, *mecum creuit miſeratio,& de vtero egreſſa eſt mecum,* quaſi ſoror quodammodo germana Chriſti.longè differens hoc tribunal ab Areopago, vbi duo loca erant relicta his nominibus:Impudentiæ,& Contumeliæ.lege Pauſaniam. acutè verò,*traball ictu iuſtitiæ percuſſi accuſatores* dicuntur;nempe qui *trabem in oculo ſuo non conſiderabant*, dum alios accuſabant.

Ex Sermone L. & ſeq.

1 INterpretatur illud Cant. *Indica mihi, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt oues ſodalium tuorum:*) *Quid ſignificat meridies? magnum feruorem; magnumque ſplendorem. fac, inquit, mihi notum, qui ſint ſapientes tui,ſpiritu feruentes,& doctrina fulgentes.* ſodales vocat hęreticos, quos cauet, quia de eadem menſa. ſic Sãſoni ſodales fuerunt infidi. præclarè autem interpretatur, Chriſtum requieſcere in meridie, id eſt in ijs, qui ita fulgent doctrina,vt ferueant ſpiritu, & hos opponi ait hæreticis: quod vtrumque à ſuis S. Ignatius noſter requirebat,& antea S.Do minicus.eſt & in vtroque genere laus inſignis Thomæ Aquinatis; Tum Donatiſtas ſuo de more carpit, qui hæc verba de meridie intelligebant de Aphrica, vbi ipſi erant; ſed magis dici de Aegypto id poſſet, quàm de Africa, nam illa ad meridiẽ magis vergit.ſed eſto,intelligatur de Africa; audiant quod ſequitur: *Ne fortè fiam ſicut operta,&c. ſponſum alloquitur ſponſa timens in errorem incidere Africanorum,nam quia ſunt ibi diuiſiones; Annuncia mihi, inquit, quæ oues ad te pertineant.* acutè ex conſequentibus aduerſarios conuincit,atque perſtringit, argumentum in ipſos retorquens;& quam cauendum,ſit à conſortio hæreticorum,oſtendit.

Cant.

Doctrinæ fulgor & ſpiritus ſeruor iũctim.

2 Arianos arguit, Filium minorem Patre facientes: *Cum de filij contumelia honoras patrem;& filium offendis, & patrem* huc refero illud ſatis acutum alias à me relatum de Amphilochio apud Nicephorum, qui cum in throno ſedentes videret Theodoſiũ Imperatorẽ,qui Arianis fauere putabatur,& aſſidentem Arcadium filium; patrem tantùm eſt veneratus; nulla habita ratione de filio. quod cum acerbè tuliſſet pater: at tu cur, inquit, patrem honorari putas Deum, non honorato pariter filio? non patris honor iſte, ſed iniuria eſt.

Chriſti diuinitas probatur.

Ex Sermone LII.

1 ELeganter amplificat miraculũ de Lazaro reſuſcitato. *Excedit omne miraculum quod Chriſtus circa Lazarum fecit: vitam reddidit adſcripto iam Inferis inquilino. ab ipſa ſede pallente mancipiũ mortis redire iuſſit ad ſuperos,& poſt concilia ſtridentium vmbrarum,&c.*

Lazari reſuſcitatio mira.

2 Cæci ſanitatem item eleganter deſcribit. *Impoſuit cæco puluerem ſputo conſperſum,& ad tactum ſacræ manus operis diſciplina feſtinans luciferas gemmas orbibus præparatis infixit.* pulchrè oculos, quos Chriſtus reſtituit perſpicaciſſimos,luciferas gemmas vocat ob tactum ipſum Chriſti;& tamen has gemmas per lutum, & puluerem reſtituit, quia per humilitatem res precioſas donat;& vt oculi, cum creaturarum pulchritudine ad concupiſcendũ inuitantur, ante ſe lutum,& puluerem habeant, quò illæ conuertentur. denique cogita quàm indignum ſit oculos à Deo corpori donatos tanquam luciferas gemmas,adhibere ad turpes aſpectus. ceterũ hinc collige quales erunt in reſurrectione oculi beatorum.

Oculi cæci à Chriſto ſanati Luciferæ gemmæ.

3 Et illud admiratur in Lazaro. *Lazarum Chriſtus vitæ naturæ reſtituit, vt mutaret naturam,& vitæ ordinem verteret; vt vnus homo ſemel naſci,& bis mori diſceret,* hinc collige quod ſi mors iuſti eſſet mala, iniuriam feciſſet potius Lazaro, eum bis morti ſubjciens. oſtendit autem ſe naturæ dominum.

Lazari reſuſcitatio.

4 De ſororibus Lazari ſic pulchrè: *Sorores Lazari de ſeruitijs amoris ſui pignus intrinſecus deponentes, in viſceribus habere dominum videbantur.* Vide verum Dei obſequium quo affectu eſſe debeat, vt eum, cui ſeruimus, Deum amantes in viſceribus,& corde geſtemus. tales erant Martha,& Magdalena, actuoſæ ſimul, & contemplatricis vitæ ſymbola.

Vera dilectio Lazari ſororibus.

5 Exaggerat factum. *Ad Mauſoleum Lazari vnà cum diſcipulis ſuis Chriſtus accelerat. ibi prolatus eſt Deus; ibi tantum fecit, quantum auſa non eſt ipſa fides optare.* Nota Lazari ſepulchrum Mauſoleum vocat,id eſt nobile,vt pote diuitis. aut certè gloriam Mauſolei accepit ex nobilitate miraculi.confer hoc cum Artemiſiæ Mauſoleo,quæ in virum amantiſſima fuit,ſed lacrymis vitam impetrare non potuit viro,vt hæ ſorores fratri: quod autem præſtitum ait beneficium liberalius quàm ſorores optaſſent,puto ideò dictum, quia non ſolùm fratrem reſuſcitauit, ſed cum magis inſigni miraculo, vt ſtatim foras prodiret adhuc ligatus.

Ingens miraculũ reſurrectio Lazari.

6 Elegans hypotypoſis eſt facti. *Lazare*

zare veni foras.) ideò dicit nomen, nè omnes mortui cogerentur exire, turbant se Inferi, expectabant audientiam mortui, quærebant sua nomina vocari: nonne, & nos dominus suscitabit? subitò vna vox intercepit cæteros: Lazare veni foras. subitò inuolutus linteis, nodisquè irretitus egreditur; surgit, ambulat, currit, &c. acute adnotat, cur nomine proprio appellarit. vt agnoscas efficaciam verborum Christi; nisi enim nominatim Lazarum appellasset, si indefinitè dixisset, veni foras, omnes mortui resurrexissent. trepidus obedientiam præstitisset Infernus; & mors subitò obsequens obtulisset omnes. ideò Lazarum currere fecerunt fascijs sepulchralibus adhuc inuolutum, nulla facta vel leui mora, dum solueretur; vt non mirum sit, in extremo iudicio, in momento, in ictu oculi, omnes resurrecturos. solus igitur peccator Christi voci contumax est.

Ex sermone LIII. & seq.

1 Tribulationis effecta indicat. In fornace quodammodo aurificis sumus, hoc est in hoc Mundo. si aurum es, palea tua est malus. ad iustum igitur velut aurum purgandum iuuat non modò Mundi tribulatio, vt fornax, sed mali, qui tribulant, vt palea, quæ ignem excitat, sed ipsa consumitur; aurum permanet, & fit pulchrius. non est igitur cur irascamur in malos.

2 Superbiam execratur. Non potest superbus esse non inuidus. Inuidia filia est superbiæ, sed ista mater nescit esse sterilis; vbi fuerit, continuò parit. Nota quàm turpis monstri sit parens superbia. contra de humilitate dicere possumus, non sterilem esse matrem, sed fœcundam virtutum; præsertim charitatis, vt illa est inuidiæ. Tum eiusdem vitij demonstrat magnitudinem. Propter superbiam etiam tantus ille Apostolus appositum sibi dicebat stimulum carnis, Angelum Satanæ, qui ipsum colaphizaret. qui colaphizatur, tunditur caput eius, nè erigatur; nam dicit: Nè magnitudo reuelationum mearum extollat me, &c. hic ego vtrùm prius mirer? Apostolum tam humilem, qui se peripsema dicebat, eguisse frœno, ne superbiret, an caput illud tertio cœlo inferendum, quò versabat cogitationes tam pias, quodammodo colaphis diaboli contundi? sed nimirum nullum est hoc opprobrium præ damno superbiæ. & illud, quod addit, horrendè dictum. Vbi inflatio, ibi inanitas est. Diabolus vbi inane inuenerit, ibi nidum facere molitur. Vide quid sit cor superbi, nidus diaboli; ibi enim excludit pullos suos, scilicet vitia. Addit. melior est coniugata quàm casta, quæ sit superba. & subiungit. Vtinam verba ista infuderim, & non effuderim. lepidè ait, se vereri ne in vanum effusa sint sua monita, quæ vellet infundi, & imprimi cordi: tanti momenti res est.

Colaphus Satanæ impactus Paulo superbiæ ruinam.

Ex sermone LV. & seq.

1 Ingratitudinem in Deum carpit. Si faber idolo, sicut dedit figurã, daret cor, ab ipso idolo faber adoraretur: nã sicut faber tuus, ò homo, Deus est, ità homo idoli faber. magna igitur est ignorantia Deum auctorem nõ agnoscere. excors est quicunque eum, qui cor sibi dedit, non adorat. qui finxit, inquit, singillatim corda eorum.

Excors est qui Deũ non agnoscit auctorem.

2 Incarnationis beneficium pulchrè ostendit. Aegrotat humanum genus, iacet toto Orbe terrarum ab Oriente vsque ad Occidentem grandis ægrotus. humiliauit se Deus vsque ad mortem carnis, tanquam vsque ad lectum ægrotantis. Vide quid sit Mundus, qui amœnissimum palatium suis videtur, nosocomium est grauiter ægrotantium. notent hoc Apostolici viri, qui tanquam medendi officio succedunt, videant Mundi miseriam, & iacturam animarum. iacet quasi grandis ægrotus ab Oriente vsque ad Occidentem genus humanum &c. quem non excitet ista vox ad salutem gentium procurandam, etiam Oceano emenso?

Genus humanũ grandis ægrotus.

Ex sermone LXIII. & seq.

1 Hominem ad Trinitatis effigiem agnoscit effictum. Vt imaginem sanctæ Trinitatis inueniamus. Quò ibimus? ad cœlum, vt de Sole, & Luna, & sideribus disputemus? an ad terram, vt de fructibus, de arboribus, de animantibus? quandiù homo circuis creaturas? iuxta te vide, & inspice, te discute. in te vno intellectus, memoria, voluntas. rectè ait non opus esse exteras creaturas de Trinitatis cognitione consulere, cum apud nos ipsos hoc habeatur. monet tamen: Sed nõ hæc Trinitati videlicet velut æquãda quasi ad analogiam, id est ad rationem quandam comparationis; neque enim Pater memoria est, intellectus filius, Spiritus sanctus voluntas; sed inueni in tè separabiliter demonstrata inseparabiliter operata, & eorum trium vnumquodque à tribus factum, &c.

Trinitatis vestigium in nobis ipsis habemus.

2 Inexplicabile beatorum præmium ostendit. Proponamus nobis vitam æternã, & remoueamus inde quicquid molestum est. facilius enim inuenimus quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Addit præclarè. tantum valet quantum habes. eme si vis, venale

Cœlum paruo venale.

le est. quanti emeres temporalem vitam, si posses? at potes æternam. quid stultius quàm in tam nobili emporio vacuum redire, vbi res tanta tam paruo emitur?

Fides lactentium nutrix.

3 De eadem beatitate sic pulchrè. *Quandiù peregrinamur ad Angelos sanctos, qui hæc vident, infantes sumus lactandi fide.* pulchrè dicitur fides nutrix; simplices requirit infantes: lac sugitur, nec videtur: sicut fides de inuisibilibus est, & plena dulcedinis. his addit de Dei cognitione. *Nouit oculus pasci luce, nec nouit lucē. si hoc dedit ad oculos carnis, qd est Deus ipse lux ad oculos cordis?* quod ait pasci luce oculos, narrāt de quodam, qui aliquandiù vixit sine cibo, solùm aperto ore ad Solis radios quasi eius aspectu pasceretur. præterea quod lux pro pastu sit, colligi potest ex illo, *lux orta est iusto,* vertunt alij: lux seminata est iusto. quemadmodum enim sementis primò crescit, tum euadit in frugem pro nutrimento, ita, *lux iustorum crescit vsque ad perfectum diem.* & ipsa lætitia quasi in corde sata ad perfectam beatitudinis lætitiam crescit, qua fruuntur beati.

Resurrectio possibilis ostēditur.

4 Credibilem resurrectionem facit. Quid est quod resurrectionem nostram negent? *fecit Deus quod non erat, & non creditur operaturus quod est? vel in sepulchro vides fauillam, vides ossa, at in vtero matris nihil erat.* acutè, & rectè arguit, & sepulchrum quasi alterum vterum facit, vnde renascemur. quò pertinet illud Iob *expecto donec veniat immutatio mea.* alij legunt, natiuitas mea.

Ex Serm. de Verbis Apost.

Ex sermone I. & seq.

Fides omni thesauro potior.

1 DE Dei natura sic pulchrè. Quid est, inquis, Deus? *si quaeris magnitudinem, maior est; si dulcedinem, dulcior, &c.* Tum fidei præstantiam ostendit. *Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, quàm fides catholica, quæ Martyres coronat, sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, cum Angelis communicat.* meritò catholicam fidem omnibus thesauris, & honoribus præponit; vel quia coronas distribuit Martyribus, quorum sanguis, & mors pretiosa; vel ob excellentiam sacerdotij, quod magnum illud fidei mysterium continet: vel ob regnum cœleste, & Angelorum consortium, quod promittit:

2 Ad Eucharistiam hoc pertinet. Non credentibus se dandum esse in cibum ait Christus. *Quid cum videritis ascēdentem? &c.* quasi dicat, ne putetis, me, dum edor, consumendum. *certè qui integer ascendere potuit, consumi non potuit.* acutè adnotat, cur ascensus sui meminerit in in hoc mysterio. subiungit illud notabile. *Vt doceret dominus, hoc credere doni esse, non meriti, addit; Nemo venit ad me, nisi cui datum fuerit à patre.* quasi enim de re difficili humanis sensibus donum maximum ostendit.

Cur Christus de Eucharistia loquens meminesit suæ ascensionis.

3 Exponit de gratia illud: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum.) non dicit, duxerit, sed traxerit. ista violentia cordi fit, non carni; ne putes asperam esse violentiam; dulcis, & suauis est ipsa suauitas.* rectè violentiam dicit esse, sed cordi factam, quæ sedes est affectuum: quia cum suauitate est, non cum asperitate tollēs libertatem. itaque subiungit. *Nonne ouis trahitur, cum ei herba monstratur?*

Gratia vim infert cordi: nō carni.

4 Transit ad illa Pauli verba: *Gratia salui facti sumus.) cur hoc sæpè dicit Apostolus? quia sunt homines ingrati Gratiæ, multum tribuentes inopi, sauciæque naturæ. hic vile semiuiuus à latronibus relictus.* quid est igitur, cur homo de se præsumat? venustè ait, nihil absurdius, quàm gratiæ non esse gratum, dum eius ope quidam negant opus esse. item nota naturam nostram post peccatum originale inopem, & sauciam esse, & hominem semiuiuum sine vigore, & robore, mœstum, &c. ex quo colligi potest, non videri hæc cadere in Dei matrem, vt aliquando inops, & saucia fuerit, & semiuiua, antequam nascens auspicaretur vitam. sed quando illa inops, quæ de se ait. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria?* aut quando illam latro diabolus spoliauit, & vulnerauit, quæ sua carne induit Dei Verbum, per quod sunt vulnera nostra sanata?

Ingratus gratiæ est qui eius opera necessariam non agnoscio.

5 Declarat mysterium de vellere Gedeonis, & refert ad gratiam. *Gratia antea latebat in vellere, nunc manifesta in area. expressit Gedeon mane vellus in peluim, quoniam humilibus datur gratia, & in pelui dominus nostis quid fecerit discipulis suis.* acutè, & pulchrè adnotat, cur dominus cum pelui se abiecerit ad pedes discipulorum, imò ipsius Iudæ; quasi paratus & huic conferre gratiam, significatam in illa pelui Gedeonis, si verè pænituisset, cū eam paluim non magis calidis aquis, quàm lacrymis impleuisset.

Cur Christus in pelui lauerit discipulorum pedes.

Ex sermone III. & seq.

1 EXponit duos psalmorum titulos. *Psalmus dedicationis domus est. post illum pertinentem ad resurrectionem; Conuertisti luctum meum in gaudium mihi; facta est illa post passionem dedicatio in resurrectione; ita & nostra nunc*

Cur psalmur dedicationis præcedat pstlmnm ædificationis.

nunc ædificatio fit per fidem, & ipsa dedicatio per vltimam resurrectionem. ideò alius psalmus post istum, non ante istum, hùc habet titulum: Quando domus ædificata est post captiuitatem. & hoc acutè adnotat. nam potius præcedere debuit titulus ædificationis, & consequi dedicationis; sed quia psalmus, vbi est titulus dedicationis domus, pertinet ad resurrectionem Christi post passionem, vnde pendet nostra ædificatio per fidem, ideò præcedit psalmus, qui dedicationis, & sequitur qui ædificationis.

2 Vt superbiæ periculum grande demonstret, iterum affert illud Apostoli. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c.) ò terror, quis dicit, nè extollat, cum tamen eius verba sint retundentia elationem? parum hoc, videte medicamentum: datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. venenum quod non curatur, nisi veneno. caput cædebant, ne caput extolleret. ò antidotum, ò theriacam de serpente confectam, nam serpens superbiam persuasit.* meritò rem exaggerat; scilicet timet Paulus elationem in se, quàm ab alijs tam enixè remouere conatur; adeò hæc se insinuat etiã in hostes suos; rectè autem superbia venenum dicit, quia serpens Adamo hanc persuasit; venenum igitur propinatũ Adamo est, cum hanc persuasit satanicus serpens; ipsa tentatio venenum est, sed inde theriaca facta Apostolo, medente Christi gratia. & nota cur tentatio quasi colaphus impactus esse dicatur; quia colaphus ceruicem deprimit, nec extolli sinit, *caput cædebat, ne caput extolleret*. huc facit quod addit. *Qui curabat alios saluos facere, ipse curabatur. adhuc timendum est, ne tu extollaris; adhuc medicina quærenda est. qualem tumorem timuit, qui mordacissimum epithema accepit?* Vide quàm immane vlcus sit superbia; quod in medicum ipsum, & curatorem sæuiat, & quod mordacissimo remedio opus habeat, idest tentatione, stimulo carnis, & ipsius Satanæ colapho: nempè colaphi impinguntur seruis inobedientibus. quid igitur superbo vilius? quid etiam fœdius? cum velut vlcerosus mordacissimo curandus sit remedio.

Cur Pauli tentatio colaphus dicatur.

Peccatum originale triumph' diaboli.

3 Carnis concupiscentijs locum esse negat nunc, accepta iam gratia. *Libera est caro captiua, de qua dictum: Sentio aliam legem captiuantem me, &c. quid tu de carne tua tumultuaris?* pende verba; indicat triũphasse per peccatum originale de nobis Diabolum, & duxisse captiuos, sed per gratiam liberatos. nota etiam de fomite, & quodam quasi tumultu, quem in carne excitant cupiditates, instar seditiosorum ciuium in republica. indignum autem est post liberationem iterum rebellare, & fieri captiuum. huc spectat quod sequitur: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? si breuis est hominis vita, quid hoc pro magno gemit? addens; Gratia Dei per Iesum Christum; nam & pagani morituri sunt; sed non liberandi ab ea morte, quæ perpetua est.*

Passionũ tumultus in nobis quasi ciuium seditio

4 Passionis Christi fructum commemorat. *Spera cum Christo regnum. iam pignus tenes, sanguinem Christi.* Vide decus excellens; nam pignus pretiosius esse solet, q̃ res, pro qua datur: ergo pretiosior Christi sanguis, quàm cœlestis regni possessio. etiã si ciuitas illa dicatur, *aurum mũdum*.

Christi sanguis pugnus regni cœlestis.

5 Inter legem olim in monte datam, & in pentecoste hoc discrimen ponit. *Ibi plebs longè stabat, timor erat, amor nõ erat. digito Deus scripsit in lapide, non in corde. non in monte terruit, sed intrauit domum. erat ignis, & sonitus, sed etiam fumus; hic ignis serenus, non longè territans, sed insedit super vnumquemque eorum; de hoc Hieremias: Dabo legem meam in cordibus eorum.* Vide quantò familiarior nunc Deus; versetur cum homine: non procul è monte tonat, sed intrat domum, nos conuenit. non fumo contristat oculos, sed blanda ignis luce lætificat.

Spiritus sancti aduentus quàm gratus.

6 Gratiæ bonum refert acceptum, *Nemo se iactet, non arroget sibi virtutem propriam egena, & vitiata natura. ò Adã quando sanus eras, non stetisti; & tuis viribus surrexisti?* egenam dicit naturam. & quæ maior egestas quàm nuditas? nudos se cognouerunt post peccatum: nempe assenserunt ei, de quo dicitur: *faciem eius præcedit egestas*. rectè autem argumentatur ostendens necessitatem gratiæ.

Gratię necessitas ostẽditur.

Ex Sermone VII. & seq.

1 EVm Dei donis dignum fieri ait, qui donat egenis. huc refert illud Apostoli. *Flecto genua ad dominum &c. vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari. hoc à Deo petit, quod ab hominibus exigit; quia vt Deus velit dare, debes tù ad accipiendum accommodare voluntatem. quomodo vis accipere gratiam diuinæ bonitatis, qui non aperis sinum voluntatis*. pulchrè dictum de sinũ voluntatis dilatando per charitatem; quò aliquo modo pertinet illud apud Herodotum de quodam, qui per quietem visus est sibi aperire sinum, vt Solem sinu exciperet; & rectè ait, sinu excipi debere gratiam, vt rem charissimam, & acutè custodiendam. Xauerius certè noster manibus sibi laxare sinum solebat, quasi capaciorem vellet facere excipiendis Dei muneribus, & populis nationum.

Voluntatis sinus dilatãdus per charitatem.

2 Crucis dimensionẽ pulchrè, & acutè considerat, exponens illud Pauli: *Vt possitis*

stis comprehendere qua sit latitudo, &c.) Quid corde pergis, ô homo, per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cœli, profunditatem terræ? in cruce habes latitudinem, in qua manus figantur; longitudinem, quod inde vsque ad terram ducitur, &c. præclarè ostendit hanc esse veram scientiam geographicam nosse dimẽsionẽ mysticam crucis. ad latitudinem refert illud. *Dilatamini, ne iugum ducatis cum infidelibus*. & illud. *hilarem datorem diligit Deus.* ad longitudinem verò perseuerantiam vsque in finem, vt saluemur. ad profunditatem prædestinationem, quæ latet, de qua sic: *Quod possum, video; vnde possim, non video: quanquam hoc video, quod nonl esse à Deo; quare autem illum, & non illum, multum est ad me; abyssus est, profundum crucis est; admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. quidam paruuli sacramento baptismi abluuntur, quidam in morte primi hominis relinquuntur, &c.* rectè dicit inscrutabile crucis profundum; cur hic saluetur per crucem, non ille, &c. latent arcana Dei consilia, nec curiosius indaganda, sed humiliter verenda. de hoc etiam prædestinationis arcano mox eleganter subiungit. *Quare illum liberat Gratia, quare non illum, nolo à me quæras, homo sum. profundum crucis aduerto, non penetro. expauesco, non scrutor.* pende momenta verborum de incomprehensibili Dei iudicio.

Vera geographia est dimensio crucis

Ex sermone VIII.

Christi arbor cõscendenda vt Christus nobis pateat.

1 ZAcchæi fidem commendat. *Noli te extollere, pusillus esto, Zacchæus esto. si dicturus es, non potero videre Iesum, noli esse tristis; ascende lignum, vbi pro te pependit Iesus, & videbis Iesum.* pulchrè ostendit arborem crucis conscẽdendam, vt Christum videamus. ibi mansuetudinẽ eius agnoscimus, ac pietatem manifestius. Tum de arbore sic. *Sicomorus ficus fatua latinè interpretatur. prædicamus, ait Apostolus, Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* & illud notabile quod addit, *Ascendat quisque, vt Zacchæus, ne de cruce erubescat in fronte illam figurare, vbi sedes est pudoris: ibi omnino, in qua erubescitur, ibi figatur, vnde non erubescatur.* nota cũr crucis signo frontem potissimum signemus, quasi opprobria propter Christum lata ad decus pertinere indicemus; ac propterea palam erectiore loco præferamus.

Dei præsẽtia ostẽditur.

2 Exponit illud de Nathanaele: *Sub arbore fici vidi te.) hinc primi parentes succinctoria sibi fecerunt; hoc est, non venires ad purgationem peccati, nisi te vidisset in vmbra peccati; vt videremus, visi sumus; vt deligeremus, dilecti sumus: misericordia eius inquit, præueniet me.* Notabilis locus de præscientia Dei, & pulchrè describitur à relatis. Subiungit de præueniente gratia sic. *Suscipitur Christus in Zacchæi domo, qui iam eius habitabat in corde. hinc ait: ecce, domine, do pauperibus, etc.* Vide vt fuerit velocior Christus, & hospitalior; nã prius ipse non inuitatus Zacchæi cor elegerat, vt habitaret: inde illa in egenos miseratio processit.

Christi sanguis pharmacũ ipsis crucifixoribus.

3 Admirabilem Christi pietatem erga eos ipsos, qui eum crucifixerunt, ostendit, quorum multi postea conuersi. *Quanta bonitas, & patientia Medici, qui de sanguine suo insano interfectori suo medicinam fecit?* puto & hoc de quolibet peccatore dici posse iuxta illud Apostoli: *crucifigentes iterum, &c.* mira pietas: sanguis per mortem fusus propinatur tanquam salubre, ac vitale pharmacum ijs ipsis, qui fuderant impiè.

Ex sermone IX. & seq.

Paulus Petro negãte se peiorem ratus

1 EXpendit illa Pauli verba. *Pro peccatoribus, quorum primus ego. at ante te peccauit Petrus negando: sed intelligere voluit, peior sum; vt de artifice dicitur, est primus faber.* rectè exaggerat insignem Pauli humilitatem, dum peiorem se facis Petro negante. Tum de eius conuersione sic. *De cœlo percussus est Paulus, & vocem domini audiuit, ad salutem fulminatus.* eleganter dictum, lucem illam, quæ Paulum circumfulsit, instar coruscationis cum fulmine fuisse, & vocem vnà delatam, quasi tonitruum, nisi eã dicas pretiosissimam gemmam: nam fulmẽ secum ferre solet gemmam, quæ ob id Ceraunia vocatur. iam fulmen hoc etiam habet, vt percutiens serpentem, venenum omne auferat: ac Paulus quidem, *spirans minarum*. instar serpentis squamosi, & venenati erat; nam dicitur: *Ceciderunt squamæ de oculis eius.* quemadmodum & serpens cum renouatur, ab oculis incipit exuens squamas. venenum igitur odij in Ecclesiam serpens hic illa voce, *de cœlo percussus, ac fulminatus*, omne deposuit.

Paulus cœlesti voce fulminatus ad salutẽ.

Ananias ouis mittitur ad Paulũ lupum domandum

2 De eiusdem conuersione sic pulchrè *Ananias ouis interpretatur: loquitur oui pastor, & timebat ouis lupum: Domine audiui de hoc quanta mala fecerit, &c. tanta huius lupi fama præcesserat, vt non se putaret tutam ouis nec inter manus pastoris; & ille ait ad ouem trementem: ecce mitto vos sicut oues in medio luporũ.* acutè animaduersũ. Ananias, inquit, interpretatur ouis, Paulus de stirpe Beniamin vocatur lupus, *Beniamin lupus rapax, &c.* ouis mittitur ad lupum: hæc Gratia dat spectacula, hæc exhi-

exhibet miracula. sed vide quãta esset persecutio indicta à Paulo, & quanta eius veluti lupi vis, vt Ananias licet esset velut ouis inter manus pastoris Christi, qui eũ alloquebatur, tamen timeret.

Pauli ad peccatores hortatio suo exemplo.

3 Paulum conuersum ceteris peccatoribus fiduciam dare dicit ijs verbis. *Persecutus sum Ecclesiam Dei, &c. misericordiam consecutus, vt ostenderet in me Christus omnem longanimitatem.) idest me primò elegit acriorem inimicum, quem cum sanaret, nemo in ceteris desperaret. faciunt hoc medici, cum ad ea loca veniunt, vbi ægroti sunt quos curent; eligunt primitùs desperatos, vt doctrinam commendent, vt sanatus dicat alijs, vade ad illum, securus esto. sic dicit Paulus cuicumque ægroto; qui curauit me, iussit dicere; dic quid habuisti? de cœlo vocaui, vna voce percussi; alia erexi, & elegi; tertia impleui, & misi; quarta liberaui, & coronaui. vnde dic ægrotis, clama desperatis. quò trepidatis peccatores, quorum primus ego sum?* elegans Pauli parænesis ad peccatores, qua fiduciam excitat veniæ suo exemplo. & nota quatuor gradus in conuersione egregiè positos, vocationis, erectionis & electionis, impletionis, retributionis.

Quatuor gradus in conuersione.

Ex Sermone X.

Hæreticorum acumen vitreum.

1 IN Hæresi nihil solidum esse ostẽdit. Pelagiani cum dicerent liberum arbitrium sufficere, vt iusti fimus, negabant hoc dictum esse cõtra gratiam, nam sic operari non est sine gratia. *Videte acumen, sed vitreum: quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate. ipse fecit nos,* ait Dauid, *antequam essemus per creationem.* rectè acumen hæreticorum vocat vitreum, cum sanctorum Doctorum sit adamantinum.

Incarnatio figurata per cõtractionẽ prophetæ in puero resuscitando.

2 Gratiæ statum præponit, & incarnationis beneficium agnoscit. Baculus puerum resuscitare non potuit, erat enim symbolum legis, at Dei filius quodammodo per incarnationem, *Membra contraxit, se ipsum exinaniuit, paruus paruo se coaptauit, vt efficeret corpus nostrum configuratum corpori claritatis suæ.* Addo illud notandum, prophetam ianuam claudi iussisse, vt illa configuratio, & contemperatio pateret nemini: huiusmodi & incarnatio fuit, nempè incomprehensibilis intellectui cuiusquam.

4. Reg. 4.

Gratia gloriatur de ingenti pretio sanguinis quod affert ad redimendũ.

3 Redemptionis ingens beneficium prædicat. *Ipse homo se vendidit, vt acceptit pretium exiguum de arbore vetita, voluptatem. ait homo; Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo. ex venditore erubescat superbia, in redemptore glorietur Gratia.* præclarè dictum: peccator ven alẽ se facit paruo, idest modica, & temporanea voluptate, ideo erubescit superbia: *venundati estis,* inquit, *in iniquitatibus vestris.* contrà, *Gratia gloriatur,* & meritò, cum tam amplum, & excellens pretium sanguinis Christi secum ferat ad redimendum. Est autem breuis, sed efficax illa deprecatio, in ore semper habenda: *Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo.*

Ex sermone XII.

1 CArnis naturam non damnandam ait, vt volunt hæretici, sed concupiscientiam frænandam. *Mali voti homo es, si aduersario non vis carere ego fateor tibi quicquid in me rebellat, omnino interficere volo. nolo, vt à me caro mea tanquam extranea in æternum separetur, sed vt mecum tota sanetur. mentis, et carnis vnus est artifex Deus.* Nota efficax propositum & generosum, omnes rebelles motus tanquam in acie interficiendi: *quicquid in me rebellat, omnino interficere volo.* & vide in quo verus amor animæ in suam carnem positus sit; vt scilicet post mortificationem, & concupiscientiæ victoriam, socia fiat præmij.

Constans propositũ domandi passiones omnes.

5 Huc refert illud Apostoli; *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.) idest non obediat desiderijs eius.* Non dixit, noli habere desideria carnis, quod non est in nostra potestate, sed ne regnet peccatum. ita dicit, *Nè exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. quomodo regnet, qui arma non habet?* acutè dictum, nam rex regnum non potest inermis tueri. ita neque iniquitas per mortificationem passionum exarmata regnare. Tum modum ostendit vincendi. *Concupiscentia rebellat aduersum tè. si vis te tyranni esse victorem, Christum inuoca Imperatorem.* Vide, vt concupiscentia, quę blanda existimatur, tyrannicè potius in nos dominetur; & in alijs quidem prælijs miles non, nisi propria virtute præualet; non inuocatione Imperatoris; secus in prælio spirituali.

Peccatũ exarmatur per mortificationem passionum.

Ex sermone XIII.

1 DEum dicit esse vitam animæ. *Vndè viuit caro tua? de anima tua. vnde viuit anima tua? de Deo tuo. ideò ait Apostolus;* Debitores *sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus, sed, &c.* vide ordinem rectum: caro viuit de anima, anima de Deo.

Caro de anima viuit, anima de Deo.

2 Ostendit vbi sit vera beatitudo. Epicurei posuerunt beatitudinem in voluptate; alij contrà superbi, in sua virtute, vt

Stoici;

Stoici: ideò Athenis conuenerunt Paulum Epicurei, & Stoici; illi secundùm carnem, hi secundùm animam viuentes. *Dicebat Epicureus: Mihi frui carne bonum est; dicebat Paulus: Mihi autem adhærere Deo bonum est.* egregiè conflictum ante oculos ponit circa beatam vitam; & cur hæ maximè duæ sectæ, conuenerint, Epicurei, & Stoici. illi referebant ad corpus, hi ad animum, Paulus ad Deum. vide quantò melius Paulus philosopharetur, quàm ceteri concrepantibus buccis.

3 Exponens illud Apostoli. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* ad gratiam refert. *In hoc agone cum confligimus, Deum habemus spectatorem, in hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adiutorem:* ideò addit: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Nè scilicet ex te id posse præsumeres; alioquin aut Epicureus eris, aut Stoicus. *Dices. ergo agimur, non agimus. respondeo. immò & agis, & ageris; & tunc bene agis, si à bono agaris.* eleganter eludit obiectum; pulcher hic locus de gratia cooperante. *agis, & ageris.* ita non officitur libertati. Nec est dicendum, posse quidem ex nobis sinè Dei spiritu, sed difficilius, vt cum nauis prospero caret vento. *Prorsus nihil boni, si defecerit, agere poteris. ages sine illo, sed malè: sine me, inquit, nihil potestis facere.* Vides animi nauim nullum habere motum ad felicem cursum sine aura Spiritus sancti, frustra remigando proprijs manibus niteris.

Gratia nō officit libertati agimus & agimur.

Ex sermone XV.

1 PRæuenientem gratiam ostendit. *Gratia præcessit meritum tuum; non gratia ex merito, sed meritum ex gratia; si enim gratiam ex merito emisti, non accepisti gratiā. pro nihilo, inquit propheta, saluos facies eos.* rectè arguit; res enim empta qua ratione dici potest gratis accepta? non ait exiguum aliquid pro salute datum, sed prorsus nihilum.

Gratia præcedit meritum.

2 Pauli nomen interpretatur. *Apud Iudæos nobilitas, apud Christum quæritur humilitas. Saulus à Saul nomine deriuatur. illi electa est natura procera, cum vngeretur in Regem: non sic Saulus factus Paulus, hoc est paruus.* pulchrè comparat Saulem regē, & Saulum: nam, & Apostolatus regnum quoddam est: *fecisti nos Deo nostro regnum.* indicat Paulum à paruitate sic appellatum. contra quàm de Saulo dicitur: *stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.* sed nimirum humilitas est quæ apud Deū magni habetur.

Paulus cum Salle rege collatus.

3 Amore nos duci debere ait. *Quid magnum est pænam timere? faciunt hoc & latrones, concupiscentiam tuam non amor tollit, sed timor premit. ad ouile venit lupus; latratu canum, & clamore pastorum reuersus est, sed lupus.* pulchrè arguit, nam timor non mutat hominem in melius, vt amor, sed tantùm premit vitium, ne in actum exeat: sicut lupus abactus à canibus, & pastoribus ex metu fugit à rapina, sed remanens in natura lupi. quanquam aliter accidit. S. Andreæ Fesulano Antistiti, qui liberiorem vitam mutauit, cum audisset à matre, sibi prægnanti oblatum lupum per visum, qui adito templo fieret ouis: quod certe resipiscendo ostendit impletum.

Amor tolit vitium timor premit.

4 Notabile hoc est quod de peccato ait. *Minus est offendere Christum in cruce pendentem, quàm in cœlo sedentem.* nam tunc latebat sub forma humili, non agnoscebatur; nunc tot miraculis clarescit, diffusa fide per orbem terrarum. cogita igitur quantum irasceris in Iudæos, qui eum crucifixerunt, multò magis contra te ipsum, *crucifigentes iterum Christum in semetipsis*, ait Apostolus.

Peccator nunc læsior in Christum quàm Iudęus.

5 Ostendit, nos Dei gratiam agnoscere debere in benefactis. *Opus Dei es, non solùm quia homo es, sed etiam quia iustus es; melius enim est esse iustum, quàm te esse hominem; si hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, melius aliquid facis quàm fecit Deus; sed qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. ergo fecit te nescientem, iustificat volentem.* egregie dictum, pondera verba singula de necessitate gratiæ, ac vide vt iustificatio præponderet quodammodo creationi: ideo hoc munus non cōmisit Angelo.

Iustificatio Gratiæ opus

6 Eos arguit, qui proprio consilio fidunt. *Viatores sumus, melius claudus in via, quàm cursor præter viam.* argutè dictum; nam claudus serò, sed tandem peruenit ad destinatum finem; cursor errabundus nunquam, huc aliquo modo spectat quod mox addit. *Proficite fratres: vbi tibi placuisti, ibi remansisti. remanet qui non proficit, retro redit qui reuoluitur vnde abscesserat.* audiant hoc religiosi, qui perfectionem profitentur, vt nunquam sibi complaceant de benefactis, quasi sit satisfactum.

Proprio consilio non fidendum.

Ex sermone XVI.

1 PVlchrè interpretatur illud Apostoli. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria, &c.) Quia nondum eramus, quando sumus prædestinati. quia auersi eramus, quando sumus vocati. quia peccatores eramus, quando sumus iustificati.* Nota tres gradus beneficiorum vnde glorificandus est Deus.

Deus glorificandus ex triplici capite.

Vitæ

8 Vitæ finem cuique maximè cordi esse debere ostendit. *Qui luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur, aliquando vincit, aliquando vincitur; sed quomodo de stadio exeat attenditur.* nempe finis spectandus nostræ pugnæ: aliquando vicisse nil prodest, si tandem victi discedamus. frustra præteritas palmas, ac trophæa numeramus; si post hæc desides palmam è manibus eripi finamus. similitudo sumpta est ab agone athletico.

Luctæ athleticæ laus in fine, sic vitæ.

9 Fidem laudat, quæ in dilectione fundatur, non quæ in seruili timore; nam, *Dæmones credunt, & contremiscunt.* ijdem aiunt. *Iesu fili Dei altissimi, obsecro te, ne me torqueas; & Petrus ait, Tu es Christus filius Dei viui: soli huic dicitur: Beatus es Simon, &c. vna vox, sed dominus radicem interrogat, non flatum. discerne fidem tuam à fide dæmonis. vnde discernitur? dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. adde ergo fidei spem, & quæ spes nisi de scientia bonitate? adde igitur charitatem: nam fides per dilectionem operatur, vt ait Apostolus.* acutè adnotat. etiam dæmones Christum Filium Dei appellarunt, vt fecit Petrus, sed hic amando, illi timendo. Petri igitur vera fides fuit, quia per dilectionem credidit; dæmon, licet cum superlatione loquatur, *fili Dei altissimi*, tamen ex metu addit, *ne me torqueas*. vbi nota, de Altissimo meminit abiectissimè, quia videlicet ex timore.

Ex Amore operãdum non ex timore.

10 Animum non nisi Deo expleri dicit. *Omnino me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi se ipsum Deum. quid est Sol? quid Luna? quid exercitus Angelorum? Creatorem sitio. ipsum esurio, ipsi dico. Apud te est fons vitæ, qui dicit, ego sum panis vitæ. satiabor igitur cum apparuerit gloria tua.* egregia deprecatio, vbi pondera veri amantis affectum, quâ fame, quâ siti de Deo æstuat. huc refero illud Cant. *ego flos campi.* alij vertunt. *ego flos saturitatis.* & illud psal. *quid mihi est in cœlo? &c.*

Deus tãtum sitiendus est.

Ex Sermone XVII. & seq.

1 Eleganter distinguit amorem terrenum à cœlesti. *Impudicus adolescens amauit aliquam illicitè, quærit tamen latere. sic amat voluptatem, vt plus timeat dolorem. timet apprehendi, occidi. da mihi pulchram iustitiam; procedat in medium, inspiret feruorem amatoribus suis. quid cogitamus? millia Martyrum adiacent oculis nostris: ipsi veri amatores, perfectique iustitiæ; ò amare, ò ire, ò sibi perire, ò ad Deum peruenire.* pulchrum uotum, & crebro à feruido amante vsurpandum. vbi nota quatuor hos gradus in charitate. per affectum incitamur in stadio, per feruorem currimus, per abnegationem amoris proprij tolluntur impedimenta cursus; sic denique peruenitur ad metam, & brauium, qui Deus est. rectè dicit Martyres veros amatores pulchritudinis iustitiæ, quam ita amant, vt nihil metuant, non ita in voluptatis amatoribus, cuius consecutio, quia cum exitij periculo est plerumque coniuncta, non caret amaritie timoris.

Amor incestus timidus, castus fortis.

2 Ostendit quàm indignum sit corpus inquinare libidinis sordibus. *dicit Apostolus, Tollens membra Christi faciet membra meretricis? & alibi; vos estis templum Dei. quasi dicat: ipsam meretricem non audes fortasse introducere in cubiculum tuum, vbi habes lectum tuum coniugalem, sed quæris abiectum aliquem locum, ac turpem in domo tua, in quo turpiter voluteris: defers ergo honorem cubiculo vxoris tuæ, & non defers templo Dei tui?* est hoc certè notandum, nam stabulariæ dicebantur olim meretrices, quod in stabulis, ac vilissimis locis more brutorum se prostituerent. etiam gentiles, & poetæ putarunt, ob violata hoc vitio templa, pœnas diuinitùs datas; at corpus nostrum templum veri Dei est.

Libido quàm indigna res sit

3 De vero ornatu, ac mundo muliebri, sic pulchrè, *Ornantes se non intortis crinibus, neque auro, vel argento, vel vestibus pretiosis, ait Apostolus. sunt ornamenta, & diuitiæ inuisibiles; his ornamentis studentes Dei puellæ multa parentum suorum conatus contrarios igne amoris superni superant. iratus est pater, plorauit mater; non curat illa, cui ante oculos obuersatur sponsi forma præclara, ei se ornari desiderat.* Insignis hic locus est pro Virginibus, quæ se sponte parthenone claudunt, nuptijs, & parentum amore posthabito: quod & religiosis adolescentibus nobilibus in ingressu sæpè vsu venit vt Thomæ Aquinati, &c.

Virginis quis vere mundus muliebris

Ex sermone XXI.

1 Qvam eleemosinam Deus probet, ostendit. *Desiderauit guttam diues, qui non dedit micam pauperi: si hæc est pœna auarorum, quæ pœna raptorum? Dicis? Agapes facio, sed alter dicit: ego gemo, cui abstulisti.* Vide

quietum cor, irritaris: quantò melius est vt nummum amittas, & tempus redimas? huc facit quod eleganter addit aduersus aurum, quod est fidei posthabendum. *Argentum, inquit Petrus, & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do, &c.) aurum non habet, fidem habet. expendamus quid amplius coruscat, aurumnè, quod ærumna perquirit, sollicitudo custodit; aurum, quod nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit; aurum, quod per tenebras quæritur, per tenebras custoditur; aurum, quod in perniciem domini fulget; aurum, quod est idolorum seruitus, &c. nec tamen Dei creatura damnatur, sed cupiditas.* elegans inuectiua contra aurum: quamquam verba, quibus inuehitur, planè aurea sunt. in primis egregiè dictum de fulgore auri, quo auari oculi perstringuntur, *aurum per tenebras quæritur.* idest in subterraneis fodinis. *per tenebras custoditur,* quia defoditur, ne rapiatur. quidq; per aurum claudicat fides? vide quàm pretiosa sit fides, præ qua vile est aurum. habes paulò post & item de fide, quam rursus præponit auro.

Fides auro pretiosior.

Cœlum venale nō auro sed pauperie

4 Paupertatis, & dignitatem, & facilitatem ostendit. *Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est: Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. nihil paupertate ditius, quæ cœlum emit. possidere quod cum labore perquiritur, paucorum est; contemnere, omnium.* hoc ad religiosos maximè pertinet. mirum dictu: cœlum emi paupertate, & tamen Ioannes facit singulas eius portas ex margaritis, & ciuitatem ipsam aurum mundum, non quale nostrum.

Fides auro præfertur.

5 Fidei elogium illud est. *Multò plus fulget fides, quàm aurum. aurum tenebrosum facit animum, fides ingenito splendore conspicuum. aurum tutò prodi non potest; fides bono publico semper fulget. aurum nec inter conuenientes tutum est; fides etiam inter pugnantes secura est.* præclarè dictum. aurum fulget foris, sed tenebrosum facit animum, quia Solem eripit iustitiæ.

6 Pergit paupertatis laudes ornatè admodum contexere, exponens illud Petri: *Quod habeo hoc tibi do; in nomine Iesu surge, &c.) Quid paupertate ditius? Deo diues est inops auri, pauperem hominem expauit infirmitas; non potuit sustinere iussionem pauperis Regibus dominans; pauperis imperium etiam natura non pertulit; erat enim hic claudus ex vtero matris; quod profectò non fieret, nisi pauper plenus esset illo Deo, qui est auctor naturæ. obedientiæ subditur quod ex necessitate veniebat; ad nutum iubentis infirmitas euolat; & surrexit, inquit, continuo, & stetit. animo imperatur, & pedes seruiunt; Exilient, ait propheta, tanquam vituli de vinculis laxati: & consolidatæ sunt bases pedum eius. quanta velocitate res agitur? attendite: testimonium velocis resurrectionis est velocitas ex debilitate surgentis. In momento, inquit, in ictu oculi, in nouissima tuba, &c. futura metire de factis. nec dixit, & restituta sunt, sed consolidatæ: tam abundantem recepit sanitatem, vt ferat laborem: exiliens, inquit, ambulabat; saltus sæpè etiam sanis grauis est; non senserunt illi pedes pigra remedia; nec velut vnguenti modo lita vestigia reuocantur, &c. sic exilit qui sanatur à paupere.* eleganter admodum, ac pulchrè rem amplificat, *pauperem expauit infirmitas, & natura.* nempe ille pauper, qui hoc iussit, diues erat Deo, qui est auctor naturæ: non solùm discedit infirmitas, sed quasi sumptis alis, inquit, *auolat*, licet nihil tardius sit claudicatione; immò fuit symbolum resurrectionis, quæ in momento fiet, quia & tunc pauperum causa apud Iudicem agetur. rursus miracula ad perfectiorem statum ducunt, quàm antea erat in natura. *exiliens ambulabat,* saltus dabat, ac totum hoc beneficium pauperis. nam & paupertas, quia sine auri pondere est, expedita est.

Paupertatis vis in claudo à Petro sanato pulchre ostēditur.

7 Carnis humanæ patrocinium suscipit, ex occasione claudi ab Apostolis sanati. Si caro à diabolo est, vt aiunt Manichæi, expugnanda fuisset à Christi discipulis caro, non curanda, vt in hoc claudo factum. *Obligandum est quicquid inimicum est; non esset ille pedibus sanandus, sed in brachijs colligandus. honoratur diabolus, si res eius per signa curatur. caro igitur opus est Dei cum formatur, cum conditur, cum producitur, cum regeneratur, cum signatur, cum curatur. opus Dei est, quid debet Diabolo toties opus Dei? carnis igitur natura laudetur, omne vitium in voluntate ponatur. caro diuino adscribenda est operi, quam videmus in Christi resurrectione diuini consortij gloriam consecutam, &c.* acutè dictum, si caro natura sua hostis est Dei, ergo non solùm non erant curandi pedes, vt soluti incederent, sed erant manus ipsæ, vt hosti captiuo fit, impediendæ. item honor fuisset diaboli, si carnem, quàm ipse fecisset, Deus tam mirè curaret: quo quid absurdius? at caro Sanctorum, immò cinis ipse exterret diabolum, vt apparet in energumenis.

Si caro ex se mala esset, nō curaretur à Deo miraculosè.

Ex sermone XXX.

Imago Dei resculpenda est in nobis.

1 DE reformanda in nobis Dei imagine, sic monet. *Ad imaginem Dei facti sumus, hanc excolere debemus, & resculpere quodammodo; & reformare; sed quis poterit, nisi artifex qui formauit? imaginem in nobis Dei deformare possumus, reformare non possumus.* pulchrè dicitur Deus tanquam sculptor imaginis suæ in nobis: hanc sculpturam à nobis deformatam resculpere debemus, sed non sine ipsius sculptoris, & artificis ope, atque opera. est autem adhibendum ad hoc mortificationis scalpellum, & ictibus agendum.

Cur propheticus sermo certior dicatur quàm euangeliũ

2 Declarat cur Petrus dixerit certiorem propheticum, quàm Euangelicum verbum: *Habemus certiorem propheticum sermonem, &c.) Quis nostrum non miretur, delata voce de cœlo: Hic est filius meus dilectus, &c. certiorem propheticum sermonem ab Apostolo dictum? certiorem sanè, non meliorem, non veriorem. quoniam infideles dicunt, Christum magicis artibus fecisse, quæ fecit, possent istam vocem de cœlo delatam ad magicas artes referre; sed prophetæ etiam ante Christi carnem fuerunt, nunquid magus erat antequam natus?* acutè Petri sensum exponit, & gentiles confutat. æquè sunt vera propheticus, & Euangelicus sermo, quia idem Deus dixit; sed respectu gentilium ille certior, qui præcessit.

Fides intellectui præit.

3 Fidem præcedere debere ostendit, *Tu dicis, intelligam, vt credam; ego dico, vt intelligas, crede: veniamus ad iudicem; respondet propheta: Nisi credideritis, non intelligetis.* Esaiam pulchre iudicem in causa fidei facit. Deinde pergit eleganter de fide: *Fides, quæ germinauit, irriganda est, nutrienda est, roboranda est. Ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. nouerat ille, qui fidei suæ germinanti adiutorem orabat:* Credo, do*mine, adiuua incredulitatem meam: stare volo, sed adhuc ruo, ergo ambo concordemus coram Iudice; intellige, vt credas; crede vt intelligas.* plantæ similem facit fidem tantum assurget, quantum gratię tribuit Deus.

Periurus detestibilis bellua.

4 Acriter periurium perstringit. *Da alium, qui iurat tanquam verum, quod falsum esse scit, videtis quod ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda.* Vide quanti damni sit periurium: detestandam dicit belluam, execrandam. periuri igitur immanissimus morsus est oris. hæc fera configenda est iaculo prædicationis tanquam in amphitheatro templi. Tum periuri mentem taxat. *Alius putat alicubi non pluisse, & iurat pluisse, & certè pluit. ibi periurus est. interest quemadmodum verbum procedat ex animo: ream linguam non facit nisi mens rea.* nota hoc extremum: adeò intentio dat prauitatem rei, licet eam non habeat ex se.

5 Idem vitium perstringit. *Periurium præcipitium est. vis esse longè à periurio? iurare noli. qui autem verum iurat, non peccat, sed propè est ad peccatum: iuret* Deus, *quem nihil fallit, qui fallere ignorat.* Nota ad iuramentum quid requirat, vt iurantem nihil fallat, & fallere nesciat: Deus igitur tutò iurare potest, his addit: *Fac te ambulare in loco, vbi à dextera spatiosa sit terra, à sinistra præceps; vbi eligis ambulare? falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa, nulla iuratio secura est.* Vide ingens periculum in iurando, præcipitij locum vocat, ac proinde vide quàm cautè agendum sit; vt propterea nec verè iurandum sit, siquidem, & hoc periculosum est, & disponit ad falsum. Tum de formulis iuramenti sic. *Scit Deus, testis est Deus, inuoco Deum super animam meam, etiam iuramenta sunt.*

Iuramentum præcipitij locus est.

6 Damna periurij ostendit, *Dicit scriptura: os quod mentitur, occidit animam. nemo periurus impunitus; cum ipso est pœna sua, habet tortorem conscientiam suam.* Vide miseriam; secum fert periurus carnifices. Tum exponit illud Iacobi. *Ante omnia, nolite iurare.) Quare ante omnia? & cur non ait, nolite peierare? num iurare peius est quàm furari, quàm adulterare, quàm occidere? isto ante omnia cautos nos fecit aduersus linguam nostram. tanquam in specula te posuit contra, vt te aduersus consuetudinem intentissimum redderet.* rectè monet, quàm diligenti quisque custodia excubare circa linguam debeat, & tanquam ex alta specula militares vigilias exercere, vt ante omnia hunc hostem præcaueat, idest periurium; quod item refer ad cetera linguæ vitia, itaque subiungit: *lingua facilitatem habet motus; in vdo posita est: facilè in lubrico labitur. quantò illa citius, & facilius mouetur; tantò tu magis aduersus illam fixus esto. domabis si vigilabis; vigilabis si timebis; timebis si Christianum te esse cogitaueris.* præclarum monitum, vt linguæ lubricitati opponamus propositi firmitatem.

Periurus fert secũ tortores conscientię.

Con-

Periurus Christianus peior est gentili.

7 Conuincit hoc exemplo gentilium. *Tantum mali habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeant falsum iurare per lapides; tu non times viuentem, scientem, in contemptorem vindicantem? claudit ille templum super lapidem, ipse super Deum suum clausit, & tamen Iouis oculos timet.* meritò rem exaggerat. gentili peior est qui periurus est. Tum addit: *etiam per lapidem iurans periurus es. non lapidi iuras, sed proximo. non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem.* egregiè dictum.

Ex sermone XXXI.

1 HÆreticorum de hominis iustitia iactanter dicta perstringit. *Pelagiani, & Cœlestiani dicunt inueniri homines absque peccato. cum dicitur, qui sunt? respondent: tota Ecclesia. mirari potuissem si inuenissem decem, quot quærebat Abraham, qui à quinquaginta vsque ad decem descendit.* probant, quia Apostolus ait, *Christus dilexit Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam. audiuimus de nube magna tonitruum; nubes enim Dei Apostolus.* lepidè dictum. vide quid sint Apostoli Pauli præsertim verba: tum sic vrget aduersarios At certè vos estisnè sine macula, & ruga? si non estis, præscindite vos ab Ecclesiæ corpore. Dicis, humilitatis causa vocamus nos peccatores, sed Deus videt quod iusti sumus; at quomodo est humilitas, vbi regnat falsitas? non ait Ioannes: *Si dixerimus quia peccatum nō habemus, humilitas in nobis non est, sed veritas in nobis non est.* postremò cum tota Ecclesia conueniens orat: *Dimitte nobis debita nostra.* vox ista filiorum est, nam dicit, Pater noster. *habet igitur Ecclesia hic maculas, & rugas; sed confessione ruga extenditur, confessione macula abluitur. vbi extenditur ruga nostra tanquam in tendicula magni fullonis? in cruce Christi, in qua sanguinem fudit.* acutè exponit; dicitur Ecclesia virgo sine ruga, & macula, licet contineat peccatores, quia habet confessionem, per quam in Christi cruce tanquam vestis in ligno ruga animæ senescentis extenditur, ac iuuenescit, & macula eius cruore eluitur: confessio enim remittit peccata ex vi crucis, & sanguinis Christi. tandem pulchrè subiungit. *Confessio nos sanat, & lacrymæ non fictæ de vena cordis profluentes.* pulchrè dictum. & nota vt veræ lacrymæ non tam ex oculis, quàm è uena cordis sint, & quasi sanguis icti, ac trāsuerberati cordis.

Cur Ecclesia dicatur sine macula & ruga si continet peccatores.

Lacrymæ sanguis sunt è vena cordis.

2 Delarat illud. *Nolite omni spiritui credere) At cur dicitur: Omnis spiritus laudet dominum? vtrumque video. languidum intelligo, vitium sanetur, natura liberetur: vitium natura non est, sed naturæ inimicum. sana vnde langues, remanet vnde laudes.* eleganter hoc vltimum. arguit eos, qui in naturam culpam reijciunt, uitium non est ipsa natura, immò contrarium naturæ, & eius ægritudo; quæ vbi ope gratiæ per pœnitentiam curata fuerit, superest vt auctori gratiæ referas gratias. ac proinde subiungit; *Demus honorem Deo, cui clamamus: libera nos à malo. ego sum malus. dic Manichæe, liberet Deus me à me, non incurram in te. ideò pars Dei non sum, quia Dei natura errare non potest.* liberet bonū; quia malus non sum natura, sed vitio. acutè perstringit Manichæos.

Vitium est naturæ contrariū.

Ex sermone XXXIII.

1 DE mortis terrore sic. *Mortem horret non opinio, sed natura; & si animalia, quæ creata sunt, & suo tempore moriuntur, mortem fugiunt, diligunt vitam, quantò magis homo, qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset, sine termino viueret?* Vide cur homo maximè mortem vitet: hinc tot munitiones, remedia, &c. quia ipsi vita diuturnior promissa erat, quàm ceteris animantibus, immò immortalitas, si non peccasset.

Cur homo magis horreat mortem quàm bruta.

2 De funere, & suffragijs sic. *Pompa funeris, agmina exequiarum, sumptus sepulchri, monumentorum opulenta constructio, viuentium sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum. orationes, sacrificia, eleemosinas non est dubitandum mortuos adiuuare; hoc enim à patribus traditum obseruat Ecclesia, vt sacrificia pro illis offerat: prosunt ista ijs, qui ità vixerunt ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem.* rectè ait, pompam funeris mortuos non tangere; suffragia verò non nisi eis prodesse, qui illis dignos se fecerunt bene viuendo antequam mortui. habendā tamen dicit rationem sepulturæ corporis, sicut & Christo exhibita.

Suffragia ijs mortuis prosunt qui bene viuēdo mortui.

3 Mortui qualiter lugendi sint, ostendit. *Permittitur pia corda charorum suorum morte contristari dolore sanabili, & consolabiles lacrymas fundere conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium.* Vide quos limites ponat dolori: cessat vbi interuenit fides de altera vita. De Christi verò lacrymis sic. *Quando Lazarum dominus flebat mortuum, si continuò iubet victurum, non mortuum flebat, sed mortem, quam sibi homo peccando comparauit.* nem

pe ideò discipulis dixerat, *gaudeo propter vos.* & tamen hoc gaudium interrupit lacrymis communis nostra calamitas. considerans per Euæ oculos introitum mortis: *vidit pomum quod esset lignum pulchrũ oculis, aspectuque delectabile*, soluit oculos ad fletum.

Mors quo amarior eò magis Martyrũ robur spectatum.

4 Mortem suapte natura horrendam dicit. *Petro dicitur. Alter cinget te, & ducet te quò tu non vis; si nulla est mortis amaritudo, non est magna Martyrum fortitudo.* ideò Paulus non ait: Non contristemini, sed non itá, vt gentiles, *qui spem non habent.* egregiè ostendit, cur mors fit tam amara, vt videlicet in perferenda præclarior esset laus Martyrum. quid quod Teresia adhuc septennis vnà cum fratre domo relicta Mauros adijt subitura martyrium? quantæ illud fortitudinis prodigium fuit?

Quanta sit in morte deformitas.

5 Mortis deformationem graphicè describit. Magna in morte mutatio. *Qui loquebatur, tacet; oculi sine luce sunt, &c. nonnè ista est domus, quam nescio quis inuisibilis habitator ornabat? discessit, qui nõ videtur; remansit quod cum dolore videtur.* nempe hic deformis aspectus mortuæ Isabellæ Augustæ, quæ viuens venustate præstabat, Borgiam Candiæ Ducem permouit, vt Mundi fastu posthabito Societati nostræ minimæ nomen daret qui vnus ex magnatibus Cæsaris erat: pulchrè autem animus dicitur habitator simul, & ornator, quasi domus, corporis. quàm igitur indignum, si dominus ipse domum inquinet suam, & stabulum reddat? certè meretrices, stabulariæ dictæ, quia apud stabula mereri solitæ, quibus illa opposita fuit, quę in stabulo Deum peperit virgo.

6 Christi mortem nostræ solatium affert. *Fides pellit in luctu dolorem, nam per mortem transiuit & dominus.* nempe huc spectat adagium illud, quo se olim Athenienses in morte suorum consolabantur; Mortuus est & Codrus; quasi dicerent: rex ille suorum amantissimus vltro morti se deuouit pro suis, qui videbatur mori non debere, quis non mortem ferat? multò magis hoc nobis esse debet in morte solatium: mortuus est & Christus Dei filius. huc etiam spectat vox illa Phocionis præstantissimi Ducis ad plebeium quẽdam mortis socium mœstum, ac timentem: Aegrènè, inquit, fers cum Phocione mori? Addit alterum solatium: spem resurgendi. *Ad campos, & prata respicite, quæ herbis, ac floribus spoliata, verno tempore reuestiuntur.* Vide quid cogitandum sit in horti vel campi florentis aspectu; & vnde voluptas, & quò traducenda. nempe aspectus ille monitor est & mortis, & vitæ.

Christi mors solatiũ morituris.

7 Egregiè de vera vita. Dauid ait: *Quis est homo qui vult vitam? diligit dies habere bonos.) Sic interrogat quasi inueniri possit qui non sit: quis enim non vult vitã, & dies bonos? sed quisquis es amator longæ vitæ, esto potius bonæ vitæ. in hac vita iubet Apostolus redimere tempus, quoniam dies mali sunt. non sunt de ipso seculo dies illi; non eos habet cælum quod transit, sed quod permanebit.* rectè miratur, quod cum omnes vitæ amantes sint, Dauid scrutetur, an quis inueniatur. nempè veram vitam non omnis quærit.

Ex libro Homiliarum.

Ex homilia I. & seq.

1 AD examen sui refert illud psalmi. *Statuam ante faciem tuã.) Ascende tribunal mentis tuæ; esto tibi iudex, torqueat te timor. quod erat post te, fiat ante te; puniatur à te.* eleganter ait, tanquam in tribunali nos ipsos sistere debere ut nos ipsi iudices simus, & rei, lictor timor. sic euademus postea commune illud tribunal horrendum. & quod ait, *Ascende tribunal mentis*, in hoc ascensu quinque posuit gradus noster Ignatius in ascetico. nempe gratiarum actionem pro beneficijs; gratiam cognitionis, & fugæ peccatorum; districtam rationem ab anima exactam de cogitatis, dictis, & factis; tum veniæ petitionem; demum constans propositum emendationis.

Examen conscientiæ quasi tribunal mentis.

2 Exponit illud Pauli. *Vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, &c.) In latitudine opus charitatis intelligitur, in longitudine perseuerantia, in altitudine spes cœlestium præmiorum, in profundo inscrutabilia Dei iudicia, vnde gratia in homines venit.* Item de cruce intelligi potest. Vide quę sit vera scientia mensurandi, & ars arithmetica.

Charitatis mensuratio qualis sit.

3 Monet, etiam leuia peccata uitanda. *Ista festuca est trabs futura crescendo, nam ira inueterata fit odiũ, &c.* huc refero illud Iob ex hebręo de Leuiathã: *scintillæ ab ore eius procedunt.* quod Aquila uertit: *trabes igneæ*. quid tàm minutum quàm scintilla? quid trabe ignea maius, & horribilius? sanè in meteoris, Trabes igneæ, quod est cometæ genus, maximè sinistri ominis esse dicuntur, & perniciosa mortalibus portenta nuncię calamitatum.

4 Monet de tribulationis bono sic. *Per ista asperiora proficit magis Ecclesia proficiunt illi qui sursum cor habent, & qui non habent. tumultuatur eis cor in terra, & dicunt cordi suo locum mutare, vt & ipsi*

ipsi sursum cor habeant constantes nobiscum: *Ad te domine leuaui animam meam*. expertus est hoc Ignatius noster in illo vulnere tormenti bellici, quo tempore vnà cum terræmotu facto in eius cubiculo, *tumultuatum est & cor eius, & cordi suo locum mutauit.* subiungit. *Tale est dicere, sæuiora sunt tempora, quale si dicas, fæniora esse tempora oliuæ, cum fructus inde colligitur, quàm cum in torcular mittitur*. at hoc fit magno cum lucro.

Ex homilia XII.

Cur Deus confiteri nos sibi vult peccata, si nouit?

1 DE confessione sic. *Non ideò vult Deus nos confiteri peccata nostra, quasi ipse nesciat; sed diabolus vult, vt defendamus magis peccatum, quàm, vt accusemus.* Nota, cur Deus instituerit confessionem peccatorum, cum ea ipse nouerit; ut in hac quasi lucta diabolum superemus, qui impudentes nos uult esse peccando, & malè pudentes excusando, ac tegendo.

Incantatio diaboli per cōfessionem soluitur.

2 De eadem re sic pulchrè: *Aduersus incantationes diaboli, qui vult impedire confessionem peccatorum, suscipiamus salu berrimum præceptum confitendi alterutrū peccata nostra.* Vide quid agat diabolus. quasi incantationibus utitur, nè confiteamur; adeò confessio illi displicet, & taciturnitas placet; nam qui aliquid summopere concupiscit, & uidet alia non prodesse, ad incantamenta confugit. soluitur igitur incantatio per confessionem, & detestationem peccati. quid aliud est nisi incantatio quędam blandimentum uoluptatis? quam, si confitearis, omninò relinquere oporteat; uide autem rem peruersam: diabolus serpens incantat, qui debuit potius incantari sapienter, ne lædat, quod fit orando. huc facit quod addit. *Dicit homini serpens per Mathematicos; nunquid homo peccat? stellæ sic positæ sunt; necesse est, vt faciat homo peccatum. sic blasphemias conuertis in Deum? conditor enim stellarum est. per Manichæos ait: non tu peccas, sed gens tenebrarum.* Nota quot modis, & artibus serpens impediat confessionem, & accusationem peccati. non solùm hæretici, sed Mathematici, & Astrologi iudiciarij in hoc diaboli serpentis personam induunt, culpam extenuantes, ad quam necessitate trahi nos dicunt. & hæc incantatio Satanica est.

Astrologia iudiciaria incantatrix est.

3 Alteram illam excusationem peccati confutat. *Multi sic confessionem peccatorum fugiunt, vt ipsum Satanam accusantes, negent se quicquam mali fecisse non est vnde plus gaudeat Diabolus, nisi quando ait homo, quod ipse fecit, vt peccaret; nam sic, dum non se accusat, non meretur indulgentiam.* Vide & in hoc diaboli fraudem, & odium in confessionem; non curat se accusari vt auctorem peccati, modò homo se non accuset, quia scit per accusationem impetrari veniam; de sua ignominia non laborat, modò damnum homini, cui inuidet, comparetur. ità serpens tētator inuentus est præsens vnà cum nostris parentibus post peccatum, eos secutus, licèt sciret se accusandum ab Eua, *serpens decepit me.* nec curauit se maledicendum, modò illi nobiscum perirent. Tum contra aduersarios concludit. *Diabolus suadere, & sollicitare potest, cogere omninò non potest.*

Vana excusatio peccati de Diabolo quia non cogit

4 De afflictione toleranda sic pulchrè. *Iaces sub manibus medici: vrit, secat, noli pauere medicum, & ferrum. non contra te ferrum fertur; sed contra vulnus tuum.* elegans similitudo: ferrum medici non contra ægrum sæuit, sed contra vulnus ægri; ita afflictio non hominem persequitur, sed vitium. magnum solatium in tribulatione, quod simus sub manibus medentis Dei.

Qui tribulatur est sub Dei medentis manibus.

Ex homilia XIII.

1 HVmilitatem sic insinuat. *Ad Mundum venisti, plenam mēsam inuenisti, sed domini est terra, & plenitudo eius: debes in loco humiliore discumbere.* pulchrè Mundum hunc quasi mensā dicit magnam, & omni rerum genere abūdantem, ad quam inuitatur homo conuiua, sed iuxta parabolam Euangelij. *Recumbe in nouissimo loco, &c.* & in mensa quidem illa Regis Babylonis conuiuæ, *laudabant Deos suos aureos, & argenteos.* nos peiores gentilibus in tam lauta, & opulenta Mundi mensa ad verum Deum largitorem vix attendimus. huc refer lautissimam illam Solis mensam omnibus propositā apud Aethiopes. videamus etiā quo vestitu, & habitu discumbamus in hac mensa, quàm puluerulenti, immò sordidi. ad humilitatem conuiuę refert illud Apostoli: *Præcipe diuitibus huius Mundi non superbè sapere; vermis diuitiarum superbia est.* Notabile est hoc quod ait, nam quid verme vilius? adeò superbia, contra quàm mundani putant, contemptibilis est. tumes diuitijs, tumor ille vlcus est vermibus scatens.

Mundus hic lauta mensa est proposita homini.

2 Præclarum est illud monitum. *Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies.* Tum explicat illud Apostoli. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & desideria*

ria

tia noxia, quæ mergunt hominem in interitum, dicit quò ducat, *& surdus es? Deus tonat, & stertis?* rectè urget in re tanti momenti. & acutè adnotat. *Non dixit, qui diuites sunt, sed qui volunt diuites fieri: cupiditatem accusauit.*

3 Pauperem ad exercendum diuitem à Deo permitti dicit: *Omnes pauperes, quos videtis, potuit illos Christus pascere, vt per coruum Eliam pauit. tamen, & ipsi Eliæ subtraxit coruum, vt à vidua pasceretur,* nempè rationalibus ministris vti voluit, qui cum merito id facere possent. huc spectare ait illud prouerbiorum. *Pauper, & diues occurrerunt sibi. vbi sibi occurrerunt? in hac vita fecit ambos dominus: diuitem, vnde pauperem adiuuaret; pauperem, vnde diuitem probaret.* Vide admirabilem Dei sapientiam; scilicet vtrique consuluit. Tum eleemosinæ, uel paruæ bonum exponit. *Regnum cœlorum venale proposuit Christus, & pretium eius calicem aquæ frigidæ esse voluit.* Vide, ut quodammodo Christus sitiat in paupere. inuenti sunt apud ueteres, Reges, qui in siti regnum obtulerint ei, qui aquam attulerat.

Cur Deus pauperes permittat, cum ditare possit.

Ex homilia XIV. & seq.

1 QVantum gratiæ debeamus, ostendit, exponens illud Apostoli. *Fidem seruaui, &c. reposita est mihi corona, &c.) In mercede tu nihil agis; in opere non solus agis: corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante.* paucis, sed pulchrè complectitur, quod Theologi multis.

Gratię necessitas ostenditur.

2 De conuersione peccatoris exponit illud psalmi. *Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.) Occidunt ibi peccata, oritur inde iustitia: in Occidente vetus, in Oriente nouus; in Occidente Saulus, in Oriente Paulus: Ecce vnus homo Saulus, & Paulus; persecutor in Occidente, prædicator in Oriente.* acutè interpretatur, cur in peccati distantia sit positus, Oriens, & Occidens? quia cum iustificamur, tanquam in Oriente sumus, in luce gratiæ. ita Paulum in conuersione *lux circumfulsit de cœlo.*

Ortus status gratiæ occidens peccati.

3 Charitatem, quæ inter nos esse debeat, vel in membris nostris agnosci ait. *Ecce spinam calcat pes; quid tam longè ab oculis quàm pes? nunquid oculi cessant quærere? ibi, & oculi quærunt, & manus operatur, & totum corpus incuruatur, & nihil vacat in homine ad subueniendum; tu fortè ideò non doles, quia præcisus es ab Ecclesiæ corpore.* horrendum dictu de eis, qui non compatiuntur ceteris, præsertim in religione. videne aridum membrum sis, aut separandum à corpore.

Impium est calamitoso non compati.

4 De peccato, vel leui acerrimè puniendo sic seuerè pronunciat. *De damnatis dicitur in psalmo: Ne absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum; de ijs verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ait Apostolus; Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, per fluuium videlicet ignem, de quo Propheta ait: Et fluuius igneus currebat ante eum. per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda transibunt, &c. Ezechiel quoque: Pone, inquit, illam super prunas vacuam, donec concalescat aes eius, & omne stannum eius defluat. illic sermones otiosi, & multitudo leuiū peccatorum exundabit, quæ hic per eleemosinam, & lacrymas compendiosa tractatione separari potuissent.* Notabilis locus de leuibus peccatis horribili igne purgatorij delendis, quæ hic per paucas lacrymas, quasi per compendium, elui potuissent. comparat purgatorium igneo fluuio rapido, & currenti ante faciem Dei, vt per ipsum anima purgata perueniat ad ipsum Deū: vt fluuius currit, quia non vt æternus ignis inferni permanens; sed tamen vide quàm formidabilis pœna: *per vada feruentibus globis horrenda transibunt.* pondera verba, & contremisce, vel in leui peccato.

Leuia peccata, quà seuerè puniēda.

Purgatorij horribilis pœna.

Ex homilia XVII. & seq.

1 ACutè exponit illud Apostoli. *Pax fratribus, & charitas cum fide.) Finis in pace; sed quia fidem intelligit, quæ per dilectionem operatur, hanc dæmones non habent. nos dicamus: fides, charitas, pax: crede, ama, regna.* pulchrè hoc vltimum dictum, vt illud Cæsaris: veni, vidi, vici. his addit: *quæ est fides perfecta? quæ credit ex Deo esse omnia bona nostra, & ipsam fidem,* iterum dicit Apostolus: *Misericordia consecutus sum, vt sim fidelis: Videmus Saulum sæuientem, spectamus furentem, sanguinemque sitientem: si merita quærimus, damnationis sunt, non liberationis, &c.* Vide in quo sit perfectio fidei, vt scilicet agnoscamus à Deo bonum; ideò aduertit. *Cum dixisset Paulus: plus omnibus laboraui; quasi expauit ad verba sua, & mox subiecit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Nota ingentem timorem Pauli, ne quid sibi arrogaret, ne quid gratiæ derogaret.

Fidei perfectio in quo posita sit.

2 Vt diuites ex pauperibus uerè discerent, pauperes à Deo permitti dicit. *Nonnè Eliæ panem offerebat coruus mane, & ad vesperam carnes? tamen vt posset eum vidua pascere, fecit eum egere. egestas animæ sanctæ in abundantiam versa est animæ religiosæ. an non poterat Elias sibi dare, quod lagunculæ dedit?* rectè argumentatur. mira

Pauper permissus vt diues verè discat.

res

res, egestas pauperis facit, vt diues sit verè diues; egenus factus est propheta temporalis, vt qui ei succurreret, ditaretur vidua bono spirituali, & æterno. Tum viduæ factum ad mysterium refert: *Vt vidua panem faceret, duo ligna colligit. duo ligna crucem faciunt. quærebat moritura, vnde semper esset victura.* nempè dixit vidua: *En colligo duo ligna, &c. vt comedamus, & moriamur.* at cum duo illa ligna essent symbolum crucis, potius crucis beneficio vitam accipimus: Vides item in Eucharistico pane memoriam esse ligni crucis, & passionis Christi, quæ ignis amoris accenditur ad huiusmodi panificium.

Ex homilia XXI. & seq.

1 CAstigandos ait à parentibus filios, qui spectacula adeūt theatralia, ac subiungit: *Si fortè in ipso cursu aliqua ex parte expauescat, aut si fortè pedem impegerit ad malum currens, signat os suum, & nescit quod includat potius dæmonem, quàm excludat; tunc enim se bene signaret, si se à scelere reuocaret.* Nota morem etiam in mundanis hominibus, & parum pijs, signandi os crucis signo in timore, ac periculis: sed parum id prodest, nisi fiat cum detestatione peccati.

Signum crucis cū detestatione peccati.

2 Eos arguit, qui peccando Dauid exemplum afferebant. *Inde anima fit iniquior, quia propterea peccatum facit, quia Dauid fecit. tu tibi tanquam sanctum proponis, vt pecces; hoc amas in Dauid, quod in se odit Dauid, librum Dei inspicis, ut pecces.* nempè quid absurdius, quàm proponere sibi virum sanctum imitandum, antequam sanctificaretur; peccantem, nondū resipiscentem? scilicet amas quod ille iam in se odit.

Dauid exemplū non peccātis, sed pœnitentis.

3 Magdalenæ conuersionem perpendit. *Magdalena irruit quasi importuna conuiuio, opportuna beneficio. accessit ad pedes, quia quæ diù malè ambulauerat, vestigia recta quærebat.* acutè dictum. Tum exponit illud, *Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multùm:) non quod multum peccandum sit, vt multū diligamus; sed dictum est hoc propter Pharisæum, quia vel nulla, vel pauca putabat se habere peccata: ideò parum diligis, quia parum tibi suspicaris.* rectè ostēdit paruæ dilectionis in Deum signum esse de se benè, de alijs malè suspicari. Deinde monet, peccanti minimè insultandum, quia similiter ipse non peccat: *Adulter non fuisti, hæc dicit Deus; Regebam te malum, seruabam à malo; tentator defuit; & vt deesset, ego feci; locus & tempus defuit; vel si adfuit, vt non consentires, ego terrui. agnosce gratiam: mihi debet iste, cui dimissum, & tu qui non admisisti.* egregiè superbiam debenefactis obtundit: vide vt omnes debitores gratiæ simus. nihil est quo alteri te præponas.

Magdalena, cur ad pedes Christi accessit.

Quantūuis iustus debitor est gratiæ.

Ex homilia XXIV. & seq.

1 COrrectio quo animo accipi, ac ferri debeat, ostendit. *Aliquādo requirens vtilitatem alicuius, cogor offendere voluntatem. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. nam hæc iumenta eos calce, morsuque appetunt, à quibus curantur; vt curentur, eorum vulnera contrectantur.* Vide, vt rationis expertem se ostendat qui in correctorem insurgit. vtitur & alio exemplo pulchrè. *pullos, quos fouet sæpè in angustijs, sed non toto pedis pondere calcat & mater; sed non ideò desinit esse mater.* nempè sicut quædam animantia, & aues in locis angustis fouentes pullos, eos pede calcare coguntur, leniter tamen, & molliter, & cautè id agunt; ità prælatus in angustijs veluti positus propter scrupulum reddendæ rationis Deo, subditos, quos fouet, cogitur correctione aliquantulum premere, sed non ideò materna pietate caret, propterea sustinendus. subiungit: *Tu inimicus es medico, ego morbo.* egregiè, & acutè paucis uerbis rem complectitur:

Correctio quā cautè facienda.

Dei verbū quàm attentè audiēdū.

Ex homilia XXVI & seq.

1 DE attentione, & reuerentia circa verbum Dei sic. *Lectio, aut concio non nisi à stantibus debet audiri præter infirmos.* puto non modò hoc ad attentionem, & reuerentiam pertinere, vt stantes audiant uerbum Dei, sed tanquam parati, ac prompti ad exequendum quæ dicuntur, surgentes stabant. sed mirum est quod addit. *Quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi monstratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat, tantam sollicitudinem obseruemus, ne verbum Dei de corde nostro pereat, dum aliud cogitamus, aut loquimur, &c.* Notabilis certè amplificatio, vt quæ diligentia habetur in Christi corpore seruando adhibeatur in Dei uerbo, nimirum manna, quod seruabatur in arca, idem, & Eucharistiæ symbolum fuit, & Dei verbi. Lucas quoque ait: *Maria conseruabat omnia verba hæc in corde suo,* tanquam in vasculo aureo, quo manna seruabatur..

Verbum Dei auris inu ribus comparatur.

3 Quanti æstimandum sit Dei verbum, sic etiam ostendit. *Si preciosissimas gemmas, & inaures, vel anulos aureos erogare vellemus, vtique grandi ambitione filiæ vestræ acciperent; & qui verbum Dei audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas*

se

se suscepisse non dubitet. pulchrè concionatorem verbi Dei, tanquam inaures aureas margaritis ornatas, vel annulos aureos auditoribus distribuere ait, easque non de transmarinis terræ regionibus, sed de paradiso, cœlesti negotiatione transmissas. inaures vocat, quia auribus attentè percipiendum Dei verbum; annulos aureos manuum delicias, quia per opera implendum. concionator igitur quasi ille seruus Abraham, qui Rebeccæ ad puteū venienti hæc ornamenta dedit, sic auditori sitienti hæc tribuit: est enim quasi pronubus animæ Christo desponsæ.

Dexterū extendēs pauperi dextralia aurea accipit à Christo.

2 Eleemosinæ præmium exponit. *Qui manus ad eleemosinas extendit, dextralia à Christo percipiet transmissa.* pulchrè dictum: huc refero illud de Ioseph, q quoniā libera lis fuit in cōdonando, ac dōnādo frumento fratribus fratricidis. de eo dicitur iuxta chaldæū *deauratæ sunt manus illius.* qui igitur dat, potius accipit.

Concionatur sponsæ Christi pronubus est.

3 Redit ad laudes diuini verbi. *Sicut terrenis ornamentis caro ornatur, sic anima diuinis sermonibus tanquam margaritis apparatur, vt ad cœlestis sponsi consortium, ac thalamum ornata procedat.* Vides verba Dei quasi margaritas esse, è sacra scriptura tanquam è concha depromptas, quibus non se ornare debeat prædicator ad iactantiā, sed vt Christi sponsam ducat ad thalamū quasi animæ paranymphus. huc facit illud Pro u. *Inauris aurea, & margaritū fulgens qui arguit aurem obedientem.* subiungit in eos, qui argui detrectant. *Si mater proprijs manibus ornaret filiam, & hæc reluctaretur, non eam obiurgaret? me ergo putate matrem vestram, &c.* Attende prælati, vel concionatoris officium, ut mater tota posita est in ornanda filia, ita ille in subditis ad ueram pulchritudinem componendis, & quicquid indecorum est, tegendo. aures perforat, ut aureos annulos cum margaritis inserat, & elicit sanguinem; quod dum facit, æqui bonique accipitur à filia.

Ex homilia XXVIII. & seq.

Vnda charitatis in corde siccatur per odiū.

1 Amor in proximum commendatur. *Vnda charitatis ibat in corde tuo; inde tanquam vena interiore manauit, tenes odium contra fratrem? obturasti fontem.* eleganter charitas ceu liquidus fons dicitur, qui cordis hortum floridum rigat, & deriuatur inde ad uiciniam fratris; sed odium obturat hunc fontem; ita cor arescit; ubique squalor, & sterilitas.

2 Nemini ob peccata desperandum dicit. *Graue accepisti vulnus, sed omnipotens medicus. post suggestionem, delectationem, consensum, & perpetrationem quasi quatriduanus mortuus putet; sed nec ipsum dominus deseruit, clamans, Lazarè, veni foras; cessit voci misericordiæ moles sepulturæ. at Iudas laqueo se suspendit desperans; nam sicut qui collum obligat, inde se occidit, quia non adeò intrat spiritus aeris huius; sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione se suffocant, vt eos Spiritus sanctus visitare non possit.* acutè dictum: cur Iudas se suffocarit: nam sicut spiritus hic, videlicet aer in Iudæ cor penetrare non potuit ob laqueum, ità nec Spiritus sanctus in cor desperantis: hinc blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittitur, est desperatio de remissione peccatorum; quę fit gratia Spiritus sancti.

Cur Iudas desperans laqueo se suspendit.

Ecclesia piè dat pœnitentibus locum, vt mater.

3 Arguit hæreticos, negantes in quibusdam peccatis dari pœnitentiam. *Sed in quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia.* rectè commendat maternam Ecclesiæ pietatem, & affectu plena uiscera. legi in nostræ Societatis literis annuis, cuidam exterorum seculari uisum dæmonem horribili aspectu sine uisceribus: nimirum ideo crudelissimus persecutor salutis, malè impœnitentiam suadet, contra uerò Ecclesia. *non perdit viscera pia mater.* Nec tamen per hoc dat peccandi licentiam: immò desperatio ipsam daret, & ideò excommunicationem non facilè imponi ait. *De Ecclesia proijcere pigri sumus, nè ipso flagello peior fiat, qui cæditur.* est sanè hoc ualde notandum Episcopis.

Excommunicatio non facilè fulminā da.

Ex homilia XXX. & seq.

Diuitiarum solus abusus in vituperatione est.

1 Negat iccircò diuitias esse malas, quia malè utuntur homines. *Meum, inquit Deus, est argentum, & aurum; aut vituperetur Sol iste, quem ipsi Manichæi tanquam ipsum creatorem, vel eius partem volunt; cum plerumque de vsu Solis, & luminis in ædificijs suis lites iniustissimas concitent.* rectè ait, non quia tot lites ob pecuniam fiunt, hęc uituperanda; sed uel nullus, uel malus eius usus in uitio est; & acutè Manichæos taxat.

Cur lapidem Dauid contra Goliath è vase lactis protulit.

2 Gratiæ mysterium in Dauid facto agnoscit. *Dauid tulit quinque lapides de torrente seu fluuio, & posuit in vase pastoris, quo lac mulgere solent, ita processit armatus, quinque lapides lex erant propter quinque libros Moysis. de torrente, seu fluuio sublati lapides, & positi in vase pastoritio, quia, vt vinceretur diabolus, lex transiuit ad gratiam: quid tam significat gratiam, quàm lactis copia? qui vult ergo implere legem, gratiam cogitet; idest innotescat ei Deus, qui dat illi gratiam suam, vnde præsumebat Dauid; Goliath autem de se, de viribus suis elatus victoriam in se vno constituit; & quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide deiectus est.* pulchrè lacte significasti-

Gratia nutrix cum lactis copia.

Cur Goliath in fronte percussus

ficari gratiam dicit, iuxta illud. *Omnia deseruiebant nutrici Gratia tua*; abundant autem eius vbera: *Quid tam significat Gratiam, quàm lactis copia?* Dauid non in suo robore, nec in armis, sed in gratia, & fauore Dei præsumebat, sicut lac imbellis infantiæ est. ideò lapidem, quo vulneraturus erat gigantem, in lactis vase posuit, ita lapis lacte madens maduit hostis sanguine. nota item acutè, cur gigas sit in fronte percussus; quia impudentia, & superbia, qua in se confidebat, eminet è fronte, vnde effrontem dicimus.

Lex vetus non habuit efficaciam, nisi postea per Christi gratiam.

3 Pergit in eodem Dauid facto. *Illi quinque lapides non fecerunt limitem fluuio, vt statuerent fluuium, quasi significarent coercitionem legis, & refrænationem impetus voluptatis, & cupiditatis; sed super eos transibant aquæ, sicut supra legem transgressor populus transibat*. acutè dictum, nam illi quinque lapides quinque libros Mosis significabant, qui dum erant in torrente, certè refrænare non poterant ipsum torrentem à cursu; sed aqua super eos transgrediebatur: ità populus, qui aquis in apocalypsi comparatur; legem transgrediebatur, nec eos lex ab impetu cupiditatum coercebat; sed cum hi lapides positi sunt in vase lactis, idest hæc lex cum in statu gratiæ per Christum posita est, vim habuit ipsum diabolum coercendi, vincendi, deijciendi.

Ex homilia XXXII. & seq.

Homo mirator Mundi, & magnum miraculũ Mundi.

1 DEi opera etiam extra miracula miranda esse dicit. *Quotidiana miracula Dei non facilitate, sed assiduitate voluerunt. aquam vinum factam viderunt homines, & obstupuerunt. quid aliud fit de pluuia per radicem vitis? vnde processit ipse homo? habitus iste speciosus de quibus primordijs? &c. & miratur hic, cum sit ipse mirator, magnum miraculum*. pulchrè ait: homo, qui admirator est magnæ huius molis, idest vniuersi, ipse magnum miraculum est, quippè compendio illud continet: spectator, & spectaculum est; *mirator, & magnum miraculum*.

Iudæorũ stultitia in nõ agnoscentium Christum ex miraculis.

2 Incarnationis beneficium commẽdat, exponens illud psalmi. *Mirifica misericordias tuas.) Venit paruus ad paruos, venit reddere luci hominem is, qui erat in luce, qui quotidie, qui non erant, perducit ad lucem. fecit ista, & contemptus est à multis, plus attendentibus, non quàm magna faceret, sed quàm paruus*. antithesis est pulchra verborum; vbi Iudęorum stultitiam taxat, qui cum viderẽt magna, & mirabilia fieri à Christo paruo, vel ætate, vel humilitate, non attendebãt, quàm magna illa essent, sed quàm ad speciem paruus auctor.

Ps. 83.

Opera quæ non referũtur ad Deum mortua sunt.

3 Exponit illud psalmi. *Cor meum, & caro mea exultauerũt in Deum viuum.)* Quare addidit, viuum? *vt ostenderet, totum, quod non pertinet ad Dei cultum, haberi debere quasi mortuum*. Notabile dictum: quàm multa sunt quæ operamur, nec ad Deum referimus? veluti putida cadauera sunt: carent anima, quia carent recta intentione in Deum viuum.

Castitas humilitati coniũcta per turturem, & passerem indicata.

4 Interpretatur locum psalmi: *Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum.) In vtroque Saluator significatur; passer enim perparua auis est; turtur autem, vt legimus, pudicissima; & ideo Saluator passer dicitur, quia docuit primus humilitatem; ideò turtur quia primus castitatem: vnde in Cant. dicitur: Vox turturis audita est: domus Ecclesia est, & nidus; nam & nos congregat, vt suam doctrinam audiamus; & reponit, vt ab insidijs diaboli tuti simus*. Vide, vt humilitatis indiuidua comes sit castitas: paruus passer, castus turtur: in his animæ nidus. hic plumescimus.

Zach. 1.

Dei iustitia, & misericordia.

4 Exponit illud. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.) Auersus es, quia tu te auertisti. tu ab illo fecisti casum, non ipse ante fecit occasum*. venustè dictum de præscientia Dei, quæ non est causa peccati, sed propria libertas. subiungit pulchrè. *Fugientis dorsa persequitur Deus; faciem redeuntis illuminat. qui conuersum liberat, punit auersum*. egregiè dictum: vides misericordiam cum iustitia coniunctam; & nota; quod ait: *faciem redeuntis illuminat*, nẽpè conuersam ad se peccatoris animam gratiæ luce perfundit: immò Ignatio nostro post conuersionem etiam in corpore quãdoq; vultus explendescere solitus, vt testatus est inter ceteros S. Philippus Nerius.

Ex homilia XXXV. & seq.

Mors siue peccatum satelles diaboli.

1 PAssionis Christi beneficium, & gloriam paucis, sed pulchrè commendat. *Triumphauit Christus de morte, quam diabolus propinauerat homini*. De huius triumphi captiuis habes apud Abacuc: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius*. hanc mortem tanquam in poculo venenato propinauit diabolus, vt qui cibum vetitum sumpserat biberet mortem. refugit animus dicere etiam Dei matri, si de spiritali morte loquamur, lethale hoc poculum propinatum; nam dicitur in Cant. *vmbilicus tuus crater tornatilis*. addit de morte: *mors dominata est homini volenti. insinuit se aduersus eũ satelles leonis*. rectè mors satelles diaboli dicitur, & hic instar leonis crudelis est inhiãtis ad prædam. quàm atrox, & turpis satelles mors, siue peccatum, à quo rapitur

reus

dia est, vt ante occurrat esurienti cibus, quàm roget mendicus. non est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. sed si tacet mendicus, loquitur pallor in facie. ecce venit tibi pluuia antequam roges; descendit vbertas nocte, dum stertis; dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur. iactat cœlum, & parturit terra: tot cellaria messium, dum nescimus, accepimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus, & tu homo modicum panem precibus vendis? pende dictum. accurrendum ait egeno, etiam non petenti. non audet petere, tacet ore, at pallor ipse oris loquitur. & rectè illud vrget, quod tam magnam, & lautam mensam apparet nobis Deus, hoc scilicet vniuersum, etiam dormientibus nobis, & stertentibus; at nos auari vel in exiguo donando sumus.

Largitor pauperi Deum imitatur. 2 Item in beneficentiæ laudes excurrit. *Creuit cibus millibus in deserto, dum impenditur victus; sic & eleemosyna si indigenti erogetur.* hoc certè sanctis viris non semel accidisse legimus. Ad hæc addit. *Magnum opus est eleemosina; vt faciat homo quod facit Deus, qui vno vasculo orbem cœli pascit, per quem & nobis liceat erogare. si vbique fuisset abundans, perierat misericordia.* Nota cur Deus permiserit pauperes; potius voluit videri parcus ipse, quàm misericordiæ subtrahere materiam laudis. illud autem quàm excellens? nempe Dei instar agis, nam vt ille Mundum vniuersum quasi conuiuium omnibus apparat, ita tu pauperibus mensam.

Misericordia stat ante fores gehennæ ne eleemosinarius intret. 3 Pergit in eleemosinæ bonis. *In horreis nostris habemus abundanter, quæ flammas nostras oblatione vnius panis extinguant; ante fores gehennæ stat Misericordia, & neminem patitur immitti.* Notabile omninò dictum, potes ex amplis horreis, quæ habes, vno pane extinguere flammam immanem tibi paratam. hoc autem quàm præclarum? Misericordia inquit, excubat ante Inferni fores, cauens, nè quisquam misericors, & eleemosinarius eò immittatur; contra quàm de peccato dicitur Cain immisericordi. *Ante fores peccatum tuum aderit.* nempè, vt intra ipsam gehennam immittat, excubans, & oblatrans Cerberi instar.

Ex homilia XL. & seq.

Suspicio statim extirpanda ex animo. 1 SVspicionum damna ostendit. *Humanum est irasci, sed non debet iracundia nostra natos surculos diuersis suspicionibus irrigare, & ad trabem odij peruenire.* pulchra metaphora ostendit, iracundiam quandoque licet leui re, paruaquè ortam, suspicionibus immaniter excrescere: vt fit in paruis plantis, si irrigentur, quæ postea in durissimum truncum, & trabem solidantur, & tandem materia fiunt ignis. statim igitur suspicio ex animo extirpanda.

2 Iracundi miseriam ostendit. *Dicit Apostolus Ioannes; Qui fratrem suum odit in tenebris est; exit, intrat, procedit. noli illum putare sine carcere esse: carcer eius cor eius est.* mira res; nam ille potius in tenebris, & carcere videtur esse, qui exosus fratrem tenebras illi, & carcerem intentat: sed re vera cor eius, qui iratus hæc minatur, tenebricosus carcer est; tum propter tenebras, cum cæcus feratur ira; tum propter angustias. sicut contra cor dilatatur charitate, vnde illud Apostoli, *dilatamini, &c.* & Dauid parcere solitus ait: *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.* quod autem præcipuum mandatum? *hoc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Irati cor carcer est tenebricosus.

Contritio in intensione actus consistit. 3 De vera contritione sic. *Dauid increpatus à Propheta ait: Peccaui; & mox audiuit; Dominus abstulit peccatum tuum. tres syllabæ sunt: peccaui; sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram domino ascendit in cœlum.* nempè in intensione, ac vehementia actus magis quàm in multis verbis dolor de peccatis continetur. quanta flamma in vno flatu accenditur? quia videlicet non remissus flatus, sed ex cordis profundo prouenit.

Pœnitentiam differentes in fine vitæ taxantur. 4 Ostendit quæ pœnitentia tutior sit. *Fidelis bene viuens securus hinc exit; agens pœnitentiam, & reconciliatus cum sanus est, & postea bene viuens securus hinc exit; agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* nec tamen, inquit, affirmo quod damnabitur. Nota tres gradus eorum, qui ex hac vita exeunt: aut semper bene viuentium, aut per aliquod tempus, aut in extremo vitæ: in hoc vltimo, vt in re difficili, fluctuat Augustinus; & addit notabile dictum. *Si vis agere pœnitentiam, & tempore quo peccare non potes, peccata te demiserunt, non tu illa.* acutè perstringit eos, qui differunt pœnitentiam vsque ad mortis articulum.

Ex homilia XLII.

1 DE salutatione dominica hæc habet. *Talis iuris peritus nobis has preces dictauit, qui sedet ad dexteram patris. ipse est aduo-*

aduocatus noſter, qui iudex futurus eſt noſter. pulchrè ait, Chriſtũ, vt iuriſperitũ, & aduocatũ, docuiſſe nos qua ratione cauſã noſtræ ſalutis tractare debeamus. mira, & inaudita pietas: is, qui cauſæ futurus eſt iudex, inſtruit reum, ne incidat in ſententiam reatus.

Chriſtus quaſi iuris peritus noſter in oratione dominica.

2 Exponit earũ precum verba. *Pater noſter.) Quanta dignitas? hoc dicit Imperator, hoc dicit mendicus, &c.* magna Dei pietas: eodem titulo admittit ad ſe Imperatorẽ, quo mendicum; eadem vti vult formula petendi: cõmunis eſt omnium pater. Tum pergit. *Sanctificatio nominis Dei eſt, qua efficimur nos ſancti. Adueniat regnum tuum: dignos nos fac regno tuo. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, vt in Angelis, ità in nobis. panem noſtrum quotidianum da nobis, ſiuè victum, ſiuè Euchariſtiam tuã, quotidianum cibum.* Vides veterem vſum quotidianum Euchariſtiæ in ſacerdotibus, in ceteris parati animi diſpoſitionem. ſequitur: *Sicut & nos dimittimus, &c.) Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, ait Apoſtolus: ideſt tranſeat aliquando iracundia veſtra. diẽ magni Solis celebramus, de quo Malachias dicit: Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ; habitat modò iſte Sol in noſtris cordibus per fidem; at de iracundia dicitur in pſalmo: Turbatus eſt præ ira oculus meus: vtique turbatus oculus Solem videre non poteſt; aut pœna eſt illi, non voluptas.* præclarè ait, Chriſtianos diem magni Solis celebrare, quaſi ſemper nobis ſit dies dominicus, aut Chriſti natalis. porrò Solem intueri non poſſunt qui oculum habent ira turbatum, & obcæcatum: *occidit illis Sol in meridie.* pulchrè autem indicat, Solem iuſtitiæ in corde iuſti tanquam in zodiaco habitare. *habitat iſte Sol modò in cordibus noſtris per fidem.* per duodecim igitur articulos fidei, quã profitemur, tãquã per totidẽ ſigna diſcurrit.

Chriſtiani magnũ diem magni Solis per fidem celebrant.

Sol iuſtitiæ in corde quaſi per zodiacum diſcurrit.

3 Pergit iiſdem verbis vindictæ cupiditatem extinguere. *Sicut, & nos dimittimus, &c.) Non dum ſunt ſancti Martyres vindicati; adhuc expectant, vt conuertantur inimici. nos qui ſumus, vt vindictam quæramus?* Martyres, inquit, cum tam crudeliter torquerentur, poterant à Deo ſuo, quẽ amicum, & omnipotentem habebant, impetrare uindictam, uel cœli fulmina, uel hiatum terræ, &c. tamen ob ſpem pœnitentiæ nondum ulciſcuntur, ſed in ultimo iudicio apparebunt armati gladio illo ancipiti ad faciendam uindictam in nationibus: nos homunculi, uel in leui conuicio, ſtatim in ultionem exardeſcimus. ſanguis igitur ille Martyrum ualet ad extinguendam iram.

Martyrũ exemplũ extinguit iram.

4 Iræ ſæuitiam deteſtatur à ſimili. *Si in domibus veſtris ſcorpiones eſſẽt, aut aſpides, quantum laboraretis, vt purgata domo ſecuri eſſetis? ſunt tot odia, tot ſcorpiones, tot ſerpentes, & cor veſtrum purgare non vultis?* Vide quod ſit cor iracundi, & exhorreſce: nempe latibulum eſt, & cauerna ſcorpionum & aſpidum; ſcorpionum, cum ſicut ille cauda ferit, ità quis blandus videtur foris, ſed venenum latet odij, aſpidum, cum ſapienter incantantibus, vt deponat odium, ſurdum ſe præbet.

Cor irati latibulum ſcorpionũ & aſpidũ.

4 Mundanos ſic exagitat. *Magna infelicitas hominum: id; propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & ipſa peccata ſecum portant.* Vide miſeriam, & ſtultitiam peccatoris: vt delitijs, & diuitijs fruatur, obſtringit ſe peccatis; illæ, quæ delectant, in morte relinquunt; peccata, quæ cruciant, ſequuntur. quò referri poteſt illud de Cain dictum. *ſtatim in foribus peccatum aderit,* ſcilicet vt te ſemper comitetur exeuntem etiam ex hac vita, & è domo ad ſepulchrum.

Mundanorum infelicitas oſtenditur.

6 Perfectam in proximum charitatẽ docet. *Duplex eſt eleemoſina; vna, quà dimittis offenſam; altera, qua porrigis panem. ambas fac, ne ſinè vna ala remaneat oratio tua.* eleganter ait, oratione quaſi volatu, è terra in cœlum nos attolli. alę duæ sũt, cõdonatio, & donatio. ſi pauperi donas, nec inimico cõdonas, altera cares ala, nõ poterit oratio aduolare ad Deum.

Eleemoſinę duplex ala donatio, & cõdonatio.

7 Symbolum fidei ſic commendat. *Symbolum quotidiè dicite, quando ſurgitis quando vos collocatis ad ſomnum, commemora fidem tuam, inſpice te; ſit tanquam ſpeculum tibi ſymbolum tuum; ſint diuitiæ tuæ, ſint indumenta tua. ipſa fides & tunica eſt, & lorica; tunica contra cõfuſionem, lorica contra aduerſarium.* rectè ſymbolũ quaſi ſpeculum dicit; in eo nos inſpicimus, an Deum diligamus vt patrem; an vereamur vt omnipotentem, &c. item fides pulchrè lorica dicitur, & triplici quaſi ære contexta ob myſterium Trinitatis: hęc pectoris munimentum eſt qualibet Aegide tutius aduerſus tela diaboli.

Symbolũ fidei ſpeculum eſt & lorica.

8 Latronis fidem exaggerat. *Tunc deſperauerunt Apoſtoli, quando credidit latro. Petrus auſus ſequi, domum peruenit, & in atrio fatigatus eſt: ad ignem ſtabat, & alſit; tertiò negauit: Deo gratias, quia ceſſauit interrogatio, ne diù repeteretur negatio.* Vide vt vnum peccatũ aliud, & aliud ſine fine trahat, niſi occurrat gratia. acutè autem ait, Petrum, qui confidebat ſe quaſi giganteis paſſibus conſequi poſſe Chriſtum, ſtatim ita defatigatum, vt ne intra domũ quidẽ Põtificis peruenerit, ſed in ipſo atrio alſerit vel apud ignẽ.

Latronis fides potior Petri cõfidentia

9 Etiam iuſto humilitatis materiam nõ deeſſe oſtendit. *Dicite Apoſtoli, poſtquam conformati eſtis per Spiritum ſanctum, ceſſaſtis habere peccata? ait dilectus ipſe Ioannes. Si dixerimus, quia peccatum*

Nec Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctũ immunes à leui peccato.

tum non habemus', nos ipsos decipimus'. qui dixerat: In principio erat Verbum, talis ac tantus, qui volauit sicut aquila super nubes, &c. rectè monet de sui cognitione; nam Apostoli licet confirmati in gratia, non omnino tamen immunes erant peccati certè leuis, & id magis mirum in Ioanne, quod inhærere potuerit ei aliquid terreni pulueris, qui se tam altè efferebat, vt aquila, vt nubes.

Ex homilia XLIV.

1 Omni sollicitudine occurrendum ait superbiæ, quæ vel iusto se insinuat. *Inter natos, inquit, mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.) Ambo mirabiliter nati; præco, & iudex, lucerna & dies, vox, & verbum; ad pedes domini, & corrigiam se humiliauit, ne vento superbiæ lucerna extingueretur.* Notabile dictum, cum de Ioanne Baptista dictum esset. *ille erat lucerna ardens, & lucens.* superbiæ ventus tam vehemens, & impotens est, vt oportuerit Ioannem ad pedes ipsos domini quodammodo tegi, & occultari eius corrigia, ne extingueretur: quid de exigua nostra luce dicẽdũ est? quàm cauti esse debemus in procella vẽtosę superbię?

Cur Ioãnes de corrigia pedum Christi meminerit.

Superbiæ vento facile lumẽ virtutum extinguitur.

2 Ioanni Baptistæ honorem præstitum ab Ecclesia refert. *Ioannis Baptistæ solius Ecclesia natalem celebrat, & natalis domini, sed tanquam domini.* & hoc magna dignitas, adde eundem Gabrielem nuncium fuisse vtriusque. adde decus item mirum, vt hinc apparet, non ante natiuitatem Virginis Deiparæ celebratam, quàm Ioannis, licet illa procul dubio excellentior Ioanne.

Ioannis natiuitas & Christi olim solum celebrata.

3 De muto Zacharia sic. *Eris, inquit, tacens.) Tacet Zacharias generaturus vocem, quia non credidit, meritò obmutuit, donec vox nasceretur; nam si dicitur in psalmo: Credidi, propter quod locutus sum: quia non credebat, meritò non loquebatur.* acutè ostendit pœnam respondisse culpæ, non credidit se generaturũ vocẽ, ideo mutus effectus.

Cur Zacharias mutus effectus.

4 Exponit illa verba: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.) Ne timeas æstum libidinis sub tanto vmbraculo.* Nota, cum dixit Angelus: *Ne timeas Maria*; non timuisse Angeli aspectum, cum solita esset versari cũ Angelis; sed timuisse, ne cõceptus requireret æstũ, vt fit libidinis quantumuis leuem; ideò de hoc securam reddit. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* sed mirum dictu, Solem sub vmbra conceptum; & vide quantus castitatis amor, non attendit ad dignitatem partus immensam, sed ad huius thesauri custodiam.

Cur Deipara dicatur obumbrata Spiritu sancto.

5 Acutè arrogantiam Pharisei perstringit. *Ieiuno, inquit, bis in sabbato. roga re veneras, an te laudare? non dicis; domine da mihi gratias, sed gratias tibi ago domine: totum se habere dixit, nihil tanquam egenus petijt.* elegans allusio verborum cum antithesi. Pharisæus hic potius gratias dedit Deo, quàm gratias petijt à Deo. Addit eleganter, ac pulchrè. *Litem instituunt Pharisæus, & Publicanus; audisti domine controuersiam, prome sententiam. non appellat victus, quia non est ad quem, nam Pater omne iudicium commisit filio, &c. dicat sententiam Veritas. Amen dico vobis, quia his iustificatus descendit.* quasi ante oculos proponit vtriusq; institutã litem ante tribunal templi. alter se meritò iustificatum iactabat ob bona opera, alter sine meritis ex Dei misericordia pẽdebat. sed attende sẽtẽtiã Iudicis; scilicet litẽ adiudicat ei, qui sua se voce fatetur reum. at vbi iustitia? nempe confessio fecit iustum.

Phariſę arrogantia in orãdo taxatur.

Ex homilia XLV.

1 Petri visionem considerat. *Vas ostensum Petro, in quo reptilia, &c. fortasse quæratur, quare linteum erat illud? non vtique sine causa; noscimus enim quod linteum tinea non corrumpit, vt alias vestes, & ideò qui vult ad Ecclesiam pertinere, excludat de corde suo corruptionem malarum concupiscentiarum, & prauis cogitationibus tanquam tineis non penetretur.* acutè adnotat, cur in linteo potius, quàm in alia re significata sit gentium salus; & rectè cor nostrum candidum veluti linteum esse debere ait; linum tinea non corrumpit, aut rodit: est autem tinea concupiscentia, & cogitatio praua. tales sint oportet, qui per baptismum Ecclesiæ nomen dant, cœlo mox inferendi vnà cũ linteo; & nota linteum hoc ad cõuersionem gentium pertinens per Angelos explicatũ fuisse: iuuant certè Angeli plurimum in hoc quippe quorũ curę cõmissus est Orbis terrarũ, iuxta illud: *Constituit terminos populorũ iuxta numerũ Angelorũ Dei.* & noster quidẽ Xauerius Indorũ Apostolus eorum principi S. Michaeli in primis salutẽ gentiũ cõmendabat. huc spectat quod addit. *Trina submissio lintei per quatuor lineas mysteriũ Trinitatis per Orbẽ terræ totũ significabat*: per quatuor scilicet Orbis terræ partes. id hoc tẽpore maximè videtur sanè perfectũ per prædicatores euangelicos, hoc studuit in primis parens noster Ignatius erga Trinitatẽ maximè peculiari pietate affectus.

Act. 18.

Cur negotium cõuersio in linteo significata sit Petro.

2 Pergit visum illud exponere. Petrus, vt hæc cerneret, ascendit in solarium domus: *Significabat quod Ecclesia cupiditatibus seculi abiectis spiritaliter corde ascensura esset in altum, iuxta illud: Nostra conuersatio in cælis est.* Vide in Apostolicis viris, qui in salutem animarum

Sublimitas contemplationi in apostolicis viris

vocantur, quanta altitudo contemplationis,& à terrenis eleuatio requiratur: quæ certè in Xauerio adeo excellens fuit, vt quandoque corpore ipso suspensus à terra visus sit.vides etiam cõtemplatiuam vitam cum actiua rectè coniungi.Denique exponit illud: *Occide, & manduca)infidelitatem scilicet,vt interficeret in eis vitam præteritam, & transiret in corpus eius, iuxta illud: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo*. habes hinc concionatoris zelum, ferrum adhibeat compunctionis oportet magis quàm aurum splendidæ dictionis.

Diaboli astutia fingendis inducijs belli.

3 Non est omittenda breuis, sed notabilis vox. Non tunc tantùm, inquit, cauendus est Diabolus,cum bellum indicit; in pace magis est vigilandum: *Facit enim hostis securos,quos cupit esse captiuos*.nota hostile stratagema diaboli. fingit se à bello cessasse,vt inuadat incautos,ac desides, & in triumpho catenatos ducat.

Ex homilia XLVII.

Dei præsentia incitat ad pugnam.

1 DE Dei præsentia sic. *Si quis miles sub Imperatoris conspectu certamen cum hoste iniret, quanta virtute pugnaret, vt placere illi,cui militat, posset? vigila tu sub oculis Dei vt perfecta victoria coroneris, &c.*) pertinet hoc ad religiosos maximè sub Christi vexillo merentes.

Diues prærogator est bonorum Dei non suorum.

2 Terræ sterilitatem auaritiæ tribuit. *Flagellamur in frugibus,quia bene egentibus non facimus: Pauperi non dedi, ait Deus,non quia non habui,sed vt te probarem. prærogatorem te constitui in bonis meis*.egregiè dictum,diuitem non sua dispensare bona,sed Dei;si parcè dat,parcum ipsum dominum facit, iniuria domini est. intelligat se esse tanquam constitutum prærogatorem in bonis Dei, vt egentibus distribuat. prerogare apud Vlpianum est ante diem soluere. non igitur in eleemosina procrastinandum, aut ad vltimum vsque vitæ diem morandum.

Auari stultitia in accumulando taxatur.

3 Stultitiam auari carpit, exponens parabolam eius,cui dictum:*Stultè hac nocte animam tuam repetent,&c.*) O cæcitas auari:*vna nox ei superabat, & de multorum annorum vita satagebat: gaudebat quia multum sibi nascendum videbat, & non sciebat quia nihil secum tollebat; nox ei vitam fugabat*. nempe auarus hic gaudebat,cum videbat multa sibi nasci,vt pecora,fruges,&c. nec suum præuidebat occasum in ortu rerum suarum. acutè igitur arguit. Tum respondet obiecto;excusas te inhiare opibus causa filiorum, *Quam curam geris filiorum, vt eos obruas lacrymis miserorum?* rectè ait:male miseretur filiorum qui bona vsurpat miserorum. *infausta est ista hæreditas,quàm relinquis,non tàm pecuniæ,quàm lacrymarum*.

4 Item in auaros sic. *Scriptum est:In imagine pertransit homo. quid imaginem sculptam Regis seruas in solidis, & imaginem Dei in hominibus detestaris?* rectè arguit.auari aureos nummos,in quibus imago Regis est,tanti faciunt;animas pauperum spernunt,in quibus est imago Dei.

Decimarum solutio commẽdatur.

5 Ecclesiæ tribui iubet quod debetur.Maiores nostri ideò laudati quia decimas dabant, *Nunc hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus*. elegans annominatio est.

Ex homilia XLIX. & seq.

Theodosij Imperatoris publica pœnitentia alios arguit.

1 DE pœnitentia sic. *Theodosius Imperator egit pœnitentiam publicam in conspectu populi; & erubescit senator, erubescit plebeius quod non erubescit Imperator. nonnè sufficeret hoc gehennæ?* Vide quantam vim habeant exempla. præstantiores condemnant inferiores, & omnem excusationem tollunt. audiât hæc minores magistratus in primis, qui Ecclesiæ minas paruifaciunt, cum Imperatorem ad præsulis Ambrosij pedes abiectum legunt.

Adam fugitiui serui more se occuluit.

2 Peccati confusionem ostendit. *Ait Iob: Nunquid non tentatio est vita hominis super terram? tanquam seruus fugiens dominum suum, & consecutus est vmbram.) mysterium lapsi hominis mirabiliter tetigit. fugitiuus Adam post peccatum abscondit se à facie domini tectus folijs arborum, quibus opacantur vmbracula, tanquam fugiens dominum suum:neque enim hæc vita dicenda est potius quàm vmbra vitæ*. nota;Adam factus ad vmbram Dei,vt est in hebræo, post peccatum confugit ad vmbram arborum,quæ perpetua non est, sed reparatum est hoc malum incarnatione, cum Mariam, *Virtus altissimi obumbrauit*. non igitur verisimile est peccatũ illud Adę ipsã incurrisse:Spiritus sãcti potius obumbrationi,quàm caducorũ foliorum vmbraculo reseruabatur. Adã fugitiui serui more se occuluit,quia reus:at illa licet ex humilitate seruam se dixerit, obtulit tamen se promptè,non fugitiua, quia non rea criminis. *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*.

Eucharistica mensa castrensis est.

3 Eucharistici panis uim pulchrè describit. *Panis cœlestis dispensatione inuicta aduersus diabolum castra in credentium cordibus construit*.nempe in corde nostro tanquam in campo castra ponimus aduersus diabolum,cum cœlesti pane vescimur, & his armis pugnamus: quò spectat illud Esaiæ ex S. Hieronymi interpretatione,

pone

pone mensam, contemplare in specula; edentes, & bibentes surgite principes, arripite clypeum &c. item illud psalmi: *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* idest contra diaboli aciem: adeo mensa illa castrensis est. quò etiam spectat panis ille subcineritius tabernaculum Madian subuertens, qui dictus est, *gladius Gedeonis, & Dei.* & sanè cum ibi memoria passionis Christi recolatur, Petrus sic ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

Venialia peccata multiplicata scabiosam reddunt animam.

4 Linguæ malum etiā in paruis exaggerat. *Loqui de verbis vanis, & stultis, quamuis singula lethali vulnere non feriant, tamen omnia simul congregata, velut scabies, ita nostrum decus exterminant, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filijs hominum castissimis amplexibus separent.* Notabilis locus de venialibus peccatis. mortalia lethaliter vulnerant; venialia quæ putas ad iocum, & elegantiam facere, ne insociabilis videaris, scabiosum potius reddunt, & nausea dignum, & à sponsi cœlestis amplexibus animam non modò retardant, sed separant; quis enim scabiosæ iungi velit? vana igitur conuersatio procul vitanda.

5 De sui cognitione, & præparatione ad Eucharistiam hæc eleganter habet. *Ait Apostolus: Si nos iudicaremus, non vtique iudicaremur. attendat itaque homo ad tribunal mentis suæ, si timet tribunal Christi. statuat se ante faciem suam, vt est in psalmo, atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. inde quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. postremò ab ipsa mente sententiam proferatur, quæ se indignum homo iudicet participatione corporis, & sanguinis Christi, &c.* satis pulchrè describitur examen faciendum, præsertim ante communionem. statuitur in corde tribunal: cogitationes accusant, testis adhibetur conscientia, timor quasi lictor fert fasces, & secures; cæditur reus, pro sanguine profluunt lacrymæ; mens, & ratio sententiam fert, edicit, ac declarat indignum; nec alios diiudicat, sed se: qui tale sibi tribunal constituit, effugiet tribunal Christi. supra etiam meminit huiusmodi tribunalis, hoc est examinis: quod quàm sollicitè, nec oscitanter sit faciendum, indicat notabile illud exemplū apud Gellium de quodam reo, qui quod oscitasset ante tribunal, dum eius causa capitis ageretur, dignus putatus est damnatione, etiam si aliud non esset crimen; quòd salutaem suam tam parui faceret. pulchrè autem dicit, *lacrymas esse animæ confitentis sanguinem*, tanquam ex vulnere cordis. adeò martyrij quoddam genus est vera pœnitentia.

Examen præsertim ante Eucharistiā in mentis tribunali factum cōmendatur.

6 Eos arguit, qui circa salutem animi negligentes sunt, exponens illud Pauli. *Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.) Quidam recusant perditos mores commutare, dicentes: Regnare nolo; sufficit mihi saluum esse; At oportet in vno regno sint omnes, ne in hostium, aut alienorum numero reputentur; omnes enim Romani Romanum regnum possident, quamuis non omnes in ea regnent. non autem dixit Apostolus: qui talia agunt, non regnabunt, sed regnum Dei non possidebunt.* Notent hoc tepidi, & negligentes. est autem ferè secularium frequens hæc vox, *Sufficit mihi saluum esse, &c.* at non est cuiusque negotij Deum perenniter videre. regnum Dei nō sine vi rapitur. nec est aliquid intermedium: aut ciuis, aut hostis: aut regni cœlestis particeps, aut gehennæ.

Mundanorum stulta vox: regnare nolo sufficit vt saluer.

Ex Sermonibus de Tempore.

Ex sermone I. & seq. de aduentu Christi.

1 DE præparatione ad Christi natalem sic. *Considerate quæso quando aliquis homo potens, aut nobilis natalem suum, aut filij sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quicquid in domo sordium est, emundat, domus etiam dealbatur, pauimenta diuersis respersa floribus adornantur: quanta igitur, & qualia præparare debes suscepturus natalem domini tui?* pertinet hoc ad nouendiale præcedens natalem Christi diem. & nota morem in natali alicuius celebrando spargendi flores maximè. sanè in Christi natali Engaddi vineæ mirè effloruisse dicūtur. sed cui flori castitas comparari potest? præsertim cum nunc in Deipara consecrata virginitas sit.

Præparatio ad Christi natalem qualis sit oportet.

2 Ad eiusdem natalis præparationem hæc faciunt. *Certè si Rex terrenus ad sui natalitium inuitaret, quàm nitidis, & splēdidis vestibus incederes? contende igitur, vt diuersis ornamentis anima tua sit composita, simplicitatis gemmis, & sobrietatis floribus adornata ad Natalem regis æterni.* rectè monet; ac pulchrè simplicitatem maximè requirit, quam gemmis pretiosis, & non fucata luce conspicuis comparat: quid enim paruulo, & infanti simplicitate infantili gratius? sobrietas item in penuria rerum omnium nato placet. flores requirit qui campi flos est, & lilium conuallium; item gemmas, nam has in natali Veteres offerre soliti, vt de sardoniche ait Persius.

Simplicitas & sobrietas præparatio ad Christi natale.

3 Nuptiale conuiuium in Christi na-

tali egregiè apparat. *Processit sponsus de thalamo suo, hoc est Verbum de vtero virginali; sponsa Ecclesia est, cogitemus ad quales nuptias inuitati simus, ad quale conuiuium: ad conuiuium patris, & filij, & Spiritus sancti; ad mensam, vbi panis ponitur Angelorum. videamus, ne fortè, cum deberemus bonorum operum margaritis ornari, appareamus vitiorum pannis veteribus inuoluti.* rectè ait, in natali Christi celebrari nuptias Verbi, ac proinde conuiuium apparandum; idest tunc maximè Eucharistiam piè sumendam; sed quo ornatu? pretiosissimo, inquit, hoc est margaritis ob candorem præcipuè puritatis; rectè quoque nouitatem vitæ requirit, renouato iam Mundo per aduentum Christi.

Continentia & eleemosina diebus solemnibus præsertim Christi natali.

4 Ad natalis Christi præparationem, continentiam maximè, & eleemosinam facere ait. *Quotiescunque natalis domini, aut reliquæ festiuiuitates adueniunt, sæpè admonui, ante plures dies etiam à proprijs vxoribus abstinere, &c.* nota illud. *per plures dies.* tanta munditiès requiritur. de altera virtute sic. *Quod luxuria, vel gula dissipauit in Mundo, pietas reponat in cœlo; cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad conuiuium inuitatus est Angelorum? cur non accipiat veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? &c.* eleganter per antithesin à relatis.

Incarnatio harmoniæ cóparata.

5 Pulchrè item Incarnationem harmoniæ comparat. *Solus Iesus Christus suscepit carnem; & tamen & Pater, & Spiritus sanctus non defuit maiestate. citharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat: tria pariter adesse videntur, ars, manus, & chorda; & tamen vnus auditur: ars dictat, manus tangit, resonat chorda: tria pariter operantur.* non igitur mirum, quod statim nato domino cœlestes symphoniaci harmoniam ei fecerint, si Incarnatio ipsa harmonica fuit, & vterus virginis tanquam musicum odèum. curandum igitur, nè absonis moribus obstrepamus.

6 Virginitatem Mariæ sic probat. *Aaron virga protulit quod ante non habuit; non defossa sarculo, non animata succo, non fœcundata seminario; & tamen cum illa deessent iura naturæ, protulit flores, & frondes, & peperit nuces: quod virga potuit, virgo non poterit? &c.* virga mater Dei est, de qua Esaias, *egredietur virga de radice Iesse.* & Dauid. *Virgam virtutis emittet dominus ex Sion.* sed cur Aaron virga illum maximè edidit fructum? audi: *Quod virga Aaron nuces produxit, imago dominici corporis fuit: nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ vnionem; corium, testam, & nucleum: in corio caro Saluatoris significatur. quæ habet in se asperitatem, vel amaritudinem passionis; in nucleo interiorem dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastum, & luminis subministrat officium: in testa lignum interserens crucis, terrena, & cœlestia mediatoris ligni interpositione sociauit, iuxta illud: Pacificās per sanguinem crucis, &c.* hinc colligo, cū virgo Christum concepit, ac peperit, iam tum tamquam crucifixum fuisse. hinc illud iuxta 70. *Expirans à pueritia mea.* vbi vulgata, *in laboribus.* siquidem in ea virga nux statim cum amaro cortice, & testæ ligno apparuit.

Cur virga Aaron nuces præferens figura Incarnationis.

7 Iterum Deiparæ virginitatem probat. *Audiat Manichæus: Solis radius speculum penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit; nec cum ingreditur, violat, nec cum egreditur, dissipat. speculum non rumpit Solis radius; integritatem ingressus, aut egressus vitiare potuit Deitatis?* præclarè vterum virginis speculo comparat. quàm nitens fuit speculum? nunquam ne originali quidem macula inquinatum, quod autem eo integro quasi Solis radius pertransierit, apertè Esaias innuit. *Orietur volis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.*

Christus ex vtero virginis tanquam ex integro speculo Solis radius prodijt.

Ex sermone I. & seq. de Natiuit. Christi.

1 PLena sunt hæc & maiestatis, & affectus. *Quisquis in die miraris, æternum mirare potius ante omnem diem, omnem diem creantem, in die nascentem, &c. lacta, mater, cibum nostrum; lacta panem de cœlo venientem; lacta eum qui talem facit te, vt ipse fieret in te.* quid hic non mirum? cibum egere lacte, æternitatem tempore, &c.

Mira in Christi ortu: lactatur panis, &c.

2 De Simeonis, & Annę prophetia sic. *Hęc sunt testimonia natiuitatis tuæ, domine Iesu, antequam tibi substernerentur fluctus calcandi; cederent imperanti; Sol te moriente palleret, &c. adhuc in manibus matris portabaris, & iam dominus Orbis terræ agnoscebaris.* eleganter dicta, ita enim latuit diuinitas, vt quoquo modo se proderet. agnitus est magnus in paruulo. Tum vtramque generationem admiratur. *Quæ est illa generatio, quæ gignenti patri coeternus est, quando hanc generationem ex Virgine Mundus expauit? &c.* expauit, inquit, miratus scilicet grande mysterium nascentis. quis igitur pauor ex iudicante?

Simeonis & Annæ prophetia de Christo.

3 Effecta huius natiuitatis memorat. *In hac dulcissima die compunctio etiam infidelibus venit, in hac misericordia tangitur impius. in hac natiuitate qui conscientiam puram habet, dulcius gaudet; qui miseram, atten-*

Natalis Christi dies etiā Infidelibus affectum mouet.

attentius timet. dulcis dies, verè dulcis, & cunctis pœnitentibus veniam portans. pulchrè dictum, natiuitatem Christi tanti affectus esse, vt etiam infideles conpungi possent: & tamen hic pœnitentiæ dolor non prohibet, quin dulcissimus hic dies sit ex Dei infantis amplexu. ac rectè ait compunctione, & lacrymis opus esse, dum ille stipulis, & aristis acutis pariter compungitur, & lacrymatur.

Vera pœnitentia vnde dignoscatur.

4 Docet, in quo posita sit vera compunctio. *Quando sic pœnitet, vt tibi iam amarum sapiat in anima quod ante dulce fuit in vita; & quod prius te oblectabat in corpore, ipsum iam cruciat in mente: tunc bene ingemiscis ad Deum*. Vides vt vitæ mutatio signum sit veræ pœnitentiæ. tum qualiter impetranda sit venia, docet. *Dic in fletu cordis: Da domine misericordiam misero, qui tamdiù pepercisti criminoso. respice infelicem pietas immensa; respice crudelem misericordia publica. desperatus ad omnipotentem venio; serua mansuetudinem, qui tandiù suspendisti gladium vltionis*. has pulcherrimas ad Deum preces, & affectu plenas semper in ore habendas puto: continent enim, & amorem, & compunctionem.

Oratio ad Deum pro venia.

5 Auocat animum à terrenis. *Videatis quod putatur dulce breui, quàm amarum sit in igne æterno. delectatio vulnerauit, & transiuit; miserum fecit, & abijt; infelicem reddidit, & reliquit. quàm speciosus est animæ nitor? quàm fælix bona conscientia? &c.* Nota delectationis terrenæ, vel infidelitatem, vel inmanitatem: dulcedinem promittit, & amaritudine afficit, blanda videtur, & vulnerat.

Voluptas & fallax, & crudelis est.

6 Qua ratione sit domini natalis celebrandus rursus ostendit. *Nascenti domino vota reddamus, sicut scriptum est: Vouete, & reddite, &c. fortasse interrogatis, quid debeatis hodie vouere? sunt enim multi, qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, &c. non elegit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, &c. sed hoc, quod hodie redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam.* Nota morem in natali Christi offerendi templis pallam, idest pretiosam vestem tanquam ad nudum, & pannosum Deum paruulum induendum. item oleum, fortasse ad miraculi recordationem, quod ea nocte olei fons fluxisse dicatur, quasi quod fomes esset ardentis amoris nostri; vel quo se ille regem vngeret; vel quo nos athletas. item ceram, apis enim instar sine concubitu natus Saluator mel suauissimum diuinitatis nobis expressit. certè quid dulcius infante Deo? vini autem abstinentiam ad puritatem refero. sed quia non ista extrinsecus multum iuuant, nisi cum interno affectu fiant, propterea rectè monet. *te ipsum offer, hoc est animam tuam*.

Donaria in templis offerri solita die natali Christi.

7 Est hoc quod sequitur admodum notandum. *Promitto vobis, filioli, & certus sum, quia in hac die, si quem ex corde pœnituerit, quodcumque petierit, dabitur ei. hodie totius Mundi peccatum tollitur, & peccator desperat?* magnum planè promissum, hac die natalis Christi nihil esse quod nō obtinere possit peccator contritus: nempè pater, qui filium ipsum vnigenitum nobis donauit, quomodo cum illo non alia omnia donabit?

In Christi natali nihil non impetratur à Deo si ex corde pœnitet.

8 Natalis Christi cum Adæ ortu confertur. *In principio nascentis Mundi in primo homine fecit nos Deus ad imaginem, & similitudinem suam: eccè in hac die mutata vice, factus est Deus ad imaginem, & similitudinem nostram. in primis de suis meliora contulit; in secundis de nostris inferiora suscepit. innouatur in nobis species illius incipientis sæculi, cum primus Adam de limi materia figuratur. eccè nunc secundus Adam quasi de intacta, & rudi terra, virginea de carne formatur.* nota; nam initio per derisionem ait Deus de Adam: *ecce Adam vnus ex nobis factus est*. nunc nos per admirationem dicere possumus. eccè Deus quasi vnus ex nobis factus est.

Christus cum Adamo collatus.

9 Exponit illud: *Spiritus sanctus superueniet in te.) Dignum planè erat, vt virgo regali onustanda partu, prius cælestis Regis sanctificaretur ingressu*. mira dignitas Deiparæ præsertim in Incarnatione, Spiritum sanctum instar Regis intrasse Mariæ cor, dicit, quasi præpararet habitaculum Dei filio. quantus hic habitator, & hospes, cuius hospitio præparando Rex ipse præit cum regijs opibus? nempè & hospes par Regi Spiritus à patre, & filio ipso procedens, natura idem, regia maiestate par.

Deiparæ excellentia per inumbrationem Spiritus sancti.

10 Incarnationem sic explicat. *In ligno mortali vitæ arbor inseritur*. igitur immortalitatis colonus est, & velut insitor Spiritus sanctus. hęc quoq; mira. *De natura sua creator, de riuulo suo fons magnus exoritur; radix omnium de virgula sua nascitur; & vitis vera palmitis fructus efficitur*. rectè miratur: hæret hic natura, dum quasi de paruo riuo fons magnus profluit, & radix de virgula existit, & de palmite vitis prodit; ita creator de creata virgine nascitur.

Incarnatio ad naturæ stuporem.

11 In eiusdem natalis excurrit laudes. *O dies dierum omnium nouitas, & lucrum lucis. Intrat Artifex Mundi angustias ventris humani & eccè tanquam sponsus de thalamo Mariæ Christus procedit ex vtero*. pulchrè diem hunc appellat, *lucrum lucis*, quia dies crescere incipiunt, & par est id mystice intra nos fieri. porrò si Christus veluti sponsus prodit ex vtero virginis, oportet nos quasi sapientes illas virgines euangelicas cum lampadibus, & oleo in vasis

Christus tanquam sponsus prodiens e Mariæ vtero.

vasis obuiam hac nocte ire. ideò, vt supra dixit; hac nocte ritè venire soliti erant ad templa cum vasis plenis oleo ad lampades accendendas. sed pro his lampadibus clarius fulserunt multa millia Martyrum Nicomediensium eo die combusta.

12 Est & hoc elegans eius natalis elogium: *O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata. ò felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus; ò gratiosissimi, delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus euasimus; ò præsepe splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum. lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem cœli, pretium Mundi.* pulchrè ait, Christi pannos, & fascias valuisse ad abstergendam saniem peccatorum, & obliganda vulnera; & per lacrymas, & vagitus eius nos euasisse ploratus, & vlulatus æternos. quod autem præsepe splendidum vocat, licèt occultum, & tenebrosum, certè illo nobilius est, & illustrius, quod Astrologi inter sidera numerant: est enim vnum è signis sidereis, præsepe. pulchrè item Christum infantem vbera sugentem appellat panem lactentem; quod in primis ad Eucharistiam hodie sumptã pertinet ob miram dulcedinem, velut intincti panis in lacte virgineo.

Ex Christi natali quot in nos emolumenta proueniãt

13 Mirandam, vel ex hoc Christi natiuitatem dicit: *Parit mater formam serui in terris, quem habent Angeli Imperatorem in cœlis.* hinc puto factum, vt venisse dicatur in eius natiuitate *multitudo militiæ cœlestis*; tanquam Imperatorem, hoc est dominum exercituum agnoscerent, vel infantem. Hoc etiam facit & illud mirum. *Peperit mater, à quo ipsa nutriretur potius quàm nutriret. beata virginitas desinit esse iam mortis ancilla.* eleganter innuit; dum se virgo in maternitate domini, hoc est vitæ, vocat ancillam, factum, vt virginitas ancillari desineret morti; omnes enim tanquam mortis mancipia per peccatum sumus; ita nos illa per morbos quasi seuera, & crudelis domina cædit, ac tandem necat.

Mirus ordo rerum in Christi ortu.

14 Et hæc eleganter de incarnatione. *Cœlestis propago germinabat in vtero.* supra insitionem vocauit. huc refero illud de Cyro Rege, quem Astiages vidit in somnis instar vitis germinare ex vtero matris ipsius Cyri, quæ vitis Asiam totam obumbraret. *Ego, inquit, sum vitis vera*: sed quia propago hæc cœlestis erat, obumbrauit non modò Asiam, sed quicquid sub cœlo est; hoc est Orbem terræ vniuersum, immò & ipsum cœlum.

Christus cœlestis propago vteri virginalis.

15 Pulchrè hoc, licet breue, de vtero Virginis Deiparæ. *In eximio partu virginea viscera coruscabant.* verisimillimum certè est virginis vterum, dum verum Solem pareret, mirandum in modum coruscasse; quod longè illustrius quàm illud ostentum, quo M. Tullius dicitur in Augusti natiuitate vidisse per quietem: scilicet eius matris viscera in cœlum transferri. sanè veteres illi Mystagogi, humanum fœtum in prægnantis mulieris vtero significabant per Solis orbem bipartitum cum stella intermedia; proptereaquòd vterus in medio corpore positus sit Solis orbis instar, ob rotunditatem: & vt stella lumen accipit à Sole, ita fœtus ex vtero. quanquam Iacob cum audisset somnium Iosephi de Sole, & Luna, quæ eum adorarent, se patrem per Solem intellexit, Rachelem matrem per Lunam. & in Canticis, vbi dicitur *vmbilicus tuus crater tornatilis, &c.* ob rotunditatem, legunt alij, sicut orbis Lunæ, in quo sunt similitudines syderum. coruscasse item dicere possumus viscera Virginis in partu, quia vt supra idem Augustinus dixit, Christus exijt ex vtero tanquam Solis radius, qui per speculum illæsum, & sine fractione pertransit, vterus igitur Virginis tam splendidè coruscus hebetabat oculos principum tenebrarum: & sicut illud Archimedis speculum solari igne excepto concauum ob humilitatem naues hostiles hoc est Satanicas machinas comburebat, & quia Deipara præsidium nostrum est, & quasi clypeus, refer animum ad id, quod in libro Machabæorum legitur. *Refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis*, quo splendore perstrictis oculis hostes profligati sunt.

Deiparæ viscera Christum continentia coruscabãt.

16 Item incarnatum Verbum vtero virginis gestatum considerat. *Humanis gressibus portabatur pictura Deifica.* pulchrè Dei filium, imaginem patris picturam deificam appellat: per incarnationem enim in carne Virginis tanquam in tabella depictus est, etiam ad imaginem nostrã. sanguis virgineus color fuit, pictor Spiritus sanctus, qui hanc quasi picturam adũbrauit, & perfecit, cum virginem obumbrauit. quid hac pictura gratius oculis? cur non semper ante oculos habemus? quò pretio emendam putamus?

Christus pictura deifica.

17 Diuinas nuptias Incarnationem vocat. *Extitit Virginis filius, qui erat sponsus; fuit paranympha credulitas, paranymphus Archangelus.* & hoc pulchrè dictum, fidem Virginis, de qua dixit Elisabeth: *Beata quæ credidisti*, paranymphæ, seù pronubæ munus exercuisse in Incarnatione quasi in nuptijs. ferè huc pertinet quod addit. *Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit: Virgo partu suo nupsit; virginitatem, dum pareret, duplicauit.* rectè virginem tunc maximè dicit Mariam, cum peperit; rectè rem miram agnoscit, quod partu suo nupserit, cum potius nubat ante

Fides paranympha nuptiarum Christi in vtero virginis.

te

te sponsā quàm pariat.

18 Item eleganter de Christi natali. *Cesset omnis amaritudo; hodie per totum Mundum melliflui facti sunt cœli, canunt Angeli, gratulantur boni; solus Diabolus, & omnia cum eo dæmonia contremiscunt.* Notabile est, quod ait, cœlos in Christi natali melle manasse, qui tanquam ænei erāt: nempè meritò hoc dic, vt supra dixit, solebant ceras pro donarijs offerre templis; & rectè cœli manant melle, dum eorum conditor pascitur lacte. Nota etiam omnes lætitiam hodie incessisse, præter diabolum, & dæmones, qui videntes puerum frigore trementem, ipsi metu contremiscebant: stella Magorum Xyphius illis cometa est, instar gladij portendens exitium. sed quid mirum, quod exhorrescant lactentem, qui exhorruerunt etiam in vtero Virginis latentem? quod Galenus de Alcmena dicit, quæ cum adhuc Herculem ferret in vtero, afficiebat formidine occursantes. quò referri potest & illud Iob: *Cum viderint Auroram, arbitrantur eam vmbram mortis.* hoc est Virginem, lucem, ac Solem parientem.

Christo nascente melliflui facti sunt cœli.

19 Deiparæ laudem hoc continet. *Stat Maria, & matrem se læta miratur, & de Spiritu sancto protulisse se gaudet, videamus, quæ est illa virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est; quæ tam speciosa, quàm dominus elegit sponsam? quæ tam copiosa, cuius generationem cunctus Orbis excepit? quæ tam casta; vt possit esse virgo post partum? hæc est sponsa Christi, & gentium magistra?* Nota in primis gaudium Deiparę quod integra virginitate pepererit.

Deiparæ gaudium ex virginitate.

20 Incarnationem Deo possibilem ostendit. *An non potuit nouum puerum in aluo virginis formare, qui cum primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsiuit? quæ est ista tam cæca contentio, vt non credatur Deus facere hominem posse de fęmina, qui creditur fecisse de puluere?* addit acutè notatu dignum: *Tres valde mirabiles nascendi species operatam reperies Trin...atē: prima est, quod Adam figuratus est limo; secunda, quod mulier formata de masculo; tertia, quæ & cœlestis est, quod Christus processit ex Virgine.*

Trinitatis tres mirabiles operationes.

21 Christi nascentis humilitatem nō sine gloria esse ostendit. *Hic, qui vagitus reddit infantiæ, Angelici exercitus vocibus collaudatur. hic, qui in humili præsepi iacet, lumine noui sideris coruscat in cœlo, &c.* Vide vt humilia Christus nobilibus temperarit, & splendidis. Tum de vtraque Christi generatione sic eleganter: *Generationem, inquit, eius quis enarrabit? quando videlicet natum sit de lumine lumen, & vnum lumen vtrumque sit: quomodo natus de Deo Deus, nec Deorum numerus creuerit? quomodo natus dicatur veluti de re transacta, cum tempus in illo natiuitatis nec transierit, nec præcesserit? &c. istam quoque ex Virgine generationem quis enarrabit? cuius conceptus in carne non carnaliter factus; cuius ortus vbertatem attulit nutrimenti, integritatem parienti non abstulit.* pende singula vtriusque generationis arcana admiratione dignissima.

Christi vtraque natiuitas ineffabilis.

22 Ad Ecclesiæ decus hoc facit. *Hic est speciosus forma, filius Mariæ, sponsus Ecclesiæ, quam genetrici suæ similem reddidit; nam, & matrem nobis fecit, & virginem sibi.* magna dignitas Ecclesię, quam similem Mariæ factam dicit, vt & virgo sit, & mater. *Despondi enim vos vni uiro, Virginem castam exhibere Christo.* item sine macula, & ruga, &c. adeò nos, qui constituimus Ecclesiam ipsam, simillimi esse debemus Virgini Dei matri, vt castè alios pariamus Christo; sicut Paulus aiebat: *In Christo vos genui. & lac vobis potum Dei.* propterea beata Virgo diligit Ecclesiam quasi similem.

Ecclesia Deiparæ similis, mater simul & virgo.

23 Pergit in commendatione Christi natalis. *O miracula, ò prodigia. numeratur in seculo, qui est ante sæcula. videtur inuisibilis, palpatur impalpabilis. meritò hodie locuti sunt cœli, dæmones effugati.* rectè admirabile hoc prodigium fuisse ait, quòd æternus fieret temporalis, &c. vt cœli ante muti, nulloque ferè commercio cum peccatoribus assueti, loqui cœperint, tum in Angelis canentibus, tum quodammodo in stella, quæ Magos vocauit, quam ipse Augustinus linguam cœli vocat. ad Dei igitur in terris, & Angelorum præsentiam quid ni dæmones effugarentur? nam in oraculis loqui cessarunt, vt est apud Plutarchū de oraculorum defectu: vt iam oracula linguis non infernis, sed cœlestibus funderentur.

Christo nato commercium inimicœli cum terra.

24 Deiparæ lactanti piè, & eleganter gratulatur. *Igitur cum gaudio dicamus matri domini: Lacta mater Christum cibum, lacta panem de cœlo venientem; lacta eum, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te, sicut dictum est in psalmo: Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. ò omnipotentia nascentis, ò magnificentia de cœlo ad terram descendentis.* ornatum antithetis affectum hæc oratio continet. meritò exclamauit illa mulier. *Beata vbera quæ te lactauerunt.* & sponsus: *vbera tua sicut duo hinnuli gemelli, q pascuntur in lilijs.* qa integra virginitate corporis, & animæ lactauit. & sursus: *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ? &c.*

Deiparę excellentia Deum lactantis.

25 De Simeonis vaticinio sic. *Differebat Simeon exire de sæculo, vt videret natum, per quem conditum est sæculum. factus est puero puer; impletum est desiderium senis*

nis

nis in ipsa Mundi senectute, ad senem venit qui Mundum inueteratum inuenit. acute ostendit, cur statim ortus in manus senis venerit, nempe vt se ad Mundum inueteratum venisse ostenderet. addit sanè pulchrè. *Adhuc in manibus matris portabaris, & iam dominus Orbis agnoscebaris; vbique enim ei pulcher occurrebas, pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher in patre Verbum, pulcher in matre caro, & Verbum; pulcher in flagellis, atque verberibus, pulcher in ligno, pulcher in cœlo*, est hic quod de nostro exiguo, aut nullo amore conqueri possit, cum ipse quocunque modo occurrat contemplanti, pulchritudinem referat, etiam flagellis, & verberibus lacer.

Christus negotiator & mercator nostræ salutis.

26 Incarnationis scopum, & finem ostendit. *Mercatus est à nobis Dei filius quod hic abundat, nasci, & mori. in æternum viuere non hic erat; inuenit hic viles merces terrenas, & terrestribus attulit peregrinas, & cœlestes.* Nota præclaram negotiationem filij Dei, & commercium cum terris, in quo commutatio facta mercium cũ maximo nostro lucro.

27 Eleganti antithesi affectum mouet, alloquens Deiparam. *Benedicta tu inter mulieres. Creatori succum porrigis lactis, & cibis cœlestibus saturas. pannis inuoluis, qui tibi immortale donauit indumentum. in præsepio ponis qui tibi cœlestem præparauit mensam.* Tum in eius laudationem se effundit: *Cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat. lumen quod intra se habebat, pondus habere non poterat. facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mererentur in cœlum.* Vides per deuotionem erga Deiparam quasi per scalarum gradus ascensum fieri ad cœlum.

Per Deiparam in cœlum fit ascensus.

Deiparæ integritas probatur.

28 Deiparæ integritatem acutè probat. *Qui dirupta corporum potuit integrare tangendo, quantò magis in sua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo?* alludit ad miracula, vt cũ cæcis à natiuitate dabat lucis vsuram, &c.

Maria Euæ opposita tribus priuilegijs.

29 Opponit Euæ Mariam. *Tribus malis Eua est subiecta cum fœminis, dolori, tristitiæ, seruituti: In dolore paries, &c. Maria contra tribus præclarissimis donis sublimatur: salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, plenitudinis gratiæ: Aue gratia plena Dominus tecum, & benedicta tu in mulieribus, &c. Maledicta Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse, cum dictum est: benedicta tu inter mulieres.* acutè, ac pulchrè tria considerat priuilegia Deiparæ præcipua, vt Euæ damna repararentur.

30 Amplificat mysterium Incarnationis. *Ipse factum est in matre, qui sibi fecerat matrem: sempiternus cum patre, hodiernus ex matre. post matrem de matre factus est, ante omnia de patre non factus; sine quo pater nunquam fuit, sine quo mater nunquam fuisset.* elegans antithesis, & quædam quasi lucta verborum.

Incarnatio quàm admirabilis.

31 De Virginitate Deiparæ sic Virgines affatur. *Exultate Virgines Christi; consors vestra est mater Christi; Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis.* estis tamen matres, si feceritis voluntatem patris. Tum de uirgineo ipso partu sic: *O cœleste mysterium, concepit virgo antequàm sponsum haberet; parit antequam nubat, figura fuit in Adam, qui homo sine homine natus ibi tũc flatus Dei de terra viuum hominem surgere fecit ad vitam, hic Spiritus sanctus de Maria Virgine Christum hominem figurauit. sicut tunc in aluo terræ Saluator Adæ membra composuit; sic nunc in aluo Virginis Christus sua membra componit. ò grandis patientia Saluatoris, expectat nasci sua membra, quæ fecit.* egregiè dictum. vbi nota similitudinem formationis corporis Adam, & Christi. de Adam lege Tertullianum, qui rem graphicè describit, cum Deus plasmantem, atque intentum operi facit. huc spectat illud. *In te formatus sum ex vtero.* hebraicè est, figuratus, tanquam Phrygionico textu, in utero Virginis quasi textrina. quid præstantius, cum textor fueris Spiritus sanctus? passus est tamen conscindi, ac lacerari pro nobis.

Spiritus sanctus figurator ac textor Christi corpusculi in vtero Virginis.

32 Ad eiusdem partus integritatem hæc faciunt. *Dicat solus natus ex Virgine: Meto vbi non seminaui, & colligo vbi non sparsi. Dicat Maria: regnum teneo virginitatis, & regem tenui castitatis. ingredientem, & egredientem habui in palatio vteri filium Imperatoris, & de manibus meis non amisi clauem regni pudoris.* est hoc admodum pulchrè dictum: Virginitas regnum est, in quo Dei mater regnat; vterus eius palatium quoddam fuit, longe nobilius illo Neronis, quod appellauit aureum; seu templo illo apud Ezechielem, ex cuius vna porta non nisi Princeps ingrediebatur, & egrediebatur. denique, *clauem tenet regni pudoris*. quæ scilicet clauso vtero Deum excepit, & edidit. Addit elegantem prosopopeiam. *Dicat eadem Maria: Dei filius adimpleuit ventrem meum diuinitate, & vterum meum non euacuabit castitate. exiuit de ventre meo giganteo cursu magnificus; in conceptione non sine pudore, in parturitione sine dolore.* mira sanè sunt ista. Virginis vterus diuinitate impletur; non euacuatur castitate, dum impletur, vt fit in alijs partubus. exit ex angusto vtero immensus, puer simul, & gigas: iuxta illud de Sole oriente dictum: *exultauit vt gigas ad currendam viam.* pauper simul, & magnificus; vt pauper eget, vt magni-

Deipara regnum tenet virginitatis.

Vterus Virginis palatium Dei.

magnificus cœlestia dona largitur. itaque sic admirabundus exclamat ad Deiparam conuersus. *Considero conceptum tuum. Virgo beata, & expauesco; intueor partum, & contremisco; adoro filium, & reuiuisco*, prima verba ex maiestate, & nouitate timorem conciliant, vltima ex spè saluationis amorem.

Gabriel Virgini apparens facie rutilanti, & veste corusca.

33 Elegans est prosopopeia Deiparę. *Audite Mariam loquentem: Venit ad me magnus paranymphus Gabriel, facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabilis, aspectu terribilis; Dominus tecum, inquit. sed plusquam mecum. me creauit dominus, per te autem genitus est dominus. procedat princeps ex aula regali &c.* Nota quod ait, Gabrielem uenisse, *facie rutilanti.* scilicet ut nunciaret in occulta specu noctu nasciturum, & *veste corusca*, uilibus pannis inuoluendum: nimirum ut spontaneam domini humilitatem, & paupertatem indicaret, cum seruos tam splendidos haberet in cœlo. sed cur aspectu terribili? puto quia ob tam singulare beneficium à nobis spretum, futurus idem Dei filius acerrimus iudex. ideò ait Chrysologus dictum Virgini: Ne timeas, Maria; quod eundem ut iudicem contemplata sit, licèt filium. sane uerisimile est eo aspectu, aut potius pulchriore Gabrielē apparuisse Deiparæ, quo olim nunciauit eandem Incarnationem Danieli per hebdomodas annorum; quo uiso ille consternatus est.

34 De apparitione Angeli Ioseph sic. Cum æstuaret Ioseph quid agere deberet, prægnantem uidens Mariam: *Ecce iterum ille Virginis paranymphus, cœli cursor æquissimus, medio noctis libramine venit ad Ioseph: Noli timere, inquit, accipere Mariam, &c. ipsa lex, quam quotidiè legis, sine graphio scripta est in tabulis lapideis. panem in eremo terra produxit, cuius semen in terra arator nullus induxit; virga Aaron, &c.* ita etiam sine uiri opera Virgo concepit. apta similitudo quidē, nam lex scripta est in tabulis lapideis sine stylo, sed digito Dei: digitus autem Dei appellatur in Euangelio Spiritus sanctus: Christus lex nostra est, uterus Virginis quasi lapideæ illę tabulæ. ubi notandum est, eas, ut tradunt hebræi, fuisse ex pretioso lapide sapphiro; certè uenter sponsi in Cant. dicitur, *distinctus sapphiris*; nempè caro Christi ex carne Virginis tanquam pretiosus lapis ex eadem metalli uena excisa est. digito igitur Dei scribendum fuit hoc est quod ait: *Spiritus sanctus superueniet in te.*

Mariæ uterus tabulis legis saphirinis comparatus.

35 De eodem Virginis partu sic eleganter, ac pulchrè. *Musicum Maria inter iuuenculas meles exerceat, quia dulce Verbum plectris sancti Spiritus modulantibus parturiuit in terra Iudæa, quæ ipsa tympanum crudelitatis aptabat, & Christum in ligno tendebat.* Mariam Virginem in Incarnatione comparat cum Maria sorore Mosis tympanistria inter adolescentulas post liberationem de Ægypto, expende illud: *dulce Verbum Spiritus sancti plectris modulantibus parturiuit.* Spiritus sanctus quasi peritissimus citharœdus, aut lyristes chordas intēdit neruorum corporis Christi, & suauissimum plectrum misericordiæ mouit. quid mirum igitur quod in Christi natiuitate Angeli quoque musicos choros instituerint? quis nisi aspidis naturā habens obsurdescat his carminibus? aut more tigrium ex concentu musico feritatem concipiat, vt fecit Herodes? Tum ait: *Audiamus quemadmodum tympanistria nostra cantauerit: Magnificat, inquit, anima mea dominum, &c.* nota, & confer vtriusque Mariæ cāticum. illa cecinit: *Cātemus domino, gloriosè enim magnificatus est.* hæc item, *Magnificat anima mea Dominum.* illa pergit: *Equum, & ascensorem deiecit in mare.* hæc etiam *Dispersit superbos mente cordis sui.*

Marię virginis canticum cū cantico Mariæ sororis Mosis collatum.

Spiritus S. quasi lyristes Christi corpusculū vt lyrā adaptans.

36 Illa quoque satis ornatè de eadem Natiuitate dicuntur. *Expandat nunc fides splendentis vteri pulchra tentoria. obumbret virtus fluente refrigerio, ventiletur aura aluus Virginalis, serto verecundiæ coronetur. flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur.* eleganter dicta de vtero virginali, quem pulchrum quasi tentorium, & resplendens dicit Imperatoris Dei. Darij Persarum regis tentorium habuisse legimus supernè Solis imaginem; iure igitur dictū, *Expandat fides splendentis vteri pulchra tentoria*, nam & ipse *in Sole posuit tabernaculum suum*, hoc est tentorium. Fides autem est, quæ in Incarnatione hoc tentorium expandit; quippe ipsa fides velamen quoddam est, & vmbraculum, & ad ipsam pertinet curare, quæ ad debellandas infernas potestates faciunt, quamobrem & scutum fidei dicitur. expende etiam illa verba: vterum Virginis, *serto verecundia coronatum.* verecundia, & pudor sertū quoddā est; nulla alia mater, præter Dei matrem, serto verecundiæ, quam in conceptu amittit, vterum suum coronare potest. pulchrum est quod in hanc sententiam accommodatum refert Paschasius libro de coronis, cuiusdam Reginæ, dum infantem adhuc intra se ferret, fuisse vterum coronatum. pulchrum item, quod idem vterus horto varijs floribus consito comparetur: nam ceteræ plantę, vt fructum proferant, iacturam floris faciant oportet; in hoc autem horto simul sunt flores, & fructus. itaque dicit; *flores mei fructus bono-*

Vterus Virginis pulchrum Dei Imperatoris tentoriū.

Vterus Deiparæ hortus floribus consitus

honoris, & honestatis. quod indicauit virga Aaron huius rei figura, quæ simul, & flores protulit, & fructus. huc refer illud: *lectulus noster floridus*, nempè vterus virginis; & illud: *Hortus conclusus soror mea sponsa.*

Hortatio ad Deiparam, vt det assensum Angelo.

37 Deiparam prægnantem alloquitur, & rhetorum more hortatur, vt assensum det cœlesti nuncio. *Responde, virgo sacra, vitam quid tricas Mundo? Deus in porta est, Angelus expectat, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum. te Deo Mundus suæ fidei obsidem facit. & tu Angele vrge virginem, &c.* præclarè, ac piè dictum. nota illud: *Virgo obses fidei hominum apud Deum.* pergit pulchrè: *pande sinus roseos, virgo perpetua. fides tua modò aut aperiet cœlum, aut claudet.* Nota vim præstantem verborum Virginis, & quanti eam Deus fecerit; nisi ipsa præbuisset assensum, nec Dei habuissemus descensum in terram.

Christi sanguis carbunculi gemma.

38 Eleganter admodum describitur Christi processus ex vtero virginali ad crucem. *Procedit Christus ad campum seculi; exultauit vt gigas; peruenit vsque ad crucis trophæum; & ibi firmauit nuptias. ascendendo tradidit carbunculatam sui sanguinis gemmam, & copulauit sibi perpetuo iurè matronam.* Notabile est quod ait: vide cur Christus ascenderit crucem, vt firmaret nuptias velut in thalamo triumphali siquidem crux trophæum erat victoris. ibi desponsare sibi voluit Ecclesiam annulo fidei; inseruit carbunculum gemmam, idest suum sanguinem: carbunculus enim lapis est pretiosus quasi flammeus, & accensus: ita sanguis Christi amore in nos ardens. præclarè igitur appellat, *carbunculatam sui sanguinis gemmam.*

Fasciæ Christi ad obligandavalnera (?) vant nostræ naturæ.

39 Et hoc venustè dictum de nato Christo: *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Vides Christi fascias ad vulnera nostra, vel curanda, vel obliganda vsui fuisse. Alexander Lysimachi uulneri applicuit sui diadematis fasciam.

Cur Christus æquinoctio natus.

40 Mysterium in diebus agnoscit. *Conceptus est Christus æquinoctio verno, natus solstitio hiberno quà die conceptus in vtero Virginis, in ipsa resurrexit ab inferis cũ gloria passionis. in conceptione, & natiuitate dies accipit incrementum.* Vides uterũ uirginalem aliquam habuisse similitudinẽ cum sepulchro, quod alibi ostendit. nam de hoc dicitur, *in quo nondum quisquam positus fuerat.* & ex eo clauso prodiit. & si de ipso dicitur, *erit sepulchrum eius gloriosum.* quantò magis de utero Virginis? huc pertinet, quod addit. *In natiuitate dies proficit, in passione deficit, tenebris factis.*

41 Breuis est hæc, sed præclara sententia. *Omnis huius natiuitatis schola humilitatis est officina, virtutis agonia.* nẽpè præsepe nos instruit, vt cõtra sũpbiã armemur; & idẽ præsepe exercitatio est, & palæstra uirtutis. Tum præsepis ipsius decus commendat. *Impleuit in cœlo Dei filius mensam Angelorum, impleuit in terra præsepe nostrum. plenitudo mensæ ipsorum est: In principio erat Verbum, &c. plenitudo præsepis est: Verbum caro factũ est, &c.* facit hoc pro Eucharistia. in præsepi ille se nobis offert, qui in cœlo implet mensam Angelorum; at Angeli ex illa mensa ad hanc descenderunt ob suauitatem, nec illam reliquerunt. confer præsepe hoc cum celebri illa Solis mensa apud ueteres; certè uel obscurior, uel ieiunior erit.

Præsepe humilitatis palæstra.

42 Eleganti hypotyposi utitur in hoc mysterio declarando. *Adstat sanctitas, pudicitia, fides, & omnes simul adfuere virtutes, vt vtero suo portaret auctorem, sexus sui victrix.* pulchrè ostendit in Incarnatione chorum inter se instituisse virtutes, easq; victricem sui sexus Mariã, idest supra omnes mulieres cecinisse: antea Incarnationem ipsam harmoniæ comparavit. ac veteres quidem in partu mulierum fingebant adesse Lucinam, Ruminam Leuanam, & ceteras Deas, quas Augustinus ipse commemorat de Ciuitate Dei; at in conceptu partu Virginis adfuere: *sanctitas, pudicitia, fides, &c.* quantò nobilior chorus?

Chorus virtutum circa vterum Virginis vel cunas Christi.

43 De eadem natiuitate sic acutè, atque ornatè. *Pannis est inuolutus Dei filius, vt scissam humani generis vnitatem suo redintegraret in corpore; totumque immortalitatis vestimentum purpureo sanguinis colore fulgens in cœlestia regna deferret.* Nota cur pannis inuolutus est, vt in ijs fascijs collogaret in se genus humanum scissum, ac fractum per peccatum, vt dixi de Alexandri pietate erga Lysimacum. item vt vestimentum intexeret nobis quasi regibus pauperculum, nõ alio cruore quàm suo imbutum; ac propterea in circumcisione eas fascias tinxit sanguine statim. ad hæc addit. *Iacet in pannis, sed regnat in cœlis. humiliatur in cunis, sed a nubibus tonat.* nota pulchram antithesin; tacet, & tonat.

Christi fasciæ quẽ vsum præstent.

44 Beneficij huius magnitudinem expendit, apostrophe ad Adam facta. *Vide homo quid pro te factus est Deus. doctrinam humilitatis agnosce, etiam nondum loquente doctore. tu quondam in paradiso tam facundus fuisti, vt omnibus animantibus nomina imponeres: propter te infans tacet, nec matrem nominans. tu in latissimo prædio, hic in angustissimo diuersorio.* Nota Adam facundissimum creatum, & more Rhetorum, proprietate vsum in imponendis nominibus animantium; sed eodem sermone abusum in excusando peccato. quamobrem nunc ipsum Dei Verbum infans fit

Christus infans Adamo oppositus.

sine

fine serm one, *nec matrem nominans.* quasi diceret: vide quò deuenerim, vt dulcissimã matrem meam, quam vnicè diligo, cuius nomen in ore meo suauissimum est, distulerim tantisper appellare, vt me infantem pro vobis facerem. his adde illa per antithesin dicta: *Conditor Solis, conditus sub Sole; sidera regens, vbera lambens, &c.*

Diuini Verbi generatio adumbrata in nobis.

45 Docet Incarnationis modum. *Sicut verbum, quod corde gestamus, fit vox quod ore proferimus, nec in hanc mutatur, sed intus fit vox quod ore proferimus, nec in hanc mutatur, sed intus nomen, quod intelligitur, & foris sonat, quod auditur: sic Verbum, &c. & vt res ante omnem pronunciationem linguæ, adhuc est in cubili cordis, quæ vt inde procedat, loquentis voce vestitur, ita, &c.* discrimen tamen est, quia, *neque illud quod cogitatur manebit, si oblitus fuerit; neque quod sonat audietur, cum silueris. Verbum autem domini manet in æternum.*

Ex serm. de Epiphania.

Iordanis ditatus Christi tactu.

1 EAdem die rectè Epiphaniam, & baptismum Christi celebrari ait, de quo sic eleganter. *Attactu membra tinguntur, & fluenta ditantur. descendere in se fontem suum felix vnda miratur.* pulchrè Iordanem fluuium tactu Christi corporis ditatum dicit, ob significationem videlicet gratiæ in baptismo. quantò hoc verius, quàm quòd finxere de Pactolo fluuio. quod fluere cœperit auro, tactu Midæ corporis. & illud eleganter dictum: *Vnda mirata est fontem ipsum in se descendere.* cum vnda potius descendat de fonte.

Stella Magorum lingua cœlorum.

2 Stella Magorum decus commendat, *Nobis lingua nunciauit Apostolorum; stella Magis tanquam lingua cœlorum; & ipsi Apostoli tanquam cœli sunt. per hos cœlos ille cœlorum fabricatur intonuit, quo tonitruo Mundus intremuit, & ecce iam credit.* huc referri potest illud; *Vox tonitrui tui in rota* ad vniuersum enim Orbẽ Euangelicus sermo peruenit. pulchrè autem dicitur stella illa, *lingua cœlorum.* vt discamus quàm præclarum sit loqui de Christo nato.

Cunæ Christi infantis & tribunal iudicantis inter se collata.

3 Magnũ habent pondus illa verba. *Herodes turbatus est, &c.) Quod erit tribunal iudicantis, quando superbum Regem cunæ terrebat infantis?* & illa, quibus Iudæorum perfidiã exagitat. *Iudæi crucifixerunt, quẽ Magi adorauerunt; quasi plus fuerit nouã stellam videre in eius natiuitate fulgentem, quàm Solem in eius morte lugentem.*

4 Fatalem ex astris necessitatem improbat. *Hæc stella vanas computationes Astrologorum, & diuinorum confutat, cum astrorum adoratoribus creatorem potius adorandum demonstrarit. ipse nouam stellam declarauit natus, qui antiquum Solem obscurauit occisus.* nempè stella ipsa testis est, conuincens astrologos, & eorum vanè dictis opponitur. & illud animaduersione dignum: in Christi ortu stellam oriri, in occasu Solem occidere.

Stella Magorum præco virginei partus.

5 Rursus eius stellæ decus amplificat. *Quid erat illa stella, nisi magnifica lingua cœlorum, quæ narraret gloriam Dei, & Virginis partum inusitato fulgore clamaret?* rectè magnificam vocat linguam licèt pauperem Deum nunciet, illud verò non modò loquitur, sed clamat, & præconis munere fungitur, natũ de Virgine; quod ad Deiparæ gloriam multum facit.

Stella Magorum & titulus Crucis inter se collata.

6 Contumaciam Iudæorum carpit, *Quod scripsi, scripsi, ait Pilatus, quia prædictum erat in psalmo; Tituli in scriptionem ne corrumpas. Magi, & Pilatus ex gentibus erant. illi stellam viderunt in cœlo, hic titulum fixit in ligno; Iudæi nec stellæ, nec titulo consenserunt.* Nota proportionem stellæ, & tituli: illa declarauit regibus Christũ, hic Regem ipsum Christum.

Donatistæ infensi stellæ Magorũ.

7 Odium hæreticorum ostendit. *Donatistæ hunc diem nobiscum non celebrant, quia nec vnitatem amant, nec orientali Ecclesia, vbi apparuit illa stella, communicãt.* Ecclesiam hi constituebant solùm in Africa ad meridiem, vbi ipsi erant. & quia stella in Oriente visa est, cum hoc esset contra ipsos, oderant Orientales, nec celebrabant Epiphaniam. perstringebat videlicet hebetes eorum oculos tanti sideris fulgor.

Stella Magorum functa est munere Christi infantis linguæ.

8 Rursum de stella sic. *In terra nondũ loquens per linguam Dei filius, loquebatur de cœlo per stellam, vt & quis esset, & propter quid veniret, demonstraret.* Vide huius stellæ decus egregiũ: vices sumpsit linguæ Christi, qui cum infans esset ad gentiles accersendos, illa cœli lingua vsus est. De nostra autẽ vocatione sic. *Nos ad Christũ adorandũ fulgens ex Euangelio veritas, tãquã stella perduxit.* rectè ait, veritatẽ Euãgelicam nobis ducem fuisse ad Christũ cognoscẽdũ, nõ fine splẽdore quodã sidereo.

Dei gratia stellę Magorum comparata.

9 Quæ nunc Christi natali correspondeant, docet. *In stella fulgore Dei Gratia, & in tribus viris vocatio gentium, in occisione infantium, cunctorum Martyrũ forma præcessit.* pulchrè Gratiam stellę Magorum comparat; sicut igitur illa dicitur. *lingua cœlorum;* ita & Gratia tãquam lingua magnifica cœlestis, magnificans Dei misericordiam, & ad Christũ ipsũ viã mostrãs, illucescens menti: de qua etiam illud *Apostoli* intelligo; *Donec Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Nota etiam, in occisione infantium cunctorũ Martyrũ formã præcessisse; quis .n. nõ sustineat pro Christo necẽ, quam paruuli sustinuerunt? de elephantis narrant, in aliquo difficili fluuio transmit-

tendo, præmitti paruulos, ac natu minores; nam si minores tranare possunt, multò magis fidunt posse tranare maiores: ita, &c.

Per stellā Christus edicta proponit diuinitatis.

10 De stella Magorum hæc addit. *Quis est iste rex tam paruus, tam magnus, nondū in terris loquens, et tam in cœlo edicta proponens? Vidimus stellam eius, &c.* rectè miratur: infans adhuc dicitur in terris Christus, in cunis est, tacet; & tamen, vt imperator, vt iudex edicta de cœlo proponit p stellam, vt ipsum statim Orbis terræ adoret: præconis igitur munus obiuit stella.

Stellis homo non subditur.

11 Docet, neminem subijci stellis, ac proinde excusationem peccandi tollit: *Perditos mores, per quos in terra improbos homines detestantur, in cœlo etiā figurare conantur, & à sideribus manare mentiuntur. videat hic quali potestate familiam regendam putet, quando ista sentiendo, seruos suos in domo peccantes verberare non finitur, nisi prius Deos suos in cœlo radiantes blasphemare cogatur. eorum libri non fatidici, sed falsidici dicendi sunt.* pulchrè simul, & grauiter dictum in Astrologos. si stellas, quas diuinis honoribus afficiunt, putant causas vitiorum: ergo domini nullo iure possunt seruos criminosos punire, sed potius stellę damnandæ, quæ cogant; & illæ maius dominum haberent in seruos, quā ipsi heri. Tum eos arguit, qui putant Christum sub stellarum decreto natum, quia eo nato visa est stella. sed, *Hinc Christus non sub dominatu stellæ, sed dominus eius apparuit, quia illa non sidereas vias tenuit, sed viam vsque ad locum, vbi Christus natus fuerat, demōstrauit; nec ipsa Christum fecit mirabiliter viuere, sed ipsam fecit Christus mirabiliter apparere.* acutè adnotat. huc ét spectat illud Gregorij: dū nō, inqt, puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit. si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ puer fuit.

Reginæ Sabæ ad Salomonē & Magorum ad Christum aduentus inter se collatus.

12 Magorum fidem commendat. *Non erat in Christo ætas talis, cui adulatio humana seruiret, non sub poplite sella regalis; non de capite diadema fulgebat, & tamen adoratur, à Magis: in Salomone quidē doctrinæ fama potuit reginam excitare, &c.* confer aduentū Magorū ad Christū in præsepi iacentem, & Reginæ Sabbę ad Salomonē in throno sedentem. itē munera ipsa confer, nā inter cetera pauones ab illa delati, qui sunt mundani fastus, & superbiæ typus: at verò in Magorum muneribus nihil quod non pietatem redoleat.

Aluus virginalis cū Iordanis alueo collatus.

13 Agnoscit quādā similitudinem inter incarnationē, & baptismū, & rectè conuenire ait cū Epiphania baptismum Christi. *Ita disposuit dominus hæc festa, vt vno, eodēq; tempore, & ederetur per virginē, & per mysteriū gigneretur. ibi Mariæ castificatio, hic aqua purificatio cōprobata; nisi quod penè maiori munere, quàm Maria, vnda ditata est: illa meruit nè peccaret, ista vt peccata purgaret, &c. denique Spiritus sanctus, qui tunc illi in vtero adfuit, modò eū in gurgite circulfulsit. Pater, qui tunc obūbrauit in virtute, nunc clamat in voce, &c.* Addit: *honoratur magis hæc secunda natiuitas, quàm prima: ibi Ioseph faber pater putatur; hic faber vniuersi.* acutè adnotat proportione alui virginalis, & aluei fluuialis propter munditiam, ac proinde rectè ambo hæc mysteria eodem die celebrantur; immò priuilegium hìc quoddā agnouit in purgatione peccati, cuius auctor est Christus, vel dum more peccatoris abluitur. item de vtero Virginis dicitur: *virtus Altissimi obumbrabit tibi; hic verò vndam,* vt ait Augustinus, *Spiritus sanctus eum in gurgite circumfulsit.* lumine videlicet in modum coronæ: probabile enim est cum voce patris quasi tonitruo coruscationem luce clarissima esse factam. ibi res occultè gesta per obumbrationē, hic apertè per clamorē patris. deniq; in ea natiuitate Ioseph vilis faber est creditus pater; hic faber vniuersi Deus patrē se clamando testatus est.

In Iordaue per tactū Christi cæteræ baptismi aquæ cōsecratæ.

14 De eodem Christi baptismo sic. *Quale est hoc baptisma? vbi purior est fonte ille, qui mergitur; in quo purgantur potius fluenta, quàm purgant. nam ex quo Saluator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tactus, cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecrauit.* nempè Iordanis quasi omnium fluuiorū, ac fontiū aquas repræsentabat; igitur tactu corporis Christi ita ipse consecratus est, vt inde tanquam è fonte in ceteras omnes aquas baptismi dignitas, ac virtus manaret. Tū corporis ipsius Christi virtutem commendat. *Quàm mirifico mysterio Christus omnem creaturam sanctificat? aquas cōsecrat, dum baptizatur; terram sanctificat, cum sepelitur, &c.* vides ad Christi corporis tactum etiam mortui, cuncta sanctificari, quantò magis gloriosus nunc in Eucharistiæ sumptione id efficiet?

Christi corporis tactus efficacia.

Ex serm. I. post Epiphaniam.

Dei natura æqualitas personarum.

1 DE Dei nominibus hæc theologicè docet. *Scriptura de Deo loquitur aliter propriè, aliter translatiuè, aliter relatiuè. propriè Deus dicitur substantia vna, summa, ineffabilis, immutabilis, &c. relatiuè autem de Deo dicitur pater, filius & Spiritus sanctus; translatiuè verò per similitudines dicuntur de Deo, vt sedere super Cherubim, etc. porrò Deo soli optimè id congruit nomen, quod græci dicūt ὤν latinè ens.* Tū de æqualitate diuinarū psonarū acutè aduertit, non dictū à Christo ad patrē de discipulis. *Vt sint vnum nobiscum, sed*

sed *vnum in nobis*. quia non eadem substantia. *Duo homines licet sint similis substantiæ, non tamen sunt eiusdem. dialectici aiunt, omne simile receptibile esse posse dissimilitudinis; at in patre & filio, & spiritui sancto non est similis substantia, sed vna æqualis per omnia & ὁμοούσιον, idest vnius substantiæ, non ὁμοιούσιον idest similis substantiæ, vt hæretici voluerunt.* notandum hoc: nam ob harum vocum græcarum ignorationem, vt ait Hieronymus, vniuersus penè Orbis terræ Arianum se esse ingemuit.

Charitas dulce ac salubre vinculum mentium.

2 Charitatis elogium apponit, interpretans illud Apostoli: *Sectamini charitatem.) Dulce, ac salubre vinculum mentium; sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est; in Abel sacrificio grata, in Noe per diluuium secura, in tribus pueris ignes innocenter expectat; in Machabæis sæuos ignes tolerat, &c.* Vide admirabiles charitatis effectus: *vinculum mentium est*, nec molestum, sed *dulce, & salubre:* quod religiosi maximè experiuntur. tormenta verò vel secura expectat, vel alacris tolerat.

Ex Ser. I. de nuptijs in Cana Gal.

1 EXponit verba Christi ad matrem in conuiuio nuptiali. *Nondum venit hora mea.) Debemus aduertere, quod de nuptiali vino pars aliqua fortè resederat; ideò nondum erat domini plena hora virtutis, ne miscere magis elementa, quàm mutare viderent.* acutè animaduersum. vbi nota, licet miraculum maius fuisset, si expectasset, donec ne gutta quidem vini superioris superesset, tamen ad preces matris magis attendisse solatiũ maternũ, quã miraculi decus. Mysticè deinde exponit hoc: *Nondum venit hora mea.)* idest passionis tempus superest. *quod vinum est, quod optimum iudicatur, quod architriclinus queritur serò prolatum, nisi sanguis dominicæ passionis? hoc est quod ministri suscipiunt, idest creduli conuiuæ, hoc est quod seruat sponsus.* Vide quid intelligat pro bono vino reseruato, sanguinem scilicet Christi; quia suprà dixit, in cruce tanquã nuptias factas, & ibi carbunculatũ sanguinem obtulisse. atqui in passione quoque, & cruce adfuit eius mater virgo, vbi fundi vidit pretiosum illud, & rubrum vinum colore carbunculi igneo, & splendenti, filij cruorem. habes igitur conuiuium illud Eucharistiæ typum fuisse, ubi fit mira illa transubstantiatio, ut uocant; præsertim cum nonnulli putent architriclinum illum Sacerdotem fuisse. disce etiam non sine deuotione in Deiparam illuc accedere.

Cur Christus dixerit de vini miraculo nondũ venit fortamen hora mea.

Christi sanguis piè quæsitus binũ vinum reseruatum est.

Ex Serm. II. de Charitate, & seq.

1 DE charitate sic. *Charitas oleo comparatur, quia vt illud alijs humoribus supernatat, ita charitas sublimior, &c. charitatem quoque faciunt sibi patronam in hoc Mundo.* ideò putat de ea dictum ab Apostolo: *Adhuc ostendo vobis supereminentem viam, &c.* quia vt oleum supereminet, pulchrè autem charitas humani generis patrona dicitur apud Deum, causam nostræ salutis piè agens, & disertè.

Charitas humani generis patrona apud Deũ

2 Orandi studium laudat. *Contemplatio Dei instar margaritæ est respectu gemmarum aliarum.* Vide quanti pretij sit contẽplatiua vita. hac se margarita Magdalena, *sedens secus pedes domini*, cum cæteras gẽmas sæculi despexisset, ornauit. ac meritò laudatur: *Maria optimã partẽ elegit.* post Christi verò ascensum in desertis locis tota contemplationi dedita. cum igitur oramus, tunc in corde nostro quasi concha cœlestem rorem accipimus, qui concrescit in pulcherrimam, ac pretiosissimam margaritam.

Contemplatio & oratio margarita est.

3 Item de charitate sic. *Corda fidelium cælum sunt, in quo radix charitatis plantatur.* egregiè dictũ: fundus, siue ager est cor iusti, sed cœlestis agri cœleste plantarium. hæc planta maximè ibi viret, charitas. hinc dicitur: *In charitate radicati.* quis igitur colonus erit? Amor ipse.

Charitatis cœleste plantariũ

4 Pugnam carnis, & spiritus, sed victoris, sic ostendit. *Apostolus dixit, & voces belli, & voces triumphi; belli: Non quod volo, facio bonum; & caro concupiscit aduersum spiritum; triumphi: Vbi est, ò mors, contentio tua &c? constituit tibi ante oculos pugnam suam, vt tu non timeres tuam.* pulchrè habes & bellum, & triumphum in vnoquoque iusto expressum in Apostolo, & quasi tubæ strepitum, & epinicij carmen. Tum huius quasi nocturnæ pugnæ congressionem innuit. *Aliquando ista cõcupiscentia sic insidiatur sanctis, vt faciat dormientibus quod nõ potest vigilantibus, pudet hic immorari, sed non piget inde Deũ precari.* & modestè dictũ, & piè de illusionibus nocturnis, quibus ẽt iustos quandoq; in sõno vexari posse ait; sed à Sancto Francisco Xauerio dormiente, hoc est velut inermi tã strenuè huiusmo di laruæ superatę, tanta cum vi sunt vt sanguinem exudarit in lucta.

Pugna spiritus & carnis describitur.

Ex serm. hebd. Septuag. & seq.

1 MVndanos sic vrget. *Quę non corrigunt verba, corrigant experimẽta. vna voce dicitur: Ecce nobis ruit Mundus. si*

Mundo ruenti inhærere quã stultum.

ruit, quare non surgis? si tibi architectus diceret, ruituram domum tuam, nonnè prius migrares quàm rueret? Constructor *Mundi tibi dicit, ruiturum Mundum, & non credis? cœlū, inquit, & terra transibunt.* magnum pondus inest his verbis, præsertim pro adolescentibus, vt sæculum fugiant, ac se in religionem recipiant, tutissimam stationem. huc spectat illud Gregorij. Ecce, inquit, iam Mundus in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. vbique desolatio, & tamen fugientem sequimur, labenti inhæremus.

Timor pædagogus, charitas magistra est.

2 Dei timorem insinuat. *Si igne cæli nō accenderis, time ignem gehennæ: timor pædagogus sit; non ipse apud te remaneat, sed te ad charitatem tanquam ad magistrum perducat.* pulchrè timor inferni instar pædagogi esse dicitur, seuerè docentis elementa prima puerum; sed adultior charitatem habet magistram, maiora docentem, nec ita seuerè, tanquā ex altiore cathedra, & quasi cœlestem Cassiopeam.

3 Mysteriū agnoscit in sacrificio Abrahæ, vbi vacca triennis mysterium significat Trinitatis; aues nō diuidūtur, idest spirituales, quorū cor vnū, & anima vna, vt turtur, & columba; duæ alæ duo præcepta charitatis. *Ignis transiens inter diuisiones, turturē, & columbam tetigisse non legitur. vesper finē Mundi significat; clibanus, & lampas ignis diem iudicij, qui fiet in igne. Abraham horror tenebrosus inuasit, quia iustus vix saluabitur. ideò nos simplicitatem columbæ, & castitatem turturis præferentes spiritualibus virtutum pennis eleuemur in cœlum obuiam Christo in aera, vt ait Apostolus.* Notabile certè est; cū turtur, & columba essent in eodem sacrificio, & ignis ille horribilis esset; tamen non attigit turturem, & columbam, quæ diuisa non erant, sed alia animantia diuisa; ita ille ignis iudicij non tanget præsertim simplices, & castos, & eos, qui columbæ instar, ac turturis vixerunt, sed sumptis alis rapientur ad Christum in aera; quas columbæ pennas Dauid optabat, & alibi deargentatas appellat.

Perfectos ut turturem & columbam ignis iudicij non attinget.

Ex sermone in Quadrag.

Quadragesimale tempus instar vindemiæ ac messis.

1 QVadragesimæ laudes describit. *In diebus quadragesimæ quasi in spiritualium vindemiarum, vel messium tempore, vnde anima nostra in æternum possit viuere congregetur in horreis animæ.* pulchrè tempus quadragesimale appellat tempus vindemiæ & messis. licèt tunc maximè abstemij, & famelici simus; sed nimirum significatur in virtute progressus; quanto studio ac labore curatur, vt cellæ, & horrea impleantur? rursum & vindemia, & messis lætissima sunt, quanquam non sine pressura, ità tempus quadragesimale mortificationem, sed hilarem requirit. Tum crapulam damnat: *Irrigata satietate corporis nostri terra spinas libidinis germinabit.* Vides voluptatem carnis, quæ iucunda falsò putatur, in acutas spinas horrescere ob conscientiæ cruciatus.

2 Pœnitentiæ bonum ostendit. *Achab venundatus, vt faceret peccatum; si perdurasset in pœnitentia, Dei misericordia non discessisset.* Nota, Achab licet Regem, dici tamen venundatum sub peccato, quasi vile, ac uenale manciplum. quò referri potest illud Iob. *dissoluit balteum Regum, & præcingit fune renes eorum.* pœnitentiam autem vsque ad finem vitę differri non debere, sic eleganter ostendit. *pœnitētia, quæ ab infirmo petitur, infirma est. pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur.*

Rex malus venale ac vile mancipiū.

3 Omnem ieiunandi excusationem repellit saltem spiritaliter. *Potest quis dicere excusando: non possum ieiunare, nunquid potest dicere: nōn possum amare? potest dicere: non possum res meas vendere, & erogare pauperi; nunquid potest dicere: non possum diligere inimicum? non dicitur nobis; ite ad Orientem, & quærite charitatem, nauigate ad Occidentem: intus in corde est.* Vide quod sit verum Ieiunium, quod quisque implere possit, abstinere à vindicta, qui cibus est irati; nec id difficile, nam cor ipsum intra nos ad amorem factum est. Tum soluit obiectum de vindicta. *Scriptum est: Orate pro persequentibus; at in Apocal. cum illi sancti candidati se vindicare petiuerunt, contra regnum peccati, non contra ipsos homines petiuerunt, de quo Apostolus: Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore.* nota quid sit illud. *Vindica sanguinem nostrum. &c.* vox illa tanquam machina fertur euersura non peccatorem, sed peccati mœnia, ne regnet in nobis.

A ieiunio passionū nemo excusatur.

4 Hypocritam graphicè describit. *Nomen hypocritæ translatum est à specie eorum, qui in spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum cæruleo, miniòque colore, & cæteris pigmentis, habentes simulacra oris, lintea gypsata, & vario colore distincta; nonnunquam colla, & manus creta perungentes, vt populum fallerent his, & reliquis præstigijs.* eleganter hypocritas, quasi præstigijs uti ait, ut faciunt circulatores. toti in fuco, & cerussa, & fallacijs positi sunt, laruati incedunt, imponunt alijs.

Hypocrita præstigiatori similis pulchrè describitur.

5 Ieiunium cum eleemosina iungi iubet. *Qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, idest elemosinam, & ieiunium; & ascendet celeriter, & exaudietur.* pulchrè

ait,

ait, per eleemosinam & ieiunium non modò non infirmari, & languere animam, sed alas sumere, & attolli: tempe deposito onere, & diuitiarum, & ciborum. vna autem ala satis non est ad volatum, sic nec ieiunium sine eleemosina.

Quantumuis pauper aliquid alteri pauperi det.

6 Acutè exponit illud. *Frange esurienti panem tuum) Non iussit integrum dari panem, cum fortè pauper ille alium non haberet; sed frange, inquit, hoc est dicere; etiam si tanta paupertas tibi est, vt non habeas, nisi vnum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.* Vides quantumuis pauperem non excusari ab eleemosina, quantulacumque facultas sit, alteri pauperi quasi eiusdem corporis membro facienda.. quid de diuite dicendum, cui etiam superflua suppetunt?

Dei præsentiam nihil fugit.

7 De Dei præsentia sic. *Ista est vera scientia summi iudicis, cui peruium est omne solidum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur.* pulchra verborum antithesis.. huc refero illud Pauli, *cui omnia nuda, & aperta sunt*. græcè est excoriata.

Dei pietatem ad impunitatem referre nefas est.

8 Liberè peccantem deterret. *Nemo patientiam Dei de peccatorum suorum impunitate contemnat; nec ideò illum existimet non offensum, quia nondum est expertus iratum. non sunt longa vitæ mortalis induciæ; nec diuturna licentia insipientis voluptatis, in æternarum dolorem transitura pœnarum.* grauiter, & serò dictum, ne peccator se impunè abiturum putet: lento enim gradu, vt quidam ait, diuina procedit ira; sed diuturnitatem pœnæ grauitate compensat. magna iniuria fit diuinæ pietati, si abutimur ad peccandi licentiam.

9 Ieiunij effecta commemorat. *Eliæ ieiunanti elementa famulata sunt, Danieli ideò vir desideriorum appellatur, quia panem desiderij non comedit, magis Christum, quàm epulas desiderans.* Nota cur Elias imperare elementis meruit, modò ignem, modò imbrem de cœlo deuocans, quia ipse sibi imperabat per voluntariam abstinentiam. Nec mirum quod Danielem ieiunantem videntes leones, & ipsi ieiunauerunt abstinentes ab eius esu, donec ille acceptum ab Habacuc cibum accepit, tunc & ipsi persecutoribus cœsis pasti sunt. pulchrè dictum, *magis Christum quàm epulas desiderans.* quippe reuelata illi sunt mysteria, & tempus Incarnationis: scimus autem sanctis quibusdam Eucharistiam diù suffecisse pro cibo. Demum pulchrè concludit: *Sic ieiuna, vt in alio manducante prodesse te gaudeas.*

Eliæ cur elementa famularentur. & Danieli leones.

Ex Sermone hebd. I. Quad.

Christus in iudicio exprobrans passionẽ suam peccatoribus

1 EXtremi iudicij horrendam depingit imaginem, *Quid faciemus illo die metuendo, cum tremente Mundo, dominus, præcinentibus Angelorum buccinis, in illo maiestatis suæ throno, circundatus cœlestis militiæ luce consederit; ibique de terræ gremio suscitato mortali, ad stante conscientia, &c.* ibi Christum exprobraturum ait passionem, mortemque suam, & alia beneficia: *En clauorum vestigia, quibus affixus pependi: en perfossum vulneribus latus; suscepi mortem tuam, vt in æternum viueres. non ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. redde mihi vitam tuam, quam peccatorum vulneribus occidisti, &c.* pulchrè ait, Christũ non tã curare de sua morte, quã conqueri, quod cum morte acquisierit nobis vitam, nos eam amiserimus.

Per pœnitentiam exhauritur sẽtina vitiorum.

2 De conuersione à vitijs ad virtutem sic. *Studeamus vitiorum exhaurire sentinam; non enim nocent peccata præterita, si non placent præsentia.* est hoc magnum solatium peccatori conuerso. rectè autem ait, animam nostram nauis instar in hoc mari procelloso per rimas sensuum aquas identidem accipere vitiorum; ac proinde quasi sentinam exhauriendam esse per pœnitentiam, ne mergatur.

Ex sermone hebd. I. Qadr. de Abraham.

Seculum relinquere magnæ virtutis est.

1 ABraham promptitudinem commendat. *Dicitur Abrahæ: Exi de terra tua, &c) noui probationis genus: habenti propria, indicere exilia, cui non est durum, illos conscios natalium penates, dulcia illa limina, atque amabilem larem, &c. deserere?* facit hoc pro religiosis, qui omnes naturæ machinas per ingressum strenuè superant; quod fusius explicat. similia habet Valer. Max. Addit. item eleganter, *Abraham per desertas solitudines inter camporum silentium formidolosa secreta, hospes tantummodo cœli, terræque.* Vides vt Religiosus immemor patriæ, hospes esse debeat cœli, terræquè, omnes asperitates huius vitæ superare contendens.

2 Pergit de Abraham pulchrè. *Ingreditur lucum arboris, angustum homini, dignum tamen Deo palatium. Fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas superna pransura.* referri hoc egregiè potest ad Christum, cum apud nos in Eucharistia accumbit, licèt angustum sit pectus, & cor nostrum, tamen palatium dignum Deo fit,

si illud ornatè fides deuota depingat: ibi varijs quasi coloribus Dei mirabilia, inprimis passionis sacramenta picturis exornet, ac memoriæ proponat, *Vbi est maiestas æterna pransura*. est enim hoc propriè, *mysterium fidei*. ac proinde ad fidem pertinet huius palatij triclinium Apellèa quasi arte depingere: *dignum Deo palatiū fides deuota pingebat*.

Sterilem concipere quam ingens miraculum.

3 Describit mirum Saræ conceptum. *Subitò inanes, ac marcescentes venæ rediuiuo sanguine ferbuerunt. marcidæ mammæ in vacuos folles subducta lactis vbertate tenduntur, &c.* refer hoc idem eleganter dictum ad Ioannis Baptistæ matrem antea sterilem.

Hospitalitas infructuosa nō est.

4 Hospitalitatis præmium in Abraham ostendit. *Ecce ad humanam mensam diuina sublimitas recumbebat, & quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potest, statim pretium mercedis accepit; datur filius seni, &c.* referri hoc item potest ad nonnullos sanctos, vt Gregorium, &c. qui apparantes hospitalem pauperibus mensam, meruerunt inter illos Christum excipere, vel Angelos eius loco: *Ecce ad pauperum mensam diuina sublimitas recumbebat, &c.* præmium autem fuit fœcunditas virtutum, & gratiarum; sit igitur quiuis quantumuis sterilis virtutibus, excipiendo certè Christum in Eucharistica mensa fœcundus fiet. *infructuosa hospitalitas esse non potest.*

5 Diluuium Noe cum baptismo comparat. *Quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum; pro misericordia enim factum est, vt nunc iustus euaderet, & iniqui amplius non peccarent. pro misericordia fuit illud diluuium, quo veluti baptismo quodam totius est Mundi facies innouata; vt qui perditorum hominum sordebat ad crimina, beati Noe habitatione floreret ad gratiam. fuit igitur diluuium simile baptismo.* Notādum est quod ait, diluuium illud ex misericordia fuisse, vt scilicet peccata cessarent, quę inquinabant Mundum. quod si Noe habitatione, *Mundus effloruit ad gratiam*: quid dicemus postea quàm Dei filius habitare cœpit in Mundo, q. peccata per Baptismi undam demersit? quàm floridum ver virtutum consecutum est? certè statim prodierunt Innocentes, qui flores Martyrum dicti sunt. vineæ quoq; Engaddi nato domino effloruisse dicuntur. Acutè quoque tempus quadragesimæ respondere ait totidem diluuij diebus, quibus purgatus est Mundus. huc facit quod addit. *Hoc sub Noe gestum est, quod nunc agitur; vt mergantur in profundum peccata, sanctitas vicina cœlo portaretur, ad similitudinem diluuij in quadragesima tanquam in naufragio sæculi sola; ad instar Arcæ illius, in altum eum suis virtutibus eleuatur Ecclesia.* nunc discernitur hæreticus, vt illi naufragi extra Arcam, &c. vide igitur quam sanctè, castèq; tempus quadragesimale transigendum sit: siquidem intra Arcam etiam bruta castitatem seruarunt, nec inter se inimicitias exercuerunt. Noe, verò, vt probabile est, unà cum familia totus orationi addictus fuit.

Diluuiū Noe ex Dei pietate fuit.

Tempus quadragesimale respondens tempori diluuii Noe.

6 Redit ad Abraham. *Attendite fratres, & videte qualiter Deus apparuit Abraham: Ecce, inquit, tres viri adstiterunt super eum. veniunt ad Abraham tres viri, in meridie venerunt; ad Loth duo, & vespere venerunt; non enim substinebat meridianæ lucis fulgorem concipere.* Nota differentiam virtutis inter vtrumque. simul attende, in cognitione Trinitatis requiri tam acutam, & tam robustam aciem mentis, *vt possit sustinere meridianæ lucis fulgorem*. de nostro patriarcha Ignatio, qui obedientiæ studio Abraham est ęmulatus, legimus, Trinitatis speciem admirabilem ipsius menti oblatam: hinc puto splendorem etiam in facie redundasse.

Trinitatis fulgor Abrahæ vt perfectiori, nō Lotho se prodidit.

7 Pergit de ijsdem hospitibus exceptis. *Festinat Abraham ad tabernaculum, facit subcinericios panes, græcè encryphias; ἐγκρυφίας occultos videlicet, & absconditos indicans panes.* Nota, de tribus ad speciem uiris loquitur; nempe occultum est mysterium Trinitatis, quod nos mortales, memores cineris nostri humiliter, & cum amore potius quasi igne concoquere, quā altius inuestigare debemus; & attende verbum illud: *tres viri adstiterunt super eum.* adeò eminet supra nos natura diuina, & mysteriū Trinitatis. Accipit autem vitulum, non qui prior occurrit, sed eligit bonum, ac tenerum, qui figuraret Christum.

Occultū Trinitatis mysteriū humiliter venerādū

8 Promptitudinem familiæ Abraham in obsequio laudat. *Puer festinat facere, &c.) videte, & attendite; ecce ipse Abraham currit, vxor festinat, puer accelerat. nullus piger est in domo sapientis.* Vide vt vera philosophia, qua excultus Abraham fuit, aduersetur desidiæ; & vt domini pietas incitamento sit toti familiæ. ad religiosorum conuentus hæc præclara vox maximè pertinet: *nullus piger est in domo sapientis.*

Promptū Abrahę obsequiū commendatur.

9 De Loth sic habet. *Loth non cognouit mysterium Trinitatis, ideò non tres excepit; nec vitulum saginatum habuit, nec tres mensuras similaginis obtulit.* puto, quia elegit sibi in hæreditatem pulchram quidem regionem, sed turpibus inquilinis contaminatam, & delicijs refertam; aut quia domi vxorem habebat curiosam, retrò respicientem contra præceptum: Trinitatis verò mysterium non nisi castis patet, & incuriosis.

Cur Loth non reuelatum mysteriū Trinitatis vt Abrahæ.

10 Quærit, quid sit quod dicitur, *Venerunt tres viri ad Abraham, & steterunt super*

super eum?) nempè subiecerat se Abraham voluntati Dei, & ideò super eum stare dicitur Deus. Nota, ille excipit Deum, & capax est intelligendi diuina, qui humiliter de se sentit, & subijcit se eius voluntati, quod fit obediendo. porrò cum tres hos viros, quibus & tribus mensuris panes apposuit, ad mysterium Trinitatis referat, notandum puto, quod in meridie ostensum hoc mysterium: magnum enim requirit ardorem fidei, & lucem rerum diuinarum; sub quercu tamen, & vmbraculis, quia incomprehensibile est.

Cur Abraham lauit pedes triũ virorum qui ei apparuerunt

11 Idem Abrahæ factum expendit. *Lauit virorum pedes Abraham, ne quid pulueris remaneret, quod illi executerent in die iudicij.* Notabile dictum; nam licèt tres illi, qui viri dicuntur, apparuissent Abraham aspectu maiore quàm humano, tamen sollicitus est circa eorum munditiã, exterget puluerem contractum in itinere, mysticè referens hoc ad iudicij diem, in quo non modò lutum, ac cœnum, sed leuem ipsum puluerem afferre nefas est. Nota item Trinitatis mysterium cum iudicij recordatione coniunctum. sicut etiã initio libri geneseos, in hebræo est, *creauit Elohim cœlum, & terram.* quod nonnulli interpretes ad Trinitatem personarum referunt, & vertunt eam vocem, Iudices. Tum inhospitales arguit. Quidam contra quàm Abraham, *hospites, & hostes,* excipiunt. lepor est in annominatione.

Trinitatis cognitio magnam mũditiam requirit.

12 Ostendit quid Abraham dignum fecerit hac visione. *Mambre latinè est visio, seu perspicacia. vide qualis sit locus, in quo dominum potes habere conuiuam: delectauit eũ visio, & perspicacia Abrahã; erat enim mundus corde, vt posset Deum videre. de ista visione Dei dicitur: Abrahã exultauit, vt videret diem meum, vidit, quia mysterium Trinitatis agnouit.* idem tres mensuræ significant, vel fidem, spem, charitatem, quas habere debet Trinitatis exceptor. Nota quanta munditia præditi esse debeamus; cum tanta requiratur in videndo Deo, perspicacia. illud etiam ex misericordia est; vt ad capacitatem nostram se accomodans Trinitas significari voluerit per tres mensuras, cum ipsa sit immensa.

Fides Abrahæ in immolatione filij ostenditur.

13 Admiratur Abrahæ fidem dicentis: *Cũ adorauerimus, reuertemur ad vos.) quid est quod dicit Abraham? ad immolandum filium vadit, & dicit, reuertemur. verum; inquit, dico, quia qui dedit de vtero matris sterilis, poterit & mortuum suscitare.* præclara fides: etiam postquam iugulasset filium, sperabat iterum vitam sumpturum, coniuncto capite corpori, & resumpto sanguine, cuius rei nullum exemplum viderat, aut audierat.

14 De loco immolationis Isaac sic differit. *Hieronymus scripsit, ab antiquis & senioribus Iudæorum se certissimè agnouisse, quod ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus. denique ab eo loco, vnde Abraham est profectus, tertio die ad Caluariæ montem peruenitur.* Si ad Caluariæ ductus est montem Isaac ferens ligna, rectè ad Christum pertinent illa verba Abraham. *In monte dominus videbitur:* quã vocem Hebræi in angustijs positi vsurpare solebant. His addit: *Etiam hoc antiqua relatione refertur, quod in ipso loco, vbi crux fixa est, fuerit Adam aliquando sepultus. & verè non incongruè creditur, quod ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus; & dignum erat, vt, vbi occiderat humana superbia, se inclinaret diuina misericordia; & sanguis ille pretiosus, etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* probabile hoc visum Augustino, non igitur, quasi Rabbinorum fabula, prorsus reijciendum. pulchrè, ac piè de stillanti cruore in Adami puluerem. ità humanum genus quasi puluis aridus eo rore atque imbre rigatus, fructus vitę reddidit. dici solet: gutta cauat lapidem: etiam si lapidei simus, stillanti perpetuò sanguini ob quotidianum sacrificium, cedamus.

Isaac ductus immolandus vbi Christus cruci fixus.

Abrahami in immolando filio fiducia in Deum.

15 Isaac immolandum ante oculos proponit. *Patris dextera erigitur ad sacrificium, cuius cor erectum erat ad fidem, vt nasceretur. non trepidauit credere cum promitteretur; non trepidauit offerre, cum exigeretur. perduxit filium ad locum victimæ, armauit etiam dexteram cultro, &c.* pulchrè ait, non mirum quod erexerit manum ad vulnus, cum cor haberet erectum ad fidem.

Isaac immolatio pulchrè descripta.

16 Pergit sanè perpulchrè eadem de re. *Deuotus pater eo voto suscepit patridium, quo susceperat filium. deuotio dicebat percute; pietas clamabat, parce: illa reuocabat, ista prouocabat.* præclarè descriptum certamen naturæ, & gratiæ; supernæ, & humanæ pietatis. Tum Deum loquentem inducit dum reuocat: *Eccè spiritali præsagia præuenisti consilium meum; quod enim paraui pro toto Mundo, tu iam deliberasti in filio tuo, &c.*

Cur Abraham ligarit Isaac immolandum.

17 Ostendit acutè, cur ligarit filium, licèt certus de eius obedientia: *Ligatur innocens hostia, ne offerentis deuotio putaret, se minus aliquid exhibere, si impatientia doloris victima calcitraret.* nempè etiam gentiles ipsi obseruabant, an victima calcitraret, dum immolabatur, quod finistrũ & ominosum putabant. modestia quoque grata est, vt naturam ipsam in afflictione vincamus. referri hæc ad votorum vincula possunt in religiosis. vel ad compositionẽ quandam, atque decentiam exteriorem.

Ex

Ex Sermone I. hebd Quadr. de Isaac, & Iacob.

1 NArrat quod egit seruus Abrahæ, cum Rebeccam in coniugem Isaac delegit. *Protulit inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posuit in manibus eius, &c. illi autem dixerunt: clamemus puellæ, & quæramus eius voluntatem).* sic legit, *clamemus.* vbi nota, cur clamore opus fuerit? an quia virgo surda debet esse ad res mundanas? & quatenus ad se spectat, nollet decus illud virginitatis perdere? ideò apud gentiles ipsos sponsa cum vi rapiebatur è domo parentum, quasi ægrè abiret: Tum rem gestam interpretatur. *Ad puteum inuenitur Rebecca, & vbi inuenitur sponsa Christo socianda, nisi ad aquam baptismi? in aureis monilibus significantur verba diuina, in armillis aureis opera sancta. ita Christus verba diuina margaritis omnibus pretiosiora dedit Ecclesiæ, & opera sancta. serui Abraham sunt Apostoli. Rebeccæ dicitur, vis ire? & respondetur: Vado. Ecclesiæ dicitur: credis in Christum? credo, respondet.* nota, vt coniuncta esse debeant verba cum opere; hinc & aurea monilia dantur colli ornamenta, vnde vox promitur, & armillæ, quæ ornant manus, & brachia: hæc sponsus Christus dat animæ pignora; hæc item in sponsa requirat sponsus. inuenit certè hæc ornamenta Ioseph in Virgine, nec opus fuit dare. *collum tuum sicut monilia.* præsertim cum illa verba protulit conceptura Verbum: *ecce ancilla domini, &c.* Vide ergo quàm pulchrum, & pretiosum sit de rebus spiritalibus loqui, siquidem *In aureis monilibus significantur verba diuina,* & rursus. *Verba diuina margaritis omnibus pretiosiora.*

Verba coniungẽda cum opere.

2 Interpretatur illud: *Isaac ad meditandum in agro perrexit; vespere Christus in Mundum pugnaturus contra diabolum venit in fine Mundi.* nota meditationem correspondere pugnæ; ita illud: *Do tibi partem Amorrhæorum, quam cepi in gladio, & arcu meo.* habet Chald. in oratione, & meditatione mea. vbi nota, eum, qui matrimonio iungendus est, orationi vacare debere, neque enim parua res agitur, cum quæritur vxor bona.

Ad matrimonii præparatio p orationẽ.

3 De spiritualibus Ecclesiæ nuptijs sic. *Christo iungitur Ecclesia spiritaliter accipiens in præsenti pretiosam arrham, sanguinem sponsi sui, acceptura dotem postmodum regni sui.* Vide quàm pretiosum sit harum pignus nuptiarum, hoc est sanguis ipsius sponsi Christi: Agnes sponsa hoc ornamento vsa; sanguis eius, inquit, ornauit genas meas. nihil gratius sponso, quàm intueri sponsæ faciem decoratam cruore, quem pro illa fudit. *hac arrha precedit dotem regni sui.* quale illud regnum cuius pignus est tanti pretij?

Sanguis Christi arrha præcedens regni dotẽ.

4 Docet, cur diabolus tentans Christum in deserto, sit victus. *In deserto primi hominis scelus rependitur, vbi desunt deliciæ; vbi, quod est omnium malorum causa, deest mulier, poterat enim Adam inter illas, paradisi delicias inconcussus stare, si Eua ibidem cum diabolicis insidijs non fuisset. videte rem miram: in paradiso cum Adam diabolus desertor, in deserto cum Christo: vbi mulierem inuenit, vicit; vbi nõ inuenit, victus abscedit.* Nota comparationem inter desertum, & paradisum. facilius fuit vincere diabolum in deserto, quia nec deliciæ inerant, nec mulier. igitur statio Christi in deserto opposita est stationi Adæ in paradiso. hinc collige quantò tutior sit status religiosus, vbi nec deliciæ, nec mulier.

Cur Christus in deserto victor, Adã in paradiso victus.

5 Exponit illud: *Maior seruiet minori.* Cur hoc dicitur, cum Esau non seruierit Iacob, immò hic sit ab illo vexatus? respõdet: *potest intelligi illo ordine, quo mali seruiunt bonis, non vtique obsequendo, sed persequendo; quomodo persecutores Martyribus; quomodo limæ, vel mallei auro, mola tritico, panibus fornaces, & palea infornace seruiunt auro: hoc probatur, illa comburitur.* Vide quàm fallantur mundani, qui putant nobilitatis esse se vlcisci, cum potius vilissimum sit, nam persecutio seruitus est.

Vlcisci non nobilitas sed seruitus est.

6 Interpretatur illud: *Dominus innixus scalæ) Christus crucifixus ostenditur:* Vides per crucẽ quasi per quosdam mortificationis gradus ad Christum ascendi. Sed cur ille uisus in cœlo, Iacob uerò, qui eum significabat, in terra? quia idem Christus, qui in cœlo, adest etiam suis in terra. & lapis ideo vnctus, quia Christum significabat. Angeli ascendentes, & descendentes sunt Apostoli, & doctores sapientiam prædicantes inter perfectos, & se ad captum ignorantium inclinantes; & de quibus dicitur: *prædicamus Iesum, & hunc crucifixum.* Quod autem ait: *Dimitte me, iam enim ascendit Aurora: hoc resurrectionem Christi figurauit.* Nota per Angelos significari prædicatores, sed nec ipsi tuti starent, & facile labi possent, nisi dominus scalam firmaret, ad eius igitur gloriam prædicatio dirigenda est. quod autem ad Auroram dominus luctam finierit, ostendit post passionem nihil in eo humile passibile, & mortale relictum. & pulchrè resurrectio Auroræ comparatur, qualis erit & nostra post tenebras mortalitatis. huc refer illud Iob: *Si subitò apparuerit Aurora, arbitrantur eam vmbram mortis:* dæmones scilicet.

Scala Iacob crux Christi.

Prædicatores Angeli scalę Iacob prędicantes Iesum crucifixum.

Resurrectio Christi Auroræ comparata.

7 Non est omittendum breue hoc de con-

conſcientiæ examine, *Tu agnoſce, & Deus ignoſcet; nam quo pacto Deus dignetur igno ſcere, quod in ſe homo dedignatur agnoſcere?* in paranomaſia lepor eſt poſitus. & rectè ait, non eſſe venia dignum, qui in ſe culpam non fatetur, nec agnoſcit, propter quam detur venia.

Ex Sermone hebd. I. Quadr. de Ioſeph.

Magdalenæ dilectio ex vnguenti pretio apparuit.

1 TRanſit ad Ioſeph, & quærit, cur Ioſeph Chriſti typus in diuerſis translationibus legatur venditus, vel triginta argenteis, vel viginti. *Hoc ſpiritualiter ſignificat, quod Chriſtus non æquè ab omnibus diligitur.* acutè interpretatur. alij Chriſtum magnifaciunt per ardentem dilectionem, vt Magdalena, quæ vnguentum trecentis denarijs æſtimatum ad eum vngendum abiecit, itaque maioris Chriſtum fecit, quàm pecuniā tantam; alij minoris æſtimant, qui minus diligunt. ſed quis dignum afferat pretium ad rem inæſtimabilis pretij? nempe in eo inſunt, *Omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.*

2 Declarat ſomnium Ioſeph. *Videbam quod Sol, Luna, & ſtellæ vndecim adorarent me) Hoc in Ioſeph impleri non potuit, quia iam mater ipſius de hac luce migrauerat; in noſtro verò Ioſeph, id eſt Chriſto, completum eſt. Sol enim, & Luna, & vndecim ſtellæ eum adorauerunt, quando poſt reſurrectionem S. Maria quaſi Luna, & B. Ioſeph velut Sol cum ſtellis, id eſt beatis Apoſtolis, incuruati, & proſtrati ſunt ante eum; & impleta eſt prophetia pſalmi: Laudate eum Sol, & Luna; laudate eum ſtellæ, &c.* eſt hoc magnum ſanè, & præclarum decus Ioſeph, vt Deipara Lunæ, ipſe Soli comparetur; quaſi ſuperior, & nobilior, nẽpe in hoc, quod ille vir, iſta coniux. Apoſtoli igitur tantùm vt ſtellæ ſunt præ Ioſeph Sole. Item nota, Auguſtinum putaſſe Ioſeph vixiſſe adhuc, cum Chriſtus reſurrexit, & adfuiſſe eius paſſioni. illud autem de ſtellis ſic interpretatur: *& quaſi ſtellas vndecim adorare me)* Non videtur de fratribus Ioſeph dictum; *Nam quomodo quaſi ſtellæ eum adorare poterant, quos inuidiæ nox obſcuros, ac tenebroſos effecerat? qui in ſe lumen charitatis extinxerant; de Apoſtolis dicitur: vos eſtis lux Mundi.* rectè inuidiam nocti ſimilem facit; inuidos verò tenebricoſos eſſe dicit. hinc fit, vt virtutum ornatum, & lumen in alijs, quibus inuident, minimè videant.

Ioſeph Soli, Deipara Lunæ, Apoſtoli ſtellis comparati.

3 Quærit, cur Ioſeph non ante nunciauit patri ſe viuere, & in Aegypto florere gloria? certè non ob diſtantiam loci. *Nam ab eo loco, vbi erat Iacob vſque in Aegyptum, vix erant trecenta milliaria:* nec ob ætatem: quod quaſi puer, eſſet eius oblitus; nam venditus eſt annos natus ſexdecim; adde quod fratres agnouit. cur igitur paſſus patrem tandiù in dolore eſſe, immò verò abſtulit illi Beniamin? *Quare hoc ſit factum, diligenter attende; quia ſine minutis peccatis Iacob eſſe non potuit, voluit Deus ipſa parua peccata in hoc ſeculo tribulationis igne conſumere, vt eum velut aurum purgatum in futuro iudicio præſentaret, vt in eo ignis ille arbiter, quod exureret, inuenire non poſſet.* Notabile dictum, cum Iacob tanta eſſet ſanctitate præditus, tot reuelationibus illuſtratus, tamen ob ipſa minima venialia peccata opus habuit acerbiſſimis doloribus de amiſſione Ioſeph de retentione Beniamin &c. vt ea purgaret. hem quàm inſipientes ſumus, qui illa negligimus ut minima, cum maximis plectantur ærumnis. huc facit quod addit. *Ioſeph ipſi, de quo dicitur; Dominus erat cum eo; quia à pincerna auxilium poſtulauit, additi ſunt duo anni, quibus detineretur in carcere.* nempe ut purgaret leue illud commiſſum. quid tam leue, & ferendum, quàm commendare ſe miniſtro Regis, ut pro ſe innocente Regem alloqueretur? quid tàm miſerum, quàm duos ipſos annos tranſigere carcere, catenis, tenebris, ceteriſque incommodis?

Peccata vel leuia quam grauibus pœnis à Deo punita ſint in ſanctis

4 Quærit, cur Ioſeph paſſus ſit fratres ità vexari, retinendo Beniamin, eos furti accuſando? &c. *Credendum eſt, quod ideò tantis eos tribulationibus fatigauerit, vt ad confeſſionem criminis, & ad medicamentum pœnitentiæ prouocaret. ante hoc nec agnoſcendum ſe dedit, denique cum ingenti dolore dixerunt, meritò ſe pati illa, quia peccauerant; ante nec pacis oſculum indulſit; ſciens tantum crimen ſine grandi pœnitentia indulgeri non poſſe; cum verò illos videret pro peccato humiliter afflictos, deoſculatus eſt, fleuit, & pauentium colla pio oculorum rore perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat.* Vide ut Ioſeph uerus amator fratrum fuerit. non ſuo dolori, ſed fratrum animæ ſaluti ſtuduit. hoc eos tādiū diuexando ſpectabat, ut eliceret ex ore eorum confeſſionem peccati. ante hoc illorum os indignum oſculo uidebatur: tum demum quaſi illuceſcente Aurora, *pauentium colla pio oculorum rore perfudit*, & æſtum illum odij prorſus extinxit lacrymis ſuis.

Fateri peccata ore proprio quā expediat

5 Ioſephi caſtimoniam commendat. *Beatus Ioſeph cum eſſet decorus, & ſpecioſus facie, pulchritudinem ſuam non ad alienam deriuauit iniuriam, ſed ad ſuam gratiam reſeruauit: hoc ſe pulchriorem iudicans, ſi cultu pudoris ſpecioſior videretur.* eſt ſanè hoc cōtra impudicos adoleſcentes, q̄ pulchritudine abutuntur ad dedecus ſuū, quam

quam natura conciliauit ad gratiam. pudor autem purpura adauget sua natiuum decus, sic pudica Iudith: *assumpsit lilia, &c. cui etiam dominus contulit splendorem.*

Aspectus impudicę rete quoddam est.

6 Pergit de Ioseph. *Immisit oculos uxor domini eius in eum.) hoc est, non hic se ostentauit, sed illa retia sua immisit, & indagine sua capta est. catenas suas sparsit, & in vinculis suis colligata est,* eleganter dictum. Vide quid sit impudicus aspectus, idem quod retia iacere, vt animas illaqueent; & catenas inijcere, ut captiuas faciant. duplici metaphora utitur, ducta à reti uenatorio, & à rę bellica. sed quoad primum scriptum est: *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum,* qui scilicet terrenis non inhærent: talis fuit inter ceteros Thomas Aquinas, Ioseph simillimus circa improbæ mulieris aucupium. in columnis illis duabus æneis in porticu Salomonis desuper erat opus liliorum, & opus reticulatum, quasi ænea uis, & columnæ stabilitas requiratur, ne pudicitia in retia incidat.

Iactus oculorum tela vulnifica sunt.

7 De eodem Ioseph facto. *Dixit: dormi mecum.) prima adulterij tela oculorum sunt, secunda verborum,* nota: iactus illi oculorum, telorum iactus, & ictus uulnifici sunt, item uerba ipsa impudica: clypeum igitur pudoris atque constantiæ opponere necesse est. M. Scęua centurio Cæsaris in castelli tutela positus, stetit aduersus hostium aciem, perfosso licèt clypeo telis centum & viginti, nunquam cedens, qua igitur laude dignus censebitur adolescens præsertim sagittiferis impudicorum obtutibus resistens?

Iosephi encomiũ heræ libidini resistentis.

8 Exponit illud. *Relicto pallio, &c.) Reliquit tanq̃ nõ sua, quæ adultera manibus detinebat. magnus planè vir, qui vẽditus seruire nesciuit, adamatus non redamauit, rogatus nõ acquieuit, apprehensus aufugit.* nẽpe pallium tactu fœminæ, quasi sordidum, & vile factum iam non agnouit pro suo. itẽ nota conditionem non officere libertati, si vnum se cum muliere domina Ioseph fecisset, vile mancipium effecisset.

9 Negat amorem verum dici debere eum, qui est ex libidine. *Amabat mulier Iosephum, an se? ego puto quia nec illum, nec se. si illum amabat, quare volebat perdere? si se amabat, quare volebat perire? ardere veneno libidinis?* pulchrum dilemma. scilicet carnales amatores dicendi amatores nequaquã sunt, cum ardeãt veneno; ac potius eum, quem dicunt amare, enecent. vbi nota, libidinem non modò venenum esse, sed ardens venenum eius generis, quo infectæ vestes transfundunt illud in eum, q se induit; vt de illa, quæ à Deianira Herculi data dicitur; ac propterea cautè Ioseph tactum à muliere libidinosa pallium, ne venenum igneum in se transfunderet, statim reliquit. quantò igitur perniciosior tactus, nõ dico vestis, sed corporis?

Tactus libidinosi venenum vel de veste trãsfundit.

Cor casti luce resplendet.

10 Ioseph internam, & externam castimoniam commendat. *Pulcher erat intus in luce cordis Ioseph, qui foris in facie corporis, quò illius fœminæ oculi non penetrabant. intuens ergo pulchritudinem castitatis in speculo conscientiæ suæ, illam maculari noluit.* venustè dictum: *pulcher erat intus in luce cordis.* non modò foris pulcher in specie corporis. ad hanc lucem pertinet illud: *ò quàm pulchra est casta generatio cum claritate.* quod ad S. Thomam Aquinatem in simili pugna transferri potest; pulcher, inquam, erat in luce cordis, quod illuminatum habebat à Deo. habebat etiam quasi tersissimum speculum conscientiam suam: speculum autem non modò ineptum redditur cœno, sed puluere, immò flatu ipso accedentis. huc faciũt quæ item pulchrè addit: *Blanda castitas, & sancta in cubiculo cordis sui: suauis est eius amplexus, non habet amaritudinem.* Vide quanta suauitas in castitate. contra mulier illa impudica ore proprio fatetur *Aspersi cubile meum myrrha, &c.* & Adonis, qui amasius Veneris fingitur, matrem habuit Myrrham. nec mirum quod mulieres illæ abominandæ apud Ezechielem totæ in mœrore positę essent, nempe, *plangentes Adonidem.*

Conscientia speculo comparatur.

Ecclesiæ multiplicatio post Christi ascensum

11 De ijs, quæ consecuta sunt mortem Ioseph, sic, *Quid est hoc, fratres? donec viueret Ioseph, non dicuntur creuisse filij Israel, sed postquam mortuus est, sic germinasse; cum vtique sub patrocinio, ac defensione Ioseph magis debuerint crescere, ac multiplicari. sed hæc figurata sunt, & in Christo completa: prius enim quàm moreretur, pauci, sed post mortem multiplicati sunt credentes, iuxta illud: Nisi granũ frumenti, &c.* acutè notat, nam potius multiplicatio populi Dei debuit fieri viuente Ioseph, à quo protegebãtur, & sustẽtabantur esca; post mortem potius persecutiones fuerunt. rectè igitur ad Ecclesiam refert post Christi mortem multiplicatam etiam inter aduersa.

Inuidiæ vipereum venenum.

12 Inuidiæ malum ostendit. *Sicut aiunt viperas dilacerato, & dirupto ipso materno vtero, in quo concepta sunt, nasci; ita & inuidia natura illam ipsam animã, à qua concepta est, consumit, & perdit.* meritò igitur Pharisæos, & Scribas, quia inuidi erant Christo, Ioannes vocauit, *genimina viperarum.* Vide quàm noxia sit inuidia, quæ vipereum virus habet, & suum necat auctorem, dicta enim est vipera, quod vi pariat.

13 Pergit inuidiæ mala acriter insectari. *Qualis animæ tinea inuidia est? quæ tabes pectoris? quanta rubigo inuidere in homine dõnum Dei, aliorum gloriam facere*

re

re pœnam suam, & veluti quosdam pectori admouere carnifices; cogitationibus suis, ac sensibus adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, & eadest pallor in facie, tremor in labijs, stridor in dentibus. vbicunque fuerit aduersarius tuus, tecum est hostis, in pectore semper inclusus. pende verba singula. alienam gloriam in pœnam propriam vertit inuidus, quid improbius? tortores, carnifices admotos pectori habet ad lanienam, quid miserius? nec minus hoc horrendum quod addit. Quid infelici viro præstat inuidia? quem quibusdam vnguibus liuor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum illius facit.

Improbi bonos persequentes diaboli satellites sunt.

14 Diaboli satellitium sic describit. *Sicut Deus per homines bonos, tanquam per ministros suos omne, quod bonum est, agit; ita diabolus per homines malos, velut per satellites suos exercet omne, quod malum est: ideò adulteri persequuntur castos, inuidi benignos, &c.* Vide cuius principis ministri sint improbi, quàm & viles: scilicet vtitur ijs quasi satellitibus, & lictoribus ad malum princeps tenebrarum, ideo lucem oderunt, idest iustos.

Ex sermone hebd. III. Quadr. de Mose.

Ecclesia Christum suscipiens filiæ Pharaonis comparata.

1 TRansit ad Moysen. *Filia Pharaonis Ecclesiam figurauit, quæ exierat de domo patris sui, & veniebat, vt lauaretur ad aquam, hoc est ad baptismum, & collegit Mosen à parentibus proiectũ in fluuio, scilicet Christum à synagoga repudiatum.* referri hoc potest ad Christum recens natum; nam vt illa pulchritudine paruuli allecta, ita Ecclesia infantis maximè Christi pulchritudinem admirata per Magos gentiles venit.

Spiritus sancti feruorem non concipientes taxantur.

2 Mosis rubum interpretatur. *Rubus genus spinarum, qui non comburebatur, significabat synagogam Iudæorum; multo enim tempore fuit in eis feruor, & flamma Spiritus sancti, & tamen semper ei restiterunt, nec peccata cõsũpta sunt.* rectè vrget. perstringit hoc certè in primis malos religiosos, quos maior sancti Spiritus feruor, & flamma circumsidet, at ne recalescunt quidem etiam multo post tempore. quàm metuendum est, ne aliquando dolituri frustra proferant illud: *Transijt æstas, abijt messis, & nos saluati non sumus.*

Mose penè occisus à Deo ob amorem in suos.

3 Quærit, cur *Adstitit dominus contra Moysen, & volebat occidere eum. forsitan hoc in loco intelligere possumus, quod displicebat Deo, quod Moses tanta mirabilia facturus vxoris impedimenta secum ducere vellet in Ægyptum; vnde datur intelligi, quod ex illo loco remiserit vxorem suam ad socerum suum.* Vide quantum Dei serui, ac ministri abesse debeant ab omni impedimento sæculi, præsertim cognatorum. timere debemus Dei iram, vel in ijs, quæ leuia putamus: quis enim non exhorrescat videre dominum irruentem cum gladio in eum, quem constituerat Deum Pharaonis? paternus sanguis compensatus est sanguine filij circumcisi.

4 Plagas Ægyptiorum interpretatur. de prima sic. *Aquæ fluminis vertuntur in sanguinem, satis conuenienter; vt fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderat, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet; & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculauerant, sentirent.* Nota, vt Deus per ea nos punire soleat, per quæ illum offendimus. primò hoc puniuit, vt rem detestabilem: quod ad Innocentes pueros ab Herode occisos refer. meritò acribus verbis immanitatem execratur: *auctoribus sceleris poculum sanguinis reddidit.*

Innocentium infantium cædes quàm execrabilis.

5 De secunda sic. *Secunda plaga sunt ranæ, per quas indicari arbitror carmina poetarum, qui inani quadam, & inflata ratione fabulas intulerunt.* Nota. quis crederet profanos poetas, qui suauissimè cecinisse videntur apud mundanos, apud Deũ garrulas esse ranas, ac turpes? & eorum tam celebratum flumen Hippocrenen cœnosum lacum esse, ac paludem obstrepentium ranarum? vides inter plagas numerari huiusmodi poetas, quos quidam Principes apud se habent pro delitijs.

Poetæ profani ranis assimilati.

6 Pergit ad alias Ægypti plagas. *Scyniphes animal volucre est, sed adeò subtile, & minutum, vt oculum cernentis eludat, acerbissimo corpus stimulo terebrans; quod genus animalis philosophorum, vel hæreticorum calliditati aptè poterit comparari.* en illæ subtilitates Philosophorum gentilium, quæ tanti æstimantur; en illæ hæreticorum argutiæ, animalculo vilissimo cõparantur, & noxio. his accedunt. *Cynipbes, seu musca canina: est Cynicorum doctrina qui inter reliqua mala, libidinem summum prædicant bonum.* rectè libidinem muscæ caninæ comparat, tum quia canis impudens animal est, tum quia molestissimè conscientiam pungit, & vexat. idem porrò dixerim de hæreticis. Addit, animalia occisa, hominum vecordiam; vlcera tumentia superbiã significare. qd igitur abiectius languore desidię? quid fœdius tumore sũpbię?

Philosophi gentiles Scyniphes &c.

7 De ceteris plagis sic. *Post hæc vulnera veniunt de supernis voces, & tonitrua, & grandines, & ignis. videte temperamentum diuinæ correptionis: non cum silentio verberat, sed dat voces, & doctrinam cœlitùs mittit, per quam possit culpam suam Mundus castigatus agnoscere.* rectè adnotat: vide quanta cum industria Deus conetur hominem emendare; quot modos adhibeat, terrendo, infernè, ac supernè, nõ taci-

Dei pietas per aduersa terrentis ac monẽtis.

tacitè, sed cum tumultu creaturarum, tonando, ac perstrependo. hinc illud: *dedisti significationem, vt fugiant à facie arcus*. si vellet perdere, non tam apertè commonefaceret.

8 Et hanc plagam iure inflictam dicit. *Quod pecora occisa sint, iusto iudicio factum est, vt in quibus cultum credebant esse diuinum, in his viderent miseranda supplicia*. nempè Aegyptij pecora quasi numina colebant, in ijs fidebant, hæc occisa sunt, vt, cum Deorum stragem viderent, in quibus confidebant, verum Deum cogerentur agnoscere. igitur ad clementiam Dei spectat hæc plaga; nisi quod tanto remedio vsi non sunt. denique concludit, decem plagas fuisse decem generæ errorum, in quibus erat Mundus, & contraria his fuisse decem mandata legis: quod alibi pluribus ostensum est.

Decem plagæ Aegypti respondét decem Mundi pestiferis vitijs contra decalogum.

9 Docet quomodo intelligendum sit, Deum obdurasse cor Pharaonis. *Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse. sic in psalmo dicitur: In labore hominum non sunt, &c. ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate. quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere cõsueuimus, quibus frequenter peccantibus indulgemus. Ego te talem feci, ego tibi parcendo proteruiam tuam nutriui. & hoc non dicimus, quod ex voluntate nostra in superbiam sint deuoluti, sed quod de nostra indulgentia ipsi sint obdurati; quare idem est, indurabo cor Pharaonis, quod suspendo plagas, & flagella, vnde eum per indulgentiam meam obdurari permitto. ideò Deus toties flagella remouit, quia non tanquam filius ad emendationem meruit corripi*. Notabile dictum; obdurationem in homine non esse ex Dei potentia, & vi, immò ex eius indulgentia, ex qua potius resipiscere, & molliri deberet. item nota idem esse, Deum in hac vita non flagellare hominem, ac non agnoscere vt filium. Tum affert dicti probationē. *Ipse Pharao cum castigaretur, iustitia compellente professus est; Dominus iustus, ego autem, & populus meus impij. qua ergo conscientia Christianus Deum iniustum esse conqueritur?* Vides vt Pharaone ipso magis impij sint, qui in aduersis cum Deo cõqueruntur, quasi minus iusto, cum ille ipse tam obduratus ad se culpam transtulerit.

Pharao ipse obdurationem non Deo sed sibi tribuit.

10 Respondet obiecto: Dices, *Quomodo posset Pharao liberari admonitus, quia iam Dei sententia trahebatur: Obdurabo, inquit, cor Pharaonis. sententiam protulit, quam se facturum promiserat, non quam iam fecisse monstrabat. obdurabo, inquit, non obduro. aliud est facere, aliud quod iam fecisse promisit, nec tamen impletur, vt metu territi corrigantur*. acutè animaduertit, ex verbis ipsis colligi, Pharaonem non coactum obduruisse.

Obduratio Pharaonis passa à Deo non illata.

11 Pharaonis incredulitatem exaggerat, dum mares mergi iubet in flumine *O prodiga furoris audacia; nondum nati pereunt*. sic Hærodē vrge in cæde infantium.

12 Dei prouidentiam agnoscit, cum Mosen paruulum filia Pharaonis excepit; *Nouum miraculi genus: fecit misericordiam filia parricida*. rectè miratur, nam plerumque solent filij parentes exprimere moribus, huic tamen non obstitit crudelitas patris, quin ipsa esset mitissima, adeo diuina prouidentia vulneribus medetur humanis.

Filia Pharaonis dispar à paterna immanitate ex Dei prouidentia.

13 Transitum Hebræorum per mare Rubrum graphicè describit. *Includuntur persequentibus Aegyptijs Hebræi inter mare, & hostes, inter vndas, & gladios; hinc mare spumat, inde arma coruscant; hinc aquarum, inde armorum strepitus. sic operari Deus consueuit, vt vbi defecit humanum consilium, illic intercedat suum auxilium*. Vide, vt Deus tunc maximè adsit auxilians, cum abesse, ac non prodesse putatur, cum in summo æstu sunt aduersa, *inter vndas, & gladios, &c.* Tum horrendum hostium interitum describit. *Oppressi fluctu, in littore proijciuntur Aegyptij, ante mortui, quàm incolumes peruenirent Hebræi*. Addit mox: *insepultos Aegyptios bestiarum pastibus arena seruauit*. Nota respondens culpæ supplicium. adorabant Aegyptij bestias, à bestijs deuorati post mortem sunt.

Deus in summis periculis maxime præsto est

14 Interpretatur illud de triduo. *Viã trium dierum denegabat Pharao, Diabolus prohibens, credi mysterium Trinitatis. item triũ dierum mysterium est resurrectionis: post tres dies, inquit, viuificabit*. Vide quid maximè Diabolus impediat; fidem Trinitatis, ad cuius imaginem facti sumus, & à qua facti. fidem quoque resurrectionis, qua refecti quasi renascimur.

Diabolo infesta est fides tum Trinitatis tum resurrectionis.

15 Rubri maris miraculum describit eleganter, ac pulchrè. *Soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in puluerē. bonitatem Creatoris intellige: si voluntati eius obtemperas, ipsa tibi elemẽta, etiam cõtra suam naturam, seruire compellit*. Egregiè ostendit, vt tunc maximè dominus nobis fias, cum subderis Deo.

Deo se subdens dominus elementorum fit

16 Exponit miraculi significationem de ablata fontis amaritie à Mose per lignum. *Tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando crucis lignum baptismi sacramento coniungitur. erat autem amaritudo legis ob circumcisionem, & hostiarum cruorem*. mirum, quod per crucem, vbi Christus potatus est aceto, felle, myrrha, amara dulcescunt.

Per crucē nobis amara dulcescũt

17 De manna sic. *Non meruerunt Iudæi, vt etiam sabbatho gratia illis de cœlo descenderet; in nostra autem dominica die non*

non solùm semper venit manna, sed etiam ab ipso die veniendi initium fuit. meritò gratiam cum manna comparat, quid enim gratia dulcius? quid etiam pretiosius aut pulchrius? nēpe erat coloris bdellij, idest margaritæ. præterea die item dominico, natus est Christus; & vt manna algēs pruina, ità ipse hiemis tēpore gelidissimo; porrò Augustinus hoc aliò refert. *descēdit mā-na sicut pruina: nihil infelices Iudæi sentiunt spiritale, sed totum pingue, totum crassum: incrassatum, inquit, est cor eorum.* acutè perstringit Iudæorum siue crassitiem, siue stuporem.

18 Prædicationi, seu verbo Dei manna comparat. *Manna interpretatur: Quid est hoc? ipsa nominis vis ad dicendum te prouocat, vt cum audieris legem in Ecclesia, interroges doctores.* acutè adnotat, ex vi nominis nos commoneri, vt ab Ecclesiæ doctoribus rerum diuinarum cognitionem, & interpretationem petamus. Tū mannæ proprietates applicat. *Verbum Dei, vt manna, minutum est, subtile; habet in se aliquid oleosi, quo recreari possit infirmitas. habet aliquando, & rigoris, & pruinæ; candoris autem, & dulcedinis plurimum.* nēpe oleum adhibetur ad restaurandas vires; eoque athletæ inungebantur. scitum illud philosophi præceptum de sanitate tuenda; Intus melle, foris oleo. habebat autem manna vtrumque. erat enim *saporis quasi panis oleati, & quasi simila cum melle:* quod autem dicitur. *apparuit in similitudinem pruinæ:* pruina rigorem habet, ita Dei verbum rigorem continere debet reprehendendo peccatū, & spem diuinæ misericordiæ quasi oleum, & mel addere. Denique acutè obijcit, & soluit. si manna verbum Dei est, quomodo vermes facit? *Verum est, fratres, non aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo Dei; sic enim ait* Dominus: *Nisi venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent; post autem susceptum verbum* Dei, *fit vermis, qui semper conscientiam fodit, & arcana pectoris rodit.* notabile monitum, quod ad religiosos maximè spectat, si cœli delitijs pasti inobedientes verbo Dei sint, hoc est eius inspirationibus, & regulis ab ipso præscriptis.

Verbum Dei mannæ proprietates habeat oportet.

Ex Serm. I, & II. hebd. VI. Quadr. de Samaritana.

Cur hora sexta notetur in facto Samaritanæ

1 SAmaritanæ historiam interpretatur. Christo cum Samaritana loquente: *Hora erat quasi sexta.) sexta die Deus hominem de limo terræ formauit.* Vides conuersionem peccatoris esse reformationem quandam, qua imago Dei refingitur. Deinde Christi benignitatē agnoscit: *Da mihi bibere.) Bonus dominus vltrò se offert non quæsitus. palam, inquit, apparui non quærentibus me, &c.* ad eandem refert illud. *Neque hauritorium habes.) venit dominus non quærens hauritorium, sed vltro se infundens mentibus singulorum; quia tanta beneficia nullis præcedentibus meritis nobis præstitit diuina misericordia.* acutè refert ad gratiam sine meritis datam, quod Christus aquam vitæ sine instrumento hauriendi Samaritanæ obtulerit. Sequitur, *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum, &c.) sitiuit populus aquam, & murmurauit. sitiuit populus, quid opus erat, vt adderet, aquam? sic enim habet antiqua translatio, quare hoc addidit? nisi quia aquā sitiuit, qui debuit sitire iustitiam; beati enim, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; & iterum; sitiuit anima mea ad Deū viuum: multæ enim sunt sites: iusti sitiunt Deum, peccatores sitiūt aurum, &c.* huc pertinet Crasso iniectum aurum liquefactum in os cum his verbis: aurum sitisti, aurūm bibe.

2 In aqua de saxo percusso manante mysterium agnoscit. *Petra nisi percussa, aquam non dedit: percussus Christus in cruce est, & de latere sanguis, & aqua manauit. bina percussio bina crucis ligna significat: bibit de petra populus, & statim bellum init contra Amalech. Videte, fratres, quia postquam quisque de petra biberit, idest Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere.* acutè adnotat, hebræos post illū potum pugnā inijsse, quod de Eucharistiæ in primis Sacramento dicendum; hinc enim quasi militare robur accipitur; quò refer illud prophetæ: *Pone mensam, consurgite principes, arripite clypeum.*

Ex Christi Sacramentis animæ robur ad pugnam.

3 De Iosue belli duce sic. *Inierunt ergo bellum; & Moses vocat Iesum, & dicit ei: Elige tibi viros, & pugna cum Amalech. hic primum vocabuli huius Iesu splendor effulsit; non poterat Moses viros eligere ad pugnam; Iesus solus est, qui potest eligere; ego, inquit, elegi vos, &c.* pulchrè admodum dictum illud de nomine Iesu: *huius nominis splēdor effulsit.* si quid enim splendoris habet nostra Societas, ab hoc nomine, quo insignitur, effulsit. nec mirum, nam *Oriens nomen eius:* vnde lux emanat, & nomen ipsum radiatum rectè depingitur. congruenter etiam Societatis Iesu quasi militare institutum est eorum, quos ipse elegerit.

Iesu nominis splēdor.

4 Mosis orantis habitum ad Christum refert. *Moses ascendit in verticem collis; & cū eleuasset manus, vincebat Israel. Aduertite, fratres; Moses manus quidem leuat, non tamen extēdit; & cui hoc seruabatur, vt manus extenderet, nisi domino Iesu? qui extentus in cruce vniuersum Orbem complexurus, brachia pietatis expandit,*

Cur Moses in pugna manus leuarit, sed Christus extēderit in cruce.

dit. pulchrè, & acutè notat, cur Moses dicatur eleuasse manus, non expandisse, quasi hic præclarus habitus reseruaretur Christo in cruce: nempè vt Orbem terræ complecteretur, brachijs pietatis expansis. Vide quanti Dei filius fecerit crucem, vt expansionem manuum, quæ crucifixum exprimit, alteri quantumuis amico non concesserit.

Ex Sermone IV. hebd. IV. Quadr. de Adultera.

1 ELeganter adulteræ historiam interpretatur. *Digito scribebat in terram.) scribebat, vt erudiret terram. quando autem hoc dixit Pharisæis, leuauit oculos suos, & inspexit terram, & fecit eam tremere; proinde cum hoc dixisset, iterum cœpit scribere in terra; at illi compuncti, ac tremefacti vnus post alium discesserunt, ò terræmotum, vbi sic terra mota est, vt etiam mutaret locum.* Nota cur Christus scribebat in terra; vt eo scripto erudiret etiam terram, idest Pharisæos ipsos terrenos; quos cum inspexisset, quasi terræmotu facto, stare non potuerunt, sed trepidi discesserunt. fuisse autem aliquando tam horribiles terræmotus, vt terræ pars mutarit locum aliò translata, narrat Plinius. Vide quanta vis sit Christi oculorum. quod autem, *compunctos, ac tremefactos*. dicit, indicare videtur erubescentia quadam fuisse commotos, atque ita trepidasse, vt loco cesserint, nec ausi sint prosequi accusationem. quanquam alio sensu referri hoc potest in bonum ad terræmotū, qui accidit in cubiculo Ignatij nostri, cum primùm in conuersione, propositis ante oculos superioris vitæ delictis, *compunctus ac treme factus*, mutauit non modò mentem, sed locum, campum scilicet, & castra cum religioso statu. *ò terræmotum, vbi sic terra mota est, vt etiam mutaret locum.*

Cur Christus scripserit in terra in adulteræ absolutione.

2 Concludit de adultera. *Remansit ægrotus, & medicus. remansit misera, & misericordia: nemo te condemnauit: sed adhuc erat mulier in magno periculo; quia ei ille iudex remanserat, qui erat sine peccato: cui sollicitudini dominus respondit: Nec ego te condemnabo.* acutè, & pulchrè dictum, nam videri potuisset mulier, iam secura abeuntibus accusatoribus; sed maior metus incessit, quia peccatrix remansit cum impeccabili. ità iniquitas magis apparebat. Sed nimirùm, *Superexaltat misericordia iudicium*. idest supereminet. eodem digito, quo scribebat in terra, nomen adulteræ scribebat in cœlo, & ream mortis in libro vitæ.

Adultera Christum magis quàm accusatores timuit.

Ex Sermone hebd. IV. Quadr. de plagis Aegypti.

1 DEcem plagis Aegypti quasi vulneribus respondere dicit decem præcepta decalogi, quasi medicamēta. Cum prima plaga Aegypti, quæ fuit aqua in sanguinem versa, comparatur primum præceptum de vno Deo, ex quo sunt omnia, vt ex aqua regenerari dicimur gratia. Addit. *Iusto autem Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo Hebræorum paruulos necare consueuerunt.* Secundæ plagæ ranarum respondet secundum præceptum de Dei nomine in vanum non iurando. Tum sic: *in ranis philosophi gentiles, vel hæretici intelliguntur; qui quasi ranę sunt clamantes in paludibus per superbiam, & contentionem, tantùm strepitum vocis inanem habentes, non sapientiam.* En illa clamosa porticus philosophorum quibus vocibus personabat palustrium ranarum, quia videlicet fide magistra carebant. Tertię plagæ scyniphum respondet tertium præceptum. *sabbata sanctifices:* sabbatum quies est mentis in oratione, & contemplatione: *scyniphes muscæ sunt inquietissimæ in oculos irruentes.* Vide quid sint distractiones in orando, muscæ inquietissimæ, quæ oculos, idest rectam intentionem, & aciē diuina contemplantis impediunt. Quartæ plagæ cynomyiæ respondet quartum præceptum, *Honora patrem, & matrem.* cynomyia est musca canina. *Nihil tam caninum, quàm, cum illi, qui genuerunt, non agnoscuntur.* Vide quid sint inobedientes filij, impudentes, & latrantes canes. itaque puto ad Absalonem persequentem potuisse dirigi illud Dauidis ad Deum: *Erue de manu canis vnicam meam.* Quintæ plagæ mortis pecorum respondet quintum præceptum. *Non mœchaberis*: cupiditas nempè bestialis est: *Nolite fieri, sicut equus, &c. sed si pecus esse non times, certè sicut pecus time.* acutè dictum. Sextæ plagæ tumentium vesicarum respondet sextum præceptum: *Non occides: tanquam enim vesicæ bullantes de fauilla fornacis sunt homicidę; ardent ira. si possemus videre horum animas, sine dubio plus plangeremus, quàm putrescentia corpora vlceratorum.* Septimæ plegæ grandinis infructus respondet septimum præceptum. *Non furaberis; quod per furtū subducis, de cœlo pães. qui forinsecus furatur, de Dei iudicio intrinsecus grandinatur.* adeò ī rapaces cœlū ipsū sęuit. meritò, quid. n. indignius, quàm cum pœnis licitè cœlū rapere, malis illi-

Pœna culpę respondet.

Gentiles & hæretici ranis Aegypti cōparati.

Scyniphes distractiones in oratione.

Filij inobedientes cynomiæ similes.

Plaga grandinis furto respondet.

illicitè terrena: *Regum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Octauæ plagæ locustæ respondet octauum præceptum, quod est: *Non dices falsum testimonium. locusta autem animal est dente noxium; quid autem vult falsus testis nisi mordendo nocere? & consumere mentiendo? vnde ait Apostolus: Si mordetis, & corroditis inuicem, videte ne inuicem consumamini*. idem ad detractores videtur posse referri. Nonæ plagæ tenebrarum respondet nonum præceptum: *Non concupisces vxorem proximi; ò quàm densas tenebras patiuntur, qui talia concupiscunt*. hinc collige, iure Cupidinem cæcum fingi. Decimæ plagæ mortis primogenitorum respondet decimum præceptum. *Non concupisces vllam rem proximi tui. primogenita cordis nostri fides est; nemo enim bene operatur, nisi fides præcesserit; qui aliena concupiscit, fidem perdit, quia fraude agit*. rectè, & acutè primogenitam cordis dicit fidem, quasi prima ex vtero cordis concepta nascatur; tum cetera fœcunda proles Virtutum consequitur. scimus quàm chari primogeniti sint, & quãta eius priuilegia. fides autem, & dolus cõtraria sunt; & quia cogitans aliena rapere, dolosè id agere machinatur, perfidus est

Fallus testis locusta mordax.

Fides primogenita cordis est

2 De veteri testamento sic. *Plebs, quæ dotales tabulas lege mariti perceperat, de corruptela disponit, & de adulterio cogitat*. pulchrè dotales tabulas legis dicit Deus Synagogæ quasi spõsæ, sed minimè fideli pro dote eas dedit tabulas, quia lex est thesaurus Dei, & eius maximæ opes; vnde Dauid ait: *Dilexi mandata tua super aurum, & topazion*. Hebræi quoque tradunt, tabulas illas legis fuisse ex pretioso lapide, nempe sapphiro; cum igitur Spiritus sanctus Dei digitus legem scripserit amoris, non timoris, multò pretiosior hæc dicenda dos est, quippe in corde ipso inscribitur. nempè hìc habes dotales tabulas sapphirinas. gemma hæc cœlestis coloris est, vnde sub Deo visum, *opus lapidis sapphirini*: tale cor est, quod Dei præceptis inscriptum cœlestia sapit.

Tabulæ legis pro dote datæ Synagogæ minimè fideli

3 Exponit illud, *Electi principes eius submersi sunt, &c.* legit ipse: *electos ascensores ternos stantes demersit in mare Rubrum.*) tum sic interpretatur. *Electi vtique à Diabolo ad luxuriam, ad malitiam, ad superbiam. & hi terni stantes tres obsident vias, vt aut hominem ad opera mala subuertant, aut sermonem malum eliciant, aut cogitationem iniquam extorqueant* Notabile hoc est: nempe terni incedebant in exercitu Pharaonis, sicut fit in exercitu diaboli, à quo oppugnamur in opere, verbo, & cogitatu; sed hi hostes Dei virtute mergendi. Nota etiam, diabolum ad nos oppugnandos adhibere electos milites suos, hoc est callidos, expertos; nec mirum, nam & cibus *eius electus*, electos insequitur maximè, & ideò ad id electos, hoc est fortissimos adhibet. possumus & per hos ternos præcipuos aduersarios intelligere quod ait Ioannes: *Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. quibus religiosi opponunt tria vota: primò castitatem, secundò paupertatem, tertiò obedientiam.

Terni in exercitu Pharaonis incedentes tria genera peccandi.

4 Orationis quanta vis sit, demonstrat. *Scriptum est: Sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ità populus Israel ablinget populum Amalech super terram.*) *per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu, & armis, quàm voce pugnabat, & lingua, idest orationem ad Deum fundebat*. acuta, & pulchra similitudinis interpretatio, & notabilis locus de oratione; comparationem attende; cur enim populum Dei victorem non leoni potius comparauit, sed vitulo herbam depascenti? nimirum quia ille non viribus fretus, sed lingua, idest oratione consumebat hostes. plus igitur agit lingua quàm manus. hostes magis ferit deprecatricis linguæ mucro, quàm gladij. intelligebat hoc Iosaphat rex, qui cum magna hostiũ multitudine oppugnaretur, *totum se contulit ad rogandum dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda*. cum potius videretur per hoc debilitare militum vires, sed sic armatus fudit hostes, victoriam retulit. idem ad inuisibiles hostes refer.

Orationis mirabilis elegan ti similitudine vitali expressa.

5 Præclarum est hoc monitum præsertim adolescentiæ. *Risus frequenter corrumpit mores, relaxat quoque neruos rigoris adstrictos: seuerus autem vultus custos est disciplinæ*: hoc ad religiosos in primis referendum puto, in quibus modestia maximè commendatur, cuius peculiares regulas noster Ignatius, & sanè aureas scribere voluit.

Modestia & disciplina cõmendatur

Ex Serm. hebd. Quadr.

1 Arrogantiam, & ambitionem perstringit. *Thuribula superborum in lamina affigi voluit altaris in testimonium; sacra scriptura est, cui hæretici ignem alienum subiciunt, intelligentiam alienam: vera prædicatione veluti igne apparet impietas, nisi essent hæretici, non ita clarè appareret fides, &c.* Quoad pœnam verò combustionis similes ijs sunt, qui affectant honores Ecclesiasticos: *Quomodo ambusti sunt illi corpore, ita hi exuruntur in corde*. Vide quid sit ambitiosi cor, fornax calcaria, rogus virtutum, incendium cupiditatis.

Ambitio fornax est cordis.

2 Aaron stantẽ inter viuos, & mortuos significasse ait Christum, *assumpto thuribulo carnis, & superposito igni altaris.*

dit. pulchrè, & acutè notat, cur Moses dicatur eleuasse manus, non expandisse, quasi hic præclarus habitus reseruaretur Christo in cruce: nempè vt Orbem terræ complecteretur, brachijs pietatis expansis. Vide quanti Dei filius fecerit crucem, vt expansionem manuum, quæ crucifixum exprimit, alteri quantumuis amico non concesserit.

Ex Sermone IV. hebd. IV. Quadr. de Adultera.

1 ELeganter adulteræ historiam interpretatur. *Digito scribebat in terram.) scribebat, vt erudiret terram. quando autem hoc dixit Pharisæis, leuauit oculos suos, & inspexit terram, & fecit eam tremere; proinde cum hoc dixisset, iterum cœpit scribere in terra; at illi compuncti, ac tremefacti vnus post alium discesserunt, ò terræmotum, vbi sic terra mota est, vt etiam mutaret locum.* Nota cur Christus scribebat in terra; vt eo scripto erudiret etiam terram, idest Pharisæos ipsos terrenos; quos cum inspexisset, quasi terræmotu facto, stare non potuerunt, sed trepidi discesserunt. fuisse autem aliquando tam horribiles terræmotus, vt terræ pars mutarit locum aliò translata, narrat Plinius. Vide quanta vis sit Christi oculorum. quod autem, *compunctos, ac tremefactos*. dicit, indicare videtur erubescentia quadam fuisse commotos, atque ita trepidasse, vt loco cesserint, nec ausi sint prosequi accusationem. quanquam alio sensu referri hoc potest in bonum ad terrẽmotũ, qui accidit in cubiculo Ignatij nostri, cum primùm in conuersione, propositis ante oculos superioris vitæ delictis, *compunctus ac tremefactus*, mutauit non modò mentem, sed locum, campum scilicet, & castra cum religioso statu. *ò terræmotum, vbi sic terra mota est, vt etiam mutaret locum.*

Cur Christus scripserit in terra in adulteræ absolutione.

2 Concludit de adultera. *Remansit ægrotus, & medicus. remansit misera, & misericordia: nemo te condemnauit: sed adhuc erat mulier in magno periculo; quia ei ille iudex remanserat, qui erat sine peccato: cui sollicitudini dominus respondit: Nec ego te condemnabo.* acutè, & pulchrè dictum, nam videri potuisset mulier, iam secura abeuntibus accusatoribus; sed maior metus incessit, quia peccatrix remansit cum impeccabili. ità iniquitas magis apparebat. Sed nimirùm, *Superexaltat misericordia iudicium*. idest supereminet. eodem digito, quo scribebat in terra, nomen adulteræ scribebat in cœlo, & ream mortis in libro vitæ.

Adultera Christum magis q̃ accusatores timuit

Ex Sermone hebd. IV. Quadr. de plagis Aegypti.

1 DEcem plagis Aegypti quasi vulneribus respondere dicit decem præcepta decalogi, quasi medicamẽta. Cum prima plaga Aegypti, quæ fuit aqua in sanguinem versa, comparatur primum præceptum de vno Deo, ex quo sunt omnia, vt ex aqua regenerari dicimur gratia. Addit. *Iusto autem Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo Hebræorum paruulos necare consueuerunt*. Secundæ plagæ ranarum respondet secundum præceptum de Dei nomine in vanum non iurando. Tum sic: *in ranis philosophi gentiles, vel hæretici intelliguntur; qui quasi ranę sunt clamantes in paludibus per superbiam, & contentionem, tantùm strepitum vocis inanem habentes, non sapientiam.* En illa clamosa porticus philosophorum quibus vocibus personabat palustrium ranarum, quia videlicet fide magistra carebant. Tertię plagæ sciniphum respondet tertium præceptum. *sabbata sanctifices:* sabbatum quies est mentis in oratione, & contemplatione: *sciniphes muscæ sunt inquietissimæ in oculos irruentes.* Vide quid sine distractiones in orando, muscæ inquietissimæ, quæ oculos, idest rectam intentionem, & aciẽ diuina contemplantis impediunt. Quartæ plagæ cynomyiæ respondet quartum præceptum, *Honora patrem, & matrem*. cynomyia est musca canina. *Nihil tam caninum, quàm, cum illi, qui genuerunt, non agnoscuntur.* Vide quid sint inobedientes filij, impudentes, & latrantes canes. itaque puto ad Absalonem persequentem potuisse dirigi illud Dauidis ad Deum: *Erue de manu canis vnicam meam*. Quintæ plagæ mortis pecorum respondet quintum præceptum. *Non mœchaberis*: cupiditas nempè bestialis est: *Nolite fieri, sicut equus, &c. sed si pecus esse non times; certè sicut pecus time*. acutè dictum. Sextæ plagæ tumentium vesicarum respondet sextum præceptum: *Non occides: tanquam enim vesicæ bullantes de fauilla fornacis sunt homicidę; ardent ira. si possemus videre horum animas, sine dubio plus plangeremus, quàm putrescentia corpora vlceratorum*. Septimæ plagæ grandinis infructus respondet septimum præceptum. *Non furaberis; quod per furtũ subducis, de cœlo pdes. qui forinsecus furatur, de Dei iudicio intrinsecus grandinatur.* adeò ĩ rapaces cœlũ ipsũ sæuit merito, quid. n. indignius, quàm cum pecuniis hene cœlũ rapere, malis illi-

Pœna culpę respondet.

Gentiles & hæretici ranis Aegypti cõparati.

Sciniphes distractiones in oratione.

Filij inobedientes cynomiæ similes.

Plaga grandinis furto respondet.

illicitè terrena: *Regum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Octauæ plagæ locustæ respondet octauum præceptum, quod est: *Non dices falsum testimonium. locusta autem animal est dente noxium; quid autem vult falsus testis nisi mordendo nocere? & consumere mentiendo? unde ait Apostolus: Si mordetis, & corroditis inuicem, videte ne inuicem consumamini.* idem ad detractores videtur posse referri. Nonæ plagæ tenebrarum respondet nonum præceptum: *Non concupisces vxorem proximi; ò quàm densas tenebras patiuntur, qui talia concupiscunt.* hinc collige, iure Cupidinem cæcum fingi. Decimæ plagæ mortis primogenitorum respondet decimum præceptum. *Non concupisces vllam rem proximi tui. primogenita cordis nostri fides est; nemo enim bene operatur, nisi fides præcesserit; qui aliena concupiscit, fidem perdit, quia fraude agit.* rectè, & acutè primogenitam cordis dicit fidem, quasi prima ex vtero cordis concepta nascatur; tum cetera fœcunda proles Virtutum consequitur. scimus quàm chari primogeniti sint, & quāta eius priuilegia. fides autem, & dolus cōtraria sunt; & quia cogitans aliena rapere, dolosè id agere machinatur, perfidus est

Falsus testis locusta mordax.

Fides primogenita cordis est

2 De veteri testamento sic. *Plebs, quæ dotales tabulas lege mariti perceperat, de corruptela disponit, & de adulterio cogitat.* pulchrè dotales tabulas legis dicit Deus Synagogæ quasi spōsæ, sed minimè fideli prodote eas dedit tabulas, quia lex est thesaurus Dei, & eius maximæ opes; vnde Dauid ait: *Dilexi mandata tua super aurum, & topazion.* Hebræi quoque tradunt, tabulas illas legis fuisse ex pretioso lapide, nempe sapphiro; cum igitur Spiritus sanctus Dei digitus legem scripserit amoris, non timoris, multò pretiosior hæc dicenda dos est, quippe in corde ipso inscribitur. nempè hic habes dotales tabulas sapphirinas. gemma hæc cœlestis coloris est, vnde sub Deo visum, *opus lapidis sapphirini*: tale cor est, quod Dei præceptis inscriptum cœlestia sapit.

Tabulę legis pro dote datæ Synagogæ minimè fideli

3 Exponit illud, *Electi principes eius submersi sunt, &c.* legit ipse: *electos ascensores ternos stantes demersit in mare Rubrum.)* tum sic interpretatur. *Electi vtique à Diabolo ad luxuriam, ad malitiam, ad superbiam. & hi terni stantes tres obsident vias, vt aut hominem ad opera mala subuertant, aut sermonem malum eliciant, aut cogitationem iniquam extorqueant.* Notabile hoc est: nempe terni incedebant in exercitu Pharaonis, sicut fit in exercitu diaboli, à quo oppugnamur in opere, verbo, & cogitatu; sed hi hostes Dei virtute mergendi. Nota etiam, diabolum ad nos oppugnandos adhibere electos milites suos, hoc est callidos, expertos; nec mirum, nam & *cibus eius electus,* electos insequitur maximè, & ideò ad id electos, hoc est fortissimos adhibet. possumus & per hos ternos præcipuos aduersarios intelligere quod ait Ioannes: *Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* quibus religiosi opponunt tria vota: primò castitatem, secundò paupertatem, tertiò obedientiam.

Terni in exercitu Pharaonis incedentes tria genera peccandi.

4 Orationis quanta vis sit, demonstrat. *Scriptum est: Sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ità populus Israel ablinget populum Amalech super terram.) per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu, & armis, quàm voce pugnabat, & lingua, idest orationem ad Deum fundebat.* acuta, & pulchra similitudinis interpretatio, & notabilis locus de oratione; comparationem attende; cur enim populum Dei victorem non leoni potius comparauit, sed vitulo herbam depascenti? nimirum quia ille non viribus fretus, sed lingua, idest oratione consumebat hostes. plus igitur agit lingua quàm manus. hostes magis ferit deprecatricis linguæ mucro, quàm gladij. intelligebat hoc Iosaphat rex, qui cum magna hostiū multitudine oppugnaretur, *totum se contulit ad rogandum dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda.* cum potius videretur per hoc debilitare militum vires, sed sic armatus fudit hostes, victoriam retulit. idem ad inuisibiles hostes refer.

Orationis mira uis elegan ti similitudine vitu li expressa.

5 Præclarum est hoc monitum præsertim adolescentiæ. *Risus frequenter corrumpit mores, relaxat quoque neruos rigoris adstrictos: seuerus autem vultus custos est disciplinæ*; hoc ad religiosos in primis referendum puto, in quibus modestia maximè commendatur, cuius peculiares regulas noster Ignatius, & sanè aureas scribere voluit.

Modestia & disciplina cōmendatur

Ex Serm. hebd. Quadr.

1 . ARrogantiam, & ambitionem perstringit. *Thuribula superborum in lamina affigi voluit altaris in testimonium; sacra scriptura est, cui hæretici ignem alienum subiciunt, intelligentiam alienam: vera prædicatione veluti igne apparet impietas. nisi essent hæretici, non ita clarè appareret fides, &c.* Quoad pœnam verò combustionis similes ijs sunt, qui affectant honores Ecclesiasticos: *Quomodo ambusti sunt illi corpore, ita hi exuruntur in corde.* Vide quid sit ambitiosi cor, fornax calcaria, rogus virtutum, incendium cupiditatis.

Ambitio fornax est cordis.

2 Aaron stantē inter viuos, & mortuos significasse ait Christum, *assumpto thurubulo carnis, & superposito igni altaris.*

Zzz 2 ani-

Animæ Christi magnificentia in passione, *anima scilicet illa magnifica, cum qua natus est in carne, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, &c.* pulchre appellat Christi, *animam magnificam*, nempe tam liberalem, vt se ipsam nobis dederit prodiga sanguinis sui, atque opum, igni autem altaris comparat ob ardentem charitatem. Tum eleganter ait. *Hoc mysterium futurum iam tunc Angelus ille, qui populum vastabat, expauit. &c.* neque enim indumenta Pontificis purpura, ac lana byssoque contexta erubuisset Angelus ille vastator, mirum sanè; visto Aaron inter viuos, & mortuos cum thuribulo *Angelus vastator expauit.* in thuribulo quid erat horrendũ? ignis ille extinxit vastatoris iram; & qui ad purpuram Aaron non erubuisset, ad typum sanguinis Christi erubuit. puduit irasci, quia in persona Aaron repræsentabatur Christus, per passionem suam nos reconcilians patri: si igitur Angelus tantæ potestatis, tantarum virium, vt vastator dicatur, expauit, puduit vlcisci, visa tantum figura Christi passuri; quantò magis expauescere debet homo vilis, & infirmus, vt desinat vlcisci inimicum, cum Christus ipse crucifixus; ei repræsentatur ob oculos? hinc etiam apparet quanta vis, & efficacia sit Eucharistici sacrificij ad placandum Deum, ad auerruncanda exitia peccatis debita, si tantum potuit figura.

Cur Ieremiæ pariter visa virga nucea, & olla ignis. 3 Virgam Aaron florentem, & in nuces fructificantem interpretatur. Amygdalæ indumentum est amarum, lex scilicet vetus; munitur & alio indumento, quæ est continentia; fructus dulcis est secretum mysteriorum. Apud Ieremiam virga nucea, & lebes est succensus; *Vita & mors ponitur ante faciem nostram; & quia sacramentum sacerdotale est virga nucis, ideircò arbitror Ieremiam qui erat vnus è sacerdotibus, vidisse virgam nuceam, & prophetasse de illa, in canticis, descendisse in hortum nucum dicitur sponsa, vbi etiam pariter cum nucibus sacerdotalium quodammodo pomorum copiam scribitur inuenisse.* egregiè interpretatur, cur Ieremiæ duplex illa visio sit oblata, & amygdalinę virgæ, & ollæ accensæ. amygdalæ fructus dulcedinẽ habet, olla siue lebes ardens horrorem, & cruciatum. vide vtrum eligas, virtutis fructum, an supplicium? porrò sicut nux operitur amaro indumento, ita continentia, & mortificatione carnis opus est ad seruandam legem, & ad eius dulcedinem fructus degustandum. deinde vides Ecclesiam esse quoddam sacerdotale pomarium, quo Christus maximè delectatur. amygdalum, quæ prima arborum floret, imitentur sacerdotes præeuntes alijs exemplo; vel nucem, ut amaritiam mortificationis, & dulcedinem contemplationis simul habeant: acutè enim aduertit, Ieremiæ, quia sacerdos erat, nuceam illam, siue amygdalinã virgam per speciem oblatam, quasi eius muneris typum, quod qui dignè, vt par est, nõ exercuerit, adest stati lebes igneus cruciatus æterni.

4 Dei liberalitatem, & munificentiam in ea virga agnoscit. *Diligenter attende; quum promittit Deus futurum in virga, plus dedit. consuetudinis suæ rem fecit Deus; semper enim maiora tribuit, quàm promittit; & erit, inquit, homo, quemcumque eligo, virga eius germinauit: vbi verò ad rem venit, vide quanta adducit; ait enim scriptura; ecce germinauit, & produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces.* acutè adnotat, Deum tam promptũ, ac prodigum esse in dandis donis vt det plusquàm promittat. dixerat de virga tantùm: *quem ex his elegero, germinabit virga eius.* at non modò euiruit, sed, *turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Deus plus dat quam promittit vt apparet in virga Aaron

5 Interpretatur eius virgæ mysteria. *Virga arida germinat, cum corpus extinctum cœperit reuiuiscere.* Quatuor eius germina numerat Paulus: *seminatur in corruptione, resurget in incorruptione, &c.* pulchrè ostendit, corpora beatorum, quæ nunc arent in sepulchris, vt virga Aaron, fore, vt virescant, & floreãt in resurrectione, atque in cœlo vnà cum manna futura in arca, hoc est cũ dulcedine beatitudinis. certè de resurrectione dicitur: *Refloruit caro mea,* & per prophetam: *Ossa vestra germinabunt.* quatuor autem illa germina potes referre ad quatuor qualitates corporis gloriosi. Addit. Virgæ germen est prima hominis confessio; frondescit, vbi renatus donum gratiæ Dei sanctificantis susceperit. flores sunt profectus, & morum suauitas, & fragrantia misericordię; fructus iustitiæ. pende singula præclarè dicta. possunt etiam hæc suo modo ad religionis statum referri, & progressum ex tyrocinio Virga Aaron germinãs & florens typus resurrectionis.

6 Expendit verba illa: *Exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.) Non otiosè exire dicitur virga, & flos de radice ascendere. qui negligens est, ei virga Christus efficitur; qui proficit in iustitia, ascendit ei in florem. exire dicitur virga, quia ad alium statum est exeundum, vtique correptione.* acutè adnotat, exire dicitur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendere; quia Christus negligentibus virga fit puniendo, proficientibus flos ornando. florem respicis, virgam time. Christus virga malis, flos bonis.

Ex Sermone hebd. IV. Quad.

1 BOtrum exploratorum interpretatur. Exploratores vuam miræ magnitudinis in phalanga detulerunt. duo

Botrus ꝑ exploratores, suauitas sancti Spiritus per duo præcepta charitatis

duo q portant, sũt duo pcepta dilectionis. *sicut illi duo pendentẽ vuã attulerunt, ità dicitur, in his duobis præceptis lex tota pendet, & prophetæ.* pulchrè indicat suauitatẽ spiritus deferri ad nos per charitatem, & Dei, & proximi: illa præcedit, hæc subsequitur.

2 Hoc ad Deiparam pertinet. Sicut vua illa Christi, ità sancta Maria per terrã repromissionis præfiguratur: *Ipsa enim est, de qua legimus; Suxerunt mel de petra, & oleum de firma petra.* pulchrè dictum; terra illa dicta est lacte, & melle manare, ità beata Virgo. itaque non modò Christo eius filio lac ab ipsa sugere licuit, sed, & nobis, non sine melle consolationis, & oleo misericordiæ. cogita quanto studio ad illam terram Hebræi anhelauerint; & puto firmam petram rectè appellari posse Deiparam ob securam eius tutelam.

Botrus in ligno suspensus Christi crucifixi typus.

3 Botrum pergit item de Christo interpretari. *Lauabit, inquit, amictum suum in sanguine vuæ. hæc vua in ligno suspensa est, cum in ligno crucis pependit; cuius vinum in pretium nostrum passionis expressione profluit.* Addit: duo viri ferentes botrum, populi duo sunt, Iudaicus, & Christianus: *Quia prior fuit Iudaicus populus, præcedit Iudæus, sequitur Christianus. hic semper videt, ille semper relinquit. portat Iudæus, sed auersus; posuerunt, inquit, ad me dorsum, & non facies suas.* acutè dictũ: nam Iudæus licet prius portet, tamen dorsum vertit quasi despector; at Christianus licet vltimus tamen semper ante oculos habet Christum pendentem in ligno crucifixum, & eius sanguinem, quo aspectu delectatur. hinc ait sponsa, *Botrus cypri dilectus meus mihi.* Tum de onere huius botri sic: *Si iugum Christi humili ceruice suscipimus, magis nos portat, quàm à nobis portatur.* idem Rabbini referunt de arca, quæ à Leuitis portabatur tam leuiter, vt magis illa hos, quàm hi illam ferre viderentur. sic intelligunt illud. *Cumque adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam &c.*

Christi iugũ quam leue sit.

4 De præparatione ad paschalem cõmunionem hac occasione agit. *Quia spiritualis vindemia, id est paschalis sollemnitas imminet, cum botrus ille per pondera crucis expressus est, de tanta, ac tali vua accepturi calicem salutaris, & vinum lætitiæ bibituri, exceptoria cordis nostri cum grandi nitore, ac diligentia orationibus, ac præcipuè castitatis nitore mundemus.* Vide quanta sit opus præparatione ad communionem paschalem, in qua sanguinem Christi quasi recentem, & tunc crucis pondere quasi trabali prælo expressum ceu feruens adhuc mustum in cordis nostri vase excepturi sumus; integrum sit oportet, ne quid effluat tam pretiosi loquoris. ac pulchrè orationem, & insignem castimoniam maximè commendat: *cum grandi nitore ac diligẽtia orationibus, ac præcipuè castitatis nitore exceptoria cordis mundemus* pende verba singula.

Præparatio ad Eucharistiã quam exactè faciẽda.

Ex serm. hebd. IV. Quadr.

Superbia & murmuratio cur per basiliscos punita.

1 De pœna detractorum sic. *Propter superbiam, & murmurationem à serpentibus regulis, seu basiliscis in deserto populus vastabatur.* Nota quod potissimum genus serpentis & superbis, & murmuratoribus sit obiectum. puto, quia basiliscus, vt nomen ipsum sonat, quasi regio diademate coronatur; & afflatu, immò visu ipso enecat: ita superbia, & detractio inter vitia regnare videntur, execranda maximè ob perniciem.

Serpens suspensus in ligno ad salutẽ Christus crucifixus

2 Serpentis ænei mysterium exponit. *Suspensus est serpens æneus in conto, quia Christus suspendendus erat in ligno; Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto, &c. Qui vult diaboli vitare venenum, Christũ respiciat crucifixum.* Vide quid maximè cõtra tentationes iuuet, repræsentare sibi Christum, è cruce pro se pendentem; & nota, contum vocat; est autem contus vel hastæ similis, vnde contati milites apud Vegetium; vel lignum oblongum, quo nautæ explorant, an opportunus locus in mari sit nauis; vtrumque ad crucem refer.

Mors à morsu serpentis dicta,

3 Mortem sic definit. *Mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat.* Notabilis definitio. ac si de peccato, quæ verè mors est, intelligamus, si virgo Maria incidisset in peccatum originale, oporteret dicere, eã ab hoc serpente demorsã; ac tumuisse eius veneno vterum antequàm Deo: quod videtur ab ipso abhorrere Deiparæ nomine.

Cur serpens in deserto Christi typus ex ære?

4 Quærit. *Quare serpens ille non de auro, non de argento, sed de æramento fuit factus? respondet: vel propter diuturnitatẽ, quia vasa ænea diutius durare solent; vel propter tinnitum maiorem inter alia metalla, quo sonus prædicationis de Christo significatur.* Addo, Christum in cruce tanquam æneum ob fortitudinem visum in tolerandis tam acerbis pœnis, quod de se Iob fateri non audebat: *Nunquid caro mea ænea est?*

Ferrum extractũ per lignũ ex aqua, cor hominis per crucem.

5 Aliam crucis figuram affert. *Nec Eliseus ligni huius mystici virtutem ignorauit, securim in gurgite lapsam ligno euocans de profundo, significans dura corda, & ferreas hominum ceruices de profundo errore ligno crucis subiugandas.* Vide quid sit cor humanum, instar ferri in securi, quã Deus cum habet in manu, vtitur ad excindenda vitia, vt inutiles arbores; vel pro insigni imperij, quasi fascibus; vel vt Amazonia securi. cum autem per peccatum cor

hominis ferreum è manu Dei recessit, in profundū labitur, fit inutile. Nota ēt, crucē habere vim magnetis, cum ad se trahat ferrum; immò tantarum virium est hīc magnes, vt totum ipsum ferreum seculum gentilitatis ad se traxerit, iuxta illud. *cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. addit de cruce. *lignum hoc dedit fructum in tempore suo: fructus gloria est resurrectio. dabit & fructum, cum iterum apparuerit de cœlis præcedente crucis signo*

Quàm difficile sit elicere actū veræ pœnitentiæ.

6 Ostendit impœnitentiæ damnum. *De sexcentis millibus, duo tantum intrarunt terram repromissionis propter obdurationem cordis. non impediebat ante data sententia; Non intrabitis terram; nam ait per Ieremiam; Si pro iniquitate egerit pœnitentiam, & ego agam pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. audiamus illum dum rogat, ne nos postea non audiat ille dum iudicat. ait Ecclesiast. fili miserere animæ tuæ, placens Deo*. Dignū certè notatu est, quod indicare videtur, ex tanto numero, præter duos, non inuentos alios, qui perfectè elicerent actum pœnitentiæ, quem si elicuissent, terram intrassent; licet Moses post peccatum idololatriæ eos exuerit in signum pœnitentiæ, & expiarit; & licet tot passi incommoda deserti ad satisfactionem: adeò difficile est elicere actum veræ pœnitentiæ. huc facit quod addit. *Quis non expauescat, & terreat, quod pro quadraginta dierum spatio, annis quadraginta populus Iudæorum pœnam recipere meruit in eremo? si enim pro vnius diei culpa vnius anni spatio recompensanda est culpa, nos qui tanta quotidie peccata committimus, timeo, ne nobis non inferantur temporalia sed æterna supplicia*. nisi scilicet perfectè pœniteat. est profectò horrore digna cogitatio, cum vnius diei peccato anni supplicium respondeat, in tanta multitudine peccatorum, quæ committimus, quàm diuturna responsura sit pœna.

Calidum peccati vulnus statim curandum per pœnitentiam.

7 De non procrastinanda pœnitentia sic. *Calidis vulneribus solent medicamenta celerius subuenire: ideò cum peccamus, non expectemus, mortifera securitate vulnera ipsa putrescere*. rectè mortiferam securitatem vocat morā in medendo. ita enim fit, vt non extracta sanie purulenta, corpus extabescat, quod & animæ accidit.

Adulatio ob proprium cōmodum, quàm vilis.

8 Adulationem carpit. *Balaam famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxijs præualens; non enim habebat potestatem, vel verba ad benedicendum, sed ad maledicendum: Veni, inquit, maledic populo. & licet addat; Scio quia quos benedixeris, benedicti erunt; videtur solùm adulandi gratia hoc dicere Balach, vt promptiorē reddat ad facinus*. Vide quò politica regni commoditas abijciat vel Regem, vt Rex adulletur vili mago, & incantatori.

Ex Sermone hebd. IV. Quadr. de Lazaro.

1 DE Christi lacrymis sic exponit illa verba: *Lazarus mortuus est, sed gaudeo propter vos.) Si gaudere se dicit dominus, cur postea fleuisse fertur in Lazari monumēto? nempè iccirco fleuit dominus, vt lacrymis suis Mundi peccata deleret. si Petrus potuit lacrymis propria peccata abstergere, cur non credimus domini lacrymis peccata Mundi deleta? denique post lacrymas domini, multi ex populo Iudæorum crediderunt. vicit pietatis affectus, & eorum mentes molliuit prima fusio lacrymarum*. nota vim lacrymarum Christi, nam cum Iudæi corde lapideo essent, molliti sunt eius lacrymis, quod tamen, cum tantum sanguinis in passione profundi viderent, vix paucis tunc accidit, hoc est Centurioni, & latroni. certè lacrymæ cordis sanguis sunt, inde vis tanta ad commouendum.

Conuersio Iudæorum ex Christi lacrymis ad sepulchrū Lazari.

2 Pergit in historia Lazari. *Vbi posuistis eum? sic Adam dictum: vbi es? & Cain, vbi est frater tuus?* Ille, quia confessus peccatum, saluatus, hic quia negauit, damnatus. *Iccircò interrogauit, vt peccatum suum Adam ore proprio confiteretur, vt posset peccati veniam promereri*. Mira Dei clementia: ipsemet qui offensus, excitat reum ad reconciliationem. præterea ex hac cōparatione vides Adam item quasi mortuum per peccatū, immò sepultum sub vmbra, qua se contexit: eadem enim penè vox ad illum, quæ ad Lazarū mortuū, facta est.

Adam cū sepulto Lazaro collatus.

3 Notat vim vocis Christi clamantis. *Lazare veni foras; ostendens de quo scriptum est: Vox domini in virtute; vox domini in magnificentia; ecce dabit voci suæ vocem virtutis: virtutis planè, & magnificentiæ vox ista est; deterrita enim mors est audita voce tantæ virtutis. nec mirum, si ad vnam vocem domini Lazarus resurrexit, quando ad vnam eiusdem vocem omnes resurrecturi sunt: Venit hora, & nunc est, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, &c. Vnde sine dubio mors audita voce domini, omnes mortuos à se potuisset dimittere, nisi propriè vocatum Lazarum cognouisset*. Notabile admodum est hoc quod ait. attende vim admirabilem vocis Christi. nam quia ad eius vocem innumerabiles omnes homines aliquandò resurrecturi sunt, si dixisset, *Veni foras*, nec Lazarum proprio nomine vocasset, cum singuli mortui ad se spectare eām vocem contenderent, omnes resurrexissent. ideò mors sui regni destructionē timēs, statim hunc vnū obtulit etiam non dum solutum.

Cur Christus Lazarum nominatim euocarit e sepulchro

Ex-

Cur Lazarum e sepulchro Christus non euocarit iam solutum.

4 Exponit mirum illud de Lazaro: *Exiuit ligatus manibus, & pedibus.) Nunquid sepulturę vincula rumpere non potuit, qui mortis vincula dirupit? sed non minoris admirationis est Lazarum ligatis pedibus ambulare potuisse, quàm à mortuis resuscitasse.* Nota cur Christus cum mortis vincula rupisset adamantina, Lazarum resuscitando; linea tamen sepulchri non ruperit: vt scilicet miraculo magis attoniti obstupescerent. Addo, vti dicebam, mortis timorem, quæ non modò vitæ reddidit Lazarum ad Christi vocem, sed statim eum adduxit, atque impulit ad Christum ipsum, non expectata vinculorum solutione.

Deum laudare est gemmas de thesauro proferre.

5 Iobi pietatem in Deum commendat. *Nudus egressus sum, &c. Nudus reuertar illuc; sicut domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum.) Si nihil Iobo remansit, de quo thesauro istæ gemmæ laudis Dei proferuntur?* nempe Deum secum habebat. pulchrè dictum. vide quid sit de Deo loqui, Deum laudare: quasi de cordis thesauro gemmas expromere. ait Iob nudum se relictū, & tamen ditissimus erat, quia Deum secum habebat: latebat thesaurus in corde, vnde gemmas illas laudis protulit. quantum hoc ornamentum animæ? contra nihil vilius, ac pauperius quàm laudare seipsum, quia mortalis nihil in se habet laude dignum. Tum eiusdē Iob virtutem admiratur. *O virum fœdum & pulchrum. ò vulneratum, & sanum. ò in stercore sedentem, & in cœlo regnantem. vxorem illi quasi Euam tentatricem reliquit dæmon, sed Adam ille non fuit: Si bona, inquit, suscepimus, &c. ò virum, &c.* elegans antithesis, & collatio cum Adam. subiungit: *Si amamus, imitemur; vt imitemur, laboremus. adiuuat certantem qui certamen indixit.* in humano agone agonotheta hortari clamando potest, adiuuare non potest.

Ex Sermone I. heb. IV. Quadr. de Gedeone.

Prædicatio cur tubę comparetur.

1 PRædicatoris verum munus ostendit, exponens illud. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.) Scitis, quod tuba non tàm delectationis esse solet, quàm terroris. tuba peccatoribus necessaria est, quæ non solùm eorum aures penetret, sed etiam concutiat; nec delectet cantu, sed castiget auditu.* Notabile monitum, eos concionatores arguens, qui delectare magis student, quàm terrore concutere, hoc est lyram potius adhibere, quàm tubam: bellum indicendum est diabolo, & garris?

2 Ad easdem Euangelicas tubas hoc pertinet. *Sacerdotalibus tubis Hierico muri corruerant, non illos pulsauit aries, non expugnauit machina, sed tuba terror euertit. quis non stupeat in illo facto saxa sono dirupta, fundamenta clangore quassata?* est hoc sanè mirabilius, & verius tubarum sacerdotalium sono mœnia Hierico diruta, quàm quod fabulati sunt sono testudinis ab Amphione saxa collata, & mœnia ædificata; quod de concionatoria tuba dīcito. vide igitur quibus machinis expūgnanda sit peccatoris anima, munita propugnaculis vitiorū, ac malæ cōsuetudinis: non ijs, quas eloquentia subministrat, sed quas zelus salutis: acri scilicet increpatione quasi strepente tuba. Addit in hanc sententiam. Septem diebus clangentibus tubis mœnia Hierico corruerunt: *Nempè septem dierum circulo spatia distinguntur, per quæ sacerdotalium prædicatorum tubę ipsi sæculi excidium annunciant, & iudicium comminantur.* Nota quid maximè prædicari debeat, extremum videlicet iudicium, & finis seculi, quod per hebdomodas reuoluitur, quippè tunc in Archangeli tuba Mundi excidium fiet: ita non adhærebunt Mundo, quem nec opinatò ruiturum considerant. De Gedeone mox plura.

Prædicatio indicata per tubas quibus muri Hierico corruerūt

Prædicator de Mūdi destructione & iudicio loquatur.

Ex Serm. hebd. Passionis.

Christus cum Samsone collatus.

1 IN Samsonis historia mysterium agnoscit. *Samson intrasse ad meretricem legitur, concubuisse non item; ille autem, inquit, dormiebat. ad meretricem Samson intrauit, Christus ad Inferos; & certè scriptura coniungit hæc: Pro Inferis, inquit, ponitur domus meretricis.* Somnus Samsonis mors Christi. media nocte surrexit, quia in secreto sustulit portas Inferorum. ascendit in cacumen montis, idest in cœlum. *expandit manus ad duas columnas quasi ad duo ligna crucis.* rectè Inferos meretrici comparat, nam & huius domus apud Inferos dicitur: adeo blanda videtur ad voluptatem meretrix, sed crudelis est ad perniciem. allicit mundanos ad se Infernus proposita voluptate, vt perdat. sed rectè adnotat, nihil obfuisse Christo. rectè etiam duo ligna crucis columnis illis duabus comparat, quibus videlicet per terræmotum in Christi morte concussis, strages dęmonum facta.

2 Gedeonis quoque factum mysticè interpretatur. *Gedeon sub arbore electus ad gratiam, sub vmbra iam tum sanctæ crucis constitutus superflua hominis deponit. Ecclesia torcular est fontis æterni, in qua cœlestis vitis fructus exudat. Ius supra petram fudit. petra Christus, de qua dicitur: Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra; petra autem erat Christus: quod ad carnem relatum est, quæ sitientium corda*

da populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. eleganter,& pulchrè dictum. nides sanguinem Christi esse poculũ cordis, idemque indeficiens, Quod ait, vndam illam de petra manantem, & sequentem typum fuisse sanguinis Christi; notandum est mirum illud, quod tradunt hebræi: petra videlicet ipsa vnà cum vnda sequebatur hebræos incedentes per desertũ quocumque irent; ita sanguis Christi nos sequitur, quasi ipse potius nos sitiat, quàm nos illum sitiamus, vnde illud Gregorij, Deus sitit sitiri. abundantia item ostenditur sanguinis Christi, per sudorem, per flagella, per vulnera expressi. *sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit.* quod item significatum est in Abel, nam vbi legitur, *Vox sanguinis,* alij legunt. vox sanguinum clamat ad me. Addit: *Ius illecebræ cupiditatum sunt, quas caro domini repleta Spiritu sancto exussit in nobis.* recte ait, ius ob condimenta, varias illecebras significare. consũptum est autem ius illud igne sacrificij, ita omnis terrena voluptas absumitur igne Spiritus sancti.

Sanguis Christi poculum cordis.

3 Idololatriæ excindendæ figuram interpretatur. *Aduertit vir præsagus Gedeon superna mysteria, & ideò secundùm oracula occidit vitulum à patre suo idolis deputatum, & septennem alium immolauit: quo facto manifestissimè declarauit, post aduentum domini abolenda esse gentilium sacrificia, solumquè sacrificium dominicæ passionis deferendum. septemnis erat, quia in Christo septem virtutum spiritualium plenitudo est.* Vide zelum Gedeonis. non immolauit Deo vitulum, nisi occideret alterum, quem pater idololatra Satanæ destinauerat immolandum. quod etiam in Eucharistia seruare debemus, vt immolemus nostra vitia, quæ à primo nostro parente per fomitem relictum in originali peccato contraximus. ac simul aduerte, in Euchatistia communicari nobis septẽ dona sancti Spiritus, quorum Esaias meminit.

Gedeonis vituli immolatio figura Eucharistici sacrificij.

4 In numero bellatorum crucis mysterium agnoscit. *Elegit Gedeon trecentos viros ad prælium, vt ostenderet sacramento crucis Mundum ab incursu hostium liberandum: græcè enim litera T. trecentos ostendit.* referri hoc potest ad decus ordinis Cruciferorum, quos Camillus vir piissimus instituit, & eo signo armauit.

5 De eiusdem Gedeonis vellere mysticum affert sensum. *Ros in vellere fides in Iudæis; inde est quod nunc fidei rore totus Orbis humescit. nec tunc otiosè Gedeon vellus nõ in campo posuit, nec in prato, sed vbi messis est tritici, eò quod per fidem domini in Ecclesia futura esset messis fœcunda virtutum. de hac dicitur: messis quidem multa, &c.* Nota, vbi vellus excepit rorem, quo fidei gratia indicabatur, non in sterili agro, immò nec in virente, vel florente, sed qui maturam haberet messem tritici, videlicet abundantiã indicans virtutũ in Ecclesia, p fidẽ operibus coniunctã. Addo indicatũ gratiæ rorẽ, maximè in Eucharistia, quod fidei mysterium dicitur, vbi sub tritici specie fons ipse gratiarum est; modò nos tanquam oues simplicitate, ac mansuetudine tanquam vellere induamur.

Cur Gedeon vellus non in campo vel prato, sed in area frumenti posuerit.

6 Pergit in eodem vellere explicando. *Euacuauit vellus Iudæus, rorem misit in peluim, non tamen ipse ex eo rore pedes lauit. alij debebatur tanti prærogatiua mysterij. expectabatur Christus, qui sordes omnium potest solus eluere.* acutè, & pulchrè adnotat, Dei filium sibi reseruare voluisse lauacrum in pelui, cum tam humiliter pedes discipulorum lauit, quo indicauit sibi propriũ esse abluere peccata: nec puro illud lauacrum caruisse rore, idest lacrymis ipsis Christi, præsertim cum Iudæ pedes lauit: *concham rore impleuit.* quasi ros ille, lacrymæ scilicet, in concha contreuerint in margaritas.

Ros à Gedeone missus in peluim figura Christi lauantis pedes discipulorũ

7 Loci etiam circumstantias pendit. *Cum purgaret frumenta in torculari.) Torcular, vbi messem terebat Gedeon, propter assiduas tribulationes Ecclesiæ typum gessit.* rectè adnotat torcularis fieri mẽtionem cũ messe tritici, quia per pressuras Ecclesia purgata multiplicata est. idem intelligi posse arbitror de Eucharistia sub vtraque specie panis, & vini, vbi rorem gratiæ cælestis excipimus. & fit memoria passionis Christi, de qua ait. *Torcular calcaui solus.* Addit. *Messis, quam terit Gedeon, est populus Christianus, quem Christus virga crucis à paleis, hoc est à peccatis purgauit.* Vide quis verè Christianus dicendus sit: q quasi purgatũ triticum est per mortificationem crucis. ita fit dignum triticum cœli horreo.

Torcular in area tritici Gedeonis Ecclesiæ typus per pressuras multiplicatæ.

8 De sacrificio Gedeonis sic. *Exijt ignis de petra, & de Christo exijt ignis charitatis, qui humani generis peccata consumpsit.* Nota, & confer duas percussiones. de petra deserti vnda exijt, de hac petra ignis. nempè Christus, qui petra dicitur, passione percussus, & sanguinis vndam protulit, & ardentem amorem erga nos contulit suum, in passione præsertim.

Ardens in nos Christi amor in passione maximè ostensus.

8 Redit ad vellus. Ros in vellere primùm fuit, deinde ibi aruit. *Nimirum quia oues illæ Iudæorum fontem aquæ viuę negauerunt, ideò ros fidei exaruit in pectoribus eorum.* Nota quod ait, vellus Iudæos significasse, nempe ait Christus: *Non sum missus nisi ad oues domus Israel.* sed quia hæ oues de fonte aquæ viuæ Christo bibere nolue-

Vellus Gedeonis synagoga.

noluerunt, factum est, vt fidei rore carerent. vbi pulchrè rorem fidei symbolum facit, nam ros fit sereno cœlo ad primum Auroræ exortum. rore conchæ concrescũt in margaritas, rore pubescunt herbæ, &c. ita fidei rorem excipiens pectus iusti instar conchæ, margaritas virtutũ concipit; germinat, & efflorescit in opera virtutũ.

Ex Sermone de Calamitate.

Deus minando monet ne minas effectu compleat.

1 DEi pietatem in ipsa comminatione ostẽdit. *Propterea Deus minatur, vt non inueniat quos puniat. si damnare vellet, taceret. nemo volens ferire dicit: Obserua.* notabile dictũ; quis enim aduersarij iniuriam vlcisci volens, dum gladiũ acuit, dirigit sagittam, si velit ferire, dicit: caue. at de Deo dicitur: *Dedisti significationem vt fugiant à facie arcus.* ideò consumpturus animalia per grandinem, monet Pharaonẽ per Mosen, vt Aegyptij consulant animalibus ante plagam. *Mitte iam nunc, & congrega iumenta tua, &c.* quis non incredibilem pietatem miretur; quis non videat Deum nolle vindictam?

Cur diues à Lazaro solam guttam aquæ petiit.

2 Exponit illud. *Mortuus est diues, & sepultus in Inferno.) Nam pauper fortè nec sepultus. desiderauit guttam, à quo ille micam. voluit subueniri fratribus suis semper vecors, serò misericors.* acutè diuitem carpit: non ausus est nisi guttam tantùm poscere, quia vel micam negarat. serò autem misertus est fratrum; nam viuens debuit eos exẽplo, & monitis iuuare. irẽ nota Lazarũ insepultũ fortasse relictũ; ac proinde ijs q viuẽtis lingebãt vlcera, canibus obiectũ ad pastum, ideo Angeli eius curam funeris susceperunt. acutè quoque ostendit, cur Lazarus in sinu Abrahæ sit exceptus: *Abraham opulentissimus fuit auri, & argenti possessione; sed diues iste pauper fuit, quia humilis fuit.* notabile dictum. posset enim aliquis mirari, quæ connexio, & cognatio Lazari pauperis cum Abraham diuite? nempè & Abraham inter diuitias pauper fuit, qui adeò has contemnebat, vt vitam ipsam vnigeniti hæredis contemneret: ideò vt pauper tam amanter amplexus est pauperem.

Paupertas esse potest in diuite si humilis.

Mundus amarum poculum propinãs suis.

3 A Mundi amore nos auocat. *Amarã potionem Mundus suis dilectoribus propinat. amarus est Mundus, & diligitur: putas, si dulcis esset, qualiter amaretur?* huc refero illud. *vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi.* & mulier illa voluptatis typus ipsamet fatetur: *Asperſi cubile meum myrrha, & aloe.* certè Adonis Veneris amasius Myrrha genitus fingitur. prouidẽtiæ igitur Dei acceptũ referre debemus, vt mũdani amaritiem sentiant, ne Mundo adhæreant; nec tamen inde proficiunt.

4 In communi calamitate, animarũ potissimum interitum deflendum dicit. *Facta nuper barbarorum excursione, in ista vastatione cognouimus sine Sacramento baptismi ereptos è vita. quid luctuosius? quando sic exarsit ira domini, vt qui pro nobis filium tradidit, nec pretium tanti sanguis attenderit.* pondera dictum; propter peccata vastari regiones bello, & multos permitti malè interire, Deo tam irato, vt filij sui sanguinem, quo nihil pretiosius, ac sibi charius, non videatur attendere, peccato quasi aliò Dei cogitationem auertente, ad pœnam uidelicet. & uide quàm deflendus sit infans moriens sine baptismo, qui tamen pœnam sensus non incurrit æternam. quibus igitur lacrymis de flẽdi, qui moriũtur in peccato lethali, & priuãtur pretio sãguinis Christi, rei gehẽnæ?

Calamitatis publicæ causa peccatum

5 Nemini de impunitate fidendum ait, exponens Christi dictum: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus peccatores fuerunt, quoniam talia passi sunt? non dico vobis, sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* de turri loquitur, quæ cadẽs Galilæos oppresserat, cum non deessent in ea urbe alij sceleratiores; nec tamen ideò sibi præsumant, inquit, quia non puniuntur, nam opportunè digna eos supplicia corripient, tantò seueriora, quantò æternitas est tempore potior. non igitur nos meliores putemus, quod cum hoc tẽpore tota penè Europa quà bello, quà fame, quà peste tabescat, hæc urbs tantorum malorum non sit particeps.

Impunitati minimè fidendum

Ex serm. de Passione Christi.

In Christi morte naturæ commotio.

1 DE Christi passione sic eleganter, ac piè. *Ecce inebriatur felle dulcedo; addicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo. expauit scelus hominum Natura rerum; & cœli Regem Sol fugiens confitetur. clamyde coccinea induitur, quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur.* meritò naturam expauescentem facit, dum auctorem suum uidet illudi, cruciari, mori. meritò Sol fugiens quodammodo hominibus ingratis lucem, uitamque denegare conatur. in primis illud pulchrè dictum; clamydem coccinei coloris, qua indutus est Christus, fuisse figuram militaris uestis sanguine Martyrum imbutæ, qua ornanda erat Ecclesia. chlamys enim uestis est militaris. coccineus color sanguinem refert. ita Christus omnium Martyrum exercitum in se repræsentauit, quod illis fuit ad honorem simul, & ad exemplum, atque solatium passionis.

Christus in coccinea chlamyde agmen militare Martyrũ exprǽsentabat.

2 Singulis Apostolis singulas symboli partes attribuit. uide fusè. non est autẽ omit-

Suscepturi baptismum competitores vocari.

omittendum quod ait, *competentes*, vocari solitos, qui suscepturi erãt baptismum; puto ita dictos tanquam ad gradum aliquem dignitatis aspirarent: propriè enim competitores dicebantur, quibus certamẽ erat in assequendo magistratu, vel alio honore magni momenti.

Vxor Pilati ab Angelo flagellata, monet Pilatum.

3 De vxore Pilati sic. *Verberatur in nocte, admonet virum in die*. notabile dictum, verberibus videlicet veris ab Angelo, vt mox indicat idem Augustinus, noctu flagellata est, nempe vt admoneret virum de Christo non flagellando: *nihil tibi, & iusto illi, multa enim per visum passa sum hac nocte*. vbi illud nota; in Mundi creatione vxor consilium criminosum dat viro, at in restauratione pium. sed mira peruersitas Pilati ex timore orta ne offenderet Cæsarem, quod post auditum hoc vxoris monitum de sua flagellatione. *Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur*. tanti causa mali est politica, vt dicitur, ratio status.

4 Docet, cur in morte Christi tenebræ factæ sint. *Sol occidit sacrilegis, vt spectaculũ obumbraret funestũ*. adeò Sol quasi oppassũ velũ se opposuisse visus est, tenebris inductis, ne Dei filius nudus appareret, & turpis pallore mortis; cum non multò ante Sol ipse in Tabor monte Christum ipsũ induisset. scilicet tum pulchritudinem eius luce sua palam detexit; postea ignominiã subtracta luce contexit.

Sol velut oppassum velum tenebris tegẽs Christi nuditatem.

5 De filio hominis olim in fornace viso sic. *In flammis cum tribus pueris apparuit, qui postea paruulus dignatus est nasci*. Vides Dei filium iam tum prælusisse quodammodo natiuitati suæ, ac pueritiæ, cum inter pueros se inseruit, fortasse etiã pueri specie, sed blãdè diuini, ad saluandũ iam tum accinctus. videtur enim his verbis indicare Augustinus, illos ætate pueros fuisse, inter quos se inseruit. inter pueros olim in flamma, postea ipse puer in præsepis gelu: quanquam non minus, quàm antea in fornace, sed amoris.

Cur filius hominis in fornace inter tres pueros visus.

6 De Susanna hæc inserit. *Iudicem meretur castitas Danielem puerum. multum pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promeretur*. pulchrè adnotat de Dei prouidentia, quæ pudicitiæ causam commisit iudici pudico. Iudex igitur ea in re, de qua est iudex, integer esse debet, vt si de pecunia domino restituenda lis sit, abstinens ipse esse debeat à pecunia, sic in ceteris.

Causa pudicitiæ in Susanna Danieli pudico recte commissa.

7 Expendit verba Danielis. Ait Daniel. *Mundus ego sum à sanguine huius, idest Susannæ. ait item Pilatus: Mundus ego sum à sanguine huius, idest Christi. eadẽ sententia absoluta est pudicitia, qua est absoluta iustitia; sed illa peccantis populi confutauit errorem, hic sacrilegium confirmauit*. Vide quid faciat intentio. huius ratio semper habenda.

Intentio sub iisdẽ verbis bona potest esse vel mala.

Ex Sermone de Latrone.

1 PVlchra hìc habet de latrone. *Sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus. solus testis est maiestatis, qui socius est doloris. illuminarat, credo, nascentem fidem latronis iam credentis in Christum propiùs corpore admota diuinitas, quæ se largius momento illo pro peragenda redemptione infuderat*. mira sanè fides. tunc maiestatem agnoscit, cum videt opprobria. tum illud nota: cum Christus vberius fundebat sanguinem in cruce, tunc vberius fundebat gratias vel in reos. cum sitiebat, tunc fons largior donorum manabat.

Latronis Christum in cruce agnoscentis egregia fides.

2 Acutè adnotat verba latronis. *Non dixit: si Deus es, de præsenti supplicio eripe me; sed de futuro iudicio libera me*. certè præclaræ virtutis indicia sunt hæc verba. nam si Christus adeò probauit fidem quorundam, vt Centurionis, & Chananææ, qui tantum temporalem petebant salutem. quid dicemus de latrone, qui cum esset ipse in cruciatu, tamen temporali vita postposita, solum de æterna sollicitus hanc petijt? Nota etiam interpretationem illorum verborum: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum: hoc est de futuro iudicio libera me*. regnum quippe appellat illud in resurrectione futurum quod petimus, cum dicimus, *Adueniat regnum tuum*. egregiè ait: iudicem comprobat, quem iudicatũ videbat, vt reum. quod si vt iudicem metuit in ipsa cruce damnatum, quem terrorem incutiet cum tribunal malos iustè damnaturus ascendet? est porrò admodũ notabile iuxta hanc interpretationem, latronem contentum fuisse vsque ad iudicij diem extremum, quando eius regnum adueniet, purgatorij igne cruciari. modò vltimam illam sententiam perpetuæ damnationis effugeret. huic igitur tam longæ expectationi, respondet munificentissimè Christus: *hodie mecum eris in paradiso*. vt igitur effugiamus purgatorij ignem, Christo compatiamur crucifixo, & nos longissimis pœnis putemus dignos, vt quàm celerrimè præmia ille rependat. hac de re mox fusius.

Latro in cruce de iudicio sollicitus.

3 Inter Martyres hunc latronem recenset. *Et si pœna cœperit in latrone, noue genere consumatur in Martyre*, mira mutatio: initio cruciabatur vt latro, post testimonium Dei filij, vt martyr. magna dignitas. mortem, & agonem Christi primus piè sociauit in pœna, triumphum primus in laurea.

4 Eleganti, ac pulchra prosopopeia

vtitur.

vtitur. Videtur quodammodo Christus sic allocutus latronem: *Quid me, fidelissime comes, & vnice tanti testis triumphi, quid me tantopere exorandum putas, vt in die iudicij meminerim tui? quid me ad præsentem retributionem peccati paratum in tem pora tàm longa dissimulas? Hodie mecum eris in paradiso; patet sedes expulsi Adam, innumeris populis te introeūte reserabitur: ingredere illuc primus, sed ingressu feliciore quàm primus. nullam arborem pertimescas. ego ero tibi illic victus, & vita, &c.* Vide vt Christus inter tot crucis dolores munificentior fuerit in benefaciendo, quàm auderet latro ipse postulare. hic beneficiū regni Dei vsq; ad diem iudicij differebat, contentus tot seculis cremari purgatorij flammis, modò effugeret in iudicio damnationis sententiam: Christus statim applicat beneficium: *hodie mecum, &c.* præclarè latronem appellat Christus, *testem sui triumphi*: non enim tanquam captiuū in triumpho catenatum duxit, sed sibi sociauit in præda, dum Inferos spoliaret, mox in suum regnum cum spolijs intraturus. Denique acutè latronem cum Adam confert; nam & Adam latro fuit subrepto pomo vetito. paradisus latrone primùm intrante reseratur, qui per illum quasi latronem fuerat obseratus. ita sanctus hic latro, ac felix; quasi signifer, & dux ceteris fuit eò intraturis; nec aliud huius nominis remansit, nisi quod lateri Christi comes adhæsit: latrones enim quasi laterones dictos principum stipatores ait Varro.

Latro cōtentus vsque ad diem iudicii purgatorīū perferre.

5 Concludit de Christo inter latrones. *Positus in patibulo Christus arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, suscepit confitentem. credamus in maiestate iudicaturum, quem iam in cruce videmus exercere iudicium.* Vides Christum in cruce ipsa, quasi in quodam tribunali exercuisse iudicium, positum inter duos hosce latrones, malum, & bonum, quod postea facturus inter hædos, & oues. huc refero quòd in peruersam Iudæorum nationem dicitur: *erit vita tua pendens ante te, & timebis die, ac nocte.* quod de Christo in cruce pendente Patres intelligunt. cruciatur quasi reus, sed terret vt iudex. quod erit tribunal in throno sedentis, si tam metuendum de cruce pendentis?

Christus de cruce quasi tribunali sētentiam dat latroni.

Ex Serm. de Passione Christi.

1 DE prodigijs in morte Christi sic. *Ipsa irrationalis creatura motibus suis Deum loquitur, ac Natura velut in vindictam auctoris armatur. concutitur terra, quasi quæ crucem domini vix sustineat; & vt nascentis gloriam tota cœli facies noua luce testatur, ità crucis iniuriam nouis tenebris detestatur.* Nota cur tellus intremuerit: sustinere non potuit tantum pondus crucis, vnde pendebat tā ingens pretium, ac tanti beneficij onus. quo refer illud prophetæ: *Onus verbi domini, dilexi vos.* cui iunge illud Ioannis: *sic Deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Subiungit item eleganter de Solis eclipsi: *Dies refugo lumine tenebrarum habitu more lugentis induitur.* nempe luctum & squalorem, quasi nigri syrmatis ob Christi mortem dicit, vt indicet quid rationalis creatura, pro qua moritur, agere debeat.

Cur terra tremuit in Christi morte.

2 Pretium sanguinis Christi perpendit *Agnoscat homo quantum valeat, & quantum debeat; & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat.* rectè sibi ipsi magnam iniuriam facere dicit, qui se per peccatum vt vile mancipium vendit, iuxta illud: *venundati estis in iniquitatibus vestris.* cogitet autem, quanto pretio sanguinis à Dei filio sit redemptus. huc spectat quod addit. *Qui extra coniugem suam per mortiferos errat amplexus, reus erit æternæ mortis, quia vilem in se habuit sanguinem Redemptoris.* Vide, vt per libidinem maximè iniuria fiat sanguini Christi, quasi parui æstimet tantum pretium pro se solutū, quia vilissimę voluptati dominæ se tradit.

Peccator vilem se sponte facit.

3 Peccatoris incuriam carpit. *Puto quia magna iam sit peccati pœna, metum, ac memoriam futuri perdidisse iudicij.* Notabile dictum. hoc ipsum in pœnam permitti, iudicij vltimi pœnas non attendere. huc facit quod monet: *Vitemus voluptatis incendia. hæc qui agit de stipula, & lignis iniquitatis perpetuos sibi succendit ignes, & nunquam extinguendos continuat vapores.* en quid agit peccator; sibi ipse rogum accendit; voluptas ipsa, & peccatum stipula, & lignum est statim concipiens flammam nempè aridum, huc refero illud prophetæ *ambulate in igne, quem accendistis.* hoc est recogitate, & horrete peccata vestra, quibus æternum vobis accenditis ignem.

Pœna magna peccatoris non recogitare iudicium.

4 Rursus affert illustre alterum latronis elogium. *Latro nec religionem antea, nec Christum sciuit; quod si sciuisset, fuisset fortitan inter Apostolos, nec postremus in numero; qui prior factus est in regno.* egregia laus accedētis ad Apostolorū excellētiam. quantum decus, primum regnare cœpisse cum Christo? scilicet ob ardentem zelum in ipso prædicando, ceteris pauidis, ac silentibus.

Latro primus in regno ac pene nodū Apostolis.

5 Acutè, ac pulchrè de vxore Pilati. *Nihil tibi, & iusto illi; multa enim sum passa hac nocte propter illum.* In natiuitate *Mundi vxor ducit virum ad mortem; in passione Christi, vxor virum prouocat ad salutem. illic serpentis subtilitas præcipitat, hic terror Angelicus reuocat; vt inde incipiat*

Vxor Pilati Euæ præfertur.

piat

piat venia, vnde videntur prorupisse peccata. Vides in Christi passione tanquam in Mundi renouatione mutationem. à muliere olim peccatum prorupit, vnde mors Christi consecuta: mulier nunc conatur impedire Christi innocentis necẽ: mulier tũc virum in scelus induxit, nunc reuocat: mulier tunc seducta est insana persuasione Diaboli, nunc ipsa consilium sanum dat. denique ibi serpens blandimentis vtitur, vt perdat; hic Angelus terr re, vt saluet. vbi etiam aduerte quod supra dixit idem Augustinus: *Pilati vxor verberatur in nocte.* fortasse veris flagellis verberata est ab Angelo, vt moneret Pilatum & reuocaret à flagellando Christo; quod tamen consilium ille spreuit, siuè muliebre phantasma ratus, siuè clamore populi territus. considera item, Angelos domini sui obseruantia, & pietate motos eripere conatos illũ de morte; nam ad Christi mortem pertinet illud: *Angeli pacis amare flebunt* denique notabile est, quòd ad Christum occidendum vilis ancilla, quæ Petro insultauit, operam suam nauarit, contra verò ad eum liberandum nobilis præsidis coniux.

Colaphus impactus Christi faciei cœlo detestabilis.

6 De Christo moriente admodum eleganter, ac piè. *Cœlum non est quietum, cum caput domini colaphis verberatur. non urta cœlestis cœlo contenta permansit. cœli luminaria conturbantur; & de stationibus suis stellæ sulphureæ cadunt in lapsum. scinduntur montis sacrati petræ; solus Petrus in mollem, tenuemquè arenam soluitur.* merito illud in primis dolet, quod Christi veneranda facies sit colaphis percussa; & vt in græco est, crepidis percussa, quo eam etiam conculcare visi sunt, scilicet hoc rependentes ob beneficium, quò in deserto, *pedes eorum non sunt attriti*. illud pulchrè dictum, *cœlum inquietum*, & paratũ ad vindictã de domino suo; ac nisi hic à patre veniam poposcisset, curia cœli ad sententiã in percussores ferendã aduolasset. ipsa astra, quæ dicũtur naturæ igneæ, sulphuream etiam induissent ad eos consumendos, non expectantes Inferos aperiri sulphureo igne flagrantes. illud quoque acutè dictum, & grauiter; in Christi passione ipsę petræ videntur indoluisse, at Petrũ quod fundamentum solidum futurum erat Ecclesiæ, tanquam in mollem arenam metu dissolutum; quanquam postea hæc arena mare lacrymarum resorbuit.

Poculum Christi sanguinis antidotũ veneni serpentis.

7 Diabolum Christi morte deuictum sic eleganter vrget; *Ille sanguis, quem effudit, te vicit, me redemit; illum bibo, & veneni tui perniciem vltra non timeo. præualuisti in paradiso, sed victus es de patibulo. quid mihi circumuectam paradiso igneã rhomphaam opponis? ecce exaltati crucifixi profluens vnda restinxit versatilem flammam.* Vides poculum Christi sanguinis pro antidoto veneni antiqui serpentis datũ. vicit inter delicias in paradiso, victus inter acerbissimos cruciatus in Caluariæ monte. præclarum autem est quod ait, per vndam illam, quæ profluxit è Christi latere, & corde, restinctum ignem, qui impediebat aditum ad paradisum: opposita igitur est lancea educens vndam, gladio exagitanti flammam.

Mira vis fidei in latrone.

8 Redit ad latronem. *Magna latronis fides, qui dominum tunc non mortuos suscitantem, sed morientem agnoscere, & confiteri promeruit: ò latronem laudabilem, mirabilem; sequientem gladio, violentum cœlo, rapinis inhiantem, fide feruentem.* eleganter dictum, pende singula, in primis admirabilem fidem, quod confessus sit Deũ, & vitæ fontem Christum, non cum alios mortuos suscitabat, sed cũ ipse moriebatur.

Christus medicus tacta vena cordis peti præcognouit.

9 De Petri negatione sic pulchrè. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.) Verus, & cœlestis medicus venam cordis inspexerat, & qua hora infidelitatis frigus venturum esse præuiderat. medicus prædicebat, & ægrotus negabat.* mirum est quod ait. Christum in ipsa passione, cum mox totus vulneribus lacerandus esset, medici munere functum in Petro sanãdo. & acutè illud, *calefaciebat se ad ignem*, refert ad ipsum ægrotum infidelitatis frigore correptum. præuiderat vt peritus medicus, *inspecta vena cordis*. proinde ex ipsa vena cordis lacrymæ tanquam sanguis doloris compunctione missus est.

Petrus signifer fidei, signa deseruit.

10 Petri periurium amplificat. *Nondum te, Petre, aduersarius traxit ad publicum; non Scriba te, non Centurio, non speculator, qui possit formidinem auctoritate sua incutere, interrogat. mulier te simplici voce interrogat, & fortasse nec prodituræ confessum; nec verò tantùm mulier, sed puella, sed ostiaria, vile proculdubio, abiectumquè mancipium, &c.* tum hoc ad nostram cautelam, metumque refert. *edoctus es in Petro; quemadmodum dominus illum fidei, pietatisque signiferum, & generis humani columnam permiserit metu dominante quasi ri, vt populorum doctoribus, & magistris esset exemplo, à Deo sibi non peccandi gratiam minimè condonatam.* nota egregios Petri titulos, dum vocatur, *Signifer pietatis, ac fidei, columna humani generis*: tamen & signifer signa deseruit, & columna contremuit, vt prælatos doceat peccatoribus cõpati. *Cõsiderãs te ipsũ, ne & tu tenteris.*

11 Arguit dedignantes viros nobiles hoc agere, quod Christus pedes lauando. *Mala nobilitas, quæ se per superbiam apud Deum reddit ignobilem.* nota paradoxum: humilitas nobilem facit, superbia ignobilem. admirabilis in hoc genere Franciscus Borgias Candiæ dux fuit, vnus ex Hispaniæ purpuratis, qui nobilitatem auxit ad infima

infima, ac vilia omnia ministeria descendendo, postea quam relicto Mundi fastu minimæ nostræ societati Magnus nomen dedit.

12 De agro empto ex pecunia Iudæ sic. *Diuina prouidentia factum est, ut pretium Saluatoris non peccatoribus sumptum praberet, sed peregrinis requiem subministraret; vt iam exinde Christus, & viuos sanguine passionis redimeret, & mortuos pretiosa possessione susciperet.* Vide pietatem, & clementiam Saluatoris. proditoriam ipsam pecuniam sibi ad cruciatum, alijs ad quietem, & sepulturam impendi voluit. Tum rem interpretatur. *Ager figuli Mundus est, nos tanquam sine domo, & patria exules; istos autem peregrinos, quos esse dicamus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes sæculo, & nihil possidentes in Mundo in Christi sanguine requiescunt?* Magnum religiosis solatium. pretium, quo Christus est emptus in redemptionem, ad religiosos maximè pertinet; peregrini sunt, nihil in Mundo possident, ager ad eorum requiem assignatur, qui florentes, & frugiferi sunt virtutibus.

Ager emptus in sepulturam peregrinorum ad religiosos pertinet.

13 Quærit, *Cur Christus in altitudine crucis immolatus? ob hoc scilicet, vt aeris naturam mundaret; aer tunc purgatur, terra etiam purgatur, quia stillabat sanguis domini super eam.* hic libet exclamare. hem quid nos iterum aerem inquinamus? quem scilicet ducimus, & reddimus ex inquinato corde, per peccata. terram etiam diuino sanguine aspersam inquinamus, dum ea abutimur ad irritamenta voluptatum.

Cur Christus altè in cruce sit mortuus.

14 Nullos iam Ecclesiæ limites esse dicit. *Propterea extra muros Christus hostia offertur, quoniam communis est hostia pro humano genere oblata.* Vide latitudinem charitatis: vt non pro vna vrbe, sed pro toto Orbe se deuotum indicaret, & vbique illud sacrificiũ recolendum. Deinde ait: *Ideò in vno loco antea Deus praecepit offerri sacrificium, quia immunda erat vniuersa terra; sed posteaquàm Christus eam expiauit, omnis locus oratorium factus est: Volo, inquit, vos orare in omni loco.* pulchrè dictum: *Omnis locus oratorium factum est*: quasi totus Orbis templum quoddam sit factum, & consecratum, vt vbiuis altare iam esse possit, cum antea non nisi Solymæ esset: quod nostra ætate maximè perfectum gratulamur.

Cur Christus extra vrbe immolatus.

15 Ad latronem rursus eleganter transit. *Hodie mecum eris in in paradiso.) Quid dicis? cruci clauis confixus es, & paradisum promittis?* subiungit, *Eodem tempore passionis saxa dirupit, duriorem verò lapidibus animam attraxit pariter, & honorauit dicens; Hodie mecum, &c.* Videtur per hoc indicare, quod nonnulli alij putant, initio & hunc latronem blasphemũ fuisse, quippe dicitur, *id ipsum, & qui crucifixi cum eo erant, improperabant ei.* sed postea cum lapides commoueri, & scindi cœpere, etiam & hic latro, qui lapideus, ac durus erat, in se mutationem sortitus est. quod autem ait. *Duriorem lapidibus animam attraxit.* Notandum est Christũ in cruce extentis neruis instar citharæ fuisse, hic igitur verè saxa ad se attrahere dici potuit: certè Clemens Alexandrinus Christum cum Orpheo aliquando cõfert.

16 De latronis item conuersione sic. *Nemo Regum aliquando passus est latronem secum assumens in Ciuitatem introduci; Christus hoc fecit, sanctissimam ingrediens patriam; non conculcans paradisum istius pietatis opere, sed honorans; neque confundens latronis introitu, sed illustrans. honor namque paradisi est talem dominum habere, qui etiam latronem dignum facere possit paradiso. sic etiam cum meretricem publicam introduxit in regnum cœlorum; quemadmodum medicum tunc maximè admiramur, cum videmus difficiles ægritudines curantem.* rectè adnotat, alios Reges possessionem regni inituros, vel triumphũ acturos, probro sibi ducere consortem eius honoris latronem habere, quod Christo decori, est quia potuit eum sanctificare, & omnem eius infamiam abstergere. item hoc notabile, introitu latronis honoratum paradisum fuisse, quia in ciuem adoptabat eum, à quo cœli dominus spretus ab alijs, confessione fuerat honoratus: quod ad ceteros peccatores conuersos refer.

Decus Christo fuit latronem secũ in triumpho ducere.

17 Pergit in laudatione latronis. *Audisti philosophantem in tribulatione, & reuerentiam diuini timoris in supplicio? doctor effectus socium corripit: Neque tu times Deum? &c.* pulchrè dictum. latro idiota, & rudis, vbi Dei filium, qui est patris sapientia, confessus est, philosophus euadit, ac doctor, & de cathedra crucis Dei timorem docet, qui est initium sapientiæ. Idem sic eleganter exponit. *Vidisti philosophiam latronis? vidisti intellectum, & doctrinam? subitò, in ictu oculi de cruce in cœlum transiliuit.* mirum sanè. nam ad latrones maximè pertinet illud. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* at nunc beneficio sanguinis Christi latro velocissimus euadens transilit in ictu oculi de Cruce ad cœlum. quibus passibus hic gigas tantum spatij percurrit, etiam cruribus fractis?

Latro de crucis cathedra philosophatus.

18 Latronis verba perpendit: Non enim solùm de socio ait. *In eadem damnatione es. sed addit, & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.* agnouit se ipsum cruciatu, & morte dignum ob peccata, licet se pœnituerit. Deinde miratur

Aaaa quod

Latro Christum regem fassus ob regum crucis signū.

quod ait: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum;* Dicito mihi, latro regnum petens, quid in eo tale vides à quo petis? clauos, & crucem cernis; sed hæc, inquit, crux ipsa insigne regni est, opus enim regis est, vitam ponere pro suis. pulchrè dictum in cruce maximè Christus Rex apparuit, quia regium est mori pro suis. crux insigne regni, & quasi sceptrum fuit. tum vide quantam fiduciam latro conceperit, & quò aspirarit; scilicet ad Regni possessionem, qui vilibus versatus erat in furtis. tam egregios, ac nobiles concipit spiritus, qui Christo adhæret.

Sol in iudicio obscurabitur victus splendore crucis.

19 Extremi iudicij signa perpendit. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.) tanta enim erit eminentia splendoris in Christo, vt etiam clarissima cœli luminaria præ fulgore diuini luminis obscurentur. tunc stellæ cadent, cum apparebit signū filij hominis. considerasti quanta vis sit huius signi? Sol obscurabitur, & Luna, &c. crux vero fulgebit, & obscuratis luminibus cœli, delapsisque sideribus, sola radiabit.* Vide excellentiam crucis, obscuratus est olim Sol, ne crucis humilitas appareret; tunc obscurabitur cum ceteris sideribus, vt sola crux radiet; ac Mundus non aliunde lumen accipiat, quàm à cruce, his addit. *Quid miraris, si crucem afferens veniat? ibi & ipsa vulnera ostendet: Videbunt, inquit, in quem transfixerunt. & sicut rex ingrediens ciuitatem, præmittit vexilla regalia, ita tunc dominum præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud, id est triumphale vexillum sublimibus humeris præferent.* eleganter ait, in iudicio Angelos fore signiferos, seu vexilliferos: ita crucem, quam Christus humeris humiliter inclinatis tulit, ipsi *sublimibus humeris* ferre gestient.

Cur Christus de cruce nō descenderit vt Iudęi suadebant.

20 Arguit Iudæorum dictum *Si filius Dei es, descende de cruce.) sed propter hoc non descendet, quia filius Dei est.* plus fuit de monumēto resurgere. acutè notat, maximum diuinitatis argumentum esse pietatem, ut susceptam carnem sponte deuouerit morti pro nobis.

Ex Serm. de sepultura Christi.

1 DE Christi sepultura sic. *Vidit linteamina posita,) reliquit terræ exuuias vitali iam corpore induta maiestas,* eleganter dictum. addo; Elias quoque in illa gloria sui raptus, pallium humi reliquit. Tum pulchra collatione sepulchrum ipsum exornat. *Ipsam Christi sepulturam vuluam dixerim. Virgo est vulua, & virgo est sepultura, nempè in qua nondum quisquam positus fuerat. religiosior est planè ista, quàm illa natiuitas. illa cunctorum spem tardius protulit, hæc omnium salutem citius suscitauit. dico non minorē affectum fuisse Ioseph, quàm Mariæ: illa vtero dominum, hic corde concepit; illa pannis inuoluit, hic linteis; illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. conueniunt ergo sibi obsequia, conueniūt & affectus.* elegans amplificatio, & collatio inter Mariæ vterum, & sepulchrum à Iosepho datum. intactus vterus, ità & sepulchrum, immò hoc celerius in reddendo Christo, nam vterus post nouem menses, sepulchrum post triduum. habet autem aliquam proportionem vterus cum sepulchro; nam Troglodytæ eodem gestu mortuos sepeliebant, quo est infans in vtero, conglobato videlicet corpore, facie intra genua: quod multò magis ad rem nostram facit, quippè qui credimus, è sepulchro tandem tanquam ex vtero renasciturosi iuxta illud Iob. ex 70. *expecto donec veniat natiuitas mea,* vbi legitur; *immutatio mea.* Nota etiam amplificationem illam de Iosephi pietate, quæ cum ipsius matris quodammodo certaret. Denique illud in primis nota, quod ait à Ioseph aromatibus perunctum in morte, à Maria oleo perunctum in ortu; *Illa perunxit beatum corpus oleo,* fortasse de vetusto more accepit hoc Augustinus. certè in eius natiuitate fontem olei manasse traditio est. inunxit ergo Maria Christum recens natum oleo vel vt regem, vel vt athletam, vel sicut à patre Deo vnctus est oleo lætitiæ præ participibus suis, ità & à matre oleo misericordiæ.

Sepulcrū Christi cum Deiparę vtero collatum.

Deiparæ & Iosephi obsequia in Christum vel natum vel sepultum inter se collata.

2 Item de Christi sepultura sic. *Ideò Saluator in alieno ponitur sepulchro, quia pro aliena ponitur salute; vt quid ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat?* nempè mors ipsa non pertinebat ad Christum, nisi nōstra causa. sicut igitur mors non ei erat propria, ita nec sepulchrum.

Cur Christus in alieno sepulchro positus.

3 Rectè interrogasse dicit Magdalenam, *Si tu sustulisti eum.) Nam ipse tulit corpus suum, qui illud protulit de sepulchro, & qui illud diuinitatis virtute gestans portauit in cœlū.* acutè verba Magdalenæ perpendit, *si tu sustulisti eum,* nam licèt ignara, loquebatur cum Christo, qui sua virtute proprium corpus sustulerat de sepulchro.

Magdalenę dictū ad Christum resuscitatum expenditur.

Ex Sermone de Paschate.

1 PAschalia sacramenta admodum eleganti sermone commemorat. *Magna sunt paschæ mysteria, quorum religio sincera velut quædam vela mirè tecta sanctitatem in abditis occulebant. hanc artifex non terrenis coloribus, sed cœlestibus*

Clypeus deuotionis aureus à Deo cœlatus & in corde consecratus die paschatis

bus virtutibus, clypeo deuotionis auro coruscãte depinxit; & animum tenaciter diligens in ipso templo humani corporis declinauit, & amorem eius in corde conclusit; & cum ille clarus rector astrorum, poli genitor, dux diei, luminis imperator interiector germinis, temperies anni cursum, & quadripartita temporum spatia compleuerit, diei huius solemnitatem docuit celebrare. pulchrè ait, Deum paschatis sacramentum tanquam artificem graphicè depinxisse, atque affabrè cœlasse in clypeo deuotionis aureo, ac dedicasse hunc in corporis nostri templo, vt vocat Apostolus; vt post Solis statum cursum pascha celebraremus. quod de aureo deuotionis clypeo dicit, dedicando post Solis cursum, & quadripartita temporum spatia, videri potest aliquo modo allusisse ad Homericum clypeum Achilli fabricatum, in quo Solis cursum, & quadripartita temporum spatia affabrè cœlata erant. aureum igitur hunc deuotionis clypeum in nobis habeamus, ac tãquam è templi tholo suspendamus, quem diabolus perhorrescat, igneis eius telis impenetrabilem. in triumpho Christi hodierno par erat hunc deuotionis clypeum aureum in nostro Capitolio dedicari. Vide item quàm eleganter Sol describitur, *clarus rector astrorum, dux diei, luminis imperator, &c.*

Post annunciationem Gabrielis Mundus vere dici potuit ab ornatu.

2 Quærit, quid sit: *Terra erat inuisibilis, & incomposita.) cui inuisibilis? Angelis, an hominibus? composita terra nõdum erat, quia nondum Gabrielis Archangeli annunciatio composita, necdum assumptione domini visibilis facta.* Notabile dictum; ante incarnationem *Mundus* verè κόσμος appellari non potuit, carens videlicet omni ornamento, & in tenebris iacens; sed cum primum Gabriele nuncio Deus homo est factus, tunc verè ornatus est Mundus, & verè visibilis factus, discussis tenebris.

Diei paschatis encomium.

3 Pergit item eleganter de paschate. *Videtur mihi hæc dies paschatis ceteris diebus esse lucidior, Sol Mundo clarior illuxisse; astra quoque omnia, vel elementa lætari. credit cœlum, credit terra; & sagena, quæ totum Mundũ piscata est, Iudæos tenere non potuit.* Vide quàm deceat, & hominem in melius mutari, & agnoscere beneficium, quod inanima ipsa quodammodo sentire videntur, iure autem carpit perfidiam Iudæorum non credentium, cum religionis sagena vbique iacta retulerit prædam, præter ipsos, tanquam in profundi maris arenam se abdentes pisces.

Paschatis dies excellit ceteris diebus vt Deipara ceteris fœminis.

4 De eodem die paschatis illustre quoddam addit elogium. *Quomodo Maria virgo mater Dei inter omnes mulieres principatum tenet; ità inter ceteros dies hæc pascha lis omnium mater est.* Nota miram huius diei excellentiam: sicut inquit, excellit Dei mater ceteras mulieres, ità hæc dies ceteros dies, qui ipsam agnoscunt vt matrem, sic eam verentur, &c. igitur eximia cum puritate hæc maximè dies transigi debet quasi virginea. ac certè eundem Dei filiũ nos excipimus pectore per paschale Eucharistiæ sacramentum, quem ipsa virgo Deipara olim vtero.

5 Quanto cum feruore sit hæc dies celebranda ostendit. *Hæc dies paschatis appellatur octaua, vnde inscribitur in quibusdã psalmis: Pro octaua. Iudæi in sabbato non accendunt ignem, nos in die domini, hoc est resurrectionis, accendimus ignem Spiritus sancti, &c. illi per diem sabbati non ambulant in itinere, perdiderunt enim eum, qui dixit. Ego sum via.* meritò ait, hac die maximè igne Spiritus sancti, hoc est eximia charitate nos flagrare debere, quia & *Maria* virgo, cui hanc diem comparauit, eo repleta est, concipiẽs Saluatorẽ. acutè autem Iudæos carpit sabbato non ambulantes, quia videlicet Christum, qui via est, amiserunt.

Dies Paschatis, cum charitatis ardore celebrandus.

6 Christum resurgentem, mortisque victorem à nobis coronandum dicit. *Iudæi de spinis dominum coronarunt, nos, si fuerimus lapides pretiosi, nostrum dominum corõnabimus. caput Imperatorum seculi istius ornat diadema, nos ideò in capite nostri regis imponimur, vt ornemur à capite.* Vide qua ratione spineam coronam à Iudæis impositam nos compensare debeamus, gemmato scilicet diademate. nos ipsi lapides pretiosi esse debemus. certè duodecim tribus significatæ sunt per totidem lapides pretiosos in pectore summi sacerdotis: quanquam nos potius ornamur, quàm Christo decus addimus. certè caput eius quod dicitur, *aurum optimum*, non nisi diadema gemmatum decet.

Christo resurgenti ex nobis ipsis gemmata corona conflanda

7 Effectum passionis Christi egregiũ commemorat. *Igneam illam rhompheam, & paradisi ianuam, quam nullus potuit effringere, hodie Christus cum latrone reserauit.* Notabile dictum, in parasceue Cherubim exarmatos fuisse igneo gladio. cesserunt scilicet Cherubim, à plenitudine scientiæ sortiti nomen, intranti rudi latroni. nimirum, vt supra dixit, hic veram philosophiã docuit è crucis cathedra erudiẽs socium, & adstantes. sed quid hoc admirabilius? qui effregerat alienas fores in terris noctu, nunc luce palam cum Christo effringit paradisi fores. qui ferramentis vsus ad furtum, huic gladius cedit ad præmium. tanta vis in gratia Christi, quem Deus est fassus in cruce.

Paradisi ianuæ effractę per ingressum Christi cũ latrone.

8 Acutè interpretatur illud. *Morsus tuus ero, Inferne.) ex eo quod mordemus, partem abstrahimus, partem relinquimus: Saluator ex Inferno partem abstulit, partem reliquit.* nempè ad Infernum pertinet etiam sinus Abrahæ, quia visione Dei carebant,

qui ibi erant: ex quo intelligi potest quàm præclara sit visio Dei.

9 Descensum Christi ad Inferos graphicè describit, ac Dæmones inducit de ingressu Christi sollicitos, sic inter se quærentes: *Si Deus est, vt quid venit? si homo, quid præsumit? cur in profunda caligine inuidum lumen apparuit? an fortè Sol de Mundo migrauit? astra non apparent, & tamen infernus lucet, etc.* pulcher dialogismus, sed Erebi turpium incolarum. contra verò ad Christi conspectum sancti Patres sic gratulantur: *Venisti post longas lacrymas cæli conditor; ad Inferos intrare dignatus es; in aduentu tuo catena nostra concidit, mors effugatur, posuisti titulum gloriæ in sæculo; pone signum victoriæ in Inferno, &c.* eleganter ait, quasi captiuorum catenas concidisse ad Christi conspectum, & titulum victoriæ in ipsis Inferorum ruinis collocatum.

Dæmonũ metus, & patrum gratulatio in descensu Christi ad Inferos.

10 Ad crucis decus hoc pertinet. *In illius cruce pretium nostrum pater suspendit, & regnum.* Crucem quasi statetam dicere videtur, in qua pretium nostræ salutis appensum; aut quasi paxillum, è quo penderent insignia regni. simile est illud prophetæ: *Ponam illum quasi paxillum, & suspẽdam in illo omnem gloriã domus Israel, etc.*

Crux statera pretij nostræ redẽptionis.

Ex Sermone de Resurrectione.

1 EXponens illud: *Infer digitum tuum, &c.* Thomam sic eleganter compellat. *Infer manum tuam, Thoma, lateri Saluatoris. tange vulnera, quæ peccata nostra fecerunt; Scrutare vnde sanguis effluit, vt nobis sanitatis poculum propinaret; intuere, Thoma, pretium nostrum, & in ipsis vulneribus thesaurum humani generis recognosce.* Vides è latere Christi nobis ægris sanitatis poculum propinatum. pulchrè etiam indicat, ferrum lanceæ, cum effodit latus Christi, effodisse velut in agro thesaurum; inde Thomas diues effectus. in vulneribus igitur Christi thesaurizare debemus.

Thomas Apostolus tangẽs Christi vulnera.

2 Philosophos, qui immortales animas censuerunt, licet in hoc ceteris meliores dicat, in multis tamen arguit, præsertim cum docent, malos in alia transmigare corpora: *Animas verò, qui bene vixerunt, ire ad superna cælorum, requiescere ibi in stellis, ac luminaribus ipsis; obliuisci omniũ malorum, & rursus delectari redire ad corpora. sed Apostolus ait; stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi.* nempe satis putabant ad beatitudinem requiescere in stellis, at calcaturi sunt stellas beati; immo, *fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum.* requies nostra non nisi in Deo est, qui condidit stellas. illud quoque arguit: *Perfecisse dicunt animam nescio quæ in alia vita peccata, vnde ista corpora velut carcerem meretur,* atqui non extitit quæ tunc primò infunditur corpori; vt benè operando, ambo veram acquirant vitam.

Anima iusti non requiescit in stellis sed in Deo.

3 De præsentia corporis Christi in Eucharistia hæc habet. *In apparitione paschali vbi voluit dominus agnosci? in fractione panis. noluit agnosci nisi ibi propter nos, qui non eramus eum in carne visuri, & tamen manducaturi eius carnem. consolatur te fractio panis. absentia domini non est absens. habet fidem, & tecum est quem non vides.* rectè adnotat, Christum agnitum in fractione panis, hoc est in mysterio Eucharistiæ; ibi enim illustrationes cœlestes habentur, iuxta illud; *Accedite ad eũ, & illuminamini.* huc pertinet quod addit. *Ideò dominus absentauit se ab Ecclesiæ corpore, ideò ascendit in cælum, vt fides ædificaretur.* Vide quid sit fides nostra: ingens ædificium erectum in sublime fastigium vsque ad Dei solium, atque conspectum. & quia stabilitas, ac firmitas in fide requiritur, tale hoc ædificiũ fieri oportet, quale illud, quod vidit Amos iuxta dictũ 70. *Vidi dominum super murum adamantinum, & in manu eius adamas.*

Christi agnitio fit in Eucharistia.

4 Peccatorem à terrenis auertit, exponens illud Apostoli; *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.) Quandiu lingis terram? amando terram, lingis vtique terram, & efficeris Dei inimicus, de quo dicit psalmus: Inimici eius terram lingent.* rectè admonet, paschali maximè tempore terram non lingendam esse; nefas est enim terrena auidè appetere, cum lingere datur ipsum Deũ in Eucharistia; quid suauius?

Terrena appetere est terrã lingere.

5 De pretio salutis nostræ sic. *Salutis humanæ, & Mundi rediuiua libertas non modica taxatione requiritur; sed Christi sanguine reparatur.* pende illud, *& rediuiua libertas per sanguinem Christi.* mirum sanè quod libertas per formam serui, & per mortui sanguinem reuiuiscit. Egregiè autem animaduertendum ait quanti redempta sit hæc libertas.

Christi morte sit rediuiua libertas.

6 Deus qualiter recognoscendus sit, docet. *Philosophi in ipso homine inuestigabant Deum. corpus videbant, non animum, & tamen discedẽte anima, quæ regebat, quod regebatur, cadit: inde cadauer dictum. adsunt aures, sed migrauit auditus; linguæ organum manet, sed abscessit musicus, qui mouebat: & quia animum etiam mutabilem videbant, modò nolle, &c. transierunt ad aliquid immutabile, scilicet Deum ipsum; sed euanuerunt, vt ait Apostolus, in cogitationibus suis, &c.* multa scilicet de Deo indigna sentientes. pulchrè animum musico simile dicit. organũ seu plectrum lingua est, corporis nerui chordæ. cui igitur lyristes hic, siuè citharœdus, animus scilicet, odas concinet, nisi factori suo?

Animus corporis citharœdus sine quo mutũ & inutile instrumentum.

7 Veterum philosophorum de anima opinionem arguit; qui sic disserebant.

Ani-

Animæ iustorum volant in cœlum; sedes eorum stellæ sunt. non malum habitaculum inuenistis; certè ibi illas dimittite, nolite illas deijcere: sed inquiunt, post tempora longa facta obliuione veterum miseriarum, incipiunt velle reuerti ad corpora. cur? quia obliuiscuntur; obliuiscuntur & delectationem carnis; hoc solum mali sui meminerunt, vnde ruerunt. veniunt, quare? quia delectat eas rursus in corporibus habitare. vnde delectat eas nisi per memoriam, quia ibi aliquando habitauerunt? rectè argumentando refellit. Tum his deliramentis siue somnijs sic illudit. *Horruit qui inducebat apud Inferos demonstrantem patrem filio suo; nostis enim propè omnes hæc, atque vtinam pauci nosceretis; sed pauci nostis in libris, multi in theatris, quia Aeneas descendit ad Inferos, & ostēdit illi pater suus animas Romanorum venturas in corpora. expauit ipse Aeneas: Quæ lucis miseris tam dira cupido? inquit: melius filius intelligebat, quàm pater exprimebat. reprehendit cupiditatem animarum rursus in corpora redire volentium. dixit, dira cupido, dixit eas miseras.* lepidè dictis illudit, ac pergit arguere. *cur hæc philosophi dicent? an quia non est sapiens, nisi ista sciat? ergo animæ in cœlo, quia nesciunt se in miserias relapsuras, non sunt beatæ, quia nesciunt; aut si sciunt, quomodo possunt esse beatæ?*

Animæ de stellis relabentis in corpus opinio taxatur.

8 Ex ipsorum gentilium verbis colligit, non redire animas ad corpora. *Dicunt amore corporum redire animas purgatas, at si sic amant; nonnè amor iste magnæ sunt sordes? sed corpus esse omne fugiendum, magnus eorum philosophus Porphyrius dixit, licet inimicus Christianis acerrimus, dixit tamen, corpus est omne fugiendum.* Vide vt gentiles ipsi animum à corpore abstrahendū putarint. est in quo erubescāt religiosi maximè

Animæ non relabuntur in corpus ex eius amore.

9 Aequum esse ait, vt & anima cū corpore resurgat. *In libris vestris lego, quia illa quæ prædicata sunt, debent habere subditum superat omnia Deus, cui cuncta sunt subdita; & anima si habet aliquem honorē apud Deū, debet habere aliquid subditum hoc est corpus.* acutè ostendit, corpus animo subdere, ad honorem, & decus ipsius animi redundare.

Corpus debet animę subijci.

10 Negat corpus nostrum esse natura malum. *Totum hoc vniuersum corpus ex elementis animal magnum dicitis, & ipsā animam Mundi vocari Iouem, vel Hecaten; quid est, quod dicebat Porphyrius, corpus est omne fugiendum? ego dico, beatas animas incorrupta corpora semper habituras; tu qui dicis corpus omne fugiendum, occide Mundum. tu dicis, vt fugiam de carne mea, fugiat Iuppiter de cœlo, ac terra.* falsè dictum. nam cum cœlum, ac terra corporea sint, si corpus esset natura malū, oporteret Deos ipsos, quos fingunt, inde repellere.

Corpus non est natura malum.

11 Ostendit, posse per Dei potentiam hominem nunc mortalem reddi immortalem. *Plato magister philosophorum in libro de constitutione Mundi dicit, stellas habere animas intellectuales; & stellæ corpora quædam sunt. inducitur verò à Platone Deus alloqui Deos, quos fecit, sic dicens: Quoniam estis orti, immortales esse, & indissolubiles non potestis. iam ad istam vocē illi intremiscere poterant; ergo vt eis auferret timorem, addit; non tamen dissoluemini, neque vos vlla mortis fata periment; nec erunt valentiora, quàm consilium meū. quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa, quibus colligati estis. ecce Deus securitatem dat Dijs à se factis immortalitatis, quod non relinquant globos corporum suorum, &c.* rectè ex gentilium ipsorum dictis arguit, dum Iuppiter fingitur Dijs etsi corporeis, donare immortalitatem, cur negant posse hanc à vero Deo nobis donari?

Immortalitas potest à Deo donari corpori.

12 Exponit Christi verba dicentis Petro, qui mori ipsum vetabat. *Redi post me, Satana.) Petrus Satanas? vbi sunt illa verba, Beatus es Simon, &c? nunquid beatus Satanas? beatus de Deo, Satanas de homine. quod ipse dat, exposuit dicens: Non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominis; ecce quomodo alternabat anima discipuli; quasi ex ortu, & occasu, modò illuminabatur, modò tenebrabatur: de Deo illuminabatur, de suo tenebrabatur.* pulchrè dicit Petrum versantem inter ortum, & occasum, lucem & tenebras. illud de Deo, hoc de nobis, vt & nostram infirmitatem agnoscamus & Dei gratiam commendemus.

Infirmitas ex nobis robur ex gratia.

13 Ad latronis laudes identidem redit: *Memento, inquit, mei, dum veneris in regnum tuum, &c. huic fidei quid addi possit, ignoro. titubauerant alij, qui viderant à Christo mortuos resuscitatos; hic confessus est, quia videbat ipsum morientem, qualem fructum Christus de arido ligno percepit? quando hoc speraret latro adductus de latrocinio ad iudicem, à iudice ad crucem, de cruce ad paradisum?* vide fructum passionis Christi mirè ex arido ligno decerptum cuius passionis ea vis fuit, vt latronem ipsum tam citò ab abiectissimo statu ad tā celsum gradum euexerit.

Latro pręcipuus fructus passionis Christi.

14 Eiusdem verba ponderat. *Latro non dixit: Memento mei, vt liberes me hodie, sed cum veneris in regnum tuum; idest si mihi tormenta debentur, vel quousque veneris in regnum tuum. non sic Christus; Inuenisti, inquit, regnum cœleste; credidisti, rapuisti, hodie mecum eris in paradiso.* pulchro dialogismo ostenditur, & humilis fides latronis, confitentis se paratum vsque ad iudicij diem tormenta pro suis peccatis sustinere, dummodò aliquando assequi posset consortium cum Christo in regno

Latro cō tētus erat vsque ad diem iudicij purgatorio cruciari.

gno cœlorum; quam moram Christus cōpensat statim pręmio, *Hodie mecum eris in Parad so.* hoc ipsum supra commendauit, vt indicium præclaræ fidei, ac virtutis. Illud quoque amplificat dictum: *Dum veneris in regnum tuum. Non solùm credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. credebat pendenti crucifixo, cruento ligno horrenti: Cū veneris, inquit, in regnum tuum; at discipuli: Nos, inquiunt, sperabamus, &c.*

Maius emolumētū est dātis eleemosinam quàm accipientis.

15 Ostendit, eleemosina magis ditari dantem, quàm accipientem. *Afferebat Heliæ coruus mane panē, ad vesperam carnes; & tamen quamuis non indigeret, mittitur ad viduam Sareptanam, vt pascatur. non defecerat ei Deus, vt ad viduam mitteretur; sed si Deus semper præberet panem, vidua vnde haberet mercedēm? mittitur ergo non indigens ad indigentem, non esuriens ad sitientem; modicum illa habebat quod consumptum erat, & moriendo defectura.* Notabilis locus de eleemosina. non mittitur indigens ad non indigentem, vt fit, sed contra; nam potius vidua erat indigens, quàm Elias, qui sine vllo labore quæsitis carnibus vescebatur. tātùm mittitur, vt vidua haberet materiem meriti. ceterùm Elias potius illam ditauit, eique subuenit multiplicando ei farinam, vt diuinam agnosceret, commendaretque prouidentiam.

Quid cogitandum danti eleemosinam.

16 Nemini de eleemosina data superbiendum ostendit. Dices; ego do, ille accepit. *fortè ille indiget tecto, tu cœlo. ille indiget pecunia, tu iustitia.* rectè monet, dum das eleemosinam, non debes putare tè diuitem, pauperem verò eum, cui datur; quia fortasse pauper diues est, si in gratia Dei est; tu verò contra, si Deo displices, verè pauper, & indigens es, non tecto cares, at, quod plurimi interest, cariturus es cœlo: non es vacuus pecunia, sed virtutibus, quæ animæ opes veræ sunt.

17 Arguit philosophos gentiles, negantes animam iusti vnà cum corpore regnaturam in cœlo. *Quomodo erit, inquis, terrenum corpus in cœlo? philosophi enim gentium illi magni dicunt, Mundum sic esse dispositum, vt ima sit terra, &c. si dicimus eis nostra corpora in terra esse victura, infideliter dicimus: certè cum corpore dominus ascendit in cœlum; sed illi garriant, nos credamus. non potest, inquiunt, esse terrenū corpus in cœlo. quid si hoc velit Deus? nonnè & tu paganus dicis Deum omnipotentem?* Affert iterum Platonis dictum de Ioue, qui pollicitus est Dijs immortalitatem, licèt corporei essent. Tum ostendit id probabile ex alijs rebus. *Quid si in humanis etiam lignum ad terram pertinens natat super aquæ elemētum? quid plumbum ipsum grauissimum? si accedat manus artificis, & fiat concauum, natat, supernatat super aquas. ergo non dabit Deus corpori meo quod dat artifex plumbo?*

Corpus in cœlum euehi posse probatur.

In sagena iudicij nō nisi pisces magni.

18 Quærit, cur in prima piscatione non dicitur: Mitte retia ad dexteram vel sinistram, at in secunda, ad dexteram? Nimirum post resurrectionem domini tunc *mittuntur retia, capiuntur pisces magni: quis est enim ibi tunc paruus, quando erunt ęquales Angelis Dei?* acutè adnotat discrimen vtriusque piscationis, vbi aduerte in sagena Christi, in quam iusti intrabunt in iudicio, non nisi magnos pisces fore; caueamus igitur ne parui inueniamur, ne paruo contenti simus in via virtutis. est hoc contra sæculares dicentes: sufficit me non esse homicidam, latronem, &c. at vide quàm altè spectandum, quò tendendum sit, nempè *vt simus æquales Angelis Dei.*

Cur in sagena capti 150 pisces.

19 Quęrit, cur centum quinquaginta tres pisces capti in sagena? *Quia nimirum decalogus continet tria præcepta de Deo; septem reliqua pertinent ad homines: est enim Spiritu sancto opus ad præcepta seruanda. si septem accedant ad decem, fit numerus decem, & septem. si computes vsque ad decem, & septem, sunt centum quinquaginta tres.* acutè animaduersum de numero. simile est illud quod obseruant nonnulli, tot mandata data fuisse Hebręis, quot Anatomici aiunt ossa in homine contineri. quò videtur spectare illud: *Serua mandata, hoc enim est omnis homo.*

Ioannis Euangelistæ sublimitas.

20 Initium Euangelij Ioannis extollit. *In principio erat Verbum, &c. Transcēdit nubes, transcendit & sidera, transcendit & Angelos, transcendit & omnem creaturam; peruenit ad Verbum, per quod facta sunt omnia.* Vide Ioannis altissimum volatum. fit gradus, & transitus ex nubibus ad sidera, ex sideribus ad Angelos; ex Angelis ad supremos Seraphim, ex Seraphim, omnibusque creatis ad Creatorem peruenit.

21 Paschatis tempus eleganter describit, exponens illud. *Nisi granum frumenti, &c. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.)* multò magis hoc in se ipso dominus operatur; & certè hoc verno tempore paschali: *Modò in germina erumpentis terræ tota hilarior facies, ballenus quasi mortuam rerum naturam resurgenti suo domino corresuscitat, vbi arborū & herbarum grata venustas, diuerso quidē germinum munere, pari tamen gestu lætitia singulari huius sollemnitati festiua occurrit. de cœli autem nunc vsque quodammodo tristi, tandem verò læta fronte quid dicam? ecce repentè quasi Iustitia de cœlo in terram prospiciente, serenitas Mundo arridet; & in vnam lætitiam cœli, ac terræ vota concurrunt, ut Deum, & hominem Christum communi exultatione accipiant.*

Vernum tempus aptè respondens resurrectioni Christi.

egregiè, ac pulchrè ostendit, tempus ipsũ vernum correspõdere paschali festiuitati; nam quæ per hiemem quasi mortua videbatur rerum natura, nunc ei resurgenti corresuscitari videtur, dũ tellus regerminat verna viriditate, & efflorescit: sicut & de resurrectione dicit in psalmo, *refloruit caro mea*. porrò telluri cœlum serenitate respondet. fit igitur communis gratulatio cœli, & terræ, quia Deus, & homo honoratur.

Sol resurgẽti Christo gratulabundus obsequio.

22 De hoc ipso paschali tempore sic pulchrè. *Astrorum omnium fomes splendor ille Solaris suam frontem antea rugatam iamque expurgat, & quasi rex conspicuus in diademate capitis sui, in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui ceteris stellis veluti comitibus largiora luminis sui dona impendit*. & hoc admodum eleganter dictum: nam cum Sol quasi rex inter astra sit, & quasi sponsus dicatur de thalamo exiens, hoc paschatis die, abiecto luctu de morte sui Auctoris, cui parentarat nigro illo quasi syrmate tenebrarum indutus, nunc apparet quasi in pompa regia diadematus, magis conspicua veste amictus, cũ satellitio siderũ, quasi tributariis summi Regis, eum honorans. sponsum etiam Sol hic nunc maximè se ostendit, quia lætior apparet, terram vere fœcundans, astris lucem hilarior impertiens, &c. Adhæc Lunam quoque Christo gratulantem facit. *Luna etiam ab ipso ornatus sui die semper in quodam sui dispendio posita, ad paschalia gaudia se pleno lumine parat*. par igitur est, & hominem in communi creaturarum lætitia exultare. nota, Lunam semper in sui dispendio positam, cum subinde decrescat, ac deficiat, sed resurgenti Christo plena luce occurrere, plenilunio scilicet. quamobrem, & nos lumine spiritali impletos esse decet.

Nihil Deo retribui, quod suũ non sit.

23 Exponit illud. *Quid retribuam domino, &c.) Nescio quid vult dicere. cur quærit circumspiciens vndique? quid retribuam? quid inuenit? calicem salutaris accipiam, inquit. retribuere cogitabas, adhuc accipere quærebas? si adhuc accipere quæris, adhuc debitor eris, quando retributor? sed nimirum omnia ab illo speranda sunt, à nobis ipsis præter illum, nihil, nisi fortè peccatum: omnis homo mendax. si verax est, nõ est de suo*. acutè notatum. ait enim se retributurum, seù redonaturum; sed circumspiciens, nihil inuenit suum, ac proprium. ergo iterum ait: *accipiam*. accipere à Deo possum, retribuere de meo quicquam non possum, quia nihil habeo meum.

Mors in Christo resurgente expauit mortẽ suam.

23 Christi resurgentis victoriam commendat. *Sub vno, eodemque tempore Christus hominem vsque ad paradisum reuocat, & mortem vsque ad inferna persequitur. gloriosius captiuandam in regno suo, & magnificentius in suis sedibus triumphandam. expauit mors subitò mortuũ. mortuũ: immò expauit mortem suam?* pulchrè dictum, vno tempore latronem altè extolli in paradisum, & mortem profundè deprimi in inferos, non expectato ascensu in cœlum; cũ eam captiuam in triumpho ducet: *Ante faciem eius ibit mors, &c.* Illud vero quàm mirum? scilicet, expauit mors mortuum, immò ipsa mors est per mortuum mortua. *expauit mors mortem suam.*

Cur Christus non per potẽtiam, sed per mortem suam vicerit diabolum

25 De Christi morte sic. *Potuerat quidem dominus hostem humani generis sola maiestate prosternere, sed homo non violentia liberandus fuit, sed misericordia redimendus. & quia homo voluntarius ruerat, iniustum erat, vt erigeretur inuitus*. rectè adnotat, cur hominis liberatio à Deo non facta fuerit maiestate, qua poterat: tum vt misericordia potius appareret, quàm maiestas, tum vt libera voluntas vtrobique suum ius teneret, cum in cadendo, tum in resurgendo.

Animæ non in altero sed in proprio corpore reponendæ per resurrectionẽ.

26 De cicatricibus in Christo relictis sic. *Vbi sunt qui dicunt, animas nouis corporibus induendas? ecce in resurrectionis auctore ferente vestigia vulnerum, hoc ipsum resurrexisse quod cecidit. & ideò mortui dormire dicuntur, quia non alter est, qui è somno resoluitur*. acutè docet, cur mors appelletur in scriptura somnus, nimirum quia sicut is, qui dormit, non est alter à vigili; ità & qui resurgent, non alterum afferent corpus, quàm quod habebãt.

Ex Sermone ad Competentes.

Recens baptizati examen nouellum apum & floridum pratum,

1 ELegans sanè parænesis hæc est. *Vos alloquor nouella germina sanctitatis, examen nouellum, flos nostri honoris, & fructus laboris, &c.* nempè efflorescunt tanquam in vere, scilicet irrigati aquis baptismi; vel tanquam nouellum examen apum, quamobrem & mel delibari solitum. poterat in primis S. Franciscus Indiarum Apostolus hæc vsurpare verba, cuius manus in baptizandis multis millibus defatigari solebant. quod & ad reliquos viros Apostolicos pertinet, est enim gentilium conuersio, *flos nostri honoris, fructus laboris*. & illa pulchrè ad nouitios refer: *Vos alloquor nouella germina sanctitatis, examen nouellum, &c.*

Curiositatis malum in Thoma Apostolo ostensum.

2 De Thoma Apostolo sic. *Thomas dũ curiosior existit in vulnere, mortem incurrit in fide*. argutè ait: dum vulnus inquirit alienum, mortem incurrit suam; vitale alio quin vulnus, nisi curiositas obstitisset.

3 Monet suscipientes de baptismo muneris sui. *Quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant, se pro ipsis fidei iussores apud Deum* exti-

Quanta cura adhibenda sit de ijs qui suscipiuntur in baptismo.

extitisse, & ideò sollicitudinem veræ charitatis impendant, vt castitatem custodiant, cantica turpia ex ore non proferant, auguria non obseruent; philacteria, & characteres diaboli sibi non suspendant, &c. Notabile sanè est, quantam velit adhiberi curam in educandis ijs, qui in baptismo suscipiuntur, præsertim vt castitatis sollicita ratio habeatur, etiam in verbis; & pietate, non superstitione incolumes reddantur. rectè etiam cauendum monet circa cantica turpia, vel dicta, vel lecta, quę pueriles inquinant mentes.

Pœnitentiam differentes coruo assimilati.

4 Pœnitentiæ tarditatem incusat. *Quando corrigeris? quando mutaris? cras, inquis, cras dicis: factus es coruus. ecce dico tibi, cum facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina, nam ille coruus, cuius vocem imitaris, exijt de area, & non redijt.* lepidè per alliterationem sibi respondentia ponit, vocem coruinam, & ruinam.

Ex Serm. post oct. Paschæ.

Charitate vtenti in proximũ cœlum omni ex parte pater.

1 CHaritatem proximi commendat. *Hierusalem cœlestis muros de pace constructos habet; Qui posuit, inquit, fines tuos pacem; ergo qui pacem, & charitatem habet, de qua parte voluerit intrare, illius cœlestis Hierusalem portas apertas inueniet.* ideò ingressus fatuis Virginibus est negatus, quia oleum charitatis in vasis non habuerunt. vides vnum ex signis prædestinationis in ijs, qui pacem, & charitatem habent. ex omni parte, inquit, non ex vna patet introitus illis ad cœlum. quid hoc præclarius? & meritò, nempe & ipse omnibus ad se aditum fecerat per charitatem. duodecim dicuntur cœlestis Hierusalem portæ, omnes ex margaritis, omnes illis patent.

Stephanus cur obdormisse dicatur in morte.

2 De dilectione inimicorum sic. *Stephanus pro se stans orauit, pro persecutoribus genuflexo. pro se stans facilè exauditur; nam pro inimicis genufigendum erat, ideo obdormiuit in requie dilectionis.* acutè adnotat, cur diuersum orandi habitum adhibuerit pro se, ac pro inimicis. & cur obdormiuisse dicatur, quia placidè, sine ira quieuit.

Ex Serm. in Rogationibus.

Dei mira pietas in exaudiendo.

1 MYsticè exponit parabolam de quærente tres panes. *Pulsat hic amicus, & nullus respondet de ianitoribus, non Angelus, non Archangelus, nõ propheta, non ministri; respondet pater familias de interioribus suis, de throno quietis. quid pulsas sine tempore qui piger fuisti cum tempore? dies fuit, & in lumine non ambulasti.* rectè arguit, & pulchrè subiungit: *pueri quiescunt. ad te pulso, immò te pulso. tu ianua es: si pueri tui dormiunt, tu non dormis, qui custodis Israel.* acutè ostẽdit Dei pietatem omni alia maiorem. pater hic familias prope ianuam cubabat, vigilabat, domesticis interius sopitis. Tum sic interpretatur. *Quis est iste hospes, qui in nocte venit, & imparatum hospitem inuenit? in nocte venit hospes; Gratia in summa ignorantia, in magna indigentia. accipit tres panes, vt à patre, & filio, & Spiritu sancto possis & ipse pascere ceteros indigentes.* pulchrè de Gratia, vide quàm auidi Trinitatis, quasi viuifici alimenti esse debeamus. denique ad orandum sic hortatum. *Non pigeat hospitem suscitare dominum; ipse secum portat dulcedines deliciarum, vt pascat ibi lætantes exercitus Angelorum.* ad Eucharistiam egregiè hoc referri potest.

Ex Serm. de Ascensione Christi.

Diabolus trophæo suo victus idest cruce.

1 DE Christi ad cœlos ascensu hæc habet. *Pretium nostrum dedit cum penderet in ligno; collegit, quod emit, cum esset in cœlo. trophæo suo Diabolus victus est; si ille non occideretur, mors non moreretur.* pulchrè diabolum dicit trophæo suo victum, quia Christum cruce vincendum putauit, sed videns oppositum, suasit inde descendere, ne crux cederet in trophæum. De eodem quoque iam victo sic. *Victus est diabolus leo feritate, non virtute.* Quod diabolum leonem dicit, sciendum est, audito galli cantu diabolum mirè terreri, quod leonis est proprium. ferunt enim, sagas, quæ commercium habent cũ diabolo, si noctu galli cantus audiatur, se ab eo fugiẽte deseri, fugit etiam leo à torre accenso. ita ex literis Indicis accepimus, in regione quadam, quæ à dæmonibus infestatur, incolas pro amuleto cum torre accenso incedere, quamobrem satis accommodatè S. Thomas adolescens titione vsus in tentatione illa Satanica per mulierem.

Natura humana per Christi ascensum gremio Immortalitatis excepta.

2 Pergit de Christi ascensu eleganter dicere. *Super excelsa cœli terrenum corpus importatur; in gremium Immortalitatis mortalis natura transfunditur.* pulchrè de gremio Immortalitatis, sicut de sinu Abrahæ, quo Lazarus exceptus. & quia negabant Arriani verum Christi corpus in ascẽsu, egregiè ait: *Meum testor esse quod cecidit, vt meum sit quod resurrexit. meum esse testor quod iacuit in sepulchro, vt meum sit, quod ascendit in cœlum. si non in nostra carne Christus Diabolum triumphauit, se exercuit, non nobis vicit.* nempè ideò nobis vicit, quia in nostra carne vicit. non

erube-

erubesco adorare crucifixum, quem adorabo regnantem, ideò pulchrè addit. *in illo nostro originis corpore, cœlestibus regnis arrham nostræ conditionis imponit.*

Passiones calcatæ pro gradibus vtẽdum ad ascensum

3 Ostendit, affectus animi, si domentur, ad meritum proficere. *Si passiones quisque sibi subdere studeat, ex ipsis sibi gradũ construet, quò possit ad superiora conscendere: eleuabunt nos, si fuerint infra nos. de vitijs nostris scalam facimus, si vitia ipsa calcamus.* acutè dictum, vt de Rege Persarum Sapore legimus, qui Valerianum Romanum Imperatorem in bello victum, & captiuum pro scabello, seu gradu vtebatur, calcans humeros ascensurus equum.

Aer per Christi ascensum sanctificatus.

4 Pulchrè iterum de Christo ascendente in cœlum. *Sanctificatur diuino comitatu immensus aer; pauet omne cœlum, mutantur astra, concurrit fulmineus ille militiæ cœlestis exercitus; vident regem suũ viuæ carnis manubias reportasse; agnoscũt in cicatricibus signa bellorum, &c.* Quod ait sanctificatum aerem per ascensum Christi, quantum nefas est inquinare illum, cum ex corde impuro spirando educimus? fulmineum autem vocat exercitum Angelorum: erat & apud veteres legio dicta Fulminea. sed hæ legiones penè innumeræ, nisi quod potius tunc fulminare desierunt in nos, cum Christus ascendit in nube. venustè appellat vulnerum Christi cicatrices, *viuæ carnis manubias, & victricia signa bellorum.* hoc est trophæa quædam.

Christi vulnera viuæ carnis manubiæ triumphales.

Christus ascendẽs trophæis victoriæ laureatus

5 Et hæc eleganter de eodem ascensu dicta. *Ascendebat dominus cruoris rubore perfusus, ac trophæis victoriæ laureatus. viderunt Cœlites speciosum vulneribus Christum, spolia castris relata, & admirantes vexilla diuinæ virtutis fulgentia. Quis est, inquiunt, iste rex gloriæ? hic ille est infirmus in ligno, fortis in spolio; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; ater in opprobrio, clarus in cœlo.* venustè admodũ per antitheses elegantes inducit, & Angelos inter se colloquentes, & admirantes pulchritudinem vulnerum Christi, & Christum ipsum, *trophæis victoriæ laureatum*, velut intrantem Capitolium. his item pulchrè addit, *Didicit cœlum portare hominem, atque sub pedibus Christi famulantia sidera tacuerunt.* Audiant hoc Astrologi, qui ea in nos dominantia faciunt.

Dauid citharœdus Christo ascendenti concinens epinicion.

6 Profert Dauid de hoc ascensu vaticinium. *Sanctus Dauid ascendente domino posuit organum suum in foribus cœlorum, cantans canticum nouum, & dicit protoferum æterni consulis cernens, non auro gemmisque decorum, sed nubium glacie candidatum. Qui ponis, inquit, nubem ascensum tuum. iam enim super aspidem, & basaliscum ambularat, &c.* pulchrè facit Dauid ad cœli ianuam cum cithara canentem epinicion in Christi ingressu. & vide cur pro triumphali curru, niuea nube sit vsus, candorem immortalitatis, & virgineum decus ostendens, ac præferens.

Christus in nube ascendẽs imbrẽ sãcti Spiritus præsignificauit

7 De eadem ascensione sic. *Mirabilis in oculis coruscat ascendens dominus super nubem leuem, compluens Apostolos testamentaria charitate.* Vide rursus cur in nube ascenderit, videlicet indicans futurã pluuiam sancti Spiritus, qui charitas est. huc spectat quod addit. *Gradiuntur cum domino filij sponsi, hoc est Apostoli; sponsi pignus accepturi Spiritum sanctum. benedixit eis, dedit arrham sponsalem muneris pretiosam, non auro gemmisque distinctam, sed charitatis ansulis contextam catenam qua alligati sequantur eum ad Hierusalem sponsam patriam sempiternam.* pulchrè admodum de contexta catena charitatis Christi, qua nos alligati ipsum sequamur; ascendentem in cœlos. multò certè nobilior hæc, quàm illa Herculis Gallici auro contexta, qua ex ore deducta ceteros per aures trahebat, ipsum alacriter sequẽtes; nec tamen in cœlum attollentem, sed ad Inferos potius protrahẽtẽ. huc refer illud Cant. *Trahe me post te, curremus, &c.* & illud: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: charitas autem auro comparatur.

Cur in ascensu Christi Angeli meminerunt iudicij?

8 Circa idem versatur, exponens illud Angelorum dictum: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlũ.) Alumnorum suorum tristitiam excelsa de nube suspiciens, mittit consolatores mœroris, nuncios ascendentis, & iudicis reuertentis.* notabile dictum; nam cur ad consolandos discipulos mentio facta Iudicis reuertentis? puto quia audierant à domino: *Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel.* & ad iustos dicitur. *Respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Christi plagæ cruenta monilia.

9 Exponit hoc ipsum. *Sic veniet quẽadmodum vidistis eum ascendentem.) sic veniet, inquiunt, clauorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia; vobis tunc filijs sponsi coronam cœlestis exhibebit imperij.* pulchrè admodum vocat monilia vulnera Christi: scilicet eo loco apud nos esse debent. cruoris illius guttæ quid nisi monilium gemmæ sunt? hic noster ornatus est.

Apostoli in pentecoste redimiti corona ignea gratiarum

10 Sancti spiritus descensum eleganter exponit. *In templo erant vnanimes Apostoli dominum collaudantes, venturo desuper sancto Spiritu pignore pretioso, & vt vnà eos inueniret corona ignea aduentantium gratiarum.* rectè locum, vbi Apostoli manebant cum Deipara, templum vocat, domus in templum cedit, si ibi oretur. pulchrè autem quasi Reges constitutos Apostolos & capita redimita dicit, *corona ignea gratiarum.* corona, inquam, septem illius

illius donis quasi gemmis illuminata. Seruio Tullio ignis, è capite vibrans coronã regni portendit: at hic ignis ipse in coronę modum delapsus, lingua illa circumcirca rutilante Reges fecit. hinc Ioannes ait, *fecit nos Reges, & sacerdotes.*

Amor emicans è nube, qua Christus ascendit.

11 Hæc affectum habent. *Qui sunt qui sequuntur oculis ascendentem? qui fugerunt pendentem: timor in cruce, amor in nube, ò dulcis descendentis affectus, ò delectabilis euolantis aspectus.* elegans antithesis, qua mutationem in discipulis ostẽdit, & vtrumque mysterium commendat, cùm Incarnationis, tum ascensionis. Ad hæc addit: *Introiuit Christus in nubem, vt oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & irroraret eos ascendentis de cælo suauitas.* nempè cãdida nubes illa & roscida fuit, & splendens: rore cœlesti recreauit cor mœstitia languẽs; candore splendido oculorũ obtutum. & quod ait, *amor in nube.* scilicet inde coruscans, & emicans instar fulguris non terrore, sed gratia.

Liber actuũ Apostolorum clypeus aureus.

12 Librum actuum Apostolorum cõtinentem hęc de ascensione, & alia commendat. *Ecce in clypeo actuum Apostolorum pendentium viuunt picta lumina piscatorum:* pulchrè librum actuum Apostolorum esse ait tanquam aureum clypeum, in quo cœlata sint eorum facta, hoc est Mundi renouatio ad Ecclesiæ defensionẽ; sicut ille clypeus *Homericus* Achillis effictam Mundi molitionem cœlatam habebat. Simon item ille pontifex, & dux Hæbræorum dicitur misisse Romam, *clypeum aureum magnum pondo minarum mille ad statuendam cum eis societatem.* sed longè pretiosior, & pulchrior hic clypeus à Luca gestis Apostolorum cœlatus, ac Christianæ reipublicæ dono datus, hæreticorũ telis impenetrabilis.

Angeli adstantes post Christi ascensum quasi Prætores ac Palatini.

13 Pergit de ascensu, & exponit illud, *Ecce duo viri adstiterunt, &c.) Mittit ascẽdens continuò duos cælestes Prætores, ne remanerent trepidi piscatores; nam cum Imperator de vrbe transit ad vrbem, non nisi domestici Prætores, ac Palatini mittũtur nuncij.* eleganter de duobus Angelis, quos indicat præstantes fuisse tanquam summi Imperatoris Prætores, ac Palatinos, quia videlicet duo maxima nunciabãt, & triumphatorem diaboli, & Iudicem Mundi: Addit. *etiam quando resurgit, domestici Angeli destinantur, vt à nube, ac pretorio monumenti resurrexisse nunciarent dominum cæli.* pulchrè Christi sepulchrũ, vnde regio immortalitatis paludamento amictus prodijt, vocat pretorium ob excellentiam, nam & de hoc dicitur, *erit sepulchrum eius gloriosum.* quantò igitur magis dicendum est Christi prætorium vel vterus Deiparæ, vel anima & cor iusti, cum suscipiens in Eucharistia immortalem, & ad patris dexteram collocatum? item prætorium dici puto sepulchrũ Christi, quia inde tanquam è solio, ac tribunali terræmotu facto, damnauit, & abigit custodes, qui *exterriti sunt, & facti sunt velut mortui.* quid cum de prætorio cœli iudicaturus descendet cum vniuerso satellitio Angelorum?

Ascensus Christi & descensus in nube inter se collatus.

14 Rursus exponit illud: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum, &c.) idest non veniet vobis terribilis: nubes in occursu, nubes in reditu. vulnera portauit, ipsa reportabit. crucem retulit cum triumpho, parebit in cælo. veniet vobis in amore, impijs in timore.* Vide similitudinem abeuntis, & redeuntis: etiam vulnera ostentabit & crucem, & nubem, sed ex nube tunc fulgurabit in impios: *Ibunt directè emissiones fulgurum, tanquam à benè intento arcu nubium.* illa verò verba magni põderis sunt, & acrimoniæ, quæ in hanc sententiam addit. *Ascendent Angeli, & quodam digito tubæ sonantis tangent sepulchra terræ trementis, vt pignora restituant throno igneo iudicantis.* quis non ipsa cogitatione, ac præsensione expauescat?

Ex Sermone de Symbolo.

Symbolũ fidei quasi sacramentum militare.

1 DE Symbolo fidei hæc habet eruditè. *Milites sæculi beneficia temporalia à dominis accepturi, prius sacramentis militaribus obligantur, & fidem se ijs seruaturos profitentur: quantò magis æterno Regi militaturi debent sacramentis cælestibus obligari, & fidem publicè profiteri? symbolum breue est verbis, sed magnum est sacramentum.* pulchrè ait symbolum respondere sacramento militari; hoc autem fiebat gladio ceruicibus admoto militis, quasi ad fidem Imperatori seruandam per mortem parati; ita Petrus martyr è Dominicana familia Symbolum recitans, quasi sacramento se obligans gladio ceruices obtulit, non ligno, sed re. idem refer ad religiosos, dum publicè professionem faciunt, quod haud dubiè quasi sacramentum militare est.

Intentio sub iisdẽ verbis varia in bonum vel malum.

2 Distinguit varia credendi genera. *Credere Deo, est credere vera esse, quæ loquitur. credere Deum, est credere, quia ipse Deus est. credere in Deum, est diligere illũ. cum dilectione fides Christiani; sine dilectione. fides dæmonum; nam eadem penè verba dæmones protulerunt, quæ Petrus: Tu es Christus filius Dei viui; sed illi ex odio, hic ex dilectione.* Vide quantum discrimen in eodem penè dicto fit, in bonam, vel in malam partẽ: adeo tota vis est in intentione.

3 Deiparam sic commendat. *Deus filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat,*

bat, ipsum dedit Mariæ, vt naturaliter esset vnus tanquam communis filius Dei, & Mariæ. Vide excellentiam Deiparæ, vt idem communis sit filius, & Dei, & ipsius. ille protulit corde, quia vnicè dilectum, hæc item non minus corde, quàm vtero. secundùm patrem Deum, filio nemo tantum impendit amori, quàm Maria mater. Ad eiusdem item gloriam hoc spectat. *Deus, qui omnia fecit, ipse se, & Mariam fecit, & sic omnia, quæ fecerat, refecit. qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata, sine Maria reficere.* præclara laus; Deum noluisse Mundum restaurare sine Maria, cum posset solus vt Conditor.

Cur Christus in cruce mori elegerit.

4 Quærit, quarè dominus in patibulo mori voluerit. *Primò, vt diabolus velut hamo crucis caperetur; secundò, vt nobis passionis præberet exemplum. tertiò, vt superbia sæculi, & inflata sapientia per crucis, vt putant, stultitiam humiliata corrueret.* pende singulas causas. scilicet crux in ludibriū diaboli cessit, in robur nostrum, & in contemptum mundani fastus. Quærit etiam quare noluit dominus præcipitari, vel lapidari, vt voluerunt Iudæi, aut etiam gladio perire? *Quia videlicet semper nobiscū lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur: elegit verò crucem, quæ leui motu manus exprimatur, qua munimur.* acutè, & pulchra ratio. volebat eius passionis memoriam signo aliquo nobis facili esse semper in promptu. lapides, ac ferrum non semper ad manus sunt, & incommodum pariunt; crux vel in paruo ligno facilè exprimitur, vel facilius in fronte signatur.

Crux de toto Mūdo optime merita.

5 De cruce item sic pulchrè. *Crucis superior pars cœlum petit, inferior terræ cohæret; fixa in inferioris ima contingit; latitudo omnes Mundi partes appetit; quia Christus per passionem crucis Angelis profuit in cœlis, quorum numerus imminutus ex fidelibus adimpletur, & nobis profuit in terra, & qui ob peccatum originale apud Inferos, & qui in quatuor Mundi partibus omnibus gentibus subiugatur.* Vide, vt crux totum amplectatur Mundum, etiam sursum Angelos, vel quia ob Christi merita gratiam habuerunt, vel quia eorum ruinæ resarciuntur nobis saluis. his addit. *supplicium crucis elegit, vt sublimiorem victoriā pareret pœna; & quia vniuersitatis bono patiebatur, quasi in conspectu Mundi in altum sublatus occumberet.* Nota, cur in alta cruce mori voluerit, tum vt sublimius triumpharet, tùm vt totius vniuersi bono se occumbere ostenderet in creaturarum conspectu.

6 De tempore, quo Christus in sepulchro fuit, hæc habet. *Non immeritò vno die, & duabus noctibus iacuit in sepulchro, quia lucem simplæ suæ mortis tenebris duplæ mortis adiunxit, corporis videlicet, & animæ.* acutè adnotat, cur non contra, vna nocte potius, & duobus diebus? nimirum quia vnus dies indicabat mortem suam illustrem, quâ diabolum vicit; duæ verò noctes duas noctes, ac tenebras duplicis nostræ mortis, corporalis, & spiritualis, quas sua morte illustris, aut illuminauit, aut discussit. His addit. *Sepeliri voluit dominus, vt ad consolationem sepultorum benedictionem corporis eius etiam terra susciperet.* Notabile dictum, cur Christus corpus suum post mortem terræ mandari voluit. tum vt terram sepultura sua quasi consecraret; tum ne durum, & abiectum nimis nobis videretur condi post mortem & abijci sub terra.

Cur Christus iacuit vno die in sepulcro & duabus noctibus non e cōtra.

7 Hoc ad crucifixum pertinet. *Acetò dominus est potatus. vt nos inebrieret dulcedine cœlestis desiderij, & æterni gaudij.* proh pietas. vide vt Christi cruciatus respondeant solatijs nostris: quod inebriandi simus ab vbertate domus Dei, vt loquitur Dauid, Christi aceto debetur.

Cur Christus acetū biberit.

8 Extremi iudicij seueritatem proponit. *Rogo fratres, vt quotidie cogitetis quales erimus in die iudicij, purissimis Angelorum conspectibus offerendi. certum est, tum vitam cuiusque in cordis speculo demonstrandam.* Notabile est, in die iudicij in primis confusionem maximam fore eorum, qui impudicè vixerunt, quia sistendi sint purissimis Angelis. ita Paulus apud gentiles loquens iunxit hæc duo, prædicans videlicet, *de castitate, & iudicio.* quo auditores tremefacti exhorruisse dicuntur. nota item, in die iudicij cor cuiusque, quod antea tegebamus, tanquam speculum futurum, in quo vitiorum nostrorum monstrosa, & fœda facies apparebit, spectante Mundo. si igitur cor instar speculi est, cum de Deo cogitamus, Deum referimus; cum sordes Mundi, imagines sordidæ apparebunt. notandum est autem speculum non modò cœno, sed puluere immò flatu fœdari. ad hoc speculum spectat quod subiungit. *O si faciem peccatricis animæ liceret oculis intueri, & conscientiæ nostræ vultum in præsentiam adducere; dici non potest quanto studio, quanto metu vrgeremur fœdata componere.* igitur nos ipsi feremus ad iudicium nobiscum speculum, in quo turpitudo monstrosæ ob peccatū animæ repræsētabitur vniuerso Orbi.

Impudici maxime timebunt in iudicio quia corā Angelis iudicādi.

9 Pulchrè ostendit, qua ratione humanitas Christi sit passa, non autem diuinitas. *Sicut videmus arborem splendorem Solis in se habentem; & cum inciditur, videmus quia ictus ferientis ferri splendorē Solis excipit, priusquā pertingatur lignum: sed splendor cum ibi sit, non potest nec incidi, nec à dolante separari; sic etiam diuinitas nec separari potest, nec incidi. illud autē*

In Passione diuinitas non est passa.

passio-

passioni subiacuit, quod sicut lignum, & ligari possit, & teneri. nempe Saluator ipse se arbori similem fecit: *ego sum vitis.*

Concionator nō eloquentiæ sed sancti Spiritus gratiæ fidat.

10 Exponit illud de sancti Spiritus aduentu. *Ipse vos docebit omnia.) Quia nisi idem sanctus Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris.* egregiè dictum hinc collige prædicationi præire debere orationem, vt Deus auditores disponat, & sāctus Spiritus sese insinuet corū cordibus

Fides & Martyres, & sacerdotes coronat.

11 Est hoc elegans elogium fidei. *Ecclesiam à Solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur. nullæ sunt maiores diuitiæ, thesauri, honores, quàm catholica fides, quæ* Martyres *coronat, sacerdotes consecrat.* Vides fidem quasi reginā non modò ipsam coronari, sed alios coronare? ideò autem thesauri apud eam sunt, quia de occultis fides est. & nota sacerdotij excellentiam: nihil enim magis Ecclesiam ornat, quàm Martyrium, & sacerdotium. Martyres pro fide se offerunt, sacerdotes mysterium fidei.

Fidei firmitas in Ecclesiæ vnitate commendatur.

12 De Ecclesiæ vnitate, & firmitate fidei sic. *In vna domo agnus comeditur, quia in vna Ecclesia vera hostia, &c. dicitur ad Mosen: Est locus apud me, & stabis supra petram. & paulò post:* Tollam *manū meam & videbis posteriora mea. in petra Moses ponitur, vt Dei speciem contempletur; quia nisi qui fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non agnoscet. auelle radium* Solis *à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. frange ramum ab arbore, fractus germinare non potest. à fonte præcide riuum, præcisus arescet.* elegans similitudo siue Solaris radij, siue arborei rami, siue fontani riui, vt fidem arctè tenendam ostendat.

Sanguis Christi mortem extinxit.

13 Vim sanguinis Christi ostendit. *Mortem semel Christi sanguis extinxit.* igitur mors tanquam ignis, & incendium post peccatum, Orbis terræ siluam corripiens; vel tanquam ignis bituminosus adhærens, aut fulmineus; nam cum in exercitu Antonini Imperatoris ad preces Christianorum ignis bituminosus, ac sulphureus in hostes caderet, hoc miro remedio vsi sunt, vt vulnerum calidum sanguinem imponentes eū extinguerent. lege Dionē.

Desperatio pondus animam deprimens.

14 Impœnitentiam, & desperationem tollit. *Ista cogitatio, quæ spem conuersionis excindit, est sicut lapis grauissimus ceruicibus animæ incumbens, qui ad Deum oculos leuare non sinit. cum contra dictum sit: Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, &c.* Ad huiusmodi pondus refero visum Zachariæ de iniquitate sub specie mulieris, in cuius os talentum plumbi infusum est Addit circa hoc. *Spes bonitatis Dei dux est itineris, quo itur ad cœlum.* pulchrè ait, spem ducem nobis esse ad cœlum, sicut nauta Cynosuram habēt, aut Helicen duces. aut sicut columna illa nubis, & ignis, fuit in deserto.

Animæ mors potius flenda quàm corporis.

15 Peccatoris deplorat interitum. *Sicut pro morte communi philosophantium est, à lacrymis temperare, ità in animæ morte consolationem recipere, & insipiens, & irreligiosum dico.* huc spectat quod Dauid infantis filij audita morte luctum deposuit; audita Absalonis, luctum incępit. quia hìc iactura salutis animi erat.

Cœlum propter nos, gehēna propter diabolus.

16 Diuinę pietatis argumenta demonstrat. *Nunquam, mihi crede, Deus auersabitur ad se conuersum. Regnum cælorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est; ideò dicitur iustis: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est. At verò malis: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Itaque peccator in ignem mitendus, quod supplicium est non suum, sed alienum; meritò, quia alieno domino obtemperauit.

Mortis pena temporalis tum æternæ memoria efficax ad non peccandum.

17 A peccando auocat, morte proposita, cum temporali, tum æterna. *Intuere nunc sepulchra eorum, qui præsentis vitæ voluptatibus se dederunt; require nunc vbi visus, & odoramenta peregrina? vbi speciosa voluptas? vbi effrenata licentia? &c. quò abijt, quò abscessit? vbi illa nunc, & vbi ipsi? accede propius; vide cineres solos, & vermium fœtidas proprias reliquias. quanquam si causa vsque ad cineres tantum veniret, & vermes, parua penderentur; sed cōuerte oculos ab istis cineribus, à sepulchro ad illud diuini iudicij tribunal horrendum quod ardens fluuius flammeis ambit fluentis, &c.* pondera singula grauiter dicta. alludit autem ad fluuium igneum egredientem è Dei facie apud Danielem. Vide autem quantus sit horror gehennæ, vt præ illa vix computetur horror, & fœditas sepulchri.

Res humanæ somnio similes.

18 Vanitatem vitæ præsentis ostendit. *Dic quæso, quid plus habet vita ista, quàm somnium? sicut enim hi, qui in metallis constituti, vel condemnati sunt, cum fortè in somnis se inter epulas copiosissimas positos perfrui vident, vbi verò surrexerint nihil sibi gratiæ inueniunt resedisse: ità & diues ille quasi somnium habet huius vitæ, &c.* en quid diuites, & auari sunt, anxiè, laborioseque vitam ducentes, scilicet tanquam lapicidę, & ad latomias damnati, vt metalla eruant; aurum scilicet, & argentū cum sudore, & labore plurimo effodiant, nec sibi, sed alijs. quod autem res humanæ tanquam in somnio euanescant. nempe hoc illud est: *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* rectè quoque monet Iob. *velut somnium auolans non inuenietur.* & Ecclesiast. *Cor tuum phantasias patitur. multos errare fecerunt somnia, &c.*

19 Tria hæc auocare animum, à peccato

cato

Tria reuocant à peccato mors, mũdi vanitas & iudicium.

cato vicit: si mortem, si sæculi vanitatem, si seuerum iudicij tribunal attendas. *Hæc recordare, & illum gehennæ ignem his, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis, & cupiditatis oppone.* scilicet æquis armis pugnandum: ardori libidini ardentis gehennæ recordatio est opponenda, de qua sic horrendùm intonat. *Nullus ibi occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri, & facies dira tortorum.* rectè adnotat, apud Inferos hoc in primis fore horribile, circumsideri à dæmonibus teterrima specie quasi tortoribus, & lictoribus ad cruciandum semper intentis.

Pœnitentia lorica est contra tela diaboli.

20 Eos solatur, qui penè desperant, quod licet agant pænitentiam, tamen ad eadem peccata relabantur, quasi vano labore; sed cogitare debent, nisi pœnitentia fuisset, in profundum malorum potuisse demergi. *Hæc autem ità est, sicut fortis quædam lorica iaculum graue, & amarum non permisit vsque ad vitalia viscerum penetrare, sed vim lethalis teli maximam fregit.* pulchrè pœnitentiam quasi triplici æneæ loricæ comparat, quæ acutissima tela, vel omnino depellit, vel facit vt vix summa acie compungant potius, quàm penetrando saucient aut interimant. conuenit maximè cum lorica cilicium.

Ex Serm. de orat. Dominica.

Cur olim orantes se verterent ad Orientem

1 INterpretatur illud in oratione dominica. *Qui es in cælis) huius rei significandæ gratiæ cum ad orandum stamus, ad Orientem vertimur, vnde cælum surgit non quod ibi tantùm sit Deus, sed vt admoneatur animus ad excellentiorem naturam consurgere, idest ad Deum.* Nota morem antiquum, & causam ad Orientem se in orando vertendi, vnde huius exortus, *Accedite, inquit, & illuminamini,* nimirum *Oriens nomen eius.*

2 Pergit de eadem oratione. *Septem petitionum in oratione dominica, tres primę pertinent ad æternitatem, quatuor sequentes ad vitę necessitatem: Panem nostrum, &c.* Addit, septem has petitiones respondere septem donis Spiritus sancti, nam ad primam, *Sanctificetur nomen tuũ* pertinet donum timoris, de quo dicitur, *Timor domini sanctus, & est initium sapientiæ,* Ad secundã, *Adueniat regnum tuũ,* pertinet donum pietatis, vt Deus sanctificetur in Mundo. ad tertium: *fiat voluntas tua*, pertinet donum scientiæ. Ad quartũ *Panem nostrum, &c.* pertinet donum fortitudinis, nam hoc pane confortati ad perfectam sanitatem peruenimus. Ad quintam, *Dimitte nobis debita nostra*, pertinet donum consilij; nam si negamus alijs miseri-

Septem petitiones in oratione dominica respondent totidem sancti Spiritus donis.

cordiam, nec ipsi eam consequemur. *Ad* sextam, *Ne nos inducas in tentationem*, pertinet donum intellectus. Denique ad septimam petitionem, *Libera nos à malo*, pertinet donum sapientiæ. acutè, ac pulchrè cognationem agnoscit inter septem petitiones, & septem dona Spiritus sancti. pęde singula, & proportionem considera. vides sine consilio esse immisericordes; sine intellectu qui statim tentationi cedunt. & addit: easdem septem petitiones respõdere septem beatitudinibus: ad primam spectat, Beati pauperes, &c.

Ex Sermone In Pentecoste.

Spiritus sancti aduentus quam proficuus.

1 DE misso Spiritu sancto sic. *Ineffabilis pietas Redemptoris, hominem portauit ad cœlum, & Deum misit in terras.* nota: Romanus Orator de poetis conquerebatur, qui humanos affectus ad Deos transferebant; Diuina, inquit, mallem ad nos. hìc certè diuina transferuntur ad nos. huc facit quod addit. *Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ? ecce iterum noua desupernis medicina. humana diuina miscentur, idest vicarius redemptoris.* Igitur Spiritus sanctus vice Christi ad solatium datus, *& alium, inquit, paraclitum dabit vobis,* sed non sine pressura. nam & propterea musto comparatur, & Paulus ait; *Spiritus sanctus mihi protestatur, quod vbique persecutiones me manent.* sicut & Christus Petro: *Alius cinget te, & ducet quod tu non vis.* rectè item ait ad medicinam datam eius gratiam, quasi diuinum pharmicum, & ambrosiam panaceam. hinc confirmatæ viuis, & robur acceptum.

Spiritus sanctus balsami substantiæ comparatus.

2 Item pulchrè de Spiritu sancto. *Per ipsam præsentiam maiestatis, in vasa non tam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti, ex cuius fragrantia latitudo totius Orbis completur.* Vides Spiritum sanctum in hoc aduentu quasi ipsius vnguenti substantiæ comparari, non odori tantùm quod accidens est balsamo. porrò Spiritus sancti gratia aptissimè dicitur vnguentum ob miram fragantiam, & consolidandi vim. quàm igitur mundum alabastrum, & splendum sit oportet, quo cõtinendum est? de corde loquor hunc spiritum excepturo cogita quale alabastrum fuit illud Deiparæ.

12 Apostoli quasi 12. solis radii idest sancti Spiritus.

3 De eodem sub alia metaphora sic. *Spiritus sanctus Apostolos viuæ lucis fonte perfudit, vt vniuersum Mundum illuminarent tanquam duodecim solis radij.* Spiritum sanctum Soli comparat, qui fons lucis est vnde meritò illustrationes męti fiunt: ità veluti duodecim ra-

dij lucis emissi, idest totidem Apostoli: tam splendidos virtutibus esse decet, qui huiusmodi munus obeunt.

Religionis ingressus ex feruore sancti Spiritus est.

4 Exponit illud, *Musto pleni sunt isti.) Hoc musto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur corda fidelium, cum pro desiderio salutis suæ parentes, & patriam suam fugiunt, & mortui huic seculo, alios spiritaliter inquirunt animarum parentes, & liberi sub iugo veniunt*. Ad religiosos hoc maximè pertinet: ingressus enim ex illustratione Spiritus sancti fit, & in ipso ingressu sentiunt se hoc quasi feruido musto calefieri, &, *præclaro poculo inebriari*. hoc autem poculũ multò salubrius, & admirabilius est, quã illud Homericum Nepentes dictum, quod obliuionem inducebat malorum: obliuiscimur enim seculi, & carnis desideriorum, &c.

5 Ad Apostolos hoc spectat. *Vtres noui erant Apostoli, & vinum nouum expectabant; iam enim fuerat magnus ille botrus calcatus, & glorificatus; legimus enim; Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Notabile est, quod ait: nam hæc duo prima specie videntur contraria. *Magnus ille botus calcatus, & glorificatus*. quid enim gloriæ tam aduersum, quàm pedibus conculcari? sed hinc illi gloria; quippè & Angelus in sudore sanguineo apparuit, *confortans eum*. quod alij legunt, *glorificans eum*. igitur Apostoli vtres facti, seu vasa capacia per Spiritum sanctum, botri calcati liquorem, hoc est Christi sanguinem per Orbem circumtulerunt, prædicantes Christum crucifixum. referri hoc potest ad Apostolum Indiæ Xauerium qui impletus hoc musto, cum in vtre pectoris ebulliret, hoc dilatare manu solebat, clamabatque: Sat est, domine, sat est.

Christi passio quasi vuæ prælum.

Dos Ecclesiæ spõsæ data Christi sanguis.

6 Exponit illud. *Audi filia, & vide.) Non te fefellit sponsus tuus, qui suo te sanguine dotauit*. pulchrè dotalem sanguinem Dei filij dicit, quo dotata, ac ditata est Ecclesia, vel anima. sponsus ipse in his nuptijs dat dotem, quia diues, sponsa ex se egena.

Spiritus sãcti quasi Ecclesiæ corpus anima viuificans.

7 Magnum vinculum Spiritus sancti cum Ecclesia ostendit, *Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia*. Varia officia sunt animæ iuxta sensus varios; ita varia dona, quæ ille distribuit Ecclesiæ. & nota; si velut anima est Ecclesiæ Spiritus sanctus, per hunc igitur viuit, & viget, & robur habet, & huic se subijciat, oportet.

Ex Serm. de Trinitate.

1 TRinitatis mysterium ineffabile commendat. *Periculosa disputatio de Trinitate. lutum, & vas figuli de creatore disputat, quod nec Angeli in cœlo scire possunt; quid enim aiunt? Quis est iste rex gloriæ? & apud Esaiam, Quis est iste, qui ascendit de Edon, &c. iste formosus &c. pulchritudinem prædicant, & de natura tacent. ergo & nos simpliciter dicamus; vis scire naturam Dei? hoc scito quod nescias. sed si scias hoc ipsum quod nescias, plus cæteris scies. gentilis homo videt lapidem, & Deum putat; philosophi vident cælum, & Deum putant: in eo quod se dicunt scire, nesciunt*. Vides Christianum quantumuis illiteratum præcellere sapientia priscis philosophis, est autem hoc quod addit dignum notatu. *In die iudicij non damnor, quia dico; nesciui naturam creatoris Dei mei; hoc maius inter nos certamen sit, quomodo peccata nostra plangamus*. Audiant hoc qui literis intenti sunt, sed adeò nimis adicti, vt pietatis studium posthabeant, rectè admonet id maximè curandum, de quo ratio exigenda in iudicio. nec tam disputationi insistendum esse quàm lacrymis. huc pertinet quod addit de subijcienda mente fidei. *Dicitur Verbum Dei splendor lucis æternę, & imago, &c. Deus credi se voluit, non examinari*. paucis dictum, sed grauiter in eos, qui se diuinitatis iudicem facere audent, & ad tribunal mentis suæ reuocare diuina.

Dei natura incomprehensibilis.

Deus credi se vult nõ examinari.

2 Multa esse ait filij Dei nomina in sacris litteris. *Margarita dicitur, quia nihil eo preciosius; Retia dicitur, quia p ipsũ de mari seculi in Ecclesia congregamur, &c.* igitur si margarita Christus, in vtero virginis tanquam concha fuit. quamobrem dicitur: *Rorate cœli desuper*. & iterum: *ego ero ros Israel*. item Christus rete est, capiens nos esca sui corporis suauissima. hinc illa crebra retis mentio in templo, quo corpus suum expressum dicit, vt in columnis æreis opus retis vnà cum lilio, quia natus de Virgine; & in craticula reticulatum opus subiectis ignibus, &c. de Nabucdonosor impiè dicitur; *sacrificauit reti suo*: mysticè id quidem, sed hic cultus sacrificii non nisi huic reti diuino debetur. Tum pergit ad reliqua Christi nomina, & figuras: *Tunica polymita Ioseph, est incarnatio Saluatoris*. nempè vt illa erat variegata, ita varijs ornata donis humanitas Christi, & contexta à sancto Spiritu in vtero Virginis, tanquam in textrina. *In te*

Christus margarita dictus rete tunica polymita.

te, inquit, *formatus sum ex vtero*. alij legunt, variegatus opere veluti Phrygionico.

3 Dauidem in multis figuram Christi fuisse ait, vt cum est missus à patre ad fratres, cum tribus mensuris, ob mysterium Trinitatis; & decem formellis casei, ob decem præcepta decalogi. & sicut ei fratres insultarunt: *Quare dimisisti paucuulas oues illas, & venisti ad prælium? ità Iudæus increpans Christum relinquentem nonaginta nouem oues in desertum, vt vnà ad Angelorum consortium congregaret*. Notabilis interpretatio: scilicet paucuias oues relictas intelligit Angelos; qui tamen multitudine sunt innumerabili. *Nunquid est numerus militum eius? & millia millium ministrabant, & decies millies centena millia assistebãt ei*, sed nimirũ præ Dei immensitate, & omnipotentia, qua creare multò plures his posset, *paucula oues*, rectè dicuntur. quid igitur vnus homuncio? vix in numero est.

Tot millia Angelorũ paucula oues sunt.

Ex Serm. post Pentecosten.

1 INterpretatur de Christo quod Dauid dicebat: *Leonem & vrsum interfecit seruus tuus*) *Christus cum ad Inferos descendit. omnes de eorum faucibus liberauit; vrsus in manu fortitudinem habet, leo in ore*. Vides, diabolus in quot ora se vertat? sed solatio est quod addit. *Verum est, Diabolus multum præualet, sed tepidis, & negligentibus. alligatus est tanquam innexus canis catenis; latrare potest, sollicitare potest, mordere non potest nisi volentem. stultus est, quem canis in catena positus mordet; non cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit*. inanis igitur est excusatio peccati ex tentatione. Cerberus est, sed catenatus: tentatio latratus tantùm quidam est. tu noli propiùs accedere.

Diabolus idem vrsus, & leo

Diabolus quasi canis ligatus latrare potest non mordere.

2 Victi gigantis mysterium exponit. *Dauid gigantem in fronte ferit, vbi crucis signaculum non habebat*. baculus, cum quo venit Dauid, crucem significabat. et sicut suo gladio Golias occisus, ita diabolus ipsa persecutione, quam contra Christum excitauit. *Quod autem arma Goliæ posuit Dauid in tabernaculo suo; arma diaboli nos fuimus, vt ait Apostolus: Sicut exhibuistis membra vestra arma iniquitatis. etc. sed per gratiam facit templum suum*. egit hoc vtroque modo noster Ignatius, nam & militarem gladium de tholo Deiparæ suspendit, illum ei dedicans, & seipsum templũ Dei fecit sanctitate per illustrem conuersionem.

Gladius Goliæ suspensus in templo peccator conuersus.

3 Interpretatur illud de plaga populi cessante, dũ ara erigitur in area Arauni Iebusæi, qui fuit Rex Iebuseorum hostiũ. *Rex ille paganus populum gentium figurabat, in terra gentium locus erigitur, vbi altare construatur, & ira Dei mitigetur; sed rex Dauid accipere noluit, nisi prius pretiũ daret, quia dominus gentium corda sibi astruere noluit, nisi prius pro ijs pretium sanguinem daret quinquaginta siclos, quo numero peccatorum remissio designatur, nam & quinquagesimus annus remissioni consecratur*. pulchè ostendit, aream, vbi altare erigendum, cor nostrum esse, diuinis obsequijs consecrandum. rex licet Christus sit, ac dominus, non illud accipit titulo maiestatis, sed pretio sui sanguinis. his addit: *Dauid vt aream emeret pagani Regis, quinquaginta siclos obtulit: & verus Dauid Christus, vt in area gentium altare sibi cõstrueret. quinquagesimo die gratiam sancti Spiritus, & peccatorum indulgentiam dedit*. acutè adnorat de numero siclorum correspondente numero dierum pentecostes, & annorum iubilæi. Vides, vt per Spiritus sancti aduentum, conuersio gentium facta sit, & tanquam altare apud ipsos erectum.

Area Iebusæi 50 siclis empta ad altare cor nostrum est.

4 Salomonis sententiam in lite duarum mulierum sic ad mysterium acutè refert. *Illa mulier, quæ clamabat, vt puer integer seruaretur, Ecclesiæ catholicæ typum gessit illa olim crudelis, & impia, quæ clamabat, vt puer diuideretur, Arianam hæresim designabat; sed ita clamat Ecclesia: Nolite Christum minorem facere patre, nolite vnitatem diuidere. O Ariana hæresis impia, & crudelis: illa, & si meretrix, tamen pia, quia mater; tu hæresis impia, quia non mater; quod paris, præfocas; quod non parturis, congregas. viscera tua arruerunt; illius tremuerunt*. nempè sicut illa non mater minorem faciebat filiũ diuidendo; ita Ariana hæresis Christũ minorẽ faciebat patre, & vnitatem diuidebat naturæ: contra Ecclesia vera mater reclamat, obsistit.

Mulier diuidi volens filiũ apud Salomonem Ariana hæresis est.

Ex Serm. post Pentecosten.

1 INterpretatur illud viduæ dictum. *En colligo duo ligna, &c. vt comedamus & moriamur.*) *Nemo in Christum crucifixũ credere merebitur, nisi huic seculo moriatur*. egregiè adnotat: nam duo ligna crucẽ ex duobus truncis copactã significabant, facit hoc inprimis pro religiosis, qui Christũ crucifixũ sequuntur, vt seculo, & mũdo moriantur. Ad hæc ait: *Quod Elias tribus vicibus inclinatur, mysteriũ* Trinitatis *ostẽditur, populum enim gentiũ suscitauit Trinitas*. nempe baptismus in huius nomine datur. Addo, id factũ clauso ostio, quia occultum mysterium Trinitatis, quo viuificamur.

Qui crucifixum sequitur seculo moritur.

Elias in Carmelo & Christus in monte Oliueti orantes conferuntur.

2 Miraculum de pluuia ad preces Eliæ impetrata sic interpretatur. *Ascendit Elias in mõtem Carmeli, et posuit caput suũ intra genua sua, & orauit. Elias orauit in monte Carmeli, Christus in monte Oliueti; ille vt pluuiam vocaret, hic vt in humana corda Gratia diuina descenderet.* Notandum, Eliã serui more vapulantis orasse; eo enim situ conglobati serui noxij vapulabant. eodem quoque situ in vtero sunt infantes. *capite intra genua posito.* nimirum per peccatum originale mastigiæ, mancipia facti sumus. in orando igitur humilitas, & simplicitas necessaria. sed illud maximè notandum, ꝙ ait Christum in monte Oliueti sudasse, & quodammodo pluisse sanguine, vt pluuiã gratiæ è cœlo deuocaret, *vt in humana corda gratia diuina descenderet*; ita imber sanguinis compensatus est imbre gratię, in aridum cordis agrũ illapso, vt fructificaret

Spiritus Sãcti gratia quomodo excipienda.

3 Pergit in eodem Eliæ facto interpretando. *Vade, inquit, & septies considera) septiformem sancti Spiritus gratiam, quæ danda erat, designabat.* nota, quo pacto Spiritus sancti gratia sit excipiẽda: oculos in cœlum intentos habere oportet, & septem eius dona attenta consideratione meditanda. Tum sic reliqua interpretatur: *Nubecula instar vestigij hominis Christus, è Mundi mari existens.* ipse filium hominis se appellat. vbi nota, Christũ instar nubis cœlestis fuisse. & quæ vestigium referret hominis; Christum igitur citis passibus per eadem vestigia subsequamur: *Vt sequamini vestigia eius, ait Apostolus.* sed nubecula dicitur ob humilitatem, quæ tamen in magnos, & fœcundos imbres redundauit per prædicationem.

Pueri Elisæum irridentes ab vrsis interfecti in parentum pœnam.

4 Factũ Elisæi ad Christũ refert. *Cum illuderent ei: Ascende calue; egressi sunt vrsi, et lacerauerũt quadraginta duos pueros.* Manichæi solent dicere: Quæ fuit tanta crudelitas Elisęi prophetæ, vt propter iocularia verba, pueri sic perirẽt; respondet: *hanc rem parentibus suis instigantibus fecisse credendi sunt. indisciplinati pueri non clamarent, si hoc parentibus displiceret. factum est igitur, vt mors filiorũ fieret disciplina parentum. sic per Ieremiam ait: percussi filios vestros, & disciplinã non accepistis.* rectè adnotat cur ab vrsis hi pueri interempti; nempè vrsi natos catulos informes lingua lambunt, & figurant: at hi patres malè instituerant filios, qui parẽtũ lingua loqui videbantur, quando parentes ipsi id ferebant, nec eos reprehendebant. ceterum monet, Elisæum non inuidiæ zelo commotum sed zelo Dei succensum; nec vt vindicaret, sed potius vt parentes corrigeret, id fecisse. Tũ sic mysticè. *Per pueros illos significãtur Iudæi tẽpore passionis voce sacrilega clamãtes; crucifige, crucifige, quasi ascẽde crucẽ in loco Caluariæ. & sicut tunc quadraginta duo pueri lacerati sunt; ita & post totidẽ annos passionis domini venerũt duo vrsi Vespasianus, & Titus.* acutè animaduersũ. ac rectè hos duos Imperatores vrsis cõparat, è silua egressis. Roma quippe licet ãtonomasticè Vrbs dicta, syluescebat tamen adhuc, quasi irrationabiliũ fera rũ latibulũ. sed quãta fuit impietas Iudęorum, ꝗ in propriã vltionẽ Titũ ipsũ, qui ob mansuetudinẽ deliciæ hominũ dictus est, tam crudeliter efferauit? vbi nota, tam diram vindictã præcipuè illatã ob irrisiones in Christum.

5 Horrẽdã Iudæorũ punitionẽ ob Christi necẽ à Romanis inflictã describit. *In paschali sollemnitate facta est obsidio Iudæorũ vt iusto Dei iudicio, ex omnibus prouincijs congregati Iudæi in ipsis diebus punirentur, quibus Christũ in cruce suspenderunt. in historijs legimus, tunc tricies centena millia hominum fuisse cõgregata, ex quibus ferro, & fame vndecies cẽtena millia leguntur esse consũpta; & centũ millia iuuenũ Romam perducta sunt in triũphũ; tanta multitudo mortuorũ de Ciuitate proiecta est, vt muris cadauera æquarentur.* horrendum dictu; alter ciuitatis murus factus ex cadaueribus, nempè eorũ, qui sui domini protectionẽ quasi murũ abiecerunt. nã de Hierusalẽ dixerat: *ego ero murus ignis in circuitu.*

Horribilis strages Iudæorũ a Tito facta ob Christi necem.

6 In auaros hæc habet. *Diuitiæ grauant, non subleuant; onerant, non honorant. quæstus magnus pietas est cum sufficiẽtia.* lepor est in verbis: *onerant, non honorant.* huc spectat quod Abraham, vbi legitur, diues valde, in hebræo est, grauis valde.

Diuitiæ onerant, non honorant.

7 Factum viduę interpretatur de vasis impletis oleo. *Omnes gentes, antequàm Deum gratia consequeremur, fide, & charitate, & bonis operibus erant vacuæ. sed cum ad salutare baptisma offerũtur, & chrisma, & oleum benedictionis accipiunt, iã nõ vasa vacua, sed Deo plena esse merentur.* Simile est quod ait Apostolus: *Deus autem omnis gratia repleat vos.* Tum excitat animum ad mysterium. *Considerate, fratres, quandiù vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat, donec in alienis vasculis, idest omnibus vicinis, & propinquis, cœpit oleum charitatis infundere: talis est natura sãcti amoris, & charitatis, vt erogando crescat; & quantum in alijs plus expenditur, tantum in se abundantius cumuletur. stetit autem oleum, postquam vbi poneretur, non inuenit: & ideò debueras etiam ex industria vasa quærere, hoc est homines non solùm bonos, sed malos.* acutè adnotat miraculum illud multiplicati olei factum in alienis vasis non proprijs. hinc discant religiosi in ingressu distribuere bona non suis, sed egenis; vt quasi alienis vasis oleum misericordiæ infundamus. notandum etiã est ea

Eleemosina largè facienda & tacitè.

de

de re monitum. *Quod Vidua clauso ostio oleum in vasculis infundit, significat eleemosinam clauso ostio faciendam, idest pro Dei amore, non vt lauderis.*

Elisæus abbreuiãs se in puero resuscitando Incarnationis typus.

8 Elisęi factum refert ad Christum. *Elisæus mulieris filium resuscitaturus ascendit in cœnaculum, quia Christus ascensurus crucis patibulum; inclinauit, se Elisæus, humiliauit se Christus; quia paruuli eramus, paruum se fecit. hoc est posuit oculos &c. quod autem puer oscitauit septies, septiformis gratia Spiritus sancti ostenditur.* sanè difficile est intelligere, quomodo oculi viri possint coæquari ocellis paruuli, &c. ità incarnatio intellectu difficilis; & ideò fit illud clauso ostio, quia hoc incomprehensibile mysterium repræsentabat, quo se Deus attemperauit homini viuificãdo.

Erubescẽdum est à minorib⁹ virtute superari.

9 Ad fidem hoc pertinet de Naaman leproso. *O fides, Rex Syriæ credidit fieri posse quod audierat, & Rex Israel non credidit fieri posse quod nouerat.* rectè arguit, quod Rex Syriæ exterus miserit ad Regem Israel, vt mundaretur Naaman à lepra, cum hic fieri posse non crederet, licèt apud se haberet prophetam, patratorem miraculorum; adeò sæpè pietate, ac virtute vincimur à minoribus, & religiosi à secularibus.

Iudas & auarus similes Giezi leproso

10 De discipulo Elisæi sic. *Giezi Elisæi discipulus non incongruè Iudam traditorem figurauit: sicut ille seruiebat, vt pecuniam posset acquirere, ità hic propterea adhæserat domino.* Notabile est, quod indicat de malo fine, & intentione praua, cũ qua Iudas accessit ad Apostolatum; nec tamẽ eum reiecit dominus, vt resipisceret, si vellet. Addit: *per hoc quod Giezi est factum, intelligamus, omnes auaros, & cupidos intus lepra perfundi.* Vide auari pœnam. sordidus est auarus, ideo sordido punitur morbo; fit leprosus, quem morbum qui haberet, ita erat abominandus, vt operto ore clamare deberet, ne quis ad se accederet. ibat diffuta, instar pauperis lacera veste vt habes in Leuitico.

Gratis dãdum quod gratis accepimus.

11 Pergit in eiusdem facti interpretatione. *Naaman typus erat gentilis, Giezi Iudæorum. eo tempore in Iudæis remansit lepra, quo ad gentes domini transiit gratia; & Naaman munera obtulit Elisęo, & ille accipere noluit: Christi in hoc gratia figuratur, quæ ideò gratia dicitur, quia gratis datur.* est hoc vna ex Ignatij nostri legibus, vt gratis demus quod gratis accipimus, nec vlla pro ministerijs sumatur merces.

Securis in gurgitem lapsa genus humanum.

12 Interpretatur alterum Elisæi factum. *Securis illa, quæ cecidit, Adam, siue totum genus humanum significauit, quòd de manu domini per superbiam se excussit, & cecidit, & in peccatorum gurgite se submersit. Infixus, inquit, sum in limo profundi. fluuius ille significat profluentem voluptatem, & transitoriam. lignum misit, cum in patibulum crucis ascendit: per crucis igitur lignum iterum ad manum, vel potestatem domini redire meremur.* rectè Adam peccatum securi comparat. nempè quod Caligula crudelis Imperator optauit, vt vna ceruix esset totius populi Romani, quam securi præscinderet; hoc effecit Adam peccans, & multò perniciosius; nam hæc securis vnam quasi ceruicem totius generis humani vno quasi ictu incidit per peccatum originale. rectè item ipsum genus humanum ferro ob duritiam, & pondus mortalitatis comparat, quod in profundum ceciderat excussum de manu Dei. sed sicut securis si sit in manu artificis, ad multa vtilis est, ad siluam in primis, & infructuosas arbores excindendas; ità vir iustus in manu Dei per crucis lignum, cui coniunctus est, hoc est per mortificationẽ crucis Christi, in hac Mundi silua vitia excindit, Idololatriã, hæreses tollit, & vitia.

Ex Serm. post Pentecosten.

Concionatoris nõ tã dicta quam edicta sũt

1 INcorrigibiles arguit, ac terret. *Qui contemnit præconem, timeat iudicem. quantum possum admoneo.* pauca verba, sed multi ponderis. vide quàm liberè concionator arguere debeat. præco est, edicta nunciat. ni parueris, reum tribunal expectat.

Purpurea immortalitatis chlamys Christi cruore imbuitur.

2 Fructum passionis Christi ostendit. *Per Christi sanguinẽ abiecimus pannos iniquitatis, vt indueremur stola immortalitatis.* pulchrè dictum: cum viles essemus, & pannosi, sanguine Christi quasi intincta regia purpura vestiti sumus, & mors immortalitatem peperit.

Humilitatis passibus iter conficitur ad cœlum.

3 Et hæc breuis est, sed præclara vox. *Humilitatis passibus ad cæli culmina cõscenditur. qui sibi vilis videtur esse, ante Deum pulcher est.* mirum, nam quid sublimius cœlo, tam accliui? hoc tamen iter superbia nequit conficere, humilitas potest: huius passibus ascendimus, contra superbiæ passibus labimur ad ima: *Non veniat mihi pes superbiæ. ibi ceciderunt, &c.*

In examine consc. quid considerandũ

4 Elegans est hoc de examine. *Descende in te, penetra interiora cordis tui; rimare diligenter, vtrùm nulla ibi vena venenata tabificum amorem seculi sugat, et sorbeat. vtrùm nulla capiaris illecebra, etc.* Vide, vt amor sæculi tabificus sit, venenũ sit. examen cõscientiæ in hoc est positum, vt medici more videamus, an vena sit aliqua in nobis venenata ob exuctum, & haustum huiusmodi venenum. nihil igitur hostilius quàm amor illecebræ.

5 Exponit illud Apostoli. *Perfecta charitas foras mittit timorem,) Maior timor*

mor peregrinantium est, minor propinquantium, nullus peruenientium. elegans similitudo, qua ostenditur in quo quisque gradu perfectionis sit; si enim ex timore agi, adhuc in via es; si ex charitate, iam metam attigisti, & tanquam ad patriam appulisti

Cruce obsignamur quasi aureo sigillo.

6 Docet, in quo sita sit Christiani professio *Si te militem Christianum dicas, & iugiter cruce te signes, sed virtutes habere nolueris, nihil tibi proderit. magna res est signum crucis, & crux Christi, & ideò de isto pretioso signaculo res magna, & pretiosa signari debet. quid enim prodest, si de anulo aureo sigillum facias, & putridas paleas intus recondas? idest signum crucis in fronte gestes, in animo crimina; multi enim dum ad furtum vadunt, si pedem impegerint, signant se.* pulchrè ait, signum crucis esse quasi sigillum aureum, sed aureo sigillo nō nisi pretiosæ res obsignantur: ità decet nos esse non viles, ac terrenos, sed aureis moribus; & quoties nos cruce signamus, putemus nos aureo sigillo obsignare repositos virtutum thesauros, quos intra nos ipsos habemus. *portamus thesaurum istum in vasis fictilibus.*

Eucharistia & sacrē chrismate non præstigijs veniendum in morbo

7 Qua ratione muniendus sit qui agit animam. docet *Quoties aliqua infirmitas superuenit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculū suum vngat, vt dicit Iacobus; Infirmatur quispiam, inducant presbyteros, & orent supra eum, vngentes eum oleo, & alleuiabit eum dominus. videte quod in Ecclesia etiam corporis sanitas accipitur? cur igitur per characteres, per sortes, &c. mala conātur inferre?* Vides in ægritudine vtrumque sacramentum adhibitum, & Eucharistiæ, & extremæ vnctionis, idq; proficere solitum etiam ad corporis sanitatem; hæc vera amuleta sunt. quàm impium est, vitæ breuis cupiditate ad præstigias recurrere, vt in mortem incurras sempiternam?

8 Dierum festorum profanatores arguit. *Isti, qui balationes, saltationes ante ipsas basilicas sanctorum exercere non metuunt, & si Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur.* est hoc contra perditos huius sæculi mores: quid indignius quàm piè loca inuisere, vt redeas impius?

9 Obscena carmina detestatur. *Videte si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosorum carminum quasi venenum diaboli proferatur.* rectè hoc arguit, præsertim ob iniuriam, quæ huic Sacramēto fit. vide quid sint amatoria cantica, venenum sunt; & audientes, & legentes, & canentes inficiunt. Eucharistia contra, antidotum veneni. quàm decet linguam, quæ diuinum illud lac gustauit, & ambrosiā candidissima verba proferre? hinc dicūtur, *labia eius sicut lilia*: huc quoque spectat illud Chrysostomi. Quo solari radio, inquit, non oportet esse splendidius os, quod igni spiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?

Obscæna verba quam dedeceāt post sumptam Eucharistiā.

10 Superstitiones arguit. *Graue peccatum faciunt, quando Lunam, quæ Deo iubente certis temporibus obscuratur, clamore suo à maleficijs se defensare posse confidunt.* Nota, adeo etiam Augustini tempore viguit mos ab antiquis gentilibus acceptus, vt in ecclipsi Lunæ quasi opem ferre se crederent præstigiosis carminibus. huic superstitioni alteram addit. *Audiui quosdam à diabolo ità circumueniri, vt quinta feria in honorem Iouis, nec viri opera faciant, nec mulieres lanificiū.* Nota superstitionem diei Iouis: scilicet qualibet hebdomada diabolus sibi vnum integrum diem reseruarat, & eum, qui Ascensioni domini deputatur, vnde omnis noster honor; solebant enim olim, vt mystagogi referunt, singulis diebus Iouis fieri supplicatio in honorem Ascensionis Christi. huic tantæ pietati opposuit se diabolus inuidus gloriæ Saluatoris, ac nostræ, vt eo die Iouem colerent Tonantem, ac nubes subvectum.

Superstitio quintæ feriæ in honorem Iouis Ascensioni opposita.

Ex Serm. post Pent. de M. forti.

1 INterpretatur illud de muliere forti. *Lanam, & linum fecit.) Lana de commixtione animalium nascitur, carnale aliquid significat; linum sine carnis voluptate de terra producitur, ideò castitatem significat,* ac propterea Sacerdotes lineis femoralibus vtebantur, idem sic exponit. *Cum lana foris induamur intus lineis. qui facit eleemosinam, vt gloriam captet, lana vtitur; & qui non vult facere opus exterius, fretus interiore conscientia, lino. ad hæc mulier, & lanam & linum fecit, vtrumque coniunxit, & exterius et interius.* Vide in quo posita sit vera perfectio, vt scilicet virtus & intus radices agat, & exsplendescat foris. rectè autem per linum castitas indicatur, nam hæc mortificatione perficitur, sicut & linū torquetur, &c. sic ad induendum fiet idoneum.

Virtus interna prodiens etiā exterius per linum & lanam indicata.

2 Acutè illud interpretatur. *Manum suam firmauit in fuso.) Opus tuum in fuso sit, non in colo. in colo enim est quod facturus es, in fuso quod fecisti. vide ergo, vt brachia firmes in fuso, quod te consoletur, quod te confirmet.* rectè monet, nihil solidi, aut solatij esse in nobis, si tantùm simus in proposito bono, non in opere: Nec minus illud acutè; quod sequitur. *Duplicia pallia fecit viro suo.) idest Christum credidit, & Deum & hominem. Manichæi tantùm Deum faciunt, Photiani tantum hominem.*

Non proposito solum sed facto opus est.

Per

Byssus cō fessio fidei purpura martyrium ad ornatum Ecclesię.

3 Pergit ad reliqua. *De bysso, & purpura vestimenta praparauit:) hoc est de bysso candidam confessionem, de purpura gloriosam passionem. de bysso cum Deum confitemur; purpuras in Martyribus collaudamus*. rectè byssus confessio fidei est, quia candida, & sincera; purpura Martyrum est. hæc ornamenta texit Ecclesia. Ad Corneliam Gracchorum matrem quędam nobiles matronæ venerunt, suos textus summa cum arte perfectos ostentantes; expectauit illa dum filij venirent, tum hos matronis ostentans, ait; Hi sunt mei textus, hæ purpuræ: instituerat enim præclara ipsamet Cornelia filios; huc spectat illud ad Ecclesiam dictum: *His omnibus quasi ornamento vestieris.*

Nudum operiens sibi stolā immortalem texit.

4 Iterum exponit illud: *Digiti eius apprehenderunt fusum.) Eleemosinas facientes de colo trahere festinemus ad fusum, & de sinistra transferamus ad dexteram, vt stolam sibi quisque praparet in æternum.* pulchrè, & acutè. cum quis eleemosinam facit, quasi manum extendens de colo ad fusum net sibi, ac texit stolam immortalē. ita cum aliquis vestimentum largitus est pauperi, sibi pretiosius intexuit indumentum potius, quàm se nudauit. expertus est hoc Martinus.

In nido cordis fotu sancti spiritus bonæ cogitationes generantur.

5 Eleganti comparatione ostendit, diuina verba in corde fouenda. *Velut castissimi turtures diuina verba sancti Spiritus feruore in nidum cordis vestri fouere contendite. nam si turtures, postquam genuerint oua, permiserint refrigerari, perdent fructum illorum.* Vides cor nidum quendam esse, in quo sanctæ cogitationes generantur, at non sine calore sancti Spiritus id fit.

Doctores Ecclesiæ pretiosis lapidibus ātecellūt

6 Redit ad mulieris fortis laudes. *Pretiosior est lapidibus pretiosis)* sic legit vbi vulgata habet: *Procul, & de vltimis finibus pretium eius) Sunt in Ecclesia lapides pretiosi, & semper fuerunt, docti, idest abundantes scientia, & eloquentia, & omni instructione legis. de ipsis fuit Cyprianus, fuit Ambrosius, & ceteri eorum similes.* pulchrè ostendit sanctis Doctoribus, & viris eloquentibus ornari Ecclesiam quasi pretiosis gemmis, inter quos numerandus in primis ipse Augustinus.

Ex Serm. post Pentecosten.

1 AD proximi charitatem hoc pertinet. *Omnes proximi sumus ratione natiuitatis, & alter alteri frater, qui tecum natus est ab Adam & Eua. proximum tuum debes putare omnem hominem, etiam antequam sit Christianus; non enim nosti qualis futurus sit apud Deum, aliquando fortaße adorabit Deum religiosius quàm tu.* rectè monet, neminem despiciendum. S. Antonius Vlysipponensis vulgarem hominem, quoties ei occurrebat, genuflexo salutabat, præuidens fore Martyrem, licèt ille sibi potius ad irrisionem id fieri putaret. sed euentus præsensionem confirmauit.

De quouis vgi improbo bene sperandum.

2 Exponit illud. *Sol non occidat super iracundiam vestram.) Eijcè iracundiam, antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux inuisibilis; vel nè Christus Sol iustitiæ deserat mentem tuam.* Vide vt hæc sibi respondeant: si desinente luce visibili adhuc iracundus es, desinet, ac deseret te etiam lux inuisibilis, Dei fauor. Vel cum Christi mors quasi Solis occasus sit, ne sinas iracundiam progredi vltra, cum eum ante mortem pro inimicis orantem contemplaris.

Iræ tenacibus Sol iustitię occidit.

Ex Serm. post Pentec. de Iob.

1 DE tolerantia interpretatur illud. *Laudate eum in tubis ductilibus.) Beatus Iob velut tuba ductilis laudes domini resonabat, Dei spiritu plenus. tubæ tundendo producuntur tunsione illa factus est tuba ductilis, cum à diabolo percuteretur. audi quàm bene sonuit? Dominus dedit, &c.* præclarè, & rectè: nam nomen Iob quidam deducunt ab hebræo verbo Iobab, quod est tuba clangens: itaque cum diabolus aggressus est illum percutere. quia ipse, *malleus vniuersæ terræ* dicitur, non animaduertit, se tundendo arma contra se, ac tubam efformare, vt in bello victus caderet. hinc illud Tertulliani: Quale feretrum, inquit, duxit de diabolo Iob? vbi feretrum intelligit ferculum, quo hostium spolia deferebant triumphantes, quæ & Feretrio Ioui dicabant. porrò tuba illa non alio flatu impletur, quàm Spiritu sancto: ideò tam diabolo terribilis, & in laudem Dei resonans: *Nemo enim potest dicere dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto*

Iobum percussit diabolus tubā belli ductilē contra se formauit.

2 Pergit de Iob. *Per crudelissimam Iobi pœnam minuta peccata purgabantur; ideò gratias referebat, & negligentiarum quasi seuerissimus Iudex non molli linteo, sed testa radebat saniem.* mirum prorsus est quod ait. scilicet septem annos dicitur Iob in horribili illa calamitate fuisse cum iactura omnium bonorum, omni ferè genere morborum vexatus, solùm, *ob minuta peccata purganda*. immò ipsemet Iob præter tam horrendas pœnas à diabolo inflictas, sibi suas addebat, & iudex, & carnifex fuit: ad augendum enim dolorem non linteo abstergebat vlcerum saniē, sed dura testæ acie exulcerabat. quis non exhorrescat? hem nos insensati, qui per ludum ista committimus quasi leuia, quæ tā grauiter puniuntur.

Iobi tam grauis calamitas ob leuia peccata.

Extol-

Iobi præclara vox aduersus vxorem.

3 Extollit eius animi magnitudinem, & constantiam aduersus vxorem. *Locuta es quasi vna ex insipientibus: si bona suscepimus de manu Dei, quare mala non suscipiemus? &c. O sonum fortem, ò sonum dulcem; quem nõ dormientem excitet sonus iste, vt aduersus diabolum procedat in bellum?* rectè, & pulchrè. nam quia Iob tubam esse dixerat tunsione formatam, eius sonum & fortem vocat, quia increpat temeritatem vxoris; & dulcem, quia suscepta à Deo beneficia recolit. hac igitur tuba, ait nos acui debere ad prælium aduersus diabolum, cum nos vrgent aduersa.

Diabolus quasi malleus confractus in passione Christi.

4 Quem ad finem nos Deus tentari finat, ostendit. *Non tunderet diabolus, nisi dispensatio diuina permitteret. de hoc Ieremias ait: Contritus est malleus vniuersæ terræ. de ipso malleo formantur quasi ductiles tubæ, idest animæ sanctæ, vt resonent laudes Dei, isto malleo, & iustus tunditur & peccator: ille, vt probetur; iste, vt puniatur.* Notabile est quod ait: scilicet tunc cõfractum esse hunc malleum, cum mallei ad clauos sunt adhibiti Crucifixo: adhuc quidem tũdit, sed leuiter; vim, & robur amisit, confractus in reliquijs parum valet. His addit; *Malleo funduntur non solùm humiles, sed & superbi; tametsi hi vt vitrum; vna eademque tunsio, & bonos producit ad gloriam, & malos redigit in fauillam, iuxta illud psalmi: & erit tanquam puluis, quem proijcit ventus. porrò mali dum tunduntur, cum Deo conqueruntur: Quid feci? at boni aiunt: Iustus es, domine, & rectum iud cium tuum.* rectè comparat malos fragili vitro, quod malleo facilè in puluerem redigitur; at verò boni vt validum æs bellicas formantur in tubas. vitrei sunt, quos aduersitas statim comminuit; ænei in primis Martyres, quos ipse aduersarius contra se tundendo formauit in tubas.

Naufragum Iobi corpus virtus tutata est.

5 Eleganter ostendit, tentationem illam ipsi diabolo fraudi fuisse. *Vnde feruebat diaboli inuidia, inde sumpta est fatigata victoria. in naufrago Iobi corpore incolumis iustitia tutatur. omnia, excepto spiritu, occuparunt hostes. bellator Mundi in vno viro torquetur, dum torquet; & pœna reuertitur in auctorem: in gaudia gemitus migrauere, & in fossis vulnerum numerabantur monumenta victoriæ.* pulchrè fatigatam appellat Iobi victoriam, videlicet

In Christi vulneribus trophæa victoriæ.

multo labore partam; pugnatum enim est cum affectu filiorum amissorum, cum cupiditate bonorum, &c. sed inuidiam diaboli ei profuisse in victoriam dicit. quod autem naufragum appellat Iobi corpus tanquam in arenam proiectum, hoc est in puluerem sterquilinij: alludere videtur ad eius verba: *Semper tanquam tumentes fluctus timui Deum.* ac verè dicere potuit. *omnes fluctus tuos induxisti super me.* sed virtus tanquam tabula tutata est eum in naufragio. Nota item illud, & horresce: Diabolus appellatur antonomasticè *Bellator Mundi*, idest communis omnium gẽtium, ac nationum hostis acerrimus; tamẽ ab vno Iobo victus, atque deiectus est, præcipuè verò notanda illa pulchra verba, quæ ad Christi, quem Iob exprimebat, vulnera pertinent: *In fossis vulnerum numerabantur monumenta victoriæ*, nam veluti trophæa sunt illa vulnera. Iob autem tot telis fossus, clypeo virtutis opposito, semper stetit. Celebratus est M. Scæua centurio Cæsaris, qui in arcis defensione hosti aditum negans, tot excepit tela, vt in clypeo effosso numerarentur foramina centum, & viginti, quæ tanquam monumenta victoriæ præferebat; sed ille ictus excepit in ære, hic in carne, de qua dicebat, *nunquid caro mea ænea est?* multò igitur excellentior Iobi virtus.

6 Pergit in elogio Iob. *Contra hostem callidissimum gloriosissimus Dei athleta admirabiliter præliatus est, iuxta illud Apostoli: Spectaculum facti sumus, &c. immanes diabolus suscitauit fluctus, & firmissimam petram commouere non potuit.* rectè athletam gloriosissimum vocat, & admirabili modo luctantem; nam pro oleo, quo se athletæ vngebant, sanies proprij corporis fuit. & quia supra appellauerat naufragũ Iobi corpus, & à virtute, seù iustitia seruatum fuisse dixerat: nunc pergit in metaphora fructuum, cui & alteram addit. *Machinationes suas diabolus adhibuit, & turrim validissimam non prostrauit.* Vides Iobum, licet iacentem, & abiectum altissimæ turri comparari. prostrauit diabolus, & euertit regiam domum, vbi erant filij; turrim hanc non potuit machinis omnibus adhibitis, blasphemia in primis validissimi arietis instar admota.

Iob gloriosus Dei athleta.

Iob turris validissima frustra à diabolo oppugnata.

7 Alijs quoque metaphoris amplificat tolerantiam Iob. *Arborem hanc concussit diabolus, & decutere poma non valuit.* rectè commendat, quod cum diabolus omni suo conatu, ac vi arborem hanc pomiferã concusserit, non tamen decusserit poma: nempè hoc intendebat ille, vt veniens dominus, & fructum in arbore non inueniens, illi malediceret, vt ficui accidit. quod autem his pomis abundauerit hæc arbor, ipse Iob innuit dicens. *Transierunt dies mei sicut naues poma portantes.* Tum transit ad aliam similitudinem. *Parietem hunc diabolus perforauit, sed thesaurum auferre non potuit, hoc est fidem iusti: hunc enim thesaurum diripere festinabat.* pulchrè Iobum tanquam secretum, ac penetrale Dei cubiculum fuisse ait, in quo regius lateret thesaurus absconditus. diabolus vt fur quasi parietem perforauit, cum eius corpus vlceribus fodit; sed custos thesauri

Iob arbor tempestate concussa poma nõ amisit.

Diabolus effosso quasi pariete Iobi corpore thesaurum eripere non potuit.

sauri constans Iobi animus obstitit, ac diripi non siuit. & nota, in homine thesaurus fides est, nam & fides de occultis est. hanc diripere conabatur diabolus, vt cum videret se innocentem in tantam calamitatem incurrisse, Dei prouidentiam negaret, aut iustitiam.

Iob pluri mis coronis insignis.

8 Ad alios Iobi titulos eleganter excurrit. *Quali nomine hunc iustum appellem, ignoro: athletam vocem? sed præcellit tantarum gloria coronarum.* nota: Iob vt rex vna corona insignis erat; vt patiens, plurimis. Atheniensium duci Demetrio ob fortitudinem tot coronæ decretæ sunt, quot anni dies: atqui Iob septennio cum diabolo luctatus est, & singulis diebus nō vnam consequebatur coronam; quàm ingens igitur fuit earum numerus? immò verò non anni, ac temporis, sed æternitatis illæ coronæ fuerunt; sequitur. *Petram ne Iobum dicam? sed fortiorem video. militem appellem? sed robustiorem cerno. turrim nominabo? sed eminet sapientia? arborem dicā. sed decorosior inuenitur. fructum appellē? sed copiosior demonstratur? thesaurum dicam? sed preciosior est.* nota singula, sanè admiranda sunt; scilicet turrim appellat, immò turri præfert altissimæ eum, qui vlcerosus humi iacebat; thesaurum, qui spoliatus bonis omnibus; suauissimum fructum, qui marcescere alijs videbatur. alio igitur oculo quàm mundano hæc aspicienda sunt.

Pauper non contemnendus quia Deo tanti fit.

9 Satis ornatè ostendit, quàm indignum sit proximo detrahere & insultare. *Attendis pauperem, & despicis? homo est, chara, & amica possessio Dei: homo, cuius causa formatum est cælum, extensum mare, fundata terra; propter quem Sol oritur, & occumbit; Luna crescit, & deficit; astra micantia surgunt; tunc hominem contemnis, propter quem Deus talia, ac tanta constituit? ad extremum amplius dicam, propter quem Dei filius flagelli amaritudinem sensit, pertulit crucem.* nota eleganter, & grauiter ductum... pauper est, sed ei creaturæ omnes deseruiunt, & benefaciunt, tu contemnis? pro eo Deus ipse amaritudinem flagelli sensit, tu amarus ei est? aut superbæ linguæ flagello reijcis? sic enim appellat scriptura, *à flagello linguæ absconderis*, quis non his lectis odium deponat? immò vel inimicum, vel abiectissimum non amore eximio complectatur?

descendit Dei miseratio. fletum citius audit ille quàm vocē. Indicat Angelum tanquā ardenti ore locutum, qualis scilicet oratio esse debet, quam commendabat. quia verò pretiosę cœli portæ dicuntur ex margaritis, cœli clauis aurea oratio est.

Angelorum tutela etiam in nuptijs

2 De Angelo comite Tobiam ad patrē loquentem facit: *Mihi extitit tanquam cælestis paranymphus, iter quasi cæleste carpens.* Notabile hoc est, nempe licèt Tobias hoc ignoraret, tamē ex ipso incessu, & moribus quodammodo apparebat, & noscebatur esse Angelus, quippe de Deo colloquens, & conuersationem habens cœlestē. & pende illud sanè mirum, *iter cæleste carpens.* atqui ibat ad nuptias. non igitur ad has est eundum cum impetu voluptatis, quasi per iter terrenum, immò cœnosum; adeo Angelicæ puritatis, ac sanctitatis habenda est ratio vel in nuptijs; sunt enim et hæ in Angelorum tutela.

Mortui, quibus succurrimus pro nobis ad Deū proclamant.

3 Angelum ipsum, dum liberat Tobiā à morte, propter curam patris, quàm habebat de mortuis, loquendum sic inducit. *Mortuum sepelistis, & mortis aculeum non sensistis. ipse sepultus pro vobis voce tacita proclamauit.* egregiè dictum. de ipsis tumulis videbantur mortui, qui beneficiū acceperant, proclamare ad Deum, vt de morte Tobiam eriperet. igitur animæ in purgatorio detentæ proclamant ad Deum pro eorum salute, qui, vel in vita, vel post mortem ipsis succurrunt.

Cur diuitis lingua maxime cruciaretur.

4 De diuite, qui Lazarum spreuit, sic. *Ipsa lingua diuitis, qua superbè responderat, & noluerat dicere, vt eleemosina daretur, grauius gehennæ flammis exurebatur.* Vides in Inferno exuri ea grauius membra, in quibus peccatum est. diuitis lingua maximè cruciabatur, quam intingi aquæ gutta petebat, quia lingua superbè reiecerat petentem pauperem, immò quia omiserat pecuniæ dispensatori dicere, vt eleemosinam daret.

5 Pergit in eodem pulchrè. *O Mundi bona apud Inferos mala. accesserunt ad seruitium diuitis ignes, in ad obsequium saui tortores.* Vide rerum catastrophen: pro superbo satellitio turba carnificum; pro delicijs damna succedunt. tum inducit per dialogismum, & diuitem à se supplicia deprecantem & Deum respondentem. *Quid tibi faciam? vbi eleemosinę, quæ peccatorum pœnas extinguant? &c.*

Ex Serm. post Pentecosten.

1 PVlchra habet de Tobia. *Suscepit Angelum medicum qui diuina facibus incensus sic anhelauit. Honesta est oratio cum ieiunio, & eleemosina. oratio iusti clauis est cœli. ascendit precatio, &*

Ex Serm. I. & II. de Iudith.

Oratio fabricatur ix armorum contra diabolum

1 IN Iuditha orationis studium commendat. *Iudith sanctissima orationis arte arma victricia fabricauit, qbus in aduersa confligeret.* pulchrè ait, orationem artificem esse armorum victricium

contra

contra diabolum, dum illa mortificationis malleo tundit, ac producit; dum igne diuini amoris formar, &c. refer hæc ad Teresiam fortissimam bellatricem orãdo, & Iudithæ in multis similem; nam illa quidẽ Holophernem superatura pro armis accepisse dicitur *lilia*. quod multò magis Teresiæ conuenit vt virgini. eidem competunt sequentia.

Castitas palmifera est.

2 De eadem sic pulchrè. *Cum palmifera castitate Iudith ad suos sollicitè festinat, gloriosa fæmina castitatem seruauit oratio.* rectè custos castitatis dicitur oratio, hinc de sponsæ labijs dici puto: *labia tua sicut lilia distillantia myrrham primam.* in labijs laudatur similitudo lilij, quia per orationem tenetur castitas; oratio autem, & castitas cum mortificatione debet esse coniuncta, ideo de myrrha mentio. egregiè etiam vocat *palmiferã castitatẽ*. ob illustrẽ victoriam ex carne edomita, quamobrem & eiusdem sponsæ *statura assimilata est palmæ*. quod si hæc Martyrum insigne est, & castitati debetur, quæ genus quoddam martyrij est, nam & *Nazaræi rubicundiores ebore antiquo*, dicuntur.

Oratio triumphatrix conculcans diabolum

3 Est hoc de oratione præclarè dictum. *Vbi assiduis orationibus cælum pulsatur, potentia semper calcatur armorum.* Vides orationem sub pedibus sternere sibi arma aduersariorum. addò, non modò arma inimica vincit, sed cõculcat, immò hostẽ ipsũ Satanã, vt ait Apostolus: *Deus cõterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* quemadmodum enim quidam duces, & Imperatores victis hostibus, & Regibus vsi sũt, vt ijs conculcatis equos ascenderent. ita subtrato pedibus Satana, & eius armis, quasi gradu facto sublimiores euadimus.

Modestiæ vis in vincendo diabolo.

4 Rursus eleganter de Iudith. *Abluit Iudith aqua corpus; aurium, & manuum ornamenta capit, fluentes sinus purpureæ vestis gemmato colligit pectore, casto vultu prius dimicatura, quàm ferro.* Vide quid agat vultus ipse castus, & ad pudorem compositus, plus valet ad victoriam facies pudica, quam gladius. addo quod inter hæc ornamenta, vel potius arma, scriptura lilia vt, dicebam, nominat, quæ Iudith acceperit. mysticè sic interpretor, vt ante pugnam cum diabolo abluti accedamus, ac mundi, vt debellemus immundum; item cum aurium, & manuum ornatu, inauribus, & armillis, hoc est obedientia, & actionibus bonis; cum purpura gemmato sinu collecta, idest cum pretiosa memoria passionis Christi, ac martyrum patientiæ.

5 Graphicè describit victricem Iudith. *Bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum. post teneritudinem fusi, ebeni capulum quærit.* argutè ait, digitis annulatis excepisse hostis crines; & manu qua linum nere solebat, arripuisse gladium, sic mulier illa fortis lanam quæsiuit, & simul bellatrix spolijs non indigere dicta; ergo digitis annulo fidei obsignante ornatis capiendus est hostis, & humilitatis brachio cõterendus. Illud quoq; eleganter & acutè dictum. *Monilium tela, pudori semper aduersa hostem ferire didicerunt. nõ fuit leuitas ornatus quia ad interitum tanti capitis aptabatur.* rectè admiratur. nam ornamenta monilium, &c. potius contraria sunt castitati; sed quia recta intentione accepta, profuerunt.

Ornatus Iudith nõ ex fastu, sed ex virtute.

Ex Serm. post Pentecosten.

Ieiunium castitatis lumen accendit.

1 IEiunij laudes commemorat. *Ieiunium castitatis lumen accendit, concupiscentiæ nebulas disperdit.* Mira dignitas ieiunij. huc refero illud: *ò quam pulchra est casta generatio cum claritate.* quid enim castitate splendidius? atqui hæc tanquam astrum à Sole, sic à ieiunio lumen accipit.

Oratio quid sit, præclara.

2 Orationem sic definit, atque describit. *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terra ad cælum, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium, coniunctio Spiritus Sancti?* Nota singula, atque hinc collige, quis sit vir orationis; nempe qui ad cœlestia erigitur, qui Deum sitit, qui cum Deo vnionem habet arctissimam.

Crapula lacus cœnosus est, serpentibus plenus.

3 Crapulam damnat. *Ipsa corporis terra velut in paludem conuersa, serpentes, & ranas potius, quàm fructus generat, ideò & annis singulis quæ in ipsis paludibus, aut circa ripas nascuntur, incendio cõcremantur; ita quod de ebrietate nascitur, igni preparatur.* Pende quid dicat. neque enim ineptè lacus appellatur, vbi primum calcatur vua, & vinum influit, nam sicut lacus, & palus serpentes, & ranas procreare solent, ita vinum varia vitia; & sicut ibi ignis adhibetur, vt locus expurgetur, ita ebriosis tanquam in paludem versos manet ignis Inferni. huc spectat quod addit: ait psalmistes: *Neque vrgeat super me puteus os suum; ebrietas quasi Inferni puteus est.* horrendum dictu in re tam grata mundanis. item hoc notandum quod his subiungit: *Quantum mali in se habeat ebrietas, vel ex eo patet, quod Rex magistrum pistorum cruci appendi iussit, propter inuidiam, aut ebrietatem.*

Sobrietas martyrij genus est.

4 Martyris laudibus sobrietatem effert. *Nemo dicat, quod in istis temporibus Martyres non sunt; quotidie Martyres fiunt; martyr enim testis est; sic qui ebrietati resistit, si pro ipsa aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei dominus ad martyrij gloriã reputabit.* quid hoc elogio præclarius? itaque si quid ob sobrietatem caro patiatur,

aut

aut si mundani obtrectent, martyrij genus habetur. tanti certaminis est gulā vincere.

Superstitio in symposiis taxatur.

5 Arguit peruersum symposij morē, ac ritum. *Post satietatem diuersis nominibus incipiunt bibere, etiam Angelorum, & sanctorum; quo nulla grauior ijs iniuria potest inferri.* Nota superstitionem, siue prætextum, quò ebrietatem excusabant: dicebant se gentilibus oppositos; nam sicut illi Deos, & amicos in poculis compellabant; ità ipsi potius Angelos, & sanctos. atqui his sobrietas chara est, & parcitas victus. Eliæ coruus deferebat panes, & carnes, at verò Angelus solùm panem, eumque subcinericium.

In via perfectionis amor & dux est, et vehiculum.

6 Exponit illud Apostoli. *Sequor ad palmam supernæ vocationis*. ita legit. tum sic. *Ambulandum ergo est; nec pedes vngendi, nec iumenta quærenda, nec nauis prouidenda: affectione curre, amore ambula, charitate ascende.* Vide qua ratione in via spiritus progrediendum sit. amor & dux & stimulus est ad cursum, idemque vehiculum.

Ignis tres pueros à vinculis soluit velut innocentes iudex.

7 De tribus pueris in caminum iniectis sic pulchrè. *Posset hostis vincere, si ignibus imperaret. offeruntur tres pueri alligati vinculis, sed quos vis humana damnauit, ignis absoluit.* nempè potuit tyrannus lictoribus sibi subditis, vt eos in ignem mitterent, imperare; at non ipsi igni, vt combureret, in quē ius nō habebas itaq; ignis, quos vt reos acceperat puniendos, combustis solis vinculis absoluit, liberosque dimisit: quo & vim comburendi ostendit, & eam creatori subiectam. huic æquissimo iudici paruit, non tyranno, & cum vincula tantùm cremādo soluit, uisus est quodammodo innocentes absoluere. quasi rogus ille altè extructus tribunal fuerit īnocētiæ.

Ex Serm. contra auguria.

In obeundo negotio non superstitio sed religio adhibenda.

1 SVperstitionem omnem in agendo damnat, *Nullus obseruet qua die de domo exeat, qua reuertatur: omnes enim dies Deus fecit, & omnia bona valdè. Quoties vobis aliquò properandum est, signate vos in nomine Iesu Christi; & symbolum, & orationem dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adiutorio iter agite.* en quo amuleto, quo viatico vti deceat Christianum.

Aduersa ad experimentum amoris à Deo permittūtur.

2 Est hoc præclarum monitum in aduersis. *Si quid damni vobis accidat post relictas superstitiones; permittit hoc Deus, vt noscat, vtrùm Diaboli machinationes toto corde despiciatis, vt plus valeat amor suus, quàm illud incommodum.* Vides ad veræ dilectionis experimentum aduersa permitti. subiungit: *Attendite, quod cum omnem substantiam diabolus euertisset beati Iob, non dixit Iob: Dominus dedit, diabolus abstulit, sed Dominus dedit, dominus abstulit; noluit gloriam dare diabolo, vt aliquid potuisset tollere, quod dominus non permisisset auferri.* rectè adnotat, in verbis Iob ostendi, nihil contra nos posse diabolum sine Dei permissu.

Superstitio de collapsa arbore nō vrenda taxatur.

3 Pergit superstitiosas consuetudines abolere. *Si quando arbores, vbi vota redduntur, ceciderint, nemo ex illis arboribus lignum ad focum affert: & videte stultitiā; ramos arboris non audent in focum mittere, & se ipsos per sacrilegium præcipitant in Infernum,* acutè dictum; dum arborem igni subtrahunt, se Inferno & æterno igni addicunt; cum potius cauere deberent, ne ipsi, qui per fidem Deo sacrati sunt, tanquam infructuosę arbores excindantur, & in ignem illum mittantur. sed hinc collige, si ex arbore, quæ ceciderat, indignum & infaustum putabant lumen accendere quid dicemus de Deipara, quæ se vt cedrum exaltatam dicit? &c. si in peccato originali cecidisset, num ex ea lumen æternū, qui Christus est, fuisset accensum? Tum alteram superstitionem damnat: *Nec ad arbores Christiani debent vota reddere, nec fontem orare.* hoc à gentilibus acceptum qui cuique arbori numen suum, quas Hamadriadas appellant, tribuebant. hinc lucos excindi iussit Deus. capita quoque fontium sacra putabant, eoque impuberes comam detonsam proijciebant, vt Achilles Homericus suam Sperchio flumini; quod fortasse detestans Deus, Nazaręos contra igni potius comam tradere iussit sibi dicatam.

Ex Serm. post Pentecosten.

Angelorū gaudium de castitate.

1 COntinentiam præsertim coniugalem commendat exemplum Susannæ. *Quod protexerat virtus, & ornabat pudor, illæsum ibat in mortis exitium; gaudent Angeli de pudoris integritate comperta. gemit diabolus, quod ipsius cōmenta nudantur. triumphat maritus, quod fidam inuenerit coniugem.* Nota lætos Angelos de Susannæ integritate, sed simul ijdem acres vindices castitatis in seniores stricto gladio insilierunt. horrescant igitur qui alieno insidiantur pudori, cum pudicissimos Angelos vltores habeant. & pulchrè dicitur maritus triumphare in victoria castitatis coniugalis. quàm igitur præclarus Iosephi triumphus fuit, cum ab Angelo didicit Mariam coniugem illibatam?

2 Omnem excusationem castitatis non seruandæ amouet. *Illi, qui dicunt se castitatem seruare non posse, respondeant mihi, vtrùm vxores habeant, an non? si habent, quare non seruant fidem vxoribus,* quam

Vir castimoniam quam ab vxore requirit, & ipse habere debet.

quàm sibi ab eis seruari volunt? cum enim vir à virtute nomen acceperit, mulier à mollitie idest fragilitate, quare contra crudelissimam bestiam libidinem vult quisque vxorē suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadat? aut vxoribus non sunt coniuncti, & aiunt se continere non posse; at cur vxorem virginem optat accipere, cum ipse sit corruptus? simul vtrique sexui praecepta tradita sunt. sicut igitur vxorem virginem inuenire desiderat, sic & ipse virgo inueniatur. nota virum à virtute dictum; rectè autem libidinem vocat, *bestiam crudelissimam*, & acutè quidē arguit dilemmate: cur enim in hoc velut amphitheatro mulierem potius à mollitie dictam, pugnare vult, & esse victricem, cum ipse à uirtute, ac robore uir dictus, uictus succumbat? Vides nos in hac uita tanquam in amphitheatro pugnare cum uitijs quasi bestijs, cum hac praesertim immani fera concupiscentiae: hinc, *spectaculum, siue theatrum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus.*

Zelus Episcopi praesertim contra cōcubinarios.

3 Malas consuetudines acriter carpit. *Haec à multis sine vllo timore domini committuntur, quia in consuetudinem missa sunt, & vilia, vel breuia dicuntur. vnde corā Deo, & Angelis contestor, atque denuntio, ista mala me semper prohibuisse,* vt habere concubinas, &c. Vide zelum sancti Praesulis, quem alios Praesules imitari oportet, vt palam testentur, se prohibere peruersos mores ciuitatis, praesertim concubinatum; & nota impudentiam hominum in peccando quò spectat id, quod addit. *Quod peius est, facient hoc multi iure fori, non iure coeli. non iustitia iubente, sed libidine dominante.* pulchrè politicos homines & carnales damnat, *qui ius fori attendunt non ius coeli.* idest quid forensis consuetudo permittat, non quid diuina iura praescribant. pende verba, pauca sed seria.

4 Carnales homines omni praetextu peccandi priuat. Quidam se excusāt, quod abesse cogantur ob negotium aliquantisper ab uxore, atque ita alienis adhaereant. *Meretur ergo Regis iussio, meretur negotium, vt tot diebus non agnoscatur vxor propria, & non meretur amor, & iussio Dei, vt non tangatur aliena?* magnam vim habet hoc argumentum à maiore ad minus, & obiectum sic excludit. *Iuuenes, inquiunt, sumus, continere non valemus. at videant, ne fortè ideò castitatem custodire non possint, quia familiaritatem mulierum vitare nolunt.* Occasio igitur, non aetas in culpa est.

Nulla excusatio carnalis viri.

5 Peruersitatem, & inuidiam in nos diaboli ostendit. *Gratis amandus est Deus; nam diabolus hoc sancto Iob, nesciens quid in illo intus ageretur, magnum crimen obiecit, dicens; Nunquid gratis colit Iob Deum? igitur timere debemus, nè idem nobis obijciat; cum magno enim calumnioso habemus negotium: si quaerit fingere quod, non est, quantò magis obijciet quod est?* Notabile dictum; certè diabolus à calumnia nomen accepit; obijcit intentionem, quam non nouit, quantò magis opera mala quae nouit? suspicione ipsa falsa nos exagitat, quid re ipsa, & veritate? nuper adolescens quidam, è nostris integerrimae vitae, Ioannes Bertrandus nomine, cum praedixisset nocte, qua animam agebat, sibi magnam instare luctam, contendendo dicebat: Hoc non feci. item hoc non voluntariè feci. hē quid luctae impendet nobis, cum obijciet vera?

Negotiū nobis est cum magno calūniatore. diabolo.

6 Exponit illa verba Iob: *Dominus dedit, &c.) Ignis tentationis accessit, sed aurū, non stipulam inuenit.* rectè Iob non stipulam, sed aurum appellat, in vili licet sterquilinio iacentem, ac ipse de se Deo dixerat, *stipulam siccam persequeris,* apud Deū tamen aurum erat, ac propterea in igne afflictionis excoxit: & verba illius planè aurea dicenda sunt.

Iob auro comparatus.

7 Stephani mensuetudinem in morte commendat. *Stephanus autem. Iudaeos appellat: Dura ceruice, & incircumcisos corde, &c. audisti saeuientem; audi & diligentem. videamus si reddit duritiam cordis lapidibus duris; lapides enim mittunt duros duri. qui in lapide legem acceperant, lapides mittunt. positis genibus pro lapidantibus orat: Ne statuas illis hoc peccatum.* acutè dicit respondere inter se duritiem tabularum legis, & cordium, nisi quod interim contra legem aggebant necando Innocētem. ac propterea reor, Iudaeos hoc potissimū adhibuisse supplicium durorum lapidum quod ipsos arguens appellasset, *Dura ceruice, & incircumcisos corde.* nam & petrinis cultris circumcisio fiebat; at non respondit duro corde Stephanus quasi lapideus, sed mollire Deum conatus est orando pro ipsis. Nota etiam quod obiecit illis. *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* nimirum hoc maximè aegreferebat, quia de ipso dicitur: *cum esset plenus Spiritu sancto.* ideò enim coelos videns apertos, & patrem vidit & filium ad eius dexteram, nō autem meminit de Spiritu sancto; nempe quem in se ipso inhabitantem habebat.

Stephani zelus cum mansuetudine coniunctus

4 Acriter carnales exagitat. *Si qualemcumque scintillam fidei haberent impudici isti, sicut non permittunt seruos suos in praesentia sua peccare; ità nec ipsi in conspectu domini Dei sui adulterare praesumerent.* Nota vim fidei, vt eius scintilla tantum sufficere possit ad non peccandum: sed horrendum dictu est, in ijs, qui carnaliter peccant, ne scintillam quidem fidei appa-

superesse: quis enim coram Deo id ageret, quod seruus coram hero suo homine non ageret?

Martyres suos imitatores exaudiũt.

9 Quàm sanctè festa celebranda sint, docet. *Tunc pro nobis sancti Martyres intercedunt, cum in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt*. nempe vt sibi similes in patiendo, &c. diligunt; vt imitari non pudeat quos celebrare delectat. huc etiam pertinet quod addit. *Quoties ad Ecclesiam in qualibet sollenitate veneritis, & sacramenta Christi percipere volueritis; ante dies plures castitatem seruate; quam rem etiam per quadragesimam, & vsque ad clausulam paschæ fideliter custodite*. Notabile admodum est hoc monitum: de coniugatis loquitur, quos hortatur, vt mutuo consensu ante perceptionem sacramentorum, & in festis sollemnibus, immò per totam quadragesimam abstineant à re vxoria.

Matrimonium Sobolis causa institutum non explendæ concupiscentiæ.

10 Quàm integer sit finis instituti matrimonij, ostendit. *Bonus Christianus non solùm ante dies plures, quàm communicet, castitatem seruet, sed & vxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscat; nam & ipsæ tabulæ matrimoniales hoc continent, liberorum procreandorum causa; non dixit, libidinis, sed liberorum*. Vides in ipsis tabulis matrimonialibus hoc fuisse præscriptum, vt in nuptijs non habeat locum libido, sed liberi. Tum similitudine docet, non nisi raro, ac desiderio prolis exercendum matrimonium. *Nulla terra potest legitimum dare fructum, in qua frequenter in vno anno fuerit seminatum*.

11 Pergit ostendere inter coniuges ipsos aliquando castimoniam exercendã. *Dices: vxorem, excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum non est; in tantum peccatum est, vt Propheta pœnitens clamet, in iniquitatibus conceptus sum, & in delicto peperit me mater mea: & si Iudæis accessuris ad montem Sinai præcipitur; estote parati in diem tertium; & si quis nocturno pollutus fuerit somno, non manducet carnem sacrificij; si post pollutionem, quæ nobis nolentibus fieri solet, communicare non licet, nisi præcedat compunctio, & si infirmitas non prohibet, etiam ieiunium: quis potest dicere illud, quod vigilantes, & volentes facimus, non esse peccatum?* Vide quàm castè accedendum sit ad Eucharistiam; vt olim somnio nocturno licèt inuoluntariè pollutus ad ipsam non accederet, nisi præcedente non solùm compunctione, sed etiam ieiunio: vt mirum non sit, S. Frãciscum Xauerium ita in somno turpis rei imaginem detestatum, vt vi magna, etiam sanguinem exudarit.

Eucharistiam cõpunctio & ieiuniũ præcedat

12 Leuia quoque peccata perstringit. Dicis; ad vxorem libidinis potius quàm liberorum causa accedere peccatum quidem esse, sed paruum. *Nec nos dicimus capita esse, sed si frequenter exerceatur, & ieiunijs, vel eleemosinis non redimatur, nimis immundum facere*. Vide quantum satisfactionis requirat. quod si opus est eleemosinis, & ieiunijs ob accessum ad vxorem propriam, tantùm quia non absolutè desiderio prolis; quæ pœnitentia irroganda est illicitæ libidini? Pergit in eodem: *Noli despicere peccata tua, quia parua sunt; nam & pluuiæ guttæ sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum raidcibus tollunt*. mox addit. *Tu qui dicis, paruum peccatum est; velim scire, si tot paruulas, plagas in corpore tuo fieri velles?* argutè obiecta eludit. esto ea venialia sint, at vulnera sunt, licet non lethalia, at ex arcu diaboli intenta iacula sunt, licet non ad necem vsque feriant; sed quis tam stultus non curaret, se multis, quantumuis paruis plagis sauciari, nec se clypeo tueri vellet? huc etiã spectat quod sequitur: *In veste tua maculam fieri non vis, at totius Dei imaginem deturpas? imaginem tui pictam in tabulis sordibus inquinari non ferres, qualem iniuriam putat Deus, vt imago sua sordidetur?* Vide quid agat peccatum. scimus quàm acre supplicium lueret qui Imperatoris imagini, vel statuæ iniuriam faceret.

Matrimonio quàm castè vtendum.

13 Hæc de coniugatorum continentia sic item vrget. *Quoties dies dominicus, aut aliæ festiuitates veniunt, vxorem suam nullus agnoscat*: ex mutuo consensu; id supra quoque inculcauit, nunc de quolibet die dominico loquitur, ac die festo, addẽs rem sanè notabilem: *Ad mulierem menstruatam ne accesseris; nam qui tunc vxorem suam cognouerit, aut in die dominico, aut alia quapiam solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascuntur*. nota dictu horrendum de ijs, qui accedunt etiam ad proprias vxores die dominico, & alijs sollemnitatibus, adeò castitatis amans est Deus.

Die festo ad vxori menstruatam accedentes gignere soliti aut leprosos aut dæmoniacos.

14 Denique sic de hoc genere concludit, exponens illud Apostoli: *Vnusquisque sciat possidere vas suum in honore, non in passione desiderii.) Rogo vt indulgeatis, si pro salute vestra cum grandi timore, & verecundia de talibus verbis vos admonere videar*. Vide quàm timidè, & verecundè de rebus matrimonij agat, nec nisi necessariò. quod egregiè præstitit vir eximiæ probitatis, atque doctrinæ noster Sanchez in libris, quos de matrimonio scripsit.

De materia matrimonij timide, & verecũdæ disserendum.

Ex Serm. post Pentecosten.

Stultum est pro tẽporalibus amittere æterna.

1 EGregiè ostendit quæ virtutes sint, quæ mundant animã, & capacem faciunt diuinitatis: continentia .s. & sustinentia iubemur .n. contineri ab his, quæ in Mundo dicuntur bona, & sustinere quæ abũdant mala. Tũ de stultitiã amatorum huius seculi sic. *Cum perierit quod factum est, vbi erit amator temporis, qui perdidit æternitatem?* grauiter dictum: mundanus, vt amaret tempus, hoc est temporalia, & tempus ipsum perdidit, & æternitatem.

Cor in fide fixum sit oportet.

2 Non est omittenda breuis vox, sed præclara de fide. *Non debes videre quod credas, sed credere, vt videas. Initium religionis est fixum habere cor in fide, & sic bene viuere.* rectè monet, fidem & præcedere debere, & iungi cum bono opere. vt autem cor firmiter figatur in fide, clauum Dei timoris oppange.

Pauperes baiuli diuitiarum in cœlum

3 Ad eleemosinam hęc pertinent. *Si quis diceret: Si vis non pereant diuitiæ tuæ, transfer eas ab Oriente in Occidentem, æstuares, cum non haberes iumenta, vel naues, quæ ferrent, sed longius transuehennæ sunt in cœlum vsque ad Deum. dedit his pauperes, qui ferrent. noli timere, vel laborare, laturos tibi pauperes fecit.* rectè ostendit, bona collata, non amitti, sed potius asseruari: nempe ipsi pauperes quasi baiuli onus humeris accipiunt suis, & transuehunt in cœlum.

Ex Serm. I. & seq. ad Iuuenes.

Ex Dei prouidentia Mundus ærumnis plenus est, ne inhæreamus.

1 A Terrenis auocat animum. *Ecce turbatur Mundus, & amatur; quid si tranquillus esset? formoso quomodo hæreres, si sic amplecteris fœdum? flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non reuocas manum? non vis relinquere Mundum, reliquit te Mundus, & sequeris Mundum?* Vide Dei prouidentiam in hoc ipso, quod aduersa permittat; nam si fœdus, & spinosus amatur, qui si pulcher esset, & floridus? ideò per prophetam ait, *sepiam viam tuam spinis.* & tamen per pũcturas ad eum curritur. huc spectat illud Gregorij: Ecce, inquit, Mundus fugit. ecce ĩ seipso aruit, & adhuc ĩ cordibus nostris floret vndique amaritudinibus replemur, & tamen cæca mente ipsas eius amaritudines amamus: fugientem sequimur, labentiinhæremus.

2 Hominis miseriã vel ab infantia incipere ait: *Mox vt homo nascitur, & vitam plenã miseriæ velut propheta futuri laboris sui, præconio lacrymosæ vocis ingreditur.* en cur statim natus infans gemat. nępe ipse suo vagitu, cum non possit voce, & propheta, & preco est miseriæ, ad quã venit. pulchrè vagitũ illũ lacrymabilẽ pro vaticinio, & præconio dicit. Ad hæc addit: *Infãs etiã si nondũ in animo suo, in aliorũ tamẽ animo tentari potest, & diaboli circũuẽtionibus capi, aut per ligaturas execrabilium remediorum, aut per sacrilega sacra gẽtiũ, aut per negligentiã baptismi morituro. trabit enim secum propaginem mortis; & in illo peccati vulnere radicatur, quod primo homini venenoso dente serpentis inflictum est.* Nota, si infantilis ætas aliorum vitio subiecta est tẽtationibus, quãtò magis cæteræ ætates, cũ & proprium accedit vitiũ? adhuc fascijs ligãtur, & ligaturis magicis obnoxij sunt. quàm verò execrabilis superstitio circa infantes maximè, qui se adiuuare non possunt, nec ijs resistere? pręterea vide quid sit peccatum originale, nempe. *propago mortis, & vulnus venenoso dente serpentis inflictum primo homini tanquã in radice.* Vide igitur an verisimile sit Mariã, è qua vita processit, traxisse propaginẽ ęternæ mortis, & demorsã dẽte venenato serpentis? Eleganter item explicat idipsum his verbis: *Originale peccatum per parentum viscera vsque ad fructũ prolis tramite mortalitatis excurrit*

Vagiens infans prẽco est suæ miseriæ.

Peccatũ originale propago mortis, & vulnus venenatũ.

3 Delicias terrenas fuisse dicit causas cur Christus tam acerba pateretur; & ita eleganter exponit illud, quod aiunt voluptarii. *Fruamur bonis, vtamur creatura, nõ prætereat nos flos temporis; nullum pratũ sit, quod non pertranseat luxuria nostra. circumueniamus iustum, &c.) Vinum sequitur furor, vnguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiã. à talibus interfectus est dominus. quis de coronis florentibus cruenta vincula formidaret? quis de suauibus poculis dolores sæuissimos prçuideret? quis de mollibus pratis tam dirum crucis lignum prænosceret?* elegans est antithesis. vide quàm detestabiles sint deliciæ, vt eis Christus opposuerit acerbitatẽ suæ passionis, hoc est sitim in cruce, acetum, fel, myrrhã exquisitis vinis; tormenta, quæ corpus vexarunt, & sputa delicatis vnguẽtis; vincula corollis intextis; rubicũdũ sanguinẽ rosis.

Christus tam dira passus vt delicias aboleret.

7 Aduersus fucatos faciei colores affert pulchrũ Cypriani locũ. *Audiamus beatum Cyprianũ, egregiũ martyrẽ, & suauissimũ doctorẽ de adulterino habitu disputantem. Manus, inquit, Deũ offendũt, cũ quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendũt, nõ metuis, ne in resurrectione artifex tuus nõ te recognoscat? Deũ videre non poteris, quoniã tibi oculi nõ sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit.* elegans alliteratio. vide quanti Cyprianum faciat. & rectè hic fucum arguit, qui cum tam eleganter loquatur, nihil fucatũ habet in sermone. Idẽ

Cyprian. egregius martyr, & suauissimus doctor,

inue-

inuehitur contra personatos,& oculorum maximè meminit, quos Iezabel hoc stibio inficiebat. huc refert illud Apostoli: *portate Deum in corpore vestro. quod tunc fit, cum imaginem eius per immundas, & profanas inuentiones non deformamus.*

Castitatis quotidiana pugna & rara victoria.

8 Quàm cautè custodienda sit castitas, docet. *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria. grauem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur.* hoc ipsum alibi inculcatum est. vide nouum genus hostis, qui victus adhuc pugnat, & post triumphum timetur. quibus opus est excubijs? quis vnquam arma de manu deponat? sed quàm præclara laus tot religiosorum, qui in hac quotidiana carnis pugna quotidianas reportant laureas?

Triumphus castitatis quomodo reportetur.

9 Eos carpit, qui occasionem peccandi non euitant. *In aliena domo cum extraneis mulieribus putant se castitatis obtinere triumphū; cū Dauid ille sāctissimus in mille passionibus pressus mulierē nudatā videns homicidium fecerit, & adulterium.* quidam legūt, *mille passibus.* quasi per auxesin dictū sed potius legendum, *mille passionibus pressus,* idest ærumnis & persecutionibus: sic enim habet tomo nono, vbi *de honestate mulieris agit.* Notabile dictum contra eos, qui proximè cum mulieribus versantur, cum Dauid licet tot persecutionibus fatigatus videns mulierem non domi suæ, sed cum aliquo interuallo, ceciderit: nempè sagitta vel longè ferit. sic de muliercula illa adolescentem pelliciente dicitur. *Irretiuit eum multis sermonibus &c. donec trāsfigat sagitta iecur eius.* pulchrè autem ab ijs, qui fœminarum consuetudinem vitant, *obtineri castitatis trumphum*, dicit. sic triumphauit Thomas Aquinas & alij similes.

Castitatis custos Martyr est laureatus.

10 Est hoc præclarum elogium castitatis. *Qui castitatem defendere in alijs, & in se custodire voluerit, Martyr est; nec vnam, sed plures coronas Deo remunerante percipiet; nam qui ei insidiatur, persecutor est.* Vide quàm difficilis lucta sit, & victoria, tanta videlicet, vt qui vicerit, dignus videatur præclara martyrij corona, nec vna corona, sed pluribus: quia quot tentatiobus ipse resistit, & quot à libidine auocat, tot adipiscitur coronas: quid ni penè martyres appelles Benedictū, qui se in spinas; Franciscum, qui se in glaciem iniecerunt, vt tentationi carnis obsisterent, & Ignatiū nostrum, qui se summa hieme in gelidum lacum, vt impudici iuuenis extingueret flammam?

Vulnus libidinis difficile curatur.

11 De eadē virtute dat monita. *Etiā ancilla vitāda familiaritas est; quia quātò earū vilior conditio, tantò facilior ruina est. Tū obiecta infirmat. Dicet aliquis; Iuuenis sum, facio quod me delectat, postea pœnitentiā agā. hoc est dicere; percutio me gladio, & postea ad medicū vado. vnius horæ puncto vulnus accipitur, & longo tēpore curatur.* Vide quàm atrox sit peccati vulnus, præsertim libidinis, quod momēto vel volucri cogitatione accipitur, sed ob relictas in animo species, quasi saniem subinde euomens, multò cum labore, & diuturno curatur.

Innumerabilia monasteria tempore Augustini.

12 Resistendū esse incontinentię docet. *De infelici libidine puto dictum à Ieremia: Quomodo confractus est malleus vniuersæ terræ? quamuis. n. per innumerabilia monasteria, & Cleros, vel laicos castitatem seruantes quasi confractus malleus ille videatur, adhuc tamen multò plures sunt, qui ab ipso malleo confringantur.* Nota, tempore Augustini, *innumerabilia monasteria* fuisse, quæ laus est etiam nostrorum temporum. conandum, vt cū eadē seuera disciplina: Clerū ēt, immò laicos ex hac virtute cōmendat, egregiè autē dicit, per castitatē, in primis religiosorū, Diabolū confringi quasi malleū, quos frustra, immò cū sui fractura tundat quasi solidissimos adamātes; at carnales, qui fragilitate quasi vitrū sunt, malleus hic facile frangit, ac minuit, vitrū .n. confringere potest malleus ēt ex parte cōfractus. Tū hoc dat monitū: Si carbones ignis proieceris statī, nō nocebunt, ita tētamēta libidinis, illico à te reiice; caue moreris: quamobrē ait Apostolus: *Deus cōterat Satanā sub pedib⁹ vestris velociter.*

Castitas diabolum quasi malleum infringit.

Ex Serm. post Pentecosten.

Die Dominica Angeli creati. māna pluit Spiritus sanctus aduenit.

1 DOminici diei pclarū qddā affert. *Apparit dominicū diē in scripturis esse solemnē; ipse .n. est primus dies sæculi; in ipso formata sūt elementa Mūdi. in ipso creati sunt Angeli; in ipso quoq; à mortuis resurrexit Christus; in ipso de cœlis Spiritus sanctus super Apostolos descendit; & māna in eremo primùm de cœlo datū est.* sacrificio igitur mane intersint, immò vesperis quoque, &c. Notabile in primis est manna die dominico cœpisse pluere, vt inde discam⁹ Eucharistiā eo maximè die sumendā. & cū creatos dicat Angelos itē die dominico, par est, vt cū Angelica puritate sumamus.

In missa celebranda sacerdotis celeritas taxatur.

2 Qua pietate sacra celebranda sint, docet. multos verbosos esse in Ecclesia dolet. nec omittendū q subiungit. *Aliqui, q valde dolendū est, cogunt presbyteros, vt abbreuient missā, & vt ad eorū libitū cātēt.* Viget adhuc hæc peruersitas, sed occurrit Ignatius noster hac lege, vt missa semihoram omnino expleat, quicquid mundani obstrepant.

Ex Serm. I. & seq. de Dedic. Ecclesiæ.

Euchariſtia quàm piè ſumẽda.

1 QVàm mundè ſit Euchariſtia ſumenda, oſtendit. *Si in arca ſordibus plena veſtis non mittitur pretioſa; qua fronte in anima, quæ peccatorum ſordibus inquinatur, Chriſti Euchariſtia ſuſcipitur?* pulchrè ait, Chriſti corpus inſtar pretioſæ veſtis eſſe, quamobrem ait Apoſtolus, *Induimini dominum Ieſum Chriſtum*. arca cor eſt, ſiue anima ipſa, ſponſæ certè veſtimenta vnguentis fragrantia laudantur à domibus eburneis, id eſt arcis ex ebore factis; ebur autem ob candorem, & ſoliditatem firmæ pudicitiæ typus eſt.

Conuerſio gentium per aduentum reginę Sabæ ſignificata.

2 De conuerſione gentium interpretatur Reginæ Sabæ aduentum. *Regina Saba, hoc eſt Eccleſia venit cum multo comitatu, ſcilicet totius* Mundi *gentibus, exhibẽs munera Chriſto, aurum, & gemmas pretioſas, & hæc camelis portantibus, ſcilicet gentilibus, qui fuerant vitiorum fœditate diſtorti, & malorum onere curui. exhibet fidei aurum, puritatis incenſum, ſplendoreſque gemmarum, id eſt morum inſignia, & ornamenta virtutum; & locuta eſt ei vniuerſa quæ habebat in corde ſuo, id eſt manifeſtauit ei occulta conſcientiæ in confeſſione*. pende ſingula; aurum, & pretioſæ gemmę à camelis deformibus portatæ ſunt; ſic à gentilibus conuerſis fides exhibita. rectè fides auro comparatur, & quia primum eſt ex metallis, & quia igne probatur, vt fides aduerſis. mores honeſti, ceteræque virtutes quaſi pretioſi lapides ſunt. denique, cordis manifeſtatio à Saba Salomoni facta, confeſſio eſt ſacerdoti loco Chriſti facta; non itaque vile eſt, sed regii, & ſinceri animi propria manifeſtatio cordis: Salomon confeſſarium repręſentat; multa igitur ſcientia illi opus eſt.

Regina Saba admirans męſę ſũptum Salomonis in typo Euchariſtiæ.

3 Pergit idem interpretari. *Regina Saba videns ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & ſacrificia, & cibos menſæ eius & expenſas, &c. non habebat vltra ſpiritum.) Quid erat, vt præpotens* Regina *domus expenſas, & cibos regios tantopere miraretur? maiora aliqua nos oportet inquirere. vidit Eccleſia ſapientiam Chriſti poſt animalem doctrinam philoſophorum. agnouit fabricatorem cœli, ac terræ; vidit cibos eius, altaris ſacramenta cœleſtia, de quibus dicitur: panem cœli dedit eis; panem Angelorum manducauit homo: vidit holocauſta, id eſt orantium, ſupplicantiumque myſteria, & obſtupuit, vbi vidit inæſtimabiles diuitias domus domini, dixitque: verus eſt ſermo, quem audiui, &c.* immò in cœleſti Dei viſione ſuperabit auditum, & cogitatum res ipſa viſa ob excellentiã: *Nam re vera quod parat Deus diligentibus ſe, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt*. Notabilis locus de Euchariſtia; qua enim ratione præpotens Regina Arabiæ, quę regio delitijs tam abundans eſt, admirari potuit quaſi rem nouam, apparatum ciborum, & menſæ expenſas, adeò vt ex his obſtupeſceret, & attonita reſpirare vix poſſet? *vix habebat vltra ſpiritum*. ſed nimirum Eccleſia, inquit, hæc eſt, quæ diuinam dapem in altaris Euchariſtici menſa admiratur, ac ſtupet ob tot miracula, quæ in eo cibo concurrunt; nec habet vltra ſpiritum ſuum, quia de ſpiritu Chriſti viuit: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*. & quia eum ſpirantem in cruce, ac paſſione recogitat, cum Ieremia dicit: *Spiritus oris noſtri Chriſtus dominus, captus eſt in peccatis noſtris, ſub vmbra illius viuemus*. nempe ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quaſi ſub vmbraculo continetur. preterea Salomonis menſæ expenſas Regina eſt admirata, licet ipſa ditiſſima eſſet: nempe hæc eſt abundantia donorum, immò ſanguinis ipſius pretioſiſſimi quem liberaliſſimè, ac magnificentiſſimè expendit. hoc etiam innuit Eſaias: *Stupebunt in bonis domini*. legunt alii, *ecſtaſin habebunt ſuper bonis domini*. & certè in Euchariſtica in primis menſa viris ſanctis ecſtaſis ſolet accidere.

Mundus fornax eſt aurum boni, palea mali.

6 Paucis, ſed notabilibus verbis exponit Mundi ſtatum. *Mundus iſte fornax eſt; palea homines mali, aurum boni. ignis tribulatio, artifex Deus: ideò dicit: Proba, Deus, & vre renes; ſed addit: quia miſericordia tua ante oculos meos eſt*. rectè hoc notat adiectum, eum, qui eſt in tribulatione, debere ante oculos præponere Dei pietatem, & in ea confidere. huc ſpectat quod ſequitur. *Siue de vaſis in honorem, ſiue de vaſis in contumeliam, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, amen, ait Apoſtolus. alios coronat, alios damnat, nuſquam errat. alios probat, de alijs probat; omnes ordinat; quid faciunt in Mundo mali? in fornace aurificis palea quid facit? aurum purgat*. nota de prædeſtinatione, & pręſcientia grauiter dictum; & admirare Dei ſapientiam, ac prouidentiam: etiam mala Deus ordinat, ac dirigit ad bonum.

Corpus & anima duplex ara Deo ſacra.

5 Myſticè interpretatur altare. *In templo Salomonis legimus duo altaria fuiſſe conſtituta, vnum foris, alterum intus. in illo animalium fiebant ſacrificia, in hoc thymiamatis offerebatur incenſum, in nobis duo ſunt altaria, corporis ſcilicet, & cordis. duplex ſacrificium quærit*

rit Deus, vt simus casti corpore, & mundi corde. Vide quàm sanctè, casteque corpus seruare debeamus. S. Lucianus cum in carcere non haberet altare, eius loco supra pectus suum sacrum celebrauit. & pater Origenis, qui postea fuit Martyr, ad eius adolescentis pectus quasi ad aram orare solebat.

Nouus feruor spiritus canticum nouum est.

8 Pulchrè interpretatur titulum psalmi. *Cum ædificaretur domus post captiuitatem, dicitur: Cantate domino canticum nouum, Quid enim habet canticum nouum, nisi amorem nouum? cantare amantis est. vox vnius cantoris feruor est sancti amoris. cum in fabrica lapides, & ligna bene cohærent, securus intras. domum Dei non facimus, nisi quando charitate compaginamur.* Nota suauem harmoniam, quam facit charitas & vnitas; & vide quid agat feruor sancti Spiritus: linguam soluit in cantica dilectionis. ceterùm sicut nemo audet intrare domum dissoluta compage lapidum, ne obruatur ruina, ita nec in cœtum nos inferre debemus, vbi non sit vnitas. porrò ædificium hoc post captiuitatem puto esse quod religiosi extruunt post seculum relictum, ex auro, argento, & lapidibus pretiosis, vt dicit Apostolus. hi verè concinunt cãticum nouum, quia veteris hominis oblectamenta dimiserunt. *Quid habet canticum nouum, nisi amorem nouum? vox cantoris est feruor sancti amoris*, pulchrè dictum.

Ex Sermonibus de Sanctis.

Ex Sermone de S. Stephano.

Stephanus verba salutaria iaculans in lapidum iaculatores.

1 Eleganter de S. Stephano. *Eia, Stephane, iaculare verba, & excipe saxa. dic aliquid de incircumcisis cordibus, & morieris lapidibus.* acutè dictum: Iudæi lapides iaculabantur ad necem, Stephanus verba iaculabatur ad vitam. scilicet ipsa reprehensio ad salutem erat. sed quanta Iudæorum peruersitas? videntur enim. *illi hoc potissimum supplicio durorum lapidum vsi, quasi vltionem sumere vellent de ijs verbis: Dura ceruice, & incircumcisi corde*: circumcisio enim fiebat lapideis cultris,

Pauli cõuersio debetur Stephani orationi.

2 Efficaciam precum Stephani ostendit. *Quantum valuerit oratio Stephani, recurrite ad persecutorem Saulum: nam si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet; sed ideò erectus est Paulus, quia in terra inclinatus genuflexo exauditus est Stephanus.* Vide vim orationis pro inimicis maximè factæ: Paulum Ecclesiæ peperit; sicut Christi similis oratio in cruce latronem rapacem peperit cœlo; nam & Saulus Christianos spoliabat, vexabat, ideò lupus rapax dicitur.

Stephanus ætatis florem suo sanguine purpurauit.

3 Pulchrè de Stephani morte sic. *Stephanus in ipso iuuentutis flore decorem ætatis suo sanguine purpurauit.* congruit sanè floris decus Stephani nomini, hoc est, coronæ. nec mirum, quod floribus in eius reliquias iniectis quosdam miraculosè sanatos infra narret. candidus erat ille flos Stephani ob insignem castimoniam. hinc est quod, *intuentes eum, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* accessit flori decus ex innocentis sanguine, ac purpuream fragrauit in rosam.

Christi sãguis ægræ animæ pharmacum.

4 Affectum in Christum cruci affixum mouet. *Dominum vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentũ facientem. vide pendentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem.* Duo dicit, Christus in cruce, & medicus fuit, & Iudex; vt si pietatem contemnis, supplicium metuas. sanguinem è suis vulneribus manantem adhibet ad nostra vulnera sananda, quid amabilius? crux ipsa tribunal est, quid formidabilius? ad sua vulnera nos citabit ingratitudinis, & impietatis reos: quid enim aliud peccando agimus quàm quod Paulus ait. *Christum iterum crucifigentes, & eius sanguinem conculcantes.*

5 De dilectione inimicorum sic. *Pater, inquit ignosce illis.) dicis; potuit Christus, ego non possum. ego homo, ille Deus homo; Deus ergo vt quid homo, si non corrigitur homo?* rectè arguit; nulla igitur excusatio. ego homo, ille Deus homo; nam iccirco factus est homo vt homo ipsum imitaretur. sed esto. certè Stephanus homo tui similis est, & tamen tàm piè pepercit.

Quies nõ nisi in iniuriæ condonatio-haberi potest.

6 Exponit illud de Stephani morte: *Obdormiuit in domino.) Felix somnus, & requies vera. ecce quid est requiescere, pro inimicis orare.* notabile dictum: nempe qui vindictam sumunt, inquieti semper sunt; somnum capere non possunt. qui verò parcit ira deposita, is suauissimè obdormiscit: hinc dictum puto. *Sol non occidat super iracundiam vestram*, nam cum nox sequatur Solis occasum, eam quietè traducere non poteris ad quod facta est: *requiescere, & obdormiscere est pro inimicis orare.* errant igitur qui tunc quietem se inuenturos sperant, cum vlti fuerint de inimicis.

Stephani vestis mortuam resuscitat.

7 Miracula in Stephani translatione commemorat. *Syrus quidam cum Stephani vestem super mortuam filiam proiecisset, reddita est vita.* Vide quam vestem dicat, quæ fuit concissa lapidibus, quæ fuit intincta sanguine, ad quem fundendum Iudæi vestes suas exuerant, reponentes ad Sauli pedes: hæc vitam redintegrauit.

Stephani oleo mortuus perunctus reuixit.

8 Pergit de Stephani miraculis. *Cuiusdam Irenei filius ægritudine extinctus est; amici cuiusdam monitu cum Stephani oleo corpus perunxisset, reuixit.* Nota: Stephani oleum vocat, fortasse quod ex eius ossi-

bus scaturiret, vt de alijs quibusdam sanctis legimus, quod illi conuenientissimum fuit, qui miserationis oleo erga inimicos tunc maximè affluebat, cum ab ijs vita extinguebatur. quod si de oleo, quod ad eius reliquias ardebat, intelligendum esse videatur, miraculi significatio ad idem recidit; si primum dicas, quodammodo ad lapidatum Stephanum referas illud psalmi: *Eduxit mel de petra, oleumquè de saxo durissimo.* significatum quoque puto Stephanum fortissimum athletā fuisse; apud athletas enim olei vsus erat.

9 Et hoc insigne miraculum, quod narrat de Petronica clarissima fœmina nobiliter nupta. hæc, inquit, nunc Chartagine habitat, ob languorem magnum, ac diuturnum, iussa est à quodam Iudæo pro remedio, *Annulum capillatitio vinculo inserere, quo sub veste tegeretur, qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. hoc alligata quasi remedio ad sancti Martyris limina veniebat; cum ante pedes suos iacentem annulum vidit, & capillatitiā zonam tentauit, quam cum omnibus suis nodis firmissimis, sicut fuerat, comperisse adstrictam; crepuisse, atque exilijsse annulum suspicio erat, qui integerrimus inuentus est; futuræ salutis pignus se accepisse præsumpsit, ac vinculum soluens simul cum eodem annulo proiecit in flumen. non credent his qui iam dominum Iesum per integra virginalia matris exiuisse, & ad discipulos ianuis clausis ingressum esse non credunt. clarissima fœmina est, &c.* Nota primùm quàm infensus fuerit Stephanus incantationibus stultis, & præstigijs; quin potius ipso, *sapienter incantante*, vt ait psalmus, *continuerunt aures suas* Iudæi in morem aspidis surdæ. deinde & illud notandum, quod, vt erat Stephanus pudicissimus, id miraculum fecerit, quo Deiparæ virginitas comprobari poterat.

Miraculū S. Stephani quo Deiparæ virginitas comprobatur.

10 Et hoc mirum in Stephano factū. *Decem fratres, tres fœminæ, septem mares de Cæsarea Cappadociæ, maledicto matris tali pœna sunt coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes timore, ac tremore membrorum. in qua fœdissima specie ciuitatis oculos non ferentes, vagabantur. ex his Paulus ad cancellos, vbi Stephani martyrium erat, orans dormiuit, non tamen tremens, vt solebat. surrexit, & non tremebat iam sanatus.* Nota primùm, quia Stephanus pro inimicis orauerat, ex quibus præcipuus erat Saulus, idest Paulus persecutorum vestes seruans, vt in omniū manibus lapidaret; huic quoque, qui Paulus vocabatur ex maribus fratribus, qui matrem malè affecerat, vt alter Paulus Ecclesiam matrem, parcere voluit. Secundò nota, eandem omninò maledictionem, ac pœnam datam inobedientibus filijs, & cōtumeliosis in matrē, quæ data est Caino fratris interfectori, nempe tremorem membrorum, & vt vagus esset super terram. itaque contumelia solùm matri illata, tam seuerè à Deo punitur in nouo testamento, vt æquiparetur fratricidio, & sola irreuerentia neci ipsi.

Maledictio matris à S. Stephano curata.

11 Stephanum Christi imitatorem ostēdit. *Dominus in asperis clauis pēdebat, sed lenitatem non amittebat: Iudæi insultando caput agitabant, quod sanum non habebant, quia caput, quod est Christus, non habebant. pendebat ille, & sanabat. Pater, inquit, ignosce illis: magna pietas: pendebat, & tamen petebat, & non descendebat; quasi de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat, nam quasi summo medico in medio constituto phrenetici vndique sæuiebant.* Vide cur non descēderit de cruce, quia Iudæos phreneticos videns, & insaniētes, de sāguine suo mederi eis volebat. simile est illud Apostoli. *O insēsati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus?* hoc est, miror vos insensatos insanire quasi fascino ligatos, cum medicamentum ante oculos positum sit Christi crucifixi sanguis. idem ad ceteros peccatores & mundanos refer; quid enim sunt nisi mente moti? ipsimet fatētur. *Nos insensati, &c.* Tum fructum ostendit ex illa petitione, hoc est ipsam crucifigentium conuersionem. *Sanguinem, quem fuderunt sęuientes, biberunt credentes, & facti sūt post resurrectionem credentes, qui fuerant persequentes.* Vide ineffabilem Christi misericordiam; sanguinem suum dedit in poculum ijs ipsis, qui eum fuderant occidendo, multi enim conuersi postea sunt.

Christi sanguis phreneticis medicina.

12 Pergit de Stephani præclara nece dicere. *Saulus cum omnium vestimenta seruabat, tanquam manibus omnium lapidabat.* est hoc notabile, nam & Paulus postea de se ait: *semel lapidatus sum*: ità Stephanus non modò Paulo pepercit orando, sed consortem eiusdem gloriæ in lapidatione habere voluit. simul nota, eum, qui multis ad idem facinus concurrentibus fauet, eorum omnium personam subire.

Paulus seruans vestes lapidantiū quasi omnium personam gerebat.

13 Quærit, *cur Stephanus se filium hominis videre testatus est, & non potius filium Dei? cum vtique plus delaturus honoris domino videretur, si Dei potius, quàm hominis filium videre dixisset, sed ad confundēdā Iudæorum incrudelitatem ille ostenditur in cœlo, qui negabatur in terris:* quasi diceret; quem vt hominem hic despexistis, ille ipse Dei filius in cœlis regnat, ità in gloriam redundat vox illa de hominis filio.

Cur Stephan' vocet filium hominis non Dei.

14 Est hæc laus egregia. *Stephanus Apostolos ipsos beata, ac triumphali morte præcessit; & qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio.* præclarè triumphalis dicitur Stephani mors; coronam autem accepit debitam vel nomini. lapides illi pro gemmis fuere. præcedens quasi dux fuit,

Stephani triūphalis mors fuit.

fuit, & signifer Apostolis in martyrio; immò magister ceterorum Martyrum, docens primò, qua alacritate sit pro Christo moriendum; deinde quàm mansuetè, ac piè inimicis parcendum; tertiò quantum gloriæ in cœlo paratum sit, patente victoribus.

Proprij peccati recordatio extinguit iram vindictæ

15 Occasionem nactus hortatur ad dilectionem inimici. *Attendis quid tibi fecerit homo, & nō consideras quid feceris Deo.* contempsisti videlicet toties Deum, & tamen pepercit. Tum exponit illud: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Altissimi, &c.) Si tè homo diues vellet adoptiuum filium habere, nonnè etiam conuicia turpissima sustineres? abstinemus à contumelia, & vindicta, si potens persona se opponat: quod ergo extorquet hominis timor, debet à nobis exigere Christi amor.*

Stephani præclarū elogium.

16 Est & hoc insigne Stephani elogiū. *Pulcher erat vbique Stephanus, & in corde & in corpore. Stephano tanquam martyri, & pulchritudo erat corporis, & flos ętatis, & eloquentia sermocinantis, & sapientia sanctissimę mentis, & operatio diuinitatis.* Nota Stephani dotes, non solùm dona animi, sed corporis. laudatur à pulchritudine, ab ætate, ab eloquentia, à sapientia, non tantùm theorica, sed practica, ita vt eius actiones nescio quid quasi diuinum ostenderent.

Stephanus cum Mose collatus.

17 Mosen, & Stephanum inter se comparat. *Moyses quando velamentum posuit contra feciem sanctam suam, nolebat videre criminosam faciem Iudęorum: Stephanus verò reuelata facie sua speculabatur in cœlis gloriam* Dei *filij, ideo videbant vultum eius tanquam vultum Angeli.* elegans comparatio inter Mosen, & Stephanum: ille velabat faciem, quia peccatores tantùm sibi obiiciebantur oculis: at Stephanus non velauit, q̃a ei reprǣsētabatur pulcherrimus aspectus sursū filii Dei; & ideò similis Angelis, qui eo spectaculo fruuntur, est visus, ceterùm in multis Mosen Stephano similem inuenies; nam & ille penè lapidatus à populo vidit gloriam Dei.

Cor inuidi latibulum serpentis.

18 Iudæorum sæuitiam ostendit. *Super Martyren Stephanum Iudęi dentibus colubrinis stridebant, quia quasi serpentem in corde habebant.* Vide quid sit inuidia; coluber quidam est venenatus, & cor inuidi quasi latibulum, ac foramen serpentis. sed hūc quis extrahet è corde, nisi manus illius, qui vt hominem inuidia diaboli perditum saluaret, incarnatus est? *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli manum suam mittet.*

Oculus mulieris Stephani floribus sanatus.

19 Miracula alia Stephani narrat. *Ad aquas Tibilitanas, mulier ad reliquias Stephani flores obtulit, recepit, oculis admouit, protinus vidit.* notabile hoc est, nam Christus cæci oculos luto sanauit, Stephanus floribus. illud mirabilius, sed hoc pulchrius ad speciem. oculos hic sanauit, nempe qui tanta acie oculorum diuinitùs pollebat, vt videret in cœlis Dei filium ad patris dexteram ipse in terra positus. floribus sanauit, qui in flore ætatis occubuit, & cui floream coronam, vel martyrium obtulit, vel ipsum Stephani nomen. ac potissimùm vt oculus sanatus floribus, præsertim mulieris, disceret pudicus esse, & castitatis flore vernare. egregius pudicitiæ magister

Calculo laborans ad Stephani reliquias sanatur

20 Addit alterius sanitatem. *Eucharius presbyter ex Hispania, vetere morbo calculi laborabat, per memoriam Stephani saluus est factus.* Notabile hoc videtur: meritò enim in lapidibus extrahendis è corporibus aliorum vim Stephanus habuit, qui in suum corpus lapides recipere sustinuit pro Christo.

Abhorrens à fide mire per Stephanum resipiscit.

20 Miram vim Stephani florum iterū ostendit. *Vir primarius nomine Martialis multum abhorrebat à religione Christiana; gener eius aliquid florum de altari S. Stephani ad caput dormientis posuit, ante diluculum clamat, vt ad Episcopum duceretur, & credere se dixit. quandiù vixit hoc in ore habebat: Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* mirum hoc omnibus visum ait, quippe cū nesciret hæc verba à Stephano dicta. Tum vide quales fructus hi flores ediderint, nō modò sanitatis, vt supra dictum est, sed sanctitatis, scilicet dormientem excitarūt ad fidem, eius meritis, qui lapidatus, *obdormiuit in domino.*

Ex Serm. de SS. Innocentibus.

Infantes pro victima aptè infantes Deo oblati.

1 DE SS. Innocentium nece multa eleganter habet, in primis hæc, *Indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio. agni debent immolari, quia Agnus est futurus crucifixus.* mox addit, *quot modis mater occultare volebat, & ipse se infantulus publicabat?* pulchrè ostendit, infantes quodammodo fuisse auidos martyrii, dum matres eos abscondebant, ipsi se vagitibus, cū verbis non possent, lictoribus indicabant. & rectè Angelis indictum gaudium dicit, ob eius ætatis puritatem.

2 Elegans est in Herodem inuectiua. *Herodes, quid putas acturus eris, quando cōtra te tot Infantium classes iudiciale ceperint exercere litigium? inuenies claram linguam, magnam vocem, mensuram perfectam, omnes iuuenes candidatos in mensuram ætatis plenitudinis Christi fulgentes. ipsum videbis throno igneo præsidentem, illos solium dominicum circumdantes, candore roseo splendentes, propter candidam ætatem, & sanguinem passionis.* acutè ait; crudelitatem nūc, vt infantes, exprobrare non possunt, sed in iudicio Christo pares ætate litem intendent clara lingua, &c. pulchrè quoque ostē-

dit,

dit, vt Innocentes hi circumsistent thronũ igneũ Christi iudicis, pro quo primi necati: splendebunt candore roseo: cãdidi propter infantiam, rosei propter sanguinem.

SS. Infantes prior excepit æternitas quàm tẽpus.

3 Hæc & affectum, & leporem continent. *Quàm beata ætas, quæ nec dum Christum potuit loqui, & pro Christo meretur occidi: nondum opportuna vulneri, & iam idonea passioni. quàm feliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna vita obuiã venit?* nempè in infantuli corpusculo vix dum erat vulneri locus, & electus tamen ad passionem: paruum iter illis fuit faciendum ad æternitatem, nam æternitas prior illis obuiam occurrit, atque excepit, quàm tempus ipsum. Sequitur item pulchrè: *Vix dum ingressi infantiæ cunas, & iam perueniunt ad coronas. rapiuntur è cõplexibus matrum, sed redduntur gremijs Angelorum.* proh quanta felicitas obtigit statim: in cunis erant, obligati pedes erant fascijs, nondum apti, vt excurrerent in stadio, & tamen ad metam, ad coronas subitò peruenerunt. adstabant Angeli, qui eos de sinu matrũ à lictoribus ereptos, exciperent ipsi gremio suo quasi nutricij: quid hoc felicius? puto fuisse illos ipsos Angelos, qui ad Christum natum genethliacon cecinerũt, vel custodes cuiusque Angelos, qui maternis blanditiis successerunt; nec tàm ijs næniam, quàm epicinion concinuerunt.

Christus prępoluit coronam spineam gemmeæ.

4 Arguit Herodem timentém, ne regno spoliaretur à Christo. *At non ille venerat, vt sacrum caput ad diadema gẽmatum, sed vt coronam spineam præpararet.* hoc patet ex eo, quòd post miraculum panum, cum venissent, vt facerent eum regẽ, fugit, ac latuit. subduxit caput diademati gemmis illuminato, reseruans illud coronæ spineæ: sed pretiosiores fuerunt illæ sanguinis guttæ, quibus hęc est exornata, quàm quælibet gemmæ.

Herodes non obfuit sed profuit SS. Innoc

5 Item pergit de Innocentibus. *Ecce profanus hostis nunquam beatis paruulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantũ profuit odio.* huic affine est, quod Esau seruire dicitur Iacob, dum eum persequitur; materiam scilicet ministrabat meriti. vide igitur, vt contrà quàm mundani putãt, aduersitates cedant in decora. & quod maius decus, quã ita occidi, quasi Christi personã gereret eorum vnusquisque; hoc enim tyrannus, & carnifex intendebat, Christum in illo occidere: quod non accidit ceteris Martyribus, qui tantùm pro Christo occisi.

6 Hæc etiam de iisdem eleganter dicta. *Beata est Bethleem, quæ sub vno tempore candidatam plebem imbellis infantiæ Deo offerre meruisti. incipientis vitæ primordijs ipse eis occasus initium gloriæ dedit.* subiungit mox. *Qui iure dicuntur flores Martyrum, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit.* dictum sanè floridè. addo rem mirabilem in hanc sententiam, quod in portis Hierosolymitani templi, vt habet Chaldæus, erat *sculptura liliorum, & fasciarum.* quid sibi voluit talis nexus? nempe vt significaret initio Ecclesiæ, velut in portis ipsis, primos Martyres futuros Infantes, ab ipsis fasciis, & eosdem fore *flores Martyrum.* quibus illud accommodes: *Florete flores quasi lilium, & date odorem.*

SS. Innocentes flores Martyrum.

Christus in præsepio terret Herodem in regia.

7 Herodem exagitat Innocentium interfectorem. *Ecce iacentem in præsepio pertimescit armatus. obuolutum pannis metuit purpuratus: Audiens, inquit, Herodes rex turbatus est, &c.* elegans antithesis: nempè Dei filius vel abiectus in stabulo, terrori est, & ipsis impiis Regibus metuendus in cunis. quid cum altum tribunal constituet in iudicio?

Sub altari Martyres meliꝰ requiescunt quã in sinu Abrahæ aut in paradiso.

8 Exponit locum illum Apocal. *Sub ara Dei vidi animas occisorum, &c.) conuenienter, & quasi pro quodam consortio ibi Martyrum sepultura decreta est, vbi mors domini quotidie celebratur. legimus plerosque iustorum Abrahæ finibus refoueri, non nullos paradisi amœnitate lætari; nemo tamen melius præter Martyres meruit, hoc est ibi requiescere. vbi & hostia Christus est, & sacerdos.* pulchrè ostendit, quanto honore, ac veneratione dignũ sit altare, vbi in missæ sacrificio mors Christi repræsentatur; vt propterea ipso felici Abrahæ gremio, & amœnitati paradisi præponatur: nec aptiore loco Martyres, & eorũ reliquæ condi poterãt. Tum declarat, cur clament: *Vindica, domine, sanguinem nostrum, cum præceptum sit: Diligite inimicos vestros. nimirum petunt vindictam causa charitatis; vt, qui ad vitam æternam prædestinati sũt, conuertantur à malo ad bonum; qui verò præsciente Deo damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant; ac per hoc minorem pœnam in inferno habeant.* rectè ostendit, eam quasi vindictæ petitionem ad pietatem pertinere: nam ex inimicis alii conuertendi sunt; alii non item. petebant igitur, vt & illi citò conuerterentur, & hi citò morerentur, antequam per maiorem cumulum maioribus pœnis obnoxij fierent; quò referri potest illud psalmi: *Antequàm intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut uiuentes, sic in ira absorbet eos.* & rectè, *sicut in ira.* quasi vmbratilis illa sit ira, re vera potius pietas.

9 Exponit illud: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.) Habent ante resurrectionem Sancti singulas stolas, quia in sola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur; postea autem accepturi sunt binas, cum receptis*

ceptis corporibus immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. de hoc Esaias ait: In terra sua duplicia possidebunt. Vide quàm ampla felicitas, & quantũ vndequaque decus: sequitur: *& dictum est illis, vt quiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conseruorum, & patrum eorum.) Tali modo loquitur Deus Sanctis, veluti pater familias habens multos filios, singulisque de agro reuertentibus, & rogantibus, vt sibi cibum tribuat, respondet: Refectio quidem parata est, sed expectate omnes fratres vestros, vt simul gaudentes epulemini. quod autem differtur, contingit nostra desidia, quia non religiosè viuimus, nec piè, vt congruit, operamur: nam si bonorum operum ad dominũ iustitia nostra praecederet, iam conseruorũ numerus, qui expectatur, esset completus.* magnum pondus habet hæc interpretatio. scilicet completa felicitas beatorum & illa cœlestis conuiuij iucundissima omni ex parte celebritas impeditur nostra culpa, cum pauci per bona opera salui fiant, ac proinde serius numerus sedium reparetur. qui igitur & suam, & aliorum salutem impensè procurant, cœlestium ciuium quasi conuiuarum expectationi rem gratissimam faciunt.

Felicitas beatorum in resurrectione complenda.

10 De commutato Martyrum statu sic eleganter, iuxta eadem verba Apocal. *Stant ante thronum coronati, qui olim steterunt ante thronum Iudicis pœnis adstricti. Stolis fulgent albis qui corpus pro domino ustulari; lacerari, vngulis abradi passi sunt, & per resurrectionem glorificationẽ recipiunt.* lepor est in antithetis. sequitur. *& seruiunt die, ac nocte in templo eius.) non enim est laboriosa, sed amabilis, & optanda seruitus in Dei laudibus assistere.* Nota pro religiosis, quorum status ad martyriũ accedit, quã nobilis sit, cũ hic titulus Dei seruorũ & in cœlesti gloria locũ sit habiturus, vtpote præclarissimus. die autem, ac nocte dicitur, id est perpetuò.

Martyrũ beatitudo singularis

Ex Serm. de S. Vincentio M.

S. Vincentij martyris encomium.

1 Commemorat eximiã eius cõstantiam. *In passione Vincentij ostenditur Iudex ferox, tortor cruentus, Martyr inuictus; in cuius corpore pœnis varijs exarato iam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant.* indicat ferreis illis vngulis quasi aratro, ac rastris agrum conscissum, fluente per vulnerum sulcos cruore, progerminasse in tantam segetem gloriæ. similiter se habet illud: *Supra dorsum meum arauerunt peccatores.* vbi vulgata, *fabricauerunt.* conscissum scilicet flagris. Tum communem in iustis omnibus cõflictum describit. *Duplicem Mundus aciẽ producit contra milites Christi: blanditur vt decipiat; terret vt frangat. ad vtrumque adiutor occurrit Christus, & non vincitur Christianus.* Vides cuicumque fidelium pro suo modo repositam esse victricem lauream.

2 Pergit de Vincentij constantia dicere. *Poterat Martyr noster dicere Daciano. Iam non vret ignis tuus carnem meã, quia exaruit tanquam testa virtus mea. & scriptum est: vasa figuli probat fornax.* rectè ostendit, per ignis supplicium se magis obduratum, ac solidatum; vnde satis accommodatè puto de Iob dici: *testa saniem radebat;* vt ostenderet se per tribulationis ignem obduruisse adeo, vt neque ille, qui dicitur, *malleus vniuersæ terræ,* potuerit ipsum confringere. Addit. *Vicit Dacianum vincens Vincentius; transnauit.* proiectum enim in mare cadauer, redditũ est littori: subiungit: *Non hunc laminæ ignitæ, sartagines, non equulei, non vngulæ, ferreæque manus, nec dolor scissorum membrorum, non foci fragor, & strepentis in patientis visceribus salis iniectio subegit.* ad viuum exprimit cruciatus diritatem, & Martyris robur. inter vibrantes ignis linguas, & strepitũ torridi salis, quietè, & pacatè ipse degebat: tal pro coedimẽto gaudij fuit. contra de Daciano. *Contemni se videns sæuiebat, sed frustra, videbat sæuientium carnificum manus plus in eo inuenire vulneris, quàm corporis; solùmque ingentem spiritum ei stultitiam exprobare suam* pulchrè ait, crudele consilium Deciani elusum, nihil enim egerat tot supplicijs, etiam exhausto toto corpore, cum non remaneret aliud præter. *ingentem spiritum,* sic rectè vocat ob excelsi animi magnitudinem ò virum animæ verè magnę prodigium.

Martyres inter pœnas solidati.

Ingens Martyrũ spiritus.

3 Refert prodigia post mortem. *Proijci Dacianus iubet eius cadauer feris, & canibus, vt tali pastu eorum impleretur venter, quorum ipse gerebat mentem.* acutè perstringit eius sæuitiam. *Sed mittitur coruus, auis amica cadaueribus, expositas corporis dapes seruatura ieiuna. Helias Achab vel Iezabel impias declinans minas, in deserto coruis ministrantibus pascitus: Vincentius à feris coruo famulante seruatur illæsus. obtinuit Helias diuino nutu coruis præstantibus quo aleretur: præstitum est Vincentio, obsequente item coruo, ne comederetur.* acutè, ac pulchrè ex antithesi alludit. coruus Heliæ præstitit, vt comederet; Vincentio, ne comederetur. quod magis in coruo mirum, qui cadaueribus pascitur. Addit. *Immanem quoque lupum pro piùs accedentem veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia attemerare præsumeret, pennis, & alit diuerberans procul abegit.* rectè thesaurum vocat cruenta membra pro Christo, & confossa vulneribus

Vincentius cum Helia collatus.

bus: nempe, *pretiosa in conspectu domini mors Sanctorum eius.* Tum sit in Decianum inuehitur: *O impudens furor, & stulta sæuitia, coruus obsequitur, lupus veneratur, & Decianus adhuc persequitur; & ad occultandam Martyris laudem non iam secretum, sed profundum eligit, putans sibi ad delitescendam eius gloriam non claustra fidem seruare, sed maria; quasi non idem huius elementi dominus esset, per quem ei dudum carceris abdita cœlesti fulgore radiata micuissent. at non profundo cœlatur, sed littori redditur.* rectè carpit stultam Daciani sæuitiam, qui vt Vincentij gloriā omnino tegeret, atque obrueret, in maris profundum mergi cadauer iussit. at ille ipse, qui in terra latentem in obscuro carcere illustrauit mirè oborto lumine, illustrē eum fecit diuinitùs è profundo liberans, & palam littori exponens, quippe cum sit vtriusque dominus elementi.

Martyrū gloria tegi non potest.

Ex Serm. in Conuers. S. Pauli.

1 EXponit de Paulo, qui fuit de tribu Beniamin, locum illum: *Beniamin lupus rapax, &c.) Ibat spirans, & anhelans cædes, hoc est mane rapiens. sic aderat Stephanum lapidantibus, vt non ei sufficeret, si tantùm suis manibus lapidaret. vt enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta seruabat; magis sæuiens omnes adiuuando, quàm suis manibus lapidando.* acutè ostendit, cur cum Paulus cædes tam acriter anhelaret in nostros, manus ipse contineret a cæde, hoc est à iaciendis lapidibus; nimirum hoc maioris sæuitiæ fuit, quia vt Iudæi omnes expeditiores essent in iaciendo, omnium vestimenta, quibus propterea se exuerant, seruabat, ita vniuersos ipse reficiebat in lapidum iactu. Tum de conuersione sic eleganter. *Cæcus factus est, vt interiore luce fulgeret cor eius. & quo tempore cetera non videbat, Iesum videbat.* rectè adnotat, nō nisi illuminato corde Iesū videre potuisse. apertus est internus oculus cordis ad superna, cum obtusus exterior ad terrena, quo mysteria agnouit: *Quisquis enim in Christum credidit, ipsum intueri debet, cetera creatura vilescat, vt Creator in corde dulcescat.* præclarè hoc dictum. ei enim tantùm sapit Deus, cui desipiunt cetera.

Pauli in conuersione corfulgens.

2 Pergit pulchrè de Pauli conuersione. *Adductus est ad Ananiam; Ananias interpretatur ouis: ecce lupus rapax adducitur ad ouem non rapiendam sed sequendam; & ne rapientem ouis expauesceret lupum, pastor ipse de cœlo, qui omnia hæc agebat, nunciat lupum venturum oui, sed non sæuientem. & tanta, tam immanis fama lupum illum præcesserat, vt non posset ouis, audito eius rumore, non conturbari: Domine, inquit, audiui de viro hoc, quanta mala fecerit, &c. sed ab agno pro ouibus mortuo fit ouis secura de lupo. lupus ad ouē captiuus ducitur.* elegāter, & acutè dicta. in quo mira vis, & efficacitas gratiæ ostenditur. nouum genus triumphi; lupum, & tàm sæuum lupum ab oue duci captiuum.

Paulus lupus ab Anania oue fit mitis.

3 Interpretatur illud: *Ego ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati.) conciliat duo loca scripturæ: Ne sileas, neque mitescas Deus.* sic legit, vbi vulgata, *neque compescaris.* atqui ipse dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* nā ideo tot, ac tanta passus, crucem, opprobria, maledicta: *lingua, inquit, eorum gladius acutus. sed quid sequitur? Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. Vide ergo mitem, vt ad istam gloriam trophæum mortificatæ carnis adduceret.* pulchrè trophæum vocat victorialem carnem Christi vulneratam, & crucifixam; nam & trophæum in figuram crucis efformatur. hoc & ad Francisci Assisiatis stigmata referri potest. cur igitur, cum tam mitis Christus fuerit, vt pro ipsis inimicis in cruce orauerit, propheta ait; *Ne sileas neque mitescas Deus?* respondet acutè. *ecce non siluit, clamat enim de cœlo: Saule, Saule cur me persequeris? Ne sileas, neque mitescas. primò quia voce prostrauit, lumen eripuit, captiuum ad Ananiam adduxit. parum hoc: ego, inquit, ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati. sed vbi terror, ibi salus. O sæuitia misericors. præparat ferrum, vt secet, & curet, non vt perimat.* egregiè ostendit & mitem simul, & vltorem: quia illa deiectio, & illæ minæ de patiendo ad salutem erant; ac proinde meritò exclamat: *ò sæuitia misericors.* hinc & ipsum Paulum mitē, & humilem factum dicit ad Christi exemplum: *Paulus humilitatis est nomen, quia paulum modicum dicitur; & ipse ait: ego sum minimus Apostolorum; minimus, & nouissimus, tanquam fimbria de vestimento domini, per cuius tactum mulier à fluxu sanguinis curata est.* rectè Christi fimbriæ vltimæ vestis parti Paulū vltimū Apostolū similē facit, per quē gētilitas curata est. quamobrē videtur posse et in ipso ornatu fimbriæ vestis sūmi sacerdotis, qui Christi typus erat, comparari, in qua aurea tintinnabula erant, prædicationis sonitum exprimentia.

Caro Christi crucifixa in trophæum cessit.

Dei sæuitia misericors.

Paulus fimbria Christi vestis.

4 Non est omittenda hìc illa sententia contra mundanos. *Quid times quod, & si nolueris, eris. time potius quod, si nolueris, non erit. times mortem? ad momentum veniet, & si nolis. exceptus eris à morte, si exceptus fueris à genere humano. time potius pœnas in æternum; non enim venient, si nolue-*

nolueris. multò maius est hoc quod timere debes, & in potestate habes ne veniat. rectè monet. times mortem temporalem? nihil proficis, nam timendo non effugies. secus de æterna.

Ex Serm. in cathedra S. Petri.

Diabolus superstitione inuidus Petri gloriæ.

1 SVperstitionem taxat. *Miror, cur apud quosdam infideles bodie tã perniciosus error increuerit, vt super tumulos defunctorum, cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. parare aliquis suis charis dicit quod ipse deuorat. quod præstat ventri, imputat pietati.* acutè eorum ingluuiem carpit. & nota, vt diabolus inuidus Petri gloriæ, hunc diem infecerit huiusmodi superstitione. nam quia ille ianitor cœli est, ostendere voluit, animas non per suffragia, & per Sanctorum intercessionem, Petri præsertim, purgari, & in cœlum introduci, sed per hæc Bacchica.

2 Petri supra vndas iter elegãter describit. *Sup vndas temerarius viator ingreditur. nutat incessu, sed conualescit affectu. sustentabat fides, quem vnda mergebat; & quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio confirmabat: ambulabat enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus.* pulchrè dictũ, dilectionis passibus tẽdi ad Christum. subiungit. *Non cogitans labentes aquas, non fluenta currentia; & dũ Christum respicit, non respicit elementum. dum credit fide, etiam inter vndas solidum inuenit vestigium.* rectè ait: ex soliditate fidei, soliditas orta vel in aquis; ac tum verè marmor dici potuit, vt appellant poetę mare. Addit. *Legimus in veteri testamento, filios Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse; & ad securitatem gradientium, ne laberentur, vnda iter solidatũ. sed quantò hic melius, vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur. eadem est quæ fluctuat, & sustentat. ibi meatum suum natura perdidit, hic cursum suum non item.* acutè hoc admirabilius dicit: nam tunc quasi glaciata aqua, aut mormorea facta instar muri hinc, inde stetit. at verò hic etiam mobilis, & fluctuans iter dedit.

Petrus mare in ãbulãs charitatis passibus.

Ex Serm. in Annunciatione.

Cur timor Dei vltimus in donis ab Esaia dicitur.

1 EXponit Esaiæ locum. *Esaias cũ septem illa dona sponsalia commendaret, incipiens à sapientia peruenit ad timorem Dei, tanquam de sublimi descendens ad nos, vt nos dominus doceret ascendere. inde cœpit, quò volumus peruenire; & illuc peruenit, vnde debemus incipere. Requiescet, inquit, in eo spiritus sapientiæ, &c. & replebit eum spiritus timoris domini. sicut ergo ille à sapientia vsque ad timorem descendit: sic non superbiendo, sed proficiendo, à timore vsque ad sapientiam oportet ascendere.* acutè indicat, cur gradus illi per descensum à superiore ad vltimum ponantur; scilicet vt humilitatem insinuet. quò refert illum psalmi locum: *Ipsa est enim conuallis illa plorationis, de qua dicitur: Ascensiones in corde eius disposuit in conualle plorationis; per conuallem quippe humilitas significatur: quis autem est humilis nisi timens Deum? vbi fiunt ascensiones? in corde, inquit. sed vnde ascendendum est? vtique à valle plorationis. & quò ascendendũ est? in locum, quem disposuit, idest quietis, & pacis, ne remaneamus in gemitu, & fletu.* & hoc acutè notatum; ex humilitate scilicet, & pœnitentia, tanquã ex infimo gradu fieri ascensum ad supremum.

2 Mariam cum Eua comparat, ac præpònit. *Illa luxit, ista exultauit. illa percussit, ista sanauit, &c.* item comparat cum Maria sorore Mosis, & vtriusque canticũ. *Plaudat nũc organis Maria, & inter vocales articulos tympana puerperæ concrepent. concinant latantes chori, & alternantibus modulis dulcissima carmina misceantur. audite igitur quomodo tympanistria nostra cantauerit: Magnificat anima mea dominum, &c.* habes in exodo post transitum maris rubri. *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egresseque sunt omnes mulieres post eã cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens. Cantemus domino; gloriosè enim magnificatus est; equum, & ascensorem eius deiecit in mare.* similiter in Deiparæ cãtico dicitur. *Dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede.* per incarnationem enim Verbi, Mundi fastus, & diaboli superbia deiecta est. porrò illa choros duxit mulierum, hæc virginum. ipsa quasi, *in medio iuuencularum tympanistriarum.* tympanum autẽ mortificationis est typus, quæ cognata castimoniæ est.

Maria Euę præfertur & Mosis sorori.

3 Elegans est, & pia ad Deiparam apostrophe, dum annunciatur ab Angelo. *ò beata Maria, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum. te apud Deum Mundus suæ fidei obsidem fecit. noli morari, Virgo; festinanter responde verbum, & suscipe filium. da fidem, & senti virtutem. ecce, inquit, ancilla Domini &c.* rectè accelerat respõsum; & creaturam expectantem facit libertatem suam ex diutina, & misera seruitute. Vide quantum Deiparæ assensui debeamus. meritò igitur subiungit. *Gaudeamus ergo de annunciatione per Angelum hodie facta ad aures Virginis, quæ dum desponsaret fabro, cæli nupsit architecto.* pulchrè ait, congruenter Deiparam nupsisse Iosepho fabro, quippe quæ & sponsa esset, & mater futura Mundi fabri.

Mundus pendens expectatione à Deiparæ verbis in an nunc.

4 Ostendit, cur Deus non alium modum

Cur Deus per incarnationem saluare voluerit.

dum adhibuerit saluandi genus humanũ, quàm per incarnationem, & passionem, & affert locum illum Sap. *Sapiẽtia,* inquit, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.*) *potuit sua fortitudine aduersus seductorem generis humani contendere, &c. sed hoc modo videretur eminẽtiam tantùm suæ virtutis ostendisse, non medicinalem misericordiam impendisse; nec appareret quanta charitate creator creaturam diligeret, à quo se diligendum esse multiplici beneficio expetebat. quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter, & fortiter, voluit facere suauiter.* vtraque ratio egregia. vide igitur quanta & in nobis suauitas dilectionis inesse debeat: Addit. *Tota hęc dispensatio nostrę vtilitati consuluit, nostrę saluti militauit; diuinæ potentiæ nil contulit.* eleganter militiæ nomine vtitur; nam & in natiuitate dicitur, *facta est multitudo militię cœlestis.* & Esaias ait. *voca nomen eius, accelera, festina prędari.* & illud Ioan. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* græcè est *ἐσκήνωσεν* tanquã in militari tentorio.

Quæ in Christo gesta nostrę vtilitati militant.

5 Docet cur per crucem saluare hominem decreuerit. *Attẽdendum est quod mors, quę per lignum venit, per lignum superata est; & ipsa ligni forma longitudini, & latitudini, & altitudini humani corporis configurata est. quorum sicut totum corpus motum est; vt manus ad vetitum extenderetur, ita corpus per omnia membra tum in cruce distenderetur; & totum, quod reatu paterni delicti confractum fuerat, emplastri relaxatione consolidaretur.* acutè adnotat similitudinẽ arboris cũ homine: certè cæcus ille à Christo sanatus initio ait, *Video homines sicut arbores.* Adam pomũ capiendo cõfigurauit se arbori, manus extendendo, &c. huic se opposuit Christus extẽdens manus in crucis arbore. Tũ pergit crucis dimensiones eleganter ostendere. *Significauit charitatis latitudinem dominus Iesus in cruce, caput ad Orientem erigens, pedes ad Occidentem submittens, manus ad Aquilonem, & Austrum extendens, vt impleret quod dixerat: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* rectè pedes ad nos, qui sumus in Occidente, submisit, quasi ad nos venturus per fidem. ex primis certè vrbibus Neapolis à Petro cõuersa est, Aspreno sanctissimo præside cõstituto. Item pedes ad nos direxit, vt sequamur eius vestigia. Rursus de cruce sic. *Hoc sacramento crucis Elisæus Sunamitidis filium, os ori, manus suas manibus eius applicans, orando suscitauit.* acutè adnotat, quod Elisęus resuscitare puerum volens, extenderit brachia instar crucis supra puerum componens manus manibus, pedes pedibus. quo ostendit nostram per fidem anastasin faciendam fore per crucẽ Christi; ac nos ipsos simul per mortificationem veluti crucifigendos. *Christo,* inquit, *confixus sum cruci.* rectè igitur de Christo crucifixo in Elisæo repræsentato dicitur apud Ieremiam: *sub vmbra illius viuemus.* mirum prodigium: lucis vsura per vmbram redditur, & vita per typũ mortis.

Elisæus puerum resuscitãs figuram crucifixi expressit.

Ex Serm. de Natiuit. Io. Bapt.

Eiusdem Archangeli legatio de cõceptione Ioannis & Dei filij.

1 NAtalem Ioannis Baptistæ celebrat, & extollit. *In alijs sanctis, & electis Dei consummata vltimi diei merita celebrantur; in hoc etiam prima dies, & ipsa hominis initia consecrantur.* Tum sic eleganter, & pulchrè. *Nondum natus, de secreto materni vteri prophetauit, & dominum quasi de legis vtero proclamauit, &c. Iam illud quantæ glorię est, quod à Gabriele, id est ab illo Angelo promittitur, à quo Mariæ natiuitas domino nunciatur: quasi ex aliquo similis domino, præmittitur filius sterilis ante filium Virginis.* rectè illud exaggerat, quod cum millia millium assistant Deo, idem sit electus, qui legationem illam tam præclaram obierat de incarnatione Verbi.

Perturbationum coercitio pretiosius & sublimius quàm crucifixio.

2 Abnegationem sui admodum commendat. *Crucis genus est pretiosius, atque sublimius, perturbationes placare; iræ, ac superbiæ impetum quasi feram bestiam refrænare; voluntates proprias abnegare, ac se regentis imperio subiugare; hæc qui facit, prærupto passionis muro violenter ad cœlestia regna conscendit.* facit hoc in primis pro religiosis. abnegationem propriæ voluntatis appellat genus crucis pretiosius, atque sublimius; & tanquam coronæ muralis præmio dicit dignum, qui passionis oppositum murum militari fortitudine superãs aditum sibi facit in cœlum. huc refert illud *regnum cælorum vim patitur, &c.*

Ex Mundo velut ex incendio per afflictiones prę̃da rapitur.

3 Salutis negotium quàm difficile sit, seriò ostendit. *Necesse est cum summo labore ex hoc Mundo rapere palmam salutis; & quasi excubantibus hostibus fructus decerpere, & prædam è thesauro vitæ velut de medio sæculi incendio reportare.* Nota verba singula grauiter dicta. salutis palma non sine summo labore accipitur; excubant dæmones, tanquam draco ille ad Hesperidum hortos, ne aureus fructus operationis sanctæ decerpatur. denique, vt est in prouerbio, pręda de media flamma rapitur. est certè vitæ tempus admodum pretiosum, ideò, *thesaurus vitæ,* dicitur. quò spectat illud Eccl. *donec recurrat vitta aurea, & antequam rumpatur funiculus argenteus.* quod acutè quidam de vitæ huius pretioso contextu interpretãtur, qui antequã frangatur, ad bene operandum vsui est. illud autem de flamma ad S. Laurentium maximè pertinet, qui felicitatis prędam de medio incendio reportauit.

4 Pulchrè interpretatur, cur dixerit

Ioan-

Ioannes pristaa x Verbi vehiculum.

Ioannes: *Ego vox, &c.)* *Sicut sermo vocis quodammodo ministerio, ac vehiculo ad audientem, & loquentem transmittitur, ità Ioannes Christum sonans Verbi erat minister, ac portitor*. Quid hoc excellentius? tanquam vehiculum diuini Verbi fuit.

5 Excitat animum ad Euangelij mysteria indaganda. *Aurum de terra eligere qui nouerunt, vbi diuitem senserunt venam, ibi quicquid artis est, quicquid laboris impendunt; & nos quia in sancto Zacharia cœlestem vidimus latere thesaurum, in ipso totum quod sermonis nostri, quod vestri auditus est, occupamus; quatenus communis est labor, commune lucrum.* eleganter dictum, in Zachariæ, ac Ioannis Baptistæ historia, quasi auri venam, ac thesaurum latere mysteriorum, quod de tota scriptura sacra dixit Chrysostomus, quam aurifodinæ comparat. hinc collige quàm indignũ sit concionatorem auidum esse pecuniæ, cum ab ipso sacrę scipturæ aurum donandum sit auditoribus, & ipse potius eos locupletaturus.

Historia Natiuitate Ioannis quasi auri vena, ac fodina est.

6 Cur non ante Elisabeth pepererit, docet. *Elisabeth partus dilatus est, donec pertransiret tempus carnis, causa voluptatis. mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitium, metatum metatoris Christi, Angeli domicilium, aula sancti Spiritus, Dei templum.* Vide quàm præclara dicat de vtero Elizabeth, qui vacans à coniugij opera tandiù erat, vt castus Ioannem exciperet. eius vterum domum sacrificij vocat, aulam sancti Spiritus, &c. quid de vtero Deiparæ dicendum? erat is vterus non Angeli, sed filij Dei domicilium; pondera singulos titulos, & considera quantò dignius huic debeãtur.

Vterus Elisabeth sanctitatis domicilium, &c.

7 Eximium, & præstans est hoc de Ioanne elogium. *Nascitur maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum patris, signifer superni regni, & vt propriè dicã, legis, & gratiæ fibula, qua diploidem sũmi Sacerdotis sancto patri iungebat in pectore.* pulchrum illud in primis dictum de fibula aurea, quæ iungebat diploidẽ sũmi Sacerdotis: ità Ioannes legẽ, & gratiã; præsertim cũ Zachariam quidã faciant sũmũ Sacerdotẽ. Itẽ hoc non minus pulchrum: *Surgat nobis Lucifer, quia iubar veri Solis erupit.* Lucifero stella quid pulchrius? huius propriè iubar dicitur, insigni magnitudine est, sicut ille erit magnus coram domino. Addit: *Vacat hic sermo, silet prædicatio, quando Euangelico præconio Ioannis gloria prædicatur; nec est quod illi adijciat, homo, cui Deus contulit totum.*

Ioannis legis, & gratię fibula.

8 Exponit illud. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero, &c.)* *Videtis quemadmodũ Ioannes ante peruenit in cœlũ, quã tangeret terrã: ante accepit diuinũ Spiritũ, quàm humanũ; ante suscepit diuina munera, quàm humana corporis membra; ante cœpit viuere Deo, quàm sibi; immò ante vixit ille domino, quàm Deus viueret illi; iuxta illud Pauli; iam non ego viuo, sed viuit in me Christus.* eleganter dicta singula per antithesin. ostendit saltu illo, Ioannem è terra voluisse se librare in cœlum, antequam attingeret terram.

Ioannes ante viuẽs Deo quã sibi.

9 Hæc item non minus habent elegãtiæ. *Sexto mense in vtero nunciat Christum. feruens nuncius, qui ante gestiuit nunciare quàm viuere. impatiens dux, qui ante rapuit arma, quam membra; ante aciem petijt, quàm lucem; & vt vinceret Mundum, vicit ante naturam.* In vtero, inquit, matris Ioannes nondum formatus, erat armatus instar strenui ducis, & in aciẽ prodire gestiit saltu, vt cœlũ cũ alijs raperet. nam, *à diebus Ioannis Baptistæ*, ait Saluator, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* quamobrem notatu dignũ est, Ioannẽ quasi belli ducẽ ad milites in primis prædicationem direxisse; *contenti estote stipendijs vestris, &c.* huc spectat quod supra eum appellauit, cœli tubam.

Ioannes statim ab vtero bellator.

10 Habet, & hoc non parum acuminis. *Ioannes sine visceribus viscera matris exuscitat; & quia tardabat corpore, solo spiritu implet præconis officium.* nempe sexto mẽse nõdũ erãt infantilia membra formata, animũ tamen à Deo infusum bene formatũ habebat. non expectauit animus, vt corpus aptaretur; impatiens moræ penè solus munus exercuit. huc etiam faciunt quæ subiungit. *Quid dicã? Ioannes antequã Christũ præcessit, se ipsum præcessit; patris, matris, filij corda vnus, idemq; implet Spiritus, vt vno sanctitatis organo resonet natiuitatis dominicæ cantilena.* Non solùm, inquit, præcessit Christũ Ioãnes, sed se ipsũ, quia nõdũ beneformato corpore, aggressus est suũ munus in ipso vtero matris. illud autẽ satis pulchrè dicitur: queadmodũ in organi fistulis varijs eodem tempore excipitur idẽ spiritus, seu flatus, vt vnus consensus existat, ita eodem tẽpore Spiritus sanctus repleuit matrẽ, patrẽ, filiũ, vt vna resultaret harmonia, vnusq; concentus in laudem Christi concepti: & certè si Ioannes vox erat, ad hanc vocem organa Spiritu sancto repleta modulari par erat.

Ioannis ab vtero Christi præco.

Spiritus sancti harmonia in Ioanne Bapt.

11 Est hæc nõ omittenda sentẽtia. *Magister vnus est nobis Christus, cuius schola in terra est, at cathedra in cœlo.* cõfer lycea, porticus, academias; sed hoc maximè mirãdũ quod tã longè distet gymnasiũ, & cathedra; nempe homo Deus est. cathedram in Cassiopea esse dixerunt, stellis rutilantem; at Christi cathedra quantò videtur humilior, & obscurior, tantò sublimior est, & clarior.

Christi magisterium e cœli cathedra.

12 Quærit; cur solius Ioannis natiuitas celebretur? *Quia nullius Sanctorum*

illustrauerit passione, Occidentis plagã, ne qd minus esset, vice sua Apostolorũ sãguine illustrare dignatus est. nota illud, Occidentem Christi vice Apostolis his duobus fuisse datum, & eorum sanguine, (quasi non minus è vulneribus lucis manaret, quàm sanguinis,) Occidentem illustratum. non adeò mirum fortasse dixeris Orientem, vbi Sol oritur, illustratum, sed Occidẽtem, vbi Sol occumbit, quasi luce demersa. & nota illud, *Ne quid minus esset.* quasi nihil quodamodo inuideamus Dei populo Israelitico, qui Christum docentem habuit. nobis enim, qui ad Occidentem sumus respectu Hierusalem, Apostolos misit, *vice sui.*

7 De Simonis Magi audacia sic. *Simon Magus cum se tanquam Dei filium ad patrem assereret, volando posse conscendere, Petrus precatione vicit magicam leuitatem: prior enim ascendit ad dominum oratio, quàm volatus; & factum est, vt qui volare tentaret, ambulare non posset; & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.* lepidè dictum hoc vltimũ. & rectè orationem Petri quasi alatam, sed velociorem ipso volatu magico fuisse ait: neque enim Sanctorum preces, vt illæ Homericæ sunt, quas Litas vocat, ac Deas facit, sed claudas; quod tardè ad Deum perueniant, vt iccirco nõ statim nos exaudiri contingat. eadem de re sic subiungit. *Mirum non est, quòd Magus ille præsente Apostolo per aerem aliquandiù volitauerit, permisit enim illum sublimius ascendere, vt altius caderet; & in excelsum leuari, vt ruentem omnium oculi peruiderent,* idem transferre potes ad mũdanorũ fastũ, mox ruiturũ.

Petri oratio velocior quã Simonis magi volatus.

8 Petri vocationem ad Apostolatum eleganter describit. *Cum Petrus lina laxaret in freto, Christus retia misit in verbo; & dum circundat gentem squameam, ipse venit in retia. fit de prædatore prædatio, & de piscatore piscatio. dum vellet concludere piscem, Petrum hamo verbi Christus tenuit piscatorem. Saluatorem trahebat, & trahebatur: est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus, cuius iecore per passionem assato, fugatus est diabolus; & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est Mundus. de pisce igitur Petrus venit ad piscem, de rete ad Ecclesiam, de mari ad fontem.* varijs figuris ornata hæc oratio est, in primis antithetis. egregiè per piscem illum Tobiæ significatus videtur Christus, euisceratus videlicet per tot vulnera, amaritudinis felle nos sanans, & illuminans cæcos, assatus igne charitatis, & passionis, mutus ad pœnas, idem Christus piscator Petri.

Christus piscatus est reti verbi Petrũ piscatorem.

9 De Pauli vocatione sic. *Paulus ex paruo magnus sidereæ vocis tuba conterritus.* pulchrè indicat vocẽ illam, *Saule, Saule, cur me persequeris?* quasi tubam fuisse sideream, qua militẽ acerrimũ Christus imperator sua euocauit ad castra. *siderea vox,* nã dicitur: *circumfulsit eum lux de cœlo.*

Paulus sidereæ vocis tuba in conuersione vocatus.

10 Persecutorem sic describit. *Ibat Saulus furijs inuectus; duri pectoris efflabat incendiũ, Sanctorũ sanguinem sitiens, fit vnà religione crudelis & quæstionarius.* nota, & oppone duri pectoris eius incendio, maius illud molliti pectoris incendium: *Quis me separabit à charitate Christi? &c.* his pulchrè addit. *Dũ portat Saulus funereũ contra milites Christi gladiũ, fulmineũ de cœlo accepit testimoniũ; violento radio cœlestis luminis vocatur.* rectè lucẽ, quæ Saulũ circumfulsit, quasi fulminis coruscationẽ dicit: est enim propriũ fulminis venenũ absumere, si percutiat aliquid venenatũ, cuiusmodi venenũ illud crudelitatis erat in Saulo, quod euomebat in nostros: consonat græca vox, quæ significat, *circũfulgurauit.* huc spectat tonitru illud supernæ vocis: *Inquietatur Sauli corpus, & insonat Christus in cœlis. contra sæuitiam Pauli pro uincia conqueritur cœli.* Indicat Angelos Ecclesiæ protectores curasse, ne. Saulus eã vix nascentẽ excinderet; tũ cũ Christi voce quasi tonitru perterrefactũ cedere coactũ.

Saulus quasi fulguris coruscatione perstrictus.

11 Iudæorum crudelẽ perfidiã exagitat. *O Iudæa prophetarũ sanguine temulenta, nondũ satiata, à sanguine Abel vsque ad sanguinẽ Zachariæ flumina tui sceleris spumant, & te adhuc vsque non satiant? ab origine Mundi sanguinem bibis, & adhuc sitis? modò Christũ patibulo affixisti, & tam citò crudelitate sanguinis aruisti?* meritò vrget. ferebant adhuc madidas recenti Christi cruore manus, & quasi in siccitate Christianorum sanguinem sitiebãt. adeo inexplebilis hæc Iudæorum odij sitis: quod postea ostenderunt, cum imaginẽ Crucifixi persorunt, vnde tantum sanguinis fluxit; & cum eundem in Simeonis pueri persona Tridẽti excruciarunt, præter alia multa.

Inexplebilis Iudæorum sitis de Christianorum sanguine.

12 De Paulo, ac Petro sic. *Cadit miles diaboli, vt surgat signifer Christi. mittit Petrus in Mundũ retiaculũ; circũfert Paulus domini in Mundo vexillũ.* pulchrè vocat Paulũ vexilliferũ Christi, ex aduersario iã militẽ strenuũ; Petrũ verò ingenti rete Mundũ vniuersũ cõprehendentẽ. vtrumq; ad Xaueriũ pertinet, qui, vt Petrus, *misit in Mundũ retiaculũ;* & vt Paulus, *circũmtulit Domini in Mundo vexillum.*

Petrus Mundi retiarius, Paulus vexillifer Christi.

13 Vtriusq; mortẽ describit. *Petrus capite deorsũ verso in ligno suspenditur, Paulus gladio truncatur: ille proprijs gressibus proficiscitur ad Christũ, oculisq; ad superiora respiciẽs beatũ spiritũ deducebat in cœlũ. iste ceruicem curuat ad pœnã, et offert caput ad coronã.* rectè ostendit, ideò Petrũ pedibus sursũ versùs in cœlũ tẽdentibus crucifigi voluisse, quasi eò pergeret, & vt oculos melius eò eleuaret; Paulum verò, cum

Petrus moriens pedes tendit in cœlũ, Paulus caput ad coronam.

caput curuabat ad gladiũ, ſimul illud quaſi obtuliſſe ad coronam; nam & ipſum gladium Chryſoſtomus ſe circumdaturum ſibi ad coronam dixit. his addit: *Piſcatorẽ ſuſpendit hamus crucis, perſecutorem mucro minuit perſequentis.* hamum dicit crucem Petro piſcatori iam piſci effecto oblatum; auidè igitur Chriſtus eſca arripiendus eſt per crucem.

Imperatorum pietas ad ſepulchra Petri, & Pauli.

14 Petri gloriam commendat: *Iã ad memoriã Piſcatoris genua flectuntur Imperatoris. ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia Piſcatoris.* Nota pietatem ſimul eorum temporum. ad Piſcatoris cineres Imperatores gemmata diademata deponebant ſupplices; faſces, & ſceptra aurea calamo cedebant, & purpura ſeminudo. ceterorum ſepulchra floribus coronantur, Apoſtolorum diadematibus Regum.

15 Pergit in amborum gloria prædicanda. *Duo potentiſſimi duces ducunt exercitum; diſcurrunt per vniuersũ Mundũ duo ſplendiſſimi negotiatores, portantes coram gentibus, & regibus pretioſa fidei mercimonia, aromata iuſtitiæ, thura diuini cultus, incenſum compunctionis, balſamũ caſtitatis.* Inſignis locus de Apoſtolis, & alijs prædicatoribus Apoſtolicis, cuiuſmodi Indiarum Apoſtolus Franciſcus noſter fuit. negotiator hic fuit induſtrius; atque in primis balſamũ ſecũ tulit caſtitatis, quo balſamo conditũ eius corpus poſt mortẽ diù manſit incorruptum. hæc vnguentorum, & aromatũ negotiatio facit, vt dicãt: *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.* nec minus hoc pulchrè ad eos pertinet. *erogant per omnẽ terrã ſpiritales diſpenſationes, pretia ſalutis, theſauros ſanctitatis.* mira res, rerũ omniũ egeni per Orbẽ errantes, tamen ditiſſimi dicuntur, quia theſaurum diſpẽſãt, & pretium ſalutis, Chriſti ſanguinẽ; prædicant. n. Ieſum, & hunc crucifixũ: regiones auro diuites, & Gangẽ illũ aureas mittentẽ arenas adeunt, ſed inopia hæc eſt præ diuitijs, quas inferunt: *pretium ſalutis, theſauros ſanctitatis.*

Apoſtoli pretioſa fidei mercimonia per Orbẽ intulerũt.

Chriſtus e Pauli pectore quaſi oracula edens.

16 Pauli excellentiam oſtendit, vel ex eo ipſius dicto. *In me loquitur Chriſtus.*) *Neſcio quid defuerit ſanctitatis, de cuius pectore quaſi de templo dominus populis reddebat oracula.* egregiè oſtendit Chriſtum tãquã ex cortina veriore, quàm Delphica, è pectore Pauli reddidiſſe oracula. hic igitur conſulendus; hoc eſt eius Epiſtolę; nec nos dubijs irretiet reſponſis.

Pauli geſta cum Petri geſtis collata.

17 Comparat inter ſe vtrumque Apoſtolũ. *Petrus ſuper aquas ambulans tumẽtia maris dorſa calcauit; ſed non minus Paulus nocte, & die in profundo maris fuit, vt de ſe teſtatur. Paulũ .n. quaſi noui teſtamenti Ionam die ac nocte per maris profũda iactatũ abſorbuit fluctus, ac reddidit, quaſi ſacrũ depoſitũ violare non audens, quia famulatrix eum vnda cuſtodiens, prædicationibus reſeruabat.* acutè notat, ambos hos Apoſtolos in mari periclitatos, ſed Petrus ſtetit ſuper aquas, vt Eccleſiæ baſis, & fundamẽtũ; Paulus abſorptus quidem eſt à fluctibus ſed redditus inſtar Ionæ. vbi nota vt is, qui vſque ad tertium cœlum eſt elatus, tamen dicat, *ter naufragium feci.* adeò ſublimitas humilitate, tolerantiaque acquiritur.

18 Eſt hoc breue, ſed illuſtre Petri elogium. *Petrus in illa cœleſtium diſcipulorũ ſchola præcipuus.* Vides vt Chriſtus veræ philoſophiæ gymnaſiũ aperuerit, præ quo ceteræ ſectę ſe ſtultas confeſſę ſunt. Petrus adeò profecit, vt Chriſto ſucceſſerit in cathedra, & magiſterio, ſed eius munere, non ſuopte ingenio.

Petrus in Chriſti lyceo præcipuus.

19 Eiuſdem miram vim exaggerat, exponens illud: *Vt ſaltem vmbra Petri obumbraret quemquam illorum, &c.*) *ſi tãtũ proderat aura quadam pertranſeuntis, quantò magis nunc gratia permanentis? ſi vmbra corporis, quid plenitudo virtutis?* Nota de protectione Eccleſiæ, quam nunc Petrus habet in cœlo. huc ſpectat quod pulchrè ſubiungit. *Meritò auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum Petri; ſi tantùm vmbra potuit, & ſpecies vacuæ eius imaginis, quid ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? felices illi nexus Petri, de manicis, & compedibus in coronam mutandi. felices catenæ, quæ nudatis penè oſſibus inhærentes, viuas reliquias de ſanguinis ſudore iam attrita carne rapuerunt.* primùm nota pretium catenarum, quarum ferrum ſit auro pretioſius, & in coronam verſum. deinde nota eis Petrum tam arctè conſtrictum, vt expreſſerint ſudorem ſanguinis, & viuas raperent reliquias carnis, q̃ ferro adhærebãt. meritò igitur tãto in honore ſũt.

Petri catenæ in coronas mutandæ.

20 Laudat Petrum, quod capite in terram deuexo mori voluerit in cruce. *O virtus humilitatis ingenita; honorari etiã ſupplicij genere pertimeſcit; & qui non recuſat domini tormenta patibuli, ſimilitudinem expauefcit triũphi.* rectè laudatur qui timet honorẽ non modò in rebus ſuapte natura ſplendidis, ſed in vilibus, & probroſis, ideſt in cruce. amabat mori in cruce, vt imitaretur dominũ; ſed q̃a crux triũphalis fuit, veritus eſt, ne & ipſe triumphator haberetur; ac propterea quiddã mediũ elegit, vt & crucẽ ſubiret, & modũ, quo ille crucifixus eſt, ſubterfugeret: *ſimilitudinem expauit triumphi.* proh crucis Chriſti immenſum decus quam ipſe Apoſtolorum princeps imitari non audeat, ſed paueat.

Chriſti crucis triumphus quã præclarus.

Ex Serm. de S. Laurentio.

1 De Sancto Laurentio elegãter multa, hæc in primis. *Tanta Laurẽtij Martyris gloria extitit, vt paſſione ſua Mun-*

Mundum illustrauerit vniuersum. illuminauit Mundum planè Laurentius eo lumine quo ipse accensus est; & flammis, quas ipse pertulit, omnium corda calefacit. Duo, inquit, tyrannus assequi volebat: vt Christi nomen obscuraret cæde Christianorum, & vt alij metu torpentes obrigescerent. contra factum est, nam ignis Laurentij deseruiuit, & ad lucem, gloriamque nominis Christiani, & ad alios accendendos; vide igitur quanto cum feruore spiritus hæc celebritas agi debeat. Alium etiam effectum eius ignis commemorat, qui erat internus. *In Laurētio Saluatoris ardor tyranni extinxit ardorem.* Vides amoris flammam oppositam odij flammæ.

Ignis supplicium quàm sæuum sit.

2 Supplicii eius acerbitas indicatur. *Qui gladio percutitur, semel moritur; qui in camino, vno impetu liberatur. at verò Laurentius longa, & multiplici pœna cruciatur; dicitur enim ea constituta pœna, vt ardentium exposita massa carbonum lentè flamma consumeret; vt non inflammando citò interiret, sed diu exurendo torqueret, vno latere, deinde alio exusto.* Nota de lenta flamma; quod genus cruciatus vsurpant & nunc in India in excruciandis præsertim nostris: alligant eos etiam subtilibus, & fragilibus nodis, vt si velint, è rogo euadant. sed maior horum stabilitas, quàm mobilitas flammæ.

Laurentius tribus pueris in fornace prælatus.

3 Laudat illum collatione facta. *Tribus illis pueris præferendus Laurentius; si quidem illi in flamma ambulabant, hic in igne discumbit. illi pedum vestigijs conculcarunt incendia, hic laterum diffusione extinguit, &c.* Vides vtrobique etiam solatium: ibi in medio similis filio hominis; hic Angelus Laurentio præsto est in igne: sed maior lætitia discumbentis, quàm ambulantium. versa, inquit, & manduca.

Sinapi odore, & flammeo sapore fidei typus.

4 Exponit illud; *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Mirum videtur quod paruo sinapis grano comparetur fides, cuius est tanta virtus, vt montes transferre possit; sed nimirum, *Sinapi vbi teri cœperit, suū odorem fundit, & cibum flammei saporis exhalat; ita fides Christiana, vbi tentationibus teri cœperit, vigorem suum prodit, ac feruet, et odore perfundit.* pulchrè appellat sinapi cibum, *flammei saporis.* quia fides incendit animum charitate, de odore autem sic, *Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diuersis attritus passionibus, per totum Orbem gratia meruit sui fragrare martyrij, & odorem suæ nobilitatis infundere.*

Martyrū inter tormenta felicitas.

5 Felicitatem sancti Laurentij ostendit. *Non potest in visceribus ignium tormenta sentire qui sensibus Paradisi refrigeria possidebat.* Vide quanta iusti felicitas: vel in mediis supplicijs Martyres cœlestia gaudia prægustarunt.

6 Hæc item ad eius gloriam pertinent. *Inter omnes Martyres præcipuè beati Laurentij triumphum debemus tota deuotione suscipere.* aptè triumphum iuxta ipsius nomen adscribit martyri laureato; sed hoc valde mirum quod addit. *Laurentius coronam martyrij tempore pacis inuenit.* Vides oleam innexam cum lauro. quæ sequūtur etiam ad triumphum spectant. *Verè beatum corpus, quod non ad pœnam funestus ignis immutauit, sed ad requiem religio coronauit.*

Flamma consecrauit Laurētij mēbra non perdidit.

7 Hæc eleganter antithesin continēt. *Tali ingenio beata sacrata sunt viscera, non damnata. suscepit flamma Martyrem, non vt à fide mutaret, sed vt probatum domino suo redderet.* rectè igni consecrata fuisse dicit eius membra, quia instar holocausti in Dei honorem concremata.

Tota vita veri Christiani martyriū est.

8 Pulchrè ostendit, Martyres ob mortificationem, fuisse martyres etiam ante martyrium: *Sancti semper, etiam antea, Christi passionibus participabant. necesse est enim non solùm fuisse Martyres, cum passi sūt, sed etiam cum viuerent. scilicet vt initia responderent fini. Paulus se crucifixum dixit, nec tamen in cruce pependit; vt intelligas crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ, virtutisque propositum. tota igitur vita Christiani nominis, si secundùm Euangelium viuat, crux est, atque martyrium.* vide vt Martyres disposuerint se, ac præpararint ad vltimū actum martyrij, tota superiore vita ante acta pati assuescendo. porrò si vita verè Christiani crux est, atque martyrium, quātò magis id de religiosis dicendum?

Fides instar sinapis acrymar excitat.

9 Redit ad mysteria grani sinapis. *Granum sinapis cum sumimus, vultu contristamur, ad lacrymas permouemur: ita cum fidei Christianæ mandata percipimus, &c.* rectè ostendit, eos, qui fide præstant, pronos esse ad lacrymas, ad inuisibilia, & æterna suspirando. Addit. *Cum sinapi fortè caput est curandum, iubemur capillos radere, vt mundo corpori perfectius medicina perueniat: ità cum anima per fidem curanda est, præcipimus omnem sæculi auferre substantiam, & impedimenta remoueri.* facit & hoc pro religiosis maximè.

Ex Serm de Assumpt. Virg.

Assumptæ Deiparæ ingens gloria.

1 Assumptam in cœlum Deiparam commendat. *Hodie à sponso Maria audiuit: Iam hiems transiit, & recessit, surge, &c. hodie sponso illi cœlesti Maria proclamat: Tenuisti manū dexteram meā, & cum gloria suscepisti me.* præclarè vtrumque pro themate eius festi vsui esse potest, vbi de eximia ipsius gloria ingens materia suppetit.

2 A minori ostendit Deiparæ Asſūptionē. *Si Moysi corpus nō inuenitur ab homine in terris, cum quo dominus locutus est facie ad*

faciem; illius quærere dementiæ est, per quam idem maiestatis Deus incarnatus affulsit in terris. rectè dementis esse dicit, putare in terris Deiparæ corpus latere. his addo, si Moses dicitur mortuus ex osculo domini, vt est in hebræo, vbi vulgata habet, *ex ore*, quantò suauiora oscula filius impressit matri?

Deipara mater gentium ac pene deiformis.

3 Inexplicabilem dicit esse Deiparæ gloriam. *Quid nos paruuli de Mariæ laudibus referemus? altior cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, si matrem gentium dicas, præcedit; si formam Dei, digna existit, &c.* Vide quàm absit, vt per peccatum originale sit deformis, vt potius pené dicatur Deiformis.

Deiparæ canticum cum cantico Mariæ sororis Mosis collatum.

4 Mariæ sororis Mosis canticum cũ Deiparæ cantico confert. *Nunc nostras personet aures doctrina sua demulcens organis. audiamus, & huic harmoniæ moribus respondeamus; Magnificat anima mea dominum, &c.* Egregiè monet, vt huic cantico Virginis nos tanquam in choro musici respondeamus, moribus videlicet, humilitate, gratiarum actione, &c.

5 Rectè ait, exclamasse: *Magnificat, &c. Quis enim possit æstimare, vt portaretur manibus fœmineis portator Orbis? panis angelicus aleretur; virtus cœlorum infirmaretur vita omnium moreretur?* antithesin hæc cõtinent elegantem.

Deipara scala cœli.

6 Exponit illud. *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.) facta est humilitas Mariæ scala cœli, per quam Deus descendit in terras.* præclarè ait, Deo in terras descendenti, quasi suppeditatam scalam à Maria, cuius gradus humilitatis essent; sed tam altè erecta, vt cœlos vsque pertingeret. vides etiam in Annuntiatione descendentem Gabrielem, & postea in natiuitate ceteros Angelos, vt in Iacob scala. per hanc igitur in cœlũ scalam si ascendere gestimus, angelica puritate esse oportet.

Incarnatio ineffabilis est etiam Deiparæ.

7 Pergit in cantico. *Fecit mihi magna qui potens est.) Quas laudes tibi persoluemus, si hæc, quæ de te ipsa narrasti, neque sic, vt dignitas tua meretur, dicere potuisti*, nempe quis magnalia Deiparæ narret? cum ipsamet narrare non possit, sed tantum, quis fecerit, dicit, non quid factum sit in ipsa. adeo Incarnatio diuini Verbi ineffabilis est.

Deipara nos è cœlo inuitat ad suam gloriam.

8 Eleganter Deiparam alloquitur, eius gloriæ præco. *Tu Maria virgineos choros per albentia lilia, rosasque vernantes ad fontes vitæ perennis inuitas; tu in illa felicissima regia primi ordinis dignitatem adepta; tu in cubiculo regis beatitudinum gemmis, & margaritis ornata assistis, &c.* pulchrè describitur Deipara assistens Dei throno, omni genere beatitudinũm tanquam gemmis varijs, & vnionibus ornata: inde nos inuitat ad se per virtutes, præsertim castimoniam.

Deiparæ gaudium ex materitate virginea.

9 Hæc affectu erga ipsam sunt plena. *Non mirum, si tibi Deus nunc regnans adgaudere dignetur, quem tu paruulum ex tenatũ toties exosculata es in terris: Felicia oscula labijs impressa lactentis, cum inter crepundia reptantis infantiæ, verus ex te filius tibi matri alluderet, verus ex patre dominus imperaret*. at quantò feliciora nunc oscula secum regnanti imprimit?

Ex Serm. de SS. Omnibus.

Ecclesiæ decus ex communione Sanctorum.

1 Ecclesiæ gratulatur de communione Sanctorum. *O verè beata mater Ecclesia, quam victorum Martyrum sanguis exornat, quam candida induit virginitas. certent accipere coronas vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. in cœlestibus castris pax, & acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur.* eleganter dictum de multiformi gloria Sanctorum, pro cuiusque statu.

Prædestinati sunt ciues cœlo decreti.

2 Cœlestis patriæ amore accendit animum. *Quàm læto sinu de prælio reuertentes Ciuitas cœlestis excipit? de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit? aggrediamur, fratres, iter vitæ; reuertamur ad Ciuitatem illam cœlestem, in qua scripti sumus, & ciues decreti; non enim sumus, inquit, hospites, sed ciues sanctorum, &c.* sic vocat prædestinatos, conscriptos cœlo, & ciues decretos. igitur patriæ iure, ac legibus, & hic viuendum est.

Cœlum quam facile venale fecerit Deus.

3 Cum numerasset varia genera, quæ ad beatitatem spectant, addit: *Super hæc omnia quanti est consociari Angelorum cœtibus? de rege autem dicere nemo sufficit, &c. si quotidie oporteret nos tormenta perferre; si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christum videre dignè possemus, nonnè erat dignum pati omne quod triste est?* Tum qua ratione beatitas comparanda sit, docet: *Quid turbaris de pretio? cœlũ tantum valet, quantum es tu; te da, & habebis illud.* Vide quàm facile nobis fecerit Deus cœlum, & quanta sit nostra socordia

Ex Serm. de Defunctis.

1 Arguit eos, qui malè intelligunt illud Apostoli. *Si quis super ædificat super fundamentum hoc ligna, fœnum, &c. saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ.* putãt qdã id dictũ de capitalibus peccatis, cum potius minuta intelligenda sint, quibus nunc liberamur, aut per pœnitentiam, aut per tribulationem; ac rectè admonet: *Ita peccata in hoc sæculo purgẽtur, vt in futuro ille ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certè parum inueniat.*

quod

quod exurat. tandiu ibi moras habebimus, quandiu supra dicta peccata minuta, tanquam lignum, fœnum, stipula illo igni purgatorio consumentur. Insignis hic locus est de purgatorio, cuius ignis tam atrox est, vt curandum sit, vt eum aut omnino non attingamus, aut per breuissimum tempus. Itaque addit: *Dicet aliquis; parum attinet, quandiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. ne hoc dicas, frater, quia ille purgatorius ignis durior est, quàm quod potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri: & quis scit, an & per annos sit inde transiturus? & qui nec vnum digitum in igne vult vri, timeat tunc cum anima, & toto corpore cruciari, quia psalmus de die iudicij scripsit, quod erit dies vnus tanquam mille, & mille anni tanquā dies vnus.* videtur indicare ignem iudicij pro purgatorio fore ijs, qui imperfecti tūc fuerint, & ignem purgatorij eiusdem esse ardoris, quo infernus est.

Purgatorij ignis atrocitas.

2 Etiam minuta peccata quàm fugienda sint, ostendit. *Licet peccatis minutis occidi animam non credamus, ità tamen ea velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, vt eā ad amplexus sponsi illius cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.* Notabilis locus. quid enim scabie fœdius? & vide quàm dedeceat sacerdotē maximè quotidie ad eos amplexus accessurum. tum modum tradit ea purgandi. *& ideò continuis orationibus, & frequentibus ieiunijs, & eleemosinis, & præcipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assiduè redimantur.* nota hoc vltimum, condonari leuia peccata, præsertim iniurias condonando. Tū pro peccatis grauioribus quomodo satisfaciendum sit, docet. *Pro capitalibus verò criminibus hoc non solùm sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus, & gemitus; continuata longo tempore ieiunio, in luctu, & iustitia permanentes, &c.* Vide etiam post confessa peccata grauia quantum seueritatis exigat, ac requirat à nobis, etiam si confessarius mitius agat.

Peccata vel leuia pustulis consimilia

3 Miserabilem peccatoris conditionem deplorat. *Certè sic lugeamus extinctā animam nostram, quomodo alienam carnē mortuam lugemus. in terram se collidunt homines, pectora tundunt, diū in lacrymis perseuerant; & si carnem suscitare non possumus, amemus plus dominam, quàm ancillam; ad imaginem Dei factam, quàm de terra limo formatam.* Vides in quo lacrymæ impendendæ sint. certè Christus sciens resurrecturum Lazarum, ait: *gaudeo propter vos.* & tamen solùm quia vmbra erat peccatoris, lacrymatus est.

Animæ mors per peccatum impensè lugenda.

4 Ostendit qua ratione ignem purgatorij effugere possimus. *Superædificemus supra fundamendum Christi, nec capitalia, nec minuta peccata, quod est lignum, fœnum, & stipula; sed aurum, argentum, & lapides pretiosos, hoc est bona opera; vt per ignem illum absque vlla violatione trāsire possimus.* scilicet quantumuis aliquis ditissimus sit, si terrenis curis occupetur, ædificat vilem, & quasi ligneam domum igni obnoxiā; qui autem ēt à minutis peccatis abstinet quantum potest, is etiam si pauperrimus sit, quales religiosi sunt, regiā quandam domum superædificat, totam ex auro, argento, & lapidibus pretiosis, longè pulchriorem, ac ditiorem, quàm quæ à Nerone constructa est, quam aureā appellauit; & certè cum Christus fūdamētum sit ex lapide pretioso: *Ponam*, inquit, *in Sion fundamentum lapidem pretiosum.* quàm dedecet ligneam domum superædificare ex paleis conpactam, &c.? Nota etiam quanta perfectio requiratur, vt purgatoriū ignē quis effugiat. sperabat Aloysius noster moriens id se assecuturum: nēpe aurum, argentum, lapides pretiosos superædificauerat; nihil inerat, vel ligni, vel fœni, vel stipulæ.

Purgatorii ignis quomodo effugi possit.

5 Magnam hoc affert erubescendi causam: *Admonet Apostolus, vt præferamus charitatem Dei Mundo. quantas angustias patiuntur qui volunt rapere res alienas? quid dicam de nuditate? quotidie negotiatores de naufragio nudi euadunt, & iterum nauigant ad pericula, nec gladius prohibet; capitale crimen est falsitas, & tamen comitatur hæreditas. similes in Martyribus pœnæ sunt, sed causa discreta. amamus in eis non passiones, sed causas passionum.* Notabilis locus, quo nostra desidia reprehenditur præ tam accurata diligentia mundanorum.

Mundanorū solers studium vix iustus æquat.

6 De latronibus cum Christo crucifixis sic. *Vnus latro credidit, alter blasphemauit. dominus tanquam de tribunali ambos iudicauit.* pulchrè crucem tribunal Christi iudicis appellat, licèt inde penderet quasi reus in alterius iudicio. certè inde sententiam tulit de confitentis salute latronis vt iudex; metuamus eum vel in cruce, ne simus ingrati. huc refero illud Deut. *Erit vita tua pendens ante te, & timebis die, ac nocte:* quod de Christo crucifixo Patres interpretantur.

Christus de cruce quasi tribunali sēntentiam de latrone protulit.

Ex Serm. ad Fratres in Eremo

Ex Serm. I. de Instit. Regul.

1 PRimùm eius, qui præest, munus exponit. *Quia me putatis matrem esse animarum vestrarum, ideo desidero ita vos componere, vt in vobis neque macula, neque ruga possit ante tribunal Iudicis appa-*

Prælat munus quale sit.

apparere. animabus enim vestris non solùm ornamenta, sed etiam medicamenta cupio prouidere: studeo dissuta consuere, & quæ sunt integra spiritalibus margaritis ornare. ego enim margaritas de paradisi patria vobis donare exopto. Pulchrè ostendit, vt superior erga subditos tanquam mater adornans ad nouas nuptias filiā se gerere debeat, virtutum videlicet margaritis; idē que infirmioribus tanquam medicus peritus sit oportet. idem dissuta, hoc est relaxata per disciplinam arctiorem constringere debet.

Ad religionem qui admittendi.

2 Deinde quæ à subditis exigenda sint proponit: in primis illa: *Placeat, fratres, secundùm Apostolicam vitam vnum sentire, & omnia communiter possidere. si quis autem de seculo ad nostram congregationem venire desiderat, primò præcipio, vt probetur, an voluntas ex Deo sit; non enim debet esse mobilis, sed sempiterna, vtilis, cōstans, & omni spiritu charitatis plena, atque perfecta: tunc etiam præponatur ei, quo modo abneget voluntates propriam.* hoc ipsum examen, præsertim circa abnegationē propriæ volūtatis, exhiberi iubet noster Ignatius ab ijs, qui Societati nomen dare volūt. eiusdē quoq; præscripta sūt quæ sequuntur. *Illum, qui vobis præest, post Deum omnes, sicut decet Dei famulos, honorate.* item illud. *Quando necesse est, vt aliqui ad seculares vadant, caueant ne vadant minus quàm duo, vel tres.* item illud de modestia. *Cauete, ne in aliquam fœminarum oculi figantur, &c.* nec illud omittendum ad charitatem spectans. *Qui infirmantur ex vobis, cum omni diligentia pertractentur, etiam si de humillima seculi paupertate venerint.*

Ex Serm. II. de Pace.

Ad pacē inuitat Vniuersi concordia

1 AD mutuam charitatem sic hortatur. *Pacem diligite; sic enim pater cœlestis elementa, & planetas, ceteraque inuisibilia ordinauit, vt vinculo pacis simul se complecterentur. sic etiam ordinauit gloriosos exercitus Angelorum.* huc refero illud Iob. *Nunquid coniungere vales stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi dissipabis?* nempè ita inter nos iungi debemus, vt quædam constellationes inter se; immò vt Angeli ipsi, iuxta illud eiusdem Iob. *Qui facit concordiam in sublimibus.* quid igitur pulchrius, aut excellentius pace?

Sine pace tempestas est.

2 Pergit de pace. *Qui caret pace, in tempestate nauem collocat. ò pax vehiculū prophetarum, confessorum balteus, coniugatorum spectaculum.* certè quod spectaculum iucundius, quàm familia pace coniugum concors? discordiam rectè concitatis fluctibus comparat, vbi statio esse non potest tuta, decertantibus ventis.

Pax laureata fulminis ictus non patitur.

3 Itē pacē cōmendat. *O pax Dei ædificiū q. destruere fulmina Principū nō posūt, nec insultus dæmonū.* egregiè pax dicitur amuletum cōtra fulmina, quia perturbationū victrix est, ideò quasi lauro coronata. eadem serena est, quia caret procella.

Pax continet tria genera bonorum.

4 Pacis bona commemorat, exponēs illud psalmi. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.) Bona sunt ieiunia, vigiliæ, macerationes, sed non iucunda, quia caro in his non iucundatur. pax est sola virtus, quæ & bonum habet, & iucundum. ò pax quale bonum, & quàm gloriosum! pace nihil dulcius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil vtilius possideri.* Nota, cū tria genera sint bonorum, omnia pax complectitur; honestum, delectabile, vtile.

Paupertas plena pacis vberibus.

5 Pacem maximè haberi ait, vbi nulla sollicitudo est possidendi. *Quietissimā vitam agerent homines, si hæc duo verba à natura rerum tollerentur: scilicet meum, ac tuum.* nempe è contrario hinc bella, lites, &c. in religione autem hoc bonum perfectè habetur: itaque subiungit: *ò beata paupertas vberibus pacis plena, vbique secura, vbique illæsa.* pulchrè paupertatem dicit, *vberibus pacis plenam*; hoc est quasi lactis dulcedine abundantem, verius quàm quod veteres Dianam multimammam vocarunt, itemque fortunam mammosam. simile est elegans illud Valerij Max. de paupertate. Quid, inquit, paupertatem quasi præcipuum generis humani malum diuturnis conuicijs laceramus? quæ, vt nō abundantibus, ita fidis vberibus Poblicolas, Aemilios, Fabritios, hisque paria robora virtutis aluit: Dic tu verius, Antonios, Franciscos, &c.

Ex Serm. III. de Silentio.

Loquela pictura animi est.

1 LInguam frænandam monet. *Qualis est homo in mente, talē verbositas depingit in ore.* rectè sermonem quasi picturam ore expositam dicit, & imaginem rei, quæ habetur in corde. detrahis? harpyiam refers. irasceris? tigrim. & sic in reliquis. contra quid pulchrius pictura castè, & de Deo loquentis? subiungit: *Verbositas hominem conducit in ioculatorem humanæ naturæ.* & hoc quàm indignum? cum enim homo tantæ dignitatis sit, intellectu præditus, &c. per verbositatem euadit scurra, & vilis morio humanæ naturæ: Addit. *Inflammat lingua mobilitas in adolescentia ad iocosa, in virili ætate ad fraudulenta, in senili ad detractoria.* Vide vt per totam vitam, & per singulas ætates in vario genere perniciosa sit lingua. nempe hoc est quod Iacobus ait: *Inflammat*

flammat rotam natiuitatis nostræ. idest totum vitæ cursum. & quo igne? horrendum dictu: *inflammata à gehenna.* igni videlicet tartareo. quamobrem rectè monet: *Restinguenda est parua fauilla, ne magnam vertatur in flammam.* contrà de spiritali sermone sic ait: *pretiosa lingua non nouit nisi verba diuina conferre. quàm sanctum est os, vnde cælestia semper erumpunt eloquia?* meritò pretiosum, hoc est aureum dicit os de Deo loquens, & cœlestibus; sicut contra luteum est de terrenis. hoc pretium ostendit sapiens cum dixit: *Argentum electum lingua iusti.* argento comparauit vt metallo sonoro.

Aureum os est de Deo loquens.

2 Est hæc egregia parænesis. *Amate silentium, estote solitarii, vt sitis Angelis sociati; estote rustici, vt sitis ciues sanctorũ; estote muti, vt sitis loquẽtes. loquimini Deo, vt sitis veraces. eleuate capita, vt eleuemini corde; extendite brachia, vt extendamini corde volantes ad Deum.* pulcher contextus ex antithetis, & correspondentibus. nota habitum orantis, & quid eo significetur. referri hæc possunt ad exercitia Ignatii nostri, quo tempore orationi tantùm vacatur procul ab omnibus curis, & commercio humano.

Virtutes religiosorum propriæ.

Ex Serm. IV. de Prudentia.

1 PRudentię munus ostendit. *Prudentia docet te, vt temporalia, quæ non potes tenere, fructuosè permittas abire. prudentia docet, quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quomodo futura prouideas.* Vides, prudentis esse quod religiosi maximè faciunt, dum temporalia abijciunt, vt hæreant æternis; & dum omnia ordinatim agunt; vnde & ordines dicuntur: cum contra Mũdus, quem reliquerunt, Babylon sit, idest confusio.

Prudentia magistra rerũ agendarũ

2 Exponit illud: *Estote prudentes sicut serpentes.) Astutia serpentis in quatuor diuiditur. prima est quod totius corporis venenum in gutture colligit, vt si sibi necesse fuerit, in promptu habeat, vnde se defendat. sed in hoc serpens quandoque decipitur: stellio enim ante foramen eius se ponit, & vmbra caudæ suæ sollerter illudens, et prouocans ad egressum, insidias tendit. in quo Mundi sapientes notantur, quorum prudentia non in cœlestibus, sed in terrenis tota versatur; quibus diabolus in vmbra mutabilium rerũ illudit, illudendo decipit, decipiendo occidit.* apta similitudo, qua mundanorum vana prudentia taxatur. subiungit. *Secunda prudentia in serpente est, quod in aquam descẽsurus venenum reponit in loco tutissimo, sed recedens ab aquis, iterum resumit venenũ; sic qui post abrenunciationem mundanæ conuersationis reuertitur ad venenum prauæ consuetudinis. in hoc tantùm imitari serpentem debemus, quia venenum deponit, non quia resumit.* eos maximè taxat, qui in religione ad seculum reuertuntur. pergit. *Tertia prudentia serpentis est, quod veterem pellem singulis annis exuere dicitur, per angustum foramen transiens non sine dolore, sciens quod pulchrior apparebit. quo datur intelligi, vt nos pellem vitiorum deponamus, & per foramen stigmatum Christi transeamus, & tunc pulchriores apparebimus.* pulchrè de Christi vulneribus, qui petra dicitur. referri hoc item potest ad renouationem spiritus, & votorum, iuxta ritum Societatis nostræ. angustum autem foramen est exactior disciplina regularis. Ad hæc: *Quarta serpentis proprietas est, quod dum lædi quæritur in capite, vt vitam conseruet, totum corpus ad percussionem exponit: sic & nos cuncta aduersa amoris capite sustinere non timeamus, vt in beata vita quiescere valeamus. sic egit Petrus in cruce suspensus, Bartholomæus decorticatus, Agatha retorta in pectore, quæ glorianter sic amputata ad carcerem quasi ad epulas inuitata agonem suum domino commendabat, &c.* Nota, dilectionem in Deum quasi caput esse, hoc est præcipuum in nobis, quod tueri debeamus; quã dilectionem arctè tenere debemus, exempla Martyrum secuti.

Cur prudentia serpẽti cumparetur.

Pro Christi dilectione martyres passi.

3 Suos religiosos sic hortatur. *Quod Angeli peragunt in cælis, hoc nos facere debemus in terris; hoc est toto affectu orare.* Vides religiosum statum Angelicum esse, præsertim ob studium orationis, *toto affectu.* subiungit contra tepidos: *Patienter portare debemus omnia, nec dicere præsumamus: ecce legumina ventosa sunt; caseus stomachum grauat; lac capiti nocet, caules melancholiam nutriunt; porri cholesam accendunt, pisces mihi non sapiunt. nolite hæc dicere, aut cogitare. non enim seculum reliquimus, vt delicatè hîc pasceremur.* Vide quàm indignum sit religiosum querulum esse, ac murmurare de incommodis præsertim victus, immò nec cogitari de istis monet: nempe status hic est mortificationis, ac pœnitentiæ. Subiungit. *Licet hæc non sumatis nisi diebus sollemnibus, & cum à Valerio Episcopo visitamini, sed cunctis diebus ceteris herbas crudas, panem hordeaceum, & aquam sumatis.* mira abstinentia quotidiana; nec minus mira mensã illa dierum sollemnium, & in ipso Episcopi aduentu. vide quàm nobilia, & delicata fercula: caules, caseus, pisciculi viles, vt minimè palato saperent. Demùm sermonem claudit cum laude. *Vos tales inueni, quales desideraui; castos, modestos, humiles, omni voluntate pauperes, obedientes, Mundum cum omni pompa calcantes.*

Religiosi commodis studentes taxantur.

Religiosorum abstinentia. & virtutes cetetę.

Nota

Nota quæ maximè commendet: caſtitatē, paupertatem, obedientiam, hoc eſt obſeruantiam trium votorum, quæ vbi exactè ſeruatur, gratulandum planè eſt.

Ex Serm. V. de Obedientia.

Obedientia nihil de proprio debet habere.

1 OBedientiæ perfectio in quo ſita ſit, oſtendit. *Debet obedientia in aduerſis ex ſuo aliquid habere, & in proſperis ex ſuo non habere. ſic Moſes iuſſus præeſſe, gloriam tanti regiminis expaueſcens, ne reciperet, ſe excuſat. at Paulus reuelatione admonitus, vt Hieruſalem pergeret, non ignorans quæ ibi pati deberet, eum eum fideles tenere vellent, exclamauit: ego autem non ſolùm alligari, ſed mori paratus ſum pro nomine Ieſu*. eſt hoc monitum ad religioſos ſanè præclarū, vt in rebus, quæ præcipiuntur, commodis, nihil proprium, & voluntarium inſit, ſecus in arduis.

Pœna proprietario inflicta.

2 Narrat horrendam proprietarij cuiuſdam perditionem. *Ianuarius monachus videbatur columna obedientiæ, & paupertatis.* hic agrum, quem habebat in ſeculo, reliquit ſuis; eius mortui manus ligari ſuperior iuſſit, & reddi centum, & vndecim ſiclos, quos in pariete cellulæ retinebat, fratribus flentibus, ac dicentibus: *Pecunia tua tecum ſit in perditione*. Notabile hoc, nam in reliquis hunc magnæ exiſtimationis fuiſſe ait: *uidebatur columna paupertatis.* tamen amor in cognatos eam ſic excuſſit, vt omnino euerteret, ac frangeret.

Ex Serm. VI. de Miſericordia.

1 VIm magnam diuinæ pietatis oſtendit. *Quid Deum ſubiecit noſtra miſeria, niſi ſola clementia. ò magnū miſericordiæ vinculum, quo Deus ligari voluit, & potuit: & homo ligatus vincula iniquitatis dirūpit.* pulchrè per antitheſin ait, Deum miſericordia victum tanquam in Amoris triumpho aureis catenis fuiſſe deuinctum, ſed ita nos ferreis eripuit vinculis peccati captiuos.

Deus quaſi miſericordiæ captiuus.

Prælati ſeueritas non ſine pietate.

2 In ipſa ſeueritate prælati pietatem ineſſe poſſe ait. *Moyſes miſericordia floruit propter populum, pro cuius ſalute petijt deleri de libro vitæ, ſed idem de zelo rectitudinis ait ad populum: Ponat quiſque gladium ſuper femur ſuum, &c. cauſam populi apud Deum precibus, & cauſam Dei apud populum gladijs allegauit, intus igne amoris, foris accenſus zelo*. Nota hoc poſtremum: idem, qui cauſam populi apud Deum fecit mitis orando, cauſam Dei apud populum fecit ſeuerus gladium diſtringendo; ſed interim dum foris ardebat zelo, ardebat intus amore in reos ipſos.

3 Exerceri etiam in Eremo poſſe opera miſericordiæ oſtendit: *Ecce centum, & plures in monaſterio habitant, & ſæpè infirmamini, & ſæpè à diabolo affligimini*. Vide vt Deus probet ærumnis ſuos; & diabolus ob inuidiam illis infeſtus ſit. quanquam puto ob Eremi incommoda multa, & aſperitatem vitę in ægritudinem incurrere ſolitos; ijs autem miniſtrare magnæ pietatis eſt.

Ægrotis in religione miniſtrare quā pium ſit.

Ex Serm. VII. de Obedientia.

Ad obedientiam nos excitant ceteræ creaturæ.

1 OBedientiæ elegans eſt elogiū. *Ecce omnia obediunt Deo: Sol à ſemita ſua non deuiat, nec Luna, nec ſtellæ. ad nutum Dei campi floribus decorantur, terra imbribus fœcundatur, frondibus criſpatur ſilua; in nemoribus citharizat auicula; ſolus homo voluntati Dei reſiſtit*. lepidè, & venuſtè dictum. vox auiculę inſtar citharæ Deum laudat. habes eleganter de luſcinia apud Plinium. ſed illud omnino mirū, quod duobus Martyribus, quorū mentio fit in ſacris faſtis, accidit, qui ab arbore ſuſpenſi, etiam mortui auditi ſunt canere, luſciniarum more, Dei laudes.

2 Rurſus de obedientia ſic. *Tantò citius placat homo Deum, quantò repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat*. Vide quid ſit prælati iuſſum, gladius eſt, ſed qui hoſtiam immolet Deo, qui ſuperbiæ ceruices erectas iugulet.

Prælati iuſſū quaſi ſeceſpita ſacrificij.

3 Et hoc de obedientia præclarum. *Obedientia concordiam conſeruat in Angelis. pacem nutrit in monachis. tranquillitatem gignit in ciuibus. ſine hac reſpublica ſtare non poteſt, nec familia regi.* Vides vt nec Mundus vniuersè, nec in ſuis partibus ſine obedientia poſſit cōſiſtere. nam idem de Sole dixit, & ſtellis. hinc illud, *Qui præcipit Soli, & non oritur*. Addit. *O ſācta Dei ſponſa Obedientia, tu perfecta ſcala es, qua cœlū aſcenditur; tu quadriga, qua Elias vectus in Paradiſum*. quid nobilius, aut illuſtrius? debetur quadriga triumphalis, quia, *vir obediens loquetur victorias*. ſe ipſum ſcilicet vincendo, etiam intellectum ſubiciendo.

Ex Serm. VIII. de Perſeu.

Perſeuerantia tunicæ talari Ioſeph & ſummi Sacerdotis comparata.

1 PErſeuerantiam apprimè commendat. *Hæc eſt tunica talaris ſancti Ioſeph vſque ad finem contingens. hæc eſt tunica ſacerdotalis vſque ad pedes perueniens*. Vide cur Iacob tam accuratè hanc tunicam Ioſeph adoleſcenti elaborarit, ſiuè multorum colorum, hoc eſt polymitam, ſiue quæ ad talos vſque deſcenderet; vt & virtutum varietas, & perſeuerantia

rantia omen faceret, ad patrem remissa, est intincta sanguine, nam & perseuerantia vsque ad sanguinem parata esse debet ab adolescentia. Sic & tunica sacerdotalis habebat in extremo cōtextos flores, & fructus malogranatorum, & tintinnabula aurea: vt perseuerantia est cum bonæ famæ odore, & fructu bonorum operum, & morum harmonia.

Perseuerantiæ typus hostię cauda.

2 Item de perseuerantia sic. *Hæc est cauda hostiæ, quam tenemur Deo reddere & offerre; hoc est calcaneum bonę operationis, quod contra serpentis morsum debemus obseruare*. huc refero illud, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*. nam nisi perseuerantia sit, iniquitas totum hominem occupat; ac circumdat, tanquam nihil boni sit; porrò sicut cauda hostiæ Deo oblata perseuerantia est, ita contra diabolus sua cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum; eorum scilicet Angelorum, qui non perseuerauerunt in Dei obsequio. Addit præclarè: *Hac laureantur Martyres, Virgines coronantur*; Vide quantum decus, nempè & Martyres, & Virgines non nisi in pugna strenuè perseuerando adepti sunt triumphum, & coronam.

Bene incipere & malè concludere monstrosum est.

3 Hoc etiam de perseuerantia pulchrè dictum. *Bono inhærere, & malo fine concludere quid aliud est quàm monstrosas res conficere? ibi enim actio quasi Chimæra est, quæ initium habet à ratione, sed finem à sensualitate; cum enim sic agitur, humano capiti ceruicem pictor equinam iungit, & superinducit infructuosas plumas.* rectè ait, hominem benè incipientem, & malè desinentem monstrum esse omninò deforme, hoc est caput humanum habet quasi rationalis homo, deinde degenerat in equū infrænem. Chimæram quoque poetæ finxerunt, quod caput, & pectus haberet leonis, tum subinde degeneraret in caprinum ventrem, postremò in draconis caudam, ita quidam initio generosi videntur in rebus spiritus, mox deficiunt, ac humi repūt.

Ex Serm. de Ira, & bona Cons.

Ira Lazaro quatriduano cōparata.

1 DE ira hæc habet. *Ira rectè significatur per Lazarum quatriduanum fœtidum*. nota, cur ita? puto quia dum ira durat, quasi cadauer quatriduanum est. charitas, quę animat, abest, facies operta est sudario; ira enim obcæcat. manus, & pedes vincti, quia nihil boni operis interim agit iratus ob perturbationem.

2 Bonæ conscientiæ felicitas ostenditur: *O felix cōscientiæ puritas, quæ à carcere doloris liberas rationem, &c. hic est thalamus Dei, hic Salomonis thronus, hic lectus sponsi cælestis, ò mens sancta, paradisus deliciarum varijs bonorum operum virgultis consita, varijs virtutum floribus purpurata.* pulchrè singula. Qui cōscientiā habet bonā, velut in paradiso voluptatis est, quid felicius? quasi in thalamo Christū sponsum habet, quid lætius? *Nunquid possunt lugere filij sponsi, quandiu sponsus est cum eis?* Item quasi Rex in quieto, & pulcherrimo simul throno pacifici Salomonis sedet, quid præclarius? eum thronum leones custodiebant, sed aurei, qui non ad terrorem, sed ad ornatum spectabant: ita iustus quasi Rex passiones, præsertim iræ, ad vsū tantùm virtutis apud se habet: & quod ait, *Hic lectus sponsi est*. ob quietem conscientiæ, sanè de hac dici potest, *lectulus noster floridus*. ob fragrantiam videlicet castitatis: sed propterea custoditus à sexaginta armatis; neque enim bona conscientia ita de se fidit, vt vigilias, excubias, & arma non habeat. denique in nemore est amœnissimo ob iucunditatem, qua fruitur, innocentiæ. Sequitur: *In hac occurrit Rebecca cum Isaac veniente de agro, & Abigail David*. pulchrè bonam conscientiam quasi pronubam facit, quæ coniungit animam sponso Christo; sed non sine humilitate, & pudore est, vt Rebecca vultum operuit, ac descendit de iumento, viso sponso.

Bona conscientia paradisus deliciarū & thalamus nuptialis.

3 Addit & hoc bonę conscientiæ præclarum elogium. *O spes Sanctorum, & fortitudinis turris. per te Martyres afflicti sunt, Virgines combustæ, &c.* rectè bonam conscientiam esse dicit instar fortissimæ turris; cum enim aduersis oppugnamur, hic perfugium habemus, hac re nos tuemur, testimonium nostræ conscientiæ nos consolatur. sciebant Martyres se ad mortem rapi non causa commissi criminis, sed religionis admissæ.

Bona cōscientia turris fortis.

Ex Serm. II. de lacrymis, & comp.

Magdalena ignifera.

1 COmpunctionem commendat, cuiusmodi fuit illa Magdalena. *Hic Magdalena illa Ignifera Christo pretiosa offert unguenta*. pulchrè Igniferā appellat Magdalenam, etiam cum lacrymis madebat, sed quæ alerent ignem: *quoniam dilexit multum*. itaque sic ad eas fundendas hortatur: *fletuum imbribus irriganda mens nostra, vt pariant fructus bonorum operum, diuersosque virtutum flores*. Vide quo fonte cordis nostri ager efflorescat maximè, ac fœcundetur, ex lacrymis amœnitas tanta.

2 Pergit de iisdem dicere. *Lacrymis submerguntur hostes Aegyptij, & vitia suffocantur*. Igitur mari rubro, siue Erythreo mari comparantur, & rectè, nam de

eo in Hebræorum transitu dicitur. *Apparuit campus germinans.* per lacrymas enim virtutes germinant. ibi quoque rubra corallia ex memoria passionis Christi.

Lacrymæ in dulcedinem vertuntur

3 Item de compunctione sic. *Fac vt tua mens sit liber, quem vidit Ezechiel, in quo scripta erant lamentationes, & va.* at hic deuoratus in dulcedinem versus est. Addit. *punge oculum mentis, vt lacryma prodeat compunctionis.* rectè admonet, ante oculum mentis lacrymari debere, quàm corporis; indicat autem tanquam ex vulnere lacrymas esse sanguinē cordis.

Lacrymæ venenati oculi pharmacum salubre.

4 Ad idem hæc pertinent. *O felix lacryma, quæ virus culpæ euomit.* hinc intelligis, quodammodo venenum ebibi per aspectum impudicum; per lacrymas autem veluti pharmacum extrahi. subiungit: *O felix tabula, per quam naufragus redire potest ad portum salutis; ò felix lauacrum pœnitentiæ, quo purgamur. hæc est herba cœlestis illius fullonis, qua vestes à sorde purgantur, hoc cœleste nitrum, quod de rore diuinæ gratiæ confectum abstergit maculas peccatorum.* mirum est, quod dum natat in lacrymis, enatat, è naufragio: *Natare faciam lacrymis lectū meum.* ait Dauid, vbi habet vulgata, *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* & quod ait de vestis lauacro, nempe has vestes in sua gloria induit Christus, quæ lacrymis purgatæ fuerint. siquidem vestes, quibus in monte Tabor visus est decoratus, instar niuis dicit fuisse Euangelista, tam candidas, *quales nullus fullo facere posset.* nempe & tunc locus lacrymis, quia *loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem.* idest de passione, & morte.

Compunctionis magna materies in nobis inest.

5 Est hoc magnum compunctionis incitamentum. *A lacrymis quis continere se poterit? intremus conscientias nostras, discutiamus, excogitemus quid diabolo persoluimus in iuuentute, &c.* rectè admonet quanta sit in nobis materia doloris, & fletus. tributum sponte obtulimus Diabolo, & eum quasi aluimus expensis nostris.

Ex Serm. XII. de Superbia.

Superbia in bestias transformat.

1 SVperbiam sic execratur. *Superbia Nabuchodonosor in bestiam est transformatus, sed humilitas Joseph principem constituit. Superbia est illa feruens olla, quam vidit Ieremias, in qua decoquuntur, qui primas cathedras appetunt. ollam, inquit, succensam ego video à facie Aquilonis.* nota singula: quasi Circeum poculum superbia est in bestias transmutans. eius magisterii mineruali. ignis est: nempe diabolus ait: *sedem meam ponā in Aquilone.* hoc est cathedram. vide igitur ne de diaboli secta sis, in eadem academia cathedram habens, & cum fastu male philosophans. contra laudatur ille, *sedens in cathedra quasi tener ligni vermiculus, &c.*

Superbia procella quā noxia

2 Pergit in eodem. *Item sunt quatuor venti, qui totum Orbē perflant, arrogantia sibi adscribens quod verum non est: insolentia sibi appropians quod alteri debetur; superbia multa de se credens; contumacia se erigens in prælatum: isti etiam sunt quatuor fabri, qui totum Mundum concutiunt, & corda filiorum Dei dissipant.* alludit ad prophetæ visionem. Vide quantum damni vniuerso Orbi afferat procella superbiæ, omnia quasi turbine vastans. venti dicuntur, opinor, etiā ob tumorē; fabri, quia in mente quasi turres superbia fabricatur altissimas, sed Chimæricas.

Ex Serm. XIII. de virt. Card.

Fortitudo clypeus quidam est.

1 FOrtitudinis hæc laus est. *Si fortitudinem amplectamur, sæcula fortuna non timebimus.* Vides tanquam clypeum esse fortitudinem, quæ opponatur aduersis. Subiungit: *Fortitudo philosophorum, qua calcauerunt diuitias, insufficiens erat ad vitæ æternæ meritum, quia sine Dei charitate; itē Platonis, quia fundamento fidei caruit.* en quàm imbelles, & enerues illi, qui putati sunt gigantei roboris: nempe charitas est, quæ vires addit, ac neruos. non nisi Christiani verè athletæ sunt, quia vncti, & ideò sic appellantur.

Fortitudo lorica est quā vsus Antonius.

2 Pergit de hac virtute. *Hæc Moses asperitatem deserti vicit. hic est panis ille cælestis, qui Eliam in deserto pauit. hæc Antonij sanctissimi patris lorica est.* rectè fortitudinem comparat pani, sed subcinericio; nam ita fortitudine generosi esse debemus, vt humiles simus de conditione mortali. pulchrè etiam adamantinæ loricæ fortitudinem comparat, qua induebatur Antonius; meritò igitur intexta palmarum folijs veste, quæ fuerat Pauli, indui solebat, vt victor. frustra illum laruata dæmones acies perterrefacere conabantur. Denique est & hæc apta similitudo: *Nihil valet ædificium boni operis, nisi columnam fortitudinis amplexeris.*

Correctio non sine misericordia fieri debet.

3 Qualis debeat esse correctio, ostendit. *Charitas zelo iustitiæ correctionis gladium euaginare debet; tamen semper misericordia ligata sit in corde.* pulchrè ait, correctionis gladium à charitate tractari debere, ne atrociter feriat. misericordiam verò nodis arctius alligandam in corde ne te deserat. huc refer illud: *corripiet me iustus in misericordia.*

4 Transit ad iustitiæ laudem. *Iustitia est virga, qua mare rubrum diuisum, & petra scissa dedit aquam.* nota, nam vtraque virgæ percussio maximam vtilitatem alio-

rum

Iustitia similis virgæ Mosis & Aaron.

rum redundauit. Addit: *Hæc est virga Aaron, quæ frondet, dum mente concipitur; floret, dum visibiliter exercetur; fructificat, dum subtiliter corrigitur.* Vide vt virga correctionis non modò vtilitatem habeat, sed decus: non ergo ægrè accipienda correctio, quasi probrosa sit; vt si quis virga florente verberetur, ornabitur potius, quam turpabitur.

Iustitia Phinees pugioni similis, & dauidis lapidi.

5 Sequitur de iustitia: *Hæc est pugio, quo Phinees percussit coeuntem cum Madianitide Iudæum.* hinc collige correctionem, & zelum in primis circa castimoniam esse debere. Addit: *Hic est lapis, quo Dauid percussit Philisthæum.* atqui lapis ille, vt Augustinus alibi aduertit, acceptus est è vasculo lactis; nam correctio ex charitate esse debet, & candidè sincera: alioquin, inquit, *Iustitia sine misericordia gladius est in manu tyranni, vel in manu furiosi.*

Ad regimen iuuenes non promouendi.

6 Hoc ad prudentiam spectat. *Tamdiù Romanorum regnum durauit, quandiù sapientes, non iuuenes rexerunt. ideò pastores iuuenes esse non debent, &c.* huc refero, quod Roboam regni magnam partem amisit, dum iuuenes adhibet consiliarios, senibus spretis.

Ex Serm. XV. de Trinitate.

Trinitatis cognitio & laborem habet & fructum.

1 TRinitatis mysterium ineffabile sic commendat. *In hoc omnis humana ratio deficit; nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* aptè numerat tria in Trinitatis cognitione, periculum, laborem, fructum: illinc deterreor, hinc afficior. Tum incomprehensibilem ostendit. *Comprehendi Dei natura non potest. Philosophus Aristodemus annis multis insudauit naturam apis inuestigare, nec finaliter potuit: quomodo ergo Trinitatem nos capere valemus?* potes ita dictum accomodare, vt dicas, ex cognitione Trinitatis incredibilem quasi mellis suauitate percipi: quod se degustasse humiliter fatebatur noster Ignatius. quantum verò suauitatis putamus ex hoc alueari, ac mellificio redundasse in Thomam Aquinatem, ceterosque doctores?

In iudicio non scientia sed virtus locum habebit.

2 Hoc monito omnem iactantiam deprimit. *In die iudicij non damnabuntur Christiani, nec rationem reddent, quod philosophiam, vel dialecticam, vel Astrologiam ignorauerint, sed quod Deo obedire neglexerint.* Vide quàm præferenda sit probitas humanæ doctrinæ.

Totus homo ad Dei gloriam cōpositus spectat.

3 Totū hominem ad Trinitatis obsequiū fabrefactū dicit. In tribus animæ potētiis vnius animæ trinitas inuenitur: *Vniuersitatis n. conditor Deus omnes animæ motus ad bonū facit; intellectū, vt intelligat in Deo; voluntatem vt sit in amore eius; memoriam, ne obliuiscatur quod imperat.* Vide, vt totus homo compactus sit ad Dei gloriam, ac proinde totum se ad hanc procurandam impendere debeat.

Ex Serm. XVI. de Odio, & inuid.

1 NIhil in natura otiosum ostendit. *Fuge otium, vide singulas creaturas ad officia deputatas. ecce Sol cursum anni perficit; Luna mensibus, & vicissitudinibus discurrit, & ceteræ stellæ. quid bestiæ? vade ad formicam, &c.* miræ stultitiæ est ex totius Vniuersitatis magisterio nihil addiscere, nec erubescere, inter creaturas omnes laboriosas esse vnicè desidiosum. tum otij damna docet: *Salomon dum occupatur in ædificatione templi, non sensit luxuriam; postea etiam adorauit in thalamo vitulum aureum.* Vide quò recidit Salomon propter otium, qui in ædificatione sacri templi tot vitulos mactarat, vitulum adorauit.

Nihil otiosum in natura præter hominem desidem.

2 Inuidiam detestatur. *O inuidia, vermis mortifere, qui in hedera Ionæ quotidie nasceris; ò igneus serpens, quo populus Israel pungitur. hic est bruchus, quo fructus terræ depascitur.* nempè vermis ille statim corrosit radicem, statim frondes arefecit, quasi inuidens prophetæ quieti. item rectè inuidiam comparat ignitis serpentibus in deserto; nec fuit aliud remedium demorsis, quàm respicere illum æneum supra lignum; ità sanatur inuidia de alterius bono, cum contemplamur Christum tam prodigum fuisse sui sanguinis, & amātem boni cuiusque; ac præterea si cogitemus inuidiam causam fuisse eius mortis: *sciebat enim Pilatus, quod per inuidiam tradidissent eum.*

Inuidia auctoris cor rodens & serpens ignitus.

3 Pergit in eodem. *Sicut de manna cœlesti reseruato scaturiebat multitudo verminum sic ex cœlesti gratia fideli collata, occasionaliter in anima superbi inuidia nascitur.* quippe è cum videmus aliquem virtute, & alijs Dei donis florere, vnde ratio gratulandi, & bene videndi est, inde inuidendi potius oritur, nostro vitio. Addit pulchrè: *Inuidia tinea est, quæ purpuramenta virtutis demolitur. ærugo est, quæ thesaurum sapientiæ deprædatur.* elegans prosopopeia, qua virtutem quasi reginam regia purpura insignem facit; huic inuidia aduersatur pallore deformis, inopum more.

Inuidia tinea & ærugo est.

4 Damna ex inuidia in alios collata cōmemorat. *Inuidia contra Ioseph fratres armauit, Danielem in lacum leonum misit, Abel occidit, immò Christum; Stephanum lapidauit. Romam depopulauit, Carthaginem destruxit, & multa mala per hanc pessimam feram in orbe terrarum facta esse legimus*

Inuidia pessima fera est.

gimus. rectè inuidiam feram pessimam vocat, nam ipsi fratres Ioseph inuidi miserunt cruentam vestem ad patrem dicentes, *fera pessima deuorauit eum*. potest hoc vitium vocari, *singularis ferus*, depascens vineam, vt est in psalmo; inuidus enim singularis esse vult, nec patitur consortem gloriæ.

Fulgor virtutis inuidum necat.

5 Infelix inuidi status ostenditur. *Inuidi toties moriuntur, quoties vident aliquem operibus refulgere*. Immò verò splendor Solis tantùm præstringit oculos, & claudit, non tamen mortem parit, vt fit in inuido: non solum enim hebetat, sed planè obcæcat, ac tollit lucis vsuram. Addit. *Nunquam inuidos melius torquere poteris, quàm virtutibus seruiendo*. Vide vt statim vindicta sequatur, licèt vlcisci nolit ille, cui inuidetur. Denique inuidum sic graphicè describit. *Inuidi latrant, vt canes; deuorant, vt leones; facie pallescunt, scintillant oculis, dentibus strident: sic anima, & corpore moriuntur*. quid miserius, aut turpius? huc refero illud Laconum, qui seruos ebrios ingenuis filijs ostendebant, vt deformi eo aspectu ebrietatem fugerent: ita de inuido.

Ex Sermone XIX. & seq. de Natali Christi.

Christus recens natus manipulus tritici.

1 PRæparationem indicat ad Christi natalem. *Crastina die conditor siderum pendebit ad vbera Virginis. hic est ille manipulus, quem vidit Pharao, in quo spicæ pulchræ, & formosæ erant*. facit hoc ad Eucharistiam, quæ die præsertim natali Christi piè accipi solet, vt nostræ liberationis argumentum. ad hæc non est omittenda lepida illa verborum allusio de Deipara. *Virgo prius genuit mente, quàm ventre*. huc pulchrè pertinet illud: *venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs*. vbi & Christum ex eius vtero prodeuntem excipere discimus sub tritici specie; & quàm castè, & candidè.

Præparatio ad Christi natale qualis esse de bea

2 Eleganter de nascituro Deo. *Accingimini fili potentes, & estote parati, quia die crastina videbimus irreuerberata acie fidei in vno, eodemque Deo diuinitatem incarnatam, maiestatem subiugatam, virginitatem fœcundatam, æternitatem terminatam, &c.* Venustè relata singula, & opposita per antithesin, vide autem quàm acutam in hoc mysterio aciem fidei requirat, instar Solis splendidissimi, *irreuerberatam aciem fidei*; hoc est aquilinam: aquilas esse oportet, nec humi iam repere.

3 Incarnationem eleganti metaphora describit. *Verbum caro factum est, conuersus est panis in lac; in diuinitate ipsa sapientia, & in humanitate lac factum est; tanquam infantes per lac mutati homines roborati ad panẽ deitatis accedere possent. dat istis paruulis ad consolationem, dat istis perfectis ad glorificationem*. pulchrè ait, Dei filium per incarnationem lac nobis factum, nam lac est cibus ipse per carnem transiens, & calore decoctus, vt fide crescentes ad panem diuinitatis apti simus: in Eucharistia maximè lac nobis est; itaque cum infantili simplicitate accedendum hoc in primis die natalis.

Verbum incarnatione nobis lactescens.

4 Est hoc Deiparæ ingens elogium. *In cœlis qualis est Pater, talis est filius; & in terra qualis est mater, talis est secundùm carnem filius. in cælo imago patris, in terra Mariæ filius*. nota illud: *in terra qualis est mater, talis est secundùm carnem filius*. & mater igitur procul ab omni peccato, etiam originali, videtur dicenda, licet filius sine debito, ac certè præstantiore modo sit.

Deiparæ ingens dignitas ex incarnatione.

5 Gabrielis nomen interpretatur. *Gabriel ad Mariam mittitur, qui fortitudo interpretatur, quia ipsa etiã infirmitas Christi fortitudo fuit, quia in ea superatus est inimicus*. notabile est hoc, quod cum per incarnationem infirmus quodãmodo apparuerit Dei filius, vagiens, lacrymans, mortem timens; tamen nuncius eius incarnationis nomen habuerit à fortitudine; quia videlicet per hanc infirmitatem victus est diabolus. hinc de ipso puero dicitur: *Vocabitur Deus fortis; & antequam sciat vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Assyriorum, &c.*

Cur Gabriel idest fortitudo Dei missus nũcius Incarnationis.

6 De virgineo partu sic. *Primus sine masculo, & sine fœmina fuit Adam; secunda de masculo sine fœmina, Eua de Adamo, tertius de masculo, & fœmina, vt Abel; quartus de fœmina sine masculo, Saluator de Maria*. acutè adnotat. vides combinationes omnes in generatione à Deo perfectas, vt & sapientiam, & omnipotentiam declararet suam.

Christi natiuitas mira.

7 Et hoc Deiparæ nobile elogiũ. *Hæc est virgo totius Mundi mater; stella protulit Solem, creatura genuit Saluatorem; filia concepit patrem, & filium*. pulchrè, & verè ait, Mariam esse totius Mundi matrem, ac proinde vberibus moltò plenior dicenda est, quàm Diana illa Ephesia, quæ fingebatur vndique mammosa. nota & illud, *stella protulit Solem*: Aegyptij quidem generationem exprimebant potius per Solis orbem diuisum, è quo existeret stella. hinc Iacob ipse in somnio Ioseph est interpretatus se Solem, filios stellas. sed hic maior admirandi ratio, è stella gigni Solem.

Deipara totius Mũdi mater.

De

Ex Sermone XXI. & seq. de Monachis.

Quam vti se hic cum religiosis bonis versari.

1 DE religiosis sui temporis hæc habet. *In Aegypto tria sunt genera monachorum: Eremitarum, & Cœnobitarum bona, Sarabaitæ mala: prioribus duobus frequenter adhæsi tempore errorum meorum, per quos etiam illuminari merui.* Vide quàm vtilis sit conuersatio cum bonis religiosis, nam hæc peperit Ecclesiæ Augustinum, si ipse est qui hic loquitur. ab his illuminatum est tanti lumen ingenij. tum nota, vt improbi etiam se pietatis specie tegant, quasi bonos æmulati, vt alios fallant.

2 De ædificato à se monasterio in eremo sic. *Placuit Deo centenarium numerũ fratrum mihi donare, more Apostolorum communiter omnia possidentium.* est hic numerus notandus; nam cum nimis pauci sunt disciplina seruari vix potest; item cũ nimis multi: & nota studium in primis paupertatis. Tum de instituto sui ordinis hæc ait: *Multi ante me fuerunt patres, quos sequi, & imitari debemus; non tamen sicut ego, secundùm apostolicam vitam alios viuere docuerunt. caput igitur, & principium omnium vestrûm secundùm apostolicam vitam me ipsum dicere non erubesco.* rectè Augustinus, licèt alioquin humillimus propemodum gloriatur à se institutam Apostolicam vitam in religione; quanta igitur Ignatij nostri laus, qui vitam hanc Apostolicam instituit, ita vt zelum et noui Orbis ad fidem traducendi includeret. est & nostra Societas vna ex mendicantibus, & in paupertate fundata, nihil proprium possidendo, immò pro ministerijs nihil accipiendo: qua de re sic subiungit. *In celsitudine paupertatis viuentibus non licet nisi vnum esse cor, omnia communiter possidentium.* rectè celsitudinem vocat paupertatis, quam idem Ignatius altissimum murũ vocat, & quasi arcẽ, quæ falsò mundanis abiectissima videtur. Mox addit: *Agrorum precia ponebantur ante pedes Apostolorum, tanquam pedibus conculcanda; quia ipsi sancti Apostoli indignum reputabant, agrorum pretia manibus contrectare.* Vide cur pecuniam non manibus Apostolorum cõmitterent, sed ad eorum pedes abiicerẽt, sciebant ab iis humana omnia paruipendi, & conculcari. adeò pedes illi manibus domini contrectati, & loti, auro, & argento superiores erant.

Apostolica paupertas religiosis cõmẽdatur.

Celsitudo paupertatis ostenditur.

3 De sua paupertate sic. *Nec ego, qui Episcopus sum habere doleo, nisi tantùm ad dispensandum; quia bona Ecclesiarum, patrimonia sunt pauperum.* Notabile monitum ad Episcopos de bonis Ecclesiarum; patrimonia esse pauperum, non nepotum. seruauit hoc in primis S. Carolus Cardinalis Borrhomæus. Nec minus notabile est hoc quod addit. *Consanguinei nobiles veniunt ad me Episcopum aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis, dicentes; da nobis aliquid, pater; caro enim tua sumus; & tamen Dei gratia consanguineum aliquem me ditasse non recolo, &c.* O apostolicum virum, ac verè Episcopum: quis non admiretur integritatem, & vacuitatem affectus erga suos? huc facit quod subiungit de Episcopi habitu sic. *Capita tonsa, & rasa gestamus, in huiusmodi rei signum, ne diuitiarum capilli occupent mentem seruorum Dei.* Nota cur Episcopi maximè caput tondeant ampliore corona; nimirum diuitiæ superfluæ quasi capilli sunt, harum cupiditas ab istis maximè proijcienda, & ferro, nouaculaque secanda; immò Ezechielis more agendum, qui capillos sectos & ad ventum sparsos gladio est insecutus tanquam rem hostilem.

Bona Ecclesiæ patrimonia pauperum sunt.

Episcopi habitus quid significat.

4 Pergit de paupertate Episcopi. *Attendite quid vobis dicat qui nostrum se fecit pretium in ara crucis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vide cur Dei filius se ipsum fecit pretium nostrum, nimirum vt quæ Mundus offert quasi pretiosa, spernamus vt vilia. Addit: *Dicebat Deus ille Deorum discipulis suis; Vos estis sal terræ, lux Mundi; rectores Ecclesiæ militantis, magistri, & senatores Ecclesiæ triumphantis. beati pauperes spiritu.* Nota de Episcopis. est hoc præclarum elogium, vt Episcopi quasi militum duces se putent, hortando, præeundo exemplo. item quasi, *senatores triumphantis Ecclesiæ.* qui excellens titulus ad purpuratorum senatũ, qui Cardinales dicuntur, maximè pertinet.

Episcopi rectores & senatores Ecclesiæ.

5 Hypocritas carpit: *Beati pauperes spiritu.* spiritu, inquit, non foris tantùm ad iactantiam. *In cinere prædicant se iacere, sed excelsa palatia non despiciunt. Angelorum faciem foris ostendunt, corde lupino.* nota fœdum monstrum. Angeli os, & lupi cor.

Hypocritæ taxantur.

Ex Serm. XXV. & seq de Ierem.

1 IN formatione hominis mysterium agnoscit. *Homo prius seminatur, deinde concipitur, & caro formatur; deinde post dies quadraginta septem creatur anima, & corpori infunditur, secundùm sanctum patrem Cyprianum, cui in omnibus compellor credere, quia per Spiritum sanctum optimè locutus est.* est hoc sanè notatu dignum, nam totidem ferè post

Hominis formatio in vtero consideratur.

diebus infunditur anima corpori, quot annis templum ædificatum eſt, ideſt quadraginta ſex, vt aiunt Iudæi ad Chriſtum, quaſi corpus templum quoddam ſit, iuxta Apoſtolum, *Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti?* ac proinde non niſi ædificato, & formato huic templo animus tanquam ſacerdos introducitur, Dei cultor. quanquam per peccatum originale ſtatim hoc templum prophanatur. deinde vide quanti faciat Cyprianum.

Cur non omnes Apoſtoli vigiliam habeant.

2 Vigiliarum celebrationem oſtendit. *Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ non ſolùm apud fideles celebratur, ſed etiam apud infideles.* nota quanta eſſet in exiſtimatione. Addit; Bartholomæus Apoſtolus non ſolet habere vigiliam, quia vno die excoriatus eſt, altero obijt. probat hoc ex communi ſenſu, fuiſſe excoriatum. Tum docet cur alij quidam Apoſtoli vigiliam non habeant.

Ex Serm. XXVI. de Murmurat. & Inferno.

Detractio lepræ comparatur.

1 DOcet, cur Maria ſoror Moſis murmurans percuſſa lepra extrà caſtra eiecta fuerit: *Nempè ſicut lepra proprium corpus deuorat, & ſibi adhærentes inficit; ſic & murmurator non ſolùm ſe ipſum, ſed audientes.* hinc collige quàm fœda res ſit detractio. & nota ritus lepræ: *os habebit veſte contectum, immundum ſe clamabit, &c.* nota etiam vt detractorum cõuerſatio vitanda ſit, ne inficiat. adde acre Dei dictum: *quomodo ſi pater ſpuiſſet in faciem eius.*

CurDeus ad Adam uenerit poſt meridiem.

2 De pœna Adam hæc habet, *Expulſus eſt Adam de paradiſo, vt corrigeretur, et vt hac pœna temporali adipiſceretur æternam promiſſionem: expulſus igitur non ad damnationem, ſed ad correctionem.* Deinde ait. *cum abſcondit ſe Adam, fuit hoc ſignum doloris, & erubeſcentiæ.* huc refert illud, *Adam vbi es?* ita dicit, vt conſideret peccator ſtatum ſuum. vides vt omnia dirigat Deus ad ſtatum ſalutis. Notat & temporis myſterium: *poſt meridiem apparet Deus ad auram, oſtendens, quia ipſe ab amore peccatorum refrigeſcat, quia per peccatum in homine refrigeratus eſt amor, & charitas.* acutè notat hāc extinctā indicari. Denique Dei pietatē oſtendit, *O grandis Dei miſericordia, ò infinita clementia, ò admirabilis dilectio circa nos. quotidie peccamus, & tunicas pelliceas contritionis, & veniam nobis quotidie donat.* contra frigus eum pellibus muniſſe dicit; at vide magnitudinem amoris: cum hieme natus eſt ipſe in præſepio, non habuit quo ſe tegeret præter pannos. tunicę pelliceæ contritionem comparat, puto quia ex mortuo animali.

Tunicæ pelliceæ typus contritionis.

Detractio Auguſtini menſa interdicta.

3 Detractionem quàm auerſetur, indicat. *Caue, ne ad menſam meam peruenias. nam quid primò in mea menſa deſcripſi, niſi hoc: Quiſquis amat dictis abſentum rodere famam, hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.* Vide quàm abhorreret ab hoc vitio, vt teſtatum odium inſcripſerit menſæ, nempe ſal amicitiæ ſignum eſt.

Inferni pœna quā amara.

4 Inferni timorem incutit. *O inferne, latus es, & menſuram non habes. profundus es, & nullum fundum habere cognoſco. inſatiabilis es, quia omnes ſuſcipis. ibi dæmones flere, & clamare non ceſſant. ſed quid clamabunt, niſi percute, dilacera, ſine morte occide, fer prunas, picem; aurum, & argentum eliqua.* Vide immanes illos Cyclopes, & miniſtros Satanicæ crudelitatis totos ad laniſenam applicitos. Nota in primis hanc extremam pœnam auari, nam ita Craſſo ob cupiditatem auri hoſtes aurum in os eliquarunt, dicentes: aurum ſitiſti, aurum bibe. Tum doctè de pœnæ duratione oſtendit. *Peccator, quia ſi in æternum vixiſſet, ſemper mala facere voluiſſet, ideò in æternum cruciabitur.* Nota cur Deus pro tranſitorio peccato det æternam pœnam: quia cum peccator moriens ſciat ſibi æternitatem imminere, nec tamen deteſtari velit peccatum, ſed mori velit impœnitēs, perinde ſe habet, ac ſi peccare vellet in æternum; ideò & ſupplicium meretur ſempiternum.

Cur temporali peccato reſpondeat æterna pœna.

Ex Serm. XXVII. de filio prod.

Religioſæ vitæ felicitas.

1 PRæclarum eſt hoc religioſæ vitæ elogium. *Tutior hæc via religioſorum eſt ac dulcior, vbi alter alterius inflammatur exemplo. ò vita Angelica, vita contra Mundum pugnantium, vita Deifica.* quaſi parum fuiſſet vocare Angelicam, vocat Deificam, ob arctiſſimam videlicet vnionem cum Deo, qua, vt ait Apoſtolus, *vnus ſpiritus fit cum eo.* habes omnigenum bonum in hac vita: iucundum, quia ſecura & ſine moleſtia curarum: vtile, quia ad exemplum. honeſtum, quia Angelica, immò Deifica.

Religio domui filii prodigi comparata.

2 Item de religioſo ſtatu pulchrè. *Hæc eſt domus, vbi prodigus filius reconciliatur patri. ò grandis miſericordia; ecce filius fugit, & pater expectat, porcos paſcit, & ei vitulum parat. nudus apparet, & eum ſtola priſtina gratia induit, & annulus deſponſationis datur.* Vide quem ad finem religionem intremus: vt ſit pœnitentiæ locus, non commodi proprij; quanquam

quam & quasi thalamus est, vbi anima quasi annulo iungitur Deo. symphonia autem, & chorus in hac domo quid est nisi vnio, & charitas? & vitulus saginatus, quid nisi Eucharistiæ sumptio crebra?

3 Eadem in re Dei pietatem ostendit. *Occurrit pater filio, peccatori Saluator, quia per se non potest ad Deum accedere, nisi mentem eius ipse respiciat. post quam respexerit, brachia extendit super collum illius, quia onus eius leue.* Vide quid sit pro Deo in religione laborare, & onera eius ferre prona ceruice, non est aliud, quã Dei brachijs in collo circumdari: quid hoc suauius? Addit. *Duæ stolæ sunt, vna virtutis in præsenti seculo, altera immortalitatis post resurrectionem.* quid hoc beatius? ad hanc duplicem stolam puto referri quoque posse illud: *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Religiosi duplex stola, virtutis & immortalitatis.

4 Fœdum peccatoris statum describit. *Hoc, fratres mei, scitote, quod porcos iam pauimus, cum peccauimus; siliquas desiderauimus, cum Mundo placere voluimus; sed stola nos decorauit, annulo fidei subarrauit; osculatus est pace; calceauit, cum memoriam mortis impressit, vitulum occidit, cum in Sacramento altaris memoriam passionis renouauit; Angelis præcepit, vt conuiuium præpararent.* En quid voluptas mũdana sit, quàm fœda, quàm turpis; & vide quàm vilis & abiectus ille status mundanorum sit. rectè autem huic prodigo filio annulus fidei dicitur datus, nam impuri præsertim homines videntur quasi fide carere, dum Dei præsentiam non verentur. hinc ait: *peccaui in cælum, & coram te.* sed mirum quòd in tanta lætitia pater ei pellicea calceamenta dederit, in memoriã scilicet mortis: nempe qua deinceps caueret ab impura vita; ad quod etiam facit vitulus saginatus, idest Eucharistia, ad quã cum humilitate accedamus oportet, quasi eam vltimò accepturi, mox morituri, nã & hoc ipsum per subcinctitium panem Elæ significatum puto. qui rectè Angelorum ministerio præparatus fuit, vt Angelica puritate discamus sumendum Eucharisticum panem. Iam annulus sponsalis fidei est, quia & hoc mysterium fidei est, & bene duplex stola ad ornatum datur; nam & gratiam confert, & immortalitatis est pignus.

Mundanorum status quam abiectus & vilis.

5 Hæc præclara monita item ad religiosos sunt. *Cogitate, fratres, ad quid venimus; ecce elongati sumus à seculo, locus non facit tutum, sed operatio bona. peccauit Angelus in cœlo, Adam in paradiso.* egregiè finem, & scopum inculcat de religionis ingressu, & seculi fuga. tum ex ipso exteriore habitu excitat eos ad spiritalem vitam, *Cogitate, fratres, quid vestis nigra, quid zona pellicea, quid corona capitis persuadeat, nigra vestis Mundi contemptum denunciat, & memoriam mortis; zona pellicea lumborum refrænationem, & capitis rasi superfluitatem criminum ablatam de mente.* sic ab Ambrosio declaratum ait. adeo religiosus status præparatio quædam ad bene moriendum est; ac propterea per continuam mortificationem se omnibus vitæ commodis spoliant.

Religiosi habitus ipse exterior promonitore est.

6 Non est omittendum quod de tẽpore suæ cõuersionis ait, *Sanctus Ambrosius me regenerauit anno ætatis meæ trigesimo.* notabile hoc est: nam ea ętate quasi renatus, quando, & Christus à Ioanne baptizatus.

Augustini conuersio quo anno fuerit.

Ex Serm. XXVIII. de Cœna Dõ.

1 PEruicaciam Iudæ carpit. *Dominus cor Iudæ nequiter induratum, ad dilectionem Sacramenti dulciter inuitauit. ouem perditam recuperare cupiebat; sed videns eum obstinatum, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, &c.* Vides Christum totum intentum in molliendo, & dulciter trahendo Iudã sacramento sui corporis, & sanguinis ad dilectionem inuitat; cùmque hoc non moueretur, ad eius pedes, lauandos, flexo genu, & prona ceruice festinat.

Christi pietas in Iuda molliendo.

2 Expendit illud. *Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus, &c.) magnam Christi potentiam, & celsitudinem prædicat.* Nota; cum recogitaret Christus à patre omnia in manus tradita, tunc manus illas dominatrices exercere voluit in tam humili actione lauandi pedes discipulorum, etiam Iudæ; easdemque manus mox clauis subiecit. huc facit quod addit. *sed quid mirum si dominus aquam misit in peluim, qui suum dignatus est sanguinem fundere?* pulchrè dictum; aquam infudisse magnum fuit, quid sanguinem effudisse?

Christi humilitas in lotione pedum.

2 Exponit illud. *Venit ergo ad Simonem Petrum.) Videtur quibusdam sicut fuit martyr ille sanctissimus, & doctor Cyprianus, ante Petrum, Iudam lauasse, volens eum dominus reuocare.* quamquam ipse de Petro verisimilius putat quod esset alio rum caput; sed notabilis planè est sententia Cypriani, quæ humilitatem incredibilem Christi, & patientiam indicat in Iuda primo lauando; abijciendo se ponum ad eius pedes, qui ad proditionem intenti tũc erant, *veloces ad effundendum sanguinem* vt loquitur Dauid.

A Christo Iudæ pedes primò loti sunt.

3 Verba Christi in hanc sententiam exponit. *Qui lotus est in baptismo totus, non est necesse nisi vt pedes venialium peccatorum lauet.* egregiè indicat, baptizatum iam nullo deinceps mortali peccato inquinari debere. Tum vide quàm purè sumere

mere deceat Eucharistiam, etiam à venialibus lotum.

4 De Iudæ peccato sic. *O quàm doluit dominus, quod discipulum obstinatum videret; & videntes discipuli faciem, quam Angeli aspicere desiderant, turbatam, quæsierunt, quis eorum esset maior: putantes quod quis, vt maior dominari potest, magistrum prodere procuraret. poterant autem suspicari fictè Petrum dixisse: Tu es filius Dei.* proh quanta peccati grauitas, præsertim indignè communicantis. Christi faciē turbat, quæ facies tam serena est, & gratiarum plena, vt beatos Cœlites faciat, & vide quàm periculosus sit status sublimis, vt suspicionem det casus magni.

Quo status sublimior, eò magis timetur casus.

5 Docet, cur Christus in cœna intinctum panem Iudæ dederit. Non clarâ voce proditorem nominauit; *Nam si Petrus audisset, eum dentibus lacerasset.* Vides, & Petri zelum, & admirabilem Christi pietatē. Tum sic Iudam compellat. *O Iuda quid facis? nunquid ille amore tui patrem tuum sanauit à lepra, & matrem tuam, cū qua concubueras à paralysi liberauit? corpus suum donauit, &c.* Notabile hoc est, à leproso patre genitum Iudam; & certè ipse quoque auaritiæ lepra, sed peiore sordescebat: nam Elisæi discipulus Giezi, ob auaritiam, & pecuniam acceptam à Naaman Syro, leprosus est factus.

Iudas ex patre leproso natus.

6 De carnis afflictione sic monet. *Septuagenarios fratres nolo esse in pœnitentijs plusquam possint, nimios. vinum, vel ceruisia dominicis diebus ijs conceditur.* Vide quàm arctè, ac parcè cum decrepitis ipsis agat. vix semel in hebdomoda iam ætate confectis concedit vino, vel sicto vti; & illud monet rectè. *Nos, qui videmur in corporibus nostris habitu gerere figuram crucis, & religionis nostræ; caueamus ne simus sepulchra dealbata.* Vides religiosum ipso habitu aspero, & mortificatione etiam externa crucifixum præferre. rectè igitur & internum hominem respondere debere ait, vt verè possit dicere illud: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

Religiosus crucifixum ipso habitu refert.

Ex Serm. XXX. de Confessione.

1 MIrè pœnitentiam commendat. *Omnia membra pœnitētiam agant; oculus fleat; quo vidimus vanitatem; os, quod, &c. at primò cor, quod mala cogitauit, & concupiuit, doleat. Sicut exhibuistis, inquit, membra vestra seruire armis iniquitati, ita &c.* Notabile dictum iuxta illud: *mortificationem in corpore vestro circumferentes,* idest in omnibus membris, & sensibus; sicut & Christus dictus est, *circundatus infirmitate.*

Omnes sensus & membra religiosi mortificata esse debent.

2 De non differenda pœnitentia sic: *Promisit Deus veniam petenti, sed non promisit vsque in crastinum differenti;* quippè qui differt pœnitere, ostendit se non libēter, sed coactè agere. mox addit: *Diabolus cor adstringit, ne confiteamur.* Vide, vt quasi laqueo, seu nodo cor hominis adstringatur à diabolo, ne exeant peccata per confessionem. adstringitur autem, vel per diffidentiam, vel per pudorem: sed hūc itá submouet. *Noli timere confiteri peccata; nam illud, quod per confessionem scio, minus scio, quàm illud quod nescio.* est hic notabilis locus de sigillo confessionis. huc spectat quod subiungit: *Peccator est qui audit, homo est, nihil alieni habet à me.* Ad hęc Addit. *Nolite differre, ad sacram messem confessionis accedere festinate.* pulchrè messem appellat; puto quia in confessione consistit fructus per tot labores prædicationum, & exhortationum collectus; & vt in area messis trituratur, & conteritur, ita in confessione cor contritum fit, & quia per eam redditur homo frugi, idest virtutibus abundans.

Confessio non differenda per diffidentiam aut pudorem.

3 Continēt hæc confessionis elogium. *Confessio Inferni pauor est, Angelorum tunica, baculus, lumen, & spes fidelium; obstruit os inferni, aperit paradisum.* egregiè, & pulchrè dictum: dum os aperitur in cōfessione, clauditur os inferni. pauet Infernus, si tu non paueas fateri; & dum exuis te veteri homine, induis Angelicam stolam, deinceps castè, sanctèque viuendo.

Per Confessionem Angelica stola induimur.

4 Elegans quoque & hæc confessionis est laus. *Tanto pondere appensum est, tantumque valuit apud Deum Latronis confessio in cruce domini crucifixi, quantum si fuisset pro domino crucifixus.* Notabile dictum: si in statera pendatur martyrium, & confessio Christi cum agnitione peccatorum: *& nos,* inquit, *iustè; nam digna factis recipimus:* æquo pondere, ac libramēto lāces appēdit itá Latro martyr fuit, qua si pro domino crucifixus, quia se crucifixum dixit pro peccatis proprijs.

Latronis ingens laus ex confessione peccatorum.

Ex Serm. XXXI. de Mundi fallac.

1 MVndi fallaciam detegit, *O Munde immunde, quibus florem serenissima iuuentutis præstare voluisti.* lepidè dicit Mundum immundum. cum serenitatem promisit, tonat procellis. flores iactat, & oblinit cœno; itaque addit: *O Munde, & si floreres; quid facerent amatores tui: sed verè non flores, mella tua, & dulcedo tua asperitatem habent, iucunditatem falsam.* huc spectat & illud Gregorij. Ecce, inquit, Mundus in se aruit, & solùm in cordibus nostris floret. ipsas eius amaritudines amamus.

Mundus & flore & melle caret.

1 De custodia sensuum, præsertim visus,

sus, hæc habet. *Summè custodiendus est oculus, quia ianitor cordis est, & nuncius*. rectè non vulgarem, sed summam custodiam requirit; & pulchrè ianitor cordis dicitur oculus, introducens rerum species: at certè oculus Euæ ianitor, dum hostiles pomi species introducit, excluditur ipsa cum viro è paradisi ianua. his addit. *claude oculum, & Infernum clauseris in æternum*. Nota grauiter dictum, & acriter. eadem claui clauditur, aut aperitur Infernus, quo oculus: vtriusque par ratio. committe clauē hanc modestiæ, & vnà cum oculis Infernū claudes.

Superbia nouerca virtutū & religiosis extranea.

3 Acerbè in superbiam inuehitur. *O superbia cunctarum nouerca virtutum, quid agis inter nos, inter seruos Dei? matrem te non ostendis, nam omnes morimur, Deus non fecit, nec ad nos te misit; qui subditus voluit esse parentibus*. rectè ait, superbiam nihil habere commune cum religiosis; extranea est, cum is locus mortificationis, & humilitatis sit. & rectè nouerca virtutum dicitur, sicut humilitas mater.

Superbia Inferni porta.

4 Et hæc eius vitij detestationem cōtinent. *O superbia porta Inferni, magistra erroris, caput diaboli, quid inter homines facis? quid eis promittis, quia tantum te diligunt? ecce Nabucdonosor, qui tantum te diligebat, quasi bos fœnum comedit*. Nota, dum homo supra humanum statum eleuari se putat, infra suum statum se deprimit versus in bestiam. quod autem, *Inferni ianuam*, appellat, quis non exhorrescat? adeo prope Inferos superbus est. contrà igitur humilitas ianua cœli est.

Viduarū & orphanorū direptores quam horribilis pœna maneat.

5 Hæc contra auaritiam dicuntur. *O diuitiæ omni veneno peiores*. huc refero aureum illum Babylonis calicem abominationibus plenum quasi veneno. Tum sic, *Cum diabolo ardent, qui nudum non induerunt; vbi putamus arsuros, qui viduas, & orphanos spoliauerunt?* Vide quàm horrendum supplicium maneat eos, qui viduis, & orphanis bona diripiunt: nempè his Infernus horribilior, & atrocior debetur quasi non sufficiat ille ignis, *qui paratus est diabolo, & Angelis eius*.

6 Principum rapinas seuerè perstringit. *Cum quæsitum fuisset à Socrate, cur fortiter rideret? respondit: video magnos latrones ad suspendium damnare paruos: quoniam digniores suspendio, qui in domibus habitant latrocinia maiora committentes, quàm qui in siluis cum tremore quotidie commorantur*. notent hoc mali principes, qui subditos spoliant; nempe hi fugitiuis, & raptoribus peiores sunt: quippe ipsi impunè, & sine metu supplicij sunt, etiam si maiora damna committant. illi saltem clā agunt, latent, supplicio sunt obnoxij, & metus ipse carnifex est; ità latro ille ad Alexandrum ductus, vt reus puniendus, conquerebatur, quod se priuatum latronem condemnaret, cum ipse publicus esset totius Orbis latro, ac prædator impunè.

In principe rapina quàm indigna res sit.

Ex Serm. XXXII. de Patientia.

1 PAtientiæ elogium hoc est. *Patientia est, quæ fæcem totius voluptatis vbstergit, quæ limpadas animas Deo reddit; ipsa nauis est, quæ ad Deum perducit*, rectè voluptatem fæci conparat; quare carnales dicuntur à propheta, *defixi in fæcibus suis*. nam vera suauitas de supernis est, nō de infimis, ac terrenis, vt fæx in imo est, pulchrè patientiam instar nauis esse ait, quæ per procellas, & scopulos tutò traiiciat ad portum salutis.

Patientia limpidam fa it animam.

2 Pergit de hac virtute dicere. *Patientiam in morbo in cunctis habete. eleuate capita vestra, & aspicite vulnera Saluatoris de cruce pendentis; videte caput inclinatum ad vocandum, & parcendum; cor apertum ad diligendum; brachia extenta ad amplexandum; totum corpus expositum ad redimendum. hæc quanta sint, cogitate. vos, qui doletis, hæc in statera cordis appendite: vt totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus fuit in cruce*, pulchrè, & piè dictum de patientia præsertim in morbis, per Christi vulnerati, & crucifixi contemplationem. cor quasi statera adhibenda; in vna lance grauitas nostri morbi ponatur, in altera grauitas dolorum Christi pro nobis.

In afflictione Christus crucifixus solatio est.

3 Christi in nos affectum exprimit per antithesin. *Ipse qui panis est, esurire voluit; ipse fons sitire, ipsa quies fatigari, ipsa lux dormire, &c. ligatur qui soluit compeditos, iudex iudicatur, vulneratur salus, vita moritur*. in deserto hæc ostendit, & in sermone cum Samaritana, & in cruce.

4 Pietatem suam in egenos ostendit. *Fractis argenteis vasis, de bonis Ecclesiæ Hipponensis vobis in necessitatibus, & pro captiuis prouidere volui*. Vide quousque charitas se extendit, vt vasa continentia sanguinem Christi vænirent pro pauperibus, pro quibus ille venijt sanguis.

In necessitate vasa Ecclesiæ impensa in pauperes.

Ex Serm. XXXIII. contra Ebriet.

1 INdulgentiam parentum nimiam erga filios taxat. *Cyrillus præclarissimus ciuis filium vnicum superfluo amore inebriatus corrigere negligebat. ò paternum amorem mortiferum. ecce filios se dicunt diligere, quos iugulare procurant. hic ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem. ecce pater, & filius ambo in foueam*.

Parentum indulgentia in filios males crudelitas est.

ueam cadunt. quare? quia etiam pater cæcus est, qui filiorum salutem negligit. horrẽdum sanè exemplum, quod Deus permisit vt constaret quod hic dicitur, parentes fereudo improbitatem filiorum, non esse beneuolos, sed crudeles, cum id cedat in exitium, ac perniciem. acutè ait, parentẽ istum ebrium amore filij, dum filium vino ebrium non corrigit, Deo permittente, prę ter alia nefaria ab ebrio ipsum fuisse occisum: huc refer vltionem de Heli sacerdote, quod licèt filios corripuisset, remissius tamen id egerit.

Elias quã diu ieiunauit, miracula fecit.

2 Ad ieiunium, & carnis abstinentiam hoc maximè facit. *Elias tandiù miracula fecit, quandiu pane, & aqua refectus est. sed postquam carnes comedit, miracula non legitur fecisse.* Notabilis est hæc animaduersio. Angelus quia sine carne est, panem subcineritium ferebat, non carnes: at coruus carniuorus, carnes etiam ferebat; ex tunc miracula facere cessauit; licèt Elias non à se procuraret carnes illas, sed diuinitùs oblatas comederet.

Ex Serm. XXXIV. de Obedientia.

Obedientiæ securitas magna

1 DE obedientia præclarum affert testimonium, interpretatus verba Angeli ad Loth: *In monte saluum te fac.) idest in contemplatiua vita ad hunc montem obedientiæ ascendamus, vt Loth; nihil est enim maius obedientia.* Vide sublimitatem obedientiæ, cum tu te maximè abijcere putas. & nota, licet Loth reuelationem habuisset ab Angelo se posse saluari in Segor ciuitate parua; tamen ob vicinitatem Pentapoleos flammæ, cucurrit ad fastigium montis, quò ascendere primùm iussus est, licet cum labore. vbi vides quanta securitas in obedientia. quasi maior quàm in reuelatione ipsa.

2 Horrendas inobedientiæ pœnas refert. *Ionas inobediens à pisce absorptus est. Saul inobediens à dæmone correptus est.* horrendum est quod ait. Nota, cur Saul dęmoniacus sit factus, quia iuxta Samuelis præceptum, non occiderat omnes aduersarios, & animalia, sed hęc, & Agag regem

Saul ob inobediẽtiam dæmoniacus factus.

reseruauit. cõtra hanc inobedientiæ pœnã Dauid oppositus est, nempe secundùm cor Dei, cithara canens; harmonia enim religionis obedientia est, cum chordæ diuersi generis ad artem periti musici tenduntur, aut laxantur, &c.

3 Eos, qui benefaciunt coactè, Deo negat esse acceptos, & Simoni Cyrenæo, quẽ Iudæi angariauerunt, comparari dicit. *Ecce Simon crucem portat cum dolore, sed non moritur, & sine fructu à cruce recedit.* rectè monet religiosos, qui crucem ferunt, vt Simon hic, sed in ea confixus, & mortuus nõ est: *Timeo, ne coacti hoc agamus, & corpora macerantes, Mundo saltem secundùm voluntatem viuamus.* Addo, huius Simonis genealogia ponitur in Euangelio: *pater,* inquit, *Alexandri, & Rufi.* ita mali religiosi per affectum cognationis quasi in seculo sunt. Subiungit. *præcipitur non retro respicere, quia victor Mundi, & montem religionis ingressus non debet retro respicere.* nempe rectè dicitur & sponsæ. *obliuiscere populum tuum, &c.*

Religiosi imperfecti similes Simoni Cyrenæo

Iudices mali taxatur.

Ex Serm. XXXV. ad Iudices.

1 IVdicum auaritiã taxat *O patres pauperum, ò verè non patres, sed prædones Visitabo, inquit, populum meum, & iudices, & vias eorum, & cogitationes eorum reddã eis.* Vide quàm seuerus Iudex Deus sit Iudicum. totus oculatus circa ipsos est, & intimas ipsas cogitationes scrutatur.

Mortis memoria inculcatur Iudici presertim

2 A peccato sic auocat. *Cogitate quid estis, quò ituri estis. parentes vestri prædicant mortui, sepulchra clamãt, Infernus vlulat, Sacerdotes prædicant: quid superbis terra, & cinis?* pende hæc singula, mortuorum è mutis ipsis tumulis clamorem, inferni gemitus, & vlulatus, concionatorum vociferationes; nec tamen hæc commouent: adeo vel surdaster peccator est, vel ingenio præfracto, ac rectè Iudicibus in primis memoriam mortis inculcat, qui sententiam mortis ferunt.

Magistratus & magisterij fastum mortis memoria reprimit.

3 Magistratuum simul, & magistrorum fastum his verbis deprimit. *O Iudex, iuxta tumulos tuorum transis patrum; mortui clamant: terra es, & in terram ibis. vbi sententia? vbi cathedra magistralis? vbi honor discipulorum? vbi indumenta serico, & pelle decorata? ò cinis, ò puluis, ò iudex.* refer ex his aliqua ad doctoratus insignia, quibus scioli tument. habẽs hic antidotum tumoris, & magistratus, & magisterium. quàm meritò ille laudatur, de quo dicitur: *Dauid in cathedra sedens sapientissimus princeps; ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.*

4 Peccatores ita solatur: *Nemo diffidat de Dei misericordia. Mariam illam dominam luxuriæ, vanagloriæ matrem in exemplum assumite, quæ deinde Apostolorum Apostola meruit nuncupari.* Apostola dicitur, quia missa, vt resurrectionem Christi nunciaret Apostolis. *mater vanagloriæ.* rectè dicitur, mater effecta est humilitatis, dum peccatoribus suo exemplo parit Christo ad pedes abiecta domini largè illacrymans iacuit, & appetita adstantium probris, non de contumelijs, sed de peccatis erubuit.

Ex

Ex Serm. XXXVI. ad Presbyt. & seq.

Sacerdotis zelus de salute animarũ.

1 PResbyteratus insigne hoc elogium est. *Mundamini, qui fertis vasa domini, dicit Esaias. Vos estis columnæ templi, lignum scientiæ in medio paradisi, patroni terræ, Angelorũ ciues, prophetarũ filij, Apostolorum successores.* egregiè in primis sacerdotes comparat columnis templi, quæ æneæ erant, nec aliam molem supra se sustinebant quam lilium. harum columnarum nomina à fortitudine dicta erant, quasi castitatem seruare res magni ponderis sit. sunt etiam, *patroni terræ*, idest aduocati apud Deum omnium nationum & populorum. Subiungit de zelo salutis animarum, quem habere debent: *Vasa Domini non solùm aurea, & argentea, sed & pro quibus redimendis dominus mori dignatus est, seruare debetis.*

Sacerdotes columnæ templi & patroni terræ.

Augustinus martyrio non defuit.

2 Ostendit suam in fide constantiam. *Si Deus mecum, quis contra me? nunquid Fortunatus, vel Arius? nam quia verum eis dixi, ideò in eremo insidias mihi posuerunt volentes occidere, & tamen me Deus liberauit. libenter autem suscepissem martyrium.* vides Augustinum pro fidei defensione non defuisse martyrio; & necem ab hæreticis ei intentatam esse: quod satis probabile est, etiam si hæc alter scripserit. vides etiam martyrium non solùm per infideles, sed per hereticos subiri posse.

3 Ethnicorum exemplo mundanos confundit. *Ecce Romani principes quãtum necessarium fuit, tantum de diuitijs accipiebant, reliqua pauperibus erogabant; iustitiam mirabiliter obseruabant in cunctis, propter quæ meruerunt magnifico imperio nobilitari; ecce pagani erant, & stultissimũ putabant pro Deo colere crucifixum, & tamen Deum suum timebant; & nos qui nomen Christi in fronte portamus, latrocinia procuramus.* Vide Dei pietatem, qui illam qualemcumque vmbratilem iustitiam certè in hac vita remunerari voluerit. huc refer Fabritios, Curios, & ceteros, quorum nonnullos M. Tullius in paradoxis memorat. Tum de se ipso nondum Christiano sic. *Ego nondum fidelis eram, & non solùm à Carthaginensibus, & à Romanis acutissimus reputabar, copiosa turba circumdabat & audientes ori suo manum imponebant, ciuem Romanum, tribunorum caput me fecerant, & vxorem Pontiani filiam mihi æqualem parabant; audeo enim dicere, in nullo me mutatum esse, omnia contemnens fugi Mediolanum; hæc omnia seruus iniquitatum mearum facere nolebam, qui nunc seruus Christi hæc & maiora tentor habere frequenter.* Vide in quanta existimatione erat Augustinus penè iuuenis, nam trigesimo ætatis anno se conuersum supra dixit. nota illud, eo loquente Romani proceres, *ori suo manus imponebant.* imponãt nunc multò magis hæretici.

Augustinus adhuc iuuenis quanti fiebat.

4 Sacerdoti auaritiam interdicit. *Pauperem vitam sacerdos gerere debet, & ideò si magno beneficio gaudet, præter victum & vestitum, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt.* Notabile dictum; pauperum esse quicquid sacerdoti superest, præter victum, & vestitum. supra quoque dixit, Ecclesiæ opes esse patrimonia pauperum.

In Sacerdote auaritia carpitur.

5 Sacerdoti castitatem in primis indicit. *Casti simus; hæc est enim illa virtus, quæ nos Angelos facit, quæ nos super æthera volando conducit, vt conuersatio nostra in cælis sit.* rectè, nam sacerdos dicitur per prophetam, *Angelus domini exercituum.* pulchrè autem castitati quasi alas columbæ, ac pennas dat, vt volemus ad superna, nẽpe carnis pondere abiecto, ac puto has esse de quibus dicitur: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri.* nã à clero Clerici nomen ductum Augustinus alibi docet. quid tali columba pulchrius, aut felicius?

Castitas pennas nos in cœlum euehit.

6 Mulierum societatem Clericis maximè interdicit. *O quàm vilis, quàm miser, quàm pusillanimis reputatur Clericus, qui frequenter cum mulieribus conuersatur.* meritò pro vili habetur, nam eius conuersatio debet esse cœlestis. est idem pusillanimis, quia se vincere nescit. Addit: *Sic famã vestram custodire debetis, vt non erubescant de detractoribus laudatores.* idest vt non sitis obnoxij calumnijs. subiungit acria verba: *O quàm turpe est à meretrice clericũ duci captiuũ.* hinc illæ pontificiæ leges, hinc illę meritò iure indictæ pœnę contra clericos concubinarios. & rectè captiuos diaboli dicit, tanquam in eius triumpho ductos; quo quid indignius?

Clerico minus casto nihil indignius

7 Ostendit quanta puritate, & castimonia debeat esse sacerdos. *Si interrogauit Sacerdos, vtrùm serui Dauid mundi essent propter panes propositionis accipiendos, quid nos facere debemus propter corpus domini? Si Sacerdos paganorum dum offerre debet dijs suis incensum, ab omni malo, vt potest, abstinet. in Aethiopia, quò perrexi cum quibusdam seruis Dei, vt sanctum euangelium prædicarem, vidimus multos homines ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore; inter quos Sacerdotes vidimus vxoratos tantæ abstinentiæ, vt vxores non nisi semel in anno tangerent, quo die ab omni sacerdotio vacabant.* rectè erubescendum indicat quod gentilium sacerdotes castimonia quandoque nos præeant. Notabile autem est hoc, quod dicit

cit de hominibus sine capite, habentibus oculos in pectore, hoc est prope cor; etiam castè viuentibus satis hoc indicat, quasi oculato corde opus esse, vt castitati semper inuigilent.

8 Et hæc mira de castis gentilibus refert. *Vidimus in interioribus partibus Aethiopiæ homines vnum tantùm oculum in fronte habentes, quorum sacerdotes à cõuersatione hominum fugiebãt, ab omni libidine abstinebant, & in hebdomada, qua Dijs suis thura offerebant, nihil sumebant, nisi metretam aquæ per diem; ò grandis Christianorum miseria, ecce pagani doctores fideliũ facti sunt.* meritò rem exaggerat. Sacerdotes ethnicos magistros esse nostrorum. & nota illud pulchrè de vnoculis castis: quid mirum? nempe quò magis carebãt oculis, magis carebant incitamento libidinis. de oculo quasi de hoste loquitur inexpugnabili Iob. *Pepigi fœdus cum oculis meos, vt ne cogitarem quidem de virgine*; fœdus enim iniri solet, cum hostis timetur fortior viribus, & quid aliud oculus ille in fronte nisi pudoris admonebat, cuius est sedes?

Sacerdotes gentiliũ quàm abstinẽtes

Ex Serm. XXXVIII. de lect. S. Scripturæ.

1 DE lectione sacræ scripturæ, sic eleganter, *Legite sacram Scripturam, quia omni melle dulcior, omni pane suauior, omni vino hilarior inuenitur; festinate rapere non sophismata paganorum, nõ carmina poetarum, non fallacias philosophorum sed illam dulcissimam sapientiam, sapientiam sapientiarum, quæ mater est fidelium, quæ ex ore Altissimi prodijt; philosophis, Astrologis, sophisticis, dialecticis abscõditam, rudibus piscatoribus reuelatam, doctrinarum omnium magistram, & dominã, ferculum Angelorum.* nota, & vide vt sacra scriptura omnibus veterum philosophorũ gymnasijs antecellat; voluptate verò tanta, vt eandem cum melle iure comparet. Addit. *discite eam, quia lenior oleo, præstantior auro, argento purior.*

Sacræ scripturæ lectio quã vtilis sit.

Ex Serm. XXXIX. de vita solit.

1 SOlitariæ vitæ præstantiam ostẽdit. *Pax vobis, qui electi estis ante Mundi constitutionem, vt hic degeretis, et sitis cum Elia, Antonio, & Ioanne sancti, & immaculati in conspectu Dei.* Vides religiosum statum esse prædestinationis signum modò nos Sanctorum socios similitudine morum faciamus: ad hũc enim ne ẽ tam sublimem perfectionis aspirare fas est.

Solitariæ vitæ præstantia.

2 Quid sit religiosorum conuentus à se institutus, ostendit. *Hæc est vinea mea illa fertilis, quam plantaui, anno ætatis meæ trigesimo tertio, velut seruus Dei Noe; quam cupimus, Deo duce, sanctis exemplis, ac documentis ornare, & ornatam ita custodire, vt à nemine exterorum possit vindemiari, nec aper de silua possit eam exterminare. hæc est illa vinea, quam plantaui velut pater familias, quam sæpe paupertatis, obedientiæ, & castitatis circundedi, ad quam exiens primo mane vos conduxi operarios, vt afferatis fructum quinquagesimum, sexagesimũ & centesimum, secundùm abundantiam gloriæ Iesu Christi.* Nota quod ait de monasterio à se instituto post tertium conuersionis annum; dixerat enim supra, trigesimo se anno conuersum: adeò sanctitate profecerat. potest idem transferri ad fundatores religionum, vt ad Ignatium Societatis Iesu, qui maiorem Dei gloriam peculiariter spectauit, quod hic dicitur, *secundùm abundantiam gloriæ Iesu Christi.* plantauit colonus hic vineam Dei gratia sanè frugiferam, eamque tribus sepibus, idest votis muniuit, præter illud summo pontifici à professis nuncupatum. egitque hoc cum maximè vastare conaretur Ecclesiam ille *aper singularis ferus.* hoc est Lutherus.

Fundatores religionis quasi vineæ plan

3 Quàm bonam apud alios existimationem religiosi habeant, indicat. *Hæc est illa religio immaculata, cuius sanctitas per totum Orbem terræ diuulgatur, quorum conuersationem cuncti admirantur, quorum vita non solum à Christianis, sed etiam à paganis potius Angelica quàm humana reputatur.* mirum quantam ædificationem requirat à religiosis; vt non Christiani modò, sed gentiles ipsi sanctitatem admirentur, quod certè nunc apud Indos accidit in nostra Societate, quæ in ipsorum conuersionem in primis strenuè incumbit.

Religionis, præsertim Societatis Iesu bona existimatio.

4 Pergit de religiosi status felicitate dicere. *Hic est ille paradisus, quem dominus à principio plantauerat, in quo nos posuit vt operaremur virtute, patientia, assiduitate precum, castitate; ex quo exeunt flumina sapientiæ, & veritatis.* & hoc potest ad quosdam ordines, & ad eandem minimam nostram Societatem cum humilitate trãsferri, in quibus & virtutum sunt operationes, & ex quibus varia flumina disciplinarum dimanant, vt pietas cum doctrina coniuncta admirationi sit omnibus.

Religiosus status viros habet doctrina & sanctitate insigne.

5 Et hoc elogium religiosi status est, *Hæc est illa norma apostolica, virga directionis, & æquitatis; habetur enim communitatis ratio.* hoc ad eos ordines maximè pertinet, quorum institutum est iuxta *normam Apostolicam*, non solùm ob paupertatem, si sint è mendicantibus, sed ob Euãgelij apud barbaros prædicationem. quã obrem nostri certè, quod cum demissione semper dictum volo, in literis Regis Tanaris

ri, Apostoli nominantur, & vulgo apud Indos. quò spectat quod addit: *Hæc est religio Apostolica, quæ percutit duces Moab, & Aegyptios.* per Moabitas, qui à stirpe Abraham descendebant, hæreticos interpretari possumus, vt vult Hieronymus, & Rupertus; per Aegyptios verò gẽtiles idololatras: vtrumque genus Apostolicus hic ordo percutit, expugnando hæreses, & idololatriam: quæ laus & Dominicano ordini iure debetur, vt ceteros nunc omittam. his addit: *Hæc est vinea Core Christi sanguine irrigata, quam Sarabaitarum principes hæretici destruere quæsierunt, sepem comburere; vites, & flores incidere.* idem certè conantur, sed frustra hæretici, viros Apostolicos occidendo; templa, & aras vastando.

Societatis Iesu in statu Apostolico.

6 Exponit illud de religiosis, & apostolicis viris: *Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat.) Quatuor hic attendere debetis: dignitatem: ego elegi vos; officium: vt eatis; cautelam: vt fructum afferatis; constantiam: vt fructus vester maneat.* acute singula notat ad Apostolicum institutum pertinentia, & quid nobis præstandum sit, ostendit. Deinde subiungit: *Tres sunt eligendi modi; electio, cum de multitudine bonorum, & malorum eligitur bonum; subelectio, cum de bonis meliora, vt filij Leui; sed cum in statu Eremitarum promouit nos, prælegit nos. magnum est, fratres, quod elegit nos; maius, quod subelegit nos; sed maximum, quod prælegit.* & paulò post addit: *Verè elegit nos Deus, & prælegit nos in hæreditatem sibi: nam ad eleuationem manuum nostrarum Regum corpora inclinantur, munera offerunt; etiam patres nos profitentur, expectantes nos esse cum Elia, & Paulo Eremita intercessores apud Deum. væ igitur, &c.* Notabile admodum est hoc de reuerentia Regum ipsorum ergà religiosos, ad quorum manuum eleuationem, dum ad preces extolluntur, Reges ipsi se inclinabant, munera ijs offerebant, patres eos appellabant, habere intercessores apud Deum quærebant, non minus quàm Eliam, &c. væ igitur ijs, qui minus decorè agunt, quã pro suo statu debeant; sed lætandum quod huius etiam temporis Reges, & Imperatores certent pietate erga religiosos, & apostolicos viros.

Apostolici instituti dignitas, ac munus.

Religiosi ab ipsis regib⁹ ac dynastis in honore habiti.

7 Exponit illud: *Posui vos, vt eatis, &c.) Quatuor sunt hominum positiones. accubitus, sessio, status, ambulatio; cum homo iacet, omnes partes quiescunt; cum sedet, inferiores tantùm; cum stat, totus homo laborat; cum verò ambulat, additur labori grauis ex motu fatigatio; ita quatuor sunt gradus, & status in Ecclesia: aut mali, aut ex bonis actiui, aut ex bonis contemplatiui, aut vtrisque prælati: mali velut in lecto quiescunt dicẽtes: Anima mea, habes multa bona, & c. coniugati partim Mundo, partim Deo seruiunt; contemplatiui sunt velut milites, & cælorum ciues, laborant super terram, & ab Angelis sustentantur. sunt & alij qui ambulant, non tantùm, vt de virtute in virtutem, sed inter diuersa genera hominum discurrere; nunc increpare, nunc consolari, nunc docere, nunc legere, etc. vt Christus ait discipulis: Itè in orbem vniuersum, prædicate Euangelium.* meritò laudat præcipuè hoc quartum genus, quod iungit actionem cum contemplatione, cuius munia hæc ipsa sunt, docere, legere, prædicare in Orbe toto. sed quàm mirum est illud, contemplatiuos esse milites, cum hi in campo, illi in cellula sint? sed nulla arma maiora quàm preces.

Quatuor status in Ecclesia

8 Eleganter & pulchrè de varijs statibus loquitur. *Hic Mundus mari comparatur, quod alij transeunt vado, quidam ponte, quidam submersi natant in fluctu. isti sunt varij status hominum; nam mali submerguntur; cõiugati, seu sæculares vado transeunt; contemplatiui ponte: sed nunquid & pons aliquando cadit? orandum est omnino nè de ponte cadamus, nam citius moreretur, quia de loco sublimiore; sed potius de ponte porrigamus manus ad eos, qui submerguntur.* Vide quàm cautè, ac timidè etiam religiosi, etiam cõtẽplationi dediti esse debeant, nec interim proximo deesse debent, nam & Gregorius, & Basilius, & alij, Ecclesia per hæreticos periclitante, in publicum prodibant. tum vide quanta cum difficultatè seculares hoc seculi mare trãsmittãt.

Contemplatiui mare seculi quasi ponte trãseunt, seculares vado.

9 Ex habitu ipso sacerdotali sanctitatẽ status colligit. *Quis tot vinculis alligatur, vt sacerdos? bos nè, vel leo captus? ò Sacerdos cum te ipsum induis primo amictu, faucibus circumdatus ligaris, ac si tibi dicatur: adstringe fauces ori tuo; albam deinde ponis, cingulo renes adstringis, ne cor tuum mala meditetur; stringe renes, crucifige carnes, &c.* præclarè indicat, Sacerdotẽ non nisi crucifixum, ad crucifixi mysteriũ accedere debere.

Sacerdos ipso indumento sãctitatem ministerij præsefert

10 Iudæ casum ostendit: *Inter discipulos Christi familiarior Iudas; quia in bono non perseuerauit, in se confidens cecidit.* notabile est, quod ait, Iudam ex discipulis familiarissimum Christi fuisse. nempè quẽ dispensatorem constituerat pecuniæ erogandæ in pauperes, quos adeò Christus amat; & qui prouideret de victu Christo ipsi; sed cur cecidit? quia in se confidebat, cum ex omnibus timidior esse deberet, quia pecuniam tractabat, rem periculi plenam. erat etiam proprij iudicij, & opinionis, quod ipsum superbiæ est, cum de Magdalenæ vnguento ait: *vt quid perditio hæc? &c.*

Iudas [illegible] perdidit confidentia proprij iudicii.

11 Die paschatis amicos inuitat. *Ne tur-*

cit de hominibus sine capite, habentibus oculos in pectore, hoc est prope cor; etiam castè viuentibus satis hoc indicat, quasi oculato corde opus esse, vt castitati semper inuigilent.

8 Et hæc mira de castis gentilibus refert. *Vidimus in interioribus partibus Aethiopiæ homines vnum tantùm oculum in fronte habentes, quorum sacerdotes à conuersatione hominum fugiebāt, ab omni libidine abstinebant, & in hebdomada, qua Dijs suis thura offerebant, nihil sumebant, nisi metretam aquæ per diem; ò grandis Christianorum miseria, ecce pagani doctores fidelium facti sunt.* meritò rem exaggerat. Sacerdotes ethnicos magistros esse nostrorum. & nota illud pulchrè de vnoculis castis: quid mirum? nempe quò magis carebāt oculis, magis carebant incitamento libidinis. de oculo quasi de hoste loquitur inexpugnabili Iob. *Pepigi fœdus cum oculis meos, vt ne cogitarem quidem de virgine*; fœdus enim iniri solet, cum hostis timetur fortior viribus, & quid aliud oculus ille in fronte nisi pudoris admonebat, cuius est sedes?

Sacerdotes gentiliū quàm abstinētes

Ex Serm. XXXVIII. de lect. S. Scripturæ.

1 De lectione sacræ scripturæ, sic eleganter, *Legite sacram Scripturam, quia omni melle dulcior, omni pane suauior, omni vino hilarior inuenitur festinate rapere non sophismata paganorum, nō carmina poetarum, non fallacias philosophorum sed illam dulcissimam sapientiam, sapientiam sapientiarum, quæ mater est fidelium, quæ ex ore Altissimi prodijt; philosophis, Astrologis, sophisticis, dialecticis abscōditam, rudibus piscatoribus reuelatam, doctrinarum omnium magistram, & dominā, ferculum Angelorum.* nota, & vide vt sacra scriptura omnibus veterum philosophorū gymnasijs antecellat; voluptate verò tanta, vt eandem cum melle iure comparet. Addit. *discite eam, quia lenior oleo, præstantior auro, argento purior.*

Sacræ scripturæ lectio quā vtilis sit.

Ex Serm. XXXIX. de vita solit.

1 Solitariæ vitæ præstantiam ostēdit. *Pax vobis, qui electi estis ante Mundi constitutionem, vt hic degeretis, vt sitis cum Elia, Antonio, & Ioanne sancti, & immaculati in conspectu Dei.* Vides religiosum statum esse prædestinationis signum; modò nos Sanctorum socios similitudine morum faciamus: ad hūc enim hāc tam sublimem perfectionis aspirare fas est.

Solitariæ vitæ præstantia.

2 Quid sit religiosorum conuentus à se institutus, ostendit. *Hæc est vinea mea illa fertilis, quam plantaui, anno ætatis meæ trigesimo tertio, velut seruus Dei Noe; quam cupimus, Deo duce, sanctis exemplis, ac documentis ornare, & ornatam ita custodire, vt à nemine exterorum possit vindemiari, nec aper de silua possit eam exterminare. hæc est illa vinea, quam plantaui velut pater familias, quam sepe paupertatis, obedientiæ, & castitatis circundedi, ad quam exiens primo mane vos conduxi operarios, vt afferatis fructum quinquagesimum, sexagesimū & centesimum, secundùm abundantiam gloriæ Iesu Christi.* Nota quod ait de monasterio à se instituto post tertium conuersionis annum; dixerat enim supra, trigesimo se anno conuersum: adeò sanctitate profecerat. potest idem transferri ad fundatores religionum, vt ad Ignatium Societatis Iesu, qui maiorem Dei gloriam peculiariter spectauit, quod hic dicitur, *secundùm abundantiam gloriæ Iesu Christi.* plantauit colonus hic vineam Dei gratia sanè frugiferam, eamque tribus sepibus, idest votis muniuit, præter illud summo pontifici à professis nuncupatum. egitque hoc cum maximè vastare conaretur Ecclesiam ille *aper singularis ferus.* hoc est Lutherus.

Fundatores religionis quasi vineæ plan

3 Quàm bonam apud alios existimationem religiosi habeant, indicat. *Hæc est illa religio immaculata, cuius sanctitas per totum Orbem terræ diuulgatur, quorum conuersationem cuncti admirantur, quorum vita non solum à Christianis, sed etiam à paganis potius Angelica quàm humana reputatur.* mirum quantam ædificationem requirat à religiosis; vt non Christiani modò, sed gentiles ipsi sanctitatem admirentur, quod certè nunc apud Indos accidit in nostra Societate, quæ in ipsorum conuersionem in primis strenuè incumbit.

Religionis, præsertim Societatis Iesu bona existimatio.

4 Pergit de religiosi status felicitate dicere. *Hic est ille paradisus, quem dominus à principio plantauerat, in quo nos posuit vt operaremur virtute, patientia, assiduitate precum, castitate; ex quo exeunt flumina sapientiæ, & veritatis.* & hoc potest ad quosdam ordines, & ad eandem minimam nostram Societatem cum humilitate trāsferri, in quibus & virtutum sunt operationes, & ex quibus varia flumina disciplinarum dimanant, vt pietas cum doctrina coniuncta admirationi sit omnibus.

Religiosus status viros habet doctrina & sanctitate insigne.

5 Et hoc elogium religiosi status est, *Hæc est illa norma apostolica virga directionis, & æquitatis; habetur enim communitatis ratio.* hoc ad eos ordines maximè pertinet, quorum institutum est iuxta *normam Apostolicam*, non solùm ob paupertatem, si sint è mendicantibus, sed ob Euāgelij apud barbaros prædicationem. quā obrem nostri certè, quod cum demissione semper dictum volo, in literis Regis Tanari,

ri, Apostoli nominantur, & vulgo apud Indos. quò spectat quod addit: *Haec est religio Apostolica, qua percutit duces Moab, & Aegyptios.* per Moabitas, qui à stirpe Abraham descendebant, hæreticos interpretari possumus, vt vult Hieronymus, & Rupertus; per Aegyptios verò gẽtiles idololatras: vtrumque genus Apostolicus hic ordo percutit, expugnando hæreses, & idololatriam; quæ laus & Dominicano ordini iure debetur, vt ceteros nunc omittam. his addit: *Haec est vinea Cor. Christi sanguine irrigata, quam Sarabaitarum principes haeretici destruere quaesierunt, sepem comburere; vites, & flores incidere.* idem certè conantur, sed frustra hæretici, viros Apostolicos occidendo, templa, & aras vastando.

Societatis Iesu in ... A... ...

Apostolici instituti dignitas, ac munus.

6 Exponit illud de religiosis, & apostolicis viris: *Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat.) Quatuor hic attendere debetis: dignitatem: ego elegi vos; officium: vt eatis; cautelam: vt fructum afferatis; constantiam: vt fructus vester maneat.* acute singula notat ad Apostolicum institutum pertinentia, & quid nobis præstandum sit, ostendit. Deinde subiungit: *Tres sunt eligendi modi; electio, cum de multitudine bonorum, & malorum eligitur bonum; subelectio, cum de bonis meliora, vt filij Leui. sed cum in statu Eremitarum promouit nos, praelegit nos. magnum est, fratres, quod elegit nos; maius, quod subelegit nos; sed maximum, quod praelegit.* & paulò post addit: *Verè elegit nos Deus, & praelegit nos in haereditatem sibi: nam ad eleuationem manuum nostrarum Regum corpora inclinantur, munera offerunt; etiam patres nos profitentur, expectantes nos esse eum Elia, & Paulo Eremita intercessores apud Deum. vae igitur, &c.* Notabile admodum est hoc de reuerentia Regum ipsorum ergà religiosos, ad quorum manuum eleuationem, dum ad preces extolluntur, Reges ipsi se inclinabant, munera ijs offerebant, patres eos appellabant, habere intercessores apud Deum quærebant, non minus quàm Eliam, &c. væ igitur ijs, qui minus decorè agunt, quã pro suo statu debeant; sed lætandum quod huius etiam temporis Reges, & Imperatores certent pietate erga religiosos, & apostolicos viros.

Religiosi ab ipsis regib⁹ ac dynastis in honore habiti.

7 Exponit illud: *Posui vos, vt eatis, &c.) Quatuor sunt hominum positiones. accubitus, sessio, status, ambulatio; cum homo iacet, omnes partes quiescunt; cum sedet, inferiores tantùm; cum stat, totus homo laborat; cum verò ambulat, additur labori grauis ex motu fatigatio; ita quatuor sunt gradus, & status in Ecclesia: aut mali, aut ex bonis actiui, aut ex bonis contemplatiui, aut vtrisque praelati: mali velut in lecto quiescunt dicentes: Anima mea, habes multa bona, &c. coniugati partim Mundo, partim Deo seruiunt; contemplatiui sunt velut milites, & caelorum ciues, laborant super terram, & ab Angelis sustentantur. sunt & alij qui ambulant, non tantùm, vt de virtute in virtutem, sed inter diuersa genera hominum discurrere; nunc increpare, nunc consolari, nunc docere, nunc legere, etc. vt Christus ait discipulis: Itè in orbem vniuersum, praedicate Euangelium.* meritò laudat præcipuè hoc quartum genus, quod iungit actionem cum contemplatione, cuius munia hæc ipsa sunt, docere, legere, prædicare in Orbe toto. sed quàm mirum est illud, contemplatiuos esse milites, cum hi in campo, illi in cellula sint? sed nulla arma maiora quàm preces.

Quatuor status in Ecclesia

8 Eleganter, & pulchrè de varijs statibus loquitur. *Hic Mundus mari comparatur, quod alij transeunt vado, quidam ponte, quidam submersi natant in fluctu. isti sunt varij status hominum; nam mali submerguntur; cõiugati, seu saeculares vado transeunt; contemplatiui ponte: sed nunquid & pons aliquando cadit? orandum est omnino nè de ponte cadamus, nam citius moreretur, quia de loco sublimiore; sed potius de ponte porrigamus manus ad eos, qui submerguntur.* Vide quàm cautè, ac timidè etiam religiosi, etiam cõtẽplationi dediti esse debeant, nec interim proximo deesse debent, nam & Gregorius, & Basilius, & alij, Ecclesia per hereticos periclitante, in publicum prodibant. tum vide quanta cum difficultate seculares hoc seculi mare trãsmittãt.

Contemplatiui mare seculi quasi ponte trãseunt, seculares vado.

9 Ex habitu ipso sacerdotali sanctitatẽ status colligit. *Quis tot vinculis alligatur, vt sacerdos: hosne, vel leo captus? ò Sacerdos cum te ipsum induis primo amictu, faucibus circumdatus ligaris, ac si tibi dicatur: adstringe fauces ori tuo; albam deinde ponis, cingulo renes adstringis, ne cor tuum mala meditetur; stringe renes, crucifige carnes, &c.* præclarè indicat, Sacerdotẽ non nisi crucifixum, ad crucifixi mysteriũ accedere debere.

Sacerdos ipso indumento sãctitatem ministerij præseferre

10 Iudæ casum ostendit: *Inter discipulos Christi familiarior Iudas; quia in bono non perseuerauit, in se confidens cecidit.* notabile est, quod ait, Iudam ex discipulis familiarissimum Christi fuisse. nempè quẽ dispensatorem constituerat pecuniæ erogandę in pauperes, quos adeò Christus amat; & qui prouideret de victu Christo ipsi; sed cur cecidit? quia in se confidebat, cum ex omnibus timidior esse deberet, quia pecuniam tractabat, rem periculi plenam. erat etiam proprij iudicij, & opinionis, quod ipsum superbiæ est, cum de Magdalenæ vnguento ait: *vt quid perditio haec? &c.*

Iudas ... perdidit confidentia proprij iudicii.

11 Die paschatis amicos inuitat. *Ne*

tur-

turbemini; si hodie compello vos bibere vinum, & panem tritici cum betis butyro mistis comedere; nam hodie credimus Christũ resurrexisse à mortuis. Vide quàm frugales epulas eâ die tam sollemni ederent, & tamen quasi de sumptuoso conuiuio turbabantur, adeò vt compelli oportuerit, adeò vinum horrebant; sed apte butyrum eo die adhibitum, quo veluti renatus Christus, de quo dictum est: *butyrum, & mel comedet*.

Mira religiosorũ veterũ abstinentia.

Ex Serm. XL. de obseru. Cler.

1 Perfectionem obedientiæ ostendit. *Non placet Deo morosa, & disceptatrix obedientia, quæ dum præcipitur, quærit, cur, quare, quamobrem præcipitur*. rectè admonet, nam hoc fuit initium communis exitij; ait enim serpens, *cur præcepit vobis Deus? &c.* meritò igitur ab Ignatio nostro in illa aurea epistola taxatur ista *disceptatrix obedientia*. cæcam vult esse, nõ lynceam, & tanquam in rebus fidei sic intellectum subijci.

Simplicitas in obediẽdo laudata.

2 Abrahum obedientiæ exemplum proponit. *Abraham prima obedientiæ norma, & forma. audi & obstupesce: qui audis filium dilectum, filium primogenitum, filium magnæ generationis immolandum obtulisse*. rectè ait, non sine stupore id considerari posse, si singula naturę repagula, quæ obstabant, confracta cernantur.

Abrahæ obedientia stupori est.

3 De eodem Abraham sic. *Abraham secundùm Hebræos sub tribus temporibus sortitus est tria nomina: primò dictus est Jorã, quod est excelsus, cum adhuc esset in Chaldæa, in terra, & cognatione sua. ascendens autem in terram Chanaan ad vocationem Dei dictus est Abram, idest pater excelsus; tamen in circumcisione dictus est Abrahã, hoc est pater multarum gentium. attenditis & vos patrem vestrum; nam primò vocatus sum excelsus philosophus: eram enim ante omnes magnos nominatissimus, & liberalium artium sagacissimus indagator, celsitudine scientiæ, non charitatis: nam cedrum odoriferam me vocabant Romani principes, folijs abundantem, sed sine fructu. accessit mater, & exempla sanctorum Patrum, Pauli, & Antonij, & Simpliciani; & cum his omnibus vox domini comminuit cedrum Libani; & hostia præparata ad victimam in odorem suauitatis, & sic factus sum pater excelsus. Deinde ad Aphricam veni, mecum ducens decem, & nouem ex fratribus simul viuentes, cupientes separari à seculo, sed factus pontifex Hipponensis, &c.* meritò se Augustinus, si ipse hæc scripsit, cum Abrahã confertur; & vide in quanta existimatione esset, vt propter altitudinem doctrinæ, & ingenij, & propter famã, *Cedrus odorifera* Romæ appellaretur; certè omnia, vt in adagio dicitur, cedro digna scripsit; & in eius conuersione dici potuit, *Vox domini confringentis cedros*. Vide autem quàm parui faciat omnem sciẽtiæ sublimitatem, si charitatis suauissimo fructu careat.

Abraham tria sortitus nomina non sine mysterio.

Augustinus vocatus cedrus Libani.

4 De accepto Episcopatu sic. *Recepta cura, & patria sollicitudine Episcopi, factus sum sicut oliua fructifera in domo Dei; Pręsules enim oliuæ comparãtur propter vim olei triplicem; nam oleum illuminat, pascit, defatigata membra fouet; sic & Præsules illuminare debent verbo, pascere exemplo, & fouere egentes temporali beneficio*. rectè, ac meritò se oliuæ fructiferæ similem dicit in domo Dei, vt illæ duæ in templo visæ à Zacharia; alteram enim oliuam dicas Hieronymum; *Quæ sunt istæ duæ oliuæ? &c. hi sunt duo filij splendoris, &c.* sed mirum quod cedrus cesserit in oliuam, cum potius tunc per Episcopatus dignitatem altior sit factus; sed nimirum ostendit in prælatione deponendum esse omnem fastum, & tantùm fructificationi studendum.

Augustinus in Episcopatu oliuæ similis.

5 De suo officio, & Ecclesiæ tutela sic. *Studeo sacram Scripturam exponere, & turrim Dauidicam clypeis munitissimis & fortissimis munire, idest Ecclesiam; & sic iam ab Ortu, & Occidente, ab Aquilone, & Austro viget nostra doctrina, & expositio; non tamen à me, sed à dono Dei procedit: & sic non solùm pater gentium dicor, sed etiã vitis abundans in lateribus domus Dei*. Vide, vt humiliter laudes aperiat. vitis est, sed *in lateribus*. latere optat pater gentiũ vulgò dictus; pulchrè autem Ecclesia dicitur, *Turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis*, scilicet fidei. alij vertunt, *ad suspendendum ora*. ob admirationem scilicet eius celsitudinis ex miraculorum & sapientiæ magnitudine, &c. hanc turrim ab Augustino in primis munitam armis fortissimis doctrinæ, in ipsius libris quis non videt? vt dici possit: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*.

Augustinus Ecclesiæ quasi turris Dauidicæ custos.

6 Prælati munus esse ostendit pietatẽ in subditis inserere. *Vobis propinaui vinum feruoris, & charitatis*. Vide quàm præclarum, ac suaue appararet symposiõ, ac nectareum propinaret poculum suis: hoc in primis prælato curæ esse debet, vt feruorem spiritus excitet in suis, & charitatem, præsertim si religiosi sint.

Prælati est feruorem in subditis excitare.

7 Paupertatis studium commendat. *Amemus, fratres, summam Christi, & Apostolorum paupertatem: ne mutetur color optimus, & dispergantur lapides sanctuarij*. mirum dicit, cum contempta paupertate aurum amatur, tunc aurei mores vilescunt, tũc dici potest illud Ieremiæ, *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color*

Paupertas spreta aurum decolor est.

color optimus? & cum res pretiosas quærimus, tunc qui sunt quasi lapides pretiosi templi, disperguntur, & conculcantur, vt viles. paupertas igitur est, quæ dat rebus pretium.

Quinque genera paupertatis.

8 Acutè distinguit varios pauperum status. *Quinque sunt genera paupertatis: idest infelicitatis, cupiditatis, superfluitatis, dolositatis, voluntatis.* primam habet mendicus, & est flagellum; secundam auarus, & est venenum, tertiam prodigus, & est ventilabrum; quartam paries dealbatus, siuè hypocrisis, & est vmbraculum. quintam vir compeditus, & est ædificium. *Prima est misera, secunda venenosa, tertia ventosa, quarta dolosa, quinta gloriosa, quæ coronat.* acutè adnotat, & distinguit singula. & nota; auarus inter pauperes nominatur, quia semper putat sibi deesse, & ideò quasi venenatæ dypsadis est eius sitis.

9 Et hoc ad paupertatem spectat. *Quid mirum si Christianus sobrietatem cōmendat, cum Epicurus præceptor voluptatis eam commendauerit? dicens: Quàm felix paupertas est, si læta est.* addit, *si læta est.* subiungit: *Abraham immolaturus Isaac fert duos pueros: duobus pueris vos sociaui, paupertati, & orationi.* acutè vtramque coniungit, oratio enim requirit animum curis omnibus solutum, & à terrenis abstractū, vt soli Deo vacet; & puerilē requirit innocentiā. *puer enim nec auro capitur, nec curis distrahitur.* item subiungit: *Isaac ligna cedrina portabat; Abraham ignem, & gladium.* cedrus odora est, & incorruptibilis: ligna cedrina putat fuisse, quę Isaac ferebat ad rogum suum. vnde colligi potest Christi crucem de hoc ligno fortasse compactam: certè in lepræ purgatione quod est peccati typus, dicitur: *Sumet lignū cedrinum, atque hyssopum, & intinget in sanguine passeris immolati.*

Ligna quæ tulit Isaac immolādus cedrina erant typus crucis.

Curæ seculares & affectio parentum muscæ sūt mordaces

10 Religiosis cognationis affectum interdicit. *Curæ sæculares, & cogitationes malæ, & affectio cognatorum sunt monachorum muscæ mordaces, & morientes, quæ perdunt suauitatem vnguenti. non sic Antonius, qui cum epistolas à charis suis in seculo morantibus suscepisset, nullam legere voluit, sed receptas in ignem proiecit. dicens: chartæ fallaces estis plenæ mendacij. comburam vos, ne comburar à vobis.* similè quiddam dixit philosophus ille, qui diuitias omnes in mare proiecit, dicens: submergo vos, ne submergar à vobis; sed hic stultè, nam satius erat eas in pauperes erogare; adde ad iactantiā id fecisse: quippe animal glorię vocat Tertullianus philosophos. Vide autem quàm viles sint terrenæ cogitationes, & affectio erga suos. rectè vocat, *mordaces muscas, quæ perdunt suauitatem vnguenti,* hoc est deuotionis.

11 Abrahæ sacrificium ad religiosos transfert. *Ligatur Isaac, sic & vos ligamini hic tam fortiter, vt consuetudines sæculi ignoretis. soluitur Isaac, & ad matrem reuertitur, sic & vos soluti ad matrem, quæ sursum est Hierusalem.* Pertinet hoc ad arctam disciplinam, quæ ad perseuerantiam facit. & vide, vt vota religiosa nos ligent, & eadem soluant, dum libero cursu in cœlum ducunt. his addit: *pro Isaac tolle vnū de cunctis tuis melioribus, quem inter spinas tibi paraui.* nota, hoc innuit acceptum illum arietem fuisse ab Angelo, & solutum de grege ipsius Abrahæ; vnde collige Angelos religiosos ad vota perficienda iuuare. est autem obedientię perfectio, velle priuari ea re, quæ nobis est charior, licet difficultatem sentiamus, & doloris aculeis quasi spinis compungamur.

Arcta religiosi disciplina commendatur.

Ex Serm XLI de Ieiunio.

1 Euangelium de ieiunio sic expendit. *Tria proponit: ieiunare, faciem lauare, corpus vngere: hoc est declinare à malo, facere bonum, & totum quod habes, Deo tribuere.* Vide quod sit perfectum ieiunium, quod scilicet ad Dei gloriam tendat cum deuotionis vnguento. Subiungit: *Aliqui ieiunant, vt infirmi, aliqui vt fastiditi, aliqui vt auari, aliqui vt hypocritæ. ægrotus ieiunat, vt valeat; fastiditus, vt appetat; auarus, vt pascat; hypocrita vt appareat. solùm quod propter Deum fit, laudatur.* egregiè concludit, pende singula pulchrè dicta.

Perfectū ieiunium quale sit.

2 Tum exponit illud: *Faciem tuam laua.) Triplex est aqua Saluatoris: aqua lacrymarum cum fleuit super Lazarum, & Ciuitatem; aqua, quam posuit ad peluim, cū discipulis pedes lauit; aqua, quæ de latere eius emanauit. prima est aqua contritionis, secunda confessionis, tertia sanctificationis. prima sanat, secunda refrigerat, tertia fœcūdat. sine his aquis parum iuuabit ieiunium.* Vide quàm piè, sanctèque sit celebrandū præsertim quadragesimale ieiunium: adhibenda videlicet est, contritio, confessio, & memoria passionis Christi, maximè vulneris lateris, vnde exiuit sanguis, & aqua in ablutionem peccatorum.

Ieiunium quadragesimæ quā piè celebrandum

3 Euangelium de nuptijs sic interpretatur, referens ad quadragesimale ieiuniū. *Quæ sunt nuptiæ præparatæ, nisi hi dies, quos dominus consecrare dignatus est? isti, inquam, sunt dies nuptiales, in quibus vestimentis ornati esse debemus; cymbalis, tubis, & organis resonantes: hæc enim sunt instrumenta, quæ in nuptijs quadragesimalibus resonare debemus. vestes sunt virtutes sanctæ, cymbala percussio pectorum per cōtritionem; & vt præcones tuba clamemus: Ecce nunc tēpus acceptabile, &c.* pulchre, sed

Ieiunium quadragesimale nuptialis celebritas est.

mirè quadragesimam vocat tempus nuptiale, quo potius interdicuntur nuptiæ: sed nimirum, *sponsus sanguinum* Christus est, per Mosen figuratus, sic appellatum à Sephora. est tamen alacriter ieiunium peragendum, vt in nuptijs alacritas inest, nam & olim sponsæ myrrha coronari solitæ. pulchrè autem pectoris pulsus in contritione vocat, *cymbala*, adeò gratus ille sonus est auribus Dei.

Cur Magdalena prius lacrymis laue: it Christi pedes q̃ vnxerit caput.

4 Rursus exponit illud: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.) Cum ieiunatis, facies vestras lauate lacrymis; vngite Christum, qui caput cunctorum est, oleo videlicet misericordiæ, eleemosinas dando, & sic ab ipso vngemini oleo lætitiæ.* Addit, modũ vngendi à Maria discendũ, quæ primùm pedes Christi lacrymis lauit, deinde caput vnxit, hoc est prius inimicis condonemus, etiam cum lacrymis prò ijs orãdo. *Necesse est primũ ad pedes lacrymas fundere, & postea ad Christi caput accedere; nisi enim inimicis vestris ex corde peperceritis, & ieiunium, & cetera omnia vana sunt.* præclarum sanè monitũ, & acutè adnotatum. pulchrè etiam eleemosinam pretioso vnguento comparat, quod multum habeat suauitatis.

Ex Serm. XLII. de vita Cler.

1 IN tribus panibus ab amico Euãgelico quæsitis mysteriũ agnoscit. *Tres panes legimus in scriptura: panes Pharaonis, panes oblationis, & panes propositionis. primi sunt laici, secundi sacerdotes tertij pastores. concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitæ sunt tres panes Pharaonis. panis oblationis est oratio, & est panis triplex, quia debet esse ampla, deuota, & pura: ampla, vt pro omnibus oret, etiam persecutoribus; deuota, vt non remissè oretur, sed perseueranter, &c. panis propositionis item triplex: panis vitæ, & doctrinæ, & exempli; panis Angelicus Eucharistia, & panis filiorum, verborum, & doctrinæ.* rectè interpretatur, impios pasci tribus panibus Pharaonis, qui videlicet in somno visi à pistore, ei mortis omẽ fecerunt. egregiè autem orationis dotes ostendit, vt sit, *ampla deuota, pura:* hoc est omnes, etiam inimicos complectens, & feruens, & nihil terreni habens admixtum.

Oratio ampla deuota & pura sit oportet.

2 Quid in oratione spectandũ sit, docet. *Considerandum est in oratione quis petat, nam debet esse bonus, quia peccatores Deus non exaudit. quid petat, nempè vitam, vel meritum vitæ, vel apprehendẽtiã meritorũ vitæ. pro quo petat, nempe pro bene vel male viuentibus; nam qui orat pro Martyre iniuriam facit Martyri; & qui orat pro damnatis, nihil impetrabit. à quo petat, nempe à patre in nomine filij.* Vide quàm cautè, & accuratè orandum sit. acutè ait considerandа hæc quatuor: quis petat, quid, pro quo, & à quo.

In oratione quæ sint cõsideranda.

3 Sacerdotis præstantiam ostendit, sed malos acriter carpit. *Capita gentium sumus; cæcorum, & ignorantium duces, terrarum principes, Regum viatores, Angelis superiores; sed dæmonibus peiores, dum hæc negligenter prospiciamus.* mira Sacerdotis dignitas: Regum ipsorum duces sunt, ne illi aberrent; & quod præclarissimum est, ipsos Angelos munere transcendunt. sed horrendum est illud, malos sacerdotes esse *dæmonibus peiores*. quippe ait Iacobus, *Dæmones credunt, & contremiscunt.*

Sacerdotis encomium.

Mali sacerdotes dæmonibus sunt peiores.

Ex Serm. XLIII. de Epiphania

1 AD Epiphaniam hoc pertinet. *Quæsierunt diligentissimè sanctissimi Reges natum dominum; quærite & vos Nazaræum, quærite floridum, quærite candidum; & rubicundum. quærendus est Christus, sed non in curia, vbi est maxima falsitas; sed non in scholis mundanorum philosophorum, vbi est infinita peruersitas.* eleganter dicta. Vide vt præsepe illud cathedra sit, siue gymnasium omni Lycèo, & Academia præstantius, & purpuratorum curia nobilius.

Christus infãs quærendus cũ Magis.

Ex Serm. de suffrag. Defunc.

1 HAec de Christi passione dicta pulchram continent antithesin. *Iste est qui sitiuit, vt pocula nobis vitæ æternæ subministraret; qui felle, & aceto potatus, vt nobis fontes mellifluos aperiret; qui sepultus est, vt sepulturam suorum benediceret.* egregiè ostendit torrentem illum voluptatis æternæ, qui beatos recreat, deberi siti Christi; & felicitatis suauitatem aceto, ac felli. nota etiam cur sepeliri voluerit, ne scilicet vilia deinceps haberentur sepulchra iustorum, vnde resurrecturi ad gloriam.

Suauitas beatorum debetur amaro potui Christi.

2 Mortuorum suffragia magnopere commendat. *Nunquam recordor me legisse, mala morte perijsse illos, qui libenter in hac vita opera charitatis, vel pietatis in mortuos voluerunt exercere.* est sanè hoc admodum notabile dictum; signum magnum prædestinationis esse in mortuos, idest in purgatorij animas bene affectum esse. huc refert illud Machabæorum. *Sãcta, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, &c.) sciebat Iudas Machabæus quod astra non sunt munda in conspectu* Dei; *omnes in peccatis viuimus, & forsitan in venialibus morimur. ergo misericordia Dei indigemus*

Pium esse in defunctos signum prædestinationis.

Igne purgatorij fere omnes indigemus.

&

& licèt carnem durè maceremus, &c. tamen non sunt condignæ passiones, &c. Insignis hic locus est de purgatorio, cuius igne ferè omnes, etiam iustos indigere ait. Tum fructum suffragiorum ostendit: *Ora pro defuncto, vt dum fuerit in æterna vita, pro te orare non negligat.* hinc collige, tot apud Deum patronos haberi, quot suffragijs liberantur.

3 Commiserationem erga piè defunctorum animas mouet. *Vt purgatorij incolis succuramus, clamant quotidie qui iacent in tormentis; vlulant, & non est qui consoletur eos. quàm grandis inhumanitas! clamant qui dum viuerent; multa pro nobis sustinuerunt, nec eis subuenire curamus. ecce infirmus iacet, & clamat, & eum medicus solatur; clamat porcus, & omnes cum eo clamare non cessant; cadit iumentum, & omnes ssubleuare festinant: sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respiciat.* Vide quàm indignum sit, immò crudele vita functorum obliuisci. contra ait: *Suauis est Deo, & Angelis hæc cogitatio, pro defunctis exorare.* adeo illæ ipsæ lugubres preces suauitatem habent, lætificant Angelos, quia conciues adipiscuntur.

Crudele est pro defunctis non orare.

4 Respondet obiectis. Dices, eccè patrem pium, & virtutibus plenum habui. *Quid opus est pro eo orare, eleemosinas facere, ieiunare, Sanctorum corpora visitare? dimitte incertum, & accipe certum, certum est quod peccator fuit, incertum vtrùm meruit gloriam possidere; quod si non egeret, non icciricò opus amittis; oratio enim in sinu tuo conuertetur; sic enim semper boni erimus; sic mala morte perire non poterimus, quia dominus custodiet nos in tota vita nostra, ac postea dabit æternam.* Notanda diligenter sunt hæc quatuor, quæ facienda sunt potissimum pro defunctis. videlicet orare, ieiunare, sepulchra Sanctorum visitare, eleemosinas dare. nota etiam fructum admirabilem, qui percipitur ex hac cura mortuorum; probitas in vita, cum custodia Dei peculiari: *sic mala morte perire non poterimus.* & securitas de vita æterna. huc spectat quod addit. *Festinemus, fratres, pro defunctis orare, vt & ipsi festinent nos ad se vocare.* vide quàm promptè defunctis succurrendum sit, & quanta ipsorū promptitudo respondeat nobis succurrendo per preces apud Deum, vt vnà cum ipsis Deo fruamur.

Quatuor sunt quæ defunctos iuuāt.

Fructus ex oratio ne pro defunctis.

5 De cœlestis patriæ desiderio sic pulchrè, ac piè. *Inhumanum est patriam deserere, patriam despicere; tanta est enim pulchritudo, tanta iucunditas laois æternæ, vt quamuis media hora ibi manere tantùm liceret, meritò contemni deberent omnia. Festinemus ex hoc seculo exire, vt salutare, & videre mereamur sanctos Apostolos, Dei Martyres; & confessores. festinemus, vt videre mereamur, ac salutare sanctam Dei genitricem cum sanctis virginibus.* Nota singillatim de ardenti desiderio videndæ Deiparæ, vt vel propter hoc æterna fœlicitas desideranda sit.

Anhelandum ad cælestem patriam præsertim Deiparæ videndæ causa.

6 Præmia beatorum expendit. *Sancti confessores premio Martyrum non priuantur; quia martyrium non tantùm effusione sanguinis, sed etiam abstinentia peccatorū, & exercitatione diuinorum præceptorum perficitur.* est hoc magnum solatium, cum Martyrium rem tam præclaram, quisque adipisci quodammodo queat. pugnandū enim est strenuè cum passionibus & quodam quasi mortificationis gladio iugulanda voluntas.

Abstinere à peccatis genus martyrij est.

7 Linguæ damna commemorat. *Maiora sunt vulnera linguæ quàm gladij. Diabolus vnde cecidit? nunquid furtum fecit? nunquid homicidium, aut adulterium? non propter hæc, sed propter linguam, quia dixit: In cœlum ascendam, &c.* Deinde de detractione sic: *Detractio grande malum est; quare ait Esaias: Væ mihi, quia in medio populi immunda labia habentis ego habito.* rectè visis Seraphim laudantibus Deum, doluit se inter detractores habitare, cum lingua data sit ad laudandum Deum; & ideo ardenti carbone succenditur, non vt in proximi contumeliam inflammetur. & notandum quod, *grande malum*, dicit quod tam leue putatur: adeo *maiora sunt vulnera linguæ quàm gladij.*

Maiora sūt vulnera linguæ quàm gladij.

Ex Sermone XLVI. de Angelis & hospitalitate.

1 QVantum Angelis debeamus, ostendit. *Quia armaturis Angelicis sæpè defendimur, ne demergamur, ideò de eis ad honorem eorum sermonem facere, ne pigrescamus. Sed quod de Angelicis spiritibus loquemur immundis?* nota, eorum armatura fieri dicit, ne demergamur; quasi eorum clypei duplex sit vsus; tum vt *tela ignea nequissimi* retundamus, tum vt quasi cymba quadam subuecti enatemus ad portum salutis, meritò igitur beneficiorum memores esse monet, & in ore ipsos habere, licet impares laudibus simus.

Angelorum in nos beneficia recolenda.

2 Angelorum præstantem naturam ostendit. *In supernis spiritibus admirabilis dignitas est, & dignatio amabilis; ipsi sunt cœli duces, ac principes, scientiæ magistri, & vt ait Paulus, qui illi beatæ curiæ interesse meruit, administratorij spiritus, &c.* Nota in Angelis, inquit, esse maiestas, & amor, quæ nunquam, aut vix in hominibus conuenire posse putantur.

In Angelis maiestas & amor.

3 Pergit de Angelis dicere. *Ipsi sunt prouinciarum custodes. per hos ad fletum, pœnitentiam, & orationem inducimur,*

Angeli diligunt in nobis pœnitentiam lacrymas preces.

mur. valde nos diligunt, nostrum aduentũ expectantes in cœlum, & sedes paradisi per nos impleri affectant. quis igitur Angelorum memoria in mente carebit? rectè monet, quàm memores esse deceat eorum, quibus tantum debemus; ac vide quid maximè diligant, lacrymas videlicet, pœnitentiam, preces. Addit & amoris indicium hoc magni. *Per ipsos obtenta victoria, ad paradisum, vel purgatorium deportamur; & dum purgamur, ab eis sæpè visitari, & consolari non dubitamus, promittentibus cœlestem Hierusalem ingressuros.* nota quod ait; nullum esse dubium, hoc est certissimum esse, Angelos duces esse nostros in exitu vitæ, & in igne purgatorij animas solari. magnum certè solatium.

Angelorũ amicitia quomodo contrahatur.

4 Denique de affectu erga Angelos sic monet. *Studeamus sanctos Angelos imitari, non solùm ipsos, sed etiam Angelorum amicos, ac petamus quid fecerint; quomodo Angelis placuerunt. veniat sanctus pater Abraham, & Loth, qui hospitalitate tantum illis placuerunt. veniat & Tobias; veniant & tres pueri. veniat & Petrus, qui per Angelum liberari meruit.* Vide quomodo Angelorum amicitia contrahi possit, tum imitando eorum puritatem, obsequium erga Deum, ac promptitudinem &c. tum discendo ab alijs viris Sanctis modum, quo per varia genera virtutum eorum amicitiam sunt adepti, præsertim per beneficentiam hospitalem.

Hospitalitatis excomium.

5 *De hospitalitate Abraham sic. O sancta hospitalitas, Angelorum amica, charitatis soror, humilitatis corona, quæ non solùm Angelos, sed etiam ipsum Deum aliquando recipere meruit, vt Abraham.* huc refer Christum inter pauperes exceptum à Gregorio, & alijs.

Ex Serm. XLVII. contra Luxuriã.

Ioseph vltor nefandi vitij item Angeli.

1 ACriter in Sodomæ vitium inuehitur. *Insurget ille sanctus Ioseph, qui de hoc crimine pessimo accusare fratres suos patri non metuit; surgat nunc hoc castitatis exemplum, & interficiat huiusmodi peccatores.* vide quid intelligat pro, *crimine pessimo.* & pulchrè castissimũ Ioseph quasi gladio armatum facit, vt nefarios illos perdat. subiungit; *Veniat ille dilectus Dei, virginitatis imago. veniant omnes sancti Angeli, & comburant omnes qui talem operantur iniquitatem.* Quis nõ exhorrescat incidens in vltorem *Ioannem* tonitrui filiũ, & in tot acies Angelorum vitrices? Addit. *meritò per sulphur illæ Ciuitates destructæ sunt, quod omnes fœtida luxuria arderent.* hinc collige Inferni igni similem illum fuisse, quo viuentes combusti. *Tum verecundè satis: Confundor ego Episcopus talia loqui; sed si tacuero, mors mihi est, quia publicum malum.* Vide quã cautè, & honestè in hoc genere loquendũ, nec nisi necessariò, nam & ideo tale vitiũ nefandum dicitur; cuius ingentem fœditatem sic etiam ostendit. *quanta turpitudo & immunditia, à qua Angeli fugiunt, quã dæmones videntes, oculos claudunt.* mirum est quod ait: cum enim Christus appellet, *immũdos spiritus*; hoc tamẽ genus immũditiæ superat ipsam dæmonum malitiam.

2 Pergit hoc vitium detestari. *Sodomitæ forsitan non solùm per ostium Loth, sed etiam per fenestras intrauerunt; & forsitan ideò vxor Loth conuersa est in statuã salis, quia resistere non procurabat.* Nota hoc ipsum non repugnare, nec se opponere tali peccato, quàm acerbè punitum sit; & adeò execrabile est, vt mulieres ipsæ, nõ modò viri se armare debeant ad illud expugnandum. his addit rem notabilem.

Matres liberis modestiæ magistræ sint

Principium eius criminis mulieres fuerunt, & homines docuerunt; ò mulieres luxuriæ matres, non sufficit primum hominem decepisse? Tum sic admonet: *Docete filios vestros, vt castè viuant. Sit eorum sermo pudicus, incessus honestus, vultus inclinatus, &c.* Vide vt non modò pudicitiæ magistra debeat esse mater liberis, sed etiam modestiæ.

Castitatis pennis euolamus in cœlum

3 Castimoniæ præmium proponit. *Si castè vixeritis cum sancto Loth, liberi eritis de Inferno fugientes, & volantes per gratiam ad gloriam.* pulchrè ostendit, castitatem inducere pennas animæ, quasi carnali grauitate deposita, vt sint ei velut illæ *pennæ columbæ deargentatæ*, ob candorem eximium, de medijs ollis, siue lebetibus, idest de carnis periculis euolanti.

4 Mirum studium seruandæ castitatis vel in ethnica muliere narrat. *Mementote frequenter, & nolite obliuisci, quid fecerit illa mulier Romana Tarpeia; nam luxuria regnabat in ea, ipsa verò castè viuere volebat. quid ergo fecit? oculos sibi eruit, & panem cum aqua tantùm sibi sumpsit ad mensuram. ò mirabilis conditio mulieris. paradisum non expectat, & tamen &c.* meritò factum amplificat, quod pudorem nobis inferat, quibus minus est studium huius Angelicæ virtutis, licet Dei visio promittatur mundis corde.

Ex Serm. XLVIII. de cura animæ.

1 ANimam humanam ex contemplatione præclaræ suæ naturæ excitat, vt resipiscat. *Anima humana omnium creaturarum naturam participat, ambit, & capit, & tantò amplius, quantò gloriosius est Dei imagine insignita: omne enim spirituale suum erat; quia cælum habet*

bet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, Trinitatem ad fruendum. in ipso denique homine reposita erat etiam corporea creatura, & eorum omnium natura in se, & ad se, & per se; & tantò perfectius, quantò nobilius est omni corporeo. omnia possidebat, omnia illi obediebant; astra, vt lucerent; elementa, vt alerent; animalia, vt subirent; cibaria vt nutrirent, &c. quid plura? etiam hoc quod maius est; quid autem maius, nisi quod diuinum? quod autem diuinum, nisi quod imagine sanctæ Trinitatis est decoratum? elegans amplificatio de iustitia originali, quam amisimus; & pulchra descriptio imaginis Dei in nobis, antequam fœdaretur per peccatum.

2 Vilitatem ex mortis memoria cōtractam proponit ante oculos. *O homo, audiuisti tuam gloriam, audi & miseriam. Intremus sepulchra, & quid inuenimus, discamus: mortuorum tantùm capita, renes, & ventrē. in capite bufones saltātes generatos è cerebro, in renibus serpentes generatos, in lumbis ambulantes, in ventre vermes scaturientes ex visceribus generatos. restat nūc dicere qd sit de anima: vel in paradiso, vel in inferno, vel in purgatorio.* Notabilis miseria: bufones è cerebro humani cadaueris enascūtur, hoc est ranæ terrestres, & meritò, quia vnde per ingeniū superbimus, & nos extollimus, inde viles ranæ repunt: serpentes autem è renibus, vbi luxuria est, quanquam alij, è spina dorsi enasci aiunt, quòd scilicet dorsum Deo vertimus, & peccati sarcina grauauimus, antiqui serpentis suggestionibus assentiendo. Subiungit: *Audisti quid est homo mortuus, restat nunc dicere quid sit de anima, nempè vel in paradiso est cum gaudentibus, vel in Inferno cum dolentibus; sed si in purgatorio sunt, in viam eundi ad patriam sunt; & isti iam bene sunt, quia securi sunt. orandum tamen pro eis est, & eis toto affectu subueniendum est, orationibus, eleemosinis, sacrificijs, ieiunijs, & macerationibus.* Nota quinque adhibenda pro defunctis auxilia, & hæc, toto affectu.

Pro defunctis quinque genera suffragiorum adhibenda.

Auaritia nutrix gehennæ.

3 Auaritiæ acris est inuectiua, sed elegans. *Auaritia radix malorum, nutrix gehennæ, abyssus insaturabilis; semper famescit, semper dolet. si Sol oritur, dolendo dicit; siccitas erit; si pluuia descendit, omnia periclitari asserit.* Nota illud in primis, *auaritia est nutrix gehennæ*. quasi materiam det incendio, & fomes ignis æterni sit: nempe auaritia arida est, infructifera. subiungit. *Omnia vitia in homine senescunt, sola auaritia iuuenescit.* mirum quod semper iuuenescat hoc vitium, cum in senibus maximè reperiatur.

4 Inexplebilem auaritiam dicit. *Si terra auaro datur, mare quærit; si terra, & mare, aerem petit; si hæc possederit, cœlum velit; si cœlum penetrarit, non quiescet, donec se Deo æquauerit, vel superior fuerit Altissimo. ò pestis dæmone sæuior; nam dæmon similis esse voluit Altissimo; sed auarus super Deum, si posset, ascendere vellet.* nempe hoc est auaro propositum, vt omnes superet opibus, possessionibus, imperio. rectè Apostolus vt ostendat quàm abominabile, & detestabile sit hoc vitium, cum præmisisset alia enormia scelera, quasi per auxesin in hoc desinens ait: *auaritia nec nominetur in vobis.*

Auaritia, quam enorme vitium sit.

5 Ostendit quàm indignum sit adduci ad peccādū, ac Deo displicere, vt homini placeas. *O admirabilis infidelitas; maritus ab vxore, pater à filio, filius à patre mortui sub terra conduntur; neque est aliquis, qui tantum amicum, vel cognatum diligat, vt per vnam noctem cum mortuo morari cupiat, vide ergo pro quibus Deum offendis; omnes te dimittent, fugient, in fouea collocabunt.* rectè monet, Deum supra omnes diligendum, cum ipse amor natura insitus filiorum, cognatorum &c. infidelis sit. parentes ipsi charissimos filios efferunt domo, ne cum mortuis cohabitent, & domus funestetur.

Amor mūdanus infidelis.

6 Ex aspectu cadaueris, huius vitæ contemptum insinuat. *Cum essemus apud ostia Tiberina expectantes tranquillitatem remeandi causa in Africam, ductus sum ad videndum cadauer Cæsaris; & vidi quod esset omnino liuido colore, putredine circumdatum, ventrem eius diruptum, & vermium per illum cateruas transeuntes; duo quoque famelici in foueis oculorum pascebantur; crines eius non adhærebant capiti; dentes apparebant labijs consumptis; reuelatum erat narium fundamentum; & intuens matrem Christianissimam, dixi; vbi nam Cæsaris corpus præclarum? vbi acies militum? vbi equi veloces, lectus eburneus, thronus regalis? vbi capilli solares, vbi facies decora, vbi omnia quæ sub cœlo sunt? tu es, quem verebantur homines, timebant principes, celebrabant vrbes? quò abijt tua magnificentia? respondit mater pietate plena, fili, omnia pariter defecerunt, cum defecit spiritus eius, &c.* Quod de Cæsaris cadauere dicit, adhuc scatente vermibus, quod quasi spectaculum vilitatis humanæ ostētabatur, non videtur de Augusto illo Cæsare intelligi posse, qui tantò ante obierat, sed fortè de recētiore aliquo Imperatore. Beatus quoque Franciscus Borgias noster dux Gandiæ, viso Imperatricis cadauere deformato, ità commotus est, vt relicto sæculo ad religionem se contulerit: scilicet cadauere sibi commisso non cognito, se cognouit.

Cadaueris imperatricis aspectu P. Borgias mūdo renunciat.

7 Non expectandum vltimum vitæ diem, vt resipiscamus, monet. *Agite nunc*

pœnitentiam, nam cum in extrema ægritudine fuerit, ò quàm pœnosum erit pœnitere, quia tum capitur tota mentis intentio vi doloris. aspiciunt tenebroso oculo intrare filios, pro quibus etiam damnatos se existimant, Diabolus chirographum præbet, &c. Notabilia certè impedimenta sunt ista, quæ tunc mœrore, & terrore absorbent consternatum animum, ita vt in se redire, & de salutis negotio sedulò cogitare non valeat.

Catastrophe hominis in morte.

8 Mortis contemplationem iterum proponit. *O Iuuenis, qui floridè ambulas, memorare quia post mortem tibi vermis nascetur de lingua pro peccato linguæ, de stomacho pro gula, de spermate renum scorpiones pro luxuria, de cerebro bufones pro superbia.* Nota quod ait, scorpiones nascuntur de renibus cadaueris, scilicet vbi inest luxuria, quia scorpio cauda ferit, ita luxuria blandiendo. de cerebro, vbi superbæ cogitationes sunt, ranæ terrestres viles, ac deformes. en quò recidunt humana; quàm misera rerum catastrophe.

Ex Serm. XIX. de miseria carnis.

Deus exprobrans beneficiũ creationis.

1 Inducit Deum Creatorem, ità cõquerentem cum carne nostra: *Ego te ex limo pulchram, & lucidam assumpsi; imaginem meam in te condidi, spiramen vitæ tradidi, immortalitatis tunica te indui; vita Angelica fruebaris, ecce vbi cecidisti, &c.* Nota de iustitia originali, de stolâ immortalitatis, & Angelica vita. carnẽ ait in creatione ex limo redditam pulchram, & lucidam, nempe tractatam manu Dei. quamobrem iurè Chrysostomus eam auro cõparat. sanè trulla illa cœmẽtaria visa ab Amos, â 70. vertitur, *In manu eius adamas.* ac fortassè Adami caro instar sardij pretiosi lapidis rubicundi reddita est in Dei manu, quia ex terra rubra formatus, vt indicat ipsum nomen Adam. certè secundus Adam visus est aspectu sardij in Apocalypsi.

Animæ querela de corpore.

2 Inducit & animam cum corpore suo conquerentem. *Audi animam dicentem ad corpus: Ego de cœlo veni, à Deo concessa tibi. tu de terra es. melius est vt mecum ascendas ad cœlum, quã vt tu me trahas ad Infernum.* egregia parænesis animæ ad corpus: non quod antea anima in cœlo extra corpus præextiterit, sed quod à Deo creata, nec educta est è materia.

Ex Serm. L. de Salute animæ.

1 Eleganti dialogismo inter quẽque hominum, & propriam conscientiam, arguit salutis incuriam, atque neglectum. *Nemo se excusare poterit, vt dicat: non noui literas. interroget homo cõscientiam suam, & alloquatur se ipsum, & dicat sibi suis verbis: O homo quis es, aut vbi es, & vnde venisti? & respondebit; homo sum, & Dei creatura. iterum interroga, & dic. Quid in te habes, aut ex quibus rebus te factum esse cognoscis? responde, & dic: ex anima, & carne me constare cognosco. Quid in te ex his duabus rebus melius habes? responde: sine dubio animam meliorem habeo quàm carnem. optimè, & ordine legitimo respondisti. dic mihi adhuc, vbi es ò homo? respondebis: in Mundo: posteà verò vbi eris? in cœlo. quandiù ibi eris? in secula seculorum. iustissimè & verissimè respondisti. fac modò rationem vitæ tuæ, & esto iudex iustus. vide si tantas res animæ tuæ reposuisti in cœlo, quantas corpori tuo in Mundo. cum hoc diligenter attenderis, & vides propè totam libram te carni tuæ seruasse in Mundo, & vnam vnciam reposuisse in cœlo, erubesce, & citò ad pœnitentiæ medicamenta confuge, quia inceptum in te ipsum iudicium iudicasti.* rectè ex propria conscientia quemque argui dicit, etiam si alio careat monitore. anima cum sit tantò nobilior, postponitur corpori. & in appendẽtis libræ lancibus, quasi parui momenti sit anima, sic vix vncia apponitur studij, atque curæ. rectè dictum. *Mendaces filij hominum in stateris.*

Vix vncia datur curæ animæ

Ex Serm. LV. de obitu Valent.

Tres Ecclesiæ status.

1 Varios status recenset. *Tres sũt status Ecclesiæ; pœnitentiæ, iustitiæ, gloriæ. in primo liberat, in secundo cõseruat, in tertio coronat dominus, &c.* breuiter, sed egregiè gradus ad salutem enumerat.

Augustinus dux incitans ad pugnã

2 Tanquam dux sic excitat ad pugnã: *Eia milites, surgite, armate vos contritione cordis, cõfessione oris, afflictione carnis.* nota triplicem armaturam militum Christi, qua nos hic Doctor, Ducis instar exercitus munit. simile est illud prophetæ: *Pone mensam, surgite principes, arripite clypeum.* mensam intellige Eucharisticam.

3 Perfectionis iter ostendit. *Tres species sunt rectitudinis; aliud est enim regi, aliud dirigi, aliud corrigi, res inanimata propriè regitur, sensata dirigitur, rationalis corrigitur.* Elegans antithesis est. huc refert illa loca psalmorum: *Dominus regit me, & Dirige in conspectu tuo viam meam; & In quo corrigit adolescentior viam suam?* Tum exemplo confirmat dicta: *At verò sanctũ Episcopum Valentinum duxit dominus per viam rectam anno decimo nono baptizatum, postea deduxit eum Episcopum per vias duras pœnitentiæ; postmodum eduxit*

Episcopatus status pœnitentiæ.

eum

eum in morte per viam admirationis, & gloriæ: sic ergo post eum curramus, vt comprehendamus brauiū. Vides Episcopatum non tumoris, & fastus, sed pœnitentiæ, & mortificationis statum esse: quod in Carolo Borrhomèo perspectum est, licet sanctissimo viro, & pijssimo à pueritia. pulchrè autem Valentinum hunc quasi in stadio cursorem primum, & strenuissimum Olympionicen facit, alios incitantem: similiter autem dicere possumus de S. Ludouico, quem Deus ab aula paterna regia deduxit ad religionē Franciscanam: est n. religionis ingressus quasi cuiusdam regenerationis lauacrum; deinde ad episcopatum Tolosanum prouexit; demum ad gloriosum titulum sanctitatis.

4 Excitat animum ad superna, exponens illud Ieremiæ: *State in vijs vestris, & considerate, quæ sit uita æterna.) Si nō credis prophetæ, crede poetæ dicenti. Os homini sublime dedit, cœlumque tueri iussit. à quodam dum quæreret tyrannus, & diceret, quare Deus te fecit? respondit, at contempler cælum, & cælorum lumina: factus est enim homo in terra, non ad terram, sed ad cœlum; & de terra, non propter terram, sed propter cœlum.* Nota dictum, quod Anaxagoræ quidam tribuunt. pulchrè autem dicitur homo, *factus de terra, & in terra, sed non ad terram*, id est non vt terrenis inhæreat. huc spectat quod addit item pulchrè: *leo infirmus nonnè simiam quærit, qua deuorata mox conualescit? simia ægrotans sanguinem canis, vrsus formicas, leopardus capreas, vitis serpentes ferculum. vnumquodque felicitatem affectat; sed si homo affectat, opere tamen affectare non videtur, quare ergo homo cœlum, ad quod factus es; noli quærere philosophiam, ad quam non es factus; nec expedit scire quæ sunt super terram sed quæ sursum; sta igitur super pedes tuos, vt dicitur Danieli.* Notabile dictum illud in eos, qui ita toti dediti sunt literis, vt superna posthabeant, *Quare cœlum, ad quod factus es, non philosophiam, &c.*

Homo de terra factus sed non ad terram.

5 De anima separata hæc habet. *Dicet aliquis; Quomodo, & qualiter egredietur spiritus de corpore? nunquid Salomon hoc ignorare videtur, dum se dixit penitus ignorare viam aquilæ in cœlo? quomodo ergo Deum videt? quomodo Angelum? quomodo seipsum? super hoc hodie magnificus ille philosophus admiratur, ac in libris de animalibus quinque sensus corporis communes esse ait nobis ad actū cum brutis, non ad oblectationem. homo in singulis delectatur, pecus verò tantùm in duobus, gustu, & tactu; in alijs mouetur, & excitatur, non delectatur; vnde ergo est quod spiritus egressus è corpore, duos, quos habet communes cum bestijs, amittit? non enim gustu, vel tactu oblectatur, vel vtitur, sed alios tres ad vsum retinet, & oblectationem; nam videt Deum, delectatur in Deo, audiet etiam Angelos cantantes, & iubilantes, &c.* acutè, ac doctè disserit, in quo felicitas animæ separatæ sit; pulchrè autem indicat animā euolare è corpore ad superna instar aquilæ, quod ethnici Imperatores in apotheosi faciebant, sed falsò.

Anima separatæ status qualis sit.

6 Beatitudinem supra condignum fore ait. *Si dicetur in nobis: Domine, quando hæc omnia meruimus à te nobis donari? respondebit ille magnus pater familias, velut Alexander militi petenti munus, cui ciuitatem dedisse fertur; si tu non es dignus tanta recipere; ego tamen sum dignus, & potens tanta donare.* egregiè ostendit, vt Deus non tā nos attendat, quàm se, dū remunerat, & ideò vltra condignum, vt theologi loquuntur, sicut opulentissimum dominum decet.

Merces à Deo supra condignum.

7 Beatitudinis excellentiam docet. *Angeli mirabuntur non modicùm de operibus Dei: in coniunctione animæ, & carnis in homine; in coniunctione hominis, & Verbi in Christo: in coniunctione hominis, & Dei in cælo; nam dicit dominus: Pater, uolo, ut sint unà nobiscum, sicut & ego, & tu unū sumus. de primo admirantur, ubi vnū uni iūgitur; de secūdo plus, ubi unū duobus iūgitur; de tertio plurimū, ubi unū tribus in trinitate iungetur.* egregiè adnotat tria, quæ Angelis ipsis admirationē excitāt, & acutè distinguit de triplici genere vnionis.

Triplex vnio ipsis Angelis miranda.

Ex Serm. LVI. de Lectione sacra.

1 Lectionem sacram commendat, afferens illud psalmi: *In toto corde meo abscondi eloquia tua.) Si negotiantibus non sufficit de una tantùm merce lucra conquirere, sed plures merces congregant, ex quibus substantias suas augeant; & agricolæ diuersa genera seminum conantur serere, vnde sufficienter sibi, & suis cibum valeant præparare. quantò magis in spiritalibus lucris lectionis diuinæ debetis insistere? vt in horreo cordis vestri possitis triticum comparare; & in thesauris animarum vestrarum scripturarum margaritas reponere; vt in die iudicij, sicut Apostolus dicit, vestiti, & non nudi inueniamur.* elegans vtraque similitudo siue de frumentario cordis horreo, siue de thesauraria cordis arca. è sacris igitur scripturis, & spiritalibus libris tum merces nobis meritorum frugiferas comparamus, tum pulcherrimum animæ indumentum, contextum videlicet ex pretiosissimis margaritis inde deprōptis, ob præclaras sententias ibi contextas ad nostrū profectum. sic autem ornatam decet animam tunc apparere ante Christum sponsum

Mens iusti thesauraria sacræ scripturæ.

Sacra Scriptura Margaritarum armarium.

sum,& in medio Mundi theatro.

Sacra scriptura literæ inuitatoriæ sunt ad patriam.

2 Egregium est item illud pertinens ad sacrorum librorum lectionem. *Diligenter attendite, quod scripturæ diuinæ quasi literæ de patria nostra nobis trāsmissæ sunt: patria enim nostra paradisus est; parentes nostri patriarchæ, prophetæ; ciues Angeli; rex Christus, qui nobis in exilium huius Mundi proiectis per eos scripturas diuinas inuitatorias dignatus est mittere.* pulchrè dicit, Patriarchas, & Prophetas tanquam tabellarios à Deo missos ad nos velut exules, *cum literis inuitatorijs*, ad patram scilicet, ac cœlèste regnum; quippe ab ipso Deo dictata sunt quæ in sacris literis continentur. quis ergo adeò immemor patriæ his lectis non excitetur?

Tempus statutum orationi ac lectioni sacræ.

3 Conqueritur, & iure, quod tanta cū sollicitudine corpori corruptibili consulamus; at verò *Interiorem hominem, qui ad imaginem Dei factus est, tanquam vile mancipium sine pabulo verbi Dei, fame, & siti cruciari sinamus. Omissis igitur fabulis, & detractionibus, & scurrilitatibus cunctis, aliquas quæramus horas, in quibus orationi, vel lectioni possimus insistere, vt in nobis impleatur illud: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Vide quàm sanctè noster Ignatius præscripserit, vt quotidie certum tempus quisque impendat tum orationi, tum lectoni sacrorum librorum: memor videlicet, ex huiusmodi lectione primum sibi lumen diuinitùs affulsisse. & nota quod præmium proponatur: *sicut stellæ in perpetuas æternitates.* nempe & cœlum ipsum liber dicitur: *complicabuntur cœli sicut liber.* in iudicio scilicet. non hoc Platonis, non Aristotelis libros legentibus præmium promittitur, licet hic de cœlo scripserit. rectè etiam ostendit, in sacris libris quasi regios cibos esse propositos; in profanis verò vilem, & mancipiorum proprium.

Ex Serm. LVII. de vanit. Mundi.

1 MEmoriam mortis auocare dicit à terrenis. *Itē ad sepulchra mortuorum: vbi nunc pompa? vbi schemata, vbi ornatus domorum? vbi gemmarum, auri. & argenti pondus immensum? vbi sapientia, applausus, adulatio? vbi seruorum greges, & lampadarum radiantia lumina, vbi antecedentium turba clentium? &c. transierunt omnia, iacet in sepulcro, redactus in puluerem; sola remanserunt ossa, quæ seruantur in exempla viuentium.* quid si, quod peius est, anima demersa sit in inferno? notabile est, hominem ità constitutum, vt post mortem non totus omnino statim soluatur in terram, & puluerem, sed remaneant ossa, vt nos admoneant mortalitatis; nota

Ossa permanent in sepulchris, vt monitores mortis.

etiam lampadum vsum in nocturnis obsequijs.

Angeli in iudicio improperabunt peccata.

2 Extremo iudicio dicit bona opera præmittēda. *Expectat pretereà illum resurrectio magna, vt tradatur peiori iudicio. ibi eum conturbabit multitudo Angelorum improperantium ei peccata.* est hoc certè formidandum, innumerabiles illas Angelorum legiones contra se armatas videre, in primis verè eos, qui ad custodiam nostram fuerunt, quorum monita neglesimus. Itaque subiungit: *Antecedat nos misericordia nostra in die iudicij, vt ipsa interpellet in conspectu Dei, vt misericordes misericordiam consequantur.* Vide quid agat eleemosina: præuenit Iudicem, antequam de nobis sententiam ferat, vt ferat piam; & Angelorum quodammodo claudat ora, ne peccata nobis exprobrent. rectè autem Angeli fient patroni pauperum, quia enim ipsi in omnes benefici fuerunt, pariter à nobis beneficentiam exigent.

Ex Serm. LX. de Persecutione.

Præsens vita tota persecutio quædam est.

1 OStendit, etiam abolitis tyrannis, non deesse persecutiones in Ecclesia. *Aduersarius diabolus regnat in Mundo; & nos putamus quia non patimur persecutionem? quæ enim res non persequitur Christianum? omnia, quæ in Mundo sunt, persequuntur. miramur si nos persequuntur alij, si Christo seruire voluerimus. ipsi parentes nostri nos persequuntur, ipsum corpus nostrum nos persequitur. quocumque me vertero, persecutio est. si videro mulierem, oculus me persequitur. si aurū, si argentū, &c. nō putemus in effusione sanguinis tātùm esse martyrium: semper martyrium est Christianis, & religiosis.* rectè dictum, hanc vitam continuam persecutionem esse. quid coniunctius quā parentes? & tamen si quis Deo seruire statuat, insurgunt illi acriter; quod expertus est inter ceteros Thomas Aquinas. quid charius oculis? at hi per aspectum aduersarij sunt: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* sed quodnā erit inde perfugium? audi. *Adolescentem libido persequitur, sed adstat dominus à dextris patris, & pugnat pro adolescentulo suo.* præclarum est quod ait; si adolescens in tentatione, non terram, sed cœlum spectet, adfore illi ad auxilium, *Iesum stantem à dextris Dei*, vt de Stephano dicitur, suo certè modo, inuisibiliter per gratiæ communicationem: egregiè item ait, resistere tentationi, esse genus quoddam martyrij. & subiungit: *Si sunt martyria pacis tempore, sunt & negationes. ego hodie qui videor monachus, si rupero propositum meum, Christum negaui. non torqueor, non exuror, & denego. si torquerer, & exueret, quid facerem? ò monache, ieiuniū*

fugis,

fugis, putas ignem effugere? vides religiosũ statum esse affinem martyrio; licet mitius ad aspectum. apostatare igitur perinde est ac in persecutione fidem abiurare.

Religiosi debitum perseuerantia cũ magna virtute.

2 Religiosi debitum seriò ostendit. *Ego qui desiui esse sæcularis, aut monachus saluor, aut aliter non saluor: non est aliud medium. vox tua ligauit te mihi, ait dominus; nonnè liber eras? in potestate tua erat promittere; ex quo mihi militare cœpisti, si recesseris, non habeo te quasi de familia, sed quasi fugitiuum.* Notabile dictum de religiosis: non es in seculo, ergo non saluaris more secularium quocumque modo, sed si saluandus est, vt religiosus saluandus es, idest insigniter, & perfectè. est autem illa vox horrenda, quam Christus exprobrabit ijs, qui post vota seculũ repetunt. *Vox tua ligauit te mihi; si recesseris, non habeo te de mea familia, &c.*

Ex Serm LXI. de Obed. & seq.

Obedientia qualis esse debeat.

1 QVanti momenti sit obedire, ostendit. *Prælatus vices Dei agit in monasterio, non potest autẽ Deus à nobis sine magno fructu honorari, nec sine magno detrimento despici.* rectè aut ingens præmium, aut ingens supplicium decernit: nihil hic mediocre: quia cum prælatus Deum repræsentet, non ipsi, sed Deo exhibetur aut honor, aut contemptus. Subiungit. *Debet autem obedientia esse sine mora, & cum gaudio. Hilarem, inquit, datorem diligit Deus. debet & perseuerans esse, vt Christus factus est obediens vsque ad mortem.* rectè monet, obedientiã in rebus quantumuis arduis, atque incommodis, & promptã, & hilarem, & constantem esse debere. tres præclaras dotes adnota.

Damnati in sinũ Satanæ deferuntur.

2 Gehennæ horrorem incutit. *Ibi non Abrahæ, sed Satanæ sinus excipit. ibi obliuio Dei de ipsis æterna.* Quem non vel duo illa deterreant? scilicet sicut iusti à Sanctis Angelis in sinum Abrahæ deferuntur, sic improbi à dæmonibus, *in sinum Satanæ*: in eum videlicet sinum, quo fraudes, ac dolos nefarios ad perdendum occultat. illud autem quàm inexplicabile damnum. *obliuio Dei de ipsis æterna*, iuxta illud psalmi: *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius:* & illud Iob. *obliuiscatur eius misericordia.* quid hac execratione horribilius?

Vinum, & iuuentus duplex incendium.

3 Sobrietatem sic suadet. *Vinum, & iuuentus duplex incendium.* nempe & Hieronymus, vt apud ipsum vidimus, comparat iuuentutem cum incendiarijs montibus, Aetna, & Vesuuio. Scit vtriusque montis vicinia, quanta vastatio fiat ex illorum eruptione ignium.

Vsus pretii Christi sanguinis.

4 Salutis maturum tempus semper esse ait. *Vnusquisque nunc, dum pretium manus tenet, redimat se à seruitute diaboli.* scilicet pretium est sanguis Christi, in promptu est, eo nolle vti, vt a diaboli seruitute liberemur, magnæ dementiæ est.

Ex Serm. LXV.

Mundum vt mare nauseabũdi transire debemus.

1 DE cœlestis patriæ desiderio, & Mundi contemptu sic. *Verè stultus est, qui ad talem patrem, talemque patriam, ac talem cœlestem ciuium societatem peruenire non desiderat. quis est qui in captiuitate positus ad patriam redire nollet? quis in carcere, qui non exire? &c.* huc spectat quod addit. *Mundus iste captiuitas Babylonis est. vita præsens non libertas, sed carcer peccatorum nobis est.* & mox: *Mundus iste simillitudinem maris habet: mare fœtet, similiter & Mundus.* Nota quod ait, Mundum vt mare ingratum odorem habere, ac male olere, vnde nausea oritur. tamen vt Mundum amemus, Diabolus, quasi bene olens mare, & odoratum falsò repræsentat. hinc illud Iob: *Ponet mare quasi cum vnguenta bulliunt.* scilicet vt suaue & fragrans proponit, quod potius nauseam mouere debet. at qui incorruptum olfactum habent, Mundum hunc nauseabundi transmittunt.

Cineres sepulchrorum monitores nostri sunt.

2 Pulchrè per prosopopeiam, & hypotyposin ab auaritia auocat. *Rogo vos, quoties iuxta sepulturam diuitis transitis, vt diligenter inspiciatis, vbi sint eius diuitiæ, vanitas, voluptates. ecce si ipsa arida ossa volueris audire, tibi prædicare poterunt, & dicere: ò miser quantum pro cupiditate huius sæculi dimexaris; attende ad nos, & intellige, vt vel sic tibi horreat luxuria tua, vel auaritia tua. vide puluerem nostrum & relinque desideria tua. ecce quales prædicationes; ossa ipsa, & cineres mortuorum quotidie proclamant.* supra quoque dixerat ad hoc relinqui diu post mortem ossa, vt sint nobis testimonia mortalitatis nostræ; immo addit, vt prædicent nobis vanitatem sæculi; hinc Hebræi collocabant in sepulchris cadauera sedentia tanquam in cathedra, quasi nos docerent, quàm vana sit hæc species Mundi: *ecce quales prædicatores, ossa, & cineres mortuorum.* rectè ossibus hoc munus tribuit, nihil enim in eis molle, & adipatum, quale est in huius temporis eloquentia. arida sunt ossa; sed plus valent, & aptiora sunt ad lacrymas eliciendas, quàm rhetorum inane profluuium; & sub illo cinere ignis zeli optimè efferuescit: denique, mira res: muta dicuntur sepulchra, & mortui vulgus silentũ; sed Lyceũ ibi est omni clamore Peripateticorum sapiẽtius, ac vocalius.

Hor-

Angeli assistunt in morte castorum.

3 Hortatur ad castimoniam. *Fornicatio vrget ad pœnam, castitas leuat ad gloriam; castitas erigit iter ad cœlum, luxuria ruere facit ad inferos; castitas iungit hominem morituri sanctis Angelis, libido Satanæ, ac dæmonibus.* magnum solatium castorum, habere in morte assistentiam Angelorum, & præsidium; sicut contra incesti hominis morituri lectulum, quantumuis pretiosis stragulis ornatum circumsistunt immania illa Erebi monstra.

Otiosa verba ex consilio diaboli sunt.

4 A peccato vel leui sic deterret. *Cum verba otiosa dicimus, aut aliquid mali facimus, diabolicum consilium est; cum autem ingemiscimus post peccatum, aut aliquid boni agimus, tunc Angelum sanctum consiliarium habemus.* Nota, quis non etiam vana, & inutilia verba exhorrescat? cum hæc ipsa sint ex hostili consilio diaboli: nempe hic non intendit ibi tantùm consistere, sed vltra progredi molitur: scilicet per illa lenia disponit, ac deducit ad grauia: vt dissoluto animo languidiores facti salutem nostram negligamus. quo fit vt ista Satanæ exitialis intentio respondeat peccato mortali, etiam si id, quod suadet, non trascendat in nobis veniale, vt docent Theologi.

Virtutes theologales Angelica arma sunt.

5 De pugna cum vitijs sic. *Contra vitia ponendæ sunt virtutes, in primis spes, fides, charitas; ista enim sunt arma Angelica, lorica, & arcus virtutum, scutum fidei, &c.* Vide, quàm non modò vtilia, sed pulchra sint arma, quæ scilicet Angelica dicuntur; & protegunt simul, & ornant.

Ex Serm. XLIX. & seq.

1 HOrrendum narrat exemplum de visione cuiusdam peccatoris. *In morte valde timendum est quoddam exemplum horribile, quod quidam homo sanctus in excessu mentis positus vidit, & audiuit de quadam anima ex Aegypto exeunte, & contra corpus suum contendente. vnus hic erat omniũ rerũ prosperitate affluens cũ morti appropinquaret, ecce spiritus illius ad ostium corporis pulsatur; terrore, ac mœrore perculsus exire tardabat, quia dæmones ante se præparatos videbat, & de mora quærentes: Festinemus ne Michael eum socijs opprimat nos; dicebat vnus: Nolite timere, noster est. hæc audiens anima contra carnem conquerebatur: væ mihi, quæ in isto pessimo carcere carnis exstiti. tu vinum bibebas, ego fontem vitæ sitiebam. tu pretiosis induta vestibus, ego nuda. &c. tunc corpus sudare cœpit, & spiritum reddere. tunc diabolus cum socijs apprehendit dicens; tridentes acutissimos in oculis eius infigite; quicquid enim vidit, concupiuit. pungite cor eius, in quo pietas nunquam fuit, &c.*

Horribile visum cuiusdam morientis de incursu dæmonum.

tunc membratim punientes, animam leuauerunt super ollas nigras, & vespertilionum similes ad infernum deducebant. in itinere autem uidet claritatem magnam: tunc dæmones; hæc patria est, inquiunt, quam amisisti; choros Angelorum uidet, non ad consolationem, sed ad desolationem; claritatem videbis, sed nobiscum eris in tenebris, &c. tunc perduxerunt eam flentem, & gementem ad inferni portas, vbi Diabolus ad eam recipiendam præparatus aderat in similitudinem draconis, & aperiens fœtidissimas fauces, & deglutiens eam, reuomuit in calidissimum locum igneum. Sint igitur aliorum fera vulnera nobis medicamenta. Notabile visum, vbi anima, quę nunc carni obtemperat, de ea conqueritur vt causa exitij; tum intuere pœnas, tridentem oculis iniectum à diabolo quasi marino monstro in huius sæculi fluctibus &c. Nota etiam quod innuit, Michaelem ad auxilium morientium venire dæmonibus formidandum; & vide horum sollicitudinem ad perdendum, *festinemus, &c.*

Dæmonũ timor in morte de Michaele

Dæmonũ festinatio in morte ad perdẽdum.

2 Incitamenta pœnitentiæ ostendit. *Quatuor sunt qualitates affectionum, vnde oritur compunctio; memoria præteritorum peccatorum, recordatio futurarũ pœnarum, consideratio peregrinationis huius vitæ, ac desiderium supernæ.* Vide quę nobis quasi quadriga comparanda sit, ne per deuia erremus, sed tutò vehamur in patriam.

Quatuor ad compunctionem excitantia.

3 De pœna primi peccati sic. *Mors, in qua lapsus est Adam diaboli persuasione, homini propinata est.* pende dictum de morte quasi de propinato veneno, & vide an probabile sit Deiparam accepisse hoc venenatum poculum à diabolo per peccatum originale, quæ potius antidotum propinatura nobis erat per filium. Vide etiam vt diabolus in serpente simul & vetitum obtulerit cibum, & noxium potum subiungit de hac morte peccati. *Mors vera est separatio animæ à Deo. hæc mors est, de qua dicitur: Mors depascet eos. sunt igitur oues & in inferno, quibus pastor mors est. sicut sunt oues in cœlo quibus pastor vita est.* vide, & hinc collige, ad quàm amara pascua talis pastor, idest mors ducet suas oues, nam dicitur: *ò mors quàm amara est memoria tua.* quantò amarior ipsa mors, & quid nisi ducat ad amarissima pascua? contra Christus, qui vita est, ad quàm suauia?

Mors pastor infelix gregis damnatorum.

4 Acerbè eos arguit, qui insultant ingredientibus religionem. *Horremus Iudæos, qui dixerunt domino: Dæmonium habes; & cum audiuimus recitari Euangelium: tundebamus pectora dicentes, scelleratam rem dixerunt Iudæi. cum cœperit quispiam Mundum contemnere, non solùm ei à paganis dicitur, sed, quod magis dolendum est,*

est, à suis Christianis audit: quid pateris? quid insanis? vides expulsum diabolum, & inhabitantem Christum, & dicis: quid pateris? quid insanis? sed nimirum de ipso domino dictum est quod insaniret. nota in eos, qui spernunt, & irrident quasi stultè agentem, cùm aliquis cum Mundo non facit, præsertim si eo relicto religionem ingreditur; nam hoc aliud non est, quàm imitari Iudæos, qui Christum bene operantem, insanum, & dæmoniacum vocabant. at hoc dicere quàm sacrilegum, & horrendum?

5 Ostendit, neque improbos esse odio habendos. *Quid dicis: ego odi malum? nam sic auges numerum malorum. ecce iam duo mali estis.* acutè dictum. non solùm enim malum tollis, sed duplicas: addis & vitium tuum. subiungit remedium præsens, quo odium tollatur. *Vis vincere inimicum tuum? attende intrinsecus tuos, nè ibi habeas quod vincere debeas.* hoc est iram verte in propinquiorem hostem, videlicet in prauas affectiones tuas. quid foris arma moues, dum intus oppugnaris?

Odisse malos duplex malum.

Ex Sermone LXXVI. de Cogitationibus.

Diabolus per suggestionem sagittarius.

1 EGregium est monitum in hoc genere. *Primùm quidem cogitationibus malis repugnandum est, vt priusquam aduersarius sauciet mentem, sagitta excutiatur; solent enim omnes omnino sagittas acuere, sicut in psalmo scriptum est: vt sagittent in obscuro rectos corde: tu ergo mox cum senseris ista, molire geminato suspirio, ad dominum mente conuersa. ne permittas accedere consilium, quod sensum possit inquirere. & re vera vnum, propriumque studium est Satanæ, humanam mentem prauis grauare consilijs; siquidem hanc iniuriam ab exordio sortiti sumus.* rectè admonet, vt statim initio suggestiones repellamus, & quasi sagitta aduersarij arcum exarmemus, antequam iacta nos feriat. ac vide quàm acres, ac seduli sagittarij sint dæmones: *solent omnes omnino sagittas acuere.* pende verba, & exhorresce. est autem præclarum illud in tentatione præsidium, quod innuit: oratio videlicet, ac diuini auxilij petitio feruens. *Mox cum senseris ista, molire geminata suspiria, ad dominum mente conuersa.* Addo cum de sagittarijs istis dolosis dicatur iuxta hebræum: *vt sagittent in obscura Luna*, si eos eludere volumus, caueamus, ne Deipara, quæ dicitur, *pulchra vt Luna*. terræ oppositu, atque obtentu, hoc est terreneorum affectuum, nobis in huius seculi nocte deficiat.

Ex Serm. de vita Cleric.

1 QVàm ipse abhorreret ab omni ambitione, declarat. *Vsque adeò timebam Episcopatum, vt, in quo loco sciebam non esse Episcopum, illuc non accederem. cauebam hoc, vt loco humili saluarer, non in alto periclitarer.* Mira diligentia in fuga honoris. & vide quàm periculosum sit hoc negotium, quod quantalibet virtute, ac doctrina præditum deterrere possit. Tum quantum in ipso esset studium paupertatis, ostendit. *Nemo det byrrhum, vel lineam tunicam, seu aliquid aliud, nisi in commune. de communi accipiam mihi ipse. nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus quasi ego solus decentius vtar. offertis mihi v. g. byrrhum pretiosum: fortè deceat Episcopum, nō deceat Augustinum, hominem scilicet pauperem.* Vide quàm indigna sit religioso viro proprietas, siue commoditas, & quàm deceat, præsertim Episcopum, humanarum rerum vel in veste contemptus.

Paupertatis studiũ vel in Episcopo

Ex Sermonum auctario.

Ex Serm. I. de Epiphania.

Stella Magorũ cur biennio claruerit.

1 EPiphaniæ mysteria interpretatur. *Si quis quærat, quare biennium prænuncians Christum stella claruerit; possunt videri duobus annis duo significata præcepta, vnum dilectionis Dei, alterum proximi.* pulchrè ostendit, stellam illam quasi tesseram fuisse dilectionis, & charitatis. Addit acutè. *Possunt in his duobus annis etiam duo intelligi testamenta, vetus, & nouum; non enim alius auctor est legis, qua tenemur; & alius gratiæ, qua iuuamur.* Vide discrimen inter legem, & gratiam. & tamen vtrumque Deus contulit ad salutem. præterea, *etiam duos Christi possumus intelligere aduentus, vnum humilitatis, alterum claritatis.* nempe hæc stella & Magis blanda, & Herodi formidabilis fuit. Denique, *possumus per hoc stellæ biennium intelligere duas nostras geneses, vnam, qua in carne nascimur; alteram, qua in fide renascimur; vtique ambarum auctor ille qui nascitur.* egregia interpretatio de duplici natiuitate, corporali, & spirituali, cuius vtriusque auctorem stella illa demonstraret. Addo, illud stellæ biennium referri posse ad biennium tyrocinij, quod in Societate nostra ante votorum nuncupationem est constitutum, post quod sicut Magi tria munera, ita nostri tria offerunt vota, ac ferè in eadem sollem-

Votorum oblatio in Societate quasi Magorum munerum

lemnitate, exsplendescente interim illo tyrocinij biennio quasi clarissimo sidere ob illustrationes, & inspirationes diuinas, quibus tyrones fruuntur.

Stella Magorū pro gemmato diademate fuit.

2 Christi natiuitatem admiratur. *In præsepi iacebat, & inter astra fulgebat. regem sempiternum gentibus adorandum, non diadematis gemma, sed stella monstrabat. qui vbera sugebat, lactentes Martyres faciebat.* vtrumque pulchrè dictum: & quod stella pro splendentibus gemmis esset regij diadematis Christi; & quod ipse Christus lactens lactentes coronaret infantes sibi deuotos.

Ex Sermone II. de Christo inuento in templo.

1 EXpendit illa Deiparæ verba. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.) Non est prætermittenda tam sancta modestia Virginis. Christum pepererat, de quo audierat ab Angelo: Hic erit Altissimi filius, &c. & erat humillima: marito se ne in nominis quidem ordine præferebat, vt diceret: ego, & pater tuus; sed pater tuus, inquit, & ego. non attendit sui vteri dignitatem, sed ordinem coniugalem.* rectè commendat magisterium humilitatis, vnde discant in primis coniugatæ; redundat autem hoc Deiparæ dictum in magnum Iosephi honorem. Subiungit: non quia mulier à filio appellata est, ideo non virgo; nam & Eua antequam coiret cum Adam, quod post eiectionem è paradiso est factum, sic appellatur: *formauit eam in mulierem.*

Deiparæ modestia præferendo sibi Iosephum.

Ex Serm. III. de nauicula.

Nauisanime passionibus agitatę qui agendum.

1 PRocellā Christo dormiente ortam sic interpretatur. *Vnusquisque in corde suo nauigat, nec facit naufragium, si bona cogitet. audisti conuicium? ventus est. iratus es? fluctus est, periclitatur nauis. desideras vlcisci? dormit in te Christus, idest oblitus es Christi, nempe excidit tibi, quod fixus in cruce dixit: pater, ignosce illis. recordare Christi, euigilet in te. dices; compescam me ab iracundia mea, redibo ad quietem cordis mei. scilicet imperauit Christus mari, & facta est trāquillitas magna.* pulchrè æstum illum passionum in corde iactationi fluctuum comparat, qui statim sedetur, Christus quodammodo expergiscatur in nobis per eius recordationem. ac rectè subiungit: *Mare audit & tu surdus es? venti cessant, & tu sufflas?*

Ex Sermone V. de Resurrect. Christi.

1 CHristi rediuiui verba ad incredulos discipulos exponit. *Quid turbamini, & cogitationes ascendunt in cor vestrum?) Si ascendunt cogitationes in cor, de terra veniunt; sed bonum est homini, non vt cogitatio ascendat in cor eius, sed vt sursum ascendat ipsum cor eius, vt volebat Apostolus dicens: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite; non quæ super terram.* acutè expendit illud de ascensu cogitationum in cor, quasi de terra surgerent, quod quasi terrena sentientes adhuc de resurrectione ipsius dubitarent, nec cor eleuarent ad potentiam diuinitatis. Subiungit: *Nunquid incredibile est quod resurrexit dominus? totus ei credidit Mundus, & qui non credidit, remansit immundus.* lepor est in verbis.

Cogitatio cordis per fidem erigenda.

2 Transit ad illud. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, quoniam oportebat Christum pati, &c.) Veni domine, fer claues, clausa sunt corda, aperi, & intra.* pulchrè dicitur Christus habere claues scientiæ, & cordis. quod in conuersione hæreticorum potissimùm patet. huc spectat quod subiungit. *Crediderunt per Apostolos Hierosolymitani multi. discedunt inde ligna ardentia; accedant, & incendant ligna enim quodammodo in Ecclesia Hierosolymitana ardebant Spiritu sancto. per persecutionem sparsa sunt ligna, & accensus est Mundus.* elegans similitudo de ardentibus lignis, in quæ si ventus incumbat, spargat eorum flammam per totam siluam, & incendium excitetur vtiliter; nam & poeta ait: Sæpe etiam steriles incēdere pfuit agros, &c. ita noster Ignatius mittens per Orbem apostolici spiritus socios, aiebat: Ite, incendite: iuxta illud Zachariæ: *In illa die ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & deuorabunt ad dexteram, & ad sinistram omnes populos in circuitu.* consumptis scilicet vitiorum stirpibus inutilibus, ac vepretis.

In difficultatibus ad Christum recurrendū claues scientiæ, & cordis habentem.

3 Digreditur ad Pauli conuersionem. *Quos persequebaris, nunc pro illis persecutionem pateris. prædica Christum, dissemina, ò bone aries, iam dudum lupus. audiant gentes, pullulent gentes. nascatur de sanguine Martyrum sponsa de nouo purpurata.* pulchrè dictum, quasi Martyres suo sanguine, qui multò pretiosior est illo conchyliorum, imbuerint Ecclesię vestem, vt reginam inaugurarent indumento purpuræ. rectè etiam Paulum arietem vocat, quasi ducem gregis Christi, & pro ipso immolatum; quod etiam ipse fassus est dicens: *ego enim iam immolor.*

Martyrū sanguis Ecclesiæ purpurā imbuit.

Gentiū conuersione ædificatur Ecclesia.

4 De gentium conuersione sic. *Quàm multi accesserunt? quàm multa membra capiti adhæserunt, & nunc cohærent, & post nos venient aliq̃tunc, inquam, in fine seculi accedent lapides fundamenti, lapides viui, lapides sancti, dum domus ædificatur, sic etiam habet ipse psalmus: Quando domus ædificabatur post captiuitatem; Cantate, inquit, canticum nouum; cantate domino omnis Terra. Quàm magna domus! sed quando dedicatur? in fine seculi; quando & nos surrexerimus, rectè dedicabimur*. idem referri potest ad religionum fundationes, quæ nunc per successionem velut ædificantur, consecrandæ, dedicandæque in die æternitatis in futuro seculo: sed vide qui lapides apponi debeant ædificio: *lapides viui, lapides sancti.*

Ex Serm. de Ascen. Christi.

1 FRuctum ex Christi aduentu, & morte ostendit. *Magnum quid huc attulit mercator iste de regione sua veniens. inuenit in regione nostra quod hic abundat; nempe nasci, & mori. plena est his terra mercibus. venit ad nos ea via, qua & nos: de cœlo enim venit à patre; rursus de Spiritu sancto ex Virgine.* Vide quãtum sua negotiatione nos locupletarit. & simul agnosce pietatem: diuina attulit ad nos, abiecta sumpsit ex nobis. Affert & aliam similitudinem. *Quomodo summus venator leonem cepit, & necauit? suscepit mortem, & occidit illam. ò vita mors mortis. bono animo estote; morietur & in nobis mors, victura solùm in damnatis. audite verba triumphantium; Absorpta est mors in victoria. vbi est, ò mors, aculeus tuus? nonnè confregit illum dominus? quando illi hæsisti, tunc mihi periisti.* eleganter dictum de morte. primùm quasi feram in venatione captam, & occisam à Christo dicit, tunc cum ipsum appetere ausa est. eadem apis instar, dum aculeum figit, moritur relictis visceribus. Tum nota, quàm pulchrum epinicion sit, ac victoriale carmen, quod à beatis concinendum erit de morte deuicta, & in triumpho captiua.

Mors Christi venatione capta.

Carmen triumphale à beatis canendum quod nam sit.

2 De Christi in cœlum ascensu sic. *Capitis præcessio spes membrorum est. audierunt Angelorum vocem: Hic Iesus sic veniet, &c. id est veniet verus homo, & Deus, vt faciat homines, Deos. quid disceptamus quod ascendit in cœlũ Deus? miremur potiùs quod descendit in infernum Deus. mortem Christi miremur, resurrectionem potius laudemus.* nempe illud alienum à Dei maiestate, hoc proprium. Subiungit. *Aiunt illi: sic veniet. dicat anima nostra sitiens illi. Quando veniet? & sitiuit anima mea ad Deum viuum. optas vt veniat? vtinam paratum te inueniat.* præclarè dictum, & lepor est in paranomasia. Tum interpretatur verba Christi ad discipulos quærentes de secundo hoc aduentu: *Non est vestrum nosse tempora, &c. sed accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientem in vobis. Quò tibi tempora? hoc agitur, vt euadas tempora, & quæris tempora? quæsitum est quod non oportuit dici; sed dictum est quod oportuit audiri: Accipietis virtutem Spiritus sancti.* acutè, ac pulchrè adnotat, quasi dicat. Quid quæritis de tempore, cum iam ad æternitatem aspirandum sit? quod sancti Spiritus gratia mox perficiet.

Christi secundus aduentus optandus est iusto.

3 Exponit vltima Christi ascendentis in cœlum verba: *Eritis mihi testes, &c. vsque in fines terræ.* Donatistas carpit, qui tantùm in Africa Ecclesiam constituebant. *Venisti ad fines, quare contentionis non finis?* lepidè dictum. Subiungit. *Nubes suscepit eum.) iam non opus erat, vt aliquid adderetur, ne aliunde cogitarent. pro magno audiri solent verba parentis abituri. existimemus dominum testamentum scripsisse, & in testamento verba sua nouissima posuisse. præuidit enim malorum filiorum futura litigia; præuidit homines partes sibi conantes facere de possessione aliena.* Nota, cur ascendentem nubes contexerit, ne scilicet sperarent post illa verba de vnitate Ecclesiæ toto orbe diffundenda, se aliud audituros; nec vt mali filii post eius abscessum litigarent de parte possessionum, vt faciebant Donatistæ. vltima igitur verba, quasi testamenti, imprimi voluit de communi consensu fidei in orbe toto, non in orbis parte. quo simul dilectionem mutuam commendare visus est: hinc rationem deducit, cur Christus bis dederit Apostolis Spiritum sanctum, licet alij alias afferant. *Si dicam me scire quare bis dederit, mentiar: nescio. qui dicit scire quod nescit, temerarius est. qui negat scire quod scit, ingratus est.* egregiè dictum. vide vt vtrinque scopulus vitandus sit, ne quid arroges, ne quid deroges. modestiam quoque agnosce docentis. Tum sic. *Quid existimem, non tacebo. ego arbitror, ideo bis datum esse Spiritum sanctum propter duo præcepta charitatis, Dei, & proximi: vna charitas, duo præcepta. à secunda incipitur, vt ad primam perueniatur: si enim fratrem, quem vides, non diligis, Deum, quem non vides, quomodo diligere poteris? & ideò fortè informans suos ad dilectionem proximi, dedit in terra conspicuus, & proximis proximus Spiritum sanctum. accipe in terra Spiritum, & diligis fratres. accipe de cœlo, & diligis Deum.* acuta, ac pulchra ratio. dedit primò Spiritum sanctum in terra

Cur Christus ascenderit in nube.

Cur Christus bis dederit Spiritum sanctũ Apostolis.

Gggg pro-

proximus nobis, vt dilectionem erga proximum insinuaret. dedit secundò de cœlo, vt dilectionem erga Deum.

Ex Sermone de S. Vincentio Martyre.

In carne Martyrũ trophæũ Christi.

1 EIus constantiam commendat, & victoriæ omen ex nomine. *Magnum spectaculum spectauimus oculis fidei: Martyrem Vincentium vbique vincentem. vicit in verbis, vicit in pœnis. vicit exustus in ignibus, vicit submersus in fluctibus; denique vicit mortuus*. eleganter ostendit semper similem sui. Subiungit. *Quando caro eius, in qua erat trophæum Christi, mittebatur in mare, tacitè dicebat: Deijcimur, sed non perimus.* pulchrè carnem Martyris vulneribus affectam vocat, *trophæum Christi*. idemque pulchrè quoque transferri potest ad carnem S. Francisci ab Assysio stigmata ferentem.

Martyrum securitas in Christo.

2 Ostendit Martyris securitatem. *Quando fides pugnat, carnem nullus expugnat*. lepidè dictum: ac vide vt fides quasi bellatrix quædam Amazon sit. hinc & Paulus ait: *Sumentes scutum fidei*. subiungit: *Si laniatur, non perit. potens homo non potest perdere quod emit auro suo, & Christus perdet quod emit sanguine suo?* rectè argumentatur à minori ad maius. Tum docet, in quo sit positum martyrium. etiam mali patiuntur: *Par est pœna sed dispar causa. Discerne, inquit, causam meam de gente non sancta. discreta est causa eius, quia pro veritate, pro iustitia, pro fide, pro Christo*. Denique auditores sic commendat. *Nouimus quia patienter audistis, & diù stando, & audiendo tanquam Martyri compassi estis, qui audit vos, & coronat vos.* pulchrè indicat, aliquo modo de coronis Martyrum participare, qui eorum laudes cum profectu audiunt. & nota illud: *diù stando*. vt & ipsi aliquid paterentur ad Martyrum exemplum. addo, vt attentius audirent non dormitando, immò prompti & ipsi ad martyrium.

Triplex Martyrũ certamen.

3 Proponit rursus ante oculos per hypotyposin Vincentij certamen. *Magnum, mirandumque spectaculum; in quo non, vt fit in theatris, inanissimam, & perniciosissimam nugarum, sed vtilissimam, & fructuosissimam voluptatem hausimus. erat videre inuictam Martyris animam contra insidias antiqui hostis, contra sæuitiam impij* Iudicis, *contra dolores mortalis carnis acerrima conflictatione certantem, & in adiutorio domini cuncta superantem.* Nota triplex hostium genus in vna pugna. Subiungit de victoria admodum pulchrè. *Quantò erant truculentiora, & exquisitiora tormenta, tantò magis tortus de torquente triumphabat; & ex illa carne tanquam ex terra suo sanguine irrigata palma crescebat.* Vide quantum decus: caro sulcata vulneribus, & sanguine currente per sulcos, instar agri erat palmis consiti: ita ipse hostis fiebat quasi eo onus gloriæ Martyris.

Martyrũ triũphus de tyrannis.

sub hoc palmeto Ecclesia veluti Debora illa sedet, concinens præclarum illud epinicium: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite dominum.* & rursus infra: *Cor meum diligit principes Israel. qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite dominum. & sedebat sub palma.* similiter, inquam, Ecclesia laudes Martyrum, & victorias concinit. quippe Martyr, *tortus de torquente triumphabat; & ex illa carne tanquam ex terra suo sanguine irrigata palma crescebat*. etenim si tam faustum omen olim est habitum, quòd tempore Pharsalici belli in templo Victoriæ enata esset palma ad basim statuæ Cæsaris: quid dicendum de palma quodammodo enata in ipsa carne Vincentij? Iudic. V.

Tyranni pœna victi maior quam Martyris.

4 Ostendit hostem potius cruciatum, quod cerneret se vinci, quàm Vincentium in tormentis hilarem, & fortem. *Manifestè apparet in Præside, quid in occulto diabolus pateretur; & per sui vasculi, quod impleuerat, crepantis rimulas prodebatur. voces enim ipsius Præsidis, oculi, vultus, & turbulentus totius corporis motus indicabant, quàm grauiora tormenta sentiret interius, quàm erant quæ Martyri infligebat exterius. ipse sub pœnis, ille supra pœnas*. elegans similitudo de tyranno quasi vasculo Satanæ, quod quasi per rimas venena funderet; & illius iram, ac dolorem ex Vincentij victoria indicaret. contra verò Martyris gaudium ostendit, ac subiungit: *Quæ gaudia erunt in virtute regnantium, quandò tanta sunt pro veritate morientium? quid erit cum corporis incorruptione fons vitæ, quando ros eius inter tormenta tam dulcis est? & quid faciet impijs æterna flamma, quos ita vastat irati cordis insania? quid passuri sunt, cum iudicabuntur, qui tam cum iudicant, cruciantur? iudicia futura Sanctorum quid habitura sunt potestatis, cum in hac vita tribunal Iudicis catasta torserit Martyris?* eleganter conflatum argumentum. pulchre solatium illud à Deo Martyri datum dicit, tantùm fuisse roris guttam præ futura felicitate; vbi *torrente voluptatis tuæ potabis eos*. mirum certè est quod in reprimendo ardore illo fornacis Babyloniæ, quæ tam altè fundebat flammam, tãtùm guttæ roris satis fuerint; *Fecit ventum roris*

ris flentem. contrà verò tyranni quantò acrius cruciabuntur in inferis, cum sic æstuarent in hac vita, videntes se à Martyre vinci? mirè dictum: *tribunal Iudicis, Martyris catasta torquebat.*

5 Exponit quanta Deo cura sit de Martyribus, in primis alludens ad Vincentij cadauer, quod coruus à volucribus, & à lupo, vnguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. *Verè pretiosa in conspectu domini mors Sanctorum eius, quia vel anima discedente, habitaculum serui custodiuit, quo testimonium perhibet sibi non perire quod moritur; & vt intelligatur in quali honore secum habeat animas occisorum, quando caro exanimis tanto affectu honoris coronatur. & quod vita emigrante deforme iam remanet, ibi euidentius præsens vitæ dator apparet*. egregiè dictum, cur Deus Sanctorum corpora iam exanguia miraculis honorare, & quasi coronare soleat, vt vel hinc pateat quantò maiore in honore eorum animas habeat. illud autem pulchrè ad Xauerij corpus post mortem incorruptum, & multò magis ad Ianuarij sanguinem viuidum pertinet. nempe Deus, *vita ipsorum emigrante, ibi euidentius vitæ dator apparet.* quid enim admirabilius, quàm cum per sanguinem fusum amittatur vita, sanguinem viuere? aut spiranti similem penè viuere vita iampridem functum?

Cur Deus miraculis honoret reliquias Sāctorū.

Ex Sermone de decol. S. Ioan. Baptistæ.

1 OCcasione sumpta de nece Ioannis ex Herodis iuramento orta, inuehitur in iurantes. *Tam magnum peccatum est falsum iurare, vt propter reatum falsæ iurationis dominus prohibuerit omnem iurationem. propinquat falsæ iurationi qui vel verum iurat. dominus, qui prohibuit iurare, supra ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in angusto labatur & cadat.* rectè hac similitudine ostendit quantum sit periculum de periurio, & quasi ingens casus, & ruina, vt propterea nec accedere velit quomodocumque iurando. Tum respondet obiecto. *Sed dominus iurauit, inquis; securus iurat, quia mentiri nescit.* nempe summa, & prima veritas est. Nec obsistere ait consuetudinem, quia hæc Deo iuuante superari potest. *Consueueram & ego iurare; at vbi legi, & timui, luctatus sum contra consuetudinem meam. in ipsa luctatione inuocaui dominum, & præstitit adiutorium.* rectè monet, luctandum esse vt vincas, nec statim ignauiter succumbendum. quod rursus monet: *laborare debes, & confligere aduersus consuetudinem malam.*

Herodis iuramentum de nece Ioannis damnatur.

2 Narrat notabile exemplum, quo à iurando deterreat, de quodam, qui cōmodauerat quidpiam alteri; qui cum id negaret, adegit eum ad iurandum: iurauit falsum, nihil scilicet se accepisse. quid tum? *Dicebat iste, Tutusymen nomen erat, homo grauis & fidelis, ipsa nocte se fuisse exhibitum ad Iudicem, & cum magno impetu, atque terrore, se peruenisse ad præsidentem excelsum, iussum se fuisse perturbatum retrò reuocari, & interrogatum fuisse his verbis: Quare prouocasti hominem ad iurationem, quem sciebas falsum esse iuraturum? respondit ille: negauit mihi rem meam. responsum est: & nonnè melius erat vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm animam hominis istius falsa iuratione perimeres? prostratus est, iussus est cædi; cæsus tam grauiter, vt in dorso vigilantis vestigia plagarum apparerent: sed dictum est, postea quàm emendatus est: Parcitur innocentiæ tuæ; de cetero caue ne facias.* hem quid erit supplicii illi, qui alium ad peccandum suasione, vel exemplo inducit? vel ipse periurus quātò erit acrius puniendus? certè repetebat hic sua iustè; & vir erat, *innocens, simplex, bene fidelis*; ac tam dirè cæsus est. sæpè debuit iacturā potius facere bonorum, quàm periculum peccandi in altero permittere. adeo præponderat salus animæ quibuslibet temporalibus bonis. Tum cogita, & exhorresce ad quàm metuendum tribunal sistendi simus. scilicet, *Exhibendi ad Iudicem excelsum, cui parent officia similiter excelsorum, &c.*

Incitans ad iurandum grauiter punitus.

Ex Sermone de S. Cypriano Martyre.

1 FRustrà exilio mulctatum dicit à tyranno. *O stulta infidelitas persequentis; si quæras exilium, quò Christianus iubeatur ire; prius, si potes, inueni, vnde Christus cogatur exire*. lepor est in verbis, cum Christus per diuinitatem vbique sit, *qui in omni loco membrum suum excipiebat.* Addit. *De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquam exulem, in carne vbique peregrinum?* acutè arguit; secundum spiritum non potest esse, ac dici exul, qui semper est cum Christo: nec secundum corpus, quia iustus totum hunc Mundum exilium reputat, cœlum habens pro patria: frustra igitur exulare iubes.

Iusto nusquam est exilium.

2 De Cypriani martyrio sic. *Christus inter duos latrones ligno suspensus ad exemplum patientiæ præbebatur: Cyprianus inter duos apparitores ad passionem curru portatus Christi vestigia sequebatur.*

Cyprianus ad Mart. curru portatus.

tur, & gaudens recoleret ad eius se corpus pertinere. rectè non ad dolorem, sed ad gaudium refert ignominiam supplicii, quod ad similitudinem aliquam Christi duceretur sub mortem inter duos satellites quasi latrones. & quod ait, *curru portatus*, certè crux Christo pro curru triumphali fuit, vnde dicitur, *& quadriga tua saluatio*. sed expressius hæc similitudo mortis Christi contigit tribus Iaponibus Martyribus è Societate Iesu, qui ad crucem ipsam ducti sunt, vbi lanceis transfixi. & Cypriani modo, *curru portati*. quod idem pulchrè amplificat Ambrosius in sermone quorundam Martyrum, qui curru ad necem portati.

Cypriani cura de grege etiã in morte.

3 Commendat Cyprianum, vt Episcopum, ex cura pastorali, vel in morte exhibita. *Vicina corporis morte, non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis; nec exutiebat ab animo diligentiam manus proxima cruenti carnificis. custodiri puellas præcepit: ita se Martyrem cogitabat futurum, vt esse non obliuisceretur Episcopum: aduersus leonem apertè fremẽtem in confessione virile pectus armabat. aduersus lupum insidiantem gregi sexum fœmineum muniebat.* egregiè ostendit, vt Cyprianus & Martyrem se fortissimum ostenderit magnitudine animi aduersus tyrãnum, & Episcopum vigilantissimum tutela virginei pudoris aduersus procos. vide igitur, in quo maximè prælati sollicitudo posita esse debeat.

Puellarũ pudicitia quam curãda Episcopo.

4 Eiusdem constantiam ostendit. *Monebat impius Iudex dicens: consule tibi. ipsa erat lingua subdoli diaboli, qui per eum loquebatur. intuebatur in vno opere duos: istum oculis, illum fide. nolebat eum iste mori, nolebat ille coronari: respondit: In re tam iusta nulla est consultatio. non adhuc consulo, quia non adhuc dubito.* egregia planè vox & sapientiæ plena, & libertatis: tantum habet fides certitudinis. concludit. *Quid ad hæc dicamus in tanta conceptione gaudiorum? in quid erumpet cor, & os nostrum, nisi in ipsam venerabilis Martyris vltimam vocem? cum enim Galerius Max decretum ex libello recitasset: Tacitum Cyprianum gladio animaduerti placet: respondit ille: Deo gratias. & nos saluberrimo exemplo proposito, omnibus medullis dicamus: Deo gratias.* Nota formulam decreti in Martyribus condemnandis. & vide, vt Martyres quasi pro insigni beneficio gratias egerint Deo, quod pro ipso funderent vitam.

Cypriani liberavox ad tyrannum.

Ex Serm. de S. Mauritio.

1 EXponit illud; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui, &c.* Timor infirmorum videtur esse, non fortium; sed tamen ait scriptura: *Timor domini spes fortitudinis. Timeamus, ne timeamus; hoc est prudenter timeamus, ne inaniter timeamus. Martyres Deum timendo, homines contempserunt. dicat hic fortissimus Martyr: Non timeo, quia timeo. vsque ad carnem sæuit, anima tuta est. potes ferire habitaculum, nunquid habitatorem? resurget caro, & habitatori reddetur, non amplius ruitura.* acutè mitatur, cur, cum timor sit infirmitatis, dicat Sapiens: *Timor domini spes fortitudinis.* nimirum quia Martyr Deum timendo, fit fortis contra tormenta hominum, sciens corpus, quod pro ipso obtulit, cum gloria reparandum.

Timor domini fortis est.

2 De animæ immortalitate sic. *Immortalitatem habet anima secundùm modum suum. est quadam immortalitas, hoc est omnimoda incommutabilitas, quam solus Deus habet, de qua dictum est: Qui solus habet immortalitatem. at anima & immortalis est, & occidi potest. non enim diceretur: Qui potest & corpus, & animam occidere in gehennam. nam anima & vita est alicuius rei, & habet etiam ipsa vitam suam. vita corporis anima est, vita animæ Deus est.* rectè ostendit, animam per peccatum quasi plaga accepta quodammodo interfici, ac mori, cum Deus, à quo deseritur, sit vita animæ. Obiicies: quomodo igitur peccatoris anima viuificat corpus, si mortua est? respondet: *Tanta res est anima, vt idonea sit vitam præstare corpori, etiam mortua.* mira animæ præstantia. Addit. sicut cognoscitur corpus viuere ex operatione corporali, vt ambulandi, &c, ita animã viuere ex operatione spiritali, si currat ad bonũ, &c. subiũgit. *Viuit corpus; non enim lingua in ore moueretur, nisi intus habitator esset, & quasi ad hoc organum musicus, qui lingua illa vteretur.* pulchrè dictum, animum esse quasi lyristen, aut citharœdum. Philo quoque similem dicit linguam plectro. si igitur anima viuit ex Deo, Deum in ore habet. Cõcludit deinde egregiè. *Timeat ergo anima mortem suam, non corporis sui.* quia hęc reparabitur per resurrectionem. Denique ostendit, quàm deflendus sit peccatoris status: *Plangis mortuum? magis plange impium. scriptum est: Luctus mortui septem dies, at impij omnes dies vitæ illius. an verò non in te sunt viscera Christiana misericordiæ, vt plangas corpus, à quo discessit anima; & non plangas animam, à qua recessit Deus?* rectè crudelem dicit, qui non mouetur iactura animæ proximi. hinc questus ille Ieremiæ: *sed & Lamia nudauerunt mammas suas, lactauerunt catulos suos, filia autem populi mei quasi struthio*

Animus quasi corporis citharœdus.

Crudelis est qui nõ deflet animas peccatorum.

thio in deserto. nempe oua in arena deserit, nec curat, quod à bestijs conculcentur. plusquam igitur monstrosa impietas est; nam Lamiæ monstra sunt effera, & tamen non sine vestigio pietatis erga prolem.

Beatitudinis memoria excitamentū animæ.

3 Explicat beatitudines. *Beati pauperes spiritu, &c.) Quis non alacriter currat, cum ei dicitur: beatus eris? nemo quippe est, qui beatus esse non velit. sed non recuset certamen, si diligitur præmium.* egregiè dictum. hoc verbo, *beati*, excitari cuiusque animum. Subiungit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.) Vis vt posteà regnum cælorum tuum sit? vide modò tu ipse cuius sis.* & hoc præclarè dictum: si enim nos Dei erimus, & regnum Dei nostrum erit; Dei autem efficimur per humilem subiectionem eius voluntati: *humilis est pauper spiritu.* Tum pergit ad cetera. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.) Vis possidere terram? vide ne possidearis à terra. tum verè possidebis terram, cum adhæseris ei, qui fecit cælum, & terram. hoc enim est esse mitem, non resistere Deo tuo. placebis ei, si displiceas tibi.* nota quæ sit vera mansuetudo, Deo statim cedere. & pulchrè correspondentibus verbis, & antithetis id declarat: *Vis possidere terram? vide ne possidearis à terra,* hoc est ne hæreas terræ, sed conditori terræ, immò, & cæli, quę est terra viuentium.

4 Transit ad illud: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, &c.) Interior homo noster esuriat, & sitiat; habet enim cibum & potum suum. ego, inquit, sum panis, qui de cælo descendi. & apud me est fons vitæ.* Vide quanta cum fame, & siti accedendum sit ad Eucharistiam; ac rectè Beati dicuntur, iuxta illud: *Aser pinguis panis eius, præbebit delicias regibus.* Aser hebraicè idest beatus. Sequitur: *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.) Abundas fortasse temporalibus? sed eges æternis. mendicum hominem audis? & tu mendicus es Dei. quod ageres cum petitore tuo, hoc aget Deus cum suo.* hinc collige, quantò maior sit diuitis mendicitas, quā pauperis, quia diues ferè quātò indignior est ob plura peccata, tantò magis *eget æternis.* vt igitur sibi præstetur hoc, quod petit à Deo, tribuat pauperi temporale quod petit. Deinde exponit, quod sequitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deū videbunt.) Hic est finis amoris nostri: videre Deum volumus, quærimus, inardescimus; sed para vnde videas. quid desideras ortum Solis cum oculis lippis?* Nota quanto cum ardore animi exoptanda sit visio beatifica Dei. *videre eum volumus, quærimus, inardescimus.* sed rectè monet purgādum oculum cordis. Subiungit acutè; cum in prioribus alia præmia commemorentur, *Nusquam nisi hic dictum est: Deum videbunt. cur ita? nisi quia ibi sunt oculi, vnde videtur Deus: hos vocat Apostolus, Illuminatos oculos cordis vestri. modò isti oculi pro sua infirmitate illuminantur fide, postea pro sua infirmitate illuminabuntur specie.* purgari autem in primis cordis oculum ait, si nihil corporeum, & indignum Deo nobis mente fingamus. *Si in corde nostro tanquam in templo Dei formæ humanæ fregimus simulacrum.* quia enim Deus superat omnem creaturæ perfectionem infinitè, melius intelligitur excludendo, quàm constituendo. *Nondum potes dicere, hoc est; saltem dic, hoc non est.* nullam igitur mensuram in Deo excogitemus, vt in nobis. qua occasione exponit Apostoli locum: *Vt possitis comprehendere, quæ sit longitudo, &c.* quæ verba alibi apud ipsum ponderauimus.

Quantumuis diues mendicus est Dei.

Dei visio ardenter expetēda.

Cor nostrū templum est aut Dei aut idoli.

Ex Sermone de Cruce.

1 PVlchrè in decus cessisse ait opprobrium Crucis. *Noli erubescere de cruce Christi. ideo in fronte tanquam in sede pudoris signum accepisti. recole frontem tuam, ne linguam expauescas alienam. Mihi, inquit ille, absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. signum veteris testamenti circumcisio in latenti carne, signum noui crux in libera fronte.* præclarè ostendit differentiam. mortificatio enim, quæ est spiritalis quædam circumcisio, libera, & aperta esse debet; & ideo in fronte, ne erubescamus de illa, vt mundani. egregium est illud monitum, cum nobis infertur opprobrium: *recole frontem tuam:* idest memineris te iccircò illi crucis signum imprimere, vt ostendas te iam non pudere opprobrii, immò illud præferre pro Christi amore. quantò hoc sanctius, ac moderatius, quàm quod vetus philosophus egit, qui malè verberibus, ac plagis affectus, nomen percussoris fronti inscripsit suæ, vt ille ab omnibus notaretur impudentiæ.

Crucis in fronte signum monitor noster.

Ex Serm de Dedicatione Eccl.

1 LAudat impensas pecunię factas in ędificio templi; quamquam maiorem rationem habendam ait mystici templi in interiore homine, iuxta illud Apostoli: *Templum enim sanctū est, quod estis vos.) Neque enim occupata est fides inspicere quàm pulchra sint membra huius habitationis, sed de quanta interioris hominis pulchritudine procedant hæc opera dilectionis.* rectè monet, eum, qui Ecclesiam ædificat, non tam in pretiosis

Templi materialis pulchritudo ad mysticũ nostrum referenda.

tiosis marmorum crustis, ac picturis, ceteroque apparatu templi sumptuosè exornando intentum esse debere, quàm in animaduertendo, an in se erexerit spiritale templum; nam illud exterius inde delineandum est, atque hoc modo Deum etiam illius remuneratorem habebit. *Restituet ergo dominus fidelibus suis tam piè, tam hilariter, tam deuotè ista operantibus: vt eos quoque ipsos in sua fabrica constructione componat, quò currunt lapides viui fide formati, spe solidati, charitate compacti; vbi sapiens ille architectus, Apostolus scilicet fundamenta posuit Christum Iesum.* nota illud, *quò currunt lapides viui.* quantò hoc verius, & admirabiliùs, quàm quod currere dixerunt lapides sponte ad Thebarum muros extruendos Amphionis lyra demulsos. Demùm eleganter huius ædificii partes describit, & mysticè spiritali templo accommodat: *Fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica, & prophetica monita iacite; humilitatem sicut pauimentum sine offensione prosternite, salutarem in corde vestro doctrinam, orationibus, ac sermonibus tanquam firmis parietibus communite; diuinis eos testimonijs tanquam luminaribus illustrate. infirmos sicut columnæ sufferte; inopes sicut tecta protegite: vt vos dominus in æternum perfectos, dedicatosque possideat.* pulchrè omnes ædificii spiritalis partes describit, cuius fundamenta iacimus, per fidem prophetiis, & euangeliis credendo. pauimentum sternimus per humilitatem; parietes erigimus per orationem; fenestras ad lumen excipiendum facimus per clara scripturæ testimonia, columnas statuimus, infirmos alloquiis sustentando denique tectum imponimus pauperes tegendo, inopiæ consulendo. tale ædificium sibi dedicari, & consecrari vult Deus: nihil eius architectura perfectius, quo excitato reliquum est & ego huic operi tanquam ædificio finem imponam, quod ex delectis Augustini sentẽtiis tanquam ex electis lapidibus, multo cum labore, at non sine aliorum commodo, Deo iuuante, substruxi.

Templum Dei sit in nobis erigendum.

FINIS. Ponderationum Concionalium in Opera S. Augustini.

Auctore P. Ioan. Bapt. Masculo Societatis Iesu.

LAVS DEO, AC DEIPARAE.

CATA-

INDEX PRIMVS VNIVERSALIS MATERIARVM.

A.

Abstinentia.

Adolescentia, Iuuentus.

Aduersitas, Afflictio.

est

Adulatio.

Æternitas.

Affectiones, ſeu Paſſiones animi Vniuersè.

Amicitia.

Amor Proprius.

Ambitio.

Angelus.

Anima.

Astrologia.

Auaritia.

B.

Baptismus.

Beatitudo Cœlestis.

C.

Cardinalis.

Caro.

Castitas.

Charitas, seu amor in Deum.

vnum

Charitas erga proximum.

Christiani.

Clerici, seu Ecclesiastici.

Cogitatio bona, vel mala.

Concordia, & Pax.

Contritio.

Confessio.

Confidentia in Deum.

Conscientia bona, vel mala.

Conscientiæ examen.

Crea-

Creaturarum, & Mundi consideratio.

uersæ

D.

Dei essentia, & vnitas.

Deus in Personis Trinus.

Dei naturæ excellentia.

Dei Misericordia, & amor.

Dei Iustitia, & Iudicia.

Dei Prouidentia.

Dei Praescientia, & Praedestinatio.

Dei alia attributa.

Detractio, & Contumelia.

Diabolus, & Dæmones.

Educatio bona, vel mala.

Eleemosina.

Filius.

Fœmina, seu Mulier in bonum, vel malum.

Fortitudo animi.

G.

Gentilium Conuersio.

Gratia Diuina.

Gula.

Gratitudo, & Ingratitudo.

H.

Hæretici, & Hæreses.

Chri-

care

Hominis dignitas.

Hominis vilitas.

Humilitas.

Hypocrisis.

I.

Idololatria, & Superstitio.

Ieiunium.

Infernus.

pœna

Iustitia, & Iudex.

Iustus Vniuersè.

Iusti singillatim laudati.

Iudæi.

L.

Labor.

Lacrymæ.

Laus Vniuersè.

Laus Vrbium, & Regionum.

Lectio librorum.

Lex Dei.

Libertas Arbitrij.

Libido, Luxuria.

tetram

Lingua, Sermo.

M.

Mansuetudo.

Mendacium.

Mortis Consolatio.

Mundi Vanitas, & pericula.

vel

N.

Nobilitas.

Otium.

P.

Parentes.

amor

Paupertas.

Patientia.

Peccatum Originale.

Peccatum actuale, & Peccator.

Peccatum leue veniale.

Peccati Pœna.

Pœnitentia, & conuersio peccatoris.

Perseuerantia.

Pietas, & Deuotio.

Scandalum.

Scriptura Sacra.

Senectus.

Sensuum custodia.

Simplicitas, Astutia.

Spectacula, Ludi, Theatra.

Spes.

Spi-

Spiritus sanctus.

Superbia.

Synagoga.

T.

Templum, Altare.

Tempus.

Virtutes quatuor Card. vniuersè.

Virtutes tres Theologales vniuersè.

Vitium Vniuersè.

Vita humana.

Volupas terrena.

Finis Indicis Vniuerſalis.

INDEX SECVNDVS

PANEGYRICVS DE SANCTIS

CHRISTVS VNIVERSE.

septies

Christi Incarnatio.

Christi Natiuitas.

Chisti acta.

Christi doctrina.

Christi Eucharistia.

Christi passio vniuersè.

Christi sudor sanguineus.

Christi proditio.

Christus ductus ad Caipham, &c.

Christi flagella, & spinea corona.

Christi Crux.

Christus à Latrone agnitus.

Vulnera Christi.

Christi sanguis.

Christi mors & sepulchrum.

Chri-

Christi Resurrectio.

Christi Ascensio.

Maria Virgo vniuersè.

Mariæ Conceptio, & Ortus.

Mariæ Annunciatio.

Mariæ venter, & vbera.

Ma-

Maria Purific. dolor, & Assump.

Sancti vniuersè.

S. Ioannes Baptista.

Apostoli vniuersè.

Apostoli singillatim.

S. Petrus.

S. Paulus.

S. Ioannes Euangelista.

prom-

SS. Martyres singillatim.

S. Cyprianus.

S. Ianuarius.

S. Laurentius.

SS. Innocentes.

S. Stephanus.

SS. Martyres alij.

SS. Doctores vniuersè.

SS. Doctores sigillatim.

S. Augustinus.

S. Ambrosius.

S. Hieronymus.

S. Ioannes Chrysostomus.

S. Thomas Aquinas.

SS. Confessores.

S. Ioseph Deiparae sponsus.

S. Dominicus.

SS. Franciscus Assis. & Paul.

S. Franciscus Xauerius.

S. Ignatius parens Soc. Iesu.

SS. Confessores alij.

Beati.

SS. Mulieres.

S. Maria Magdalena.

S. Teresia.

SS. Mulieres aliæ.

INDEX TERTIVS PARAENETICVS PRO RELIGIOSIS

RELIGIOSI STATVS EXCELLENTIA.

Reli-

Religiosi status Perfectio.

Aedificatio in conuersatione.

Apostata.

Castitatis votum.

Concordia.

Clausura.

Deuotio, & Pietas.

Feruor, spiritus.

Reno-

Finis Tertij Indicis parænetici.

Errata sic corrige.

PAgina 19 columna 2.v.28.ego ero.p.20.c.2.v.41.cupiditatum p.34 c.2.v.33.iudicarent p.45.c.1.v.1.corda p 51.c.1.v.11.sincera p 53.c.1.v.26.nam potius.p.67.c.2.v.18.nolint. p.73.c.1 v.1. ad Nemoriū episc p.86.c.2.v.penult. pacatisquè p.109 c.2.v.39.dele,esse.p.120.c.2.v.32.nascatur p.124.c.1.v.27.indigus p.126.in marg.c.1 firmamenti creationi p.149.c.2.v.23.rusticana. p.148.c.1.v.10.non est proprium.p.151.c.1.v.44.locus est.p.173.c.1.v.32.siue sanctam. p.158.c.2.v.58.de Helisæi. p.167.c.2.v.55 motibus p.163.c.1.v.30 præponendos c.2.v.36.redegit. p.172.c.2.2.18. super effluentem.p.174.c.2.v.23.diuidenti.p.182 c.2.v.30.meo moriar.p.185.c.2.v.2.delectus p.195.c 2.v.12.hæ nascuntur p.197.c.2.v.4.hoc potest. p.201.c.1.v.16.leone mortuo c.2.v.34.conantur.v 41.spiritus.p.207 c.2. [illegible] conuerterentur.p 207.c.2.v 5.Ioannis.p.210.c.2.v.1.κεὸνος v.11. obiectus.p.214.c.1.v.30.sceplasiæ c.2.v.52. temporaliū.v.56.affigimus.p.217.c.2.v.4.magis v 9.vt eis p.220 c.2.v.2. uniuscuiusque p.221.c.1.u.34 habitatore p.223 c.1 u.27.quales erant. p.228.c.2.u.14.non esset. p.231.c.2.u.1.secundum hominem.p.232 c.1.u.49.dicit u.53. ueritatis.p.242.c.2.u.28.qui p.244.c.1.u.2 sis.u 43. Docet p.258.c 1.u.36.ligare.p.261.c.1.u.41.spiritu.p.269 c.2.u.24 non tam.p.272.c.2.u.33.rex Britonum u.43.tandem rex p.273 c.2.u.32.quasi.u.35.bis in die p.281.c.1.u.17.secuturi.p.283.c.1.u.14.omnis hominis p.263.c.1.u 43.peccator u.48 abiectè. p.264.c.1 u.33.amicum uerum. p.267.c.1.u.3. dele,sancto u.28.Ethnici.p.295.c.2.u.14.hostilem p.296.c.2.u.16.lepidè.p.315.c.1.u.18. Deos.c.2 u.ult. transitoriæ. p.318 c.1.u.4 an quia. p.320.c.2.u. 18.assert. p.322.c 1 u.20.dæmonem p.326 c.2.u. 59. maiorum.p.228.c.2.u.ult.dele,nota p 339.c.2.u.34.ne des. p.344.c.2 u.56.alijs.p 364 c.2.u.24 conuersione p.396.c.7.u 16.generatio casta p.399.c.2.u.52. tristia. p.43 .c.1.u 42. obloqui. p.438.c.2.u.33. experiretur.p.447.c.2.u.7:spectaculum.p.460.c.1.u.17.æternorum.p.482 c.1.u.52. adolescente p.501.c.2.u.3. soluam, & non.p.504.c.2.u.20.indigebit.p.515.c.1.u.58. Lysimacho uulnerato. p.516.c.2.u.4. restitistis.p.519.c.2 u.11.statura.p.537.c.1.u.14.occurrere.p.557.c.1.u 19.seruum. p.572.c.2.u 4.imperfectes. p.575.c.1.u 1 timore.p.599.c.2.u.15.mercimonia.u 24 Mars p.614.c.2.u 53 non irascitur.p.615.c.1 u.54.scriptum sit.p.618.c.1.18.armaturam.p 633.c.2.u.ult.ament,& .p.699 c.1.u.18.baptismi. p.716.c.1.u.6. pauperem.u.penult.ad Christum. p.728.c.2.u.8.dele Magis. p.747.c.2.u.penult.aurigarum. p.754 c.2.u.56.aier p.755.c.1.u.10.tempore p.764.c.1.u.30.renasceremur p.761.c.1.u 37.uiluerunt.p 796 c.2.u.6.cauda.p.808.c.2.u.17.dele,undam p.820.c.2.u.28.quid sint. p.827.c.1.u.33 item c.2.u.7.sanguinis.p.331.c.2.u.12.aliquo modo.p.837.mortuum?p.842.c.1.u.12.ecclesia.u.ult nautæ.p.843.c.2.u.37 uires. p.848.c.1.u.4 agis.p 853 c.1 u.32.habebat p.855.c.2.u.4.capitale. p.876.a.2 u 34.monachis. p.898.c.1 u.penult. terra notum.Reliqua prudens lector facilè animaduertet.errata. quæ sunt in margine, correcta habeatur in Indicibus.errata numerorum in paginis ex recta serie præcedentium animaduerti possunt. ut à p.154. usque ad 181. item p. 95. pro 59.& 288. pro 277.& 287.pro 285.& 278. pro 288.& 440.pro 438.& 441.pro 449.& 608 pro 605.& 781.pro 783.